I

Thomas F. Torr.

Ioannis Cameron
Opera, 1628

ret suam, vehementi febre correptus, paucis post diebus eâ fuit exstinctus anno M. DC. XXV. ætatis verò circiter XLVI. Vxorem primò duxit, anno M. DC. XI. Thonentij ad Garumnam in inferiore Aquitania, Susannam Bernardinam, ciuis oppidis illius honestissimi filiam, ex qua filium vnum, quatuor filias suscepit, sed harum prima maximaque natu Burdigalæ quadrima decessit, prima die Iulij anni M.DC.XVI. Filiolus in Anglia Londini X.Maij M.DC.XXII. natus bimulus Salmurij obiit, mense Iulio M DC.XXIV. cùm mater paucis ante mensibus, XI. Martij eodem anno, longa & hectica febri, pulmonísque vitio, & molesta tussi, ibidem exstincta fuisset. Ipse anno exacto nuptias Montalbani iteravit, ducta in vxorem Susannâ Thomasiâ, cum qua paucos menses vixit, nullámque ex ea suscepit prolem. Tres ex priore conjuge susceptas Iohannam, Elizabetham & Susannam impuberes, post se reliquit afflictissimas, rebus materni earum aui, obsidione Thonentensi anno M.DC.XXII. & ciuilis belli, in tractu illo totum ferè triennium sævientis, furore admodum accisis, & penitus propemodum prostratis. Corpore fuit neque humili neque procero, sed mediocri, gracili & macilento magis quàm obeso, neque valido aut robusto sed tamen sano; vultu aperto & renidente, facie ingenua, oculis vividis & amœnis, capillo flauo, incessu, habitu & cultu corporis, quia totus penè semper erat cogitabundus & meditabundus, paulo neglectiore. Moribus erat suauissimis, non morosus & austerus, sed neque remissus & effusus, verum ad grauitatem & lenitatem simul compositus, ὀξύχολος quidem & facilè, præsertim in notos & familiares, irritabilis, sed qui facilè etiam iram deponeret, atque vltrò culpam & errorem agnosceret. Vir pietate & probitate spectabilis, integerrimus, candidus, apertus, fuci, fraudis, dolíque mali planè nescius, à φιλαργυρίᾳ & μικρολογίᾳ alienissimus, imò verò pecuniæ mirus & pro fortunæ suæ conditione nimius contemptor, & in erogando supra modum facilis, ne profusum dicam. Amicis fidus, inimicis non iniquus fuit. Gloriæ & fortunæ æmulos habuit, quibus tamen minimè infensus fuit, imò nullus fuit cui benè non cupiverit, & benefacere pro data occasione paratus non fuerit. Doctrinæ suæ non minus quàm τῶν χρημάτων καὶ βιωτικῶν κοινωνικὸς & liberalis largitor, volentes à se discere nil celabat, quin facilè quicquid singulare aut reconditum habuit, iis communicabat. Nihil fermè vltro scripsit, sed vel ab æmulis & Adversariis prouocatus & lacessitus, vel ab amicis incitatus & quasi exstimulatus, difficulter enim admodum ad scribendum manum admouit, licet facilius illi nil fuerit quàm aliquid scribere, Pauca ipso viuente & procurante edita sunt in lucem, pleraque vel eo inscio & absente, vel post obitum eius ab amicis evulgata fuere, qui nisi magno cum studio excepissent ex ipsius ore quæ potuerunt excipi, & sparsas conquisiuissent neglectásque ab eo schedas, omnia ingenij ipsius monumenta prorsus periissent, adeo sua scripto consignare naturâ segnis, & asseruare negligens & incuriosus erat. Varia carmine tum in adolescentia, tum etiam, licet rarius, matura ætate composuit, prout se dabat occasio, & modò hoc, modò illud sese illi offerebat argumentum, quæ quidem Amicis solebat recitare, sed ea vel omnino non scribebat, vel si fortè

ſcripſiſſet, huic vel illi Amicorum ſtatim dabat, nihil eorum ſcripto penes ſe aſſervabat, confiſus bonitati memoriæ, quæ cùm libebat ea fideliter illi ſuggerebat, vnde factum vt ea omnia perierint, & tamen ea facultate vel maximè pollebat, vt videri poſſet ad Poëſin à natura veluti efformatus, erant enim verſus ipſius omnis generis faciles, terſi, ſuaues, elegantes, Virgilianis, Lucretianis, & Catullianis, (quos authores in ſcribendo carmine præcipuè imitandos ſibi proponebat) penè pares, in quibus neque verborum proprietatem, & ſermonis puritatem, neque orationis lumina & floſculos, neque gratiam inuentionis, neque lepôrem & veneres, neque vbi opus erat, nervos, grauitatem, & maieſtatem deſiderares. Præter trium principum linguarum peritiam ſingularem, & multam bonorum Græcæ & Latinæ linguæ authorum lectionem, ſolidam habuit & accuratam non Scholaſticæ illius ſpinoſæ, aculeatæ & ſophiſticæ, ſed puræ, ſinceræ, germanæ, veréque Peripateticæ Philoſophiæ cognitionem, qua feciliſſimè in omnibus Diſputationibus & diſſertationibus ſuis vtebatur. S. Theologiam, ſcientiarum omnium principem & dominam, præcipuè amauit & coluit, adeóque & verbo & ſcripto excoluit, quam multo adhuc auctiorem & cultiorem ab eo haberemus, ſi vel longiorem indulſiſſet ei vitam Deus, vel ſi quàm in meditando profundus & aſſiduus erat, tam fuiſſet in ſcribendo & annotando animi ſui ſenſa ſedulus, verùm laboris in ſcribendo naturâ impatientior, totus erat vel in meditatione, vel in diſſertatione & verbali cum amicis communicatione. In diſputando ſiue ageret & Aduerſarium oppugnaret, ſiue reſponderet, & ſe ſuáque tueretur, ſeu verbo, ſeu ſcripto, promptus, paratus, lenis, ſolidè acutus, vbi nodus vindice dignus occurrebat, planus & perſpicuus erat. Iudicium ei fuit limatum & ſolidum, memoria felix & tenax, acris vis ingenij, prompta ἀγχίνοια, ſingularis facundia, & dicendi vis inexhauſta, fortéque plus æquo luxurians, ſummis denique ingenij abundè à Deo inſtructus dotibus, quas etiam pro virili ad ipſius gloriam, Eccleſiæ ædificationem, & proximi beneficium, in munere & vocatione ſua, pro data occaſione, liberaliter ſemper, nec ſine fructu impendit. Nam & dum vixit multis verbo & exemplo profuit, & Diſcipulos habuit non paucos tanto Magiſtro non indignos (à quorum nonnullis, quod citra inuidiam dictum ſit, paria pene cum eo exſpectare poſſis) & poſt obitum, tum illorum operâ, tum propriis Scriptis, proderit adhuc viuétque in eorum animis à quibus abeſt omnis liuor, in quibus viget & regnat verum veritatis ſtudium.

DOCTIS

DOCTIS ET PIIS VIRIS,

Ecclesiarum in Gallia Reformatarum Pastoribus fidelissimis vniuersis,

S. IN CHRISTO IESV.

STATIM *post tristem de Doctissimi, vobisque (Venerandi Patres) de fama saltem notissimi, viri* IOH. CAMERONIS *morte nuncium acceptum, nonnulli eius Amici cœperunt inire rationem, & consilium agitare de evulgandis doctis, quæ tum hic, tum alibi, publicè docendo, Auditoribus dederat, eruditionis monumentis, vt quod paucorum amicorum & discipulorum manibus terebatur publici iuris fieret, ne Ecclesia Dei dulcissimo & vtilissimo laborum tanti Theologi fructu fraudaretur. Eorum itaque operâ, studio, labore, diligentiâ, atque sedulitate, factum est vt primus tomus Prælectionum ab eo hîc habitarum prodiret in publicum. Qui cùm nuper in Ecclesiarum in Gallia reformatarum Synodo generali Heluorum Castris coactâ, à Patribus isthic congregatis visus & probatus esset, decreto suo authores fuere vt reliquorum viri illius docti Operum editio à Synodo Andegauensis, Turonensis & Cœnomanensis Prouinciæ studiosè & diligenter procuraretur. Id oneris à Synodo nobis impositum fuit, nosque eam rem pro virili curauimus. Cumq; huic Synodo visum esset constituere Censores aliquot à quibus opera illa recenserentur priusquam prælo subjicerentur, communi eorum calculo omnia examinata & probata fuere, prout ea duobus posterioribus tomis habentur, excepto tractatu qui est in Matthæi celebrem locum,* Tu es Petrus, &c. *iam enim totus excusus erat antequàm à Synodo Censores vlli fuissent constituti. In eo sanè habetur loci illius expositio quæ noua nonnullis videbitur, & diuersa ab ea quæ inter Reformatos vulgo recepta est: at ea tamen neminem (vti putamus) iure offendere debet. Non enim Authoris consilium fuit vel vulgò à nostris receptam expositionem rejicere prorsus atque damnare, vel in hoc argumento Pontificiis aliquid, quod in veritatis cedat præiudicium, largiri; sed duntaxat ostendere, etsi Aduersa-*

riis fiduciariâ, quam vocant, reprobatione id concederetur quod illi tantopere contendunt, Petro aliquid singulare à Christo datum esse, & Ecclesiam super eum esse fundatam, *nihil tamen inde iuuari Pontificis Romani caussam, quod sanè Author toto illo Tractatu firmissimis euincit, vti putamus, atque demonstrat rationibus. Porrò vobis (Viri doctissimi) inscribere ideo nobis visum est hoc Opus, quòd in communem S.S. Theologiæ Candidatorum (qui in Gallia ad sacrum Ministerij Verbi Diuini munus, quo vos in Ecclesia Dei fungimini, adspirant) vsum & commodum, hîc in publico Sacrarum Litterarum, in quo illi exercentur* φροντιστηρίῳ, *ab Authore primò conceptum, & viua voce publicis Prælectionibus hîc editum, iam publica Ecclesiarum nostrarum authoritate euulgatur. Non est autem, vti existimamus, necesse vt vobis Opus istud commendemus, nota siquidem iampridem vobis de fama est Authoris doctrina & eruditio, quam vbique omnibus, quibuscum res illi fuit, satis probauit. Et quando Patrum Synodi Heluorum Castris habitæ iussu publicantur iam viri istius magni Opera, speramus fore vt ea, sic vti sunt recensita, nemini vestrum non sint acceptissima; vtque multi qui famâ tantùm acceperant hominis illius doctrinam atque eruditionem, eam nunc oculis legendo vsurpantes, grata mente memoriam eius apud se recolant; Deoque gratias agant, quod tam claram in homine illo accenderit cognitionis Sacrarum Litterarum & purioris Theologiæ veluti lampadem, simulque doleant eam tam citò fuisse exstinctam, neque diutius in magnum Ecclesiæ bonum in terris luxisse facem illam, quam nunc in Cœlo, in iustorum* τετελειωμένων *choro, micare & fulgere, beatis illis sedibus receptam, non dubitamus. Faxit Deus vt subinde complures illi similes vbique excitentur, quorum operâ & piis laboribus gloria ipsius, & Ecclesiæ salus atque* οἰκοδομὴ, *in dies promoueatur. Interim his viri istius laudatissimi vigiliis & lucubrationibus (quæ vobis, Viri Fratres & Patres venerandi dicantur) grati fruimini, & quem ex earum lectione perceperitis fructum Deo, bonorum omnium benignissimo & liberalissimo largitori, consecrate, in sacri, quo ab eo ornati estis, Ministerij Verbi sui exercitio & functione, quod vti speramus à vobis factum iri, sic etiam ab ipso precamur, vt vobis, gregibusque vestris, modis omnibus quàm cumulatissimè benedicat.*

Salmurij, 3. Id. Octob. M. DC. XXVIII.

Vestri in Christi opere συνεργοὶ
& συνδοῦλοι studiosissimi

SAMVEL BOVCHERELLVS.
LVDOVICVS CAPPELLVS.
MOSES AMYRALDVS.

EX-

EXTRAICT
DES
ACTES DV SYNODE NATIONAL
DES EGLISES REFORMEES DE FRANCE,
tenu à Castres le 15. Septembre 1626.

LA Compagnie exhorte la Prouince d'Anjou de procurer l'impression du reste des œuures du feu sieur CAMERON, auec promesse qu'elle aura esgard aux frais qu'il conuiendra auancer, au prochain Synode National.

CHAVVE, *Moderateur.*
BOVTEROVE, *Adjoint.*
D. BLONDEL, *Esleu pour recueillir les Actes.*
PETIT, *Secretaire.*

Hæc Latinè reddita sic sonant.

SYNODVS *hortatur Andegauensis Prouinciæ Pastores, vt curent Typis mandari, atque in lucem edi, reliqua quæ haberi poterunt,* IOH. CAMERONIS, *piæ memoriæ, Scripta atque monumenta, polliceturque fore vt à proxima Synodo Nationali refundantur restituanturque ipsis sumptus quos in Editionem illam facturi sunt.*

Exscripta sunt ista ex Actis Synodi Nationalis Ecclesiarum in Gallia reformatarum, quæ habita est Helvorum Castris ad XV. *diem Septembris, anni à Christo nato* M. DC. XXVI. *communitaque sunt sigillo manus eorum qui moderandæ Synodo præfuerunt, quorum hîc subiecta sunt nomina.*

CALVVS, Synodi Præses.
BOVTEROVE, Præsidis Assessor.
D. BLONDELLVS, Synodi Scriba.
PETITIVS, Synodi Actuarius.

DECRETVM INAVGVRATIONIS in Profeßionem Theologicam authoris huius libri, prout illud ex Actis Concilij Ecclesiastici & Academici, ad examinandos S. Theologiæ Professores Salmurij, mensis Augusti die 8. & sequentibus, Anno Domini M. DC. XVIII. habiti, descriptum est.

Nomina eorum qui Concilio interfuerunt.

ILLVSTRISS. *Vir* PHILIPPVS MORNAIVS PLESSIACVS, *Baro de la Forest*, &c. *Sacri Regij Consistorij Consiliarius*, *quinquaginta cataphractorum equitum Ductor*, *Salmuriensis ditionis Præfectus*, rogatus a Concilio.

Ex Classe Andegauensi,

IOH. FLORIDVS *Ecclesiastes Iuliodunι.*

STEPHANVS BLOYVS *Ecclesiastes Andegaui.*

SAMVEL BOVCHERELLVS *Ecclesiastes Salmurij.*

Ex Classe Turonensi,

PETRVS PERILLÆVS *Ecclesiastes Insulæ Burchardi.*

MATTHÆVS COTTERIVS *Ecclesiastes Turon.*

Ex Classe Cænomanensi,

IO. VIGNÆVS *Ecclesiastes Cænoman.*

ABEL BARBERIVS *Ecclesiastes Pringiaci.*

Ex vicinis Prouinciis. E Normania,

IOANNES BODERIVS de la Buissonniere *Ecclesiastes Alençonij.*

E Prouincia Bituricensi,

IOACH. MOLINÆVS *felicis memoriæ Ecclesiastes Aureliæ.*

NICOLAVS VIGNERIVS *Ecclesiastes Blæsensis.*

Ex Armorica,

PETRVS PLACEVS *Ecclesiastes Sionis.*

Professores Acad. Salmur.

LVD. CAPPELLVS *verbi Diuini Minister, Hebrææ linguæ Professor, & pro tempore Academiæ Rector.*

IO. BENEDICTVS *Medic. Doctor, linguæ Græcæ Professor.*

MARCVS DVNCANVS *Medic. Doctor, Metaphys. & Mathemat. Professor, & Gymnasiarcha.*

FRANCO BVRGERSDYCKIVS & GVIL. GEDDEVS *reliquæ Philosophiæ Professores.*

DECRE-

DECRETVM IPSVM.

QVOD Ecclesiarum in Gallia reformatarum disciplinâ sancitum est, ut qui ad S. Theologiæ professionem in Academia aliqua suscipiendam vocatur, non modò prælectionibus duabus, vnâ in Veteris, alterâ in Noui Testamenti locum aliquem, sed etiam Thesium Theologicarum editione & earundem publica defensione, donorum sibi à Deo concessorum modum ac mensuram testentur, vt constet an tanto muneri pares sint, ne Ecclesia (cuius seminarium est Academia) detrimentum capiat: Id nos pro muneris nostri ratione curauimus efficiendum ab IOHANNE CAMERONE Ecclesiæ Burdigalensis Pastore, inde authoritate Synodi prouincialis Andegauensis, Turonensis, & Cænomanens. Ecclesiarum mense Maio habitæ, consentiente Ecclesiâ Burdigalensi, ad professionem S. Theologiæ in Academia Salmuriensi suscipiendam, euocato.

Auditis itaq; duabus eius Prælectionibus (quas, vt eius ore exceptæ fuerunt edi iussimus) & publicâ de Thesibus ab eo, ex præscripto Senatus Academici, editis, disputatione ab hora 7. matutina ad 6. vespertinam, adhibitis etiam doctorum testimoniis de concionibus eius in vrbis huius Ecclesia, prælectionibus ab eo in hac Academia habitis, & disputationibus ordinariis quibus præfuit ab idibus Iuniis vsque ad tempus nostri huius conuentûs: OMNES VNANIMI CONSENSV testamur specimina ab eo edita nobis solidè & singularem in modum placuisse, eumq; omnibus nostris postulatis cumulatissimè satisfecisse. Itaque CENSEMVS eum S.Theologiæ Professione dignissimum, & vt gratiæ Deo agendæ sunt quòd eum tot singularibus rarisq; donis cumulauit, ita quoque certissimè sperandum esse eum tot natura dotibus, tantâ trium principum linguarum, tantâ Philosophiæ, tantâ S.Theologiæ cognitione, summâ Dei munificentiâ instructum, continuatâ Diuini fauoris aurâ, non tantùm prouehendo huius Academiæ bono, sed etiam proferendo Iesu Christi regno, & ædificandis tam nostris quàm exteris Ecclesiis vtiliter & potenter inseruiturum. Ideoq; deferendum illi esse omnem honorem, omnesq; prærogatiuas S.Theologiæ Professoribus debitas, denique eum ob singularem pietatem, sanam doctrinam, & reconditam eruditionem, tum aliis omnibus, tum præcipuè huic Academiæ commendandum esse. Et in hunc finem die crastino horâ 7. matutinâ, conuocatis omnibus Academiæ ordinibus, à D. Io. Florido Concilij huius moderatore, EVM (quod fœlix faustumque sit) PROFESSOREM S. THEOLOGIÆ *publicè renunciandum esse, adjectis monitis ad studiosos temporis & loco conuenientibus.*

TYPOGRAPHVS
LECTORI.

EXHIBEMVS *tibi, amice Lector,* IOHANNIS CAMERONIS *Opera omnia, non illa ſolum quæ tribus voluminibus in quarto Salmurij, ſed & quæcunque vel alibi ſeorſim edita ſunt, vel quæ nos nondum edita hinc inde colligere potuimus. Gallice quædam prodierant vt* tractatus de Eccleſiæ Romanæ aduerſus Religionem reformatam Præjudiciis: De ſupremo controuerſiarum Iudice: Conciones in Ioannem: Narratio eorum quæ in mutuo cum Mareſchalla Teminia agitata ſunt colloquio: Literæ conſolatoriæ apud Eccleſiam Burdigalenſem: Ab incompetentis iudicis ſententia appellatio; *quæ omnia Latinitate donari curauimus, quod ideo monemus ne, ſi quid perperam, hic redditum fuerit, id auctori adſcribatur, ſed potius interpreti, cui tamen æquum ac benignum Lectorem quicquid id erit condonare par eſt. Hanc ille nobiſcum laboris ſui mercedem ſperat, quem ſi tibi gratum eſſe animaduerterimus ad alia maioris operis ac molis alacriores accingemur: tu hiſce interim vtere, fruere. Ex Typographeio noſtro Kal. Septembribus* CIↃ IↃCXLI.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

HABES, benigne Lector, hoc volumine comprehensa viri longe Doctissimi & Theologi præstantissimi, non Prælectiones modò quas Salmurij & alibi, magno concursu, & frequenti S. Theologiæ candidatorum auditorio, habuit, sed omnia quæ antea quomodocunque, vel ipso viuente, vel post eius obitum amicis procurantibus edita sunt opera, quæcunque conquiri & inueniri hactenus potuerunt. Vtinam ista ipse viuens in lucem emisisset, haberes ea, procul dubio, cum pleniora, tum castigatiora. Sed ille variis, ex quo ad docendi munus vocatus fuit, iactatus casibus, & curarum, atque turbarum multiplicium fluctibus agitatus (quibus tandem concepto ex animi ægritudine Montalbani morbo, oppressus est) magno amicorum, omniumque, qui eum familiariùs nouerant, bonorum luctu & dolore, suas in Sancta Theologia meditationes, prout eas penè ex tempore in Schola effuderat, discipulorum opera & diligentia exceptas hîc illic sparsas, minus castigatas, multisque partibus mutilas post se reliquit. Facem illam extinctam omnes boni lugent, nisi enim tam immatura morte ereptus fuisset vir ille summus, totam Theologiam doctissimis suis commentationibus singularem in modum illustrare potuisset. Verebantur illi, ne eodem cum ipso conderentur, & obruerentur perpetuæ obliuionis sepulchro, quæ ipse olim in schola viua voce docendo ediderat, eruditionis suæ, ad S. Theologiæ illustrationem, monumenta. Verùm amicorum quorundam liberalitate, & aliorum studio & labore factum est, vt mox post eius obitum in lucem sit editus, primus prælectionum ipsius tomus; paulo post duo alij, iussu & authoritate Synodi Nationalis Ecclesiarum in Gallia reformatarum, & publicis earundem sumptibus atque impensis, subsecuti sunt. Quorum cum auidè excepta, & breui tempore distracta, atque diuendita sint exemplaria omnia, denuò recudi placuit, atque vno hoc volumine complecti vniuersa quæ inueniri potuerunt ingenij tanti viri monumenta, etiam ea quæ videri possent contemnenda, cùm nihil

tamen in iis reuera ſit paruum aut contemnendum. De quorum ordine, prout ea hoc volumine iam habentur, deque Authoris mente & conſilio, ratione & methodo docendi in pleriſque, paucis hæc habeto.

Quum primum CAMERO Burdigala, Aquitaniæ Metropoli, (vbi verbi Dei ſacro Miniſterio vltra decennium iam functus fuerat magna cum laude, doctrinæque, eruditionis, & ingenij fama) Salmurium ad docendam S. Theologiam euocatus fuit, eius in ea Profeſſione deceſſor vir Clariſſimus Dom. Gomarus, cœperat, paulo ante ſuum ex illa Academia diſceſſum, ſelectiora & illuſtriora Noui Teſtamenti loca prælectionibus ſuis explicare. Quum itaque mox aduenisſet CAMERO hic noſter, eadem eſt illi à Senatu Academico demandata prouincia, iuſſuſque eſt inde initium facere vbi ille deſierat, atque N. Teſtamenti loca ita explicare, vt quum daretur occaſio in loci communis tractationem interdum excurrere liceret, quoniam nemo tum iſthic erat qui ex profeſſo S. Theologiæ locos, quos communes vocant exponeret. Primus Scripturæ locus qui illi veluti ſorte explicandus obuenit, fuit ille decantatiſſimus qui habetur Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c.* quem accuratiſſime ſane, (vt reliqua omnia) Prælectionibus (quarum frequentiſſimè auditor eſſe voluit magnus & incomparabilis ille Heros, beatæ memoriæ, PHILIPPVS MORNAIVS, tanto doctrinæ & eruditionis viri illius magni deſiderio tenebatur, & voluptate capiebatur,) illuſtrauit: interim dum ex legum Eccleſiaſticæ diſciplinæ & generalium Synodorum præſcripto, Prouinciæ Andegauenſis (in cuius diſtrictu eſt Salmurium) Synodum expectat.

Quæ autem tum dixit quia à diſcipulis & auditoribus non potuerunt plenè & accurate excipi (ſiquidem nihil dum dictabat, ſed perpetua & non interrupta vtebatur oratione) ea quæ nonnulli ex ore dicentis calamo exceperant, quadriennio poſt (paulo antè quam Salmurio Montalbanum peteret, vbi vltimum clauſit diem) cum relegeret author, viſum eſt illi ea emendare & amplificare, prout illa hîc habes totidem verbis expreſſa quibus ipſe propria manu deſcripſit. Cùm ſolemni præmiſſo examine à Synodo in S. Theologiæ profeſſione confirmatus & inauguratus eſſet XVI. die Auguſti, Anno Domini M. DC. XVIII. perſecutus eſt vti cœperat, celebriorum Noui Teſtamenti locorum explicationem, inde ab illo, *Tu es Petrus*, cui nos hîc ſubjecimus duas prælectiones quas habuit in ipſo examine, vna cum Theſibus de Gratia & libero Arbitrio, quas tum propoſuit diſputandas. Illis ſubjectæ ſunt explicationes locorum inſigniorum & difficiliorum Noui Teſtamenti eo plane ordine quo eas in Academia Salmurienſi Author Prælectionibus ſuis illuſtrauit reliqua parte anni M. DC. XVIII. vſque ad turbas ciuiles anni M. DC. XXI. quum cœpit explicationem loci qui eſt Matth. XIX. 3. de Chriſto à Phariſæis ſuper repudij negotio & quæſtione tentato, quam mutilam & vltima ſui parte defectam, turbarum metu Gallia excedens, reliquit. His ſubiun-

subjunximus dictata illa quæ post sedatos motus ciuiles, cum ex patria (quò se receperat) Salmurium rediisset, in paucorum qui isthic tum erant S. Theologiæ candidatorum gratiam, ad quæstiones illi in Epistolam ad Hebræos propositas priuatim dedit. Quibus dum ille vacat, vixque dum ad caput nonum aliquid dictare cœpisset, Montalbanum ad docendi munus accitus proficiscitur, vbi quas antea in Scotia Glascuæ cœperat de verbo Dei Prælectiones paucis mensibus continuauit. Nam paulo post nouis motibus inde eiectus, contracto animi mœrore morbum concepit, quo, omnium qui eum nouerant bonorum summo dolore, extinctus est. Has prælectiones quas tum Glascuæ, tum Montalbani habuit simul coniunximus, vna cum nonnullis aliis, quas Salmurij de eodem argumento, extra quotidianarum prælectionum ordinem & seriem, initio singulorum semestrium habuerat. His ob argumentis congeneris affinitatem adjunximus tractatum de Iudice controuersiarum, gallicè ab authore primò conscriptum, nunc factum latinum, (quomodo tractatui de Ecclesia, ob argumenti pariter vicinitatem subjecimus librum de præscriptionibus Ecclesiæ Romanæ, Gallicè, olim viuente authore, editum, iam verò in linguam Latinam translatum.) Sequitur deinde Amica ipsius cum Tileno Collatio, in Belgio olim Leydæ, viuente authore, excusa: cui subjecta est eiusdem CAMERONIS aduersus Viri docti ad amicum Epistolam, defensio. Veniunt postmodum conciones aliquot Gallicè Salmurij habitæ, in Latinum idioma iam traductæ. Vltimo denique loco paucula quædam & breuia eiusdem authoris subjunximus Miscellanea, quæ nos potuimus vndique conquirere, quæque putauimus non ingrata tibi fore, neque indigna quæ à te legantur.

PORRO nullius, opinor, nedum nostra, opus est operis huius apud te commendatione, ipsum enim satis se tibi cordato Lectori probabit; quandoquidem vbique fulget in eo authoris varia eruditio, multiplex doctrina, magnum ingenium, perspicax iudicium, non futile & aculeatum sed solidum & gratum acumen, rerumque theologicarum cognitio & peritia singularis. Neque methodum quisquam in singulis operis partibus iure desiderauerit, quæ quam sit apta & commoda videre est ex præmissa singulis ferè capitibus analysi.

Hoc fortè in eo aliquis reprehendat, quod in Prælectionibus frequenter excurrit vel in aliorum (quàm quos tractandos suscepit) Scripturæ locorum explicationem & vindicationem; vel in refutationem rationum, exceptionum, & cauillorum quibus ea hæretici conantur peruertere. Verùm aduertendum est aliam esse rationem prælectionum quæ habentur in schola in discipulorum gratiam, aliam verò eorum quæ certo consilio typis euulgantur. Nam in his non licet excurrere extra cancellos exactæ methodi, in illis longè maior potest esse libertas. Et sanè obsecutus est ille hac in parte, tum proprio, vt ita dicam, genio, tum Auditorum studio & fauori, tum etiam

occaſioni, quæ ſe interdum dabat, diſputandi inter diſcipulos nunc de hoc nunc de illo argumento, modò aduerſus hunc, modò aduerſus illum hæreticum. Et quidem proprio genio hîc indulſit. Cum enim fœliciſſimo eſſet in explicanda Scriptura ingenio, & à natura quaſi factus & comparatus ipſe eſſet ad genuinum eius ſenſum, veluti quadam indagine, deprehendendum, eo ſanè ſtudij genere impensè delectabatur. Itaque non rarò ex loci alicuius illuſtrioris, aut difficilioris, citatione, captabat occaſionem vel excurrendi in fuſiorem eius explicationem, vel obiter illum illuſtrandi aut verò eum ab hæreticorum interpretamentis vindicandi: qua in re nil ab inſtituto alienum facere ſibi videbatur, quandoquidem hoc negotij illi impoſitum fuerat, vt loca Scripturæ illuſtriora exponeret.

Auribus etiam & ſtudio auditorum ſuorum hac in parte ſubſeruiebat, qui explicationibus quas afferebat adeo concinnis & aptis plurimum delectabantur, eiuſque ſingularem ea in re vim & fœlicitatem ingenij exoſculabantur. Cumque tum temporis, quum primùm docere in ſchola cœpit, feruerent Nouatorum ſemipelagianorum in Belgio lites, nec per inſtituti ſui rationem poſſet data opera controuerſiarum illarum integrum examen ſuſcipere, quod potuit, ſaluo inſtituto, id fecit, vt nempe quando dabatur occaſio, in id genus controuerſiam aliquam excurreret, ſeu vindicando Scripturæ loca ab hominum illorum interpretamentis, ſeu reſpondendo eorum ratiunculis, ſeu euoluendo & explicando ea quæ illi conſulto inuoluunt & confundunt. Atque eo libentius ſic excurrebat, quod nonnullorum arte & ſermonibus (à quibus certè id minimè oportuit) adductus erat, apud eos qui eum non nouerant, in ſuſpicionem quaſi illorum hominum cauſæ faueret, quorum tamen dogmata & ſententiam ſemper, vel à prima adoleſcentia non deteſtatus eſt modò, ſed & priuatis colloquiis, & familiaribus diſputationibus fortiter redarguit in nonnullis hominum illorum diſcipulis pertinaciſſimis, quibuſcum variis in locis res illi fuit, priuſquam ad vllum docendi munus publicum vocatus eſſet, quod ſatis ſciunt illum familiarius nouerunt. Et certè quàm fortis hæreſeos illius impugnator & infenſus hoſtis fuerit, quamque non infœliciter, (vt nil amplius dicam) in ea arena decertet, fidem opinor facient, apud æquum & cordatum lectorem, tum ab eo edita de illo argumento ſcripta, tum quæ in eius prælectionibus ſparſim ea de re habentur.

Socinum etiam non rarò aggreditur, & lubens, data occaſione, redarguit, quod is ſit omnium hæreticorum, qui Chriſtianam religionem oppugnarunt, inſidioſiſſimus & peſtilentiſſimus, qui in declinandis argumentorum, quibus vel hæreſim ſuam impugnari, vel orthodoxam doctrinam defendi videt, ictibus, arte ſumma miraque dexteritate, & ingenij acumine, in Lectorum animos ſeſe inſinuat, atque ſenſim illabitur. Quo fit ut eius aſſeclæ certam concipiant ſpem fore vt omnes, quotquot veritatis verè ſunt ſtudioſi, nec præconceptæ

opinioni

opinioni atque diuersæ sententiæ nimis pertinaciter addicti, facilè in partes suas concedant, si modò hominis illius scripta æquo animo perpendere velint.

Cum itaque Camero hic noster, magnam hæretici illius Scriptorum partem olim legisset, adeoque cominus (dum S. Theologiæ adhuc candidatus esset) cum quodam sectæ illius sectatore & fautore pertinacissimo, per multos dies priuatim tam fortiter pugnasset, vt tandem animum illius expugnauerit, & ab hæresi hominem ad orthodoxam doctrinam reuocarit, sicque totum hæretici illius pestilentissimi consilium, mentem atque sententiam, artes, fraudem, rationes, effugia, acumen & cauilla perspectissima haberet, vereretur que ne si illius Scripta in discipulorum suorum manus aliquando venirent, magnam facerent in teneros eorum animos impressionem, voluit eos præmunire aduersus ipsius tela & artes, asserendo maximè tum Scripturæ testimonia, tum rationes & argumenta inde ducta, contra cauilla & interpretamenta quibus pondus eorum hæreticus ille studet eleuare.

Disputat interdum aduersus Iudæos, quod fortè cuipiam videri possit otiosum, cum tamen reuera id minime omnium sit superuacaneum. Vindicat nimirum aduersus eorum exceptiones loca Vet. Testam. in Nouum traducta, vt sic retundat hominum illorum superbissimorum vanam iactantiam, qui ostendere se posse putant, pleraque omnia Vet. Test. loca, ad Christianæ Religionis dogmata confirmanda, ab ipso Christo, & Apostolis eius, in N. Testam. adducta, fuisse ab ipsis, (absit blasphemia dicto) detorta, deprauata, & in alienum sensum traducta, vnde magnum, à prophanis hominibus, aduersus Christianam religionem scandalum infirmiorum animis objicitur. Quamuis autem alij pio studio & laudabili sanè conatu Parallela ad hoc conscripserint, vt eiusmodi loca asserant & vindicent, tamen hominibus cordatis non videntur vndiquaque satisfecisse. Quare & hîc Cameronis nostri labor & industria desudauit, quum se dat occasio. Porro quam fœliciter res illi hac in parte successerit, prudentis Lectoris erit iudicium. Sanè si vlla alia in re, in hac vel maximè excellit, seque ipsum superasse videtur, ita prodit hîc, non vanam sophisticen, sed pectore Christiano vere dignam industriam, solertiam, acumen, ingenium, eruditionem.

Anabaptistas etiam aliquando petit, quia & illi in quibusdam insultare se posse putant orthodoxis, atque adeo habere nonnulla videntur, quæ veritatis specie non carent, ita vt fucum illum detergere operæ pretium sit. Itaque & hîc operam suam non fore inutilem putauit author noster.

Thomam Erastum disciplinæ Ecclesiasticæ hostem, & cautum magis atque circumspectum, quoniam fortem & validum oppugnatorem, ex occasione dicti Christi, *Dic Ecclesiæ*, impetit, atque effugia & latebras quibus se abdit, ei eripit, & aduersus insidiosas eius ratiunculas, veram Ecclesiæ disciplinam ita tuetur, vt frustra

in hoc argumento, post aliorum scripta, laborasse nemini videri debeat.

Pontificios autem potissimum inuadit, vtpote quos habemus in omni controuersiarum genere præcipuos,& penè solos,aduersarios: quibus cum (adeoque & cum quolibet aduersario) tam candidè agit, vt non modò non eleuet pondus rationum, aut dissimulet præcipua eorum argumenta, vt contra ea vltro conquirat, vimque & pondus eis addat, aliaque veluti succenturiata in subsidium mittat: quumque argumentorum aut testimoniorum Scripturæ tela in eos contorquet, exceptiones quibus ea eludere, atque declinare conantur non dissimulat, aut proponendo debilitat, sed potius corroborat, adeoque alias exceptiones aut responsiones, de quibus illi quidem non cogitarunt, at quæ tamen alicui in mentem venire possunt,profert, quibus omnibus postmodum tam perspicuè,acutè,solidè,& accuratè respondet, vt se planè hic admirandum præbeat.

At verò quibusdam fortè (vt varia sunt hominum iudicia) videbitur vel liberior in rejiciendis aliorum, ad rationes & argumenta aduersariorum,responsionibus & locorum Scripturæ interpretationibus,vel audacior in nouis procudendis,& suis obtrudendis. Verum nemo prudens modestiam,in eo hîc desiderauerit: Nam & parcè id facit, & sine cuiusquam iniuria, neminem enim nominat: neque temerè etiam facit, sed vel facti ipse sui rationem reddit, vel difficile non est cordato lectori iudicare, iure-ne an iniuria ab aliis discesserit, nouamque inierit viam. Neque etiam eum videas à magnis Heroibus[vti solebat eos appellare] primis inquam reformationis nostræ authoribus,in præcipuis & momentosis Theologicis assertionibus & definitionibus discedere : At velle eum, aut quemuis alium, eò adigere, vt in eorum qui subsecuti sunt, inferioris, vt ita dicam, ordinis & subsellij theologorum dicta & placita omnia iurent, iniquum semper ille existimauit, & illi ipsi [si qui fortè sunt] qui hoc obtentu vellent eum sugillare,& inuidiam ei facere ; nollent, credo,secum ea lege agi, nec libenter paterentur se tam arctis cancellis coërceri.

Atque hæc in genere de prælectionibus dicta sunto,quibus ista in specie de quibusdam addere placuit.Ac 1°. quidem de loco illo, *Tu es Petrus*, iam quod satis est in præcedente dictum est Epistola, hoc vnum libet adjicere;quod si cui forte minus arridet,(quanquam cur placere non debeat causa nulla videtur)illa quam Author adfert huius loci expositio,poterit,si libet,eâ vti tanquam fiduciaria,quod aiunt,aduersus hostem,reprobatione, vt Pontificio Patrum authoritatem ad nauseam vsque odiosè objicienti os obstruat,vltimoque, quo sese homines illi tutantur, antiquitatis testimonio,ceu propugnaculo,deturbet atque dejiciat. Occasione autem loci qui est Matth. XVIII.27. *Væ mundo à scandalis*, &c. plenius paulo & fusius de scandalis,deque eorum necessitate disputat, tum propheticis,tum theologicis rationibus. Id quod consultò ab eo factum est propter notas contentiones de hoc argumento, deque ratione diuinæ prouidentiæ Dei in malo,tum Pontificiorum,& Scholasticorum Doctorum,quorundam,tum Nouatorum nonnullorum, [qui illos hac in parte sequuntur] agitatas feruidéque

uidéque disputatas concertationes, quibus factum est, vt nimis altercando his de rebus, veritas & orthodoxa sententia vel periclitetur, vel obruta & quasi sepulta sit disputationum multitudine & varietate, atque Scriptorum & librorum mole, quam veritatem author noster tueri & defendere, atque in tam denso rixarum & disputationum tum in schola, tum in Ecclesiarum pulpitis, excitato puluere, illustrare atque ex illa suffusa caligine, diffusáque fuligine, pro virili [& vt obiter quasi aliud agendo potuit] studuit in apertam lucem proferre. Cum etiam obuenisset illi explicandus locus Matth. XVIII.10. Angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris mei qui est in cœlis, dedita opera, primùm, de essentiæ Dei immensitate & infinitudine, plenius aduersus Vorstium [qui eam pro viribus exerte oppugnauit] disputat, vt eam contra hominis illius ratiunculas & cauilla tueatur & propugnet, tum vt gliscenti per illud tempus malo iret obuiam, tum vt calumniam à nostræ partis hominibus abstergeret, qua Pontificij, in omnes calumniandi occasiones intenti, nos libentissimè aspergerent, quasi hominis illius impij nefandum dogma, nobis non improbaretur, si nemo nostrum esset qui illud fortiter redargueret, atque reuinceret. Secundò, de Angelis etiam pleniorem ideo instituit disputationem, quod vellet hac in parte auditoribus suis consulere. Cum enim videret à scholasticis doctoribus in hoc parum inter nos & Pontificios controuerso argumento, multa satis pro authoritate definiri, minus veritati consentanea, alia ab iisdem temere aut periculosè affirmari, vel negari, quæ prima fronte aliqua veri specie & similitudine minus cautum lectorem fallere possent, quæque propterea à Theologis nostris vel non sunt fortiter satis confutata, vel non sunt omnino animaduersa, vel sunt securius prætermissa, aut verò ἀβασανίστως concessa, ipse ea voluit ad examen reuocare, & quæ visa sunt in eorum doctrina minus sincera rejicere, deque illis suos discipulos monere, ne ea forte incautioribus imponerent.

Mirabitur forte aliquis quod in explicatione loci Matthæi qui est de libello repudij, Author, occasione duarum vocularum, *Pharisæi tentantes*, statim in ipso limine excurrat in longam de Pharisæis & tentatione disputationem; Hoc sanè ille non fecisset, si hoc vnum in suis prælectionibus sibi proposuisset, locum nimirum quem præ manibus habebat, explicare, sed quando [vt iam monuimus] concessum hoc illi fuerat à Senatu Academico, vt quum illi videretur, loci alicuius communis tractationem interdum susciperet, nemo hoc illi vitio dabit, si hîc ea vsus est libertate, & potestate sibi concessa. Neque indignabitur, opinor, quisquam ea propter, si animo reputet & apud se perpendat vtriusque illius disputationis fructum & vtilitatem insignem. Nam quanta lux toti ferè historiæ Euangelicæ, & innumeris penè N. Testamenti locis, affulget ex doctissimo illo tractatu qui est de Pharisæis? Quam vtilis etiam & prorsus necessaria, in tota re Theologica, accurata illa de tentatione diatriba? Fax inde allucet multis perplexis & obscuris in theologia quæstionibus, quarum alioqui dissolutio, si non desperata omnino, at certe perdifficilis & admodum intricata foret, vt habenda hîc propterea sit potius authori

nostro, magna gratia, quam vt culpari aut traduci eo nomine à quoquam debeat. Ad responsiones autem eius in Epistolam ad Hebræos quod attinet, & hoc te monere rursus visum est, non fuisse illas vltro ab ipso delectas, proprioque iudicio & voluntatis arbitrio efformatas, sed eas fuisse ipsi à discipulis propositas, prout communi consilio & arbitrio visum ipsis fuit, hoc vel illud ab ipso in epistolam illam quærere. Itaque non est quod quis indignetur, si minus sibi vbique satisfactum putet, in epistolæ illius explanatione, non enim suscepit author integram & continuatam totius epistolæ expositionem, sed desiderio duntaxat discipulorum suorum vtcunque satisfacere, in iis quæ ab ipsis minus capiebantur, iis omissis quæ vel plana & aperta ipsis videbantur, vel quorum explanationem aliunde, ex aliorum puta editis commentariis, assequi se posse sperabant. Atque hoc etiam te meminisse hîc velim, dictatas ab eo fuisse responsiones istas eo tempore quo ipse animo supra modum angebatur, ob diuturnum, quo tandem hic extincta est, vxoris morbum, vt si quid minus hîc accuratum offenderis, non id protinus exagites, sed illud potius animi eius dolori atque angori condones, quamquam vix putem aliquid esse quod excusatione ista apud te vehementer egeat. Quod vero spectat ad ea quæ postmodum de Verbo Dei eiusque notis substituta sunt, nihil addimus ad ea quæ initio cuiusque tractatus præmisimus. De amica eius cum Tileno collatione, deque eiusdem aduersus Viri docti epistolam ad amicum defensione, nihil opus est vt hîc quidquam præferemur, habent illæ proprias authoris præfationes quæ abundè tibi satisfacient. Venio ad opuscula eius miscellanea. Non est animus multa hîc ad singula annotare, aut vero nostri, in iis colligendis & edendis, consilij rationem prolixius exponere, quod non aliud fuit, quam vt quamplurima doctrinæ & eruditionis authoris huius nostri monumenta, quæ vndique haberi potuerunt, ob summam eorum (vt putamus) vtilitatem, publico daremus, ex Patrum illorum animi sententia, qui eius scripta impensis publicis excudi, & in vulgus edi, decreto suo iusserunt. Hoc vnum dicemus de Thesibus quæ sunt de triplici Dei cum homine fœdere, nos meminisse authorem, dum viueret, eas semper magni facere solitum esse, fuisseque illi magnopere charas & commendatas, vtpote quas olim, dum in eo iuuene quidem adhuc, sed maturi iudicij viro, vigeret valeretque acris viuidaque vis ingenij, accuratè & peculiatè scripserat, quibusq; probè intellectis, magnam lucem plerisque doctrinæ Christianæ capitibus rectè percipiendis, inde affundi existimabat: quod & verum esse deprehendet quisquis eas animo candido & sincero, simul & attento, (non enim somniculosum poscunt lectorem) verique ab omni præconceptæ alienæ opinionis præiudicio liberi atque nudi, studioso, legerit atque relegerit, penitusque bene intellectas menti infixerit.

Porro si fortè nonnulla hîc tibi occurrent, tum quoad res ipsas, tum maxime quoad verba, minus accurata, aut verò interdum minus plana, cogita exhiberi hic tibi prælectiones quomodo eas Author in schola de suggestu, viua voce habuit, & vt potuerunt à iunioribus discipulis (quorum vno aut altero duntaxat Codice vsi sumus) properante calamo excipi.

Nam ne

Nam ne apicem quidem earum vnquam demi CAMERO ipse prius scripsit, sed sola meditatione, eaque nonnunquam fere extemporanea, conceptas effudit magis quam dictauit, vt mirum videri potius debeat, quod sic nihilominus tam bene dixerit, quam quod aliquid minus accuratum forte, interdum illi exciderit. Quin & pleraque in illo genere quæ tibi minus hîc probabuntur, imperitiæ rudioris discipuli, dictantem magistrum cõsequi, aut mentem eius satis assequi, vel iisdem verbis quibus ille vsus est eam exprimere non valentis, tribues & imputabis potius quam ipsi CAMERONI dictanti. Vt vero possis in huius libri lectione facilius, & maiore cum fructu versari, addidimus illi, 1°. Marginales notas, quibus indicantur tum ordo & methodus, tum præcipua quæque & illustriora capita, siue summam eorum quæ intra libri contextum habentur. Deinde præmisimus analysim explicationis singulorum Scripturæ locorum, vt sic vno veluti aspectu possis integram explanationis ipsius videre in ipso limine delineationem, ac veluti ædificij ἰχνογραφίαν. Subjecimus etiam in fine varias tabulas, quarum vsum atque vtilitatem nihil opus est declarare, quando res ipsa per se plana est.

Cæterum si hæc nostra opera & labor tibi, Lector, gratus & vtilis fuerit voti mei summam consecutus fuero, qui nihil hîc ob oculos prius habui (post vtilitatem publicam) quam vt amico integerrimo nunquam mihi satis deflendo, hoc pacto veluti parentarem, meumque erga mortuum qualis erga viuum semper fuit animum omnibus testatum facerem. Absit vtinam facto inuidia & liuor, tamque sit omnibus gratum & acceptum hoc opus, quam sane dignum est vt omni studio à bonis omnibus excipiatur, tantumque opto tibi, Lector, proficiat, quantum in se reuera est vtile & eximium, non dico iustum hoc pacto reportaturum authorem laborum suorum fructum; [cœlo enim iam receptus ὁ μακαρίτης aliam longe ampliorem à Deo μισθαποδότῃ, tum pietatis, tum facti fideliter in docendi munere officij accepit mercedem, στέφανον nempe δόξης, vti loquitur Apostolus, ἀμαράντινον] sed sic assecuti fuerint propositum suum illi qui quoquo modo annixi sunt vt in lucem ederentur tanti viri opera, quique votis & cohortationibus suis id efflagitarunt, & quasi expresserunt, quorum pio desiderio, assiduis postulationibus, vehementi studio, diligenti curæ adeoque & quorundam liberalitati, debebis Lector, totum quem percepturus es ex hoc opere fructum, atque eum ausim magnum tibi polliceri, si eo quo par est affectu & studio in ejus lectionem incubueris. Vale.

ELENCHVS TVM LOCORVM

Scripturæ prælectionibus explicatorum, tum variorum qui hoc volumine exhibentur tractatuum.

ANALY-

ANALYSIS EXPLICATIONIS LOCORVM SCRIPTVRÆ QVI SEQVENTIBVS PRÆLECTIONIBVS, explicantur.

AC PRIMVM, LOCI QVI HABETVR Matth. XVI. verſ. 18. & 19. *Tu es Petrus*, &c. *Tibi dabo claues*, &c.

SECVNDO, THESIVM DE GRATIA & libero Arbitrio. *pag.331. col.1. &c.*

Sequuntur Objectiones.

TERTIO, LOCI QVI HABETVR Philip.II. vers.12.13. *Conficite salutem vestram cum timore & tremore*, &c.

QVARTO, LOCI QVI EST PSALM. LXVIII. vers.19. *Ascendisti in altum, captiuos abduxisti*, &c.

Deinde,

QVINTO, LOCI QVI EST Matth.16. vers.20. *Tunc interdixit illis, ne dicerent ipsum esse Iesum illum Christum.*

SEXTO, LOCI QVI EST Matth. XVI. vers. 27. *Venturus est Filius hominis in gloria Patris, atque tum reddet vnicuique, &c.*

SEPTIMO, LOCI QVI EST Matth. XVII. vers. 10. 11. 12. 13. *De Eliæ aduentu.*

***

OCTAVO, LOCI QVI HABETVR Matth. XVII. vers.14. ad 22. *De lunatico dæmoniaco à Christo sanato.*

NONO,

NONO, LOCI QVI EST
Matth. XVII. verſ. 24. 25. 26. 27.
De Didrachmis ſoluendis.

DECIMO, LOCI QVI HABETVR
Matth. XVIII. verſ. 1. *Quis ſit futurus maximus in regno Cælorum.*

VNDECIMO, LOCI QVI HABETVR
Matth. XVIII. verſ. 3 4. 5. *Niſi conuerſi fueritis vt paruuli, &c.*

DVODECIMO, LOCI QVI EST Matth. XVIII. vers.7. *Væ mundo ab offendiculis*, &c. De Scandalis eorumque necessitate.

DECIMOTERTIO, LOCI QVI EST Matth. XVIII. vers. 8. & 9. *Si manus tua, vel pes, vel oculus te offenderit*, &c.

DECIMO

DECIMOQVARTO, LOCI QVI HABETVR

Matth. XVIII. verſ.10. *Angeli eorum vident ſemper faciem Patris mei qui eſt in Cælis.*

DECIMOQVINTO, LOCI QVI HABETVR

Matth. XVIII. v.15.16.17.18. *Si frater tuus in te peccauerit,* &c. *Dic Eccleſiæ.* Et verſ. 19.20. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, &c.

DECIMO SEXTO, ANALYSIS

Tractatus de Ecclesia.

I. De nomine Ecclesiæ.

II. De natura & conditione Ecclesiæ.

Collect am-

III. *De Ecclesiæ conspicuitate, seu visibilitate.*

IV. *De duratione Ecclesiæ perpetua & nunquam interrupta.*

V. De Ecclesiæ constantia in retinenda veritate, siue de eius Infallibilitate.

VI. De potestate & iurisdictione Ecclesiæ.

Vnde osten-

VII. De regimine Ecclesiæ.

VIII. De Schismate.

DECIMO SEPTIMO, ANALYSIS

Tractatus de Præiudiciis, &c.

MENDACII lenociniis ac fuco ita capiuntur homines vt bellum veritati indicant, cuius morbi caussa est prauus animi affectus & malitia quæ iudicium perturbant, adeo vt id nobis fere persuadeamus quod animi affectus nobis suggerit. pag. 553.col.1.&c. Hic morbus vires suas præcipuè exerit quum de religione agitur. 554.c.1. Idque ostenditur Indorum, Turcarum, ac Iudæorum exemplo, quorum ignorantia à perturbato animi affectu procedit. *Ibid.* Nec deest tamen huic ignorantiæ color, non desunt prætextus. 554. c.2. Quod 1°. Ethnicorum ac specialiter Symmachi. 2°. Iudæorum exemplo confirmatur. *ibid.* Iidem affectus eadem hodie præiudicia producunt, affectus animi & priuata commoda veræ religionis optioni præponderant. 555.c.1. Verum vt huic malo occurratur, nec sola suspicione vera religio damnetur accuratissima inquisitio & seuerissima probatio instituenda est: non circunstantiæ solum, non accidentia, sed rei ipsius natura & essentia, caussæ penetralia inspicienda sunt: vnum hoc gestit veritas ne ignorata damnetur. 555.c.2.& 556.c.1. In quo tamen peccant Pontificij qui doctores suos quos sacrilegij, impietatis ac ἀποστασίας accusamus nobis inauditis in propria caussa iudices constituunt. 556.c.1.& 2. Ac ante omnia Dei in Scriptura loquentis iudicium defugiunt, & Scripturam obscuritatis, imperfectionis, &c. arguunt. 557.c.1. Quæ agendi ratio quamuis per se tristis nos lætitia afficit, quum hoc pacto veritatis si non persuadentis tamen conuincentis vim perspiciamus, aduersariis, vbi rationes deficiunt, in contumelias erumpentibus. 557.c.1. Et nullum Christianum veritatem per Spiritum Dei in se habitantem discernere posse pronuntiantibus. 557.c.2. Sibique magnificum Ecclesiæ titulum vindicantibus ac vsurpantibus, ne vllus ipsorum auctoritatem defugiat. 557. c.2. Ne tamen sola auctoritate agere velle videantur, speciosos prætextus vsurpationi suæ tegendæ & dissimulandæ quærunt. 557.c.2. Qui ad decem capita reuocantur. *ibid.*

Quorum primum, De Ecclesiæ sc. Romanæ maiestate examinatur à pag. 558.c.1.ad 563.c.2. Quum autem maiestas illa in tribus potissimum conspiciatur. 1°. In gloria externa. 2°. In Cæse-

moniis. 3°. In Politeia & Ordine, hæ circumstantiæ non solum variis & periculosis laborant incommodis, sed & cum Ecclesiæ natura & conditione pugnant. pag. 558.col.1. Ac primò gloria & splendor Ecclesiç externus non est, corporeus, aut visibilis, sed internus, spiritualis & inuisibilis, quod & variis Scripturæ testimoniis ostenditur, & capitis Iesu Christi exemplo qui quum in forma Dei esset seipsum exinaniuit, & seruus esse voluit. 558.c.1.& 2. Deinde pompa externa mere carnalis est & superbiæ potius quam virtutis nota. 558.c.2. Quod Diuitis ac Lazari similitudine, Apostolorum exemplo, Liberij Episcopi Romani, Athanasij, Gregorij Nazianzeni & Hilarij querelis ac testimoniis illustratur. 558.c.2.559.c.1. Cum Ecclesiæ igitur naturâ subsistere nequit, nec inter eius notas haberi: paupertas contra, humilis ac abjecta conditio naturæ illius magis congruit, eamque magis illustrem & conspicuam reddit. *ibid.* Nec tamen inde sequitur Ecclesiam nulla vnquam quiete frui, & vana esse quæ Deus promisit *reges nutritios illius* fore. 559.c.1. Nam quamuis promissa rerum terrenarum hæc fuerint ad cœlestia figuranda, tamen externam quoque quietem interdum Ecclesiæ suæ concessit Deus, & principes tum Ethnici, tum fideles fuere illius nutritij. 559.c.1.2. Nec hodie reges sunt Ecclesiæ Romanæ nutritij, in illos enim imperium non spirituale tantum, sed etiam temporale illa sibi vsurpauit. 559.c.1

Nec Ceremoniarum multitudo Ecclesiæ titulum illi magis asserit, quam gloria externa. In Ecclesia enim ea conditione quâ nunc sub Euangelio est subsistere non posse Ceremoniarum multitudinem ostenditur. 1. Rationibus. 2. Ecclesiæ primitiuæ exemplo. 3. Denique Augustini testimonio. 560.c.1.2

Ordo denique qui in Ecclesiæ Romanæ politia visitur quamuis oculis carnalibus admirabilis sit, longe alius oculis spiritualibus videtur: eminens illa potentia, & transcendens dignitas quæ politiæ ingentem illum Ecclesiæ Romanæ Colossum sustinentis neruus est, nota est & tessera Antichristi & vera regni Antichristiani qualitas. 561.c.2.&c. Nec quamuis Antichristus in templo Dei sessurus dicitur, Ecclesia quæ illum agnoscit Ecclesiæ aliud quicquam quam nomen obtinet. 562.c.2. In templo Dei sedet, h.e. in loco qui à Deo externo cultus sui exercitio consecratus quidem fuit, sed ab hominibus postea in speluncam latronum conuersus est. 562.c.2. Sed fac templum illud in quo sedere debet Antichristus esse veram Ecclesiam, non inde tamen sequetur, Ecclesiam Romanam esse veram illam Ecclesiam, sed tantum Templum illud esse fideles, &c. qui nunquam fuerunt, neque sunt de Ecclesia Romana, sed in Ecclesia Romana vt granum in palea. 563.c.1. Denique Papa sedet in Ecclesia ratione iuris quod sibi in illam tyrannice vindicat. *ibid.* At in Ecclesiis reformatis nulla id genus suprema iurisdictio animaduertitur, sed eiusmodi tantum auctoritas quæ se semper verbi diuini regulæ & disciplinæ Canonibus subjicit, &c. *ibid.*

Secundum, vnio nempe examinatur à p.563.c.2.vsque ad 565.c.2. Ac primo ostenditur vnionem non semper esse veræ Ecclesiæ notam, nec discordiam falsæ. 563.c.2. Secundò, Nullam esse in Ecclesia Romana vnionem, sed potius conspirationem. 564.c.2.&c. Denique discordiam quæ nobis impingitur reuera nullam esse. 565.c.1.2

Tertium, Antiquitas nempe, examinatur à p.565.c.2.ad 568.c.2. Ac 1. negatur ab illis esse ea quam iactant Antiquitas & nobis nouitatis crimen iure impingi. 565.c.2. Sed nouum non esse vt veritas nouitatis accusetur, & mendacium sacram sibi & venerandam praetexat antiquitatem. *ibid.* Hanc olim sibi vindicabant Iudæi & Domino nostro nouitatem objiciebant. *ibid.* Vt nobis Pontificij, sed iisdem aduersus illos exceptionibus vtimur quibus aduersus Iudæos Christus. 566.c.1. Quibus aduersus Ethnicos veteres Christiani. *ibid.* Dicimus ergo antiquitatem à veritate semper stare. 566.c.2. Sed in hac antiquitate inuestiganda pedem nusquam figendum esse donec ad Apostolorum tempora peruenerimus. 566.c.2. Quod & Cyprianus faciendum docuit. 567.c.1. Cuius hic non auctoritatem, sed rationes producimus. 567.c.2. Ad Concilia ergo & Patres non est hic recurrendum, nec vniuersorum quoque consensus locuples est veræ antiquitatis testimonium. 567.c.2.568.c.1. Itaque quum Scriptura citra controuersiam omnium sit antiquissima, ex illa sola religionis antiquitas probari potest. *ibid.* &c. Et penes quem est Scripturæ doctrina in antiquitatis ac proinde veritatis ad quam antiquitas exigenda est, caussa victor abit. *ibid.*

Quartum, quod Ecclesia Romana ideo sit vera Ecclesia, quod olim vera fuerit examinatur à p.568.c.2.ad 571.c.1. Ac primò dicimus, Ecclesiam Romanam olim fuisse non τὴν ἀληθινὴν ἐκκλησίαν, sed ἀληθινήν τινα ἐκκλησίαν, non secus atque Corinthiaca & Thessalonicensis ad quas bis scripsit Apostolus & quas variis elogiis ornauit, &c. 568.c.2. Constantinopolitana quoque, Antiochena, Alexandrina, &c. pietate & doctrinæ puritate olim floruerunt. 569.c.1. Sed à quo defecerunt & à maiorum pietate ac doctrina degenerarunt, si se veras Ecclesias iccirco esse hodie contendere vellent, non admitterentur. Non ideo tamen inferorum portæ contra veram Ecclesiam præualuerunt, nullam enim veræ Ecclesiæ partem constituunt Romanenses, nec veræ Ecclesiæ nisi titulo tenus successerunt. *ibid.* Quod non solum Ecclesiarum Orientalium exemplo, sed etiam decem tribuum, vt & Iudæ ac Beniaminis defectione ostenditur. *ibid.* Quorum apostasia non obstante integra semper mansit vera Ecclesia, nec à Domino vel sponso suo deserta est. 569.c.2. Probatur exemplo Ecclesiæ Iudaicæ quo tempore Dominus in mundo comparuit. *ibid.* Concluditurque, Ecclesiam quæ veræ successit, illiusque locum occupauit posse errare ac deficere, sponsæque Christi titulum falso prætendere, nec aliud quam mœcham & adulteram reuera esse. 570.c.1.& 2. Nec ad illam pertinere promissa, Non enim ea vera est Ecclesia quæ externè, in speciem & hominum iudicio talis est, sed quæ in abscondito, &c. 570.c.2. Mulieris in adulterio deprehensæ & Medici veneficij postulati similitudine id illustratur. *ibid.*

Quintum, de Auctoribus nempe mutationis, de tempore & loco quo mutatio inuecta est examinatur à

natur à pag.571.col.1.ad 573.c.1. Ac 1. externam Ecclesiæ faciem magnas mutationes passam esse tam sub Veteri, quam sub Nouo Testamento extra controuersiam est, ostendere tamen à quibus, vbi & quando hæ mutationes cœperint difficillimum, imo forte impossibile est; iniquum est igitur à nobis postulare vt id præstemus, sufficit si mutationem factam esse ostendamus. 571.c.2. Receptatoris penes quem furtum deprehenditur similitudine id illustratur. *ibid.* Vt & exemplo mutationis quæ in doctrina ac Religione à Malachiæ ad Christi tempora contigerat. 571.c.2. 572.c.1. 2°. Multæ sunt mutationes quæ paulatim ita formantur vt percipi nequeant, nedum vt tempora, loci, ac auctores illarum denotari possint. 572.c.1. Quod aliquot in Ecclesia Christiana errorum Catalogo comprobatur. *ibid.* Huic mutationi probandæ sufficit posterorum doctrinam cum Apostolorum doctrina conferre. *ibid.*

Sextum quod est de conspicuitate seu visibilitate Ecclesiæ examinatur. 573.& 574. Responderturque, 1. Pontificiis quærentibus, vbinam esset Ecclesia nostra ante Lutherum. 573.c.1. Ostenditurque, dato non concesso, nos nescisse vbinam esset Ecclesia nostra, male ab hominis ignorantia inferri rem ita non esse. *ibid.* Eliæ exemplum adducitur, cui eiusmodi illatio olim fucum fecit. *ibid.* Id quod Ecclesiæ Israeliticæ contigit id Ecclesiæ Maiorum nostrorum tempore contigisse, id vniuersæ Ecclesiæ contingere quoque posse nemo mirabitur. *ibid.* Nec quia Dominus litium componendarum viam præscribens dixit dic Ecclesiæ, quia Ecclesiam insessuram iuga montium promisit, quia pastores lucem mundi appellat, inferre debemus Ecclesiam semper fore visibilem & conspicuam, nam 1. quando dicitur Dic Ecclesiæ, subintelligitur tacita conditio, *dummodo id fieri possit.* 2. Deus promittit quidem Ecclesiam suam insessuram iuga montium, sed non semper. 3. Quum Doctores Ecclesiæ lumina appellantur, non semper effectus, sed officij habita ratione sic appellantur, adde quod lux illa est spiritualis, quæ nonnisi oculis animæ cernitur. 573.c.2. Sed si instetur vt præcise respondeamus, respondemus Ecclesiam nostram fuisse Babylone captiuam, sub Antichristi regno. 574.c.1. Quod Ecclesiæ Iudaicæ antequam Dominus noster prædicare cœpisset similitudine illustratur. *ibid.* Doctores vero Ecclesiæ adeo confuso & perturbato tempore fuerunt. 1. Spiritus Sanctus internè semper Ecclesiam suam docens. 2. Illi ipsi qui publice docebant, Doctores nempe Ecclesiæ Romanæ. *ibid.* Ostenditur deinceps, quomodo & quatenus fuerint illi veri doctores. *ibid.* 574.c.1.2. Ac tandem quid respondendum illis sit, quum quid Patribus nostris factum sit interrogant. *ibid.*

Septimum quod est de successione examinatur à p.575.c.1. vsque ad 580.c.2. Ac primo tollitur vocis ambiguitas, distinguiturque successio in naturalem, spiritualem, politicam, Cathedræ ac doctrinæ 575.c.1.2. Postea ostenditur Ecclesiam Romanam ordinis ac politiæ quæ in veteri Ecclesia obseruabatur successionem non habere. 575.c.2.&c. Nec Cæremoniarum. 578.c.1. Nec doctrinæ quoque. 578.c.2. Imo nec personarum. 580.c.1.& 2.

Octauum quod est de Vocatione examinatur à p.580.c.2.ad 585.c.1. Ac primo ostenditur eum qui iusta & vrgente occasione Ordinem deserit, reipsa non deserere, sed seruare: imo reuera deserere, si hoc pacto non deserat. 580.c.2.& 581.c.1.& 2. Primos tamen Ecclesiæ instauratores Patrum nostrorum tempore nihil extra ordinem fecisse, vt qui præcipuis in Ecclesia muneribus fungerentur, nec essent vocationis expertes. pag.581.c.2. Adde quod si dotibus necessariis instructi fuerunt, admitti debuerunt, quamuis missionis externæ fidem non facerent. p.582.c.1. Temporum enim infelicitate excusari & ab hac accusatione liberari debuerunt. 583.c.2. Occurriturque quatuor objectionibus. 1. Introduci confusionem si cuilibet muneris cuius capax est exercendi, quamuis non vocato, copia fiat. 582.c.1. 2. Exemplum Sacerdotum antiquæ legis repugnare, quorum etsi à Deo defecissent locum occupare nemini concedebatur. 583.c.2. 584 c.1.&c. 3. Regnorum quoque & rerumpublicarum exemplum repugnare, vbi nulli, quamlibet idoneæ & bonæ fidei, muneris alicuius administrandi potestas fit, nisi legitime delata fuerit illi illa prouincia. 584.c.1. & 2. 4. Denique nihil fore periculi sese Ecclesiæ schismaticæ adiungere, si doctrinæ veritas & puritas sufficiat ad veros Ecclesiæ doctores & veram Ecclesiam constituendam. 585.c.1

Nonum, De Baptismo & Christianæ religionis substantia quam se habere gloriantur Pontificij examinatur 585.& 586. Baptismum habere concedimus, sed ea ratione quâ hæretici: eâ ratione quâ Ecclesiâ decem tribuum circumcisionem habebat. 585.c.2. Substantiam quoque veræ religionis, sed idololatria, superstitione, impietate & sacrilegio adulteratam. *ibid.* Non illius, sed harum respectu secessimus. *ibid.* Sic iubente Domino, *Exite Babylone populus meus. ibid.* Post quam promulgationem ibi diutius subsistere nefas fuit. 586.c.1. Tandem occurritur obiectioni cur Deus vocem illam citius non promulgauerit. *ibid.*

Decimum quod est de Cœlesti & Angelica monachorum vitâ examinatur à p.586.c.2.ad 591. Et hanc sanctitatem nihil aliud quam hypocrisim esse probatur, siue *paupertatem* quam affectant inspiciamus, siue *disciplinæ illorum seueritatem & asperitatem.* 586.c.2. 587.c.1.& 2. Dubiorum quorundam solutio. 587.c.2. Monachorum professionem veræ humilitatis notam non esse, nec illorum vitam cum Angelicâ quicquam commune habere. 588.c.1. imò veræ pietati contrariam esse. 589.c.1.&c.

DECIMOOCTAVO, ANALYSIS

Explicationis loci, qui habetur Matth. 19. vers. 3. & seqq.

In hac Christi à Pharisæis factæ Tentationis Explicatione, agitur, de Primò Pharisæis qui Christum tentarunt, ad pag. 178. col. 1. Secundò de Tentatione in genere, inde ad pag. 190. col. 1. Tertiò explicatur per partes specialis hæc Tentatio à pag. 190. col. 1. ad 206

I. Atque ad primum quidem, de Pharisæis nempe, quod attinet, agitur primò de eorum *Nomine*; vbi verum nominis illius etymon indagatur, deque eo variæ sententiæ expenduntur & refelluntur, ad p. 164. c. 2. Secundò agitur de Pharisæorum *Ordine*. 164. c. 2. Vbi ostenditur *Pharisæorum* nomen non designare *Munus* aliquod publicum, aut hominum ordinem in Ecclesia vel Politia, sed *Sectam* duntaxat aliquam, seu vitæ peculiare institutum: deinde rationes contrariæ refelluntur ad 166. c. 1 Tertiò agitur de Pharisæorum *Doctrina*, quatenus scilicet ea discedit à pura & orthodoxa libris Veteris Testamenti comprehensa. 166. c. 1. Atque hîc tria potissimum notantur eorum Dogmata. Primum de Traditionibus ἀγράφοις. 166. c. 1. Secundum est de libero Arbitrio. 168. c. 2. Ac consequenter, de Merito. 170. c. 1. Vbi ostenditur Pharisæos non docuisse fatum Stoicum, sed Prouidentiam Diuinam. 170. c. 1. Tertium dogma est de Statu animarum post mortem. 171. c. 1. Vbi ostenditur eos non docuisse Metempsychosim Pythagoricam, sed de resurrectione mortuorum rectè sensisse. 171. c. 1. Quartò agitur, de Pharisæorum *Vita* & *Moribus*. 172. c. 2. Vbi ostenditur quanta fuerit eorum authoritas in Rep. *ibid.* Atque obiter de titulo *Rabbi* quem illi affectabant, agitur. 173. c. 1. Deinde, notatur Pharisæorum hypocrisis, conspicua, Primùm in dilatatione Phylacteriorum, vbi de Phylacteriis agitur. 173. c. 2. Secundò in frequentibus lotionibus. 174. c. 2. Tertiò in exstructione sepulchrorum Prophetarum. 175. c. 1. Quartò in studio conciliandi Proselytos. 175. c. 2. Denique in eorum Diæta, seu victûs ratione. 176. c. 2. Postremò agitur de Pharisæorum *Origine*. 176. c. 2. Vbi primum illius Sectæ initium notatur. *ibid.* Tum etiam Essenorum. *ibid.* Et Sadducæorum. 177. c. 1. Denique, qui sint Scribæ & Νομικοὶ indicatur. 177. c. 2

II. Ad secundum quod attinet, nempe de Tentatione in genere. Ea primùm distinguitur in propriè dictam (cuius conditiones exponuntur) & *impropriè* dictam. 178. c. 1. Tum diuiditur in varias species: respectu (nempe) vel *Tentantium*, vel *eorum qui tentantur*, vel denique respectu *qualitatis*; quatenus nempe vel *bona* est vel *mala*. Et quidem respectu *Tentantium*, tentatio est quintuplex. Prima est *Diuina*. 178. c. 2. Secunda *Diabolica*. 179. c. 1. Tertia *Humana*. 182. c. 1. Quarta *Carnis* tentatio. *ibid.* Quinta *Crucis*, seu Afflictionum tentatio. 183. c. 2. Respectu autem eorum qui tentantur, tentatur, Primò *Deus*. 185. c. 1. Secundò *Homines*. 186. c. 1. Nam, nec Diaboli neque Angeli dicuntur tentari, cuius ratio redditur. 185. c. 1. Respectu qualitatis, tentatio alia est *Bona*, alia *Mala*. 186. c. 2. Vbi conditiones requisitæ in tentatione vt sit bona, proponuntur. *ibid.* Atque ostenditur quomodo hæ conditiones conueniant Tentationi Diuinæ, qua Deus hominem tentat. 187. c. 1. Atque hîc de Dei Permissione, Derelictione, & Induratione agitur, Deique iustitia in his vindicatur. *ibid.* Postremò exponitur, quomodo tentatio humana, qua homo hominem tentat, bona sit vel mala.

III. Ad tertium quod attinet, nempe de speciali ista Christi à Pharisæis facta Tentatione, primus Tentationis huius impetus, cum eius depulsione, explicatur. 190. c. 1. Deinde, Pharisæorum instantia, siue secundus impetus, cum eiusdem depulsione consideratur. 197. c. 2. In vtroque autem impetu, & Christi responsione expenduntur, primò, verba ipsa textûs, deinde res ipsa, postremò ratio, seu concilium Pharisæorum. In primo Pharisæorum assultu considerantur verba & res coniunctim. 190. c. 1. Vbi multa ex occasione explicantur obiter. Concilium Pharisæorum exponitur. 192. c. 1. In depulsione primi illius impetus expenditur Christi responsum, eiusque vis, quæ in hoc sita est, *Virum & vxorem vnum quid esse*, quod tribus à Christo probatur argumentis. 194. c. 1 Deinde exponitur ratio vnionis viri & vxoris, quænam illa sit, & qua in re spectanda, vnâ cùm similitudine vnionis spiritualis Christi & Ecclesiæ cum illa viri & vxoris vnione. 196. c. 1. Et quæ contra illam viri & fœminæ vnionem objiciuntur, refelluntur. 196. c. 2. In secundo Pharisæorum impetu, exponitur, primò, eorum Consilium. 197. c. 2. Tum quæritur cur Mosis potius quàm Dei authoritatem objiciant. 198. c. 1. Vbi agitur de Mosis ministerio, eiusque supra reliquos Prophetas excellentia & prærogatiuis. 199. c. 2. &c. Deinde ostenditur discrimen inter Mosis & Christi ministerium. 202. c. 1. Tertiò, explicantur verba Pharisæorum, & responsionis Christi, vt sunt, ἐνετείλατο. 202. c. 2. ἀποστάσιον. 203. c. 1. αὐτήν. *ibid.* πρὸς. 204. c. 2. σκληροκαρδίαν. 205. c. 1. ἐπέτρεψε. 205. c. 2. Vbi Permissio Dei explicatur & distinguitur. *ibid.* Et ostenditur, cur non idem iam sub Nouo Testamento liceat, quod olim sub Veteri Testamento Iudæis permittebatur. pag. 206. col. 2.

IOH. CAME-

IOH. CAMERONIS
IN ACADEMIA SALMVRIENSI SS. THEOLOGIÆ PROFESSORIS.
PRÆLECTIONES.

Ad Matth. Cap. XVI. Vers.18.19.

18. Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

19. Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

18. *Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam.*

19. *Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quicquid ligaueris in terra ligatum erit in cœlis, & quicquid solueris in terra erit solutum in cœlis.*

Variè hic locus acceptus.

LOCVS nobilis in primis, & eorum disputationibus, qui vel nostrâ, vel maiorum memoriâ, de Rom. Episcopi authoritate disceptarunt, celebratus. Dum hinc alij, ius & authoritatem secundum Christum summam, Petro successoribusque Petri delatam acerrimè vehementissimeque contendunt: alij arctè tenent, atque (vt ipsis videtur) accuratè defendunt, nihil hoc loco singulare aut præcipuum à Domino Petro tributum, quin eandem dignitatem qua Christus eum hac oratione cohonestare atque exornare voluit, cæteris fuisse Apostolis communem. Vnde factum est, vt altercationibus hinc inde, tanquam contentionis funis, locus iste agitatus, vexatus, & penè discerptus sit. Quæ res fecit vt & nos huius loci explicationem susceperimus. Ordo autem huius explicationis hic erit. Primò verborum vim, in quibus sita est rei ipsius difficultas, expendemus. 2. loci sensum, rem ipsam quam hoc loco significauit Christus, quæ quantaque sit demonstrabimus. 3. quæ sententiam nostram labefactare videbuntur, ea (prout res ipsa poscet) amoliemur.

Ordo dicendorum.

I. Verborũ explicatio. κἀγὼ vox est reponentis.

Vt ad primum accedamus. Primo loco occurrit vox κἀγὼ *Ego verò*. Gallicè, *Et moi, ie di.* Hebraicè ואני. Vox est reponentis, similis illi quæ habetur Psalm.35. vers.13. *Et ego cùm ægrotarem*, id est, *Ego verò*, &c. Itaque referri debet ad ea quæ antecedunt, sed non tamen ad ea quæ proximè & immediatè, (illa enim sunt *Beatus es Simon Bar Iona*, &c. vers.17. quæ cum his Christi verbis non cohærent, *Ego verò tibi dico*, &c. ℣.18.) Sed ad ea quæ sunt remotiora vers.16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Qua confessione cõplexus erat Petrus summatim quæ de persona & munere Christi credi debebant. Quocirca Christus hoc reponit, κἀγὼ δέ σοι λέγω, quasi diceret, Tu confessus es me esse Christum, vide quid tibi pro hac confessione reddam, Ego vicissim tibi dico, *Tu es Petrus*: Tu me indigitasti *Christum*, Ego te *Petrum* nũcupo. Sic Lucæ 22.℣.28.29. ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, & alibi passim Matt.21.24. Marci 11.29. Luc.20.3.

σοί.

σοι.] Mirè emphasim adauget quod Christus non simpliciter respondit, κἀγὼ λέγω, sed κἀγὼ δέ σοι λέγω. *Tu mihi dixisti, Tu es Christus, Et ego verò tibi dico, Tu es Petrus.* Certè illa verborum accumulatio *Et ego verò tibi dico* otiosa esse non potest, quin subesse necesse est his verbis pondus aliquod, vt Christum statuamus aliquid agere quod sit maximum & singulare: Alioqui quorsum tam intenta & sollicita præfatio?

Σὺ εἶ Πέτρος] Sequuntur ea quæ reponuntur, *Tu es Petrus.* Illa autem sunt ἀντίστοιχα illis Petri *Tu es Christus*: Itaque quemadmodum *Christus* nomen est sanè Filij Dei φανερωθέντος ἐν σαρκί, sed illi inditum ad officium eius designandum, consimili ratione *Petrus* est quidem Simonis nomen, sed Simoni inditum ad Ministerium significandum: quemadmodum enim non fuit consilium Petri Christum de nomine compellare, cum dixerat Petrus *Tu es Christus*, ita nec hæc Christi mens est Petrum appellare simpliciter, sed potius ornare titulo quodam, qui ei dignitatem scilicet atque authoritatem conciliaret. Nam certè si Christus duntaxat voluit Petrum nomine compellare, nõ modò tota oratio ieiuna erit & frigida, sed (quod sine blasphemia cogitari non potest) inepta. Quũ enim Petrum versu proximè antecedenti compellans dixerit *Beatus es Simon*, quorsum pertinuerit adjecisse *Tu es Petrus?* Est ne qui ita loquatur, *Marce, tu quidem es Tullius*, Nemo certè. Multo verò minus in hunc modum, *Marce, ego verò dico tibi, tu es Tullius.* Hoc igitur tenendum est, τὸ *Petrus* Titulum potius esse quàm nomen; sunt enim filij Zebedæi Iohannes & Iacobus dicti coniunctim *filij Tonitru*, non vt eo nomine appellarētur, sed ad significandum honorem quendam peculiarem qui iis à Christo concessus est. Ita planè eodemq; consilio, *Petri* cognomine Simon insignitus est;

Petrus nõ est hic nomen propriũ, sed titulus Officij.

πέτρος. Πέτρος] Quidam dicunt esse vocem græcam,& significare *saxum*, quod verum est apud Poetas sæpè, etiam apud Historicos & Oratores qui Attica vsi sunt dialecto. Itaque cùm ista vox pura puta attica, adeoque insolens sit, pro qua in Scriptura à λίθος ac πέτρα vsurpatur, quæ λίθον προσκόμματος, πέτραν σκανδάλου pro eodem ponere solet, Rom.9.33. non est credibile Euangelistam Syriacum כאפא isto nomine minus vsitato voluisse cō mutare. Cur ergo (inquiet aliquis) πέτρος dixit, nō πέτραν; nempe non patitur lingua græca vt viris (nisi fortè per ludibrium & contemptū) nomina fœminini generis tribuantur. At saltem dicet aliquis, Euangelista Syriacum כאפא λίθος vertisset. Sanè id potuisset, nā Arabs חגרת vertit Syriacum כאפא, & retinuit vtrobique pariter, tam vbi est in græco *Tu es Petrus*, quàm vbi est *& super hanc Petram.* Quid igitur obstitit? Ratio nempe Græci sermonis, qui non admittit nomina aut cognomina quæ propriè res significant, & quæ natura sua sunt appellatiua, nisi inflexa nonnihil & detorta. Itaque neminem κλέος neq; νίκην, sed νικίαν tamen & κλέωνα vocari permittit; Itaq; nec πέτραν quempiam appellatiuè dici, at πέτρον à πέτρα inflexum facilè patitur. Qua in re à Latinæ & Hebraicæ linguæ consuetudine longe disceditur. Nam Latinis sunt non modò *Piscones, & Fabij*, & *Cicerones, Lentuliq;*, sed etiam *Scropha, Bestia* & *Scipiones*, Hebræorum verò & Syrorum consuetudo non modò id patitur, sed penè exigit. Inde illa אלון *Allon*, עקרב *Acrab*, שושנה *Susanna*, זאב *Zeeb*. Itaque à Syrorum consuetudine videtur profectum, quod Antiochus ille, qui in Syria rerum potiebatur, se κέραυνον, non κεραύνιον, aut κεραυνοβόλον dici voluerit.

Cur non Πέτρα dictus est.

Tribus duntaxat Apostolis Christus nomen mutauit.

Porrò obseruandum est illud hoc loco, tribus tantum Apostolis Christum noua nomina siue cognomina imposuisse. Petro nempe, item Ioanni & Iacobo filiis Zebedei. Vnde desumitur argumentum Diuinitatis Christi, quia solus Deus in Scriptura dat nomina, vt multis locis patet, Gen.17.vers.5. & 13. & cap.32.28. quod eo dignius est obseruatione, quo diligentius ab Euangelista Marco notatum est. Nam & hi tres illi fuere coram quibus Christus transfiguratus est, & qui habiti sunt in Ecclesia Christiana pro *Columnis*. Quæ obseruatio quorsum pertineat, & quam habeat vim, postmodum liquebit.

καὶ

Aliquando est aduersatiuum

Καὶ] Sequitur vocabula ו, quæ est Hebræis copula, & frequentissimè idem valet quod Græcis ἀλλὰ vel δὲ: Vnde factum est vt apud LXX. Interpretes καὶ sæpenumerò non συνδετικὸν, sed ἀντιθετικὸν sit, & non compositionem coniunctarum, sed contrariarum, aut certè pugnantium rerum oppositionem notet. Exempla passim occurrunt. Apud Græcos authores tamen nūquam, aut perraró καὶ antitheseως nota est. In N.T. tres aut quatuor loci duntaxat obseruantur, in quibus καὶ videtur habere vim aduersatiuæ particulæ. Primus exstat Matth.12.35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος, καὶ ὁ πονηρός. 2. Matth.15.4. καὶ ὁ κακολογῶν πατέρα. 3. Act.7.43. καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ μολὸχ. Verumtamen illud καὶ his in locis non est necessariò aduersatiuum, siquidem omnes hi loci possunt exponi συνδετικῶς. Vnus tantum superest, nempe quartus qui exstat 1.Ioh.2.20. καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε. Vbi citra omnem controuersiam καὶ est particula aduersatiua. Sed vt sit, esto copula καὶ aliquando in N.T. antithesim significet, tamen sequenda Tertulliani & Hilarij regula, *deligendus est sensus è materia dicti*. Porrò licet vel maximè his in locis καὶ esset aduersatiuum, nō sequeretur statim etiam hoc loco esse aduersatiuum. Itaque sitne & hoc loco, in quo iam versamur, τὸ καὶ ἀντιθετικὸν, id verò disputandum est. Sunt qui dicunt καὶ hîc non esse copulatiuum, his rationibus adducti. 1. quia si καὶ esset copulatiuum, sequetur verba hæc καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ pertinere ad Petrum, quod est absurdum. Neq; enim Petrus, neque Angelorum quispiam, quin solus Christus Petra est, & rupes illa firmissima, qua solâ nititur & stat Ecclesiæ moles. Sed hæc ratio vana est. Nam licet Christus sit Petra, Petrus tamen Petra dici potest. Nam certè Christus non *Petra* potiùs quàm *lux* est, attamen id non obstat quominus Apostolis dictum sit, & quidem à Christo, *vos estis lux mundi*, Matth.5.14. Et item solus Christus est qui claues habet regni Cœlorum, cùm Petro tamen constet datas fuisse claues regni Cœlorum. Ac ne ab argumento, quod præ manibus habemus, recedamus longius, etsi Christus solus sit fundamentum Ecclesiæ, nihilominus tamen idem elogium, licet ratione longè diuersa, Petro & Apostolis tribuit; Nempe vt & illi dicantur *Fundamenta cœlestis Hierusalem*, Apoc.21.20. Et quod eodem pene redit, *Columna* ad Gal.2.

An καὶ sit aduersatiuum.

Ratio 1.

Ref.

2. Si particula καὶ esset copulatiua, & de Petro intelligenda essent illa, si nempe Christus tantā illi deferre voluisset prærogatiuam, non fuisset vsus tot, vt videtur, ambiguus; quin nudis & significantibus verbis Petro dixisset, *Tu es Petrus* καὶ ἐπὶ σοὶ πέτρῳ, vel ἐπὶ τούτῳ πέτρῳ *adificabo Ecclesiam meam*. Sed hæc ratio itidem nulla est: quòd nempe Christus figurata locutione vti voluit, alludereque potius ad Petri nomen, quàm verba propria adhibere ad id quod voluit significandum. Itaque non est quod quis miretur, qui obseruarit, quod obseruatu facillimum est, quàm sit familiare Christo vti allusionibus. Nam & in colloquio cum Nicodemo & Samaritana, & in diuina illa disputatione quam habuit de manducatione carnis suæ in synagoga Capernaum, exstant huius rei exempla longè clarissima.

2.

Ref.

3. Si καὶ esset copulatiuum, & hæc intelligenda essent de Petro, Christus genus nominis de industria nō mutasset, nihil enim prohibebat quominus nomen πέτρος retineret, siquidem Christi hęc mens fuisset, vt Petrum vellet tanquam fundamentum substerni Ecclesiæ suæ, quandoquidem πέτρος *saxum* significat: multo enim concinniùs dixisset Dominus, σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ *adificabo Ecclesiam meam*. Itaque mutatio generis videtur satis euidenter ostendere, Christum noluisse hunc honorem Petro, sed sibi tribuere, nimirum cui soli debetur. Sed responsio facilis est. Christus enim Syriacè locutus est, Euangelistæ autem כאפא πέτραν verterunt, quod nomen πέτρος, hac quidem significatione, parum esset vsitatum; Non est enim mos Euangelistarum verba aspernari obuia, & abuti operâ in conquirendis vocabulis à communi consuetudine remotis. Itaque Christus non mutauit genus, siquidem Syriacè locutus est, sed Euangelista, nempe ne recederet ab vsu communi. Atque hæc sunt argumenta quibus nonnulli probare nituntur καὶ hoc loco esse aduersatiuum.

3.

Ref.

Contra quæ, vt pro copulatiuo habeatur, hæc videntur suadere. 1. Quia Christus frustra dixisset *Tu es Petrus*, si de eo ista non dicerentur ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Nisi enim ista ad Petrum referan-

καὶ hîc est copulatiuum. 1. ratio.

referantur, quorsum attinebat dicere *Tu es Petrus, Ego verò super hanc petram*, &c. aut si quod sit aliud huius loci interpretamentum, quo hæc verba aliorsum quàm ad Petrum accommodetur. Quò &c illud spectat, quod cùm Christus supra Petrū *Simonem*, (quod nomen Petri proprium est) vocasset, nunc hîc eum sic alloquitur *Ego tibi dico, Tu es Petrus*. Num censebimus id temerè, aut nullo cōsilio factum à Christo? non videtur credibile.

2.

3\. Tum certè cōstat (& verò verba Christi hoc planè clamant) Christum aliquid Petro promisisse, nam hoc arguit Christi præfatio, *Ego verò dico tibi*, (vt obseruatum est supra.) Neque enim videtur voluisse Christus, tanquam de re noua, Petrum facere certiorē, fore vt ipse Ecclesiam suam super semetipso esset ædificaturus, quod vtrumque sequitur nisi hæc particula copulatiua sit, & illa de Petro intelligantur. Nec est verisimile Christum (vt nonnulli existimant) ita dicētem καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, digitum in semetipsum intendisse, vt & aliâs cùm intento in corpus suum digito, *destruite hoc Templum*, dixit, *& tertio die ego ipsum excitabo*, nō est enim par ratio. Vt autem maximè indicarit seipsum digito cùm loqueretur de excitando suo corpore, quia sc. materiale erat & incurrebat in oculos, non demonstrauit tamen corpus suum digito hoc loco, quo agitur de exstructione & fundamento Ecclesiæ: nempe demonstratur digito quod incurrit in oculos, Ecclesiæ autem fundamentum visum fugit & oculorum aciem. Non est enim Christi corpus, quod in oculos corporis incurrit, Ecclesię fundamentum, Ergo neque seipsum indicauit Christus, neque etiam Petrum, propter eam rationem. Reliquum est ergo vt dicamus Christum, agere de confessione Petri. Sed & hoc non satis constat, Ecclesia enim non nititur Petri confessione, nam *iustus sua fide viuet*, non alienâ. Et tamen, si verba illa καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ de confessione Petri, illud & copulatiuum erit, non aduersatiuum.

Obj.

Ref.

Petri cōfessio non est fundamentum Ecclesiæ.

οἰκοδομήσω.

Sequitur vox οἰκοδομήσω. In qua duo veniunt consideranda & notanda, verbum, & casus verbi, vt loquitur Philosophus. Verbū est οἰκοδομεῖν, quod hîc propriè vsurpari non potest, neq; enim agitur hoc loco de structura ædium. Itaque metaphoricè sumi necesse est, sic enim sumitur in Scriptura, & quidem bis tantùm in V.T. Genes. 16.2. hæc sunt verba Saræ de Agare loquentis, *si fortè ædificet ab illâ*, & Genes. 30.3. verba sunt Rachelis, *& ego ædificabor ab illa*, Bilham autem intelligit. Vtrobiq; οἰκοδομεῖν metaphoricè vsurpatur, neque tamen idem significat quod hoc loco, agitur enim his locis de ea ædificatione quæ sita est in procreanda sobole, verbum hebraicum est בנה *ædificare*, vnde בן *filius*, liberi enim sunt στῦλοι columnæ familiarum, *In te vnum* (inquit ille) *domus inclinata recumbit*. Itaq; is hebraicè dicitur *ædificatus* בנוי quem Deus patrem fecit, contrà הרום id est *destructus* qui orbus est. At in N. Testamento οἰκοδομεῖν diuersum quid significat, licet metaphoricè etiam vsurpetur: nempe Ecclesia dicitur *Templum* & *Domus Dei*, idque pluribus de causis:

Metaphoricè hîc vsurpatur.

1\. Quia vt domus compacta est & coagmentata ex multorum lapidum apta constructione, ita planè templum & domus Dei, quæ est Ecclesia, assurgit ex coadunatione multorum, qui quoniam Spiritu Christi regeniti sunt, *lapides viui* dicuntur 1.Petr. cap.2.5. Etenim vt saxa nondum excisa, atque expolita, & efformata nullo inter se discrimine latent in lapidicina & cumulo, donec artificis industriâ, labore, & arte expoliantur, ita planè quicunq; ex humano genere assumuntur, atque (vt Apostoli verbis vtamur) discernuntur.

Ecclesia cur dicatur *Domus*. Ratio 1.

2\. Ratio. Ecclesia *domus* Ephes. 2.20.21.22. perinde ac *familia* dicitur, cuius nēpe Paterfamilias est Deus, vnde tota dependet, & quo tota nititur veluti fundamento. Itaque quo sensu (iuxta significationem metaphoricam verbi οἰκοδομεῖν quod occurrit duobus illis Vet. Testam. locis) *ædificare* dici possit qui sobolis est autor & Pater, & *Destruere* contra qui sobolis procreationem prohibet, eodem penè sensu in Nouo Testamento, quum de Ecclesia agitur, verba *ædificandi* & *destruendi* vsurpantur. Etenim *destruere* dicitur qui homines alienat ab Ecclesia, Rom.4.20. contra *ædificare* qui homines Deo conciliat per verbi prœdicationem. Denique, quomodo Domus & familia societatem quandam hominum eiusdem sanguinis communione coniunctorum significat, sic & Ecclesia *domus Dei* dicitur. Itaque collectio Ecclesiæ est ædificatio quædam. Hactenus de verbo.

3\. Cur non οἰκοδομῶ sed οἰκοδομήσω dixit Christus.

Sequitur vt agamus de casu verbi, quem Philosophus rectè dixit non esse verbum. Etenim veritatis norma est enunciatio, in qua verbum præsentis temporis vsurpatur, tam præterita & futura ita demum futura sunt, si hæc quidem aliquando erunt, illa autem fuerunt præsentia. Queri igitur non absurdè hoc loco potest, quorsum attinuerit quod Christus non οἰκοδομῶ, sed οἰκοδομήσω dixerit, non sit vsus verbo, sed verbi casu, idque tempore futuro. Non prius Christus ædificauerat Ecclesiam suam? Non iam tū cùm hęc diceret, eam ędificabat? Aut antea illam quidem ædificabat, at nō super Petrum, quam postmodum tamen Petro erat inædificaturus scilicet? Sed responsio facilis est & plana. Certè Christus heri & hodie fuit, & erit in æternum, fundamentum & caput Ecclesiæ suę, quo solo eâ nititur, à quo solo pendet, & robur & vires illas, quibus stat inuicta atque inexpugnabilis aduersus omnem vim, ab illo solo mutuatur. Verum quia post aduentum Christi, potissimum verò postquam subuectus est in cœlū, tanta lux Euāgelij effulsit vt totius præteriti temporis lucem obscurarit, vt stellas exoriens sol, hoc dicitur *cōparatè, non simpliciter*. Vnde Prophetæ pollicentur orituram lucem nouam. Esaiæ 30.26. Sic Ierem. 31.33. spondet Dominus se cordibus inscripturum Legem (nempe temporibus N. Test.) Dominus quidem iam antea effuderat Spiritū suū in corda fidelium, at non tantâ copiâ quantâ post glorificationem suam. Vnde Apostolus negat prius patefactam fuisse plenè Dei misericordiâ, Rom.3. *Non autem*, inquit, *absque Lege patefacta est Dei iustitia*. Et capite.8. *non accepistis spiritum seruitutis, vt sitis rursus in timore*. Et Gal.4. *non estis amplius sub pædagogo*. Iam quæ patefactionis Euangelij, eadem constructionis Ecclesiæ ratio est: Nimirum nonnisi per Euāgelij prædicationem Ecclesia construitur, nam Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quoniam igitur proferendum fuit in lucem, quod latebat antè in mysterio & occulto, Euangelium, dixit fore vt ædificaret Ecclesiam. Deinde hoc dicitur ratione gētium, quæ cùm essent iis temporibus extra ambitum Ecclesiæ, quæ Iudaico populo

tanquam cancellis quibusdam continebatur, tamen vocandæ erant ad Christum per prædicationem Euangelij. Significanter verò οἰκοδομήσω, inquit, non οἰκοδομήσεις, quia ipsius Christi est ædificare Ecclesiam suam, ergo non Petri.

Ἐκκλησίας.

Ἐκκλησίαν μου) Etsi nomen *Ecclesiæ*, si rei grammaticæ ratio habeatur, à verbo ἐκκαλεῖν, sit ortum, nō ideò tamen existimandum est eâ nomenclaturâ populum Christianum esse hoc loco designatum, quòd sit cœtus hominum quos Deus ex reliquâ turba ad iustitiam & beatam immortalitatē Euāgelij præconio euocauit. Deus enim in Scriptura vbique καλεῖν, nusquam ἐκκαλεῖν, & vocatio fidelium κλῆσις, non ἔκκλησις constanter dicitur: denique fideles dicuntur κλητοὶ, non ἐκκλητοί. Sed cùm apud LXX. interpretes non solemnes modò conuentus populi Iudaici (ex quo solo Ecclesia Dei olim constabat) verumetiam illius gentis multitudo ἐκκλησία nuncupetur, (hebraicè קהל & עדה) nomen sacrę Scripturæ vsu iam celebratū visum est Christo & Spiritui Sancto populo imponere, quem ex Iudæis & gentibus erat in vnum collecturus. Nam *Synagogæ* nomen Iudæi fecerant sibi peculiare, vnde factum est vt illis tanquam proprium fuerit relictum: nam sicut ab Augustino antè notatum est, etiam belluæ in vnum coguntur. Huc & illud accedit, quod ἐκκλησίας nomen Græcis erat familiare & consuetum, vtpote quæ illis concionem & populi conuentum significat, quales conuentus in græcis Ciuitatibus Reipublicæ causâ haberi solebant omnium ordinum promiscuè & indiscriminatim. Nec oscitanter prætereundū est, quod suorum cœtum Deus non βουλὴν, σύγκλητον (quæ optimatum propriè est) sed ἐκκλησίαν (quæ est populi cœtus, etiam plebeculæ & ignobilium) appellari voluit. Nimirum ita se res habet secundum Apostolum 1.Cor.1.26. *Videte fratres vocationem vestram, vos non esse multos sapientes.* Itaque ἐκκλησιάζειν græcè est *concionari, cum populo agere.* Sed enim qui *Synagogæ* nomen Ecclesiæ Christianæ primis illis temporibus commune fuisse arbitrantur, sententiam suam Scripturę authoritate tuentur. Primùm enim, author Epistolæ ad Hebræos (seu Paulus is fuit, seu quis alius pari præditus authoritate) cap.10.vers.25. *Ne derelinquite*, inquit, τὴν ἐπισυναγωγὴν ὑμῶν. Deinde verò Iacobus Epistolæ suæ cap.2.2. *Si quis*, inquit, *ingrediatur* εἰς τὴν ὑμῶν συναγωγήν. At neque si semel atque iterum Christianorum conuentus sic appellati sunt, inde efficitur continuò eam fuisse receptam Christiani populi appellationē (quēadmodum כנסת συναγωγὴ Ecclesia Iudaica & olim voluit, & nunc gaudet vocari) neque ἐπισυναγωγὴ *cœtus* est eo loco, sed *coitio* potiùs, & ipse (vt ita loquar) *coëundi actus*; hortatur enim Apostolus Hebræos, vt ne vnâ coëant infrequenter & rarò. Et συναγωγὴ Iacobo *locum* potiùs quàm *conuentum* videtur significare. Vult illud interim taceam, quod Iacobo, authori item Epistolæ ad Hebręos cum fidelibus quidem, sed meris Iudæis res est, quibus nimirum erat solemne & cœtum, & adeò ipsam domum in qua ad verbum Dei audiendum, & preces publicè concipiendas conueniebatur, *Synagogam* appellare: vt nemini mirum videri debeat, si vocabulo iis noto & familiari Apostolus vti voluit. Ergo vt eò vnde sumus digressi redeamus, Ecclesia N.T. est fidelium multitudo toto orbe terrarum dispersa, non modò illius pars in vnum collecta, quæ *collecta* dicebatur, vt & *colligere* in vnum cultus diuini causâ coïre, & græcè eadem σύναξις quæ *collecta* latinis dicebatur. Vnde factum est vt S. Eucharistia, quia non nisi extra ordinem & necessariâ de causa priuatim administrabatur, σύναξις dicta sit, sicuti hodieque latinè solemnes earum precum formulæ, quæ publicè in conuentibus populi habentur, *collectæ* appellantur.

Cur sic dictus sit Dei populus.

An Christianorum cœtus *Synagoga* in Scriptura dicatur.

πύλαι ᾅδου quid sint.

Καὶ πύλαι ᾅδου) Non satis constat quid sint hæ quas notat Dominus, *inferorum portæ.* Alij enim sic volunt describi Satanæ vim & robur in Ecclesia oppugnanda: Portas scilicet vrbium esse munimenta, itaque aptè sic Diaboli potentiam designari. At verò neque portas, si propriè loqui volumus, dicemus vrbium munimenta, non est hic portarum vsus, mœnia & fossa, & vallū, & agger id pręstant, portę muniuntur ipsę, non muniunt. Neque verò vt maximè portæ munimenta sint, oppugnacula sunt (si ita loqui fas) continuò, vnde impetus fiat in vrbem, sed propugnacula potiùs. Hîc verò non propugnantium, sed hostium oppugnantium vis & robur describitur. Quę ratio Maldonatum hominem doctum & acutum, vtinam etiam amantem veri permouit, vt *portarum inferni* nomine censeret intelligendam, non eam vim qua Satanas Ecclesiam oppugnat, sed eam qua se tuetur scilicet aduersus Ecclesiæ insultus. Nēpe Ecclesiam vult vltro inferis bellum inferre, vt olim (sit enim res exemplo) populus Israeliticus Ierichuntinis, non quidem, vt illi, cornuum sonitu, sed Euāgelij prædicatione. Verùm ne sic quidem liquet quas Christus portas inferorum dixerit: nam κατισχύειν (quod hîc subiungitur) non est obsessorum, sed obsidentium potius, quique vim inferunt potius quàm illatam prohibent & defendūt. Quid, quod Ecclesia hîc domui comparatur? At quis dixerit (ni absurda dicat & portentosa) domum seu ædificium oppugnare? obsidetur quidem, & oppugnatur, & capitur, at nec capit, nec oppugnat, neq; verò obsidet. Quamobrem aliis aliò ista referre visum. Nimirum olim in portis consilia habebantur, ius dicebatur: An igitur *portarum* nomine technæ & fraudes diabolicæ, quibus Ecclesiæ grauius semper quàm apertâ vi nocitum est, intelliguntur? sed nec sic quidem constat ratio, nempe κατισχύειν nō vsque adeo aptè cùm de consiliis agitur, vsurpatur, virium potius & roboris est κατισχύειν. Quod si ea Christi mens fuisset, haud dubiè ἐξαπατήσουσιν, non κατισχύσουσιν dixisset. Deinde verò, legimus quidem ius dictum in portis, etiā habitos conuentus, at consilia arcana non eliminanda & inuulganda in iis agitata, id verò iam nescio an quis obseruarit.

Sententia 1.

Ref.

Obj.

Ref.

2 Sententia

Rejicitur.

3. Verior.

Quid igitur superest quàm vt ipsam hîc consulamus Scripturam, sui interpretem omnium minimè fallacem? Exstat similis locutio Iob.38.17. Ps.9.14. Ps.107.18. eadem verò Esaiæ cap.38.10. Quæ sit autem huius locutionis vis & significatio iis in locis nemini est obscurum, nempe sic notatur vis mortis & sepulchri in miseros mortales. Affinis huic locutioni est illa חבלי מות *funes mortis circumdederant me*, Ps.18.6. & 116.3. Hyperbole splendidissima est, h.e. perierā obrutus iam in sepulchro, humo superaggestâ, & quasi vinculis in illo carcere constrictus. Sic verò notatur supremum mortis imperium & vis summa, vltra si quidem, quod agat, nihil habet. Cæterùm (hoc obiter) vox hebręa חבלים ambigua est, nam non

Funes mortis.

funes,

funes modò, sed & *acerbißimos cruciatus* significat, quales perpetiũtur dolores fœminæ quę difficili & laborioso partu funguntur, inde fortasse ductâ similitudine, quod se veluti funibus constringi ac torqueri sentiant: Indeque factum fortasse, vt LXX. Interpretes חבלי מות ὠδῖνας θανάτου reddiderint, vt est à viris doctis iampridem obseruatum. Itaque B. Petrus secutus septuaginta Interpretes ὠδῖνας θανάτου, non σχοίνια dixit, Act.2.24. λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Videri posſit sciolo cuipiam aptius fore dictum, λύσας τὰ σχοίνια τοῦ θανάτου; Sed viris illis θεοπνεύστοις, nõ grauiſsimis modò, religio fuit à receptâ versione discedere, nisi id res ipsa efflagitaret & extorqueret: Ne scilicet nouitatis potius quã veritatis studiosi viderentur.

siue ᾅδης dolores.

Verùm, vt dicitur, è diuerticulo in viam. In summa, hęc Christi hoc in loco mens fuisse videtur, iaceant fideles ad tempus demortui, mors in illos dominetur, exerceat ius suum, in sepulchro veluti in carcere eos teneat quasi vinculis constrictos, haud tamen vsque & vsque obtinebit: valebit quidem certè, at non prævalebit, ἰσχύσει μὲν, οὐ μὴν κατισχύσει. Sed hæc multò erunt clariora si cogitemus seriò id quod res est, vocem ᾅδης nusquam in Scriptura (vnicus modò locus excipiatur) *Infernum* significare, sed constanter vel *sepulchrum*, vel *hominis vitâ functi*, hactenus quidem, *statum & conditionem*. Nam quod nonnulli Act.2.31. illud *non derelinques animam meam* εἰς ᾅδου sic interpretantur, eò quod sepulchrum animam non capit, quasi vel ipsi inferi, vel locus quidam illis proximus, *Limbum* vocant, significaretur: In eo, omnium pace dictum sit, vel incogitantiâ, vel certè ignorationc Idiotismi linguæ Hebraicę lapsi sunt: נפש enim (quam vocem LXX. ψυχὴν *animam* reddiderunt) non animam modò, sed & hominis recens mortui cadauer significat. Sanè Deut.19. Leuit.10. Esa.10. ea huius nominis notio est, idque adeò liquet vt contradicere nefas sit. Adde quod ᾅδης & θάνατος *Infernus* & *mors* Ecclesiæ hostes dicuntur, & quidem postremi omnium hostes, teste Apostolo 1.Cor.15.26. & Apocal.20.14. *mors & ᾅδης tandem deijciuntur* εἰς λίμνην πυρός. Vbi nonnisi absurdè τοῦ ᾅδου nomine *inferos* quisquam intelligat, quasi verò infernus in infernum dejiciatur. At si quis figuratâ hac locutione significatum velit, perituram omnem mortis & sepulchri vim, is demum profectò à Spiritus Sancti mẽte minimè aberrauerit. Illud etiam huc accedit, quod Christus suos confirmaturus, eos præcipuè vel maximè erigit in spem beatæ resurrectionis, atque iis immunitatem à mortis & sepulchri veluti imperio ob oculos proponit. *Qui in me credit*, inquit, *quamuis sit mortuus viuet*. Iohan.11.25.26. & cap.6.39.40.44. *eum excitabo vltimo die*. Itaque Apostolus fidem, & salutis caput atque summam collocat in spe certiſsima resurrectionis. Sic enim agit 1.Cor.15.55. ποῦ θάνατε &c. Omninò videri posſit ad hanc Christi suauiſsimam promiſsionem respexisse. Huc etiam pertinet, quod mors & sepulchrum ἰσχύει quidem certè, at non κατισχύει: serpẽs semini mulieris benedicto illi, Christo inquam, calcaneum momordit, nempe passus, crucifixus, mortuus & sepultus est, hactenus ἴσχυσεν ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης: At Christus in gloriosa illa sui excitatione, ei caput contriuit, in nostra verò resurrectione contritus est. Sic οὐ κατισχύσει, ἀλλ' ἰδὲ γε μὴν κατισχύσει. Quid igitur? Non meminit Christus hîc tentationum atque insultuum Satanæ? Sanè, sed consequenter. Nam cùm de mortis & sepulchri in Dei populum irrito conatu hîc agatur, omnino sequitur vt hic locus etiam ad tentationes pertineat, quas nisi cælitus Christi ope detur exire, mortem & sepulchrum dominari necesse est.

Quæ sit hic Christi mens.

ᾅδης quid significet.

Sensus huius loci.

Καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς.) Traditio clauium symbolum est potestatis atque authoritatis: Nã quod Esa.22.22. dicitur *tradam in eius manus* ממשלתך *Imperium tuum*, idem sed figuratè his verbis statim significatur, *Dabo ei* מפתח *clauem domus Dauid*: Ideoque in Christi titulis & hic censetur, *qui habet clauem domus Dauid*. Apocal.3.7. Quo notatur haud dubiè authoritas & potestas Christi regia, summa quidem illa, vtpote quam nulla posſit capere mera creatura, sed vicaria tamen. Enimuerò clauem habere domus vicarij est, Christus autem Patris vicarius est, non ille quidem vt seruus, sed vt filius, Heb.3.6. Cæterùm mirari quis posſit qua mente Christus B. Petro spoponderit se traditurum claues regni cœlorum; siquidẽ traditio clauium authoritatis, potestatis, Iurisdictionis & Imperij tessera est, Christus autem Apostolos expertè vetuit dominari, *Reges terræ*, &c. *vos autem non sic*. Matth.20.25. Sed hæc facilè conciliantur. Primùm enim clauium traditio non quamuis potestatem, Iurisdictionem, Imperium significat, sed eam quæ sit promicondi, quæ pro familię conditione diuersâ, diuersa & ipsa esse debet. Neq; verò omnem ademit Christus Apostolis authoritatem, (eam iis tribuit quæ summa est in terris, Iohan.20.21. *Sicut Pater*, inquit, *me misit, ego vos mitto*) sed Regiam, quę scilicet summi Magistratus propria est, ne obtẽtu spiritualis potestatis, quam illi datam à Christo maximam sanè habuerunt, in Regum iura inuaderent. Etsi verò clauium traditio politicæ cuiusdam potestatis symbolũ duntaxat fuisset, hac locutione tamẽ haud continuò cẽsendus foret Christus Petrum constituisse dominatorem. Nimirum Dominus noster dum αἰνιγματωδέστερον de statu regni sui, deque Apostolorum in eo dignitate loquitur, [quomodo priusquã à mortuis resurrexit haud semel locutus est] qualis demùm is status sit futurus, id verò solet subinnuere verbis Regum & regiorum ministrorum dignitatem, potius quàm spiritualem Ecclesiæ statum significantibus. *Vos iudicabitis 12. tribus Israelis, sedentes in 12. thronis*, Matth.19.28. & Luc.22.30. Summam hîc in terris (an parem etiam infrà disputabimus) Apostolorum in Ecclesia authoritatem haud obscurè designauit, figuratè tamẽ, dum orationem captui suorum attemperat, quibus misso demum Spiritu sancto, crassa illa de Christi regno terreno opinio erat ex animo reuellenda; quę nempe tam altè insederat, vt etiã post Christi resurrectionem, tum adeò cùm in eo esset vt ascenderet in cœlum, quærerent, quando restituturus esset regnum Israeli. Ad quam quæstione Dominus, vt erat mitiſsimus, quod nondum tantam lucem ferre possent, haud respondet, sed nec eos obiurgat tamen, tantum iubet expectare Hierosolymis promissum Spiritum. Etiam illud haudquaquam obseruatu est indignum, quod clauium traditione Doctorum apud Iudæos inauguratio veteri instituto peragebatur; argumento vel illud sit quod tradunt de Rabbi Samuele נתנו מפתחו ופנקסו בארונו מפני שלא זכה לכן. Ad quam consuetudinem Dominus videtur hoc loco respexisse.

Claues authoritatem significant.

sed hic ministerialem.

Ligare. Soluere.

Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς.) Hæc iam noua est figura, & à priori diuersa. Postquàm enim Dominus Petro promisit claues regni cœlorum, consequens videbatur vt statim adderet, καὶ ὃ ἐὰν κλείσῃς ἐπὶ τῆς γῆς τοῦτο κλεισθήσεται ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Sed ista tamen reuera haud quadrassent. Neque verò verisimile est, Dominum hanc Petri dignitatem verbis, quę commentariensis munus propriè significant, de honestare voluisse. Jam si spectemus quis fuerit finis potestatis quam hic Petro se daturum Dominus promittit, res non erit obscura. Scribæ, Pharisæi, etiam inter Ethnicos superstitiosi Hierophantæ, hominum animos peruersâ quadam religione vinctos tenebât, dum de verâ interim eos iuberent esse securos, vel certè eam securitatem dissimularêt. Petri & Apostolorum erat superstitione quidem exsoluere, contrà verâ religione mentem humanam obstringere, dum ea cum authoritate præscribût quę Deus ipse præscripsit, vetantque quæ is vetuit, obsequentibus interim veniam & beatam immortalitatem promittentes, contumacibus verò denunciantes æternos cruciatus, tam certo euentu quàm si Deus voce cœlitus emissâ id foret testatus. In quo mihi Dominus videtur allusisse ad Pharisæorum morem, qui sibi *ligandi* & *soluendi* potestatem tribuebant. Itaque eorum posteri, quod illi nefas esse voluerunt id אסור *ligatum*, contraque, quod illi ius fasque esse iusserunt id מתר *solutum* vocant. Itaque אסרים *ligantes*, & rursus מתירים *soluentes* dicuntur. Id verò Christus haud dubiè notauit, dum Matt. 23.4. dicit de Pharisæis *Ligant onera grauia & difficilia portatu*. Haud ignoro tamen Iosephum Pharisæorum potentiam in rebus ciuilibus iisdem ferè verbis describere, quibus hîc Christus Petrum compellans est vsus, Lib. 1. de Bello Judaico cap. 4. *Adiungunt autem se illi* (Alexandræ scilicet Hyrcani & Aristobuli matri) *in dominatione Pharisæi, Iudæorum secta quædam quæ reliquis habetur religiosior, legemq́ accuratius explicare censetur, his propterea impensè admodum fauebat Alexandra, fœmina Numinis cultui addictissima. Illi autem populatim fœminæ isti simplici sese insinuantes, mox omnia pro arbitrio administrabant*, διώκειν τε καὶ κατάγειν οὓς ἐθέλοιεν· λύειν τε καὶ δεῖν, *ita vt quos libebat in exilium pellerent, vel ab exilio reuocarent, in carcerem conjicerent, vel è vinculis soluerent*. Sed aliâ mente & locutione diuersa, nam cum in exilium pellere, indeque reuocare, conjicere in vincula, & carcere liberare supremæ sit authoritatis, vtramque potestatem Iosephus Pharisæis aptè attribuit, dum eorum ambitiosam & præter ius fasque vsurpatam, & specie pietatis callidè velatam authoritatem verbis acerbissimis & inuidiosè exagitat. Deinde verò alia est hæc locutio, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς, alia verò ista καὶ οὓς ἂν λύσῃς, καὶ οὓς ἂν δήσῃς, nempè hac locutione de personis, illa de rebus potissimum agi videtur.

est summa docendi authoritas.

non vero potestas quædam politica.

II. *Loci huius sensus verus. Vbi tria sunt præstruenda.*

Hactenus verborum explicatio fuit. Sequitur iam vt rem ipsam de qua Christus hîc agit explicemus, id quod secundò loco proposueramus agendum. Dum verò ad hanc rem viam munimus tria nobis veniunt pręstruenda. Ac primum quidem illud, *Quidquid sit quod hoc loco Christus singulare & præcipuum Petro detulit, id omne in Petri hæsit personâ: atque in ea dignitate vt neminem decessorem, ita nec vllum pariter successorem habuit*. Tum verò etiam, *Eam prærogatiuam haud fuisse talem vt iurisdictio eadem esset, & Imperium in cæteros Apostolos*. Denique, *Nil minus eam fuisse quàm Monarchiam, qualem Episcopus Romanus sibi arrogat*.

I. *Apostoli nullos habuerũt successores. Objiciũtur Patres.*

Vt à primo igitur ordiamur. Petrus nullum habuit successorem, itaq; dignitas Petri non est à Petro in vllum hominem, tanquam à decessore in successorem, deriuata. Quod si cui dubium videtur, an Petrus successorem habuerit, is verò iam animo secum reputet, eam fuisse Apostolici muneris rationem, vt cum successore communicari non potuerit. Scio videri Patres contra sensisse, qui vnanimi ferè consensu tradunt Episcopos esse Apostolorum successores: Quamquàm Tertullianus, etiam tum cùm homo esset Ecclesiæ (vt cum Hieronymo loquar) lib. de Præscriptionibus diuersum sensisse videtur. Petrum enim haudquaquam vocat primum Romæ Episcopum, neque verò Johannem primum Ephesi Episcopum appellat, sed alterum Romæ, alterum Ephesi primum constituisse Episc. author est. Sed vt nos à Tertulliano non dissentimus hac quidem in parte, ita nec Patres à Tertulliano dissenserunt facilè enim ista côciliantur. Fuit aliquid in munere Apostolico commune cum Episcopali, quod quia perpetuum esse debuit in Ecclesia, ordinariũ fuit: Cuius generis illa quatuor præcipuè fuere, verbi prædicatio, Sacramentorum administratio, Pastorum ordinatio, & Ecclesiæ gubernatio. Hæc quia sunt eiusmodi vt iis Ecclesia Christi vel ægrè possit, vel omnino non possit carere, ea Dominus voluit esse in Ecclesia perpetua: Itaque hactenus successores Apostoli habuere, nec alios potius quàm Episcopos. Sed & fuit Apostolici muneris ratio quædam singularis (de qua postmodum fusius nobis erit dicendum) inde profecta, quòd propter personarum, rerum, temporum, locorumq; diuersitatem alia debuit esse regiminis Ecclesię nascentis ratio, quàm iam natæ, atq; (vt ita dicam) ablactatæ: Id verò nec necesse fuit, nec debuit esse in Ecclesia perpetuum, propterea quod eius vsus perpetuus nullus foret, itaq; extraordinariũ fuit. Eiusmodi illud erat quod Apostoli, velut extra ordinem legati, à Christo missi sunt ad Rempublicam Christianam, Ecclesiam, inquam, constituendam, ordinandamque. Id quod, nisi iam satis liquet quale sit, appositione exêpli facilè ostendi potest. Cùm iustis de causis Reges nouam regno veluti faciem inducere moliũtur, solent ad singulas regni, siue eas *prouincias*, siue *diœceses* libet nominare, mittere iuris & Legũ peritos, magno rerum vsu præditos, & morum integritate. Hi & ius ipsi dicunt, & iudicia constituunt, etiam Senatum. Quod vbi perfecerunt munere imposito defuncti, ad Regem redeunt legationis suæ reddituri rationem. His si quis requirat an successum fuerit, in promptu iam respondere est, Quod ius ipsi dixerunt, in eo successores habuêre Judices & Senatum quem constituerunt, at quod noua Judicia, nouum Senatum, nouam Reipublicæ formam constituêre, id quia extraordinarium fuit, in eo illis à nemine successum est.

Simile.

Non ergo nostra hæc sententia à Patrum mête, nec Patrum mens à Tertulliani sententiâ fuit diuersa. Nam & Apostoli successores habuere, quod ad eam muneris sui partem attinebat, quę ordinaria & perpetui in Ecclesia vsus fuit: Iidem vicissim nullos habuere successores, iuxta id nimirum muneris sui quod non iam ordinarium perpetuæ-

Quo sensu Apostoli successores habuerunt, vel non habuerunt.

perpetuæque necessitatis, sed primorum duntaxat illorum temporum, quodque adeò Apostolicæ authoritatis verus & proprius character, seu potius ἰδιώτατος διαφορὰ fuit: quod nos solum intelligi volumus dum negamus Apostolos successores habuisse. Sed ad institutum redeamus, id iam amoliti quod disputationis cursum impedire videbatur. Sanè Apostolis non fuisse successum quis neget? Si Paulo, si Iohanni, & ita deinceps cæteris non fuit à quoquam successum, estne idonea causa cur huic Apostolo potius quàm reliquis succedi debuerit? fuitne vnius alicuius Apostolorum munus ordinarium, reliquorum extraordinarium? Num Petrum contendent fuisse Ecclesiæ Doctorem? Hactenus sane successorem habeat: Sed & quæ inuidia est reliquos Apostolos pari iure habuisse successores? Id verò nos iam ostendimus. Sed hæc aliena sunt à quæstione, illud est quod laboramus scire, Quid authoritatis, quid dignitatis à Petro in Petri successores deriuatum sit, quod non à Paulo in Pauli successores pariter dimanarit?

Petri Primatus.

Nunquid hic fortasse nonnulli respondebunt, Petrum ius & Imperium in reliquos Apostolos, quâ ille in dignitate super Apostolatum à Christo constitutus fuit, ad successores transmisisse. Nos verò demus iam illud sanè, Petrum cum Principatum tenuisse; Sed enim quando Apostoli desierunt esse in terris, Ius illud certè videri debet continuò desiisse. At illi concedent haud dubiè desiisse quidem Petri imperium in Apostolos, quippe qui nulli iam sint, at remansisse idem in Ecclesiam contendent. Sed quid tandem est illud imperium? Estne potestas eadem cum Apostolica authoritate? Si eadem est, eò dē reuoluimur vnde iam discessimus, Petrus successorem habuerit quem reliqui nullum habuere. An diuersa est? Quo igitur consilio factū est vt in Epistolis, præsertim in inscriptionibus, huius dignitatis nullus meminerit, tantùm se Christi Apostolum profitetur? Hic profectò locus maximè idoneus fuit commemorandæ in Domino dignitatis suę. Sic Paulus solet: nec profectò credibile est alio spiritu Paulum, alio Petrum scripsisse. Non est nimirum veræ humilitatis authoritatem muneris diuinitus demādati silentio prodere. Cùm verò illa Petri in Ecclesiam, si qua fuisset, supremæ authoritatis cōmemoratio, ad conciliandam doctrinæ, quam erat traditurus, authoritatem maximoperè conduxisset, quæ posit dici causa cur eam subticuerit? Haud alia certè magis idonea quàm quod eam non haberet. Nec enim Petrus is fuit qui vel authoritatem à Domino concessam deponeret, vel sibi vllam assumeret haud concessam. Sed age; eos vehementius vrgeamus. Si Petrus hunc Principatum suum ad posteros trāsmisisset, quid iam supererat quin & illi reliquis Apostolis forēt superiores? Quoniam verò omnium Episcoporum Episcopo Romano id ius obtingit vt sit in illo Principatu Petri successor, si scilicet viueret hodie in terris Paulus, Paulo maior haud dubiè foret. Etsi verò non est admodum credibile quemquam esse tam valentis stomachi vt id posit concoquere, tamen quia incredilis & prodigiosa est quorundam in hac causa confidentia, libet quærere, num Petro opus fuit Purpuratorum Collegio, quorum nisi de consilio nihil gereret in Ecclesia? Num necesse habuit in Concilium mittere disceptaturos de capitibus Christianæ religionis præcipuis, protractos ex vmbra scholæ Theologię Doctores? Quod cùm nemo ausit affirmare, quemquamne existimamus adeò immaniter audacem, vt Episc. Rom. eandem cum Petro non dubitet tribuere authoritatem? Atqui is vnus est qui eam sibi vindicat potestatem tam impotenter, vt nullam aliam magis ob causam Orientem ab Occidente diuelli passus sit; Illud sc. malens quàm in animum inducere vt eâ decederet, & æquo iure vellet cum fratribus Coepiscopis colere communionem. Ergo iam illud præstruximus, *Quidquid sit hoc tandem à Christo Petro delatum, totum id in Petri vnius hæsisse personâ, nec vlterius promanasse.*

confutatur I. Except.

Ref.

2. Papæ forent Apostolis superiores.

II. Quanta fuerit Apostolorū dignitas.

Veniamus ad id quod secundo loco constituendum diximus: *Quidquid Christus hoc loco peculiare Petro detulit, id neque Imperium, neque potestas vlla in aliquos Apostolos fuit.* Nempe Apostolicâ dignitate nulla potuit esse maior in terris. Id quod vt non iam incertis & fallacibus coniecturis vtrūque indagatum, sed euidentissimis deprehēsum & comprobatum rationibus, teneamus, age verò de Apostolici muneris dignitate & præstantia, quæ quantaque fuerit, disputemus. Tota autem hæc disputatio his veluti finibus circumscribetur. 1. Missione. 2. Instructione. 3. Authoritate Apostolorum. 4. Muneris amplitudine. Cùm enim in omni munere quatuor ista debeant habere locum, hæc si summa in Apostolis fuisse ostendamus, quin Apostolatus summa fuerit dignitas, proindeque nulli alij subdita dignitati, nemini dubium poterit videri. Pari vero in parem, nedum summo in summum, nullum ius esse potest, summa enim quæ sunt, æqualia eadem inter se esse necesse est.

ostenditur. I. ab eorum *Missione*.

Vt igitur eo ordine quo constituta est procedat disputatio, à *Missione* Apostolorum incipiamus. Ea verò fuit multò excellentissima, & cum qua nulla vnquam cōferri & æquiparari possit. Quod vt liquidò constet tenendum est, in Ecclesia (si quis animo omnes eius ætates ab initio complectatur) tres esse seu *Missionum*, seu *Vocationum*, (his enim licet in hoc argumēto vocabulis vti promiscuè & indiscriminatim) siue gradus, siue species eas potius licet vocare. Prima adeoque infima est illa communis & ordinaria, quæ etiamnum hodieq; obtinet in Episcopis & Pastoribus Ecclesiæ: ea verò partim interna est, (vt cùm Deus priuatis hominibus, præter ingenij & natiuas animi dotes, sacrarum literarum cognitionem, &c. affectum quendam etiam Spiritus sancti afflatu inspirat, vt non quidem temerè & typho inflati, sed tamē quatenus id vel sinit Ecclesiæ politia, vel postulat necessitas, ad id muneris adspirent citra iustam ambitus aut Schismatis suspicionem,) partim etiam externa, cùm ad hanc internam vocationem accessit (seu eam præcesserit, seu secuta sit) Ecclesiæ vocatio & comprobatio, quam certo quodam ordine, certisque ritibus, quorum operâ id fieri æquum est, Ecclesia publicè testatur. Tales fuere in V.T. inter Iudæos Prophetarum filij, ex quauis tribu illius gentis oriundi, quos etsi nefas erat eam sacri Ministerij partem attingere quæ ad cultum carnalem pertinebat, vtpote cuius cura posteris Leui singulari priuilegio erat demandata, attamen in reliqui operis, quod erat situm in verbi prædicatione, συνεργίαι vt socij vocabantur.

Tres Vocationis species.

1. *Ordinariæ* Pastorum.

2. *Extraordinaria* Prophetarum, &c.

Secunda vocationis species fuit extraordinaria, Patriarcharum & Prophetarum, qui visionibus nocturnis, diurnis, somniis θεοπνεύστοις, vel etiam voce cœlitùs missâ admoniti, interdum ecstasi vel enthusiasmo correpti mittebantur. Quæ certis de causis in Ecclesia ad vsque Malachiæ tempora locum habuit, ab eo verò tépore desiit ad Christi vsque ascensionem in cœlos: nisi quod cùm iam instaret temporum plenitudo, Zachariæ Iohannis Baptistæ patri indultum est vt & is vaticinaretur, & Simeoni item, Christo iam nato. Postquam verò Christus in cœlum ascendit, Prophetæ extra ordinem in Ecclesia fuêre, sed id duntaxat obtinuit quandiu Ecclesiæ nouæ fundaméta iaciebantur, nondum verò iacta fuerant. Quod etiam tempus miraculorum fuit, rerum enim magnarum initia sunt difficilia & operosa, ideoque nonnisi magno apparatu, magnoque molimine instituuntur, instituta, accedat modò diligentia & cura, facilè promouentur & conseruantur.

3 *Singularis*, qualis fuit Mosis.

Tertia vocationis species fuit non extraordinaria modò, sed planè singularis, quę nulli mortalium præterquàm vni Mosi contingit, qui à Deo, ad liberádum seruitute populum Israeliticū & legem ferendá, aliter multò quàm Prophetæ missus fuit; atque in eo in sublimi supra reliquos Prophetas collocatur, *Habent* (inquit Abraham ad Epulonē, Luc.16.29.) *Mosem & Prophetas.*

Apostolorum Missio superat. *Ordinariam* Pastorum, *Extraordinariam* Prophetarum.

Verum enim verò, omnes istas missionis species missionis Apostolicæ ratio longo interuallo superauit. Etenim si cum primâ illa & infima, quæ Episcoporum & Pastorum propriè est, ea conferatur, res adeò clara est & indubitata vt quęstioni nullus sit locus. Quod si eam cum Prophetarum & Patriarcharum adeò missione conferamus, & illa infinitis penè gradibus præstantior apparebit. Prophetæ enim & Patriarchæ visionum, somniorum, enthusiasmorum, &c. interuentu mittebantur: Apostoli verò ipsius Dei filij voce, illos alloquentes στόμα πρὸς στόμα, sine vllo inuolucro visionis & somnij, apertè & summa comitate, id quod est diligenter animaduertendum.

Singulari Mosis.

Quocirca & Mosis missione Apostolorum illa sine controuersia multò superior fuit. Nam quod tradit Scriptura Mosem *Deum de facie vidisse*, id eò tátum spectat, vt intelligamus Deum sese Mosi reuelasse, & veluti conspiciendum singulari quadam & præcipuâ ratione, qui honos nemini Patriarcharum aut Prophetarum obtigit. Cæterùm idem Moses cum à Deo obnixè petiuisset sibi dari faciem eius cōtemplari, haud impetrauit tamen, tantùm obtinuit vt ei liceret Deum à tergo, & quidem nonnisi prætereuntem videre; nondum enim aduenerat ea quam Scriptura vocat *Temporum plenitudo.* At verò Dominus noster Jesus Christus ὁ θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκί, Deus idem & Homo, quem qui vidit & Patrem vidit, nullius Angeli opera, per nullius obtentum veli, ipse immediatè Apostolos suos misit. (Hinc Apostolus 2.Cor.3.13. *Non sumus*, inquit, *sicut Moses* &c. qui locus diligenter notandus, meúque in eo & Apostoli scopus etiam atque etiam animaduertendus: dixerat versu 12. *Multam habemus dicendi libertatem*, nunc illius libertatis hanc reddit potissimum rationem, quod ipsius missio Mosaica multò esset excellentior.) Atque hoc Apostolico muneri tam artè coniunctum est, tamque (vt ita loquar) essentiale, vt dum Apostolus authoritatem Apostolatus sui asserit, non alio potiùs vsus sit argumento. *Non sum*, (inquit 1.Cor.9.1.) *Apostolatus? Non sum liber? Non vidi Iesum Christum Dominum nostrum?* q.d. Quid? etiamne est qui in me ius habeat? meane eadem est quæ cæterorum Ecclesiæ Doctorum conditio, in quos Apostoli ius habent, cùm viderim Dominum Jesum, & hoc demum pacto fuerim vocatus? Huc pertinet quod Actor. 10. testatur Petrus, Christum non toti populo indiscriminatim apparuisse, sed certis quibusdam testibus προκεχειροτονημένοις *quos ante elegerat*: Nimirum ea Apostolatus prærogatiua, id priuilegium fuit. Nam quod & mulierculis se conspiciendum præbuit, id non eo consilio fecit vt testes essent vniuerso orbi Christi resurrectionis, quo fine Apostolis apparuit.

Cur tam singularis fuerit Apostolorum missio.

Iam si quis requirat, quæ ratio Deum impulerit vt Apostolos voluerit mitti multò splendidiùs, & magnificentiùs quàm vel Patriarchas, vel Prophetas, vel Mosem denique ipsum Prophetarum facilè Principem, id sanè expedire difficile non videtur, si vel rerum magnitudiné, ad quas gerendas missi fuere, vel personas, quibuscum res illis erat, intueamur. Nam Prophetę quidem certè, vel ea docebant quæ ad vitam & mores hominum rectè instituendos pertinebát (quarum rerum norma iam &, apud eos quibuscum Prophetis res fuit, certa quędam & minimè controuersa regula fuit) vel ea prædicabant quę mox erant euentura; Itaque tam illustri missione opus haud vsque adeò fuit. Nempe ipsa doctrina ad legem Mosaicam, tanquam ad lapidem lydium, admota potuit facilè ipsa doctori conciliare authoritatem: Rerum autem euenta, quę ea ætate, quâ conciones suas habuerunt, contigêre, faciebant fidem non esse vana illa quæ olim euentura prædicebant de conuersionibus Imperiorum, de Messia, deque Gentium vocatione. Moses verò cùm non eò esset à Deo vocatus, vt monendo, hortando res tantas efficeret, sed vt & factis præstaret, nil erat necesse vt eius missio illustrior esset. At verò Apostolorum vocatio multò magis admiranda ac diuinior, vt ita dicam, esse debuit. Missi sunt ad inuocandum totum terrarum orbem, ad expellendam barbariem, superstitionem, (nam humanitatis & Politię nō modò non hostes, sed etiam studiosissimi fuere, quod veræ Religionis ingenium est) etiam ad antiquandam legem à Deo datam, ad nouam œconomiam in Ecclesiam inuehendam, pristinam abrogandam. Missi sunt ad Iudæos, missi ad gentes, vel grauissimis præiudiciis occupatos, vel opibus potentes, & rerum gestarum belli pacisq; artibus gloriâ tumentes; idque tantum opus patraturi solâ verbi prædicatione: non traducturi populum fidelem in terram Canaan, non diffissuri mare rubrū, sed vno spiritus gladio rem tantam effectam daturi. Hîc si ij Missionis suæ documenta protulissent Enthusiasmos, visiones, vel vt Moses visum ignem ardentem in rubo, vnde Angelus (qui idem nimirum Deus esset) vocem emiserit suam, quid? arbitramur futurum fuisse vt benignius exciperentur quàm Moses olim à suis? qui profectò nisi eos in rem veluti præsentem deduxisset, (quáquàm gemerent oppressi immani pondere Ægyptiacę seruitutis, & quæ volūt homines ea ferè sperát,) haud dubiè nil aliud effecisset, quàm

vt ab

vt ab illis reiectus & contemptus in desertum, vnde venerat, rediret. Irrisissent certè cùm Iudęi tum gentes (etiam non sine aliqua specie rationis) Apostolorum visiones & somnia. Et vel eos, tanquam atra bile percitos, fuissent paulò humaniores commiserati, vel vt homines vafros, & nouarum religionum callidos architectos auersati. Nunc verò neutri calumniæ potuit esse locus. Testati enim ea sunt quæ & sępè & attetè viderant, cùm essent complures variis ingeniis & vitæ institutis diuersissimis: fraudis verò suspicionē omnem id amoliebatur quod nec regnandi libidine, nec gloriæ cupiditate, neque quęrendarū opum studio, ad tantam rem suscipiendam, impulsi videri potuerunt, quum & dictis, & scriptis, & (quod firmissimum omnium est locupletissimumq; documentum) vitæ simplicitate & integritate fidem facerent, facileq; si quis locus æquitati fuit, persuaderent se vltro, sponte, scientes volentes, neque visa tacere, neque narrare non visa. Sic, vt puto, non omnino obscurè demonstrauimus Apostolorum missionem fuisse multò nobilissimam, vt vel inde liceat æstimare quanta Apostolatus dignitas fuerit, adeóq; cur ea potissimum debuerit esse tanta. Hinc illa, ὃ ἑωράκαμεν &c. 1.Ioh.1.1.&c. Et illa item, αὐτόπται γενόμενοι τοῦ λόγου. Luc.1.2.

Apostolorum dignitas ostenditur 1. ab eorum *Instructione*.

Iam pergamus. Missionem sequitur *Instructio*. Diximus enim Apostolos ita fuisse à Christo instructos, vt, si nil aliud esset, inde facilè intelligi posset Apostolorum potestatem fuisse summam. Cęterùm *Instructio* nobis hîc est (vt more in scholis vsitato vim huius vocis definiamus) *Dei opus quo homines reddit ad munus obeundum aptos & idoneos.*

quæ spectatur.

Porrò quæ fuerit, & quam mirifica Apostolorum instructio in tribus potissimum elucet. 1. In copia Spiritus, qui in eos effusus est, singulari. 2. In stupendo quo prædíti fuere patrandorum miraculorum dono. 3. In potestate conferendi Spiritum sanctum, quod illi semper ferè adhibito ritu *impositionis manuum* peragebant. Quibus omnibus ij instructi fuere, non ita modò vt nil desideratum fuerit, verùm etiam tam cumulatè & abundè, nil vt animo cogitari quidem ampliùs, secundùm Christum, inter homines possit.

in Spiritus copia.

Ac primò, vt à copiâ Spiritus ordiar. Omninò sanè Mosi datum est vt in doctrina fidei & morum non erraret, vtpote populi Dei summo post Deum Legislatori. Lex tamē ei à Deo tradita est, non viuâ tantum voce, quod animaduersione dignissimum est, sed insculpta veluti Dei digito tabulis lapideis. At Euangelium non est Apostolis consignatum scripto, atque ita demum iis commissum, sed Christi reuelatione & afflatu Spiritus sancti creditum tanquam fideicommissum, non illud quidem vt esset *litteræ*, sed *spiritus* ministerium. *Non estis vos*, inquit Apostolus, *Christi Epistola administrata à nobis atramento, sed Spiritu Dei viui*, &c. 1.Cor.3.3. Deinde verò Moses cum populo acturus os velabat, Apostoli aliter, quorum operâ dabatur, amoto velo gloriam Dei in Christi vultu clarè refulgentem, etiam plebi & vulgo hominum intueri. Nimirum splendor ille quo Mosis facies adeò vehementer coruscabat, vt eius aspectum populus Israeliticus non potuerit ferre, lucem Euangelij præfigurabat: *Velum* Legis erat typus, quo lux illa Euāgelij ad ortum vsque Solis iustitiæ debuit (sic visum Dei sapientiæ) obumbrari. At Prophetarum Instructio, qui tam multa, tam fusè de Christo vaticinati sunt, qui nouam lucem in Ecclesiam intulerunt, quid? an ne illa quidem cum Apostolorum Instructione conferenda est? Ne cum Mosis quidem certè. Nempe, neq; quoties & quando vellent vaticinabantur, & sæpe inter vaticinandum animo corporeq; ita commouebantur, vt vel imperitis rerum diuinarum, vel prophanis hominibus speciem furentum præberent: Vnde fiebat ut refugerent vaticinari, & iuberent sibi inter vaticinandum fidibus cani, vt ardor ille atq; æstus corporis grauius commoti vtcunque temperaretur. Non fuit ea Mosis conditio, ad quem ad Deum quoties & quando volebat aditus patebat; quem scilicet prophetiæ Spiritus non per interualla inuadebat, sed perpetuò comitabantur; nec eius vel animum vel corpus statu mouebat. Quam ob causam (si coniecturæ locus est) *Deum de facie vidisse* dicitur, eiusq; hac in parte dignitas & authoritas supra reliquos Prophetas celebratur. Consulatur locus qui est Numer.12. ℣.7.8. Quod si hactenus Prophetarum Instructio infra Mosis Instructionem subsidebat, Apostolorum Instructio eâ multo vberior & copiosior fuerit.

in Miraculorum patratione.

Præterea quoties id postulabat Dei gloria (qua de re illi, pro cœlesti sapientiâ quâ prędíti fuêre, statuebant) edebant miracula, id quod ante eos nemini mortalium est concessum. Nam & olim Moses, & Prophetæ, & multi non modò è primoribus, verùm etiam è fidelium, vt ita dicam, plebe, nascente Ecclesiâ multa miracula patrarunt. Verumtamen haudquaquam pro arbitrio, neque verò nisi impulsu quodam atque afflatu ad hanc rem extraordinario, quo illi vel de improuiso corripiebantur, vel id precibus à Deo consequebantur.

in collatione Spiritus sancti.

Denique conferebant Apostoli Spiritum Sanctum, hactenus certè vt qui iam Christo nomina dederant donis extraordinariis locupletarentur, quæ luculenter 1.Cor.12. recensentur (nam fidei & pœnitentiæ donum ab occulta & internâ gratiæ dispensatione semper dependit.) Itaque cum Samariæ complures credidissent, Philippus (cuius operâ Dominus ad eorum mentibus ingenerandam fidem & veram sanctitatem vsus erat) non idem contulit iis Spiritum Sanctum, sed missi Hierosolymis Petrus & Iohannes, vt inter Apostolos præcipui nominis. Illud etiam obiter hoc loco obseruandum, Matthię, cùm allegeretur in Apostolatum, haud impositas ab Apostolorum vllo manus, quod ea dignitas tāta esset, vt quemadmodum nemini ad eam hominum suffragiis aditus patebat, ita nemini licebat Impositione manuum electionem in Apostolum comprobare. Id quod in aliis, vt in Timotheo, licuit, & verò ius fasque fuit.

Apostolorum dignitas ostenditur 1 ab eorum *Authoritate & potestate*. quam summam fuisse ostenditur.

Diximus tertio loco, spectari dignitatē Apostolici muneris in Apostolorum authoritate & potestate, quæ summa fuit & incomparabilis. Id quod, si nil aliud esset, vnica missionis formula satis euidenter comprobaret. *Quomodo* (inquit) *Pater me misit, sic & ego mitto vos*, hoc est, Quomodo me solum & vnum Pater in terris audiri voluit, eandem ego vobis facio potestatem. Eodem illa pertinent Luc.22.29. *Quomodo Pater disposuit mihi regnum, ita & vobis ego dispono, vt edatis & bibatis* &c. Quibus verbis Christus significat, haud quidem certè gloriam Apostolorum in cœlis, sed eam dignitatem in qua cōstituti fuere in terris, verbis

figuratis ac locutione petitâ à consuetudine Regum & Magnatum seculi, qui in rerum administratione sibi proximos tantâ habent in dignatione, vt ad mensam etiam adhibeant, à qua cæteri summouentur. Sic Matth. 19.28. *Sedebitis super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel* ἐν παλιγγενεσίᾳ *in regeneratione*, id est, in Ecclesiæ renouatione. Ac ne cui mirum videatur παλιγγενεσίαν appellari eam rerum conuersionem, quæ post Christi ascensionem in cœlos, indeque Spiritus Sancti missionem, contigit in terris, Apostolus illud Prophetæ Esa. 65.17. *Ecce creo vobis nouum cælum & nouam terram*, huc refert. Immò verò *ecce*, inquit, *noua facta sunt omnia*, 2. Cor. 5.18. Adde quod nô fuit minor Apostolorum authoritas in Ecclesia Christiana, quàm fuerit in Ecclesia Iudaicâ Mosis. At eius authoritas summa fuit, & cui nulla par esset, vti supra demôstrauimus: Sed & quanta fuerit hæc Apostolorum authoritas, si repetamus animo quæ de eorum instructione paulò ante disputata sunt, liquidò constabit. Quorsum etiam tantus apparatus, si authoritas ea summa non erat futura? Hæc si sic dicta generatim minus mouent, age rem speciatim & propius arbitremur. Ac primum quidem eorum authoritas in hoc erat sita, quod in tradêda doctrina erant αὐτοδίδακτοι, nulla lege authoritatis superioris tenebantur, reliqui Doctores ex præscripto, ac veluti tabulis obsignatis agere obstringebantur, hi veluti ex fideicommisso. Itaque Patres Synodi quæ Constantinopoli quinta habita est, grauiter meo quidem iudicio, *Quod Apostoli*, inquiunt, *contemnerunt Hierosolymam non fecerunt vlla necessitate, habuerunt enim Spiritum Sanctum, sed nostrum est conferre de doctrina*. Itaque quemadmodum Dominus noster Iesus Christus allegauit authoritatem Scripturarum in exemplum, & vt aliquid daret infirmitati auditorum, non ex necessitate, ita & Apostoli: reliquorum erat Scripturarum Apostolicæ que doctrinæ authoritate niti. Quâobrem Apostolus Timotheum hortatur προσέχειν τῇ ἀναγνώσει: Non qui certè commendet lectionem secularium scriptorum, sed sacræ Scripturæ, quæ מקרא *lectio*, ἀνάγνωσις dicitur, vocabulo in Ecclesia Iudaicâ noto & vsitato. Etenim sacræ Scripturæ ea semper Maiestas & authoritas fuit, vt exclusis δευτερώσεσιν & traditionibus, quas Magistri vocant תורה שבעל פה *legem oralem*, sola in Synagogis & sacris côuentibus legeretur. Ergo eadem est γραφὴ & מקרא, sed scriptorum respectu γραφή, lectorum מקרא appellata. Etsi verò ita se res habet, tamen ea appellatio seu nomenclatura Scripturæ, videtur esse recentior quàm vt Esdræ ætate locum habuerit. Itaque dispiciendum est, an quod habetur Nehemiæ 8.8. ובינו במקרא aliud sit, nempe, καὶ συνῆκεν προσέχων μαθεῖν ἀναγινώσκοντος, ἐφ' ᾧ τι μεταφράσασθαι δεῖ καὶ ἑρμηνεῦσαι τῷ ἀναγνωσθέντι. Sed iudicent doctiores: Ego nihil pronuncio, tantum profero suspicionem meam. Ergo vt Prophetarum, sic Apostolorum propria fuit illa formula, *hæc dicit Dominus*: hoc tamen discrimine, quod Prophetis eam tum demum licuit iure vsurpare, quoties vaticinabantur, id quod non erat in eorum arbitrio positum: Apostolis verò, propter continuam spiritus præsentiam, quoties iis docere libebat, quæ authoritas omninò summa est. Deinde verò & in hoc sita fuit summa Apostolici muneris authoritas, quod nimirum Apostolis licebat in flagitiosos, scelestos, ac refractarios, & contumaces in Ecclesia Christi, non modò censurâ Ecclesiasticâ animaduertere, sed pœnâ afficere corporalî, & quidem si res posceret, capitali. Sic Petrus Ananiam & Sapphiram exanimauit, Paulus Bar-iesu (qui & Elymas) excæcauit, Hymenæum & Philetum Satanæ tradidit, Corinthium, qui cum patris coniuge consuetudinem habuerat, erat traditurus, nisi Ecclesiæ precibus id condonasset. Atque ad hanc Apostolicæ authoritatis partem referenda illa videntur, οὐ φείσομαι, 2. Cor. 13.2. & illa item, διὰ τοῦτο ταῦτα ἀπὼν γράφω, ἵνα παρὼν μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκέ μοι ὁ Κύριος. Ibid. vers. 10. Certè designat authoritatem solis Apostolis familiarem. Itaque & cùm de Corinthio illo incesti reo agit. *Iam* (inquit, 1. Corint. v. 3) *vt præsens iudicaui vt is qui id perpetrauit (vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis) per potestatem Domini nostri Iesu Christi*, *eiusmodi*, inquam, *homo tradatur Sathanæ ad interitum carnis*. Illa diligenter expendenda sunt, neque enim, si de ordinaria aliqua potestate verba faceret, sic loqueretur.

Egimus iam de Missione, Instructione & Authoritate Apostolorum, atque ita egimus, vt putemus nemini iam esse obscurum, quin eorû dignitas summa fuerit, & prima, vt eorum fuerit subesse nemini, cæteris verò omnibus præesse: Sequitur deinceps vt (quòd instituer amus) caput hoc definitione Amplitudinis muneris Apostolici concludamus. Quod si demôstrauerimus summum pariter fuisse, effecerimus profectò vt modis omnibus Apostolorum authoritas summa fuerit, tam luculentis tamque firmis argumentis, vt ne sit post hac dubitandi locus, num Apostoli fuerint inter se modis omnibus pares. Igitur vt hinc incipiamus; Muneris Apostolici primùm fuit, Legem, Legis ritus & cæremonias, totamque illam œconomiam Mosaicam antiquare, & abrogare. Atqui hoc summum procul dubiò fuit: Lex enim illa data fuit à Deo, tradita Angelorum ministerio, signis, prodigiis côprobata, spectante atque audiente populo, atque in illius verba iurante. Quis igitur satis æstimare animo possit, quàm fuerit operosum & difficile eam Legem abolere, vt ne miretur eam rem tot certaminum, contentionum, & turbarum occasionem præbuisse, cùm Apostoli noui homines vulgo ignoti, eam Legem irent abrogatum, cuius studio, quo Iudæorum quisq; vel superstitiosior, vel sanctior ac religiosior esset, eo vehementius flagrabat? Quamuis autem hîc non sit de abrogatione Legis idoneus disputâdi locus, attamen ne cuiquam studio hanc quæstionem, veluti scopulum, defugisse videamur, ea de re, quoad eius fieri poterit breuissimè, sentêtiam nostram edemus. De Cæremoniali, atque etiam Iudiciali lege res clarior est, quàm vt in dubium vocari possit. Verùm enimuerò quando Apostolus de Legis abrogatione disputat, non hanc vel illam illius partem, à reliquo veluti corpore auulsam, intellexisse videtur, sed illud fœdus cuius formula erat *Hoc fac & viues*, vniuersum côplexus est. Inde ille Apostoli, qui se negat esse literæ διάκονον, 2. Cor. 3.6. Legem vocat καταργούμενόν τι, vers. 11. Etiam eam quæ tabulis insculpta fuit lapideis (quam vocant *moralem*) vers. 7. Immò verò ad Hebr. 8.13. ideò contendit Apostolus aboleri eam Legem debuisse, quod *vetus* esset appellata.

Huc acce-

Marginalia: 2. — 3. — Apostolorum dignitas ostenditur. 4. ab *Amplitudine* eorum *Muneris*. — quæ spectatur 1. in abrogatione Legis, — etiam Moralis.

Huc accedit quod erat lex illa seruitutis (cui Iacobus *libertatis legem* opposuisse videtur cap.1.25. & 2.12.) & *Iugum intolerabile* Petro non certè pars aliqua Legis, sed in vniuersum Lex Mosaica appellata est Act.15.10. Quod si Lex moralis & ipsa non fuit ab rogata, quorsum illa Apostoli referenda sunt, *Non enim estis sub Lege, sed sub Gratia?* Rom.6.14. Item & illa, *Quotquot circumcidimini tenemini totam Legem præstare.* Galat.5.3. Quid igitur, inquiet aliquis, etiamne à Lege morali Christiani sunt immunes? Quò spectant igitur illa Christi Matth.5.17. *Non veni vt dissoluerem, sed vt implerem Legem?* Et illa Pauli Rom.3.31. *Quid? Legem abolemus?* &c. Aut, estne quisquam tam vesanus, qui prædicare audeat licere Christianis idola colere? &c. Absit, absit. Quid igitur est? Nempe Lex moralis duplicem habet rationem, vel enim spectatur vt vitæ & morum regula immutabilis, vel vt proponitur sub fœderis formulâ, tanquam si ea vel in minimo neglecta est, pereundum necessario sit: Atque hactenus propriè *Lex* dicitur, non *regula* modò, at priori modo *regulam* quidem eam, haud tamen *Legem* propriè dixeris. Vno verbo, materia præceptorum Euangelicorum & Legis moralis eadem est, promulgationis formula non est eadem. Ergo Legis materia & argumentum, Lex, inquam, vt *regula* manet, hactenus enim non est terrifica & minax, sed multò suauissima, condita scilicet Christi gratiâ, qui & sanguine suo remissionem peccatorum peperit, & Spiritum suum indidit in hominum corda. At sub hac formula *hoc fac & viues*, certè non manet, quin si maneret, Euangelio Christi, cui Lex debuit decedere, locus nullus esse posset.

quatenus est Fœdus.

2. in promulgatione nouæ Legis.

Secundò Apostolici muneris fuit non modò Legem abolere, (id quod necesse fuit, *translato enim sacerdotio Legem pariter transferri oportuit.* Hebr. 7.12.) verùm etiam nouam Legem promulgare, Legem, inquam, fidei. Quod illi omnium primi fecêre. Nam à lapsu primi hominis ad vsque Apostolorum tempora exstitêre nunc obscuriores, nunc illustriores gratiæ promissiones, pro Ecclesiæ ætatum diuersa ratione, diuersæ; quæ idcirco promissiones Euangelicæ dici possint: At ipsum Euangelium ante missum cœlo Spiritum Sanctum, si propriè loqui, & ex vsu Scripturæ volumus, nulla fuit ætate prædicatum. Quam ob caussam Apostolus, qui idem simplicissimè & considerati ssimè loqui solet, ad Rom.1.2. (illustri & conspicuo in primis loco) tradit Euangelium fuisse quidem προεπηγγελμένον, non ait idem fuisse exhibitum. Quin vbique cauet diligenter ne promissiones veniæ & misericordiæ, deque Messia (quales exstant in libris veteris Testamenti) vspiam *Euangelium* vocet, quamuis haud dubiè eadem earum, quæ Euangelij, materies & argumentum est. Idque ab eo factum est ad mentem Spiritus Sancti, Ierem.31.31. *Ecce venient*, inquit, *dies quibus pangam nouum fœdus*, &c. Item, *appropinquat regnum Cœlorum*, &c. Marc.1.15. Conueniebat enim vt primùm omnia impleret quæ ad officium Mediatoris in terris pertinebant, cuius generis ea sunt, quæ vel Prophetæ prædixerant, vel Lege Mosis erant præfigurata. Id sequebatur vt ascenderet in cœlum, vt sederet ad Dei dextram, quod pariter prænuntiatum, præfiguratumque fuerat: Enimuerò solemnis ille ingressus Pontificis Max. in sancta sanctorum, typus erat introitus Domini Iesu in verum sanctuarium, cœlum inquam. Priusquàm ergo ista euenissent, qui potuisset Euangelium prædicari, quod nil aliud est quàm harum rerum, vt iam gestarum, quædam renuntiatio clara & aperta? *Euangelium* certè ideò nuncupatum, quod nil gratius & acceptius mortalibus potuit nuntiari. Certè ἀγγελία præteritarum rerum est, εὐαγγέλιον præteritarum rerum quæ mentem afficiunt gaudio & lætitia singulari. Ergo Apostoli primi fuêre Euangelij præcones, proindeque & summa præditi authoritate.

Euangelij præd

3. in cura omnium Ecclesiarum per vniuersū orbem.

Tertiò, & in hoc consideranda venit muneris Apostolici amplitudo, quod scilicet eorum, non erat operam vni cuipiam vel diœcesi, vel parochiæ addicere: Apostolorum parochiæ & diœceses tam latè patebant, quàm latè patet orbis terrarum, quin totus orbis eorum parochia & diœcesis dici potuit: Nisi quod sollicitè cauerent ne iis locis prædicarent Euangelium, in quibus ab aliis prædicatum iam fuerat, nisi fortè vel obiter, vel necessariâ de causâ, eo scilicet, vbi opus fuit properanter vt opus Ministerij sui implerent. Itaque B. Paulus ad Rom.15.20. testatur se φιλοτιμεῖσθαι, hoc est, *penè ambitiosè studere ne ædificaret super alieno fundamento.* Et 2.Cor.10.vers.15.16. idem testatur se habere κανόνα suum. Est verò κανὼν Architectis ἰχνογραφία. Et capite 11.28. profitetur se *angi curâ omnium Ecclesiarum*: in quo videre est discrimen muneris Episcoporum & Apostolorum. Nam, vt ait Cyprianus de Vnitate, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur*, hoc est, vna omnium Ecclesiarum cura est, cæterum huius curæ singulis Episcopis sua portio credita est. Id quod tamen haud quaquam prohibebat quominus & alienarum diœceseωn singuli Episcopi curam gererent, verùm ἀγαπητικῶς, atque ita vt ne ordo Ecclesiasticus conturbaretur, id quod omnino contigisset, nisi authoritas & Iurisdictio Episcopalis certis limitibus fuisset definita. At Apostolis ex æquo omnibus (vt Consulibus Imperij Romani) cura incumbebat, quod ad ius attinet & potestatem, quamuis οἰκονομικῶς inter se operas partirentur, pro eo ac Euangelij propagandi ratio exigebat. Sic Petro Circumcisionis, Paulo ἀκροβυστίας cura præcipuè demandata fuit; *quamuis Iudæis*, inquit, *& gentibus debitor sum*, &c. Rom.1.14. Facit etiam illud ad hanc rem, quod Apostoli paris dignitatis insignia & ornamenta à Christo accepere. Nempe spondet omnibus pariter Apostolis Dominus, fore vt *sedeant super duodecim thronis, iudicantes duodecim tribus Israelis.* Hic certè & dignitas par *Iurisdictio in duodecim tribus*, & paris dignitatis. Nota est *sedere super duodecim thronis.* Nam duæ ita positæ sunt sellæ vt aliæ aliis inferiores sint, eas certè illius ætatis consuetudo, & Scripturæ vsus *Thronos* dici vetat. Neque verò hîc vlla Tribus vlli seorsum Apostolo tribuitur, qui peculiarem in eam habeat Iurisdictionem.

Cur 12. Apostoli à Christo sunt electi.

Hic verò iam mihi liceat excurrere, eâ tamen lege vt ne abducar ab instituto longiùs. Fortè quis requirat, quo demum consilio Apostolorum numerum Dominus duodenarium esse voluerit? Cur item duodecim tribuum Israelis, dum eorum assignat Iurisdictionem, potius quàm Ecclesiæ meminerit? Hic ego quidem certè nihil affirmarim, illud tamen omninò certum est: Ecclesia Iudaica ea fuit, cui primùm (vt ita loquar) disertè Deus promiserat Messiam: Gentibus secundariò, ac nonnisi contemptus iam scilicet ac

repudiatus à Iudæis, promissus fuerat. *Vobis*, inquit Paulus, *oportuit primùm annunciari Dei verbum*. Act.13.46. Itaque idem Apostolus, vbi de Dei benignitate erga gentes, qui iis indulserit nimirum cognitionem redemptoris, agit, Rom.15.8.9. tantum beneficium misericordiæ Dei vult acceptum fieri: At quod Iudæis exhibitus est Messias & oblatus, id verò iam ait fuisse *veritatis* diuinæ. Quid igitur? Non fuerit opus diuinæ misericordiæ, quod Iudæis Apostoli Christum annunciarunt? omninò. Verumtamen, quia promissiones omnes apud Prophetas Iudæis primum factæ sunt, & quidem ita peculiariter, vt gentes in eorum communionem secundariò tantum vocentur (nempe postquam oleæ rami per incredulitatem defracti, locum veluti vacuum inserendis ex oleastro surculis reliquerunt) hinc factum vt misericordia Dei erga Iudæos *veritas* appellata sit, eadem veritas Dei erga gentes *misericordia* sit appellata: Nempe videtur illa veritas, quod ad Gentes attinet, si comparatè rem spectes, mera misericordia fuisse. Hinc illustratur locus insignis qui exstat Rom.11.30.31. quo loco Apostolus reddit rationem, cur Deus, qui id haud dubiè potuerat, Iudæorum obstinatam & præfractam rebellionem emollire noluerit, nam certè Pauli rigorem & contumaciam flexit, idem æquè facile (si libuisset modò) in reliquis effecturus. Atque hîc Apostolus, dum id agit vt nobis (quatenus id fieri potest & debet) diuini Consilij rationem aperiat, non aliò ducit, quàm vt agnoscamus eo facto voluisse Deum, tam in Gentium, quàm in Judæorum vocatione patefacere misericordiam suam. Profectò, initio statim post lapsum Adæ primi parentis omnium gentium, cùm Iudæorum & reliquarum gentium nullum esset discrimen, illa promissio multò dulcissima, *semen mulieris conteret caput serpentis*, non magis ad illos quàm ad hos pertinebat: Sed postquam Gentes à vera religione desciuêre, sperâ eâ doctrinâ quæ iis in familiis, vnde originem duxêre, præcipuè vigebat, sinit eas Deus suo more viuere, *ambulareque*, vt cum Scriptura loquar, *in viis suis*: vt iam diu volutati, ac demersi veluti in barathro quodam omnis generis scelerum atque flagitiorum, vocati tandem ad communionem gratiæ Dei in Christo, spectaculum præberent & exemplum illustre diuinæ benignitatis. Ad eundem planè modum passus est Deus Judæos indulgere sibi, & natiuæ solitæque contumaciæ ac rebellioni aduersus Spiritum S. habenas laxare, vt postquam Gentium more ignorantiæ & sæculi tenebris diu obruti & sepulti iacuerint, tandem & in ipsorum vocatione ad salutem Deus edat misericordiæ suæ haud minus illustre specimen & documentum, quàm ediderat in Gentium vocatione, postquam iam ij & suo ipsorum, & omnium hominum iudicio, re ac factis probarint, sese haud minus gentibus indignos quorum Deus misereatur. Hoc verò illud est quod insigni epiphonemate concludit Apostolus, *Deus omnes conclusit sub peccato, vt omnium misereatur*, ἵνα ἐλεήσῃ πάντας, &c. Rom.11.32.

Illustratur locus Rom 15. 8 9.

& locus Rom 9. 30.31

Iam redeamus ad institutum. Ecclesia Christiana prima illa, ex puris Iudæis fuit conflata Gentibus nondum admissis in consortium tantæ dignitatis. Ea Ecclesia dein fuit Gentium Ecclesiæ vel radicis, vel fundamenti vice, cui illi vel insereretur, vel inædificaretur. Gentes, enim oleaster, Iudæi olea fuêre, cui gentes tanquam ex oleastro surculi, vt suprà diximus, erant inserendi; *aliena cæteroqui à Republica Israelis, & sine Deo*; Deo, inquam, illo Israelis יהוה, quatenùs quidem certè cum gente Israelitica sola fœdus iniit, vt cecinit Psaltes, *Non ita fecit omni nationi*, &c. Psalm.147.20. Vt non immeritò (id quod alio loco infrà repetemus) Gentium Ecclesia Iudaicæ Ecclesiæ veluti appendix dici possit, quæ tandem, diruto intergerino pariete, vnâ in idem coaluerit ædificium. Hæc cùm ita se habeant, mirum videri non debet si Dominus noster, eo tempore quo mysterium vocationis Gentium nondum erat euulgatum, cum discipulis agens, tantarum rerum rudibus adhuc & ignaris, totam Ecclesiam nomine *duodecim tribuum* designarit. Neque verò quis illud objiciat, quod decem tribus Gentis Iudaicæ in captiuitate ita periere, vt eorum nomen penitus fuerit deletum: Nam & Apostolus Iudæos Act.26.7. δωδεκάφυλον vocat, & res est extra omnem posita controuersiam Iudæos fuisse ex omnibus tribubus qui verum Dei cultum, veram religionem nunquam eiurarint, pauci illi quidem, sed tamen fuere qui adjuncti tribubus Iudæ & Benjamin easdem sedes habuerunt, vnde etiam factum est, vt cum reliqua non fuerint multitudine decem tribuum deportati. Eadem hæc res causa fuisse videtur, cur & Discipulorum numerum duodenarium Dominus esse voluerit, vt scilicet quadrarent hæc aptius, & ista Apostolicæ dignitatis designatio tanto esset illustrior & concinnior. Illud sanè in hac causa hoc singulare est, & omnino dignum obseruatu, quod Paulus, qui duodenarium numerum augeret, tum denique ad Apostolatum est vocatus, cùm Ecclesia Christiana Iudaica iam esset constituta. Nam antea profectò, cùm Iuda proditore è medio sublato, Collegium Apostolorum aliqua sui parte diminutum, & mancum esse videretur, vnus Matthias in eius locum est suffectus, qui iustum Collegij Apostolici & legitimum numerum expleret. Hæc satis arguunt, in numero duodenario Apostolorum & tribuum Israelis summam & parem potestatem in Ecclesia regunda tanquam figurâ significari.

Gentes Iudæis tanquam surculus trunco insitæ.

Cur Paulus 13. fuerit adscitus Apostolus.

Idem pares Apostolorum tituli, parisque elogia euincunt. Apostoli *serui Christi* pariter vocantur. Nec Petrus magnificentius se effert in Epistolis, quàm Paulus: Iohannes verò reticet omnino nomen suum, qui si illius meminisset, & authoritatem suam proculdubiò adiectis titulis commendasset. Neque enim Apostolis arridebat quod Episcopo Romano solemne est, qui in authoritate plusquàm Imperatoriâ constitutus, quamque adeò exercet Regibus & Principibus formidabilis, iis ipsis Edictis, quibus eos eorumque regna proscribit, vnicum proscribit titulum, *seruus seruorum Dei*, non sine ludibrio & contumelia generis humani. Nam quod Apostoli elogium *seruorum Dei* non repudiarunt, id fecere testandæ authoritatis suæ causâ, quomodo Dauid & Cyrus *serui Dei* in Scriptura vocantur, quòd in illustri quodam, & insigni Dei opere illius ministri fuere. Quam ob causam idem titulus Christo Domino attributus est apud Esaiam cap.42.1. & 52.14. Престереà, Ecclesia niti dicitur duodecim fundamentis, quibus singulis insculpta sunt singulorum Apostolorum nomina: quæ hypotyposis satis euidenter ostendit parem fuisse Apostolo-

Apostolorum æqualitas demonstratur. I. Rationibus

Apostolorum potestatem, & ius idem in Ecclesiam: Horum enim fundamentorum etsi fundamentum, & basis solidissima & firmissima, ea demque vnica sit Christus, attamen alia aliis non sunt substrata, sed iuxta se posita una coniunctim molem Ecclesiæ sustentant. Iam si quis roget, an inter hæc fundamenta Paulo sit locus? vbinam hîc eius nomen extet inscriptum? is verò meminerit (vt supra iam à nobis demonstratum est) Ecclesiam Iudaicam Christianam, Ecclesiæ Gentiiis Christianæ respectu, fuisse veluti matrem Ecclesiam. Itaque Paulus dum gentes hortatur vt ne segniter & parcè, sed benignè & exprompte Ecclesiis Iudaicis, egestate & inopia laborantibus subueniant, *Placuit*, inquit Rom. 15. 27. *Ecclesiis Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis, sunt enim illis debitores, nam si Spiritualia ipsorum bona Gentes participant debent etiam ipsæ in carnalibus eis participare.* Cùm ergo ea fuerit dignitas Ecclesiæ Iudaicæ, vt totius Ecclesiæ veluti prima & prima pars fuerit haud absurdè tota Ecclesia duodecim dicta est habere fundamenta, inter quæ ideò Paulo non est locus, quod is, cùm Ecclesia Iudaica Christiana iam esset constituta, ad Apostolarum vocatus est, vt iam à nobis disputatum est. Vt sit finis, Paulus ex professo desertis verbis, clarè, apertè se Petro parem renunciat Gal. 1. vers. 17. *Neque redij*, inquit, *Hierosolymam ad eos qui ante me fuerant Apostoli, sed abij in Arabiam, &c.* Et cap. 2. vers. 6. 7. 8. 9. *Ab iis autem qui putabantur esse aliquid, quales cunque fuerint, nihil mihi differebat, personam hominis Deus non accipit, Nam qui sunt in pretio nil mihi contulerunt. Imò è contrario, quum vidissent mihi concreditum esse Euangelium Præputij, sicut Petro Circumcisionis (Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum Circumcisionis, efficax etiam fuit per me erga Gentes) cumque cognouissent gratiam mihi datam, Iacobus, & Cephas, & Iohannes qui putantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis, vt nos inter Gentes, ipsi verò inter Circumcisos Apostolatu fungerentur.* Cuiusmodi verò ista sint, & quantum in hac causa pondus habeant, vt hinc liquet. Inualuerat iam tum in Ecclesia malum longè grauissimum, quod posterioribus sæculis immania cepit incrementa, vt præiudiciis veræ doctrinæ cœlestis premeretur. Itaque cùm Apostolus Paulus vt ipse de se loquitur 1. Corinth. 15. 8. & cap. 4. 9.) ἔκτρωμα, & ἐπιθανάτιος, & ἔσχατος τῶν ἀποστόλων & esset, & apud Deum non se alium venditaret, vt qui fuisset persecutor Ecclesiæ, ac vix serò tandem ad munus Apostoli obeundum vocatus, iactis scilicet (vt iam sæpe diximus] in Ecclesia Iudaica Christiana totius Ecclesiæ fundamentis: eaq; omnia ille ingenuè agnosceret, ac pro diuina modestia palam profiteretur, ea homines contentiosi arripiebant ad inuidiam & odium ei primùm, deinde etiam doctrinæ, conciliandum. Etsi verò iniuriam suam facilè condonaret, tamen æquum haud putabat, vt per authoritatis suæ contemptum, ad contemptum doctrinæ quam tradebat, homines turbulenti sibi facerent gradum. Itaque hîc insurgit, ac quoniam Petri, ea ætate, hominum opinione, authoritas erat primaria, (quo iure nondum disputamus) etiam Petro se æquat, *Dixit mihi*, inquit, *dextram societatis.*

2. Patrum testimoniis.

Hactenus Apostolorum inter se paritatem, argumentis è sacra Scriptura depromptis demonstrauimus. Eadem sententia ne [quod veritatis factum est] per calumniam nouitatis inuidiâ pregrauetur, priscorum Patrum authoritate & testimoniis comprobanda est; id quod nos faciemus, quoad eius à nobis fieri poterit, breuissimè, pauca tantùm è multis quæ in hanc sententiam dixerunt, in medium afferentes. Cypr. de Vnitate Ecclesiæ. *Quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata remittentur illi, si cui tenueritis tenebuntur, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur Primatus Petro datur vt vna Christi Ecclesia & cathedra vna monstretur: Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Hieronymus libro 1. aduersus Iouinianum. *At dicis, Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Idem Hieronymus in caput 2. Epistolæ ad Galatas statim initio. *Aliud est conferre*, inquit, *aliud discere; inter conferentes æqualitas est, inter docentem & discentem minor est ille qui discit.* Hæc de Paulo dicit Hieronymus, qui cum Petro, Iacobo & Iohanne contulerat Euangelium quod ipse prædicabat, Galat. 2. atque inde probat æqualem fuisse Petro Paulum. Augustinus exposit. in Epistolam ad Galatas cap. 1. *Priores sunt cæteri Apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, hoc est mortalem: Nouissimus est Paulus Apostolus per Christum iam totum Deum, hoc est, omni ex parte immortalem. Sit ergo testimonij eius æqualis authoritas, in cuius honorem implet clarificatio Domini, si quid habebat ordo temporis minus.* Chrysostomus Hom. 1. in caput 1. Epistolæ ad Galatas vers. 18. τί ταύτης ταπεινοφρονέστερον γένοιτ' ἂν τῆς ψυχῆς; μετὰ τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα κατορθώματα, μηδὲν Παύλου δεόμενος μηδὲ τῆς ἐκείνου φωνῆς, ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ, πλέον γὰρ οὐδὲν ἐρῶ τέως, ὅμως ἀνέρχεται ὡς πρὸς μείζονα καὶ πρεσβύτερον, καὶ τῆς ἀποδημίας αἰτία τῆς ἐκεῖ γίνεται αἰτία ἡ ἱστορία Πέτρου μόνη. Ambrosius in caput 2. Epistolæ ad Galatas vers. 8. *Petrum solum nominat & sibi comparat, quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam, se quoque pari modo electum vt primatum haberet in fundandis Gentium Ecclesiis, ita tamen vt & Petrus Gentibus prædicaret, si caussa fuisset, & Paulus Iudæis. Nam vterque inuenitur vtrumque fecisse. Sed tamen plena authoritas Petro in Iudaismi prædicatione data dignoscitur, & Pauli perfecta authoritas in prædicatione Gentium inuenitur.* Et paulò post. *Ab his itaque probatum dicit donum quod accepit à Deo, vt dignus esset habere primatum in prædicatione Gentium, sicut & habebat Petrus in prædicatione Circumcisionis.* Et mox. *Ita vt Apostolis circumcisionis dextras porrigerent Apostolis Gentium ad concordiam societatis demonstrandam, vt vtique scientes perfectionis Spiritum in dispensatione Euangelij se à Domino consecutos, in nullo se inuicem egere ostenderent.* Item paulò post. *Nam quis eorum auderet Petro primo Apostolo, cui claues regni cœlorum Dominus dedit, resistere nisi alius talis qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem, constanter improbaret quod ille sine consilio fecerat?* Rursus Chrysostomus in cap. 2. Epistolæ ad Galatas vers. 8. δείκνυσιν αὐτοὺς ὁμότιμον ὄντα λοιπὸν, καὶ οὐ τοῖς ἄλλοις ἑαυτὸν ἀλλὰ τῷ κορυφαίῳ συγκρίνει, δεικνὺς ὅτι τῆς αὐτῆς ἕκαστος ἀπήλαυσεν ἀξίας.

III. Id quod Christus Petro dedit singulare non est Monarchia Papalis,

Iam ad id veniamus quod tertio loco præstruendum diximus. *Quicquid id est quod hoc loco B. Petro à Christo delatum est, nil minus esse quàm quod Episcopus Romanus, tanquam Petri suc essor, peculiari quodam iure, supra cæteros Episcopos fratres ac collegas suos, sibi vindicat*: Nempe id eiusmodi est vt soli Christo competat. Id quod si fuerit à nobis demonstratum, vnâ eâdemque operâ pariter demonstratum erit, Episcopum Romanum eos fines, quibus eius potestas & iurisdictio definita olim & circumscripta fuit, transilijsse, & in ipsius Christi authoritatem inuolasse. Quid verò iam sequatur inde, vt de eo statuamus, nemini est obscurum. Nam qui Schismatum atque hæreseon in Ecclesia sunt authores, eos Spiritus sanctus nil dubitat vocare Antichristos; Quid verò si quis Christi solium in terris occupet, indeque in hominum conscientias, in Reges, in regna, & Politeias leges pro imperio dicat, & edictis grassetur, quo titulo censendus est? Nam certè duplicem Scriptura Christo assignat authoritatem, alteram in conscientiam, (*Ne vocemini*, inquit, *Magister, vnus enim magister vester est Christus*, Matth.23. *Empti estis pretio, ne sitis hominum serui*, 1.Cor.7.23.) alteram in Imperia & Reges, *Per me reges regnant, & Principes ejus decernunt*, Prouerb.8.15. Nimirum vtraque hæc potestas tanta est, tam sublimis, tamque diuina, vt vnus Christus eam in se suscipere, vnusque eâ defungi possit. Solent quidem, qui Episcopo Romano tantam tribuunt authoritatem, callidè rei inuidiam mitigare: Etsi enim agnoscant Episcopum Romanum caput Ecclesiæ vniuersalis, ac totius mundi supremum in terris Monarcham, *in ordine* (vt ipsi quidem loquuntur) *ad spiritualia*, tamen non negant Christum esse cùm Ecclesiæ, tum etiam mundi vnum & solum caput *præcipuum*: Id quod negant pugnare cum Episcopi Romani potestate, vtpote (vt eorum verbis vtar) qui sit duntaxat *caput Ministeriale*. Atque, vt ne verba tantummodo dedisse nobis videantur, quod solent facere Sophistæ, Regum exemplo rem nobis demonstrant. Etenim Reges non veremur *Dei legatos*, sed nec *Deos* (authore Deo ipso, Psal.28.8. appellare) Nec quisquam est nostrum qui Reges regnorum suorum capita dubitet existimare: Nec eo tamen quicquam Regi regum in Reges iuris detractum arbitramur. Quæ sententia cùm nostra sit, quæ noua nos relligio incessit, vt cùm Episcopus Romanus Christi se subditum palam dicat, eo quod se esse caput Ecclesiæ, & *indirectè* totius orbis Dominum prædicet, id non sine aliquo horrore vel auribus admittere valeamus? Sed quâ euanidus & ementitus sit hic color, tùm facile apparebit, cùm quæ sit hæc & quàm immanis Episcopi Romani potestas, animo reputabimus. Etsi enim Deus Maiestatis suæ imaginem quandam in ea authoritate quam dedit Regibus (addo etiam Episcopis, & quicunque tandem aliqua cum authoritate præsunt) elucere voluit, certi tamen hîc fines sunt, vltra quos si progrediare, in Dei authoritatem irrupperis, quantumvis te Dei legatum, & vicarium gloriêre. Et certè quid conscientiâ, quid supremo magistratu Deo propius? Tam arcto ista cum Dei Imperio continentur vinculo, vt inde proximè dependeant; nihil hîc interuenit, hîc iunctura medium excludit. Nec in conscientiam, nec in Reges, præter Christum, cuiquam ius est, ne vicarium quidem.

quæ soli Christo competit.

Est enim in conscientiam.

quod . . . ditur sex argumentis.

1. quia Verbi Dei authoritatē quo ad nos vult esse totam à suo testimonio:

Videamus igitur quæ sit hæc, & quanta Episcopi Romani potestas. Ea vero sex potissimum in rebus cernitur. Primùm enim, & si fatentur, quod negari nulla ratione potest, insitam Dei verbo authoritatem non aliunde quàm à Deo authore proficisci, attamen, vt à nobis pro Dei verbo agnoscatur, non alio potius effici argumento quàm Episcopi Romani testimonio, contendunt. Nam quod Ecclesia non potest errare non aliunde pendêre, quàm ex eo quod Episcopus Romanus Petri successor extra omne errandi periculum constitutus est. Atque in hac causâ vsq; adeo præfidentes sunt, vt asserere non vereantur, sublatâ tam grauis testimonij authoritate, non de Scripturæ sacræ magis quàm de Alcorani veritate, posse nobis certò constare. Quo nescio an quid arrogantius, & irreligiosius dici possit. Tertullianus olim Apologet.cap.5. Senatum Romanum, quòd sibi ius assumeret referendi in Deorum numerum quos visum esset tanto dignos honore iudicare, sic compellat, *Facit hoc ad caussam nostram, quod apud vos de humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo iam Deo propitius esse debebit.* Quid si hodie videret atque audiret Episcopum Romanum haud quaquam disparem sibi authoritatem vindicare? Nam quid aliud est, quæso, profiteri, testimonio Episcopi Romani, vel præcipuè, niti eam fidem, qua Dei verbum esse credimus id quod libris Veteris & Noui Testamenti continetur, quàm gloriari dogmata Christianæ religionis haud aliam ob causam credi, quàm quia ea credi iussit Episcopus Romanus? At hoc iam est splendidè Dei & Christi authoritatem vsurpare, ea enim sola est quæ agnita possit efficere vt tam sublimis doctrina fidem impetret. Quanto sanctiùs & humiliùs Paulus? *Si Angelus*, inquit, *è cœlo (vel nos metipsi etiam) euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus*, *Anathema esto*. Gal.1.8. Item, 2.Cor.4.2. *Sed abdicantes occulta turpitudinis. non incedentes cum calliditate, neque falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam, in conspectu Dei.* Et 2.Cor.1.24. *Non quod dominemur fidei vestræ, sed administri sumus gaudij vestri.* Et Petrus, *Vt recens nati infantes τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε.* Et 1.Johannis 2.29. *hæc scripsi propter eos qui seducunt vos. Sed vnctio quam accepistis ab eo, manet in vobis, neque opus habetis vt quisquam vos doceat, sed ipsa vnctio docet vos de omnibus, & verax est, & non mendax.* Quinetiam Christus Dominus, qui hanc potestatem iure obtinebat, eâ tamen in terris agens inter docendum non est vsus, sed doctrinæ authoritatem ex ipsius doctrinæ ingenio, ex operibus, ex scriptura veteris Testamenti conciliabat. Itaque Satanam scripturæ authoritate reppulit: nec Sadducæos pro imperio repressit, sed veluti depositâ authoritate sua, *Erratis*, inquit, Matth.22.29. *nescientes Scripturas & potentiam Dei.* Nempe Christus is fuit, *qui cùm esset in forma Dei, haud duxit rapinam quod esset æqualis Deo, sed exinaniuit seipsum*: Contrà, Episcopus Romanus, cùm esset seruus, extulit semetipsum assumptâ Christi formâ. Quo nomine quod ei potissimũ elogiũ debeatur facilè quiuis possit iudicare.

quam authoritatem nequidem Apostoli sibi arrogarunt.

Et in eo secundò se præbet conspiciendum quàm audacter Christi vnius ius & authoritatem assumat Episcopus Romanus, quod non dubitat leges præscribere conscientiæ, quas non alio potius nomine firmas & ratas esse vult, quàm quod

2. quia leges præscribit conscientiæ.

quod ab ipso profectæ sunt, Christi Ecclesiæ scilicet sponso vicario: neque enim hic vel profert ius & æquum, vel authoritatem Scripturæ, sed id vnum & solum iactat, quod ipse nimirum, pro Imperio sibi diuinitùs demandato, sic voluit, sic iussit. Sed enimuerò inquiunt, tantum sibi Reges à subditis deferri volunt, neque tamen quisquam est paulò modestior, qui eo nomine Regibus dicam scribat: aut si qui sint qui id in Regibus audeant reprehendere, ij verò Regû loco vel Optimates, vel Plebem, vel aliquam societatem ex vtrisque mistam & temperatam substituunt, cui eam quam negant Regibus, coguntur tribuere authoritatem haud minori, immò verò fortasse maiori periculo. At verò, ista plurimum inter se differunt. Nam regibus si quando licet (vt certè licet aliquando) suâ niti authoritate, eamque solam subditis obtendere, id tamen Reges ipsi negant sibi *vsquequaque* licere. Quis vero Regum existimet sibi tantum deberi, vt si ea quæ ad Religionem propriè pertinent subditis imperet, nolit aliam quæri mandati rationem præter authoritatis suæ Majestatem? Liceat hoc Regibus sanè in iis quæ ad vitam hanc pertinent, liceat etiam in iis quæ adiaphora sunt; at id iis licet quia Magistratus sunt. Episcopus Romanus nec magistratus est, nec iis finibus, quibus sese Magistratus circumscripsit, vel se ipse coërcet, vel ab aliis patitur coerceri. Sanè, quæcumque vel omnino sunt extra Religionem, vel ita cum religionem ista sunt vt illius nullam partem faciant, sed ad ordinem duntaxat seruiant externum, ea si iubeant Reges, iubeant pro authoritate, parendum est. Aliud addam, iubeat Ecclesia (dummodò iure Magistratûs saluo, & sine intolerabili onere iubeat) parendum est. Illud, quia Magistratui dura etiam & iniqua præscribenti, dummodò non lædatur conscientia, habendus est honos, obsecundandum est: Hoc, quia paci studendum est imprimis, & omnes omnino schismatis occasiones vel deuitandæ, vel recidendæ. At Episcopus Romanus neque in hoc genere tantum, neque hac lege solùm, sed quàm latè patet religio, & suo quodam eminenti & præcipuo iure (*plenitudinem potestatis* vocat) hanc authoritatem sibi vindicat, quam nos solius Christi propriam esse putamus.

Discrimen legum Papæ & Regum.

3. quia dispensat de Lege diuina.

Idipsum tertiò hinc elucet, quod ea quæ Deus soluta esse voluit & libera, Episcopus Romanus putat sibi licere vetare, quæ verò Deus verbo suo vetita, & veluti ligata pronunciauit, eadem pro imperio iubet esse libera ac soluta: Hinc Indulgentiæ, hinc dispensationes. Et certè, vel ea de quibus Episcopus Romanus [vt isti loquuntur] dispensat, sunt eiusmodi vt de iis nulla Lege Deus cauerit [atqui si ita se res habet, quò dispêsatio, & quorsum spectat?] vel omnino sunt nefaria & illicita: hoc verò pacto quidem certè, qua lege potest Episcopus Romanus [nisi summam se habere putet authoritatem] id quod Lege Dei cautum est permittere? Audacem & superbum dispensatorem esse necesse est, qui quod herus noluit, vltro dispensat, neque vero minus audacem & superbum, qui sciens volens, quod voluit herus dispensari, in eo parcus fuit: quia vel detinet prudens quod Dominus voluit erogari, vel erogat quod idem Dominus voluit detineri pari crimine, herilis potestatis vsurpatione, peccat. Quanta vero sit huius authoritatis vis in Episcopo Romano, inde facilè quis possit æstimare, quod in indulgentiâ & dispensatione non declarat tanquam Minister, sed facit, tanquam Princeps & Magistratus, id quod ius est. Vnde vel infertur, vel aufertur terror cõsciêtiæ: si intercedat vel dispensatio, vel indulgêtia, quieta sunt omnia, sin minus, omnia sollicita sunt, anxia & perturbata. Atque huius rei etsi multa licet proferre documenta, nullum tamen eo exstat illustrius quod in Matrimonij & Excommunicationis negotio apparet, vnde tot orta sunt mala.

4. quia bonis operibus pro arbitrio præmium constituitur.

Quartò, & eo sibi Imperium arrogat in conscientiam, quod pro arbitrio bonis operibus audet constituere mercedê: Id quod solius Dei est, qui nimium id fecit sedulò in Lege & Euãgelio, vt hîc nil opus sit vel noua opera confingere, vel iis operibus quibus Deus pollicitus est amplissimam mercedem, pro authoritate nouâ spondere. Satis hac in parte, satis est Dei legem & Euangelium proponere, Deumque vel remuneratorem benignum, vel vindicem iustum appellare; quæ cura ad omnes eos pertinet, quibus Deus animarum curam cõmitti voluit. At non modò nouum potestatis genus cõminisci, sed & pacisci iis præmium qui eam colunt, atque ita quidem pacisci vt nonnisi ex pacto debeatur, hoc verò iam illius est qui non in hominum corpora tantummodo, sed in animas præcipuè sibi vendicat dominatũ. Atque huius rei [adeò palam est] licet ipsas Basilicarum Ecclesiæ Romanæ valvas testes appellare. Quid enim aliud proclamant illa Edicta Episcopi Romani, quibus is, pro authoritate scilicet summâ, omnium peccatorum veniam pollicetur iis quidem certè qui quoties, quo in loco, & quo tempore ei visum est definire, Orationem Dominicam, Salutationem qua Angelus erga B. Virginem vsus est, & Symbolum Apostolorum recitarit: cui quidem operi absque Edicto Episcopi Romani tanta merces debita non foret.

5. quia quoslibet cœlo infert per ἀποθέωσιν.

Quintò, & eo imperium exercet in conscientiam, quod eos qui vitâ iam functi sunt, tanquam in numerum semideorum iussu atq; authoritate suâ relatos, iubet inuocari: *Sanctorum Canonizationem*, rem nouam scilicet, nouo nomine eam ἀποθέωσιν vocant. Quod totum ab Episcopi Romani authoritate pendet, nam hunc cultum illo iubente nefas est negare, & eo non iubente nefas est deferre. Is scilic. vnus alienæ conscientiæ & pietatis æstimator peritissimus & incorruptissimus, adhibitis testibus idoneis rectè potest iudicare, qui ex hac vita in cœlum rectà euolauerunt, quibus verò pœnis purgatorij prius erat perfungendum. Id quod is tam facit licenter atque audacter, ac si Histrioniam faceret, cum insigni contumelia totius Ecclesiæ Christianæ. Perinde enim ac si in illa cœlestis nostri Regis domo, tanquam in aula Imperatoris aut Regis, certi quidam honorum dignitatumq; gradus forent, *Clarissimatus* scilicet & *Illustrissimatus* [vt inclinatâ iam Imperij Romani Majestate loqui solebant] vel *Equestris* ordo & *Senatorius*, [quorum ordinum dignitates inter se distinctæ olim fuêre] & Cælitum pariter Episcopus Romanus quosdam gradus & ordines esse iussit: Nempe *Beatos* alios esse voluit, alios etiam *Sanctos*: nec æquè facilem esse viam ad sanctorum, atque ad beatorum ordinem & dignitatem; vt minori negotio Marchiones quàm Duces à Principe renunciantur. Itaque minus mirati homines nostrâ ætate sunt

Ignatium Loyolam in *Beatorum*, quam in *Sanctorum* numerum relatum, id enim plerique omnes detestati sunt. Cùm igitur Inuocatio primas sibi partes in Religione facilè vindicet, ea verò Sanctis & Beatis in Ecclesia Romana tribuatur pro Episcopi Romani arbitrio & præscripto (vtpote penes quem sit de ea tantùm statuere, qui *Beati* quique *Sancti* sint habendi) dubium omnino non est quin ea re se Regem dominumque conscientiæ, ad quam nihil æquè pertinet ac Relligio, palàm profiteatur.

6. quia remittit peccata pro authoritate.

Denique, cùm sit vnius Dei & Christi remittere peccata, Episcopus Romanus haud veritus est tamen in Ecclesia tribunal erigere, vnde vel ipse, vel eius legati & Ministri, vel pronuncient remissionem peccatorum, vel ea retineant non certa quadam lege, sed pro plenitudine potestatis, tanta seueritate tamque rigide, vt eo retinente nefas sit ea putare remissa. Qua potestate & hominum conscientias & regna, & Ciuitates sibi fecit, & tenet obnoxias. Scio in Ecclesia Romana esse qui contrà disputent, sed illi pauci sanè multitudine diuersum sentientium obruuntur, & Episcopi Romani tyrannide opprimuntur. Nos verò hîc non quærimus iam quantum ei deferatur (quanquam illud plurimum est) sed quantum is sibi postulet deferri, quod certè tantum est vt vnius Christi proprium sit.

Pontificiorum cauilli & effugia.

Non sumus interim nescij quibus cauillis eludi soleant ista, quorum certe pondus & vis tanta est, vt eleuari & imminui nulla ratione possint. Arbitrantur enim serui Episcopi Romani (adeò vel de causâ perturbati affectibus, vel de hominum superstitiosorum stoliditate sunt securi) vnâ aut alterâ scholasticum in modum adhibitâ distinctiunculâ, se huius potestatis iustum sane odium facile posse amoliri. Nempe, vt supra obiter attigimus, negant hanc Episcopi Romani potestatem ei primariò conuenire, quin eum dictitant hac in parte Christi esse vicarium, Dominoque, vt loquuntur, suo fiduciariam operam nauare: quod Christi supremæ authoritati eo nihil officere contendunt, quòd nec legati Cæsaris authoritas Cæsaris authoritati quidquam detrahit. Sed hic fucus facile agnoscitur. Enimuerò vt legati nemo legatus, nec vicarius vicarij vllus est, consimili plane ratione Christus, cùm Patris legatus & vicarius sit in salutis humanæ negotio, neminem sibi legatum vicariumve asciscit, multorum tamen vtitur Ministerio. Quod vt nemini dubium euadat, rem paulo altiùs repetamus. Duplex omnino Christi authoritas est, vtraque tamen infinita; Altera ei inest quà Deus est, quam docendi causâ *essentialem, natiuam, ingenitam* appellemus. Hæc si nihil aliud intercederet, non minus miseris peccatoribus (quales natura & moribus sunt omnes homines) formidabilis esset ac Patris, si sacrificium pro peccato non interuenisset: vna nempe Patris & Filij diuina natura est, nec Patri, quà Deus est, conuenit quicquam quod pari iure filio non debeatur. Altera Christi authoritas est, quæ ei competit eodem iure, quo iure Mediator est vocatus à Patre ad id munus gerendum. Nempe, vt tum nostris vicibus apud patrem fungeretur in iis quæ nostræ partes sunt (certè esse debuerunt, si salutis esse compotes vellemus) tum verò etiam vt Patris apud nos sit Vicarius, eorumq; bonorum omnium procurator dispensatorque, quæ in nos â Patris, ipsius sanguine reconciliati,

Ref. Christus neminem habet Vicarium. est enim ipse Patris Vicarius.

benignitate proficiscuntur. Hanc potestatem distinguendi gratia *datam, & mediatoriam* licet appellare. Atque hæc potestas non est terrifica, sed benigna, mitis & blanda; non absterret, sed allicit vltrò & adducit peccatorem, & potestatem illam *essentialem* noua veluti facie induit, atque ex formidabili facit amabilem. Iam satis puto liquere omnem potestatem Mediatoriam in Christum solum cadere, vtpote qui solus idem mediator est. Apud Christum verò nullo iam nouo mediatore est opus, nisi forte Christus apud Patrem Mediatoris officio non est ad plenum defunctus: aut apud Christum nouo sacerdote, nouo sacrificio sit opus; aut secundùm Christum nouum Prophetam, legislatorem nouum, nouum conscientiæ Iudicem desideramus. Iam illud taceo, quod infinita potestas, quantumvis vicaria sit, in hominem nullum cadere potest, cuius nimirum vires finitæ sunt, & certis limitibus circumscriptæ, cùm potestas omnis (vbi ratione & sapientiâ res geritur) *potentiam* (sic enim hæc licet distinguere) conuenientem & commodam, vt finita finitam, sic infinita infinitam, requirat. ἄπειρος δηλαδὴ ἐξουσία ἄπειρον δύναμιν, καὶ ἡ ὡρισμένη δὴ αὖ τὴν ἀνάλογον. Atqui iam haudquaquam, vt existimo, obscurum est, quàm sit immanis illa Episcopi Romani potestas, qua in viuos, in mortuos dominatur, dum cœlum vel occludit, vel recludit, animas corpore seiunctas Purgatorio eximit, & cœlo infert, quascunque & quandocunque ei libet: dum sibi ipse Imperium in Ecclesiam vniuersam, quâ cœlum & terra patet, attribuit, etiam in Angelos, vt eius tumidæ Bullæ proclamant. Quam potestatem nemo, qui superstitione non sit occæcatus, non videt infinitam esse, & eiusmodi qua nemo fungi possit qui non idem sit Deus: quamobrem etiam soli Mediatori nostro, vtpote Deo, ea conuenire potest.

Potestas quam Papa sibi arrogat est infinita.

Arbitror iam satis liquere, calumnia vacare quod diximus, *Ius idem eandemque authoritatem in conscientiâ arrogare (beatq; vsurpare Episcopum Romanum, quæ Christi peculiaris est.* Neque verò magis est obscurum, quo pacto eam in Politias & regna potestatem ad se putet pertinere, quæ vnius Christi propria est. Quod ille multis documentis clarum effecit ac manifestum, nullo tamen euidentiori & magis idoneo, quàm euersione Imperij Romani, per cuius ruinas is gradum sibi fecit ad id dignitatis fastigium, in quo iam constitutus est, vndéque adeò nunc imminet formidabilis ac tremendus. Quoniam verò non potest ignorare quàm sit hæc potestas inuisa atque odiosa, satagit is quidem certè, sed irrito conatu, rei immanitatem verbis diminuere atque emollire. Negat enim eam se in Imperatores, Reges, Principes, Ordines exercere atque vsurpare potestatem *directè*, sed *indirectè & consequenter.* Nempe cùm Ecclesiæ vniuersalis cura soli ipsi scilicet credita sit, pertinet vel maxime ad hanc curam dare operam vt Magistratus in officio contineatur, tùm demum certe cùm negligentia Magistratus cum Ecclesiæ detrimento est coniuncta. Sed dum sic se tuetur omnino nihil agit; Ea enim Christi, quâ est Mediator, Iurisdictio est. Neque enim Dominus noster (quâ Mediator, inquam, est) in eos, qui rerum inter homines potiuntur, exercet Imperium alia Lege atque conditione, aliove consilio quàm vt prospiciat Ecclesiæ, & quatenus Ecclesiæ rationibus conducere id videtur.

Eiusdem potestas in Reges.

Pontificiorum de ea distinctio.

Ref.

Vt hoc

Vt hoc iam repetam atque inculcem, non hîc agimus de Christi imperio illo quod iure naturæ diuinæ ei competit, sed de illo quòd ei à Patre traditum est, Ps. 2. & 110. Ergo, ne indirectè quidem tanta authoritas ad vllum hominem pertinere potest, aut vlli homini tribui, quin, hac quidem in parte, Christo Domino eo exæquetur: Is enim solus est qui pedum alterâ, sceptrum & quidem ferreum alterâ gestat manu, quorum isto quidem Regum impiorum contumaciam & superbiam frangit, illo verò Ecclesiam ducit suauiter & regit.

Obj.

At enimuerò cui est commissa finis cura, ad eiusdem etiam officium pertinere videtur, ea omnia procurare atque administrare quæ ad finem consequendum possunt vllo modo conferre, illa verò præsertim quæ in se ad eam rem plurimum habent momenti. Iam verò Religionis puritas ac sanctitas, quæque ad Dei cultum spectant, ab Episcopo Romano debent procurari, idque vt possit effectum dari facilè atque expeditè, in Magistratu situm est. Ergo etiam Magistratum coercere, atque in ordinem cogere oportet esse penes Episcopum Romanum. Sed hæc ne specie quidem vllâ veritatis se commendant, nedum vt sint firmam satis ad causam tanti momenti suffulciendam. Quid enim? In classe Imperator, milites, & nautæ alium-ne atque alium finem habent sibi propositum, non eandem victoriam? Quisquamne est adeo mentis inops, vt Imperatoris, militum, nautarum eadem in classe munia esse debere arbitretur? Quid? in Ciuitate, in familia benè morata, optimis legibus constituta, annon omnium vnus idemq; finis, cùm munia tamen, operæque secundùm munia, diuersissima sint? Atqui id necesse foret, si quorum est ad finem contendere, eorundem foret quælibet adhibere media quæ ad finem conducunt. Sit ergo sanè Episcopi Rom. Religionis puritatem sanctitatemque conseruare, eaque procurare quæ conferunt ad cultum diuinum (dummodò ne eo pacto tantum sibi putet licere, vt omni & quacunque ratione id præstet) docendo, monendo, orando (quæ Pastorum Ecclesiæ artes sunt) Regna transferendi, vitę necisque Regum potestas, vel indirecta illa, solius Christi est.

Resp. 1. in genere.

2.

Sed res propius inspicienda est. Ac primùm quidem velim scire, Annon & ad Magistratum pertineat operam dare, vt subditis non modò ea suppetant quæ ad hanc vitam non necessaria, verùm etiam vt quantum operâ atque industriâ authoritateq; consequi potest, studeat promouendæ Dei gloriæ, & suorum æternæ saluti, exemplo piorum Regum, Dauidis, Ezechiæ, &c. quod adeò Regum muneris est. Itaque & iussus est librum Legis describere, neque vllius hominum nisi Regum auspiciis, Ecclesię Veteris Testamenti (si quando collapsa fuit) peracta instauratio est. Ergo idem debet esse Magistratui, qui Episcopo Romano, finis propositus. Neque verò continuo statuendum est, Magistratui fas esse ad hanc metam prædicando, Sacramentaque administrando, & cætera Ecclesiastica munera obeundo, contendere. Sanè patrum est operam dare vt liberos habeant non obsequentes modò, sed Dei etiam reuerentes, & omnino quales eos esse oportet qui beatæ immortalitatis aliquando sint futuri compotes, cùm iisdem patribus haudquaquam sit permissum, dum eam rem curant, illa facere quæ Sacerdotum propria sunt, vt neque Sacerdotibus ea licet facere in hoc genere, quæ patribus iure sunt permissa, vt asperius objurgare, castigare, abdicare, & hæreditate mulctare. Nec aliunde munerum (quæ Scripturæ & Ecclesiæ consuetudine receptum est vt *vocationes* appellentur) ratio discriminis dependet, quàm quod, etsi omnibus ob oculos idem finis & meta proponenda est, tamen officia sunt diuersa quibus præstandis eò peruenitur. Quomodo in familia plures serui sunt, quibus singulis sua munia attributa sunt, cùm idem omnibus sit statutus communis finis, sic in hac amplissima Dei domo se res habet. Magistratus, Ecclesiastici Dei serui sunt, ad Dei gloriam hominumq; salutem pariter, niti tamen debent viâ dispari: Itaque non fine, non objecto Magistratûs munus ab Ecclesiastico distinguitur, sed alia ratione.

3. pressiùs & explicatiùs.

Sed hæc ita generatim & obscurè perstricta, potius quàm distinctè explicata, possint videri: Quid enim? Ecclesiastici-ne licebit vsque ad res ciuiles potestatem iusque suum extendere? Atqui id necesse esse videtur, si Magistratûs officium ab Ecclesiasticorum non differt objectio tenus, circa eadem nimirū potestas Politica & potestas Ecclesiastica versabitur. Tum deinde ratio idipsum efficere necessariò videtur: Cùm enim in omnibus humanis actionibus vel peccati, vel boni operis ratio interueniat (quorum vtrumq; definire religionis est, porrò quæ ad religionem pertinent, ea verò sunt iuris Ecclesiastici) omninò consequens esse videtur, vt Iurisdictio Ecclesiastica ad consilia ac negotia politica æquè porrigatur, atque politica potestas ad Ecclesiastica. Denique, quæ causa dici potest cur vtrobique par non sit ratio? Hæc si à nobis expedita fuerint res erit liquida; Constabit sic satis nullumne sit, & quod tandem sit, ratione objecti, Politicæ Ecclesiasticæque potestatis discrimen. Iam vt à primo faciam initium. Qui nolunt Magistratûs ius à iure Ecclesiastico distare (quod attinet ad objectum, siue id in quo vtrumque ius versatur,) Ecclesiastici tamen iuris objectum volunt esse strictius, minusque latè patêre. Nempe vt politica potestas eò sese extendat quocunque sese Ecclesiastica extendit, at non contra. Id quod sic accipi volunt. Ecclesiastici potestas ad solam pertinet religionem, ad res ciuiles non pertinet, politica in vtroque genere versatur. Idque docent adducto in medium exemplo piorum Iudæ regum, qui non modò Rempubl. sed etiam Ecclesiam sæpè restaurarunt, idque pro muneris sui ratione, cùm tantùm non licuerit in Politia Sacerdotibus & Doctoribus Ecclesiæ Iudaicæ. Nam quod Samuel Dauidem vnxit in Regem, id verò factum diuinitùs nullo consilio humano. Itaque trahi non debet in exemplum.

Soluuntur objectiones.

2.

Neque verò, vt ad illud veniam, si in omnibus humanis actionibus peccati, vel boni operis ratio interueniat, sequitur quod nonnulli dictitant, eas omnes cadere sub iurisdictionem Ecclesiasticam; aliud est enim de Thesi, aliud de Hypothesi iudicare, aliud est definire quid sit peccatū in genere, aliud verò sit-ne hoc aut istud peccatum pronunciare. Nempe illud expeditum est & in promptu, dummodo ius non ignoretur, illud sæpè impeditum est propter circumstantiarum occultam rationem, & multiplicem varietatem; deinde verò etiam ob rei ipsius, in qua pec-

catum est, conditionem. Sæpè enim fit vt non sit cuiusuis de circumstantia, quæ reddit actionem vel bonam vel malam, iudicare, vel quia ea non est nota, vel quia nota esse non debet: sæpè res ipsa eiusmodi est, vt de ea statuere non sit nisi periti artificis. Sed res sit exemplo manifesta, à Medici negligentia, vel temeritate, vel inscitia periit æger, quin eo grauissimè sit peccatum non est ambiguum, nemo tamen dubitat quin illius causæ cognitio à foro Ecclesiastico sit aliena. Haud aliter se res habet cùm agitur iis de negotiis, quibus agitur priuatum vel publicum commodum, peccari, nisi ritè procurentur, id verò dubium non est. Hortari igitur Magistratum vt officium faciat, quin id sit iuris Ecclesiastici nec id dubium magis est, at quo pacto, qua ratione id fieri debeat præscribere, quando in eo peccetur pronuntiare, id verò ad eos pertinet qui sedent ad Reipublicæ gubernacula. Atque illud sanè hic valeat, *Artifici in sua arte credendum*: alioqui profectò quis non videt quanta foret secutura rerum humanarum perturbatio? Vnde tertium illud facile dissoluitur, cur non æquè ad Ecclesiasticos pertineat curare Rempublicam, atque ad Magistratum, spectat rem Ecclesiæ procurare? Nempe, quæ ad conscientiam pertinent atque religionem, ea sunt eiusmodi vt sine salutis dispendio, certaque animæ pernicie, à nemine ignorari aut negligi queant, quæ sunt sæcularia diuersissimam habent rationem. Itaq; Magistratus iure diuino illa tenetur scire, at istarum rerum scientiam etsi non respuit Deus in suis, attamen eam nulla lege necessariò requirit. Sed hîc noua quædam rursus exoritur difficultas. Cùm Magistratus & Ecclesiastici circa idem versantur, quænam in ea potestatis diuersa ratio est? nam eadem certè non est. Ea primùm, quod dirigere atque disponere penes Magistratum est propriè, penes Ecclesiasticos ministerium atque executio propriè. Deinde verò cùm directio atque dispositio etiam ad Ecclesiasticos pertinet, vt cùm Ecclesia persecutionem patitur, aut verò Magistratus eam rem arbitrio Ecclesiæ permittit, potestatis tamen huius alia longè conditio est, vt hic locum habeat, quod aiunt vulgò, *cùm duo idem faciunt, non est idem.* Nam Magistratus dirigit atque disponit imperando, corrigendo, propositis præmiis & pœnis temporalibus, quas vel infligit, vel indulget; Ecclesia monendo cum authoritate quadam (propositis præmiis & pœnis, sed quas infligere, quasque indulgere non iam in Ecclesiæ, sed in Dei situm est potestate) sed quæ minimè cogit. Itaque Magistratus Ecclesiæ vindex est, non Ecclesia Magistratus: vtriusque Deus.

3.

alij obj.

Soluitur.

Christus Petro aliquid singulare hic promittit.

Hactenus id effecimus vt ne iam sit obscurum aut ambiguum, quàm falso quamque improbè locus hic (in cuius explicatione tota hæc disputatio versatur) ad asserendam Episcopi Romani authoritatem, quam paulatim maiorum vel arte, vel fraude, vel etiam vi quæsitam, nunc apertè sibi vindicat. Illud restat explicandum, quæ sit simplex & genuina loci sententia, quam nos summatim sic proponimus, *Quamuis Dominus noster Iesus Christus Petro hoc loco neque ius & authoritatem in reliquos Apostolos tribuerit, neque potestatem vllam propriè Apostolicâ maiorem & eminentiorem, aliquid tamen singulare & peculiare his verbis ei delatum est, quod cæteris cum eo Apostolis non fuit commune.* Id, quia multis nouum & insolens possit videri, & verò repugnare cum iis quæ à nobis tam multis, tamque studiosè disputata sunt, probandum & omni opere confirmandum est: tum verò apertè & sine vlla circuitione definiendum, quidnam sit tandem illud singulare & præcipuum, quod volumus hîc à Domino Petro tributum, in quo situm, cuiusque sit momenti.

quod ostenditur.

I.

Quod ad prius illud attinet, multa sunt quæ euincunt in Petrum aliquid eximium, supra reliquos Apostolos, à Christo Domino collatum, ac primùm quidem ipsa totius orationis emphasis. Cùm Christus Discipulos vniuersos rogasset quem se illi esse existimarent, prosiliens Petrus & omnes vnus præuertens, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei viui.* Quid ad hæc Dominus? *Beatus es*, inquit, *Simon Barjona.* Mirum si Petrus reliquis consultis tum demum respondit, cur Dominus non subjecerit statim, *Beati vos estis.* Itaque ac si Petrus confessionem edidisset solus, κα'γώ σοι λέγω, *& ego tibi dico.* Petrus dixerat, *Tu es Christus*, respondens Christus ex aduerso & quasi verba verbis opponens, *& ego tibi dico, Tu es Petrus.* Atque hîc oportet meminisse quæ initio huius exercitationis, cùm verborum vim expenderemus, fusiùs à nobis tradita sunt, nempe κα'γώ reponentis esse, & καὶ non esse hoc loco particulam aduersatiuam. Hæc enim arguunt Christum his verbis Petrum singulariter & seorsum compellare, proindeque & singulare quidpiam illi tribuere. Quorsum enim pertinet ista Christi oratio, quæ illius mens, quis scopus, si communiter, si æquè reliqui Discipuli ac Petrus compellantur? Numquid Petri nomen omnibus Apostolis commune fuit?

Obj.

At verò Petrus Apostolorum omnium nomine hanc confessionem ediderat, itaque nil censendus est peculiare hoc loco consecutus: neque enim fas esse videtur, vt quorum opora fuit communis, eorum merces non sit pari ratione communis. Æquum igitur est & rationi consentaneum, vt quod Petro hîc audimus tributum, idipsum & cæteris Apostolis tributum pari iure intelligamus. Sed eos qui sic disputant eo maximè ratio fugit, quod non animaduerterunt cum Christus primùm interrogasset Discipulos, *quem me dicunt homines esse*, omnes nullo discrimine respondisse, *& responderunt*, (inquit Euangelista) *Alij Eliam*, &c. Hîc verò cùm iterum eos Christus interrogasset, *vos verò quem me dicitis esse*, non respondent vniuersi vt priùs, vnus respondet Petrus: Itaque & vnum respondentem seorsum Dominus seorsum compellat. Quando responderunt vniuersi, vniuersos Dominus iterum cōpellat: cùm vnus cœpisset respondere, vnum Dominus compellat. Cùm quæsiuisset Christus, *quem me dicunt homines esse*, non respondit omnium nomine Petrus: At cùm secundò Christus quæsiuisset, *vos verò quem me dicitis esse*, hîc verò solus omnium Apostolorum Petrus respondit. Atque hîc obseruandum est, cùm alibi Petrus aliorum nomine Christum fuisset adlocutus, eo in sermone non agi de interno mentis affectu, sed de externo opere, *Ecce nos omnes reliquimus omnia*, &c. Matth. 19.27. hîc vbi de conscientiâ, de mente agitur & animi sententiâ, multò diuersa est ratio. Vnusquisque apud Deum testis est eius rei cuius conscius esse potest, ea verò res fides aliena esse non potest, nostra fides eiusmodi certè est. At de operibus testimonium reddi potest, indidemque

Resp.

Cur hîc Petrus solus respondet.

demque de fide, deque charitate, sed quatenus illa quæ fit ex operibus intelligi potest. At hîc non de operibus, sed de fide agebatur. Itaque hîc Petrus respondet solus, illic solus quidem respondet, sed omnium nomine, nempe de opere agebatur. Quominus mirandum est Christum tum ita respondisse, vt ne Petro seorsum, sed omnibus conjunctim & promiscuè Apostolis responderit, cùm hîc solum Petrum compellet. Neque verò hæc ideo à nobis disputantur, ac si ij essemus qui suspicaremur, non eandem fuisse Apostolorum fidem quæ Petri fuerit, hoc tantum volumus, esse admodum verisimile, hanc confessionem à Petro non fuisse omnium Apostolorum nomine editam. Quemadmodum in Ecclesia fides est communis, cum tamen in Symbolo fidei non vocem *credimus*, sed *credo* vsurpemus: Nempe vt quisque *Iust. sua fide viuit*, ita maximè idoneus suæ fidei confessor est. Sed demus sanè Petrum non suis, sed Apostolorum verbis respondisse, quid tum postea? Nempe istud, inquiet aliquis, quod Petro dictum fuit, & cæteris dictum Apostolis censeri debet, cur enim in præmio & honore seiungantur quorum fides vna fuit? At verò, inquam, Petri zelus eximius fuit; senserat is præ cæteris egregiè spiritus vim. Id quod Christus haud obscurè illis verbis significat, *Beatus es tu Simon fili Iona*. Quis enim ambigat hic à Domino singulare aliquid designari? Sanè licet in Petro quandam affectus erga Christum, & propensionis quasi præcipitem vehementiam obseruare, qua cæteros Apostolos antecelle videtur, & ponè longo interuallo reliquisse. Sic cùm Christus in mari ambularet, eo agnito statim non primus iam, sed vnus omnium Apostolorum desiliit in mare, atque ad Dominum rectà contendit. Quinetiam à resurrectione, vbi primùm Christum in littore stantem obseruasset, omnium Apostolorum primus, imò verò solus, è vestigio, nullâ morâ interposita, se dedit præcipitem in mare, atque ad Dominum natando properauit. Pari amore incensus Christum captum iam ad aulam vsque summi Sacerdotis assectatus est, quo facto & si testatus est sibi non fuisse animi satis, at non defuisse animum luculenter ostendit. Sic gallinæ, dum pullitiem fouent, si quis accedat propius, irritantur & verò pugnant, at si repugnes concidit statim omnis illa ferocia, atque in metum exit: quorum altero insitum affectum, altero imbecillitatem naturæ produnt. Nec dissimili de causa effectum est, quod item Petrus & Christum confidenter est secutus, & trepidè abnegauit. Sic postquam se ipse præcipitasset in mare, magno incitatus animi ardore, elanguit statim is impetus periculi magnitudine animaduersâ.

Non aliorum nomine Petrus edidit confessionem.

singularem in Christũ vbique prodit affectum.

Cùm ergo zelus Petri tantus tamque singularis fuerit, quid prohibet quominus censeamus, Christum Dominum eam virtutem in Petro voluisse singulari quadam prærogatiua insignire, atque illustrem reddere? Incensus & ardens singulos discipulos præuertit; non potuit sibi temperare quin Christo interroganti primus omnium & solus responderet, (reliqui enim tacitè acquieuisse videntur) solus hinc igitur audit *Tu es Petrus*. Tum verò illud *Simon fili Iona*, cùm ad reliquos Apostolos minimè pertineat (neque enim illi nati fuerunt patre Iona) quæ ratio effecerit vt quæ eodem tenore cum istis coniuncta & continuata sequuntur, aliò trahantur? Deinde etiam illa, *Tibi dico, Tibi dabo, Tu es Petrus*, haud dubiè magnam habent Emphasim, & clarè aperteque significant, hæc tam dicta singulariter, Petro singulariter ac peculiari quadam ratione conuenire.

Christum Petro aliquid singulare promisisse ostenditur. *2.* *3.*

Denique Petrus hîc non proprio nomine compellatur, sed eo quod Christus Dominus ei imposuerat, quod adeò cognomenti potiùs quàm nominis habet rationem, *Primus, Simon qui vocatur Petrus*; Matth. 10. vers. 2. non obtigit id cæteris vt Petri vocarentur. Atqui illud iam æquè certum (ac quod est certissimum) debet videri, non frustra, non temerè & casu, sed sapientissimo consilio, & certa aliqua de causa Deum vel instituta nomina immutare, vel nouo indere, id nil necesse est exemplis demonstrare, nota enim est & celebrata *Saræ* & *Abrami* nominum mutatio. Sed etsi nulla exempla huius rei exstarent, (quæ exstant sanè plurima) res ipsa id euidenter probat ac demonstrat. Cùm enim nomina rerum notæ sint, nonnisi iudicio & adhibitâ ratione, qui vel mediocriter sapiunt, vel vetus nomen & vsu iam receptum antiquant & abolent, vel nouum rebus personisve imponunt. Quanto iam magis nefas foret de Deo tale quicquam animo cogitare, qui signa sua non patitur esse rerum inanes imagines & simulacra, vtpote qui potentissimus, optimus, sapientissimus idem sit? Nam ominis causâ quod mortales nomina imponunt, id verò imbecillitatis est humanæ, cui scilicet præter vota vel minimum, vel superest omnino nihil. Quare sine controuersia statuendum, nomen istud Petri à Christo Petro impositum aliquid significasse. Quoniam verò Petro soli id nominis inditum fuit, indidem efficitur eo nomine aliquid Petro singulare fuisse datum reuerâ, nam quò titulus sine re? Hic verò etiam atque etiam illud est notandum, quod non soli Petro datum est vt nouo nomine imposito à Christo cohonestaretur, pari commutati nominis honore Johannes & Iacobus fratres affecti fuere, nam vtrumque Dominus *Boanerges* vocauit. Id Marcus signanter notandum iudicauit cap. 3. vers. 6. quo loco de priori Apostolorum missione agitur. Tres enim tradit fuisse veluti segreges Discipulos, quibus (reliquis præteritis) Christus noua nomina imposuit, Petrum scilicet, Ioannem & Iacobum. Cuius rei obseruatio adeò B. Chrysostomum commouit, vt non dubitarit affirmare & nomen *Sauli* in nomen *Pauli* à Domino inflexum, ne hac in parte Petro inferior haberetur, Hom. 1. in Epist. ad Rom. Id quod etsi non liquet, (maximè cùm non modò Scriptura id reticeat, verùm etiam diuersum innuere videatur, ac Paulum facere binominem) tamen satis ostendit, teste Chrysostomo, nouum nomen nouæ dignitatis esse elogium. Adde quod tres illi, quorum nomina Christus commutauit, singulari in Ecclesia, ac præcipuo supra cæteros honore semper fuere. Id quod perspici facilè potest ex secundo cap. Epistolæ ad Galatas. Item ex 2. ad Cor. 12. 11. Et verò certè si diligenter obseruemus apud Euangelistas narrationem rerum à Christo in terris gestarum, deprehendemus, quoties agitur de re maioris momenti, solitum Dominum Petrum, Ioannem, & Iacobum à reliquis Discipulis seorsum sedùcere, interque hos tres Petrum constanter primo loco numerari: (nam quo consilio Petri nomen inter Ioannis & Iacobi medium Paulus semel

4. *Petro nomen fuit immutatur.* *non si causa. ne* *vt & duobus aliis Apostolis.* *Vnde illis tribus singularis in Ecclesia honor fuit.*

nus omnium Petrus Spiritu instinctus,& de Nationum vocatione præfatus. Et nunc inquit, &c. Act.15. *Hæc sententia & soluit quæ omissa sunt Legis, & alligauit quæ reseruata sunt.* Hactenus Tertullianus.

Tolluntur scrupuli.

Scio fore qui negent vllam Tertulliani habendam esse rationem, vtpote qui ab Ecclesia discesserit, quo mihi nihil dici posse magis absonum videtur. Primùm, quia in hoc genere non tam spectari debet quis dicat, quàm quid dicat. Deinde verò etiam, cætera veteres in Tertulliano reprehenderunt, at quod Christi factam Petro promissionem sic est interpretatus, eo nomine in Ecclesia reprehensione certè caruit. At clauium traditio non soli Petro facta est, sed potius omnibus communiter Apostolis, quibus nempe potestas clauium fuit communis. Certè claues & cæteris Apostolis traditæ sunt; id qui neget, idem eos Apostolos fuisse neget, solum contendat Petrum Apost. fuisse. Verumtamen cæteris eâ lege traditæ fuêre vt ad Petrum primum ea cura pertinuerit, *primus is* (vt pulcherrimè scitissimeque Tertul.) *clauem imbuit*: quæ vox quam habeat vim non est difficile intelligere, nam qui *induit* putauit legendum videtur esse frustra. Nec dissimilis ratio illius promissionis est, *quicquid solueris in terra solutum erit in cœlo.* Fuit & hoc (quis dubitet?) reliquis Apostolis commune, sed Petro tamen singulariter ac seorsum idem, tanquam peculiare, hoc loco tribuitur. Si causam quis requirat, in promptu est: Petrus omnium primus soluit & ligauit; quid fas, quid nefas esset primus docuit: Cùm vetitum omnes putarent, & lege prohibitum, ne & Gentibus Euangelium annunciaretur, is Dei monitu ac iussu primus solutum pronunciauit: Ergo & super eum primò Ecclesia ædificata, & ei primùm regni cœlorum claues traditæ sunt, & is primùm soluendi ligandique accepit potestatem. Neque verò sequitur continuò, à cæteris Apostolis non fuisse iacta molis Ecclesiæ fundamenta, traditas eis non fuisse claues regni cœlestis, neque datam soluendi ligandique potestatem. Igitur, vt hanc disputationem tandem aliquando concludamus, Petri prærogatiua, quam Dominus ei hoc loco indulget, non est iurisdictio in ceteros Apostolos, multò minus vlla Despotica potestas, sed mera in agendi ordine prælatio, quæ Petro personaliter indulta in Petri persona hæsit, nec vltra promanauit.

Eadem fuit multo rum Patrũ sententia.

Nec melioris æui Patrum diuersa sententia fuit, vt supra satis (vt opinor) luculenter ostendimus. Sed tamen in eorum gratiam, qui quo iure, quave iniuriâ, Patres in aliam sententiam, quantumvis repugnantes, trahunt omni opere, age verò coronidis loco nouam hîc disputationem instituamus: in qua si eadem dixerimus quę viri docti multò antè nos dixere, ne nobis id fraudi sit deprecamur, quasi aliena nobis vel subdolè, vel impudenter vellemus arrogare. Difficile est in hoc genere noua semper afferre, & quæ nos ipsi nobis videmur inuenisse primi, ea plerumque deprehensa ab aliis atque obseruata fuere. In quo iustiùs doleo, penè etiam indignor, quorundam hominum vel stultitiam, vel insolentiam, qui inter disputandum vi & pondere ipso depressi veritatis, haud aliter emoliri se atque erigere laborant, quàm aduersarium strenuè calumniando. Nam seu noui quid afferat, nouitatem exclamant, seu ab aliis obseruata in medium proferat, iisque tempore vtatur & loco, vt plagiarium criminantur. Quasi verò hîc agatur ingenij gloria, aut doctrinæ laus, non sanctissimè causa veritatis, quam nos decet modis omnibus asserere ac tueri.

Patrum causam non iuuant.

Sed ad rem. Sunt apud Patres, cùm Latinos tùm Græcos, quædam Petri elogia, quæ videntur magnificentius aliquid & grandius significare, quàm id quod nos Petro tributum à Christo volumus: exstant & locutiones quæ parem habent emphasim. Nos ea omnia proponemus expendemusque Deo iuuante, atque (vti confido in Domino) ostendemus quàm sint aliena ab eo Primatu quem plerique hodie Petro datum acerrimè contendunt, quamque potius sint nostræ consentanea sententiæ manifestum faciemus, iis quidem certè quorum mens præiudiciis & prauis affectionibus non est prorsus occupata.

Petri elogia & tituli apud Patres.

Ac primùm quidem Petrus Latinis Patribus dicitur *Ecclesiæ fundamentum, Petra firmissima, Rector Ecclesiæ, Caput, Princeps Apostolorum* a Græcis autem κορυφὴ, κορυφαῖος, imò & κορυφαιότατος, & ἔξαρχος, αἰ χορὸς τῶν ἀποστόλων. Atque *Ecclesiæ fundamentum, & petra firmissima* eò dictus est certè quòd primus Ecclesiæ fundamenta iecerit, quòd ea fundamenta firma, atque inconcussa & manserint hactenus, & mansura sint in æternum.

Fundamentum & Petra.

Titulus verò *Rectoris Ecclesiæ* nil tribuit Petro singulare, nam & in Breuiario Romano B. Andreas *Ecclesiæ Rector* appellatur.

Rector Ecclesiæ.

Etiam quo loco Beat. Hieronymus Petrum *Caput Apostolorum* vocauit, eodem nempe libro 1. aduersus Iouinianum, monuit, *Ecclesiæ fortitudinem ex æquo super omnes Apostolos esse solidatam.* Hæc itaque non repugnant, vt sit B. Petrus *Caput Apostolorum*, & ex æquo super omnes Apostolos sit Ecclesiæ fortitudo solidata. Dicitur nempe *Caput Apostolorum*, quia Apostolorum quoddam veluti collegium fuit, omnes enim inter se collegæ fuêre.

Caput Apostolorum.

Cæterùm Collegij omnis hæc conditio atque ratio ferè est, vt vnus sit, non qui authoritatem & imperium in Collegas habeat (absurdum enim id foret) sed qui totius Collegij sit veluti *Decanus & Præses*, eoque & *Caput*. Id quo factum sit consilio tradit B. Hieronymus disertis verbis, aduersus Iouinianum lib. 1. *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos id fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Quod ipsum videre est in Gallia, in supremis illis iudiciis quæ *Parlamenti Curias* vulgò appellamus.

Quod Simili illustratur.

Aliquis vnus est qui consessui præest, qui si nullus esset, haud dubiè magna inde confusio & perturbatio, grauissimæque contentiones orirentur, dum vnusquisque (vt est hominum ingenium) primas sibi in dicendo partes deberi arbitraretur, tamque diu de quæstione proposita sibi dicere licitum putaret, quandiu nemine interpellante ipsi liberet. Hunc iudiciorum illorum moderatorem *Caput Curiæ* sine vllius iniuria meritò vocamus: Neq; tamen hoc elogio is sibi id tribui putat [neque ea nostra mens est] vt possit, nisi adhibito Collegarum iudicio, de vnius Collegæ, nedum de omnium Collegarum vel dignitate, vel fortunis, de capite multo minus statuere: sed neque censoriâ quadam authoritate aliter quàm ex totius Senatus decreto reprehendere; Immò verò si quid ipse deliquerit, causam apud Senatũ dicere tenetur. Quinetiam quem Cancellarium dicimus, eundem

dem *caput justitiæ* in Gallia nuncupamus, at non ei tamen nisi ex legum præscripto quicquam licet, & sunt exempla grauissimarum pœnarum in eius dignitatis homines ab iisdem illis iudiciis, quorum *Capita* fuere, constitutarum.

Princeps Apostolorum.

Nam titulus ille *Princeps Apostolorum*, nisi simus latinæ linguæ rudes & prorsus imperiti, necesse est agnoscamus, & verò vltrò fateamur, nullam significare authoritatem, nullam ex se potestatem vel imperium, sed ordinem duntaxat, & præstantiam quandam. Etenim *Princeps* idipsum latinè loquentibus sonat quod *primus*, & *Senatus Princeps* Romanis fuit qui nobis *Curiæ decanus est.* Certè cùm Imperatores Romani *Regis* nomen vt inuidiosum, & populo libertati assueto exosum refugerent, *Principis* titulum assumpserunt, rei duritiem ita appellationis ciuilitate emollientes, nam reuerà certè ij non *Principes*, sed *Reges* fuere. Quod autem græci Patres Petrum vocarunt κορυφὴν, non est eo statuendum continuò eos Petro ius, authoritatem, & imperium in cæteros Apostolos detulisse. Nam Basilius rectè Athanasium Episcoporum κορυφὴν vocauit: neque verò credibile est eo pacto Athanasio Monarchiam & Imperium summum in collegas à Basilio tributum: quin eo elogio id tantum voluit vir grauissimus, & sanctissimus significatum, neminem exstitisse Athanasij temporibus Episcopum qui cum eo esset conferendus. Sed & Dionysius Halicarnasiæus (vt est à doctissimo Casaubono obseruatum) Appium Decium Decemvirorum κορυφαιότατον appellauit, quòd nempe inter eos, quamuis non imperio (quod par & vnum omnium erat) tamen vtcunque emineret. Certè si propriam huius nomenclaturæ significationem attendamus, quid aliud est κορυφαῖος quàm *præsultor in choro?* Id quod idem ille, nunquam sine honoris præfatione nominandus, Casaubonus obseruauit. Itaque hic titulus quandam ordinis prerogatiuam, nullam potestatis & iuris eminentiam significat.

Ἔξαρχος.

Ἔξαρχος autem *Præcentor est*, ordinisque primatum, non autem authoritatis pariter significat; quamuis etiam ad primatum Authoritatis significandum ea vox traducta est. Quo autem sensu, quaque mente Petrum Ἔξαρχον, dixere, eodem sensu, eadem mente & ἀρχηγὸν appellarunt, nempe quomodo apud Photium in Nomocanone Georgius & Theodorus dicũtur sextæ vniuersalis Synodi ἀρχηγοὶ, qui nullam tamen Synodum habebant iurisdictionem aut imperium, sed solummodò ab ipsa Synodo electi fuerant qui Synodo præessent. Verba Photij sunt, Ταύτης ἀρχηγοὶ καὶ τῶν δήμων προνομίᾳ ἐκρίνοντο ἄξιοι, Γεώργιος τῆς τῆς βασιλίδος πόλεως ἀρχιεπισκοπικῆς θρόνος ὑπῆρχεν ἐγκεχειρισμένος, καὶ Θεόδωρος καὶ Γεώργιος ἐν πρεσβυτέρων ἀξιώματι κατειλεγμένοι. Hi tamen puto Conciliorum Monarchæ non fuerunt, nec quicquam in ea Despotici iuris habuerunt. Quin & ipsis, si res ita poposcisset, reis causa apud Concilium fuerat dicenda. Eodem pertinet quod Græci Patres Petrum

σῶμα & προήγορον.

σῶμα & προήγορον τῶν ἀποστόλων nuncuparunt, cuius προηγορίας repræsentantem quoddam est in conuentu Ordinum regni. Vnus nempe à singulis ordinibus deligitur, qui omnium verbis loquatur, cui tamen in cæteros nullum certè imperium est. Atqui hi sunt illi tituli quos adulatores Episcopi Romani magnâ diligentiâ conquisiuere, atque in vnum congessere, dum student Monarchicam quandam potestatem Petro conciliare, quæ ab eo longâ serie in Episcopos Romanos, eius scilicet successores, fuerit propagata.

Vt nec quod dicitur Ecclesia super Petrum fundata.

Venio iam ad eas locutiones siue formulas, quibus idipsum euinci contendunt. Vnica est præcipuè locutio quam ij subinde repetunt, & ad nauseam inculcant, quod dicitur passim apud Patres *Ecclesia super Petrum fundata.* Sed mirum videri debet, neminem dixisse Patrum, Ecclesiam esse fundatam super Episcopum Romanum, siquidem in Elogium etiam Episcopi Romani est, non Petro peculiare & proprium. Tum verò id quis satis demiretur, quod pseudo-Dionysius ille Areopagita tam antiquus, tantæ authoritatis (vti volunt) in libro quem de Hierarchia conscripsit, Primatus istius, pro quo hodie tantâ animorum contentione decertatur, nullus meminerit, quo in libro tamen ex professo de regimine, ordinisque in Ecclesia ratione disputandum suscepit. Certè debuit primatus Pontificis Romani meminisse, si ea ætate is agnitus fuisset, aut in Ecclesia receptus. Nam quod dicunt Patres Ecclesiam super Petrum esse fundatam, non aliâ profectò mente id dicunt, quàm vt significent, Petrum eum fuisse cuius opera Dominus in iaciendis Ecclesiæ fundamentis primùm sit vsus. Atqui is honos soli obtigit Petro, nemini præter Petrum delatus est, non pertinet ergo ad Episcopos Romanos, qui omnes post Ecclesiæ iacta fundamenta vixere. Nam quod Patres primatum Petro tribuunt, Primatus ille *ordinis* est, *confessionis*, *honoris* est, non *dignitatis*, non *potestatis*, vti explicat Ambros. ab ipso Baronio laudatus Annal. tom.1. Anno Christi 33. *Petrus statim, loci non immemor sui, primatum egit, primatum confessionis vtique, non honoris primatum fidei, non ordinis.* Ambros. de Incarn. cap. 4.

An vnus esse debeat Primus omnium Pastor.

Verùmtamen, quando Christus primatum certè aliquem Petro detulit, quando Patres id agnoscunt, quando factum id putant vt σχίσματος occasio tolleretur, cùm Apostoli, etsi quatenus Apostoli nullos habuerint successores, tamen quando & ipsi Episcopi fuere (nam in hoc genere inferiora superioribus continentur) quæri non absurdè potest, *Æquum-ne sit & consentaneum, vt quemadmodum inter Apostolos vnus erat, qui etsi non iurisdictione, potestate, & imperio tamen ordine emineret, sic inter Pastores Ecclesiæ, vbicunque gentium terrarumve sint, vnus aliquis emineat, qui primus Pastor, & omnium toto orbe pastorum Princeps appelletur: atque ita (quemadmodum loquitur Hieronymus) constituto capite schismatis occasio tollatur.* Nam Scriptura certè tale quid Petro tribuere videtur: cuius rei vnum hoc loco libet proferre argumentum. Certum istud & notum est ex historia Euangelica, quoties in vnum coëunt Apostoli, & res agitur magni momenti, Petrus est qui primus, & ferè solus verba facit. Postquam Christus ascendit in cœlum, & esset in locum Iudæ proditoris aliquis subrogandus tota negotio præest Petrus. Die Pentecostes, quia dies Spiritus pariter in omnes Apostolos missus, paris haud dubiè dignitatis & iurisdictionis argumentum, Petrus tamen solus omnium nomine Apostolorum surgit & concionatur. Item in Concilio Hierosolymitano, Act.15.7. Petrus (quod præsidis est) loquitur primus, & rem, de qua eo in Concilio fuerat agendum, proponit. Neque verò Iacobus decretum pronunciat, sed

sententiam dicit suam, in quam tamen à toto Concilio itum est. Ergo Iacobus tantùm Petri sententiæ accessit, quam Concilium deinde vniuersum ratam habuit, verba enim Concilij sunt, Act.15.23. *Apostoli & Presbyteri & Fratres iis qui sunt Antiochiæ*, &c. Et vers.28. *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris quàm hæc necessaria, &c.* Quinetiam nonnunquam Petrus solus nominatur, tacitis reliquorum Apostolorum nominibus, Marc.16.27. *Dicite Discipulis eius & Petro.* Scio quid ad hoc excipi & responderi soleat, nimirum Petrum, qui conscientiâ lapsus sui animum penè desponderat, hoc pacto fuisse confirmandum. Sed vereor ne id acutiùs quàm veriùs dici videatur. Nam Petrum iam ipse Dominus abundè fuerat solatus, & Petrus ipse cæteris se iam Apostolis adjunxerat, & conuersus ipse iam (quod futurum prædixerat Dominus) fratres confirmarat. Denique, non solet Scriptura agere tam subtiliter & argutè, quin hoc loco mihi locutio videtur accommodata ad vsitatum loquendi morem, nempe, siquis inter collegas eminet, eum nominamus suppressis cæterorum nominibus, vt supra ostendimus illis exemplis, *Maria & mulieres, Hector & Troiani.*

Resp. ad quæstionem.

Sed æquo longiùs fortasse prouecti sumus, itaque ad quæstionem redeamus. *An vt inter omnes Apostolos Petrus singulari quadam prærogatiuâ donatus eminebat, sic inter omnes Pastores pari ratione aliquis debeat eminere.* Id quod etsi concedi posset ordinis causâ, tamen nil minus esset quàm is primatus quem Episcopus Romanus sibi tribuit. Quemadmodum enim vt in Anglia inter Episcopos Episcopus Cantuariensis cæteris ordine anteit, in Gallia Lugdunensis, cùm neuter tamen in Collegas vllam habeat seorsim, atque extra Concilium iurisdictionem, nec vlla pars dignitatis Papalis, quâ Papalis est, ei competat: Sic etsi vnus aliquis è pastoribus Ecclesiæ ordine primus esset, nil habere ea ordinis prærogatiua seipsâ contenta, nec quæsita malis artibus, sed oblata, quod iure quis possit *tyrannidem* aut *dominationem* appellare, qualem esse Episcopi Romani quam vsurpat potestatem nemo est qui non facilè videat. Nec dubitandum est, primis Ecclesiæ temporibus Episcopum Romanum, inter cæteros Episcopos, hunc Primatum ordinis, omnium consensu fratrum & collegarum, obtinuisse, vnde is sibi gradum fecit ad Monarchiam, & Regnum quod nunc sibi vindicat & vsurpat.

1.

2. Primatus ordinis nō potest hodie habere locum. 1.

Stante quidem Imperio Romano (quo nascens Ecclesia Christiana continebatur) id non fuit adeò difficile: Nunc verò hoc Statu Reipublicæ Christianæ diuiso & scisso in plurima regna & ciuitates, impeditum admodum id foret, quoniam nonnisi Principum consensu obtineri posset vt vnus aliquis cæteris præiret, quod vix sperari potest, propterea quod in hac rerum Ecclesiasticarum politicarumque coniunctione verendum esset ne in Principum animis graues inde suspiciones orirentur. Nam & illum oportuit ex alicuius Principum subditis deligi oporteret, vel sedem haberet in certo aliquo regno, seu ciuitate, in cuius esset potestate futurus: Vnde grauissima incommoda essent metuenda. Neque verò sic obuiam huic malo posset iri, si ei principatus seu Status aliquis (vt vulgò loquuntur) attribueretur. Sic enim & ipse Dominus foret principibus aliâ de causa metuendus, & bellum ipse vicinis inferret Principibus, & ei vicissim Principes vicini; vnde nascerentur haud dubiè factiones, confœderatione, quales Remp. Christianam continuò ferè agitauerunt & vexarunt, postquam accessit ad dignitatem spiritualem Episcopi Romani Imperij maiestas. An verò caueri possint hæc mala prudentum esto iudicium: Certè caueri posse non videtur. Sed illud videtur efficere vt vnius inter omnes primatus iure diuino debeat obtinere, quod Petro aliquis certè primatus (quis is sit iam supra definitum atque demonstratum est) etiam à Christo est delatus, cuius authoritatem & præscriptum nos necesse est sequi, quicquid nostra ratio repugnare & contra stare videatur. Sed profectò alia ordinis à Christo instituti, alia eorum ad quæ ordo referri debet, quorumque adeò gratiâ ordo omnis instituitur, proculdubiò est ratio. Nam res ipsa per se expetenda est, vtpote quæ finis immobilis atque immutabilis est, ordo (si quando res id non patitur) non pari lege nos adstringit. Atque Apostoli pauci numero fuere, & primis nascentis Ecclesiæ temporibus vel in vno loco commorabantur, nimirum Hierosolymis, vel in vnum coibant: itaque Collegium constituebant, & veluti Senatum. Nunc Pastorum ingens est multitudo, iique toto terrarum orbe sparsi sunt: Itaque nec Collegium in terris constituere, nec conuenire illis licet quandocunque malis Ecclesiæ subueniendum est.

2.

Obiicitur Concilium Oecumenicum. Resp.

Neque verè est quod quisquam id dicat, (quod à nonnullis tamen dici solet) in Concilio Oecumenico si non omnes, at certè præcipuosè Pastoribus adesse. Primùm, quia an vllum omnino haberi possit Oecumenicum concilium quæri iure possit. Certè quàm difficile sit omnium seculorum experientia docuit: nostra verò ætate optari possit id quidem certè, & verò debet optari, sperari verò non potest in hac Imperiorum diuisione, atque hoc Ecclesiæ statu. Sed neque (etsi summa inter Reges animorum concordia esset) haberi posset. Atqui rei extraordinariæ gratiâ ordinem instituere ordinarium, id verò perabsurdum videtur. Tempus illud expectandum est quo possit Concilium vniuersale celebrari, tum verò sine controuersia vnus aliquis eligendus foret qui Concilio præesset, quem nil esset necesse dimisso Concilio toti Ecclesiæ præesse. Ac ego quidem sic existimo, præter illud Concilium quod Hierosolymis celebratum est, nullum vnquam extitisse Concilium quod *vniuersale* propriè potuerit appellari. Nempè eo in concilio Apostoli interfuere, quibus à Christo Domino totius Ecclesiæ cura, supra atque ante omnes, fuit demandata. Nunc tales tantaque præditi authoritate nulli sunt, nec verò vnquam futuri. Summa responsionis hæc est: 1. Primatum illum de quo iam quæstio est, quique concedi posset, esse Primatum tantum *Ordinis*, de quo Papa non admodum iam est sollicitus, non verò *Authoritatis*, & *Potestatis* quem affectat. 2. Primatum illum impossibilem esse de facto, iniquum de iure, hoc est neque posse, neque debere locum habere.

Iam pauca quædam his sunt adjicienda. Pontifices Rom. tribus præcipuè nituntur rationibus, dum sibi & Petro supremam arrogant authoritatem. Prima est illius qui scripsit glossam in Extrauagantem Bonifacij VIII. de Maioritate

Christus

Rationes pro primatu Papæ. 1. Ref.

Christus, inquit, erat Dei filius, omnia meruerat, in omnibus habebat imperium: Iam verò Dominus Iesus Christus (vt cum reuerentia eius loquar) parum fuisset discretus (blasphemum os) *si Petro eandem authoritatem non tribuisset.* Atqui ista Christi potentia quam habet vt naturalis Dei filius, est inuisibilis, infinita, proindeque & incommunicabilis Angelis ipsis, nedum miseris mortalibus: Itaque nec ipsi Christo conueniret ni Deus idem esset. Certè & si ea totius Christi personæ sit, attamen totius personæ est ratione alterius naturæ, videlicet diuinæ, quæ facit vt ea tota persona polleat. Nihil hîc necesse est repetere quæ satis fusè iam supra à nobis in hanc sententiam dicta sunt, neque verò monere, non Deum magis quàm Reges, vnum aliquem præter filium rei summæ præficere solere.

2. Ref.

Quod verò aiunt, Ecclesiam esse corpus visibile, cęterum visibili atq; aspectabili corpori visibile atque aspectabile Caput conuenire, vanum est: Etenim Ecclesia, quatenus verè Ecclesia est, hactenus inuisibilis est, qua enim verè Ecclesia est, nihil aliud est quàm multitudo hominum Christo capiti, & inter se vnius communione spiritus conjunctorum.

3. Ref.

Quòd verò aiunt, in Ecclesia esse politiam quandam externam. Est ita sanè. At non cōtinuò necesse est vt in hac politia vnus aliquis emineat: vt in Israelis politia, priusquam illi Regem sibi dari potuissent, penes vnum summum ius haud vnquam fuit. Hodieque in ciuitatibus, quas vocant *liberas respublicas*, politia certè est, vnus tamen rerum non potitur. Imò verò vbi voluntas Principis pro lege non est, complura iudicia sunt suprema in quibus ius dicitur secundùm Legem. Cùm igitur nullus sit præter Antichristum, qui voluntatem suam audeat Ecclesiæ pro lege obtrudere, id cùm vnius Christi proprium sit, omnino inde efficitur, vt quemadmodum iis in regnis, in quibus iure scripto vtuntur, vnus aliquis non præest iuri dicundo, quanquam Rex absit, sed multi: sic in Ecclesia, quæ leges non condit, sed conditas accipit à Christo, idipsum potiori iure debet habere locum. Profectò longè aliud est *iudicare secundùm legem*, aliud *legem ferre*. Neque vero negem Ecclesiam de rebus externis ius condendi leges habere: Sed quemadmodum sine vllo concordiæ & pacis publicæ detrimento, aut vero imminutione, singulis in Monarchia prouinciis, singulis vrbibus peculiares quidam πολιτείας modi sunt, sic in Ecclesiis eadem libertas citra scandalum obtinet. Ac mihi quidem parum abest quin tyrannicum videatur, velle ab Ecclesia Dei quam vocant *conformitatem* omnimodam πολιτείας & Rituum exigere. Id Synodis nationalibus & prouincialibus permitti debet, vt statuant quid in illo genere temporibus, locis ac personis conuenientissimum sit.

4. Ref.

Etiam illud objiciunt, nec prohiberi, neque posse ex Ecclesia tolli schismata, nisi rei summa penes vnum sit. Quod profectò nemo queat satis mirari. Quasi vero obscurū sit, grauissimis Ecclesię scissuris Primatum hunc vniuersalem causam dedisse. Hinc Oriens ab Occidente fuit diuulsus: hinc Occidēs & concussus & penè funditus cōuulsus: hinc bella, seditiones, tumultus, Regnorum conuersiones, euersionesque: Hinc tota inter Principes, & Reges, & incensa odia. Quando verò schismata pacem atque otium Ecclesiæ turbarunt, non Monarchia, sed ea, quā Christus Dominus instituit, πολιτείας forma, adnitentibus Principibus Christianis sunt sublata. Id quod clarè testantur rerum Ecclesiasticarum politicarumque historiæ, quæ huius rei exemplis, documentisque certissimis plenæ sunt, neque sentiunt diuersum qui rerum Christianarum vllum habent vsum. Profectò vnica tollendorum schismatum ratio est, si verbum Dei, si Dei spiritum sequamur, quorum altero dirigimur, altero etiam impellimur ad officium faciendum modestè, suo quisque loco. Hactenus si laboratur, πᾶσα βουλὴ ἡ ἐυτικῆς, ἢ καὶ διαβολικῆς ὄφρυ@.

5. Ref.

Iam quod aiunt, vnum aliquem præesse cæteris omnibus debere, qui pastores mittat. Esto id sanè. Sed iam quæstioni superest locus, velint ne hunc vnum per se solum, an verò per alium hac operâ fungi. Atqui prius illud certè nolunt, nam quî pote vt vnus id possit toto terrarum orbe præstare? Si verò per alium id fieri debere intelligunt, an non Christus singulis in regnis, singulis in prouinciis per ordinarios Apostolorum successores id fecerit? Immò tanto meliùs, quia is est qui Spiritum dat, qui Ecclesiam regit. Diuinitus à Patribus Concilij Carthaginensis dictum est, in Epistola ad Cælestinum vrbis Romæ Episcopum. *Prudentissimè iustissiméque prouiderunt* (Nicena scilicet decreta) *quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda, nec vnicuique Prouinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam. Quæ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur, maxime quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel vniuersale prouocare. Nisi fortè quisquam est qui credat, vni cuilibet posse Deum nostri examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegari.*

Obj. Ref.

At verò Christus adiri non potest, in cœlo sedens nimirum ad dextram Patris. Immò multo faciliùs quàm vnus aliquis in terra fastu tumens, & dignitatis suæ tuendæ augendæque, quàm gregis Christi alendi studiosior, qui sæpenumerò etiam in eos qui eum vellent adire grassatur, nec vllum sæuitiæ & immanitatis modum facit, nisi quam inexpleta cupiditate appetit prædam, eam deuoret. Quasi verò Christus Dominus se non adiri patiatur; quasi verò non adeatur maximo cum fructu à piis, quasi verò non prospiciat Ecclesiæ suæ, non mittat Pastores, aut cuiusquam pia vota & preces repellat.

6. Ref.

Postremò, aiunt æquum esse vt Ecclesia præstantissimo genere πολιτείας regatur, nullum autem regimen esse dignius Monarchico (id vero iam sumunt pro confesso) vnde efficitur Ecclesię regimen esse Monarchicum. Quis verò id negete? Est enim Christus idem sponsus & Rex Ecclesiæ suæ, Ecclesiæ nimirum regimen conscientiæ regimen est Porrò illud inuisibili ratione, & interna quadam vi obtinet authoritatem, dum flectuntur in obsequium contumaces, vel franguntur etiam & debilitantur non iam vi & armis, sed occulta quadam & cœlesti ratione. Nam Monarchiâ certè visibili foret opus fortasse, si cogendi essent ab Ecclesia homines, & compellendi quadam violentia ad fidem: quod nulla posset fieri ratione cōmodiùs, quàm si vni soli suprema potestas, tanquam Dictatori perpetuo, committeretur; Nunc aliter se res habet, Itaque totius Ecclesiæ Monarchia visibilis non est necessaria. Certè Dominus, quandiu voluit leui & molli

premi iugo colla populi sui, noluit eum regi Monarchico regimine. Quin ipse disertissimis verbis diuersam πολιτείας formam constituit, in qua summam potestatem penes leges, pluribus constitutis iudicibus, esse voluit, quibus ipse, tanquam Rex & Monarcha populi sui, præesse voluit. Cumque quadringentis quinquaginta post annis Israelitæ Regem sibi poposcissent, Deus ea de re per Samuelem grauissimè conquestus est, *Non enim te*, inquit, *sed me rejecerunt.* Quod si animis reputemus quibus tandem impulsi causis populus Israeliticus, contempto Dei leni & mitti imperio, Regem expetiuerit, deprehendemus facilè easdem propemodum esse rationes, quibus Monarchicum Ecclesiæ regimen commendatur, *præstantiam* nimirum, & *vtilitatem* Monarchiæ: Nempe sic existimabant Israelitæ, fore vt inter se arctiori vinculo iungerentur, & aduersum hostes, seu inferendum bellum esset, seu depellendum, potentiores. Hæc eadem hodie prætexunt, qui Tyrannidem Episcopi Romani tueri ac defendere conantur. Ante Regum tempora Israelitæ liberi fuere, vnum Deum Regem nouerant, & Synedrium Judicesque, quos Deus ipse summittebat prout eius sapientiæ conuenire videbatur. In quo cernere licet imaginem, & veluti faciem Ecclesiæ Christianæ, quæ primis illis temporibus vnum Christum Dominum, & Episcopum Episcoporum agnoscebat, regebatur Episcoporum curâ & vigilantiâ, inter quos subinde Deus quosdam singulari doctrina eminere voluit, cùm Ecclesiæ status & conditio id requirere videbatur. At postquam vnum omnia ad se trahere passa est, Domini iugum mite & lene obtentu specioso excussum est, tum verò libertas illa & ἰσονομία Episcoporum pessum abiit: inde dissidia & contentiones, dum quisque primatum adfectat, & in coepiscopos iurisdictionem, deinde primò occupanti cæteri vel assentantur, vel apertè repugnant. Vnde natum σχίσμα Orientalium & Occidentalium Episcoporum, dum nec superiorem Cæsar, uec parem Pompeius ferre potest. Quibus contentionibus lacerata & oppressa demum Ecclesia est; atque eo res deducta tandem est, vt primatus Episcopi Tyranni, vel Dominatus potius, hodie pro totius Religionis Christianæ fundamento habeatur. Quo nequis æquo grauius offendatur, cauit Spiritus sanctus, qui monuit, nascente iam Ecclesia *cœpisse agi Mysterium iniquitatis:* quod profectò quid fuerit præter suprematum dici non potest; immò verò tota series orationis apertè ostendit notari ab Apostolo Primatum. Nam etsi Petrus, quâ erat sanctimoniâ, sese intra modestiæ limites continebat, tamen cauere non potuit nec exemplo, nec doctrina, quominus iam tum multi plus æquo illi tribuerent, quod tamen immane quantum abfuit ab eo quod Episcopus Romanus sibi vindicat, & assumit quo iure quave iniuria, per fas & nefas, fraudulentis consiliis, vi nefanda. Sanè Apostolus Epist. ad Galatas capite 1. & 2. dedita opera Petri hunc, quem ei multi deferebant, primatum impugnat acerrimè, atque dum eos nominat qui inter Apostolos primi fuere, eius nomen inter Jacobi & Johannis inserit: Nempe, iis tribus Christus nomen imposuerat, & Jacobo quidem & Johanni vnum imposuerat, quo si conjunctim primo loco Apostolus nominasset, eam ob causam Primatum iis tribuere visus fuisset. Sin Petrum primo loco collocasset, id videbatur parum Apostoli instituto conuenire. Sed non licet hîc diutius immorari, itaque hîc finem disputandi faciamus.

MATTH. Cap. XVI.
Vers. 20.

Τότε διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅτι αὐτός ἐστι Ἰησοῦς ὁ χριστός.

Hoc est,

Tunc interdixit discipulis suis vt nemini dicerent, ipsum esse Iesum illum Christum.

Quænam reddant Scripturæ locum illustrem.

LOCVS aliquis Scripturæ dici potest insignis vel propter obscuritatem, eamque duplicem, rerum scilicet, aut verborum; vel propter controuersiam aliquam, ad quam definiendam aut confirmandam locus ille ab Hæreticis afferri solet; vel denique propter illustre aliquod dogma quod in eo continetur. Nam vt in cœlo, sic & in Verbo Dei res quodammodo se habet: Cœli partes quidem omnes sunt lucidæ, stellæ tamen & sydera reliquis partibus sunt lucidiora: sic omnia quidem in Scriptura sunt illustria, loca tamen alia aliis sunt insigniora. Locus autem iste quem explicandum suscepimus, illustris est ob difficultatem, quæ est non in verbis, sed in re ipsa, non enim caret difficultate quod Christus hîc prohibet Discipulis ne dicant se esse *Christum.* In huius autem loci explicatione expendenda venit, primum vis & pondus verborum, secundò loci sententia erit aperienda; tertiò, diluenda erunt quæ contra possunt objici, vltimò, dogmata quæ ex eo elici possunt, erunt demonstranda.

Ordo dicendorum

Explicatur vox διεστείλατο.

Ad primum igitur quod attinet, occurrit hoc loco verbum διεστείλατο, quod non simpliciter *iussit* seu *prohibuit*, *sed grauiter interdixit* significat. Διαστέλλειν enim *diuidere* propriè & *deducere*, vti contra συστέλλειν *contrahere* & quasi *condensare* significat. Vnde postmodum διαστέλλειν dicitur de præcepto aliquo singulari (quo scilicet aliquid singulariter præcipitur aut prohibetur) & ab aliis distincto, & quasi diuiso ac separato. Atque hic est vsus huius verbi in Nouo Testamento, rarò apud prophanos & exoticos Scriptores ea significatione occurrit. Hinc autem oritur quæstio, *An Dei præcepta omnia paris eiusdemque sint omnino authoritatis*, *an verò alia aliis sint grauiora*, hoc est, maioris vel minoris authoritatis. Ad quam Respondetur per distinctionem. Mandata nempe Dei considerari possunt respectu vel authoris, vel materiæ præcepti. Ratione authoris, qui Deus est, omnia æqualis sunt authoritatis, at ratione materiæ præcepti, siue rei quæ præcipitur, non sunt omnia paris authoritatis. Rerum enim quæ præcipiuntur vel prohibentur aliæ sunt *in se bonæ*, vel *malæ*, aliæ verò sunt ἀδιάφορα. Illæ sunt in se bonæ in quibus refulget imago Dei qua iustus, bonus & sanctus est, ad quam imaginem in Christo recreati sumus, & quæ (teste Apostolo Coloss.

An Dei præcepta omnia eiusdem sint authoritatis.

Res præcepti distinguuntur trifariam.

Coloſſ.3.10.) *conſiſtit in iuſtitia, pietate, & ſanctitate.* Res in ſe malæ ſunt quæ pugnant cum illa Dei imagine: Adiaphoræ verò quæ in ſe neque bonæ ſunt, neque malæ, ſed tales euadunt prout à Deo vel præcipiuntur vel prohibentur, quæque Dei imaginem non referunt niſi ſub ratione Entis, at non ſub ratione boni moralis, hoc eſt, quâ Deus eſt Ens, at non quâ iuſtus & ſanctus eſt. Iam verò mandata Dei de rebus in ſe bonis vel malis, multo grauiora ſunt quàm quæ ſunt de rebus duntaxat adiaphoris. Nam quæ ſunt in ſe bona Deus ita præcipit, vt non poſſit ea non imperare homini, quæ verò in ſe mala ſunt ita vetat & prohibet, vt ea non poſſit non prohibere. Vt enim non poteſt ſe non ſummè amare, quia ipſe ſummum eſt Bonum, ſic imaginem ſuam, quâ talis eſt, non poteſt non amare; & ea quæ imaginem illam referunt non poteſt non probare, & homini ad imaginem ſuam condito non imperare, atque ex aduerſo ea quæ cum illa imagine pugnant, & ab ea abhorrent non poteſt non prohibere. At res adiaphoras poteſt vel præcipere, vel non præcipere, vetare vel non vetare, prout ipſi videtur id conducere ad finem ſibi propoſitum. Iam verò inter ea quæ in ſe ſunt bona, alia ſunt quæ Dei imaginem magis referunt, hoc eſt, quæ plura habent impreſſa imaginis Dei (quæ in veritate, iuſtitia & ſanctitate ſita eſt) veſtigia, alia ſunt quæ pauciora & obſcuriora, quæque ideò minus Dei imaginem referunt. Et inter ea quæ in ſe mala ſunt, alia ſunt quæ magis, alia quæ minus ab illa imagine abhorrent & recedunt. Quæ Dei imaginem magis referunt, ea vt à Deo magis probantur, ſic ab ipſo hominibus magis commendantur & præcipiuntur. Contra, quæ ab illa imagine magis abhorrent, ea ſeueriùs ab eo prohibentur quàm quæ minus cum imagine illa pugnant: verbi gratia, Mandata primæ tabulæ ſeueriùs præcipiuntur quàm mandata ſecundæ, quia in illis magis refulget imago Dei. Et in ſecunda Tabula ſeueriùs parricidium quàm adulterium prohibetur, quod illud magis quàm iſtud pugnet cum imagine Dei. Atque hoc pacto variant Dei de rebus in ſe bonis vel malis mandata, maioriſque ſunt vel minoris authoritatis, prout in ſe magis vel minus referunt Dei imaginem, vel ab ea magis vel minus abhorrent.

Applicatur diſtinctio. 1. quoad res bonas & malas.

Eodem modo ſe res habet in Adiaphoris. Nam cùm res adiaphoræ neque ſint in ſe bonæ, neque malæ, ſed bonæ tantum aut malæ prout ad finem in ſe bonum vel conducunt, vel ab eo abducunt, quo faciliùs & meliùs, vel minus benè aut facilè deducunt ad illum finem, eo etiam magis vel minus à Deo præcipiuntur, & quo magis vel minus à fine abducunt, eo magis vel minus ab eo prohibentur. Finis autem ille quem Deus in præceptione vel prohibitione rerum ἀδιαφόρων ſibi proponit, duplex eſt. Primus vt creaturæ ſuæ obedientiam probet, vt quum Adamo prohibuit eſum fructus arboris ſcientiæ boni & mali, Abrahæ verò præcepit immolationem filij: atque ea quæ ſunt eiuſmodi ſeueriſſimè à Deo præcipiuntur vel prohibentur. Secundus, vt hominem per ea tanquam per media ad finem aliquem in ſe bonum deducat, vel à fine in ſe malo abducat atque reuocet. Cumque ad finem variis mediis perueniri poſſit, Deus pro arbitrio, ac prout Sapientia ſua id iudicauit optimum, hæc vel illa media elegit, quibus hominem ad finem illum in ſe bonum deduceret, eaque illi propterea præcepit. Sic Deus Cæremonias ſub Lege inſtituit, Sacramenta item ſub nouo fœdere. Contra, quæ voluit, quibuſque pro ſapientiâ ſuâ iudicauit hominem abduci poſſe à fine in ſe bono, ea illa prohibuit. Iam verò inter ea quibus homo ad finem in ſe bonum deduci poteſt, alia ſunt quæ maiorem, alia quæ minorem cum fine illo habent connexionem, hoc eſt quibus meliùs & faciliùs, vel minùs benè & facilè finis ille obtineri poteſt. Illa quæ maiorem habent cum fine connexionem, grauiùs præcipiuntur, quæ minorem, minùs grauiter & ſeuerè iubentur: atque ita præcepta, quæ de rebus illis ſunt inſtituta, maioris etiam ſunt, pro ratione illa, vel minoris põderis atque authoritatis: exempli gratia, Deus nos orare præcepit, vt ſcilicet per preces nos deducat ad aliquid in ſe bonum, ad obtinenda nempe benificia ipſius cœleſtia: cumque preces medium ſint quod arctiſsimam habet cum fine illo connexionem, propterea nihil precibus grauiùs à Deo præcipitur, nihil magis hominibus ab eo commendatur. Item, alia ſunt quæ magis & longiùs, alia verò quæ minùs propiùſve abducunt à fine bono hominem, vnde fit vt alia magis, alia minùs ſeuerè prohibeantur. Iam verò ea mandata quæ ſunt de rebus adiaphoris, minoris ſunt ponderis atque authoritatis quàm ea quæ ſunt de rebus in ſe bonis vel malis, quia iſta Deus non poteſt non præcipere vel prohibere, illa verò poteſt & potuit non præcipere quæ præcepit, vel non prohibere quæ prohibuit.

2. quoad Adiaphoras.

quæ ſunt Media ad finem, non finis ipſe.

horum Mediorum alia aliis ſũt cum fine coniunctiora.

Hæc diſtinctio rerum in ſe bonarum, malarum, & ἀδιαφόρων obſeruanda eſt, maximum enim habet vſum in Theologia, adeoque in quæſtione illa definienda quæ inter Theologos mouetur, *vtrum res ſint ideò bonæ quia Deus eas vult & præcipit, malæ quia eas vetat, an verò eas præcipiat & vetet quia ſunt in ſe bonæ vel malæ.* Ad quam Reſpondetur per ſuperiorem diſtinctionem. Res in ſe bonas, quia Dei imaginem referunt, non ideo eſſe bonas quia Deus eas præcipit & vult, ſed Deum potiùs eas velle & pręcipere quia in ſe bonę ſunt, tamq; abſurdè dici res illas ideo eſſe bonas quia Deus eas vult, quàm abſurdè diceretur, Deum ideò eſſe ſummum Bonum quia ſe ſummè amat, cùm potiùs ideò ſe ſummè amet, quia eſt ſummum Bonum. Pari modo dicimus ea quæ ſunt in ſe mala, utpote imagini Dei aduerſa atque repugnantia, non ideo eſſe mala quia Deus ea prohibuit, ſed contra, ea ideo prohiberi à Deo quod illa ſint in ſe mala.

Diſtinctionis ſuperioris vſus.

Iam vt hæc diſtinctio huic loco applicetur, dicimus, Præceptum hoc Chriſti eſſe de re non in ſe bona, ſed ἀδιαφόρῳ, & quidem quæ rationem habet medij ad finem, nam prædicatio Euangelij eſt medium, & veluti inſtrumentum, quo fides ingeneratur, *fides nempe eſt ex auditu, auditus autem ex verbo Dei.* Ideò autem Chriſtus hoc interdicit, quia tum non ſimpliciter erat neceſſarium ad ſalutem ſcire in ſpecie Ieſum Nazarenum eſſe Meſsiam, poterat enim ſalus tum obtingere ſine hac ſpeciali cognitione, ex fide generali in Meſsiam venturum, uti mox oſtendetur. Atque hæc de vi & pondere vocis διεσείλατο.

Quale ſit Chriſti hoc loco interdictum.

Sequitur ipſum Chriſti mandatum, quo illis

Expeditur

hoc Christi interdictum.

interdicit ne euulgent se esse Christum Iesum. Vbi obseruandum est, Christum non prohibere ipsis quominus dicant *esse Messiam*, sed duntaxat, ne dicant *ipsum esse Messiam*, cuius hæc est ratio, quod doctrina esset inter Iudæos notissima venturum esse Messiam, itaque non prohibet Discipulis ne hoc doceant, prohibet verò ne dicant se esse illum Messiam, ob rationes quæ mox proferentur, certo enim consilio id prohibuit Christus Discipulis. Sententia itaque loci facilis est & aperta, sed dubia quædam hinc oriuntur quæ (vt initio proposuimus) diluenda sunt. Fuerunt olim, & sunt etiamnum hodie, Hæretici qui negant appellationem *Filij Dei* denotare aliquid essentiale Christo, eâque significari contendunt munus duntaxat ipsius Mediatorium, idque ex hoc loco sic putant se posse euincere. Petrus (huius capitis vers. 16.) reliquorum Apostolorum veluti nomine confessus fuerat, *Christum esse Dei viui filium*. Vbi eum hac de confessione collaudauit & commendauit Christus, hoc versu Apostolis vetat, ne hoc ipsum, quod per os Petri veluti confessi fuerant, vlli edicant atque euulgent. Quare quod versu 16. Petrus significauit his verbis, *Tu es filius Dei viui*, hoc ipsum alijs, sed æquipollentibus, videtur hoc versu significare, his nempe, *se esse Christum Iesum*: Itaque appellatio illa *Filij Dei viui* denotat munus Mediatorium, quo functus est homo ille Christus Iesus. Huic loco duos alios adjungunt, quibus idem se probare posse confidunt, illum nempe qui habetur Iohan. 10. 34. Vbi quum Iudæi Christo blasphemiam impingerent quòd se dixisset *filium Dei*, vindicat se ab ea calumnia Christus quum respondet, *Nonne scriptum est, dixi, Dij estis. Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, cur vos me, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum:* quibus verbis videtur indicare, appellationem seu titulum *Filij Dei*, quem Iudæi blasphemum contendebant, nihil aliud significare nisi munus illi à Patre impositum, & ad quod peragendum missus in mundum fuerat, eodemque pacto sese *filium Dei* dixisse, quo Magistratus *Dij* & *filij Altissimi* in Scriptura dicuntur. Alter locus quo abutuntur habetur Heb. v. vers. 4. 5. vbi Apostolus dicit, *Christum non sibi sumpsisse hunc summi Sacerdotis honorem, sed ei impositum esse munus illud ab eo qui dixit ipsi, Tu es filius meus, ego hodie genui te.* Quibus verbis indicat (inquiunt) Apostolus Patrem hac Christi compellatione, *Tu es filius meus*, constituisse eum summum Sacerdotem, ac proinde appellationem *Filij Dei* designare munus duntaxat Sacerdotale seu Mediatorium.

Appellatio *Filij Dei* hic secundum Socinianos, significat *Munus Mediatorium*, quod probant. 1. 2. 3.

Sed refelluntur, nã hæc appellatio significat,

Hîc tria nobis sunt facienda. Primò, probandum nobis erit ex Scriptura, appellationem *filij Dei* significare aliquid Christo essentiale, hoc est, Naturam, vel Personam eius diuinam. Secundò, respondendum erit ad illa Hæreticorum objecta. Tertiò, ostendendum erit eorum argumenta præter rem esse, neque eos inde propositum suum euincere, nempe Christum non esse Deum.

naturam eius Diuinam, quod probatur. 1. ex Rom. 1. 3. 4.

Ad primum ergo quod attinet, primus Scripturæ locus, vnde probatur titulum *Filij Dei* designare aliquid Christo essentiale, habetur Rom. 1. vers. 3. 4. vbi Christus dicitur *factus ex Dauidis semine secundum carnem, declaratus autem filius Dei in potentia κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης.* Vbi quomodo *secundùm Carnem* denotat humanam Christi naturam, sic etiam κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης designat Diuinam eius naturam, non verò munus aliquod ei impositum: cumque secundùm hanc naturam sit & dicatur *Filius Dei*, sanè appellatio *Filij Dei* denotat aliquid Christo essentiale, Personam nempe eius diuinam. Excipiunt ad locum illum Hæretici, verbis illis κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, non significari naturam diuinam, sed modum, seu rationem generationis Christi secundùm humanam ipsius naturam, secundùm quam conceptus fuit de Spiritu sancto. Huic effugio opponimus primò locum Dan. 9. 24. vbi *Sanctus sanctorum* dicitur *vngendus*. Nam illic *Sanctus sanctorum* est subjectum, *vngendus* verò attributum. Itaque quod Christo est essentiale, nempe eius Persona, significatur his verbis *Sanctus sanctorum*, munus verò eius Mediatorium voce *vnctionis*. Cùm itaque loco illo Danielis diuine Christi natura significetur hoc titulo *Sanctus sanctorum*, cur mirum aut nouum videatur Hæretico, si Rom. 1. vers. 4. eadem diuina Christi natura significatur vocibus illis πνεῦμα ἁγιωσύνης? Opponimus secundò verba Angeli ad B. Virginem, Luc. 1. 35. *Virtus altissimi obumbrabit te, vnde etiam quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Significat enim Angelus virtute Dei opus fuisse ad Christi conceptionem, vt qui inde nasciturus erat diceretur Filius Dei. Iam verò si appellatio *filij Dei* designaret munus duntaxat mediatorium, &, si homo ille quem oportebat hoc munus suscipere, non idem Deus esse debebat, nihil opus erat virtute Spiritus sancti ad hominis ψιλοῦ conceptionem, cui munus eiusmodi erat imponendum. Deinde & hoc in verbis illis venit considerandum, quod *Sanctum* ab Angelo vocatur id quod in Christo est essentiale. nam (inquit Angelus) *quod ex te nascetur Sanctum*, & illud ipsum essentiale vocatur ab eodem *Filius Dei*. Itaque hinc duo efficiuntur, primum quod *Filius Dei* designat aliquid in Christo essentiale, secundum quod illud essentiale dicitur *Sanctum*. Itaque nouum nec absurdum est, ut natura Christi diuina dicatur ab Apostolo, Rom. 1. 4. πνεῦμα ἁγιωσύνης. Obseruandum item est hoc quod Angelus dicit τὸ γεννώμενον, non verò ὁ γεννώμενος, quod significatur non hominem illum, qui nasciturus erat, dici *Sanctum* concretè, seu adjectiuè, sed naturam Diuinam in eo appellari *Sanctum* discretè, siue substantiuè. Atque sic responsum esto effugio hominis Hæretici, ad Apostoli locum, qui est Rom. 1. 3. 4.

Exceptio ad locum illum.

Res. 1.

2. Explicatur locus Luc. 1. 35.

Alterum testimonium quo probari potest appellationem *filij Dei* designare non munus, sed naturam in Christo diuinam, petitur ex formula Baptismatis, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Cùm enim in ea appellatio *Patris* & *Spir. sancti* designet personam, non verò officium aliquod, æquum est, vt & nomen *Filij* designet personam, secundam nempe S.S. Trinitatis hypostasin, non verò Personæ illius munus seu officium. Tertium testimonium petitur ex iis Scripturæ locis, quibus nobis commendatur Dei erga genus humanum charitas summa, in eo quod filium pro nobis tradiderit, vt Iohan. 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit*, &c. Item, *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit*, &c. Rom. 8. 32. Nam si iis in locis *Filij* vox munus duntaxat Christo impositum significaret, frigida esset

Probatur. 2. ex formula Baptismatis.

3.

eſſet hæc charitatis Dei commendatio ab Apoſtolo inſtituta, neque enim res tanta eſt dediſſe hominem qui munere fungeretur mediatorio, præ eo quod eſt dediſſe proprium & conſubſtantialem ſibi filium, in hoc enim multò maxima elucet Dei charitas. Quin & vox *Unigeniti*, quæ habetur Iohan.3.16. ſatis oſtendit verum eſſe quod nos volumus, & Hæreticos refellit. Quarta ratio ſeu Scripturæ teſtimonium petitur ex iis locis in quibus Chriſti obedientia ſumma prædicatur, nam ex eo maximè exaggeratur quod Dei Filius fuerit, vt Heb.5.8. *Quamuis Filius eſſet, tamen ex ijs quæ paſſus eſt obedientiam didicit.* Obedientia illa non eſſet tantopere deprædicanda, ſi Chriſtus ψιλὸς ἄνθρωπος & mera creatura duntaxat eſſet, non verò ipſe Dei Filius Patri conſubſtantialis. Deinde, ſi appellatio *Filij* munus deſignat, hic eſſet verborum Apoſtoli ſenſus, *Quamuis Mediator eſſet, tamen ex iis quæ paſſus eſt obedientiam didicit*, hoc verò idem eſt ac ſi diceret, *quamuis eſſet Mediator, tamen fuit Mediator*, nam munus Mediatorium verſabatur in obedientia illa de qua illic eſt ſermo. Quinta & vltima ratio petitur ex Hebr.3.5. vbi Chriſtus ab Apoſtolo Moſi confertur & præfertur. *Nam Moſes* (inquit) *conſtitutus fuit ſupra domum Dei vt ſeruus, Chriſtus verò vt Filius, & tanto maiore honore dignus iudicatur quam Moſes, quanto domo dignior eſt is qui condidit domum: qui autem omnia condidit, Deus eſt.* Vnde duo conficiuntur, primum, Chriſtum, domum Dei condidiſſe, & eſſe Deum, quia qui omnia condidit Deus eſt. Alterum, appellatione *Filij* deſignari diuinam eius naturam, ſecundùm quam omnia condidit, etiam domum Dei ſeu Eccleſiam, cui vt Filius præpoſitus eſt, & quam, quâ Deus eſt, condidit. His argumentis & Scripturæ locis probatur appellatione *Filij* deſignari diuinam Chriſti naturam.

4. (margin) 5. (margin)

Vindicantur Scripturæ loci à Socinianis ſupra adducti. 1.

Sequitur iam vt locis Scripturæ, & argumentis quæ inde ab Hæreticis deducuntur, reſpondeamus. Primùm itaque ad hunc ipſum locum quem præ manibus habemus: Reſpondemus, mutilam ab iis afferri Petri confeſſionem, non enim tantum dixit Petrus, *Tu es Filius Dei*, ſed, *tu es Chriſtus, Filius Dei viui*: nempe duo fuerunt in Petri confeſſione; vnum, Chriſtum eſſe Meſſiam; alterum, eundem eſſe Filium Dei viui. Vnde patet illa duo eſſe manifeſtè diſtincta, & diuerſa ſignificare, *Chriſtum*, & *Filium Dei.* Chriſtus autem, in hoc ſuo interdicto, ſatis habet vetare Apoſtolis, ne dicant ſe eſſe *Chriſtum Ieſum*, quia id vetando ſimul eadem operâ vetat, ne dicant ſe eſſe *Filium Dei*: non quod *Filius Dei* & *Chriſtus* idem ſignificent, ſed quod quicunque eſt *Chriſtus Ieſus*, idem neceſſariò ſit *Filius Dei*, cùm nemo munus Mediatorium exercere queat niſi qui idem Deus ſit. Poteſt quidem eſſe Deus abſque hoc officio, at non poteſt eſſe hoc officium abſque Deo.

Ad locum autem qui eſt Iohan.10.34. Reſpondemus, Chriſtum eo loco non explicare qua ratione, & quo ſenſu ſit, dicatque ſe eſſe Filium Dei, ſed Iudæos duntaxat malitiæ conuincere, qui ipſi tanquam atrox aliquod facinus objiciebant, quòd cùm homo eſſet diceret ſe Dei Filium: hoc nempe vult, quum Deum Patrem ſuum dixit, ſe nihil ſibi eo tribuiſſe quo Iudæi offendi debuerint, vel quod videri deberet ipſis nouum, cùm vulgata & familiaris ipſis eſſet ex Lege, illa *Deorum* & *Filiorum Dei* appellatio tributa & conceſſa quibuſdam hominibus. Verba igitur Chriſti ſic ſunt accipienda, quaſi diceret, Eſto, ſim nudus ac merus homo, vti vultis, quid tantopere offendimini, neque blaſphemum ideo iudicatis quod me vocem Dei filium, quaſi nouum & vobis inauditum titulum mihi tribuam? cùm tamen hoc ſit in Lege veſtra familiariſsimum, vt qui à Deo ad munus aliquod ſingulare & eximium, Dei nomine inter homines peragendum, miſsi ſunt (quales ſunt verbi gratia, Reges & Magiſtratus) *Dei & Filij Altiſsimi* vocentur. Cùm itaque negare non poſsitis, me à Patre miſſum & ſanctificatum eſſe ad munus hoc, quo iam inter vos fungor, peragendum, quod ſatis teſtantur opera illa quæ à me fieri videtis, cauſſa nulla eſt cur blaſphemiæ crimen mihi propterea impingatis, quod Deum dicam Patrem meum. Non ergo (quod volunt Hæretici) Chriſtus iſthic docet ſe non alia ratione eſſe Dei Filium, quàm quomodo Judices & Magiſtratus *Dij* & *Filij Dei* vocantur, ſed Judæorum calumniam duntaxat, eo quo diximus modo, refellit.

Obſcurior fuit de Chriſti diuinitate cognitio ante aſcenſum eius in cœlum.

Atque hîc obſeruandum eſt, obſcuriorem fuiſſe totius ſalutis humanæ οἰκονομίας rationem ante Chriſti reſurrectionem, & eius in cœlum aſcenſum, vnde & ante tempus illud obſcura fuit de Chriſti diuinitate cognitio. Chriſtus quidem nunquam negat ſe eſſe *Deum, Dei Filium*, imò non detrectat hominum ad ſe venientium adorationem, at non tamen exertè & apertè dicit ſe eſſe Deum: Deus nempe prout videbat decere Sapientiam ſuam, apertam huius myſterij notitiam differebat ad reſurrectionem vſque Chriſti, eiuſque in cœlum aſcenſum, & Spiritus ſancti in corda fidelium miſsionem. Vnde eſt quod Paulus Act.13.33. dicit, Deum poſt reſurrectionem demum Chriſto dixiſſe, *Tu es filius meus, ego hodie genui te*, non quod tum demum cœperit eſſe Filius Dei, & ab eo gigni, ſed quia tum Deus potentiſsimè per reſurrectionẽ declarauit Chriſtum eſſe filium ſuum. Hic enim eſt Scripturæ mos vt res tum dicantur fieri vel naſci quum manifeſtantur & ſeſe produnt, vt quum Salomon Prouerb.17.17. ait, *Amicum naſci in die malo*, hoc eſt, tum ſeſe prodere quum premit nos anguſtia. Quare ex illa reuelationis οἰκονομία Chriſtus non hîc negat ſe eſſe Deum verum (quod tamen faceret, ſi, vt volunt Hæretici, diceret ſe non aliter eſſe Dei filium, quàm quomodo Judices dicuntur *filij Altiſsimi*) ſed potius hominibus colligendum relinquit, ex verbis ſuis, ſe eſſe verè Deum, verum & naturalem Dei Filium.

Vindicatur 3. locus.

Poſtremò ad locum Hebr.5.4.5. Reſpondetur primò per ἄτοπον, Nam ſi (vt volunt Hæretici) verbis illis *Tu es filius meus*, &c. Chriſtus eſt conſtitutus Mediator, ſequitur Chriſtum non fuiſſe Mediatorem niſi poſt reſurrectionem, cùm (teſte Paulo Act.13.33.) Pater demum poſt reſurrectionem illi dixerit, *Tu es filius meus, ego hodie genui te.* At verò ne ipſi quidem Hæretici auſint dicere, Chriſtum demum poſt reſurrectionem conſtitutum fuiſſe Sacerdotem. Reſp. ſecundò, nihil aliud poſſe ex dicto Apoſtoli elici niſi hoc, Chriſtum ab eo vocatum eſſe ad munus Mediatorium à quo genitus eſt, & à quo dictum eſt ei, *Tu es filius meus*, quod nos non

negamus, negamus tantum verbis illis, *Tu es Filius meus*, Christum constitutum fuisse Mediatorem. Nam licet Pater, etiam ante resurrectionem testimonium illi perhibuerit, tamen quoniam ad resurrectionem vsque Christus infirmitate veluti circumvallatus fuerat, & morti obnoxius, vocatio eius ad munus Mediatorium obscurior ad illam vsque diem fuit, verùm vbi depositâ mortalitate gloriosè resurrexit, & in cœlum ascendit, tum propriè palàm omnibus veluti declarauit, Christum & filium suum esse, & ad munus Sacerdotale vocatum esse. Itaque verbis illis *Ego hodie genui te*, &c. non continetur institutio Christi in munere Mediatorio, sed declaratio & patefactio quod Filius sit, ac proinde non vltrò eum inuolasse in illud munus quo defunctus est, sed ad id vocatum fuisse à Patre.

Sociniano-rum argumenta sunt præter rem.

Atque sic responsum est ad Hæreticorum illorum argumenta. Ostendendum iam nobis est, argumenta illa esse præter rem. Non enim iis assequuntur quod volunt, imò verò sententiam suam eunt euersum. Nam quamuis probassent appellatione *Filij* designari munus Mediatorium, non tamen inde euicissent propositum suum, Christum nempe non esse verè Deum. Etenim munus illud tantum est, vt à nullo peragi possit qui idem Deus non sit.

Aduersus interdictū Christi objiciuntur duo.

Iam respondendum iis quæ aduersus hoc Christi interdictum objici, & afferri possunt Duo autem objici posse videntur, nempe interdictum illud videri pugnare primò, cum Dei bonitate, secundò, cum eius Sapientia. Ac cum bonitate quidem, quia Christus hoc interdicto videtur impedire fidem, & fouere incredulitatem; Fides enim hominum animis ingeneratur per prædicationem Euangelij, quam qui impedit & prohibet, fidem impedit: Christus autem cùm vetat Discipulis ne dicant se esse Christum Iesum, quæ summa est Euangelij, videtur eius prædicationem impedire.

2. Cum Sapientia autem Christi pugnare videtur hoc interdictum, siquidem iam antea amandarat Discipulos ad prædicandum Euangelium, vti patet ex capite 10. vers. 6. 7. huius Euangelij, hoc itaque interdicto videtur consilium mutasse, quod non est Sapientis. Sed ad prius illud respondemus per distinctionem, nempe aliud est *credere in Messiam*, aliud verò *credere hunc singularem hominem esse Messiam*. Aliud enim est tenere & nosse essentiam rei alicuius, aliud nosse essentiam illam in hac vel illa esse materia: exempli gratia, potest quis nosse quid sit triangulus, qui tamen si illi offeratur triangulus in materia aliqua, auro puta, vel ære aut ligno, opertus panno aut alio velo, ignoret an materia illa sit triangularis necne. Sic aliud est scire *quid sit Messias*, siue nosse *esse Christū Redemptorem*, aliud *quis sit Messias*, hoc est, scire hunc hominem esse Messiam, nam prius illud est scire veluti *formam rei*, posterius istud est quasi nosse *materiam informatam*, hoc est, formam in hac singulari esse materia. Sic etiam aliud est scire *quid*, seu *qualis sit Antichristus*, aliud, *quis sit Antichristus*, potestque fieri vt aliquis sciat qualis sit Antichristus, qui tamen nesciat quis sit Antichristus. Iam verò Christus non interdicit Discipulis prædicationem Messiæ, hoc est, non vetat ne dicant esse aliquem Redemptorem, hæc enim fuit doctrina in Israele notissima; sed prohibet duntaxat ne dicerent se esse Messiam & Redemptorē illum. Hoc autem non pugnat

Ad prius Respond. Non pugnat cum eius Bonitate.

cum Christi bonitate, siquidem salus potuit tum obtingere credentibus esse Messiam, etiamsi nondum crederent hunc hominem Iesum Nazarenum esse Messiam.

Instans.

Verùm id ipsum non caret difficultate, quod scilicet non sit necessarium ad salutem credere illum esse Messiam qui reuera est Messias. Atque hîc obseruandum est duplicem esse ignorantiam, alia nempe est *affectata*, alia quæ est *meræ simplicitatis*: verbi gratia, si quis sit qui putet patrem non esse colendum, is certè scelestus est, non enim debet nescire patrem esse colendum: At si quis ignoret quis sit pater, propptereaque eum non colat, non est reus contempti patris. Sed si validis argumentis pater se illi probauerit, ipse autem argumenta illa eleuet atque oppugnet, ne agnito patre teneatur eum colere, affectata est ignorantia illa, & à malitia atque odio proficiscitur. Ita si quis sit qui nesciat omnino esse Messiam, seu Redemptorem generis humani, non potest is seruari, est enim crassa illa & effectata de Mediatore ignorantia, quæ eum reum peragit: At si alius sit qui sciat quidem esse Messiam seu Mediatorem, sed nesciat quis sit ille Mediator, non peccat si in eum non credat, si eum non habeat pro Mediatore. Exempli gratia Cornelius Centurio, priusquam Petrum audiuisset, non ignorabat esse Messiam, nam hoc edoctus erat à Iudæis quibus nomen iam suum dederat nondum tamen sciebat quis esset ille Messias, quare tum habuit excusabilem de Christo ignorantiam, vtpote quæ esset *meræ simplicitatis*, siue (vt loquuntur in Scholis) *puræ negationis*, ac propterea seruari potuisset per fidem illam quam tum habebat de Messia venturo. Verùm, si post auditam Petri prædicationem idem non credidisset Christum Iesum esse Messiam ignorantia eius fuisset affectata, nec seruari potuisset ex generali, quam de Messia habebat, fide. Sic Iudæis post auditam Christum eiusque Apostolos; nullam habuerunt iustam excusationem si in Christum non crediderunt, ignorantia enim eorum affectata fuit, & profecta ex malitia. Ita videmus ignorari posse sine peccato quis sit Messias, posséque aliquem saluum fieri etsi non credat hunc esse Messiam, modò ne sit affectata eius ignorantia. Vnde liquet Christum hoc suo interdicto non impedire fidem, aut fouere incredulitatem, quando eam fidem non impedit per quam potest quis consequi salutem.

Ref. per dist.

Simili illustratur.

applicatur dist.

Exemplū.

Sed hîc rursus quæritur, *An cum Dei summa bonit ue stare possit quod non omnibus dederit, & reuelarit verbum suum.* Respondeo, Bonitatem Dei ergo creaturas esse merè voluntariam atque arbitrariam, nisi quum est aliquid in creatura quod referat Dei imaginem quâ sanctus est. Nam cùm Deus non possit odisse imaginem suam, sed illam (vti supra ostensum est) amet necessariò, fieri etiam non potest vt creaturam suam non amet, in qua refulgere videt imaginem suam. At quum Dei imago non refulget in creatura, imò verò aliquid est ab illa imagine abhorrens, & illi repugnans, tùm Sapientia moderatur Bonitatem. Cùm itaque omnes omnino homines destituti essent Dei imagine, omnes quidem ad pœnitentiam vocauit, sed alios illustriori modo per Verbum, alios obscuriori per opera creationis & naturæ, prout Sapientiæ ipsius visum est ista dispensare. Quare quod omnibus non reuelauit Verbum suum, non

Quod Deus non omnibus reuelauit Christum.

non pugnat cum Dei bonitate.

pugnat

pugnat id cum eius bonitate, quin potius in eo elucet magna eius bonitas, quod nunquam reliquerit se ἀμάρτυρον, *absque testimonio.* Atque hic argumentum habemus pro Prædestinatione, nam quod Deus huic plus indulget, illi verò minus, cùm ambo naturâ pares sint, & quidem quia ei sic visum & libitum est, quid aliud est illud quàm executio decreti Prædestinationis? nam nihil agit Deus in tempore, quod non ab æterno decreuerit agere, atque eiusmodi decretum est Prædestinatio. At dices, si Deus nullo modo patefecisset reprobis Euangelium, an dici possent rei contempti Euangelij? Respondeo. Eodem modo dicerentur rei, quomodo Diaboli. Diabolus autem non est reus quod Euangelium oblatum respuerit, Christus enim nunquam est ipsi oblatus, sed ideò dici potest reus, quod hominibus Euangelium inuideat, & prædicationem eius impedire conentur. Atque sic demonstratum est, interdictum Christi non pugnare cum ipsius bonitate.

Christi interdictum non pugnat cum eius Sapientia. Quod ostenditur.

Videndum iam an pugnet cum eius Sapientia, arguatque aliquam in eo inconstantiam & consilij mutationem. Minimè id verò. Nam primò, 1. Christus non prius discipulos emiserat ad prædicandum propriè dictum Euangelium, ipse hoc sibi seruabat (quod est obseruandum) Christo enim viuente adhuc ipsi fuerunt tantum Discipuli, iam autem Discipuli non est, viuente & vidente Magistro, docere. Emiserat quidem iam antea eos Christus, sed vt auditores & discipulos ipsi præpararent: Non itaque propriè loquendo docebant in prima illa legatione Apostoli, sed animos potiùs hominum erigebant, & præparabant in expectationem futuri Messiæ, quod vel ex verbis Christi ad ipsos liquet, Matth. 10. 23. *priusquam peragraueritis vrbes Israelis veniet Filius hominis* significans se ad hoc eos mittere, vt aduentum suum hominibus nunciarent. 2. Secundò, quamuis diceremus Christum Apostolos priùs emisisse ad prædicandum Euangelium, nulla tamen hìc esset in eo inconstantia, & consilij mutatio. Is enim non dicitur consilium mutasse, qui quum aliquid ad tempus vult, exacto illo tempore desinit illud velle, sed tum demum est in aliquo inconstantia, quum aliquid ad certum & præstitutum tempus vult, interim, nondum exacto illo tempore, mox mutato consilio desinit id velle. Christus itaque potuit velle vt Apostoli ad tempus Euangelium prædicarent, dein exacto illo tempore potuit, sine consilij mutatione, illis prędicationem illam interdicere. Sic voluit Deus ad tempus Legem ceremonialem obseruari, postea, exacto illo tempore eam, sine consilij mutatione, non amplius vult obseruari.

Ratio interdicti Christi duplex.

At quæres, *Cur tandem, & quo consilio, Christus noluerit Discipulos suos tum prædicare Euangelium?* Multi multa hic dicunt, Nos simpliciter respondemus 1. primò, id ab eo factum esse quia Discipuli, instante Christi morte, & conturbatis ob eam ipsorum animis, non erant tum idonei tantæ rei prædicatores. Nam quos Deus mittit ad insigne aliquod facinus, eosdem etiam simul armat insigni vi & robore Spiritûs, nec vult quemquam mittere qui non sit sibi conscius idonei roboris: quare, nondum plenè misso Spiritu Sancto non erant Discipuli ad rem tantam satis idonei. 2. Secundò, Cùm Christus Discipulos esset breui relicturus, noluit eos eâ onerare inuidiâ quam necessariò affert secum Euangelij prædicatio, sed eos voluit expectare donec validiè corroborati essent à Spiritu Sancto, quod tum demum factum est, quum post ascensum in eius cœlum missus est in eos Spiritus Sanctus. Atque in hoc elucet Christi in Discipulos charitas, quos quamdiu cum iis fuit & conuixit, fouit in sinu sè, vnde etiam eos interrogat, *Quamdiu fui vobiscum, & misi vos absque crumena, &c. num aliquid defuit vobis? Ipsi verò dixerunt, Nihil. At nunc, inquam, qui crumenam habes, sumat eam similiter & peram, &c.* Luc. 22. 35. innuens eos longè durius habitum iri postquam ab iis recessisset.

Dogmata ex hoc textu elicienda.

Postremum, quod in explicatione huius loci proposuimus nobis faciendum, hoc est, Dogmata iudicare quæ ex eo elici possunt. Ea autem breuiter sunt ista. 1. Non semper esse prædicandum Euangelium & vbique, sed circumstantias loci, temporis & personarum esse obseruandas. Deus, exempli gratiâ, non vult iam nos derelictâ statione nostrâ excurrere in Hispaniam, vel ad Indos, atque isthic prædicare Euangelium, hoc enim esset fortè canibus & porcis margaritas objicere. 2. Omnia præcepta non esse æqualia, siquidem Deus alia aliis grauiùs interdicit, seueriusque prohibet. 3. Christus est qui clauem habet Dauidis, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, mittit enim quum vult, cohibet etiam quam ipsi libet Discipulos, ne dicant se esse Christum Iesum. Atque hæc circa locum istum dicta sunto.

MATTH. Cap. XVI. Vers. 27.

Μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.

Venturus est enim Filius hominis in gloria Patris sui, cum Angelis suis, atque tunc reddet vnicuique secundum facta eius.

Loco isto abutútur, 1. Vbiquitarij.

LOcum istum nobilem & illustrem fecerunt duæ, quæ hodie feruent atque agitantur, Controuersiæ. Prima est Vbiquitariorum, qui refugientes dogma Transsubstantiationis, in aliud non minùs, aut verò magis etiam absurdum delapsi sunt, quum volunt Christi corpus esse aut *in*, aut *cum*, aut *sub* pane, quod vt probent, contendunt esse vbique. Quia verò tam absurdo dogmati quærendum erat subsidium, confugerunt ad excellentiam naturæ humanæ Christi, quam aiunt per vnionem hypostaticam cum Diuina cooptatam esse in communionem omnium proprietatum diuinarum, adeoque nihil absurdi esse si corpus eius, cùm per illam communionem adeptus sit omnipræsentiam, dicatur esse *in*, vel *cum*, vel *sub* pane. Conquisita sunt igitur vndique ab ipsis omnia Scripturæ loca, quæ aliqua cum specie videntur humanæ Christi naturę proprietatem aliquam Diuinam tribuere, atque inter ea locus iste non est ab ipsis prætermissus, quem in caussæ suæ patrocinium trahunt: hoc enim loco putant Christo, quâ filius est hominis, hoc est, (inquiunt) quatenus est homo, tribui Majestatem gloriam, atque potestatem Diuinam, vtpote cui tribuitur hìc potestas iudicandi mundum, & vnicuique reddendi secundum opera eius. Quod si potestas illi tribuitur diuina quâ homo, sequi-

tur & potentiam diuinam illi, quâ homo est, conuenire, potestas enim potentiam præsupponit necessariò. Si diuina potentia, seu omnipotentia, illi conuenit quâ homo, certè & omnipræsentia illi conueniet, nulla enim ratio est, cur vna magis quàm alia proprietas Diuina illi competat. Altera Controuersia est Pontificiorum qui hoc acriter aduersus nos tuentur, *Hominem non fide sola; sed operibus etiam apud Deum iustificari*, quod vt probent huc trahunt locum istum, *Filius hominis reddet vnicuique secundùm opera eius.* In huius autem loci explicatione, vt vtraque illa controuersia definiatur, ordo à nobis iam prius institutus, seruabitur: primò nempe vim verborum expendemus, secundò loci totius sententiam colligemus; tertiò, concludemus inde atque definiemus vtramque quæstionem.

2. Pontificij.

Ordo dicendorum.

P. imum ergo expendendus nobis venit titulus ille *Filius hominis*, quem passim in Euangelio Christus sibi tribuit, vera enim appellationis illius ratio cognita primam Vbiquitariorum controuersiam, quam ex hoc loco mouent, definiet. Ac primò quidem aliorum sententias de hoc titulo varias proponemus, tum eam quę nobis maximè probanda videtur, exponemus. Sunt ergo qui putant Christum ideo se vocasse *Filium hominis* vt ostenderet se verum esse hominem, non verò spectrum & phantasma, quod tamen in mentem venire potuisset iis qui videbant ab eo fieri tam stupenda miracula, quæ ab homine non possunt patrari. Atque hæc est Tertulliani, aduersus Marcionem disputantis, sententia. Sed hæc ratio parum videtur firma, nam dum vixit, & in terris egit Christus, nemo humanæ eius naturæ veritatem in dubium vocauit: multi quidem tum fuerunt qui eum esse Deum vel negarent, vel dubitarent, at nemo fuit qui eum verè hominem esse ambigeret. Itaque necesse non erat veritatem in humanæ naturæ suæ illo titulo adstruere. Ex illo sanè titulo probari potest contra Marcionem veritas humanæ Christi naturæ, (atque hoc satis esse debuit Tertulliano) at non fuit propterea hoc Christi consilium, neque eò propriè respexit Christus, cùm hunc sibi titulum tribueret. Altera sententia de hoc Christi titulo, est eorum qui putant Christum ideo se vocare *Filium hominis*, vt charitatem suam erga nos commendaret, quod cùm Deus esset factus sit homo, naturam nostram induens, sibique hypostaticè vniens. Sed neque solida est hæc ratio: Nam quotusquisque è plebe quam Christus alloquebatur, eum esse Deum credebat, quem plerique omnes non eum alium esse credebant præterquàm ψιλὸν ἄνθρωπον? quî potuit ergo apud eos commendari Christi charitas ex illa *Filij hominis* appellatione? In hoc quidem elucet summa Christi charitas, quod cùm Deus sit hominem se fecerit, sed hæc non fuit ratio cur illam *Filij hominis* appellationem sibi apud plebem tribuerit. Tertia sententia est eorum qui putant Christum hoc titulo nihil aliud significare voluisse, nisi se esse Adami filium, ita vt vox ἄνθρωπος hîc *Adamum* significet, siquidem græcè ἄνθρωπος idem est quod אדם hebraicè. Sed hoc dilutum est. Quis enim tum ambigebat eum esse Adamo oriundum, cùm hominem eum esse scirent natum ex B. Virgine Maria? Itaque nihil opus erat homines monere, vel docere se esse Adamo oriundum. Friget ergo hæc ratio.

Quare Christus se vocat *filium hominis*.

1. Sententia

Tertulliani.

Rejicitur.

Ref.

Ref.

Ad quartam autem sententiam (quam putamus veram esse) priusquam veniamus, præstruenda sunt nonnulla, & iacienda eius veluti fundamenta. Cùm itaque phrasis ista non in Nouo duntaxat, sed & in Veteri occurrat Testamento, videndum est quomodo, & quo sensu, alibi in Sacra Scriptura vsurpetur. Primum ergo obseruandum est, phrasin hanc in Veteri Testamento sexcentis in locis nihil aliud significare nisi *hominem*, vt quum de Deo dicitur, *Non est sicut homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt pœniteat eum*, vbi *homo* & *filius hominis* sunt planè synonyma, idemque prorsus significant. Sic apud Ezechielem, Deus semper eum sic compellat, *Fili hominis*, hoc est ô homo, quomodo, Angli, Belgæ & Germani quum aliquem sibi inferiorem compellant, solent sic eum appellare, *Man*, hoc est, *ô homo*: Vt & Apostolus Roman. 9. 20. ὦ ἄνθρωπε. Atque hinc etiam est quod Syris בר נש *Filius hominis*, perpetuò significat hominem simpliciter. Verùm dilutum foret admodum dicere, Christum se vocare *hominis Filium* vt significaret se esse hominem. Itaque secundò, obseruandus est locus illustris valdè qui est Dan. 7. 13. quo loco agitur de Messia, refert enim Daniel (postquam in visionibus noctis vidisset Antiquum dierum sedentem in throno) *conspexisse se* כבר אנש *quasi filium hominis, venientem in nubibus cœli, qui accessit ad Antiquum dierum à quo data est illi potestas, gloria atque regnum, vt omnes populi gentes, atque linguæ illi seruiant, nam potestas eius est æterna, quæ non transit, & imperium eius non interit.* Hic certè Daniel, ipsis attestantibus Iudæis, per *Filium* illum *hominis* intelligit Messiam. Nam R. Salomo Iarchi in hunc locum apertè dicit הוא מלך המשיח *ipse est Rex Messias.* Aben Ezra autem quamuis non probet hanc interpretationem, atque insulsè, & sine ratione, per *Filium hominis* hic intelligat populum Israelis, refert tamen sententiam R. cuiusdam ישועה, qui hunc locum de Messia interpretatur: Verba Ab. Ezræ hæc sunt ישראל ויאמר רבי ישועה כי זה כבר אנש הוא המשיח ונכון דבר רק הוא עם הקדש שהם hoc est, *Dicit quidem R. Ieschuach voce illa* כבר אנש *significari Messiam, sed rectius est vt eâ tantum significetur populus sanctus nempe Israelitæ.* R. autem Saadias Gaon, nobilis atque illustris inter Iudæos Rabbi (titulum enim illum *Gaon* גאון nullis nisi eximiis & magni nominis Rabbinis tribuunt) non modò locum illum Danielis interpretatur de Messia, sed & alios nonnullos (qui ab aliis Rabbinis aliò detorquentur prauâ interpretatione) vt est ille Psal. 2. *Regem meum vnxi super Sion, &c.* & Psalm. 110. *Dixit Dominus Domino meo, &c.* item ille qui est Zach. 9. 9. *Ecce Rex tuus ad te venit humilis, & pauper insidens asino, &c.*

Iam verò loco illi Danielis, similis & penè parallelus est iste Christi, quem iam præ manibus habemus, *veniet filius hominis in gloria Patris cum Angelis suis, &c.* vt manifestum sit Christum hoc loco respexisse ad illum Danielis de se Prophetiam, sicut & loco illo Iohan. 5. 7. *dedit illi Pater potestatem iudicium faciendi, qui Filius hominis est.* Vnde liquet eum se ideo *Filium hominis* vocasse, quod is sit titulus quem Daniel Messiæ tribuerat, vt hac ratione Christus tacitè plebi insinuaret se eum esse de quo scripserat Daniel, quemque hoc titulo ornauerat, atque sic non obscurè hominibus significaret se esse Messiam. Nec quemquam mouere debet, quod Daniel non dicit

4. Veritas huius dictionis explicatio.

1. significat simpliciter *Hominem*.

2. notat Messiam.

fatentibus ipsis Iudæis.

quomodo & hic à Christo accipitur.

Obj.

dicit veniſſe ſe בר אנש *Filium hominis*, ſed כבר אנש *quaſi filium hominis*, ac ſi aliud eſſet בר אנש *Filius hominis*, aliud כבר אנש *quaſi filius hominis*. Obſeruandum eſt enim Caph ſimiliudinis apud Hebræos eſſe frequenter ἀληθινὸν, & ſignificare non aliquam duntaxat ſimilitudinem, ſed ipſam rei veritatem, vt eſt etiam illud ὡς græcum celebri illo loco Iohan.1.14. *Vidimus gloriam eius ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, tanquam vnigeniti à Patre.* Itaque apud Danielem illud כבר אנש idem eſt quod בר אנש; Quod & confirmari poteſt ex Apoc.1.13. vbi Iohannes dicit vidiſſe ſe in medio ſeptem lampadum ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου, non enim vult dicere eum quem vidit habuiſſe tantum aliquam hominis ſpeciem & ſimilitudinem, ſed reuerâ fuiſſe hominem. Ex his igitur iam eſt manifeſtũ, Chriſtum dixiſſe ſe *Filium hominis* vt eo oſtenderet, ſe eſſe Meſsiam quem Daniel hoc nomine iam olim indigitauerat.

Cur Meſſias dictus ſit *Filius hominis*.

Sed iam quæritur cur Daniel hoc nomine Meſsiam appellarit. Oportet hîc nos meminiſſe eius quod modò diximus, phraſi illâ hebraicâ paſsim in Veteri Teſtamento ſignificari hominem ſimpliciter in genere: Meſsias ergo vocatur *Filius hominis* quod homo eſſe debuerit. At quæres, cur Meſsias vocatur peculiariter *Filius hominis*, cum id nomen omnibus hominibus ſit commune? Obſeruandum nempe eſt, nomina quæ ſpeciem vel ſubſtantiam ſignificant tam in Hebræa, quàm in Latina, Græca, & omnibus vernaculis linguis, adhiberi ad ſignificandam, κατ' ἐξοχὴν, & ἀντονομαστικῶς, ſingulare aliquod in ſpecie illa indiuiduum, ob excellentiam, vel munus aliquod ſingulare, quibus reliquos ſuperat. Sic *Poeta* nomine apud Latinos Virgilius, apud Græcos Homerus intelligendus venit. Sic *ſemen mulieris* ſubſtantiam ſignificat, & eſt appellatio omnibus hominibus communis, ſingulariter tamen Chriſto tribuitur, Gen.3. Item omnes Iudæ Reges vſque ad Sedeciam fuerunt filij Dauid, Meſsias tamen per excellentiam dicitur ſingulariter *Filius Dauid*. Ita planè hic titulus *Filius hominis*, qui ſpeciem humanam in genere ſignificat, adhibetur à Daniele ad deſignandum ſingularem aliquem & indiuiduum hominem, puta Meſsiam, ob eximium Mediatoris munus ipſi à Deo impoſitum, & ſingularem excellentiam qua reliquos homines ſuperat, & longo poſt ſe relinquit interuallo.

Refellitur argumentum Vbiquitariorum.

Atque hinc patet, nullam habere vim argumentum Vbiquitariorum quod ex hoc loco nectere ſolent, *Filius hominis veniet in gloria Patris*, &c. Non enim per *Filium hominis* intelligitur hic aut alibi natura Chriſti humana, ſed Perſona munere Mediatorio ornata, neque eo ſignificatur naturam homanam Chriſti poteſtate infinita eſſe donatam, ſed hoc duntaxat, perſonam eo munere ornatam poteſtate infinitâ iudicandi omnes homines eſſe præditam; Chriſto nempe Mediatori, qui neque eſt ſimpliciter, homo, neque etiam ſimpliciter Deus, ſed θεάνθρωπος, data eſt illa poteſtas infinita. Eodem modo accipiendus & intelligendus eſt locus Iohan.5.27. *Dedit illi omne iudicium quia Filius hominis eſt.* Nam primò, iſthic non eſt ᾗ *quâ* reduplicatiuè, (quæ phraſis à Philoſophis quidem vſurpatur, at in Sacra Scriptura, quę eum loquendi modum ignorant, non inuenitur) ſed eſt ὅτι *quia*. Deinde, *Filius hominis* (vti dixi) non humanam Chriſti naturam, ſed officium ſeu munus eius Mediatorium ſignificat, vel potius perſonam eo munere inſtructam. Itaque *dedit illi omne iudicium quia filius eſt hominis* non ſignificat, poteſtatem infinitam omnes homines iudicandi datam eſſe Chriſto quatenus eſt homo (vti volunt Vbiquitarij) ſed hoc ſignificat, poteſtatem illam ideò eſſe illi datam quia eſt Meſsias qui à Daniele vocatus eſt *Filius hominis*, & cui Daniel vidit poteſtatem & imperium ab antiquo dierum eſſe datum, vtpote qui ſit perſona illa quę ad tantum, tamq; ſublime munus Mediatorium eſt delecta.

Vindicatur locus Ioh.5.27.

2.

Appellationes *Filij Dei* & *Filij hominis* conferuntur.

Porrò, quomodo appellatio *Filij Dei* tum naturam Chriſti diuinam, tum etiam munus eius aliquando ſignificat, ſic etiam appellatio *Filij hominis* & Chriſti munus ſignificat, & naturam eius humanam ſimul includit. Et quomodo Chriſtus quum ſe vocat *Filium Dei* ratione muneris, non propterea negat ſe eſſe naturalem Dei filium, quin potius illud præſupponit, ita quum ſe dicit *Filium hominis* reſpectu muneris Mediatorij, non eo negat ſe verum eſſe hominem, quin hoc potius illo includitur.

Sententia Maldonati.

Iam verò libet hîc Maldonati Ieſuitæ excutere de hac *Filij hominis* appellatione ſententiam. Exiſtimat nempe ille, Chriſtum ſe *Filium hominis* appellare κατ' ἐκφαυλισμὸν quomodo Pſalm.22.dicit ſe eſſe *vermem, opprobrium hominis, non verò hominem.*

Ref.

Sed futilis eſt hæc ſententia, & prorſus aliena. Tantum enim abeſt vt Chriſtus per contemptum ſui *Filium hominis* ſe vocet, vt contra nunquam hunc titulum ſibi tribuat, niſi quum de munere ſuo Mediatorio agit, atque perſonam ſuam ex eo commendare, ſibique conciliare authoritatem ſtudet. Conſulantur omnia Euangeliſtarum loca in quibus occurrit appellatio illa, inuenietur id verum. Sic, exempli gratiâ, quum Paralyticum ſanauit, Iudæis obmurmurantibus dicit, *Vt ſciatis filium hominis poteſtatem habere remittendi peccata*, &c. Matth.9.6. Item alibi, *Filius hominis Dominus eſt etiam Sabbathi*, Matth.12.8. Et, *mortui audient vocem filij hominis, & qui eam audierint viuent*, Iohan.5.25. Et hoc loco, *Veniet filius hominis*, &c. Vix vnus atque alter locus occurrit de quo poſſit ambigi, quiq; videatur in ſpeciem fauere Maldonati ſententiæ; Vt eſt ille Matth.8.20. *Aues cœli nidos habent, at Filius hominis non habet vbi reclinet caput.* Qui locus prima fronte videri alieni poſſet Maldonati ſententiæ ſuffragari, verùm attentiùs conſideranti contrarium videbitur, loci enim illius hic eſt ſenſus, quamuis tantam ſuſtineam perſonam, quæ munere tam ſublimi ornata eſt, tamen non eſt mihi vbi reclinem caput. Eſt & alius locus in quo titulus *Filij hominis* videtur Chriſto per contemptum tribui, nempe Ioh.12.34. *Quis eſt ille Filius hominis?* Reſp. non Chriſtus iſthic de ſe loquitur, ſed Iudæi, manifeſtumque eſt eos ſic loqui quaſi per diriſionem, quod Chriſtus hunc titulum ſibi tribueret, mens nempe hæc eorum eſt. *Es-ne verò tu eximius ille Filius hominis quem Daniel prædixit venturum, & qualem tu te dicis eſſe?* Atque hæc loca ſunt quæ aliquo modo videri poſſent ſuffragari Maldonati ſententiæ, cùm reuerâ tamen illi potius aduerſentur.

Explicatur locus Heb.2.6.

Non eſt tamen diſsimulandum, alium prætere locum eſſe non in Euangelio, ſed in Epiſtola ad Hebræos cap.2.6. Apoſtolus enim eo loci Chriſto aptat hæc Pſalmi octaui verba, *Quid eſt homo vt requiras eum, & filius hominis vt memineris*

eius? Hæc autem per contemptum dici videntur, *quid est homo? quid est filius hominis?* nam idem est ac si diceret Psaltes, Est-ne verò homo, misella creatura, tanti? est-ne filius hominis tam eximium quid, vt eum sic magni facias? Qui locus, quando non caret difficultate, nobis venit explicandus. Duo autem hic nodi nobis sunt dissoluendi; vnus nempe, quam aptè & verè Apostolus Christo tribuat, & ad eum restringat, quod de humano genere in vniuersum à Psalte dictum videtur: alter verò, quomodo quod per contemptum de homine à Psalmista dictum est, *quid est filius hominis*, Christo aptetur ab Apostolo, cùm hæc *filij hominis* appellatio non abjectam & humilem naturam eius humanam significet, sed sublime munus Mediatorium, seu personam illo munere illustrem.

In quo duo nodi.

Hæc vt soluantur duo nobis erunt probanda. Primùm, Psaltem toto illo Psalmo non agere de hominis creatione, & donis homini per creationem collatis, sed de Ecclesiæ redemptione, deque donis quæ fidelibus per Christum, & redemptionis gratiam, collata sunt. Alterū Apostolum verbis illis è Psalmo citatis, *quis est homo, quis est filius hominis*, non intelligere naturam humanam in Christo, sed extra Christum, Christo tamen vniendam. Vt autem priùs illud fiat manifestum, sicque prior nodus dissoluatur, tenendum est quæ sit hoc capite Apostoli mens, hæc nempe, Christum supra Angelos euehere; eumque illis longè superiorem probare, id quod facit hoc argumento: Deus non Angelis, sed Christo subjecit τὴν μέλλουσαν οἰκουμένην *futurum sæculum*, vers. 5. Ergo Christus est Angelis superior. Antecedens illud quoad primam eius partem, Deum nempe non Angelis subjecisse futurum sæculum, sic probat: Deus homini subjecit futurum sæculum; Ergo non Angelis. Probat autem homini à Deo subjectum esse futurum sæculum, adducto Dauidis ex Psal.8. vers.6.7.8. testimonio, hoc modo; Omnia, Dauide teste, à Deo homini sunt subjecta, vers.8. Iam verò subjectio illa non est accipienda de rebus huius sæculi, siue de subjectione rerum omnium quæ concessa est homini à Deo in prima creatione, hoc est, de potestate quam tum homo à Deo accepit in omnia manuum ipsius opera, cuius Moses meminit Genes. 1.18. Ergo intelligendum est illud Dauidis dictum de subjectione τῆς μελλούσης οἰκουμένης *futuri sæculi*. Probat autem dictum illud Dauidis non debere accipi de subjectione huius sæculi homini à Deo in creatione facta, quia scilicet non videmus Dauidis illud dictum compleri in hac vita, in hoc sæculo, *Non enim videmus nunc omnia pedibus hominis esse subjecta*, vers.8. Imò verò tantum abest vt homo omnibus creaturis dominetur, vt contra eas habeat & experiatur inimicissimas, ab iisque multa patiatur incommoda & damna. Quandoquidem ergo in hac vita, & hoc sæculo non videmus omnia esse homini subjecta, & Scriptura solui non potest, necesse est vt illud Dauidis dictum *omnia subjecisti pedibus eius*, non de subjectione rerum omnium in hac vita intelligendum sit, sed de ea quæ futura est in venturo sæculo. Sic probauit Apostolus non Angelis, sed homini subjectum esse à Deo futurum sæculum.

ad quorũ solutionẽ duo sunt probanda.

Mens Apostoli mens siue scopus.

& argumentatio.

Non de Adamo.

Sed præterea probat idem Apostol. Christo subjectum esse futurum sæculum, deque eo accipiendum esse illud Dauidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus eius*, hoc pacto. Illi subjectum est futurum sæculum, siue, illum honore & gloria coronauit Deus (sunt enim ista duo Apostolo hic ἰσοδυναμοῦντα) quem prius Deus ἠλάττωσε βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, vers.7. Sed Iesus Christus ille est quem Deus ἠλάττωσε βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, vers.9. Ergo Christus ille est cui futurum sæculum à Deo subjectum est, siue, quem Deus honore & gloria coronauit. Vbi notandum est βραχύ τι non significare *paulò infra*, vti vulgo redditur, sed *exiguo*, hoc est, *breui tempore*, (quomodo ab ipso Apostolo explicatur vers.9. verbis istis, διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, hoc est, *per illud tempus quo passus est mortem*) vt hic sit sensus, *minuisti eum ad breue tempus infra Angelos*. Nam hinc liquet, verba illa Psaltis propriè & primò de Christo esse accipienda, qui ad breue tempus (passionis nempe suæ) factus est, respectu humanæ naturæ, Angelis inferior, non verò de humano genere esse intelligenda, cui breue illud tempus non potest accommodari. Sic ergo demonstratum est, eo Psalmo non agi de Dominio quod homo in creaturas à Deo accepit in creatione, (cuius vestigia quædam obscura adhuc restant in homine, cui vtcumque seruit tota hæc mundi machina,) non enim eiusmodi, & tam absolutum fuit, aut verò iam est, Dominium illud, vt de eo dici possit, *Deum nihil omnino omisisse quod homini non subjecerit*, vers.8. quin potius de eo verum est id quod ibidem ait Apostolus, *nunc nondum videmus omnia homini esse subjecta*. Agitur ergo eo Psalmo de dominio quod Christus accepit in omnes omninò Dei creaturas, [nullis exceptis] etiam in Angelos [nam *in eo quod Deus illi subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum*, vers.8.] siue de gloria & honore illo quo Deus Christum post mortis passionem, resurrectionem, & in cœlum ascensionem coronauit, quum eum euexit & collocauit in cœlo à dextris suis, supra omne nomen tam in cœlo quàm in terra, nam *hodie videmus Iesum gloria & honore coronatum, qui* [paulò ante] *ad breue tempus, propter mortis perpeßionem, factus fuerat Angelis inferior*, vers.9. Vbi obseruanda est oppositio, quam eo versu facit Apostolus, inter Christum qui gloria & honore coronatus est, cuiusque pedibus omnia subjecta sunt, & inter hominem cui [vers.8.] negat omnia esse subjecta. Sic enim demonstrat Apostolus, Dauidis dictum non posse [vti loquuntur in Scholis] verificari de homine, sed de solo Christo.

sed de Christo loquitur eo Psalmo Dauid.

de Christi nempe gloria, & ascensionem in cœlum.

Sic itaque breuiter disputat Apost. Scriptura solui non potest, sed necesse est vt complementum suum sortiatur, illa autem testatur omnia hominis pedibus à Deo esse subjecta, quòd cùm non videamus iam fieri in hoc sæculo, necesse est vt tandem aliquando, nempe in futuro sæculo, id verum compertiatur, quum scilicet homo [hoc est, fideles] per Christum miseriis omnibus huius vitę solutus, in cœlum transferetur, & supra omnes creaturas euehetur. Hæc autem gloria fidelibus, non primò & per se, sed propter Mediatorem Christum competit, adeoque eorum capiti Christo primariò conuenit, qui homo factus cùm morte sua hominem redemisset, post passiones suas cum summa gloria in cœlum est euectus, & supra omnes omnino creaturas constitutus; de quo solo propterea primò & propriè verificatur [vt ita dicam] Dauidis dictum *omnia subjecisti pedibus eius*, de fidelibus autem in futura vita non-

ratio & vis argumentationis Apostoli.

vita nonnisi secundariò, & per participationem, seu communionem, quam habent cum capite suo Christo. Quomodo ergo solemus aduersus Philosophos disputare, & contra eos vitam futuram probare, hoc modo: Omnibus est in confesso homini felicitatem, seu summum bonum esse propositum & constitutum quo beatus fiat, eò enim omnes naturaliter tendunt, vt fiut beati: Iam verò hæc beatitudo homini non contingit in hac vita; Necesse est ergo vt sit aliqua futura vita, in qua homini felicitas ad quam omnes adspirant, obtingat. Sic nempe disputat aduersus Ethnicos Philosophos B. August. in libris de Ciuitate Dei. Ita planè hoc loco Apostolus ex Dauidis dicto argumentatur, probatque Christo propriè subjectum esse futurum sæculum, homini verò nonnisi secundariò, & per communionem cum Christo.

Soluitur 1. nodus.

Cùm itaque iam sit demonstratum, Dauidem eo Psalmo non agere de dominio humani generis in creaturas, quod homo à Deo accepit in creatione, sed de imperio quod Christo datum est in omnes creaturas, ratione muneris ipsius Mediatorij, solutus est hac ratione primus nodus, quo quærebatur, *quomodo Apostolo Christo aptet id quod à Dauide dictum videtur de vniuerso genere humano.*

Soluitur 2.

Sequitur nodus alter expediendus. Ad cuius solutionem notandum est, verba illa Psaltis, *quis est filius hominis vt respicias eum,* non vsurpari ab Apostolo de Christo naturâ humanâ prædito, quasi hic esset eorum sensus, *Quis est Christus Filius hominis vt eum respicias?* sed ea dici de natura humana in genere, cum relatione tamen ad Christum, quatenus in eo erat naturæ Diuinæ conjungenda, hoc sensu, *quæ est tanta dignitas & excellentia humanæ naturæ, vt eam tanto honore, tanta gloria dignatus sis, vt τῷ λόγῳ ipsam vnieris, & in eo supra omnes creaturas euexeris? An hoc erat promerita? Nihil minus.* Sic nempe alicubi Augustinus loquitur, *Quid promeritus est homo ille Christus, vt τῷ λόγῳ vnitus fuerit?* Vbi per vocem *homo* non intelligit Augustinus Christi personam ab humana natura denominatã, sed naturam humanam in Christo, non vt iam vnitam, sed vt vniendam τῷ λόγῳ. Ita planè hîc illud Psaltis, *filius hominis,* Apostolo non significat Christum munere Mediatorio ornatum, sed naturam humanam in genere, quam Psaltes admiratur à Deo tanto honore esse affectam, vt τῷ λόγῳ vnita, in eo supra omnes Dei creaturas sit euecta. Hoc verò inde liquet, quod *homo* & *filius hominis* hic sunt Apostolo ἰσοδυναμοῦντα & synonyma; Illa itaque *filij hominis* appellatione non significatur ipse Christus, sed natura humana considerata vt diuinæ Christi naturæ vnienda. Itaque solutus est alter nodus. Atque sic ostensum est, ne ex hoc quidem loco euinci posse appellationem *filij hominis*, quum de Christi persona vsurpatur, dici per contemptum, vti vult Maldonatus, vtque prima fronte videri posset alicui id effici ex illo Apostoli loco.

Expeditur vis argumentationis Apostoli.

Sed iam vis argumentationis Apostoli, quam ex hoc Dauidis dicto deducit, expendenda nobis est. Videri enim posset alicui minus attento Apostolum hoc loco, & in multis aliis, vti argumentis minùs validis quæ aduersarium non vrgeant, eumque adeo Scripturæ testimoniis non tam vti, quàm (absit blasphemia dicto) abuti. Quod verum tamen minimè est, quin demonstrari potest, Apostolum nunquam vti aduersus Iudæos (apud quos Scripturæ Vet. Test. authoritas est sacra) argumentis & testimoniis ex Scriptura petitis, quæ non cogant, licet fortè id prima fronte non videatur. Quod vt fiat manifestum duo sunt obseruanda. Primum est, Apud Iudæos (quibuscum res est Apostolo) hoc fuisse persuasissimum, nihil esse in Scriptura frustra dictum, Scripturamque non posse solui, ac proinde implendum esse, & verum inueniri debere quicquid in Scriptura est dictum. Atque huc spectant, & referenda sunt tot Scripturæ testimonia de Verbo Dei, quod sit immutabile, nihilque prorsus excidat eorum quæ Deus locutus est. Item, & illud apud eos in confesso fuit; Scripturam loqui de Messia, adeoque eum esse in quem tota fermè respicit, quique eius sit veluti fundamentum, & quasi medulla. Vnde etiam est quod pleraque in veteri Testamento sunt typicè de Messia dicta, deque eo sunt intelligenda, atque ad eum (quantum quidem id commodè fieri potest) trahenda & accommodanda. Inde est quod Christi & Apostoli, ex ipsorum concessione, aduersus eos argumentabantur eosque valdè vrgebant. Sic nempe agit cum ipsis Christus Ioh. 5.36. *Vos scrutamini Scripturas, & illæ testantur de me, & non venitis ad me:* quasi diceret, Apud vos in confesso est, Scripturas agere de Messia (à quo salutem speratis) eòque illas veluti collimare totas, ac propterea vos scrutamini Scripturas vt in iis Christum inueniatis, hoc est, vt ex iis accuratè teneatis quid in iis doceatur de Messia, ut inde deprehendatis & agnoscatis Messiam quum venerit, & tamen (quæ vestra est deplorata cœcitas) non animaduertitis ea omnia quæ in Scriptura de Messia dicta sunt, in me quadrare, vt hoc agnito ad me veniatis, me recipiatis, meque agnoscatis esse Messiam.

Vbi notandum. 1.

Ostenditur vis argumenti Apostolici.

His ita constitutis, sequitur vt quicquid κατὰ τὸ ῥητὸν in V. T. non per omnia conuenit ei de quo videtur institutus esse sermo, ad Christum referatur, de eo intelligatur, atque in eo verificetur; alioqui aliquid in Scriptura dictum aut scriptum esset frustra, & eatenus solueretur Scriptura. Exempli gratia, Dauid Psal. 22. videtur conqueri manus & pedes fuisse sibi perfossos. Quid sibi vult Psaltes illa locutione? Sanè ad exprimendum grauem dolorem nemo vnquam vsus est ea phrasi: Cùm itaque Dauidi non possit id dictum accommodari, & Scriptura solui non possit, de Messia id erit necessariò intelligendum. Itaque vt hæc ad locum istum Apostoli Hebr. 2.6. applicemus, cum Dauidis dictum *omnia subiecisti pedibus ipsius*, verum non sit de homine in genere in creatione considerato, quia non omnia illi sunt tùm subjecta, sequitur necessariò (ne Scriptura soluatur) vt illud de homine in Redemptione intelligatur, illique ex redemptionis gratia conueniat, quod non fit nisi in Christo & per Christum, in quo natura humana ad tantam dignitatem est euecta. Quare vti supra demonstratum est) hoc Dauidis dictum primò & propriè de Christo accipiendum est, nec homini competit nisi in Christo & per Christum. Hoc primum.

Notandum 2.

Deinde, & illud obseruandum est. Deo nempe visum esse ita, tam in natura quàm in gratia, bonitatem suam testari, vt elegerit commune aliquod principium, à quo, veluti à fonte quodam, in homines deriuaret omnes bonitatis suæ riuulos, hoc enim Sapientiæ ipsius planè conue-

niebat. Inde est quod statim initio non plures simul & ἀθρόως, sed vnum duntaxat crearit hominem, à quo postmodum reliqui omnes originem suam ducerent, & quicquid in se per naturam haberent, id totum ab eo tanquam à capite, & sui esse principio, traherent, vt hac ratione arctior inter eos esset naturæ communio atque coniunctio; id quod innuisse videtur Paulus Act.17.26. quum ait *Deum ex vno sanguine totum genus humanum fecisse, vt habitarent per vniuersam terræ faciem.* Atque hæc agendi ratio conuenit cum axiomate Philosophico, *Dari in vnoquoque genere aliquod summum, primum & excellentissimum, à quo reliqua eiusdem generis descendant, & accipiant quod est illius generis.*

Christus est caput Fidelium constitutus.

Iam quod in natura & hominis prima creatione fecit Deus, idem illud in Gratia & redemptione, seu naturæ corruptæ reparatione, & veluti recreatione, facere voluit. Gratia enim naturam non destruit, neque cum ea vnquam pugnat. Constituit nempe Deus caput aliquod, & veluti principium, eorum omnium quos sibi ex reliquis hominibus delegit in peculium, quosque sibi vnire voluit, in quo ipsi reconciliaremur, & à quo vita, salus, Spiritus, & omnia quæ nos per redemptionem habemus beneficia, tanquam à fonte in nos deriuarentur, vt sic & cum Capite, & inter nos per illud caput, arctiorem haberemus coniunctionem. Porrò Caput illud est Christus. Inde est quod quicquid accidit capiti, accidat & membris: Caput nempe ad tempus fuit imminutum, & afflictionibus consecratum, idem quotidie contingit membris; Euectum est postea caput ad summam dignitatem, id ipsum continget & membris, sed propter caput, capiti autem per se. Quare (vt hæc ad rem, de qua iam agimus, accommodemus) cùm Psal.8. Dauid (vti vidimus) agat, non de gloria & honore quæ homini à Deo in prima creatione concessa sunt, sed de gloria quam fideles in vita futura consequentur, quæ ipsis non continget nisi per & propter Christum, sequitur illa verba, *omnia subiecisti pedibus eius,* quibus gloriam illam complectitur & describit Psaltes, primò & præcipuè de Christo esse accipienda, ac proinde rectè locum illum ab Apostolo ad Christum transferri & accommodari.

Notandum 3. Res spirituales terrenis significantur.

Tertiò & hoc obseruandum est, Bona spiritualia & cœlestia passim in Scriptura verbis res & opes terrenas significantibus exprimi atque designari, & quidem interdum etiam in nouo Testamento licet rariùs. Exempli gratia Apocal.2.26. quum Apostolus scribit ad fideles qui grauia patiebantur, dicit *eos, si vincant, dominaturos in gentes, & recturos eas virga ferrea,* &c. Sunt hæ promissiones terrenæ quibus significantur cœlestes: etenim quia in terra magnum & sublime esse putatur dominari Regem in populos multos, propterea voces & phrases illæ adhibentur ad declarandum Ecclesiæ & filiorum Dei dignitatem. Quod si id fit in nouo Testamento, & quidem cùm Deus alloquitur pios afflictos, mirum videri non debet si idem fiat in Vet. Testamento. Hinc est quod apud Psaltem phrasi illa, *omnia subiecisti pedibus eius, oues, boues, aues, pisces,* &c. significetur gloria, potentia, decus, honor & splendor quo ornabuntur, bona denique inexplicabilia quibus cumulabuntur fideles in vita futura. Sic nempe status Ecclesiæ spiritualis significatur rebus terrenis aliud significantibus quàm id quod primò sonare videntur. Cùm enim Spiritus qui in Scriptura loquitur mentiri non possit, & illa non conueniat κατὰ τὸ ῥητόν, necesse est illis aliquid aliud significari.

Pari ratione explicari possunt alia Scripturæ loca.

Cæterùm non modo hic locus ab Apostolo è veteri Testamento adductus hac ratione conciliari potest; sed & reliqui omnes paralleli, hinc enim dignosci potest quàm aptè, & accommodatè ad rem, in nouo Testamento adducantur. Sic nempe Apostolus probat (Rom.9.7.) solos credentes iustificari, eo quòd dictum fuit Abrahæ, *in Isaac vocabitur tibi semen.* Idem ait ibidem Deum non omnibus dare fidem, quia scriptum est, *Iacobum dilexi, Esauum autem odio habui,* vers.12. quæ homini imperito, & ignaro rationis disputandi quam sequitur Apostolus, viderentur parùm cogere, cùm ea tamen vel maximè cogant. Inde etiam est insignis illa Allegoria quæ habetur Gal.4. vbi Apostolus dicit Agarem & Saram ἀλληγορούμενα esse duo fœdera, *Legale & Euangelicum.* Longum esset omnia adducere, & in omnibus demonstrare quàm aptè citentur: sed siquis tribus illis obseruatis, quæ diximus esse obseruanda, ea adhibeat ad illustrationem & explicationem eiusmodi locorum, deprehendet nulla perperam in nouo ex veteri Testamento adferri, sed omnia perquàm accommodatè ad rem produci.

Et eodem argumentandi modo vrgeri possunt Pōtificij: quod gemina inductione demonstratur. 1.

Quin imò nos eadem ratione (quod confidentius sit dictum) vrgere possumus Pontificios. Illi nimirum nobiscum fatentur, omnia Iudæis contigisse in figura, & Ecclesiam Iudaicam fuisse Christianæ typum. Itaque quod illi accidit aliquid habere debet in Ecclesia Christiana σύστοιχον & ἀνάλογον. Iam verò Scriptura docet Ecclesiam Iudaicam postquam ex Ægypto liberata fuisset, atque in terram Chanaan introducta, & istic constituta hæsisset per aliquot sæcula, tandem vbi se corrupisset abductam fuisse iusto Dei iudicio captiuam Babylonem, vnde mox educta & in libertatem vindicata fuit. Quærimus hîc à Pontificiis, cùm Ecclesia Iudaica fuerit Christianæ veluti figura, & omnia illis in typo contigerint, cumque Scriptura solui non possit, nihilque sit in ea frustra scriptum, quid sit quod in Ecclesia Christiana illi rei respondeat? Sanè Ægyptus fuit typus miseræ nostræ seruitutis sub peccati, Diaboli & mortis dominio. Moses & Iosue typi Christi qui nos ab illa seruitute liberauit. Desertum typus mundi, per quem nobis est ad cœlestem Chanaan per varias tentationes & afflictiones contendendum. Quum ergo Christus Ecclesiam suam à seruitute spirituali superstitionis & Idololatriæ Ethnicæ, iugoque cæremoniarum Iudaicarum liberasset, variisque tentationibus, per afflictiones & grauissimas, quas ab Ethnicis passi sunt Christiani, persecutiones exercuisset, tandemque sopitis & compositis illis persecutionum fluctibus pacem Ecclesiæ suæ reddidisset, vocatis ad Christi fidem & obsequium Principibus, Regibus, & Imperatoribus rerum dominis in orbe hoc nostro Christiano, quid est quod in ea respondeat ex aduerso captiuitati Babylonicæ, qua Ecclesia Iudaica corrupta pressa est? Hoc sanè, quod & Ecclesia Christiana otio & pace sub Regibus & Monarchis Christianis similiter corrupta, & omni superstitionis & idololatrię genere polluta, in miserandam seruitutem Babylonicam spiritualem abducta fuit ab Antichristo, per Nabuchodonosorem

superbum

ſuperbum illum Luciferum, (de quo Eſai.14.12.) præfigurato: A qua captiuitate poſtmodum liberata fuit per edicti Cyri promulgationem, hoc eſt, per Euangelij prædicationem. Chriſtus enim (cuius etiam hac in parte Cyrus fuit typus) tempore captiuitatis illius ſpiritualis Babylonicæ Antichriſtianæ (vt olim Cyrus in Perſide tempore captiuitatis Babylonicæ) deliteſcebat in Eccleſia Romana quaſi obſcurus, nulla ferè erat eius ad populum mentio. Verum ille paulatim è tenebris in quas fraude & aſtu Satanæ apud homines ab eo faſcinatos coniectus erat, proceſſit, & claritate aduentus ſui, hoc eſt, promulgatione Euangelij ſubruit & euertit Babylonicum illud imperium Antichriſtianum, Eccleſiamque ſuam iſtic captiuam inde emiſit. Vnde etiam eſt quod in Apocalypſi, vbi liberatio ab illa ſeruitute prædicitur, Deus iubet populum ſuum exire Babylone.

2. Aliud ſimile argumentum in Pontificios poſſumus ducere. Populus Iſraeliticus in terra Chanaan à Deo conſtitutus regimine Ariſtocratico (quod ſuauiſſimum & iucundiſſimum eſt) primò fuit rectus atque gubernatus per aliquot ſæcula, Deuſque illi populo ſubinde Iudices excitabat, quorum opera & fortitudine ab infeſtantibus hoſtibus liberabatur. Verùm poſtea populum regiminis illius tædium cepit, Regemque ſibi dari à Deo poſtulauit, quod ſic vellent reliquis terræ populis & gentibus eſſe ea in re ſimiles. Deus improbato quidem populi conſilio, Regem tamen illi, ſed in ira ſua conceſſit. Quærimus hîc à Pontificiis, quid ſit in Eccleſia Chriſtiana quod illi rei reſpondeat? Hoc ſcilicet, quod Eccleſia Chriſtiana, ab Apoſtolis fundata & conſtituta, primò ſuauiſſimo & iucundiſſimo regimine Ariſtocratico adminiſtrabatur, communi enim Epiſcoporum in Synodis conuenientium conſilio Reſpub. Chriſtiana regebatur: Deuſque ſubinde pios & doctos viros excitabat quorum operâ, doctrinâ, induſtriâ atque prudentiâ Hæreſes, quæ Eccleſiam infeſtabant, expugnabantur. Verùm paulò poſt eiuſmodi regiminis tædere cœpit populum Chriſtianum, ambitio & faſtus Eccleſiam occupauit, Rex poſtulatus eſt, hoc eſt, exiſtimari cœptum eſt pulchrum & commodum eſſe ſi vnius arbitrio res Eccleſiæ adminiſtrarentur, ſi vnus eſſet totius populi Chriſtiani ſummus Pontifex, vt ſic etiam hac in parte ſimilis eſſet Gentilibus Romanis qui omnium ſacrorum ſuorum ſummum habebant Pontif. & Sacrificiorum Regulum. Siuit Deus, ſed in ira ſua, conſilium illud præualere, occupauit nempe (Deo iuſto ſuo iudicio id permittente) Pontifex Romanus in populum Chriſtianum regnum, & tyrannidem in eum ſæuiſſimam exercuit, qui quaſi alter Saul à Deo reiectus in populum & Sacerdotes Dei debacchatus eſt, ſæuiitque atrociſſimè; Dauidem, hoc eſt, Chriſtum *Vnctum Domini* in membris ſuis, ferro & flammâ ardentiſſimè perſecutus eſt.

Atque hæc dicta ſunto circa appellationem, ſeu titulum illum *filij hominis*, quem Chriſtus hîc ſibi ſumit. Sequitur iam, *veniet in gloria Patris cum Angelis ſuis.* Vbi hæc tria veniunt conſideranda & expendenda. 1. *veniet Chriſtus.* 2. *in gloria Patris.* 3. *cum Angelis ſuis.* Ad primum autem quod attinet, Chriſtus duobus modis venire dicitur. Primò, *in ſpeciem carnis peccati, vt eſſet περὶ ἁμαρτίας* vti loquitur Apoſtolus Rom.8.3. hoc eſt, vt ſe offerret hoſtiam pro peccato, ad expianda hominum peccata, qui aduentus propterea fuit humilis & abjectus. Secundò, veniet χωρὶς ἁμαρτίας, (vti dicitur Heb.9.28.) hoc eſt, non amplius vt offerat hoſtiam pro peccato, neque vt priùs *ἐν ὁμοιώματι ἁμαρτίας*, ſed vt ſalutem conferat hominibus quam præcedente ſuo ſacrificio ipſis pepererat: atque hic aduentus glorioſus erit & illuſtris. In priore venit Chriſtus vt Sacerdos ſemetipſum oblaturus, in poſteriore venturus eſt vt Rex. Nam duo illa munera Regis & Sacerdotis in Chriſto ſunt maximè conſpicua. In priore aduentu eminet Sacerdotium quo ſe ipſum obtulit, fuit nempe Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec: In poſteriore eminebit Regia dignitas: eminebit, inquam, nam in priore etiam fuit Rex, ſed non eminebat tum regia illa dignitas, quomodo in poſteriore refulgebit.

Duplex Chriſti aduentus.

Hi duo Chriſti aduentus diſtinguendi ſunt propter Iudæos, qui vtrumque ſimul commiſcent & confundunt, vel potius priorem negant, poſteriorem tantum agnoſcunt. Multa ſunt in Prophetis de Chriſto dicta humilia & abjecta, quæ ad primum eius aduentum referenda ſunt, alia ſunt etiam de ipſo dicta glorioſè, magnificè, ſplendidè, hæc ad poſteriorem eius aduentum pertinent. Illa Iudæi ſecurè, vel potiùs malitioſè prætereunt, iſta verò auidè arripiunt, & commentitio ſuo Meſſiæ adaptant. Nonnulla tamen fabulantur quæ aliquam veritatis vmbram habent, licet ab eis non intellecta. Dicunt nempe duplicem eſſe Meſſiam, primum volunt eſſe Nehemiæ filium, quem interfecturus ſit, adeòque iam pridem interfecerit ארמילוס *Armilos*, (qui *Armilos* ipſis eſt idem quod nobis eſt Antichriſtus) hoc eſt, vti coniectari licet, Romanum Imperium, videtur enim vox *Armilos* corrupta ex latina *Romulus*, qui Imperij Romani conditor fuit. Alter autem Meſſias erit Dauidis filius qui conficiet *Armilos*, hoc eſt, Antichriſtum. Hæc fabula aliquam veritatis vmbram continet, ſignificat nempe duplicem Chriſti aduentum; priorem humilem, in quo Chriſtus à Romanis, Pilato nimirum interfectus fuit: poſteriorem glorioſum, quo Antichriſtum & Imperium Romanum euerſurus atque perſum daturus eſt.

fabula Iudæorum de duplici Meſſia.

Sed ex hoc duplici Chriſti aduentu quæſtio oritur. An ſcilicet prior eodem ſenſu tribuatur Chriſto quo poſterior illi conuenit, hoc eſt, An ſicut quum Chriſtus dicitur poſtremò venturus, id attribuitur perſonæ iam exiſtenti, ita cùm olim venturus prædicebatur à Prophetis, id accipi debeat quaſi dictum de perſona quæ iam tum exiſteret, cui illud attribuatur quod ventura eſſet. Hæc quæſtio eſt propter Iudæos, & Hæreticos illos qui Chriſti diuinitatem oppugnant, eumque negant exſtitiſſe priuſquam veniret. Dicimus igitur Chriſtum ante primum ſuum aduentum verè exſtitiſſe, fuiſſeque perſonam verè exiſtentem, non minùs quàm eſt hodie; quod nos certiſſimum, & vera fide credendum putamus. Sunt autem qui putant probari & euinci id poſſe ex ipſo verbo *veniet*, quo vtuntur Prophetæ, cùm enim ſit prædicatum ſeu attributum, præſupponit ſubjectum aliquod verè exiſtens cui attribuatur. At

Quæſtio de primo Chriſti aduentu contra Iudæos & Socinianos.

Reſponſio non ſatis firma rejicitur.

verò nos id partem firmum esse existimamus: non, inquam, ex sola vi verbi *veniet* id potest concludi. Nam & de Iohanne Baptista dictum est à Christo, *Venit Iohannes*, & Deus per Malachiam, *Ecce ego mittam Eliam:* Inde tamen non possis concludere Iohannem Baptistam exstitisse, antequam veniret, aliter quàm in decreto Dei, quam existentiam neque Iudæi suo Messiæ, neque Hæretici Christo adimunt.

Alia Responsio firmior.

Non itaque ex vi solâ phraseos *veniet Christus* concludi potest Christum exstitisse priusquam veniret, verùm id concludi potest & euinci debet ex natura rei ...ctæ, quæ est eiusmodi vt necesse sit eam existere priusquam dicatur venire, tùm etiam ex circumstantiis loci in quo Christus dicitur venturus. Vt quum Malach.3.vers.1. dicitur, *Ecce ego missurus sum nuncium meum, qui præparaturus est viam coram me, atque tum statim Dominus ille quem vos quæritis, veniet in Templum suum, & Angelus fœderis quem expetitis, ecce veniet, inquit Dominus.*

Locus Mal. 3.1. explicatus contra Iudæos.

Locus illustris est aduersus Iudæos, nam isthic agitur de Messia (fatente ipso Kimhi, licet Iarhi eo loco nullus Messiæ meminerit) Messias enim est Dominus ille quem quærunt & expetunt Iudæi. Dicitur autem venturus in Templum suum; Ergo templum exstructum illi erat antequam veniret, nempe Templum Hierosolymitanum quod diu ante Christi aduentum exstructum fuit, & in quod Christus venit statim post Iohannis Baptistæ prædicationem, adeoque paulò post quàm ab eo baptizatus fuisset. Iam verò Templum non creaturæ, sed soli Deo exstruitur. Quare cùm Templum Hierosolymitanum Messiæ templum dicatur, sequitur Messiam verum esse Deum, ac proinde exstitisse ante aduentum illum qui à Malachia prædicitur, neque enim Deus aliquo tempore incipit existere, sed ab æterno est, nec vllum habet existentiæ suæ initium.

& locus Aggæ.2.9.

Templum autem Hierosolymitanum esse Messiæ templum in quod ipse venturus erat, probatur ex Agg.2.9. vbi *gloria secundi Templi dicitur futura maior gloria prioris Templi.* Quæritur quo pacto id verùm comprobetur, cum templum à Salomone primò exstructum longè magnificentius fuerit posteriore: atque adeo Iudæi ipsi fatentur multa defuisse in posteriore quæ in prio re fuerunt, à quibus summoperè ornabatur prius illud Templum. Nam in priore fuit Arca fœderis, tabulæ Legis, virga Aaronis quæ floruerat, vrna Mannæ, Vrim & Tummim, בת קול, hoc est, *oraculum* ex Sanctuario emissum. Item, fumus sacrificiorum, qui (vt aiunt) ex altari rectà in cœlum in formam columnæ tendebat, nec vllâ ventorum vi confundebatur: Ignis sacer cœlo delapsus, qui nullis imbribus exstinguebatur, nullæ muscæ hostiarum carnes infestabant, nullæ fœminæ aborsum ex nidore victimarum patiebantur, Viri adoraturi stantes arctabantur sesèque mutuò premebant, at prostrati humi non arctabantur, neque ex mutua compressione molestiam aut dolorem vllum sentiebant. Hæc & alia nonnulla dicunt fuisse in primo Templo, negant fuisse in secundo. Vnde conficitur prius Templum fuisse ex ipsorum confessione posteriore longè augustius, quomodo ergo verum inuenietur quod ait Propheta, gloriam posterioris Templi futuram esse maiorem gloriâ prioris? Sanè Iudæi nihil hîc respondere

Exceptiones Iudæorum refelluntur.

possunt quod vel speciem aliquam habeat, licet mirum in modum se torqueant in explicando loco illo Aggæi. Dicunt primò, tempore Hasmonæorum, seu Machabæorum, fuisse Templum Hierosolymitanum valde celebre; Atqui nihil tale legitur in historiis illorum temporum: imò status Reipub. Israelis, & Templum ipsum fuerunt tum valde despecta, tempora etiam fuerunt calamitosissima, vt nihil tum fuerit quod vllomodo comparandum esset cum gloria & splendore regni & Templi Salomonici. Dicunt secundò, Templum ab Herode constructum fuisse magnificentissimum, vnde etiam Apostoli Christum monent, *vide quæ saxa, quæ structura*, Marc.13.1. Sed ne hîc quidem fuit quidquam conferendum cum Salomonico templo. Dicunt tertiò, Posterius templum aliquot annis, 30. puta aut 40. stetisse vltra quàm steterit prius illud Salomonis, prout quidem illi rationes suas subducunt. Sed primò quantillum illud est, vt propterea dicere debuerit Propheta, gloriam posterioris templi futuram maiorem prioris gloriâ, maximè cùm tot aliis prærogatiuis prius superauerit posterius? Deinde, *Duratio* absolutè sumpta non facit ad gloriam, neque est eius pars, duratio quidem auget gloriam, sed & duratio miseriæ & status humilis atque abiecti auget miseriam. Cùm itaque longè inferior fuerit status populi Iudaici, & Templi Hierosolymitani post reditum à captiuitate Babylonica, quàm fuerat ante captiuitatem illam, tempore Salomonis & florentissimorum Iudæ Regum, longior duratio Templi posterioris supra prius eo inferiorem reddit Templi secundi conditionem, tantum abest vt illustriorem reddat eius gloriam. Sic igitur nihil habent Iudæi quo ostendere possint maiorem fuisse secundi quàm primi templi gloriam. At nobis Christianis facile illud est & expeditum, dicimus enim ideò fuisse posterioris Templi gloriam maiorem quàm prioris, quia Messias Templi Dominus venit in secundum Templum, non venit autem in primum. Ita euicimus templum Hierosolymitanum esse Messiæ templum in quod ipse venit, à quo gloriam consecutum est maiorem gloriâ prioris Templi, ac propterea Christum esse verum Deum, quandoquidem soli Deo exstruitur & competit Templum, proindeque Christum verè exstitisse antequam in illud Templum veniret. Ita non minus in priore quàm in posteriore aduentu, de Christo, vt de persona iam existente, dicitur *Veniet Christus*. Atque hinc refelluntur Vbiquitarij, nam qui dicitur venire aliquò, ille inde aberat priusquam eò veniret. Christus dicitur à Malachia venire in Templum suum, non secundùm naturam Diuinam, nam secundùm istam vbique est, nullo excluditur loco; Ergo secundùm humanam, ac propterea caro ipsius non est vbique, nam qui semper vbique adest, non dicitur venire huc vel illuc. Atque hæc dicta sunto circa verbum *veniet*.

1. 2. 3.

Templum Hierosolym. fuit Christi templum.

Sequitur iam *veniet in gloria Patris*. Gloria Christi duobus modis potest dici *gloria Patris*. Primò, si Christus consideretur quà Deus est, seclusâ ratione officij ipsius Mediatorij, hoc respectu eandem habet cum Patre gloriam essentialem. Sed Christus hoc loco de se loquitur

Christi gloria Patris gloria dicitur 1.

quatenus

quatenus est *filius hominis*, hoc est, Mediator. Itaque gloria de qua hîc loquitur non est illa essentialis quæ est ipsi cum Patre communis, sed est gloria quæ illi competit qua Mediator. Hæc autem gloria est etiam Patris gloria, quia Christus quâ Mediator est, vicarius est Patris. Duæ enim sunt officij Mediatorij Christi partes, prima qua partes nostras agit apud Deum, nostramque veluti personam sustinet apud Patrem, atque hoc respectu Christus humilis est & abjectus: Secunda, qua Patris partes agit apud nos, & hoc respectu gloriosus est & Majestate plenus, quia hac in parte Patris est vicarius, & gloria Christi ideo dicitur *gloria Patris*. Inde est quod Pater dicitur *neminem iudicare, sed dedisse omne iudicium filio*, Joh.5.22. & Christus ait, *datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra*, Matth.28.18. nempe quia Patris est vicarius.

2.

Argumentum Vbiquitariorum soluitur.

Atque hinc facilè soluitur argumentum Vbiquitariorum. Dicunt illi, Nihil datur Christo quâ Deus est. At Omnipotentia datur Christo. Ergo, non quâ Deus. Conceditur totum. Ergo, qua homo. Negatur: datur enim illi quâ Mediator. Est autem Mediator non quâ Deus simpliciter, neque quâ homo simpliciter, sed quâ θεάνθρωπος homo-Deus. Quod autem data sit potestas illa Christo quâ Mediator, hinc probatur, quia est potestas vicaria. Vicariam autem esse inde patet, quia in fine sæculi Christus dicitur *regnum traditurus Patri*, 1.Cor.15.24. Neque conuenit ei potestas illa qua Deus, quia sic Spiritus sanctus esset etiam Mediator. Ergo, conuenit filio incarnato. Inde nihilominus conficitur aduersus Hæreticos, Christum esse verè Deum, quia alioqui non capax esset tantæ potentiæ nisi Deus esset. Hæc autem *Patris gloria* est *potestas* & *potentia*. Neque id mirum videri debet, quando Apostolus Rom.6.4. dicit Christum excitatum esse à mortuis διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, hoc est, non (vt vertit doctissimus Interpres) *ad gloriam Patris*, sed, *per omnipotentiam Patris*, qui Pater dicitur Christum excitasse à mortuis. Roman.8.11. Et Ephes.1.19.20. Pater dicitur exeruisse τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ in excitatione Christi à mortuis.

vt & Socinianorum.

Atque hîc soluendum Hæreticorum argumentum. Quærunt illi, cur potentia qua Christus excitatus est à mortuis dicatur Patris potentia: hanc nempe volunt illi esse caussam, quod solus Pater sit omnipotens, non verò filius, vtpote qui à Patre excitatus fuerit, non propria vi & potentia resurrexerit. Respond. Rationem illam esse falsam, vis enim illa, qua Christus excitatus est, aliquando Christo ipsi, aliquando verò Patri tribuitur, idque diuerso respectu. Christo autem tribui vim illam inde liquet, quod Christus de se dicit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & rursus sumendi eam*. Joh.10.18. quod non dixisset Christus, si in sui excitatione se merè passiuè habuisset. Tum etiam Christus dicitur *mortificatus carne, viuificatus autem Spiritu*, 1.Petr.3.18. hoc est, per omnipotentiam Diuinitatis suæ, quæ Spiritus isthic dicitur; vti ex sequentibus liquet, nam per eum Spiritum dicitur *Christus profectus prædicasse spiritibus qui sunt in carcere, olim immorigeris temporibus Noæ*, &c. Diuersas autem ob rationes modò Patri, modò Christo ipsi tribuitur excitatio Christi à mortuis. Christus nempe duobus modis considerari potest & debet.

Christi excitatio cur modo Christo, modo Patri tribuitur.

Primum, vt primogenitus mortuorum, seu *primitiæ dormientium*; hoc autem respectu Christus est veluti pars Ecclesiæ, & corporis illius, cuius nos membra sumus, pars præcipua nobiliorque, indeque dicitur *primogenitus inter multos fratres*. Atque eo respectu excitatio Christi à mortuis Patri tribuitur. Secundò, considerari debet Christus vt Caput & Mediator, atque hoc respectu excitatio eius ipsi Christo tribuitur, dicitur Christus seipsum excitasse, quia quâ Mediator vicarius est Patris, & Patris potentiam exercet.

Angeli sunt Christi bifariã: 1. quia eorũ est Creator

Atque sic de secundo, iam de tertio. *Cum Angelis suis*. Angeli sunt Christi duobus modis: Christus enim caput est Angelorum, primò, quia creauit Angelos, nam *per ipsum omnia facta sunt, & sine eo nihil factum est eorum quæ facta sunt*, Iohan.1.3. Et Coloss.1.15. Christus dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *quia per eum condita sunt omnia quæ sunt in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia*. Atque hîc quærunt Hæretici cur Christus dicatur *primogenitus omnis creaturæ*. Nam, inquiunt, primogenitus eiusdem est naturæ seu essentiæ cum iis quorum est primogenitus, estque vox quæ ὁμογένειαν indicat. Ergo, inquiunt, Christus est creatura. Nonnulli respondent Christum ideò dici primogenitum omnis creaturæ, quod sit genitus ante omnes creaturas. Et sanè verum quidem est Christum esse genitum ante omnes creaturas, sed hoc nodum illum non soluit, immò verò id ipsum est petere principium. Nec responsio illa quadrat verbis Apostoli, qui dicit Christum ideò esse primogenitum omnis creaturæ quia per ipsum facta sunt omnia. Resp. itaque *Primogenitum* dici duobus modis. Primò, propriè pro eo qui ante alios omnes sui similes natus est: atque hoc respectu Christus non est primogenitus omnis creaturæ, sic enim ipse esset creatura, ante omnes alias creaturas à Deo creatus, quod Arriani volunt. Secundò, Primogenitus, Metonymiâ antecedentis pro consequente, ille dicitur qui est Dominus & Hæres omnium bonorum paternorum, vnde phrasi Scripturæ familiari is primogenitus dicitur qui est reliquorum Dominus Princeps, primarius. Sic nempe Psal.89.27. Dauid dicitur *primogenitus Regum*, hoc est, præcipuus & primarius inter Reges, Regum omnium gloriosissimus & famosissimus. Et Esa.34.31. *primogeniti pauperum* dicuntur qui pauperrimi & miserrimi sunt, quasi diceret, pauperum & mendicorum primarios veluti Duces. Et Iob.18.13. *primogenitus mortis*, inquit, *deuoret eius membra siue ossa*, hoc est, Princeps & quasi Angelus mortis, morti præfectus. Ita eo ipso loco quo Christus *primogenitus omnis creaturæ* dicitur, appellatur etiam *primogenitus mortuorum*, hoc est, Caput & Princeps seu Dominus mortuorum in beata resurrectione excitandorum. Eodem modo dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quia Dominium habet in omnes creaturas, omnium est Princeps, quia omnia condidit. Eodem sensu dicitur Christus Hebr.1.2. *constitutus hæres omnium, per quem*, inquit Apostolus, *& sæcula fecit*. *Hæres* ibi est Caput, Dominus, Princeps. Nam בכור *primogenitus* apud hebræos erat fratrum suorum Dominus & familiæ veluti Princeps. Quin & Latinis *Hæres* pro Domino accipitur. Sic enim Instit. Iuris Ciuil. lib.2. Tit.19. de Hæredum qualitate & differentia. §. vlt.

Locus Col. 1.15. vindicatur contra Socinianos.

πρωτότοκος quid sit Apostolo,

Pro hærede gerere, inquit, *est pro Domino gerere, veteres etiam Hæredes pro Domino appellabant.* Hoc respectu, quatenus nempe Christus Angelos creauit, Angeli hîc non dicuntur esse Christi, non enim hîc agit Christus de potentia sibi essentiali, quatenus Deus est.

2. Angeli sunt Christi quatenus est Mediator.

Itaque secundò Angeli dicuntur esse Christi, & Christus eorum Caput dicitur quatenus est Mediator, hoc enim respectu Angelos habet regni sui Ministros; sunt enim Angeli spiritus ministratorij, πνεύματα λειτουργικὰ ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν Hebr.1.14. Atque hæc etiam caussa est cur Scriptura non meminit creationis Angelorum, nempe quia Scripturæ scopus est describere Ecclesiam ex hominibus collectam, & per Christum redemptam, ad quã non pertinent Angeli, nisi quatenus sunt fideliũ veluti Ministri. Quomodo ergo qui instituit scribere historiam regni Galliæ, non excurrit in historiam rerum Italicarum aut Germanicarum, nisi quatenus illarum cognitio facit ad pleniorẽ cognitionem historiæ Galliæ, at non à capite ipso, & primo exordio, repetit & retexit Italiæ & Germaniæ historiam: sic neque Scriptura meminit Angelorum nisi quatenus id facit ad cognitionem Ecclesiæ ex hominibus collectæ. Iam verò Christus, qua Mediator est inter Deum & homines, Caput est etiam Angelorum, quomodo qui à Rege exercitui Gallorum (quibus Heluetij adjuncti sunt tanquam auxiliares copiæ) præpositus est, is non Gallorum modò, sed & Heluetiorum, qui illis adjuncti sunt, caput est atque generalis Præfectus.

Sequitur iam in textu, *Et tunc reddet vnicuique secundùm opera ipsius.* Nota est Pontificiorum ex hoc loco nata controuersia, *Nos non sola fide, sed & operibus iustificari.* Quare & hic locus nobis est diligenter explicandus. Et primò quidem verba ipsa veniunt nobis expendenda. Occurrit autem hîc primùm τότε *tunc*, hoc est, non continuò, sed aliquando, certo & stato die. Eadem phrasi vsus est Apostolus 1.Cor.4.5. τότε *tunc erit vnicuique laus à Deo*: nempe in magno illo die Domini, qui ab eodem Apostolo aliquando ἁπλῶς dicitur ἡμέρα, *dies*, 1.Cor.3.13. ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, *dies manifestabit.* Item & *dies illa* ἀντονομαστικῶς dicitur 2.Timot.4.8. *Det ipsi Dominus inuenire misericordiam à Domino* ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ *in die illa.* Atque hinc gemina nascitur quæstio non contemnenda, Vna, *Quî fiat vt iudicium Domini differatur vsque ad diem quandam certam, quæ vltima dicitur.* Altera, quæ ex illa priore oritur, *Quæ sit hominis conditio ante illam diem*, neque enim frustra constituta videtur illa dies.

τότε hîc quid sit.

Cur Dei iudicium differatur in ultimũ diem.

Ad priorem ergo respondeo: Hanc rationem secuta est Dei sapientia, vt noluerit suos *perfici* seu *consummari* τελειωθῆναι (vt loquitur Apostolus Hebr.11.40.) sigillatim, sed simul & semel: Itaque vnum diem constituit in quo omnes suos ὁμοῦ καὶ ἅμα consummaturus est. Atque huc facere videtur Apost. dictum Heb.11.40. *ne sine nobis perficerentur.* Et sanè in hoc est Christi triumphus, vt omnes hostes suos in inferos det præcipites, & fideles omnes contra coronet gloria & honore, omnibus det beatam requiem, quod non potuit magnificè & gloriosè ab eo fieri, nisi simul & semel id fieret. Itaque non frustra solet Scriptura nos ad diem illum ablegare, vt 2.Timot.1. vers.vlt. *Det Dominus Onesiphoro vt inueniat gratiam à Domino in illa die.* Item, *Noui cui crediderim, ac plane persuasum habeo illum redditurum mihi depositum meum in illa die.* Ratio nempe est illa quam dixi, visum esse Sapientiæ Dei consentaneum, vt diem vnam constitueret, in qua omnes simul & semel perficiat.

Quis sit status hominum post mortem, ante vltimum iudicium.

Ad alteram autem quod attinet, *Quis sit status fidelium ad illum vsque diem.* Duo sunt hominum genera qui hac in parte valde inter se dissident, in hoc tamen omnes consentiunt quod statum fidelium ad illam vsque diem faciunt miserum. Primò occurrunt Psychopannychitæ, qui aiunt torpere animas, & alto somno sepultas ac veluti obrutas iacêre, qui si vellent quod sentiunt aperire & ingenuè fateri, dicerent animas cum corpore extingui. Fundamentum autem huius suæ sententiæ ex Philosophia accersunt Aristotelis, qui ait animam non intelligere nisi interuentu phantasmatum, quæ nulla sunt nisi in corpore, Scriptura præterea se tuentur, locis nempe illis quibus ablegamur ad vltimum diem, quod frustra fieret si animæ iam gloria & felicitate fruerentur. Sed illi facilè refelluntur: Cùm enim Christianos se profiteantur, animam corpori esse superstitem non diffitentur, nec Scripturæ fidem derogant. Multis autem Scripturæ locis refelli potest hic error, sed vnum atque alterum duntaxat proferemus. *Memento mei* (aiebat in cruce latro) *Domine cum veneris in regnum tuum. Hodie* (respondit Christus) *mecum eris in paradiso.* Luc.23.43. Hinc liquet animam non modò esse corpori superstitem, sed etiam frui beata requie, eamque sentire, Paradisus enim locus est lætitiæ & quietis. Non ergo torpent animæ, nam quæ torpent ea nihil sentiunt. Deinde, si improborum animæ post excessum è corpore cruciantur ante vltimam diem, certè, vt analogia seruetur, necesse est piorum animas quietem sentire. Atqui animas impiorum torqueri, piorum verò frui quiete, liquet ex parabola Lazari & diuitis Epulonis à Christo ipso prolatâ.

Psychopannychitæ

Refelluntur.

Patrũ sententia de tertio loco.

Alij sunt qui nolunt torpere animas, sed dicũt esse in subterraneo quodam loco media inter cœlos & inferos, quo post mortem recipi volunt fidelium animas. Atque hæc opinio peruetus est. Nam Tertullianus disertè negat vlli patê e aditum in cœlum, nisi Martyribus, ante resurrectionem. Hi non negant animas aliqua frui quiete, negant tantum eas cœlo recipi, illarumque quietem aiunt esse in requie à laboribus, & in spe beatæ resurrectionis. Vnde, quod consequens est, aiunt omnia in incertum suspensa teneri ad vltimum vsque diem. Atque hinc orta est antiqna pro mortuis orandi formula, atque consuetudo, non quod putarentur animæ vstulari flammis purgatoriis, sed quod antiquis illis Patribus primitiuæ Ecclesiæ viderentur omnia in incertum pendêre ad diem vsque resurrectionis. Itaque in Canone Missæ nullæ sunt pro impiis constitutæ preces, sed *pro iis qui discesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis*: quibus verbis liquet eos non putasse animas piorum vti flammis, sed requiescere à laboribus, & diem resurrectionis exspectare eadem spe qua in hac vita, nisi quod sit intentior. Sed hæc sententia pugnat cum Christi verbis, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Etenim Paradisus non est nisi vel *terrenus* Adami, vel *cœlestis*: Non sunt autem animæ piorum in illo terrestri, ergo in cœlesti. Non

Ref.

sunt

ſunt igitur in loco ſubterraneo, ſiquidem ſunt in cœleſti Paradiſo. Tertul. hanc affert rationem cur piorum animæ non ſtatim poſt exitum è corpore in cœlum recipiantur, quod pij ſcilicet non ſint præſtantioris conditionis quàm fuerit ipſe Chriſtus, anima autem Chriſti non fuit (inquit) ſtatim poſt mortem cœlo recepta. Ergo neque piorum animæ. Idem tamen excipit Martyrum animas à communi reliquorum fidelium conditione, coactus nimirum manifeſto Scripturæ teſtimonio Apocal. 6.9. vbi *animæ decollatorum propter nomen Ieſu* dicuntur *recubuiſſe ſub Altari in cœlo.* An igitur Martyres præſtantioris ſunt conditionis quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus? quid enim fuerunt martyres niſi ſerui Chriſti?

Pontificiorum ſententia de Purgatorio.

Alij ſunt quos iſtis accenſeo, Pontificij nempe, qui volunt piorum nonnullorum animas torqueri flammis καθαρτικαῖς. Argumentum eorum palmarium hoc eſt, Non, inquiunt, bis inſtituitur de homine iudicium: At ſi animæ piorum reciperentur ſtatim in cœlum ante diem reſurrectionis, bis de ijs inſtitueretur iudicium; nempe nunc quum cœlo recipiuntur, deinde in die reſurrectionis.

Reſ.

Reſpondeo, non inſtituitur quidem bis publicum de homine iudicium, conceditur. Negamus tamen inde effici Purgatorium. Nam certè Paulus in vltimo illo die iudicabitur, vti ipſe fatetur 2. Cor.5.10. *Oportet*, inquit, *nos omnes ſiſti coram tribunali Chriſti, vt vnuſquiſque referat in copore quæcunque fecerit, ſiue bonum ſiue malum.* Martyres etiam iudicabuntur tum. Non tamen dicent, opinor, Paulum & Martyres eſſe in Purgatorio, non negant eos eſſe receptos cœlo. Ergo, etſi bis non inſtituitur publicum de homine iudicium, non ſequitur tamen eſſe Purgatorium, aut piorum animas cœlo non ſtatim recipi. Deinde, fatemur non inſtitui propriè loquendo iudicium ante vltimum diem. Ergo-ne torpent animæ, vel verſantur in locis ſubterraneis, an verò ſunt in Purgatorio?

Status fidelium ante Reſurrectionem.

Nihil horum; ſed piorum animæ ſunt receptæ cœlo, nec tamen fruuntur plenitudine gloriæ ſuæ, hoc eſt, fruuntur inſigni gloria, ſed quæ plena non eſt: Nam anima hominis eſt pars tantum hominis, at hæc eſt natura partis vt perfecta non ſit niſi iuncta dimidio ſuo. Itaque cum iſta coniunctio fiat tantum die beatæ reſurrectionis, ſequitur animam non habere plenitudinem gloriæ ante illum diem. Et tamen longe alia eſt eius conditio extra hoc corpus, quàm fuit in corpore; Nam hîc videt tantum in ſpeculo & ænigmate, quaſi per nubem, hoc eſt, per phantaſmata, at poſtquam ſeiuncta eſt à corpore, Deus alium illi parauit cognitionis modum quem non poſſumus capere, nam ſi caperemus, hoc ipſo quod caperemus cerneremus ſine ænigmate. Itaque neque torpent animæ, neque in loco ſunt ſubterraneo, nec ſunt vacuæ gloriâ, non fruuntur tamen ante reſurrectionem gloria illa quæ dicitur *redemptio noſtra*: Vnde & dies reſurrectionis *dies* dicitur *redemptionis* Eph. 5.3. *in quo obſignati eſtis* εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, *in diem redemptionis.*

ἀποδώσει.

Sequitur vox ἀποδώσει *reddet, retribuet*, vnde oritur magna controuerſia. Cùm enim vox iſta *reddere* relatiua ſit, & relationem notet quæ nititur ratione mercedis, aut ſaltem compenſationis, quoties agitur de reddendo, toties videtur agi de compenſatione. Eſt ergo controuerſum inter nos & Pontificios, *An Deus reddat alicui quippiam:* quamquàm & hoc referri etiam debet ad ea quæ in Scriptura videntur eſſe ἀντιλεγόμενα. Paulus enim Rom. 11.35. diſerte negat Deum cuiquam reddere, *quis illi dedit prior*, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ, *& reddetur ei?*

De Dei dominio qua re nitatur. ſententia Arminianorum.

Sunt qui dicunt (nec hi ſunt Pontificij) dominium Dei in creaturas ſuas niti beneficiis quæ ipſe illis contulit, itaque tantùm illi eſſe iuris in creaturas quanta ſunt eius in eas beneficia, quare cùm Dei in creaturam collata beneficia non ſint infinita (ſiquidem nulla creatura eſt infiniti capax) ideò nec dominium Dei in creaturam eſſe infinitum ac planè abſolutum: interuenire itaque Legem quam Deus homini tulit, ſecundùm quam cum eo agit, eique reddit. Sed pugnat hæc ſententia cum Scriptura & ratione. Et primò quidem cum Scriptura.

Reſ. 1. pugnat cum Scriptura.

Nam ſi nihil amplius iuris eſſet Deo in creaturam quàm quanta ſunt eius in eam beneficia, ſequeretur Deum non vti gratuita bonitate erga creaturam quum illi ex Lege benefacit, ſed iſtud rationem iuſtitiæ habere. At contra Scriptura teſtatur Deum, etiam quum mercedem reddit illis qui Legem impleuerunt, vti hac in parte gratuita bonitate, quod liquet ex Decalogi præcepto ſecundo, *qui facit miſericordiam in mille generationes*, &c. Et Chriſtus, *quum omnia*, inquit, *feceritis*, *dicite ſerui ſumus inutiles.* Luc. 17.10. quare autem inutiles? *quia nihil fecimus niſi quod debuimus.* Et obſeruandum eſt, quod iubet Chriſtus nos tum agnoſcere ſeruos, nam ius Domini in ſeruum non nititur beneficiis quæ ſeruus à Domino accepit, ſed ὑπεροχῇ; ita Dei in hominem dominium non nititur beneficiis quæ ab eo homo accepit.

2. cum ratione.

Secundò, pugnat illa ſententia cum ratione. Nam etiam ius quod nos habemus in alios homines non ſemper nititur beneficiis quæ à nobis acceperunt, puta dominium quod nos habemus in ſeruos: qua ergo re nititur? nempe excellentiâ, ὑπεροχῇ. Vnde etiam Ariſtoteles docet, quòd ſiquis eſſet qui reliquos omnes homines ſapientiâ ſuperaret, illum fore dignum cui omnes mortales totius Orbis imperium deferrent. Deus itaque propter ὑπεροχὴν dignitatis & excellentiæ, cuius reſpectu nulla eſt inter eum & creaturam proportio, abſolutiſſimum & infinitum habet in creaturam dominium. Illo tamen iure & dominio Deus, quia bonus eſt, nunquam vtitur: ſed aliud eſt definire *quid Deo liceat*, aliud *quid illi libeat*, poſſet quidem vti illo iure, at non vult.

quò ſenſu Deus dicitur *reddere*,

Deus igitur nihil cuipiam proprie reddit, quomodo ergo retribuit? nam certum eſt eum retribuere vnicuique ſecundum opera ipſius. Reſpond. Deus dicitur retribuere non propriè, ſed ἀνθρωποπαθῶς, quum ſtat promiſſis, & quidem promiſſis quæ aliqua nituntur conditione. Alia eſt hac in parte Dei, alia hominum ratio, homo homini retribuere propriè dicitur, quia homo homini debet, & poteſt aliquod ab eo viciſſim accipere beneficium: verbi gratia, Pater poteſt aliquid debere filio, quia filius non omnia habet à patre, ingenium, puta, indolem, induſtriam, & ea quæ labore, diligentiâ, & propriâ induſtriâ ſibi parauit, quæ omnia non à patre propriè, ſed à Deo accepit. Deus autem omnia dedit creaturæ, & ipſa à Deo in ſolidum habet quicquid habet. Deus itaque nemini quicquam propriè reddit,

quia nemini quippiam debet, nihil enim à quoquam poteſt accipere, quod rationem habere poſſit beneficij; quod ſi debet, non aliter debet quàm quia ſe conſtituit promiſſis ſuis debitorem, atque tum reddere dicitur quum ea præſtat quæ promiſit. Retributio itaque humana eſt propriè dicta retributio, Diuina verò impropriè, Metaphoricè & ἀνθρωποπαθῶς tantùm dicta retributio, quia id reddit ad quod voluit ſeſe promiſſis obſtringere, cùm tamen minimè teneretur, ſiquidem abſolutum habet dominium.

Dei dominium non beneficiis, ſed ὑπεροχῇ nititur.

Vt autem ea quæ diximus de Dei dominio magis illuſtrentur, hîc addenda nobis ſunt nonnulla. Quod ergo dominium Dei non nitatur beneficiis in creaturam collatis, vel ex hominibus ipſis patet. Nam ſiquis virum magnum & illuſtrem plurimis afficeret beneficiis, non propterea quicquam in eum acquireret dominij, niſi ipſe aliunde eum maioribus dotibus & excellentia ſingulari ſuperaret. Vnde & Ariſtoteles in Politicis, illis qui digni ſunt imperio (eum autem qui dignus eſt imperio ita deſcribit, vt conuenire non poſſit illa deſcriptio niſi ſoli Deo) non opus eſſe ait Lege, legibus eos vult eſſe ſolutos, ac proinde eos in omnes ius & dominium habere, ipſis omnes eſſe ſubiectos. Cuius rei, & dicti Ariſtotelici, hæc eſt ratio; Leges non dantur niſi æqualibus, hoc eſt, quicumque legibus tenentur aliquid facere, præſtare, aut pati, eos neceſſe eſt hac in parte eſſe æquales, quod ſiquis non teneatur legibus illis, ille eatenus ſuperior eſt iis qui tenentur illis legibus. Inde eſt quod Rex non teneatur legibus quibus omnes ſubditi tenentur, quod illis non ſit æqualis, ſed ſuperior: quatenus tamen aliquid habet cum ſubditis commune, & eſt illis æqualis, puta quatenus homo eſt & creatura, eatenus etiam iiſdem tenetur quibus illi legibus, naturæ nempe & Dei legibus. Ita ergo fit manifeſtum legem non dari aut ferri niſi æqualibus. Atque hinc eſt quod nulla poſſit eſſe Lex Deo & creaturæ communis, quia nihil poteſt dari in quo creatura Deo coæquetur. Atque huius rei, & abſoluti dominij, veſtigium, & vmbram aliquam, Deus in Monarchis voluit eſſe impreſſam. Nam etiamſi peccent aliquando Reges aduerſus leges, noluit tamen ſubditos aduerſus eos lege agere, & in ius vocare (Monarchiam autem hîc intelligo qualis erat illa Romanorum, Perſarum, qualis eſt hodie Turcarum; imperium denique quod à ſolo Deo dependet, neque enim hîc de iure Veneto, vel Heluetico, aut Belgico, &c. ſermo iam mihi eſt) quod tamen liceret ſubditis facere, ſi dominium & ius Monarchiæ ſolis niteretur beneficiis in ſubditos à Monarcha collatis. Cùm hæc itaque ſi ratio dominij Dei in creaturam, vt ſit abſolutum, vtpote ſubnixum τῇ ὑπεροχῇ, quæ eſt infinita, neque patitur creaturam vlla in re Deo coæquari, hinc eſt quod proprie loquendo Deus nihil reddit cuiquam, ſed dat duntaxat. In eo autem quod diximus Deum, licet abſolutum habeat in creaturam dominium, eo tamen propter ſuam bonitatem non vti, immo nec ipſi libère eo vti, elucet Regis & Tyranni diſcrimen. Nam Regia poteſtas eſt diuina quædam poteſtas, hoc eſt, in hoc Rex Dei refert imaginem, quod qui verè Rex eſt non ſtatim ei libet quicquid ipſi licet, neque facit ille quicquid poſſet, & verò liceret ei facere; At contra Tyranno quicquid

cuius vmbra aliqua in Regibus.

licet, qua ſummus eſt Dominus, id ei etiam libet, eaque omnia facit quæ per αὐτοκρατορικὴν poteſtatem ei licent.

Deus non vtitur abſoluto ſuo dominio.

Iam verò ad id quod modo diximus, Deum non vti abſoluto Dominio, nec libère ipſi eo vti, excipi & objici poſſe videtur, quod Deus nonnunquam eo videatur vſus. Annon enim eo vſus eſt quum paſſus eſt peccatum in mundum ingredi, cùm poſſet tamen id impedire? Reſpond. Nos tum duntaxat dici proprie vti abſoluto Dominio, quum facti noſtri nullam poſſumus aliam rationem proferre præter animi libidinem & voluntatem noſtram, nam quum accedit ſapientia & ratio, hoc eſt, quum certo conſilio, certa ratione id facimus, non tribuitur id factum abſoluto dominio. Iam verò Deus non ſiuit peccatum ingredi in mundum ideo tantum quia ſic ipſi libuit, ſed certo conſilio & ratione, atque pro ſua ſapientia id fecit. Itaque hac in parte non vſus eſt abſoluto dominio. Quia autem ſapientiæ Dei ratio nobis non eſt ſemper manifeſta (nam Deo quidem ſemper conſtat facti ſui ratio, at non nobis) inde eſt quod cum Deus ex ſola Sapientia aliquid agit, videatur tum nobis agere ex abſoluto dominio, cum tamen reuera eo non vtatur. Nam inter Iuſtitiam Miſericordiamque Dei, & eius Sapientiam hoc eſt diſcrimen, quod iuſtitiæ & miſericordiæ ipſius ratio nobis vt plurimum conſtat, at Sapientiæ non conſtat. Vnde fit vt Deus nobis diuerſo reſpectu ſit, vel non ſit, imitabilis: Imitabilis quidem, adeoque imitandus, quoad iuſtitiam & miſericordiam, ideoque animis noſtris quaſdam iuſtitiæ & miſericordiæ inſeuit veluti ſcintillas, hactenus enim ſe nobis proponit tanquam exemplar imitandum. At quatenus eſt ſapientiſſimus & potentiſſimus, non eſt nobis eatenus imitabilis. Potentiam & ſapientiam ſanè exeruit Deus in mundi creatione, ſuntque illæ manifeſtæ in operibus ipſius, ſed earum ratio non eſt ſemper nobis conſpicua. Itaque hîc à nobis humilitatem requirit, vt cum animi demiſſione ea admiremur, ſolamque hîc voluntatem obtendit, iuxta Pſaltem, *omnia in cœlo & in terra facit quæcumque vult.* Pſalm. 135. 6. ne hîc ſupra quam decet curioſi ſimus, & temere in arcana eius irrumpamus. Iuſtitiæ itaque Dei & miſericordiæ poteſt aliquo modo à nobis capi & reddi ratio, verſantur enim illæ circa objecta quæ nobis ſunt nota, at ſapientiæ ſæpè non poteſt reddi ratio, quia ea non verſatur circa obiectum iam exiſtens, ſed occupatur in objecto ſuo formando, vt quum ex nihilo Deus omnia ſapientiſſimè efformauit. Iam verò quum non habemus objectum in quod conjiciamus mentis oculos, caligat tum mens noſtra, & veluti hebeſcit. Itaque nemo miratur quod Deus puniat rebelles, bonis benefaciat, ſed cur Deus non det omnibus fidem & pœnitentiam, cùm id poſſit tamen, hoc vero eſt quod nos miramur. Atque hîc eſt vbi Apoſtolus exclamat, ὦ βάθος πλούτου τῆς σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, &c. Rom. 11. 33. Et hominum ob murmurantium os occludit, *quis tu es, ô homo,* ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ? Rom. 9. 30. Denique poteſtatem & dominium obtendit, *Annon poteſtatem habet figulus*, &c. Sic igitur loquitur Apoſtolus, non quod in eo Deus reuera vtatur abſoluto dominio

Iuſtitiæ & Miſericordiæ ratio interdum eſt manifeſta.

non item Sapientiæ & Potentiæ,

ratio huius diſcriminis.

minio (non enim id facit ideò tantum quia ita ipſi libet, imò verò certiſsima & ſapientiſsima illius facti ratio ipſi conſtat, vnde Apoſtolus exclamat, ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ) ſed quod facti illius ſapientiſsimi ratio nobis non conſtat, eam Deus voluit nobis eſſe occultam, vt cum ſumma animi demiſsione & humilitate iudicio eius adoremus, & Maieſtatem ipſius veneremur. Σοφίας ergo dicit, quia ſapientiſsimè & certo conſilio Deus id facit, βάθος dicit, quia ſapientiæ illius ratio nos latet.

Deus videtur homini reddere aliquid.

Sed iam videamus quæ poſſunt objici aduerſus id quod diximus *Deum nemini propriè loquendo reddere.* Nempe Apoſtolus Roman. 4. 4. 5. dicit τῷ ἐργαζομένῳ mercedem reddi κατ' ὀφείλημα non verò κατὰ χάριν. Certè ſi Deus debet homini, neceſſe eſt interuenerit ratio mutui pacti inter hominem ἐργαζόμενον, & Deum ex debito reddentem mercedem. Atqui Apoſtolus hoc videtur affirmare, alioqui nullum eſſet diſcrimen inter Deum remunerantem ex Lege, & miſerentem in Euangelio, ὀφείλημα nempe pertinet ad Legem, χάριν verò ad Euangelium. Reſpondeo primò, Deus dici poteſt imputare aliquid κατ' ὀφείλημα vel ἁπλῶς vel κατά τι, *abſolutè* vel *comparatè.* Dicitur Deus aliquid ſimpliciter retribuere κατ' ὀφείλημα, quum id facit verè & propriè, dicitur autem κατά τι, id facere, quum eſt in creatura cauſa ſine qua non: verbi gratia, Deus non dat homini peccatori vitam æternam κατ' ὀφείλημα, quare? quia homo promeritus eſt peccato ſuo contrarium vitæ æternę, nempe mortem æternam: ſed ſi quiſquam eſſet qui peccator non eſſet, diceretur illi dari vita æterna κατ' ὀφείλημα, non ſimpliciter & abſolutè, quaſi Deus ad hoc iure cogatur, quin ſi illam ei negaret, faceret tùm ſecundùm id quod ei licet, non ſecundùm id quod ei libet, ſed diceretur tamen κατά τι retribui illi vita æterna κατ' ὀφείλημα, quia contrarium illius vitæ non eſſet promeritus, & comparatè ad eum qui peccator eſt. Nam ſi inſtituatur comparatio inter hominem perfectè iuſtum, quem Deus ſeruat ex pacto Legis, & eum cui remittit peccata, videbitur vita æterna ὀφείλημα illius reſpectu, præ eo cui Deus remittit peccata.

Locus Rom. 4. 4. vindicatur contra Pōtif.

I. quid ſit κατ' ὀφείλημα.

2. quid ſit ἐργαζόμενος.

Reſpondeo ſecundò, ἐργαζόμενος eo loci non ſignificat hominem perfectè iuſtum, ſed eum qui eſt mercenarius. Sic nempe argumentatur Apoſtolus. Quum mercenario merces ſoluitur hoc fit ex debito, At vita æterna non datur κατ' ὀφείλημα *ex debito*, ſed κατὰ χάριν. Ergo non datur ex mercede operantibus, ſeu mercenariis: ſubjicit enim verſu ſequente, τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, &c. quibus continetur aſſumptio illius argumenti. Mercenario licet iure & legibus agere aduerſus Patremfamilias, filio non licet: itaque id quod filio datur eſt κατὰ χάριν, non κατ' ὀφείλημα. Et quod datur κατ' ὀφείλημα, datur tanquam mercenario, vita autem æterna datur tanquam filiis, eſt enim hæreditas. Ergo non datur operanti ex mercede. Atque hîc obſeruandum eſt, omnes ſectatores iuſtitiæ Legalis eſſe mercenarios, poſtulant enim omnes vitam ſibi dari, putantque eam ſibi deberi tanquam mercedem pro opere, ſi itaque Deus eis retribueret mercedem, id faceret quaſi ex debito. Dixi *quaſi ex debito*, quia reuerâ Deus nihil ipſis deberet, cùm nihil præſtiterint quod non debuerint, nullaque ſit inter Deum & ipſos proportio, ſed quia per opera ſua vitam & iuſtitiam quærunt, ſi Deus eis retribueret mercedem, cenſeretur id facere quaſi ex debito.

Deo aliquid licēt bifariam dicitur.

Reſpondetur tertiò. Non perinde omnia Deo libêre. Alia enim ſunt quæ ita Deo libet facere, vt poſſit tamen ea aliter facere ſecundùm ius & dominium abſolutum, alia verò ſunt quæ ita Deo libet facere, vt ea non poſſint ei non libêre: libet Deo vitam æternam homini perfectè iuſto dare, nec poteſt illud ei non libêre, non quod ei non liceat ex iure abſoluto aliter facere, ſed quia ita per naturam bonus eſt vt hoc non poſſit ei non libêre. Iam, quum Deus dat homini id quod non poteſt ei non libêre (vt quum dat vitam ei qui eſt perfectè iuſtus, ſi quis eſſet eiuſmodi) tum dicitur illud dare κατ' ὀφείλημα, quum verò dat id quod poteſt ei non libêre, dicitur dare κατὰ χάριν, vt quum peccatori remittit peccata, hoc enim ita ei libet, vt poſſit non libêre. Itaque accuratè diſtinguendum eſt, primò inter *quid Deo liceat,* & *quid ei libeat:* ſecundò inter ea quæ illi libent, quia, vti dixi, non omnia perinde ſeu eodem modo ei libent. Dico ergo Deum, quum remunerat eos qui nunquam in Legis minas incurrerunt, ideò dici cum illis iure agere, & κατ' ὀφείλημα, *ex debito*, quia non poteſt aliter facere, non quod ei non liceat, ſed quia ita ei libet, & quia per naturam ita bonus eſt vt non poſſit id ei non libêre. Contra, quum condonat peccata, quia hoc pertinet ad eius libertatem. & hoc ei ita libet vt potuerit non libêre, dicitur id facere κατὰ χάριν *gratuitò.*

Diſcrimen inter Bonitatem & miſericordiam.

Atque hinc liquet ratio diſtinctionis inter Dei *bonitatem* & *miſericordiam.* Nam *miſericordia* addit aliquid bonitati, & eſt bonitas ſeu benignitas quædam erga miſerum & indignum cui nulla benignitas debetur, ſed contrarium potius ei debetur; *Bonitas* verò non eſt erga indignum & merentem contrarium illius benignitatis. Vtitur Deus bonitate etiam erga eos qui ſeruant Legem, ſi tales darentur, at miſericordiâ vtitur propriè erga peccatores, miſericordia enim verſatur circa miſeros. Iam ſi quis Legem ſeruaret & eſſet perfectè iuſtus, is non poſſet dici miſer, non ergo Deus erga illum vteretur miſericordia, bonitate tamen vteretur, quia ſi vellet vti dominio abſoluto nihil teneretur ei dare, nec quicquam ipſi deberet. Quod ſi quando dicatur ei reddere κατ' ὀφείλημα, fit quia non poteſt velle nihil ipſi dare, aut verò eum plectere, quod poteſt velle erga peccatorem. Summa igitur reſponſionis noſtræ huc redit, Nemini Deus quicquam debet, nec propriè retribuit vlli quicquam, quum ergo dicitur retribuere & reddere ſecundum opera, id figuratè, non verò propriè dicitur. Et ſi quando dicitur reddere κατ' ὀφείλημα, id comparatè tantùm dicitur, non verò ſimpliciter & abſolutè, & de iis duntaxat qui legem perfectè impleuerunt. Itaque ſi quando dicitur reddere peccatoribus, id multò magis figuratè dicitur.

Obj.

At contra videtur facere quod dies vltimi Iudicij vocatur ἡμέρα δικαιοκρισίας Θεοῦ. Item quod Paulus ait 2. Timoth. 4. 8. *Cæterum repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus ille Iudex, nec ſolùm mihi, ſed & omnibus illis qui expectant illuſtrem ipſius aduentum.* Ex quibus videtur confici Deum propriè retribuere. Reſpondeo, vna eademque dies diuerſo reſpectu dicitur ἡμέρα δικαιοκρισίας Roman. 2. 8. & ἡμέρα ἀπολυτρώσεως, Epheſ. 4. 30. & denique ἡμέρα ἐλέους 2. Tim.

Loca Scripturæ κατ' ὀφείλημα [illegible]

1.18. Et Christus dicitur venturus tum *ad iudicium* εἰς κρίσιν, in Symbolo Apostolico, tum *ad salutem* εἰς σωτηρίαν, Heb 9. vers. vlt. Item, salus quæ obtinget ea die vocatur modò *remuneratio* & *retributio*, vt hoc loco: modò *remissio peccatorum* & ἔλεος *misericordia*. 2. Tim. 1.18. *Det Dominus Onesiphoro vt inueniat misericordiam à Domino in illa die.* Sic vita æterna dicitur modò *merces*, vt quum Christus ait Apostolis suis, *Merces vestra magna est in cœlis*: modò verò *donum Dei* Rom. 6.23. Quin & Dauid Psalm. 62.13. *Apud te*, inquit, *est misericordia* חסד *qui reddes vnicuique secundùm opera ipsius.* Quomodo conciliabuntur ista ἀντιφατικὰ, & Dauidis istud dictum qui potest stare? Nam vbi se exerit & exercetur misericordia, ibi non se exerit iustitia: si est merces non est donum, sunt enim illa opposita. Respondeo. Alterum dicitur propriè, alterum verò *Metaphoricè.* Propriè loquitur Apostolus Rom. 6. quum ait, mortem esse stipendia peccati, vitam verò æternam esse donum Dei. Sedulò cauit in antithesi illa Apostolus periculosam appellationem *mercedis*: quum de vita æterna agitur, noluit, inquam, dicere vitam æternam esse *mercedem*, sed *donum Dei*, & oppositione illa vt *mortis* & *vitæ*, sic *mercedis & doni*, docere voluit vitam esse propriè donum, non verò mercedem, nisi impropriè & metaphoricè.

conciliantur.

At contra Pharisæus aliquis regeret, vitam propriè dici *mercedem*, *donum* verò non nisi figuratè & metaphoricè. Respondeo. Quod propriè dicitur *merces*, nulla ratione, nulla figura seu metaphorâ dici potest *donum*, sed quod propriè est *donum*, id verò metaphoricè potest dici *merces*. Nam vt aliquid *merces* propriè dicatur, requiritur in opere & operante meritum & ἀντάξιον quid, *merces* enim ad iustitiam commutatiuam pertinet: iam verò quod est eiusmodi nullo modo dici potest *donum*, at donum propriè dictum potest dici merces, nempe si donum consequutus sum ob aliquid quod debui facere: exempli gratia, Seruo herus nihil debet, seruus enim pretio emptus non dicitur mereri, si quid ergo illi dat herus quod vertat illi in peculium, id propriè *donum* dicitur, *merces* verò figuratè dici poterit, quia datur ob factum officium, & operam fideliter præstitam. Itaque si vita æterna esset propriè *merces* (vti volunt Pharisæi & omnes Iustitiarij) nulla metaphora dici posset donum. Quod ergo *donum* in Scriptura dicitur ex eo conficitur non esse propriè dictam mercedem, at ex eo quod *merces* quandoque dicitur non efficitur non esse propriè dictum donum.

Inst. *Donum* & *Merces* quomodo simul stare possint.

Atque hinc facilè conciliatur illud ἀντιφατικὸς supra notatum, quod scilicet dies vltimi Iudicij dicatur ἡμέρα δικαιοκρισίας simul & ἐλέους seu ἀπολυτρώσεως. Dicitur enim δικαιοκρισίας figuratè, quia illud Dei iudicium habet aliquid simile δικαιοκρισίᾳ, datur enim vita æterna ob aliquid præcedaneum, non quod illud præcedaneum promeritum sit vitam æternam, sed quia Deus hunc voluit sequi ordinem, vt non nisi credenti atque pœnitenti, & ex fide benè operanti, detur vita æterna. Sed idem ille dies propriè dicitur ἀπολυτρώσεως, ἐλέους, & ἀναψύξεως. Act. 3.19. Dico ergo diem illum κυρίως dici diem ἀπολυτρώσεως, ἀναψύξεως, ἀφέσεως, ἐλέους respectu fidelium, non verò esse δικαιοκρισίας diem respectu eorundem nisi metaphoricè.

Soluitur ἐναντιοφανὲς

At instant, si ita se res habet cur non dixit Dominus, *reddet vnicuique secundùm fidem suam*? cur dixit, *secundùm opera eius*, si ex fide duntaxat, non etiam ex operibus, datur vita? Ad hoc priusquam respondeamus, nonnulla nobis sunt præmittenda. Ac primò quidem, Deus dat vitam vel ex Lege, vel ex Euangelio, hæc autem ita dissita sunt vt conciliari nequeant, multo minus confundi debent. Lex enim est iustitiæ, Euangelium verò misericordiæ, quæ non possunt in vno eodemque subiecto conuenire, nam qui experitur iustitiam non sentit vim misericordiæ, & contra, qui misericordiam experitur non sentit vim iustitiæ; vnde fit vt in Scriptura *Gratia* & *Opera* opponantur ex diametro, quæ maxima est oppositio. Iam verò si Deus nobiscum agit pro iure suo, absolutum habet in nos dominium, atque eò respicit sententia illa, *Angeli non sunt coram eo puri.* Iob. 15.15. Si agit ex Lege sumus omnes peccatores, Legis violatæ rei. Itaque Psal. 143. petit Dauid, *ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia coram te nemo iustificabitur.* Et Psal. 130. *Si obseruaueris iniquitates, Domine, quis sustinebit?* cum Dauid vir esset pius & secundùm cor Dei. Hoc igitur certum est si nobis experiendum est iudicium secundùm Legem, imminere nobis certam perniciem. Non dat ergo Deus vitam secundùm Legem, sed secundùm Euangelium, quod perinde se habet ad Dei misericordiam, vt Lex ad iustitiam, reuelat enim se Deus in Lege remuneratorem integræ & perfectæ iustitiæ, in Euangelio verò vt peccatorum condonatorem, & remuneratorem credentibus in se. Hoc quidem commune est iudicio Legali & Euangelico, quod Deus gratuitò rependit mercedem; sed hoc est peculiare Euangelio, quod rependit mercedem creaturæ quæ promerita est damnationem, in Lege verò rependit creaturæ quæ quidem non promeretur mercedem, sed quæ etiam non est promerita contrarium, adeoque si rejiceretur à Deo non posset dici damnata, quia damnatio fit ob peccatum. Hoc obseruandum est ad distinctionem *Iustitiæ* & *Misericordiæ* in Deo, quæ alioqui nullo pacto distingui possent. Non enim potest dici propriè Deus aliquid ex iustitia rependere, cùm ad id nulla lege teneatur, sed potius ex gratia, nam gratia est quum eo defungeris ad quod nulla te lex obstringit: dicitur tamen Deus ex iustitia dare, quum rependit aliquid creaturæ quæ non malè egit, nec digna est morte æterna, ex misericordia verò, quum creaturæ peccatrici, ac damnationem meritæ, vitam reddit.

Inst.

Obserua 1. Legis & Euangelij pugnam.

Salus homini non potest ex Lege.

Discrimen contributionis quæ est ex Lege, & illius quæ est ex Euangelio.

Secundò obseruandum est, nullam esse omnino proportionem vitæ æternæ & operum nostrorum. Quod probatur ex Apostolo, qui Rom. 8.18. ait τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ *non esse* ἀντάξια *æquiparanda gloriæ illi quæ in nobis est reuelanda.* Ad hoc respondent Aduersarij, nullam quidem esse proportionem inter afflictiones & gloriam; sed esse tamen proportionem inter piorum patientiam in ferendis afflictionibus, & gloriam. Sed vana est exceptio, virtutis enim magnitudo mensuratur ex eius objecto. Nam vt ait Aristoteles in Ethicis, ea est summa fortitudo quæ versatur circa objectum φοβερώτατον, puta mortem. Atqui patientia nostra versatur circa res nihili, puta afflictiones, quæ nullam habent, teste Apostolo, & ipsis fatentibus Aduersariis, cum gloria futura proportionem. Ergo nec ipsa patientia habebit proportionem. Iacob cùm rediret ex Mesopotamia, de

Obserua 2. Nullam esse proportionem inter opera nostra & Vitam æternam. Except. Pontif. Refell. 1.

mia, de bonis terrenis ac caducis, quibus iſtic fuerat à Deo locupletatus, loquens, ait, *Minor ſum, Domine, omnibus tuis beneficiis:* quanto magis id nobis eſt dicendum de bonis ſpiritualibus, maximè verò de vita æterna? Nulla eſt itaque inter opera noſtra & vitam proportio. Sed & hoc poteſt addi. Peccatum ideo eſt infinitæ molis, quia eo offenditur Maieſtas infinita. Sic enim videmus in vita ciuili & humana augeri peccatum pro ratione perſonæ quæ offenditur, eumque minus peccare qui in ſeruum quàm qui in fratrem, & qui in fratrem quàm qui in matrem, & qui in matrem quàm qui in patrem, & qui in patrem quàm qui in patriam, vel Principem patrem patriæ, peccauit. At in his omnibus offenſa eſt finita, ratione verò Dei offenſa eſt infinita, quia inter Deum & creaturam eſt infinita diſtantia. Creatura igitur quæ peccauit in Deum, quid poteſt ab eo promereri niſi damnationem æternam? Poſſet hic aliquis excipere, Si quis amat Deum, eumque colit, cùm ſit pariter inter Deum & hominem infinita diſtantia, eadem ratione merebitur à Deo vitam æternam. Reſpond. Contrariam eſſe hac in parte boni & mali rationem; cùm enim bonum mereatur coli & amari, quanto maius eſt illud bonum, tanto magis coli debet, nec vllum eſt in eo cultu meritum. At contra ſe res habet in malo; Bonum enim quanto minus offendi debet, tanto magis peccatur quum offenditur, & ſi bonum illud ſit infinitum, infinita eſt culpa qua illud offenditur, ac proinde infinitam meretur pœnam. Hoc etiam addo, Quamdiu creatura bona eſt, vita ſequitur bonitatem, ſed falſum eſt vitam æternam ſequi bonitatem temporariam, cùm nulla ſit inter vtrumque proportio. Itaque ſi Deus bonitati temporariæ reddit vitam æternam, hoc non facit niſi gratuitò. Noſtra autem bonitas non modo eſt temporaria, ſed & interrupta. Non poteſt igitur fieri vt Deus det nobis aliter vitam quàm gratuitò.

Alia Except.

Reſ. 1.

2.

Tertiò obſeruandum eſt, Si iudicium inſtitueretur ex operibus fore vt duo ſequerentur abſurda. Primum eſt, Iudicium de aliis eſſe futurum ex operibus, de aliis verò non eſſe futurum ex operibus: quod hinc probatur. Chriſtus quum more humano vltimum deſcribit iudicium, hanc rationem reddit ſententiæ ſuæ, *Venite benedicti, &c. quia eſuriui & cibaſtis me,* &c. piis autem negantibus ſe illi ſubveniſſe reſpondebit, *quando id præſtitiſtis vel vni paruulorum horum minimo, mihi præſtitiſtis.* En igitur erunt aliqui qui ſubvenerunt, alij verò quibus ſubventum eſt; Hi ergo quibus ab aliis ſubventum eſt, quid fecerūt cuius ratione regnum ipſis à Chriſto detur? Chriſtus enim non commemorat eos quidquam feciſſe. Si igitur iudicium fieret, & ſententia ferretur ex operibus, ſequeretur de quibuſdam fieri iudicium ex operibus, de aliis verò non fieri ex operibus, quia nihil fecerunt, non ſubvenerunt, ſed contra illis ſubventum eſt ab aliis. Hoc tamen verum eſt, opera à Chriſto afferri & commemorari in illa die, vt ſigna & teſtimonia fidei & boni affectus, at non vt meritoria vitæ æternæ. Alterum abſurdum quod ſequeretur hoc eſt, Si iudicium inſtituitur ex operibus, futurum eſt vt nonnulli iudicentur ex operibus qui nullo opere defuncti ſunt, vt ſunt illi qui in vltima vitæ linea reſipuerunt, quodnam enim poteſt eſſe illorum opus, niſi affectum ipſorum ſumas pro opere?

Obſerua 3. Geminum abſurdum ſequitur Iuſtificationem ex operibus. 1.

2.

His ita poſitis atque conſtitutis, Reſpond. ad quæſtionem ſeu inſtantiam propoſitam. Primò, Ideo in extremo iudicio fieri operum, non verò fidei, mentionem, quia tùm pij non ſecum comparabuntur ſed cum impiis. Si enim compararentur ſecum, actum omnino eſſet de ipſis, ſiquidem peccata eorum innumera ſunt, & immenſi ponderis, ſi cum bonis ipſorum operibus conferantur. Iuſtificatio fidelium fit in hac vita (non differtur in vltimum Iudicium, quia fit ad pacandam conſcientiam) quando illi fide Deum ſibi in Chriſto reconciliatum reſpiciunt. Atque in hac iuſtificatione fideles ſecum comparantur, inſtituunt nempe collationem ſanctitatis ſuæ cum Lege Dei, qua fit vt cùm ſe videant damnatos per Legem, confugiant ad Chriſtum, & ad Dei miſericordiam in Ieſu Chriſto. In futuro autem Iudicio non amplius ſecum comparabuntur, ſed cum impiis, vti docet Apoſtolus Rom. 2. verſ. 5. 6. 7. 8. quia cùm fideles reſipuerint iam in hac vita, & per Chriſtum iuſtificati ſint, deletaque omnia eorum opera mala, Deus peccatorum ipſorum non ampliùs habebit rationem, ac propterea nulla inſtituetur comparatio peccatorum & bonorum operum quæ fecerunt, quæ ſanè ſi inſtitueretur nihil poſſent expectare fideles præter mortem æternam. Reſpond. ſecundò, In extremo Iudicio inſtitui comparationem cauſſæ cum cauſſa, quod docet Apoſtolus 2. Theſſal. cap. 1. verſ. 6. & 7. *Iuſtum eſt* (inquit) *apud Deum viciſſim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem, vobis verò qui affligimini relaxationem, quum reuelabitur Dominus Ieſus de cœlo.* Item Chriſtus in parabola Lazari & Epulonis; ſic enim Abraham compellat diuitem illum, *Tu fruitus es bonis tuis in mundo, Lazarus verò malis, nunc verò ille refrigerium habet, tu verò torqueris,* Luc. 16. 25. Inſtituitur nempe iudicium illud non ut conſcientia pacetur, ſed ut cauſſa piorum cum impiorum cauſſa comparetur. Itaque & Dauid ſæpè rogat ut Deus retribuat ipſi ſecundùm iuſtitiam ſuam, alibi verò rogat, *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Quomodo hæc conciliabuntur? Nempe quum deprecatur iudicium Dei, ſpectat grauitatem peccatorum ſuorum, quum poſtulat vt Deus ſibi reddat ſecundùm iuſtitiam ſuam, comparationem inſtituit innocentiæ ſuæ cum iniquitate adverſariorum ſuorum. Reſpond. tertiò, Scriptura aliter loquitur de iuſtificando & reconciliando, aliter de iuſtificato & reconciliato. Quum de iuſtificando loquitur meminit tantùm fidei, quia ſi meminiſſet operum, nemo non terreretur ob ingentia ſua peccata: At fides erigit conſcientiam iacentem, & ad pœnitentiam invitat; imò nulla eſt vera pœnitentia niſi præceſſerit perſuaſio de amore Dei erga nos, amamus enim eum quia ipſe nos amauit prior, & flamma amoris Diuini erga nos excitat flammam mutuæ charitatis erga Deum in corde noſtro gelido. Vbi verò Scriptura loquitur de reconciliato, proponit illam vitam tanquam bonorum operum mercedem, non vt nitatur operibus tanquam cauſſa vitæ, ſed vt ſtatuat non ſibi eſſe remiſſa peccata vt iterum viuat in peccatis, neque fide aperiri feneſtram ad otium, ſed contra, ſolamen fidei proponi vt alacriùs capeſſat ſtudium iuſtitiæ & pietatis, iuxta illud Dauidis, *Eſt apud te miſericordia, vt te reuereamur,* Pſal. 130. 4.

Cur Chriſtus dicitur reddere ſecundum opera, non verò ſecundum Fidem. Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3. Scriptura aliter loquitur de iuſtificando, aliter verò de iuſtificato.

Sed hîc quæritur, *An liceat pius benefacere intuitu mercedis.* Et ſunt quidem qui dicunt abhorrere

An ſit bene faciendum.

intuitu mercedis qui id negant refelluntur.

hoc ab ingenio pij hominis. At illi mihi videntur primò hominem homine exuere: secundo, Deum accusare, qui sic agit cum homine vt illi proponat mercedem: tertiò, sanctissimos homines damnare qui mercedem in operis intuiti sunt. Deinde, falsum esse quod illi aiunt liquet ex Apostolo Heb. 11. 6. *Eum qui accedit ad Deum oportet credere Deum esse remunratorem iis qui requirunt eum.*

Obj. At verò turpe videtur, & filio indignum, patrem colere intuitu mercedis, vel metu pœnæ.

Resp. Dico igitur mercedem & pœnam duobus modis considerari, primò, absolutè in se, secundò, vt sunt repræsentamina & imagines quibus Dei bonitas & seueritas nobis innotescit: Deus enim per se habitat lucem inaccessam, itaque nec eius bonitatem, nec seueritatem aliter iam cognoscimus quàm ex ipsius minis & promissionibus.

Discrimen filij & mercenarij.

Iam verò discrimen filij & mercenarij in hoc non est, quod filius non respiciat pœnam & mercedem, mercenarius verò ea respiciat, sed in hoc est discrimen, quod mercenarius mercedem & pœnam spectat absolutè & in se, hoc est, nihil aliud respicit in mercede quàm mercedem, in pœna nil nisi pœnam: at filius in mercede bonitatem patris intuetur, in pœna iram; nihil est autem filio conuenientius quàm vt reformidet patris iram, & bonitate eius delectetur. Hoc ipsum in vita humana experimur, nam quod facit vt amemus aliquem etiam ingenuè, potest esse beneficium quod ab eo accepimus, non quod hæreamus in beneficio, nihil aliud spectantes, sed quia in beneficio consideramus amorem & bonitatem viri illius, qui nobis benefacit nihil tale de illo promeritis. Itaque, iustificatio quæ fit per solam fidem non pugnat cum retributione quæ fiet operibus in extremo iudicio, quia in hac non habetur ratio hominis secum comparati, sed cum alio, nec reconciliandi, sed iam reconciliati.

Quæ sit χάρις bonorum operum ad Vitam.

Supersunt duæ quæstiones explicandæ ad plenam huius loci explicationem, prior est; *Quæ sit χάρις bonorum operum ad retributionem.* De retributione hactenus disputatum est in explicatione vocis ἀποδώσει. Hæc autem quæstio instituitur & mouetur occasione particulæ κατὰ, quæ hic est in textu, κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Huius disputationis fundamentum erit locus Psalmi 72. 13. *Tibi Domine est misericordia, quia tu rependis vnicuique* כמעשהו hoc est, κατὰ τὸ ἔργον αὐτοῦ, *secundum opus eius.*

1. propositio.

Duabus autem propositionibus rem totam complectemur, atque expediemus. Prima hæc esto, *Bona opera non merentur de condigno*, quæ contradictoria est illi propositioni quam asserit Bellarminus libr. 5. de Iustificat. cap. 17. cui capiti titulum fecit, *Bona opera mereri ex condigno, non solum ratione pacti, sed & ratione operis ipsius.* Vbi etiam refutat Durandi sententiam, qui asserebat bona opera ex se non mereri de condigno, sed tantum ex pacto Dei.

Bona opera non merentur ex condigno.

probatur.

Propositionem nostram sic probamus. Si bona opera merentur de condigno, vel merentur si referantur ad dominium Dei in creaturas absolutum, vel ita merentur si referantur ad dominium Dei in creaturas, quatenus illud dominium Deus moderatur suâ iustitiâ. Non primo modo merentur, quia, vt Theologicè & Philosophicè conclusit Durandus, nulla est mutua obligatio inter Creatorem & creaturam, cùm omnis mutua obligatio fundetur in æqualitate aliqua, quæ nulla est inter Creatorem & creaturam, vti supra disputauimus. Non secundo modo merentur, quia hîc agitur de vita æterna quæ nullam habet proportionem cum operibus nostris, est enim illa infinita, opera verò nostra sunt planè finita; est æterna, opera verò nostra sunt temporaria: At inter finitum & infinitum, æternum & temporarium quæ potest esse proportio? si enim vlla esset, certè quantitatis esset, at non est quantitatis proportio, nam infinitum finito est infinitè maius. Hæc ratio nunquam eludi potuit à Bellarmino, qui huc tandem redactus est, vt simpliciter asserat esse proportionem inter vitam æternam & opera, non definiendo quænam, siue cuius generis sit illa proportio, videns nempe se non posse effugere, nec inficias ire quin alias vicerit sententia Durandi, nempe dari mercedem operibus ex pacto, non verò ex condigno.

Rationes pro Merito.

1.

Sic autem nititur Bellarminus assertionem suam probare. Primò, Deus dicitur iustus cum reddit mercedem operibus, est ergo inter mercedem & opera proportio, alioqui non esset actus iustitiæ, sed misericordiæ, mercedem operibus retribuere.

Resp.

Respondeo, Deus cum dicitur iustus duabus de causis. Primò, quia promisit mercedem operibus, est autem iustitiæ pars stare promissis, *Fidelis est Deus* (inquit Apostolus 1. Cor. 10. 13.) *qui non sinet vos tentari vltra id quod potestis ferre.* Deus ergo dicitur iustus ob fidelitatem, non quod obligatus sit ad reddendam mercedem. Secundò, dicitur Deus iustus quum reddit mercedem operibus, quia tum instituit comparationem suorum cum impiis, vnde elucet imago quædam iustitiæ diuinæ, quia non considerantur pij quales sunt in se, aut quales esse deberent, (sic enim nullo pacto consistere possent) sed quales sunt comparati cum impiis, quorum respectu vitam æternam videntur quasi promereri.

2.

Secundò argumentatur Bellarminus, Scriptum est Apocal. 3. 4. *ambulaturos Sanctos in vestibus albis, quia digni sunt.*

Resp.

Respondeo, Atqui scriptum est cap. 7. 14. quod *vestes illæ ablutæ sunt sanguine Agni.* Ergone promeriti sunt fideles vt Filius Dei sanguinem suum effunderet? Non puto vllum esse ex ipsis Pontificiis qui audeat id dicere. Quomodo ergo digni sunt? nempe respectu impiorum: non enim exigit piorum opera ad normam Legis; sed eos cum impiis confert, atque ita aliquam in iis agnoscit dignitatem, quæ in istis non est. Vnde verò illa dignitas? nempe à sanguine Filij Dei quo abluti sunt.

3.

Resp.

Tertiò objicit Bellarminus, Apostolus Coloss. 1. 10. nos hortatur *vt incedamus dignè Deo.* Sed est-ne quisquam mortalium qui sit dignus Deo (quomodo vocem *dignè* accipit Bellarminus) cum tantus sit Deus vt nemo possit eum demereri? Quid ergo significat *incedere dignè Deo*? Sanè, incedere prout decet filios Dei. At in hoc tantum abest vt sit meritum, vt potius sit debitum, tenemur enim sanctè viuere. Ita illæ Bellarmini rationes nullius sunt momenti.

Rationes contra Meritum.

1.

Afferamus iam nostras, quibus vel ipsi Aduersarij cogantur fateri nos non posse operibus quidquam promereri. Prima ratio est, omnes sumus nobis conscij peccati, itaque nulla est Religio in qua non sint supplicationes, & deprecationes, etiam apud Pontif. Litaniæ frequentes sunt, Κύριε ἐλέησον. Non potest autem stare cum conscientia peccati fiducia operum, nam qui implorat misericordiam fatetur se pœnâ dignum, is autem qui potest dicere se mercede & præmio dignum?

2\. dignum? Secunda, operibus nihil possumus promereri, quia nemo pius sibi vnquam satisfecit in opere suo, sed contra fatentur omnes multa sibi deesse.
3\. Tertia eademque inuicta, Luc.17.7. Dominus noster Iesus Christus hoc nos docet parabolâ, *Seruus si hero domum reuerso ministrarit, num herus aget illi gratias? Minimè. Sic & vos cum omnia feceritis, dicite, serui sumus inutiles.* Argumentum Christi eo loco tale est. Seruo nulla debetur merces, est enim emptus pretio. Itaque totus quantus est, Domini est, & si quicquam præstiterit, id eiusmodi est vt si Domino libuerit ei quidquam retribuere, id planè gratuitum sit. Nos autem sumus serui empti incomparabili pretio, nempe sanguine Filij Dei: quicquid ergo fecerimus, si nobis aliquid rependit Deus, id omnino gratuitum est. Itaque Apocal.4.20. qui incedunt coronati, coronas abijciunt ad pedes Agni, & solum Agnum dicunt esse gloriâ dignum. Quomodo stant ista? Coronantur & tamen abjiciunt coronas ad pedes Agni, & sedentis in Throno? Nempe agnoscunt quod coronantur id totum tribuendum esse bonitati Agni, qui hoc ipsis promeritus est. Vnde Augustinus agnouit ingenuè, Deum dum reddit, reddere quod non debet.
4\. Quarta ratio, Omnes quibus tribuitur merces illa vitæ æternæ sunt Filij Dei, iam verò filio non datur merces ex iustitia. Serui eramus peccati, redempti autem sumus illa seruitute, & euecti in dignitatem Filiorum Dei. Porrò quo iure filij sumus, eo iure hæredes sumus: at filij sumus non in nobis, sed in Christo, hæredes ergo sumus in Christo: vnde patet nos nihil posse promereri ex iustitia. Sic conclusa est prima propositio, *Bona opera non merentur ex condigno.* Itaque nullam habent σχέσιν vel ad dominum Dei absolutum, vel ad eiusdem dominium quatenus Deus illud iustitiâ moderatur. Atque hîc repetendum est illud Psal.62. *Tibi Domine est misericordia, quia rependis vnicuique secundùm eius opera.*

2. Propositio. Quæ sit σχέσις inter Opera & Vitam,

Secunda propositio hæc esto. *Datur σχέσις aliqua inter opera & mercedem*, alioqui Dominus non dixisset, *retribuet* κατ' τὰ ἔργα αὐτοῦ, nam particula κατ' denotat σχέσιν. Quæritur autem quæ sit illa σχέσις, & in quo sita. Respondeo primò, σχέσις illa sita est in promissione. Deus pollicitus est mercedem operibus piorum, itaque quum coronat eos, coronat κατ' τὰ ἔργα, nempe ob promissionem. Secundò, in hoc etiam sita est illa σχέσις, quod Dominus delectatur bonis operibus suorum, vt Scriptura disertè docet.

probatur Scripturæ testimoniis,

Et primum quidem 2.Cor.5.9. φιλοτιμούμεθα εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι, *studemus placere ipsi.* Deinde Hebr.13.16. *talibus enim sacrificiis* εὐαρεστεῖται ὁ θεός, *delectatur Deus.* Tertiò, 1.Petr.2.20. *si benefacientes tamen afflicti toleratis*, τοῦτο χάρις παρὰ θεῷ, *hoc gratum & acceptum est Deo.* Hæc est ergo duplex σχέσις, Prima, *Deus promisit mercedem operibus*, Secunda, *Deus operibus delectatur.*

& ratione.

Accedat illis Scripturæ testimoniis ratio. Deus delectatur iis in quibus elucet imago sua, at in bonis operibus elucet. Ergo. Item, Deus delectatur operibus suis, at bona opera fidelium sunt Dei opera, ergo iis delectatur. Hoc itaque tenendum est, Bona opera sunt præcedanea vitæ æternæ, sed non simpliciter præcedanea, verùm vt aliquid cui Deus promisit mercedem, & quo delectatur.

illustratur simili.

Simili filij prodigi poterit res illustrari. Pater filij illius obuiam ei procedens primò dimittit illi peccata, sed priusquam introducat domum induit eum veste noua: Ita planè Deus nobis condonat peccata, sed antequàm admittat in cœlum nos sanctificat, *Christus enim nobis est iustitia & sanctificatio*, 1.Cor.1.30. Et Christi gratia in hoc sita est, quod non modò peccata nobis dimittantur, sed etiam quod Lex Dei scribatur in cordibus nostris.

quomodo Merces redditur à Deo fidelibus.

Non igitur tribuitur merces operibus ex iustitia, sed vt pater tribuit mercedem filio; Est-ne verò filius vllus ita nequam, qui patri non dicat se esse dignum mercede quam pater ei promittit? Christus in extremo iudicio ita cum hominibus aget quomodo pater sæpè cum filiis agit, quorum alij sunt bonæ, alij verò prauæ indolis; quum eos discernit sic cum illis agit, Iste mihi paruit, ille verò rebellis fuit, & quia ille mihi fuit obsecutus præmium à me feret, iste ob peruicaciam castigabitur: Et tamen idem ille qui paruit, quem præmio pater afficit, in multis inobediens fuit; itaque quod præmio donatur, id non sic quod sit illud à patre iure promeritus, sed comparatè duntaxat ad eum qui peruicax fuit; ex indulgentia itaque, non ex merito aut iure, præmium illi conceditur. Sic fideles, in extremo iudicio impiis comparati, præmium obedientiæ & operum suorum accipient non ex merito, sed ex Dei paterna indulgentia: Secundò, Merces nobis redditur quomodo seruo ab hero redditur, seruus autem nihil potest à Domino promereri, siquidem ab eo fuit emptus: gratuitum itaque est quicquid dat ei herus; quanto igitur minus de Deo possumus mereri? Nam pater non est author obedientiæ filij, neque dominus serui, at Deus ipse est omnium bonorum operum quæ à nobis fiunt auctor, eaque sunt ipsi accepta ferenda. Hoc pacto expositâ re istâ vniuersâ satisfaciemus conscientiæ nostræ, & varios Scripturæ locos conciliabimus.

Vltima ratio cur Christus dicatur reddere secundum opera.

Hoc quoque addendum est, Deus quum retribuit mercedem operibus duo intuetur, primum, demonstrationem iustitiæ remunerantis, secundum, laudem suorum. Vtrumque probatur, ac primum quidem sic. Quum Deus tribuit mercedem operibus quæ tum rara sunt, tum etiam imperfecta, eo ostendit quo amore prosequatur integram & perfectam iustitiam, *Veniet* (inquit Apostolus 2.Thess.1.10.) *vt glorificetur in sanctis suis in die illo*, hoc est, vt ostendat quantopere delectetur obedientia. Tum etiam hoc facit in laudem suorum, quod probatur ex 1.Cor.4.5. *tunc vnicuique erit à Deo laus.* Cæterùm hoc fit institutâ collatione piorum cum impiis, non cum semetipsis: laudantur enim & vituperantur pij, sed diuerso respectu, laudantur collati cum impiis, vituperantur quum considerantur in semetipsis.

Cur iustificatio fidei potius quàm operibus tribuatur.

Altera quæstio quæ explicanda nobis superest, hæc est, *Cur vita æterna tribuitur potius fidei quàm operibus, cùm tamen non magis debeatur fidei quàm operibus*, vti supra probatum est. Vt muniamus nobis viam ad solutionem huius quæstionis, hoc tenendum est, *Fidem non esse opus.* Pontificij putant se nos hac ratione premere, Fides est opus, quum igitur asseritis vos iustificari fide, fatemini (vel inuiti) vos iustificari aliquo opere. Sunt alij, qui à Pontificiorum sententia abhorrent vel maximè, qui fatentur fidem esse opus, negant tamen iustificari nos fide quatenus est opus.

Fides non est Opus,

Verùm Scriptura semper distinguit fidem ab operibus,

imò opponit fidem operibus in negotio iustificationis. Et ipsi Pontificij vel imprudentes distinctionem fidei ab operibus admittunt, quum dicunt nos partim fide, partim operibus iustificari, quod dictu absurdum esset nisi fides ab operibus distingueretur. Fides igitur non est opus: nam quod vocatur *opus Dei*, Iohan.6.29. id fit per allusionem, quomodo Paulus fidem appellat *legem*, Rom.3.27. & credentes vocat *filios Abrahæ*, Rom.4.11. per allusionem. Nempe Iudæi crepabant perpetuò Opera, Legem, & prærogatiuam suam quod essent filij Abrahæ: Itaque Christus illis respondens, & iustificationem fidei tribuens, eam vocat opus, vtens nimirum ipsis Judæorum verbis, seu alludens ad ipsorum loquendi modum, qui operibus putabant se iustificari, quasi diceret, Vultis vitam habere operibus, Ergo, opus illud operamini, credite nempe in Filium Dei. Hoc autem discrimen est fidei & operum. Fides nihil Deo dat, sed accipit tantum, at opera sunt veluti sacrificia εὐχαριστικὰ quæ nos Deo offerimus. Fides enim organum est & veluti manus animæ, qua suscipimus Dei beneficia.

Fidei & Operum discrimen.

Jacto hoc fundamento dicimus, Justificationem tribui fidei non operibus. Primò, quia Apostolus quum disputat ex professo de iustificatione, nunquam opera sanctitatis opponit operibus Legis, quod fecisset ad eius propositum, si putasset in iustificatone aliquid esse tribuendum operibus. Nam eius Aduersarij studebant eum reddere inuisum, quasi laxaret habenas licentiæ carnis: itaque si putasset iustificationem fieri per opera sanctitatis, facilè fuisset respondere Aduersariis se non negare nos iustificari operibus, sed contendere hoc fieri operibus sanctitatis: at verò nunquam sic agit, sed fidem semper opponit operibus. Hoc autem Pontificiorum causam damnat, quia rationem reddere non possunt cur Apostolus fidem opposuerit operibus. Imò verò cùm fides, ex eorum sententia non trahat secum necessariò bona opera, sed absque illis possit esse vera fides, non debuit Apostolus fidem, quæ potest, ex eorum hypothesi, consistere sine operibus, opponere operibus. Sed si voluit docere iustificationem fieri ex fide & operibus, debuit opera (puta sanctitatis) opponere operibus, Legis nempe operibus, quia secundùm Pontificios fides potest esse sine operibus, non verò opera sine fide. Itaque si nihil aliud esset præter authoritatem Apostoli, deberet hoc Christianis hominibus sufficere.

Non operibus sed sola fide iustificamur. 1.

2. Sed accedunt præterea aliæ rationes. Secunda ergo hæc esto. Tota salus nostra consistit in gratuita peccatorum remissione, quam Deus offert homini in Euangelio, non simpliciter quidem, sed vt eum inuitet ad pœnitentiam: si enim nullus esset locus remissioni peccatorum, non posset peccator in animum inducere vt agat pœnitentiam; atque ita, hac quidem in parte, eodem loco esset quo Diabolus, nunquam se accingeret ad pœnitentiam, quia nullam haberet spem remissionis. Ideoque Deus vt tolleret hominibus desperationem & metum, offert remissionem peccatorum; nempe in Filio suo Iesu Christo, nam nulla est remissio sine sacrificio, nullum autem sacrificium ἱλαστικὸν præter illud Christi. Iam verò quæ est animæ facultas quæ hanc agnoscit remissionem? Nulla alia præter fidem, nam fides est quæ Deo promittenti credit, Spes quæ rem promissam expectat, Charitas autem quæ perspecta in promissionis magnificentia promittentis bonitate, eum amat. Quoniam ergo sola fides est quæ acquiescit in gratuita Dei promissione in Jesu Christo, & remissionem peccatorum apprehendit, ideò illi soli à Spiritu Sancto iustificatio tribuitur. Hoc autem obiter hîc notandum est, Neminem esse qui certò & seriò credat promissionem sibi esse factam, qui non adducatur ad pœnitentiam, quem non statim peccati pœniteat. Cuius rei ratio hæc est, quia sic tollitur occasio desperandi, & magnitudo promissionis atque splendor tantus est vt obscuret, & vilescere faciat quæ in hoc mundo tantopere nobis placent; itaque & sola fide iustificamur, & sola fide sanctificamur, *fide enim purificantur corda*, Act.15.9. Tertia ratio. Causa cur Deus nobis remittat peccatum, nobis, inquam, pœnitentibus, hæc est, quod satisfactum sit à Christo iustitiæ suæ; itaque Christus nobis promeritus est hanc gratiam: At satisfactio Christi non potest aliter apprehendi à nobis quàm per fidem; itaque ob hanc causam iustificatio tribuitur soli fidei. Quarta ratio. Ideò iustificamur quia filij sumus, vti docet Apostolus Rom.8.17. *Si filij, Ergo hæredes, hæredes,* inquam, *Dei, cohæredes verò Christi.* Itaque cùm vita æterna sit hæreditas, eo iure nobis obtingit quo filij sumus. Jam verò filij sumus per fidem, non per opera, siquidem opera edimus postquam filij sumus, Ergo & iustificamur per fidem, non per opera. Quinta ratio. Eo iure seruamur quo iure sumus membra Christi, sumus enim in illo dilecti: Iam verò sola fides est quæ nos facit membra Christi quoad nos. Ergo etiam illa est sola quæ nos iustificat, & cui idcirco iustificatio tribuitur, non operibus.

3. 4. 5.

Hæc quæ iam diximus probanda nobis sunt ex Scripturis. Ac primò, quod sola fides nitatur Dei promissione quæ est de remissione peccatorum, probatur ex eo quod fideles vocantur *filij promissionis*, Roman.9.8. & Gal.4.28. Vnde enim *promissionis filij* dicuntur, nisi quod fide promissionem amplectantur? imò dicuntur accipere per fidem Spiritum promissionis, Gal.4.28. Quamquam res ipsa hoc satis testatur, nam etiam inter homines promissio præstantioris erga inferiorem tum demum rata est si inferior eam admittat, nulla verò fit si non admittat, nullo vitio promittentis, sed eius qui non admisit.

Sola fides nititur promissione Dei.

Atque hinc soluitur vulgatum illud Sophisma, quod quis tenetur credere, illud verum est. Atqui tenentur reprobi credere Christum esse pro se mortuum. Ergo illud verum est. Resp. per distinctionem. *Verum* non vno eodemque modo dicitur, nam verum aliud est quia promittitur, aliud verò quia narratur, aliud denique quia prædicitur. Vnde sequitur ea quæ creduntur non esse pari ratione vera, tantum vera sunt vel vt promissa, vel vt narrata, vel vt prædicta. Atque sic distincta maior est, nempe, quod tenemur credere verum est vel quomodo vera sunt quæ narrantur, vel quomodo vera sunt quę prædicuntur, vel quomodo vera sunt quæ promittuntur. At vnusquisque tenetur credere Christum pro se esse mortuum: id verò non est distinguendum. Ergo id verum est. Huc demum accommodanda est distinctio, nempe ergo id verum est vel vt narratum, vel vt prædictum, vel vt promissum. At primo & secundo modo verum non est, nã quæ

Arminianorum sophisma solvitur per dist. Veri, quod tripliciter dicitur.

vera sunt

vera ſunt ut narrata, ea fuerunt ſeu ea credideris, ſeu non credideris, & quæ vera ſunt ut prædicta, illa itidem futura ſunt ſeu credideris, ſeu non credideris. At quæ vera ſunt ut promiſſa, ea nihil neceſſe eſt eſſe niſi credideris, imò neceſſe eſt ea non eſſe ſi non credideris. Diſcriminis ratio hæc eſt: narratio & prædictio omnis abſoluta eſt, non complectitur tacitam conditionem, neque reſpicit fidem auditoris: at promiſsio omnis, eo quod promiſsio eſt, fidem exigit ab auditore, adeoque conditionem habet implicitam, fidem nempe quæ niſi præſtetur erit quidem promiſſio vera, at res promiſſa tamen non præſtabitur, neq; enim prædicta ſimpliciter, ſed promiſſa fuit. Porrò non continuò omnis promiſsio quæ in ſe vera eſt præſtatur, accidit enim ut illius culpâ cui facta eſt irrita fiat, ſi euentum ſpectes, ſed promiſsio tum demum ſimpliciter & abſolutè vera eſt, quum ſi promiſſioni creditur promiſsio impletur. Exempli gr. Deus Iſraelitis promiſit terram Chanaan, Ioſuæ & Calebo promiſsio præſtita eſt, & quidem illis ſolis, nempe illi ſoli crediderunt, reliquis non eſt præſtita, non crediderunt ſcilicet, nec quiſquam tamen hinc concluſerit falſam fuiſſe hanc promiſsionem: atque ita hominum infidelitas Dei fidem non abrogat. Et verò id eſt quod teſtatur Propheta Pſalmo 106. 14. quo loco reddit rationem cur quibus Deus promiſerat terram Chanaam, non fuerint tamen in eam intromiſſi, nempe quia non crediderunt. Quorſum & reſpexit Iohannes 1. Cath. cap.5. *Si recipimus teſtimonium hominum, teſtimonium Dei maius eſt. ſi quis non credit Deo, facit eum mendacem, quia non credidit teſtimonio Dei de filio ſuo, & hoc eſt teſtimonium, quod ſcilicet Deus nobis dedit vitam æternam.* Vides ut teneamur credere Deum dare nobis vitam æternam, non tamen id continuò verum eſt niſi credamus, eſt enim verum tantum ſub fidei conditione. Quod verò ſatisfactio Christi apprehendatur fide, inde patet, quod *edere carnem Chriſti & bibere eius ſanguinem* nihil aliud ſit quàm *in eum credere*, hoc enim tantummodo fide fit. Satisfecit autem Christus carnem ſuam morti tradendo & ſanguinem effundendo, quam carnem oportet nos edere & ſanguinem bibere, nempe fide. Ergo fides eſt quæ apprehendit ſatisfactionem illam. Quod verò ſola fide ſumus filij Dei patet ex disertis verbis Iohannis, cap.1. Euang. verſ.12. *quotquot acceperunt eum dedit eis hoc ius, vt ſint filij Dei, nempe credentibus in nomen eius.*

confirmatur teſtimonio Scripturæ.

Satisfactio Chriſti ſola fide apprehenditur.

Sed ex hoc loco nonnulli, in tanta luce Euangelij, inter ipſos Euangelicos cœperunt quærere, *An Spiritus præcedat fidem, an verò ſequatur*, id eſt, An prius credamus, poſt verò accipiamus Spiritum adoptionis. Hoc mirum eſt: Nam fides aut eſt à Spiritu aut à ratione, iam verò non eſt à ratione, ergo à Spiritu. At dicimur *per fidem accipere Spiritum*, Galat.3.2. certè. Sed quem Spiritum? non ſpiritum credendi, ſeu fidei, ſed Spiritum conſolationis & ſanctitatis: Etenim conſolatio non præcedit fidem, ſed ſequitur, nam quia credo Chriſtum eſſe ſeruatorem meum, ſentio ſummam pacem. Itaque credendo accipimus Spiritum ſanctitatis, & conſolationis (non tamen ſequitur omne donum Spiritus ſequi fidem) quemadmodum dicimus *ſapientiâ accipi ſapientiam*, nam ſtultus non eſt capax ſapientiæ. Imò verò eò deuenerunt homines illi, ut dictum Ieremiæ, *indam legem meam in corde ipſorum*, interpretentur de conuerſis, non de conuertendis. Sed conuerſi iam habent legem inditam, & ſi id verum eſt de conuerſis, eos opus habere ut indatur ipſis Lex, multò verius erit de conuertendis.

Fides non præcedit Spiritum, ſed ſequitur.

MATTH. XVII. à Verſu 10. ad 14.

10. Καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγοντες, τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;
11. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα.
12. Λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι Ἠλίας ἤδη ἦλθε, καὶ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, ἀλλ᾽ ἐποίησαν ἐν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει πάσχειν ὑπ᾽ αὐτῶν.
13. Τότε συνῆκαν οἱ μαθηταὶ ὅτι περὶ Ἰωάννου Βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς.

10. *Tunc interrogarunt eum Diſcipuli ſui, dicentes, Quid igitur Scribæ dicunt, oportere vt Elias primùm veniat?*
11. *Ieſus autem reſpondens dixit eis, Elias quidem veniet primùm, & reſtituet omnia.*
12. *Sed dico vobis Eliam iam veniſſe, quem non agnouerunt, ſed fecerunt ei quæcunque voluerunt, ita futurum eſt vt filius hominis patiatur ab eis.*
13. *Tunc intellexerunt Diſcipuli eum de Iohanne Baptiſta hæc dixiſſe.*

HIc locus potuiſſet à nobis præteriri, verba enim eius clara ſunt & perſpicua, nullaque egent explicatione, verùm quia Pontificij eo abutuntur ad ſtruendam ſuam de Eliæ aduentu ad debellandum Antichriſtum fabulam, quamuis reuera ad illam confutandam maximè conducat, nos ideo hunc locum ſuſcepimus explicandum. Diſputabimus igitur primò aduerſus Pontificios, deinde verò aduerſus Iudæos, quamuis iiſdem penè utrique utantur argumentis, ſed nobis aliter cum Pontificiis qui Chriſtiani ſunt, aliter cum Iudæis agendum eſt. Quæritur ergo, *An iam venerit Elias*, ille, inquam, cuius fit mentio apud Malachiam cap.3. verſ.1. [illegible] cap. 4. verſ.5. & 6. Nos aſſerimus [illegible] illum veniſſe, Pontificij negant. Argumenta illorum hæc ſunt.

Vindicatur hic locus.

1° aduerſus Pontif.

Primò, aiunt Johannem Baptiſtam, cùm quærerent ex eo Iudæi an eſſet Elias, reſpondiſſe ſe non eſſe Eliam, Ioh.1.21. Sed facilè ſoluitur hoc argumentum. Etenim Iudæi quæſiuerant ab eo, an eſſet is Elias quem ſibi finxerant. Iam verò hæc eſt Iudæorum de Elia ſententia, aut commentum potius, referente Dauide Kimhi in Comment. in Malach.4. Deum creaturum nouum corpus Eliæ ante diem ultimi iudicij, prius enim corpus eius reſolutum fuiſſe in quatuor elementa ex quibus fuerat primò compactum. Itaque cùm Iudæi interrogarent Johannem Baptiſtam an eſſet Elias, rectè negauit ſe eſſe Eliam, nempe ex eorum mente, & talem qualem ſibi fingebant Eliam. Sic cùm Chriſtus ab aliquo appellatus eſſet bonus, tacitè negauit ſe eſſe bonum (*Cur me*, inquit, *bonum vocas?* nullumque eſſe bonum præter Deum affirmauit: nempe Scriba ille eum ita compellauerat ac ſi Chriſtus merus eſſet homo, & tamen epithetō attribueras

quorum hæc ſunt argumenta. 1.

Reſp. Iudæorum de Eliæ aduentu ſententia.

uni Deo proprium, negauit igitur Christus se esse ex mente illius bonum.

2. Argumentum. Secundò dicunt, Dominum nostrum Jesum Christum hoc loco dicere, *Eliam esse venturum*, vers.11. Ηλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα, hoc itaque intelligendum esse volunt non de Johanne Baptista qui iam venerat, sed de vero ipso Elia. Respond. primò. Nihil magis esse consuetum, quum agitur de interpretanda Prophetia, quàm verba ipsa Prophetiæ primò ponere, deinde ea interpretari, ut siquis locum aliquem propheticum de adventu Christi interpretandum susciperet, verba loci primò proponeret, mox subiiceret explicationem. Ita Christus Malachiam primò affert, deinde explicat quum ait, *sed dico vobis Eliam iam venisse*. Secundò Respond. ἔρχεται non modò significat illum qui venit, aut qui venturus est, sed etiam qui debuerat venire, ut sit sensus, Ηλίας ἔρχεται, hoc est, Elias is est qui debuerat venire, cæterùm iam venit. Huius locutionis exemplum illustrissimum habetur Mat. 11. ubi Johannes discipulos mittit ad quærendum de Christo σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος? quæ verba nullum haberent sensum si ita exponerentur, *Es-ne tu is qui venturus es* aut *qui venis?* sed optimum habent ita versa, *Es-ne tu is qui venturus erat*, aut, *quem oportuerat venire?*

3. Argumentum. Tertiò aiunt, Elias Malach.4. dicitur *venturus ante terribilem & metuendum Domini diem*, At prior Christi aduentus, quem præcessit Johannes Baptista, non fuit terribilis. Ergo Iohannes Baptista non est Elias. Respondeo. In Scriptura etiam prior Christi adventus dicitur terribilis: Nam Act.2.17. Petrus verba quæ habentur Joelis cap. 2. & quibus sanè terribilis denotatur Christi aduentus, de priori Christi aduentu interpretatur. Quin & ipse Johannes Baptista dicit se esse nuntium illius terribilis diei, nam ait, *securim esse admotam radicibus arborum infrugiferarum, & paratum esse ignem qui consumat illas arbores*. Item, *Dominum tenere in manu suo ventilabrum, quo excutiat ex area sua paleam & folliculos*. Itaque prior etiam Christi aduentus dicitur terribilis. Sed quæri potest cur dicatur terribilis. Nempe quia Iudæi olim quidem Deum, & Prophetas ad se missos contempserant, sed nunquam tam calamitoso & exitiali casu, Nam dicit Dominus, *se venisse in iudicium, vt qui vident non videant, sed cæci fiant*, Iohan.9.39. adeoque etiam ob contemptum Christum planè à Deo reiecti sunt Iudæi. Aliàs quidem multa mala olim passi fuerant in exilium acti, sed liberati tamen semper fuerant, & ex omnibus illis malis tandem emerserant. Unde argumentum eliciimus quo Iudæos hodie vehementer premimus, quum quærimus ab iis quo peccato tantum malum accersiuerint in caput suum: quum enim Christus ad eos venit in terras, ipsi non erant idololatræ, quales erant quum Babylonem deportati sunt, nec tanta tamque horrenda patrabant scelera quàm patrata sunt à patribus eorum, & tamen longè grauius est ipsorum iudicium quàm fuit unquam patrum ipsorum, vtpote qui dispersi sint per vniuersum orbem terrarum sine Rege & Sacerdote, sine Templo & sacrificio, & hoc iudicium tam graue tamque diuturnum est, ut nullus illi iam à multis sæculis imponatur finis.

Margin: Resp. 1. — 2. — Resp. — etiā prior Christi aduentus dicitur terribilis. — Cur dicatur — Argumentum aduersus Iudæos validissimum.

4. Argumentum. Quartò, aiunt Pontificij, Elias omnia restituet, At Iohannes Baptista non omnia restituit. Ergo Iohannes Baptista non est Elias. Respondeo, minorem illam afferre est Angelo contradicere, qui Luc.1.16.17. eadem de Johanne Baptista usurpat quæ Malachias cap.4. de Elia. Item Zachariæ, qui idipsum de filio suo vaticinatus est replexus Spiritu Sancto; verba eius sunt, *Conuertet corda patrum ad filios, & rebelles ad prudentiam iustorum, vt paret Domino populum κατεσκευασμένον*, Luc.1.17. Et dicitur Iohannes Baptista prædicator *remissionis peccatorum ex visceribus misericordiæ, quibus visitauit nos Oriens ex alto*. Luc.1.78. Hoc autem fecit Iohannes Baptista *in spiritu & virtute Eliæ*, Luc.1.17. Iohannes ergo dicitur omnia restituisse eodem modo quo dicitur *conuertisse corda filiorum ad patres*, hoc autem non fecit plenè & perfectè, nam sues etiamnum eruntque semper impij. Ergo neque intelligendum est eum omnia plenè restituturum, sed comparatè ad statum Ecclesiæ præcedentium temporum sub Veteri Testamento.

Margin: Resp. — quomodo Ioh. Bapt. omnia restituerit.

5. Argumentum. Ultimum Pontificiorum argumentum hoc est, Discipuli Christi intellexerunt verum Eliam, Ergo quum Christus dixit Ηλίας ἔρχεται, intellexit Eliam verè & propriè dictum. Respondeo. Primò quidem quum Discipuli interrogarunt Christum, putabant ipsum verè & propriè dictum Eliam venturum, sed hunc ipsis abstulit errorem Christus quum ait, *Ego verò dico vobis Eliam iam venisse*, unde subiicitur, Discipulos intellexisse eum de Iohanne Baptista esse locutum. Atque hic obiter obseruandum est, Christum aliter cum Discipulis suis priuatim agere, aliter cum hominibus pertinacibus publicè, nam Discipulis apertè & clarè, reliquis obscurè respondet, nisi cùm esset coram Pilato & Caypha quia enim uterque Iudex erat, ideò clarè coram illis professus est se esse Regem Christum filium Dei.

Margin: Resp.

Iudæorum argumenta. 1. Iam venio ad Iudæos, à quibus argumenta sua sumpserunt Pontificij. Primum Iudæorum argumentum hoc est, Dura est & ridicula interpretatio, *veniet Elias*, hoc est, veniet aliquis qui non est Elias, nempe Iohannes Baptista. Respondeo primò, Iohannes Baptista eodem modo dicitur Elias, quo Messias dicitur Dauid, Oseæ cap.3. vers.5. *Tunc conuertentur filij Israelis, & quærent Dominum Deum suum, & Dauidem Regem suum*. Si Messias dicitur Dauid, cur non & Iohannes Baptista dici possit Elias? Sed ut candidè cum illis agatur. Respondeo secundò, Iohannem Baptistam dici Eliam quia venit *in spiritu & virtute Eliæ*: & magna sanè fuit similitudo inter Iohannem Baptistam & Eliam. Primò, Elias erat Prophetarum princeps (nam Moses fuit aliquid amplius quàm Propheta) Iohannes autem Baptista talis fuit ut nullus Prophetarum ei fuerit comparandus. Secundò, Iohannes Baptista Eliæ similis fuit ratione officij (nam tenendum est dona semper dari ad proportionem muneris seu officij) quia Elias missus fuit ad instaurandum cultum Dei in Israele, & eos oppugnandos qui rerum summâ potiebantur seu in Rep. seu in Ecclesia, atque ideò potestatem habuit edendi miracula. Ad idem quoque munus missus etiam fuit Iohannes Baptista, & in eo multò potentiùs defunctus est quàm Elias, nam sola vi verbi id confecit absque ullo miraculo. Confluxit enim ad eum undique magna multitudo, & Pharisæos duriter increpauit, *Progenies* (inquit

Margin: Resp. 1. — Collatio Eliæ & Iohan. Bapt. Resp. — 2.

(inquit illis) *viperarum*, &c. Et sicut Elias Achabum regem, & eius uxorem, Jesabelem, confidenter & absque metu objurgauit, ita Johannes Herodem. Tertiò, in vitæ genere fuit Johannes Baptista similis Eliæ, eadem enim utrique vestis, idem victus, & eodem habitationis genere uterque delectabatur, quod non est factum sine mysterio. Nam Prophetæ doctrinæ quam prædicabant solebant exhibere symbola etiam in rebus externis. Itaque cùm esset uterque prædicator pœnitentiæ, cuius symbola & indicia sunt vestis vilis & contempta, victus facilè parabilis & neglectus item solitudo, symbola illa ideo fuerunt ab utroque adhibita atque usu pata. Johannis nempe prædicatio nec fuit, neque esse debuit, temerè prophetica, sed neque etiam merè Euangelica, erat enim Johannes, & eius munus, veluti medium quo fiebat transitus à prophetis ad Christum.

3.

2 argumētum Iudæorum.

Secundum Iudæorum argumentum est. Elias debuit proximè præcedere diem Judicij. Quid ita? quia debuit præcedere diem terribilem Domini. At Iohannes Baptista non proximè præcessit diem Iudicij. Ergo non est Elias: Respond. duplex esse iudicium, alterum *vniuersale* totius mundi, alterum *particulare* mundi, ut ita dicam, Israelitici, quorum alterum alterius typus est. Mundus autem Israeliticus (hoc est Judæorum Republica) totus iam est deiectus, nouum cœlum, noua terra iam facta sunt. Hoc iudicium particulare debuit præcedere Iohannes Baptista (non verò vniuersale totius mundi) & reuera illud præcessit, eo enim iudicio oppressi hodie jacent Iudæi, quod contempserint vocem Johannis Baptistæ præparantis eos ad excipiendum Christum. Itaque Dominus noster Iesus Christus eadem oratione & ruinam Hierosolymorum, & totius mundi excidium prędixit Mat.24. Quod autem Elias non debuerit proximè præcedere diem ultimi Iudicij, hinc patet, quia *veniet vt instauret omnia*, at ante Iudicium ultimum non instaurabuntur omnia, sed in ipso Iudicij die. Non debuit ergo venire proximè ante illum diem.

Resp.

3 argumentum.

Tertium Iudæorum argumentum est Eliæ debuit esse magna authoritas, Iohannis Baptistæ non fuit magna authoritas. Ergo non est Elias. Respondeo. Imò verò magna fuit Iohannis Baptistæ apud Iudæos authoritas, & longè maior quàm ipsius Christi, ut patet ex Iosepho, qui Iohannis Baptistæ præclaram mentionem facit, mortem illius & mortis causam recitat, quod non fecisset nisi magna fuisset eius authoritas. Quod si facit etiam Christi mentionem id non facit tam ingenuè; imò verò quæ de Christo apud eum habentur, non immeritò suspicari quis possit ea non esse illius.

Resp.

Joh Baptista est Elias contra Pontif. argumentū.

Venio iam ad argumenta nostra, quibus probamus Iohannem Baptistam esse Eliam. Primum est nisi Iohannes Baptista sit Elias, Elias nondum venit. At Elias venit. Ergo. Probatur minor. Nisi iam venerit Elias, Christus nondum venit, At Christus venit. Ergo probatur connexio maioris, quia Elias debuit præcedere adventum Christi, uti testatur Christus, quum de Iohanne Baptista loquens ait, *Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, vt preparet vias tuas.* Matth.9.8. quæ verba à Malachia de Elia sunt enuntiata. Secundum argumentum est, Christus (Matth. 11. 14.) postquam

2

de Iohanne Baptista verba fecit, subjicit, *Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus erat*, quo clarius nihil dici potest. Item, hoc loco Christus dicit Eliam venisse, ℣.12. Ἠλίας ἤδη ἦλθε. de eo loquitur de eo loci de Iohanne Baptista, ita vt Discipuli ipsi illud intellexerint ℣.13. τότε συνῆκαν ὅτι περὶ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς. Idem testatur Marc.9. 13. Cùm ergo Elias debuerit præcedere aduentum Christi, ipse autem Christus monuerit Iohannem Baptistam esse Eliam consequens est ut nos quoque intelligamus istum Eliam esse Iohannem Baptistam. Hæc argumenta valent contra Pontificios.

contra Iudæos 1. argumentū.

Contra Iudæos autem sic argumentamur. Primò, Elias debuit omnia restituere (uti ait hîc Dominus noster Iesus Christus) & hæc sunt reapse ipsa Malachiæ verba cap.4.6. Itaque non debuit statim sequi dies ultimi Iudicij, sed restitutio potius Ecclesiæ per pœnitentiam. Sed hoc argumentum per se sumptum leuius fortasse videri potest, itaque hoc secundò addimus. Finis restaurationis illius describitur à Propheta, *Ne veniam & feriam terram anathemate.* Iam verò quoties hæc vox *terra* in Veteri Testamento reperitur sine adjectione, toties significatur terra Israelis. Itaque non agit Propheta de exitio totius terræ in extremo iudicio, sed tantum de clade Iudaica, si perstent in contemptu oblatæ gratiæ. Tertium argumentum est, Iudæi fatentur agi de Elia sub initium capitis tertij Malachiæ: Atqui eo loco agitur de primo adventu Messiæ, etenim pollicetur Deus *se missurum Angelum ante faciem suam, qui præparet sibi viam & tunc venturum Dominum in Templum suum.* Hæc non possunt intelligi de die extremi iudicij. Quartò, promittit Deus fore *vt exoriatur Sol iustitiæ*, Mala ch.4.2. quo nomine Zacharias agens de Iohanne Baptista filio suo, & eius officio Christum insignit, vocat enim eum ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, quod idem est ac *Sol iustitiæ*. Itaque hoc obiter obseruandum, multò rectiùs versum fuisse locum illum à doctissimo Interprete gallicè quàm latinè, nam latinè versus est ab eo, *germen ex alto*, at ἀνατολὴ non est *germen*, sed *Oriens*, gallicè verò rectè redditus fuit ab eodem, *Orient d'enhaut.* Sic ergo probatur aduersus Iudæos Eliæ aduentum præcedere non diem iudicij, sed primum aduentum Christi.

2.

3.

4.

Sensus loci exquiritur,

Iam verò quia hactenus nobis muniuimus viam ad clariorem loci huius explicationem per disputationem istam aduersus Iudæos & Pontificios, propiùs verba ipsa & locum intuebimur. Primò, discutienda sunt illa quæ Discipuli tribuunt Scribis, quum ita Christum interrogant, *Quomodo aiunt Scribæ Eliam venturum primùm?* Ubi diligenter obserua vim particulæ *primùm* aduersus Pontificios. Haud dubiè illud *primùm* Discipuli non intellexerunt de die iudicij, ut sit sensus, *Quomodo dicunt Scribæ fore vt Elias veniat ante diem iudicij?* est enim ista interrogatio conjungenda cum iis quæ præcedunt, non autem cum iis cohæreret illo sensu, nam proximè præcedit interdictum quo Christus vetat ne diuulgent visionem: ex illo igitur interdicto nata est huius quæstionis occasio. Eam autem sic deducit Origenes, Ait discipulos vidisse Eliam una cum Christo, itaque mirum iis fuisse visum cur non præcessisset Christum, nec priùs apparuisset in terris quàm Christus. Sed mihi

primùm quid hic significat.

Occasio cur Discipuli Christum de Elia interrogant.

videtur ista ratio non satis firma, nam si rem propiùs intueamur, videbimus interrogationis occasionem natam esse ex Christi interdicto, nempe ubi viderunt Christum vetantem ne visionem emulgarent antequam resurrexisset à mortuis, statim mirati sunt atque conturbati, siquidem putabant ipsum restauraturum Rempubl. Israelis secundùm carnem; (quod & credebant Pharisæi & Scribæ de Messia) venturum autem esse primùm Eliam ante instaurationem illam à Christo faciendam: Quærunt igitur ab eo, quomodo loqueris de resurrectione tua à mortuis, cùm nondum restauraueris Remp. Israelis, necdum venerit Elias, quem tamen oportet (ut aiunt Scribę) prius venire? Vnde patet falsum esse quod ait Maldonatus, Discipulos scilicet, quum audierunt Christum mentionem fecisse de resurrectione mortuorum, putasse eum loqui de die Judicij, ideoque interrogasse an nondum venisset Elias. Non enim loquitur Christus de resurrectione à mortuis generali, sed de sua. Patet igitur Apostolos non quæsiuisse de ullo Eliæ adventu quem putarent præcedere diem Judicij, sed de adventu Eliæ ante primum adventum Christi. Quæri autem posset, Cur Discipuli in quæstione sua citarunt Scribarum authoritatem, non autem Scripturam ipsam, quæ tamen prædicit adventum Eliæ. Respondet Maldonatus, Discipulos homines fuisse rudes, & è plebe, itaque fecisse quod facere solent plebeij, qui ea Concionatoribus suis attribuunt, quæ tamen ab iis hausta sunt è Scripturis. Non improbo penitus hanc responsionem, sed aliter tamen puto respondendum. Nempe videbant discipuli se à Pharisæis hoc argumento posse urgeri, Dicitis vestrum Iesum esse Messiam, ubi ergo est Elias qui debuit Messiam præcedere? proponunt itaque objectionem verbis Pharisæorum & Scribarum.

Cur meminerunt Scribarũ.

Sequuntur verba Christi, *Elias veniet, & restituet omnia.* Iam supra explicuimus verbum ἔρχεται, nempe illud neque præsens, neque futurum tempus propriè in Scriptura aliquando significare, sed de eo dici qui debuerat venire, etiamsi iam venerit. De verbis istis *restituet omnia*, dubitatur quomodo possint consistere cum iis quæ paulo post sequuntur, quibus attribuit Iohanni Dominus quod agnitus non fuerit, sed contra passus sit à Judæis quæcunque ipsi voluerunt. Ad dubij istius solutionem duo sunt consideranda, primum, quodnam fuerit Johannis officium, tum, quæ fuerit officij istius efficacia; atque ita hæc quæstio absoluetur. Johannis officium fuit parare viam Domino, duo autem obstabant quominus via esset parata. Primò, ignorantia Euangelij, quæ partim affectata fuit vitio sæculi, partim simplex ob obscuritatem prophetiarum. Et vitium quidem sæculi debuit Iohannes expugnare *in spiritu Eliæ*, qui spiritus fuit terrificus & minax: itaque omnes Iohannis conciones sunt minaces & terrificæ. Iuxta hanc officij sui partem dicitur *Vox clamantis in deserto, Complanate vias Domini,* &c. Matt. 3.3. Et ideò dicitur *reducturus rebelles ad prudentiam iustorum*, Luc.1.17. & vocatur *Concionator pœnitentiæ*, Marc.1.4. cuius symbola erant victus & amictus, & locus ipse in quo prædicabat, nempe Desertum. Debuit autem afferre nouam lucem, atque ita simplicem ignorantiam ortam ex obscuritate vaticiniorum tollere. iuxta vaticinium Zachariæ patris de eo, *Tu autem puerule, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, vt pares viam eius, & des cognitionem salutis populo eius per remissionem peccatorum*: vbi tota doctrina Euangelij est proposita. Tamen doctrina Iohannis non fuit perfecta, quia hæc omnia faciebat vt excitaret desiderium adventûs Messiæ, itaque in concionibus suis semper ablegat ad Messiam. Doctrina igitur illius neque fuit (quoad circunstantias) doctrina Legis & Prophetarum, (quamquàm substantiâ eadem fuit) neque fuit doctrina illa quam Christus & Apostoli annunciarunt, sed medium quid, ut docet ipse Christus Luc.16.16. *Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem, ab eo tempore regnum cœlorum euangelizatur.* Itaque dicitur summus Prophetarum, & tamen minimus in regno cœlorum dicitur eo esse maior, Matt.11.11. Summus quidem omnium Prophetarum, quia Christum vidit, & ostendit digito dicens, *Hic est agnus Dei qui tollit peccata mundi*, Ioh.1.29. Minimus tamen in regno cœlorum dicitur eo esse maior, quia non potuit Christum mortuum, & à mortuis suscitatum, & in cœlum euectum prædicare, quod fecerunt Apostoli, & quotquot eos secuti sunt Ecclesiæ Doctores. Cùm itaque doctrina Iohannis non fuerit merè Prophetica, nec merè Euangelica, hinc sequitur obtinuisse sub Iohanne nouum Ecclesiæ statum, quia mutatio doctrinæ mutat statum Ecclesiæ: & doctrina indicauit Baptismum, qualis enim fuit doctrina, talis fuit & Baptismus. Hinc factum est vt Christus voluerit baptizari baptismate Iohannis, quia voluit Christus defungi omni œconomia. Itaque voluit subjici legi ceremoniali, & Politicis Iudæorum legibus, & Baptismati Iohannis, ita ut nihil sit quod Christus non præstiterit, ut omnis generis peccatores consolationem haberent, eosque sui consortes faceret. Quare cùm Iohannes eum repelleret à suo Baptismo, *Sine*, inquit, *iam, oportet enim nos implere omnem iustitiam*, Matt.3.15. hoc est, oportet me defungi non modo legali œconomia, sed & tuâ. Efficacia verò officij Iohannis Baptistæ tanta fuit, ut tota Iudæa, immò etiam ipsi Pharisæi, prodirent in desertum vt baptizarentur à Iohanne: magna etiam fuit eius authoritas apud plebem, vti liquet ex Matt.21.26. At interfectus est ab Herode. Verum est, sed sibi inde metuebat Herodes à plebe, apud quem Iohannes in magna erat existimatione. Munus itaque Iohannis si spectemus, & eius efficaciam, verè (ut inquit Christus) καθίστησι τὰ πάντα.

Iohannis Baptistæ.

Munus seu officium.

medius Ecclesiæ status sub Iohanne.

Cur Christus baptizari voluerit.

Efficacia muneris Iohannis Bapt.

HVC quoque Dn. Cameronis Prælectiones, ex loquentis & continua oratione vtentis ore, ab Auditorum nonnullis exceptæ sunt vtcumque, quoad mentem & sensum, non verò vbique quoad verba ipsa: Quæ verò sequuntur ex dictantis ore, etiam quoad ipsa verba, omnes vbique fermè descriptæ sunt.

MATTH. Cap. XVII. Vers. 14. ad 22.

Explicatio historiæ de Lunatico arreptitio sanato à Christo. Vbi agitur de fide quæ est instar grani sinapis, quæ montes transferuntur.

COntinet hic locus narrationem editi à Christo miraculi & Lunatico arreptitio. Ipsa quidem

Ordo dicendorũ.

narratio simplex est, res tamen est eiusmodi, vt non modò possit remorari attentum auditorem, sed & torquere: sunt enim nonnulla in ea narratione obscura & perplexa, si referantur ad iudicium humanæ rationis. Ac primò quidem dubitari potest, quo pacto is qui dicitur laborasse morbo pendente (vti videtur) à causis naturalibus, idem tamen dicatur *arreptitius*, præsertim cùm ab hoc ipso Euangelista cap. 4. vers. 24. Lunatici & δαιμονιζόμενοι distinguantur. Secundò, quomodo Dominus noster Iesus Christus tantam vim tribuat fidei (fidei, inquam, quam indignatur non fuisse exhibitam à generatione peruersa, queritur enim istos, qui Lunaticum obtulerant, fuisse fide destitutos) vt qui eam habent montes possint hinc inde transferre. Tertiò, quare dum Discipuli accedunt ad Christum, & quærunt vnde factum sit vt eorum operâ non potuerit subleuari Lunaticus, responderit eis, *Hoc genus dæmoniorum non eiici nisi ieiunio & oratione:* quibus verbis videtur Christus dæmoniorum genera distinguere, & singularem quandam efficaciam tribuere precibus & ieiunio in expellendo certo quodam Dæmonum genere. Hæc omnia sunt eiusmodi vt diligenter considerari debeant, nam illarum quæstionum solutio magnum habet vsum in Theologia.

[Margin: 1. / 2. / 3.]

[Margin: Miraculum. quid sit.] Antequam autem aggrediamur istam Disputationem, oportet nos aliquid præfari de Miraculis, quia tum primum versamur in loco Scripturæ in quo agitur de Miraculo. Primum igitur videndum quid sit Miraculum. Miraculum est *iam constituto naturæ ordine opus patratum extra ordinem naturæ.* Dico primum, *constituto naturæ ordine*, ne Creatio videatur miraculum. Secundò dico, *extra ordinem naturæ*, ne illa quæ oriuntur ex vi agendi & patiendi quam Deus indidit creaturis Miracula videantur. [Margin: differt à Mirabilibus.] Sunt enim vires quædam occultæ naturæ, & rationi humanæ penitus ignotæ, ex quibus oriuntur opera, quæ si referantur ad iudicium nostrum, miracula queant videri, cùm non sint tamen. Hæc autem sunt duûm generum, vel enim sunt eiusmodi quæ patrari possunt ab hominibus peritis naturæ rerum, quæ etsi specie miraculi non fallant totum genus humanum (nihil enim patrari potest ab homime, cuius rationem non possit alius homo reddere) tamen rudem aliquem possent fallere. Alia verò sunt eiusmodi quæ etiam mortalium omnium oculos queant perstringere, qualia sunt ea quæ à Dæmonibus eduntur, & tamen hactenus non fallunt vllum, quatenus nihil in eo genere fit, vnde colligi possit aliquid factum esse ex nihilo. Dixi autem *extra ordinem*, non verò *contra ordinem naturæ*, vt ostenderem non posse illa etiam dici Miracula, quæ eiusmodi sunt vt si sint, simul etiam non sint: illa sunt ἁπλῶς impossibilia, hoc est, non possunt habere rationem Entis, nam hæc est ratio Entis, vt non sit *non Ens*, sicut ratio *non Entis* est vt non sit Ens. Vnde oritur duplex potentia, vna quæ nititur vi agentium & patientium quæ est in creatura, altera quæ nititur simplici possibilitate, hoc est, quâ res eiusmodi est vt nihil sit in ea pugnans cum existentia, hanc potentiam Scholastici vocarunt *Obedientialem*. [Margin: quotuplex.] Itaque Miraculum propriè dictum est specimen creationis, nam creatione aliquid factum est quod non implicabat contradictionem, nulla enim erat potentia contraria in hac materia. Quæ non sunt huiusmodi possunt fieri à Dæmonibus. Porrò quæ sunt eiusmodi, vel sunt eiusmodi ratione operis patrati, vel ratione modi quo opus patratur (sic enim clarioris explicationis gratiâ loqui iam libet quamuis rem attentiùs consideranti res eodem redit) [Margin: 1. ratione operis.] verbi gratia, quum excitatur mortuus, si ipsum opus respiciamus eiusmodi est vt necessariò præsupponat aliquid factum esse ex nihilo, nam nulla fuit in cadauere, præsertim iam resoluto, potentia passiua ad animam recipiendam, nec potentia vlla actiua in anima vt se vniat rursus corpori. Sic quum curatur cæcus, cæcus, inquam, à natura, vel cui deficiunt spiritus visiui; vel cui deest neruus opticus per quem transmittuntur ad oculum spiritus, ratione operis ipsius opus est eiusmodi in quo aliquid fit ex nihilò. Atque eiusmodi miracula (vt hoc obiter dicam) non fiunt in Papatu. [Margin: 2. ratione modi.] Ratione modi, vt quum morbi qui Medicorum ope curari possunt, tamen curantur citra opem causarum secundarum: Et hîc necesse est fieri aliquid ex nihilo. Atque hæc de natura Miraculi.

[Margin: Miraculorum vsus duplex. 1. Illustratiò gloriæ Dei.] Secundo loco videndum de vsu Miraculorum. Est autem ille vsus vt illustretur Dei gloria; nam cùm miracula præcipua ratione sint opera Dei (etenim quo magis elucet vis causarum secundarum in aliquo opere, tanto longius recedit opus ab illorum genere in quibus agnoscitur digitus Dei: quod hinc apparet, quia quæcumque facit Deus immediatè, ea dant hominem in stuporem, cùm tamen ea quæ facit interuentu causarum secundarum non adeò mirentur homines) efficitur necessariò nullum miraculum esse posse quod non inseruiat gloriæ Dei: nam causæ secundæ in agendo non raiò (quod ad illas attinet) aberrant à scopo, licet Deus ex illa aberratione eliciat gloriam suam. Cùm ergo miracula non dantur vlla vi vel Angelo, vel homini inditâ, necesse est vt edantur ad illustrationem gloriæ Dei: vnde necessariò conficitur, quæcunque fiunt contra Dei gloriam ea fieri vel Dæmonum ope, vel esse meras præstigias & mendacia. [Margin: Christi Deitas ex miraculis ipsius probatur.] Et hoc quoque sequitur, Christum quum miracula edidit quibus probaret se esse Dei filium, atque eiusmodi quæ à nullo Dæmone patrari possunt, euicisse necessariò hac ratione se esse verè Deum, contra eos qui negant ex miraculis Christi colligi posse Christum esse Deum, cum Apostoli & Prophetæ eadem patrarint; nempe non ea patrarunt vt assererent sibi vllam dignitatem, sed vt conciliarent authoritatem doctrinæ, Christus verò miracula edidit vt assereret sibi dignitatem, *vt sciatis*, inquit, *filium hominis potestatem habere remittendi peccata, dixit Paralytico, Surge & ambula.* Matth. 9. 6. Item, *Pater operatur vsque nunc, & ego operor.* Iohan. 5. 17. Et, *vt omnes honorent Filium quomodo honorant Patrem*, vers. 23.

[Margin: 2 vsus Symbolicus.] Hic est primus vsus Miraculorum. Alter hic est. Miracula habent vsum aliquando symbolicum, cuiusmodi erant omnia Christi miracula. Etenim dum excitaret mortuos, dum ejiceret dæmonia, dum curaret corporis morbos, ostendebat quam vim exereret in liberandâ Ecclesiâ suâ à seruitute Diaboli, & morte, & illis animi morbis quibus sui etiam conflictantur; itaque remittebat etiam peccata dum miracula ederet in corporibus miserorum hominum. Vnde

Aduersus Socinum

facilè soluitur nodus ille quem nexuit impius Socinus, qui eo quod Matthæus ea quæ dicta sunt Esa.53. de Christo, quod *tulerit infirmitates nostras*, ad id accommodat quod omnes generis morbos curarit, inde concludit illo Esaiæ dicto non significari Christum satisfecisse pro peccatis nostris, sed ea duntaxat abstulisse. At, inquam, eo quod Christus abstulit peccata nostra, eo nulla ratione effici potest eum non satisfecisse, sed contra, ideò abstulit quia satisfecit. Duobus enim modis auferuntur peccata, primò *Remissione*, atque ita peccata relatiuè auferuntur, nempe secundum relationem quam habent ad pœnam, quomodo vox *Peccatores* in Scriptura aliquando significat puniendos, vt inquit ad Dauidem de filio suo Salomone, & de se Bersabee, *nos erimus peccatores*, 1.Reg.1.21. hoc est, si succedat quod molitur filius tuus Adonia, nos subjiciemur pœnæ. Secundò, tollitur peccatum absolutè quum ipsa peccati corruptio tollitur. Prius fecit Christus per obedientiam suam, alterum facit Spiritu suo.

Peccatum aufertur 1. *Relatiuè.* 2. *absolutè.*

Quod autem Esaias, dum dicit Christum *portasse languores nostros & dolores baiulasse*, non intelligat aliam ferendi peccata rationem, quàm eam qua feruntur suscepta in se peccatorum pœnâ, patet tum ex verbis ipsis quibus vsus est Propheta, tum ex antecedentibus & consequentibus. Verba Prophetæ sunt duo, quorum alterum נשא respondet verbo græco αἴρειν, alterum סבל verbo græco βαστάζειν. Iam verò αἴρειν græcè duo significat, nempe aliquid *tollere* seu *leuare humo*, & quia id non fit nisi vt rem sublatam aliò feras, ideò significat etiam *auferre*; at βαστάζειν significat aliquid *humeris ferre*, non verò tollere. Itaque significat Propheta genus mortis Christi, quum vsus est illa voce נשא quæ respondet τῷ αἴρειν, quo alludit etiam Petrus quum dixit Christum ἀνενέγκειν, hoc est, *sustulisse peccata nostra*; verbum autem βαστάζειν סבל significat *ferre* vt non possit aliud significare, itaque hebræi *bajulum* vocant סבל, neque vnquam vel סבל vel βαστάζειν alia significatione occurrunt in Scriptura. Si etiam verba Prophetæ cum antecedentibus & consequentibus conferamus, necesse est vt intelligamus non nudam peccati ablationem, sed eam quæ fit suscepta peccati pœna. Cùm enim vers.3. præcedente Propheta meminerit dolorum & languorum Christi, necesse est vt hoc versu agat de ea ratione auferendi peccata quæ fit per dolorum perpessionem. Nam cùm dicitur *substinuisse dolores & morbos nostros*, sane designatur peccatum, sed vt σχέσιν habet ad pœnam, quomodo alibi peccata vocantur *debita* ratione σχέσεως ad pœnam, quia nos ad pœnam adstringunt. Tum verò sequentia id probant. Ille enim qui ita *morbos nostros pertulit, & dolores baiulauit, vt qui consilij Dei non essent conscij putarent eum percussum à Deo*, sanè abstulit peccatum perferendo peccati pœnam. Deinde, versus quintus, vbi dicitur *castigationem pacis nostræ ei impositam fuisse*, satis ostendit, primò Christum castigatum fuisse, sed loco nostro, deinde castigatione ista factam esse nobis pacem. Item vers.6. Propheta dicit, *Nos eramus errantes vt oues, & Deus venire fecit super eum iniquitatem omnium nostrum* (hebraicè est הפגיע) luit igitur Christus pœnas pro peccatis nostris. Nam quod Hæreticus linguæ hebraicæ imperitus, cùm ex Lexico

Christi Satisfactio probatur. 1. ex verbis Esaiæ. 2. ex Antecedentibus. 3. ex Consequentibus. np ex vers. 5. 6.

didicisset יפגיע הפגיע aliquando, sed per Metaphoram, significare *intercedere*, ita explicat locum, vt dicat Christum intercessisse pro peccato, facilè refellitur, quia nulla est hic mentio de Intercessione, sensus enim est; fecisse Deum vt peccata nostra in illum occurrerent, nam הפגיע est *facere occurrere*, siue ipse occurras, siue facias vt alius occurrat. Idipsum confirmat versus 8. vbi dicitur Christum *sublatum esse à coarctatione, & ex defectione populi Dei esse ei plagam.* Et vers.11. *Cognitione sui iustificabit seruus meus multos, quia iniquitates eorum baiulauit, ideò inter Principes partem ei dabo.* Hic locus nulla ratione potest eludi, non enim ideò exaltatus est Christus quia abstulit peccata nostra, imò auferre peccata pertinet ad eius exaltationem, est enim hoc gloriosum, sed ideò exaltatus est quia se deiecit pro peccatis nostris. Itaque seu ipsa Prophetæ verba, seu antecedentia, seu consequentia intueamur, non potest aliud effici quàm Christum abstulisse peccata nostra perferendo peccati pœnam.

8. 11.

At quæres, quo pacto quæ de peccatis nostris dixit Propheta, *Christum nempe peccata nostra baiulasse*, Matthæus accommodet ad morbos quos sanauit Christus? Respondeo, quia vis illa qua Christus sanabat morbos typus erat virtutis illius qua peccata nostra ablaturus erat, iuxta Esaiæ Prophetiam: non est autem Prophetæ mens docere simpliciter Christum baiulasse peccata nostra, sed ita baiulasse vt auferret. Itaque secundum hoc posterius Matthæus vsurpauit locum Prophetæ, nam nihil est necesse vt typus per omnia quadret, satis est vt possit significare eam rei partem cuius est typus. Iam verò morborum curatio non est typus modi seu medij quo Christus sustulit peccata nostra, nempe baiulationis, (atque ita non fuit necesse vt Christus ipse baiularet morbos eorum quos curabat) sed est typus finis, nimirum ipsius ablationis peccati, quia scilicet quod Christus auferebat morbos, significabat eum etiam esse ablaturum peccata nostra. Quomodo Paulus quum dicit Israelitas fuisse olim baptizatos in mari & in nube 1. Cor.10.1. hoc tantum voluit significare, eundem euentum typicè consecutum esse transitum per mare, & præsentiam nubis, qui reuera consequitur Baptismum. Locus igitur iste à Matthæo hoc tantum consilio adhibitus est, vt doceret quis esset peculiaris finis miraculorum à Christo editorum, nempe vt ostenderet quid esset in anima designaturus, qui tam benignus fuerat in corpore.

Quomodo Matthæus Esaiæ locum vsurpet.

Videmus de *natura* & *vsu* Miraculorum, videamus iam tertio loco de *Occasione*. Occasio patrandorum Miraculorum est duplex, vel enim status & conditio Ecclesiæ id exigit, vel Deus testatur se velle edi miracula. Status Ecclesiæ id exigit, quum est aliquid gerendum extra omnem Ecclesiæ ordinem à Deo constitutum, vt verbi gratia, quum vel innouandus est Ecclesiæ status iam à Deo constitutus, vel Ministri Ecclesiæ reuelant quod nunquam fuerat antea reuelatum: hîc opus est miraculis, & hac occasione semper edita sunt miracula in Ecclesia. Sed dicat aliquis, Cur ergo Johannes Baptista nulla edidit miracula, cùm tamen mutauerit Ecclesiæ statum? Respondeo. Talia edidit miracula qualia requirebat status Ecclesiæ tempore illo: Iam verò status ille medius fuit inter statum

Occasio Miraculorum. 1. Status Ecclesiæ innouandus. Cur Ioh. Bapt. nulla fecerit miracula.

Ecclesiæ

Eccleſiæ ſub Lege, & Eccleſiæ ſtatum ſub Euangelio : itaque nihil erat neceſſe adhibere Miracula, ſed ea duntaxat adhibere neceſſe fuit quæ miraculi ſpeciem præberent, in quo genere fuit natiuitas Johannis tota Judæa notiſsima, & vitæ ratio planè extraordinaria. Nam ſi Johannis perſonam intueamur, erat ex tribu Leui, itaque nihil faciebat præter conſtitutum in Eccleſia ordinem: ſi doctrinam ſpectemus, erat prædicatio remiſsionis peccatorum & pœnitentiæ, quæ non abhorrebat à doctrina in Eccleſia recepta ex inſtituto Dei: Nam quod erat Chriſti nuncius non poteſt numerari in planè extraordinariis, cùm Chriſtus iamjam eſſet venturus. At alia Eccleſiæ ſub Chriſto & Apoſtolis conditio fuit, etenim Chriſto concilianda fuit authoritas qualis in nullum mortalem cadere poteſt, & immutandus fuit Eccleſiæ ordo à Deo inſtitutus, ad quod miraculis opus fuit. Ex his autem patet Pontificios iniuſtè à nobis petere miracula, ſiquidem nec quicquam reuelamus quod non fuit ante reuelatum, nec conſtitutum à Deo Eccleſiæ ſtatum immutamus. Et hæc prima eſt Miraculorum occaſio, nempe quum id exigit ſtatus Eccleſiæ. Altera occaſio eſt quando Deus id vult. Deus enim extra ordinem etiam quum Eccleſia conſtituta eſt; facit aliquando miracula, ſed rarò. Nam quod Elias conſtituto Eccleſiæ ſtatu miraculum patrauit, dum milites ad ſe miſſos igne cœlitus delapſo abſumpſit, id fecit ad ſui defenſionem. Prophetæ autem reliqui miracula ediderunt quia res futuras & ignotas prædicebant, & ideo prædictionum certitudo miraculis fuit confirmanda. Porrò vt edantur miracula duobus opus eſt, nempe vt Deus velit & iubeat : Jubet autem Deus vel Verbo ſuo, vel afflatu Spiritus: de quo afflatu agit Apoſtolus 1. Cor. 12. 9. vbi agit de donis Eccleſiæ, & inter dona extraordinaria *fidem* numerat.

Altera occaſio Miraculorum.

His præmiſsis de naturâ, vſu & occaſione miraculorum, veniendum nunc eſt ad ſolutionem quæſtionum quas initio propoſuimus. Nam primò quidem dubitatur quomodo Matthęus eundem hoc loco appellet Lunaticum & arreptitium, cùm cap. 4. verſ. 24. diſtinguat Lunaticos ab arreptitiis, vt patet ex eo quòd poſtquam docuit Chriſtum curaſſe arreptitios & lunaticos, adiungit etiam paralyticos: ita enim videtur noluiſſe eoſdem vocare arreptitios & lunaticos, ſed potiùs diſtinguere genera malorum quibus miſeros iſtos homines ſubleuauit Chriſtus. Huc accedit quod affectus lunaticorum notatus ſuo nomine non poteſt non eſſe naturalis. Vt penitus tollatur omnis difficultas neceſſe eſt teneamus qui lunatici, qui arreptitij propriè dicantur, vt inde colligi poſsit quàm iſta vel pugnent, vel conſentiant inter ſe. Et lunatici quidem ſunt quorum morbus vel intenditur, vel remittitur prout creſcit, aut decreſcit, augetur aut minuitur Luna: Itaque eius generis morbi varij ſunt, quorum ſpecies recenſere non eſt huius loci. Hi autem morbi dicuntur pendêre à Lunâ, quod hoc aut illo modo affecto corpore neceſſe eſt vt Luna ſic agat in corpus: nam ſi à Lunâ ſimpliciter hi morbi gignerentur, neceſſe eſſet omnes hoc morbi genere implicari. Neceſſe eſt igitur vt homines hoc morbo affecti primò certam aliquam habeant corporis diſpoſitionem, in quam poſteà Luna agens non poteſt hunc morbum non producere. Δαιμονιζόμενοι ſeu *arreptitij* illi dicuntur qui à dæmone agitantur: Si igitur Dæmon ita immutet ſtatum corporis, vt corpus reddatur (vt ita loquar) lunæ obnoxium, idem iam erit δαιμονιζόμενος & σεληνιαζόμενος, *arreptitius & lunaticus.* Dicam clariùs, Luna non agit ita in corpora vt hoc aut illud effectum conſequatur, niſi quia iam corpus ſic affectum eſt vt luna hoc vel illud efficiat, cùm ergo Diabolus ita afficit corpus vt reddat illud tali lunæ operationi obnoxium, idem eſt *lunaticus & arreptitius.*

quomodo idem ſit Lunaticus & Arreptitius.

Lunatici qui ſint.

Arreptitij qui ſint.

Quod autem Dęmones id poſsint facere ex eo patet, quod quæ Dæmon facit in corporibus noſtris interdum ſint eiuſmodi vt remediis quibus corpus afficitur minui poſsint: nam ita clarum fit Dæmonem ſic agere vt immutet duntaxat temperamentum corporis: verbi gratia, Saul dicitur correptus à malo ſpiritu Domini, hoc eſt, ſubmiſſo à Domino, idque ob ſcelus Saulis, ſed hic furor Saulis agitati à Dæmone poterat demulceri modulatione & cantu, quod fieri nequaquam potuiſſet niſi inſtrumentum efficaciæ Satanæ eſſet, vt ita loquar, paſsibilitas humani corporis: actio enim Satanæ cantu citharæ prohiberi non poteſt, ſed efficacia actionis, quia pendet à corpore in quod agit, prohiberi poteſt iis rebus quibus afficitur corpus. Itaq; Petrus Pomponatius excellentiſsimus Philoſophus, ſed peſsimè ſentiens de Religione Chriſtianâ, non rectè concluſit nullam eſſe Dæmonis efficaciam, quod viderit multorum morbos, qui videbantur eſſe à Dæmone, leuatos curatione medicâ; nam cùm Diabolus agat in corpora noſtra pro ratione temperamenti & conſtitutionis eorum, effecta etiam eius poſſunt minui & augeri, prout alteratur temperamentum. Immò, quod magis mirandum eſt, cùm Spiritu Dei afflarentur Prophetæ, conſequebatur ſæpe in Prophetarum corpore inſignis quædam immutatio, ita vt qui Prophetas ludibrio habebant, eos ſolerent vocare *inſanientes*, quemadmodum legimus cap. 9. lib. 1. Reg. vbi cùm ille ab Eliſæo ſubmiſſus acceſsiſſet ad Jehu, eumque eſſet allocutus, comites Jehu quærunt quid illi inſano rei eſſet cum Jehu : & cap. 9. verſ. 26. Reuelationum Jeremiæ, Semeia pſeudo-Propheta increpat principem Sacerdotum quod non conjiciat in vincula veros Prophetas, quos contemptim vocat *inſanos.* Id autem non poteſt referri ad Prophetarum dicta, quaſi inſaniiſſe dicantur, quod eorum prædicta nulla ratione niterentur, ſed ad ipſum corpus, & ad id quod ſe prodebat in corpore. Jam verò & hæc corporis agitatio orta à ſpiritu remediis quibus afficitur corpus ſolebat cohiberi, ſicuti legimus cap. 3. 2. lib. Regum verſ. 15. nam Eliſęus dum parat ſeſe ad vaticinandum iubet acceſſi Pſaltem, ſolebant enim vaticinantes experiri admirabiles corporis agitationes. Itaque hoc eſto concluſum, ſi Diabolus ita hominum corpora poteſt immutare vt ſint obnoxia Lunæ, mutato ſcilicet corporis temperamento, non eſt abſurdum vt dicatur σεληνιαζόμενος καὶ δαιμονιζόμενος. Vt verò res tota clarior euadat, neceſſe eſt vt breuiter perſtringamus ea quæ multis dici poſſent de naturâ Dæmonum, de viribus & ingenio eorum, quatenus illa ex Scriptura peti poſſunt.

Dęmonum efficacia in corpore humano.

Spiritûs prophetici actio in corpore Prophetarum.

Cur Prophetæ dicti ſint inſani.

Dæmonum natura planè incorporea eſt, idque vel hinc liquet, quod quæ ratio nonnullos coegit affingere corpora dæmonibus, ea non facit

Dęmonum natura planè incorporea.

quod illi maximè voluerunt: neque enim potuerunt animo capere, quî fieri possit vt quod neque paruum est, neque magnum, illud possit esse aut agere. Sed si ita se res habet, necesse est vt dæmones sint omnino corporei, quod est absurdissimum. Sed quod hanc sententiam maximè refellit, hoc est, quod si tribuantur corpora dæmonibus, necesse est vt illis tribuatur figura. Est enim necesse vt statuatur ex quâ materiâ sit hoc corpus, neque poterit nobis constare ratio tot effectorum, quæ planè mirabilia sunt, si dæmonibus corpora tribuantur. Possunt illi quidem corpora induere, aut specie corporeâ præsentiam suam testari, at quod sint corporei hoc verò Scriptura non docet, quæ eos *spiritus* appellat, hac voce (quanquàm metaphoricè vsurpatâ) substantiam incorpoream designans: Nam cùm è corporibus nullum sit spiritu, hoc est, vento subtilius, humanus autem animus, quandiu in hocce corpore versatur, egeat speciebus ad res intelligendas, *spiritus* nomine dæmonum naturam scriptura designauit. Vires dæmonum sic describuntur in Scripturis, dicuntur *principes mundi, principes aëris*, & multis exemplis Scriptura docuit magnam esse dæmonum vim tùm in animâ, tùm in corpore (nec opus hîc est afferre exempla) sed planè diuersâ ratione, nam animæ substantia cùm sit merè spiritalis, nullam vim Scriptura tribuit Diabolo in animam, præter eam quæ est simplicis suasionis, id est, præter eam cui animus, nisi sponte se prodat, possit obniti: sed in corpora nostra Scriptura tribuit eam vim Satanæ cui (propter passibilitatem corporum) resisti nullâ ratione possit. Atque hîc occurrit obseruatu dignissimum, quod Deus non vtitur ministerio bonorum Angelorum, cùm aliquid est animæ suadendum, at contrà Satanæ toties ferè mentio fit, quoties tentationis mentionem Scriptura facit: monent quidem Angeli homines, sed quomodo homines ab hominibus monentur, nec est tam intrinsecum commercium Angeli cum anima, quàm Dæmonis cum animâ. Huius rei hæc est ratio, quod Deus sanctificationis nostræ laudem vult in solidum tribui Spiritui Sancto, peccatum autem & mortem patitur Diaboli & inconstantiæ nostræ esse propria. Ingenium dæmonum est vt sint homicidæ, ideòque voce hebraicâ dicuntur שדים *nocentes* & שטן *aduersarius*, sunt enim semper intenti in hoc vt nobis noceant, seu id fieri possit in animâ, seu in corpore. Et piis præsertim instant, atque imminent: quo ne nos terreremur voluit etiam Christus corpus suum obnoxium esse Satanæ ad tempus. Itaque & delectantur omnibus quæ hominibus ingrata sunt & molesta, & contra iis anguntur quæ illis grata sunt & iucunda. Nam neque delectantur humana societate, cuius rei signum est quod Scriptura illis tribuit (quoties de inferendo hominibus damno desperant) loca deserta, & solitudinem. Contra ingenium Spiritus Dei hoc est, quod mirificè delectatur hominum societate, nec delectatur solitudine nisi per accidens, nempe, quatenus solitudo non opponitur societati bonorum, sed impiorum: at verò Diabolus ideò tantum delectatur locis incultis quod illa loca sint homini ingrata. Hæc disputata sunto vt afferatur lux iis quæ passim dicuntur in Scripturâ περὶ τῶν δαιμονιζομένων. Atque ita soluta est prima illa quæstio quam attulimus, nempe quî fieri possit vt idem dicatur σεληνιαζόμενος καὶ δαιμονιζόμενος, *Lunaticus & arreptitius*.

[Margin: & Spiritualis. — Vires. — In animam; — In corpora. — Ingenium.]

[Margin: II. quæstio.]

Sequitur secunda quæstio, cuius solutio longè maximum habet vsum: ea autem sic habet, Cum Dominus noster Iesus Christus patri istius Lunatici exprobrarit incredulitatem (vt constat clariùs ex Euangelio secundùm Marcum capite nono) tùm etiam Discipulis: & patri quidem, quod filius non fuerit statim liberatus, Discipulis verò quod istius filium non liberarint: quæri non absurdè potest, quæ sit illa fides quam desiderauit tùm in patre, tùm in Discipulis. Nam si ea fides fuit quæ dicitur *Miraculorum*, videtur Deus vitio vertere quod quis non habeat fidem miraculorum: si verò fuit illa fides Iustificans, videtur exigi ab iis qui fidem habent iustificantem, vt ea credant quæ obiecto fidei iustificantis non continentur. Vt ea quæstio definiatur necesse est disputemus de fidei natura, idque non perinde ac si nobis ex professo agendum esset de fide, sed quatenus ea disputatio pertinet ad propositæ quæstionis solutionem. Fides igitur in genere est *firmus & constans animi assensus, quem Deo loquenti in verbo suo præbemus*: Sic enim fides distinguitur à ratione & sensu; quod ratio quidem & sensus versentur circa eas res quas Deus nobis reuelat, at non verbo, sed alia ratione: Omnis enim cognitio seu per sensum, seu per rationem ingignatur animis nostris, est à Deo, at non à Deo loquente in verbo suo. Cæterùm vt ratio sensum superat, neque tamen quippiam suadet quod pugnet cum sensu: sic fides rationem superat; neque tamen suadet quicquam quod pugnet cum ratione, scilicet rectâ. Attamen non perinde ac ratio nihil habet perceptum cuius cognitio non sit orta à sensu, sic fides etiam nihil habet perceptum cuius cognitio non sit orta à ratione: hoc est, vt dicam clariùs, non vt nihil est ratione cognitum cuius cognoscendi occasionem non præbuerit sensus, ita nihil est fide cognitum cuius cognoscendi occasionem non præbuerit ratio. Atque hac in parte non eodem modo se habet fides ad rationem, quo ratio ad sensum. Porrò fides etiam gignitur rationibus ductis à sensu ipso, sed Deo ita volente, quo referendum est illud Christi dictum ad Thomam, *Credidisti, Thoma, quoniam vidisti*: non quod sensus possit per se gignere fidem, sed quia Deus in gignenda fide vult vti sensu. Itaque fidei hæc est ratio & ingenium vt pendeat à reuelatione diuina quæ fit per verbum Dei, seu Deus, vt nos adducat ad credendum, vtatur rationibus ductis à sensu, seu non vtatur.

[Margin: Qualis fuerit fides quam exigebat Christus. — Fides. — differt à ratione, — eamque superat. — gignitur quandoque rationibus ductis à sensu.]

Sed quoniam verbum Dei versatur vel in narrando, vel in promittendo, hinc oritur fidei distinctio, nam vel credimus Deo narranti, vel promittenti. Narranti credimus siue præterita narret, siue prænuntiet futura. Cæterum hactenus Deus non promittit quatenus narrat vel quæ fecit, vel quæ facturus est. Etenim quæ simpliciter narrat Deus, vel fuerunt, vel erunt, seu illa credideris, seu non credideris, vt cùm narratur in Scriptura mundum esse conditum, fore Iudicium extremum: illa, quoad existentiam, nullam habent σχέσιν cum fide huius aut illius. Credimus autem Deo promittenti, quum Deus aliquid promittit; sed, vt id fiat quod promittit, exigit ab eo cui promittit, vt credat id euenturum. Hæc distinctio planè est necessaria ad naturam fidei

[Margin: Credimus Deo — vel Narranti, — vel Promittenti.]

ram fidei intelligendam, & soluendam quæstionem. Cæterùm promissiones diuinæ aliæ sunt speciales, aliæ generales: speciales sunt quæ certis quibusdam personis factæ sunt, generales, quæ omnibus. Quæ certis personis fiunt, ut quum Dominus pollicetur Apostolis fore vt ejiciant Dæmonia modò credant: quæ omnibus, ut quum Dominus pollicetur omnibus vitam æternam, modò credant, quę promissio in Scripturis luculenter describitur passim, sed nusquàm clariùs quàm prioris Iohannis cap.5. vers.9. ad 16. Iam verò fides quæ exhibetur promissioni speciali, & ea quæ exhibetur generali in hoc conueniunt, quod perinde vt dum creditur promissioni generali, quod creditur euenit, & nisi credatur non euenit, quia Deus redditur mendax quantum in hominibus est, ita ita meritò non facit quod promisit; ita quoties non creditur promissioni speciali, quod promittitur non euenit, & si credatur euenit.

Promissiones Dei aliæ sunt Speciales. aliæ, Generales.

Ut ista quæ diximus disputentur accuratiùs idque ex verbo Dei, primò hoc extra controuersiam est, *fidem niti verbo Dei*,] vnde & Philosophi per ludibrium omnes qui profitentur se niti verbo Dei vocant *credentes*, ut in scriptis Auerrhois sæpe id occurrit.] Sanè quod Paulus dicit *fidem esse ex auditu, auditum autem esse ex verbo Dei*, id conuenit fidei in genere, non quod nulla quæ creduntur possint ratione percipi, sed quia nisi Deo reuelante ratio nunquam illa percepisset, quod vel hinc liquet, quod nemo Philosophorum potuit olim percipere mundum esse factum ex nihilo, quod tamen vera Philosophia à verbo Dei admonita satis ostendit. Sed in hoc controuersia est, quod sint qui nolunt admittere ullam fidei distinctionem, sed vnum tantum esse docent fidei habitum. Certè vnus est genere fidei habitus, sed an specie sit vnus, id verò est quod quæritur. Iam verò non esse specie unum vel hinc liquet, quòd fides qua credimus Deo narranti, & qua Deo promittenti credimus sint inter se distinctæ: non autem gradu sed specie, hoc est, non sic distinguuntur ut maius à minori, sed ratione objecti; illic enim credimus Deo quatenus narrat, hic quatenus promittit. Non autem distingui gradu hinc liquet, quod si gradu distinguerentur, sequeretur inde distingui imperfectione tantum: Itaque qui præditus est fide qua creditur promissioni generali, teneretur & credere fide qua creditur promissioni particulari. At hoc est falsum. Itaque fides qua credimus promissioni particulari, non est necessaria in eo qui credit promissioni uniuersali, nisi eidem facta sit particularis promissio cui facta est vniuersalis. Dicimus enim hos fidei modos non ita inter se pugnare, ut non concurrere possint ad eiusdem fidei complementum, hoc est, fieri optimè potest ut qui præditus est fide qua creditur promissioni generali, præditus sit etiam fide qua creditur promissioni speciali, & Deo narranti. Sicut in homine anima vegetatiua & sensitiua peculiarem habet rationem, quam non habet in belluâ, sic etiam quoties in eo qui præditus est fide qua creditur promissioni uniuersali, hoc est fide iustificante, reperitur fides qua creditur Deo narranti, & promissioni speciali, tunc ista peculiarem habet rationem, quam non habet in iis qui non sunt præditi fide iustificante. Hæc autem peculiaris ratio in hoc sita est, quod in eo qui præditus est fide iustificante fides hæc historica, & fides qua promissioni particulari creditur (quam non ausim appellare *fidem miraculorum*, quia non est necesse vt omnes promissiones particulares sint de edendo aliquo miraculo) referuntur ad fidem iustificantem: In iis autem qui non sunt præditi fide iustificante, fides qua creditur Deo narranti, & fides item qua creditur promissioni speciali non referuntur ad iustificantem: verbi gratia, qui credit Deum esse, & omnia regi prouidentiâ Dei, nisi sit pręditus fide iustificante, credit hæc quidem, sed contremiscit, quia illa non credit à Deo fieri in eius gratiam: At qui est præditus fide iustificante credit ita omnia à Deo regi vt cedant in bonum suum. Sic qui credit promissioni particulari, si præditus sit fide iustificante, credit illi promissioni ut argumento diuinæ erga se misericordiæ: At si non sit præditus fide iustificante hærebit in illa promissione, neque eam ulterius extendet. Cæterùm obseruandum, neminem posse esse præditum fide iustificante qui non sit & præditus fide qua creditur Deo narranti, fieri tamen potest ut aliquis sit præditus fide iustificante cui nulla facta sit specialis promissio. Discriminis ratio in hoc sita est, quod fides iustificans præsupponat necessariò notitiam de Deo, ista autem notitia non potest aliter haberi quàm per verbum Dei describens nobis Deum ipsum & opera eius: Itaque ut natura humana includit in se necessariò naturam vitalem & animalem, ita fides iustificans semper includit in se fidem qua credimus Deo narranti: At verò quia Deus non promittit aliquid omnibus sigillatim, hinc fit ut fides iustificans non includat in se necessariò hoc fidei genus. Jam venio ad solutionem quæstionis propositæ. Quæritur ergo, *quomodo Christus exprobrarit incredulitatem tum Discipulis suis, tum Iudæis.* Respondeo unico verbo. Id factum esse quia neque Discipuli, neque Iudæi crediderunt verbo Christi. Non Discipuli Christus enim dederat ipsis potestatem ejiciendi dæmones, non crediderunt autem verbo Christi, quia si credidissent ejecissent. Non Judæi, Christus enim professus erat se esse Filium Dei præditum illa potestate, & tamen illi ea de re dubitarunt.

Fides nititur Dei Verbo.

An sit vnus tantum Fidei habitus.

Fidei, qua promissioni generali, & qua speciali creditur collatio.

Solutio 1. quæstionis.

Sed ex hac quæstione nascitur alia grauior, propter Pontificios qui disputant aduersus fidem iustificantem quæ amplectitur promissionem generalem, eamq; sibi speciatim applicat. Quæritur enim, *sit-ne ista fides de qua hic sermo, qua creditur promissioni speciali, fides iustificans.* Item, *sit-ne fides illa qua creditur Deo narranti, fides iustificans:* Pontificij enim ex hoc loco & aliis probare conantur eandem omnino esse. Primò, prolatis ex Scriptura variis locis ostendunt multis remissa esse peccata quod crediderint promissioni speciali. Secundò, aiunt fidem illam cui tot elogia in Scriptura tribuuntur, & cui adeò promittitur vita æterna, esse fidem quæ nititur potentiâ Dei, nam multos sanauit Christus qui habuerunt tantum fidem de omnipotentia Dei, nostra autem fides iustificans non tam potentia quàm voluntate Dei nititur. Tertiò, Apostolus quum Heb.11. describit fidem iustificantem, meminit fidei qua credimus Deum condidisse sæcula, quæ fides est ea quæ habetur Deo narranti. Sed ex præstructis & iactis iam à nobis fundamentis facile est objectiones illas refellere. Ad primum itaque re-

alia Quæstio.

An fides iustificans eadem sit cum historica & Miraculorum.

Argumenta Pontif.

1.

2.

3.

Resp. ad 1.

spondetur, fides qua creditur promissioni speciali vel inhæret illi promissioni, nec vlteriùs progreditur, vel refertur ad fidem iustificantem. Si primo modo consideretur, (qualis est fides illorum qui in vltimo Iudicij die dicturi sunt, *Domine nonne prophetauimus in nomine tuo*) falsum est Christum eiusmodi fidei vnquam promisisse remissionem peccatorum, illis enim qui dicturi sunt *nonne prophetauimus*, &c. dicet, *non noui vos*: Si posteriori modo consideretur, quum scilicet refertur ad fidem iustificantem, tum fides qua creditur promissioni speciali confunditur cum iustificante, estque illius veluti pars quædam, atque ita verum est Christum ei promisisse remissionem peccatorum. Sic fides historica qua credimus Deo narranti, quum refertur ad fidem iustificantem est eius veluti fundamentum & basis. Res clara euadat exemplo: iubet nos Deus accedere ad sacram mensam, illa symbola sic accipimus vt signa & argumenta bonitatis illius, & tamen actus ille quo ea sumimus est actus fidei iustificantis.

ad 2.

Ad secundum sic respondetur. Quum constat de Dei voluntate tum fides iustificans dici potest niti Dei potentia, & tum vt fides iustificans sit plena nihil aliud requiritur quàm vt credamus Deum posse. Iam verò in omnibus illis Scripturæ locis quos proferunt Pontificij, vbi videtur ab hominibus nihil aliud requiri nisi fides de omnipotentia Dei, sermo est de iis qui iam credebant Deum velle: Miseri enim homines qui audiebant Christum promittentem curationem morborum non potuerunt dubitare de Christi voluntate, sed de potentia potuerunt dubitare. Sic quum Deus promisit Abrahamo semen, non potuit dubitare an vellet, sed an posset. Itaque non negamus fidem iustificantem habere pro objecto Dei potentiam, negamus verò habere pro objecto solam potentiam. Et quod aliquando in Scripturis fit duntaxat mentio potentiæ, id fit quia iam constat de voluntate. Fides ergo iustificans aliquando & plerumque pro objecto habet Dei voluntatem, quum de potentia constat, & res nobis videntur possibiles, aliquando verò Dei potentiam, quum certi sumus de eius voluntate, aliquando autem & potentiam & voluntatem simul.

ad 3.

Ad tertium respondeo fide iustificante credimus quidem sæcula esse condita, sed negamus nos id tantum fide illa credere, nam fides iustificans includit quidem historicam, sed & adiunctam habet persuasionem de Dei misericordia. Quin ex hoc ipso capite necessariò euincitur ista non esse diuellenda, fidem iustificantem à fide qua creditur Deo narranti, sic enim fidem

Locus Heb.11.1. explicatur.

Apost. definit: fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, καὶ ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων. Iam verò res *sperandæ* dicuntur non quæ sunt simpliciter futuræ, sed quas spe apprehendimus: res autem illæ non possunt esse malæ, (non enim mala speramus) sed bonæ sunt, vt est fœlicitas & vita æterna. Iam verò si fides sit ὑπόστασις & ἔλεγχος, certè vtramque fidem complectitur fides iustificans, vt anima humana complectitur in se non modò rationalem, sed etiam vegetatiuam & sensitiuam. Sed & vox ista ὑπόστασις hoc euincit, nam hæc vox vel idem significat quod apud Prophanos scriptores, nempe *substantiam* (vt interpretatur Chrysostomus) vel ὑπόστασις eo loco idem significat quod solet significare in Scriptura. Posterius hoc Bellarminus non admittit, & cùm negare non posset ex Scriptura id probari posse, ait Chrysostomum peritum linguæ græcæ sic interpretari. Quæ responsio indigna est tanto viro, nam eadem phrasis est in Nouo Testamento, quæ est in Veteri apud LXX. Atqui illi תוחלת interpretantur per vocem hanc ὑπόστασιν: quin & Apostolus ipse sic etiam vocem interpretatur hac eadem Epistola cap.3. 14. ἐὰν τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν. Cùm itaque ex vsu Scripturæ significet *certam expectationem*, certè illic intelligitur non fides Diabolica, sed fides iustificans qua creditur promissioni generali.

Bell. arg. aduersus fidem iustificantem refutata.

Cæterùm quia Bellarminus aduersus illam fidei iustificantis definitionem, quum dicimus eam esse *firmam ac certam Dei misericordiæ erga nos persuasionem*, strenuè disputat, & argumenta eius non sunt contemnenda, ideo non à re alienum erit ea diluere.

1.

Primum argumentum hoc est, fides nostra niti debet Dei verbo, at fides ista qua credimus Christum nos redemisse à peccatis, & fore vt certò nobis detur vita æterna, non nititur verbo Dei: nusquam enim scriptum est, Petrum, Paulum, &c. seruatum iri per Christum. Ergo non est fides iustificans.

Resp. 1.

Ad hoc vulgò responderi solet, fidem hanc nostram sic niti Dei verbo, quia verbo Dei vita æterna promittitur omnibus credentibus. Sed contra hanc responsionem instaret Bellarminus, non quæri an vita æterna promittatur credentibus, sed vnde constare tibi possit te credere.

2.

quo sensu dicatur fides nostra niti Dei verbo.

Itaque respondendum: duobus modis dici potest *fidem nostram niti verbo Dei*, primò, cùm aliquid credo quia verbum Dei id narrat simpliciter, hoc est, quum Scriptura narrat aliquid fore, esse, vel fuisse; atque hoc modo non tenemur credere ea quæ credimus fide iustificante: secundò, quum credimus ea quæ Scriptura iubet credi: Iam quum credimus nos habere vitam in Christo, non id credimus ac si simpliciter Scriptura diceret hoc esse, sed quia id iubet credi. Itaque si iubeor credere me redemptum esse per Christum, fides mea nititur verbo Dei, atqui iubeor in Scriptura id credere. Ergo, &c. Si quæratur locus vbi iubemur id credere repetendus est locus 1. Iohan. cap.5. versibus 9.10.11.12. vbi iubemur recipere testimonium Dei, quod testimonium dicitur hoc esse, *Deum nobis dedisse vitam æternam, & vitam illam esse in Filio*, ita vt qui non credit huic testimonio Dei non futurus sit particeps vitæ, quia non credendo facit Deum mendacem.

Inst.

Iam quod Bellarminus ait, nos non posse scire ex Scriptura an credamus, non puto satisfieri illi argumento, si dicamus posse hoc sciri ex notis fidei propositis in Scriptura: Bellarminus enim vel alius Iesuita excipiet, posse quidem sciri ex Scriptura quæ sint fidei notæ, sed non posse ex ea sciri an notæ illæ nobis insint: aliud verò est scire veras fidei notas, aliud an tibi insint.

Ref. Quomodo certi simus nos credere.

Respondeo itaque, sensum fidei non esse fidem, hoc est, actum illum reflexiuum in ipsam fidem quo credo me credere, non esse ipsam fidem, sed potius sensum quendam fidei. Itaque non est opus vt habeam Dei verbum vnde possim directè colligere me credere, satis est vt ex Dei verbo habeam notitiam naturæ fidei, tum conscientia mea perhibeat mihi testimonium notas illas veræ fidei mihi inesse. Porrò testimonium conscientiæ est testimonium Spiritus Dei applicantis mihi ea quæ de fide docentur in Scriptura. Itaque testimonium

monium hoc non est incertum cùm sit à spiritu, neque etiam huiusmodi est hoc testimonium qualis est persuasio phanaticorum, cùm testimonium hoc nihil aliud sit quàm verbum Dei applicatum, alioqui nihil firmiter credi posset, quod tamen ipsi Pontificij non dicturi sunt, etenim firmiter credunt Ecclesiam non posse errare, & certò sciunt se hoc credere.

2 argum. Bell.

Secundum Bellarmini argumentum hoc est. Quod sequitur iustificationem non est objectum fidei, at fides, qua credo mihi esse partam vitam sanguine Christi, præsupponit vitam datam per Christum esse objectam suum. & idipsum sequitur fidem, nam ideo Christus dat mihi vitam quia credo in ipsum: ista autem sunt pugnantia, nam fidei effectum non potest esse eius objectum,

Resp.

Respondetur. Vitam in Christo datam considerari vel prout est in promissione cui credere iubemur, vel prout est in ipsa re quam iam consecuti sumus: Itaque non eadem ratione vita æterna præcedit fidem, qua sequitur eam; præcedit enim fidem in promissione, sequitur in re. Itaque nihil est in eo absurdi. Sic Christus exprobrat Discipulis quod non eiecissent dæmonium propter incredulitatem eorum, unde liquet, quod *posse ejicere dæmonia* præcedebat illorum fidem in promissione, sequebatur in re. Nisi hæc responsio valeret, non posset reddi ratio cur Deus dicatur reddi mendax per incredulitatem nostram, hac enim ratione Deus redditur mendax quum non creditur Deo, licet non det effectum, quia scilicet homo illi non credit.

3. Argum.

Tertium argumentum. Si fide certò statuamus vitam & remissionem peccatorum nobis esse partam per Christum, tum nihil opus est precibus, frustra instituta sunt Sacramenta in Ecclesia, qui enim certò statuit vitam sibi esse partam per Christum, frustra orat vt sibi remittantur peccata, frustra utitur Sacramentis.

Resp. Fides salutem non apprehendit sine mediis.

Respondemus; fidem non esse hoc ingenio vt statuat peccata nobis esse remissa in sanguine Christi etiamsi non oremus Deum, etiamsi contemnamus Sacramenta, etiamsi hæreamus in peccatis; hoc non est ingenium fidei iustificantis. Sed hæc est fides iustificans, quâ statuimus nos quicquid petierimus à Deo id esse consecuturos propter Christum, quæ sententia explicata est à Christo Marc. 11. 24. *Quicquid precando petieritis à Patre in nomine meo, credite vos illud accepturos.* Item hæc est fides iustificans qua statuimus, si nos pœniteat peccati fore ut Deus nostri misereatur: non est autem hoc ingenium fidei iustificantis, vt ita apprehendat Dei misericordiam ac si ea foret efficax etiam iis qui eam non petunt. Itaque hoc ipsum quod nobis objicit Bellarminus potuit Christo objicere, nam Christus orauit Patrem, & quidem seriò ac vehementer, ne se derelinqueret, cùm tamen præditus esset vera fide, & quidem ea fide qua Christus, quatenus homo, persuasum habebat se nunquam à Patre derelictum iri; attamen Patrem orat. Quorsum? diceret Bellarminus, quia nempe hoc est ingenium fidei vt non excludat, sed includat potiùs preces. Ipsi Pontificij credunt fore vt Ecclesia nunquam pereat, libri tamen eorum rituales pleni sunt precibus quibus orant Deum vt conseruet Ecclesiam. Iidem credunt Concilia Oecumenica non posse errare, ea tamen inchoant à precibus & inuocatione Dei. Quid aliud habent quod hic respondeant, quàm

quod i probatur exẽplo Christi,

& ipsorum Pontificiorum praxi.

quod nos respondimus, nempe, non hoc esse ingenium fidei iustificantis vt excludat preces & bona opera, sed vt nihil tribuat dignitatis pœnitentiæ nostræ, precibus, immò ne sibi quidem ipsi, sed soli misericordiæ Dei quam sola fides amplectitur.

4. Argum.

Quartum argumentum hoc est. Fiducia omnis nascitur ex bona conscientia & perseuerantia in opere bono, itaque non patitur vera fides vt quispiam sibi certò persuadere possit se hæredem fore vitæ æternæ.

Resp.

Respond. Veram fidem hinc deprehendi quod purget conscientiam, & gignat in animo certum propositum vitæ rectè instituendæ, nam *fides purificat cor* Act. 15. Itaque fides nostra quatenus significare potest notitiam illam qua scimus nos esse fideles, potest nasci ex bona conscientia, attamen fides propriè dicta bonam parit conscientiam, ideoque non potest nasci ex bona conscientia, ne quidem ex Pontif. sententia. Itaque hoc argumentum Bellarmini nihil facit ad rem, fides enim semper debet præcedere quicquid in nobis est boni, vnde Apostolus ait. *quicquid fit sine fide est peccatum*, Rom. 14. 23. hoc est, oportet me scire quod ego facio gratum esse Deo ex ipsius misericordia: quod facit sola fides, quia docet Deum vti misericordiâ non iustitiâ. Itaque fides non nascitur ex bono opere, sed animum addit ad faciendum bonum opus: ex bonis operibus possum scire me habere fidem, non tamen inde sequitur veram fidem ex operibus esse & nasci.

5. Argum.

Quintum argumentum Bellarmini. Vera fides affert pacem & tranquillitatem conscientiæ, at fides ista qua quis credit certò sibi esse remissa peccata per Christum, & sibi esse partam vitam non affert pacem & tranquillitatem. Non est ergo vera fides. Rationem minoris addit, quia, inquit, quis est ille qui sibi persuadere queat se esse prædestinatum, se esse perseueraturum? Hoc argumentum est indignum viro docto.

Resp.

Nam si illa fides qua quis certò statuit sibi esse remissa peccata & partam vitam æternam non affert tranquillitatem, quæ tandem fides id faciet, cùm ipso fatente vera fides debeat afferre pacem? An id faciet fides Diabolorum, vel eorum qui desperant? hæc verò sunt hominis insani. Cæterùm, quod ait neminem posse statuere se esse prædestinatum, seque perseueraturum, distinctione opus est: Nemo potest illud scire à priori, verum est, non posse sciri à posteriori falsum, quia prædestinatio habet sua effecta, ex effectis autem peruenimus ad notitiam causæ. Itaque si ex Scripturis probemus esse prædestinationis effecta, sequitur nos posse certò nobis persuadere, nos esse prædestinatos, & consequenter nos esse perseueraturos. Quod si quis mihi negaret esse prædestinationis effecta, sic probarem esse, Spiritus Sancti testimonium nobis est notissimum, dicitur autem *testimonium* non actu primo, sed secundo: hoc est, Spiritus Sanctus dicitur nobis testari, tum verò nos dicimur agnoscere testimonium Spiritus, & quidem affirmantis nos esse filios & hæredes Dei. Itaque si Spiritus non mentitur & nos non decipimur, tum verò scire possumus nos esse prædestinatos, nam ille cui Spiritus Sanctus testimonium hoc præbet, & qui illud credit, erit hæres vitæ æternæ, at nemo erit hæres nisi prædestinatus.

ex testimonio Spiritus certò scimus nos esse prædestinatos.

Quod item ait Bellarminus neminem esse

Fides cert-

se perseueraturos. probatur 1.

posse certum se perseueraturum, falsum est: Nam si omnes fideles tenentur credere se perseueraturos, tum certò perseuerabunt (reliqui autem non tenentur id credere, quia nunquam id cœperunt) atqui omnes fideles tenentur persuasum habere se perseueraturos: quod euincitur ex illo loco Pauli 1.Cor.10.14. *Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ferre, sed cum tentatione dabit exitum*: Ubi obseruanda sunt hæc verba *dabit exitum*, nam si in tentatione Deus dat fidelibus semper exitum, tum certi esse possunt se perseueraturos. Quod autem nonnulli excipiunt, Deus si credidero dabit exitum, hoc verò est nugatorium, idem enim est ac si diceret, Deus si dabit exitum, dabit exitum, nam fide perseuerare est exitum adipisci. Itaque fideles qui implorant Dei auxilium petunt ab eo ut semper credant, Deus autem non daret illis quod petunt, nisi det ut semper credant. Certè piorum nemo à Deo petit ut posit credere si velit, sed ut semper credat. Itaque vel Deus non exaudit eorum preces, vel dat illis vt semper credant. Falsum itaque est quod ait Bellarminus de perseuerantia.

2. Tum, nisi possumus certò statuere fore ut perseueremus, omnes consolationes Scripturæ erunt frustraneæ, quum enim trepidamus, causa trepidationis hæc est, dubito an sim perseueraturus: Itaque oportet accedere consolationes quibus certus fiam me perseueraturum, & ad hoc faciunt omnes consolationes Scripturæ, quæ alioqui forent irritæ. Perseuerantia Petri non fecit ut Christum non abnegaret, sed ut ne abnegaret usque ad finem: Christus enim pro eo petierat ne fides eius deficeret, & in hoc exauditus est Christus quod Petrus non defecit penitus. Itaque concludatur iam tota hæc disputatio definitione fidei iustificantis.

Fidei iustificantis definitio.

Fides iustificans est firmus assensus quem præbemus impulsu Spiritus Sancti omnibus iis quæ in verbo Dei vel narrantur, vel promittuntur, speciatim autem promissioni de vita æterna parta per Christum.

Quomodo fides iustificans amplectatur omne Dei verbum.

Priusquam autem ulterius progrediar operæ pretium facturus mihi videor, si quædam quæ objici possunt contra ea quæ superius à nobis proposita fuerunt diluam, ne quis hæreat animis scrupulus. Ac primò mirum videri posit & nouum, quod ambitu objecti fidei iustificantis contineri voluerim ea omnia quæ de Deo, & de Dei operibus narrantur in Scriptura, item, promissiones particulares: Etenim fides iustificans ea est propriè quæ respicit promissionem uniuersalem quæ facta est Ecclesiæ in Christo. Sed hoc quicquid est facilè diluitur. Etenim ut primò hoc loco respondeamus, dicimus, aliud esse obiectum fidei iustificantis simpliciter & absolutè consideratæ, aliud verò quâ est iustificans: Nihil enim prohibet ut illa fides quæ iustificat habeat objecta quorum respectu non iustificat.

Discrimen interfidem historicam & iustificantem.

Deinde fides iustificans aliter intuetur objecta illa quàm ea fides quæ non est iustificans, perfundit enim illa luce sua, ita quidem ut non posit illa objecta intueri, nisi eandem vim adhibeat quam adhibet dum intuetur directè promissionem generalem: verbi gratiâ, qui præditus est fide iustificante dum credit Deum esse, non hoc credit simpliciter, sed Deum credit esse qui sit illius pater: dum credit Deum condidisse mundum, non hoc credit simpliciter, sed Deum patrem suum condidisse mundum. Sic si Rex Galliæ filium habeat, ille crederet quidem esse Regem Galliæ, sed continuò crederet illum esse patrem suum. Itaque hîc fidei actus mirificè recreat & exhilarat animum, quod non faceret si non esset actus fidei iustificantis. Nam in quibus fides est merè historica, ut in Dæmonibus & impiis, tantum abest ut ea posit sustentare animum labascentem, ut contrà eâ dejiciatur: tanto enim vehementior est metus & trepidatio conscientiæ. Postremò hæc est ratio definitionis ut complectatur ea omnia sine quibus res definita concipi nequeat. Jam verò fides quæ intuetur promissionem factam in Christo, non potest animo concipi nisi statuamus ea fide credi Deum esse, mundum condidisse, hominem esse lapsum, &c. Præterea est regula in Scholis, *Prius præscindi potest à posteriore, licet posterius non posit à priore.* Sic anima vegetatiua potest esse sine sensitiua, & sensitiua sine rationali, sed rationalis non potest esse in corpore sine sensitiua & vegetatiua. Ita, qui credit se esse redemptum Christi sanguine necesse est credat Deum esse, sed qui credit Deum esse non statim idem credit se esse redemptum Christi sanguine.

Refelluntur objectiones Pontif. aduersus fidei iustific. definitionem.

Hæc sunt eiusmodi ut hinc diluatur quodcunque Pontificij adferunt ex Scriptura ad oppugnandam sententiam nostram de natura fidei iustificantis: nam dum illi vim fidei iustificantis eleuant, proferunt nobis exempla in quibus fidei iustificanti tribuitur quod credimus Deum esse, mundum ab eo esse conditum, &c. Sed hæc est manifesta calumnia: Nihil enim prohibet ut eadem fides feratur in promissionem vitæ æternæ per Christum, eademque fide credantur ista quæ de Deo dicuntur, vel ei tribuuntur in Scriptura, ea ratione quæ supra à nobis est explicata, illa enim omnia intuentur fides iustificans. Itaque Apostolus Hebr.11. postquam hortatus esset fideles ad perseuerantiam in fide, describit dignitatem fidei, *Iustus*, inquit, *ex sua fide viuet*: quæ verba petita sunt ex Propheta Abacuc, quo loco agitur de fide iustificante vel maximè: postmodum subjungit descriptionem fidei, certè iustificantis, nempe *fides est ὑπόστασις* &c. qui locus suprà à nobis est explicatus. Sic solutus est primus nodus.

Fidem non solam Dei potentiam intueri sed etiam voluntatem.

Diximus secundò, fidem iustificantem neque solam Dei voluntatem intueri, neque solam eius potentiam, sed utramque conjunctim, potentiam autem præcipuè, quum rationi magis liquet de voluntate; voluntatem autem præcipuè cùm rationi magis liquet de potentia: cæterùm fidem nullam esse in Deum quâ non credamus Deum non modò posse, sed etiam velle.

Obj.

Sed contra objici posit (& Pontificij id objiciunt) fidem iustificantem aliquando esse eiusmodi ut respiciat solam potentiam, nec prohibeat quominus qui eâ est præditus dubitet de Dei voluntate, qualis est Pontificiorum fides, illi enim non dubitant de potentia, sed de voluntate Dei.

De leproso sanato.

Hoc autem ut probent proferunt exemplum leprosi illius de quo Luc.5.12. Nam cùm leprosus ille sic Christum interpellasset, *Domine si vis potes me mundare*, hoc responsum tulit à Christo, *Volo, munderis*. Negari non potest fidem illius fuisse iustificantem, atqui illa nitebatur solâ Dei potentiâ, non autem voluntate: certus erat de potentiâ, dubitauit de voluntate.

Resp. 1.

Respondetur primò. Quum agitur de beneficiis terrenis impetrandis à Deo longè aliter se res habet, & se gerit alio prorsus modo

fides

fides juſtificans quàm quum agitur de impetranda vita æterna, aut Spiritu Dei, & aliis bonis ſpiritualibus: nam vita æterna, Spiritus Dei, & dona ſpiritus ſunt in ſe bona, itaque fides juſtificans ea ſibi à Deo pollicetur ſine conditione, quia Deus teſtatus eſt in ſe illa velle dare: reliqua autem beneficia, quia non ſunt ex ſe bona, neque illorum priuatio per ſe mala, & quia nulla exſtat de iis promiſsio certa, ſed Deus pro ſapientiâ ſuâ & pro arbitrio ea diſpenſat, ideò fides iuſtificans inter orandum, bona illa apprehendit cum conditione *ſi vis*. Sic Chriſtus, *Pater eripe me ab hac hora, fiat tamen voluntas tua non mea* Promiſsio quidem certa eſt Deum illa daturum ſi id nobis expediat, ſed an expediat necne non eſt noſtri iudicij, ſed diuini. Itaque iubemur in eo genere orare Deum quomodo pater liberos ſuos inſtituit: nec enim eos ita inſtituit vt petant à patre vt ſe amet ſi velit, ſed ſiquid aliud eſt ab eo petendum, vult eos id petere cum hac conditione, *ſi ita videtur*, hæc enim ratio petendi eſt argumentum animi humilis & pendentis à patre. Iam verò beneficium illud quod ſtudebat impetrare leproſus ille terrenum erat, itaque debuit in illo iuſtificans fides niti præcipuè Dei potentiâ, teſtationem autem voluntatis diuinæ Deo reſeruare, non enim ei conſtabat de eius voluntate. Reſpond. ſecundò. Multum intereſt quo affectu illa pronuntientur, *Si vis*: vel enim pronuntiantur illa affectu narrantis ſimpliciter, vel affectu exprobrantis, vel affectu orantis. Quum proferuntur affectu narrantis ſimpliciter, certè verba illa ſignificant clarè & apertè dubitationem animi de voluntate Dei, vt quum dico, *Si Deus vellet, poſſet impios momento temporis tota terra exterminare*, nihil minus volo ſignificare quàm Deum hoc velle. Si animo exprobrantis proferuntur, arguunt ſummam incredulitatem: at quum orantis affectu pronuntiantur pernego illa verba dubitationem includere, eſt enim potius argumentum qua fides vtitur inter orandum quo ſe ſuſtentet: vt ille qui dixit, *Domine dic verbum, & ſeruus meus ſanabitur*, ille certè non dubitauit de amore Chriſti erga ſe, non magis quàm Publicanus quum oraret, *Deus eſto propitius mihi peccatori*. Ita maximè dubitaſſe cenſendus eſt leproſus dum dixit, *Domine ſi vis potes me mundare*, fides enim orantis non dubitat, vti docet Jacobus cap. I. verſ. 5. *Si quis caret ſapientia petat eam à Deo*, ἐν πίστει, μὴ διακρινόμενος, ſcilicet non modò de potentia, ſed maximè de voluntate Dei: Idem addit, *Deus enim nemini exprobrat* ſcilicet peccata, nam quod ſæpè nos hærere inter precandum facit, eſt metus ne Deus exprobret nobis peccata noſtra. Iam autem miſer ille leproſus hoc dicit affectu orantis, *Domine ſi vis potes me mundare*, præceſsit enim vox ἰδοὺ, ſenſus itaque verborum ipſius eſt, Domine velis me mundare, nam ſi vis id potes: ſi putaſſet miſer ille Dominum eſſe auerſo à ſe animo, non tanta cum fiducia protuliſſet hanc vocem; itaque hoc tulit à Chriſto reſponſum, *Volo, mundator*. Certè filius patrem hoc pacto ſæpè compellabit, Si vis potes hoc vel illud erga me præſtare, nec tamen de patris beneuolentia dubitat. Reſpondeo tertiò. Duplex eſſe dubitandi genus, alterum quod fidei naturam planè deſtruit, alterum quod comitatur fidem, quomodo ſunt nonnulli morbi qui non poſſunt conſiſtere vnâ cum vlla ſanitatis parte, & à quibus natura vincitur, alij verò ſunt qui cum aliqua ſanitatis parte conſiſtunt. Qui ſic dubitat vt ipſe dubitationem impugnet, & tandem oppugnet, ille ita dubitat, vt hoc non impediat quominus ſit vera fide præditus, ſed exiguâ: vnde oritur exprobratio Chriſti ad Petrum, ὀλιγόπιστε *cur dubitaſti*, non dixit, *ô incredule*, ſed, *ô exiguæ fidei homo*. Talis etiam fuit fides patris iſtius Lunatici, *Credo Domine, ſed ſubueni incredulitati meæ*; vbi apparet dubitatio, ſed quæ à fide oppugnatur, vt natura valida oppugnat morbum, & tandem expugnat. Nihil eſt itaque abſurdi ſi dicamus leproſum dubitaſſe, modò fides (uti fecit) expugnauerit dubitationem. Quin & Spiritus ſanctus eiuſmodi dubitationem notauit in fide Abrahami, dicit enim de eo Apoſtolus, *credit ſub ſpe, contra ſpem*, quorſum hoc fuit notatum? niſi quia animus fidelis aliquando dubitat in fide ſua, vbi tamen fides euadit ſuperior. His tribus reſponſionibus ſolutus eſt nodus, Prima enim locum habet, ſi leproſus ille Chriſti promiſsiones ac beneuolentiam erga miſeros omnes ignorauerit: quod ſi eas nouit, ſecunda reſponſio locum habebit: tertia verò prioribus lucem affert.

Diximus tertiò, fidem qua creditur promiſſioni ſpeciali, ut eſt illa quâ montes transferuntur, non eſſe fidem iuſtificantem neque eius partem ullam, niſi tum quum illi qui præditus eſt fide promiſſionis generalis facta eſt etiam promiſsio aliqua ſpecialis, is enim tunc eodem habitu & promiſsionem generalem & ſpecialem amplectitur, nam idem eſt habitus fidei quia creditur promiſsioni uniuerſali & qua creditur ſpeciali promiſsioni, hoc eſt, ſiquis præditus ſit antea fide iuſtificante & fiat ei promiſsio aliqua ſpecialis, non opus eſt ut ſpiritus ei infundat nouum habitum fidei ad amplectendum promiſsionem illam particularem: eſt enim utrobique idem qui promiſit, eadem potentia & bonitas quâ effectum detur promiſſum particulare, ſed ita tamen ut longè maior ſit fides quâ generali promiſſioni creditur, quam quâ particulari creditur. Itaque multos videas qui crediderint promiſsioni ſpeciali, qui tamen generali non crediderunt. Bellarminus l. I. de Juſtif. cap. 15. contra contendit, fidem qua montes transferuntur eſſe excellentem & eminentem quendam gradum fidei iuſtificantis, quod nos pernegamus his moti rationibus. Primò, quia ſi ita ſe res haberet, qui minimo fidei iuſtificantis gradu præditus eſſet non poſſet montes transferre, at hoc falſum eſt Chriſti teſtimonio, qui dixit Diſcipulis, *ſi fidem haberetis vt eſt granum ſinapi*, &c. Itaque transferri montes tribuit Chriſtus minimo fidei gradui. Secundò, ſi fides qua transferuntur montes eſſet eminentiſsimus fidei iuſtificantis gradus, ſequeretur nos peccare dum non credimus nos poſſe transferre montes, nam quantum deeſt excellentiſsimo gradui fidei, tantumdem peccatur: At falſum eſt nos peccare dum non credimus nos poſſe transferre montes, nulla enim nobis eſt de transferendis montibus facta particularis promiſsio.

Sed Bellarminus tamen id probare conatur ex I. Cor. 13. 2. *Si haberem omnem fidem ita vt poſſem montes transferre*, &c. Iam verò (inquit) ſub finem capitis Apoſtolus ait *hac tria manere, Spem, Fidem, &*

Marginalia: 2. (Respond. secundò); 3. (Respondeo tertiò); Fidem miraculorum non eſſe eminentẽ fidei inſtif. gradum.; Probatur contra Bellarm.; I.; 2.; Object. ex I. Cor. 13.

Charitatem : Itaque cùm sub finem capitis agat de fide iustificante, (vt est in confesso) necesse est etiam vt de eadem agat initio capitis, quando disputatio illa continua est: alioqui Apostolus diceret ἀνακόλουθα. Sic videtur sufflaminari impetus argumentorum quæ supra proposuimus ad sententiam Pontificiorum refellendam. Respondeo. Tametsi nihil sit quod nos cogat hoc Pontificiis concedere, de eadem fide agi ab Apostolo sub finem capitis de qua egit initio, tamen vt cum iis agamus candidè καὶ ἐκ περιττοῦ, Respondemus. Obseruandam esse phrasim quâ vsus est Apostolus, initio enim capitis non dixit simpliciter *si habeam fidem*, sed, *si habeam omnem fidem*, sub finem capitis non dixit, *nunc autem manet omnis fides*, sed, *nunc autem manet fides*. Ergo initio capitis egit de omni fide, sub finem verò de ea fide quæ *fides* simpliciter dicitur: quorsum autem ista obseruatio? nempe initio capitis hoc Paulus voluit, Etiamsi omnis generis fidem habeam, charitatem autem non habeam, nihil sum: Sub finem autem capitis tacitè negat omnis generis fidem manere, fides enim miraculorum temporaria fuit, quæ non diu mansit in Ecclesia. Nam quemadmodum quum ædificantur ædes solent ab Architecto multæ adhiberi machinæ, quæ absoluta ædium exstructione amouentur vt inutiles, ita dum facienda erant Ecclesiæ fundamenta opus ad tempus fuit istis miraculorum veluti machinis, quibus oppugnaretur, adeoque expugnaretur vel inuita ratio humana, & ad fidem pertraheretur; sed Ecclesiâ post modum constitutâ non perinde opus fuit miraculis. Iam verò nobis probandum est πᾶσαν πίστιν significare *omnis generis fidem* : id autem probauerimus si ostenderimus hanc locutionem Scripturæ esse familiarem. Non congeram multos locos, vnum tantum insigne proferam 2. Corinth. 1. cap. vers. 4. ὁ παρακαλῶν ἡμᾶς θεὸς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει: hoc est, *qui premuntur omni genere afflictionis*: Sic eodem hoc cap. 13. 1. ad Corinth. πᾶσαν γνῶσιν vsurpat pro *omni genere cognitionis*, tantumque abest vt locus iste infringat sententiam nostram de variis fidei speciebus, vt contrà eam stabiliat.

Resp. 1.

2.

Inst. duplex

At dicet aliquis, si ita se res habet, poterit fides iustificans separari à charitate: deinde, charitas maior erit non tantum fide miraculorum, sed etiam vera fide iustificante, quorum vtrumque videri poterit absurdum ex sententia vera Ecclesiæ. Respondetur ad prius illud, non inde sequi fidem iustificantem posse separari à charitate quod Apostolus dixerit, *se nihil fore si omnem habeat fidem, nec tamen habeat charitatem*; Est enim hæc locutio illi similis Gal. 1. *Etiamsi nos, aut Angelus de cœlo, aliud vobis euangelizaret sit anathema*: Eiusmodi nempe locutio, cùm sit hypothetica, nihil positiuè statuit. Porrò & hoc etiam atque etiam obseruandum est, quod Apostolus hoc loco fidei iustificantis meminit ἐν τῷ καθόλου, speciatim verò fidei miraculorum, quia eorum iudicio qui charitate non sunt præditi, (quos Apostolus eò loci oppugnat) fides illa omnium excellentissima videtur: stupent enim tantum ad ea quæ carnis iudicio sunt admiranda. Sic Simon magus hoc præcipuè miratus est, quod Apostoli per manuum impositionem dabant Spiritum sanctum, quod donum multa miracula

Resp. ad 1.

sequebantur. At quærat aliquis, cùm fides & charitas insolubili nexu inter se coniunctæ sint vt à se inuicem separari non possint, cur Apostolus sic sit locutus, *Si habeam fidem & charitatem non habeam*. Et ego vicissim quæro, Cùm *esse anathema à Christo, ab eo separari*, & *eum odisse* in homine mortali sint nexu insolubili indiuulsa, quî fieri potuit vt Paulus Rom. 9. 3. alterum horum optauerit, nempe *esse anathema*, alterum autem quod ei cohæret, nempe *separari à Deo*, execratus sit? nempe hæc sunt eiusmodi vt licet separari actu non possint, alterum tamen possit sine alio concipi. Tum verò & illud potest quæri, quomodo is qui fingitur esse præditus fide, non autem charitate, possit esse nihil. Respondetur. Quia omnis nostra excellentia sita est tota in Dei imagine, cuius potissima pars est charitas. Fingamus hominem præditum summâ gloriâ, honore, diuitiis, &c. impium tamen esse & præditum Diabolico ingenio, est-ne quispiam qui eiusmodi hominem miserum non prædicet, & tanto magis execretur quanto maiori gloria secundùm carnem præditus est? Diaboli certè nobis sunt execrabiles, non ob cruciatus quos vel patiuntur, vel infligunt, sed ob inueteratam malitiam naturæ, quæ nulla vi expelli potest. Itaque nihil prohibet quominus Pontificiis concedamus, ab Apostolo agi initio capitis de omni genere fidei, præcipuè autem de illa fide quam tantopere hypocritæ admirantur, fide nempe miraculorum qua montes transferuntur, quando illius fidei speciatim Paulus eo loci meminit.

alia Inst.

Resp.

alia Inst.

Resp.

Venio iam ad solutionem secundæ objectionis, *Sitne charitas maior fide*. Duo sunt autem ratio quibus effici videtur fidem esse maiorem charitate. Prior hæc est, fide iustificamur, charitate autem non iustificamur. Ergo fides maior est charitate. Possem variis rationibus obruere hoc argumentum, sed vnicam duntaxat adferam. Iustificatio non est finis sanctitatis, sed contra sanctitas finis est iustificationis; non enim iustificamur quia sumus sancti, sed Deus impium iustificat vt fit sanctus: Ergo si sanctitas maior est iustificatione, multò magis maior dici potest fide, etenim fidei excellentia pendet à iustificatione. Itaq; si sanctitas excellentius quidpiam sit quàm iustificatio, quippe eius finis, sanctitas etiam erit excellentior fide. Huc etiam hoc accedit quod charitas semper manet, fides autem non semper manet, neque enim fidei iustificanti locus erit in cœlis : Jam verò charitas non præcellit fidei simpliciter ob durationem, siquidem duratio etiam mali est, nam malum & mors durant, sed ideo durat charitas quia est excellentissima: reliqua enim dona vt *spes*, *Prophetia*, *fides* sunt media, non autem finis, at charitas est finis. Itaque 1. Iohan. 3. 3. postquam Apostolus descripsit ingenium fidei & spei, subjungit, *quicumque hanc habet spem purificat semetipsum*. Certè regnum cœleste est regnum charitatis : quid enim suauius animo cogitari potest quàm Deum ardentissimè amare & proximum? quatenus hac dulcedine perfunduntur animi, eatenus fruuntur pace & tranquillitate. Sed hoc gaudium, hæc charitas non potest obtineri nisi per fidem iustificantem, qua mentis oculi aperiuntur. Vnde illa Pauli hortatio Eph. 4. *Condonate*, inquit, (hoc charitatis est) *quomodo Christus vobis condonauit*, hoc autem non nisi fide, & quidem iustificante, percipi potest.

Resp. ad 2 quæst. An Charitas maior sit fide. Object. 1.

Resp. 1.

2.

Obiect. 2. potest. Alterum argumētum quo videtur probari posse charitatem non esse fide excellentiorem, hoc est. Causa est excellentior effecto suo, iam verò spes & fides sunt causæ charitatis: Nam (inquit Petrus) *fide purificatis eorum cordibus*, Actor.15. Et Christus, *cui peccata multa sunt condonata is dilexit multum*: Percipitur autem remissio peccatorum non charitate sed fide, itaque cùm causa effectum suum antecedat, necesse est vt saltem hac in parte charitate fides sit præstantior. Sed hoc argumentum vel pueri possint refellere: Est enim causa quædam quæ propriè *efficiens* dicitur, & illa substantia est, hæc effecto suo est præstantior, vel saltem æqualis, vt in hoc argumento, spiritus qui in nobis efficit charitatem est excellentior charitate. Sed sunt quædam (quibus causæ nomen tribuitur) quæ à causa efficiente adhibentur tanquam media ad finem suum consequendum, vt medicus vtitur pharmaco ad reddendam ægroto sanitatem, nemo tamen dixerit pharmacum esse præstantius sanitate. Ita planè, quo Deus vult sanctificare iis oculos mentis aperit, Ephes.2.18. *vt comprehendant* τί τὸ πλάτος, &c. Itaque in Scriptura fides & bona opera distinguuntur vt medium & finis, vocati enim sumus ad sanctitatem. Quare, non ex eo quod fides charitatem gignit ideò fides charitate maior est, quandoquidem hoc facit vt medium, non vt causa efficiens completa.

Resp.

3. & vlt. in hunc locum quæstio.

Explicanda iam venit tertia quæstio, quid sibi voluerit Christus dum rogatus à Discipulis, idque seorsim, cur eorum operâ curari non potuerit ille Lunaticus & arreptitius, respondit id factum esse *propter eorum incredulitatem*; cæterum *hoc genus dæmonij non ejici nisi oratione & ieiunio*. Quam quæstionem vt absoluamus, necesse est vt hæc ordine à nobis disputentur. Primò, sintne certa Dæmoniorum genera: Secundò, an Christus hoc loco agat de certo quodam Dæmonum genere: Tertiò, quæ sit vis orationis & ieiunij in expellendis dæmonibus: Quartò, quo pacto (si vlla est vis orationis & ieiunij in expellendis dæmonibus) id stare possit cum iis quæ à nobis disputata sunt, quæque affirmat hîc Christus, ideò Dæmonem non fuisse eiectum quòd Discipuli non fuerint prædíti fide. Esse autem certa quædam Dæmonum genera Scriptura testatur, nam Matth.12.45. Christus disertis verbis docet, semel eiectum dæmonem aliquando redire, adjunctis sibi septem aliis (hoc est, multis) peioribus. Item, hinc agnoscimus varia esse distincta dæmonum genera, cùm sint qui vocentur *Angeli Diaboli*, quæ denominatio locum habere non potest nisi essent qui propriè dicantur *Angeli Diaboli*, nisi item esset Diabolus: Item, fit mentio *principis Dæmonum*. Itaque dubitari non potest quin sit distinctio Dæmonum in certa quædam genera. Immò princeps Dæmonum à Paulo dicitur *Deus huius sæculi*, & quicquid à reliquis Dæmonibus fit id ei tribuitur. Quod autem *Beelzebub* vocatur, id factum est odio idoli Accaronitarum, cui nomen erat Beelzebub, hoc est, Græcè μυιαγρός. Itaque nomen hoc non significat vim Diaboli, sed potius odium quo Diabolus dignius est. Sic hodie & olim Judæi si quid damnabant, id omne vocabant פסול à vocabulo פסל quod *sculptile* significat. Cæterùm Deus noluit in Scriptura accuratè describi quæcumque Diabolis insunt, aut attribui possunt: sed hactenus tantum ea voluit nobis innotescere, quatenus expediebat negotio salutis nostræ. Itaque ne creationis quidem Dæmonum aut Angelorum meminit vspiam Scriptura, non quòd non doceat Dæmonas esse creatos, adeoque obnoxios Dei imperio, sed quia Scriptura continet historiam Ecclesiæ, ideò in Scriptura non debet agi de Angelis & Dæmonibus, nisi quatenus id conducit ad intelligendam historiam Ecclesiæ. Cæterùm quum dicimus hîc *Dæmonum genera* non intelligimus ea *genera* de quibus disputant Philosophi, sed Dæmonum genera intelligimus quomodo dicimus vulgò *varia hominum genera*.

Sunt certa & distincta Dæmonū genera.

An Christus hîc intelligat certum quoddam genus Dæmonum. Alij negāt

Venio ad secundam quæstionem, *An Christus hoc loco agat de certo quodam Dæmonum genere.* Sunt enim qui hoc negent, & quidem inter Patres Athanasius & Chrysostomus, inter Scholasticos autem Thomas Comment. in hunc locum: hi nomine *generis* intelligunt quosvis dæmonas, vt sit sensus, *hoc genus Dæmonum non ejicitur*, &c. hoc est, *Dæmones ejici non possunt*, &c. Qui sunt in hac sententia sic se tueri queunt: nempe, quod nulli dæmones ejiciantur nisi oratione, tum quòd Christus non dixit τοῦτο τὸ γένος, sed simpliciter τοῦτο γένος vt vulgò dicimus *ceste race*, dum sæpe vniuersum genus intelligimus. Alij verò (quorum sententia est potior) volunt hîc intelligi certum genus dæmonum: Qui ita se tueri possunt, quod apud Marcum Christus patrem interrogat, quandiu fuerit puer ille infessus à Dæmone, respondit autem ille, statim ab infantia, mox verò interrogantibus Discipulis subjecit Christus, *hoc genus non ejici*, &c. Itaque designare videtur deterrimum genus dæmoniorum, cùm certum sit alios aliis esse deteriores. Nam quod nullus dæmonum ejici possit nisi adhibetur oratio & ieiunium, id verò non pugnat cum hac sententia, nam quæ sunt necessaria in toto genere, ea si in generis quadam specie magis sunt necessaria, speciatim solent illi speciei attribui: vt si quis agens de insigni scelere, sic loquatur, hoc scelus non potest nisi morte expiari, ille non volet vllum esse scelus quod non sit morte dignum, nam si non esset morte dignum, nequidem esset scelus; Itaque Spiritus in Scriptura iram Dei in certa quædam immaniora peccata accendi docet, cùm tamen non sit vllum peccatum quod Dei iram non mereatur.

Alij affirmant.

DE IEIVNIO.

Sequitur iam tertia quæstio, *Quæ sit vis orationis & ieiunij in expellendis dæmonibus.* Hîc autem primò distingui volumus vim orationis à vi ieiunij, non enim idem vsus ieiunij in hoc opere, qui est orationis: quod vel hinc manifestum est, quòd cùm in Nouo Testamento crebræ sint hortationes ad orandum, nullus sit locus quo spiritus nos hortetur ad ieiunandum: non quod non laudetur ieiunium in Nouo Testamento, sed quum excitandi sumus ad officia veræ pietatis, nunquam nos hortatur Spiritus ad ieiunandum. Immò verò dùm Matth.9.11. Pharisæi Christum interrogant, cur eius Discipuli non ieiunent, respondit Christus tuendo factum Discipulorum, quum non fecisset, si ieiunium esset pars veræ pietatis & cultus Dei. Ergo, si quando in Nouo Testamento jejunium laudatur, hoc fit non ob ipsum jejunium, sed ob adjunctas

Ieiunij secundum Pontif. vsus quintuplex.

ieiunio preces. Pontificij contra sentiunt, nam quintuplicem tribuunt vsum ieiunio. Primus est, vt edometur corpus. Secundus, vt disponatur anima ad orandum. Tertius, vt colatur Deus. Quartus, vt satisfaciamus pro peccato. Quintus, vt promereamur bona temporalia, & sempiterna.

1. & 2. admittitur.

At verò nos contra asserimus vnicum esse ieiunij vsum, nempe vt magis idonei reddamur ad officium faciendum, seu id officium Deo, seu proximo debeatur. Itaque duplicem vsum quem collocant Pontificij primo loco, admittimus, sed vt vnum atque simplicem. Ideò enim ieiunium nos reddit idoneos ad rectè concipiendas preces, quia corpus edomatur: tertium, quartum, quintum vsum penitus rejicimus, quod vt iure factum sic tuemur. Corpus & exercitatio corporis pro fine animum habent: Itaque omnis corporalis exercitatio eatenus est vtilis, quatenus animam reddit idoneam officio faciundo: nam venter corporis causâ institutus est, corpus autem animæ seruire debet: & eatenus corpori seruiendum est quatenus id animæ seruit atque conducit. Deinde nullum opus externum bonum est nisi quatenus est vtile proximo. Itaque cum ieiunium non sit proximo vtile nisi per accidens, non erit nisi per accidens opus bonum, nempe si meo ieiunio iuuetur proximus, vt si ipse abstineo cibo & potu vt cibus & potus corpori meo destinatus cedat in vsum pauperis & egeni; sed hoc non dicitur tum ieiunium, sed potius abstinentia. Nam ieiunium non est opus externum (licet fiat in corpore) quâ ieiunium est, sed habet finem qui est intra nos, nempe exercitationem animi. Verum quidem est ieiunium aliquando nullum habere finem, quemadmodum nec fletus, quum nempe ieiunium oritur ex animi dolore, non verò instituitur vt deiecto corpore anima etiam dejiciatur, vt qui conflictantur magnis animi angoribus ob peccata, vel etiam ob crucem, profectò fieri non potest vt delectentur cibo & potu; itaque ieiunant, sed quemadmodum flent, nempe non flent ob aliquem finem, sed lacrymæ sponte sua erumpunt, sic non ieiunant ob aliquem finem, sed quia eos eò impellit animi dolor. Hoc significauit Christus Matth. 9. 12. dum causam reddit cur Discipuli non ieiunabant, quia, inquit, *nondum ablatus est eis sponsus, sed quando sponsus eis auferetur, tum ieiunabunt.* Itaque eo loco non agit de ieiunio quod instituitur ad animum dejiciendum, sed de eo quod oritur ex animi deiectione, nam istic coniunxit ieiunium & fletum. Atque hoc est verum ieiunium Euangelicum quod oritur ex animi dolore, quod non est pars cultus diuini, vt nec fletus, nisi metonymicè accipias ieiunium, hoc est, signum pro re signata: Nam quid est ieiunium & fletus in se considerata? res bruta & inanimata. Quod autem Deus dicitur *colligere suorum lacrymas in vasa sua*, per hoc significantur animi angores quorum testes sunt effusæ lacrymæ. Sic planè quum commendatur ieiunium, commendatur id vnde profluxit, nempe verus animi dolor: Nam sacrificium Deo gratum est animus fractus, ac contusus sensu peccati ac miseriæ. Itaque 1. Tim. 4. 8. hortatur Paulus Timotheum, vt exerceat se in pietate, nam *exercitatio corporalis parum prodest:* nempe non ideò ieiunamus vt excitemus dolorem in animo, paruam vim, & vires exiguas ad hoc habet ieiunium, nam

Reliqui rejiciuntur.

1. Ratio

2.

Verum ieiunium Euangelicū.

Vindicatur locus 1 Tim. 4. 8.

sæpe ieiunant impij & hypocritæ, nec tamen dolorem vllum verum animi excitant, necesse est enim vt priùs animus affligatur & dejiciatur, quàm corpus. Quod autem ait Bellarminus, Apostolum eo loci per exercitationem corporalem intelligere ea quibus exercetur corpus valetudinis gratiâ, vt quum olim ludebatur pilâ, trocho, &c. id verò frigidum est, neque enim credibile est Timotheum eum fuisse qui se in palæstra ludis istiusmodi exerceret, sed pietatem opponit Apostolus exercitiis illis quibus corpus affligebatur, tanquam quæ ad pietatem aliquid conferrent.

Ieiunium

Ut autem ista quæ de ieiunio diximus pleniùs intelligantur, plura hîc adjiciemus, nempe, quid sit ieiunium, & quotuplex. Ad primum quod attinet, *Ieiunium est abstinentia à cibo & potu tum quum vel appetitus, vel natura requirit alimentum.* Est autem *abstinentia*, vt distinguatur ieiunium ab inedia, quæ non proficiscitur à voluntate, abstinentia autem est actus voluntatis. Triplex est autem ieiunium, *Religiosum*, *Politicum*, *Physicum*. *Religiosum* duplex est, nempe quod non habet finem, sed consequens est, vel quod finem habet. Ieiunium religiosum quod habet finem illud est quod adhibetur vt animus sit magis aptus ad orandum, vel legendum, vel audiendum Dei verbum; itaque illud ieiunium non est adhibendum quod mentem præpedit: atque hîc est adhibenda prudentia Christiana, vt vnusquisq; ita vtatur ieiunio vt non obsit mentis iudicio, sed prosit illudque iuuet. Ieiunium religiosum quod nullum habet finem est illud quod oritur ex animi dolore concepto ex aliqua causa religiosa, & à vera pietate orto, qui dolor facit vt cibum & potum respuamus. Hoc ieiunium laudatissimum est non in se, (nam in se omnia ieiunia eadem sunt, quæcumque tandem sint) sed ratione originis: Nam certè multò magis dejicitur animus hominis qui ideò ieiunat quòd est animo deiecto, quàm illius qui ieiunat vt sit animo deiectiore. Ieiunium *Politicum* est quum quis abstinet cibo & potu vt exequatur diligentiùs officia sibi præscripta in secunda Legis tabula, vt quum quis præfert cibo & potui bonum & commodum proximi sui: hoc ieiunium voco *Politicum*, quia etsi Deum habeat pro fine vltimo, tamen proximum habet pro fine proximo. In hoc genere est & illud ieiunium, quum quis fraudat suum genium vt subueniat extremæ necessitati proximi. *Physicum* ieiunium dicitur quum quis ieiunat sanitatis & valetudinis gratia, in quo ieiunio nunquam peccatur nisi per accidens, nempe quum quis hæret in illo fine sanitatis, nec tendit vlteriùs, nempe vt reddatur magis idoneus obeundis muneribus vocationis suæ. Porrò præter hæc ieiunij genera, omne ieiunium est vel *ordinatum*, vel *superstitiosum*.

Triplex.

1. Religiosum.

2. Politicum.

3. Physicū.

Vnde sit orta opinio superstitiosa de ieiunio.

Cùm igitur hæc sit ratio ieiunij, quæri potest, qua ratione factum fuerit vt opinio ista superstitiosa de ieiunio occupauerit hominum mentes, & vnde proficiscatur quod ieiunium existiment homines partem esse cultûs diuini, idque non ideo quod referatur ad cultum diuinum vt ad finem, sed quod in se sit ipse cultus diuinus; vt legere est apud Bellarminum de bonis operibus lib. 2. cap. 11. Causa in promptu est: sic nempe comparati sumus omnes à natura vt res externas valde admiremur, eoque magis quod habeant difficul-

difficultatem quandam, atque idcircò Dei cultum in iis facile collocamus. Unde factum est vt non modò in ieiunio, sed etiam in vigilia olim collocaretur Dei cultus, qui mos iam exoleuit, siquidem multorum scelerum causa erant Peruigilia olim in primitiua Ecclesia crebrò vsurpata: vigilantes enim nocturnis illis vigiliis in ipsa Ecclesia abutebantur ad nefanda quæq; perpetranda: nomen tantum *Vigiliarum* illarum mansit in Ecclesia Romana. In ieiunio (inquam) & in vigilia collocatus est Dei cultus, quia abstinere cibo & potu, & vigilare sunt corpori molesta.

Locus ad Coloss. 2. 21.22.23. explicatus.

Hanc huius rei causam reddit Paulus sub finem capitis 2. ad Coloss. vers. 21.22.23. *Ne attigeris neque gustaueris*, &c. qui locus videtur subobscurus. Nam primò quæri potest, quid sibi velit illud *ne tange*, &c. *quæ omnia*, inquit, *pereunt ipso usu.* Respond. Paulum intelligere res ipsas circa quas tactus, gustus, contrectatio versatur, quæ cùm sint obnoxia interitui fieri non potest vt vlla pietas sit in harum rerum abstinentiâ, aut verò impietas in earum tactu aut gustu: nempe quomodo Christus dicit, *nihil eorum quæ in os ingrediuntur polluere hominem*, & ipse Paulus alibi, *Regnum Dei non esse in cibo & potu.* Rom. 14.17. Sed præcipuè consideranda sunt Pauli verba quæ proponit vltimo versu, quæri enim potest, an ἅτινα, ℣. 23. eodem referatur, & de iisdem accipiatur, atque ἅπαντα, vers. 22. Respondeo, referri ἅτινα ad ἐντάλματα quod proximè præcedit; vt sit sensus, præcepta & doctrina illas hominum de abstinentia habere quidem speciem sapientię; Primò, quia illis præscribitur cultus voluntarius, qui cultus ille est quem Pontificij vocant *bona intentionis*, qui homini maximè arridet, & ideò maximè illi probatur quia voluntarius est, unde fit vt eiusmodi opera homines vocent *Supererogationis* opera, quibus sibi volunt multò plus deberi, quod ea non sint à Deo præcepta. Secundò, quia illa sunt ἐν ταπεινοφροσύνῃ, versantur enim circa ea quibus humana natura redditur sordida veluti & contempta, vt Monachus qui quo sordidior est eo sanctior videtur; vnde in Euangelio scriptum est, Pharisæos solitos esse ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα. Tertiò, quia illa sunt ἐν ἀφειδίᾳ σώματος, hoc est quia hac ratione cruciatur corpus. Sed consideranda sunt vltima verba, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός; quæri potest quid sit illud οὐκ ἐν τιμῇ τινι. Respondeo primò, hæc verba includenda esse per parenthesin, nam series sermonis id requirit vt hæc conjungantur, ἐν ἀφειδίᾳ σώματος πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, hoc est, illis corpori non parcitur quantum ad carnis expletionem attinet. Secundò, si velimus scire quid Paulus hîc per τιμὴν intelligat, ipse consulendus est 1. Thessal. 4.4. *vt vnusquisque vestrûm sciat possidere vas suum* ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ, nam est quædam ἀφειδία σώματος quæ est ἐν τιμῇ, vt quum quis non indulget libidini carnis, vnde fit vt non polluat carnem suam. Itaq; versu præcedente Apostolus istam τιμὴν explicauit, *hæc est*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestri, vt abstineatis à scortationibus*, &c. Huic τιμῇ opponitur ἀτιμία, ἀσχημοσύνη, & ἀκαθαρσία Rom. 1.24. Contra, τίμιος ὁ γάμος, dicitur Heb. 13. At ista superstitiosorum abstinentia, seu σώματος ἀφειδία non est ἐν τιμῇ τινι, nam corpus eâ veluti dehonestatur & fœdatur: quin & sententiam illam quæ non admittit, nec probat abstinentiam nisi ea sit ἐν τιμῇ, rejicit Bellarm. Nempe quia nihil improbo homini æquè gratũ est quàm vt quum offensus est ab aliquo, cruciatu sibi ab eo satisfiat, Dei ingenium ex suo ipsius ingenio homo metitur. Sic quia homines naturâ suâ sunt mercenarij, huiusmodi ingenium Deo affingunt: hoc est enim hominis ingenium vt Deum ex semetipso & creaturâ metiatur, & se omnium rerum, adeóque Dei ipsius constituat mensuram.

Quando sit ieiunandum.

Cæterùm ieiunium in Oriente & Meridie longè frequentiùs olim vsurpabatur, hodieque multo magis celebratur in iis locis quàm in Occidente, & iis regionibus quæ spectant ad Septentrionem. Quid ita? nempe, quia id facilè patitur corporis temperamentum. Itaq; videas Turcam quatriduum ieiunantem, cùm tamen nihil inde decedat eius valetudini. Summa eorum quæ hactenus dicta sunt huc redit, nunquam esse ieiunandum nisi quum id à nobis exigit animi dolor (atque tum modus adhibendus est ieiunio) vel quum augendus est & intendendus animi dolor, vel quum comparandus est animus ad magis seriò capessendum studia rerum cœlestium, vel quum proximus iuuatur ieiunio, vel quum ieiunium prodest sanitati, cuius nos decet curam habere. Potest quidem ieiunium nos aptiores reddere ad Deum colendum, vel potest proficisci ab eius cultu, sed non potest esse pars illius, non magis quàm lacrymæ & fletus.

Preces quàm Deo sint gratæ.

At orationis diuersa est ratio: Etenim oratio pars cultus diuini, in qua plurima sunt quibus Deus mirificè delectatur. Primò, in oratione occurrit sensus miseriæ nostrę, nulla autem re Deus magis delectatur quàm corde fracto & contrito. Tum in precib. ad Deum confugimus, quo Deus etiam vehementissimè delectatur. Itaque sensus miseriæ nostræ inter precandum non est similis illi dolori quem præsentiscunt damnati, est enim iste conjunctus cum summa superbia, dæmones enim & damnati iidem sunt superbi; At sensus miseriæ verè precantis conjunctus est cum summa animi demissione. Itaque ad Deum confugimus; desperaturi si conscientia nostra ita persentisceret miseriam, vt tamen putaret se indigne pati conditione sua, & qui hoc modo est affectus tantum abest vt ad Deum confugiat, vt contrà eum tanquam tyrannum execretur, siquidem desperat de impetranda venia. Non est ergo idem Jeiunij & Orationis vsus in expellendis dæmonibus. Jeiunium enim vel est ab oratione, (nam qui orat serio & cum gemitu non delectatur cibo & potu) vel tendit ad dejiciendum animum, quod necessarium est in oratione.

quomodo sola fide & tamen precibus etiã ejiciantur Dæmonia.

Explicanda iam superest ultima quæstio, *Quo pacto ista simul stare possint, vt vi fidei ejiciantur dæmonia, cum tamen adhiberi necesse sit Ieiunium & Orationem.* Respond. Vtrumque verum esse, & sola fide ejici dæmonia, & ieiunio atque oratione etiam ejici: non sunt enim ista collateraliter opposita, sed subordinata. Itaque quæ fiunt fide operante per preces, ea non fiunt partim fide, partim precibus, sed illa fide quæ nos adorandum impellit, fides enim promissione nititur, promissio autem nulla facta est seclusâ conditione precandi. *Petite & dabitur vobis.* Et Marc. 11.24. *Quæcunque petieritis orantes, credite vos ea accepturos, & ea fient vobis*; Ubi promissio quam respicit fides est promissio qua inuitamur ad orandum, itaque fides illâ niti non potest nisi nos impellat

ad orandum. Et Iac.1.6. *Petat in fide nullatenus dubitans, nam qui dubitat similis est fluctui maris*, &c. Itaque Dominus noster Iesus Christus rogatus à multis ut vellet eos sanare, omnem vim illarum precum fidei tribuit, *fides tua te seruauit*. Quomodo ergo absurdum dictu aut cogitatu foret, nos partim animâ, partim manu aliquid mouere loco suo, rectè autem dicitur nos solius animæ vi per manum aliquid mouere loco suo, non autem partim animæ vi, partim manus vi, quia manus vis omnis est ab anima, sic ineptè dicitur partim nos fide, partim precibus obtinere, omnis enim vis precum est à fide, ideoque & Christus orauit dum ederet miracula, ut Iohan.11. dum excitaret Lazarum. Et Iac. Epistolæ suæ Cathol. cap.5. orationem qua sanantur ægroti vocat εὐχὴν πίστεως.

Locus Iac 5. de Vnctione ægrorum explicatur.

Qui locus Iacobi cùm sit similis huic loco quem habemus præ manibus, operæ pretium erit expendere loci illius sententiam, cùm eo abutantur Pontificij ad stabiliendum sacramentum quod vocant *extremæ vnctionis*. Nos sic sentimus, Iacobum eo loco hortari ægros ut utantur dono illo sanationum, extraordinario quidem si respiciamus tempora nostra, sed quod tum erat in Ecclesia familiare. Pontificij contra, volunt hoc loco agi de Sacramento quo non corpus, nisi rarò admodum & præter finem Sacramenti, sed anima curatur. Argumenta quibus illi nituntur ista sunt. Primò. Reliqua præcepta quæ sunt in illa Epistola perpetuum habent usum, Ergo & illud de unctione ægrorum. Sed hoc argumentum futile est: multa enim sunt præcepta in Epistolis Pauli quorum hodie nullus est usus, ut quum ait 1.Cor.14.1. *Quærite dona spiritualia, maximè verò vt prophetetis*, quæ dona tum erant in Ecclesia, at hodie nullum habent usum, ideoque præceptum illud non pertinet ad nos, sunt enim quædam quæ debent fieri certis temporibus, quæ, si temporis accedat mutatio, non possunt obseruari. Sic Paulus docet quo habitu debeat mulier prophetare quod ad tempora nostra non pertinet. Secundò aiunt, si ageret eo loco Iacobus de miraculosa sanatione, debuerat etiam consulere cæcis, surdis, &c. eorumque meminisse. Respond. id esse futile. Donum enim sanationum erat familiare tum in Ecclesia, at donum curandi cæcos, excitandi mortuos non erat ita frequens. Tertiò, debuerant accersi alij quàm Seniores, nempe ij qui præditi erant dono sanationis. At (inquam) donum sanationis vel maximè vigebat in iis qui præerant Ecclesiæ. Quartò, hoc fuisset nimis molestum Senioribus, si quum primùm quis inciperet ægrotare, continuò illis eò accurendum esset. Et hoc etiam admodum futile est, nam est, & erit Presbyterorum officium consolari homines afflictos, eos præsertim qui ab iis petunt consolationem. Denique, inquiunt, nemo illis temporibus fuisset mortuus, sed omnes fuisse immortales, siquidem penes Presbyteros fuisset quosvis ægrotos sanare. Sed & hoc leue admodum est, nam in hoc genere Presbyteri nihil aggrediebantur sine fide: Iam verò Deus non promittebat semper iis qui erant præditi dono sanationis, ut quoties vellent, & quos vellent, toties possent sanare, sed quotiescumque id expediebat gloriæ Dei, & saluti ægroti, cuius rei iudicium erat penes Spiritum quo ducebatur is qui præditus erat dono sanationis. Alioqui si argumentatio illa Pontificiorum valeret, tum quum vigebant in Ecclesia dona sanationum (quod ad tempus fuisse negari non potest) nemo unquam fuisset mortuus.

Pontificiorum argumenta soluuntur, 1. 2. 3. 4. 5.

Contraria argumēta. 1.

Sed argumenta in contrarium multo sunt validiora, ducta partim à verbis Apostoli, partim à totius orationis serie. A verbis Apostoli, nam sic loquitur, *oratio fidei seruabit* τὸν κάμνοντα, *& excitabit eum Dominus*. *Excitare* autem & *seruare laborantem* nihil aliud est quàm *sanare ægrum*, quorsum enim meminisset Apostolus morbi quum de ista salute egit? Certè longè aliud est σῶσαι ἁμαρτάνοντα, aliud σῶσαι κάμνοντα, illud enim est peccatum, hoc verò morbum auferre. Tum verò consideranda est vis huius vocis ἐγεῖραι, quæ cùm de ægroto dicitur toties significat restitutam sanitatem, ut Matth.8.15. ἠγέρθη καὶ διηκόνει, de Petri socru. Alioqui quam tandem hîc intelligent Pontificij excitationem? Certè hoc loco intelligi non potest salus animæ, quia nunquam hoc sensu occurrit hæc vox in Scriptura nisi in allegoria, ut quum Paulus Eph. 5. *Expergiscere*, inquit, *tu qui dormis*. Cæterum ἐγείρειν semper dicitur vel de ægro, vel de mortuo. Sed quod nullo pacto expugnari potest, tota series orationis huc spectat, *sanabit eum oratio fidei, & excitabit eum Dominus, & si vlla admisit peccata remittentur ei*: ubi notantur duo distincta beneficia, quorum prius corporeum est, posterius spirituale. Nam ordo horum verborum imprimis est considerandus: quem enim sensum ista habebunt. *Dominus curabit eius animam, morbos animi, & si admisit peccata remittentur ei.* At ista optimè cohærent, *Dominus non modò curabit morbum corporis, sed etiam morbum animi*. Itaq; priori loco agitur de sanatione corporis, deinde de sanatione animæ, quomodo sanare solebat Dominus ægrotos, nam primò leuabat eos morbo corporis, tum morbo animæ, unde & illa locutio toties in Euangelio usurpata, *fides tua te seruauit*. Tum & illa verba obseruanda sunt, *si fecit peccata* &c. hoc est, si peccando contraxit illum morbum: nam afflictiones non sunt semper castigationes, sed interdum probationes: unde Dominus de cæco nato, *neque hic peccauit, neque pater eius*, hoc est, non est illi inflicta hæc cæcitas ob eius peccatum, neque propter patris peccatum, *sed ut opera Dei manifesta in eo fierent*. Iam si illa unctio adhibita fuisset ut esset Sacramentum spirituale remissionis peccatorum, quem sensum haberent verba illa, *si peccata admisit remittentur ei*? locutio non debuit omnino esse hypothetica.

2.

3.

Pontif. instantiæ de Oleo. Resp.

At instant Pontificij: Quorsum igitur oleum adhibetur? nam si fuit sanatio miraculosa, potuit fieri sine oleo. At, inquam ego, si fuit sanatio spiritualis, quorsum oleum? nam & potuit fieri sine oleo, sed Marc.6. disertè notatur Discipulos solitos fuisse oleo ungere ægrotos, solet enim Deus adhibere signa, quæ duorum sunt generum.

Duo Signorum genera. 1.

Unum est eorum quæ similitudinem quæ est inter res corporeas & incorporeas significant, ut in Baptismo, quia anima suas habet sordes, ut & corpus, & ea purgatur suis sordibus, ut & corpus, ideò Deus instituit signum ablutionis animæ, aquam nempe, quo signo illa similitudo demonstratur. Aliquando verò signa adhibet Deus quæ significant similitudinem inter res ipsas corporeas, ut verbi gratia, quum Moses percussit petram baculo, signum erat quo hoc significa-

2.

batur,

batur, quomodo aliquando impulſu vaſa teſtacea confringuntur, atque ita erumpit liquor, ſic Deus vi ſuâ diffindet hanc petram, & effluent aquæ. Sic quum mare virga percuſsit. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus quum ſurdum μογιλάλον curauit, immittit digitos in eius aures, tangit ſaliua linguam eius: Item erigit prehenſa manu Iairi filiam mortuam, & luto ex ſputo confecto cæci oculos illinit: Sic curatur miraculosè Ezechias adhibito ſignum emplaſtro, ubi eſt analogia ſigni & rei ſignatæ. Ita quia oleum magnam obtinet vim in corpore humano, ideo adhibebatur in miraculoſa unctione, nulla quidem neceſſitate, ſed ordinis gratiâ.

Cur oleum adhibitũ

Supereſt nobis ſoluenda quæſtio circa ieiunium Diſcipulorum, Matth. 9. cap. dicuntur Diſcipuli non ieiunaſſe, imò verò Chriſtus eo loco negat iis eſſe ieiunandum, & tamen hic Chriſtus videtur iis exprobare quod nõ ieiunarint, quum interrogatur ab iis cur non potuiſſent ejicere dæmonium, reſpondit, *hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi ieiunio*, &c. Hæc quæſtio duobus modis ſolui poteſt. Primò, ſi dicamus Chriſtum Matth. 9. non negaſſe ſimpliciter Diſcipulos ſuos omnino ieiunaſſe, ſed tantum non ieiunaſſe τὰ πολλὰ καὶ πυκνά, quemadmodum diſcipuli Iohannis & Phariſæi, quibus hoc erat ſolenne. Aliud enim eſt ſæpè & ordinariè ieiunare, aliud extraordinariè: qui ſæpè & ordinariè ieiunant, ſimpliciter dici poſſunt ieiunare; qui nonniſi rarò & extraordinariè, dici poſſunt etiam non ieiunare. Sed hinc ſic objiciunt Pontificij, ſi ita ſe res habet, cùm diſcipulorum Iohannis & Phariſæorum ſtata eſſent ieiunia, Chriſtus verò aſſerat fore aliquando vt Diſcipuli ſui ieiunent, intellexit ieiunia ſtata & ſolennia, qualis nempe fuerunt Diſcipulorum Johannis & Phariſæorum ieiunia. Quod & hinc confirmant, quia Dominus noſter utitur quadam parabola quæ id illis ſignificare videtur, *Nemo*, inquit Chriſtus, *mittit vinum nouum in vtres veteres*, &c. qua volunt Chriſtum innuere, Diſcipulos ſuos nondum eſſe idoneos qui ferant iſtam carnis macerationem quæ eſt à ieiunio, tamen poſtquam Spiritus in eos ſuperueniſſet, eos tum demum fore idoneos qui ieiunent. Itaque negat Bellarminus eiuſmodi ieiunium eo loco à Chriſto commendari, cuiuſmodi eſt ieiunium quod naſcitur ab animi triſtitia, nam, inquit, tale non fuit ieiunium Diſcipulorum Johannis & Phariſæorum; immò Diſcipuli nunquam magis ſunt lætati quàm poſtquam Chriſtus in cœlum aſcendit. Itaque Bellarmino ieiunant etiam qui ſunt animo hilari, quod eſt ieiunium hypocritarum. Nos ad ſingula ordine reſpondebimus. Ac primò, Negamus Chriſtum agere de ieunio quale fuit illud Diſcipulorum Johannis & Phariſæorum, & aſſerimus quod res eſt, Chriſtum tacitè arguere & reprehendere ieiunia illa Phariſæorum & diſcipulorum Iohannis, nempe ſi quando ieiunia non ſint orta ab animi dolore. Nam hoc vult Chriſtus, non eſſe ieiunandum illis qui ſunt animo hilari, ſed illis qui ſunt ſub cruce, nec eam tum eſſe conditionem Diſcipulorum ſuorum, ſed aliquando fore ut in anguſtiis conſtituti fleant & ieiunent. Nam quod aiunt, Chriſtum uſum parabola quæ oſtenderet Diſcipulos ſuos nondum eſſe idoneos ad ieiunandum, ridiculum eſt. Nam cur minus idonei fuiſſent quàm Diſcipuli Iohannis & Phariſæi? Adde, quod ieiunium quod non proficiſcitur ex animi dolore, ſed ab animo hilari, eſt facile ieiunium. Iam verò ſi mihi probandum eſſet ieiunia Apoſtolorum, de quibus eo loco agit Chriſtus, eſſe ieiunia profecta à ſummo animi dolore, non proferrem alium locum quàm eum qui exſtat 2. Corint. 11. 26. 27. ubi Apoſtolus contexit catalogum afflictionum ſuarum, & in eo meminit ieiunij, *in ieiuniis ſæpè*: deſignans nempe tantum fuiſſe ſæpiſsimè animi ſui dolorem, ut coactus fuerit abſtinere cibo & potu; nam qui verè lugent illis non delectantur. Neque tamen intelligit ieiunium coactum, iſtud enim ſignificauit quum dixit ἐν λιμῷ, ſed illa intellexit ieiunia quæ oriuntur ab animi dolore. Quod ergo negat Bellarminus, ſolitos fuiſſe Diſcipulos poſt reſurrectionem ieiunare ab animi mœrorem, hoc verò eſt falſiſsimum. Nam tum demum cœperunt cum cruce & perſecutione confligere, à qua fuerunt immunes quandiu Chriſtus vixit in terris, quia tunc non præditi fuerunt eâ animi conſtantiâ, qua poſtea induti fuerunt ex alto, atque ob id ab eo dictum eſt, *non eſſe infundendum vinum nouum in vtres veteres*. Summa igitur hæc eſt. Diſcipuli non ieiunabant crebrò: &, ſi quando ieiunabant, id fiebat rarò & extraordinariè, idcirco Chriſtus negat ſimpliciter eos ieiunaſſe, affirmat autem ieiunaturos, quum ipſo illis erepto, perpetuò res illis eſſet futura cum cruce.

Loca ἐναντιοφανῆ de ieiunio Apoſtolorum conciliata.

Solutio 1.

Obj. Pontif. 1.

2.

Pro ſtatis ieiuniis.

Reſp. ad 1.

ad 2.

Ieiunia Apoſtolorũ non fuerunt ſtata.

Summa Conciliationis.

Alia ratione ſolui poteſt hæc quæſtio. Diſcipuli ſolebant ex tempore ejicere dæmonia, itaque non eſt credibile, cùm eſſent ejicienda dæmonia, eos poſtulaſſe ſibi dari aliquod tempus ad ieiunandum, & tum poſtea eieciſſe dæmonia. Nam quod orarint ſiue voce, ſiue mente, extra controuerſiam eſt, ſed eos ieiunaſſe non eſt credibile, cùm quotidie ederent miracula. Itaque ſic etiam reſponderi poteſt ad hanc quæſtionem, Chriſtum hoc tantum velle, Diſcipulis defuiſſe fidem, indeque profectum ut dæmonem non potuerint ejicere, cùm dæmonia ordinariè non ejiciantur niſi oratione & ieiunio: quaſi dicat, hoc genus dæmoniorum eiuſmodi eſt ut non ejiciatur niſi oratione & ieiunio, idcirco opus vobis fuit magna fide ut illud ejiceretis: nam & Iudæi ejiciebant dæmonia ieiunio & oratione. Itaque cùm Chriſtus vellet ſignificare quàm difficile eſſet ejicere dæmonia, dixit non poſſe ejici niſi ieiunio & oratione.

2. Solutio.

MATTH. Cap. XVII.
Verſ. 24. 25. 26. 27.

Cùm veniſſent in Capernaum acceſſerunt ad Petrum illi qui didrachma accipiunt, &c.

DE DIDRACHMIS.

Locus iſte multorum ingenia torſit, idque tribus potiſsimum de cauſis: Prima, quia videtur quibuſdam hoc loco Chriſtus non modò aſſerere ſuam immunitatem à ſoluendo tributo, ſed etiam Diſcipulorum: nam quod ſoluit tributum, hoc videtur feciſſe duntaxat ne eſſet ſcandalo, & ne videretur ſeditioſus. Secunda, videtur hîc conſtitui aliquis Petri primatus, nam qui accipiebant tributum non accedunt reliquos Diſcipulos, ſed Petrum: tum Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ſoluit hoc tributum reliquorum Diſcipulorum nomine, ſed tantum ſuo & Petri

Tria ſunt quæ locũ iſtum nobilem reddant. 1.

3. Tertia, videtur in ſpeciem Dominus vti paralogiſmo: ſic enim argumentatur; Filij Regum terræ non debent Regibus tributa, Ego ſum filius Regis: Ergo, non debeo tributum: Nam certè ſi filij Regum ſint in terra alienâ debent tributum: Tum & hoc valde durum eſt, *Nùm Reges terræ exigunt tributum à filiis, an ab alienis?* ſi aliter illa verba interpretemur, quàm ut dicamus Chriſtum hoc velle, neminem eſſe Regum terræ qui à ſuo ipſius filio exigat tributum: quod ſi ita ſe res habet, quî poterunt illa verba accommodari ad Chriſti mentem & ſcopum? Nullus eſt Rex qui exigat tributum à filiis ſuis; Ergo, cùm ego ſim filius, non debeo ſoluere tributum. Oratio eſt admodum obſcura: Locus ergo obſcurus cùm ſit, meritò à nobis explicari debet.

De Didrachmis. Tota autem huius loci explicatio pendet à ſignificatione unius voculæ, nempe ſi teneamus quæ ſint illa *Didrachma* de quibus hoc loco agitur. Nam vel intelligi poteſt nomine didrachmorum tributum quod imperante Auguſto impoſitum erat Iudæis, *Capitationem* Romani vocarunt olim: vel intelligi poteſt tributum quod miniſterio Sanctuarij debebatur, cuius tributi mentio fit Exod.30. & 2.Chron.24. Tum, ſi de hoc tributo agitur quod pendebatur in uſum Sanctuarij, quæri poteſt an de eo agatur ut intercepto à Romanis, aut verò de eo agatur quatenus etiam tum pendebatur in uſum Sanctuarij. Δίδραχμον vox eſt græcá, attamen uſurpata ab hebræis qui ſcripſerunt græcè, etiam tum quum agunt de rebus hebræorum, ut à Ioſepho. Sed quid ſignificet δίδραχμον hoc loco non conſtat apud omnes, diſſentiunt hic Interpretes. *tres ſententiæ.* Nam plerique putant hic agi de tributo quod *Capitationem* Romani vocabant, eáque hæc ſententia vulgò recepta: Alij putant hìc agi de dimidio Sicli ſanctuarij, ut interuerſo à Romanis. Alia eſt ſententia quæ videri poteſt noua, nempe hìc agi de dimidio ſiclo quatenus dependebatur in uſum ſanctuarij. Hæc ſententia nobis confirmanda eſt, & refellenda ſunt aliorum argumenta.

Refellitur 1. ſententia. Ut ergo probemus agi hìc de dimidio ſiclo quatenus dependebatur in uſum Sanctuarij, primùm probauimus non agi de Capitatione. Capitatio erat tributum quod à ſingulis exigebatur: *Ratio 1.* Jam nulla fit mentio apud Ioſephum de eiuſmodi tributo. Erat tum quidem tributum impoſitum familiis, quod Agrippa remiſit. 2. Deinde, quod affertur ex Luc.2. nempe iuſſiſſe Auguſtum deſcribi πᾶσαν οἰκουμένην, leuius eſt quàm ut adſtruat authoritatem, quia hoc mandatum fuit uniuerſum, nempe ut Auguſtus cognoſceret nomen & opes populorum ſuorum. 3. Ac præterea tributum illud Iudæis impoſitum, quod Appianus in Syriacis dicit fuiſſe grauiſsimum, erat centeſima pars bonorum vniuſcuiuſque patrisfamilias: non ergo fuit dimidium ſicli, ſed varium fuit pro ratâ cuiuſque parte bonorum ipſius. 4. Tum non poteſt agi hic de tributo familiæ, quia pugnant tum verba exigentium tributum, tum etiam Chriſti & Petri verba: Nam hæc eſt natura huius tributi familiæ, ut exigatur à nolentibus, iam verò qui exigunt tributum hoc, agunt cum Chriſto & Petro ac ſi volentes, & vltrò ſolverent tributum hoc, ſic enim compellant Petrum, Magiſter veſter nùm τελεῖ τὰ δίδραχμα? 5. Tùm id colligitur ex reſponſione Petri, ſic enim reſpondet Petrus, Ναί, quæ vox neque eſt affirmantis, neque negantis, ſed hoc loco idem ſignificat, quod quum reſpondit mulier Chananæa, ναὶ Κύριε, vox eſt συγχωρητική. Tum etiam reſponſio Chriſti hoc arguit. Non enim videtur ratio illa dari poſſe reſponſionis Chriſti, ſi agatur de tributo quod pendebatur Cæſari, nam eſſet paralogiſmus, Reges terræ non exigunt tributa à filiis ſuis, ergo ego non ſoluam. Sed quia nos non niſi inuiti diſcedimus à ſententia doctorum virorum, notandum eſt pronomen αὐτό aliquando habere vim nominis, vt cùm Dominus noſter Jeſus Chriſtus profitetur *fore ut non amplius bibat de hoc fructu vitis*, &c. Matth.26.29. Certè illud αὐτό eo loco eſt pronomen ſi ſpectes ſonum, ſed ſi rem ſpectes eſt nomen, quaſi diceret Chriſtus, non bibam vinum, donec bibam vinum nouum. Sed hoc loco conſideratio hæc non poteſt habere locum, quia ſequitur *ab alienis*: Itaque antitheſis *alienis*, ſatis notat intelligi alios præter Regum filios. *Refellitur 2. Sententia.* Sic oſtenſum eſt non agi hìc de Capitatione, ſed neque de dimidio ſiclo quatenus interuerſus erat à Romanis. Probatur hoc duobus argumentis. Primum idem eſt cum ſuperiore, nam agitur hìc de tributo voluntario, ad cuius ſolutionem nemo vi à Magiſtratu compellebatur. Secundò, tributum quod pendebatur ſanctuario non interuerſum fuit à Romanis niſi poſt deletas Hieroſolymas, teſte Ioſepho lib.7. capite 28. de bello Iudaico, qui diſertis verbis dicit dimidium hoc ſicli ante cladem Hieroſolymitanam Sanctuario dependi ſolitum fuiſſe. Verba eius hæc ſunt, φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπιτώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. Ergo tributum hoc (de quo hoc loco agitur) nondum erat à Romanis interceptum. Quod autem tributum hoc non fuerit interceptum ante deletas Hieroſolymas, non factum eſt ſine myſterio, quia tributum illud erat ſymbolum redemptionis & liberationis Iudæorum ex Ægypto.

3. ſententia. Confirmatur. Sequitur ergo vt dicamus hìc agi de dimidio ſicli quatenus dependebatur in vſum ſanctuarij.

Quod probatur. Primum, teſtimonio Ioſephi qui peritus rerum Iudaicarum teſtatur hoc tributum in vſum ſanctuarij pendi ſolitum. Secundò, id ipſum conſtat ex Chriſti argumentatione, nemo Rex tributum exigit à filio ſuo, ego ſum filius Regis illius qui exigit hoc tributum, Dei nempe, itaque non teneor illud dependere. Tertia ratio, quia videmus hoc tributum à Deo fuiſſe præſcriptum Exod.30. *Vindicatur contra aliorum rationes.* Sed ſunt viri docti qui negant præſcriptum illud extendendum eſſe extra tempus ſuum: mandatum nempe volunt temporarium fuiſſe, quod nonniſi ſemel in deſerto vſurpatum fuerit, locumve habuerit. Hi rationes ſuas afferunt quas examinabimus. *Ratio 1.* Prima ratio petita eſt à fine tributi, qui fuit *miniſterium ſanctuarij*, hoc eſt, ad inſtrumenta ſanctuarij ex auro, argento, ære, &c. comparanda: cùm itaque hæc inſtrumenta ſemel comparata fuere, nihil opus fuit deinceps hoc tributo. Reſpondetur, vox hebræa עבודה ſignificat illa omnia quæ neceſſaria erant ad ſanctuarium, iam verò quædam ſunt perpetuò neceſſaria, ergo & tributum debuit eſſe perpetuum. Secunda ratio ducitur ab vſu tributi, quod eò ſpectabat vt eſſet argumentum

Iſraelitas

Israelitas fuisse redemptos à Deo, quæ redemptio non pertinet ad eorum posteros, quare nec tributum. Sed hæc ratio est fluxa, quia ad posteros etiam pertinet redemptio ex Ægypto, quod probatur primò ex præceptis Dei, *Audi Israel, Ego sum Deus tuus qui te eduxi ex Aegypto*, &c. Tum ex Sacramentis, Pascha enim reuocabat in memoriam liberationem filiorum Israel ex Ægypto. Hoc etiam patet ex ritualibus Judæorum, in quibus hæc licet videre hebraicè scripta in celebratione Paschæ, *hic est panis afflictionis quem comederunt patres nostri in Aegypto, & eduxit nos Dominus Deus inde manu forti & brachio extenso, & nisi Deus eduxisset patres nostros ex Aegypto, ecce nos & filij nostri & filij filiorum nostrorum essemus iam seruituti addicti*, &c. Tertia ratio, Non legitur in Bibliis hoc tributum exigi solitum. Respondetur, neque legitur etiam decimas exigi solitas, quæ tamen soluebantur; non enim necesse est ea quæ semper fiunt notari in historia, sed quæ aliquando & rarò. Quarta, Scribitur Neh.10.32. Nehemiam imposuisse trientem sicli, atqui Nehemias fuit obseruantissimus legis, quidni ergo exigebat dimidium sicli? Respondeo, fortasse tanta fuit desolatio Templi vt etiam præter dimidium sicli quod dependi solebat, requireretur insuper triens sicli, non fit autem mentio eo loco dimidij sicli, quia hoc erat vulgare & consuetum. Sed esto, non fuerit hoc tributum perpetuum, constat tamen ex scriptis Iosephi hoc tributum suo tempore solui solitum, si non quotannis, saltem eo modo quo Moses præceperat.

3. 4.

Obj. Inter disputandum præcedenti Prælectione quædam dicta sunt quæ possent injicere scrupulum auditori. Itaque explicanda sunt antequam vlterius progrediamur. Primò autem occurrit illud, quod eodem argumento quo probauimus hoc loco non agi de Capitatione, aut de dimidio sicli quatenus interuersum fuit, videtur concludi etiam posse, non agi de dimidio sicli quod dependebatur in vsum Sanctuarij. Nam sic collegimus, tributum de quo hoc loco agitur est voluntarium, quærunt enim qui exigunt illud tributum, an Dominus soluat illud: Itaque neque est Capitatio, neque dimidium sicli interuersum. At inquient, dimidium sicli quod sanctuario dependebatur non erat etiam voluntarium, nam erat lege impositum: Itaque res ipsa non videtur satis explicata. Respondeo primò, non esse magnopere laborandum fuerit-ne solutio huius dimidij sicli, Christi tempore, lege præscripta necne, sed tantum (quod attinet ad loci huius explicationem) quærendum est, fuerit-ne hoc in vsu receptum apud Judæos? annon consuetudo hæc abierit veluti in legem? nam si ita se res habet, certè tributum hoc non fuerit merè voluntarium, neque tamen inde efficietur, non fuisse hoc tributum dimidium sicli quod dependebatur in vsum sanctuarij. Jam solutionem huius dimidij sicli vsu fuisse tum receptam, luce clarius est, etenim apud Josephum mentio fit huius consuetudinis. Et in Judæorum libris, nempe in ר׳ Rambam libro 3. qui est *de temporibus*; Tract.7. qui est de *Siclis*, mentio fit huius consuetudinis tanquam legis, de dependendo quotannis dimidio siclo in vsum sanctuarij. Itaque etsi hoc tributum non esset merè voluntarium, nihil hoc fecerit contra sententiam nostram, qui hoc tantum volumus euincere, non agi hîc de alio tributo quàm de

Resp. An dimidium sicli Sanctuarij fuerit tributum voluntarium.

dimidio sicli quod erat sacrum tributum, quando id tributum dependi solitum constat tùm ex historia, tum etiam ex his libris quibus Iudæorum reges describuntur. Secundò, respondetur hoc tributum non fuisse merè voluntarium, neque contrarium posse inde colligi quod quæsitum est ab iis qui illud exigebant (qui non dicuntur Publicani, sed simpliciter οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες) an Christus solueret hoc tributum? quia seu habeatur ratio temporis, seu loci, potuit huic quæstioni esse locus, etiam tùm quum ageretur de tributo à Deo imposito. Nam primò, si loci habeamus rationem, hoc quæsitum est in Galilæa, idque Capernaumi, vbi magna fuit morum licentia, quæ si Romanis fuisset damnosa, non abiisset impunè: At quia nihil inde decedebat Romanis, sed Deo, & tum Iudæorum respublica erat non modò attrita, sed penè excisa, potuit hæc quæstio habere locum in Galilæa & Capernaumi, nempe vbi licebat per Magistratum si non prophana, saltem sacra violare. Tùm etiam, si habeamus rationem temporis idipsum liquebit, nam eo tempore quo hæc gesta sunt, Disciplina Judæorum fuit omnis ferè soluta. Itaque Pharisæus ille qui describitur Luc.18. deputat in magna parte gloriæ suæ quod decimas solveret, quod non fecisset, si omnes fuissent coacti soluere: sed quia propter licentiam temporum pij duntaxat decimas solvebant, aut qui volebant videri sanctiores & religiosiores, vt Pharisæi, hinc fit vt in rebus à se præclarè gestis, Pharisæus numeret solutionem decimarum, quam nemo neget à Deo præscriptam. Idem igitur dici potest de hoc tributo dimidij sicli quod dependebatur in vsum Sanctuarij: At tributum Romanis debitum omnes cogebantur dependere.

Diximus secundò non contigisse sine mysterio quod euersa vrbe Hierosolyma, proindeque cultu Legali penitus abolito, id quod Templo debebatur interuersum fuit à Romanis, & Joui Capitolino consecratum. Erat enim id argumentum reiectionis Judæorum, erat sigillum libelli repudij quod Deus dederat Iudæis. Nam hac ratione factum est, vt quod videbatur Iudæis auctoramentum seruitutis quam Deo debebant, idolo planè fit consecratum, vt populus ille non videatur ampliùs esse Dei populus, quod antea Iudæis nunquam contigerat. Certè deleto priori Templo hoc tributum non fuit interuersum & vasa prioris templi cùm essent à Balthasare violata, non caruit hoc crimen suâ pœnâ. At hîc longè aliter se res habet. Etenim Deus cùm magnâ patientiâ tolerat Vespasiani factum, satis ostendit longè aliam esse captiuitatem secundam Iudæorum quàm priorem, quemadmodum longè alia est destructio secundi Templi & prioris. Nam primò, fit mentio in Scripturis duorum tantum Templorum, & secundi quidem Templi gloria maior dicitur futura quam primi. Itaque excidium Hierosolymitanum prius non fuit sine aliqua spe, nempe Prophetæ vaticinati fuerant illud excidium, captiuitatem, & tempus captiuitatis definiuerant, quo exacto spem fecerant Judæis restitutionis: Sed in destructione secundi Templi nihil tale contigit, non fit mentio tertij Templi, non definitur tempus captiuitatis. Itaque datus est veluti libellus repudij Iudæis in destructione secundi Templi. Prophetæ quidem (vt Moses) vaticinantur fore vt aliquando po-

Judæorum reiectio in euersione secundi Templi.

Discrimen 1. & 2. captiuitatis Iudæorum.

1.

pulus Iudæorum restituatur. Et Moses quidem Deut.30. vers.3. & seqq. (quod potest alicui mirum videri) vaticinatus est de ista restitutione vltimâ populi Iudaici, & hanc restitutionem notat hoc signo, *fore vt Deus legem indat cordibus Iudæorum, vt ambulent restituti in mandatis suis.* Hæc verò prædictio pertinet ad nouum Testamentum, nam fermè iisdem verbis Moses & Prophetæ describunt statum populi Dei sub nouo Testamento: neque est quod quemquam moueat quod Moses dicit fore vt restituantur in terram suam Israelitæ, quia iis locis, quos citat Paulus Rom.11. vt probet restitutionem Iudæorum, fit mentio restitutionis in terram Chanaan, nam hic est mos Prophetarum, vt cultum noui Testamenti describant verbis significantibus cultum qui tum obtinebat. Cæterùm hoc discrimen semper manet, non est præstitutum certum tempus secundæ captiuitati, vt priori, & restitutionem à secunda captiuitate sequitur conuersio cordis ad Deum, quod de liberatione à priori captiuitate nusquam scriptum legitur. 2. Deinde in priori captiuitate non fuerunt omnes Iudæi abducti in captiuitatem, sed hæsit semen quoddam ex tenuioribus, qui essent vinitores & agricolæ, qui erant veluti semen posteritatis futuræ, hoc est, cùm essent vinitores & agricolæ erant veluti terræ possessores, quod erat argumentum fore vt Iudæi terram rursus excolerent: Sed in secunda captiuitate nihil prorsus tale contigit, immò omnes Iudæi redacti fuerunt in seruitutem, vel affixi crucibus. 3. Tertiò. In priore captiuitate nondum confusæ fuerant familiæ (quod est magnopere obseruandum, & si Iudæi hoc considerarent haud dubiè percellerentur animo) sed exstabant adhuc stemmatum descriptiones. Itaque populo illo captiuitate liberato habebatur ratio familiarum in primis, & qui non poterant probare cuius essent familiæ, non erant Iudæi: in posteriori verò destructione nihil tale fuit. Ratio autem huius facti hæc est, quòd tum, nempe in priori captiuitate, Messias nondum venerat, itaque Dei prouidentia factum est vt tunc posset reddi ratio genealogiarum, sed in secunda captiuitate omnia conturbata sunt, non ante. Nam Paulus notat prosapiam suam, & quum compellat Agrippam meminit δωδεκαφύλων. 4. Quartò & postremò, considerandum est in priori captiuitate Iudæos deportatos fuisse in certum locum, quo viuebant simul, in secunda verò dispersi sunt per totum terrarum orbem. Itaque & secundæ captiuitatis videtur Moses meminisse Deut.30.3. quâ factum est vt per omnes mundi plagas Iudæi dispergerentur.

Variè agitatus de Didrachmis locus.

Iam progrediendum est ad solutionem illarum quæstionum quæ nobis propositæ sunt initio disputationis. Prima hæc fuit. *An Christus hoc facto suo docuerit se & Discipulos suos, adeóque & Discipulorum suorum successores, esse immunes à soluendo tributo Magistratui, eo quod dixerit filios esse liberos.* Certè si vera sunt, (vt sunt) quæ supra à nobis disputata sunt de Didrachmis, quæstio illa facilè expediri potest, ex iis enim fit manifestum non hic agi de tributo quod Magistratui solui debet, sed de dimidio sicli quod ex præscripto Legis Cæremonialis in vsum Sanctuarij à Iudæis pendi debebat. Interim cùm hic locus variè agitetur, & alij eo vtantur vt probent Christianos omnes obstringi iure ad soluendum tributum, alij verò vtantur hoc loco vt doceant non esse soluendum tributum à Clericis, operæpretium facturi sumus si ex hypothesi disputemus, & concesso (quod tamen falsum esse supra fusè probauimus) hic agi de tributo quod pendebatur Magistratui, *An, etsi Christus tùm semetipsum, tum suos etiam exemisset necessitate soluendi tributi quod Magistratui debetur, id trahi possit in exemplum?* quod nos negamus. Fingamus enim hoc loco agi de tributo quod Magistratui dependebatur, & Christum eo tributo se & Discipulos suos Apostolos exemisse quandiu ipse fuit in terris, nego hoc priuilegium pertinere ad successores Apostolorum. Quare duo hic sigillatim disputanda sunt. *Disputantur hic duo.* 1. Primò, etiamsi Christus fuerit immunis à soluendo Magistratui tributo, non sequitur hoc priuilegio debere frui Ministros Dei in Ecclesia. 2. Secundò. Etiamsi Apostoli Christi immunes fuissent viuente Christo à soluendo tributo, non inde sequitur hoc priuilegium successoribus Apostolorum conuenire.

Christus nulli Regi fuit obnoxius nisi κατ' οἰκονομίαν.

Ad primum quod attinet, Christus non fuit obnoxius vlli Regi nisi κατ' οἰκονομίαν, quia nempe illi ita libuit, erat enim (etiam quâ homo) præditus ea dignitate quæ omnem humanam superat dignitatem. Itaque quod Christo conueniebat, non continuò reliquis hominibus conuenit, nisi quis sit mortalium qui sibi idem possit tribuere quod Christus. *Obj.* Nec obstat quod Christus fuit homo, proindéque obnoxius secundæ tabulæ Legis: *Resp.* Sunt enim quædam præcepta secundæ tabulæ quæ non conueniunt homini in vniversum, sed tali homini, & certo cuipiam homini: vt verbi gratia, quum præscribitur vt liberi colant parentes, hoc præceptum pertinet ad liberos: item quum vetamur occidere, in secunda tabula, hoc præceptum non pertinet ad Magistratum. Quid ita? quia fundamentum secundæ tabulæ Legis est amor proximi secundùm Deum: itaque nullum est præceptum generale in secunda tabula nisi hoc vnum de diligendo proximo, reliqua præcepta obtinent authoritatem pro ratione circumstantiarum. *Debetur obedientia Magistratui,* Itaque qui supremus est Magistratus, (qui iidem patres sunt) ij sunt quibus debetur primo præcepto secundæ tabulæ obedientia, non sunt ij qui debent obedientiam, absurdum enim foret. Itaque si Christus eiusmodi fuit persona in quam Magistratus nullum ius obtinere debuit, certè Christus non tenebatur (siquidem voluisset vti iure suo) parere Magistratui, quia etiamsi fuit homo, non fuit tamen ex eo hominum genere qui debent Magistratui obedientiam. Quod vt teneamus, intelligendum est duo esse hominum genera qui debent obedientiam Magistratui. *à duobus hominum generibus.* 1. Primum est eorum quibus opus est Magistratu, nam (vt rectè obseruatum est ab Arist.) ἡ πολιτικὴ est ἀρχιτεκτονική, ordo in Repub. Magistratus est, qui præscribit ea quæ sunt facienda. Itaque ij quibuscum pessimè ageretur nisi essent Magistratus (quales sunt omnes meri homines) ij tenentur obedire Magistratui. Nam ob hanc causam Deus hoc præscripsit, neque fieri potest vt amemus proximum nisi ordo iste stet inuiolatus, vt nempe sint qui imperent, & sint qui pareant: Itaque quorum interest vt stet hic ordo, eos etiam ex mandato Dei oportet parere Magistratui. At Christus non est in hoc genere hominum, immò, ne tùm quidem fuit cùm in terris versaretur, *in quo genere non fuit Christus.* edidit enim vel tum specimina

specimina authoritatis suæ : vt quum ejecit (& quidem adhibita pœna corporali) eos qui emebant & vendebant in Templo : certè Dominus noster Iesus Christus hoc facto docuit quid posset, si per œconomiam humiliationis suæ licuisset. Immò (quod possit videri paradoxum) Christus eiusmodi homo fuit, vt ne matri quidem perinde obedientiam, atque amorem exhibuerit. Itaque hoc obseruatum est Luc. 2. 51. Christum fuisse ὑποτασσόμενον parentibus (cùm nusquam tamen obseruatum sit Christum non fuisse adulterum) quia illa ὑποταγὴ erat pars οἰκονομίας, ideò obseruanda fuit (nam ne in vita quidem humana & ciuili, filius omnis debet obedientiam matri, putà si filius Rex sit.) Vnde etiam in Euangelio nunquam eam matrem vocat, sed constanter mulierem, nempe quia non eodem prorsus modo Christi mater eius mater fuit, quo reliquæ matres hominum matres sunt. Alterum hominum genus quod immune non est ab obedientia præstanda Magistratui, est eorum qui ipsi non sunt Magistratus, nam qui sunt Magistratus non tenentur Magistratui parere, neque enim par in parem habet imperium. Certè Christus non fuit Magistratus, attamen dignitas Christi longè fuit amplior, eius potestas multò maior quàm si fuisset Magistratus. Itaque ex eo quod Christus immunis fuerit à soluendo tributo non sequitur vllos mortales esse immunes.

quomodo Christus fuerit parentibus subjectus.

2. genus hominum.

Venio iam ad demonstrationem secundæ propositionis. *Etiamsi Christi Discipuli fuissent immunes à soluendo tributo (quales non fuerunt) non tamen sequitur idem ius pertinere ad ipsorum successores.* Ratio in promptu est. Discipuli (quandiu Christus agebat in terra) erant veluti Christi familia, etiam secundùm carnem: At Christo iam subvecto in cœlum nulla est secundum carnem familia. Itaque quæ Christi dignitas effecit vt esset immunis à tributo, eadem idipsum præstitit erga familiam, & effecit vt etiam Discipuli immunes essent ab eo. Vt res clarior fiat, Notandum est Christum cùm ageret in terris, etiam secundùm carnem præ se tulisse speciem quandam regiam: Itaque Discipuli eius ei famulantur etiam secundùm carnem, obeunt quædam ministeria, immò omnia fermè, indeque factum vt Christus Hierosolymam ingressus sit non sine pompa quasi regia, quamuis illa species in Christo fuerit abjecta, non erant enim Discipuli eius purpurati aulici, nec ipse ingressus est Hierosolymam inuectus quadrigis, sed asino. At iam cùm status rerum sit immutatus, & Christus non sit iam in terris, neque hîc familiam habeat secundùm carnem, licet Discipuli eius fuissent immunes à tributo, non potest tamen id trahi ad exemplum. Ac nequis hæreat, hoc hic adjiciemus. Omnes quotquot sumus Christiani tenemur Christum sequi, esse ministri Christi, illi ministrare, at non secundùm carnem, sed secundum Spiritum. Dum Christus erat in terris, non omnes tenebantur eum sequi, & secundùm carnem illi ministrare, sed quibus ab eo præceptum fuit. Itaque priuilegia Apostolorum hac in parte non pertinebant ad successores Apostolorum.

2. quod hic disputatur.

Etsi Discipuli fuerunt immunes, Pastores tamen non sunt immunes.

Ad rem autem ipsam quod attinet, etsi alio loco hac de re (si Deus dederit) disputabitur fusiùs, tamen breuissimè à nobis demonstrandum est, *Non posse eximi à tributo (nisi benignitate Regum) Christianos, ne illos quidem qui præsunt Ecclesiæ.* Hoc autem probabitur, primò Scripturâ, secundò ratione ipsâ. Matth. 22. 21. Dominus noster Iesus Christus iubet *reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo ea quæ sunt Dei.* Iam verò nemo est qui dubitet quin nomine eorum *quæ sunt Cæsaris*, Dominus intellexerit ea quæ ad politiam pertinent, eorum verò nomine *quæ sunt Dei*, ea quæ pertinent ad Religionem : neque credibile est Christum non esse locutum ad eorum mentem qui ex eo quæsiuerant, an esset soluendum tributum. Nam vt Pontificij, sic etiam Iudæi putabant se esse præditos ea dignitate vt nemini soluerent tributum nisi Deo. Itaque Christus sic respondet ad eorum mentem, Tributum non esse Dei primò, sed Magistratus: itaque soluendum est Magistratui & Cæsari; at cultus & Religio soli Deo tribuenda sunt, quæ tamen Cæsares sibi vendicabant. Sic Apostolus iubet & docet *omnem animam subditam esse potestatibus supereminentibus*, Rom. 13. Iam obseruandum hoc loco Paulum non tam sollicitum esse de præsenti tempore, quàm de futuro, nam tùm adeò tenues erant Christianorum res, vt sit incredibile Christianis tùm in mentem venisse vt in Magistratum insurgerent, sed eò spectat Paulus vt componat animi motum. Nam etsi aliquando propter inopiam virium Magistratui non possumus resistere, tamen animo resistimus. Hoc obseruandum est contra Pontificios, nam ea est eorum impudentia, vt modestiam Christianorum primitiuæ Ecclesiæ imputent temporibus. Secundò, ratione idem probatur. Hæc enim præcepta nituntur ratione de qua nos admonet Scriptura. Cum enim sint eiusmodi res humanæ, vt non possint stare si non sit Magistratus, certè debetur obedientia Magistratui, & secundùm obedientiam tributum, neque enim fieri potest, vt Magistratus officium faciat, & munus suum obire possit, nisi præditus sit hac potestate vt puniat delinquentes, & præmio donet obedientes, quod fieri non potest sine sumptu, vnde pendet ius exigendi tributum.

Nulli Christiani ne quidem Præsules Ecclesiæ sunt immunes à Tributo probatur 1. Scriptura.

2. Ratione.

Sequitur iam vt consideremus quorsum spectet ista Christi ratiocinatio, quod secundo loco nobis propositum fuit disputandum. Sanè si Christi hæc mens fuit vt se suosque immunes probaret à soluendo tributo, certè ratiocinatio eius (quod non potest dici aut cogitari sine blasphemia) videtur esse sophistica, aut (vt mollius dicam) dura & coacta. Non enim ideò quod Reges terræ non exigunt tributa à filiis suis, sequitur non esse exigendum ab iis qui non sunt filij regum terræ. Quod siquis respondeat argumentum esse à minori ad maius, quasi diceret Christus, Reges terræ non exigunt tributum à filiis suis : Ergo, multò minus à me qui sum Filius Regis cœli : ille non satisfaciet quæstioni : videtur enim hoc argumentandi genus otiosum hoc loco. Si enim ea Christi fuisset mens, nihil opus fuisset tanto verborum circuitu, potuisset enim res breuius vno verbo confici, hoc pacto. Non possunt Reges terræ exigere tributum ab iis qui in eos ius habent, Atqui ego cùm sim Rex Regum, ius & potestatem habeo in Reges terræ. Quare statuendum est Christum aliter ratiocinari. Et profectò intuenti propiùs verba & scopum Christi constabit nihil aliud Christum voluisse nisi hoc, quemadmodum Reges terræ non exigunt tributum à filiis suis, ita Rex cœli non exigit à me Filio suo tributum. Cùm igitur δίδραχμα

Qualis sit hoc loco Christi ratiocinatio.

Rejicitur quorundam sententia.

Vera statuitur.

sint tributum quod pendetur Regi cœli, certè ego sum immunis à pensione illius tributi. Quæ ratiocinatio rectè procedit. Vbi diligenter obseruandum est, Reges à filiis exigere obedientiam, non tributum: quæ obseruatio quo pertineat, & quam habeat vim, postea patefiet. Nam solutio tributi notat aliquem gradum seruitutis, vnde fit vt nobiles à solutione tributi sint immunes.

An Christus debuerit soluere Didrachma.

Sed hinc oritur noua quæstio, *An Christus non debuerit obedire Legi patris sui, siquidem Lege imperatum fuit hoc tributum.* Hic nobis primò probandum est Christum non fuisse obnoxium Legi cæremoniali, ex Scriptura; tum verò ostendendum quomodo Christus fuerit legi obnoxius: atque ita diluentur omnia argumenta quæ possunt afferri aduersus sententiam nostram. Primò, satis constat Christum non fuisse obnoxium Legi cæremoniali, cùm ipse testetur Mat.12.8. & Marc.2.28. *Filium hominis esse Dominum Sabbathi*; Jam verò & istud constat, *Sabbathum* significare synecdochicè totam legem ceremonialem, immò nihil æquè commendat Deus atque sabbathi obseruationem. Sed sic videtur occurri posse huic argumento, Christum fuisse Dominum sabbathi quatenus erat Deus, non quatenus homo. Sed ista responsio primò semetipsam refellit. Secundò, pugnat cum mente Christi asserentis se esse Dominum sabbathi. Primò, refellit semetipsam, quia si Christus dicitur sabbathi Dominus quâ Deus, certè quâ homo nulla necessitate cogi potuit ad obseruationem sabbathi. Ratio in promptu est, potuit enim solui hac necessitate qua homo vi dominij quod obtinebat quâ Deus: & certè si Christus quâ Deus potuit alios eximere hac necessitate, multò magis semetipsum qua homo est. Tum hæc responsio pugnat cum mente Christi, Christus enim hac responsione utitur ut discipulorum factum tueatur, quos non negat soluisse sabbathum (ut Scriptura loquitur) sed tuetur potuisse eos soluere sabbathum: quod ostendit duabus rationibus, quarum prior hæc est, in summâ necessitate sabbathum solui potest, quod probat exemplo Dauidis, cui cùm immineret mortis periculum datum est vesci panibus propositionis. Secunda hæc est, quod Sacerdotes sabbathum profanant in Templo, mactant enim hostias, sed, inquit, quia hoc fit in Templo hoc illis licet: Jam verò hic adest maior Templo, qui proinde potest soluere & se & suos necessitate obseruandi sabbathi. Sic patet vis argumenti, Si Christus quia Dominus sabbathi potuit alios eximere, multo magis se ipsum quâ homo est.

Christus non fuit obnoxius legi Cæremon.

1. quia Dominus Sabbathi.

2. quia Sabbathum est propter hominem.

Sed & id clarius liquet ex iis quæ Christus adjecit apud Marcum, *Sabbathum*, inquit, *est propter hominem*; *non verò homo propter sabbathum*: vnde concludit, *Filium hominis esse Dominum sabbathi*. Memineritis autem quid sit *Filius hominis*, & cur Christus dicatur *Filius hominis*, ut possit perspici quæ sit argumenti vis; hoc enim vult Christus, ea omnia quæ pro fine habent hominem, quæque non sunt finis hominis, sunt eiusmodi ut de iis statuēdi ius sit penes Mediatorem, semen mulieris. Iam verò (inquit Christus) Sabbathum est eiusmodi (nam est Sabbathum propter hominem, non homo propter Sabbathum, nec est eadem ratio obseruandi Sabbathum quæ est amandi Deum, nam amor Dei est finis hominis, ad hoc enim factus est homo ut amet & colat Deum.) Ergo Christus non fuit obnoxius legi Cæremoniali.

Quomodo Christus fuerit obnoxius Legi.

Venio iam ad alterum membrum, quomodo Christus fuerit obnoxius Legi, siquidem non fuit obnoxius legi Cæremoniali. Tum etiam & hoc loco quæri potest non absurdè, *Quorsum Christus legem Cæremonialem obseruarit*, nam obseruasse certè constat vel ex eo quod Johanni Baptistæ respondit, *Oportet me adimplere omnem iustitiam.* Deinde Apostolus disertis verbis testatur Christum *factum fuisse sub Lege*, Gal.4.4. quo loco non potest intelligi simpliciter lex Moralis, non enim Christus nos redemit à necessitate obseruandi legem Moralem, neque soli Iudæi (de quibus eo loco agitur) obnoxij erant legi Morali. Denique postquam Apostolus dixit, *Christum esse factum ex muliere*, (quandoquidem per hoc satis intelligebatur lex Moralis) non debuit adjicere, *factum sub Lege*. Nos iam singula excutiemus, ac primum hoc pacto. Duo sunt genera eorum quæ à nobis Deus exigit, priùs genus est earum rerum quæ sunt per se bonæ; ab istis præstandis nemo potest esse immunis, ne Christus quidem secundùm carnem quâ homo. Ratio est in promptu, quia hæc sunt eiusmodi quæ Deus non potest non amare & quæ creaturam non potest non decere vt ea expetat, in iis enim sita est præcipua creaturæ excellentia. Itaque quemadmodum Deus non potest mandato permittente concedere homini facultatem peccandi, ita mandato exigente non potest illa nō exigere. Unde sequitur, ea quæ sunt eiusmodi non esse numeranda in iis quibus humana natura affligitur, aut dejicitur, sed contrà quibus ornatur. Hæc si quæratis quæ sint, Resp. verbis Christi qui sic colligi summam Legis, *Amabis Deum tuum toto corde, & proximum tuum vt temetipsum.* Sed alia sunt quæ ob certas quasdam rationes imperantur, cùm sint res in se neque bonæ neque malæ, vt puta Sacrificia, & Ceremoniæ illæ reliquæ legales, quæ peccatum præsupponebant in eo cui imperata fuerunt, quæque adeò fuerunt typi & figuræ Christi & cultus spiritualis. Cùm ergo huius generis mandatorum ratio in Christo locum habere non potuerit, sanè Christo imperari non potuerunt. At illa quibus ornatur, & in quibus sita est excellentia naturæ humanæ, quibus Christi natura vacua esse non potuit nisi eadem peccatrix fuisset, certè nihil tribuit dignitati Christi quâ homo, si dicamus eum quâ hominem fuisse immunem ab iis officiis: perinde enim est ac si dicamus, Christum qua hominem potuisse odisse Deum & proximum. Attamen etiam illa quæ sunt eiusmodi, non eo modo imperantur Christo quo reliquis hominibus, sic enim imperantur hominibus, vt mandatum præsupponat in iis propensionem ad peccandum, vt externo illo mandato veluti fræno cohiberi possint; quomodo si quem è famulis nouimus esse furacem, solemus seuerè illi interdicere vt à furto caueat, & continuò pœnam illi interminamur, hoc audiente famulo fideli; Attamen nullus est famulus qui non teneatur abstinere furto. Christo nihil opus erat Lege externâ quâ cohiberetur à peccato, erat enim ἀναμάρτητος etiam longè aliâ ratione quàm Adamus ante lapsum. Quo etiam fundamento nititur veritas huius dogmatis quo statuitur Perseuerantia fidelium, cùm enim Adamus noster sit omninò ἀναμάρτητος, sequitur eius membra non peccare peccato quod est ad mortem.

Rerum à Deo præceptarum duo sunt genera. 1.

2.

Legi Morali Christus fuit obnoxius.

at diuersâ ratione quàm homines.

Venio

Quorsum Christus legem Cæremonialem seruauit.

Venio iam ad reliqua quæ supersunt. *Quorsum igitur Christus seruauit legem etiam Cæremonialem?* nam circumcisus fuit, baptizatus Baptismo Johannis, ascendebat singulis festis Hierosolymam. Respondeo. In natura est appetitus quidam unionis, qui facit ut res moueantur & quiescant præter conditionem naturæ suæ, hinc fit ut leuia moueantur etiam deorsum, grauia sursum. Ita, quo quis sanctior est, eò vehementiùs appetit gloriam Dei, & si id gloria Dei exigat, agit etiam ea quæ non tenetur facere. Itaque tametsi Christus secundum rationem specialem personæ suæ non debuerit seruare legem Cæremonialem, tamen eam seruauit, quatenus id requirebat gloria Dei. Sic Paulus exemplo Christi *factus est Iudæis vt Iudæus*, &c. 1.Corinth.9. Sed quærat aliquis quo pacto id exigeret gloriæ Dei à Christo? Respondemus verbis Christi, *Ne simus illis*, inquit, *scandalo*: Nam si Christus non seruasset legem Cæremonialem omnes Iudæos longè à se abegisset. Itaque Christus nihil fecit ὑποκειτικῶς, immò quod Reges aliquando faciunt, id fecit, nam ut amicos suis addant, aliquando ea faciunt ad quæ facienda nullo iure tenentur.

Quomodo Christus liberum hic se dicat.

Sed paulò uberius explicandum est quò spectauerit Christus hoc loco. Iam enim ostendimus Christum cùm esset filius, Patri obedisse, attamen cùm esset filius non debuisse tributum illud (quod debebatur sanctuario) dependere, quod illa solutio esset nota seruitutis peccato contractæ, cùm amare Deum & proximum sint documenta summæ libertatis; non est enim libertas, sed licentia, quâ à Deo auersi & Deum & proximũ odimus. Quæritur ergo, nunquid Christus, cùm liberum se hoc loco dicat, negauerit quod ei tribuitur in Scriptura eum esse *Dei seruum.*

cùm tamẽ Seruus in Scriptura dicatur.

Certè Esa.53.11. Christus dicitur seruus, *seruus meus iustus cognitione sui multos iustificabit*: quo pacto, inquam, poterunt ista stare, ut Christus *liber*, idemque *seruus Dei* dicatur? Quodque auget difficultatem, hoc est quod exstat Hebr. 3. ubi Apostolus Christum cum Mose confert, dicitque Mosem fidelem fuisse in domo Dei ut *seruum*, Christum verò ut *filium*. Nam si Christus in domo Dei fuit seruus Dei, quo pacto idem in eadem Dei domo filius dici potest? Ut hoc soluatur tenenda est vis huius nominis *seruus*:

Seruus bifariam dicitur. 1.

Seruus enim is dici potest, qui ita non est sui iuris ut alius in eum dominium obtineat; atque ita quicquid à Deo creatum est, Angeli, homines, &c. *serui Dei* dici possunt, ob dominium Dei in eos: Hactenus Christus secundum humanam naturam Dei seruus est, nam humana Christi natura creatura est.

2.

Seruus idem dici potest is qui fungitur aliquo munere iussu & imperio superioris; Itaque in Scriptura *serui Dei* dicuntur quos vocat Deus ad munus aliquod singulare obeundum, quomodo Cyrus dicitur *seruus Dei*, ut & Nabuchodonosor, quia uterq; occulto Dei consilio vocatus fuit ad opus (quod verè *Dei opus* fuit) patrandum: Sic Prophetæ ratione muneris dicuntur *serui Dei*, sic Moses & Aaron κατ' ἐξοχὴν, & Christus adeò ratione muneris Mediatorij etiam *serui Dei* dicitur, sed longè alia ratione quàm reliqui mortales.

hoc sensu Christus est Seruus qua Mediator.

Alij enim quicunque tandem sint, seu Angeli, seu homines præsunt operi quod faciunt tanquam serui: Christus autem tanquam Dominus, hoc est, alij non sunt Domini operis illius quod faciendum illis dedit Deus, Christus autem Dominus operis, sui fuit & est. Immò alij dum præsunt operi, in sui gratiam, hoc est, suo bono præsunt, nam in Mosis bonum cedebat libertas populi Israelitici, cuius ipse pars fuit, quandiu enim populus ille obnoxius fuit seruituti seruiebat & ipse Moses: At Christo ex nostra redemptione nihil redibat præter laudem summæ misericordiæ, neque enim erat obnoxius seruituti à qua nos liberauit. Tum reliqui serui Dei in patrando opere aliunde vires mutuantur, & fuerunt ἁπλῶς ὄργανα. At Christus (quippe Deus) suâ vi opus redemptionis nostræ perfecit, quod Apostolus indicat, quum ibidem Christum Mosi præponit, *quod qui construxit domum præstantior sit ipsa domo, Deum autem esse qui omnia construxit, nosque esse Christi domum, ab eo scilicet conditam, Mosem autem non condidisse domum, sed ei à Deo præpositum esse tanquam seruum ad testificanda ea quæ post erant dicenda.* Itaque videris Mosem fuisse à Deo constitutum testem tantùm eorum quæ per Christum perfecta sunt. Quùm filius fungitur aliquo munere sibi à patre demandato, longè alia est eius ratio quàm serui, nam munere illo defungitur filius cum authoritate, at serui conditio prorsus seruilis est.

3. hoc respectu Christus fuit seruus quã passus est.

Tertiò, seruus is dicitur in Scriptura *qui premitur aliqua miseria*, ut Israelitæ dicuntur fuisse serui in Ægypto. Hac ratione Christus dicitur Phil.2.7. assumptâ serui forma sese exinaniuisse, non quod natura humana in se considerata sit forma serui, sed quia natura humana obnoxia miseriis verè sit forma serui. Itaque naturam integram nemo dixerit *formam serui*, neque Christus iam gloriosus in cœlis dici potest habere *formam serui*, nam illa *forma serui* pertinet ad eius exinanitionem. Unde etiam *formâ Dei* eo loco non simpliciter significat naturam Diuinam, sed naturam Diuinam quæ exerit Maiestatem suam, vt sit Apostoli sensus, *Christus qui Deus erat, Diuina majestate praditus, exinaniuit se, & assumpsit naturam humanam miseriis multis obnoxiam.*

4.

Quartò, seruus dicitur, *cuius conscientia non est libera*, & hoc sensu *seruus* opponitur *filio* in Scriptura, nam illi serui dicuntur qui habent conscientiam obstrictam, at liberi qui acceperunt spiritum adoptionis.

Tres huius Seruitutis gradus.

Sunt autem tres gradus seruitutis huius conscientiæ; primus positus est in pauoribus conscientiæ, qui oboriuntur quoties consideramus iustitiam & Legem Dei, & peccata nostra, propensionemque ad peccatum. Secundus est seruitus peccati, quum sponte volentes renitimur iustitiæ, obsequimur peccato. Tertius gradus est quum conscientia se sentit obstrictam cultui externo, qui in rebus externis totus est situs. Et illa seruitus rursus duplex est, vel enim Deus illius author est, qui olim voluit premi hac seruitute populum suum, vel homines ipsi sibi authores sunt huius generis seruitutis, ut in Papatu. De hoc genere loquitur Paulus 1.Cor.9. *Iudæis se Iudæum fecisse*, &c.

Cui seruituti Christus non fuit obnoxius.

Jam verò Christus nõ fuit seruus hac seruitute, vt supra probatum est: cumque ad hanc seruitutem pertinuerit solutio ista didrachmorum, non mirum est si ab illa sese immunẽ dixerit. Noui Arriani & veteres contẽdunt Christum omnimodo seruum esse, sola excepta peccati seruitute: Immò verò eo loco quem citauimus ex Heb.3. contẽdunt Christo tantam dignitatem non potuisse conuenire, quia, inquiunt, dicit Apostolus Christũ fuisse fidelem ei qui *fecit*

eum: Ergo Christus *factorem* habuit. Quod si respondeas Christum fuisse *factum* secundùm naturam humanam, poterunt urgere sic illis non satisfieri. Itaque respondemus, Christum fuisse *factum* ratione muneris, hoc est, constitutum à Deo in munere Mediatoris. Quæ locutio non debet ideo videri dura, quia vel explicata est, vel usitata in aliis Scripturæ locis, & explicata quidem à Petro Actor.2. quem Deus *fecit Dominum* & Christum, hoc est, *constituit*. Sic 1.Sam.12. 6. Deus dicitur *fecisse Mosem & Aaronem*, hoc est, *vocasse*.

An Christus hic Petro tribuat aliquam prærogatiuã.

Sequitur tertia quæstio. *Annon Christus aliquam Petro afferat præ aliis Apostolis authoritatem*, si quidem pro se & pro Petro tributum soluit, non item pro reliquis. Hoc argumento utuntur Pontificij, & vulgò habetur pro leui, sed leue adeò non est. Nam hoc illi volunt, tributum non solêre pendi nisi à patribusfamilias, Ergo hoc pacto Christum indicasse Petrum esse patremfamilias, reliquos autem Apostolos esse sub eo ut filios, vel seruos in domo. Sed nihil videtur vanius si perpendamus ea quæ diximus de tributo hoc, quod probauimus fuisse dimidium sicli quod dependebatur sanctuario: pendebatur autem hoc tributum à singulis qui annum vigesimum excessissent. Itaque iuxta expositionem nostram concidit plane argumentum istud Aduersariorum.

Negatur.

Sed concedamus agi hîc de tributo quod pendebatur Romanis, illudque pendi solitum à solis patribusfamilias. Respondeo, ideo Christum soluisse pro se & Petro, quia Petrus habebat familiam Capernaumi, unde & Christus socrum eius sanauit à febre, reliqui autem Discipuli familiam istic suam non habebant. Item responderi potest, fortasse reliquos Apostolos abfuisse, nam de duobus hîc tantum sermo est: fortasse & pro reliquis soluit, licet Euangelista non meminerit. Hæc autem non ita à nobis disputantur, ac si nihil unquam tributum fuisset à Christo Petro præ aliis Apostolis, sed quia neque hoc Scripturæ loco, neque alio loco probari potest Petrum ullum ius habuisse in Apostolos. De Petri autem prærogatiuâ qualis & quanta fuerit, alibi à nobis disputatum est. Ideò hîc conclusa esto tota hæc de Didrachmis disputatio.

AD MATTHÆI
Cap. XVIII. Vers. 1.

Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ λέγοντες, Τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;

Eo ipso tempore adierunt Iesum discipuli dicentes, Quisnam maximus est in regno cœlorum?

Quid sit Regnum cœlorum, & An possit Fides esse absque bonis operibus: deque Apostolorum ambitione quî cum fide potuerit stare.

QUOT sunt in hoc capite sententiæ, tot sunt quęstiones explicatione dignissimæ, ideoq; totum caput non analyticè, sed per quæstiones explicare decreuimus. Prima quæstio hæc est, *Quid sit regnum cœlorũ*, & quid sibi volunt Discipuli dum quærunt, quis sit maximus in regno cœlorum. Nam regnum cœlorum non videtur semper unum & idem significare, unde multiplices ei voci ab interpretibus tribuuntur significationes. Nos autem existimamus *regnum cœlorum* unum & idem significare in Scriptura, nempe *Christi regnum* (quod & *regnum Dei* dicitur) siue statum & conditionem Ecclesiæ quæ propriè Christiana dicitur. Ut ita sentiamus adducimur authoritate Danielis cap. 2. vers. 44. reuelationum eius, qui disertis verbis regnum Messiæ vocauit *regnum cœlorum*: eique regno tribuit tres conditiones, quarum prima est quod regnum illud nunquam corrumpetur, sed manebit semper illius regni caput, neque continuabitur per successores sibi inuicem succedentes. Secunda est, quod non dabitur alteri populo, nam certus est & præcognitus numerus eorum qui huius regni beneficio fruentur. Tertia est, quòd illius vi non modò concutientur, sed euertentur penitus omnia alia regna. Itaque cùm Daniel regnum Christi, *regnum cœlorum* dixerit, extra controuersiam est regnum cœlorum nihil aliud esse quam Christi regnum. Neque Rabbini hoc ignorant, nam Aben-Ezra quum illum Danielis locum explicat, מלכות השמים interpretatur מלכות המשיח.

Regnum cœlorum est Christi regnum.

Cur sic dicatur Ratio 1.

Quod si quis requirit cur id regnum dicatur *regnum cœlorum*, multæ causæ reddi possunt; ac primò quidem quia Rex qui hoc regno potitur non est terrenus è terra, sed cœlestis è cœlo, seu eius æternitatem secundùm naturam diuinam, seu eius originem secundùm naturam humanam intueamur, genitus enim est etiam secundùm naturam humanam modò planè cœlesti per Spiritum sanctum. 2. Deinde sedes huius regis non est in terra, sed in cœlis, illic regnat, inde exerit vim & potentiam, non quod non sit ubique quo ad naturam diuinam, sed quia non ubique prodit perinde gloriam suam ac in cœlo, in quo nullus peccato, nullus morti, (quæ gloriam Christi in terris obscurant) locus est. 3. Tum & *regnum cœleste* dicitur, quod & eius subditi etsi quoad naturæ conditionem sint terreni & animales, tamen postquam cooptati sunt in hoc regnum fiunt cœlestes & spirituales, nam qualis Rex est tales facit & subditos suos. Itaque etsi fideles versentur in terris, *eorum tamen πολίτευμα conuersatio est in cœlis*. 4. Item regnum Christi cœlêste dicitur, quia sedes certa subditorum eius regni non est alibi quàm in cœlo. Itaque in terra versantur ut peregrini, habenturque à mundo pro exteris. 5. Denique regnum hoc Christi cœleste est propter rationem gubernationis quæ tota cœlestis est: Cùm enim constet duabus partibus, quarum altera sita est in subditorum conseruatione & defensione, altera in hostium impetu non solum coercendo, sed etiam in delendis & seuerè puniendis hostibus, utrunque facit modo cœlesti & inuisibili. Nam suorum corda afflat, & regit Spiritu suo sancto, armat eos patientiâ, instruit item iis artibus quæ faciunt ut etsi simplices sint veluti columbæ, tamen prudentes sint ut serpentes: hostium verò conatus frangit, occulta quadam vi hostibus inter se collisis; & aliquando dormiente Ecclesiâ, interdum verò animis suorum eam vim inspirans, ut (quãdo id legitimè & ex vocatione fieri potest) etiam eorum operâ utatur ad opprimendos hostes gloriæ nominis sui: quando verò id non licet, ut plerunque non licet, facit ut patientia suorum impij vincan-

vincantur, defatigentur, dat eos in ſtuporem, facit enim vt eorum fide ſuperetur mundus. Quoties ergo in nouo Teſtamento occurrit vox regni cœlorum, toties meminirimus eâ nihil aliud ſignificari quàm ſtatum Eccleſiæ quæ propriè Chriſtiana dicitur, quomodo Eccleſiæ Iudaicæ opponitur.

Obijciuntur duo Scripturæ loca. 1.

Sed his quæ diximus duo ſunt loca Scripturæ quæ repugnare videntur, quorum prior exſtat cap. 11.Matth.verſ.12. vbi Dominus ait, *à diebus Iohannis Baptiſtæ regnum cœlorum paſſum eſſe vim, & violentos illud rapere*: Quod ſi *regnum cœlorum* ſit ſtatus Eccleſiæ propriè Chriſtianæ, ſtatus ille non fuit ante reſurrectionem, neque enim Chriſtus vnquam eos reprehendit qui obſeruabant cultum cæremonialem, immò eis exemplo præiuit.

Reſp.

Sed reſponſio facilis eſt, nam dicitur eo loco regnum cœlorum vim pati, quòd prædicatione Iohannis excitatum ſit vehementiſſimum deſiderium illius regni, quod antea languidum fuit. Itaque apud Lucam eadem Chriſti ſententia aliis verbis enunciatur, *A diebus Iohannis Baptiſtæ, prædicatur Regnum cœlorum.* Iam verò inde colligere eſt, hanc prædicationem non fuiſſe regni præſentis, Primò, quia Chriſtus 12.Matth. cum mittit Diſcipulos, iubet vt prædicent quod appropinquauit regnum cœlorum, quod ſi fuit hæc prædicatio Diſcipulorum, certè non fuit anguſtior illa Iohannis Baptiſtæ. Itaque illud *regnum cœlorum vim patitur*, idem eſt ac ſi dixiſſet, *à diebus Iohannis Baptiſtæ ſunt qui adeò ardent regni cœlorum deſiderio, vt non patienter ferant expectationem*: quomodo etiam decet nos vim inferre regno illi futuro quod expectamus. Tùm niſi res ita ſe haberet, eſſet ἀσύστατος oratio, nam dicit Chriſtus *neminem eſſe inter natos ex mulieribus maiorem Iohanne Baptiſta, & tamen minimum in regno cœlorum eſſe eo maiorem*, ſanè ſi ille prædicaſſet regnum cœlorum præſens, tum fuiſſet ſe ipſo maior. Quorſum etiam alluſit in oratione Dominica Chriſtus, dum iubet vt Diſcipuli precentur *veniat regnum tuum*: quæ precatio ad nos etiam pertinet, quia gloria regni Chriſti non ſimul & ſemel, ſed ſenſim promouetur, donec adueniat vltimus dies.

2. locus.

Alter locus Scripturæ exſtat cap.17. Euang. ſecundum Lucam, vbi Phariſæi quærunt à Chriſto quando venturum ſit regnum cœlorum, & Chriſtus reſpondit *regnum Dei eſſe intra eos, & venire ſine obſeruatione*, hoc eſt, *ex improuiſo*, vel vt alij volunt, *ſine apparatu*: quod ſi regnum Dei erat intra eos, iam tum præſens erat.

Reſp.

Sed reſponſio facilis eſt ſi conſideremus vim illius locutionis: ſolet enim Chriſtus in Euangelio de re iamiam futurâ perinde loqui ac ſi eſſet actu, quod liquet ex colloquio Chriſti cum Samaritanâ, cui dicebat *veniet tempus, immò iam venit, quo veri adoratores nec adorabunt in hoc monte, nec Hieroſolymis*, & tamen id nondum complementum habebat quum hæc loqueretur Chriſtus, ſiquidem tamdiu manſit vetus Tabernaculum quamdiu ſummus Pontifex nondum ingreſſus erat in verum Sanctuarium, hoc igitur non poteſt aliter intelligi, quàm quia iamiam futurum erat.

Regni Chriſti ſtatus duplex. 1. Gratiæ.

Porrò, Regni Chriſti duplex ſtatus eſt, *gloriæ* nempe & *gratiæ*: Status gratiæ eſt in quo Chriſtus per peccatorum remiſſionem, per ſanctificationem ſpiritus, per hoſtium ſuorum cladem temporalem, ad Eccleſiam liberandam exerit etiam in hac vita potentiam, ſapientiam, miſericordiam, & iuſtitiam ſuam.

2. Gloriæ.

Status gloriæ eſt in quo Chriſtus participes facit gloriæ ſuæ electos ſuos, & contrà, hoſtes non afficit pœnis temporalibus vt in hac vita, ſed peſſumdat, & æterno exitio deuouet. Vnde factum eſt vt in Scriptura *regni Dei* nomen aliquando ſignificet ſtatum gratiæ, vt cum Paulus docet *regnum Dei non eſſe in cibo & potu, ſed in gaudio, iuſtitiâ, & pace per Spiritum ſanctum.* Aliquando etiam plerumque regnum cœlorum deſignat ſtatum gloriæ, vt cum Paulus ait capite 15. prioris ad Corinth. *carnem & ſanguinem*, (id eſt, animalem iſtam hominis conditionem qualis eſt in hac vita) *non poſſe poſſidere regnum Dei*, hoc eſt, non eſſe capacem tantæ gloriæ, niſi ſit immutata. Cæterùm quoniam ad ſtatum regni pertinet vel maximè modus in ordinem cogendi ſubditos, atque regendi, hinc fit vt Euangelium *regnum Dei* dicatur, & Verbum *ſceptrum Dei*.

Quis ſit ſenſus quæſtionis Apoſtolorum.

Quæritur iam, quid ſibi volunt Apoſtoli dum quærunt quis ſit futurus maximus in regno Dei. Et nonnulli volunt Apoſtolos inductos curioſitate hoc voluiſſe reſciſcere, quinam ſint illi quos Deus in Eccleſia tum militante, tum triumphante, donis ſuis maximè locupletaturus eſt. Quorum ſententia non poteſt ſe tueri, eo quod Apoſtoli iam antea contenderint de primatu, cùm nihil tale legamus ſcriptum. Cæterum aliquam habebit ſpeciem, ſi ſtatuamus Apoſtolos non quærere quis ſit maior *in regno temporali*, verùm *in regno cœlorum.* Sed illa ratio friuola eſt, nam & hodie Rabbini *regnum Meſſiæ* vocant *regnum cœlorum*, cum tamen nihil eis in mentem veniat de regno ſpirituali Meſſiæ. Huc accedit quod Chriſtus, dum Diſcipulos reprehendit hoc nomine, non obijcit illis curioſitatem, ſed ſuperbiam: eſt quidem in curioſitate ſuperbia, ſed non propriè dicta, quæ eſt appetitus gloriæ, non autem appetitus ſcientiæ ſupra modum. Sed ſi ita ſe res habet, vt Diſcipuli quæſierint à Chriſto quis eorum futurus eſſet maximus in regno illo terreno & temporali Meſſiæ quod ipſi ſibi ſomniabant, quæri poteſt: Primò, quo pacto cum craſſa iſta opinione de Meſſiæ regno poſſit ſtare fides, quam fuiſſe in Diſcipulis veram nemo negauerit: tum quomodo ſtare poſſit cum natura veræ fidei iſte faſtus & immodicum ſtudium inanis gloriæ, quorum vtrumque videtur pugnare cum ingenio veræ fidei.

Craſſa Apoſtolorum de Chriſti regno opinio.

Vt ſoluamus has quæſtiones tenendum eſt, Diſcipulos vtroque hoc vitio laboraſſe, nam poſt Chriſti mortem, queruntur ſeſe excidiſſe ſpe ſua, Luc. cap.vlt. *Nos* (inquiunt) *putabamus eum fore per quem reſtituendus erat Iſrael.* Tum, cum Chriſtus iamiam aſcenſurus eſſet in cœlum, quærunt ab eo quando reſtituturus eſſet regnum Iſraeli: vt taceamus illud quod ipſe Petrus Chriſto repugnat, poſtquam audiuit Chriſti conſilium eſſe proficiſci Ieroſolymam & pati. Si ergo Petrus, qui confeſſus erat Chriſtum eſſe Filium Dei, hac infirmitate laborauit, quid cenſendum eſt de reliquis Apoſtolis?

Qualis fuerit ratio fidei ante Spiritus ſancti miſſionem.

His præmiſſis, vt reſpondeam ad primam quæſtionem obſeruandum eſt, longè aliam fuiſſe fidei rationem ante miſſionem Spiritus, poſtquam iam Chriſtus aſcendiſſet in cœlum, & illius fidei quæ in fidelibus fuit vocatis poſt Spiritus miſſionem. Nam ante miſſionem Spiritus fides fuit planè ſimilis illi cognitioni quæ in Scholis dicitur *confuſa*, quæ ſi in modo ſuo ſubſiſtit nihil habet erroris admixtum, ſed tantum coniunctam

habet ignorantiam quæ dicitur purę negationis: ut si quis hominem nouerit, neque tamen notarit accuratè lineamenta oris & habitum corporis eius, is profectò non errauit hactenus quatenus illa specie hominem illum nouit: At si, prout est animus humanus irrequietus, quamdiu aliquid non nouit accuratè, curiosè inuestiget, aliquid addet de suo, vnde nascetur error: quomodo nos si subsistamus in confusa cognitione gloriæ illius quæ reuelanda est, nempe illam magnam fore tum animi tum corporis, at si gloriam illam definiamus, non errauimus quidem hactenus quatenus eam putauimus summam, sed quatenus eam voluimus definire, cum tanta sit ut eam animus humanus non possit capere. Eodem pacto, fides Patriarcharum, Prophetarum, etiam Apostolorum ante resurrectionem, erat confusa, hoc est, habebant de Messia, de fœlicitate regni Messiæ notitiam cõfusam, quam si quando voluerunt definire, hic passi sunt aliquid humani, nempe quia aliquid voluerunt scire quod ferre nondum poterant. Mensura autem confusæ aut distinctæ fidei est confusa aut distincta reuelatio. Si igitur antè certum tempus præstitutum à Deo, mysterium salutis nostræ, seu regnum cœlorum fuit obscurius reuelatum, omninò consequens est ut fides adhibita reuelationi fuerit confusa: verbi gratia, in Apocalypsi Antichristus reuelatus est etiam primitiuæ Ecclesiæ, & iis qui præcesserunt aduentum Antichristi, sed obscurè & confusè, nam vaticiniorum commentarium est euentus rerum prædictarum. Itaque Patres illi non errarunt quatenus crediderunt Antichristum esse venturum, sed cum aliquid addiderunt de suo, & voluerunt definire quisnam esset ille Antichristus, inde exorti sunt errores. Vt accommodemus hæc ad rem, dicimus eiusmodi errorem de Messiæ regno potuisse stare cum fide confusa, sed non cum distincta: nam confusa fide non scitur in particulari quis sit status regni Messiæ, sed tantum in genere fore beatissimum: sic errores circa statum beatorum in cœlo possunt stare cum fide nostra de beatitudine & immortalitate. Hæc verò non est nostra, sed Pauli sententia 1. Cor. 2. 9. qui applicat ad statum noui Testamenti quæ ait Esaias, *quæ non vidit oculus, nec audiuit auris*, &c. nam non agit eo loco de statu futuro in cœlis, sed statum veteris Ecclesiæ comparat cum statu nouæ Ecclesiæ. Item cap. 16. ad Rom. ait, *Euangelium fuisse tacitum à temporibus secularibus*, hoc est ab initio mundi ad illum vsque diem quo per Euangelij prædicationem patefactum est. Item ait Gal. 4. disertis verbis Deum perinde se gessisse erga Ecclesiam sub veteri Testamento, vt pater se gerit erga filium nondum in matura ætate, sub Nouo autem talem se præbere qualis pater est erga filium adultum. Sed contra ista duo sunt quæ facere videntur. Primò illud, quod clarissimis verbis in veteri Testamento describitur aliquando regnum Christi. Hoc argumentum adeo permouit nonnullos, ut quæcunque Paulus dixit de discrimine reuelationis sub vtroque Testamẽto, ad id restrinxerunt quod est de gentium vocatione: in quam sententiam eo faciliùs iuerunt quod Apostolus in Epist. ad Ephes. ita videtur rem explicare. Sed tamen ideò non infringitur vis argumenti: nam in veteri Testamento nulla sunt clariora testimonia quàm ea quibus Spiritus prædicit fore ut gentes vocentur ad communionem populi Israelitici. Sic igitur occurrimus huic argumento. Duplex est claritas reuelationis, vna est ex parte reuelantis, nempe cum reuelans sic agit ut nisi habeat auditorem vel rudem planè, vel malignum, possit quid velit percipi ab auditore: Alia verò reuelatio est clara etiam ex parte auditoris, cum tanta est ut ruditas auditoris non possit obstare quominus quid dicatur percipiat, sed sola eius malignitas. Iam verò negamus testimonia de regno Christi, ante illorum complementum, fuisse talia vt possent intelligi ab auditore rudi. Huius rei duplex afferri potest ratio. Primò, quod illæ promissiones omnes obumbrabantur Lege, quod in Mose (qui fuit Christi typus) figuratum est, cuius facies splendebat quidem, sed obuelabat eam.

nempe cognitio confusa & obscura.

quod simili illustratur.

confirmatur Scripturæ testimonio.

Obj.

Refellitur

1. causa obscuritatis promissionum sub V. T.

Sed quo pacto potuit Lex obscurare lucem promissionum mihi iam explicandum est. Lex duobus modis potest doceri, vel *materialiter* vel *formaliter*: Si doceatur materialiter non potest officere vllo pacto doctrina legis claritati doctrinæ Euangelij, nam tum demum lex docetur materialiter cum traditur quid sit sanctum, quid minus sanctum, quid iustum, quid iniustum, quid castè fiat, quid minus: hæc sunt enim quæ lex docet, quę tantum abest ut pugnent cum Euangelio, ut sint eius finis: ideò enim in Euangelio nobis reuelatur bonitas & misericordia Dei, ut adducamur ad studium veræ sanctitatis. Lex docetur formaliter, cum proponitur tanquam fœdus, *hoc fac & viues*, hoc modo si lex consideretur, vere & proprie *lex* dicitur, sin legem consideres citra hanc formalitatem non est *lex* propriè, sed regula & norma. Iam verò lex si consideretur ut fœdus, atque proponatur in Ecclesia ut fœdus, haud dubiè obumbrat Euangelium. Itaque Apostolus hac in parte vehementissimè laborat in Epistolis, nam hæc aduersus Euangelium speciosè admodum disputabantur, *Deus iniit-ne fœdus frustra cum populo suo*, aut, *pepigit-ne Deus cum populo suo fœdera ἀνόητα*, aut denique, *Deus populo-ne suo proposuerit conditionem fœderis impoßibilem?* quæ omnia Apostolus vno verbo diluit, dum vbique docet fœdus legis fuisse œconomicum, ideò cœpisse diu post promulgatam gratiæ promissionem, & desiisse tum cum fides esset reuelata. Vbi obseruandum est *legis* nomine non intelligi τὸ materiale legis, seu præcepta vitæ rectè instituendę (illa enim semper viguerunt, nec vllo modo possunt abrogari, & ipsa promissione Euãgelij, quæ lapsum hominis secuta est, sunt antiquiora) sed *legis* nomine Apostolus intelligit legem formaliter consideratam, quomodo Deus post Adæ lapsum nunquam egit cum populo suo, ante illud tempus quo lex in monte Sinaï promulgata est. Huius obscuritatis consideratio Apostolum impulit ad tradendam differentiam Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ, quam ille non in hoc collocat quod Judæi minus Dei filij fuerint quã Christiani, sed quod Deus Judæos filios suos habuerit ut seruos, capite 4. Epist. ad Gal. Christianos autem ut filios. Itaque filij sunt Iudæi, & filij sunt Christiani, sed Iudæi filij sunt qui habentur ut serui, Christiani verò filij qui habẽtur ut filij: ut pater in familia à filio adhuc puero exigit quantum non est prestando, non animo puniendi eũ si minus prestet, sed exercendi causâ ne se gerat licentiùs, interim prohibet ne filius de cle-

Lex nempe, quatenus est Fœdus,

non autem quatenus est Norma.

Discrimen fidelium Iudæorum & Christianorum.

de clementia patris deſperet: at cum adulto filio pater aliter agit, aperit illi mentem ſuam, edocet quantum poſſit, quantum non poſſit, neque ita ſolet vllus pater filium adultum exercere. Sic (inquit Apoſtolus Galat.3.23.) Deus egit nobiſcum cum eſſemus adhuc pueri, *cuſtodiebamur ſub lege, vſque ad fidem quæ erat ventura*, id eſt, vſque ad claram prædicationem Euangelij: Vbi notanda eſt vis verbi illius, *cuſtodiebamur*, nam cuſtodire Pædagogi eſt, (itaque idem *pædagogus* & *cuſtos* eſt, & hebraicè pædagogus eſt שומר, *num* (inquit Cain) *ego ſum cuſtos*, id eſt, pædagogus fratris vt mihi ſit ratio reddenda ſi quid illi ſecius accidit:) Itaque *cuſtodiebamur ſub lege* idem eſt Apoſtolo ac id quod alibi dicitur *lex erat nobis pædagogus*. Nam antequam effuſus eſſet ſpiritus (quomodo effuſus eſt cum Euangelium amoto velo prædicatum eſt) neceſſe fuit populum coerceri aliquo repagulo, id verò lex fuit, cui tamen adjungebantur ſacrificia & oblationes pro peccato, & quædam addebantur promiſſiones, vt eſſet quo Eccleſiæ fides niteretur. Itaque Apoſtolus cap.3. ad Rom. dicit, *iuſtitiam Dei nunc reuelari ſine lege*, nempe quia olim cum lege reuelabatur.

2. cauſa obſcuritatis promiſſionum ſub V. T.

Altera cauſa obſcuritatis promiſſionum ſub Veteri Teſtamento eſt in verbis quibus ſignificatæ ſunt; nam Prophetæ ſymbolicè loquuntur & figuratè, propriè ratò admodum. Quæ res non quidem per ſe, ſed per accidens tantum, dedit occaſionem Iudæis ſcandali, nam cum illi Prophetarum vaticinia κατὰ τὸ ῥητὸν putarent intelligenda, ea autem ſic intellecta non poſſunt aliud objicere animo humano præter ſpeciem fœlicitatis terrenæ, hinc factum eſt vt apud rudem populum minus clara fuerint. Cuius rei exemplum fuit in Eccleſia primitiua, multi enim alioqui boni & viri docti, dùm Prophetarum vaticinia volunt interpretari, in Chiliaſtarum errorem inciderunt, finxerunt nempe Chriſti regnum in terra terrenum fore: Etenim non obſeruarunt Apoſtolos in Epiſtolis, in homiliis ad populum, quæ dicta ſunt Prophetis κατὰ τὸ ῥητὸν de regno Meſſiæ terreno, trahere ad regnum ſpirituale. Sic cap.2. Apocal. vita futura deſcribitur verbis terrenum imperium ſignificantibus, *qui vicerit dabo ei dominari ſuper gentes, & conteret eos virga ferrea*: Sed Thyatirenſibus iſtud vaticinium non potuit videri obſcurum, quia orta fuit tum lux Euangelij. Verùm aliquis fortaſſe quæret, ſi hæc fuit conditio Eccleſiæ Iudaicæ, quo pacto ſeruari illa potuit? Nempe Chriſtus non qua clarè notus ſeruat, ſed qua ſincerè & verè agnitus. Iam verò Chriſtum fuiſſe verè & ſincerè agnitum in Eccleſia Iudaica nemo eſt qui poſſit negare, quin totam negget ſcripturam. Etenim quorſum facta eſt promiſſio Adamo, *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*, ſi illius tum nullus erat vſus? Quorſum item tantopere gauiſus eſt Abrahamus cum vidiſſet in Spiritu diem Domini? Quorſum illud pertinet quod dicuntur Iſraelitæ bibiſſe de ſpirituali Petra, Petram autem fuiſſe Chriſtum, ſi nulla fuit notitia Chriſti in Eccleſia Iudaica? vnde duo conficiuntur. Primò vim viuificam Chriſti non eſſe poſitam in materia carnis Chriſti, contra Pontificios, ſed in eo quod Chriſtus fuerit Agnus, id eſt, ſacrificium pro peccato: Alterum aduerſus Socinum, quod Chriſtus non doctrina & exemplo, ſed ſatisfactione ſua nos redemit: quis enim poſſet eſſe vſus doctrinæ & exempli Chriſti apud eos qui longè ante Chriſtum diem obierunt? Nam certè Apoſtolus diſputat cap. 9. & 10. Epiſt. ad Hebr. ſanguine taurorum & hircorum non potuiſſe mundari conſcientias, itaque opus fuiſſe alio ſacrificio: quod argumentum nullum habet pondus ſi ſine Chriſto vlla offerentibus ſacrificia ſecundum legem obtigit ſalus: diſputat enim eo loco Paulus de neceſſitate & vſu ſacrificij Chriſti, quod ſacrificium non potuit deſiderari, neque debuit, ſi ſine illo ſacrificio Eccleſiæ Iudaicæ ſalus obtigit. Ideoque diſertis verbis Apoſtolus ait v.15. pertinuiſſe hoc ſacrificium *ad expiationem tranſgreſſionum quæ erant ſub Veteri Teſtamento*, hoc eſt, quæ ſacrificiis Veteris Teſtamenti non potuerant deleri, idque *vt vocati accipiant promiſſionem*, quod nihil neceſſe eſt intelligere dictum de Abrahamo, Iſaaco, & reliquis Patriarchis, cum poſſit de iis intelligi qui vocati ſunt per Euangelium, vt ſit ſenſus, Nos vocati ij ſumus quibus promiſſio illa obtigit: quæ tandem promiſſio? nempe clara illa miſericordiæ diuinæ quam in illa Epiſtola Apoſtolus *promiſſionem* ſolet vocare: Nam *promiſſio* non eſt Apoſtolo ſimpliciter remiſſio peccatorum amota lege, ſiue velo, qualis eſt promulgata per Euangelium poſt aſcenſum Chriſti in cœlum.

Christus verè fuit agnitus ſub V. Teſt.

An Fides iuſtificans poſſit ſeparari à bonis operibus.

Iam explicatum eſt quomodo vera fides, quæ Apoſtolis inerat, potuerit ſtare cum craſſa illa opinione de regno Chriſti terreno. Sequitur explicanda quæſtio multò difficilior, quomodo vera fides & ille faſtus, quo Diſcipuli videntur fuiſſe inflati poſſunt ſimul conſiſtere: nam laboraſſe hoc morbo Diſcipulos negari non poteſt, cùm hoc nomine à Chriſto tam grauiter ſint reprehenſi. Atque huius quæſtionis explicatio eo magis eſt neceſſaria, quod Pontificij hac in parte à nobis diſſentiunt. Nam illi quidam exiſtimant, non eſſe veræ fidei ingenium vt non poſſit admittere in ſocietatem quæuis vitia; Nos verò negamus conſtanter: vnde efficitur vt nobis Pontificiorum fides non ſit vera fides. Sed operæpretium eſt ſcire quo animo Pontificij hoc dogma aduerſus nos vrgeant, vt poſſit faciliùs tota quæſtio intelligi adeoque expediri. Sic igitur ratiocinantur. Si vera fides poteſt ſeparari à bonis operibus non iuſtificabit ſola, quid ita? quia (inquiunt) fingamus fidem ſolam eſſe, nullos habere comites virtutes, certè non iuſtificabit ſola, abſurdum enim eſt vt iuſtificetur qui omni ſcelerum genere contaminatus eſt: At fides poteſt ſeparari à bonis operibus, ergo, &c.

affirmant Pontificij.

nos negamus.

Nos autem ſic occurrimus huic argumento. Primò dicimus, hanc eſſe naturam earum rerum quas animo licet fingere, vt poſſint in animo gignere quendam conceptum, eas autem res quæ implicant contradictionem, quia concipi nequeunt, neque fingi debere, vt ſi quis iuberet nos fingere eundem hominem eſſe & belluam, quod fieri non poteſt: Ita non poteſt fingi, fidem eſſe ſine operibus abſque implicatione contradictionis. Hæc eſt ſententia noſtra, quam ita refellunt; Cauſa concipi poteſt ſine affectu, ergo fides ſine operibus, quorum cauſa eſt. Sed non decet hæc argumentatio viros acutos & verſatos in Philoſophia: aliud enim eſt aliquid concipere *præciſè*, aliud verò aliquid ita concipere vt in cõceptu includatur verum & falſum: verbi gratia, poſſum quidem concipere

fidem præcisè ab operibus, sed non fidem carentem operibus: possum quidem concipere formam ignis non considerato calore, sed non possum concipere formam ignis quæ sit sine calore. Quod verò dicunt fidem posse separari ab operibus, hoc verò est quod si locum haberet vehementissimè nos vrgeret. Quod vt assequamur necesse est vt habeamus ob oculos finem iustificationis nostræ, qui est sanctificatio nostra, ideo enim nos Deus iustificat per fidem, vt per eandem nos sanctificet: si ergo fides potest separari à charitate; certè Deus non adhiberet fidem vt conditionem iustificationis nostræ. Et vt stet causa iustificationis hoc firmiter tenendum est, *fidem non posse separari ab operibus.* Porrò, aliquid ab aliquo non posse separari bifariam dicitur nempe vel vt effectum non potest separari à causa adæquata, vel vt causa adæquata non potest separari ab effectu suo. In hoc argumento multum interest scire quo modo fides à charitate separari non potest: nam si dicamus fidem non posse separari à charitate vt effectum à causa, haud dubiè Pontificij assequentur quod volunt, nempe vim iustificandi quæ inest fidei esse à charitate, ideòque fidem (quam *formatam* vocant) non posse separari à charitate dicunt, quomodo causa adæquata ab effectu suo nequit diuelli. Id autem nobis est ostendendum. Et primò quidem fidem non posse separari ab operibus quia eorum est causa adæquata. Secundò, respondendum est ad argumenta Aduersariorum, deinde disputatio hæc tota accommodanda est ad solutionem quæstionis propositæ.

Fidem non posse separari à bonis operibus.

Argum. 1. Primum ergo argumentum est, si fides à charitate separari potest, vel ideo fit quia nullo modo charitatis causa est, vel quia non est causa charitatis adæquata, at non potest ideò separari à charitate quod non sit vllo modo causa charitatis, nam hoc aduersarij dabunt, neque item potest separari à charitate, quod non sit causa adæquata charitatis: & id sic probamus. Si omnia argumenta quibus incitamur ad amandum Deum proponuntur à fide, tum fides est causa adæquata charitatis; At prius est verum, ergo & posterius. Vnica hac ratione potest occurri huic argumento, nempe si dixerint Pontificij hoc esse ingenium humanæ voluntatis, vt possit obsistere omnibus argumentis quibus mouetur dum mouetur. An ita se res habeat aliàs disputabimus: Nunc hoc vnum respondemus, hanc responsionem Aduersariorum pugnare cum Scriptura quæ negat impios Deum nouisse, 3. cap. 1. Epist. Ioh. & 2. cap. eiusdem, *Qui odit fratrem est in tenebris.* Itaque propositis iis omnibus argumentis quibus voluntas flectitur, dum flectitur, fieri non potest vt voluntas resistat, alioqui contra Scripturam dabo hominem qui non versatur in tenebris, sed in luce, qui vidit Deum, eum nouit, neque tamen amat ipsum. Hic Pontificij coguntur confugere ad significationem quandam verbi *nouisse*, & aiunt impios non nouisse Deum, hoc est, non amare, nam *nosse* sumitur in Scriptura pro *amare*. Sed id glossema faciliè refellitur illis locutionibus, *versantur in tenebris*, *non nouerunt Deum*, &c. & verbis Apost. Rom. cap. 1. *obtenebrata est illorum mens.* Vt illud interim taceamus *nosse* cùm in Scriptura significat *amare*, non significat simpliciter amare, sed amare cum cura, itaque si superior non curam gerit inferioris, dicitur in Scriptura non nouisse inferiorem. At hoc sensu non potest tribui homini *non nouisse Deum.* Illud verò nulla ratione potest refelli, nempe Pontificios, dum sic interpretantur vocem *nosse*, cogere, quantum in ipsis est, Spiritum Sanctum non modò βαττολογεῖν, sed etiam ταυτολογεῖν. Et quis tandem sic loquatur, *impij non norunt Deum*, hoc est, *non amant Deum*? Etenim dicere, Impij non amant Deum, idem est ac si dicas, qui non amant Deum non amant Deum: at verò impij rectè dicuntur *non nosse Deum*, quia volunt videri impij *cognoscere Deum*. Et certè si Deus per fidem non mouet cor, sequetur cor humanum posse summum bonum conspectum & cognitum abominari: At hoc est absurdissimum, nihil enim abominatur cor humanum nisi quod saltem in speciem malum est, nam *bonum* & *appetibile*, *malum* & *fugiendum* reciprocantur.

Except.

Resp.

alia Exception.

Resp. 1.

2.

3.

2. argum. Secundum argumentum est hoc, Si fides non potest à Christo separari, non potest item separari à charitate, At prius est verum, Ergo. Ratio connexionis est hæc, Christus duobus modis cor fideratur, vel *absolutè* in se, vel *relatè* ad nos. Iam verò fides de qua agimus non est illa quæ Christum considerat qualis est in se, sic enim nulla esset consequentiæ necessitas, sed fides considerat Christum vt redemptorem adeoque sanctificatorem nostrum, quod fieri non potest nisi Christus nos sanctificet, nam quî credere potes illum esse sanctificatorem tuum, cuius vim non persentiscis? Tertium argumentum est, Amor Dei erga nos, est ille qui accendit in nobis amorem erga Deum, teste Iohan. cap. 4. 1. Epist. At amor Dei id non potest efficere nisi illum cognoscamus; (alioqui pueri, infantes, electi ante vocationem amarent Deum) amor autem ille non cognoscitur nisi per fidem, ergo fides accendit in nobis amorem erga Deum. Itaque Apostolus Paulus tantopere rogat Deum *vt aperiat nobis oculos mentis, vt possimus percipere quæ sit longitudo, latitudo,* &c. Eph. 3. 18.

3.

Sed hic priusquàm progrediar vlterius, occurram quæstioni quæ oritur ex eo quod dixi, fieri non posse vt voluntas non moueatur dum proponuntur ei illa omnia quibus mouetur dum mouetur. Nam sæpenumerò accidit vt proponantur multa quibus induci potest animus humanus, & inducitur aliquando, quibus tamen non semper inducitur. Sed duplex est rerum propositio, vna cùm objiciuntur tantùm species rerum: Non intelligimus eiusmodi propositionem, non enim commouet animum, vt si Turcæ proponantur ea quæ credenda sunt de Christo, non ideò commouebitur statim Turca, etiam si species eorum feriat animum eius. Sed est aliud genus propositionis quæ dicitur in Scriptura *demonstratio spiritus*, item ἐνέργεια spiritus, vnde & fides cap. 2. Coloss. dicitur ἐνέργεια τοῦ ἐγείραντος χειρῶν ἐκ νεκρῶν. Hæc est illa propositio quâ diximus fieri non posse vt animus non commoueatur, primò, quia est demonstratio, & quidem spiritus, secundò quia est ἐνέργεια. Atque ita solutum est dubium.

Duplex rerum propositio quæ fit animo.

Iam pergendum esset nobis vlterius nisi necesse esset explicare hic, vnde fit vt ista opinio de fide (nempe eius vim esse tam exilem, vt non possit commouere per se voluntatem) inualuerit. Fides, etiam apud eos qui non sibi videntur prophani, nil aliud est quàm opinio, & assensus qui eli-

quid sit Fides Pontificiis.

qui elicitur viribus (vt aiunt) liberi arbitrij captiuantis intellectum,& iubentis ei credere. Itaque nihil mirum eſt ſi cùm ſic ſentiant de fide, putent fidem rem eſſe eiuſmodi quam voluntas non experitur tanquam aliquid quod agat in voluntatem, ſed contrà in quod voluntas agit. Itaque fides Turcarum, Judæorum, Pontificiorum,reſpectu ſubjecti eadem eſt fides.

4 Argumentum. Quartum argumentum quo probatur fidem à charitate non poſſe diuelli eſt hoc, Quod poteſt eſſe ſine charitate poteſt eſſe ſine vita æterna, At fides non poteſt eſſe ſine vita æterna, Ergo. Propoſitio eſt vera, nam *ſine ſanctitate nemo videbit Deum*, & hoc Pontificij non negabunt. Minor probatur tot Scripturæ teſtimoniis quæ cuiuis obuia ſunt, vt non ſit opus vllum adducere. Nec poteſt tolerari vllo pacto Pontificiorum cauillatio. Qui credit habet vitam æternam,modò præditus ſit reliquis virtutibus, ſic enim affingunt Chriſto & Apoſtolis orationem nugatoriam,quaſi quis diceret,qui habet 10. obolos diues eſt modo habeat præterea ampliſsimas diuitias. Tum hæc reſponſio pugnat cum Euangelio, quod ideo proponit vitam æternam credenti, quia ſcilicet nulla eſt nobis ſpes in operibus noſtris. Iam verò ſi hic eſſet Chriſti ſenſus, Credite & habebitis vitam æternam modò ſitis præditi reliquis virtutibus: tunc attribueretur ſalus operibus.

5. Quintum argumentum eſt; Si fides facit vt ſtemus non poteſt diuelli à charitate, nam qui non eſt præditus charitate ille non ſtat,ſed cecidit, & eſt in morte: Atqui fide ſtamus, cap. 11. Epiſt. ad Rom.

6. Sextò, Fide iuſtificamur ſaltem ſynecdochicè, quod Pontificij concedunt, At ſi fides poteſt ſeparari à charitate, nullus erit ſynecdochæ locus, nam ſynecdoche eſt cùm pars quæ à toto non poteſt ſejungi, pro toto ponitur: Itaque ſi fides poteſt ſejungi a charitate, nulla ratio eſt cur poſsimus iuſtificari fide. Immò ſi Apoſtolus voluit nos partim fide, partim charitate iuſtificari, & fuit in hac ſententia *fidem poſſe eſſe ſine charitate; at non charitatem ſine fide*, debuit Apoſtolus dicere,nos iuſtificari charitate, quia hoc pacto nemo ſibi illuderet; cùm contrà ſi fides poſsit eſſe ſine charitate, poterit aliquis ſibi illudere,credendo ſe iuſtificari fide cùm non habeat charitatem.

7. Septimò,Fides dicitur imputari ad Juſtitiam. At quod imputatur ad iuſtitiam habetur loco iuſtitiæ. Unde colligo fidem non poſſe ſeparari à charitate,hoc pacto. Quod habetur loco iuſtitiæ non poteſt eſſe ſine charitate, At fides habetur loco iuſtitiæ,Ergo. Probatur Maior, quia [illegible] ſe haberet,poſſet aliquis eſſe iuſtificatus, [illegible] tamen permanere in grauiſsimis ſceleribus, habens [illegible] fidem qua iuſtificaretur.

8. Octauò, Spes non poteſt ſejungi à charitate, ergo nec [illegible] eſt ſine fide. Quod ſpes non [illegible] charitate,probatur. Primo ratione, nam ſpes nihil aliud eſt quàm certa expectatio [illegible] quæ non poteſt ſtare cum delectatione [illegible], nam qui habent hanc ſpem [illegible] ad vitam futuram. Secundo probatur authoritate, [illegible] (inquit) Apoſtolus cap. 5. ad Rom. [illegible] eſſe ſine charitate [illegible] eſſe in impio. Quod autem [illegible] poſſit eſſe ſine ſpe, patet, quia *f[illegible]* Hebr. 11.

9. Nono, cap. 5. Epiſt. ad Galat. [illegible] eſt *fructus ſpiritus*,itaque non poteſt diuelli à charitate. Obſerua Apoſtolum non dicere eſſe *effectum* ſpiritus, quia multa ſunt effecta ſpiritus quæ poſſunt eſſe ſine charitate,vt donum prophetiæ,linguarum,&c. At fructus ſpiritus ſolis piis eſt peculiaris, vt patet ex ſcopo Apoſtoli, nam opponit eo in loco *Filios Dei*, qui aguntur Spiritu Dei, *hominibus carnalibus*, & *ſpiritum carni*; itaque ubi fides eſt, caro non eſt, & ubi caro non eſt,charitas ibi eſt. Si requiratur vehementior probatio, ubi non ſunt lites,contentiones,&c.ibi charitas eſt, at vbi fides eſt ibi non ſunt lites & contentiones,loco citato.Ergo.Nam ut id dicamus obiter,unde oriuntur lites, niſi ex nimia æſtimatione rerum humanarum? at eam fides tollit, quæ nos eleuat ad contemplationem rerum cœleſtium.

10. Decimò. *Qui credit* (inquit Johannes) *quod Chriſtus eſt Ieſus is ex Deo natus eſt*; qui ex Deo nati ſunt ij aguntur Spiritu Dei,nam ut ait Apoſtolus cap. 8. ad Rom. *qui aguntur Spiritu Dei ſunt filij Dei.* Pontificij reſpondent eo loco agi de fide formata: Sed mirum eſt hoc potuiſſe excidere viris doctis, nam hac ratione nihil aliud reſpondent quàm agi de vera fide, forma enim eſt quæ dat eſſe rei, nos autem non agimus de fide qualis eſt diabolorum,ſed de vera fide per quam Chriſtus habitat in cordibus noſtris, cap. 3. Epiſt. ad Eph. verſ. 17.

Fides non informatur charitate. Nam quod docent charitate fidem informari,& ipſi ſecum pugnant & cum rerum natura: nam docent (ut Bellarminus libro 5. de Juſtif.) charitatem oriri ex fide, iam verò qui fieri poteſt vt effectum tribuat vim cauſæ ſuæ? Tum, res ipſa hanc ſententiã reſpuit, nam fides eſt quæ eſt ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης Galat. 5. 6. *qua* (ut illi ipſi locum illum fatentur traductum verè ac genuinè) *per fidem operatur.* Iam verò *operari* non eſt paſſiuum ſed actiuum, quomodo capite 2. prioris ad Theſſal. λόγος *verbum Dei* dicitur ἐνεργούμενος ἐν τοῖς πιστεύουσι. Jam verò quis dixerit verbum Dei dici efficax in credentibus, quod credentes tribuant vim aliquam verbo? quin potiùs verbum dicitur efficax in credentibus, quia illud verbum operatur fidem in credentibus,quo ſenſu dicitur etiam verbum *viuum, penetrans tanquam gladius anceps*, verbum *illuminans oculos*, verbum *donans ſapientiam inſipientibus*, &c. Deinde etiam, quod eſt validum & firmum illud in Scriptura dici ſolet ἐνεργούμενον. ut cap. 5. Jac. ℣. 16. *multum valet oratio iuſti* ἐνεργουμένη, hoc eſt, oratio facta in fide quæ conſtans eſt. Jam verò fides exerit efficaciam ſuam in operibus,ſed interuentu charitatis,nam gignendo charitatem in corde profert opera, quomodo in vita futura conſpectus Dei, (qui dicitur in Scriptura *incedere per viſum,non per ænigma*) ita voluntatem determinat (ipſis Pontif. fatentibus) ut qui illo conſpectu fruuntur non poſsint non amare Deum,ita in hac vita qui incedunt per fidem non poſſunt pro modulo fidei non amare Deum: certè vita futura non deſtruit libertatem voluntatis, ſed perficit.

Obj. 1. Duo ſunt autem quæ videntur facere contra interpretationem verborum Apoſtoli *fides operatur per charitatem* à nobis allatam, Prius eſt quod Syrus Interpres illa verba aliter videtur interpretari, nam vertit illum locum מתגמרא *Metgamera*,quo nomine à doctiſsimo Interprete reprehenſus fuit: poſterius eſt quod Epiſt. Jac. cap. 2. fides dicitur *perfecta eſſe per opera.*

Reſp. Cæterum neutrum horum obeſt ſententiæ noſtræ; Nam ut hoc mittamus, nos non magnopere moueri authoritate

tate Syri interpretis, dicimus tamen eum hoc loco non erraſſe, non eſt enim אתגמרא *Metgamera* ea quæ perficitur, ſed potius quæ oſtendit ſe eſſe perfectam: ſic 2. cap. 1. ad Theſſal. eadem verbi forma vertit Apoſtoli verba, qui eo loco ait verbum Dei eſſe ἐνεργούμενον; item verba Apoſtoli quæ exſtant ſub finem 3. cap. ad Epheſ. quibus docet potentiam Dei eſſe ἐνεργουμένην. Itaque nihil opus erat *Metgamera* exponere ſignificatione paſſiua.

Obiect. 2. Reſp. Alterum verò illud, quod fides dicitur perfecta fuiſſe per opera, æque leue eſt, nam fides Iacobo dicitur *perfecta per opera*, Iac. 2. 22. eadem phraſi qua & cap. 12. 2. ad Cor. *potentia Dei dicitur perfici in infirmitate*, τελειοῦσθαι, utrobique enim idem occurrit verbum. Nemo autem ita inſanit, ut putet infirmitatem noſtram aliquid addere potentiæ Dei, ſed ſenſus eſt, potentiam Dei exercere vim ſuam, & oſtendere quàm magna ſit in infirmitate. Sic cum Iacobus dicit *fidem perfici per opera*, non hoc vult fidem mutuari vim ab operibus, ſed contrà, oſtendere quanta ſit in operibus. Itaque cap. 11. Epiſt. ad Heb. quæcunque præclarè geſta ſunt à piis omnia fidei tribuuntur, ut conferendum ſit caput illud cum hoc Iacobi loco. Et eodem ſenſu Iacobus docet, *Scripturam fuiſſe impletam quæ docet fidem Abrahami ei imputatam fuiſſe ad iuſtitiam*: Et quomodo impleta? quia ſcilicet Abraham oſtendit operibus fidem ſuam non fuiſſe inane ſimulacrum fidei, ſed fuiſſe veram & viuam fidem.

Obiect. 3. Poſſet & illud objici, unumquodque operari per formam ſuam, cùm autem fides operetur per charitatem, admiſſa interpretatione noſtra, hoc ſaltem inde conſequitur charitatem eſſe fidei formam.

Reſp. Sed hæc argumentatio eſt planè puerilis, eſt enim huic ſimilis, ignis operatur per calorem, calefacit enim vim caloris, itaque calor eſt forma ignis, non ſequitur: ſed hoc tantum ſequitur, calorem non poſſe ſeparari à forma ignis, & ignem interuentu caloris calefacere, nempe quia calor conſequitur neceſſariò formam ignis. Ita & hoc rectè ſequitur, non proferre fidem bona opera niſi interuentu charitatis, excitat enim charitatem in corde, unde oriuntur bona opera: & hoc item rectè ſequitur, Charitatem non poſſe ſeparari à fide, ſed non ſequitur charitatem eſſe formam fidei.

11. Argum. Vndecimum argumentum eſt, Fides purificat cor, Ergo non poteſt ſeparari, à charitate. non autem purificatur cor quando ardet odio Dei & proximi, nam illud odium eſt cordis impuritas. Reſpondent Sophiſtæ, fidem hoc facere diſponendo, & illuſtrant exemplo, Eruditio, humaniores literæ emolliunt ingenium, cùm tamen eruditi omnes non ſint adeò humano ingenio: hoc faciunt igitur literæ per modum cauſæ diſponentis. Sed hæc reſponſio vana eſt, nam in ingenio erat ſemen aliquod humanitatis, quod perductum eſt ad bonam frugem adjumento humaniorum literarum. At ſine fide nihil poteſt (ex Pontificiorum ipſorum ſententia) eſſe in homine boni, & ſi id negent Pontificij, authoritate Chriſti & Apoſtoli reuincentur: quorum alter nos docet, *quicquid ſine fide eſt eſſe peccatum*, alter *nos nihil poſſe extra ſe*. Iam verò cauſa diſponens & inclinans nunquam producit effectum ſuum, niſi in ea re quam diſponit ſit virtus ad productionem effectus, etiam priuſquam cauſa diſponens ageret. Ergo cum in corde humano ante fidem nulla ſit vis, nulla inclinatio ad veram charitatem, non dicetur cor humanum purificatum fide tanquam cauſa diſponenti, ſed tanquam cauſa efficaci, nam cauſa diſponens ſemper requirit vim in ſubjecto.

12. Duodecimum argumentum. Poſtquam Ioh. cap. 3. primæ Catholicæ deſcripſit fidem, ſubjungit continuò, *& quiſquis habet hanc ſpem in eo purificat ſe, ſicut & ille purus eſt*: & paulò poſt, *quiſquis in eo manet non peccat*: ergo fides à ſpe, ſpes à charitate non poteſt diuelli.

13. Decimum tertium argumentum, Apoſt. cap. 10. ad Rom. (quo loco ex profeſſo diſputat de iuſtitia fidei) diſertis verbis teſtatur, *omnes qui confeſſi fuerint ore, & crediderint corde ſeruatum iri: corde*, inquit, *creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.*

14. Decimum quartum argumentum, Si fides poſſet ſeparari à charitate non debuiſſent (capite 11. Epiſt. ad Heb.) omnes pii laudari propter fidem ſuam, atque ita ut quicquid ab iis rectè factum ſit totum fidei tribuatur; quis enim pios laudet ob ea quæ ipſis cum omnibus ſceleratis communia eſſe poſſunt?

15. Decimum quintum argumentum, Apoſt. cap. 3. 2. ad Theſſal. ait *fidem non eſſe omnium*: & eodem loco docet maximam hominum partem impiam eſſe & coopertam ſceleribus: Si ergo ut Apoſtolus doceat non omnes eſſe pios, ait fidem non eſſe omnium, certum eſt fidem non poſſe eſſe in impiis hominibus, ſed tantum in piis. Ideoque Iohan. 6. cùm Dominus ſignificat diſcipulis aliquem eſſe ex iis qui eum eſſet traditurus, ita ait, *ſunt aliqui ex vobis qui non credunt*: atque ita odium ſui per incredulitatem deſignat.

16. Decimum ſextum argumentum, Luc. 10. Dominus ait, *An putatis filium hominis cum veniet inuenturum fidem in terra?* cuius locutionis ſenſus eſt, putatis ut ne reperiat veram pietatem? Ergo fides non poteſt eſſe ubi non eſt pietas, & ubi eſt pietas ibi neceſſe eſt fidem eſſe.

17. Decimo ſeptimò. In ſcriptura *fideles* & *ſancti* pro eodem ponuntur, ut 1. cap. 2. ad Theſſal. *cùm venerit vt glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fiat in fidelibus ſuis*, videtis quod idem ſancti ſint & fideles. Contra impij *increduli* dicuntur, & *ij qui pereunt*, *Quod ſi tectum eſt* [inquit Paulus] *Euangelium noſtrum, tectum eſt iis qui pereunt, quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes*, hoc eſt, infidelibus.

18. Decimum octauum argumentum eſt, Fides noſtra dicitur *noſtra victoria qua mundum vincimus*, cap. 5. 1. Cathol. Iohan. At res eiuſmodi quæ poſſit eſſe ſine charitate, quæ non eſt efficax, non debuit nec potuit ullo iure ornari hoc elogio, nam ſi aſſuenda eſt charitas fidei, ut potiamur victoria, dicendum erat charitatem eſſe victoriam noſtram.

19. Decimum nonum argumentum; Fidem noſtram Apoſtolus vocat *clypeum quo ignita Satanæ tela extinguuntur*, Eph. 6. 16. Poteſt ne ea res clypeus dici ut poſſit in eo eſſe qui Satanæ ſpiculis configatur & necetur?

20. Vigeſimum, 1. Petri cap. 1. 5. dicuntur fideles *cuſtodiri virtute Dei per fidem ad ſalutem*, ſi fides eſt inſtrumentum virtutis Dei per quam ſeruamur, certè eſt inſtrumentum efficax, non autem eſſet efficax niſi traheret charitatem.

21. Vigeſimum primum. Dum Chriſtus orat pro Petro, non orat ne Petri charitas deficiat, ſed ne deficiat fides; Itaque non deficiente fide Petri, nec ipſe deficit prorſus, non deficiente autem fide deficeret Petrus, ſi manente fide non maneret Petri charitas.

22. Vigeſimo ſecundò. Quod affert pacem & gaudium inenarrabile conſcientiæ id non poteſt eſſe ſine charitate;

tate; ratio est quia ubi odium est, non potest esse gaudium aut pax. Iam verò constat ex Scriptura, fidem afferre pacem cap. 5. ad Roman. & 1. Petri cap. 1. 8. *In quem creditis etiam si non vidistis, & exultatis in eo gaudio inenarrabili.* Vigesimo tertio. Habemus accessum ad Deum per fidem. Ergo quicunque præditus est fide potest accedere ad Deum. At ei qui odit Deum non patet accessus ad Deum, cùm potiùs eum exhorreat. Vigesimo quartò. Cùm Apostolus 3. ad Philip. describit illam Justitiam de qua sola gloriatur, appellat illam *iustitiam quæ est* ἐπὶ τῇ πίστει, quæ obtingit interuentu fidei, vel quæ sita est in fide: At quod potest habere locum in impiis non est eiusmodi. Denique Apostolus appellat perfectionem Christiani hominis ἑνότητα πίστεως, (Ephes. 4. 13.) Ista locutio est admodum ἄκυρος nisi fidem consequerentur omnes virtutes Christianæ. Hæc sunt argumenta omnia quæ adducenda habeo aduersus Pontificios.

23.

24.

25.

Rejiciuntur nonnulla alia argumēta.

Sed priusquam progrediar moneo ea quæ possunt addi his argumentis non facere ad hanc rem, vel si faciant pertinere ad ea quæ attulimus.

1. Verbi gratia, Apostolus 1. Tim. cap. 5. docet eum *qui non habet curam familiæ suæ abnegasse fidem*: Videtur hoc argumento probari fidem non posse esse sine charitate: Sed id fit potius ob rei ipsius naturam, quàm ob vim sermonis, nam hoc est solemne hebræis magna peccata notare nominibus quæ significant peccata vulgò detestanda, ut cùm rebellio aduersus Deum dicitur in Scriptura *diuinatio*, *incantatio*, & *idololatria*, 1. Sam. 15. 23. non quod rebellio sit diuinatio, &c. sed sic loquitur Spiritus ut notet quam sit execrabilis præfracta aduersus Deum animi obstinatio. Sic Apostolus auaritiam vocat Idololatriam, Col. 3. 5. non quod velit (ut vulgò accipitur) auaritiam esse idololatriam, sed quia nihil erat execrabilius omnium Iudæorum iudicio quàm idololatria. (Hodieque Iudæi Germani quoties aliquid detestantur, dum etiam Germanicè loquuntur, vocant illud פסול: & in scriptis Rabinorum nihil est frequentius quam res abominandas appellare פסולים) Sic etiam quia nihil erat detestabilius quàm Apostata Iudæi vocant eum הכיפר, ideo Apostolus ut ostendat quàm sit horrendum peccatum prætextu pietatis negligere curam familiæ suæ, ait eos esse instar abnegantium fidem, & deteriores infideli. Ideò non est tutum hoc loco uti ad probandum conjunctionem fidei cum charitate, quamquam Bellarminus non potuerit hoc argumento se explicare. Tum etiam quod fides dicitur cap. 1. Epistolæ ad Tit. *fides electorum Dei*, cùm quod est electorum non possit esse commune cum impiis, hoc facit vel maximè ad rem quam agimus, sed pertinet ad id quod citauimus ex Apost. *fides non est omnium.* Denique & conjunctionem fidei cum charitate probat quod Apostolus testatur cap. 3. ad Ephes. *Christum per fidem habitare in cordibus nostris*, sed hoc referendum est ad illud argumentum, *Quod non potest separari à Christo non potest separari à charitate*, cuius suprà meminimus: At illud non est omittendum quod Paulus 2. cap. Epist. ad Galat. ait, se quod *viuit in carne, viuere in fide Filij Dei*: quorsum & illud pertinet, *Iustus ex fide viuet.*

2.

3.

Refelluntur argumenta Pōtificiorum.

1. Jam nobis respondendum est ad argumenta Pontificiorum, quorum primum hoc esto. Duodecimo cap. Ioh. quidam è principibus Judæorum dicuntur credidisse in Christum, iidemque dicuntur magis dilexisse gloriam mundi quàm gloriam Dei. Nos etiam hoc adjiciemus cap. 2. Iohan. idipsum esse scriptum aliis verbis, nempe multos è principibus Iudæorum credidisse in nomen Christi, attamen Christum non credidisse illis. Confirmatur hæc ratio eo quod aliud sit *Credere in Christum*, aliud *credere Christo*, nam his verbis *credere in Christum* significatur vera fides conjuncta cum fiducia.

Resp. 1.

Sed respondeo duobus modis, primò dici posse de Petro idipsum cum Dominum suum abnegaret, quod isti Principes non fecerunt, nam non dicitur eos negasse Christum, sed tantùm non esse ausos eum confiteri, quia metuebant ne ejicerentur in Synagoga. Etsi autem quoad euentum non multum interest, an quis metu peccet aut malignitate animi, tamen quo ad ipsum multum peccatum interest. Etsi igitur de Petro dici posset, cùm abnegaret Dominum suum, eum magis dilexisse vitam temporalem quàm Dominum suum, non tamen dici poterat eum prorsus excidisse charitate: Ita etiam idem dici potest de istis principibus Judæorum. Et certè Nicodemus & Josephus Arimathæus ex his fuerunt, qui mortuo Christo ostenderunt se eo viuo non fuisse charitate erga eum destitutos. Certè aliud est quemadmodum habitus & actio, sic habitus fidei & actio fidei, habitus charitatis & eiusdem actio: nam (ut didicimus in Ethicis) potest actio virtutis stare cum habitu vitij, alioqui habitus vitij exui non posset, quemadmodum etiam actio vitiosa potest etiam stare cum virtutis habitu. Ut igitur Petrus non amisit habitum fidei cùm Christum abnegaret, quæ est actio incredulitatis, (nam Christus orauerat pro eo ne fides eius deficeret) sic nec isti principes Iudæorum dicentur amisisse habitum charitatis, tametsi ad tempus non exeruerint habitum charitatis.

Resp. 2.

Secundò respondemus, etiam τὸ *credere in Christum* esse homonymum, ex eorum genere quæ analoga dicuntur, nam quia fides temporaria conjuncta est cum quadam fiducia temporaria, hinc fit ut quod dicitur de fide iustificante id dicatur de fide temporaria, quæ varias quidem habet fidei iustificantis conditiones, at certè firmitatem non habet. Ut semen quod non altiùs reconditur in terra, nec altiùs agit radices, quod ad germinationem attinet eandem videtur prodere quam semen commissum altiori sulco. Unde non ex eo quod isti Principes Judæorum dicuntur credidisse in Christum, sequitur continuò eos fuisse præditos verâ illâ & iustificante fide quæ imum cordis occupat, nec hæret in superficie.

2. Argumentum.

Secundum argumentum Pontificiorum hoc est, Paulus 1. ad Cor. cap. 13. dicit *se nihil fore etiam si habeat omnem fidem, neque charitatem habeat.* Ergo potest fides à charitate separari.

Resp.

Sed locum illum supra refutauimus in disputatione de fide miraculorum: Uno verbo, est illa locutio hyperbolica, verbi gratia, cùm Paulus optat se esse Anathema à Christo, nemo inde concludat Paulum optare ut oderit Christum, quamquàm *esse anathema à Christo* & *odisse Christum* nequeant disiungi: Ita ex eo quod Paulus dicit, *etsi habeam omnem fidem nec habeam charitatem nihil sum*, non potest concludi posse aliquem habere omnem fidem absque charitate, sed tantùm hoc, si id fieri posset ut quis haberet omnem fidem, nec tamen haberet

charitatem, eiusmodi virum nihil fore: cuius rei cùm multæ aliæ, tum hæc ratio à nobis allata est, quod media nihil sunt sine fine, finis autem præcepti charitas: fides & remissio peccatorum, &c. sunt media ad hunc finem.

3 Argumentum.

Tertium argumentum quod habet speciem aliquam hoc est, ductum ex cap.2. Epist. Jacobi sub finem capitis. Quod potest esse in dæmonibus potest esse sine charitate, At in dæmonibus fides esse potest. Ergo. Quod si respondeamus non agi eo loco de fide iustificante, Instant agi de eiusmodi fide qualis fuit illa Abrahæ. Ut hoc argumentum soluamus explicandus est totus ille locus, qui quidem per se facilis est, sed quem importuna nonnullorum cauillandi libido difficilem fecit. Ut sententia Iacobi teneatur refellenda nobis est primò Pontificiorum glossa, nam nisi id fiat luditur opera: deinde expendendæ erunt aliorum interpretationes: tum denique ea afferenda est interpretatio quæ nobis maximè idonea videtur. Pontificij volunt Iacobum disputare *sit-ne fides sola qua iustificemur*, & concludere, neque fide sola, neque solis item operibus, sed partim fide, partim operibus iustificari. Hæc interpretatio si admittatur pugnabit Jacobus cum Paulo, pugnabit secum ipse. Pauli enim hæc est sententia, sola nos fide iustificari: quod vel inde colligi potest, quod nusquam opera (ne Gratiæ quidem opera) opponit operibus Legis, sed fidem duntaxat. Secundò, docet passim Paulus nos iustificari fide, id est gratis, quomodo ipse Paulus explicat mentem suam. Tertiò, Paulus ideò negat nos iustificari Lege *quia Lex sit factorum*, 3. ad Galat. fides autem non sit factorum: quod argumentum non modò nullam habet vim, imo ridiculum est, si operibus iustificemur. Quartò. Disertè testatur Paulus nos seruari per fidem (quem idem est atque iustificari per fidem) ut studeamus bonis operibus, cap.2. ad Ephes. Immò hoc utitur argumento ut probet nos non iustificari propter opera, etenim hoc subnectit per conjunctionem quam Grammatici *causalem & ratiocinatiuam* vocant, nempe *enim*. Denique, Paulus cùm profert exempla iustificationis nostræ profert non modò impios, sed pios etiam lapsos, putà Dauidem cap.4. ad Rom. qua ratione refellitur cauillatiuncula de prima & secunda iustificatione. Nam primam illi definiunt iustificationem qua homo redditur sanctus, secundam, quâ sanctior redditur ex sancto; si verba spectes absurdè: sic enim & erit tertia & quarta & quinta iustificatio, immò penè infinitæ, quatenus plurimi sunt & penè infiniti gradus augmenti iustitiæ. Deinde, quid commerita est fides in eo progressu vitæ, ut tantum non possit quantum in initio? In prima autem iustificatione non negant nos iustificari solâ fide: Ergone ingenium fides mutauerit, ut in secunda iustificatione non possit quantum in prima? aut peccata hominum, qui præ reliquis hominibus hoc fidei priuilegio donati sunt, non tam merebuntur inferos, si in se spectentur, quàm eorum peccata qui nondum tanto beneficio affecti sunt quantum illud est quod credentibus contigit?

Explicatur locus Iac. 2.24.

Pontificiorum de loco isto sententia. Rejicitur 1.

2. Sed & Jacobus cum semetipso pugnaret si hæc fuit Iacobi sententia. Nam ait Scripturam fuisse impletam cùm Abrahamus iustificaretur ex operibus: At quam Scripturam? non Legem quæ iustum pronunciat qui præstat eam, sed eam vocem quæ Euangelica est, *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei in iustitiam*: Quænam obsecro est ista consequentia, *Abraham credidit Deo, & imputatum est ei in iustitiam*, *Ergo Abraham iustificatus est ex operibus?* Certè ista nullomodo conciliari possunt, ne dum cohærere ut consequens cum antecedente: Etenim vel sensus horum verborum hic est, *Abraham credidit & eius fides imputata est ei in partem iustitiæ*, vel iste, *Abraham credidit & eius fides imputata est ei in solidam iustitiam*. Secundus sensus si admittatur, satis liquet non quadrare hæc verba Iacobi instituto, immò potius cum eo pugnare, si id fuit eius institutum quod ei affingunt Pontificij. Si prior illa sententia admittatur, æquè absurda erit ratiocinatio Iacobi. Scriptura testatur Abrahamum fuisse quadamtenus iustificatum cùm credidit, Ergo hoc testimonium Scripturæ impletum est cum offerret filium: nulla est cohæsio. Ut id interim prætereamus silentio, quod hominis iustitia coram Deo diuidi non potest, & id dicatur imputari in iustitiam quod locum iustitiæ obtinet. Itaque esto, sit fides in se iustitiæ pars tantum, ne sit iustitia, si tamen imputetur à Deo in iustitiam, pars iustitiæ in se, quod non est in se iustitia, habebit apud Deum æstimationem & pondus totius iustitiæ, ut si pars debiti soluta, aut verò id quod nulla ratione pars debiti esse potest imputetur in solutionem debiti. Debitum enim in Scriptura id propriè significat quod homo Deo debet, non deberet autem homo Deo fidem iustificantem nisi exstaret promisso gratuita salutis, immò homo peccaret credendo nisi præcederet gratuita promissio: Nam (ut alias monuimus) non peccant Diaboli eo quod non credant Christum sibi peperisse salutem. Itaque *fides* gratuita, *promissio*, *salus* & *redemptio* per Christum parta idem significant in Scriptura: unde etiam iustificari *fide*, *gratia*, *sanguine Christi* idem sunt. At pœnitentiæ & amoris erga Deum alia ratio est, etenim etiam Diabolus debet amorem Deo, & pœnitentiam etiam si Deus ipsum occidat, quatenus *pœnitentia* & *amor* (quo qui semel peccauit Deum prosequitur) eodem redeunt.

Sic arbitramur refutatam Pontificiorum sententiam. Sed qui à Pontificiis dissentiunt non eodem modo hunc locum interpretantur: Nam alij volunt Apostolum eo loco agere de iustificatione nostra coram hominibus, quæ explicatio stare non potest, ut quidem nobis videtur. Primò quia illud opus Abrahæ, quo dicitur obtulisse filium, patratum est remotis omnibus arbitriis, solus testis erat Isaac, qui nec potuit mentem patris nosse nisi ex euentu, Addamus & hoc, nullum opus esse externum quod hypocrita non possit imitari. Deinde, inquiunt Pontificij, agitur hoc loco de iustificatione quæ fit partim operibus partim etiam fide, at iustificatio nostra coram hominibus non advocat fidem, imò fides eiusmodi est ut nulla ratione possit nisi per opera innotescere. Itaque iustificatio coram hominibus non fit nisi per opera: nam quod fit per causas subalternas, non dicitur fieri partim per illas: verbi gratia, ignis calefacit per formam mediate calore, nemo tamen dixerit ignem calefacere partim per formam, partim per calorem. Itaque hoc argumento permoti alij, aliter hunc locum interpretati sunt. Negant enim apud Paulum verbum *iustificationis* aliud significare quàm apud

Aliorum interpretationes rejiciuntur.

Iacobum, ſed Metonymiam quærunt in vocabulo *operum*, aiunt enim metonymiam eſſe effecti pro cauſa: vt nempe cùm Abraham dicitur iuſtificatus ex operibus nil aliud intelligatur, quàm quod Abrahamus iuſtificatus ſit per fidem, non inane illud ſpectrum fidei quod Iacobus exagitat, ſed viuam efficacem & per charitatem operantem. Quæ interpretatio optimè quadrat cum mente & ſcopo Iacobi, cuius conſilium eſt hoc loco non diſputare quo modo iuſtificemur, ſed cuiuſmodi ſit, & quod ingenium illius fidei qua iuſtificamur. Attamen quia hæc metonymia dura videri poſſit & parum viſitata in Scriptura, tentemus & nos aliam huius loci interpretationem.

Vera proponitur.

Noſtra igitur hæc eſto. Ac primò quidem tenendus eſt ſcopus Iacobi, is autem tenebitur ſi conſideremus propoſitionem, & propoſitionis illius concluſionem.

Iacobi Propoſitio.

Propoſitio eſt verſu 14. *quæ vtilitas, fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera verò non habeat, num poteſt fides illa eum ſeruare?* vnde conſtat Apoſtoli conſilium eſſe probare, fidem quam ſe opinantur habere qui opera non habent, non eſſe eam fidem qua quis ad ſalutem niti poſſit. verba enim illa, *ſi fidem dicat aliquis ſe habere*, ſatis oſtendunt Apoſtolum non diſputare hoc loco aduerſus veram fidem, ſed aduerſus eam quæ opinione hominum fides eſt: porrò *dicere* hoc loco eſt mentis non oris, nemo enim vſque adeo impudens eſt vt audeat gloriari palam & apertè de ea fide quæ nulla habeat opera conſequentia. Tandem propoſitio concluditur v. 26. quo tota clauditur diſputatio, *nam ſicut corpus abſque ſpiritu*, &c. quorſum enim illa pertinent? certè vt ſignificetur fidem illam quæ non habet opera conſequentia non eſſe fidem viuam, ſed mortuam, proinde illa fide neminem poſſe vitam conſequi. Cùm ergo hic ſit ſcopus diſputationis Iacobi, neceſſe eſt eam interpretationem verborum, quibus vtitur Apoſtolus in hac diſputatione, eſſe maximè idoneam, quæ facit vt liqueat rectè concluſam eſſe ab Apoſtolo propoſitionem diſputationis: contrà, eam interpretationem falſam eſſe quæ, ſi admittatur, Apoſtolus non effecerit quod propoſuerat: cùm ergo Pontificiorum interpretatio ſit eiuſmodi, ſequitur continuò eam falſam eſſe & rejiciendam.

Propoſitionem ſuam Iacobus probat.

1. Primum argumentum quo oſtendit Apoſtolus veritatem propoſitionis, ductum eſt à ſimili, v. 15. 16. Quemadmodum illa charitas nullam habet vim quæ tota eſt in verbis, vt cum quis pauperi benè precatur, nec eleemoſynam illi indulget: ſic, inquit Apoſtolus, ea fides inanis eſt quæ tota in inani quadam opinione fidei ſita eſt, & vano ſimulacro fidei quod nullam habet vim & efficaciam.

2. Secundum argumentum proponitur v. 18. cuius hæc eſt vis, Fides inanis eſt obnoxia graui incommodo, poteſt enim ei detrahi larua, nempe aliquis poterit ſic compellare hominem de inani fide gloriantem, *oſtende mihi fidem tuam*, neque poterit is regerere ſic vrgenti, *& tu oſtende mihi fidem tuam*, reſpondebit enim, *ego tibi oſtendam fidem meam ex operibus*. Argumentum tale eſt, Vera fides non eſt otioſa, non poteſt latêre, operatur per charitatem, fides illa hypocritica otioſa eſt, itaque non eſt vera fides. Vbi notetur obiter, hoc argumentum Iacobi nullum habere pondus ſi vera fides poſſit ſeiungi à charitate.

3. Tertium argumentum proponitur v. 19. Potuit enim hypocrita reſpondere, ego planè perſuaſum habeo Deum eſſe, & quidem vnum (hoc eſt ſymbolum quo Eccleſia Chriſtiana & Iudaica diſtinguitur à gentibus) at, inquit Apoſtolus, ne ſic quidem euadet hypocrita, nam ita præuenietur, illa non eſt fides Chriſtiani hominis quæ Dæmonibus ineſt; at illa fides qua quis Deum credit eſſe vnum, nec habet opera, Dæmoni ineſt, itaque non eſt vera illa fides quæ requiritur in homine Chriſtiano.

4. ab exemplo Abrahami.

Quartum argumentum proponitur verſ. 21. 22. 23. & ductum eſt ab exemplo Abrahami, eſt autem eiuſmodi: Ea ſola fides eſt vera quæ ſimilis eſt fidei Abrahami Patriarchæ (vbi obſeruate Abrahamum ornari eodem elogio hoc loco à Iacobo quo ornatus eſt à Paulo cap. 4. ad Rom.) at fides illa quæ eſt ſine operibus non eſt ſimilis fidei Abrahæ, & qui illa fide ſunt prædit, non ſunt ſimiles Abrahæ, quia Abraham ex operibus fuit iuſtificatus, id eſt, operando dedit experimentum fidei ſuæ: vt 1. ad Timoth. cap. 3. verſ. 16. Deus dicitur *manifeſtatus in carne, iuſtificatus in ſpiritu*, hoc eſt, dediſſe experimentum ſui vi ſpiritûs, vi diuinitatis ſuæ.

vera interpretatio loci huius. quomodo Abraham iuſtificatus ſit ex operibus.

Sed quæri poteſt hoc loco, cui dedit Abraham experimentum fidei ſuæ? numquid hominibus? at hoc ſupra rejectum eſt: numquid Deo? At Deus experimento non habet opus. Reſponſio facilis eſt, *proba me*, (inquit Dauid) *tenta me*, & Deum compellat, immò in conſcientiæ ſuæ receſſu, & adyto. Et 22. cap. Geneſ. (vnde deſumpta eſt hæc hiſtoria cuius hoc loco meminit Iacobus) dicitur diſertis verbis Deum tentaſſe Abrahamum, & cùm in eo eſſet vt iamjam immolaturus eſſet filium, impetu eius inhibito, *nunc* (inquit Angelus Dei, Chriſtus ſcilicet) *cognoſco quod diligis me, quia non peperciſti filio tuo*. Dicamus ergo Abrahamum hoc pacto iuſtificatum eſſe operibus apud Deum, non iuſtificatione cauſæ, nam illa eſt à ſola fide, ſed iuſtificatione effecti & ſigni.

Illuſtratur ſimili phraſi.

Res illuſtretur alia phraſi qua Iacobus vtitur 1. cap. verſ. 12. *Beatus vir qui tolerat tentationem, quoniam cùm probatus erit*, δόκιμ☉ γρόμϑ☉, hoc eſt, δικαιωθεὶς *accipiet coronam vitæ*. Iam verò probatio illa non facit vt res ſit, ſed dat rei, quæ iam eſt, ſpecimen & experimentum. Sic Petrus 1. Cathol. capite 1. *vt*, inquit, *exploratio fidei veſtræ multò pretioſior exploratione auri quod perit, & tamen per ignem exploratur, comperiatur in laudem veſtram*. Porrò, quod dicunt Deo opus non eſſe experimento, hoc ſanè verum eſt, at non perinde ſequitur, homines non præbere ſui experimentum Deo; itaque Apoſtolus ait, *ſtudemus nos approbare Deo*. Nec eſt Pontificiorum vllus qui auſit negare charitatem iuſtificari ex operibus; quod non tum duntaxat habet locum, cùm adſunt arbitri & teſtes, ſed etiam remotis arbitris, alioqui quorſum tenderent hortationes Apoſtoli vt nosmetipſos exploremus, an ſimus in fide? Quemadmodum ergo etiamſi nullus agnoſceret Chriſtum, tamen verè eſſet iuſtificatus in ſpiritu, ita quamuis Abraham nullum haberet operis illius conſcium, tamen verè foret δικαιωθεὶς.

Probatur hæc interpretatio. 1.

Hanc autem eſſe Apoſtoli mentem hinc patet, quod diſertis verbis docet, & quidem, verbis quæ proximè ſequuntur, fidem Abrahæ eſſe adminiſtram horum operum: ait enim fidem συνήργει τοῖς ἔργοις. Quæ verba Syrus Interpres ſic vertit, *fides adiuuit opera*, id eſt, fuit efficax in operibus, vt poſtea Apoſtolus explicat aliis verbis *fuit perfecta fides ex operibus*, quomodo (vt ſupra explicatū eſt) *virtus Chriſti perficitur in infirmitate*, nempe in infirmitate

tanquam in subjecto, non per infirmitatem tanquam per effectum, non quòd potentia Christi quidpiam mutuetur à nostra infirmitate, sed quia in ea se exerit, consimili ratione fides *perfici per opera* dicitur quia per ea se prodit. Nam si Apostoli mens fuisset docere fidem cooperari operibus ad iustificationem, profectò aliis verbis vsus fuisset, & dixisset potiùs opera cooperari cum fide, quam fidem cum operibus. Et præterea, quomodo potest intelligi fides perfecta ab operibus, si opera non addiderunt aliquam perfectionem fidei in negotio Justificationis? At certè clarum est nullam perfectionem addi fidei ab operibus in negotio Justificationis, siquidem à fide proficiscuntur tanquam à causa: atque ita bona opera, proficiscuntur à fide tanquam à causa, vt non sit bonum opus quod à fide non sit profectum. At dicet aliquis, cur non dixit Apostolus fidem ἐνεργεῖν, sed potius dixit συνεργεῖν. Responsio in promptu est, res est Apostolo cum hypocritis, qui vnicum opus fidei putabant esse *credere*, at Apostolus aliquid requirit ampliùs in vera fide, ut non tantum se exerat in credendo, sed etiam in operando, atque ideò dixit συνεργεῖν, & πλειωθῆναι, hoc est perfectionem suam ostendere in operibus. Id ipsum probatur verbis Apostoli quæ habet ℣.23. quibus docet impletam esse Scripturam quæ Abrahamo laudem fidei tribuit, cùm Abrahamus offerret filium suum, laus autem ista fuisset inanis nisi Abrahami fides sese probasset operibus, non enim ei debet laus fidei tribui qui destitutus est vera fide, is autem destitutus est verâ fide qui eam non probat factis. Itaque ℣.24. concludit Apostolus non ex fide tantum dari experimentum veræ fidei, id est, non tantum credendo, sed etiam operando per veram charitatem; nisi quis malit *fidem* tantum dici Apostolo eam fidem in qua nihil est præter τὸ *credere*, quod etiam in eo est qui vera fide destitutus est, sunt enim plures fidei species. Quintum argumentum Apostoli est ductum ab exemplo Rahabæ; vbi obseruandum est tam hoc exemplum, quam exemplum Abrahæ afferri ab Apostolo cap.11. ad Hebr. ad probandam vim veræ fidei; itaque vtrumque exemplum eodem referendum est. Sequitur Apostoli conclusio ℣.26. corpus quod nullam habet vim sui mouendi, destitutum spiritu, mortuum est, & homonymῶς tantum corpus, reuerâ cadauer est: sic planè ea fides quæ non est efficax in operibus cadauer est fidei, non vera fides. Porrò corporis exemplo potius quàm imaginis vti voluit, vt res videretur vilior & contemptior, & denique fœdior, nil enim mortuo corpore fœdius est. Nam quod Pontificij dicunt spiritum esse causam vitæ corporis, dixerint nè etiam opera esse fidei causam? aut, an perinde dicent motum tribui fidei per opera, ac anima corpori motum tribuit? cum sit certissimum Apostolum dicere fidem συνεργεῖν τοῖς ἔργοις, at corpus animæ συνεργεῖν nemo satis sanus dixerit. Itaque tantum abest ut ex eo loco probari possit fidem à charitate posse seiungi, ut contrà nullus sit locus qui luculentius probet fidem cum charitate esse quàm coniunctissimam.

2. 3. 4.

5. Argumentum quo Iacobus probat propositionē suam.

1. Argumentum Pontif. quo probant fidem separari ab operibus.

Quartum argumentum quo probant charitatem posse seiungi à fide, sumitur ex cap.1. Epist. ad Philip. *Datum est vobis* (ait Apostolus) *non modò credere in Christum sed & pro Christo pati.* Sic igitur colligunt, Potest quis in Christum credere etiam si non patiatur pro Christo, itaque fieri potest vt quis credat in Christum etiam si Christum non amet. Antecedens putant sequi ex verbis Apostoli, nam si cuicunque datur credere in Christum, eidem daretur pati pro eo, frustrà, immò nugatoriè (quod absit) dictum esset ab Apostol. *Datum est vobis non modo credere in Christum, sed & pati pro eo.* Respond. Etiamsi detur fieri posse ut quis credat in Christum, cùm tamen idem non patiatur pro Christo, non sequi tamen continuò veram fidem posse esse sine charitate: fieri enim potest vt is amet Christum qui pro Christo nihil vnquam passus est, ut ij qui nunquam vocati sunt ad hoc à Deo ut patiantur persecutionem ob nomen Christi, quod est apud Apostolum, *pati pro Christo.* Nec obstat quod Apostolus id numerat inter dona Dei, cùm Apostoli flagris cæsi ob Christi nomen gratias agant Deo, *quod digni habiti sint qui Christi causa affligerentur*, Act.5.41. Hæc itaque est mens Apostoli, non modò vobis datum est credere in Christum, sed etiam hoc vos honore affecit Deus peculiari, ut pro Christo patiamini. Sed esto, Apostolus aliud voluerit, nempe datum esse Philippensibus non modò ut credant, sed etiam ut æquo animo tolerent res aduersas, non sequetur tamen alterum ab altero posse seiungi. Nam & Apost.cap.5.ad Rom. affirmat fide iustificatos gloriari in spe gloriæ Dei, *neque id solum* (inquiunt) *verùm etiam gloriamur in afflictionibus.* Nùm quod Apostolus sic locutus est, vel pronuntiabimus Apostolum nugatoriè locutum, vel fieri posse ut qui glorientur spe gloriæ Dei, idem non glorientur in afflictionibus? Nam quod aiunt, committi ἀδολεσχίαν si fides à patientia non potest seiungi, id ipsum de spe verâ & glorificatione filiorum Dei, quam Apostolus docet etiam vigere in afflictionibus, dici posset. Cæterum, dona quæ sunt distincta inter se non continuò diuisa sunt, & separata: certè aliud est *credere*, aliud *ferre res aduersas patienter*, at fieri non potest ut qui credit ἀνυποκρίτως, idem non ferat patienter crucem. Itaque Apost. 10. ad Heb. quo loco disputat de patientia hortaturque Hebræos ad patientiam, subiungit continuò consolationem, *Iustus*, inquit, *ex sua fide viuet*, quasi locus esse non possit fidei vbi patientia locum non habet.

Resp. 1.

2.

Quintum argumentum est, In Ecclesia sunt boni & mali, Ergo in Ecclesia potest esse fides sine charitate. Ratio consequentiæ est, qui fidem non habet non est in Ecclesia, mali sunt in Ecclesia, quidam igitur mali fidem habent. Respond. ad argumentum. In vera Ecclesia tantum boni sunt, cæteri sunt in Ecclesia professione tenus. Itaque tantum abest ut hoc argumento probari possit fidem posse seiungi à charitate, ut contrà hoc argumento vel maximè id probetur, fidem non posse seiungi à charitate. Sic ergo colligimus, Contrà quos non possunt præualere inferorum portæ, illi non possunt esse destituti charitate, At contra Ecclesiam non possunt præualere portæ inferorum. Ergo. At respondebunt, Ecclesiam in quibusdam non esse destitutam charitate. Sed responsio futilis est, nam sic contra aliquam Ecclesiæ partem præualebunt portæ inferorum, quod est absurdum, cum Ecclesia tota sit corpus Christi, & hauriat vitam à Christo Capite. Sextum argumentum. Si charitas non potest seiūgi à fide id fit, vel quia charitas est de ratione fidei, vel

5. Argum. Pontif.

Retorquetur.

6 Argumentum.

fidei, vel quia charitas sequitur necessariò fidem: At neutrum verum est; Non prius, sunt enim distinctæ virtutes *fides* & *charitas*: non posterius, quia fides disponit tantum, alioqui tolleretur liberum arbitrium. Respondeo, hoc argumentum esse vanissimum: nam pari ratione patientia poterit separari à charitate, alioqui si qui verè amat Deum is necessariò patiens est in tribulationibus, sequetur ex eorum sententia, hominem esse destitutum libero arbitrio, quando charitate necessariò inducetur ad patienter toleranda aduersa. Septimum argumentum. Si aliquis actus fidei potest esse sine actu charitatis, tum nihil prohibet quin omnes actus fidei sint sine charitate: & hæc ratio consequentiæ: Si primus actus fidei potest esse sine actu charitatis, cur non & secundus? si secundus, cur non & tertius? & ita deinceps: At aliquis actus fidei est sine charitate, nempe primus actus. Respondeo, hoc argumentum viro docto indignum est, nam pari ratione probo charitatem posse esse sine patientia, nam prior est actus amandi Deum quàm actus patientiæ: Itaque & sic colligo, si aliquis charitatis actus potest esse sine actu patientiæ, ergo & omnes actus. Sed vt ad rem ipsam respondeam, dico primò, non continuò sequi ex eo quod aliquis actus prior est effecto suo, actum illum non posse esse sine effecto suo, potest quidem esse sine eo tanquam antecedente, & tanquam concomitante, at hoc ne fando quidem vnquam auditum est, aliquid quod prius est prioritate causæ, posse sine effecto suo esse semper, Sic visio Dei in vita futura certè prioritate causæ præcedit amorem Dei: Ergo poterit visio Dei esse sine amore? absurda consequentia. Sic in hac vita prius verè cognoscimus Deum quam verè Deum amemus. Itaque Apostolus (quod annumeretur argumentis quibus probatur coniunctio fidei cum charitate) cap. 1. Epistolæ ad Tim. *Finis*, inquit, τῆς παραγγελίας *est charitas ex corde puro & fide non simulata.* Et 1. cap. 2. ad Tim. reddens causas gaudij sui cum de Timotheo cogitat, *Quia* (inquit) *subit animum recordatio fidei tua* ἀνυποκρίτου: Ergo prius Deus cognoscitur in hac vita quàm amatur, & eodem modo amatur quomodo cognoscitur. Itaque impij homines (1. cap. Epist. ad Tit.) dicuntur Deum profiteri se cognoscere, quem factis abnegant. Respondeo secundò. Vno eodemque momento nos credere & amare, quamquam credere naturâ prius sit, vt beati in vita futura quàm primùm Deum vident Deum amant. Quod sic demonstramus, si esset momentum aliquod quo amamus, puta A, quo momento non crederemus, puta B, sequeretur nos quando amamus in A, hoc momento non credere, quod fieri non potest, amaremus enim id quod non sciremus. Iam si non repugnat naturæ rei vt quis simul amet & credat, neque repugnabit item vt simul & credamus & amemus. Dabimus exemplum huius rei: forma prior est natura proprietatibus, at tempore forma & proprietas consequens formam simul introducitur: itaque falsum est vllum esse credendi actum seiunctum ab actu amandi, immò hæc sunt simul *credere* & *amare*, nisi quod alterum altero naturâ prius est. Octauum argumentum est. Non exprobrat Spiritus sanctus fatuis virginib. quod non fuerunt præditæ fide, sed quod non suppeteret illis Deum. Quasi verò ij quibus oleum non suppetit habeant veram fidem in Christum. Tum vnico verbo refellitur argumentum, omnes impij dicuntur *infideles*, piorum titulus est vt *fideles* vocentur.

Vltimum argumentum Bellarmini hoc est. Si (inquit) fides non potest separari à charitate, Iustificatio nostra penderet à charitate: At hoc absurdum est. Sed consequentia nulla est, nam non ideò fides iustificat quia charitatem gignit, sed ideò iustificat quia Christum amplectitur, immò ideò gignit charitatem quia Christum amplectitur, nam in quorum corde Christus per fidem habitat, illi non possunt non amare Christum. *Charitas Christi* (inquit Paulus) *nos constringit:* & quando? cùm scilicet cogitamus *quod si vnus mortuus est pro omnibus, omnes mortui sunt.* Nec sequitur iustificationem nostram esse incertam, cùm charitas sit imperfecta, nempe fides non est tanti apud Deum quia fides est, aut charitatem gignit, sed quia per eam reddimur membra Christi, qui solus est iustitia nostra apud Deum.

Priusquam vlterius progrediar, necessarium duco explicare argumentum à me propositum paulo explicatiùs aduersus Bellarminum. Ille enim sic argumentatur. Aliquis actus fidei præcedit actum charitatis, ergo fides potest esse sola: Iam ut illud confutaremus vsi sumus duobus argumentis, quorum prius est, Si actus fidei quo credimus, & actus charitatis quo amamus non possunt esse simul, sequetur quo momento amamus eo nos nõ credere, & contra, quod est absurdum; quia animus in vita futura interdũ amaret, interdum videret Deum per vices, quod est absurdum: ut si credit in momento A, non amat in illo momento, & si amat in momento B, non credit in illo momento, si actus amandi & credendi sunt disiuncti. Alterum argumentum à me allatum est hoc, si quo momento credimus eodem non amamus, quo amamus eo non credemus: At hoc dixi esse absurdum, quia amor noster ferretur in rem quam dum amamus non cognoscimus. Itaque sicut non sunt diuersa momenta quibus res pulchra cernitur & amatur, sed ista sunt ordine naturæ distincta, prius enim est videre rem pulchram quàm eandem visam amare, scilicet natura, tempore autem ista coniuncta sunt, sic Deum non prius tempore agnoscimus per veram fidem in Christum quàm eundem amemus: quod Paulus explicauit clarè tertio capite posterioris ad Cor. *Nos omnes* (inquit) *qui retecta facie gloriam Dei in Christo contemplamur, transformamur in eandem imaginem*, quæ transformatio naturâ quidem sequitur illam contemplationem, sed tempore simul est.

Iam soluemus propositam initio quæstionem, Cùm ita se res habeat ut fides à charitate nequeat sejungi, consequens est ut nec possit separari ab humilitate, vnde igitur factum fuit quod Apostoli vera fide præditi de primatu, & quidem terreno, inter se contenderint? siquidem illa contentio non humilitatis, sed potius superbiæ fuit. Respond. tenendum esse artè actum fidei & actum charitatis non posse à se diuelli, sed ita tamen ut si remissus sit & minus vehemens fidei actus, remissus item sit & minus vehemens charitatis actus, etenim amamus prout credimus, amamus prout cognoscimus, & vehemens & contentus fidei actus vehementem gignit & contentum charitatis actum. Itaque Paulus cap. 4. 2.

H

Marginalia: Resp. — 7 Argumentum. — Resp. 1. — 2. — 3. — 8 Argum. — 9. — Explicatur refutatio argumenti septimi. — quomodo factus Discipulorum potuerit cum vera fide consistere.

ad Cor. quo loco agit de patientia & constantia sua, *Credidi* (ait) *ideò locutus sum*; nempe (vt ex antecedentibus & consequentibus constat, legatur 3.4.5. cap.) hoc vult Apostolus, vis ac vehementia fidei meæ tanta est vt fieri non possit, quin id quod credo omnibus annuntiem, cùm ad id munus à Deo vocatus sim. Itaque cùm Petrus Christum Dominum abnegauit, fides eius se remiserat, labefactata fuit, quemadmodum cùm Adam pater omnium nostrum peccauit, peccauit tum primum cùm fides eius in Deum cœpit labascere, cùm illa cogitatio subiit animum eius, Deum illi inuidere fœlicitatem illam quasi debebatur naturæ eius. Et pari ratione fidei habitum cõsequitur charitatis habitus, nam quæ ratio est actus ad actum, eadem est ratio habitus ad habitum, nam actus perfectus, facilis, expeditus notat habitum perfectum. Itaque qualis est fidei habitus talis est & charitatis, si fidei habitus esset perfectus charitatis habitus esset etiam perfectus. Itaque cum in hac vita fides nostra imperfecta sit, necesse est item habitum charitatis esse imperfectum. Quod si habitus charitatis, sit imperfectus, necesse est vt aliquando à nobis eæ actiones proficiscantur quæ charitatem non sapiunt, alioqui habitus charitatis perfectus esset; hoc autem contingit non quod prorsus destituti simus charitate, sed quod ea charitas non sit omnibus numeris absoluta. Eæ autem actiones sunt vel actiones quidem charitatis, sed quæ admistam habent multam imperfectionem, vt cùm qui pauperi eleemosynam erogat, neque tamen hoc facit satis libenter, certè in hac actione elucet & amor & neglectus proximi, & amor tamen neglectum superat, nam si neglectus superaret amorem, eleemosyna non erogaretur; eleemosyna, inquam, quatenus eleemosyna est, nam opus externum potest obiri etiam sine charitate; vel id fit cùm aliquod opus editur in quo ne mica quidem charitatis apparet, vt quæ faciunt homines irati, & qui æstu libidinis abripi se patiuntur. Hæc autem diuersitas oritur inde quod fides aliquando agit, aliquando feriatur, & cùm agit, aliquando perfectius, aliquando minùs perfectè operatur, vnde in actionibus charitatis minus aut plus apparet vis amoris à fide excitati, at cùm fides planè cessat, tum eduntur illæ actiones etiam à piis quæ pios minimè decent. Quid igitur, inquiunt, discriminis est inter pios & impios, credentes & incredulos? nempe quod quemadmodum ij qui præditi sunt habitu virtutis (vt petamus exemplum ex Ethnicis non alienum) tamen aliquando ea faciunt quæ homines etiam flagitiosi admittunt, at non id faciunt crebrò, more quodam, & solentes: cuius rei hæc est ratio, quod actionum frequentia habitum testatur, si vitiosæ sunt, vitij, si verò bonæ sunt, virtutis, at, vt egregiè Aristoteles in eodem penè argumento, *vna hirundo non facit ver*. Itaque & Dauid adulterium & homicidium commisit, & Petrus Dominum abnegauit, & quidem adhibito perjurio ad cumulum peccati, neuter tamen ea scelera sæpius patrauit, nempe pugnat frequentia talium actionum, aut repetitio etiam, cùm vi habitus illius quo præditi fuerant. Itaque nihil prohibet quominus Apostoli ad tempus contenderint de primatu cùm præditi fuerint vera fide & charitate, si quidem in istis contentionibus non perseuerarunt, sed resipuerunt.

Habitum charitatis imperfectum sequuntur actiones

vel imperfectæ

vel etiam malæ.

Discrimen inter pios & impios quum peccant.

Hæc dicta sunto in genere, speciatim autem distinguenda est superbia: Est enim quædam superbia (quod de superbia dicimus, de quouis peccato dictum intelligatur) quæ stare cum vera fide nullo modo potest, qualis est illa superbia quam Scriptura vocat רום שינים *elationem oculorum*, item עינים רמות *oculos elatos*, נובה אף *nasi eminentiam*, item זדון לב; hæc superbia non potest stare cum fide, oritur enim à contemptu Dei & proximi: quemadmodum cum castitatis habitu quædam actiones planè repugnant, ut illa flagitia quæ Christiano homini nefas est vel nominare, attamen quædam actiones (modò non sint repetitæ) cum habitu castitatis cõsistere possunt: quemadmodum actiones quædam quæ temperantiam sapiunt cum habitu luxuriæ possunt stare. Sed est alia quædam superbia quæ oritur ex incogitãtiâ, cùm quis oculos dum habet defixos in cogitatione rerum terrenarum citrà comparationem earum cum Deo, earum fulgore ad tempus perstringitur: ut Petrus dum perculsus mortis metu hæret totus in ea cogitatione, non conuertit animi oculos ad Christum, labitur itaque: at postquam cœpit cogitare de Christo, resipiscit continuò. Sic Dauid primum incogitantiâ impellitur in adulterium, tum objicit se illi pudor & infamia, & dum nusquam aliò oculos deflectit, protruditur in homicidium, at cùm admonitus Deum cogitat, eius fides, non secus ac puluis tormentarius admoto igni, prodit continuò vires suas. Jam verò ista Discipulorũ superbia non fuit prioris generis, sed posterioris. Quod si quærat quis vnde fiat ut qui semel peccauit incogitans non repetat easdem actiones crebrò, Respondetur id fieri quia pugnat actionum malarum repetitio cum virtutis habitu, non pugnat vna aut altera actio mala.

Duplex Superbia 1.

2. ex incogitantia.

AD MATTH. Cap. XVIII. Vers. 2. vsque ad 6.

2. Καὶ προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν.
3. Καὶ εἶπεν, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε, καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.
4. Ὅστις οὖν ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὗτός ἐστιν ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.
5. Καὶ ὃς ἐὰν δέξηται παιδίον τοιοῦτον ἓν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου ἐμὲ δέχεται.

2. *Et quum euocasset puerulum Iesus, statuit eum in medio eorum.*
3. *Et dixit, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & fiatis vt pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.*
4. *Quisquis igitur demiserit seipsum, sicut est puerulus iste, is est maximus in regno cœlorum.*
5. *Et quisquis exceperit aliquem puerulum talem in nomine meo, me excipit.*

Quid sit esse Maximum in regno cœlorum, &, An dentur varij gradus gloriæ in vita futura.

Iam explicatum est à nobis qua mente quæsiuerint Apostoli quis esset futurus maximus in regno cœlorum, iam explicanda est responsio

Christus Discipulos suos

1. Reprehendit,

responsio Christi. Ac primo quidem loco Christus vtitur & admonitione, & reprehensione, rum constituto ob oculos Discipulorum puerulo respondit, eum fore maximum in regno cœlorum qui moribus suis referat imaginem illius humilitatis, & simplicitatis quæ in illa tenella infantum ætatula elucet: hæc sunt nobis sigillatim exponenda. Ut ergo redeamus ad id quod Dominus statim facit, hoc inprimis obseruandum est, Dominum non objurgare Discipulos suos, sed ita reprehendere vt simul moneat, neque enim ea fuit discipulorum conditio quæ eorum quorum animus obduruerat, supererant enim in Discipulis (vt supra declaratum est) multa quæ facerent vt Discipuli non essent alieni à Christo, tantum abest vt essent abalienati. Nam & Electi prius quàm vocentur alieni sunt à Christo, attamen non sunt abalienati. Itaque Dominus sic increpat Discipulos vt moneat interim, quod est patris erga liberos, & Doctores erga discipulos. Tum & illud occurrit, quod quamquam Christo constitutum fuerit Discipulos suos (quod testatur precibus iis quas profudit cap.17.Iohan.) conseruare, excepto solo filio perditionis, tamen interminatur inter reprehendēdum, & denunciat Discipulis suis fore vt excludantur regno cœlorum ni ingenium exuant & mutentur. Itaque non fuit Christus in ea sententia in qua illi sunt qui putant hortationes, minas, promissiones frustra adhiberi, immò verò ridiculè & absurdè, quando certa est & constituta eorum salus quibus promissiones fiunt. Erant enim (excepto Iuda) reliqui omnes Apostoli, quibuscum Christus hîc agit, ea conditione. Nisi (inquit Christus) *quos elegerim*, quæ verba dicta sunt ἐξαιρετικῶς, vt instituta sit comparatio inter reliquos Apostolos & Iudam: Sed de hac re (Deo iuuante) fusiùs disputabimus aliàs. Tertiò loco consideranda sunt ipsa Christi verba, aut sententia potius verborum quibus vsus est Christus. Inprimis autem obseruandum est, Christum non sic compellare Discipulos, vt dicat ἐὰν μὴ ἐπιστραφῆτε, sed simpliciter esse ait ἐὰν μὴ στραφῆτε: Nam ἐπιστρέφειν non significat simpliciter mutationem, sed pœnitentiam in Scriptura. Hîc autem etsi pœnitentiæ locus fuit, tamen Christus hoc noluit significare, sed tantum mutationem ingenij & affectus: nempe non modò fecit Discipulorum opinio hæc de Christi regno carnali, atque hîc Discipulorum fastus opinionem illam consecutus, vt discipuli indigni essent regno cœlorum, sed etiam vt ἀδύνατον esset vt qui sic animis essent affecti possent esse ciues regni cœlorum, seu spectemus quale sit regnum cœlorum in terra, seu cogitemus quale sit regnum cœlorum in cœlis, quæ distinctio regni cœlorum à nobis supra adhibita est & explicata. Nam & ij qui magnificè sentiunt de semetipsis, & qui earum rerum studio ducuntur quæ sunt positæ & constitutæ supra hominum conditionem, non possunt admitti in regnum Dei quale est in hac vita, multò minùs quale est in vita futura; & quidem seu *spiritualis* sit illa superbia, qualis non fuit Discipulorum, (nam *superbiam spiritualem* docendi causâ appellamus opinionem propriæ iustitiæ, de qua Paulus disputat sub finem cap. 9. Epist. ad Roman. cùm ait, noluisse Iudæos submittere sese Iustitiæ Dei dum suam iustitiam stabiliunt, quæ superbia Pharisaica dici potest)

2. Monet.

3. interminatur illis.

Discipulorum fastus.

Superbia spiritualis.

seu (quæ fuit Discipulorum superbia) intelligamus superbiam *carnalem*, quæ non oritur ex opinione propriæ iustitiæ, sed ex amore sui, & nos effert in res terrenas, abripitque earum cupiditate quæ in pretio sunt & honore apud homines. Nam regnum Dei etiam in hac vita in hoc situm est, quod Iustitia Dei in iniustitia nostra perficitur, dum impium iustificat per fidem (vt docet Apostolus Rom.4.) dum mortuos in peccatis viuificat, dum pollutos sanctificat, item dum eius virtus perficitur in infirmitate, id est, in cruce & afflictionibus suorum, nam 12.cap.2.ad Corinth. non agitur de peccato quum ait Apostolus, *Gloriabor in infirmitatibus*, sed de afflictionibus. Ergo neque spiritualis superbia, neque carnalis potest habere locum in iis qui volunt esse participes regni Christi. Non negamus tamen quin qui tales sunt indignissimi sint regno Christi, sed tantum monemus Christum non hoc tantum velle, sed docere illa esse ἀδύνατα, vt cùm filios Zebedæi sic compellat, *Potestisne calicem bibere quem bibiturus sum, & illo Baptismate baptizari quo baptizatus sum?* quasi diceret, rem quæritis quæ est supra conditionem vestram.

carnalis.

Venio iam ad responsionem Christi, in qua illud primò obseruandum est, quod responsurus Discipulis puerulum ob eorum oculos constituit, παιδίον enim hoc loco eodem sensu vsurpatur quo capite 1. Matth. vbi iubet Angelus Iosephum παραλαμβάνειν τὸ παιδίον. Nec obstat quod dicitur Christus aduocasse puerulum, nam apud Marcum Christus dicitur λαβὼν *assumpsisse* puerulum, & apud Lucam multò ἐμφατικώτερον *apprehendisse* puerulum injecta manu, græcè ἐπιλαβόμενος, & pertinebat ad suauitatem illam affectus Christi puerulum lactentem blandè compellare. Itaque non pugnant inter se Euangelistæ, cùm eorum vnus ait Christum προσκαλεσάμενον, alij verò Christum assumpsisse puerulum: nam si de puero hîc agitur, nullus est ferè adeo ingenuus puer, vt accedens ad ætatem illam quæ adolescentia dicitur, possit esse idoneum exemplum huius humilitatis, & simplicitatis ad quā Christus suos hortatur. Sed præcipuè consideranda est hoc loco ratio docendi, qua Christus vtitur: quæ in speciem à Christo satis rustice instituta videatur, cùm enim vtimur comparationibus non solemus res ipsas in medium proferre, sed rerū duntaxat vocabula vsurpare. At Christus, quia abhorruit ab ea ratione docendi quæ saperet elegantiam sęculi (vt in omnibus eius concionibus videre est) id sequitur docendi genus quod est ad captum plebis accommodatissimum: Iam verò hoc vnusquisque experitur, vt quoties cum affectu aliquid docet, toties cupiat non modò rerum imagines, sed multò vehementiùs rem ipsam ponere ante oculos; Itaque si quem objurgamus, non dicemus tantum esse *stipite* stupidiorem, si fortè cui objicimus stuporem, sed *hoc stipite*, modo nobis versetur ob oculos stipes. Id quod ideò obseruandum duximus, quia multi in hoc grauissimè peccant, quòd genus docendi Christi dum volunt exigere ad normam illam quam sequuntur sęculi sapientes, multa inuexerunt in religionem Christianam quæ prodigia potius sint quàm mysteria, cuius rei (si Dominus voluerit) exempla proferemus, sed tum cùm res ipsa id videbitur efflagitare.

παιδίον quid sit.

Christi ratio docendi.

accommodata ad vulgi captum.

cap.1. Epist. Iac. Deus dicitur dare omnibus ἁπλῶς quod dat, id est *benignè, misericorditer*; nam quemadmodum vbi crudelitas ibi fraus, ita vbi abest dolus ibi est mansuetudo. Eadem virtus in Scriptura dicitur אמת *veritas*, siue de Deo agatur, siue de hominibus, vt cùm dicitur Deus *facere misericordiam & veritatem:* vt cùm exploratores missi ad explorandum Ierico pollicentur *se vsuros misericordia & veritate erga Rahabam:* vt cùm Prouerb. 16. dicitur *expiari iniquitatem misericordia & veritate*, hoc est, Deum remittere peccata iis qui offensas fratribus remittunt, ibi enim vox significans antecedens, nempe *expiare*, ponitur pro voce significante consequens, nempe *remissionem peccatorum*.

6. Virtus τὸ ἀπείεργον.

Denique simplicitas etiam parit τὸ ἀπείεργον, nam curiositate, quæ vitium est humani generis, minimè laborant verè Christiani. Itaque nec altum sapiunt, nec suspicaces sunt, ideò nec cauti, sed expositi insidiis: quod quoniam Dominus perspexit, ante monuit vt hactenus simplices simus ne alios decipiamus, *Estote* (inquit) *simplices sicut columbæ:* hactenus autem cauti simus ne decipiamur, *Estote prudentes sicut serpentes.* Nam certè *filij huius sæculi*, quia non sunt præditi ista Christiana simplicitate, *in generatione sua multo sunt sapientiores filiis lucis:* vnde etiam fideles in Scriptura dicuntur ἁπλαβαὶ, quia facilè possunt capi.

An dentur varij in vita æterna gloriæ gradus.

Explicauimus naturam humilitatis Christianæ. Tenenda est nunc Christi mens, vt explicemus quid sit *esse maximum in regno cœlorum*, videtur enim Christus non obscurè innuere in regno cœlorum esse diuersos dignitatis gradus. Itaque nobis definienda venit illa quæstio, *Sint-ne omnes Dei electi pares in communione beatæ illius gloriæ quæ eos manet in cœlis.* Potest autem hæc quæstio vel sic disputari, vt quæramus cuiusmodi, hoc quicquid est, in se sit, vel, quid Scriptura super hac re nobis reuelauerit. Nos constituimus insuper habitâ priori ratione disputandi, de re tanta quærere quid Spiritus Sanctus nos velit in verbo credere seu de paritate, seu de imparitate gloriæ nostræ in cœlo. Et primo quidem loco proponemus eorum argumenta qui statuunt magnum fore discrimen dignitatis filiorum Dei in cœlis, tum expendemus eorum argumentorum pondus, denique tertio loco proponemus argumenta quæ possunt efficere vt diuersum sentiamus, & eorum argumentorum item vim considerabimus.

Affirmatiuæ partis argumēta. 1 Resp.

Primum ergo argumentum, quo nituntur qui existimant imparem fore gloriam filiorum Dei, hoc est, *Deus* (inquiunt) *reddet vnicuique secundùm opera sua.* Sed hoc argumentum leuissimum est, non enim hac locutione instituitur comparatio piorum inter se, sed piorum cum impiis. Itaque extremo illo die omnes pij collocantur ad dextram Christi, impij contra ad sinistram. Tamen magna accedit argumento vis si hoc addatur, Paulum 1. Cor. 3. docere vnicuique obuenturam laudem, & quidem peculiarem; agit enim de doctoribus, quos docet seruatum iri, sed ægrè, tanquam per ignem. Sed nec argumentum hoc perficit quod concludendum erat. Agitur enim de laude quæ vnicuique obtinget in magno illo die cùm occulta cordis patefient, non autem de beatitudine quæ extremum illud Iudicium consecutura est.

2. argum.

Secundum argumentum ductum est à statu impiorum in inferis. Verum neque hæc ratio cogit, nam pœna irrogatur meritò, piorum verò merces gratuita est. Itaque pœnas nihil prohibet esse inæquales, quando omnes impij non sunt æquè impij, mercedem verò id non facit inæqualem, cùm piorum nemo mercedem mereatur.

3.

Tertia Ratio hæc est. Paulus cap. 15. 1. ad Corinth. (quo loco disputat de resurrectione) disertis verbis ait, *aliam esse gloriam Lunæ, aliam Stellarum, Stellas inter se gloria differre, eandemque esse rationem resurrectionis.* Sed nec ista ratio quicquam efficit, nam Paul. eo loco disputat de differentia gloriæ corporum nostrorum in hac vita, & gloriæ qua induentur in vita futura. Non negat corpora nostra habere aliquam gloriam in hac vita, tantum vult eam immanè quantum differre à gloria reuelanda.

4.

Quarta ratio, cap. 12. Dan. (quo loco agitur de futura gloria) docet Propheta *fore, vt* המשכילים *fulgeant vt splendor firmamenti,* המצריקים *qui alios introducunt ad iustitiam splendeant vt Stellæ.* Sed hæc ratio leuissima est, iidem enim sunt משכילים & מצריקים *periti & doctores,* immò משכיל tam est in mphil quàm מצריק, sed quod referri nulla ratione potest, splendor firmamenti omnis est à stellis, nam firmamentum est quidem corpus pellucidum, sed lucem omnem mutuatur à stellis. Itaque vt maximè alij sint משכילים alij מצריקים, ille tamen locus potiùs effecerit vt sit par doctorum & discipulorum gloria, quàm vt sit impar. Et certè quid prohibeat tam pium esse auditorem quàm sit doctor, quod si non est donis locupletatus tot & tantis, id pertinet ad huius vitæ miseriam, peccatum non est quo detrudi mereatur in locum inferiorem in beato regno illo, alioqui & qui eleemosynam erogant, cum diuites sint, potiori essent loco in regno cœlorum quàm quibus eleemosyna erogatur, nam doctrina, institutio species est quædam eleemosynæ, nam & doctrina & eleemosyna habent pro obiecto miseriam, sed hæc corporis egestatem, illa animi inopiam.

5.

Quintum argumentum, *In domo patris mei* (inquit Christus) *plures sunt mansiones*; Sed nec hæc ratio concludit quod volunt, non enim notat disparitatem hæreditatis, sed magnitudinem & amplitudinem quæ tanta est vt sit ἀφθονία: Græci eleganter *copiam abundantiam* vocarunt ἀφθονίας, cùm vnicuique tantum suppetit quantum ut possideat nemini inuidet.

6. Resp. 1.

Sextum argumentum, *Similes* (inquiunt) *erimus Angelis, At Angelorum diuersi ordines sunt.* Respond. Angeli diuersorum ordinum (si Scholasticis credimus) diuersæ sunt speciei, itaque nihil mirum est si in Angelis perfectionis ratio diuersa est. At membra Christi non sunt diuersæ speciei, seu naturam seu gratiam spectes.

2.

Deinde quod diuersi ordines sunt Angelorum id proficiscitur à diuersitate ministerij, quod obiri non potest cum concinnitate quadam nisi fit distinctio quædam: At in beata vita nullus est ministerio locus, Deus enim erit omnia in omnibus, itaque ex diuersitate ordinum in Angelis non poterit concludi diuersitas gloriæ in Angelis.

3.

Sed quod perimit quæstionem hoc loco, id est, quod Christus agit eo loco de resurrectione, & ait nos quoad corpora similes fore Angelis non ratione substantiæ aut delineationis membrorum, sed eo quod neque cibo neq; potu ad conseruationem indiuidui, neq; item matrimonio ad conseruationem speciei indigebimus.

7.

Septimum argumen-

argumentum. *Verbum Dei est semen quod in aliis profert triginta, in aliis sexaginta, in aliis centum*, &c. Sed hæc ratio se ipsam refellit, agitur enim de efficacia verbi in hac vita, quæ non est tanta in his quanta in illis. Octauum argumentum: cap. 14. Apocal. *dicuntur sequi Agnum* 144000. *qui virgines sunt*, *Ergo* (inquiunt) *sunt quidam qui sequuntur Agnum, quidam qui non sequuntur, quorum gloria minor est.* Respond. si sint quidam qui non sequuntur Agnum illi miseri sunt, siquidem Sanctorum beatitudo in hoc posita est quod illustrantur gloriâ vultus Agni. Deinde illi qui sequuntur Agnum, sunt electi Dei, sunt virgo illa de qua Paulus 2. Cor. 11. quæ in hac vita fuit Christo desponsata, sunt ij qui dicuntur signati, ex singulis tribubus Israelis duodecim millia, ideoque 144000. nam hi numeri pares sunt. Nonum argumentum, *Qui parcè seminat* (inquit Apostolus cap. 9. poster. ad Cor.) *parcè metet*. At, inquam, parcè metere eo loco est nihil metere, sequitur enim continuò, *non ex necessitate, hilarem enim datorem amat Deus.* Itaque est hæc parsimonia affectus, quam vsque adeò execratur Deus vt eius generis sacrificia rejiciat, immò & morte mulctarit, etiam in hac vita, sic offerentes, testes sunt Ananias & Sapphira: quanquam locus ille intelligi potest de gaudio spirituali, & donis quibus Deus in hac vita gratuitò compensat benignitatem suorum erga fratres.

8.

9.

10.

Decimum argumentum, Luc. 19. Dominus noster regnum cœlorum atque eius statum describit parabolâ, qua inducit hominem nobilem seruis suis negotiandi causa pecuniam distribuentem, ea lege vt subductis rationibus quantum quisque lucratus est, tantum ab hero dignitatis consequatur, vnde concludunt, cùm lucrum impar fuerit dignitasque consecuta lucrum, necessariò sequi id ipsum habere locum in re quæ per parabolam significata est. Hoc est vnicum illud argumentum quod speciosissimum est, & plurimùm videtur facere ad probandam in cœlis gloriæ disparitatem. Cęterum non est propius intuenti consilium Christi vsque adeò vehemés ratio ut quæstionem definiat. Etenim omnes isti serui æquali fuerunt industria præditi, lucrum item geometrica proportione æquale; nam pro rata (vt loquuntur) tantundem omnes lucrati sunt. Itaque si hoc argumentum aliquid efficeret, hoc efficeret, dona, non vsum donorum, esse quæ nos reddunt gratos Deo, quod absurdum est. Nouimus enim in Scriptura viduam pauperculam fœminam tantum laudis reportasse ex eleemosyna quantum diuites. Immò verò Matthæus qui eandem recitat parabolam, non meminit huius disparitatis, sed contra omnes seruos eadem industria eandem mercedem accepisse. Quid igitur est? Nempe illud, non quæcunque ponuntur in parabola eadem applicanda sunt in parabolæ redditione, alioqui locus hîc foret merito de congruo. Nam Matthæus clarè testatur talenta fuisse distributa seruis pro seruorum facultate & ingenio, & seruus inducitur, cui pecuniæ minimum erat tributum, ita se excusans vt dicat, se metu perculsum & absterritum conscientia auaritiæ domini sui, talentum defodisse, quod non est credibile posse accommodari ἀποδόσει parabolæ, neque enim ingrati homines sic se apud Deum excusaturi sunt, neque vt ne vtantur beneficiis Dei hoc argumento deterrentur. Sed est hic mos Christi cùm simile adducit, non modò τὸ formale similis ponere, sed & iam τὸ materiale, ea lege vt τὸ formale similitudinis duntaxat spectetur in eius redditione, vt verbi gratia, Cùm quis partitur inter seruos munia, sic solet agere vt iste herus, quia ingenium humanum, & ratio vitæ id exigit. Itaque hactenus considerandum est materiale similitudinis. At materiale hoc non potest locum habere in distributione donorum Dei, non est enim par ratio, formale tamen similitudinis habet locum, nempe, quod quemadmodum qui hero lucrifaciunt, sibi lucrifaciunt si modò bonum & fidelem dominum nacti sunt, sic non frustrà laborant qui Domino laborant.

Resp. 1.

2.

Obseruatio circa Christi parabolas.

Undecimum argumentum. *Dominus promittit Discipulis fore vt sedeant in regeneratione iudicantes duodecim tribus Israelis, quo videtur singularis quadam dignitas Discipulis assignari.* Sed responsio facilis est, solet enim Dominus etiam cùm agit cum discipulis statum regni sui describere verbis significantibus regnum terrenum, atque ita verbis illis duntaxat significat præcipuam Apostolorum dignitatem in Ecclesia constituenda; nam nihil est necesse trahere hoc vocabulum *regeneratio* ad gloriam in cœlo significandam, cœpit enim Ecclesiæ παλιγγενεσία tum cùm Christus ascendisset in cœlum, & sedisset ad Dei dextram. Attamen cùm supremus gradus gloriæ Christi, quâ Mediator est, sit iudicare viuos & mortuos, & tum demum dici possit singulari quodam modo sedere in throno gloriæ suæ, ita interpretemur sane locum hunc, nihil tamen quod faciat ad rem inde concludi potest, nam & omnibus piis idem titulus tribuitur, & quidem magnificentioribus verbis, ut cùm Paulus cap. 6. prioris ad Cor. ait, fore vt etiam minimi è Corinthiis iudicent Angelos, quod est aliquid multò splendidius quàm duodecim tribus Israelis iudicare. Et Apocal. 2. pollicetur Dominus Thyatirensibus potestates ingentes, & Ecclesiæ Laodicensi, *si quis vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, vt & ego vici, & sedeo cum patre meo in throno eius.*

11. Argumentum.

Resp. 1.

2.

Duodecimum argumentum ducitur ex hoc loco quem explicamus, *qui se demiserit tanquam puer is erit maximus in regno cœlorum.* Respondetur primò nihil opus esse vt intelligamus hoc loco *regnum cœlorum* quale est in cœlis, quando nec Apostoli intelligebant illud, sed regnum cœlorum quale est in terra, vt is maximi faciendus sit qui maximè demissè de se sentit. Sed intelligatur etiam de regno Dei quale est in cœlo, tamē ne sic quidem efficient quod volunt, est enim Christi mos res quas magni debemus facere nominibus designare earum rerum quas magni facimus, vt cùm se dicit *panem, aquam, lucem*, &c. Sic Paulus fideles ait esse filios Abrahæ; vt si quis studio pulchritudinis nimiò esset effœminatior, hunc, si nos rogaret quis esset pulcherrimus, sic exciperemus, vt responderemus eum qui verè vir est esse pulcherrimum, nempe designantes nomine illius rei quam ille peruersissimo mentis errore appetit, rem maximè expetendam. Sic tenemus sententiam responsionis Christi, *vestra vera dignitas in hoc sita est, vt quam maximè demissè de se vnusquisque vestrum sentiat.* Decimum tertium argumentum. *Nisi esset in regno cœlorum imparitas gloriæ studium bonorum operum intepesceret.* Responsio facilis est, quos nec amor in Deum, nec spes vitæ beatæ, nec

12.

Resp. 1.

2.

similiter illustratur.

13.

inferorum horror à malo potest absterrere, eos fors præcipuæ cuiusdam dignitatis in cœlo non alliciet. Ut hoc interim taceamus, vix fieri posse vt hac spe nitentibus ad metam vocationis nostræ non obrepant cogitationes abhorrentes ab illa sinceritate amoris quem Deo debemus. Decimum quartum argumentum. *Aiunt in cœlo magnam fore confusionem si omnes prædìti sint eadem gloria, abhorrere autem à pulchritudine æqualitatem, vt videre est in ordine qui nullus est vbi paritas est.* Respond. primò, In quo tandem cernetur ista inæqualitas, num in cognitione Dei? num in amore Dei? vix concedent hactenus nos fore impares, nam qui in amore pares sunt, eos necesse est pari præditos esse cognitione rei amatæ. Ergo superest vt sit ista imparitas in corpore, at non videntur ista conuenire, vt qui eadem animi dignitate præditi sunt tamen dispares sint ea dignitate quæ elucet in corpore, quæ dignitatis animæ emphasis est duntaxat. Secundò Respond. Ordinem non esse in disparibus semper, sed in distinctis, vt in sancta Trinitate summa est æqualitas & paritas. Ergo ratio ordinis non est à disparitate, sed à distinctione, nihil autem vetat quominus par gloria dissimilis tamen sit, vt videmus in pulchritudine corporea, duo corpora pari pulchritudine & dissimili tamen, prædita. Decimum quintum. *Non sunt omnes pij præditi eadem sanctitate, iisdem donis in hac vita: Itaque necesse est, vt ne violetur proportio, vt eadem sit conditio piorum in vita futura.* Resp. Distinctionem quæ est inter pios in hac vita, vel esse ex peccati reliquiis quæ in vita futura nullæ erunt, vel ex vitæ vsu, quæ exigit vt sint alij qui doceant, alij qui doceantur, alij qui imperent, alij qui pareant, quorum neutrum potest habere locum in vita futura. Ultimum argumentum. *Omnes Patres fuerunt in hac sententia.* Quod animus non est refellere, non enim disputamus quis sit status in vita futura, sed an ex Scriptura demonstrari possit, aut rationibus firmis, dissimilem aut disparem fore gloriam.

14. Resp. 1. 2. 15. 16.

Ostendimus non posse demonstrari ex Scriptura imparitatem filiorum Dei in cœlis, sequitur vt profefamus ea argumenta quibus videtur probari posse parem fore dignitatem electorum in cœlo, quorum primum hoc est. *Deus* (inquit Apostolus) *erit omnia in omnibus* post resurrectionem carnis: Ergo Deus erit æqualiter in omnibus, nihil enim magis dici potest quàm vt sit omnia in singulis. Sed respondent, Deum quidem fore in singulis omnia, attamen pro singulorum modulo, & hîc adhibent quod est in Scholis vulgatissimum, *omne receptum recipi ad modum recipientis.* Itaque quanquam sol marmor & adamantem feriat pariter, attamen non pari modo admittitur in marmore & adamante lux Solis. Afferunt etiam simile, nam vasa quæ non sunt eiusdem mensuræ, tamen si in mare demittantur implentur ex æquo. Sed neque axioma illud, quod celeberrimum est, videtur commodè hîc adhiberi, nam omnes electi naturâ pares sunt: quare si feriantur illo sole ex æquo, necesse est vt ex æquo eius lumen admittant. Itaque electorum alius in hac parte non est instar marmoris, alter instar adamantis, nam marmor & adamas sunt res naturâ distinctæ, itaque non mirum si vna & eadem causa non producat in iis eundem effectum. Simile autem hoc vasculorum est prorsus dissimile in hoc argumento, & quidem in eo in quo consistit eius vis: sumus enim omnes vacui gloriâ Dei, & naturâ omnes eiusdem mensuræ: quare non est par ratio vasculorum quorum alia aliis minora sunt, & filiorũ Dei qui natura pares sunt. Itaq; vix est quod quis possit respondere ad hoc argumentum. Secundum argumentum hoc est, Dominus noster Iesus Christus cap.13. Euang. secundùm Matthæum, quo loco disserit de gloria cœlesti, asserit fore *vt iusti fulgeant instar solis.* Unde primò necessariò concluditur, locum illum qui citatur vulgò ex 12. Dan. non exponi cõmodè si trahatur ad astruendam imparitatem gloriæ, quia splendor Solis summus est: Itaque si omnes iusti splendebunt instar Solis, erunt præditi pari dignitate & gloriâ, alioqui dixisset Dominus fore vt alij sint instar Solis, alij instar Lunæ. Tertium argumentum adduci potest ex Iustificatione. Omnes ex æquo iustificamur, at Glorificatio est effectum Iustificationis. Itaque Apost. cap.8. ad Rom. à Iustificatione ad Glorificationem continuò progreditur. Cum ergo nulla sit imparitas in iustificatione, consequens videtur nullam fore in glorificatione nisi quis vitam æternam velit quidem acceptam ferre iustificationi, gradum verò in vita æterna sanctitati & donis in hac vita, quod est absurdum. Quartum argumentum, Christus effudit sanguinem pro omnibus nullo discrimine, & sancti etiam Martyres in cœlis (vt est 7. Apoc.) incedunt induti albis stolis, sed quæ albedinem illam contraxerunt ex sanguine Christi.

Negatiuæ partis argumenta. 1. Except. Resp.

Quintum argumentum dicitur à titulo filiorum Dei in Scriptura, quomodo sunt filij eo modo sunt hæredes, at sunt omnes pariter filij, Itaque & omnes pariter sunt hæredes. Sed respondeat aliquis illud non sequi. Verùm vrgeo filios Dei in hoc distingui à filiis hominem, quod inter hominum filios omnes non sint æquè parentibus chari, tum quod vnus duntaxat est qui dicitur primogenitus. At hi omnes filij Dei (excepto Christo) eo inter se pares sunt quod sunt omnes primogeniti. Itaque eo titulo insigniuntur ab Apostolo c.12. ad Hebr. *Accessistis ad conuentum primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis.* Sextum argumentum. Omnes electos Deus fecit Reges & Sacerdotes Apoc.1. Itaque æquales, nam regia dignitas summæ dignitatis symbolum est. Summæ autem dignitatis nulli sunt gradus. Septimum argumentum. Paulus 2.Tim.cap.4. ait coronam iustitiæ sibi reseruari, cùm tamen eandem coronam sibi communem esse dicat cum iis omnibus qui amant apparitionem Christi, vbi consilium eius est ostendere se eiusdem dignitatis fore cum reliquis fidelibus participem. Octauum argumentum. Omnes filij Dei erunt æquè sancti in cœlis, ergo erunt pari præditi gloriâ; Gloria enim sanctitatem sequitur vt sanctitatis ἀποτέλεσμα: nam quod Dominus noster cùm esset sanctissimus miser erat in terris, hoc factum est ex Oeconomia. At verò iam in cœlis excellit gloriâ supra reliquos, vt est sanctissimus ob vnionem hypostaticam. Nonum argumentum. Videbimus Christum sicuti est; Itaque par erit gloria, nam eorum qui vident Deum sicuti est hæc est conditio vt pariter Deum videant. Non est eadem conditio eorum qui Deum vident in ænigmate, quomodo Deus videtur in hac vita, nam videre Deum sicuti est, est videre eum quantum videri potest. Atqui Deus ab iis qui natura sunt eiusdem

2. Argum. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

eiuſdem conditionis ex æquo videri poteſt. Et ſi quis negaret ex eo quod videbunt omnes Deum ſicuti eſt ſequi paritatem gloriæ, refelletur ſcopo Apoſtoli qui hoc argumento vtitur ad erigendos filios Dei.

10. Decimum argumentum. Matth. capite 20: Operariis eadem merces tribuitur, tantundem ei qui ſole iam occidente vineam ingreſſus eſt, quantum ei qui toto die anhelauit in vinea; Neque poſſunt iſta referri ad τὸ materiale parabolæ; quia id non ſolet fieri in vitâ communi, tum quia ἐν ἀποδόσει *redditione parabolæ* Chriſtus hoc vrget *vltimi erunt primi, & primi nouiſſimi*, id eſt æquales. Sed ſolet hic reſponderi, intelligi vitam æternam in genere hoc loco: Sed ſi ita res habet ἀπόδοσις nulla eſt, tum nihil erat neceſſe reſpondere operariis querentibus ſe pertuliſſe æſtum diei, *an non licet mihi facere de meo quod libet?* poterat enim Dominus ſic occurrere, veſtra merces maior erit. Et certè cùm vita æterna ſit merces gratuita, ita ſit merces vt donum ſit, non videtur poſſe dici cauſa vt quibus datur iis non detur ex æquo.

11. Vndecimum argumentum. Terra Canaan fuit ſorte diſtributa, ne Tribus aliqua quereretur iniuriam ſibi eſſe factam, cùm Deus pro libertate ſua potuiſſet nullo ſortis interuentu ſingulis ſuas tribuere portiones, ſed vt exſtaret ſymbolum externum æqualitatis, Deus voluit diſtributionem peragi per ſortem. Etſi autem tribus Judæ propter œconomiam (quod ex ea tribu oriturus eſſet Chriſtus) reliquis prælata eſſet, tamen non niſi ſorte adiit poſſeſsionem terræ Canaan.

12. Vltimum argumentum hoc eſt, nulla fit in Scriptura mentio huius imparitatis; immò verò ſi legantur attentè capita Apocal. 21. 22. videtur potiùs futura par illa gloria.

13. Et certè extra controuerſiam eſt, præcipuam gloriam electorum (quæ eſt in amore Dei & proximi, qua ſimillimi Deo redduntur) fore æqualem. Iraque de corporis gloria pari non videtur relictus dubitandi locus, qui enim in eo quod maximum eſt pares ſunt, quid eoſdem prohibeat in ea parte eſſe quod non eſt tanti? immò ſic videtur augeri gloria eorum qui gloriâ ſunt præditi, ſi fratres habeant eadem præditos dignitate. Nam quod ſecus ſolet accidere in hac vita, id fit, vel eo quod vita miſeria eſt ob peccatum, vnde inuidia naſcitur, vel ob vilitatem gloriæ huius vitæ, eſt enim vſque adeò leuis & futilis, vt nullius animum exſatiare poſsit qui eam non poſsideat ſolus, at diſpar eſt ratio æternæ illius gloriæ, cui nihil decedit etiam ſi pluribus communicetur.

14. Huc etiam & illud accedit (quod erit Coronidis loco) quod tota Eccleſia dicitur pariter *ſponſa Chriſti*, Chriſtus pariter ſponſus Eccleſiæ, eodemque apparatu, eademque pompa nuptiæ Eccleſiæ triumphantis celebrantur in cœlo. Nec cogitari poteſt facilè quî fieri poſsit vt ſi diſpar ſit beatorum gloria, non ſint qui à primis immane quantum gloriâ ſuperentur, quando qui afferunt gloriæ imparitatem hoc præcipuè nituntur quod à nobis refutatum eſt, quod ſancti in hac vita pares non ſunt. Itaque neceſſe eſt vt totidem gradus imparitatis [ſi ſibi conſtare volunt] ſtatuant in vita futura: quod non videtur conuenire, immò videtur ſapere affectum carnis. Cæterùm Petrus Martyr hoc ipſum tractauit in Commentariis in caput 15. Epiſtolæ prioris ad Corint. ne cui hæc diſputatio noua videatur.

AD MATTHÆI Cap. XVIII. Verſ. 7.

Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων, ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα. πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται.

Væ mundo ab offendiculis, neceſſe eſt enim vt eueniant offendicula: verumtamen væ homini illi per quem offendiculum euenit.

DE SCANDALIS.

AD illuſtrandum hunc locum conſtitui tria explicare ordine. Primò quid ſit σκάνδαλον. Secundò, quæ neceſsitas ſcandalorum. Tertiò, quàm ſit iuſta illorum pœna qui ſcandala objiciunt. Scandalum verò eſt quo quis impellitur in ruinam & euertitur. Id autem fit multis modis, vel ſi quis imprudens impegerit pedem in lapidem aut eiuſmodi aliquid; vel ſi laqueo pes implicetur, vel denique ſi pes transfigatur, quod ſolet iis euenire qui incedunt per loca obducta ferreis muricibus, aut verò ſpinis etiam. Itaq; ſcandalum non habet vnum nomen: nam aliquando dicitur πρόσκομμα, id eſt cui pes alliſus offenditur, aliquando dicitur παγὶς *laqueus*, aliquando σκῶλον. Eſt autem σκῶλον lignum acuminatum deſinens in cuſpidem, ξύλον ἀποξυσμένον quale cernitur in muſcipulis. Heb. verò dicitur ſcandalum aliquando מכשול, eſt autem כשל *ceſpitare* & ceſpitando humi affligi, aliquando מוקש quæ vox *laqueum* ſignificat, aliquando פח quæ vox eodem redit. Itaque ſcandalum non ſignificat ſimpliciter id quo quis læditur, ſed id quo quis læditur imprudens: Eſt autem duplex, vel *animi* ſcandalum, vel *corporis*: Scandalum *corporis* eſt de quo verſu præcedenti agitur. Exigit enim a ſuis Chriſtus vt ſint inſtar paruulorum, quemadmodum a nobis iam explicatum eſt, vt ſint ſimplices. Itaque neceſſe eſt eos qui volunt eſſe Chriſti, expoſitos eſſe & obnoxios hoſtium Chriſti fraudibus, & facilè ab iis poſſe decipi, non ſunt enim iſti meracaces, aliorum mores & ingenium ex ſuo ingenio & moribus metiuntur. Itaque grauiter interminatur Dominus iis qui hos *paruulos* decipiunt, atque ita quidem vt in eos ſæuiant, fraus enim omnis conjunctam habet crudelitatem. Id ipſum quoque, [quomodo hoc decebat fieri] in lege Moſis interdicitur cap. 19. Leuit. Vetat enim Dominus ne quis cæco ponat offendiculum ſeu ſcandalum in via.

Et eſt item *animi* ſcandalum cùm animus dejicitur, non ſine errore in quem inductus eſt. Hoc autem ſcandalum rurſus duplex eſt, vel enim ſic præceditur gaudium & pax animi, vnde fit vt qui ſic offenditur minus alacrem poſsit operam exhibere in pietatis negotio (de hoc ſcandalo agit Paulus cap. 14. Epiſt. ad Rom. v. 15. quod grauiter eo loco deteſtatur, cùm nempe alicuius animus λυπεῖται *afficitur dolore*, incidendemque abalienatur, quod non poteſt fieri ſine peccato; itaque Apoſtolus eum qui ſic afficitur eodem loco dicit *periiſſe*, id eſt, quantum in eo ſitum eſt periiſſe, non enim vult Apoſtolus nullam ei ſpem veniæ ſupereſſe) vel cùm quis exemplo ad peccandum inducitur. Magnum autem eſt diſcrimen inter iſta, nam cuius animus triſtitiâ afficitur, is non imitatur eum qui ſcandalum objecit, tantum in

Scandalũ quid ſit in genere.

Scandalũ duplex. 1. Corporis.

2. Animi quid ſit rurſus duplex. 1.

2.

eo peccat quod eius animus sic auertatur à vero scopo, vnde oriuntur schismata, contentiones, aut certè (vt hic minimum peccetur) remittitur studium veræ pietatis. At scandalum *animi* secundi generis eiusmodi est vt cui objectum est peccet per imitationem. Error autem qui in omni scandalo est aliquádo proficiscitur ex illius vitio cui scandalum objectum est, hoc est, qui offenditur efficit vt quod in se non est scandalum, id ei scandalum fuerit: hoc solet dici vulgò scandalū *acceptum*: Ita Christus crucifixus Judæis scandalum est, nempe propter errorem, cùm enim Judæi credant Messiam regem esse terrenum, non cœlestem, non potuerunt non offendi cruce Christi: sic quod vera religio exigit animi puritatem, minimè sollicita de rebus externis, item quod caret omni pompâ, hoc carnalibus hominibus, etiam non planè impiis & prophanis, scandalo est, nempe sentiunt de Deo carnaliter: itaque non potest iis videri cultus legitimus qui alienus est ab hoc sensu carnali, nempe Deum tum demum ritè coli existimant, cùm colitur vt coli solent homines. Interdum hic error est à culpa illius qui objecit scandalum: idque multis modis, vt si quis hortando induxit in errorem, cùm esset vel magna præditus authoritate, vel magno ingenio, vel magna eloquentia, is scandalum objecisse dicitur, decepit enim imperitos & illaqueauit; vel etiam hoc fit peccando in moribus, in vita, nam exemplo suo minus malos illexit in peccatum, improbos confirmauit: vel id fit dum quis abutitur libertate sua quæ parta est per Christum; atque hoc est illud scandalum de quo Apostolus toties & tam multis disputauit. Obseruandum autem est huius generis scandalum non esse in se peccatum, sed peccatum est ob animum objicientis scandalum; Etenim vesci carne aut non vesci in se ἀδιάφορον est: attamen peccatum est nisi quis animo Christiano vescatur aut abstineat carne. Animus autem Christianus est, qui non modò non odit proximum, sed amat etiam, qui simpliciter non amat is negligit, non contemnit, qui odit, etiam contemnit. Itaque hac ratione duobus modis scandalum objicitur, vel cùm superbè (vt insultemus minus peritis & infirmioribus) vtimur libertate nostra, vt si quis præsente homine cæteroqui bono viro, sed minus assueto libertati Christianæ, vt eius simplicitatem irrideat & traducat, faciat ea à quibus abhorret, vel etiam si non quidem hoc animo, sed tamen ita negligenter vtatur libertate sua vt sit lata culpa. Nam qui amant solliciti sunt, etiam timent ea quæ sunt tuta in se. Itaque Paulus sæpè hoc in Epistolis inculcat, vt rationem infirmorum habeamus, *Quis* (inquit) *infirmus est quin ego infirmus sim, quis offenditur quin ego offendar?* Quo loco Apostolus semetipsum veluti constituit infirmorum loco, adeò vt si illi offendant pedem duntaxat, aut cadant etiam sine pernicie, tamen se uri & cruciari grauissimè, & suis humeris onera illorum sustinere se existimet. Porrò id non semper eo modo fit quo sensu vulgò scandalum accipitur, vt gignatur dolor aut indignatio, sed vel præcipuè quum exemplo aliquis prouocatur ad ea sine fide facienda quæ alij ex fide possint facere. Itaque Apostolus sub finem capitis 14. ad Rom. & cap. 8. 1. ad Corinthios, monet sedulò eos qui præditi sunt cognitione, & sciunt quid liceat, quid non liceat, vt habeant sibi fidem suam, non vtantur ea in fraudem fratrum infirmiorum.

[Margin: Scandalū acceptum.]
[Margin: Scandalū datum, quod est multiplex. 1. 2. 3.]
[Margin: & istud rursus est duplex. 1. 2.]

Porrò & ad hunc mundum scandalum distingui potest, vt sit scandalum in se seu lapsus sequatur, seu non sequatur, & scandalum quod scandalum est ideò quia lapsus sequutus est. Nam & piis objiciuntur scandala, cùm tamen non semper labantur, impiis autem sine lapsu nullum ferè objicitur scandalum. Sic scandalum objectum Israelitis à Balaco, authore Bileamo, nullus Phineæ lapsus secutus est, at impiorum tamen Israelitarum & hypocritarum ruina secuta est. Τὸ φιλόψυχον in Petro scandalum fuit quod Petrus Christo objecit, attamen Christus non impegit in hoc scandalum, non est euersus, at id ipsum τὸ φιλόψυχον cùm Petro objicitur (quanquam is non fuit impius, sed infirmus) Petrum deiecit & affligit solo. Scandalum verò quod lapsus sequitur duplex est, vel enim res est in se necessaria, vel res in se legitima quidem, attamen non necessaria (vt cùm vnus Deus inuocatur id scandalum est, & argumentum impietatis apud eos qui existimant etiam creaturam inuocandam esse, vnde fit vt blasphement hanc nacti occasionem, & calumnientur deditos cultui vnius Dei) vel est res legitima, non tamen necessaria, ut cùm Christianus vtitur sua libertate in iis rebus in quorum vsu nullum est peccatum: & hoc scandalo tùm impij, tùm infirmi fratres offendunt. Scandalum quod oritur ex rebus per se bonis & necessariis non licet euitare, quia non est faciendum malum vt eueniat bonum: Bonum enim est expetendum quatenus bonum est, non expetitur autem quatenus bonum est, si malum simul expetitur; nam qui expetit bonum abhorret à malo; qui autem abhorret à malo qua malum est, is nullo malo, quodcunque sit, potest allici. Jam verò nullæ sunt res planè necessariæ præter eas quæ sunt in se bonæ, atque eiusmodi vt nisi voluntas illa expetat à suo vero & proprio objecto aberret. Itaque vt maximè tumultuetur mundus, tamen omnia, etiam extrema quæque, subeunda sunt vt stet illibata Dei gloria. At rerum legitimarum, sed non necessariarum, dispar est ratio, nam si ex earum vsu, propter externas circumstantias, aliquid decedit gloriæ Dei aut paci Ecclesiæ, aut Reipublicæ, abstinendum est illis. Non enim Deus indulget libertatem vllam contra gloriam suam, contra quietem & tranquillitatem societatis humanæ cuius est studiosissimus. Verbi gratia, licet Christiano, cùm illi res est cum Christiano, multa docere quæ vera sunt, attamen quia inde infirmus acciperet fortasse occasionem scandali, non debet statim ea docere.

[Margin: Scandalū aliud est in se, aliud ratione euentus.]
[Margin: & hoc rursus duplex 1. 2.]
[Margin: prius non est euitandum.]
[Margin: posterius est vitandum,]

Sed hic tamen modus est seruandus, vt perspectum habeamus quid faciat ad promouendam Dei gloriam & publicam tranquillitatem conseruandam. Ita autem modus tenebitur, si meminerimus id nihil facere ad promouendam Dei gloriam, sine quo puritas Religionis Christianæ, in iis quæ necessaria sunt ad salutem, conseruari potest. Item, si hactenus abstineamus vsu libertatis à Christo nobis partæ, vt ne foueamus in hominum animis eam opinionem, quæ si foueatur necesse est existiment nobis hanc libertatem non esse partam in Christo. Itaque, aliud est profiteri modestè quid sentias priuatim, aliud id ipsum publicè docere, cùm nempe de rebus agimus

[Margin: sed cum cautione quadruplici. 1. 2.]

egimus non necessariis ad salutem. Vnde deprehendere possumus qui sint schismatici, qui minus, non enim schismaticus eo agnoscitur quod fouet peruersum dogma, immò contingit aliquando vt sententia schismatici hominis verissima sit, tamen quia eam neque loco, neque tempore, nullaque necessitate vrget, schismaticus est, & scandalum objicit Dei populo. Cùm enim non agatur salus Ecclesiæ, ostendit se non adductum studio gloriæ Christi, sed suæ potius existimationis, Ecclesiam turbasse. Item, & hinc carnalium hominum ingenium deprehenditur, qui libertate Christiana abutuntur, non vt testentur quantum beneficium nobis sit partum per Christum, sed vt sibi indulgeant, aliquando etiam vt fratribus insultent. Attamen si quis sit pertinax, & modestiam istam Christiani hominis rapiat in argumentum imminuendæ libertatis Christianæ, sanè tum nobis vtendum est libertate nostra: vt idem Paulus Timotheum circuncidit, Titum non passus est circuncidi: Idem Paulus Petro restitit in os ob rerum adiaphorarum vsum, & idem profitetur *sese fecisse omnibus omnia*, nempe habuit personarum rationem. Sic colimus vnionem cum iis qui diuersum sentiunt à nobis de Religione, quos nempe non existimamus esse pertinaces, sed ideò errare quod nondum constituta sit ob eorum oculos, veluti in edito & aperto loco, veritas. At si qui sunt qui veritatem viderunt, qui eam hauserunt oculis, iidemque foueant partes & studia, cum iis pacem non colimus. Itaque hoc vt caput concludatur, habenda hic est ratio non rerum, sed personarum, cauendumque ne vbi eadem res locum habet, idem putemus nobis licere. Sic aliter agendum erit cum Turca & Iudæo, aliter cum homine Christiano qui ad Turcas defecerit, aliter cum eo qui natus est in Romana Ecclesia, & veræ Religionis planè ignarus est, aliter cum eo qui edoctus veritatem tamen pertinax est. Quemadmodum satis ostendit in rebus secularibus humana prudentia, vt, verbi gratia, cùm agitur de salute corporis ἡ ἰατρικὴ dispicere solet quando lenibus, quando item asperis remediis vtendum est, nam quum malum est vehemens adhiberi iubet remedium vehemens, cùm autem spes aliqua luculentior sese ostendit, leniùs agendum præscribit.

(50) (4.)

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Sed, quandoquidem locus id exigit, disputemus etiam paucis de Libertate Christiana, in qua tota nostra beatitudo sita est, & qua vna differimus (si Christiani sumus) à reliquis hominibus. Est autem libertas Christiana *immunitas à seruitute spirituali*: Ea verò vel est inchoata, vel plena & absoluta omnibus numeris, inchoata in hac vita, absoluta post beatam resurrectionem. Est porrò seruitus spiritualis vel animi seruitus, vel animi seruitutem secuta corporis seruitus. Hæc non aboletur penitus in hac vita, immò verò seruitus ista tam corporis quam animi in hac vita triplex est, vel est enim *naturalis*, vel est *politica*, vel est *conscientiæ*. Naturalis seruitus animi est ignorantia & imbecillitas, quæ tamen caret peccato; *Non enim* (inquit Paulus) *multi estis sapientes, nec multi fortes*. Immò verò (quod magis miserum est) nulli crebriùs gemunt & suspirant quàm pij, quibus in gemitibus tantum abest vt sit vllum peccatum, vt iis Deus delectetur, certè etiam in Christo locum habuerunt, attamen hæc magna animi seruitus est qua pij in hac vita non planè liberantur, nempe ob peccati reliquias, in Christo verò eadem illa ignorantia & angores animi locum habuerunt, quia missus fuit ad expiandum peccatum. Atque ita peccatum vel est ἀφορμὴ, vel est causa imbecillitatis & doloris in animo. Seruitus naturalis corporis est morbus & quicquid ad morbum pertinet, denique mors, vnde Christus in hac vita neminem liberauit, tantùm effecit per mortem & resurrectionem suam, vt quod natura sua iudiciaria pœna est, id sit castigatio paterna, inter quæ discrimen est longè maximum, cùm pœna iudiciaria ab odio, paterna castigatio ab amore proficiscatur: quo sensu, quaque mente Deus Dauidi pollicetur fore (erat autem Dauid Christi typus) *vt si liberi eius peccent* (intelligatur autem locus typicè) *eos castigaturus sit castigatione humana, non eos penitus deleturus*. Ad quem locum Apostolus respexit cap. 10. 1. Cor. *Tentatio* (inquit) *vos non cepit nisi humana, Deus autem fidelis est, qui vos non patietur tentari supra vires vestras, sed vnà cum tentatione dabit exitum*.

Seruitus spiritualis. | triplex 1. Naturalis, quæ est, vel Animi, | vel Corporis. | Quomodo ista Christus nos liberarit.

Dictum est quæ sit seruitus naturalis tum animi tum corporis: ab ea seruitute non reddimur immunes in hac vita, tantum effecit Christus per mortem & resurrectionem suam (cuius vis per Spiritum Sanctum excitat nos ad patientiam & gaudium) vt illa mala quæcunque sint tolerentur. Sequitur seruitus *politica* quæ triplex est, vel est enim *ciuilis*, vel est *filialis*, vel est illa quæ propriè *seruilis* est & dicitur. *Ciuilis* est ea qua ciues subditi sunt Magistratui, *filialis* qua liberi parentibus (huc etiam referatur obedientia quam vxor debet viro) *Seruilis* est propriè seruorum eorum qui omnia debent heris suis. Sed nec hac Christus seruitute nos liberauit in hac vita, gratia enim eius neque cum natura pugnat, neque cum iure humano (itaque insignem illi Christo & Religioni Christianæ faciunt iniuriam, qui prætexentes libertatem Christianam detrectant obedire dominis suis secundum carnem, contra disertum Dei verbum) sed tamen effecit Christus vt sponte non coactè hanc seruitutem seruiamus, vt hac in parte non serui, sed liberi simus.

2. Politica seruitus triplex. | ab hac nos non liberauit Christus.

Tertia seruitutis species est seruitus *Conscientiæ*: ea autem in hoc primo sita est, quod natura nemo est qui ausit in Deo fiduciam collocare, facit enim peccati conscientia vt sola Dei mentione mens humana terreatur: hæc seruitus appellatur *metus mortis*, non corporeæ tantùm, sed multò magis æternæ. Ab hac seruitute Christus nos facit immunes in hac vita, immò hæc immunitas est sola beatitudo nostra, quòd licet malè nobis simus conscij, tamen audemus Deo nos committere cum certa salutis spe. Apostolus hanc libertatem appellat παῤῥησίαν, & Spiritus Dei hinc dicitur *spiritus libertatis*, (*Vbi* inquit Apostolus 2. Cor. 3. 17. *est Spiritus Domini illic libertas est*) & *Spiritus adoptionis*, quia quantumuis Lex sit minax, tamen hic Spiritus facit vt Deum Patrem inuocemus: nempe constituit nobis ob oculos gloriam Dei in facie Christi crucifixi, excitati à mortuis, sedentis ad dextram Patris, & intercedentis pro nobis, vnde oritur fiducia inenarrabilis, deinde gaudium &

3. Seruitus Conscientiæ quintuplex. | 1. à qua Christus nos liberauit.

pax conscientiæ quæ superat omnem intellectum.

2\. Secundò conscientiæ seruitus in hoc cernitur, quod nemo est qui naturâ non indulgeat libidini animi sui, Deo neglecto; aut si excitatus somno peccati cogitet de Deo, nonnisi vel inhians mercedi tanquam prædæ, vel metu pœnæ compulsus Deo seruit. Hæc est illa seruitus quam Apostolus cap.7. ad Rom. & cap.4. Epist. ad Galat describit. Alij enim sic viuunt ac si nulla Lex esset, & nullo numine res humanæ regerentur: alij ducuntur quadam Religione, sed quicquid faciunt id faciunt coacti, aut saltem tanquam mercenarij, vt sunt Pontificij, qui nunquam meminerunt bonorum operum, quin simul meminerint meritorum. Hac seruitute nos Christus liberauit, nam *Spiritus vitæ* (inquit Apostolus Rom. 8.2.) *qui est in Christo liberauit me à lege mortis & peccati. Legem* autem *mortis* vocat Apostolus eam quam superiori capite vocauit *legem membrorum, repugnantem legi mentis.* Itaque qui Christi sunt hactenus filij sunt, hoc est seruiunt Deo non vt mercenarij, sed vt filij obsequuntur Patri. Hoc autem facit Christus per Spiritum, dum constituit nobis ob oculos horrorem peccati, iram Dei, & continuò Dei amorem in Christo, & spem certissimam beatæ vitæ. Qui sic affecti sunt, quatenus sic afficiuntur, non possunt sibi indulgere, neque Deo parere coacti, immò Dei mandatis nihil illis suauius est: quam voluptatem animi puram & sinceram non semel descripsit Propheta Dauid. Sed tamen in hac vita nemo est qui plenè hanc libertatem consecutus sit, inchoata in terris & prouecta absoluenda est in cœlo. Itaque (inquit Paulus Galat.5 17.) *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem,* ita tamen vt partes Spiritus potiores sint. Nec enim Dauid sæpè commisit adulterium, aut Petrus sæpè Christum abnegauit.

[Margin: ea etiam nos liberauit Christus. — sed non plenè in hac vita.]

3\. Tertiò, & in hoc cernitur seruitus conscientiæ, quod cultus Dei vel certis quibusdam ceremoniis alligatur etiam ex Dei præscripto, vel certis quibusdam personis, vel certis quibusdam temporibus, vel certis quibusdam locis, vel certarum rerum, quæ per se neque bonæ sunt, neque malæ, vsu vel abstinentiâ. Etiam hac seruitute nos Christus liberauit, & quidem penitus etiam in hac vita, erant enim omnia hæc à Deo instituta eo tempore quo nondum miserat in corda suorum Spiritum adoptionis, eâ mensurâ & copiâ quâ missus est Euangelio iam exhibito, nam constringenda erat hac ratione carnis licentia, ne lasciuirent homines, & nouos cultus sibi excogitarent (quod fecerunt gentes) quum nondum Dei populus adeptus esset plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti, cuius effusio differebatur ad tempora Noui Testamenti: sed hæc seruitus populo Israelitico peculiaris fuit, eratque pars seruitutis legalis, pertinebat ad iugum legis.

[Margin: In Ceremoniis sita. — hanc sustulit Christus.]

4\. Quartò, pars etiam seruitutis conscientiæ non contemnenda est, quod promissiones gratiæ lege obumbrabantur, prætendebatur enim iis Lex veluti velum, vsque adeò vt ita velatæ non potuerint cerni nisi obscurè, & veluti sub luce malignâ. Huius rei typus erat Moses velatus, nam splendebat quidem eius vultus (qui splendor Gratiæ & Misericordiæ Dei symbolum erat) sed huic splendori Moses velum prætendit, quod esset tantus vt eius aspectum populus Israelis ferre non posset. Nostra conditio alia est, nos enim asserti in libertatem plenam filiorum Dei, contemplamur velut retecta facie gloriam Dei in Christo. Hæ sunt duæ partes seruitutis Legalis, quâ seruitute etiam filij Dei premebantur ante exhibitum Messiam. Itaque licet essent hæredes, hactenus tamen nihilo differebant à seruis, Gal. 4.1.

[Margin: Velum Legis. — hec à Christo sublata est.]

5\. Denique seruitus conscientiæ in hoc sita est, quod omnia nos terrent, nisi quod rebus prosperis efferimur supra modum. Et hac nos Christus liberauit, proposita nobis ob oculos certissima spe (vt vt miseri simus in hac vita) beatæ immortalitatis, cùm ipse in sanguine suo viam nobis in cœlum patefecerit, non exemplo tantum (quæ consolatio fuisset admodum frigida & ieiuna) sed satisfactione, quam ratam esse apud Deum testata est eius resurrectio à mortuis.

[Margin: in terroribus sita. à qua Christus nos etiam liberauit.]

Sed libertas ista filiorum Dei, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur *libertas* & *redemptio,* non est plena & perfecta in hac vita. Ea verò est vindicatio animi & corporis ab omni, non modò miseria peccato contracta, sed etiam imperfectione quæ naturæ essentialis est, vt inconstantia & mutabilitate: nam natura & immutabilitas pugnant, vt desinamus quærere cur Deus labilem hominem condiderit, hoc enim est quærere cur homini indiderit naturam. Ea duos habet gradus, quorum prior mortem statim consequitur, cùm piorum animæ requiescunt à laboribus suis, nec id tantum (nam & corpus quiescit, mors enim piorum nihil aliud est quàm somnus, vt testatur Scriptura) sed fruuntur etiam gloriâ, quantam anima à corpore seiuncta capere potest. Secundus gradus est summus, glorificatio nimirum totius hominis: cuius ἐπίμετρον est mundi renouatio. Nam cùm homo sit pars vniuersi, quemadmodum Deo visum est animam quidem præcipuè, sed tamen corpus etiam gloriæ suæ facere participes, ita etiam eidem sapientiæ visum est filios quidem suos ornare gloriâ, sed & vocare in communionem huius gloriæ (quatenus id conuenit) πᾶσαν τὴν κτίσιν, hoc est, τὸ πᾶν *Vniuersum.* Eoque magis quod Vniuersum ob peccatum hominis redditum est obnoxium vanitati, quo factum est vt deleto hominis peccato huius rei testimonium exstare voluerit Dominus in restitutione Vniuersi: cuius restaurationis quæ sit ratio tam est absurdum quærere extra Scripturam, quàm velle curiosiùs rimari quæ sit ratio nostræ resurrectionis. Itaque nobis cauendum est, ne contra Scripturas cum iis sentiamus qui vniuersum hoc docent redactum iri in nihilum: (quem errorem tamen quis errare potest citra dispendium salutis) iisdem enim argumentis adducti pedibus illi in hanc sententiam iuerunt quibus freti hæretici veteres & recentiores impugnarunt resurrectionem mortuorum.

[Margin: sed non plenè in hac vita. — 1. eius gradus. — 2. — Mundus in integrum restituendus est.]

DE NECESSITATE SCANDALORVM.

Dictum est quid sit scandalum, & quia locus id poscere videbatur indicaui obiter quid sit, & in quo consistat libertas Christiana: sequitur igitur vt pro instituti ratione disputemus quæ sit scandali necessitas. Est verò illa quæstio arduæ in primis, quæ adeò multorum non è vulgo solùm, sed magni nominis in Ecclesia virorum ingenia torsit. Nam dum voluerunt iustitiam Dei exigentis seuerè pœnas ab authoribus scandalorum à

[Margin: De necessitate Scandalorum. — 1. Sententia eorum scilicet.]

constituendum esse id (ob quod miseri homines tam graui supplicio afficiuntur) eiusmodi esse vt nulla necessitate ad id patrandum (quicquid tandem fuerit) inducti fuerint: cùm ista pugnare inter se videantur, vt quod peccatum non est, pœnâ expiari debeat; id autem apud eos est pro certo & constituto, peccatum nullum esse quod idem necessarium sit. Itaque cùm sint isti, de quibus nunc agitur, homines Christiani, qui Christi authoritatem pro eo ac decet summo se profitētur habere loco, eius hanc vocem *necesse est scandala venire* (in cuius explicatione iam versamur) benigna interpretatione emolliuerunt, certè id conati sunt. Autor Glossæ interlinearis in primis *necesse* pro eodem hoc ipso accipit, ac si scriptum fuisset *vtile*, vt fuerit ista Christi mens ex illius sententia, *vtile esse vt scandala eueniant*: nam & sic vulgò loquimur, vt quod admodum expedit id dicamus necessarium: In qua sententia & Chrysostomus est, cuius adeò authoritate author illius interpretationis se tuetur. Sed quominus hęc interpretatio locum habere possit obstat Christi consilium in primis, tum etiā verba quibus vsus est, nam intuenti propiùs scopum Christi nulla neque vola neque vestigium (vt dici solet) huius sententiæ occurret: Non est enim Christi animus hoc loco docere quam afferant vtilitatem, sed contrà quàm sint scandala damnosa: quanquàm (ut suo dicetur loco) summā habent utilitatem, non euentura omninò si prorsus haberent nullam. Ea est enim bonitatis Dei & sapientiæ vis & magnitudo, ut nullum malum patiatur euenire quod tantum malum sit, ut nullam possit habere rationem boni, immò verò bonum maximum & summum dari potest, & est reuerâ, malum nullum est merum & sejunctum ab omni bono. Sed hæc non fuit hoc loco Christi mens, itaque hæc interpretatio aliena est vel ob hanc causam quàm attulimus, etiamsi nulla alia subesset: Sed & Christi verba hūc sensum respuūt, Christus enim dixit exertè, *necesse est vt veniant scandala*, vix autem ac ne vix quidem sic loquitur Spiritus quoties agitur de eo quod non est propriè necessarium. Nam quod Apostolus Paulus dixit impositam sibi esse euangelizandi necessitatem, illam intellexit necessitatem quam docendi causa appellemus necessitatem *potestatis*, nempe hoc voluit, non licere sibi non prædicare Euangelium, quæ significatio necessitatis ab hoc loco prorsus est aliena. Sed esto sanè *necessarium* aliquando sit idem quod vehementer vtile, tamen huic loco tam diluta significantissimę vocis explicatio non conuenit. Nam Lucas omnem dubitandi ansam sustulit, cùm eandem rem narrans *necessarium* per ἀνένδεκτον μὴ εἶ) *non contingens non esse* explicauit, ut sit idem hoc loco ἀνάγκη εἶ) & οὐκ ἐνδεχόμενον μὴ εἶ) *non contingens non esse*, quod eodem redit (ut notum est) quò *impossibile non esse*. Iam verò (de quo nihil opus est ut moneamus) *impossibile non esse* &, *necesse est esse* eadem sunt re, verbis tantum differunt. Verùm enimuerò id in primis (ut maximè hæc quæ diximus non essent) animaduertendum est, authores huius interpretationis in id incurrisse quod, ut vitarent hanc interpretationem, commenti sunt: Nam si utile est scandala euenire & bonum est euenire scandala, quod si verum est, quid est quod cuiuspiam aures offendat si audiat necesse esse ut quod bonum est eueniat? Quod si respondeant scandala esse non quidem per se bona, attamen per accidens (ut loquimur in Scholis) esse bona; interpretentur igitur sanè hoc loco ita necessitatem scandalorum ut affirment, aut certè saltem admittant, scandala euenire necessitate quadam, sed per accidens, non autem ea necessitate quâ eueniunt illa quę per se bona sunt; nihil ut opus fuerit adeò refugere veram & genuinam significationem vocis *necessarij*. Adde quod ea quæ sunt per accidens utilia necesse est dirigantur & detineantur à causa superiori ad bonum finem, nam si tantum pendeant à causâ proximâ, per se quidem erunt damnosa, nunquam erit aut esse poterit ut sint per accidens bona, sed hoc necesse est fieri à causa eminentiori moderante atque temperante secundę causæ intemperiem, ut in antidotis videre est quæ constituuntur ex iis quæ per se præsentissima sunt venena, attamen maximè sunt conducibilia, vel ad restituendam vel ad conseruandam sanitatem: sed hoc fit vi, consilio, industria causæ superioris res noxias eo ordine, atque ad eum modum componentis, ut id inde oriatur cui illæ aduersæ maximè videbantur.

Hac interpretatione refutatâ superest alia profliganda, illa nempe hac priori minus toleranda, qua conceditur scandalorum necessitas in genere, negatur singulorum scandalorum necessitas. Nempe sic aiunt, necesse est scandala euenire, at nihil est necesse est ut iste, putà Judas, hoc scandalum, putà Christi proditionem, objiciat. Itaque in eo peccari & quidem liberrimè, quòd iste huius certi scandali auctor sit. Et ut res notior fiat, adhibent illustrationem à simili, nam necesse est, inquiunt, ut omne corpus naturale sit in loco, attamen nihil necesse est ut corpus naturale sit in hoc aut illo loco. Item (quod videtur magis facere ad hanc rem.) Contradictionis de futuro contingenti necesse est alteram partem esse veram, alteram falsam, attamen nihil est necesse ut extra distinctionem sumpta hæc pars vera sit seorsum, aut pars illa falsa seorsum. Etenim eandem rationem esse veritatis quæ est rei ipsius, effecta autem contingentia (qualia sunt futura contingentia) non habere necessariam cum causa sua connexionem, alioqui fore nulla ut sit differentia inter illa quæ necessariò, & illa quæ contingenter tantùm euentura sunt. Sed nec authores istius interpretationis videntur attigisse scopum ad quem maximè collimarunt, hoc enim voluerunt efficere, ut ne peccatum videretur necessarium: concesserunt autem peccatum in genere necessarium esse. Iam verò quæ in genere necessaria sunt (si quidem necessarium pugnat cum natura peccati) ea si fiant non habebunt peccati rationem, nam quod in genere malum est, illud in singulis malum esse necesse est. Quis autem adeò stupet, ut vel peccatum in genere malum esse, vel quod generi conuenit indiuiduis conuenire neget? ea enim quæ necesse est esse in genere, si mala sint, etiam necesse est mala sint in specie & in singulis. Nam quod etiam pueri norunt, genus non est nisi in specie & indiuiduo, itidemq; quod ut fiat in genere malum non est, illud, si quando fit, malum esse non potest ob eandem causam. Itaque si *scandala esse* in genere non est malum, nec ut sint in specie & indiuiduo malum erit. Non autem in genere malum erit *scandala esse*, si quicquid necessarium est id ipsum malum non est, quod asserunt authores

Marginalia: qui *Necesse* interpretantur *Vtile*. — Ref. 1. — 2. — 3. — 4. — Excep. — Resp. 1. — 2. — 2. Sententia. — illustratur simili. — cōfirmatur exemplo. — Rejicitur 1.

secundæ interpretationis. Itaque necesse est, cùm concedant necesse esse ut sint scandala in genere, fateantur id ipsum non esse malum, vnde sequitur quod conclusimus, nec in specie, nec in indiuiduo scandala mala esse. Id ipsum liquebit si exempla quibus usi sunt expendamus. Verbi gratia, necesse est corpus naturale esse in aliquo loco, Ergo cùm est in loco nihil accidit quod pugnet cum eius natura. Item, nullum in eo peccatum erit: quid ita? quia si necesse est corpus esse in aliquo loco, quando est in hoc aut in illo loco, nihil corpori accidit quod potuit euitari, est enim in hoc aut illo loco secundum propensionem illam qua tendit ad locum, & gaudet loco: non enim quodlibet corpus quemlibet locum appetit, sed certum quendam, nec potest natura corporis ferre, ut se habeat indifferenter ad locum: immò hoc pugnat cum natura corporis. Itaque nec leuia deorsum, neque grauia sursum tendunt, & quę sunt grauia non tendunt ad quemlibet locum inferiorem, sed ad eum qui est è regione, ut ignis qui est in nostro hemisphério non tendit ad superiorem locum qui est in hemisphério opposito, sed ad locum nostri hemisphęrij qui oppositus est ei loco vnde mouetur: Eadem quietis in loco ratio est. Itaque hoc exemplum nihil facit ad rem quam volunt ostendere, asserunt enim liberum arbitrium esse potētiam ad vtrumlibet, rem autem demonstrant similitudine ducta à rebus Physicis, quarum potentia ad vnum oppositorum determinata est & definita. Speciosius est exemplum ductum à necessitate veritatis illius contradictionis quæ est de futuris contingentibus. Sed & alienum est hoc exemplum, nam futurorum contingentium ea ratio est ut possint esse vel non esse, non est ea scandalorum ratio ut possint esse vel non esse. Nec Christus dixit, *necesse esse aut vt scandala sint, aut vt non sint*, quemadmodum olim vates Tiresias, *aut erit quod dixi, aut non erit*, sed Christus apertè dixit, *Necesse est vt scandala sint*. Jam verò repetamus quod dictum est, genera rerum non exstare nisi in indiuiduis. Itaque Christus hoc voluit, necesse esse ut certa quædam scandala sint, ut cùm dicit de Juda, *Quidam sunt è vobis qui non credunt*, quod Euangelista sic interpretatur, *Nouerat enim quis esset ipsum traditurus*: Et, *Filius hominis abit sicuti scriptum est de eo, væ autem homini illi per quem tradetur filius hominis*. Denique hæc interpretatio maximam partem prouidentię Dei tollit è medio, nam si ratio habeatur causarum secundarum (qua ratione scandala peccata sunt) multò plura fiunt in mundo mala quàm bona, plures enim sunt mali quàm boni, immò bonorum virtus imperfecta est: Itaque Deo detrahenda esset laus sapientiæ, potentiæ & bonitatis in gubernatione mundi, nisi scandala essent definita & certa, & quoad authores, & quoad locum, & quoad tempus, & quoad eos quibus objiciuntur scandala. Itaque (vti post modum fusiùs docebimus) non esset vnde pij agnoscerent se castigari à Deo, quum illis res est cum impiis hominibus qui ipsis scandala objiciunt necesset argumentum diuinæ prouidentiæ cùm impij sese mutuò euertunt, idque objectis inuicem scandalis (nam non modò impij piis objiciunt scandala, sed & sibi inuicem impij ea objiciunt) in quo deprædicatur Dei sapientia, ut cùm Deus Madianitas inter se commisit, Judic. 7.

Refellitur superius simile de corpore in loco.

quod non est ad rem.

Expenditur exemplum.

de futuris contingentibus.

2. rejicitur hæc sententia.

Quid igitur? fieri-ne potest ut idem necessarium sit & peccatum? Certè necessitas videtur pugnare cum peccati ratione, non est enim peccatum quod non sit idem spontaneum, nec spontaneum esse videtur quod necessarium est. Sed necessarium non dicitur vno modo, est enim necessarium quoddam quod *violentum* est, idque vel à consilio (ut si quis per contumeliam impulsus alium deiecerit, ista vis quidē est si respicias eum qui deiecit, at ista vis à consilio est si impellentem respicias, modò is sit qui eo animo impulerit ut impulsu dejiceret eum qui deiectus est) vel etiam à casu, cùm hoc nullo impellentis consilio factum est, ut cùm pater lapsus vnicum filium sibi carissimum oppressit: vtrobiq; necessitas fuit, & quidem violenta, hîc à casu, illic à consilio profecta (cùm *casum* dicimus respicimus causam secundam, nam si rationem habeamus primæ causæ, cùm sit Prouidentia, eaque non vniuersalis tantùm, quod est imperfectionis, sed particularis, nullus casui locus est, ne in rebus quidem iis quæ iudicio nostro, cùm mens non assurgit altius, fortuitæ videntur.) In his quæ sunt eiusmodi nulla est peccati ratio: cuius rei ratio est in promptu, nam qui aliquid agit per vim vel patitur, Physicè agere vel pati videtur, in iis autem quæ Physicè fiunt, neque virtus, neque vitium, neque laus, neque vituperium locum habere possunt, etenim non agunt sic agentes pro arbitrio, quod principium est actionum Ethicarum. Immò si volumus propriè loqui, aguntur potius quàm agunt; agunt enim duntaxat secundum inferiorem formam, verbi gratia, formam eam quæ conuenit ipsis quà corpora sunt, aut eiusmodi aliquid: Vt quum quis oppressit filium, non fecit id quà homo, sed quà corpore graui præditus est. Secundò, necessarium est necessitate *natura*, quæ necessitas est veluti radix prioris illius necessitatis, ut cùm grauia tendunt deorsum, leuia autem sursum. Quæ sunt ad hunc modum necessaria rationem peccati nō habent, etenim quæ sunt eiusmodi non pendent (si causæ proximæ rationem habeas) à iudicio & ratione. Proficiscuntur quidem ab appetitu, nam omnis motus in linea recta est ab appetitu, sed *innato*, ut loquuntur Scholastici, non autem ab appetitu *elicito*, cui locus esse nō potest in iis quæ sensu & ratione, hoc est, omni cognitione destituta sunt, nam omnis cognitio vel est à sensu, vel à ratione. Motus autem in circulo etsi non oriatur ab appetitu loci, tamen oritur ab appetitu actionis, quæ à corporibus sine motu proficisci non potest: sed quoniam isti appetitus sunt bruti, & natura hîc sui nescia est, hinc fit ut in istis actionibus virtus aut vitium nō possit habere locum. Unde fit ut illi sint ridiculi qui dicunt naturam esse sapientē, eam (inquam) quæ se ipsam non nouit: omnis autem laus tribuenda est authori naturæ, quicquid enim bruto appetitu fertur ad finem, certè illud habet finem constitutum, non constituit sibi finem, non cognouit finem; constituere autem finem, & cognoscere, est sapientis & ordinantis. Tertium genus necessitatis est eius quam licet *animalem* appellare, ut appetitus belluarum, nam vitalem appetitum qui est in plantis accensemus necessitati naturali, quia tam in plantis quàm in lapidibus & lignis deest sensus. In actionibus quæ proficiscuntur ab appetitu animali ideò peccatum non est, quia non facit iste appetitus ut animal, quod eo præditum est, possit statuere de suo fine; non magis

Necessarium est multiplex.

1. Violentum à consilio,

à casu.

2. necessitas naturalis, in qua nullam est peccatum.

3. necessitas animalis, in qua nullum est peccatum.

magis quàm appetitus naturalis facit vt quæ eo prædita sunt possint apud se disputare & statuere de fine: finis autem omnium rerum supremus est Deus, nec magis possunt bruta colligere Deum esse finem, quàm ligna, plantæ, & lapides. Itaque non peccant, aut si peccant, Metaphoricè peccant non propriè, cùm nempe morbo aut intemperie constitutionis eò adiguntur vt eas res appetant quæ videntur abhorrere ab eorum naturâ. Iam verò hoc est valdè obseruandum, eam necessitatem quam prætexunt homines dum se excusant, petitam esse ex aliquo trium horum generum necessitatis. Si igitur vllum sit præter illa necessitatis genus cui actiones humanæ obnoxiæ sint, cùm constet multa fieri à nobis cum laude, multa item indecorè, certè erit quædam necessitas quæ cum decore & dedecore stare potest, proindeque cum virtute & vitio, hoc igitur quærendum est. Nos verò in hac sumus sententia, actiones illas in quibus peccatum est, aut verò etiam pietas & virtus, obnoxias esse alicui necessitati. Idque consilium nostrum est probare, priori quidem loco rationibus petitis è media Philosophia, tum verò è sacra Scriptura.

4. Necessitas in actionibus voluntariis, probatum

Prima ratio è Philosophia petita hæc est, Finis appetitur necessariò, grauissimè autem peccatur in appetitu finis, itaque in eo grauissime peccatur quod fit necessariò. Finem verò appeti necessario, id verò adeo certum est, ita positum extra omnem controuersiam, vt insaniat qui id velit probare. Sed nec minus certum est & euidens, grauissime peccari in appetitu finis, nam si quis verum finem non appetat, nempe Deum, non modò in eo grauiter peccat, sed eo facit vt quicquid facit peccatum sit. Immò, si volumus proprie & vere loqui, quicquid rationem habet peccati, ideò habet quod ortum sit ab aberratione à vero scopo. Sed res erit manifestior exemplo, grauissimum peccatum hominis, & fons omnis peccati hic est, quod ipse sibi videtur esse finis, (hoc est, ipse sibi videtur esse Deus, hoc est enim Dei proprium vt ipse sibi finis sit) sicubi autem peccat, ob hoc peccat quod omnia referat ad se ipsum, atque in se ipso hæreat. Vnde sequitur, & appetitum veri boni, vt finis, necessarium esse, in iis (inquam) qui illud bonum appetunt, est enim illorum finis. Cùm autem hoc sit non laudabile modò, sed heroicum, & plane admirandum, sequitur vt idem necessarium sit & laudabile, proindeque & cum virtute coniunctum, itaque vt vitium non pugnat cum necessitate, ita neque virtus.

1. Philosophicis argumentis. 1. Finis appetitur necessariò.

Secundò etiam, prout finis appetitur appetuntur media tendentia ad finem. Cuius rationis vis & pondus vt possit expendi, necesse est consideremus media (vt loquuntur in Scholis) vel *materialiter*, vel *formaliter*. Sanè si consideremus *materialiter*, nullo modo afficiunt voluntatem, nec ea volumus, nec ea nolumus, at *formaliter* considerata sanè afficiunt: hoc est, quandiu dubitamus an sint media, non commouemur, neque vt ea velimus, neque vt ea respuamus, at si media esse iam constat, prout finis appetitur etiam appetentur media. Itaque Aristoteles omnem προαίρεσιν, seu *mediorum electionem*, ait sequi προβούλευσιν *antecedentem liberationem*: quandiu ergo suo iudice lis est, medium consideratur materialiter, itaq; hactenus nihil constitutum est in voluntate, at postquàm cœpit liquere medium esse medium, iudex dixit sententiam, res non est amplius integra, quod fuit *materialiter* medium iam fit *formaliter* medium. Nec obstat quod pro sua libertate possit hoc medio potius vti quàm illo, vel enim id fit quod hoc medium magis sit idoneum ad consequendum finem præcipuum, qui vere finis est, vel omnino non fit, vt experienti rem hanc apud se manifestum erit.

2. Appetitur media pro ratione finis.

Tertiò, ratio boni & mali hoc euincit. Bonum enim est quod omnia appetunt. Ergo quod non est bonum illud non appetetur, si enim appetitus fertur in bonum tantùm, sane quod non est bonum ne appetetur quidem. Attamen vt Philosophus monuit, cùm bonum dicimus esse id quod omnia appetunt, non intelligendum venit id quod est *in se* bonum, sed quod *videtur* bonum, quemadmodum & malum in hoc argumento non est quod est in se malum, sed quod malum esse videtur. Igitur ea erit hæc ratio voluntatis ad bonum & malum, quæ est intellectus ad verum & falsum nempe, vt intellectus non semper assentitur vero, tamen semper assentitur ei quod videtur verum, neque discedit semper à falso, sed semper ab eo quod videtur falsum (alioqui enim nullus esset errori locus, nemo enim errat prudens sciens, hæc enim se mutuò euertunt) ita plane voluntas non semper amplectitur id quod est bonum, neque refugit semper id quod est malum, sed refugit semper id quod videtur malum. Immò verò ista sunt contradicentia, vt appetatur quod non est appetibile, quemadmodum vt sciatur quod non est scibile, certe voluntatis obiectum est volibile aut nolibile, aut neutrum horum; quod absurdum est si nolibile hîc negatiuè sumitur, non contrariè. Iam verò omnis appetitus delectationem habet, est enim vel ab indigentia, vel etiam à bonitate sui communicatiua, itaque nullus potest esse appetitus nisi boni, proindeque nec fuga nisi mali.

3. Bonum est quod omnia appetunt. appetitur quod videtur bonum.

Quartò. Axioma in scholis peruulgatum est, *effectum sequi causam, posita causa effectum poni*: Itaque constitutis iis omnibus quibus mouetur voluntas mouebitur necessariò. Sed respondent hoc habere locum in Physicis, in Ethicis non habere locum. Sed responsionis suæ nullam adferunt rationem extra thesin quam tuentur. Iam verò hominis est ingenui & studiosi veritatis qui negat axioma peruulgatum, rationem reddere negationis, vel vltrò fateri inscitiam. Sed nulla huius negationis ratio reddi potest: hoc enim non conuenit causæ quatenus causa est in hac vel illa materia, sed conuenit causæ quà causa est: Itaque cùm causa formalitatem suam vbique obtineat, necesse est vt quod sequitur hanc formalitatem vbique locum habeat. Iam verò sic patebit hanc esse formalitatem causæ vt trahat effectum secum, quia si non sequatur effectum, quærimus causam cur non sequatur effectum, neque sisti potest mentis agitatio nisi reddatur ratio cur effectum non fuerit secutum. Aut igitur fateantur necesse est (id quod pugnat cum sensu & ratione) voluntatem à nulla pendere causa dum vult, (dicam clarius, voluntatem non moueri, non affici) aut dato eo quod mouet voluntatem necesse erit voluntatem moueri; datâ (inquam) vt loquuntur, causa adæquata. Sed sit exemplo res clara, hodie ponantur omnia quibus voluntas potest moueri, neque tamen moueatur, pro libertate sua nempe, nisi die crastino accesserit

4. Posita causa ponitur effectum. Except. Resp. 1. 2.

aliquid noui, estne vt die crastino possit moueri? Itaque (inquiunt) nox consilium dabit, vel enim deferbuit ira, vel euanuit lætitia, vel dolor mitigatus est, vel cogitauimus de re magis seriò aut aliud quid interuenit, nulla alioqui venisset voluntatis mutatio: adeò verum est, & quidem καθόλου verum, posita causa poni, sublata effectum tolli. Sed multis id accidit in hoc argumento quod Pontificiis, qui dum volunt adstruere transsubstantiationem omnia Philosophiæ fundamenta conuellunt.

5. Nulla potentia seipsam propellit in actum.

Quintò. Nulla mera potentia semetipsam propellit in actum, quicquid enim eiusmodi est, id in actu esse necesse est: voluntas autem (id est, volendi facultas aut nolendi) mera potentia est, itaque se ipsam excitare non potest ad agendum. Si enim hoc facit, facit hoc per aliquem actum, at quod est in mera potentia illud non agit: Itaque voluntas non potest semetipsam excitare ad volendum, aliunde excitetur (nempe ab eo quod est in actu) necesse est. Sed dicunt excitationem voluntatis nihil aliud esse quàm ipsam volitionem, quanquàm sui obliti sæpiùs dicant voluntatem velle quia sic ei libet, quasi diceres parietem esse album quia albus est, aut voluntatem velle quia vult.

Except.

Resp.

Sed respondemus, voluntatem in mera potentia non velle, pugnant enim ista: Nos autem quærimus, vnde fit vt quod fuit in mera potentia iam sit in actu, non potest enim idem eodem tempore esse in actu & in potentia mera.

6. Voluntas non se ipsam determinat.

Sextò, aiunt voluntatem esse indeterminatam. At si ita se res habet, quid eam definiet? semperne vagabitur incerta? certè ipsa sese nunquam determinabit; siquidem (vt illi loquuntur) natura sua indeterminata est, omnes enim actiones formarum suarum naturam sequuntur, vt passiones naturam materiæ. Immò verò & sic vrgentur: Non potest dici quæ sit ista voluntatis semetipsam determinantis actio, non est enim volitio, vt loquuntur, est enim volitio ipse terminus, itaque non est determinatio. Aut si hoc volunt, voluntatem sese determinare, id est voluntatem velle, loquuntur ridiculè: nam quemadmodum mentis est intelligere, sic voluntatis est velle, sed veluti dum quærimus cur mens potius huic quàm illi propositioni assentiatur, ridiculum esset respondere mentem semetipsam determinare, quia mentis est intelligere non enim cùm quærimus vnde fiat vt mens intelligat (fieri enim non potest vt mens non intelligat) sed quærimus vnde fiat quod mens huic potius quàm illi propositioni assentiatur: Sic planè cùm de voluntate agitur, non quærimus rationem cur voluntas velit, repugnant enim ista vt voluntas sit, & non velit; sed cur hoc potius quàm illud velit. Num dicent voluntatem sese determinare? At eiusmodi velle necesse est præcedere aliam determinationem, atque ita in infinitum.

Illustratur simili mentis.

7. Res volitæ sunt causa volitionis.

Septimò, aiunt id quod volumus esse causam *sine qua non* volitionis nostræ: nempe hoc volunt, Cùm voluntas sit in eorum numero quæ referuntur ad aliud, nulla potest esse volitio nisi sit aliquid quod velimus, attamen illud obiectum non potest esse volitionis nostræ causa, sed voluntas sui domina facit vt hoc vel illud velimus. Sed hîc dicunt duo absurdissima, quorum prius hoc est, quod volunt id quod volumus se habere ad voluntatem ut materia ad actiones quæ exercentur in materia; nempe materia non impellit agentem ad agendum. At obiectum voluntatis mouet voluntatem, *trahit enim sua quemque voluptas*; & dictum est non semel, sed centies repetitum ab Aristotele τὸ ἀγαθοῦ, τὸ ἡδέως, τὸ καλοῦ ἕνεκα πάντες πάντα πράττουσι. Itaque obiectum voluntatis non se habet simpliciter vt obiectum, sed vt obiectum mouens & afficiens.

8. contraria sententia euertitur practicus syllogismus.

Octauò, nisi voluntas necessariò feratur in obiectum sequetur concedi posse maiorem & minorem syllogismi rectè intellectas, attamen posse negari conclusionem, quod manifestam implicat contradictionem, vt quis mentis suæ compos maiorem & minorem rectè intellectas concedat, & neget conclusionem. Quid ita? Nempe quidam est practicus syllogismus qui locum habet ἐν τοῖς προαιρετικοῖς *in iis quæ eligimus*, cuius hæc est propositio, Quod est honestum, quod est facile, quod est iucundum, quod pertinet maximè ad finem, quod facit vt simus animo tranquillo, illud volendum est. At si eiusmodi imaginaria sit voluntatis libertas quam illi fingunt, concessa maiore & minore hæremus in conclusione. Atque ita illi premuntur hoc argumento quo vtuntur aduersus hanc opinionem, nullus esset hortationibus, nullus consilio locus, & nullus esset syllogismus Rhetoricus: quorsum enim syllogismi oratorum nisi ad excitandos auditorum animos? Itaque Herculi Gallico catenas & vincula tribuerunt quibus homines auribus alligatos captiuos trahebat, quod isti syllogismi non efficerent si se haberent ad voluntatem merè obiectiuè. Immò non opus esset rationibus, sed res esset merè proponenda, nam rationibus nihil promouetur si rationes habent se merè obiectiuè. At rationibus multum promouetur.

tolluntur hortationes consilia, &c.

9. Voluntas vellet sine vlla ratione.

Nonò, Sequeretur voluntatem posse aliquid velle sine vlla ratione: Nempe (ex illorum sententia) obiectis animo omnibus rationibus stabit, inquiunt, immota in vtramque partem, quod vix capi potest. Si ita tamen se res habet, sequetur voluntatem humanam esse impetum quendam belluinum, hæc verò egregia est libertas quæ homines belluas facit. Itaque Iurisconsulti dicunt pueros & insanos carere voluntate, non agnouerant ergo illi hanc libertatem belluinam quæ tantopere prædicatur. At, inquiunt, dicitur vulgò, *stat pro ratione voluntas*: Hoc verò à nullo potest dici nisi à Rege aut à stulto. A Rege autem dicitur hac mente, *nolo vlli mortalium credere rationem consiliorum meorum*, non autem istâ mente, *nulla est ratio consiliorum meorum*, hoc enim esset palam profiteri stultitiam & imprudentiam. Stulti autem propriè nullam habent voluntatem, ideò nec προαίρεσιν habent.

Obj.

Resp.

10. Idem esset sapiens & vir malus.

Decimò, Sequeretur eundem esse sapientem & virum malum, fieríque posse vt qui non erret mente, is sit vir malus. At hoc falsissimum est, nam mali iidem sunt stulti quatenus mali sunt. Hoc non eget probatione; nil enim magis arguit stultitiam quàm temeritas in eligendo, iidem autem mali etiam temerarij sunt; itaque & stulti.

11. possemus sperare sine gaudio.

Possemus etiam hoc probare argumento ducto à natura spei, Spes enim non est quælibet opinio rei futuræ, sed opinio rei futuræ quæ iudicatur esse bona. Si ea esset libertas voluntatis quam illi asserunt, possemus sperare sine gaudio & lætitia,

lætitia, quod est manifestè absurdum, nam spem semper sequitur gaudium, vsque adeò vt plerique omnes spem in voluntate collocarint (nam certè in intellectu est) atque ita, si hoc valeret, spes & metus coinciderent.

12. In peccato est ignorantia.

Duodecimò. Aristoteles cap.12.lib.3. Eth.ait, ἄγνοιαν τὴν ἐν προαιρέσει, ἄγνοιαν τὴν καθ' ὅλου αἰτίαν τῆς κακοῦ γίνεσθαι, id est, *ignorantiam quæ est in intellectu practico, & ignorantiam vniuersalem causam esse vitij* (eo autem loco vocat ignorantiam *vniuersalem* quæ non oritur ex ignorantia facti, sed ex ignorantia iuris, nam ignorantia facti excusat, iuris non excusat: ut si quis ignorat Deum esse colendum, patrem venerandum, fidem seruandam, hæc est ignorantia καθ' ὅλου) quod Aristoteles non dixisset si in ea fuisset sententia, *voluntatem posse obniti intellectui* πρακτικῷ. Et cap.4. eiusdem libri, cùm de malis agit, dicit eos decipi, quia (inquit) ἡ δονὴ φαίνεται αὐτοῖς ἀγαθὸν, οὐκ ὄν. Usi autem sumus authoritate Aristotelis, ne nouum dogma videremur inuehere in Philosophiam. Sic lib.1. Ethicorum definit *Bonum* quod omnia appetunt. Ergo nihil eorum quæ appetuntur malum videri potest. Et Polit. lib.1. Omnia omnes faciunt propter bonum siue verum, siue φαινόμενον.

II. probatur argumentis Theologicis.

Venio iam ad argumenta petita è Theologia. Primum hoc est, Scriptura omnes impios vocat *stultos*, Ergo intellectum sequitur voluntas necessariò, posset enim aliter dari impius qui stultus non esset. Item Scriptura ait, Euam primùm fuisse deceptam, deinde Adamum, Ergo voluntas Euæ & Adami secuta est intellectum. Ergo in omni peccato est deceptio, nam si in primo peccato fuit deceptio, multò magis in reliquis. Et quorsum pertinebant rationes Diaboli per serpentem loquentis nisi ut deciperet, adeò non potest inuadi arx voluntatis, nisi capiatur primò intellectus propugnaculum. Itaque impij apud Salomonem (qui in Prouerbiis exposuit rationem vitæ humanę) sunt eloquentes, ducuntur rationibus ductis ab vtili in speciem apud auaros, à iucundo, sed in speciem, apud libidinosos. Prou.1. Immò Scriptura docet impios omnes versari in tenebris, soli pij dicuntur filij lucis, adeò plena lex mentis pugnat cum voluntatis peruersitate.

2. Omnes impij sunt stulti.

1. Pij sunt serui iustitiæ, impij verò peccati.

Secundò, Pij dicuntur serui iustitiæ, mali autem serui peccati: Itaque hactenus nulla est voluntatis adiaphoria, seruit enim vtrobique, & vtrobique libera est; in regno iustitiæ, iustitię serua est, libera à seruitute peccati; in regno peccati, serua est peccati, libera à iustitia. Sed quemadmodum in Physicis generatio dicitur propter formam, corruptio propter priuationem formæ, cùm tamen vtrobique mutatio fit, & quidem si mutatio consideretur præcisè, par mutatio: sic planè par est vtrobique seruitus, sed quia seruitus iustitiæ est excellens quædam seruitus, *libertas* dicitur, ne intelligamus coactam seruitutem, sed spontaneam. Vnde fit vt nullum sit arctius vinculum quàm amoris, est hæc quidem seruitus *amare*, sed gratissima.

3. Impij non norunt Deum.

Tertiò, impij dicuntur in Scriptura *non nouisse Deum*, & ne sit vlla ratio dubitandi, eosdem dicit Scriptura *non vidisse Deum*, posset enim quis cauillari, dici impios *non nouisse Deum*, id est, *non amare Deum*. Sed illa ἐμφατικώτερα sunt quæ exstant 3. capite primæ Cathol. Iohan. *qui peccat neq; nouit Deum, neque vidit*: Itaque Paulus capite 4. Epistol. ad Ephes. ignorantiæ tribuit peccata Gentium. Jam verò si ista fictitia libertas haberet locum, fieri posset ut quis Deum planè cognosceret idemque impius esset, quod fieri nullo modo potest stante Scriptura. Nam quod aiunt Adamum peccasse citra ignorantiam, contradicunt Scripturæ quæ manifestè docet Euam primum, tùm Adamum fuisse deceptum, omnis autem deceptio versatur vel circa sensum, vel circa intellectum: Itaque nec Eua, nec Adamus peccarunt sine ignorantia, sed fuit illa ignorantia quam describit Aristoteles, quæ est in προαιρέσει, quæ est ignorantia τοῦ καθόλου: Vt si quis sibi persuadet patrem esse interficiendum, etiamsi id putet verum esse, tamen non immunis erit à pœnâ (cùm ignorantia τῶν καθ' ἕκαστα excuset tamen, nempe si quis patrem hostem ratus interficiat imprudens, hæc est ignorantia τῶν περιστάσεων) immo in eo ipso grauissimè peccatur, quod quis laboret ista ignorantia.

Obj. Res.

Adam deceptus peccauit.

4. Fides non potest separari à charitate. Obj.

Quartò, Fides non potest separari à charitate (hoc supra à nobis est probatum) fides autem est in intellectu, Ergo intellectus trahit secum & ducit necessariò voluntatem, alioqui ista non essent ἀσύστατα, ut fidelis idem & pessimus esset. Sed occurri potest huic argumento, fidem esse in voluntate, saltem illius aliquam partem. Non est iam consilium nostrum disputare de sede fidei, quænam illa sit, obiter tamē (pertinet enim istud ad rem quam agimus) monemus fidem necessariò secundum aliquam sui partem esse in intellectu. Jam verò quæ erit illa pars fidei? *cognitio* (inquiunt) At fidei, quæ secum necessariò adducit charitatem, quicquid est in intellectu est sanè cognitio, at non quæuis cognitio; sed ista cognitio qua certò statuis hanc rem tuam esse, ista autem cognitio non potest diuelli ab amore. Deinde nec hoc quidem videtur posse concedi, vllum habitum vnum ac simplicem habere diuersa subiecta, sunt enim distincti habitus Intellectus & Voluntatis, ita ut voluntas & intellectus inter se distinguantur. Denique, quis negabit τὸ *credere* actum esse intellectus? nam quod *credere* cordi tribuitur in Scriptura, id ideò fit quia & *intellectus* cordi tribuitur in Scriptura. Et certè τὸ *credere* versatur circa verum, ideoque qui non credit dicitur Deum reddere mendacem. Cùm igitur ita se res habeat, fieri non potest ut voluntas prædita sit eâ libertate quæ possit efficere, si eâ vtatur, ut non assentiatur intellectui.

Res.

Fides est in intellectu.

non autem in voluntate.

5. Deus necessariò vult bonum & odit malū. Obj. Res. 1.

Quintò, Deus necessariò vult bonum, necessariò odit malum, vtrumque autem in Deo pro eo ac decet magnopere laudatur. Itaque necessitas & virtus non pugnant, proindeque nec necessitas & vitium inter se pugnabunt. Respondent Deum hoc facere necessitate quadam naturæ. Sed huic responsioni duobus modis occurritur, priori sic, fateantur igitur necesse est aliquam necessitatem cum laude coniunctam esse, quando non negant Deum hoc nomine à nobis esse collaudandum, vbi autem laus habet locum, illic etiam virtuti locus est, nulla enim est vera laus præter eam quæ virtuti tribuitur. Posteriori sic respondetur, non videntur isti homines considerasse appetitus innatos simpliciter non conuenire Deo propter imperfectionem, nam appetitus innatus seiunctus est à cognitione, ut cùm grauia natura sua tendunt deorsum: appetitus

2.

item animalis, etsi ducem habeat cognitionem, tamen quia omnis illa cognitio est à sensu, includit in se imperfectionem, itaque nec Deo tribui debet. Restat vnicus appetitus, amor scilicet ortus à cognitione, qui Deo conuenit: & sanè brutus amor sit necesse est qui non sit à cognitione. Itaque amor quo Deus bonum amat, malum odit, non dicendus fuit appetitus naturalis, sed planè voluntas, quomodo Aristoteles ait βούλησιν esse τῶ τέλους. Deus enim, secundum nostrum considerandi modum, ipse sibi finis est, & amat semetipsum & quæcunque bona sunt, quia semetipsum nouit perfectissimè, & boni pulchritudinem, (Itaque quòd voluntas sequitur intellectum, tantum abest vt aliquid adimat perfectioni huius facultatis, vt contrà adumbratio quædam sit perfectionis illius quæ est in Deo) non autem Deus amore suo facit vt bonum sit bonum, nec odio suo facit vt malum sit malum. Nomine boni aut mali non intelligo ea quæ natura sua ἀδιάφορα sunt, nobis autem redduntur bona & mala pro Dei imperio, sed *bonum* appello ipsum Deum & imaginem Dei, *malum* appello quicquid pugnat cum imagine Dei. Itaque Deus neque peccatum potest velle, neque ea quæ contradictionem implicant, quia neutrum horum conuenire potest cum Dei imagine. Deus enim est ens summum, itaque quod entis rationem non habet Deus non potest velle: & idem optimus est, itaque quod neque per se, neque per accidens ad bonum referri potest, neque per se, neque per accidens velle potest.

Amor est à cognitione.

6. Christus qua homo necessariò odit peccatum.

Sextò, Christus quâ homo necessariò abhorruit à peccato, necessariò studuit pietati, attamen sanctissimus fuit, dignus etiam hac in parte, quâ homo fuit, summâ laude: Fuit autem Christus voluntate præditus, & quidem libero arbitrio. Itaque necessitas quædam est quæ nec cum voluntate, neque cum voluntatis libertate pugnat.

7. Indurati non possunt non peccare.

Septimò, aiunt esse quosdam induratos qui non possunt non peccare, hoc enim non possunt negare, tantum cupiunt sibi dari istos induratos hoc quicquid est mali in semetipsos accersiuisse, cùm ante indurationem in eo statu fuerint vt potuerint non promereri vt indurarentur. Sed de isto statu disputare nobis supersedendum est, tantum accipimus quod dant, nempe induratos non posse non peccare: Itaque necessitas quædam est quæ potest stare cum peccato, aut certè (quod absurdum est) indurati non peccabunt, si quidem peccatum & necessitas pugnant. At, inquiunt, eo peccant indurati quod potuerunt non peccare, nimirum antequam ad necessitatem peccandi vitio suo impulsi sunt, & rem simili illustrant. Certè ebrij peccant quia nulla necessitate sese inebriarunt. Sed hoc est negare reipsa induratos peccare post indurationem, & disertè affirmare peccatum præcessisse indurationem, nullum verò peccatum secutum esse indurationem: quemadmodum qui planè ebrius est, si in quem impetum faciat, quia hoc à ratione & iudicio (cuius nullum vsum habet) proficisci non potuit, non magis dicetur peccare quàm qui laborat phrenetide, tantum ideò plectitur, quòd cùm sit ebrietatis suæ causa, debet iure dare pœnas ob ea quæ ebrius patrauit. At non est ea peccatorum quę admittunt indurati ratio, sunt enim verè & propriè peccata in se, alioqui Satan & Angeli eius, quo nunc sunt statu, propriè peccare dicendi non essent, sed vnicum duntaxat fuerit illorum peccatum, nempe primum illud quo deuenerunt scilicet in hanc necessitatem: adeòque nullum propriè esset hominis peccatum præter vnicum illud primum Adami, quæ omnia absurdissima sunt. Non enim solemus inter orandum petere à Deo veniam & pacem conscientia peccati Adami tantùm, sed multò vehementius conscientia peccatorum nostrorum quæ nos ipsi admisimus. Denique induratio (quod illi maximè volunt) pœna dici non posset nisi peccatum indurationem consecutum pœnam augeret. Etsi enim peccatum pœna est, tamen non est propriè pœna, pœna enim & peccatum se mutuò respiciunt, itaque eorum alterum alterum esse non potest propriè. Jam verò puniuntur indurati ob ea quæ post indurationem patrarunt, alioqui nil opus erat causam pœnæ tribuere peccatis secutis indurationem, debuisset tribui peccatis quæ indurationem antecesserunt immediatè.

Except.

Resp. 1.

2.

8. Peccatum est aberratio.

Octauum argumentum ducitur à nominibus quibus Scriptura naturam peccati designat; nam hebraicè peccatum est חטאה, חטא autem est *à scopo aberrare*, vt cùm illorum Benjaminitarum iaculandi peritia describitur in Scriptura quod non aberrarunt à scopo, vtitur Scriptura verbo חטא. Jud. 20.16. Græcè autem *peccatum* dicitur passim ἁμαρτία, quod est verbum verbo redditum חטאה, nam quemadmodum חטא est hebræis *aberrare à scopo*, ita ἁμαρτάνειν Græcis. Et Apostolus 9. cap. Epistolæ ad Heb. (quo loco breuiter describit quid fieret à Sacerdote summo in die כפורים) peccata vocat ἀγνοήματα: nam dum vult docere principem Sacerdotem, typum nempe Christi, obtulisse pro peccatis populi, ait eum obtulisse ὑπὲρ τῶν ἀγνοημάτων, id est, verbum verbo *pro Erratis*. Qui locus (quia res id poscit) vindicandus est à Socini calumnia: Nam homo imperitus phraseωs Scripturæ nullâ ingenij culpa, sed contemptu officij Christi, hinc arripuit occasionem asserendi in die propitiationis Sacerdotem obtulisse tantum pro leuibus quibusdam peccatis, vel potius *erratis*, quæ propriè rationem peccati non habuerunt. Jam ne videamur aduersus eum vti eius artibus, hoc illi concedimus ἀγνόημα etiam dici משגה semel, est autem משגה peccatum non quale describit Aristoteles ἐν τῇ προαιρέσει, sed circumstantiarum vt plurimùm, attamen ἄγνοια apud LXX. Interpretes idem est quod אשם, & אשמה, quæ voces etiam atrox *scelus* & *delictum* significant, item idipsum est quod פשע *transgressio*, *rebellio*. Sed & miser ille refellitur ipsius Dei authoritate, nam Leuit. 16. iubetur princeps Sacerdotum confiteri die propitiationum על העונות בשעי Israelis & כל חטאתם *omnia peccata eorum*. Cùm igitur peccatum ἀγνόημα sit, nulla est libertas in voluntate qualem isti homines fingunt, nempe quæ sit eiusmodi vt etiamsi intellectus & mens illustrata sit, tamen voluntas, pro libertate scilicet sua, peccet. Itaque 2. cap. 1. ad Cor. ait Apostolus *si nouissent, non crucifixissent Deum gloriæ.* Jam verò obseruandum est illo loco Apostolum non agere de plebe, sed de sapientibus Judæorum; quos appellare solet ἄρχοντας αἰῶνος גדולי העולם, nam quod Paulus adiecit τούτου, hoc fecit in contemptum, non enim solent Rabbini sapientes suos appellare *principes* huius

Locus Heb. 9. 7.

Vindicatus contra Socinum.

huius ſæculi quod mutabile eſt & perit continuò. Immò dubitandum non eſt quin fuerint ex iſtis Sapientibus qui reluctante conſcientia Chriſtum damnarunt: adeò nullum peccatum eſſe poteſt vbi ignorantia non ſit.

9. Pœnitentia eſt

Nonum argumentum ducitur à nomine pœnitentiæ in Scriptura, dicitur enim μετάνοια: quemadmodum autem νοεῖν eſt mentis, ſic etiam μετανοεῖν, quid enim eſt aliud μετανοεῖν quam quoddam νοεῖν; Itaque mentem ſequitur voluntas, nempe in peccato erat ἄνοια, vti ſupra demonſtratum eſt, in pœnitentia μετάνοια. Et, ſi eorum cum quibus nobis controuerſia eſt, ſententia eſſet vera, poſſet eſſe μεταμέλεια vbi μετάνοια non ſit (quo nihil dici poteſt abſurdius) nam μεταμέλεια voluntatis eſt, quæ ſcilicet ex eorum hypotheſi non eſt obnoxia intellectui, ſed propriam habet & ingenitam libertatem. Itaque etiamſi nulla eſſet μετάνοια in intellectu, eſſet tamen voluntatis μεταμέλεια: nempe, ſi illis credimus, non pendet voluntas ab intellectu per modum effecti, ſed quomodo actio pendet ab obiecto circa quod exercetur. Nam licet ſit iſtud abſurdiſſimum, tamen minus abſurdum eſt eo quod ex eorum ſententia ſequitur, μετάνοιαν poſſe eſſe in intellectu cùm nulla ſit in voluntate μεταμέλεια: Nam μεταμέλεια ſignificat *mutationem ipſius voluntatis*, μετάνοια *renouationem intellectus*. Et, quod nolo vos latere Scriptura pœnitentiam impiorum vocat μεταμέλειαν, nunquam μετάνοιαν, adeò impoſſibile eſt μετάνοιαν eſſe abſque μεταμέλεια.

10. Gratia redderetur inutilis.

Decimum argumentum ſumitur à ſtatu hominis extra gratiam. Nam ij aduerſus quos diſputatio hæc ex Scriptura inſtituitur, non negant gratiam Dei neceſſariam eſſe poſt lapſum, vt quis operè propriè bono defungatur, tantum dicunt gratiæ eſſe indulgere homini τὸ *poſſe*, liberi autem arbitrij eſſe effectum dare quod vt poſſes gratia effecit. Quin etiam (adeò ſunt liberales) docent mera voluntate adductum Deum induſiſſe illam gratiam, & hac ſua liberalitate putant ſe effeciſſe vt decretum Dei, quale illi conſtituunt, de hominibus ſaluandis videatur merè gratuitum. Fingamus igitur (quandoquidem id fieri potuiſſe concedunt) Deum noluiſſe indulgere hanc gratiam, fuiſſet-ne vllus peccato locus; certè non fuiſſet ſi ſtat eorum hypotheſis: Nam vbi neceſſitas locum habet inde excluditur peccatum; at iidem fateantur neceſſe eſt quod ſine Gratia Dei poſt lapſum fuiſſet aliqua peccandi neceſſitas, eoque adducti ſunt vt exiſtimarent Gratiam eſſe neceſſariam. Aut igitur peccandi neceſſitas ſtabit cum peccato, aut Gratiâ nihil opus fuerit; ubi enim peccatum non eſt quis Gratiæ locus eſſe poſſit? non enim indulgetur Gratia niſi ubi vel jam peccatum eſt, vel ubi periculum eſt peccandi.

11. Regeniti non peccatur.

Vndecimum argumentum. Regeniti verè dicuntur non poſſe peccare, (pro modulo ſcilicet regenerationis) eiuſque rei ratio redditur, *quia* (inquit Iohannes Apoſtolus 3. cap. 1. Catholicæ v. 9.) *ſemen Dei in iis manet & quia ex Deo geniti ſunt*. Non igitur quærendum eſt quare peccauerit Adamus, aliud enim eſt eſſe Filium Dei per modum *naturæ*, cui ſcilicet fluxam & inſtabilem eſſe veritati eſſentiale eſt, aliud per modum *gratiæ*, quæ nempe firma, permanens, ac ſtabilis eſt. Itaque Apoſtolus cap. 3. poſt. ad Tim. *Fidelis eſt*, inquit, *Deus qui vos firmabit & cuſtodiet à maligno illo*, quod profectò diuamo non fuit con[illegible] V[illegible] ſeruanda ſunt diligenter illa verba ςηρίζειν & φυλάσσειν, habent enim ſingularem emphaſin; Notant nempe vim & efficaciam Gratiæ, qua imbecillitas illa & inconſtantia natiua ſtabilitur & corroboratur aduerſus omnem inſultum, quo debilitari alioqui & frangi denique ſanctiſſimus quiſque facilè poſſet.

12. æquali ſaxe perfunderentur increduli, & credentes.

Duodecima ratio. Si iſta libertas imaginaria (quam ſolam refutamus) locum haberet, ſequeretur pari luce perfundi eorum mentes qui reſpuunt Euangelium, & eorum qui Euangelium amplectuntur. Conſequentia neceſſaria eſt vſque adeò, vt ij à quibus diſſentimus vltrò concedant rem ita ſe habere, immò in hoc collocant ſuæ cauſæ firmamentum. Dicunt enim (ſunt eorum verba) *eſſe connaturale voluntati, vt poſſit quod oblatum eſt ab intellectu vel rejicere, vel admittere etiam*, (Atque hic ſæpenumerò excidunt eis hæc verba *prout ei libet*, quæ ſenſum habent, ſi explicentur, planè ridiculum: nam poſſunt quidem iſta verba vſurpari cùm agitur de illis actibus quos in Scholis *imperatos* vocant, non enim fiunt niſi iuſſerit voluntas, at cùm de ipſa volitione agitur, de actu quem *elicitum* vocant voluntatis, nonniſi ineptiſſimè adhibentur, huc enim redibit ſententia, *Voluntas poteſt velle ſi velit, & nolle ſi nolit*) proindeque negant abſurdum eſſe, vt qui Euangelium aſpernatur habeat mentem tantâ perfuſam luce, quanta eſt illa quæ eius animum qui Euangelium libenter *ſuſcepit, circumfulſit*. Sed ita contradicunt Chriſto qui diſertis verbis in Euangelio ſecundùm Matthæum capite 11. teſtatur Deum celaſſe myſteria ſua ſapientes, atque illa reuelaſſe paruulis. Iam quibus aliquid celatum eſt profectò illi non erant tantâ luce perfuſi quantâ illi quibus id ipſum reuelatum eſt. Et idem Dominus deflet miſeram Ieroſolymitanorum conditionem, *Si* (inquit) *agnouiſſes hodie ea quæ pertinent ad pacem tuam, ſed hæc occultata ſunt ab oculis tuis*: vnde clariſſimè liquet eos qui Chriſtum ſecuti ſunt & amplexi vera fide, maiorem proculdubiò Chriſti notitiam fuiſſe conſecutos. Immò verò Moſes Deut. 29. 4. negat Deum rebellibus *Iſraelitis dediſſe cor*, id eſt mentem, *ad intelligendum*. Qui locus quia nuper cuiuſdam gloſſa deprauatus eſt & detortus in alienum ſenſum, explicandus & vindicandus eſt. Verba certè Moſis clara ſunt, quibus docet primùm, Iſraelitis in deſerto bonam mentem defuiſſe (Itaque omnes impij iidem cæci ſunt) ſecundò, Deum non dediſſe iis bonam mentem, eſſe igitur bonam mentem Dei donum. At, inquit ille, non agitur eo loco quid Deus dederit aut non dederit. Sed inquam, non eſt certè ſcopus Moſis docere quid Deus det aut non det, pertinet tamen id ad Moſis ſcopum. Quod vt rectè perſpiciamus, tenendum eſt omnes mortales eſſe naturâ malos, atque ita malos vt opus eis ſit cœleſti quadam gratiâ: Itaque quoties aliquem volumus accuſare vt malum, ſolemus dicere Deum ei non dediſſe bonam mentem, non quod velimus Deum facere authorem eius malitiæ, ſed vt cùm agitur de morbo inſanabili non dubitamus ſic loqui, Medicus iſtum non ſanauit, neque ſanaturus eſt: ſic cùm dicimus locum aliquem eſſe caliginoſum, ſic loquimur vt negemus locum eſſe illuſtratum à ſole, aut ſolem eò pertingere. Nec quiſquam hîc excipiet, non agi tùm quid ſol faciat aut non faciat, quando clara eſt ſen-

Locus Deut. 29. 4. vindicatus.

quod falſum eſt, & Scripturæ repugnans.

Except. 1.

Reſp.

Ibi eſt neceſſa[r]iò ma[l]um, vbi Deus non ponit bonum.

tentia, nempe hoc volumus, esse locum caliginosum, idque demonstramus remotione causæ lucis. Sic Dominus noster Iesus Christus etiam cùm Iudæis exprobrat contemptum Euangelij. *Nemo* (inquit) *venit ad me nisi Pater traxerit illum*, &, *quisquis audiuit à Patre is veniet ad me scriptum enim est, omnes erunt docti à Deo.* Ergo Moses volens ostendere nequitiam Israelitarum, qui eius scopus est, id ostendit ea locutione quæ designat remotionem causæ bonitatis. Secundò ait, non sequi, Deus non dedit Israelitis cor ad intelligendum, ergo noluit dare. Itaque hoc vult, non quæcumque Deus vult ea facit: Et vt sunt isti homines acuti, aiunt in natura hoc verum esse, nempe *quicquid vult idem facit Deus*, hoc largiuntur, At cùm, inquiunt, agitur de voluntate humana, non quicquid vult idem continuò facit. At quid ita, inquam? Num boni minoris quale bonum Physicum est, Deus author ἁπλῶς est & propriè, maioris boni & præstantioris, quale bonum Ethicum est, idem non erit author? aut magis facile est Deo naturam trahere quàm hominum voluntatem? Non est, inquient, sed pugnat hoc cum natura voluntatis. At hoc pugnat cum ipsorum hypothesi, nam fatentur quorundam corda ita Deum afficere vt omninò pertrahat in suam sententiam. At quod fit in aliquo citra vllum detrimentum voluntati ingenitæ libertatis, id ipsum in omnibus potest fieri. Sed vt ad argumentum redeamus, Paulus disertis verbis testatur omnium *eorum qui pereunt oculos fuisse excæcatos à Deo huius sæculi*, 2.Cor.4. Itaque quod erat demonstrandum) contemptores Euangelij non senserunt tantam lucem quantam qui crediderunt Euangelio persenserunt.

2. Except. — Resp. — 3. Except. Resp.

Decima tertia ratio ducitur à sensu conscientiæ, quem Tertullianus vocat *animæ testimonium:* Solemus enim precari bonam mentem impiis hominibus, solemus Deum rogare vt eorum mentes luce sua illustret, nobis videntur furere & insanire: Itaque dicimus furorem, rabiem, & reliqua eiusmodi dementare impios, eos efferari: neque nos Christiani solum sic loquimur, sed omnes omnino homines: immò verò grauissima quæque scelera ἐθελοδουλίας dicimus. Quod omnino tamque constanter fieri non posset, nisi conscientiæ hoc esset altissimè infixum, opus esse noua luce ad impios & sceleratos homines ab instituto auocandos. Hinc apud Paulum crebræ preces & orationes, vt Deus hominum oculos velit illustrare luce Spiritus & Euangelij sui. Itaque voluntas obsequitur intellectui tum demum cùm omnino illustratus est.

13. Argument. sensus conscientiæ id ipsum euincit.

Decima quarta ratio. Nisi voluntas ferretur necessario in obiectum suum Deus non posset esse præscius omnium futurorum. Iam futura hîc dicimus non qualia sunt extra causas suas constituta, tùm enim Deus illa considerat vt præsentia, sed qualia sunt in σχέσει ad causas suas, quatenus sunt (vt loquuntur) in futuritione. Hoc argumentum vsque adeò Pomponatium insignem Philosophum commouit, vt concesserit Deum non posse certò scire omnia illa quæ sunt futura, adiecta hac conditione *quatenus futura sunt*, id est, sub ratione futurorum. Et certè ratio consequentiæ manifesta est: Nam quod non est certò futurum illud non potest certò sciri, scitur enim vnumquodque prout est, & scibile necesse est scientiæ esse mensuram. Si ergo (vt loquuntur isti) voluntas humana à nulla causa secunda potest determinari, necesse est omnino vt Deus eodem modo se habeat in cognitione eorum quæ fient à voluntate, quatenus futura sunt, quomodo qui versatur circa diuinationem futurorum contingentium.

14. Deus nesciret futura contingentia.

Effecimus vt arbitror necessariis rationibus voluntatem non ferri in obiectum suum aliter quàm necessariò, sed vt res tota pleniùs intelligatur proferendæ sunt rationes contrariæ: Eæ verò vel accersitæ sunt è Philosophia, vel è Sacra Scriptura. Prima ratio è Philosophia hæc est. *Si voluntas ferretur necessariò in obiectum suum eadem esset causa libera & necessaria, Etenim causa libera est quæ agit quia sic ei libet. Porrò necessitas & libertas pugnant.* Priusquam occurramus huic rationi, tenendum est quid sit libertas, nam definitione libertatis hæc quæstio definietur. Libertas igitur est *facultas faciendi quod libet:* itaque liber is est qui quantum vult tantum potest (contrà seruitus est inopia facultatis faciendi quicquid libet) libertas enim dicitur ab eo quod libet. Porrò duplex est facultas faciendi quæ tibi libeat, *Ethica* altera, altera *Physica:* facultas *Ethica* est quando lege aliquid licet agere aut non agere: hoc modo nulla creatura rationalis libera est, neque hoc pacto potest dici causa libera: atque Paulus ideò necessitatem sibi dixit impositam prædicandi Euangelium; nempe hoc voluit, sibi non licere non prædicare Euangelium, non autem illud, sibi impossibile esse vt non prædicet Euangelium. *Physica* facultas est quando possumus aliquid agere viribus corporis, aut animi, vel etiam ope illorum bonorum quæ vulgò fortunæ appellantur: sic potest aliquis interficere vel non interficere innocentem, erogare aut non erogare eleemosynam. Et hæc facultas Physica faciendi quod libet adeò distincta est à facultate Ethica, vt aliquid Ethicè liceat quod non licet Physicè, vt ægro licet cohortari filios suos ad sanctè viuendum, at morbi vi impeditus non potest id præstare. Et contrà, multa Physicè licet facere quæ Ethicè non licet: Puta hominem perdere Physicè aliquando licet, at Ethicè nunquam licet, est enim lege interdictum. Iam verò vt accommodemus ista ad rem, Creatura rationalis lege non est libera, hæc est brutorum libertas, quæ quoniam ratione carent nulla lege tenentur, quanquàm id in animantibus potius negatio seruitutis est, quàm propriè dicta libertas. Itaque ista libertas seu immunitas à lege propriè in Deo solo locum habet, in hominibus autem κατά τι, neque in iis quæ sunt adiaphora, quæ neque sunt bona neque mala, de quibus non est lata certa & definita lex. Libertatem autem Physicam ne homo quidem obtinet in vniuersum, pleraque enim sunt quæ etsi nobis liceat, cùm maximè velimus non possumus tamen præstare; nempe deest facultas exequendi consilium & voluntatem animi. In Deo multo aliter se res habet, est enim omnipotens, itaque nihil vult, aut potest velle quod idem non possit effectum dare. Itaque solus Deus verè & propriè liber est, & Physica libertate qui est omnipotens, nihil est ei impossibile, & Ethica libertate quia nulli est obnoxius legi, ipse sibi lex est, & quicquid vult iure vult eo ipso quod vult: nullam enim Deus agnoscit legem præter voluntatem suam, quæ omnis æquitatis norma est, & legum lex.

Occurritur contrariis argumentis, ac primò Philosophicis. 1. Eadem causa esset libera & necessaria. — Duplex facultas faciendi quodlibet. 1. Ethica. 2. Physica. — discrimen inter vtramque. — Creatura rationalis non est libera à Lege. — sed solus Deus.

His ita

Reſp. ad argument. His ita conſtitutis, Reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam. Non enim ex eo quòd voluntas fertur neceſſariò in obiectum ſuum ſequitur volentem non eſſe cauſam liberá: libet enim is eſt qui facit quantum vult, volens autem neceſſariò facit, quantum vult, ſaltem aliquando, itaque liber eſt. Sed in hoc latet argumenti fallacia, quod confunduntur actus qui vocantur *eliciti* voluntatis cum actibus *imperatis*. Libertas voluntatis in his omnis verſatur, non autem in illis: vt verbi gratia, dicimus in actu imperato voluntatem eſſe liberam quia actus imperatus dependet à voluntate, id eſt, eo actu defungimur quia volumus. At libertatem quærere in eo actu elicito, tam abſurdum eſt quàm ſi quis actum elicitum diceret imperatum, cùm actus eliciti non imperentur, ſed eliciantur. Itaque non ſequitur voluntatem non eſſe liberam in actibus imperatis quod ſe habuerit neceſſario in elicitis, cùm (ut dictum eſt) actus elicitus non ſit imperatus, ſed actus imperati cauſa impellens.

1. Argumēti fallacia.

2. fallacia. Deinde etiam eſt fallacia in voce *neceſſariò*, nam neceſſarium non vno modo dicitur, nam & neceſſarium eſt quod à vi profectum eſt, & neceſſarium eſt quod eſt profectum à natura ἁπλῶς dicta, & neceſſarium eſt quod eſt ab appetitu animali. Libertas cum his generibus neceſsitatis ſtare non poteſt, ſed nos ſupra demonſtrauimus eſſe quandam neceſsitatem dependentiæ voluntatis ab intellectu & ratione: hanc neceſsitatem negamus non poſſe conſiſtere cum libertate, quia non impedit quin aliquis tantum poſsit quantum velit, quæ definitio libertatis eſt.

2. argum. Secunda ratio Philoſophica eorum hæc eſt. *Si voluntas non eſſet immunis à neceſſitate tunc ſequeretur nos non poſſe eſſe bonos aut malos; At hoc eſt abſurdum, Ergo & illud.* Reſp. Reſpond. negando conſequentiam. Nam ſi Philoſophicè agamus ideo in noſtra poteſtate ſitum eſt vt ſimus boni aut mali, quia actus quibus comparatur habitus virtutis aut vitij pendent à voluntate noſtra, actus autem illi ſunt actus imperati, cohibitio & redactio in ordinem perturbationum animi, quod fit (ex Philoſophia) crebris actibus iiſque imperatis. Itaque dum Philoſophia vult in noſtra poteſtate eſſe ut ſimus boni aut mali, hoc vult duntaxat, nos ſi velimus hoc conſequuturos ut ſimus boni, & ſi velimus hoc conſequuturos vt ſimus mali. Denique hoc tantum vult, pendere à voluntate vitium aut virtutem. At vera Philoſophia (ne Ariſtoteles quidem) vnquam docuit, voluntatem poſitis iis omnibus quibus elicitur in actum poſſe non elici in actum, hoc ne fando quidem vnquam auditum eſt in Peripatetica Philoſophia.

3. Tertia ratio eorum eſt: *Si ita ſe res haberet non poſſet homo dici Dominus actionum ſuarum: Iam vt aliquis ſit in culpa neceſſe eſt vt ſit* Κύριος τῆς πράξεως αὐτῶ. Reſp. Reſpond. hoc argumentum idem eſſe cum primo mutatis verbis. Nam *eſſe cauſam liberam* & *dominum actionum ſuarum* idem ſignificant. Dicimus igitur negandam conſequentiam. Non enim dicitur homo dominus actionum ſuarum quia poſitis omnibus quæ mouent voluntatem poteſt velle aut non velle, ſed quia in negotio virtutis aut vitij tantum poteſt quantum ſerio vult. Itaque dominium & libertas non præcedunt, ſed ſequuntur voluntatem: & huius dominij libertatis ratio poſita eſt in facultate præſtandi quod velis, idque iudicio & ratione, nam pueri, furioſi & animalia bruta poſſunt quidem appetere, ſed non velle, propter rationis inopiam.

quomodo homo ſit Dominus actionum ſuarum.

4. Quarta ratio eorum ducitur ab experientia. *Sæpenumerò contingit vt hoc in nobiſmetipſis ſentiamus, nempe nos ita aliquid velle vt tamen teſte conſcientia poſſimus illud nolle: vt verbi gratia ſedere, aut ſtare, humi procumbere aut deambulare.* Reſpond. hoc eſt totum ab intellectu, quomodo enim ſeſe habet intellectus ad τὰ πρακτά eodem modo ſe habet voluntas: quia igitur intellectus hic nutat & vacillat, quia nihil videt in re ſingulare & egregium, inde fit ut voluntas pendula ſit, & hæreat incerta. Itaque ſtat firma noſtra ſententia voluntatem ſequi neceſſariò intellectum, immò confirmatur hoc argumento: nam in hoc rerum genere ſolo voluntas ita verſatur; nempe cum agitur de rebus indifferentibus: extra hanc ſpeciem, iſta voluntatis nunc in hanc, nunc in illam partem propenſio nullum habet locum. Atque hinc (ut hoc obiter moneamus) nonnulli videntur arripuiſſe occaſionem aſſerendi ſuum illud dogma de voluntatis ἀδιαφορίᾳ, quum agitur de Chriſto amplectendo aut rejiciendo: quia enim boni illi viri negant aliquem poſſe eſſe certum de ſalute, & dubitant an ſint prædici Spiritu Sancto, neceſſe fuit ut illorum *credere* ſit actus imperatus voluntatis. Quod ſi ſenſiſſent vim & lucem illam Spiritus Chriſti, qua dejicitur carnis faſtus, & erigitur ſpiritus ſenſu ſuauitatis Chriſti & ſpe certiſsima vitæ æternæ, certè execrati fuiſſent iſtam ἀδιαφορίαν voluntatis, quam ſtatuunt locum habere etiam tum cùm Chriſtum amplectimur.

retorquetur.

5. Argumentum. Quinta ratio eorum eſt, *Voluntas ſæpenumerò obnititur intellectui, itaque non ſequitur neceſſario dictum intellectus, proindeque non ſ[...]ur vlla neceſſitate in obiectum ſuum, alioqui objecta [...] non poſſet non commoueri.* Reſponſio facilis eſt, perinde enim voluntas obluctatur menti, ut ipſa ſibi repugnat: At hoc dici propriè & verè non poteſt (dicitur tantum κατ' τὸ ὀξύμωρον) quomodo enim voluntas ſibi repugnet ipſa, aut intellectus ſibi ipſe non aſſentiatur? hæc ſunt ἀσύςατα. Voluntas tamen dicitur quæ vult nolle, & quæ non vult aliquando velle, quomodo in vulgata editione Prouerb. 13. 4. piger dicitur *velle* & *non velle*, optimo ſenſu ſi conueniret illi loco; Nam piger quodammodo vult, quodammodo non: Sed hoc eius *velle* & *non velle* unum idemque ſequitur intellectus iudicium, itaque ut eſt hic pugnantia quædam in voluntate, par eſt pugna in intellectu; quod intellectus iudicauit eſſe quodammodo bonum, id ipſum voluntas hactenus appetit, ſed quod intellectus pronuntiauit melius eſſe quàm pejus id ipſum voluntas etiam vehementius appetit quàm ab eo abhorret. Itaque hoc argumento nihil promotum eſt, tantùm ſic oſtenditur imbecillitas humani iudicij in actionibus bonis & malis, in expetendis & fugiendis, atque ex hac inconſtantia orta pugna & diſsidium in animo humano: Cæterùm nullum eſt argumentum, quod probet euidentius voluntatem non eſſe affectam ἀδιαφόρως erga ea quæ appetit, iſto exemplo, nam in hoc ſita eſt voluntatis ſeruitus quod iſta appetit vehementiſsimè, uſque adeò ut in lucta ſuccumbat, & ipſo facto ſe victam fateatur: nulla fuit igitur ἀδιαφορία, ſed ardentiſsimus quidam affectus cum ſumma coniunctus cæcitate. Etenim quæ ſtultitia fingi aut dici poſsit maior, quàm id

Reſp. quomodo voluntas obnititur intellectui.

retorquetur argument.

quod in se est malum, speciem tantùm habet boni, vero bono præferre? Itaque Aristoteles, & Aristotelem secuti omnes verè Philosophi (quod & à nobis demonstratum est suprà) eosdem *malos & cæcos* atque *imperitos* esse voluerunt, errant enim omnes vel in constituendo fine, vel in electione mediorum quæ tendunt ad finem. At illi negant errorem esse vbicunque peccatum sit, & cùm in Philosophia de hoc argumento disputent proferunt exempla lapsus Angelorum & primi hominis, in quorum peccato nulla fuit ignorantia. Sed hæc exempla non debuerunt afferri à Philosophis, neque faciunt ad rem, vti demonstrabimus cùm venerimus ad considerationem rationum quas afferunt è Theologia. Hoc tantum obiter dicimus, Adamum & Euam vtrumque fuisse deceptum, teste Paulo 1. Tim. 2. 14 At vbi error non est nulla deceptio esse potest, quod si in Adami peccato error fuit, nihil prohibet quin & error locum habuerit in peccato Angelorum. Et primò nonne fuit error grauissimus sese anteferre Deo, & ad eam dignitatem & gloriam niti quæ naturę suæ modum superaret? Sed, inquiunt, est quidem error in omni peccato, attamen error qui sequitur, non qui præcessit voluntatis actum, necesse est enim (inquiunt) ut intellectus approbet quod voluntas appetiit. Hoc autem est in primis mirabile quod ab acuto viro vox tam absurda potuit emitti: Etenim (teste Aristotele & ipso sensu) executio est actus voluntatem immediatè consequens. Itaque cùm quis facti rationem reddit, facti (inquam) liberi, voluntatem pro causa & ratione affert: nam προβούλευσις, προαίρεσις, & ipsa executio sese ordine sequuntur. At isti homines perinde loquuntur ac si res acta esset agenda. Cùm igitur ipsa volitio inordinata peccatum sit, & malum (quatenus malum est) sit simpliciter (ut ita loquar) nolibile, quatenus malum est appeti non potest, neque placere nisi fucatum specie boni, species autem intellectus intuetur & de iis iudicat. Sed de ignorantia infrà nobis erit disputandum in responsione ad vltimum argumentum.

Obj. | Resp. | Except. | Ref.

Argumentum. Sexta ratio eorum petita est ab authoritate Aristotelis, (cuius authoritatem professi sumus nos secuturos in hoc argumento.) Is enim Metaph. lib. 9. cap. 5. distinguit potentias seu facultates, atque vult esse genus quoddam facultatum quas ἀλόγους vocat *alienas à ratione*, aliud genus facultatum esse vult quas dicit esse μετὰ λόγου: Et facultatum quæ sunt ἄλογοι hanc vult esse rationem, ut earum μία ἑνὸς sit ποιητική: ut, verbi gratia, calor tantum potest vrere, at non potest refrigerare, grauia possunt deorsum tendere, & tendunt necessariò sublato impedimento, at non possunt sursum tendere. Aliæ verò facultates quæ sunt μετὰ λόγου sunt ποιητικαὶ τῶν ἐναντίων. Itaque si stat hoc dogma quo statuitur voluntas necessariò fieri in obiectum, sequetur eam non esse facultatem quæ sit μετὰ λόγου, cum ex Aristotelis sententia eius generis facultates sint τῶν ἐναντίων: quæ verò facultates certum quoddam habent & definitum obiectum, eæ sunt ἑνὸς tantum ποιητικαί, proindeque ἄλογοι. Erit igitur hoc pacto voluntas facultas ἄλογος, siquidem sit ἑνὸς tantum, atque (ut loquuntur) ad unum determinata. Respond. tantum abest ut is locus faciat contra sententiam nostram, ut contra eam stabiliat. In Græco sic habet ille locus, Τὰς μὲν τοιαύτας δυνάμεις ἀνάγκη, ὅταν ὡς δύνανται τὸ παθητικὸν καὶ τὸ ποιητικὸν πλησιάσωσι, τὸ μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ πάσχειν, ἐκείνας δ' οὐκ ἀνάγκη· αὗται μὲν γὰρ πᾶσαι, μία ἑνὸς ποιητική, ἐκεῖναι δὲ τῶν ἐναντίων: ὥστε ἅμα ποιήσει τὰ ἐναντία, τοῦτο δὲ ἀδύνατον· ἀνάγκη ἄρα ἕτερον τὸ εἶναι τὸ κύριον, λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν, ἢ προαίρεσιν. ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται, κυρίως τοῦτο ποιήσει, ὅταν ὡς δύναται ὑπάρχῃ καὶ πλησιάζῃ τῷ παθητικῷ· ὥστε τὸ δυνατὸν κατὰ λόγον ἅπαν ἀνάγκη, ὅταν ὀρέγηται, οὗ τε ἔχει τὴν δύναμιν, καὶ ὡς ἔχει, τοῦτο ποιεῖν, ἔχει δὲ παρόντος τοῦ παθητικοῦ καὶ ὡδὶ ἔχοντος, ποιεῖν, εἰ δὲ μή, ποιεῖν οὐ δυνήσεται. In quibus verbis obseruandum est, nomine facultatis quæ coniuncta est cum ratione neque rationem intelligi ab Aristot. (ratio enim cum ratione non est coniuncta) neque ipsam volendi facultatem, dicit enim præter illam facultatem esse aliquid κύριον, nempe ὄρεξιν ἢ προαίρεσιν, sed facultatem intelligit cui κύριον imperat, nempe facultatem quæ ita affecta est ut si voluntas velit exequatur opus, immo verò exequatur necessariò. Itaque ex illo loco Aristotelis hoc tantum efficitur, esse in homine potentiam quandam ἀδιάφορον ad agẽdum aut non agendum, sed quæ determinatur tamen ab ipsa voluntate. Voluntatem autẽ semetipsam determinare, à nobis suprà refutatum est, & hoc Aristoteles eo loco refellit, cùm ὄρεξιν & προαίρεσιν dicit quidem esse κύριον, sed cùm referuntur ad actus imperatos, non autem sui respectu; alioqui enim daretur progressus in infinitum, & aliquid semetipso esset superius & inferius.

7. Argumentum. Septimum argumentum. *Contingit sæpenumerò vt faciamus periculum libertatis nostræ, & fugiamus quæ expetenda sunt, & expetamus quæ fugienda, nempe vt re ipsa & factis probemus non esse liberos.* Sed hoc argumentum futile est, quia id nunquam fit in rebus magni momenti, sed hoc fit tantum in rebus nihili. Deinde & hîc serua est voluntas, & quidem intellectus, qui suadet tum potissimum esse ostentare libertatem. Atque ita tantum abest ut probetur, ut contrà efficiatur nullam esse voluntatis libertatem qualem isti fingunt. Volunt enim positis omnibus quibus mouetur posse eam non moueri: sed si quis cupiat libertatem suam ostentare, non poterit nolle medium idoneum huic libertati ostendendæ, nec velle medium alienum ab hoc fine.

8. Argum. Vltimum argumentum. *Vbi locum habet ignorantia excusatio item habet locum, & ubi necessitas est, misericordiæ potius quàm iustitiæ locus est.* Respond. hoc argumentum solui non potest commodè, nisi prius de ignorantia disputemus. Ea verò quid sit definire nihil est opus, adeò res nota est, sed, ut soluatur argumentum, quotuplex sit id verò demonstrandum est. Dicimus ergo ignorantiam multis modis distingui posse, vel enim distinguitur ratione *subiecti*, vel ratione *obiecti*. Ratione *subiecti* est quædam ignorantia (ut ita dicam) *totalis*, & est ignorantia *partialis*: vt verbi gratia, si quis putet quod est bonum id esse omnino malum, & contra, quod est malum id esse omnino bonum; ut si quis putet *amare Deum* malum esse, & contrà *odisse Deum* bonum esse; nempe Deum esse iniustum, non habere curam suorum, unde oriuntur blasphemiæ & exprobrationes in Deum: hæc est ignorantia totalis ex parte subiecti, nam causa ignorantiæ est in ipso subiecto: ignorantia *partialis* hæc est, ut si quis existimet bonum esse ut quis studeat pietati, tamen melius esse ut studeat rebus suis, studeat alendæ familiæ: hæc ignorantia item est ex parte subiecti, sed partialis; non

Ignorantia. | multiplex I. | Ratione subiecti. Totalis. | Partialis.

non sunt enim eiusmodi homines planè profani & Athei, tamen pluris faciunt res terrenas quàm Deum. Hæc est illa ignorantia qua peccant improbi, quos Aristoteles dicit peccare ἀγνοοῦντας, cùm tamen non peccent δι' ἄγνοιαν *per ignorantiam*: estque eadem ignorantia quam dicit esse ἐν προαιρέσει, quamque vult causam esse τοῦ κακοὺς γίνεσθαι, *quod homines mali sunt*, immò hanc ignorantiam ἁμαρτίαν vocat *aberrationem*. At ignorantia ex parte obiecti longè diuersa est ab ista, nempe (si propriè loqui volumus) illius causa non est in ignorante, sed est ab obiecto: vt verbi gratia, si pater interdixerit filio quidpiam, neque id definierit, fecerit autem filius quod vetuit pater, fecit filius aliquid δι' ἄγνοιαν *propter ignorantiam*, non fecerit simpliciter *ignorans*: Nempe nouerat patri parendum, idque optimum esse, atque ita id pernouit vt voluerit, sed quia obiectum fuit eiusmodi vt non percipi potuerit quodnam fuerit, hinc factum est vt fecerit quod vetuerat pater: Hæc est ignorantia τῶν καθ' ἕκαστον, quæ latissimè patet, vt si quis venenum præbeat haurìendum vinum ratus se præbere: sunt de hoc genere penè infinita. Sic igitur respondemus ad argumentum, vbi ignorantia ex parte obiecti locum habet, hîc demum excusationi locus est & veniæ, at contra sicubi est ignorantia cuius principium est in ipso subiecto, ἐν προαιρέσει, tantum abest vt excusatio locum habeat, vt ista ignorantiâ nihil sit execrabilius. Quod verò argumento adiectum est, *vbi necessitas locum habet, & misericordia locum esse*, etsi suprà à nobis refutatum est, tamen vt res magis sit perspicua, hoc loco sic hanc rem explicamus. Est quædam necessitas ἧς ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν, illa necessitas excusat, sed necessitas cuius ἡ ἀρχὴ est in nobis, ea verò necessitas tantum abest vt excuset eos qui ducuntur hac necessitate, vt contrà eos reddat execrabiles: verbi gratia, aliquis ægrotat, non hoc ei crimini datur quia morbi principium est extra eius mentem, idem ægrotet, sed sua culpa accersiuerit intemperantia morbum, hæc necessitas non excusat, quia eius principium est ἐν προαιρέσει in mente: Alioqui qui malus est, non posset reddi peior, quia quò maiore impetu animi ruit in malum eò minus erit malus: Immò qui eum vitij habitum contraxerunt vt non possint non peccare, eò minus peccabunt. Denique hoc tenendum est, necessitatem tùm demùm excusare, cùm est eiusmodi vt iudicij & voluntatis interuentu euitari non potuerit, quod in peccato nunquam contingit, nemo enim in eo peccat quod si voluisset non potuisset euitasse.

1. ex parte obiecti.

Resp. 1. ad argumentum.

Resp. 2.

Necessitas alia excusat.

alia non excusat.

Sed quoniam locus hoc postulat, aliquid dicendum est obiter de necessitate & contingentia. Sunt igitur qui negent contingentiam & necessitatem posse conuenire inter se, quòd sint inter se tota natura opposita, quæ autem sunt eiusmodi nulla ratione posse consistere, Sed isti grauiter errant; Etsi enim contingentia & necessitas ita erga se mutuo affectæ sint, vt contingentia non possit esse necessitas, neque necessitas item contingentia, tamen fieri potest vt idem sit contingens & necessarium. Sed sit res exemplo clarior, *casus & consilium* ita è diametro inter se opposita sunt, vt nulla ratione *casus* possit dici *consilium*, aut *consilium casus*, tamen vnum idemque fieri potest casu & consilio; adeo differunt multùm ista *conuenire formaliter & conuenire subiecto*: Nam certè *formaliter* casus & consilium non conueniunt, at *subiecto* conueniunt: vt verbi gratia, si herus voluerit duos seruos sibi inuicem occurrere, & neutrum monuerit quid sibi esset in animo, eò autem ablegarit vtrumque quò si tendant necesse est eos occurrere, aio istum occursum esse *fortuitum*, & eundem occursum esse *à consilio*, *fortuitum* si refertur ad seruos, *à consilio* si ad herum. Cuius rei ratio hæc est, casus & consilium, cùm tribuuntur rebus quæ fiunt, significant rerum dependentiam cum suis causis, cùm autem res multiplicem habeant dependentiam, nempe quot habent causas, tot modis dependent à causis suis: Itaque quatenus occursus ille dependebat à seruis dicitur factus casu, quatenus dependebat ab hero dicitur factus consilio. Eadem est ratio necessitatis & contingentiæ, nam aliquid dicitur fieri *contingenter*, nempe cùm refertur ad causam à qua non dependet necessariò, idem dicitur fieri *necessariò* cùm refertur ad causam à quâ necessariò emanauit: verbi gratiâ, voluntas vel potest conferri cum obiecto *materialiter* considerato, atque ita voluntas, si appetit illud obiectum, dicetur illud appetere contingenter, quia si spectetur voluntas in se, si obiectum item in se, nulla ratio reddi potest cur voluntas magis amplexa sit quàm repulerit id obiectum. Vel obiectum potest considerari *formaliter* vt est in ipsa mente, quale est post προβούλευσιν *deliberationem*, atque hac ratione voluntas dicitur velle necessariò, non autem contingenter. Res illustretur exemplo, priusquam orator habuerit orationem, priusquam permouerit auditorem obiectis menti speciebus rerum, auditor ita affectus est, vt dicamus posse fieri vt velit quod orator suasurus est, posse etiam fieri vt nolit, attamen requiri suasionem vt obijciantur animo quibus commoueatur: At si cui persuasit orator rem esse absolutè bonam, non iam dicimus amplius fieri posse vt is velit aut non velit cui persuasum est rem esse expetendam. Videtis ergo ut contingentia & necessitas cùm significent tantum dependentiam rerum, possint simul competere eidem rei, quia idem potest dependere à diuersis causis, pro quarum ratione diuersimodè se habet. Etenim id omne necessarium est quod si non sit sequetur idem esse & non esse. Iam verò quædam sunt causæ quæ etiamsi sint, effectum tamen non sequetur, verbi gratia, causa docendi est scientia, attamen causa est contingens, non enim continuò præditus scientiâ docet: at si dixero, præditus scientiâ volens docere docet, hic est dependentia necessaria, nam (vt rectè monuit Aristoteles) facultates quæ sunt κατὰ τὸν λόγον ἀνάγκη ποιεῖν ὅταν ὀρέγηται qui iis præditus est.

An necessitas & contingentia possint simul stare.

Affirmatur.

exemplo illustratur.

Demonstratur.

Veniò iam ad argumenta Theologica quibus vtuntur. Primum hoc est. *Deus impressit creaturis præditis ratione imaginem sui; nulla autem necessitate Deus, vult quod vult, ergo neque creaturæ rationales necessario volunt quæ volunt.* Respond. Duo sunt genera eorum quæ Deus vult alia enim vult vt finem, alia vt media: quæ vult vt finem ea non potest non velle, nihil enim vult ut finem præter se: quæ autem vult ut media, ideò non necessariò vult, quia mens diuina non potest iudicare illa necessaria esse ad finem, neque enim Deus vlla re indiget extra se. Itaque non proficiscitur ex natura voluntatis diuinæ, quod Deus ea vult liberè, sed ex natura rerum ipsarum quas Deus vult. Et id ipsum locum habet in animo humano,

Refelluntur argumenta Theologica.

à Dei imagine ductum Ref.

nam quæcunque sic volumus ut velimus illa ἀδιάφορως sine vlla necessitate, illa sunt eiusmodi quæ mens non iudicauit esse necessaria. Itaque tantum abest ut illa ratio infirmet sententiam nostram ut confirmet potius: quemadmodum enim Deus ita vult semetipsum ut non possit non velle, quæ autem ita vult ut ea potuerit nolle, sunt ἀδιάφορα respectu Dei, sic finem nos non possumus nolle, neque itidem ea quæ iudicamus vtilia & necessaria ad finem, tamen ea libertate, quæ necessitatem excludit, appetimus quæ mens non iudicauit conducere, aut esse necessaria ad finem consequendum.

Quomodo Deus ipse sibi sit finis.

In responsione ad hoc argumentum ductum à naturâ Dei, tenendum est primò, Deum dici à nobis finem *relatiuè* non quidem ad ipsum Deum (neque enim aliquid sui ipsius finis dici potest) sed ad voluntatem Dei, quomodo secundùm modum considerandi nostrum voluntas Dei à Dei essentia distinguitur, alioqui voluntas Dei & Deus idem sunt. Dicitur autem aliquid finis respectu voluntatis duobus modis, vel ut est finis *appetitus*, vel ut est finis *fruitionis*: appetimus autem ea quæ nobis desunt, fruimur iis quæ adsunt. Itaque aliter Deus finis est respectu voluntatis suæ, aliter finis respectu nostræ voluntatis: finis est *fruitionis* respectu voluntatis suæ, Deus enim fruitur, gaudet semetipso, sibi intimus est, nos egeni & pauperes appetimus finem qui est extra nos, quem consecuti eo fruimur: fruitio autem est acquiescentia in ipsa re, appetitus est motus ad rem, itaque Græcè ὄρεξις dicitur, id est *extensio*. Secundò videtur non satis appositè à nobis dictum, Deum velle illa quæ sunt extra se *liberè* ἀδιαφόρως, cùm eius voluntas sit immutabilis. Sed quod Dei voluntas immutabilis est non affert vllam necessitatem eius voluntati præter eam quæ est ex hypothesi, nempe, hoc posito quod Deus aliquid velit, necesse est ut id velit constanter, sed ut hoc voluerit nihil fuit necesse, nulla enim est necessaria connexio inter Deum & res quas extra se Deus vult: verbi gratia, Deus est, ergo creaturus est mundum, nulla est consequentia. Sed dicet aliquis, *Esto, quædam Deus velit ex hypothesi necessariò, attamen volet necessariò media ad consequendum finem quem proposuit sibi ex hypothesi.* Resp. Medium dici potest duobus modis, vel *propriè*, vel *impropriè*: *impropriè*, ut si quis dicat medium quo fit triangulus esse descriptionem trium linearum tribus angulis inter se coniunctarum, quę nihil aliud est quàm triangulus ipse: vel medium est *propriè* dictum, quod scilicet non est de finis illius essentiâ, ut verbi gratia non est de essentia trianguli ut describatur circino, aut regula, aut hominis manu, itaque sine vllo medio Deus describet triangulum, non tamen describet sine corpore, neque sine tribus angulis. Dicimus ergo, etiam constituto fine Deum posse finem consequi sine medio propriè dicto. Obiter autem hic disquiramus an verum sit quod affirmauit vir magnus, *Sit-ne affine blasphemiæ dicere Deum esse liberè bonum*, propterea, (inquit) quod esse liberè bonum sit voluntatis, Deus autem natura bonus est. Respondeo, bonitas Deo tribui potest duobus modis, vel *Metaphysicè*, vt bonitas nil aliud significet in Deo quàm perfectionem essentiæ diuinæ, atque hoc sensu nemini vnquam in mentem venit asserere Deum esse libere bonum: vel bonitas Dei significat

Quomodo Dei libertas stet cū eius immutabilitate.

duplex finis.

Obj.

Res.

Quomodo Deus sit liberè bonus.

Dei amorem ortum ex cognitione, quomodo Deus intuendo suam ipsius pulchritudinem semetipsum amat, & præterea omnia quæ illius pulchritudinis imaginem referunt, atque ita Deo tribuitur bonitas per modum perfectionis *Ethicæ*. Iam verò negare Deum esse hoc modo liberè bonum non modò est affine blasphemiæ, sed si quis eam sententiam mordicùs tueri vellet reus esset blasphemiæ. Nam quæ sunt in Deo per modum naturæ non sequuntur, sed antecedunt Dei cognitionem, proindeque libera non sunt; at quæ sunt in Deo per modum perfectionis Ethicæ, præsupponunt præcedentem cognitionem, ac proinde libera sunt. Quare dicere Deum ea velle non liberè, hoc esset affirmare Deum semetipsum amare quomodo natura sui conseruatrix est, appetitu qui non ponit, sed excludit cognitionem præcedentem. At si *liberum* id dicatur esse, quod potest esse vel non esse, sanè ne hoc quidem respectu Deus est dicendus hoc modo *liberè* bonus; neque enim Deus potest se non amare, aut sui imaginem, immò non potest non se amare, & ea quæ referunt imaginem suam non amplecti, iisque delectari.

Secundum argumentum. *Angeli Apostata peccarunt cùm eorum peccatum nullus præcederet error: Adamus item lapsus est, cùm mens Adami nullo modo cæca esset. Itaque voluntas non obsequitur intellectui.* Respond. error in Angelis atque in Adamo non quidem præcessit eorum peccatum, sed tamen fuit eorum peccatum primum. De Adamo res est expedita, nam Scriptura docet eum fuisse deceptum, quod etiamsi Scriptura non docuisset, res ipsa tamen per se loqueretur, etenim stultus putauit Deum esse mendacem, se fore Deo similem, vno verbo credidit Diabolo potius quàm Deo, quæ summa cæcitas fuit, atque (vt Apostoli verbis vtar) ἔχθρα τῆς διανοίας *odium mentis aduersus Deum.* De Angelorum peccato id ipsum ex analogia statuendum est (quanquàm Scriptura nobis hoc peccatum non descripsit) necesse est enim Angelos credidisse se beatiores fore Deo contempto, nam quicquid facit creatura rationalis facit propter finem, nisi fortè insaniat. Itaque non disputandum est quì fieri potuerit vt error pœna peccati præcesserit peccatum, cùm omnis error in intellectu practico peccatum sit, vt si quis dicat, quis est Deus vt mihi imperet? aut si quis neget Deum esse omnipotentem, non est leuis error, at idem grauissimum peccatum est. Sed illi eadem chorda semper oberrant, confundunt enim ignorantiam cuius causa est in ignorante, cum illa cuius causa est in obiecto: nam quid fecerat Deus vt potuerit Adamo illam suspicionem inijcere? aut quid egerat Diabolus vt potuerit sibi authoritatem conciliare?

2. Argumentum à peccato Adami & Angelorum.

Res.

de Adamo.

de Angelis.

Tertium argumentum ducitur à peccato in Spiritum Sanctum, negant peccatum illud coniunctum esse cum errore mentis. Respond. vnde factum est igitur vt Dominus Pharisæis obiecerit cæcitatem, *cæci sunt* (inquit) *cæcorum duces*, cùm iisdem Pharisæis eodem capite hypocrisim obijciat? Tùm quæro quì factum sit vt Iudas (quem nemo negabit peccasse in Spiritum Sanctum, aut sciuisse esse cœlum & inferos) tam vili pretio animam vendiderit (vt nec Christum dicam, quem non ignorauit missum esse à Deo) aut quale fuit illud consilium Iudæ, obire mortem momen-

3. Argumentum à peccato in Spiritum sanctum

Resp.

1.

2.

momentaneam quam ſecutura erat continuò mors æterna? Quanta autem ſit cæcitas illa qua laborant miſeri iſti, vel hinc non conjicere, ſed videre eſt planè, quod finem ſibi propoſuerunt qui natura ſua finis non eſt, nam finis natura ſua verum & ſummum bonum eſt: iſti autem inſuper habito ſummo bono in eius locum ſummum malum ſubſtituerunt. Nam vt cùm deſtinantur ſagittæ in metam, oculi eſt metam cernere, baliſtę, arcus, & brachij quod reliquum eſt præſtare, ſic in actionibus quæ morales vocantur, mentis eſt finem diſpicere, voluntatis ad finem tendere, iſti autem (ſi qui mortalium) toto fine aberrant, immò vero totum finem auerſantur, & τὸ φαινόμενον τέλος conſectantur. Iam verò qui fine aberrat cùm neceſſe eſt etiam in mediis errare, neque enim fieri poteſt vt qui cæcus eſt in diſpiciendo fine, non laboret eadem cæcitate in electione mediorum: quemadmodum enim finis quem appetit non eſt verè finis, ſed finis tantum φαινόμενος, ſic illa media non erunt verè media, ſed media φαινόμενα; nempe finis erit φαινόμενος ſi referatur ad verum finem, ideóq; etiam media erunt φαινόμενα.

[Cæcitas eorum qui ſcientes prudentes peccant.]

[Reſp. 3.] Prætereà, qui peccant in Spiritum ſanctum neceſſe eſt vt falſam de Deo habeant opinionem, etenim refugiunt vt malum quod vndequaque bonum eſt, contraque appetunt vt bonum quod peſſimum eſt: iudicare autem quid ſit malum, aut verò quid ſit bonum, id mentis & iudicij opus eſt.

[4.] Deinde qui hoc peccatum admittunt ſuperbi ſunt, & quidem inflati diabolicâ ſuperbia: vbi autem ſuperbia locum habet, falſam & peruerſam opinionem eſſe neceſſe eſt; nèpe ſuperbus pluris ſe facit quam reliqua omnia, etiam Deum, quod ſcelus ſine ſummo mentis errore admitti non poteſt.

[5.] Denique Apoſtolus capite 6. ad Hebr. dum vult oſtendere reliquam nullam eſſe ſalutis ſpem iis qui agnitam ſemel veritatem abnegarunt, negat poſſe fieri vt reſipiſcant, itaque neceſſe eſt exiſtimare eos deſipere interea dum indulgent peccato. Nulla enim eſt reſipiſcentia quam deſipientia quædam non pręceſſerit, cuius deſipientiæ argumentum maximum eſt in iis qui Spiritum ſanctum irritarunt, quòd omnes eorum conatus ſunt irriti & vani, & planè eiuſmodi vt exempla ſint illius diabolici conatus quo Chriſtum tentauit, hodieque Eccleſiam Dei oppugnat, quæ ſumma, ſed ſcelerata ſtultitia eſt.

[Solutio argumenti directa.] Iam reſpondeamus ad argumentum. Duplex eſt cognitio, cui duplex opponitur ignorátia: Eſt cognitio *theoretica*, qua ſcimus rem eſſe, & quid ſit, quomodo cognoſcuntur res Phyſicæ, Mathematicæ, & Metaphyſicæ, & quod in Theologia cum his habet analogiam. Eſt cognitio *practica* qua res cognoſcitur vt expetenda aut fugienda, quæ cognitio Ethica eſt. Prius cognitionis genus ineſt iis qui peccant in Spiritum ſanctum, poſterius non item: immò verò ignorantia huic poſteriori generi oppoſita iis vel maximè ineſt. Fieri enim non poteſt vt quis refugiat quod non nouit eſſe refugiendū nam vt ait Ariſtoteles, omnis βούλευσις eſt συλλογισμός: nihil autè refugimus aut appetimus animo, qui ſumus rationales creaturæ, ſine ratione & conſilio. Itaque facilè diluitur argumentum. Qui peccant in Spiritum ſanctum ſunt εἰδότες & non εἰδότες: εἰδότες ſi rationē habeamus *Theoretica*, μὴ εἰδότες ſi rationem habeamus cognitionis *practica*. Jam verò hæc eſt veluti radix omnium ſcelerum (adeoque ſceleſtiſſimum) iudicare illa fugienda quæ maximè expetenda ſunt, contraque expetenda quæ maximè fugienda ſunt: hi ſunt quibus Propheta horrendum *væ* denunciat, iis nempe qui malum dicunt bonum, hoc eſt iudicant, & contra, bonum malum. Nulla enim huius erroris ratio reddi poteſt quę vel ſpeciem habeat extra ignorátem. Quemadmodum igitur Ariſtoteles negat ea vi fieri quorum principium eſt in nobis, ita planè negandum eſt ea per imprudentiam quæ excuſat fieri, quæ fiunt per errorem qui non aliunde ortus eſt quàm à nobiſmetipſis.

[4. Argumentum à dicto Apoſtoli]

Quartum argumentum. Apoſtolus capite 7. prioris ad Corinthios ait, *Patrem virginis nubilis* ἐξουσίαν ἔχειν περὶ τοῦ θελήματος αὐτοῦ, hoc eſt, *habere poteſtatem in voluntatem ſuam: non poteſt autem habere poteſtatem in voluntatem ſuam niſi interuentu voluntatis, Itaque voluntas ſui ipſius domina eſt.*

[Reſp. 1. Locus Apoſtoli vindicatur.]

Reſpond. verba Apoſtoli interpolata ſunt & detorta in alienum ſenſum: non enim Apoſtolus ait patrem habere poteſtatem in voluntatem ſuam, tantum præſcribit patri quid liceat & expediat modò poteſtatem habeat in voluntatem ſuam. Itaque tacitè ſignificat Apoſtolus voluntatem non eſſe ſui ipſius dominam, atq; hanc imaginariam voluntatis libertatem (veram enim libertatem nos aſſerimus) non eſſe connaturalem voluntati, ſi enim eſſet connaturalis, quid opus fuiſſet adjicere, *ſi habeat poteſtatem*, &c. Itaque Apoſtolus innuit aliquando accidere vt quis non habeat poteſtatem in voluntatem ſuam. Immò id apertè ſignificat Apoſtolus, vult enim patres eos qui non habent poteſtatem in voluntatem ſuam collocare nuptum filias ſuas. Atq; inde patet Apoſtolum eo loco non agere de naturali libertate voluntatis, ſed de ea libertate quæ aliquando ineſt voluntati, aliquando non. Nam quæ voluntati congenita ſunt, ea non poſſunt abeſſe ſine ipſius voluntatis interitu, vel enim pertinent ad ea quæ ipſam voluntatis eſſentiam conſtituunt, vel ad illa quæ voluntatis eſſentiam neceſſariò ſequuntur.

[explicatur.] Itaque aliud voluerit Apoſtolus, nempe nomine *voluntatis* intellexit actus voluntatis imperatos, qui in hoc genere ſemper ſunt in poteſtate patris, ſi nempe vti voluerit ſummo iure, iidem non ſunt ſemper in poteſtate patris ſi vti voluerit ἐπιεικείᾳ: verbi gratia, poteſt pater filiæ dotem negare, atque ita priuare matrimonio, at id eſt abuti iure paterno, ſi ea filiæ conditio eſt vt opus habeat nubere. Dicitur ergo pater poteſtatem habere in voluntatem, cùm quod is vult id ipſum vult filia, contra, non habet poteſtatem in voluntatem ſuam, cùm aliud filia vult, aliud pater; vel etiam quum aliud exigit commodum filiæ, aliud δὲ velle patris, quod eo loco Apoſtolus vult cedere neceſſitati.

[Reſp. 2.] Secundò ſic reſponderi poteſt, nam Syrus Interpres illa verba ſic accepit vt interpretatus ſit μὴ ἔχων ἀνάγκην ולא אלצא ליה צבותא hoc eſt, *& non coegerit eum voluntas*, illa autem verba ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, ושליט על צבינה hoc eſt, *imperat propriæ voluntati*: nempe tum voluntas cogere dicitur cùm volumus aliquid vehementius quàm nolumus, tametſi id nolumus; quomodo ὁ ἀκρατὴς *incontinens* Ariſtoteli differt ab ἀκολάστῳ, ab *homine flagitioſo & perditi ingenij*, quod voluntas τοῦ ἀκρατοῦς non eſt aliena à virtute prorſus, magis tamen fertur ad vitium quàm propendet ad virtutem.

Ergo eos patres, ex ſententia Syri Interpretis, Apoſtolus iubet cauere ne filias collocent nuptum, qui vehementiùs cupiunt filias viuere cœlibes, quàm cupiunt nuptum dare, tametſi id cupiant: Idque videtur confirmari verbis Apoſtoli, ὃς δὲ ἑδραῖος ἕστηκεν *qui manet obſtinatus*. Sed prior interpretatio mihi quidem ſimplicior videtur, Nam Apoſtolus vtrumque requirit in iis patribus qui conſtituunt non dare filias nuptum, primò, ut in hoc conſilio non fluctuet eorum animus, ſed ſit conſtans & firmus, id eſt, ut non diſtrahatur, quod iis ſolet euenire qui idem quodammodo volunt & nolunt. Deinde, ne putent rem eſſe arbitrij ſui, ſed pendere aliunde, nempe à ſtatu & conditione filiæ & temporum.

5\. Quintum argumentum. *Scriptura non modò meminit illuminationis intellectus, ſed etiam docet paſſim cor tangi vt 1.Sam.13. quorum cor Deus tetigit iij ſecuti ſunt Saülem.* Sed reſponſio facilis eſt. Nam in Scriptura cor etiam intelligentiæ ſedes eſt, ut cap. 29. Deut. inquit Moſes, *Et non dedit Deus vobis cor ad intelligendum*: Et apud Paulum ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Et Act.16. *Aperuit Deus cor Lydiæ vt crederet*, credere autem mentis eſt, ſi non ſolius mentis. Secundò, Eſto cor ſignificet ſemper voluntatem in Scriptura, quod verum non eſt, attamen non inde ſequitur ex eo quod cor flectitur non flecti cor per mentis illuminationem, immò ideo dicit Script. Deum cor flectere, quia dedit cor ad intelligendum, ut in loco citato & in Pſalmis: verba ſunt Dauidis Pſalm. 36. *Impius* חדל להשכיל להיטיב hoc eſt, *detrectat intelligere ne benè faciat*. Denique, quis eſt adeò peregrinus in Scriptura ut non meminerit ſcriptum, *eam quæ hominum ſapientia eſt, ſtultitiam eſſe apud Deum*, & contrà? Porrò, quærere vnde fit ut mens erret in hoc genere, id verò eſt infinitè, & principium principij quærere, quod nos aliquando fuſiùs & clariùs demonſtrabimus.

Resp. 1. / 2. / 3.

Quæ hactenus diſputata ſunt pertinent ad demonſtrandum naturam voluntatis dum eſt in actu, ſed cùm ſcandalum non ſit interna voluntatis actio, ſed dictum aut factum ſecus atque oportuit, noſtri autem conſilij fuerit diſputare de neceſsitate ſcandali, accommodanda ſunt ea quæ ſupra dicta ſunt ad rem quam agimus: ſic igitur ſe res habet. Actus imperati voluntatis tum dicuntur neceſſarij, cùm voluntas imperat & facultas exequendi adeſt; nam qui vult & poteſt, is neceſſariò agit: itaque voluntatem agendi & facultatem actio ſequitur neceſſariò. Hinc eſt quod cum quæritur cur à nobis aliquid non ſit factum, reſpondetur quia vel defuit voluntas, vel defuit facultas. Jam verò adeſt ſæpè facultas ſcandali patrandi, in impiis autem (quales ſunt plerique omnes) ſemper voluntas prompta eſt, itaque ſcandala venire neceſſe eſt.

Quomodo neceſſe ſit euenire Scandala

Illud multò grauius eſt quod quæri ſolet, *Habeant-ne ſcandala vllam σχέσιν & dependentiam à prouidentia diuina, & ſi vllam habent, quæ tandem illa ſit?* Nam extra controuerſiam iam poſitum eſt pendere ſcandala à cauſis ſuis, quarum reſpectu peccata ſunt. Noſtra hæc eſt ſententia: Scandala pendent à prouidentia diuina, ſunt enim reſpectu prouidentiæ diuinæ media tendentia ad bonum finem, quæ ſuarum cauſarum reſpectu peccata ſunt. Id verò nobis probandum eſt primò ratione, deinde verbo Dei. Ac ratio quidem hoc euincit, Suprema cauſa non poteſt excidere ſuo fine, hoc enim eſt vel inſipientiæ, vel impotentiæ argumentum; immò verò ſi ſuo fine excideret ſuprema cauſa, excideret ſemetipſo, non eſſet ſummum bonum, ſed eſſet malum ſummum, quod cum ratione pugnat. [illegible] malo.

Scandala pendent à prouidentia diuina.

Probatur ratione.

Sed Scriptura hoc docet multò luculentiſsimè, *Dominus* (inquit Spiritus ſanctus) *fecit omnia propter ſe, etiam impium in diem malum*: Vbi notanda eſt [illegible] *fecit*, non [illegible] rum, [illegible] gubernationem: [illegible] omnia euenium [illegible] uina, [illegible] in quibus puniendis Deus aliquando oſtendit ſe non conniuiſſe ad hominum peccata. Li verò omnem expugnat pertinaciam quod ſcriptum eſt cap. 10. Eſaiæ, nempe Deus conſilium ſuum aperit populo, conſilium arcanæ prouidentiæ mittendi Nebucadnezarem ad expugnandos Hieroſolymitanos, *At* (inquit) *ille non exiſtimabit ſic*, idemque in facto continuò, fore ut & Nebucadnezar experiatur vim vindicis iræ ſuæ, quia ille non cogitauit ſic. Iam obiter vindicandus eſt hic locus a calumnia viri quidem magni, ſed qui in cauſa ſua [illegible] tranſuerſum rapitur. Negat vnum idemque factum reſpectu Dei rectè factum, reſpectu hominis ſecus factum eſſe poſſe. *Fingamus* (inquit) *Nebucadnezarem eundem habuiſſe ſcopum quem Deus, item Iudam cùm Chriſtum proderet, nunquid Iudæ & Nebucadnezaris factum potuiſſet excuſari?* Reſp. ſi Nebucadnezar ut oportebat cogitaſſet ſe à Deo mitti, non magis peccaſſet quàm Iſraelitæ dum Amorrhæos iuſſu Dei patrio ſolo ejicerent, illi autem non peccarunt quia exiſtimauerunt ut Deus, atque Deo paruerunt, nam exiſtimare ſicut Deus, eſt parère Deo iubenti. Et, ſi Judæ præceptum fuiſſet à Deo Judæis indicare vbi eſſet Chriſtus, & eum oſculo deſignare, non magis peccaſſet quàm Iſraelitæ dum Ægyptios ſpoliarunt; ſed ille non exiſtimauit ſic, quia obſequi voluit libidini animi ſui. Immò verò illa implicant contradictionem, ut aliquis faciat aliquid bono fine nec id faciat ex Dei præſcripto, omnium enim noſtrarum actionum finis eſſe debet Deo parère. Itaque ſi Nebucadnezar profectus fuiſſet Hieroſolymam ad puniendā Jeroſolymitanorum peccata, nec id feciſſet ex præſcripto Dei non feciſſet bono fine. Certè quicquid verè bono fine fit benè fit, nec qui ſincerè & ex animo bonum expetit, malum admittit ut bonum conſequatur.

2\. Teſtimonio Scripturæ.

Obj. Arm.

Reſp.

Jam videamus quomodo ſcandala pendeant à Prouidentia: nempe quatenus ſunt media ad finem, quicquid enim vllam rationem medij obtinere poteſt, ſi finis bonus eſt, qua ratione medij obtinet hactenus bonum eſt: bonum enim alterum eſt *ſimpliciter*, ut finis, alterum eſt bonum *propter aliud*, ut medium propter finem. Jam verò ſcandala media ſunt, vel ſi referantur ad gloriam Dei, vel ſi referantur ad ſalutem fidelium: ſi ad gloriam Dei, ſunt enim primò argumenta potentiæ Dei, *Excitaui* (inquit) *te* (Deus autem Pharaonem alloquitur) *vt in te demonſtrem potentiam meam.* Obſeruandum autem eſt hoc loco Dei conſilium fuiſſe non quouis modo liberare populum ſuum, ſed manu extenſa, forti, potente dextra, id verò qui fieri potuiſſet niſi impij homines (ut Pharao) obſtitiſſent? Itaque Moſem

Scandalorum vſus ſeu finis Reſpectu Dei.

1\.

monet

monet ſe hoc conſilio induraturum cor Pharaonis, id eſt, non ablaturum cor eius lapideum. Secundò, eueniunt ſcandala ut Deus iuſtus non quidem ſit, erit enim ſeu ſcandala eueniant, ſeu non eueniant, ſed vt eius iuſtitia emineat, nam (quandiu latet hypocriſis, non vſque adeò clara eſt & manifeſta lux iuſtitiæ diuinæ in puniendis hypocritis, ſed poſt quàm illa ſe prodidit in ſcâdalo, Deus autem ὀπὶ χεῖρει ὀργῶν, vt loquitur Apoſtolus, omnes agnoſcunt iuſtitiam Dei. Ideóque Deus noluit filios Eli abſtinere in publico ſceleribus ſuis, etenim id feciſſent non amore iuſtitiæ, ſed vt darent aliquid authoritati patris, nempe (inquit Scriptura) *voluit Deus eos interficere.* Sic primo capite Epiſtolæ ad Romanos Deus Ethnicos tradidit in reprobũ ſenſum, vt illa patrarent à quibus natura humana abhorret, nempe vt inueniatur iuſtus dum iudicat. Hic eſt ſecundus finis ſcandalorum. Tertiò, vt Dominus edat exempla miſericordiæ ſuæ: ſic Ezechiam Dominus ſinit labi, nempe vt haberet ob oculos exemplum imbecillitatis ſuæ: & ſæpenumerò Deus ſic omnia diſponit ſua prouidentia, vt magna peccata magnæ pœnitentiæ & humilitatis cauſam præbuerint. Sic populo Iſraelitico (qui non ſine myſterio 11. cap. Epiſtolæ ad Rom. deſcribitur vt vnica perſona) Deus non emolliuit cor, quid ita? nempe ob eam rationem quam tradit Apoſtolus: ſiuerat olim Gentes ambulare in viis ſuis, nempe vt in Gentium vocationem eluceſceret miſericordia eius, ſic nunc Iudæos ſinit ambulare in peccatis & viis ſuis, vt in iis reuocâdis miſericordia eius refulgeat: nempe, inquit Scriptura, *concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereretur.* Sed dicat aliquis, Si Deus Iudæis cor emolliuiſſet non fuiſſet id miſericordiæ diuinæ? Reſp. Quia Iudæis primò factæ erant promiſsiones, ſi paruiſſent Iudæi non perinde eluxiſſet ſplendor miſericordiæ diuinæ. Itaque Apoſt. ait Chriſtum fuiſſe *miniſtrum veritatis apud Iudæos, miſericordia erga Gentes,* 1. Cor. 15. 8. Iam verò vt pateret eandem eſſe natura conditionem omnium tam Gentium quàm Iudæorum, ideoque opus eſſe omnibus Dei miſericordia, ſiuit Iudæos indulgere ſibi, vt olim ſiuerat Gentes, atq; in hæc arcana nequis temerè irrumperet, Apoſtolus veluti fores objecit, *O profunditatem diuitiarum ſapientiæ Dei!* Quartus finis ſcandalorum eſt demonſtratio ſapientiæ Dei, ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν, *qui ſapientes comprehendit in aſtutia ſua*, Verba ſunt Eliphazi in libro Iobi cap. 5. verſu 13. לוכד חכמים בערמם *qui irretit ſapientes in aſtutia ſua* ועצת נפתלים נמהרה *& conſilium peruerſorum infatuatum eſt.* Niſi eueniant ſcandala non elucebit tantùm Dei prouidentia quantum elucet: Nullum maius vnquam fuit ſcandalum quàm proditio & crucifixio Chriſti, in quo tamen Deus euidentiſsima dedit argumenta Iuſtitiæ, Sapientiæ, Potentiæ, & Miſericordiæ ſuæ.

Præterea, ſcandala pertinent ad conſolationem piorum; quod vt teneamus neceſſe eſt vt habeamus ob oculos materiam ſcandalorũ. Aliud enim ſcandalum eſt à doctrina noua & impura, vt cùm doctores falſi, Pſeudoprophetæ turbant Eccleſiam Dei, & ſeducunt multos; aliud ſcandalum eſt ab exemplo, cùm in Eccleſia aut extra Eccleſiam in mundo occurrunt exempla flagitiorum tam multa, vt plurimi tanquam inundatione aquarum abripiantur in eadem ſcelera & flagitia. Aliud ſcandalum eſt à cruce, à perſecutione, vt cùm Deus laxat habenas, & ſinit graſſari impios & furere aduerſus pios, ſed ita tamẽ, vt tam hoc quàm illa ſcandala quæ ſunt à doctrina & moribus cedant in gloriam & ſalutẽ piorum. Ac in gloriam piorum quidem, quatenus hac ratione probatur eorum fides, ſanctitas educitur in lucem hominum & Angelorum, immò verò quatenus ita pij ſibi innoteſcunt, experiuntur qui ſint. Id verò fit non vno modo, nam ſæpenumerò tentatur per falſos doctores ſinceritas fidelium in agnitione veritatis, vt cùm Deus non modò non prohibet quominus ſint plani & impoſtores, ſed etiam ſinit impoſturam confirmari iis ſignis quæ miraculi ſpeciem habeant. Itaque mittit efficaciam erroris, ſed quæ efficacia eſt in iis duntaxat qui non dilexerunt veritatem, vt docet Apoſtolus cap. 2. 2. ad Theſſal. vnde fit vt electi qui ſeduci non poſſunt, teſte Chriſto, eò magis conſpicui ſint in hoc diſcrimine, dum qui verè credunt non ſeducuntur, illi autem qui pereunt ſeducuntur, id eſt produnt ſeſe, nec latent tecti larua qua non modò aliis, ſed ſibi etiam ipſis impoſuerunt aliquando. Huius vſus ſcandali meminit Paulus cap. 11. prioris ad Cor. verſ. 9. *Oportet enim,* inquit, *etiam hæreſes in vobis eſſe, vt qui probi δόκιμοι ſunt, fiant manifeſti.* Porrò δόκιμοι ſunt qui Hebræis, (Hebræos voco non Scriptores Veteris & Noui Teſtamenti, ſed quos *Magiſtros* vocant) בחנים *probati.* Ita dicunt Abrahamum, Iacobum, &c. fuiſſe בחוני יהוה δοκίμους τῷ θεῷ. Deinde ſcandalis, quæcunque tandem ſint, probatur fiducia in Deum, vt ſcandalis quæ Iobo objecta ſunt, quæ quidem omnis generis fuerunt, res enim ei etiam fuit cum ſcândalo à doctrina, ſtudent enim probare amici eius neminem affligi niſi qui impius eſt, & cum ſcandalo ab exemplo, & quidem eo exemplo quo Adam ſeductus fuit, vxoris nempe; & denique cum cruce & perſecutione, nempe vt probaretur eius fiducia, atque adeò amor erga Deum. Itaque Deus veluti gloriatur apud Satanam de integritate ſerui ſui, & prorſus vult ei objici ſcandala, vt probetur Satanæ & hominibus & Angelis Iobi conſtantia. Immò verò vt periculum fiat fidei & amoris erga Deum, Dominus cap. 13 Deut. monet populum ſuum, ſi quando contigerit vt falſus propheta hortetur ad colendos Deos alienos, & ſigna addat hortationi, ſtatuat apud ſe tum Deum tentare, experiri, facere periculum fidei & amoris ſuorum. Denique, nonniſi ſcandalis probatur ſtudium erga proximum. *quæ eſt enim gratia* (inquit Apoſtolus) *ſi eos feramus quorum iram vltrò prouocauimus,* id ipſum faciunt & Gentes & quilibet, dummodò non ſit fera & immanis bellua. Itaque vt conſtet nos verè proximum, nullo noſtro commodo ſed ſuo, amare, neceſſe eſt ſcandala objiciantur. Itaque vt breuiter hoc caput concludatur, faciunt ſcandala ad probationem agnitionis veritatis Dei, quæ non agnoſcitur tunc cùm tribuimus authoritatem veritati ob conſenſum & ſuffragia hominum: Tum etiam faciunt ſcandala ad confirmandum fidem noſtram in Deum, & ſecundùm fidem amorem, tum etiam ſtudium erga proximum.

Secundò faciunt ſcandala ad gloriam fidelium, quatenus hac ratione reddũ ur conformes Filio Dei. Certè niſi objiciantur nobis ſcandala

Margin notes:
2.
3.
reſpectu fidelium vſus eſt multiplex.
1. quia iis probatur eorum fides.
Amor & fiducia in Deum.
ſtudium & charitas in proximũ.
2. quia iis conformes redduntur capiti Chriſto.

non erit conditio nostra conditio membrorum, quorum hæc est ratio vt vnum corpus efficiant cum capite. Itaque sæpe monuit nos Christus ne scandalis terreamur, quando illi res fuit cum scandalis, & ea superauit, *Non est* (inquit) *discipulus supra magistrum, neque seruus supra herum*. Ita scandala faciunt ad gloriam electorum.

Faciunt etiam Scandala ad Fidelium salutem. 1.

Faciunt etiam ad perficiendum in ipsis bonum opus Domini, scandalis enim vocamur ad veram cognitionē veritatis, quid enim est quod complures adduxit ad disquirendum de salute aliud quàm quod se viderent non posse niti consensu hominum in tantâ varietate opinionum?

2. Tum etiam scandalis crescit in Deum fiducia, Cap.1. 2.ad Cor. Apostolus hominum scelere profitetur se eò esse redactum, vt existimaret sibi continuò esse moriendum, nempe inquit, *habuimus in nobis condemnationem mortis, vt ne speraremus in solum Deum qui excitat mortuos*: Et sæpenumerò accidit vt qui deseruntur ab omnibus, etiam à parentibus, hinc didicerint vnius Dei præsidio

3. niti. Deinde cùm scandala aperiant nobis vel occultam hominum leuitatem, vel fraudem & crudelitatem, deinde inconstantiam rerum humanarum, hinc discimus solum Deum amare, vt ait Propheta *expediuisse sibi vt affligeretur, vt disceret statuta Domini.*

4. Huc etiam & accedit ille fructus quod scandalis castigamur & erudimur, nempe Dauid non est castigandus pœna, sed necesse est vt filius. & carissimus quidem filius, se præbeat patri immorigerum ad feritatem & immanitatem vsque, nempe non potuisset alia ratione tam

5. facilè castigari & cogi in ordinem. Postremò, scandalis etiam fit vt nos huius vitæ tædeat, & ad eum adspiremus locum in quo quia nullis impiis locus est, sed Christo tantum, beatis Angelis, & Spiritibus electis, nec scandalo locus vllus est, quòd à Dauide significatum est, & in Dauide adumbratum (Psal. 120.) quem tædebat extra patrium solum inter extraneos commorari, cuius rei non adeò eum tæduisset si illi cum extraneis benè conuenisset.

A Deo ad hos fines Scandala diriguntur.

Porrò cùm scandala natura sua aliena sint ab hoc fine, à gloria Dei, & salute fidelium, necesse est respectu huius finis vt media tantum sint per accidens, quare à superiori causa scandala dirigi necesse est ad hunc finem. Itaque (quod consequens est) cadunt sub prouidentiam, nempe quatenus referuntur ad hunc finem. Sed quærat aliquis, quî fieri possit vt hinc non sequatur Deum esse authorem peccati, scandala enim peccata sunt. Respondeo, vel hoc loco nobis res est cum Atheis qui negant omnem prouidentiam, vel cum Christianis qui profitentur se asserere prouidentiam, etiam qualis tradita est in Scripturis.

probatur contra Atheos.

Si cum Atheis res sit, sic erunt repellendi. Solet Magistratus vti carnificis crudelitate quoties plectendus est sceleratus: solet Pater filium objicere contumeliis nequissimi serui vt experiatur animi magnitudinem & constantiam filij sui, cùm tamen neque Magistratus hoc pacto, neque pater item affines sint crimini tortoris, aut perditi & nequam serui.

apud Christianos.

Quod si res nobis sit cum Christiano res est expedita, nempe ij à quibus dissentimus concedunt Deum indurare aliquos; Jam verò indurationem sequitur (vt & ipsi fatentur) pertinacia in malo, & sæpenumerò adest facultas induratis patrandi quæ designarunt animo. Respondeant ergo illi vicissim, quomodo Deus hîc non sit author mali: Quicquid dicant, nos liberarint onere respondendi. Vnum est solum (quod & nos dicimus) quod respondere queant, nempe Deum indurare non efficiendo, sed (quod illi liberum est) suspendendo actum gratiæ & bonitatis suæ.

Non est scrutanda ratio prouidentiæ in malo. 1.

Cæterùm hoc perpetuò ob oculos animi constituendum est, temerarium esse & sacrilegium velle scrutari rationem Prouidentiæ Dei in malo. Primò, quia Scriptura opposuit hîc curiositati nostræ repagula quædam quæ perfringere homini licet, neque potest cui non sit constitutum Deum in iudicium vocare: hinc est quod iudicia Dei dicuntur ἀνεξιχνίαστα *imperuestigabilia*, nempe vt significetur Deum nil agere, nil constituere, nil non agere, nil permittere, nil præterire sine certâ ratione, cùm omnes viæ eius sint *iudicia*, id est, certam habeant normam præscriptam ab eius summa sapientia; & *imperuestigabilia* hæc iudicia appellantur, ne se frustrà fatiget, non sine summo periculo, in eo inuestigando humana mens quod

2. inueniri non potest. Deinde idipsum recta ratio demonstrat, etenim concursus diuinæ prouidentiæ, aut, vt dicamus clarius, vis diuinæ prouidentiæ eiusque ratio potest quidem se prodere in euentu, hoc est, potest sciri quomodo sciuntur illa quæ cognoscuntur demonstratione ὅτι, hoc pacto, nempe inuito aut inscio Deo nihil euenit, esset enim Deus vel imbecillis, vel imprudens, attamen non potest sciri ista vis in modo operandi aut non operandi: vnde fit vt diligenter nobis cauendum sit, ne rem natura sua inexplicabilem conemur explicare, ne nobis id ipsum accidat quod multis, vt vel ea doceamus quæ, si vera sint, necesse sit Deum esse authorem peccati, vel item sic prouidentiæ diuinæ reddamus rationem, vt inde sequatur Deum esse improuidum vel negligentem, aut verò obnoxium humanæ infirmitati, quæ non potest ea impedire quæ vellet maximè non euenire.

duo scopuli fugiendi.

In statu peccati ratio prouidentiæ aliqua reddi potest.

Atqui in eo quidem statu in quo nunc sumus res adeò non est impedita, procliues enim sumus omnes in malum, itaque cùm ista procliuitas se prodit scādalo, id est dicto aut facto, nil aliud fit, quā quod in publicum prorumpit quod latebat antea: Itaque constat hîc aliqua ratio prouidentiæ diuinæ, quæ hoc pacto ita ostendit, quò propendebat peruersum hominis ingenium vt simul efficiat vt ea omnia quibus hoc ostenditur redundent ad gloriam nominis sui, etiam ad laudem & salutem suorum.

at in primo hominis lapsu vix potest reddi.

Sed cùm agitur de primi hominis lapsu hîc demum hæret ratio humana, neque se expedit satis: Cuius rei hæc ratio est, quod Scriptura nobis ita primi hominis conditionem descripsit, vt vnum hoc inde colligi possit, fuisse integrum & quoad corpus, & quoad animam; attamen mutabilem fuisse & res ipsa docuit, & Scriptura. Tùm etiam, quòd cùm agitur de primi hominis transgresione, prouidentiæ & decreti Scriptura non meminit, vel enim describit Adami lapsum, atque ita ut lectoris & auditoris cogitationem inuitet, ut ne altius arcessat causam peccati Adami quàm à Diabolo & Adamo: vel dùm notat ea quæ consecuta sunt illum lapsum (ut dum Scriptura disputat, nō narrat historiam) nos deducit ad Adami lapsum, tanquam ad primam mali labem, atque ita ut nos hærere velit in hac causâ, ut cùm Apostolus docet *per unum hominem*

hominem peccatum ingreſſum eſſe in mundum. Quod non eſt ideò factum, quia nulla fuit prouidentia quæ verſata ſit,& vim oſtenderit ſuam in Adami lapſu, ſed ne nobis occaſionem daret inquirendi curioſiùs & ſollicitè in illius prouidentiæ rationem, quin hoc docere voluit, ita ſeſe geſſiſſe Dei prouidentiam in illo lapſu, vt à culpa fuerit immunis; neq; tamen illud, quicquid culpæ fuerit, admiſſum ſit vel inuito & repugnante Deo, (abſit enim ut ſummum bonum à malo ſuperetur) vel cæcutiente aut conniuente Deo: quod ſi capi à nobis non poteſt, potius inſcitiam accuſemus noſtram quàm Deo prouidentiam detrahamus, ſine qua Deus eſſe non poteſt.

quomodo iuſtus ſit Deus in puniendis ſcandalis.

Sequitur explicandum, Quomodo, ſi ſcandala eueniant, iuſtus ſit Dominus, qui ob id homines plectat quod euenit neceſſariò. Cuius quæſtionis ſolutio ex iis pendet quę ſupra diſputauimus de neceſsitate, quam concluſimus non pugnare cum ratione peccati. Itaque ſi conſtat quod neceſſarium eſt idem peccatum eſſe, conſequens erit vt quod neceſſarium eſt idem pœna dignum ſit: Prius autem verum eſt (ut ſuprà demonſtratum eſt) ergo & poſterius. Attamen hic ſcrupulus hæret qui eximendus eſt, quòd ſcandala non modò neceſſaria ſunt ſi referantur ad cauſas ſuas, ſed etiam ad Dei prouidentiam. Sed & hîc Scriptura diſertis verbis nobis legem pręſcripſit, tum etiam conſtituit nobis ante oculos exempla legis, ut capite decimo quarto Ezech. *Propheta* (inquit) *ſi deceptus fuerit, ego decepi eum, ait Dominus* (id eſt, prouidentia mea contigit ut ille fuerit deceptus) *Attamen ego extendam aduerſus Prophetam manum meam, & delebo eum funditus de populo meo Iſrael.*

ratio Diuinæ iuſtitiæ in illis.

Exemplum autem huius rei luculentiſsimum exſtat non modo in hiſtoriâ Pharaonis, ſed & capite 10. Eſaiæ, verſ. 5. Adeatur ipſe locus. Quod ſi quis hîc rationem iuſtitiæ requirat, reſponſio facilis eſt. Deus hominibus vtitur interdum indens rebus aliquid quod iis non eſt à natura ingenitum, ut cùm hominibus in peccato mortuis dat fidem & pœnitentiam, aliquando vtitur homine relinquendo eum in manu conſilij ſui, ita quidem ut dùm malè agit culpæ ratio hæreat in eo qui egit malè: ut ſit contraria Prouidentiæ ratio in bono & in malo, nam omni homini *bonum* exoticum & aduentitium quiddam eſt, alioqui non poſſet gloriam dare Deo, *malum* verò & *defectus* hominis malum & defectus eſt, alioqui non poſſet ſibi dedecus tribuere, aut merito Deum iuſtum in iudiciis ſuis prædicare. Itaque cùm Scriptura Prouerb. 16. 4. *Deum* dicit *omnia feciſſe*, adiectum eſt continuò, *etiam impium*; (magnam habet emphaſin *etiam*, neque ſine ratione adiectum eſt, nempe ut nobis conſtet certa quadam & peculiari ratione in impiis ducere prouidentiam diuinam,) vt *facere* eo loco ſenſum eum poſſit admittere, quem eadem vox admittit cùm ſignificat in Scriptura *ordinare*, *diſponere*: verbi gratiâ, Deus phraſi hebraica dicitur *feciſſe Chriſtum*. *feciſſe Aaronem & Moſem*, non quod vox illa referatur ad creationem, ſed ad prouidentiam, quæ mus verſata eſt circa illas perſonas, quatenus illis vſa eſt in bono & ad bonum, ut eadem ipſa vox vſurpari poteſt cùm agitur de prouidentia Dei malis vtente in malo quidem, attamen non ad malum, itaq; vocantur *vaſa* etiam in Scriptura, id eſt *inſtrumenta*, & *virga furoris Domini.* Vnde colligi poteſt illius ſententiæ Salomonis non abſurda interpretatio, *Deum omnibus vti rebus, etiam malo in diem malum*, hoc eſt, *vt ſit virga furoris Domini*: quo ſenſu dicuntur etiam *vaſa ad dedecus*, vtitur enim iis Deus tanquam tortoribus & carnificibus, contra pij ſunt *vaſa honeſta*, non enim ſolum iis Deus vtitur ad bonum, ſed in bono iis vtitur ad bonum.

AD MATTH. Cap. XVIII. Verſ. 8. & 9.

8. Εἰ δὲ ἡ χείρ σου ἢ ὁ πούς σου σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτὰ καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ, καλόν σοι ἐστὶν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλὸν, ἢ δύο χεῖρας, ἢ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

9. Καὶ εἰ ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. καλόν σοι ἐστὶ μονόφθαλμον εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

8. *Si verò manus tua vel pes tuus facit vt tu offendas, abſcinde ea, & abjice abs te, bonum eſt tibi ad vitam ingredi claudum aut mancum, potius quàm duas manus vel duos pedes habentem conjici in ignem æternum.*

9. *Et ſi oculus tuus facit vt tu offendas, erue eum, & abjice abs te: bonum eſt tibi luſcum ingredi in vitam potius quàm duos oculos habentem conjici in gehennam ignis.*

DE VARIIS CHRISTI locutionibus.

Difficultatis huius loci ratio.

LOCVS iſte Veterum ingenia fatigauit, dum in eo rem abſurdam & abhorrentem tum à ratione, tum à Religione τῆς καθ' ἡμᾶς, præſcriptam à Chriſto cernerent, nempe ut quis ſibi oculum eruat quando oculus peccandi præbuit occaſionem, aut manum amputet cùm manus facultatem mali committendi præbuit. Itaque confugerunt ad Allegorias, nam eorum alij nomine *oculi* & *manus* voluntatem, & affectus animi prauos intelligi voluerunt, alij illa quæ nobis chariſsima ſunt (ut parentes, vxorem, liberos, voluptates denique) figuratè hîc à Chriſto deſcribi cenſuerunt. Quæ interpretationes non poſſunt vſquequaque quadrare huic loco, ſubiecit enim Chriſtus præſtare ut monoculi, claudi, & manci, ingrediamur in regnum Dei, quàm ut vtrumque habentes oculum, & integri projiciamur in gehennam ignis. Nam ſi allegoriæ locus eſt in iis quæ antecedunt, neceſſe eſt ut etiam in conſequentibus locum habeat, quod abſurdum eſt: quem enim ſenſum habeant hæc verba, *præſtat ſine prauis affectibus ingredi in cœlum quàm peccatorem detrudi in inferos?* Oratio diluta eſt: tum, *præſtat ſuos odio proſequentem ingredi in regnum cœlorum, quàm amore proſequentem dejici in inferos.* Non poſſunt dici vnoculi qui omnes ſuos negligunt, ſiquidem noſtri nobis oculi ſunt; neque claudi, aut manci qui ſibi chariſsima abjiciunt, ſiquidem quæ chara ſunt pes & manus nobis ſunt.

Aliorum interpretationes.

rejiciuntur.

vera proponitur.

Sanè oratio Chriſti ſimpliciſsima eſt, nec cauſa dici poteſt cur hic Allegoriâ vti voluerit. Eſt nempe hyperbolica locutio, cuius ſententia huc redit, ſi daretur optio, (vel ut Paulus ad Galatas loquitur, *ſi fieri potuiſſet, eruiſſetis oculos ac mihi dediſſetis*) potius eximendum eſſe oculum, aut excindendam manum, aut verò pedem quàm ut

patiamur nos authores esse scandalorum, cùm scandali ea sit natura vt accersat in authorem pœnam æternam: Eam enim esse beatitudinis præstantiam, vt optabilius sit eâ frui saltem ex parte, quàm vt ea admittamus quæ nobis integris miseriam adferant intolerabilem. Sic filius patris amantissimus, si quando audiat à quoquam exigi à se vt patrem offendat; *moriar*, inquit, non quod velit significare ἁπλῶς se moriturum, sed se moriturum potius quam vt offendat patrem. Et sunt filij qui rogant aliquando parentes suos vt ipsos exhæredent, non quidem hoc cupientes, sed significantes tamen malle se (si res eò esset deducta) excidere hæreditate, quàm obstringi tam seuera lege: sic Moses Deum rogauit vt ipsum delere vellet ex libro vitæ.

illustratur simili.

Sermo Christi.

Sed multos hoc decipit quod Christum arbitrantur vbique exactè & sollicitè (quomodo Aristoteles aliquis) fuisse locutum, quod à vero alienum est: Christus enim semper quidem vtitur ingenuâ oratione, attamen vt sæpissimè simplicem, & (vt loquuntur Grammatici) rectum sermonem adhibet, sic etiam aliquando vtitur hyperbolis) quæ tamen tantum abest vt obscuræ sint, vt contra nil illis sit significantius) aliquando Prouerbiis penè è triuio petitis; aliquando figurata est Christi oratio, aliquando cauta, nunquam tamen vafra & insidiosa. Nos pro eo ac exigit locus & ratio temporis, harum locutionum dabimus exempla.

aliquando hyperbolicus.

Hyperbolarum exempla. 1.

Et Hyperbolarum quidem hoc esto specimen, quod Christus, si quis cuiquam in sinistram maxillam alapam impingat, suadet vt dextram obuertat, quod acceptum κατὰ τὸ ῥητὸν non habet in Christo (singularis patientiæ exemplo) vllum exemplum, sed est locutio hyperbolica quâ vti voluit ad commendandam extremam aliquam patientiam. Immò verò Christus iubet suos cautos esse, & ipse (quandiu licebat per muneris sui rationem) non modò sibi cauit à malo, sed repulit etiam. Harum locutionum exempla occurrunt quotidie, vt cùm litem cum aliquo habemus & patientiam nostram profiteri volumus, iubemus vt cui nobiscum res est, nos etiam pedibus proculcet, non hoc ab illo exigentes, sed ita demonstrantes quanta simus præditi animi demissione. Eodem pertinet quòd Dominus suadet angarianti ad vnum milliare ita obsequi vt alterum milliare adjiciamus.

2. Si in Tyro & Sidone facta fuissent signa &c.

Alterum exemplum hoc esto, Christus dùm exprobrat incolis Chorazin & Betsaïda immanem contemptum Euangelij, *Si in Tyro* (inquit) *& Sidone signa fuissent edita quæ in te, pœnitentiam egissent iampridem:* Hyperbole haud dubiè est, cuius sententia simplex hæc est, Tyrios & Sidonios multò minus grauiter peccasse quàm Chorazaïtas & Bethsaïditas, itaque fore vt & minus grauiter plectantur. Qui secus sentiunt necesse est vt primùm probent Christum non solitum esse vti hyperbolis, aut hoc loquendi genus non esse idoneum & accommodatum ad animos hominum commouendos. Nam quod aiunt, Deum præuidisse assensum futurum Tyriorum & Sidoniorum modò illa signa patrarentur, longè discedunt à Christi scopo, qui hoc tantum eo loco vult demonstrare, Chorazaïtas & Bethsaïditas pessimos fuisse. Etenim quis est adeò impudens, vt si Tyrij & Sidonij assensuri erant miraculis quibus miseri incolæ Chorazin & Betsaïda non

vindicatur hic locus aduersus Arminianos. 1.

fuerunt commoti, tribuerit hoc externo obiecto, non efficaciæ & energiæ spiritus aperientis cor, id est mentem, vt videat quid illa miracula & quantum portendant? *Paulus* enim *plantat, Apollos irrigat*, prædicat vterque & miracula edit, *Deus tamen est qui dat incrementum*, id est, qui efficit vt vtriusque prædicatione & miraculis assensus præbeatur. Deinde verò etiam, non (quod illi volunt) sic vindicatur Iustitia Dei, ne ex hypothesi quidem ipsorum, sic enim statuitur Deus negasse obiecta externa quibus excitari potuisset consensus in nobis, quod est affine blasphemiæ. Nam si tales simus vt obiecto externo assentiamur si objiciatur, est in nobis bonitas quædam, quæ quòd se non prodidit id profectum est non ex subiecti ignorantiâ (quæ quid sit superiori disputatione demonstratum est) sed ex obiecti defectu. Quæ dicta sunto nobis obiter, nam Deo iuuante aliquando prolixius hac de re disputabimus. Hoc vnum tantum adjiciemus, eo loco non prædicationis Euangelij, sed miraculorum & signorum factam esse mentionem, quæ quantum possint satis liquet ex iis quæ extant apud Lucam sub finem cap. 16. quo loco Abraham inducitur agens hoc modo cum Diuite apud inferos, *nisi audierint Mosem & Prophetas ne excitatum quidem è mortuis audient*: vt mirum sit viros doctos ex illo loco Matth. 11. colligere ita affectos fuisse Tyrios & Sidonios vt si accessissent miracula, eorum conuersio fuisset certa, cùm sit locutio hyperbolica, sed popularis tamen & accommodata ad populi captum, quâ vtitur Dominus. Sic homines præfractos solemus Diabolis dicere peiores, cùm tamen nemo meritò nos mendacij possit accusare, vel nobis errorem tribuere, quasi homines existimemus Diabolis peiores. Cæterùm hoc verissimum est quantò quis maiora accepit à Deo dona fore vt tantò puniatur grauius, si donis quæ accepit abusus est: vt Luc. 12. Seruus ille qui nouit voluntatem Domini, neque eam effectam dedit, duplo pluribus plagis dignus censetur.

2.

3.

Est & illa hyperbole quâ vsus est Dominus, *Cùm facis* (inquit) *eleemosynam, non nouerit sinistra tua quid dextra faciat*, quasi diceret Dominus, si sinistra tua oculos haberet, tàm debet simpliciter, & in occulto, non captans approbationem, dextra eleemosynam porrigere, vt facti dexteræ sinistra conscia non sit. Est & illa hyperbolica locutio qua vtitur Dominus Matthæi quinto, *Cœlum & terram præteritura, priusquàm vnum Iota, & apex Legis auferatur.*. Obseruemus autem obiter nomine *Iota* intelligi minimos characteres Legis, *apicis* autem eminentias illas quibus characteres hebræi distinguuntur inter se, notæ autem vocalium quæ *Puncta* nominamus κεραίας nomine designari non potuerunt, quia præter vnicum *Cholem* subjiciuntur non imponuntur litteris, κεραίας verò propriè *cornua* sunt aut *cornicula* potiùs. Etiam cùm Dominus effert fidei vim vsus est hyperbole, nam dum vult significare nihil esse anxium aut graue vsque adeò vt fides etiam minima non possit id superare atque eluctari, apud Marcum ait eam esse fidei vim, vt etiam montes transferat, hoc est perrumpat omnia obstacula. Vnde satis apparet hyperbolas non esse mendacia, vt nonnulli dictitant, alia enim est *Grammatica*, alia *Rhetorica* significatio; hæc pendet ex affectu & consilio dicentis, sed quod prodit

3. Exempl.

4.

5.

Hyperbole non sunt mendacia.

prodit illa, à verborum ſignificatione nudâ & ſimplici eſt. Porrò nullæ ſunt locutiones magis familiares quàm hyperbolicæ, etiam apud Judæos quibuſcum Chriſto res erat, tamque nobilitatum eſt apud illos illud loquendi genus; vt ei nomen peculiare indiderint, nam cùm ſignificare volunt aliquid dictum hyperbolicè, dicunt illud dictum eſſe על דרך הפלגה hoc eſt, καθ' ὑπερβολὴν.

Exempla Prouerbiorum à Chriſto vſurpatorum. 1.

Diximus ſecundò Chriſtum vſum eſſe Prouerbiis. Exempla huius rei paſsim occurrunt, vt cap.7. Matth. ℣.2. *qua menſura metiemini, eadem remetientur vobis*, Prouerbium eſt quo etiam hodie vtuntur Judæi, ſed accommodatum à Chriſto ad rem diuinam: Vult enim Chriſtus homines eo prouerbio inducere, vt quam miſericordiam à Deo petunt eadem erga homines vtantur. 2. Eodem capite verſ.3.4.5. *qui trabem ipſe geſtat in oculo parum cenſetur idoneus qui feſtucam eximat ex oculo fratris ſui*, prouerbium item eſt celebre apud Judæos: 3. vt & illud Matth.13. *Nemo Propheta in patria*. 4. Illud etiam nobis familiare eſt, *nemo poteſt ſeruire duobus heris*: 5. & illud prouerbium, *ſeruus qui cognouit voluntatem Domini neque illam facit, dignus eſt qui duplo pluribus plagis affiiciatur*, eleganter à Chriſto traductum eſt ad illorum miſeriam ſignificandam qui donis Dei licentiùs abuſi ſunt, quales ſunt ij quibus Euangelium prædicatum eſt, ſi illud contempſerint. 6. Etiam in Prouerbiis illud numerandum eſt, *ſeruus non ſemper manet in domo heri, filius ſemper manet*, quo prouerbio Chriſtus vſus eſt, vt demonſtret diſcrimen conditionis Juſtitiariorum, hoc eſt, eorum qui nituntur operibus legis ad vitam conſequendam, & filiorum qui ſola fide nituntur, neque Deo ſeruiunt mancipiorum inſtar metu pœnæ, aut ſpe mercedis, ſed animo prompto; nam Juſtitiarij hypocritæ ad tempus florent, laudem conſequuntur apud homines, etiam in 7. Eccleſia Dei; at tandem ejiciuntur foras, *omnis enim planta* (inquit Chriſtus) *quam non plantauerit pater meus eradicabitur*, quod in Judæorum reiectione adumbratum eſt, etenim cum reiecti ideo ſint quod ſerui eſſe voluerunt, exemplum eſt reiectionis eorum qui ſub Euangelio nolunt viuere, hoc eſt, ſub gratia, ſed ſub lege. 8. Quod verò exſtat Matth.19. prouerbium item eſt, illud nempe *facilius eſt vt camelus tranſeat per foramen acus*, &c. (quo loco lectio non eſt ſollicitanda, neque vt quidam volunt legendum eſt κάμιλος, quam vocem inducti authoritate Scholiaſtæ Ariſtophanis, σχοινίον παχὺ *funiculum craſſum*, aut *reſtim* interpretantur, nam & Cyrus interpres Cameli vocem retinuit, & in Judæorum prouerbiis & hoc prouerbium numeratur, niſi quod loco cameli elephas vſurpatur) nihil vt neceſſe fuerit eo loco diſputare quomodo Deus poſsit efficere vt camelus tranſeat per foramen acus, nec eò deuenire vt ſtatuendum eſſet, Deum poſſe camelum adeò exilem facere & macrum (quod nimis ſapit Scholaſticas argutias) vt poſſet ſtrigoſo camelo aperiri porta, & patere tam anguſta quàm ſit foramen acus, eſt enim prouerbialis locutio quam adhibet Chriſtus ad demonſtrandam ſummam rei difficultatem. Sic vernaculo ſermone dicimus, ſi quid difficile denotare velimus, facilius nobis eſſe lunam dentibus prehendere. 9. Et Matth.13.12. ***habenti dabitur***; **prouerbialis eſt locutio, nempe hoc voluit Chriſtus ſignificare, eos qui magnifaciũt dona Dei locupletari nouis donis**, contemptores autẽ oblatæ gratiæ priuari illo lumine quod illis affulſerat. At Chriſtus eo loco tamen non dicit quod dicunt nonnulli, non abuti Dei donis à nobis eſſe, perinde atque à nobis eſt quod iis abutimur, tantum oſtendit Chriſtus qua ratione Deus agat cum ſuis: nempe dat illis ſpecimen bonitatis ſuæ & veluti γεῦμα, ſed quo facit vt illi tanto ardentiùs ſitiant augmentum gratiæ, cùm reliquorum corda non perinde afficiat: quod qui neget neceſſe eſt improbior ſit illo Phariſæo, qui verbo tenus ſaltem profeſſus eſt ſe debere Deo quod non eſſet ſicut iſte Publicanus, nempe coactus eſt profiteri non modò Dei munus eſſe quod boni ſimus abſolutè, ſed quod boni ſimus comparatè.

Parabolæ Chriſti.

Diximus tertio loco Chriſtum ſæpè vti figuratis locutionibus. Eæ verò non ſunt vnius generis, nam & Parabolas quas vocant adhibet, ſunt autem parabolæ quæ Hebræis משלים & חידות dicuntur: & משלים quia משל Hebræis eſt *dominari*, itaque eximia ſententia & ſelecta quæ non proponitur apertè, ſed tecta quadam figurâ illis dicitur משל eâdem planè mente qua Græci αἶνον dixerunt, nam αἰνεῖν *laudare* eſt Græcè, cum αἶνος ſignificet ſymbolicam narrationem qua ſignificatur aliquid notabile imprimis; quem & ἀπόλογον dicunt, nam παραβολὴ dicitur quia comparatio quædam eſt ſimilitudo, παραβάλλειν autem nihil aliud eſt quàm *comparare*, vnde factum eſt vt etiam ſententiæ egregiæ nudis & ſignificantibus verbis propoſitæ *parabolæ* dicantur à LXX Interpretibus, nam משלי שלמה *parabolas* interpretantur. Vox autem חידה *enigma* vertitur, ἀπὸ τοῦ αἰνίττεσθαι, αἰνίττεσθαι autem eſt ἀπὸ τοῦ αἰνεῖν. In parabolis autem Chriſti hoc eſt obſeruandum, quod ſunt narrationes rerum veluti geſtarum, ſed tamen terrenarum, ad ſignificandum res cœleſtes inſtitutæ: Nam quemadmodum Sol obſcuriùs quidem, attamen tutiùs in pelui cernitur, quam ſi ipſum ſolem intueamur, ita planè rerum cœleſtium & diuinarum ratio eſt, multo meliùs intelliguntur dum proponuntur velatæ veluti parabolis; & hæc docendi ratio ſimplicisſima eſt eadem, quod vel hinc liquet quod eſt antiquisſima, itaque & apud Sacros & prophanos authores crebra ſit mentio parabolarum & accommodatisſima eſt ea docendi ratio ad captum ingenij noſtri.

משל

αἶνος

ἀπόλογος

παραβολὴ

חידה

αἴνιγμα

Parabolica locutio vtiliſſima.

ſimpliciſſima.

Sed in omni parabola, ſpeciatim autem in parabolis Chriſti, hoc tenendum eſt, vt parabolis vtamur tanquam pictâ tabellâ, nempe vt ne putemus quicquid pingitur id habere ſignificationem, ſed certum quid duntaxat, quod vt pingatur reliqua pingi neceſſe eſt. Itaque reprehendenda eſt illa anxieta & ſollicitudo eorum qui in parabolis Chriſti omnia ſtudent reſecare ad viuum, quod eſt non interpretari, ſed vexare & torquere parabolam. Huius rei cum multa poſsimus afferre exempla, vnum duntaxat afferemus. Eſt parabola in Eccleſia celeberrima à Chriſto [illegible] vſurpata, dicta à filio prodigo quem vulgo vocant, Luc.15. In ea parabola inducitur filius quidam maior natu indignans fratrem perditum rediiſſe in gratiam cum patre, pater autem blandè compellans primogenitum, neque reprehendens tamen ob inuidiam: ſanè hoc non pertinet ad ſcopum Chriſti neque [illegible] ſi velimus argutari, occurrit quò poſsit iſtud trahi. Quorſum igitur attinuit in parabola huius rei meminiſſe?

non ſunt vexandæ Chriſti parabolæ.

quod demonſtratur exemplo parabolæ Filij prodigi.

nempe, id est quod diximus, multa pinguntur vt pingantur reliqua: Nam quod nonnulli dictitant sic significari Iudæorum inuidiam aduersus Christianos è gentibus, non fuit ea Christi mens, vt patebit legenti parabolam & illius occasionem, & vt fuisset maximè, ne parabolæ quidem ratio constaret, inducitur enim pater fouens & amplectens inuidum filium, & studens omni ratione eum placare. In summa, quoties Christus ducit similitudinem à rebus terrenis in hoc genere, toties quicquid fit in illis rebus commemorat, assumit autem id duntaxat ex iis quæ fiunt vulgò quod facit ad eius mentem; Vt dum vult similitudine quadam docere quàm sit grata Deo resipiscentia miseri peccatoris, inducit mulierem lætantem ob recuperatam drachmam, attamen non hoc solum facit, sed & inducit accendentem lucernam, euertentem domum, & abdita quæque sollicitè rimantem, sed hoc fecit vt illud faceret, vti liquet ex parabolæ redditione.

& Drachmæ recuperatæ.

Quod eo diligentius à nobis obseruari debet, vt obuiam eamus Hæreticis, qui prætexentes erroribus suis Christi authoritatem ad parabolas confugiunt, è quibus neglecto eo quod in Scholis vocatur τὸ *formale* parabolæ, τὸ *materiale* vrgent: vt verbi gratia, Anabaptistæ ex eo quod in parabola de semente & zizaniis Dominus vetat euelli zizania, inde colligunt non esse fas Magistratui animaduertere in homines sceleratos, quod est præter Christi scopum, vt & illi ipsi reipsa & factis agnoscunt, nam vtuntur excommunicatione, & quidem dirissimâ, cum in redditione parabolæ Christus meminerit tantum prouidentiæ Dei, qua fit vt improbi in hac vita floreant, pœnas aliquando daturi. Quorsum igitur meminit Christus illius dialogismi? nempe quia in hoc genere id solet fieri in eo vnde Christus parabolam duxit. Sic Anabaptistæ Sociniani ex eo quod hoc capite Dominus induxit Regem quendam debitori subdito condonantem gratis immensam summam, concludunt ea parabola significatum à Christo, Deum citra vllam satisfactionem homini condonare peccatum, cum tamen in redditione parabolæ Christus eius rei non meminerit: quamquam vt illis liceret hoc vrgere, tamen non possent aliud efficere quàm Deum non exigere ab eo satisfactionem cui peccatum condonat. Cæterum non est eadem ratio apud Deum debitæ pecuniæ & pœnæ, nam pecunia debita ni soluatur in nullius damnum cedit præterquam Creditoris, itaque si tam diues est, vt hoc damno non lædatur, si bonus est condonat gratis, nulla non iam dico à debitore, sed ne à sponsore quidem exacta solutione: At pœnæ debitæ non est eadem ratio, non enim ideò ludici debetur, quia nisi luatur, Iudex in damnum incurret, sed quia nisi soluatur non fiet iustitia; quod obiter à nobis dictum sit, vt teneatur medius hic Hæreticus: seu enim mens Christi fuerit rationem ostendere condonationis peccatorum nostrorum (quod non est verum) tantum inde effecerit, Deum nihil à nobis exigere, seu non fuerit ea Christi mens (vti patet ex redditione parabolæ) abusus est hoc loco. Pari errore Pontificij abutuntur parabolâ diuitis Epulonis & Lazari, nam ex eo quod scriptum est, Abrahamum vidisse epulonem diuitem in inferis, colligunt Sanctos omnia videre, etiam inferos, cum id dicatur vt possint commodè reliqua dici quæ pertinent ad scopum Christi. Tum etiam quod dixit Christus de Samaritano illi sic interpretantur, ac si quæcunque dicuntur à Christo in illa parabola certam haberent significationem, cùm scopus Christi sit duntaxat ostendere quis sit proximus, vti patet ex parabolæ redditione & occasione: sed de his rebus copiosius si permiserit Dominus, differemus vbi occasio tulerit.

Vsus huius obseruationis.

aduersus hæreticos Anabaptistas.

Pontificios.

Est etiam aliter figurata Christi locutio, sæpè enim quod consequens est ponitur pro antecedente, & vicissim, quod antecedit vsurpatur consequentis loco. Vt cum profitetur *se venisse non qui pacem mitteret sed gladium*, consequens posuit antecedentis loco, nam Euangelium & vitæ sanctitatem, quam Christus attulit, persecutiones sequuntur, vt fuerit hæc Christi mens, *veni eam doctrinam traditurus, atque vt eius vitæ author sim, quam consequentur turbæ & dissensiones.* Sic cum pollicetur fore vt *confiteatur coram Patre qui eum confessi sunt*, ex consequenti antecedens voluit intelligere, quos enim interrogati fatemur esse nostros habemus pro nostris, colimus si superiores sint, amamus si sint inferiores: Itaque Christus confessionem posuit pro eo quod in hac vita confessionem antecedit. Vsus autem est antecedenti ad significandum consequens non semel, vt cum exigit Luc. 14. vt discipuli sui odio habeant patrem & matrem, odium posuit pro eo quod est effectum odij. Sic, Prouerb.8. Sapientia inquit, *qui me oderunt diligunt mortem*, vsurpatur consequens pro antecedenti, nam amor mortis, si esse posset, ad ea facienda homines impelleret quæ faciunt qui Sapientiam oderunt: Sic impij dicuntur odisse animam suam, quam tamen amant vehementissimè, quod ea faciant ex quibus oritur exitium animæ. Sic Apoc.22. Dominus denunciat se nomen illius deleturum ex libro vitæ qui addiderit aliquid verbis illius Prophetiæ, vbi antecedens vsurpatur pro consequente, si enim alicuius nomen deleatur ex libro vitæ consequens est vt illi pereundum sit, itaque alterum pro altero vsurpatum est. Simili penè figura Deut.29. Moses describit impietatem Israelitarum; *non dedit* (inquit) *vobis Dominus cor ad intelligendum*, per remotionem causæ omnis pietatis summam designat impietatem. Et Dominus cap.6. Iohan. *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit illum.* Ex eius figuræ obseruatione soluuntur quæstiones natæ ex parabola de Epulone & Lazaro, in qua consequentia pro antecedentibus ponuntur: Verbi gratia inducitur Epulo implorans fidem & opem Abrahami, quia id sequitur cruciatum: Item describitur sollicitus de salute fratrum suorum, & hoc loco consequens pro antecedente positum est, nam dolorem hoc sequitur in hac vita, vt ne cupiamus eum nobis esse communem cum nostris.

Consequentis pro Antecedenti. exemplū. 1. 2.

Antecedentis pro Consequēte Exempla. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Hoc verò Domino perfamiliare item est, vt abstractis quæ vocantur vtatur pro concretis, vt cùm se dicit *Resurrectionem & vitam*, pro authore resurrectionis & vitæ: Eodem sensu dicitur à Propheta *Iustitia nostra*, & nos item dicimur *Iustitia Dei in illo*, simili figura, hoc est, iustificati à Deo in illo, quomodo Israel dicitur *Dei sanctitas*, hoc est, populus quem Dominus sibi sanctificauit. Nihil autem magis consuetum est Christo quàm vt nomen *signi* ponat pro *re significata.*

abstracta pro Concretis.

Signum pro re signata.

Itaque

Itaque dum parabolas ſuas interpretatur, nomina rerum ſignificatarum ſignis tribuit, vt cum Luc.8. ſemen dicit eſſe verbum Dei,&c. & Ioh.6. verba ſua dicit eſſe *ſpiritum & vitam*; & in inſtitutione Cœnæ eadem figura dicit panem eſſe corpus ſuum. Sed figuræ huius ordinis Chriſto ideo familiares ſunt, quia lingua qua vſus eſt exigebat ut ſic loqueretur, neque enim Hebræi aut Syri aliter loquuntur, dum volunt oſtendere quid cuius rei ſignum ſit, ſolnt enim tum *ſignum* nomine *rei* ornare.

Alluſionum genera.

Denique Dominus ſæpenumerò alludit, idque vel ad mentem eorum quibuſcum illi res eſt, vt cùm exegit à Nicodemo vt iterum naſceretur, reſpexit ad mentem Nicodemi qui maximè extollebat dignitatem generis ſui, quod erat vitiũ omnibus Iudæis familiare. Id ipſum videre eſt in colloquio cum Samaritana,& in diſputatione inſtituta Capernaümi, utrobique enim Chriſtus genus dicendi figuratum adhibuit, utrobique alludit ad id quod iis cum quibus agebat maximè fuit cordi. Quandoque alludit ad conſuetudinem receptam, vt cum Lazarum inducit in cœlo recumbentem in ſinu Abrahæ, alludit ad id quod fieri ſolebat in conuiuiis inter Judæos, nempe ut cui maximus honos defertur is reclinet caput in pectus patris Cœnæ. Sæpè etiam reſpicit Prophetarum prædictiones,& ſtatum regni ſui ſpiritualem verbis terrenis deſcribit, vt cùm pollicetur Petro ſe daturum ei claues regni cœlorum, & Apoſtolis, fore ut ſedeant ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Alluſio eſt, qualis & illa eſt quam adhibuit in Epiſt. ad Thyatirenſes, qua pollicetur fore ut qui vicerit Gentes conterat virga ferrea. Apocal.2.26.

1.

2.

3.

Chriſti locutio cauta erga Diſcipulos

Dixi vltimo loco orationem Chriſti eſſe aliquando cautam, tametſi nunquam ſit doloſa. Eſt verò cauta, vel cùm res illi eſt cum Diſcipulis ſuis, vt cùm non vult illi patefacere planè quis ſit & quatenus, atque adeo quis futurus ſit ſtatus regni ſui, nempe non debuit hoc fieri ante diem, non potuiſſent Apoſtoli hoc ferre; vel cum res eſt illi cum Aduerſariis, idq; duobus modis, vel enim ſtudet eludere eorum captiunculas prudenti reſponſione, vt cùm à quærentibus quâ authoritate tanta gereret, quæſiuit viciſsim vnde eſſet baptiſma Iohannis: vel ſtudio & induſtria contemptores veritatis celat veritatem, cuius rei exemplum illuſtre eſt in Euãgelio ſecundùm Matth. cap.13. eo nempe loco interrogatus, cur populum alloqueretur per parabolas, *Vobis* (inquit) *datum eſt*, &c. deinde ſubjicit continuò; *habenti dabitur:* in quo genere hoc temperamentum ſequitur, vt etiam tum cùm parabolicè loquitur, illa obſcuritas neminem poſsit offendere præter pertinaces & obſtinatos, ac capitales hoſtes veritatis.

erga hoſtes ſuos.

Cur non omnia in Scriptura tradita ſint clariſſimè.

Atque inde ſoluitur illud quod vulgò quæri ſolet, Cur Dominus nõ omnia tradiderit in verbo tam clarè vt nullus eſſet dubitandi locus, nempe hoc eſt quærere quod diſcipuli quæſiuerunt à Chriſto, noluit nempe Dominus in verbo ſuo conſulere hominibus præfracti ingenij, ſed iis tantum qui ratione ducuntur: quod ſi ſtuduiſſet ita loqui in Scriptura, vt & impudentię ſatisfieret, nequaquam id aſſequi potuiſſet, nulla quidem imbecillitate, ſed quia ea eſt ſermonis ratio, ut etiamſi ſit explicatiſsimus tamen in eo occurrat quod in alienum ſenſum à petulanti ingenio detorqueri poſſit. Igitur Dominus in ipſa oratione ſpecimen exhibuit ſimplicitatis & ſinceritatis ſuæ, cuius argumentum non eſt illa anxietas ſuperſtitioſa qua formularij vtuntur, ingenuitas quædam orationis, quæ teſtatur dicentem nil ſibi metuere à calumnia & cauillis. Itaque cauendum ſedulò eſt, ne verba Chriſti diuexemus, quod illi faciunt qui aiunt, non videri vſque adeò magnum malum, ut cui ſuſpendatur mola aſinaria projiciaturque in mare, itaque fingunt hîc myſteria, cùm Chriſtus eo prouerbio vſus ſit, quo vti ſolebat vulgus ad deſignandum graue aliquod & inexpiabile ſcelus.

Chriſti oratio ſimplex ſincera.

AD MATTHÆI
Cap. XVIII. Verſ. 10.

Ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων, λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

Videte ne contemnatis aliquem ex paruis iſtis: dico enim vobis. Angelos eorum in Cœlis per omne tempus videre faciem Patris mei qui eſt in cœlis.

DE DEO ET ANGELIS.

Explicantur verba Chriſti.

PRiuſquam aperiam mentem Chriſti hoc loco, neceſſe habeo verba quædam quibus Chriſtus vſus eſt interpretari. Ac primò illud τῶν μικρῶν τούτων, qui ſint quos Chriſtus μικροὺς vocat, tum verò quid ſit hîc καταφρονεῖν, deinde quomodo Angeli dicuntur βλέπειν τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, denique, quomodo Pater dicatur eſſe in cœlis. Μικρὸς Hebr. קטן vel refertur ad ætatem, vel ad molem, ſed priùs ad molem quàm ad ætatem, ideo enim pueri & Μικροὶ iidem ſunt, quia corpus puerorum mole paruum eſt, & μικρὸς Hebraicè dicitur צעיר Sed hoc loco μικρὸς non videtur ſignificare paruulum ætate, aut mole corporis, agit enim Chriſtus de iis quos verſu 6. ornauit hoc elogio, vt eos vocaret *paruulos*, ſed *credentes*, itaque quærenda eſt hic alia huius vocis ſignificatio, ut nempe ſit קטן & צעיר ſed quatenus hæc verba Hebræis abjectam conditionem denotant, ut cum Geneſ.32. Iacob profitetur ſe paruum eſſe, קטנתי, id eſt, *minor ſum omnibus tuis miſericordiis, & omni veritate quam feciſti mihi*, haud dubiè indignitatem ſuam agnoſcit, atque hoc vult profiteri, ſe non eſſe tanti ut Deus ipſum tã magnis beneficiis proſequi debuerit. Sic Deut.1. 17. Moſes Iudices hortatur, vt ne faciem agnoſcant in Judicio, כקטן כגדול תשמעון, id eſt, *tam eum qui contemptus eſt quam qui magnus eſt audietis*, ſequitur enim לא תגורו מפני איש hoc eſt, *non timebitis à facie cuiuſquam.* Itaque קטן eo loco is eſt qui conditionis eſt abjectæ: ſic etiam צעיר denotat ſtatum miſerum,& qui deſpicatui habetur, vt cum Gedeon profitetur ſe eſſe צעיר *paruum* in domo patris ſui, id eſt *contemptum*, exſtat locus cap.6. Jud. & cap.5. Michææ, Propheta Bethlehem dicit (qua ſententia non eſt hic diſputandi locus) eſſe צעיר *paruam inter* אלפי *chiliadas Iuda*, hoc eſt deſpicatiſsimam in tribu Iudæ. Itaque Dominus cap.30. Ierem. ubi agit de reſtitutione Iſraelitarum והכבדתים *& glorificabo eos* ולא יצערו *& non erunt parui*, hoc eſt, contemptibiles. Sic Iob. cap.14.21. defluens conditionem mortalium, *Filij*

Μικρός

ſignificat abjectos & humiles conditionis homines.

hominis, inquit, *glorificantur & item* צער, hoc est, *fiunt inglorij, cùm pater defunctus vitâ nihil sentiat.* Tenendum igitur est non denotari hoc loco à Christo ullam animi demissionem, quæ virtus est, & quidem in Angelis summa, sed μικροὶ hic sunt conditione & statu vitæ illi quos homines vulgò contemnunt, nempe vel ob paupertatem, vel ob obscuritatem generis, vel ob imperitiam rerum, vel ob corporis vitia, & si quę sint alia quæ in sæculo infamia sunt. Quod ideò obseruandum est, ne patiamur nobis eripi argumentum gratiæ diuinę, quæ in hoc elucet, quod dum paruos eligit Deus quibus reuelet mysteria sua, non respicit vllam quæ est in illis virtutem, sed τὴν ταπείνωσιν *conditionem afflictam & prostratam humi*: quo sensu item Virgo Maria Deo gratias egit quod *respexit* τὴν ταπείνωσιν, hoc est, *afflictam conditionem ancillæ suæ.* Itaque Dominus cum 11. cap. huius Euangelij gratias agit Patri quod arcana sua celauerit sapientes & intelligentes, paruulis autem reuelauerit, proculdubiò statum & conditionem notauit: cuius rei obuia sunt documenta, pauci enim sunt sublimi loco constituti qui verè agnoscant Christum & Euangelium eius. Atque id est quod Paulus obseruauit, dum hortatus est Corinthios vt meminerint qui sint & quàm contempti. *Videte* (inquit) *fratres vocationem vestram*, id est, videte quales sitis vos qui estis vocati, *quod non sitis multi Sapientes, &c.* 1. Cor. cap. 1.

2. καταφρονεῖν.

Sequitur vox καταφρονεῖν *contemnere*, quæ idem est hoc loco quod Hebraicè בזה, significat autem בזה non modò *contemnere*, sed *negligere* etiam, vt cum Salomon eos detestatur qui pauperem negligunt, vocat eos pauperum contemptores, nempe in hoc genere negligere contemnere est, & contra qui non negligit, sed curam gerit pauperis, is *honorare pauperem* dicitur Prou. 14. 31. eodem sensu quo Petrus cap. 3. 1. Epist. maritum vult (etsi vxoris suæ Dominus sit) tamen ἀπονέμειν τιμὴν *honorem tribuere vxori* ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει. Itaque in lingua sancta, vt *negligere est contemnere*, sic vicissim *curare, sollicitum esse de re aliqua conseruanda* est illud *honorare* vsque adeò vt *præmio afficere*, Hebraicè *honorare* sit, vt cum cap. 13. Iud. Manoah Angelum prophetam ratus pollicetur ei fore vt eum honoraret si quod prædixerat erat euenturum, הכבדתיך id est *præmio te afficiam*: sic alicubi Cicero Tironem monet, se dedisse operam vt Medico honos haberetur. Itaque honorare non pertinet tantum ad laudem, sed etiam ad mercedem, ad curam, vt nemo miretur quid sibi voluerit Apostolus, qui capite 5. prioris ad Tim. hortatur Timotheum vt *pauperculas viduas honoret*, nempe hoc voluit, vt earum curam gerat, vt det operam vt illis bene sit: eodemque sensu eodem cap. *presbyteri qui benè præsunt digni iudicantur* à Paulo *duplici honore.* Quid est igitur hoc loco καταφρονεῖν ἑνὸς μικρῶν? nempe non contemnere modò, sed vel negligere eos qui secundùm carnem sunt contempti, & tamen in Christum credunt. Consilium ergo Christi est reprimere Discipulorum fastum, qui alios etiam in Christum credentes contemnebant, quod non fuerunt ornati & locupletati à Christo tot priuilegiis quot ipsi consecuti erant, seu hi paruuli fuerint inter ipsos Apostolos (neque enim omnes Apostoli iisdem prædediti donis fuere) seu fuerint alius ordinis.

3. contemplari

Illud verò quod Angeli dicuntur hoc loco *contemplari faciem Patris*, & quidem *semper*, simplicissimè dicitur, nempe consequens ponitur pro antecedenti, nam quia in hac vita Apparitores & Ministri stant coram iis qui in eos habent imperium, vt sint parati ad eorum nutum, ideò dum voluit Dominus significare contemptos istos homines magnæ esse curæ Deo, ait eorum Angelos esse Dei Ministros & Apparitores, & vsque adeò sedulos vt nisi iussi nihil faciant, iussi autem omnia. Quod verò adjicitur διὰ παντὸς, non est torquendum, sic enim Regina Saba cap. 10. prioris libri Regum Salomonem alloquitur, *Beati* (inquit) *homines tui*, hoc est famuli tui, *qui semper stant coram te*, noluit hoc Regina, famulos illos & seruos nunquam discessisse è conspectu Salomonis, tantum hac phrasi significauit paratos esse semper illos ad exequenda Salomonis iussa. Cæterùm non debet videri nouum quod Christus eos Angelos qui pro salute suorum excubant, Angelos dicat eorum quibus operam dant, nam & Paulus, quamquàm Christi Apostolus fuit, hoc est à Christo missus, tamen cap. 11. ad Roman. profitetur se esse *Gentium Apostolum*, hoc est, missum ad Gentes, non autem à Gentibus: sic Angeli fidelium dicuntur, non qui mittantur tanquam nuncij à fidelibus, sed qui mittuntur ad fideles. Porrò non dicuntur hîc Angeli paruulorum istorum, quod vnusquisque peculiarem habeat Angelum sibi addictum, sed quia Angelis, pro Dei arbitrio, hoc incumbit ex officio vt inuigilent suis (sic capite 3. Esaiæ quod dictum est *Principes & Magistratus populi pueros fore*, nemo inde collegerit singulis è populo datum esse quendam Magistratum) qui Angeli certè numero plures sunt, & quidem qui succedunt sibi inuicem.

faciem Patris, quid sit.

4. *διὰ παντός.*

5. *Angelorum.*

Iam considerandum nobis est quid id sit demum quod Dominus Iesus Patrem suum dicit *esse in cœlis*, quando nonnulli sunt hoc sæculo qui Deum cœlo, quod ad essentiam attinet, includunt, tanto grauiori scandalo quod nondum secesserunt ex Ecclesia. In qua disputatione hunc ordinem Deo iuuante sequemur, primo loco afferemus argumenta quibus euincitur Deum non esse inclusum cœlo, immò verò demonstratur Deum esse vbique: secundo loco adducemus in medium eorum ratiunculas qui dant operam vt Deus cœlo conclusus videatur: tertio loco docebimus ex Scriptura cur cœlum Deo tanquàm sedes assignetur.

Deus quoad essentiam non est cœlo conclusus.

Ordiemur autem ab iis argumentis quæ recta ratio sponte sua suggerit, & ea priori loco ponemus quæ sola Aduersarius proposuit sibi refellenda, tùm adjiciemus reliqua quæ vel imperitè, vel malignè reticuit. Primum argumentum hoc est, *Deus est perfectissimus, Ergo est vbique.* Huic argumento sic occurrit, vt antecedens largiatur, consequentiam neget: sed & rationem negationis addit, quod immensitas non sit perfectionis argumentum: Itaque Deum negat immensum, aut (quod eodem redit) infinitum. Sed hoc negare est negare pertinere ad perfectionem boni vt sit bonum infinitum, itaque finitudinem esse de boni essentia, quod vsque adeò absurdum est, vt hoc asseuerare sit furere: nam omne bonum quo maius est, eò melius est, omni autem bono finito maius dari potest; saltem animi cogitatione, vt numeris semper vnitas potest adjici, & magnitudini aliquid superaddi, at bono perfectissimo nullum potest dari perfectius bonum, non enim esset per-

Probatur 1. argumentis à recta ratione petitis.

1. Deus est perfectissimus.

esset perfectissimum, dabitur autem si sit finitum. Itaque non potest idem esse perfectissimum bonum, & finitum: vnde sequitur perfectissimum bonum esse infinitum, infinitum, inquam, *negatiue*, id est non finitum, nam quod *priuatiue* infinitum est, id imperfectum est, veluti materia prima qualis in Scholis describitur.

2. Deus non pendet à causa.

Secundum argumentum. *Deus à nullo pendet tanquam à causa. Ergo essentia infinitus est.* Aduersarius consequentiam negat, neque negationis suæ vllam affert rationem, tantum dicit, hoc esse postulare non demonstrare. At consequentia necessaria est, nam vt hoc taceamus, quod nisi fiet hoc argumentum mundi creatio male & perperam inde demonstratur quòd finitus est, nulla enim erit consequentia. Mundus est finitus ergo pendet à causa, quando instantia dari potest rei essentia finitæ quæ tamen à causa minimè pendet; Sic eluerit Aduersarius vim illius argumenti, aut eluserit potius, quod tamen habitum est hactenus pro necessario & inuicto. Vt (inquam) hoc taceam res ipsa id demonstrat; quicquid enim non dependet aliunde tantum possidet quantum vult, neque vult quod non possidet. Porrò qui nemini subiectus est ei licet omnia velle quæ rationem boni habent, etiam perfectionem summam, nam quod creaturis id interdicitur, inde est quod non licet esse illis pro arbitrio, sed pro statu & conditione naturæ, quæ dependens est cum sit creata, ideoque certis limitibus pro Creatoris sapientiâ circumscripta.

3.

Tertium argumentum quod refellit istud est, *Materia prima dicitur infinita potestate, Ergo Deus est actu infinitus.* Quod quia nostrum non est, propterea in eius vi tuenda non laborabimus.

4. Deus est actus purus.

Quartum argumentum. *Deus est actus purus. Ergo est infinitus.* Negat hoc ex illo sequi, nulla addita ratione negationis. Nos consequentiam probamus argumento accommodato ad cuiuslibet captum. Actus purus non potest moueri, esset enim actus purus præditus potentia passiua, quod est portentum. Iam verò aut Deus non potest esse vbi vult esse, non poterit se vno loco mouere, aut dum mouebitur erit in potentia, & quidem passiua: Immò verò (quod est absurdum) à seipso mouebitur. Itaque nisi consequentia valeat Deus vni certo cuidam loco alligatur, vt clauus immobilis: quod sanè non decet eum asserere qui Deum concedit (certè cogitur concedere) versari non Aristotelico more, (qui Deum nihil vult agere nisi per cœlum) sed diuino quodam modo, id est infinito, in gubernatione rerum, nempe vt singulis adsit rebus non vt per satellites, sed vt ipse omnia pertingens.

5. Deus est infinitus potentia.

Quintum argumentum, *Deus est infinitus potentia, ergo & essentia.* Atque hic non audet negare consequentiam, vidit enim potentiam infinitam non posse tribui Deo nisi statuatur Deus essentiam habere infinitam; cur autem neget antecedens reddit rationem prodigiosam planè, & hactenus inauditam, *Deus* (inquit) *non potest facere impossibilia, atque ita non potest omnia.* Nos non exagitabimus hoc loco hominis cæcitatem, tantum vno verbo dicam, quod est *impossibile* illud nil aliud est quàm *nihil*, nempe quod rationem entis non potest habere. Itaque non sic probarit non posse omnia facere: hoc tantum assecutus est, vt Deus id non possit facere quod si fecerit nihil fecerit, quod est probare Dei omnipotentiam, non eam refellere.

6.

Sextum argumentum hoc est, *Deus est infinitus duratione, Ergo est infinitus essentia.*

Deus est infinitus duratione.

Negat sequelam. At sequitur tamen, nam vt baculus, aut linea non potest fingi vnâ sui parte finita, altera infinita, neque corpus vllum secundùm vllam dimensionem infinitum, quod non sit infinitum secundùm omnes dimensiones, sic nec Deus potest statui infinitus secundùm vnam perfectionem, nisi statuatur secundùm omnes. Huius rei ratio hæc est, infinita duratio infinitam vim requirit, etenim secundùm modum considerandi nostrum in Deo vis duratione est natura prior. Nam quam ille attulit rationem negationis ratio non est, sed mera blasphemia: ait enim, *natura Dei necessitatem requirere vt sit duratione infinitus, non requirere vt sit essentia infinitus*, quod est tribuere perfectionem Deo infimi gradus infinitam, non tribuere Deo perfectionem summi gradus infinitam; nam esse simpliciter est infimus gradus perfectionis, quem solum vult infinitum esse in Deo, cùm multò decentius fuisset Deo tribuere infinitam Iustitiam, Misericordiam, Sapientiam, Bonitatem, adeoque Essentiam, sunt enim illa in Deo eadem, quæ nos animi cogitatione propter mentis imperfectionem cogimur distinguere.

7. Deus omnia in omnibus operatur.

Septimum argumentum quod ille refutat, petitum est à Dei operatione: nempe *Deus omnia in omnibus operatur, itaque nullis loci terminis contineri potest.* Ad hoc ita respondet, primò vt Deum neget necessario esse vbi operatur, cùm agat per causas secundas, sicut illæ Physicæ sunt vt in natura & politia, seu hyperphysicæ, vt cùm aliquid fit extra ordinem per Angelos. Deinde, negat effici ex eo quod Deus operatur omnia in omnibus, Deum esse infinitum essentia, cùm operetur in finito & circumscripto loco, nempe in mundo qui scilicet non est infinitus. Prima responsio facilè refellitur, multa enim agit Deus sine causis secundis, vt cùm mortuos excitat, cùm Spiritum suum mittit in hominum corda, cùm aufert cor lapideum, carneum verò indit. Secunda autem Responsio non poterit aliter se tueri quàm si Deum fingamus vbique diffusum, atque ita vt constet partibus: Vel enim totus est in cœlo, vel totus itidem in terra, vel partim in cœlo, partim in terra. Si totus est in cœlo, ex illius hypothesi in terra esse non potest; Deum enim cœlo includit, si partim in cœlo, partim in terra est, Deus compositus erit, & quidem ex partibus quarum alia extra aliam sita est, quo nihil dici potest absurdius. Speciosiùs, & minùs crassè respondisset si (quod res est) ostendisset Deum voluntate sua omnia efficere, atque ideò nihil necesse esse vt adsit rebus quas facit, nam causæ illæ quarum præsentia necessaria est eæ sunt quæ non possunt agere nisi per contactum, quomodo anima non mouet corpus nisi sit in corpore, & si vera esset eorum sententia qui singulis cœlis singulas tribuunt animas, non possent cœlos suos animæ illæ mouere nisi essent in cœlis. At primæ omnium rerum causæ non est eadem ratio, agit enim tantum per voluntatem, quod Centurio in Christo videtur agnouisse, qui noluit adesse Christum, tantum voluit vt Christus iuberet. Sed nihil hoc obstat quominus argumentum habeat vim suam, nam qui tantus est vt solo nutu faciat omnia, eundem tantum esse necesse est vt nullo contineatur loco, nam quæcunque loco continentur ea non agunt nisi per contactum, (itaque mitti Angelos necesse est)

vnde necessariò sequitur non esse finita quæ non agunt per contactum.

8. *Deus omnia implet.* Octauum argumentum. Deus (Ierem.23.) *testatur se omnia implere, terram, & cœlum.* Respondet *implere* eodem modo ibi accipi quomodo cap.4. ad Ephes. quo loco Christus dicitur *ascendisse in altum vt impleret τὰ πάντα.* At eo loco non significare voluit Apostolus Christum esse vbique per essentiam, sed per prouidentiam, Ergo nec illo loco Ieremiæ *implere* aliud potest significare. Respondeo, *implere* non esse idem Ieremiæ quod Apostolo, nam Ieremiæ idipsum est quod significatum est ab Ethnicis, *Iouis omnia esse plena*, nempe nullus potest indicari locus aut cogitari animo vnde Deus dici possit abesse, nec à Deo prouidentia Dei diuelli potest. At apud Apostolum *implere omnia* significat (vt patet ex iis quæ sequuntur) effundere in homines dona quibus Ecclesiæ ædificium compleatur. Sanè ex Apostoli verbis non colligitur vniuersalis Christi prouidentia qua Deus est, sed specialis illa cura Ecclesiæ. Et videtur Ieremias intuenti propiùs locum, probare Deum omnia videre quod vbique adsit. Itaque aliud est Ieremiæ *omnia implere*, aliud Apostolo.

9. *Cœli cœlorum non capiunt Deum.* Nonum argumentum. *Salomon testatur cœlos cœlorum non continere Deum* (1.Reg.8.27.) *quicquid autem est extra cœlos cœlorum id necesse est infinitum sit, nihil enim fingi potest extra locum omnem quod non sit infinitum, vt nihil fingi potest extra tempus quod non sit æternum.* Ille hoc tantum respondet, prouidentiam Dei non contineri cœlo, sed etiam in terra sese exercere. At hæc respõsio pugnat cum mente Salomonis, pugnat cum locutione qua vsus est. Cum mente Salomonis, miratur enim Deum velle in terra habitare, hoc est, velle locum quendam in terra deligere in quo speciali quadam ratione se patefaciat hominibus: Nullum autem pondus habebit hoc, *Cœli cœlorum non continent eum*, si ea sit mens Salomonis quam ei affingit Aduersarius. Deinde, pugnat hoc item cum phrasi qua vsus est Salomon, nam dixit olim Philippus Alexandro, *Macedonia fili non capit te*, quia Macedonia regio quædam fuit angusta, at non est credibile Salomonem, vt significaret Dei magnitudinem, voluisse ostendere Deum in terra versari, sed contra cum neget Deum contineri cœlis cœlorum, voluit demonstrare esse infinitum, non quoad prouidentiæ ditionem quæ ad ea loca tantum extenditur quæ cœlo terraque continentur (*cœli* autem nomine non modo cœlum hoc adspectabile, sed & cœlos cœlorum comprehendimus) sed potius hoc voluit, essentiam Dei non concludi rebus creatis.

10. His argum. adjiciemus quæ ille vel imprudens, vel sciens volens præteriit. Atque illud primo, *quod si Deus non sit vbique sequetur absurdum, Deum ne in duobus quidem simul locis esse posse.* Nam quod prohibet quominus Deus vbique sit impediet idipsum quominus sit in duobus locis. Quod ille videtur agnouisse, nam ait, *nil aliud colligi posse ex Scriptura quàm Deum esse tantum in cœlo, & testatur sibi videri absurdum vt vnum idemque à semetipso seiunctum sit.* Itaque nihil est quod in probatione consequentiæ immoremur. At verò negabit absurdum esse vt Deus is esse statuatur qui simul esse non possit in pluribus locis. Id verò absurdum esse vel hinc patet, quod omnibus ex æquo præsens est, neque enim Antipodib. quàm nobis est vicinior, tum assignandus nobis locus esset in quo Deus sit potiùs quàm alibi.

11. Secundo loco, Deum totum vbique esse patet ex eius operatione, nempe non magis hîc operatur quàm illic, hoc est, vbique operatur quatenus in eo omnia subsistunt: nec eius præsentia aliunde quàm ex operatione cognoscitur, atque ita (vt supra monuimus) operationem sequitur hactenus præsentia quatenus potentia.

12. Denique, *cœlum dicitur Dei thronus, terra scabellum pedum eius*, itaque necesse est Deum non modò in cœlo esse, sed etiam in terra, nisi velimus affirmare alibi esse Dei quæ supra lumbos exstant quàm quæ sunt infra, quod est horrendum dictu. Sunt & alia argumenta, quorum quoniam meminimus in responsionibus ad illius argumenta, nolumus ea repetere.

Contraria argumenta refelluntur. Sequuntur eius argumenta quibus probat Deum esse cœlo inclusum.

1. Primò, *Cœlum varijs in locis dicitur Dei thronus, itaque Deus tantum est in cœlo.* Respondeo. At iisdem in locis terra dicitur *scabellum pedum eius*, Ergo non minus est in terra quàm in cœlo. Quod si Metaphor. dicatur cœlum thronus Dei, argumentum solutum erit, nam hic erit sensus, Deus in cœlo testatur præsentiam suam magnificentiùs quàm in terra, sed tamen vtrobique est.

2. Secundum argumentum, *Instinctu naturæ Gentes omnes inter orandum in cœlum attollunt oculos, itaque Deus non est alibi quàm in cœlo: si enim in terris esset orantes demitterent oculos.* Respond. *Cur orantes oculos in cœlum tollamus.* Sophisma est quod in Scholis dicitur *non causa pro causa*, nam quod homines cœlum tuentur tum maximè cùm orant non ideò fit, si sapiunt, quod nusquàm alibi Deum esse putent quàm in cœlo, sed

Causa 1. primò, quia quæ illis obuersantur ob oculos non videntur illis esse causæ vel malorum vel bonorum quæ iis obueniunt. Itaque rerum aspectabilium nihil aspiciunt, sed quantum possunt abducunt oculos ab earum rerum contemplatione, & quia motus oculorum motum animi sequitur, necesse est vt oculos in altum tollant, & quidem, si fieri posset, tam intentè vt cœlos ipsos penetrent: nempe hoc gestu testatur animus non esse res incurrentes in sensum quæ vel implorandæ sunt præcipuè, vel quibus gratiæ sunt agendæ: Itaque & admirantes & admirabundi oculos tollimus in cœlum, nempe quia non occurrit in rebus quæ incurrunt in sensus argumentum & ratio illius rei quàm admiramur. Deinde, ordinaria Dei beneficia, ea præcipuè quæ sensus feriunt, proficiscuntur à causis secundis: harum autem causarum ea series est vt quæ nobis proximæ sunt, id est quæ sunt infimæ, pendeant à superioribus, vt pluuia, siccitas, fertilitas, lux, & vita denique: vita, inquam, vegetatiua. Itaque quoties ad primam causam deuenire volumus, propter humanæ mentis imbecillitatem, ascendit mens eò veluti per gradus subuecta, attamen non mentitur, id est, non fingit causam illam primam nusquam alibi esse quàm in sublimi.

2. Denique Dei præsentiam non persentiscit mens humana nisi ex operibus Dei: itaque vbi illa magis sunt conspicua, illic Deum magis adesse iudicat, vt cum cogitur dicere *digitus Dei hic est*, cum autem nusquam tam occurrant manifesta documenta potentiæ, maiestatis, & gloriæ Dei quàm in cœlo, & præsertim in cœlis cœlorum, hinc fit vt eo mens subuecta erigat simul oculos propter obsequium oculorum.

Retorquetur argumentum. Sanè & nos sic eum premere queamus, (nempe Deum non vult

non vult eſſe in terra) Jubebantur Iſraelitæ ita orare vt faciem obuerterent in illū locum in quo eſſet Arca fœderis: inde ne collegerit Deum fuiſſe concluſum illâ Arca, nec alibi fuiſſe? Minimè; id verò tantum, ſi vult ſibi cōſtare, dixerit, Deum edidiſſe in Arca, aut ex Arca fœderis ſingularia peculiaris cuiuſdam pręſentiæ documenta, nempe ob ſui patefactionem. Itaque & ipſe ſoluerit nodum quem nexuit, nam eadem ratione dicetur eſſe in cœlo. Obiter verò hoc notetur præter rem quam agimus, hoc non fuiſſe perpetuum, quia typus erat futuræ Chriſti præſentiæ in terris. Itaque Chriſto in cœlum ſubuecto, vbique Deus vult *puras in cœlum tolli manus*, vt ait Apoſtolus. Tertium argumentum, *Inquinaretur Deus ſi verſaretur in terra, nempe in terra multa ſunt fœtida & ſordida.* Reſponſio facilis eſt, *tangere, vel tangi niſi corpus nulla poteſt res.* Nam alioqui inquinabuntur Angeli, qui verſantur in terris, etiam in locis ſpurciſsimis, velut foſſa in quam detruſus fuit Daniel.

3. Argum.

Quartum argumentum: *Deus (inquit) præditus eſt eſſentia viſibili nec tantum animi; ſed corporis etiam oculis. Itaque neceſſe eſt Deum eſſe natura circumſcripta, quando cognoſci non poteſt, nedum videri, quod conditione naturæ infinitum eſt.* Occaſionem ſic argumentandi arripuit ex Scholaſticorum doctrina, qui Deum docent cerni per eſſentiam, ſi minus corporis, at certè oculis animi. Quanquam autem diuerſa quæſtio eſt; *Deus ne cernatur oculis corporeis,* attamen hoc tenendum eſt iſto loco, authores huius ſententię & fautores (in quibus ille eſt cum quo nobis eſt controuerſia) exiſtimare, nos non excitatum iri à mortuis præditos ea membrorum compage, & delineatione quæ in hac vita locum habet, ſed Deum noua efformaturum corpora ſpiritualia (itaque nihil promouemus ſi probauerimus Deum non eſſe colorem aut lumen corporeum, quæ ſola ſunt propria oculi obiecta) quod falſum eſſe vel hinc conuincitur, quod Apoſtolus docet fore *vt hoc mortale induat immortalitatem:* Itaque ſubiectum neceſſe eſt eſſe idem, cæterùm ſubiecti (quod appellant) formam accidentariam fore diuerſam, alioqui nihil eſt quod induat immortalitatem, neque quod exuerit conditionem mortalem. Itaque exploſa eſt illa corporis viſio, de qua nemo vnquam niſi Anthropomorphita cogitauit. Nam quæ ſunt iſta corpora ſpiritualia? ſunt-ne corpora quæ ſunt ſpiritus? at hoc eſt eſſe corpus & non eſſe, quod ſi ſpiritualia ſunt κατά τι, id verò ita explicandum fuit, vt ne corporis natura (quod in ſua ſpecie perfectum eſt) deſtruatur. Nam quod dicit nos fore ἰσαγγέλους authore Chriſto, longè abit à Chriſti mente, qui nihil aliud vult eo loco quàm nihil opus fore matrimonio quod ob indiuidui propagationem inſtitutum eſt (Angeli enim Angelos non gignunt) &, quod conſequens eſt, neque cibo & potu ad conſeruationem indiuidui opus fore. Attamen ſtat argumētum ſi Deus animi oculis cerni poteſt per eſſentiam, certè videtur ſtare: quicquid enim mens humana perfectè comprehendit illud finitum eſt: nempe quod eſt infinitum à finito comprehendi non poteſt. Itaque cogimur illa diuiſim conſiderare in Deo, quę in eius eſſentia vnum idemque ſunt, vt in foro ruſticis aurea numiſmata propter imperitiam cogimur ſecare in minimas partes, vt in nummos, quorum magna congeries exæquat aureum, ea planè conditio eſt mentis noſtræ cum de Deo cogitandum eſt. Sed quæritur, *An in vita futura eo aſſurgere poſſit mens humana, vt Deum perfectè comprehendat*, cùm eo pacto Deum comprehendere in hac vita excedat modulum cogitationis noſtræ, etenim omnis imperfectio in vita futura abolebitur, eſt autem imperfectio non poſſe Deum comprehendere, alioqui Deum comprehendiſſe nulla eſſet perfectio, itaque videtur fore vt in vita futura, in qua ſola perfectio locum habet, Deum perfectè comprehendamus. Sed quædam eſt imperfectio creaturæ eſſentialis (quæ imperfectio non dicitur comparatè ad creaturas, ſed reſpectu Dei) quæ imperfectio negatio tantum eſt ſummę perfectionis, id eſt, hoc tantum importat creaturam non eſſe Deum, ea imperfectio ſi tolleretur conſequens eſſet nos eſſe Deos, quod eſt cogitatu & dictu abſurdum & blaſphemum. Attamen imperfectio priuatiua quæ notat defectum aliquem in creatura cum comparatur cum ſemetipſa, id eſt, cùm cogitamus creaturam non eſſe tam perfectam quàm poteſt eſſe manens creatura, ea omnis imperfectio abolebitur: verbi gratia, quicquid poteſt perficere corpus, ita vt corpus non deſinat eſſe corpus (perfectio enim ſubiectum non deſtruit, ſed ornat) quicquid poteſt perficere animam, ita vt anima non deſinat eſſe anima, id aderit in vita futura.

4. Argumentum.

Socinianorum ſententia de reſurrectio ne corporum.

Reſ.

Except. Reſ.

An ipſa Dei eſſentia animi oculis cerni poſſit.

Duplex in creatura imperfectio.

1.

2.

Itaque quærendum reſtat, *An pertineat ad perfectionem animæ vt eſſentiam Dei comprehendamus.* Sanè non videtur, ratio eſt quia incomprehenſibile comprehendi non poteſt, omne autem infinitum incomprehenſibile eſt, nullis enim terminis continetur, itaque comprehendi non poteſt. At (inquit) non poteſt infinitum comprehendi diſtinctè, attamen confusè comprehendi poteſt, atque hanc comprehenſionem *apprehenſionem* dixerunt; vnde celebris illa vox, *Deus cognoſcetur totus, ſed non totaliter*, & exemplum adducunt oculi qui totum hominem contemplatur, confusè nempè, at non totaliter. Sed non eſt ea ratio rerum quæ in ſenſus oculorum incurrunt, & diuinitatis, res enim ſenſiles compoſitæ ſunt, ideò non poſſunt vllo ſenſu comprehendi omnino, at Deitas ſimpliciſſima eſt: certè nec animus poteſt, nedum ſenſus, ea confusè comprehendere quæ ſimpliciſsima ſunt, niſi ea comprehendat aliter quàm per eſſentiam, id eſt, ipſam eſſentiam apprehendendo. Itaque ſi Deus cognoſcitur à nobis per eſſentiam, neceſſe eſt vt diſtinctè à nobis cognoſcatur, & ſi à nobis diſtinctè cognoſcitur, comprehendetur etiam, quod illi nolunt qui ſtatuunt Deum videri in futura vita per eſſentiam.

Non eſt de animæ perfectione vt eſſentiam Dei capiat, probatur.

Except.

Reſp.

Attamen illis non deſunt ſua argumenta. Nam primò aiunt, felicitatem hominis ſitam eſſe in vnione cum Deo, eam verò nullā fore niſi humanus intellectus eſſentiam videat. At hoc argumēto nihil dici poteſt abſurdius, pugnat enim cum axiomate in Scholis vulgatiſsimo, *omne receptum recipitur ad modum recipientis.* Jam verò ſi eſſentia Dei videbitur modo finito videbitur, nam recipiens finitum eſt: itaque videbitur infinitum per eſſentiam modo finito, quod implicat contradictionem. Etenim cognitio eſt quædam imago rei in mente. Itaque ſi cognitio finita eſt, res autem comprehenſa infinita, ſequetur rem cognoſci & non cognoſci. Deinde authores huius ſententiæ concedunt non fore parem gloriam electorum in vita æterna, at ſi Deus per eſſentiam

Contraria argumenta refelluntur.

1.

videtur certè erit par gloria. Nam cùm respondent Deum ab aliis magis, ab aliis minus videri per essentiam, quicquid dicant, *magis* & *minus* statuunt in essentia diuina, quod absurdissimum est.

2. Argumentum.

Deinde, aut neminem fore fœlicem nisi expleatur facultas intellectiua, non autem satiatum iri intellectum nisi cognoscat primam causam, eam autem non posse cognosci si per mediũ cognoscatur, nempe per speciem, tum nullam dari speciem causæ primæ. Sed nec hæc ratio vllum habent pondus, nisi fortè velint essentiam diuinam penitus comprehendi, nam dici potest non expletum iri appetitum intellectus nisi prima causa penitus comprehendatur, quod illi tamen negant. Quod si respond. nõ esse appetitum mentis conjunctum cum ratione expetere perfectam cognitionem primæ causæ, & nos itidem respondebimus non esse appetitum legitimum intellectus expetere cognitionẽ essentiæ diuinę, sed vt perinde tactus non aspirat ad ignis essentiam, sed ad ignis effecta & quidem temperata ad modum tactus, ita planè animus noster tantum expetit de Deo scire quantum animi modus requirit, si tendit vltra, insaniat.

3.

Ultimo loco aiunt, scriptum esse 1. Johan. cap. 3. fore vt videamus Deum sicuti est. Possemus respondere eo loco de Christo agi, qui certè à nobis videbitur qualis est, nempe secundum naturam humanam, nam non videtur à nobis in hac vita. Sed aliud respondemus conuenientius scopo Apostoli & rei veritati: quoties in Scriptura mentio fit visionis Dei non intelligi essentiæ visionem, sed peculiarem quandam Maiestatis diuinæ reuelationem, vt cùm Iacob post luctam illam celebrem profitetur se Deum vidisse *facie ad faciem*, nõ profitetur se Dei essentiam vidisse, quam non posse videri in hac vita consentiunt omnes: & Num. 12. testatur Dominus se aliter Mosen, aliter reliquos Prophetas compellare, nempe se Mosen alloqui *facie ad faciem*, reliquos Prophetas non item: nam omnes alij Prophetæ terrentur, & percelluntur visionibus Dei, & status mentis in iis immutatur, vel non percipiunt illa quæ enunciant, rapiũtur enim in exstasim quandam inter prophetandum, mouetur eorum mens: Mosi etsi eum circumfulsit diuinæ Majestatis splendor, nihil tale obtigit, sed stetit immotus. Denique Moses testatur Deut. 5. 4. *Deum facie ad faciem allocutum esse populum*, quod intelligi aliter non potest quàm de peculiari quodam modo reuelationis, qui supra reliquos quibus se Deus patefecit modos eximiũ quid habet & singulare. Cæteroqui Deus Mosen compellans Exod. 33. *Posteriora mihi videbis, faciem autem meam nemo videbit, & viuet* (hoc verò est quod dixit Paulus cap. 15. 1. ad Corinth. *Carnem & sanguinem non posse possidere regnum Dei*) nam eo loco Dei facies non est tantùm imperscrutabilis essentia Dei, sed ille modus visionis qui locum tantum habet in vita futura, quasi diceret Dominus, Qualis ego sum erga Ecclesiam meam nemo potest in hac vita penitùs habere perspectum, mori prius & mutari necesse est quã eo quis assurgere possit. Ergo in hac vita Deus videtur, & quidem facie ad faciem, sed comparatè, verbi gratiâ, Jacobus præ reliquis Deum vidit facie ad faciem, Moses præ Jacobo. Cæterum omnis Dei visio in hac vita ænigmatica est, vt docet Paulus cap. 13. 1. Cor. item cap. 5. posterioris, hîc enim incedimus per fidem, non per visum.

Quid sit in Scriptura videre Deũ.

Obj. Ref.

Ergo, inquiet aliquis, in vita futura Deum videbimus, non autem in ænigmate, proindeque in essentia. Sed Deus duobus modis considerari potest, vel prout est in se, atque ita Deus à nemine videtur, ne ab Angelis quidem illis qoos fingunt ordinis esse supremi, nempe Seraphim, qui ante Dei majestatem constituti oculos tamen suos alis velant, vel Deus consideratur qualis est erga nos, atque ita perfectè cernitur in vita futura, in hac vita tãtum in ænigmate. Huius autem rei exemplum esto puer qui in prima infantia patrem nouit, non iam dico essentiam patris, sed tamen patrem nouit, attamen non persentiscit qualis sit pater, non iam dico quoad essentiam, sed quoad affectum paternum nisi adultus, & postquam expertus est & agnouit quantum fecerit, aut velit facere pater in eius gratiam. Cùm igitur in hac vita non obtingat nobis nostra beatitudo nisi spe, & ea sit tam sublimis vt superet cogitationem nostram, non videmus Deum sicuti est. Ergo illi Deum vident sicuti est qui reipsa & facto tantam experiuntur Dei bonitatem, quantam humana creatura experiri potest.

Duplex Dei cognitio.

Illustratur simili.

5. Argum. quo videtur effici Dei essentiam esse finitam. Ref.

Quintum argumentum. *Natura non admittit infinitum. Ergo Deus non est infinitus.* At Deus non est natura, sed author naturæ, itaq; in natura valeat hæc ratio, quæ non potest esse infinita neque quantitatis (absurdum enim est vt vel magnitudo vlla, vel vllus numerus sit actu infinitus) neque item formæ, & virium ratione, absurdum enim est vt quod creatum est, proindeque aliunde dependet, id infinitum sit: attamen rei finitæ authorem infinitum esse necesse est, quando vt res finita sit vi infinita opus est *nihil* enim rei finitæ existentiam præcessit; inter *nihil* autem & *aliquid* nulla proportio est: Itaq; qui ea fecit esse, quæ non modò secundum formã, sed etiam secundum materiam non fuerunt, præditum fuisse infinita potentia necesse est. Nam quod ait Deum differre à reliquis omnibus rebus; itaque finitum esse, futile est; eo enim Deus à rebus omnibus differt quod infinitus est, non differt Deus à creatura quod aliter circumscribatur quàm creatura (sic enim creaturæ inter se differunt, earum enim aliæ aliam habent circumscriptionem) sed eo differt Deus à creatura, quod nullis sit definitus limitibus: quod vel inde colligi potest, quod nihil tam sublime de Deo cogitari potest quo non possit aliquid sublimius cogitari. Itaque fatiscit animus quia res objecta animo abit in immensum.

Obj. Ref.

6. argum.

Sextum argumentum. *Deus quædam non potest, itaque potentia diuina limitibus quibusdam continetur.* Hoc argumentum supra refutatum est, nam quod est sua natura impossibile id verò nihil est, quæ verò sunt eiusmodi vt si fiant sint, non autem non sint, ea infinita sunt: quod vel hinc constat quod nullus est numerus adeo magnus, vt vnitas ei non possit adjici, nec vlla moles tam vasta quin ei aliqua moles adjici possit, vnde sequitur, possibilia numero esse infinita, aut mole: nempe Deus hunc mundum condidit, & alium potuit condidisse, & rursus alium, &c. & corpus hac mole præditum creauit, nempe hoc vniuersum, & potuit aliud corpus multò ampliùs creasse. Itaque falsum est quod ille sumit, nempe si Deus possibilia tantum potest potentiam Dei esse finitam: nempe in infinitis quæ Deus potest impossi-

Possibilia sunt infinita.

Itaque potentia Dei est infinita.

impoſſibilia comprehendi non poſſunt. Itaque Deus poterit infinita, neque tamen poterit efficere quod eſt impoſſibile, quicquid enim poteſt poſſibile eſt.

7. Vltimum eius argumentum hoc eſt. *Nuſquam Scriptura docet Deum eſſe infinitum, prædicat quidem Scriptura Dei magnitudinem; at non aſſerit Scriptura eum eſſe infinitum.* Hoc argumentum nihil eſt, nam pari ratione dixerim Deum ne finitum quidem eſſe, quia Scriptura nunquam dixit Deum finitum. At (inquis) nihil opus fuit vt Scriptura doceret Deum eſſe finitum, cum rei natura id ſatis indicet. Sed nos idem reponimus, nihil opus fuiſſe vt Scriptura prædicaret Deum infinitum, cum Dei natura vt ſit finitus pati non poſſit. Quamquàm falſum eſt quod ſumit. Nam Scriptura docet Deum eſſe infinitum, non modò enim ea Deo tribuit quæ in nullum poſſunt cadere qui naturæ conditione finitus ſit, verùm etiam diſertis verbis celebrat infinitudinem naturæ diuinæ. Nam Pſal. 145. v. 3. Deus ita dicitur magnus vt eius magnitudo inueſtigari nequeat, iam verò quod eiuſmodi eſt vt à nulla mente poſſit percipi id infinitum eſſe neceſſe eſt. Quod ipſe videtur agnouiſſe, negat enim fore vt non perſpiciatur diuina eſſentia. Multo verò clarius id aſſeritur Pſal. 147. verſ. 5. quo loco dicitur Dominus רב כח *multus robore*, & continuo ſubiungitur, *intelligentiæ eius non eſt numerus:* iam verò notiſſimum eſt idipſum poſteriori quod priori membro indicari, non enim alio ſenſu dicitur *magnus robore* quàm quo ſenſu eius intelligentia dicitur numero carere, id eſt, eſſe infinita. Quod ſi reſpondeat id dici hyperbolicè, vt de blaſphemia nihil dicamus, principium petit: deinde etiam concedit quod nuper negauit, nempe Scripturam infinitudinem Deo tribuere, ſic profligata ſunt eius argumenta.

Reſp. 1. 2.

Scripturæ loca quibus Deus infinitus eſſe prædicatur.

Cur Deus in cœlis eſſe dicatur 1.

Sequitur iam quærendum, *Cur Deus dicatur eſſe in cœlis, cum ſit vbique.* Id verò fit multis de cauſis. Primo quidem ob eas quæ ſupra à nobis explicatæ ſunt, cum doceremus cur orantes in cœlum tollant oculos. Deinde etiam quia ſupra cœlos omnia quieta ſunt, in cœlis aſpectabilibus, atque infra cœlos qui incurrunt in ſenſum omnia motui ſunt obnoxia: nam & cœli aſpectabiles continuo circumaguntur, & infra Lunam omnia ſubinde depereunt & augeſcunt. Cum igitur natura diuina quieta ſit, & quamquam agat, minimè tamen agatur hinc fit vt mens humana, dum de illa cogitat, ſeſe efferat ſupra omnia illa quæ agitantur, quocunque demum agitentur motu. Deinde, ſupra cœlum nihil poteſt cogitare mens niſi quod non continetur in vniuerſo, quemadmodum igitur dum cogitat de æternitate Dei egreditur extra limites temporum, & Deum cogitat qui fuit πρὸ τῶν αἰώνων, ſic etiam dum Deum vult eximere è numero rerum conditarum, tranſgreditur terminos creaturæ, & eo conſcendit vbi nulla creatura eſt, vtque adeo vt neget Deum contineri cœlis cœlorum. Quartò, nulla eſt in cœlis peccati labes, in terra autem omnia plena ſunt peccato, itaque dum cogitamus Dei ſanctitatem eo ſe mens ſubuehit vbi peccato nullus eſt locus. Iam quod conſequens eſt, vbi miſeria eſt, ærumnæ, calamitas, perturbatio, non cernitur plenè gloria Dei, itaque dum vult mens occupari in contemplatione gloriæ diuinæ, ſubducit ſe à conſpectu rerum humanarum quæ plenæ ſunt miſeria, vnde etiam & cœli ſunt ſedes Angelorum, vbi & ſpiritibus beatis certa requies datur, illic enim neque peccato, neque quæ peccatum ſequitur morti vllus eſt locus. Denique, Deus tum demum pro modulo ingenij noſtri à nobis capitur dum cogitatur à nobis prout eſt inuiſibilis, talis autem commodè cogitari non poteſt, niſi auertamus oculos non corporis modò, ſed etiam animi à rebus ſenſilibus, id verò nunquam tam facilè fit quàm dum eluctamur & emetimur, & ſuperamus omnia iſta viſibilia. Itaque Dominus Ieſus corpus ſuum intulit cœlo, non modò vt eſſet arrhabo ſalutis noſtræ & futuræ gloriæ, verùm etiam vt nos eum eò animi affectu ſequeremur, vnde fit vt conuerſatio noſtra in cœlis ſit. Quod ſi olim, vt modò à nobis explicatum eſt, Deus voluit adorari vbi fuit Arca, id factum eſt ideò vt extaret typus conuerſationis Christi in terris, voluit enim Deus expectari Meſſiam in terra ante priorem Meſſiæ aduentum, eundem nunc vult non de terra, ſed de cœlo quidem, attamen non amplius deſcenſurum in terram, expectari. Hinc eſt quod Dominus iuſſit nos Patrem noſtrum orare qui eſt in cœlis, nempe vt non modò habeamus ob oculos robur & potentiam Dei (quæ hac locutione ſignificantur) verùm etiam vt inter orandum cogitationes noſtræ non alligantur rebus aſpectabilibus, nihil vt opus ſit imaginibus & ſimulachris, Colligamus igitur ex Chriſti verbis Chriſti mentem. Ne quiſpiam contemptos iſtos vulgo qui in me credunt audeat contemnere, tam enim Deo chari ſunt vt eorum cuſtodiæ præfecerit Angelos apparitores ſuos, & miniſtros, qui ad eius nutum præſto ſunt.

Cauſa. 2. 3. 4. 5.

DE ANGELIS PLENIOR diſputatio.

Itaque diſputandum erit nobis de cuſtodia Angelorum, quæ in diſputatione vt res pleniùs intelligatur, quærendum nobis erit, primò, an ſint Angeli; ſecundò, quæ ſit Angelorum natura; tertiò, quæ proprietates; quartò, ſint ne Angelorum ordines; quintò, quod ſit Angelorum miniſterium. Eſſe autem Angelos vel hinc liquet, quod ſunt in rerum natura quædam quæ nullis poſſint adſcribi cauſis Phyſicis, vnde ne eſſe eſt Spiritus eſſe vnde illa proficiſcantur: tum etiam videtur ipſe ordo vniuerſi id requirere vt ſint Angeli, nempe certu eſt naturam eſſe corpoream, & certum item eſt mediam eſſe naturam, quæ nempe partim corporea partim incorporea ſit, conſequens igitur eſt vt ſit natura quemadmodum merè corporea ſic etiam merè incorporea. Scriptura verò non probat eſſe Angelos, quemadmodum neque probat animum eſſe immortalem, ſed hoc ſumit. Quod vero non meminit creationis Angelorum, (hoc eſt, non deſignarit tempus quo creati ſint tum cum deſcriberetur hiſtoria creationis mundi) hoc pari de cauſa factum eſt, ac in hiſtoriis regnorum non ſit ſemper mentio accurata originis vicini regni. Nam in Scriptura deſcribitur Eccleſiæ hiſtoria, itaque Angelorum hactenus Scriptura meminit, quatenus id pertinet ad hiſtoriam Eccleſiæ, attamen eadem Scriptura ſatis apertè docet Angelos eſſe, & quidem creatos eſſe.

Eſſe Angelos probatur.

Cur Scriptura non meminerit creationis Angelorū.

Natura verò Angelorum incorporea eſt, quod vel hinc liquet, quod eorum effecta eiuſmodi ſunt, vt à corporea natura proficiſci nequeant, ſunt

Natura Angelorum eſt.

Incorporea probatur 1. enim planè eiusmodi qualia sunt animæ, quam nemo sanus corpoream dixerit, sequeretur enim corpus esse in corpore, deinde animam præditam esse magnitudine, proindéque figura, vnde superesset quærendum qua tandem figura, an triangulari, an quadrangulari, &c. Et certè qui Angelos corporeos statuerunt, in quibus fuerunt plerique Patres, & nostro sæculo quidam doctissimi viri, adducti sunt hac ratione, quod non possent percipere rationem motus Angelorum, nisi Angelis corpora tribuerentur: quæ ratio efficeret vt anima etiam esset corporea, nam post mortem vel in cœlum subvehitur, vel in inferos detruditur, itaque animam locum mutare necesse est. Sed Scriptura nobis hîc satisfacit, vocat enim Angelos πνεύματα *spiritus*, voce quidem Metaphoricâ quæ tamen rebus corporeis vulgò non tribui solet. 2. Iam quodnam tandem corpus tribuemus Angelis? an ex elementis conflatum? at eiusmodi corpora caduca sunt & mutationi obnoxia: an quintum elementum? at eius elementi figura circularis est, & in circulo mouetur. Porrò nullum aliud esse corporis genus vel ipsa Scriptura agnoscit, nam quod corpora nostra post resurrectionem nanciscantur immortalitatem, id non efficit vt non fuerint elementaris naturæ, quoad substantiam. Nam quod aiunt cœlum quoddam esse Empyrium, è cuius substantia corpora illa Angelica composita sint, videntur indulgere ingenio, quod est enim cœlum illud Empirium? num beatorum sedes? certè illi loco non videtur hoc nomen quadrare: attamen si de re ipsa non constat, de nomine ne simus solliciti. At de re ipsa non constat, sedes enim beatorum non est 3. materia, non est substantia: Adde quod cum de Angelis sermo est, non est satis tutum ea tradere quæ Scriptura non tradit. Nam Philosophi certè (in quibus est & Aristoteles) qui Intelligentias constituunt, tantum abest vt illis corpora affingant, vt contrà negent conuenire posse Intelligentiis corpoream naturam, quin volunt eas esse ἀμεγέθεις & ἀμιγεῖς. 4. *corpus non est angelis necessarium.* Deinde, quorsum attinet corpora Angelis tribuisse? Num ob necessitatem? vt animæ, quæ est corporis organici perfectio, corpus necessarium est, non est enim forma separata, id est, propriè forma est, itaque materiam requirit, vsque adeò vt anima humana à corpore seiuncta σχέσιν tamen & inclinationem retineat suam, quam corporis resurrectio consequitur: Itaque nec Scholastici quidem beatitudinem animæ volunt esse perfectam ante diem resurrectionis, quo die dimidio suo anima reddenda est. Aut, putant-ne Angelis corporis vsum necessarium esse, nempe oculorum vt lumen & colores adspiciant, narium vt olfaciant, &c? aut quis demum erit vsus huius Angelici corporis? Nunquid pertinet ad ornatum Angelorum? At si ita se res habet, necesse est (quod illi nolunt) Angelis corpora tribuere distincta membris, & splendida, splendor enim & distinctio congruæ pulchritudinem facit: At illi hoc negant, adscribunt enim illis corpora vsque adeò tenuia, vt omnem subterfugiant sensum, quod coacti sunt fateri, cum Angeli præsentes sæpe sint in terra, neque videantur tamen, immò nunquam videntur nisi corporibus assumptis. Corpus verò corpus non assumit, sed quod est natura ἀόρατον, id vt testetur præsentiam suam corpus veluti argumentum sui assumit. Itaque Scriptura capite 1. ad Colossʃ. Angelos simpliciter vocat ἀόρατα inuisibiles, eosque numerat inter Dei opera inuisibilia. 5. Denique si Angeli corporei essent, videri posset nullam creaturam incorpoream à Deo condi posse: Iam verò etiam si Deus non omnia fecit quæ potuit efficere (cum eius potentia non possit exhauriri) attamen exhibuit specimen potentiæ suæ in creatione mundi, itaque & mera corpora creauit, & substantiam partim corpoream, partim incorpoream, vnde sequitur & merè incorpoream substantiam à Deo conditam esse.

Cæterùm cum dicitur Angelorum natura incorporea, non explicatur θετικῶς *positiuè* quæ sit eorum natura, sed non est quod quis hoc miretur, cum animus humanus constitutus in corpore ad intelligendum opus habeat phantasmate: itaque potest quidem percipere quid res non sit cum incorporea est, at quid sit non potest percipere, si ab omni materia penitus seiuncta est. Itaque hactenus ne se ipsam quidem capit, quò diligentius nobis cauendum est, ne in hoc genere phantasiæ obsequamur, quæ nullam substantiam expertem molis, ne Deum quidem ipsum, imaginari potest. *Anima non est instar puncti.* Cùm igitur animam dicimus esse corporeæ molis expertem, caueamus sedulò ne animam fingamus instar puncti, inde enim eadem consequentur absurda quæ eam sententiam sequuntur quæ Angelos facit esse præditos magnitudine. Nam punctum est extremum lineæ, itaque vbi linea non est punctum nullum est: Et animaduertendum est multa dici in speciem affirmatiuè, vt negetur tamen aliquid quod corporeum est, aut quod conuenit rebus quas humanus animus potest affirmatiuè percipere: vt verbi gratia, cum æternitas dicitur esse tota simul, *simul* eo loco etsi speciem habet vocis positiuæ, reuera tamen negatiuum est, negat enim (specie affirmationis) prius & posterius siue successionem, quæ locum habere non possunt nisi vbi est terminus aliquis, quemadmodum in loco, *ante*, *post*, *sursum*, & *deorsum*. *Anima tota in toto.* Pari ratione anima dicitur esse in toto tota, & in qualibet parte totius: tantum vt hac locutione excludatur animæ παράστασις *assistentia* quam vocant (quæ non conuenit animæ cum sit forma) & diuisio quantitatis & molis, quæ non conuenit animæ cum non sit materia: Et in hoc argumento vice versa quum Angeli dicuntur incorporei, non hoc dicitur eo animo vt simpliciter aliquid de Angelis negetur, sed vt hac negationis formula exprimatur indirectè, quæ aliter exprimi nobis mortalibus non potest, Angelorum essentia.

Angelorum proprietates. Sequitur vt agamus de proprietatibus Angelorum. Teneamus autem hoc loco, dandam esse sedulò operam ne quid, propter incommoda quæ nobis inde sequi videbuntur, negemus vel affirmemus; item vt euitemus absurdum: Vtrumque enim temerè fit, sed rei ipsius naturam & rationem sequamur. Prima proprietas & maximè communis Angelorum hæc est, *quod sunt in loco.* *1. Esse in loco.* Id verò Scriptura testatur passim, quæ Angelos docet nunc esse in cœlo, nunc in terra, & in terra quidem nunc hîc, nunc illic, prout poscit ministerij Angelorum ratio. At hoc absurdum videtur, cum enim Angelorum natura planè sit incorporea, quomodo in loco esse possunt? Etenim quod est in loco à loco definiri necesse est, si verò non definitur loco

loco etiam erit extra locum;definiri autem loco Angelus non poteſt, cùm ſit incorporeus. Itaque Scholaſtici, vt hos eximerent ſcrupulos, pro ingenij acumine multa commenti ſunt. Nam fuit nonnullorum ſententia, Angelum in loco eſſe vt punctum: Sed hæc ſententia exploſa eſt, non eſt enim punctum in loco, ne linea quidem, ne ſuperficies quidem, ſed corpus in loco eſt, cuius extremum eſt ſuperficies, quemadmodum extremũ lineæ punctum eſt: abſit verò à nobis vt Angelos imaginemur puncta. Ea verò ſentẽtia quæ vulgò obtinuit, hæc eſt, Angelum in loco eſſe per contactum, non quidem corporeum, ſed eum quem vocãt virtutis applicationem. Sed nec illa ſententia poteſt ſtare: nam prius aliquid eſt natura quàm operetur, & nihil in loco cogitari poteſt operari, niſi cogitetur prius eſſe vbi operatur, aut certè alicubi eſſe. Deinde non ſemper operantur Angeli vbi ſunt, per applicationem, inquam, virtutis, quod vel in Dæmoniacis videre eſt, qui non ſemper agitantur. Itaque alij dixerunt Angelum eſſe vbique, dixerunt enim Angeli *eſſe in loco* nihil aliud eſſe quàm habitudinem Angeli ad res, ibi Angelũ igitur eſſe vbi operari poteſt, etiamſi non operetur, ſeu ſimul hoc poſſit, ſeu ſucceſsiuè. Sed nec ſic ratio præſentiæ Angeli oſtenditur, nam prius eſt *eſſe alicubi* quàm *poſſe alicubi operari*: quemadmodum enim *eſſe* præcedit *operari*, ſic poſſe *alicubi eſſe* præcedit *poſſe alicubi operari*. Quid igitur dicemus? affirmemus ſanè Angelum eſſe in loco, ſed non eo modo quo ſunt corpora, quemadmodum Angelos dicimus eſſe, cùm negemus tamen eſſe corpora. Non autem ſunt in loco vt corpora, primò, quia nulla mole præditi nullum complent locum; Deinde etiam, nullis extremis (quæ non habent) poſſunt exæquari loco: Denique, quia ad ſui conſeruationem loco non indigent. Attamen (quod ſæpè monuimus) caueamus hîc definire modum & rationem præſentiæ Angelorum, quam nonniſi per negationem poſſumus comprehendere.

Angeli nõ ſunt in loco inſtar puncti,

neque per virtutis applicationem.

neque Angeli ſunt vbique.

ſed in loco,

at non vt corpora.

Iam diſquirendum, *poſsit-ne eſſe Angelus ſimul in pluribus locis, aut plures Angeli eodem ſimul in loco*, non eſt enim inutilis hæc quæſtio. Et ſunt qui ideò negent abſurdum eſſe vnum & eundem Angelum eſſe ſimul in locis diſsitis, quod motores orbium cœleſtium neceſſe ſit eſſe in eodem orbe ſingulos, eoſdemque totos in diſsitiſſimis orbis partibus, perinde ac anima tota dicitur eſſe in toto corpore, & tota in ſingulis partibus corporis. Sed hæc ratio nulla eſt, nam vt illud taceamus, nondum eſſe definitum orbesne cæleſtes circumagantur ab Angelis, an potius vi formę qua præditi ſunt, Angeli illi motores ſic ſtatuentur orbium cæleſtium formæ, non autem ſunt formæ orbium cæleſtium ex eorum ſententia, ſed aſsiſtentes tantum. Itaque ſi qui ſunt eiuſmodi Angeli motores, eos neceſſe eſt in vna duntaxat eſſe orbis parte, non enim ſtatui poſſunt toti eſſe in toto orbe, niſi dicantur eſſe formæ orbis. Itaque non ex eo quod Angeli mouent orbes cæleſtes concludi poteſt vnum & eundem Angelum poſſe eſſe in pluribus locis. Quod pugnat etiam cum vnitate Angelorum: Sequeretur enim Angelum diſtare à ſemetipſo: deinde etiam, ſi poteſt ſimul in pluribus locis eſſe, & omnibus in locis poterit eſſe ſimul, nam ſi in duobus, cur non & in tribus, & quatuor atque ita in infinitum? Certè quod prohibet quominus natura Angelica omnibus locis adſit, eſt naturæ ipſius circumſcriptio & finitudo, quæ prohibet vt ne ſit alio loco quam vbi eſt, ſiue in vno *vbi*. Denique ſequeretur Angelum eodem tempore poſſe moueri & quieſcere, nempe hîc mouebitur, illic quieſcet, cùm poſsit eſſe in pluribus locis, quæ ſunt abſurdiſſima. Ex huius vnius abſurdi conſideratione & reliqua quæ ſequuntur abſurda colligi poſſunt, ſunt enim infinita. Nec obſtat quod Angelus pluribus ſimul locis poteſt operari, agit enim in corpora quæ vel contigua ſunt, cùm ſunt plura, ita vt vno impulſu aliud impelli poſsit, vel continua ſunt, cùm corpus vnum eſt, vt vna parte motâ, altera poſſit moueri. Quod ſi (vt doctiores Scholaſtici ingenuè fatentur) vnus ſpiritus non poteſt eſſe in duobus locis diſſitis, multominus corpus. Cęterùm Scriptura hanc quæſtionem definit, nam mitti Angelos docet, & docet proficiſci, & venire; fruſtrà ſi Angelus vno eodemque tempore diſtantiſsimis locis eſſe poteſt. Nam hic motus arguit imperfectionem quandam naturæ Angelicæ, ſi ſcil. comparetur cum Deo, qui non mouetur ipſe cum moueat omnia, prout poſcit rei motæ & naturæ diuinæ ratio.

An Angeli poſſint eſſe ſimul in pluribus locis. Ratio pro affirmatione.

Ref.

contrariæ rationes pro negatione.

1.

2.

3.

4.

Negant etiam vulgo plures Angelos vno eodemque loco poſſe conſiſtere. Rationem negationis afferunt, quod non poſſunt plures Angeli in eodem loco operari. Neque verentur quod poteſt objici, multos poſſe vnam eandemque molẽ loco mouere, aiũt enim id ideo euenire, quod ſingulorum (qui moliuntur pondus id quicquid ſit) motus ſit partialis, at vt vnus abſolutè moueat & completè, & plures, id verò pugnantiſsimum eſſe. Sed ij ſunt qui negant Angelum aliter in loco eſſe quàm per operationem, quod nos ſuprà refellere ſtatuimus: quemadmodum enim rei *eſſe* præcedit eius *operari*, ſic *eſſe alicubi* pręcedit eius *operari alicubi*. Deinde etiam ſumunt aliquid, nempe; dum plures Angeli operantur ſingulos efficere quod ab omnibus factum eſt, quod pugnat cum Scriptura diſertis verbis, quæ & pios docet à pluribus cuſtodiri Angelis, & à pluribus obſideri Diabolis. Immò in Euangelio eſt qui infeſſus fuit tanta multitudine Diabolorum, vt eorum princeps ſe *Legionem* profiteretur. Certè ſi Angeli non ſunt corporei poſſunt eſſe vno eodemq; loco plures, quod enim facit vt duo entia non poſſunt eſſe ſimul, nil eſt aliud quàm quod corpus excludit loco corpus mole & quantitate ſua, at vbi nulla moles eſt, nulla dimenſio, cauſa dici non poteſt cur in vno eodemque loco eſſe nequeant: vnde ſequitur eos imprudentiſsimè negaſſe Angelos eſſe incorporeos, qui docent tamen fieri poſſe vt duo Angeli eodem loco ſint: hoc eſt enim negare Angelum eſſe corporeum, à quo illi abhorrent, vel fateri dari poſſe penetrationem dimenſionum. Sic explicata eſt quæſtio de præſentia Angelorum.

An plures Angeli ſimul eſſe poſſint eodem in loco. Ratio pro Negatiua.

Ref.

1.

2.

rationes contrariæ pro Affirmatiua.

Sequitur vt diſputemus de Angelorum motu, quæ quæſtio ſequitur prioris quæſtionis definitionem, eandem enim ratione percipitur motus Angeli è loco, qua percipitur eius in loco quies, aut (vt ſignificantius dicam) eius præſentia. Quid enim vetat Angelum eſſe vbi non operatur, ad extra, inquam? Jam verò non eſt Angelus in loco modo corporeo, ſed conuenienti naturæ Angelicæ: non eſt in loco per operationem,

Angeli mouentur loco.

itaque nec mouebitur per operationem quam prodit in medio per quod mouetur. At mouebitur tamen, nam quod alibi fuit, & nunc est hîc, illud necessariò destituit locum vbi fuit, vt hîc esse inciperet, quod sine motu fieri non potest. Quidquid enim in eodem statu permanet, illud non mouetur; itaque quod non permanet in eodem statu id moueri necesse est: non autem permanet in eodem statu quod nunc hîc, nunc illic est, moueri igitur necesse est. Mouebitur tamen pro naturæ suæ ratione: si corpus est, emetiendo omnes medij partes, si spiritus, cùm non habeat mensuram corpoream, non mouebitur eo pacto: quomodo igitur mouebitur? erit nunc hîc, nunc illic, quomodo est in loco, & pro ratione motus; nempe si moueatur motu continuo non interrupto, aut si moueatur motu qui discretus dici potest & interruptus: in summa pro motus ratione nunc hîc erit, nunc illic, attamen nunquam metietur medium per quod mouetur. Unde oritur quæstio, *Moueatur ne Angelus in instanti?* Certè Aristoteles demonstrauit motum (si vllus dari posset in vacuo) peractum iri in instanti, substantiæ autem incorporeæ (qualis Angelus est) medium perinde se habet ac vacuum, non enim obstat: corpus enim corpori viam intercludit, spiritu non potest intercludere. Itaque videtur Angelus moueri in instanti. At hoc nō est moueri, omnis enim motus est inter duos terminos, præsertim motus in linea recta, qui terminos habet fixos, & constitutos. Itaque cum nulla posit esse conjunctio earum rerum quæ indiuisibiles sunt (junguntur enim quæ extrema habent, non quæ non habent extrema) fieri non potest vt in duobus instantibus se proximè sequētibus Angelus hîc sit & illic, nempe in priori instanti hîc, in posteriori illic: multò minus in eodem instanti hîc & illic, quod non aliud esset quàm simul esse hîc, & simul illic.

Quomodo mouentur.

An in instanti.

Negatur.

Quid igitur respondebimus Aristot. neganti vacuum hac ratione potissimum, quod si detur motus daretur in instanti, quæ res (vt loquūtur) contradictionem implicat, nam si est in instanti non est motus, non erit enim indiuisibilis, & si motus est, non erit in instanti, erit enim diuisibilis? Respond. Aristotelem eo loco agere de motu leuium & grauium qui pro medij ratione tardior aut velocior est, nempe vbi medium obstat minus velocior est, vbi magis tardior. Itaque vbi per medium nulla mora est, nulla item ratio tarditatis aut velocitatis poterit deprehendi: sicuti enim vbi per medium minima mora est, maxima erit velocitas, sic, cùm nulla erit per medium mora, non iam erit velocitas, quæ gradus habet suos, sed erit motus qui non est motus, nam nulla est planè proportio. Sed hæc ratio non valet cùm agitur de iis quæ non impediuntur à medio dum mouentur, sed ab ipso situ terminorum motus *à quo* & *ad quem*: sic primus orbis, dum mouetur secundùm partes, impeditur situ, non autem medio (si tamen hoc dicendum sit impedimentum) nempe ea pars orbis quæ est in Oriente non potest esse eodem tempore in Occidente, quamuis non impediatur à medio, nisi fortè partes orbis interjectas medij locum obtinere dicamus: sed etiam si (quod non potest fieri) fingantur abesse, attamen non potest animo concipi quomodo in eodem instanti quod est in Oriente sit in Occidente. Sed neque id tribui poterit voluntario motui Intelligentiæ motricis, quam constituunt in orbibus, res enim est eiusmodi vt contradictionem implicet: Itaque etiem si id vellet motrix intelligentia, & esset adeò virtutis infinitæ, non posset facere tamen vt aliquid sit hîc & illic, & moueatur hinc & illinc in instanti. Quid ergo statuemus? sanè Angeli, quo minus moueantur in instanti, non prohibentur vllo obstaculo quod sit à medio, sed à situ terminorum motus, non possunt enim dari extrema sine medio, nec ab extremo ad extremum perueniri potest nisi per medium.

Obj. ex Aristot.

Soluitur.

vnde fit vt Angeli nō moueātur in instanti.

Sequitur quæstionem de motu Angelorum disputatio de Angelorum cognitione, nam quādo sunt Dei ministri, & ob id loco se mouent, sanè præditi sint cognitione necesse est, non enim mouentur bruto motu & naturali, vt bruta & elementa. Disputant igitur de ratione intellectus Angelici tum ex parte *subjecti*, tum ex parte *objecti*, id est, *quomodo* Angelus intelligat, & *quid* intelligat. Et sunt qui putent Angelos intelligere per essentiam, neque componere, nec diuidere (id est affirmare aut negare) neque colligere. Aiunt enim non decere formam separatam vt per species intelligat, quod est vix animæ humanæ, quando disputatur intelligat-ne per speciem, an verò non. Tum, *componere* & *diuidere* & *argumentari* dicunt pertinere ad imbecillitatem mentis humanæ constitutæ in corpore. At illud *intelligere per essentiam* (vt hoc moneamus ante omnia) dicitur ambiguè, nam vel potest hac locutione significari Angelum intuendo suam essentiam intelligere, vel intellectionem Angeli nihil aliud esse quàm quod est Angelus ipse. Cęterum ista enunciatio neutro modo vera est, nam vtrumque horum Dei proprium est, nempe vt in seipso videat omnia, atque ita vt illa cognitio non sit aliquid reapse superadditum essentiæ Diuinæ, quando Deus non est compositus. Angeli autem non habent in se rerum omnium perfectiones tanquā in causa; neque item quis dixerit cognitionem Angeli Angelum esse. Itaque non dicetur Angelus intelligere per essentiam, seu particula PER significet medium *quo*, seu etiam medium *syllogisticum*. Deinde, si intelligerent per essentiam, quando intelligunt quod antea non intellexerūt, sequeretur mutatio in essentia, at hoc est absurdissimum. Tum etiam & illud accedit, quod capi non potest quomodo Angelus intelligat per essentiam, cùm res ipsæ non sint in intelligente: Etenim quantum possumus assequi, intellectus cùm est in actu mutatur de potentia in actum, non potest autem mutari à re constituta extra se nisi aliud quid intercedat, nam intellectus est & res sunt, attamen intellectus eas non percipit continuò.

Tertia Angelorum proprietas cognitio seu intellectus

An intelligāt Angeli per suam essentiam.

Negatur.

1°

2.

3.

Itaque huc deuenerunt nonnulli, vt dicerent Angelum quædam intelligere per essentiā quædam per species; nempe (inquiunt) Deum intelligunt per essentiam, & seipsos. Et ne nos miremur istud, afferunt exemplum, & dicunt lucem quæ est in oculo videri non per speciem. Mirum ni dicant oculum humorem chrystallinum videre, nam certè propriè species non videtur, sed res per speciem: visio enim nihil aliud est quàm impressio speciei in oculo qui verè oculus est. Itaque rectè dixerunt fore vt speculum videret si animatum esset, & lux quā cernit oculus (quod ipsa testatur experientia) non est splendor humoris

An quædā per essentiam, quædam per species.

Negatur.

moris chryſtallini, ſed ſpecies illius lucis quæ eſt in aëre, itaq; hoc exemplo nihil promouetur. Immò verò dum anima ſeipſam intelligit, fit ſibi ipſi veluti ſpeculum, & hoc facit *arguitiuè*, potiùs quàm *intuitiuè*, hoc eſt, ex operationibus ſuis, non ex immediato intuitu efformat, vt poteſt, ideam ſui. Dei verò eſſentiam etiam Angelis ipſis eſſe inuiſibilem ſupra demonſtrauimus, ſpeciem autem Dei qui ſapiunt nullam fingunt, nam ſpeciem non habet Deus, eſt enim infinitus, & quod eiuſmodi eſt imaginem non habet, præter eam quæ eſt (qualis eſſe poteſt) imago cauſæ in effecto. Hic autem effectum, quando infinitis partibus ſubſidet infra magnitudinem cauſæ, non poteſt ita cauſam referre, vt filius patrem: Itaq; ne ab Angelis quidem comprehenditur Deus aliter, quam ſi ſtatuant Deum non poſſe comprehendi, vt illorum *ſcire Dei eſſentiam* ſit *ſcire eſſe incomprehenſibilem*.

non vident Angeli ipſam Dei eſſentiam.

Mirum autem eſt eos negare Angelos componere & diuidere, id eſt, affirmare & negare, qui non detrahunt Angelis electionem & liberum arbitrium, & cognitionem quam dicunt *veſpertinam*: quæ conſideratio etiam affirmat Angelos colligere & argumentari, nam ex creatura colligunt eſſe Creatorem. Sed quærunt hoc loco, *vnde ſint hæ ſpecies quarum interuentu Angeli intelligunt?* Et ſunt qui affirment fuiſſe ſtatim inditas à Deo ab initio, ſed eos qui hæc aſſerunt neceſſe eſt pariter aſſerere Angelum nihil intelligere iá, quod non intellexerit ab initio, & res notas fuiſſe Angelis priuſquàm eſſent: Immò verò, ſi ſibi volunt conſtare, neceſſe eſt Angelos ſemper intelligere, ſiquidem intellectio nihil aliud eſt quàm receptio ſpeciei, nam quod nos non ſemper intelligimus non prouenit aliunde niſi quia ſpecies rei non ſemper eſt in intellectu. Deinde quandoquidem Angeli intelligunt per ſpecies, quid prohibet quominus in iis quæ naturaliter Angelus intelligit, ſpecies impreſſa ſit à reipſa intellecta, non quidem immediatè, ſed tamen interuentu alicuius facultatis in Angelo, quam nos perinde ignoramus ac qui natura cæci ſunt non poſſunt deprehendere quomodo quis lucem videat, neque quid ſit lux. Sanè cùm mittuntur in Scriptura, deſignantur illis perſonæ & locus ad quem mittuntur.

Angeli componunt, diuidunt & colligunt.

per ſpecies intelligunt nō inditas in creatione.

ſed à rebus intellectis emanantes.

Sequitur iam vt diſputemus quænam intelligantur ab Angelis, ſiue de cognitione eorum ex parte objecti. Cognoſcunt autem Angeli vel cognitione naturali quę illis veluti ante oculos ponuntur, vel etiam cognitione ſupernaturali ea quæ reuelantur, & per reuelationem objiciuntur illorum intellectui, qui res objectas percipit ea ratione quæ ſupra explicata eſt. Ea autem ponuntur ante Angelorum oculos naturaliter quęcunque incurrunt in ſenſum humanum, & per ſenſus in intellectum: Etenim fieri nequit vt anima humana plura percipiat quàm mentes illæ puræ & ſejunctæ ab omni materia, non modò quod ad eorum attinet eſſentiam, (nam & anima humana hac conditione eſt) verùm etiam ob id quod non ſunt formæ junctæ materiæ, vt anima humana, quæ nihil percipit (ideò quia forma eſt hominis compoſiti ex materia corporea & anima) niſi ex ſenſuum ſaltem ſubſidio.

Quid Angeli intelligant.

Neq; hic fingamus animo phantaſmata quædam rerum in Angelica illa natura, (ſi phantaſma imaginem ſignificat à rebus per ſenſus impreſſam) neque enim ſenſibus præditos Angelos fingere decet, qui cognoſcendi modus cùm corporeus ſit non poteſt tribui mentibus incorporeis, ſed tamen illis aliquid analogum affingere neceſſe eſt; ἀνάλογον autem euentu & effectu, non autem ratione medij, id eſt, Angeli habent vnde cognoſcant res ſenſiles, attamen id quo Angeli res ſenſiles cognoſcunt non eſt inſtrumentum corporeum. Quod ſi ratio illius facultatis nos ita fugit vt eam aliter non poſsimus exprimere quàm negando, id eſt, detrahendo Angelis modum cognoſcendi res corporeas & incurrentes in ſenſum, qui rebus corpore præditis tantum conuenit, quæ ratio tutiſsima eſt, ne nos id conturbet aut mirum videatur. Nam, vt ſupra obiter attigimus, etiam ignorant qui ſenſu aliquo deſtituti ſunt ab vtero, (vt vtar phraſi Scripturæ) ea quę ſenſu illo percipiuntur, nec poſſunt percipere rationem quâ quis deprehendere poſsit quod ipſi non deprehendunt; & decet conditionem mentis humanæ meminiſſe ſe non eſſe Angelicam, ſed humanam mentem, proindeque nec ſe facere μέτρον & canonem cœleſtium illarum mentium. Itaque quæcunque poteſt cognoſcere homo, & ea poteſt Angelus cognoſcere, non tamen eodem inſtrumento, at facultate tamen eadem cognoſcit Angelus, quæ tanto nobilior eſt quanto minus inſtrumento opus habet.

Angeli nō cognoſcũt per phantaſma.

ſed per aliquid illis analogum.

quod definiri non poteſt,

neque capi.

Iam verò ſatis ſcimus quæ ſint illa quæ homo naturaliter poteſt cognoſcere: nempe quarum rerum vel argumenta ſimpliciter, vel etiam cauſas poteſt deprehendere, quæ cauſæ argumenta quidem ſunt, ſed non ſimpliciter argumenta. Etenim *argumenta ſimpliciter* vel gignunt opinionem duntaxat, vel aliquid amplius, attamen quia non oſtendunt rei cauſam non ſiſtunt animi motum, qui non acquieſcit niſi in cognitione cauſæ naturæ. Sed quoniam Angelorum ingenium noſtro multò acutius eſt, ideò in hoc genere nobis immane quantum antecellunt. Ergo in natura ſciunt quid poſsit agere, quid item pati poſsit, quod etiam mortalium acutiſsimos ſubterfugit. Sed ſi boni ſunt, hac in parte non errant, non enim ex eo quod quid poſsit agere aut pati concludunt fore vt ſequatur actio & paſſio: Mali verò hîc errant, & hominibus miſeris illudunt, etiam tum cùm ſibi non videntur illudere, ratio in promptu eſt, pendet enim omnis vis agendi in natura à Deo: itaque ſi quando Deo libet, eam ſiſtit: vt, verbi gratiâ, ſi ignis applicetur materiæ quæ poteſt admittere vim ignis, conſequens videtur vt illa materia caleat primum, tum concipiat flammã, attamen quia Deus author naturæ & moderator intercedit, id verò non fit, vt in illa fornace in quam conjecti fuerunt ſocij Danielis. Deinde (vt de iis quæ mente percipi poſſunt taceamus, ſcilicet de rerum omnium eſſentia quam Deus non condidit fruſtrà, fruſtrà autem videbitur condidiſſe ſi ſupremas mentes eam atque eius rationem celaſſet) omnia illa intelligunt Angeli quæ Deus illis reuelat. Ea autem duum ſunt generum, vel enim Angelis reuelat conſilium ſuum, itaque mittuntur & dantur illis mandata; fruſtrà, ſi illis natura cognita eſſent Dei conſilia. Et cogitationes hominum Deus iis reuelat, vt cùm Daniel cap. 10. reuelationis ſuæ oraſſet Deum, miſſus eſt Angelus, nempe qui nouerat Danielem oraſſe Deum ex animo, ne quis id factum putet quod deprehendiſſet mo-

quæcunq; homines naturaliter intelligere poſſunt,

ea omnia capiunt Angeli.

etiam rerū eſſentiam norunt,

tum ea quæ Deus reuelat.

tum labiorum Danielis. Quorum vtrumque Deus immediatè non *arguitiuè* (vt loquuntur) seu *argumentatiuè*, sed *intuitiuè* nouit, id est, nouit tanquam immediatè videns, quæ Dei proprietas est in Scriptura. Etenim ipse semetipsum, & consilia sua nouit solus, plusquàm reuelauit mentem suam.

non sunt tamen καρδιογνῶσται.

Humani autem cordis solus scrutator est. Itaque Angelorum conjectura fortasse (quanquàm boni Angeli non assentiuntur conjecturis) poterit pertingere ad cogitationes mentis, non poterit eò assurgere Angelorum scientia. Et ratio est, quia mens spiritus est planè, phantasmata quidem quæ sint possunt Angeli deprehendere, at quod sit mentis iudicium, quorsum inclinet, hoc verò signis tantum quibusdam Angelus potest colligere, nempe iudicium mentis & cognitio est ab ipsa mente immediatè, phantasma illius objectum duntaxat est: Itaque qui eadem habent phantasmata, non iudicant tamen perinde; vt cùm objiciuntur argumenta verbis significantibus, terminorum vim tenent omnes, non tamen omnes compònunt & diuidunt eodem modo: quidam enim sejungunt conjungenda, id est, affirmant neganda, alij verò jungunt disiungenda, id est affirmanda negant. Itaque mens humana est Dei penetrale, & si quando Angeli mali hac in parte videntur verum dicere, hoc fit conjectura, nisi tum cùm Deus illis patefacit quid euenturum sit, vt mendax ille Angelus qui se mitti petiuit vt deciperet Achabi Prophetas, hoc tulit responsum, *& praualebis*. Ipsum autem Dei consilium quis nouerit nisi Dominus, aut reuelante Domino? immò verò sæpenumerò contingit, vt Deus qui nunquam mentitur Angelos suos mittat vt interminentur, quod tamen facit fine quodam, nempe vt terreat, & territos inducat ad resipiscentiam, quem Dei finem imbecillitas humana, aut malignitas diabolica non semper percipit: Attamen in eo Angeli boni iudicium suspendunt suum, neque enim imitantur Prophetam Ionam. Itaq; sequuntur præsens, quod nempe videtur eis sequendum, neque enim in arcana Dei consilia irrumpunt; tum verò acquiescunt, non decepti, Dei judicio, postquam euentus rem comprobauit: quanquàm in Scriptura Prophetas legimus sic egisse, bonos Angelos non legimus adhibitos ad ea iudicia denuntianda quæ Deus non est exsecutus.

nec Dei consilium norunt nisi Deo reuelante.

Angelorũ cognitio matutina & vespertina.

Cæterùm nos admonet hic locus, vt dispiciamus quid de illa cognitione *matutina* & *vespertina* quæ Angelis tribuitur sentiendum sit. Primus omnium Augustinus diem Angelis tribuit allegoricum, quem nihil aliud esse voluit præter Angelorum cognitionem: huius autem diei terminos *vespertinum* & *matutinum* tempus, idem voluit esse diuersas Angelicæ cognitionis rationes, nempe cognitionem *matutinam* esse illam quâ Angeli Deum immediatè, & in Deo omnia intuentur: *Vespertinam* autem quâ Angeli res creatas, adeoque semetipsos intuentur, indeque ascendunt ad Deum vsque. Certè hæc Allegoria mirabilis est, & obnoxia magnis incommodis, quæ frustrà amoliri acutissimi homines conati sunt.

Ref. 1.

Nam vt illud taceamus quod matutina lux vespertina non est clarior, tam enim vicinus est nobis Sol vespere quàm est manè, quæri potuit huius diei Meridies, nam certè nullum est matutinum tempus, nullum vespertinum, sine meridie. Deinde matutina lux incrementum capit, quo enim Sol altius subuehitur supra horizontem eo clarius lucet, non quod in se clarior sit, attamen maiori lucis copia terram perfundit.

2. 3.

Tum etiam negat Angelos componere & diuidere, affirmare & negare, argumentari, colligere, quæ erit igitur ista Dei cognitio vespertina? Certè à creaturis ad Deum mens non potest assurgere nisi colligendo, non enim Deus in creatura cernitur intuitiuè, sed arguitiuè, seu argumentatiuè.

4.

At illud multò grauissimum est, quod Dei essentia (cùm sit simplicissima & infinita) impervia est etiam Angelorum obtutui: Itaque & sublimes illi Seraphim, quos in suprema Hierarchia constituunt, alis obtegunt oculos suos. Itaque si illa cognitio matutina est qua Deus ipse cernitur, & omnia in Deo, nulla est: nempe vnius Dei proprium est vt ipse semetipsum contempletur, atque in se omnia.

5.

Et hoc addamus, (nam eludi potuit non potuit refutari) aiunt Angelos semper occupari in cognitione matutinâ, nunquam ergo occupantur in vespertina, pugnant enim ista, vt Deus in eodem instanti cernatur in semetipso & in creaturâ: Alterum enim fit obtutu immediato, & veluti directo, alterum autem per reflexionem.

Obj. Resp. 1.

Nam quod aiunt, cogitationem hominis eodem actu ferri in finem & in media, si verum dicunt, necesse est idem sit actus mentis Angelicæ in comprehensione matutinâ & vespertinâ;

2.

quanquàm quod afferunt falsum est, nam si finis consideretur sine relatione ad media; non consideratur eodem actu finis quo media. Jam illi contemplationem Dei matutinam nolunt illam esse ad quam deducuntur ex contemplatione creaturarum, (immo illa cognitio vespertina est) sed volunt esse immediatum quendam obtutum ipsius Dei, quo ferimur in eum absque creaturis, alioqui concidet cognitio vespertina cum cognitione matutinâ. Cæterùm Augustini allegoria neminem premit, quia allegoria est, quæ nullo nititur certo Scripturæ fundamento. Etenim veræ allegoriæ illæ sunt, quæ nisi admittantur aliquid scriptum frustra fuerit.

4. proprietas. De Angelorum voluntate duo quæruntur.

Sequitur considerationem cognitionis Angelorum etiam consideratio voluntatis Angelicæ, nam intellectum sequitur voluntas. Duo autem sunt quę veniunt hîc consideranda, quorum prius hoc est, *habeat-ne voluntas Angelica aliam prorsus rationem quàm sit ea quæ est voluntatis humanæ qua voluntas est*: posterius est, *sint-ne bonorum Angelorum pugnantes inter se voluntates.*

1. quorũdam sententia

Et quod ad prius attinet, aiunt voluntatem Angeli adhærere objecto apprehenso immobiliter, quemadmodum etiam & intellectum affirmant perinde se habere: & certè si hæc est intellectus Angelici ratio, eadem erit & ratio voluntatis Angelicæ. Itaque hinc reddunt causam cur Angelus semel lapsus non potuerit restitui, nam (inquiunt) hoc est discrimen voluntatis Angelicæ & humanæ, quod voluntas Angelica ante electionem quidem indifferens sit, post electionem verò minimè; è contrà, voluntas humana & ante, & post electionem indifferens est.

Ref. 1.

Sed qui sic loquuntur & pugnant cum rei ipsius veritate, & cum semetipsis. Cùm rei ipsius veritate, vnde enim factum est vt Angelus laberetur? nam certè semel Angelus adhæserat objecto, neque antequam laberetur peccator fuit, labitur enim qui stat, non qui nunquam stetit.

2.

Deinde pugnant ipsi secum, nolunt enim Angelum

Angelum componere & diuidere, nec colligere item, Ergo nolunt Angelum errare: quod ſi nolunt errare, neque voluerint item Angelum adhærere malo, nedum vt ſemper malo adhæreat: nam verum & falſum locum non habent niſi in compoſitione & diuiſione, termini enim ſimplices non gignunt errorem, ſed præpoſtera iunctio terminorum, vt cùm quis lucem tenebras exiſtimat, & viciſsim tenebras putat eſſe lucem. Itaque magnæ ſunt tenebræ in Diabolico intellectu, & quidem tenebræ quibus non ſignificatur ignorantia negatiua, ſed priuatiua, ignorantia prauæ diſpoſitionis quam vocant.

2. An bonorum Angelorum voluntates ſint interdum pugnantes.

Poſterius autem illud, *ſint-ne bonorum Angelorum pugnantes voluntates,* non fruſtrà quæritur, nam exſtat cap. 10. Dan. locus qui videtur id probare. Dicitur enim eo loco, *Princeps regni Perſici ſtetiſſe coram Gabriele, idque tùm cùm Gabriel ad Danielem properaret,* vnde concludunt aliud ſenſiſſe de Repub. Gabrielem, aliud verò principem regni Perſici, Angelum nempe illum. Itaque ſic tollunt omnem difficultatem, vt ſtatuant Gabrieli aliquid fuiſſe reuelatum, nempe vt Danielem conſolaturus proficiſceretur, non fuiſſe autem reuelatum quid inter proficiſcendum ei fuit euenturum nempe aliud reuelatum fuiſſe Principi regni Perſici qui interceſsit quominus Gabriel ad Danielem, tam citò quàm conſtituerat Gabriel, proficiſceretur, indeque coortam illam diſſenſionem, qualis (inquiunt) inter bonos viros quandoque oriri ſolet, nullo odio, ſed ſæpe ſtudio veritatis. Attamen (quod omnium pace dictum velim) hæc videntur dicta nimis humanè, immò videntur gratis dicta. Nam vt maximè demus interceſsiſſe Principem regni Perſici, non inde ſequetur repugnaſſe interceſsioni Gabrielem; nam quod oriatur inter viros bonos diſſenſio, id fit quia nouit vterque quæ ſit conditio humani ingenij, nempe vt erret & labatur, & ea multi putent ſe rectè facere, & Dei iuſſu, qui errant tamen: At Angelum ita de Angelo cogitare non eſt credibile. Quanquàm phraſis illa *ſtetit coram me,* non ſignificat neceſſariò interceſsionem, ſeu oppoſitionem, nam certè aliud eſt dicere, עמד לנגדי aliud verò עמד עלי. Itaque apud Danielem Angelus cap. 8. qui Danielem alloquitur, dicitur ſtetiſſe לנגדו, & eodem hoc capite quid prohibeat eadem phraſi idem ſignificari: certè dicit Angelus *ſe relicturum eſſe apud Regem Perſia,* quæ locutio auxilium & opem potius ſignificat quàm aduerſam vim. Itaque mox denunciat fore vt egrediatur, nempe regno Perſiæ, venturumque Principem Iauan, qui deſerto à Gabriele Perſiæ regno debellaturus erat regem Perſiæ: Itaque cùm teſtatur *ſe reuerſurum vt bellum gerat cum regibus Perſia,* noluit hoc ſignificare quod nonnulli arbitrantur, vt bellum gereret aduerſus Reges Perſiæ, ſtetit enim illud regnum, immò floruit vſque ad Alexandri tempora. Tùm hanc eſſe Angeli mentem oſtendunt quæ initio capitis ſequentis Angelus continuò ſubjungit, docet enim ſe eum fuiſſe qui corroborarit Darium Medum. Itaque nihil hic occurrit quod poſsit iure probare bonos Angelos inter ſe diſſentire. Certè, huic quidē (vt nobis videtur) errori occaſionem præbuit verſio Vulgata, quæ עמד לנגדי vertit *reſtitit mihi* contra vſum huius locutionis, nam cum capite ſequenti deſcribuntur diſſenſiones ſucceſſorum Alexandri, dicuntur quidem *ſtare & ſurgere aduerſus ſe inuicem,* ſed non coram ſe inuicem. Itaque nihil erat quod doctiſsimum interpretem cogeret, quæ dicuntur à Gabriele de Principe regni Perſici interpretari de Cambyſe, non enim dicimus *regem regni,* aut *principem regni* eum qui Rex eſt, Pleonaſmus eſſet durus admodum: Nam populum Romanum aliquis dixerit habuiſſe imperium *in Bithynia regem,* non tamen dixerit, *in Regem regni Bithynia,* ſed *in Nicomedem Bithynia regem.* Deinde in ipſo textu diſtinguuntur apertiſsimè *Princeps regni Perſici, & Perſia reges;* fruſtrà, ſi eidē eſt princeps regni Perſiæ qui ſunt Perſiæ reges: Dicit enim Angelus *principem regni Perſici ſtetiſſe coram ſe,* & continuò ſubjicit *ſe relictum eſſe apud Reges Perſia,* nempe id poſtulante Principe regni Perſiæ. Itaque ſub finem capitis *princeps Iauan* dicitur Angelus ille cuius opera Deus vſus eſt ad delendum imperium Perſarum. Denique quiduis potius dicendum eſt, quàm admittendum pugnam eſſe inter eos in quibus peccatum locum non habet, proindeq; nec ignorantia quæ vitio verti poſsit. Itaque quando & nomen *Principatus* Diabolo tribuitur in Scriptura, ſi עמד לנגדי ſignificat *reſiſtere,* potiùs eò confugiendum eſſet, vt dicamus eum qui reſtitit hoc loco, Angelum eiuſmodi fuiſſe qui ſunt illi qui in Scriptura κοσμοκράτορες dicuntur.

quidam affirmant.

ſed Ref. 1.

2.

3.

Affectus quomodo Angelis competant.

Affectus verò vt ira, odium, gaudium, triſtitia, quoties Angelis ſeu bonis ſeu malis tribuuntur, non ſignificant idem vniuocè quod ſignificant dum tribuuntur hominibus, ſed analogicè tamen idem ſignificant. Nam in homine iſti affectus animæ inſunt quatenus cum corpore communionem habet, id eſt, odium in homine non eſt ſimpliciter auerſio voluntatis, ſed habet etiam conjunctum πάθος *perturbationem,* vt Cicero vocat, quæ perturbatio eſt etiam in corpore. Itaque iram non modò definiunt *cupiditatem vindicta,* ſed etiam *feruorem ſanguinis qui eſt circa cor:* & odium, & inuidia febres & rabiem gignunt. Itaque oderunt Angeli, &c. ſed eo modo qui eorum naturam decet, id eſt, auerſantur magna vehementia, boni quod eſt reuerâ malum, mali bonum, ſed quod tamen malum illis videtur. Voluntas autem & affectus primò in hoc ſe prodūt, quod hinc oritur ea quæ dicitur græcè ἀνακοίνωσις, latinè *communicatio,* nam belluæ certè affectus ſuos produnt voce, ſed affectus tantum, nempe amorem, aut odium, gaudium & dolorem, idque ea voce quæ dicitur inarticulata, quia non diſtinguitur ſyllabis, homines verò non ſuos modò affectus produnt, & aperiunt, ſed voluntatem, conceptus intellectus & mentis, qua ἀνακοινώσει ſublata non poſſet ſtare ſocietas humana. Itaque qui muti ſunt, attamen ſigna adhibent, & ſignorum vim deprehendunt.

5. Proprietas. Sermo Angelorum.

Cùm igitur & Angelorum ſit ſocietas, & Scriptura doceat Angelum Angelo aliquid ſignificare, neceſſe eſt vt tribuamus Angelis ſermonem quendam. Sed quale gaudium, qualem iram iis tribuimus? nempe conuenientem tam diuinæ prope naturæ, cuius modum & rationem nonniſi negando poſſumus explicare. Certè Scholaſtici, dum eam affirmando voluerunt exprimere, incaſſum laborarunt, hæc nempe eſt illorum ſententia: Mentis humanæ (quominus ſeſe aperiat ſola voluntate) vnum obſtare, vnum eſſe impedimentum, quod menti corpus objicitur, cùm ergo Angelica natura nullo corpore prædita

qualis à Scholaſticis ſtatuitur.

sit, asseuerant Angelos sola voluntate exprimere quid sibi velint, id est, vt dicam crassius, *volendo* sese patefacere, & mentem suam efficere vt euentus voluntatem consequatur. In qua sententia illud primò occurrit reprehendendum, quod putant esse crassam corporis molem quæ obstat quominus homo cogitationes hominis possit deprehendere: Fingamus igitur nos habere vitrea & pellucida corpora, ideòne facilius patebit nobis aditus in mentis adytum? Si voluerint, inquiunt, quibus cum nobis res est. At, inquam, voluntatem illam sequetur aliquis actus, nempe actus eius generis quo appellant *imperatos*, non est enim eadem ratio voluntatis creatæ & Dei. Nam Deus sola voluntate facit quicquid facit, Angeli voluntate quidem præditi sunt, sed cui subjecta est quædam facultas qua vtuntur in opere. Itaque non continuò voluntatem Angeli sequitur effectus, nisi Angeli voluntatem sequatur Angeli opus. Hoc autem est id quod quærimus, non enim agitur hoc loco de causa quæ impellit Angelum ad loquendum, (ea enim Angeli voluntas est) sed de ratione quâ Angelus exequitur id quod voluit, quam nos adeò dicimus nisi negando non posse comprehendi; Nam quæ de illuminatione afferunt à superioribus Angelis profecta in inferiores, eiusdem sunt farinæ: Non tam disputamus quæ sit ista illuminatio, quem locum habeat, semper enim illud manet quomodo fiat hæc illuminatio. Denique, negant Angelum nisi signis quibusdam adhibitis posse colligere quæ sit hominis mens. Ergo negant sola voluntate hominem posse reuelare cogitationem suam Angelo, quod necesse est illos concedere si præter corporis crassitiem nihil obest quominus Angelus mentem humanam possit perspicere. Etenim objectu corporum Angelici oculi non præpediuntur magis quàm Angelorum motus.

Ref. 1. — 2. — 3.

Secundò prodit se voluntas Angelorum in opere, ad opus autem requiritur vis & facultas. Itaque disquirendum est quæ sit, & quanta potentia seu vis Angelorum. Hic enim illud occurrit primò quod eorum motus pernix est vsque adeò vt nihil supra, itaque tribuuntur ob hanc causam illis alæ in Scriptura. Tenendum interim est motum istum perniciosissimum licet, tamen non peragi in momento: nam vti supra est disputatum, motus qui momento peragitur non est motus, omnis enim motus est à termino ad terminum, itaque est veluti iter, requiritur igitur medium quid, duo enim termini non sunt vnus idemque terminus. Mouetur tamen Angelus momento, & in instanti si res exigatur ad iudicium phantasiæ nostræ, vt oculi nictus tametsi nobis videatur fieri in instanti, attamen ratio docet requiri tempus, nam conjunctio & disiunctio palpebrarum non potest fieri nisi describatur linea; itaque motus ille est diuisibilis pro eo ac linea quam describit motus est diuisibilis. Huc respexit Apost. 1. cap. Epist. ad Hebr. & Propheta Psal. 104. nam iis Scripturæ locis *ignis & ventus* dicuntur *esse Angeli Dei & ministri*. Cæterùm quærunt hoc loco, voluerit-ne Dauid hoc significare, *Angelos esse veluti ventum, veluti ignem flammantem*, vt ita loquar, an verò voluerit Propheta, *ignem & ventum esse veluti Dei Angelos, & ministros*. Sunt qui prius ita affirment vt pro certo habeant Prophetam & Apostolum hoc tantum voluisse, *Deum creasse Angelos qui essent instar ventorum, & instar flammantis ignis*, eò quod existiment Prophetam prædicare opera Dei, in quibus sint Angeli: Deinde, Apostolum cùm testimonium citat ex Veteri Testamento, disertè affirmare hæc dici ad Angelos. Sed vicissim hoc regeri potest, quod nulla causa reddi possit cur Psal. 104. mentio fiat creationis Angelorum, cùm statim sequatur mentio creationis terræ, præcedat autem illam quam ponunt mentionem Angelorum mentio τῶν μετεώρων *eorum quæ fiunt in regione aëris*. Deinde, negant ex eo quod Apostolus dixerit illa dici de Angelis, sequi continuò hanc esse Prophetæ mentem, vt velit significare Deum creasse Angelos ad instar ventorum, satis enim superque putant satisfactum Iudæis (qui locum hunc queruntur detortum esse in alienum sensum) si dicatur, Deum ventis & fulminibus perinde vti atque Angelis & ministris suis: vnde sequitur Deum habere Angelos & ministros, nō est enim figura nisi rei veritas sit. Itaque aiunt hoc tantum velle Apostolum, *Deum Angelis vti tanquam ministris suis, quandoquidem ventos & fulmina comparat Angelis*. Certè phrasis hebraica hoc requirit, est enim in hebr. עשה מלאכיו רוחות. Ergo, quod facit ad rem nostram, motus Angelorum est celerrimus, quandoquidem ventis & igni Angeli comparantur. Et sanè hanc ob causam 1. cap. Ezech. (ex quo capite Hebræi colligunt quicunque ferè dici possunt de apparitionibus Angelorum) mentio fit venti, & item ignis: Immò Angeli dum vocantur כרובים non dicuntur ob aliam causam כרובים quàm quòd eorum motus celerrimus sit. Itaque Psal. 18. Deus dicitur inuehi nubibus tanquam quadrigis, & volare super alas כרוב. Et Psal. 104. dicitur המהלך על כנפי רוח *incedere super alas venti*. Cùm itaque Deus velit Angelos testari præsentiam suam vento & igni, non absurdè allusit Apostolus ad locum illum Psalmi, perinde ac cap. 10. Epist. ad Romanos allusum est ad id quod dictum est Psal. 19. quæ enim dicuntur eo loco de cœlis Apostolus traxit ad Apostolos. Summa huc redit, Angeli Christo sunt inferiores, quid ita? quia Deus ventos & flammam ignis dicit esse Angelos suos & ministros, quod omninò non foret dictum nisi Angeli inferiorem obtinerent gradum quàm Christus.

Angelorū motus pernicissimus — ferè in momento. — Locus Psal. 104 illustratus. — Cur Cherubin vocantur.

Pernicitatem motus sequitur vis agendi: Ea tanta est vt tamen limites habeat suos. Duplex enim est potentia actiua, vt est duplex item passiua potentia, quarum altera nil aliud est quàm vis faciendi quicquid non implicat contradictionem, vt loquuntur, & vis admittendi (si tamen ea vis dici debet) quicquid non est ἀδύνατον. Hæc potentia Deo peculiaris est, & dicitur Omnipotentia: in creatura autem dicitur à Scholasticis *potentia obedientialis*, nempe quia nihil est in creatura naturale quo possit educi in actum; quod fit hac omnipotentia ἁπλῶς dicta, vt cùm ex nihilo fit aliquid, aut cùm excitantur mortui, aut cùm quod minimum fuit maximum fit, nullâ vi materiæ, sed quia Deo ita libet, cuius velle posse est. Hæc potentia, quatenus actiua est, soli Deo conuenit, quatenus est passiua omnibus creaturis, immò verò iis quæ non sunt, conuenit: Itaque non tribuenda est Angelis. Altera potentia est quæ non est simpliciter facultas agendi quæcunque non implicant contradictionem, sed agendi secundùm modum agentis facultatis & subjecti patientis:

Vis agendi in Angelis maxima.

patientis: nempe hic necesse est intercedere vim in agente, in patiente autem potentiam quæ potest educi in actum adhibita vi conuenienti. Itaque nihil hic fit quod excedat omnem naturæ ordinem: vt verbi gratiâ, lapis natura tendit deorsum, at si hic motus sistatur apprehenso manu lapide, nihil accidit præter ordinem naturæ in vniuersum, necesse enim est vt minor vis cedat maiori, quod si non obseruaretur, violarentur naturæ leges, immò eueniret aliquid contra naturam, vt quod natura maius est superetur ab eo quod natura est minus. Ex hoc genere rerum est facultas Angelica, nam certè possunt Angeli naturæ impetum prohibere, quid ita? quia maiori præditi sunt vi quàm natura. Itaque vel ipso Nebucadnetsare teste sistunt ignis vim, prohibentque ne socij Danielis exurantur, & leonibus obstruunt os, ne quantumuis famelici deuorent Danielem. Sæpè etiam naturam impellunt, id est, admouent actiua passiuis, vt loquuntur, atque ita immutant naturam, id est, peculiarem naturæ ordinem, non vniuersalem. Ita injiciunt oculis scotomata quibus prohibent videre, atque ita irritant etiam naturam consopitam, vt cùm objiciunt menti phantasmata, quibus animus humanus excitatur vt cogitet quid sit facto opus, attamen ipsam animi arcem non inuadunt, nam de objecto phantasmate integrum est illi iudicare.

vincunt & superant naturam.

applicant actiua passiuis.

Jam verò vt possint statum elementum & regionis elementaris immutare non est obscurum, vnde quicquid factum est apud Ægyptios, opera Angelorum factum prædicatur Ps.79.49. neque tamen (vt opinatus est vir magnus) eo loco intelligendi sunt Angeli mali (quanquam si Angeli mali tantum possunt, omnino consequens est vt idem possint boni Angeli) nā eum decepit vulgata versio, & ea quæ dicitur LXX. etenim משלחת מל אכי רעים perinde interpretati sunt, ac si *malorum* epithetum esset adjectiuum non substantiuum, quam ambiguitatem tollit textus heb. nam, מלאכי est in regimine. Si enim Propheta intelligi voluisset malos Angelos dixisset מלאכים רעים. Eadem vi & quæ quiescunt, faciunt vt commoueantur, & in sublimi tempestates & procellas gignunt (alia tamen ratione & aliam ob causam quàm ob eam quam Cacodæmones respiciunt, nam & illi in hoc genere tantundem possunt, si permiserit Deus) vt cùm illustranda est Dei gloria, vel in puniendis hostibus Ecclesiæ, vel etiam ad vindicandam authoritatem Dei à contemptu, vt cùm data est Lex in monte Sina, ortus est (vt testatur Apostolus) Angelorum opera terræmotus, procella, vnde tonitru, & fulmina. Contrà cùm pij castigantur Cacodæmones id ipsum efficiunt, vt videre est liquidò in libro Jobi: non enim vtitur Deus Angelis suis aduersus pios, sed pro piis & propter pios adhibet potius eorum vim & potentiam: Neque dubium est quin & Angelorum opera vsus sit Dominus non modò tum cum sistendus esset sol, sed etiam tum cùm retrò agendus esset, quamuis enim narratio vtriusque historiæ non meminit Angelorum, tamen rei ipsius natura, vt ab Angelis id factum esse existimemus, postulat. Nam nec dum narratur quid contigerit Danieli in specu mentio vlla fit Angelorum, attamen ipse Daniel narrat Deum misisse Angelum suum, qui leonum ora obturaret. Sic cùm Lex in monte Sina data est, etsi de Angelis nulla fiat mentio eo loco quo datę legis historia describitur, meminit tamen Paulus Angelorum. Neque enim aliter intelligi possunt verba Pauli, qui Legem docet cap.3. Epist. ad Gal. dispositam esse per Angelos. Deinde, ordo vniuersi postulat, vt quod Deus facit immediatè id eiusmodi sit vt in re facta fuerit possibilitas simpliciter, quæ potentia *obedientialis* dicitur, vt supra monuimus. Itaque quę sunt eiusmodi à solo Dei fieri possunt, & quidem immediatè tantùm à solo Deo. Ratio in promptu est, quia vt fiant requiritur vis infinita, at quæ sunt eiusmodi vt possit fieri à vi finita sed minori, non est verisimile Deum facere immediatè, propter eum quem diximus ordinem Uniuersi, qui pendet ex ministerio causarum secundarum, quo vtitur Deus. Itaque quoties aliquid accidit quod vim naturæ ordinariam excedit, illud rectè Deo tribuitur vt authori, Angelis autem vt ministris: neque aliter intelligi potest quid vtilitatis ex Angelorum custodia ad nos redeat, qua de re infrà fusius disputabimus. At ne Cacodæmonibus tribuamus tantū vt in Ætherea illa regione, (quam Aristot. dixit *quintum elementum*) quippiam possint hoc cogit ratio, quòd Paulus eos vocat *principes aëris*, atque ita videtur sublunari regione eorum vim definiisse. Illud verò tenendum est, in animas nostras, nisi objiciendo phantasmata, nec Angelos, nec Cacodæmones quippiam posse, hoc verò non est agere in animam necessariò, id est, vt anima necessariò assentiatur, aut dissentiat, quin vnius Dei est ita nobiscum agere vt neque renitamur, neque queamus reniti: Itaque solus Dominus est cōscientiæ non modò de iure, sed & de facto, etiam quoties ac prout ei libet. Atque hæc de potentia Angelorum disputata sunto, quam Dauid prædicat amplissimè Psal.104. dum eos non modò vocat גבורים, sed & גבורי כוח habet enim singularem Emphasim iste Pleonasmus, ne quis Angelorum vires audeat metiri vel ex naturæ corporeæ, vel etiam ex naturæ nostræ (quatenus incorporea est) modulo, non enim dicuntur Dauidi גבורי כוח nisi propter vim summam.

statum elementorum immutant.

tempestates & procellas cient.

etsi id non semper notetur.

quænam à solo Deo fiant sine Angelorū ministerio.

quid possint Angeli in animas nostras.

DE ANGELORVM ORDINIBVS.

Sequitur vt disputemus de Ordinibus Angelorum. Atque hic quærendum est, quomodo differant inter se Angeli, specie ne an numero tantum: quæ disputatio non est otiosa, facit enim maximè ad intelligendam naturam Angelorum. Et Scholasticorum quidem Principes definiuerunt satis confidenter Angelos specie differre, quia (inquiunt) in specie non datur prius & posterius, quod verissimum, at in Angelica natura datur prius & posterius. Id verò est quod quæritur. Etsi enim alius Angelus alio excellentior est, non tamen est hoc prius & posterius tale quale intellexit Aristoteles, dum dixit in specie non dari prius & posterius: potest enim illa excellentia esse accidentarium quid, quod si intelligatur excellentia ipsius formæ quæ non potest intendi & remitti, hęc probatio est petitio principij. Certè dicunt isti in vita futura fore diuersos gradus gloriæ, & eos penè infinitos, attamen negant in vita futura fore ut beati differant specie. Deinde, negant fieri posse vt eadem specie extra materiā non sint vnum, & si diuersa sunt, ideò diuersa esse quia sunt in materia diuersa. Itaque exertè aiunt,

Angeli specie differunt.

secundum Scholasticos.

Ref. 1.

2.

impossibile esse vt plures albedines existant separatæ à materia quin sint vnica albedo, quandoquidem, inquiunt, eædem formæ specie non nisi materia distinguuntur. Hæc verò sunt hausta ex lacunis Auerrhois, quem secutus hac in parte Cæsalpinus (etsi professus Religionem Christianam) ausus est affirmare (neque id solum, sed probare etiam conatus) vnicam esse in rerum natura mentem, quæ tamen dicatur esse plures propter materiæ in qua operatur diuersitatem. Atque ita Solem possemus dicere plures esse Soles, non enim habet Sol vnicum operationis suæ objectum, sed multiplex, non modo in regione Æcherea, sed & in sublinari, nam non terras modò, sed Lunam illustrat. Cæterùm non decuit Christianos Philosophos ita negare Angelos specie eosdem esse, quia si valeret hæc ratio actum esset de Religione Christiana. Certè quod attulerunt de albedine euertit planè dogma Transsubstantiationis: Aiunt enim fore vt si plures albedines separentur à materia fiant vnica numero albedo. Ergo iam accidentia sine subjecto quæ finguntur in Eucharistia erunt vbique, non erit vnius hostiæ albedo ab alterius hostiæ albedine distincta: immò periculum est hac ratione, ne omnes animæ separatæ à corpore statuantur vna anima. Vnum hoc patet effugium, quod distinguantur σχέσει ad corpora, nempe vt animæ differant secundùm habitudinem ad hoc aut ad illud corpus. At hæc distinctio inepta est, nam habitudo animæ ad hoc aut illud corpus animam habet pro subjecto, itaque ipsum subjectum animæ necesse est distinguatur distinctione sibi peculiari. Ratio est, alioqui omnes animæ secundùm substantiam erunt vna anima numero, distinguentur duntaxat σχέσει, quod est purus putus Auerrhoismus. Porrò, quòd dicunt fore vt si Angeli specie conueniant sint materiales, cogentur pari ratione (si sibi constant) affirmare fore materiales si dicantur conuenire genere, nam genus symbolum materiæ est; non negant autem conuenire genere. Ergo vanus fuit hic metus, scimus enim, cùm de Angelis agitur, non esse intelligẽdum genus Physicum, quod nihil aliud est quàm communio materiæ, neque speciem Physicam, quæ nihil aliud est quàm forma impressa in materia, sed aliquid tamen analogicum generi & speciei est in Angelica natura, nempe vt genus dicatur natura illa incorporea, qua præditi sunt, tum species, quod (secundùm modum considerandi nostrum) superadditur huic naturæ incorporeæ, vt genus & species tribuantur Angelis ἀναλόγως duntaxat, quomodo in Metaphysica genus est veluti, & species, & proprietates; Nam si Angelorum ea natura est vt nihil possit addi eius excellentiæ nihil detrahi, nisi intereunte Angelica essentia, certè nulli mali Angeli sunt, aut si sunt vlli, nunquam fuerunt boni. Ergo, nil necesse fuit ex gradibus excellentiæ colligere species distinctas, neque erit (quod illi voluerunt) ea ratio excellentiæ Angelicæ, quæ est numerorum & figurarum. Etenim si plura & pauciora sunt quàm tria, ternarius esse non potest, Angelus autem esse potest etsi multum decedat de eius excellentia. Ergo mensura excellentiæ Angelicæ non constituit speciem. Itaque debuerunt esse cautiores, etenim Auerrhois hoc est dogma, menti nihil accedere, nihil decedere posse. Qui verò Angelos specie volunt differre ideo quod excellentia differunt, necesse est fateri, quod vult Auerrhoes, in illas mentes nullam posse cadere mutationem. Itaque Auerrhoes sanè distinxerit mentes ita vt specie differant, alioqui non habituras locum in rerum natura, Christiani id caueant. Et sanè nemo negauit naturam humanam qualis est in Christi persona, multis partibus excellentiorem esse natura humana qualis est in nobis, cùm tamen species non mutetur: & in vita æterna alius erit status corporum quàm est in hac vita, alius item animæ, & tamen non modò non mutabitur species, sed ne indiuiduum quidem. Atque hæc proponenda fuerunt aggressis disputare de ordinibus Angelorum; Etenim vt statuant Angelos specie differre aiunt se adductos hac potissimum ratione, quod sint distincti ordines Angelorum.

Auerrhoismus de vniuersali mente.

noxius & lethiferus.

Obj. Resp.

In Angelis est aliquid generi & speciei analogum.

Gradus excellentiæ non variat speciem.

1.

2.

Iam verò *Ordines* illi vocant non simpliciter eos qui denominantur à gradibus excellentiæ cuiusdam accidentariæ, id est, quæ nihil addit essentiæ, sed essentiæ aduenit; Sed *Ordo* illis est *Angelorum multitudo*, sic constitutus vt primus in secundum, secundus in tertium vim habeat, vt in ciuitate alij sunt qui principem obtinent locum, alij qui sub iis, attamen cum imperio instituti sunt, alij qui nullum habent imperium quale qui sunt secundi ordinis, attamen imperium habent. Porrò in singulis ordinibus constituunt gradus, vt in regno Galliæ etsi omnes prælati quos vocant vnius ordinis sint, nempe Ecclesiastici, attamen inter Prælatos alij aliis præstantiori dignitate præditi sunt, nempe maior est Patriarcha quàm Archiepiscopus, & ita deinceps. Tùm aiunt se adductos vt sic sentiant de Angelis, eò quod triplex ratio sit cognoscendarum rerum. Prima hæc est, Res (inquiunt) cognoscuntur prout sunt à Deo; secundò, cognoscuntur prout sunt à causa vniuersali secundùm Deum; tertiò, prout sunt à causis particularibus proximis immediatis. Iam verò cùm Angeli sint mentes, aiunt distingui Angelos pro ratione cognitionis: & quidem Angelos primi ordinis ab Angelis secũdi ordinis, quod primi ordinis Angeli Deum intueantur, & ex Dei contemplatione percipiant rationes rerum: Secundi verò ordinis Angelos aiunt cognoscere causas vniuersales rerum secundùm Deum, tertij ordinis Angelos colligere causas rerum quomodo colliguntur ex consideratione causarum proximarum quæ particulares sunt. Tum adducuntur etiam (vt profitentur) authoritate Dionysij Areopagitæ, qui sic distinxit ordines Angelorum quos *Hierarchias* vocat. In vtroque autem Ordine tres constituerunt gradus, supremum, medium, & imum: Ita tres sunt Hierarchiæ, sed quia singulæ ternos complectuntur gradus, exoriuntur inde nouem chori Angelorum, adeò placuit illis numerus nouenarius.

At Iudæi nouenario denarium prætulerunt, & quidẽ ita vt non distinxerint Angelos in tres Hierarchias, quarum singulæ tres gradus continerent, sed in decem Hierarchias; nempe Hebræis numerus nouenarius non placet, dicunt enim sacrum esse symbolum dissentientis à se naturæ, idque (prout sunt homines stolidè arguti) videntur sibi collegisse inde quod quatuor & quinque reges in Genesi pugnarunt inter se, quam pugnam decimus Abraham superueniens diremit; quatuor enim affectus collocant in homine,

51

Sententia Scholasticorum.

qui nouem

2. Iudæorum, qui decem faciunt Ordines.

tuine, quinq; sensus, quibus addunt rationem vt decimum, quæ scilicet ista contineat & cogat in ordinem. Itaque aiunt decimas dependi Deo, nouem partes nostras esse: Et Aristotelem dicunt adductum esse vi veritatis, vt partiretur rerum genera in decem quas *Categorias* vocauit; Hinc aiunt item decem esse mandata, & quid non? ideò scilicet quod denarius numerus sit consummatus, nam vltra denarium qui progreditur redit ad vnitatem. Quod reuera non est casu factum (vt nonnulli arbitrantur) sed rei natura id postulante, nam denarius numerus est in se perfectissimus, nam continet omnes numerorum differentias, partium, vt duo, imparium, vt tria, & pariter parium, vt quatuor: tum omnes rationes multiplicandi numeros, quos Græci vocāt ἐπιμερεῖς & ἐπιμορίους: deinde etiam omnes proportiones, Arithmeticam, Geometricam, Harmonicam, eam quæ est in symphoniis, itaque δεκάδα Philo dictam putat quasi δεχάδα, à verbo δέχεσθαι: Tum etiam complectitur & punctum, & lineam, superficiem, & solidum, & metitur numerorum infinitudinem. Sed Christianis ideò placuit nouenarius vt dissentirent saltem hac in parte à Judæis, tum vt testarentur amorem & cultum Trinitatis. Etenim nouenarius numerus nil aliud est quàm ternarius in se multiplicatus.

Prærogatiua denarij.

Cæterùm Judæi sic enumerant Hierarchias suas. Primam faciunt eam quam vocāt חיותהקדש *animalium sanctitatis*, quæ ipsi constituunt sub Dei throno Deo proxima: hoc autem nomen desumpserunt ex 1. cap. Ezech. nam in illa admirabili visione apparent animalia sub Throno. Sed ne sæpius eandem rem exculcemus, obseruandum est Iudæos omnia sua mysteria exsculpere ex illo primo capite Ezech. Itaque Metaphysicam dixerunt מעשה המרכבה *opificium currus*, vt Physicam vocant מעשה בראשית Itaque tacitè agnoscunt non describi à Mose creationem Angelorum, sed τῆς φύσεως *naturæ huius inferioris*. Secunda Hierarchia est אפנים *Rotarum*, quam sibi videntur deprehendisse ex illo 1. cap. in quo etiam fit mentio *rotarum*. Tertia Hierarchia est אראלים, eam videntur sibi collegisse ex 33. cap. Esaiæ, quo loco dicitur אראלם צעקו חוצה *Nuncius eorum clamauit foris*, nullo argumento, sequitur enim, ואת מלאכי שלום *& nuncij pacis flebunt*. Immò verò nullus est hebræorum qui possit reddere rationem huius vocis אראלם. Nam Aben-Esra eos rejicit qui sic vocem hanc interpretabantur ac si contracta esset ex אראה להם nulla ratione, nullo eiusmodi compositionis in grammatica exemplo: tum illorum qui sententiam rejicit qui aiunt hoc loco agi de Hierusalem & altari, quod altare dicitur אריאל, sed illud eos decepit, quod videbantur iis quæ sequuntur in hoc versu cogi interpretari אראל per מלאך, quia אראל magnam habet affinitatem cum אריאל *Ariel*, quæ vox *Leonem fortem* significat; Ideò fortissimos Angelos hac voce significari putarunt. Quarta Hierarchia est חשמלים, quam videntur expiscati ex illo celebri cap. 1. Ezech. Etenim dicitur color qui in illa visione cæteris eminuit, fuisse חשמל quod interpretantur *colorem æris qualis est dum feruet in camino*. Itaque illis חשמל & quicquid describitur in illo capite, videtur fuisse Angelus ex illa Hierarchia. Quinta Hierarchia est *Seraphim*, hanc videntur inde collegisse quod mentio fiat *Seraphim* apud Esaiam cap. 6. nec animaduertunt (qua de re infrà disputabimus) eo loco Angelum hoc nomine fuisse designatum propter opus, etenim carbone igneo contigit labia Esaiæ. Sexta apud eos Hierarchia est מלאכים: Nomen est hoc in Scriptura frequentissimum, & omnino omnibus Angelis commune, sed Iudæi nomen illud peculiare fecerunt certæ cuidam Hierarchiæ, quia illis videbantur certi quidam Angeli dici in Scriptura מלאך יהוה: neque enim volunt tantum vnum singularem Angelum designari semper, sed aliquem semper qui sit eiusdem Hierarchiæ. Septima Hierarchia apud illos est אלהים vt Psal. 8. humana natura in Christo prædicatur inferior natura Angelica facta ad tempus, & ibi Angeli dicuntur אלהים. Octaua Hierarchia est בני אלהים, quem Ordinem deprehenderunt ex 1. cap. Jobi vbi dicuntur *filij Dei stetisse coram Deo, Satanam verò adstitisse*. Nono loco collocant כרובים ideò quod Angeli etiam *Cherubim* dicuntur in Scriptura; Nono autem loco collocant quia videbatur illis in Arca aliquid huius modi significatum illis Cherubim qui incubabāt Propitiatorio. Decima Hierarchia apud Hebræos est eorum Angelorum quos vocant אישים: videntur autem sibi collegisse aptè ex Scriptura esse peculiarem quendam ordinem Angelorum hoc nomine insignitum, eò quòd Angeli qui humana specie Patriarchis apparuerunt *viri* dicuntur. Et his Angelis tanquam munus proprium tribuunt *commeare cœlitus ad homines*, itaque constituunt eos in imo, nam Cherubim erant quidem in terra, sed eorum figuræ cùm essent in adyto, in ipso penitissimo recessu Sanctuarij excubabant iuxta Arcam fœderis, itaque superioris ordinis fuerunt.

Nomina & ordo decē Hierarchiarum ex Iud. sententia

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Iam verò ista sunt nimis absurda, Nam & *Seraphim* etiam dicuntur Angeli qui hominibus apparuerunt, apud Esaiam loco supra citato; & Angeli qui Patriarchis apparuerunt dicuntur אישים, quia nempe specie virorum apparuerunt. Certè si Scriptura non monuisset Angelos illos fuisse qui *viri* dicuntur, non oportuisset nos aliter sentire de iis quàm de viris, sed eadem Scriptura quæ eos *viros* dicit nempe quia primo aspectu viri esse videbantur, notat Angelos fuisse. Itaque (quod obseruandum est posteriori loco) ea locutio (vt hoc obiter dicam) nullo modo Pontificiorū causam iuuat, nam inter eos qui sunt paulò acutiores eadem figura panem Eucharistiæ *panem* dici volunt qua figura illi Angeli dicebantur *viri*. Sed dispar ratio est, ac primò quidem quod panis Eucharistiæ dicitur priori loco esse *Christi corpus*, posteriori esse *panis*, hîc contrà, Angeli priori loco dicuntur esse *viri*, posteriori esse *Angeli*, nempe nequis putet eos fuisse viros. Itaque hæc ratio pugnat cum Pontificiorum confi[...]o: facit enim pro nobis, si res attentius spectatur. nam quemadmodum illi Angeli dicuntur *viri* postea *Angeli*, ne appellatio illa nos fallat & eos reuera viros fuisse putemus, ita planè panis priori loco dicitur *corpus Christi*, sed ne ea locutio nos fallat postmodum dicitur *panis*, & eadem ratio est poculi. Deinde Angeli illi non ideò dicuntur *viri*, quia sola accidentia sibi assumpserant, quorum specie recti viderentur homines esse, sed quandam substantiam illis præditam accidentibus; at negant illi in Eucharistia quippiam esse quod substantiæ rationem habeat præter corpus Christi.

Refellitur ista Angelorum diuisio.

Corpora ab Angelis assumpta.

Porrò vel ipsis Pontificiis assentientibus corpora illa quæ Angeli assumpserant, vera corpora fuerunt; quod si negarent inde reuincerentur quod ederunt, biberunt, & manibus hominum attrectati sunt. Nec hic confugiendum est ad Phantasmata, cùm Angeli, verbi gratiâ, qui Sodomam missi sunt, omnibus se præbuerunt conspiciendos. Itaque istæ apparitiones non sunt simplices visiones, quæ non solent esse communes omnibus, sed iis tantum in quorum gratiam visio fit. Itaque non quantum Prophetæ audiuerunt, & viderunt, tantum audiuerunt & viderunt qui vna erant cum Prophetis. Hoc tamen non caret difficultate, vnde sint ista corpora conflata, nam & apparent subitò Angeli, & disparent veluti puncto temporis. Ea res principes Scholæ ita commouit vt concluserint corpora ista aërea esse: Nempe putarũt se occurrere expeditissimè isti quæstioni, quam animus humanus possit hic ipse sibi proponere, vnde fit vt subitò assumant, vt tam subitò deponant corpora, si quidem illa sunt ex materia solida & crassa: tum, ne quis miretur corpus aëreum figuram capere, tum etiam posse admittere vt quis veluti prehendat, & verò palpet aërem, negant vel hoc, vel illud absurdum esse, & aiunt nubes induere formam quandam (similis cogitatio dicteriorum, & scommatum Aristophani Comico amplissimam materiam præbuit in Nubibus) deinde aërem quidẽ qualis est rarus, non posse contactui obniti, attamen si condensetur aiunt nihil esse facilius. Sed hæc dicuntur (nequid grauius dicam) præter rationem; Nam quis negat nebulas habere quandam figuram, nempe non sunt purus aër, sed vapores, itaque habent eandem figuram, quam fumus in aërem subvectus. At quæ attulerunt de condensatione aëris ea pugnant cum recta ratione, aër enim raritatis suæ & densitatis certos habet & definitos à natura limites, quos quantum excedit, tantum discedit à natura sua: Itaque si paulò densior fiat, fit aqua, si densissimus & crassus fiet terra, pro elementorum ratione. Christiani rem totam vnico verbo expedire queant, tam est enim procliue Deo aliquod corpus ex nihilo facere, atque peracto opere in cuius gratiam illud corpus fabricatum est, idipsum in nihilum redigere, quàm fuit illi procliue vastam hanc mundi machinam ex nihilo fabricare, & exiguum panum numerum puncto temporis augere, haud dubiè adjecta non inuenta tanti operis materia. Hæc certè dicere potiùs decet; quàm ea quæ cum nullo Dei verbo nitantur, hoc præterea trahunt secum vt Religionem Christianam reddant ridiculam.

non sunt phantasmata.

An sint aërea corpora quorundam sententia.

Ref.

Angelorũ distributio in nouem Ordines.

At Christiani, illi nempe quibus placuit de Angelis philosophari supra Scripturam, aliter Angelorum ordines distribuerunt (quod supra à nobis ostensum est, attamen non satis plenè) id verò est quod nobis superest agendum. In prima igitur Hierarchia collocarunt Seraphim, Cherubim, & Thronos, in secunda, Dominatus, Virtutes, Potestates, in tertia principatus, Archangelos, Angelos. Præter autem eam distinctionem cuius supra meminimus petitam à diuersa cognoscendi ratione, aiunt se vt sic sentiant adductos eâ distinctione operationum quæ mentis cognitionem sequuntur, qua sic operationes distinguuntur, vt in operatione sit primò appetitus finis; hic, inquiunt, conuenit primæ Hierarchiæ; deinde, dispositio & electio mediorum ad finem; hæc conuenit secundæ Hierarchiæ: tertia exsecutio operis, hęc conuenit tertiæ Hierarchiæ. Itaque primum Chorum Angelorum volunt intentum in Deum tanquam in finem feriari, qua in re illis cum Iudæis perbellè conuenit, nam secundùm istos חיות הקדש nusquam discedunt à *throno gloriæ* (quem vocant כסא הכבוד) id est *à Dei conspectu*. Itaque Dionysius ille Angelos primæ Hierarchiæ perinde ac חיות הקדש statuit παρεστηκότας τῷ Θεῷ *proximos* nullo fungi ministerio. Deinde Iudæi eam volunt esse rationem superioris Hierarchiæ ad inferiorem, quæ sit ratio causæ ad effectum, Dionysius item ille vult superiorem Hierarchiam φωτίζειν *illuminare*, καθαίρειν *purgare* & τελειουργεῖν *perficere*: vim autem istam percipi in inferiori semper, nempe infimus ordo hanc vim percipit per secundum, secundus immediatè à primò, primus à Deo, quæ sunt Iudaica & Platonica figmenta.

Distributionis illius ratio.

& modus

Ref. tanquam Scripturæ contraria.

1.

Immò verò pugnant ista primò cum Scriptura (neque enim modò ideò hæc damnanda sunt quia Scriptura horum nusquam meminit, quanquam modesto viro id satis esse possit, sed quod Scriptura contra stet & validè repugnet.) Non est enim vt quis possit reddere rationem cur Paulus non meminerit *Seraphim* & *Cherubim* 1. cap. ad Coloss. quo loco tamen consiliũ est Apostolo ostendere Christum etiam excellentissimarum creaturarum causam esse & authorem. At *Thronorum* (inquiunt) meminit. At, inquam, Throni obtinet infimum gradum in prima Hierarchia, cur illorum meminit quę sunt in imo gradu, non in summo? quorum si meminisset, illa quæ sunt in imo nullo causæ suæ detrimento præterire potuisset: etenim valuisset argumẽtum à maiori ad minus.

2.

Secundò, legũtur in Scriptura & *Seraphim* & *Cherubim* missi & verò versantes in terris, hæc ratio omnem pertinaciam expugnat, itaque concidit prima Hierarchia quã volunt esse affixam Throno gloriæ. Nec explicant se hoc argumento dum respondent, Seraphim & Cherubim fuisse in terris eò quod qui aliquid facit per alium, ipse id fecisse videatur; Ita enim quidvis dici possit, & Deus fuisse in terris, nõ Cherubim & Seraphim. Tum ipsorum locorum circumstantiæ hoc satis indicant, nam cùm de eo agitur qui aliquid per alium facit, actionis quidem ἀποτέλεσμα ei tribui potest, non solent actionis circumstantiæ speciales illi tribui. Itaque malè sibi conscij hanc destituunt rationem, & ideò illos dicunt fuisse in terris quòd aliis Angelis id imperarint, nempe Vicariis suis. Sed & hoc absurdum est pari ratione, eodem enim reuoluimur. Deinde etiam, quo pacto qui sunt in vnum Deum intenti vacent illi negotio? Denique, quorsum tam longæ ambages? nam prima Hierarchia secundam illuminat, vt loquuntur, secunda tertiam. Itaque hîc opus fuit magna circuitione, quam cùm afferant contrà Dei verbum nulla nixi ratione, nihil est quod prohibeat quominus illam pro inepta & absurda habeamus. Illud porrò animaduertendum est, rationem nullam reddi posse cur certis quibusdam Scripturæ locis mẽtio fiat Seraphim & Cherubim, (qui, vt illis placet, in prima Hierarchia cõstituti sunt) quàm aliis Scripturæ locis vbi Angelorum mentio fit, si ideò Seraphim & Cherubim mitti dicuntur quia pro imperio inferiorum ordinum Angelos mittunt. Etenim hoc debuit dici

3.

4.

dici vbique, vbique debuit fieri mentio Seraphim & Cherubim, ſiquidem ideò eorum fit mentio quia mittunt, non mittuntur, nam ex eorum ſententia ſemper mittunt, nunquam autem mittuntur. Huc etiam accedit quod Apoſtolus 1. cap. Epiſt. ad Heb. ait omnes Angelos eſſe πνεύματα λειτουργικὰ *Spiritus miniſtros* & ἀποστελλόμενα. Itaque vel illi Seraphim & Cherubim non ſunt Angeli, vel miniſtrant & mittuntur. Illud autem effugium (vt nihil dicam grauius) fruſtratur eos. Aiunt enim Apoſtolum eo loco inſtituere comparationem inter Chriſtum, & eos Angelos per quos data eſt Lex, (quomodo autem data fuerit lex per Angelos ſuprà explicatum eſt) repugnat enim hoc conſilio Apoſtoli, quod eò ſpectat vt probet nihil eſſe in rerum natura, vel intra, vel extra aſpectabilis mundi limites quod cum Chriſto conferendum ſit; Itaque nil planè effeciſſet niſi omnium, etiam excellentiſsimorum Angelorum meminiſſet, immò haud dubiè fuiſſet præuaricatus, & prodidiſſet cauſam quam agebat. Sed eos qui volunt ſapere ſupra Dei verbum ſic oportet cauillari.

5.

Primum fundamentum diſtributionis in nouem Ordines, euertitur

Denique nec hoc prætereundum eſt, quod fluxo & putri fundamẽto omnis iſta Hierarcharum diſtinctio nititur: Volunt enim triplicem eſſe cognitionis gradum, qui à nobis ſupra explicatus eſt, Ergo fateantur neceſſe eſt quoſdam Angelos expertes eſſe cognitione primi gradus, nempe Angelos ſecundi Ordinis, quoſdam ſecundi generis, nempe Angelos tertij Ordinis, quod abſurdiſsimum eſt. Etenim ſecundi Ordinis Angelos neceſſe eſt cauſam primam cognoſcere, non eam duntaxat quæ ſecundum primam dicitur *vniuerſalis*. Et Angelos itidem tertij ordinis neceſſe eſt tum primam, tum ſecundùm primam cauſam *vniuerſalem* cognoſcere, non modò cauſas rerum proximas & particulares. Alioqui Deum ipſum ignorabunt, & vniuerſi naturam. Hic non occurrit quid queant reſpondere, niſi fortè hoc velint, magnum eſſe diſcrimen, eò quòd Angeli primæ Hierarchiæ perfectius cognoſcant primam cauſam, & ita deinceps. Sed hæc reſponſio futilis eſt, Etenim pugnat cum eorum verbis, volunt enim colligere ex tribus cognitionis gradibus tres Ordines, quod ſi ea fuit eorum mens, nempe alium Angelum alio iſta minus cognoſcere, non poterunt ſic probare tres tantum eſſe ordines. Deinde etiam in ſingulis Hierarchiis conſtituunt tres diſtinctos cognitionum gradus. Pugnant item iſta cum iis quæ diſputarunt de cognitione matutina & veſpertina, quarum cognitionum vtraque conuenit omnibus Angelis etiam eorum iudicio. Itaque omnes Angeli cognouerint & primam cauſam, & reliquas cauſas. Tum & illud non poteſt dici, Aiunt enim omnes Angelos frui viſione beatorum: Itaque Angelus Angelum non illuminat, vt illi loquuntur, nec eſt in Angelis alia cognitio atque alia, ſed eadem, ſpecie ſaltem, quanquam non ſit gradu eadem; nempe viſio quam vocant *beatorum* vna eſt eademque, immò ſi (vti volunt) videtur Dei eſſentia ab Angelis, nullus erit locus diſtinctioni cognitionis, nequidem illi quæ eſt *graduum*: Nam cùm Dei eſſentia ſimplicisſima ſit, non poteſt partim videri, partim non videri, quicquid enim partes habet finitum eſt, quod eſt infinitum non habet partes.

1.

2.

3.

2. fundamentum.

Atque hęc diſputata ſunto aduerſus prius illud quod ſubſtrauerunt opinioni ſuæ fundamẽtum. Alterum illud multò futilisſimum eſt, quod dixerunt in omni operatione requiri tria, nempe vt animus finem ſpectet, deinde mediorum faciat delectum quibus finem aſſequatur, denique vt opus reapſe & facto exequatur: Sunt quidem iſta veriſsima, ſed non huc pertinent, quid enim dicemus? Angelos eſſe qui ſoli fini ſunt intenti, alios qui ſolis mediis, alios mancipatos operis executioni, cùm ipſi tum finis, tum mediorum neſcij ſint? quæ omnia dicuntur perabſurdè. Neque ſic excuſari poſſunt, vt dicantur alij Angeli præcipuè fini, alij verò præcipuè mediis, alij præcipuè operi inhærere: ſic enim peccarent ſecundi & tertij Ordinis Angeli. Ratio eſt, quia Angelos oportet habere finem ob oculos, cùm ſint creaturæ intelligentes.

Euertitur.

De Angelorum titulis in Scriptura.

Venio iam ad id quod vltimo loco diſputandum propoſuimus, nempe quod ſit tandem Miniſterium Angelorum. Illud verò vt expediamus neceſſe eſt expendamus quibus nominibus aut titulis potius Angeli (boni inquam) in Scriptura ornati ſunt, pertinet enim hoc ad Miniſterij Angelorum rationem percipiendam, vt quibus nominibus appellentur quorſumque illa nomina ſpectent teneamus. Primò autem illud ſemper debet nobis eſſe ob oculos conſtitutum, cùm de Angelorum nominibus agitur, Angelos inter ſe non compellare ſe mutuò iſtis nominibus, neq; enim (vt nonnulli delirarunt) loquuntur Angeli vel hebraicè, vel græcè, ſed in noſtri gratiam, quæ illis indita ſunt nomina, indita fuerunt, Angeli certè aliundè ſe quàm de nomine cognoſcunt, quomodo autem ſe cognoſcant mutuo, id verò quoad eius fieri potuit à nobis ſuprà explicatum eſt. Itaque ſi Angelus vocatur Gabriel, aut Micael, ne putemus hoc factum alio fine quàm vt conſulatur imbecillitati noſtræ. Certè qui muti ſunt non vtuntur nominibus, neque ſi natura muti ſunt nominum vim percipiunt ſunt enim ſurdi, attamen diſtinguũt, illi quidem aliter, Angeli aliter: quomodo autem hic modus definiendus ſit ſupra dictum eſt. Primum autem Angelorum nomen, & maxime commune hoc eſt, quod *Angeli* vocantur, quod nomen & malis Angelis commune eſt, attamen longe diuerſo ſenſu, vti poſt modum liquebit. *Angeli* igitur dicuntur eodem ſenſu quo Hebr. מלאך. Illa autem vox Hebræa *nuntium* propriè ſignificat, ſed & latet in illa voce operis ſignificatio, cuius veſtigia hinc deprehenduntur quod מלאכת hebraicè *opus* ſignificat: Apoſtolus ergo cap. 1. ad Hebr. videtur complexus vtramque ſignificationem, nam Angelos vocat πνεύματα λειτουργικὰ ἀποστελλόμενα. Ergo non ſunt *nuntij* ſimpliciter, ſed *adminiſtri*.

cur nomina illis ſint indita.

1. nomeñ

Angeli.

Certè ob hanc cauſam etiam dicuntur *Exercitus* 1. Reg. cap. 22. 19. attamen non eo ſenſu quo nonnulli arbitrantur, nempe cap. 2. Geneſ. quod dicitur de cœlorum exercitu de Angelis interpretantur, nulla ratione, nam צבא *exercitum* quidem ſignificat, at non primò, etenim צבא quicquid ordinis rationem habet complectitur: Itaque & de tempore dicitur, vt cùm Iobus profitetur vnicuique conſtitutum eſſe certum quoddam tempus, vtitur hac voce. Item Eſa. 40. cap. ait *impletum eſſe* צבא *populi Iſraelis*, hoc eſt inſtare tempus liberationis Iſraelis conſtitutum.

2. Exercitus

Itaque Deus Deut. cap.4. vetat ne populus intueatur *exercitus cœlorum*. Etenim vt in temporum interuallis, sic etiam in situ & dispositione ordo quidam est, hoc verò quod illo loco dicitur *exercitus*, dicitur à Jerem. cap.7.18. מלכת id est *opus*, vbi deest quidem א, attamen hoc non est nouum. Certum autem est idem significare illic מלכת quod alibi צבא, dicitur enim Act.7.cap. Deus dedisse populum vt coleret *exercitus cœlorum*. Neque hoc mirum videri debet, cùm apud Græcos τάξις & παράταξις de exercitu dicantur. Non igitur ineptè, sed doctissimè LXX. Interpretes *exercitum cœlorum* κόσμον *ornatum* interpretati sunt: Etenim *ornatus* (si propriè & antiquè velimus hanc vocem efferre) *ordinatus* est, itaque qui loquuntur Romanè indiscriminatim *ornare* & *ordinare prouinciam* dicunt, & *ornatissimus* is est Latinè loquentibus qui per omnes honorum ordines ad summum vsque subvectus est. Ergo Angeli dicuntur *Exercitus* lib.1. Reg. cap.21. etiam *exercitus cœlorum* צבא השמים quod sint *exercitus cœlestes*, id est, ordo quidam cœlestis. Itaque cauendum est nobis sedulò ne oppugnantes figmenta Platonica & Iudaica de Angelorum ordinibus, statuamus nullum esse inter Angelos discrimen. tè cap.2. Euang. secundum Lucam, Angeli dicuntur στρατιᾶς οὐρανίου, quod nihil aliud est quam צבא השמים, indidemque colligitur nomen *exercitus* Angelis tribui, non ob id præcipuè quod Deus iis vtatur tanquam militibus ad debellandos hostes suos, (neque enim agitur de hostibus delendis apud Lucam) sed *exercitus*, id est *ordinis* nomine dum insigniuntur Angeli, significatur τάξις *ordo* quem obseruant in obeundis ministeriis suis, neque enim confusè & temerè, sed ordine conuenientissimo obeunt munia sua.

Cur dicantur Exercitus.

Etiam Cacodæmones Angeli dicuntur.

Jam vero quod etiam mali spiritus *Angeli* dicuntur, id fit vel simpliciter, nempe ad notandam excellentiam originis suæ, rarò tamen id fit, nempe quia inde exciderunt: vt cap.6. 1. ad Cor. sancti dicuntur iudicaturi Angelos, nempe denominantur eo loco Cacodæmones ab excellentiâ naturæ suæ, & originis vt constet ratio prærogatiuæ Sanctorum: Nam si nomen ipsis tributum fuisset ab Apostolo, quo significaretur eorum misera conditio, vt cùm dicuntur *Diaboli*, obscurasset illud nomen excellentiam naturæ malorum spirituum, proindeque non patuisset quanta dignitas esset Sanctorum. Et apud Judam dicuntur Angeli qui non seruarunt τὴν ἀρχὴν *originem*, seu (vt vulgatus Interpres accepit) *principatum dignitatem*, nempe eo loco agitur de Dei iustitia, itaque debuerunt Cacodæmones nomine illius quod primitus illis datum est appellari, nempe vt constaret ratio Iustitiæ diuinæ. Cæteroqui non vocantur *Angeli* absolutè, quin id nomen Angelis qui perstiterunt peculiare est: Attamen vocantur *Angeli Diaboli* & *Angeli Satanæ*, quia nempe mittuntur à Diabolo principe veluti, qui idem pari ratione ὁ ἀντίδικος *Satan* dicitur: nempe Dei adversarius est (calumniando Deum apud homines) & filiorum Dei, calumniando Dei filios: exemplo autem sit Iobus qui hanc iniuriam passus est, vnde & *fratrum Calumniator* dictus est in Apoc. & eodem ingenio præditi sunt Athei & inuidi homines, obtrectatores, quos spiritu Satanæ agi eorum opera & verba demonstrant.

at non absolutè.

Alia Angelorum nomina. Throni.

Vocantur etiam Angeli in Scriptura *Throni, Dominatus, Principatus, Potestates*. Attamen non videntur hæc nomina omnibus Angelis communia, sed τῶν *Throni* nomen est quorundam Angelorum, & ita deinceps. Cæterum pseudo-Dionysius ille Areopagita (quod tumidum & spumosum illud dicendi genus quod secutus est, vt alia taceam argumenta, satis indicat) studuit (& secundum eum Scholiastes) harum appellationum rationē reddere. Nam *Thronos* Angelos dixit eos qui supremum obtinent dignitatis gradum, hoc quidem non vsque adeò malè, nam cap.10. Dan. vers.13. mentio fit Angelorum הראשנים. Etenim Gabriel profitetur Micaelem vnum *primorum* Angelorum venisse qui ferret sibi suppetias; Nec est quod quisquam arbitretur eo loco אחד significare *principatum* in cæteros הראשנים, non est enim אחד principatus nota, sed vel numeri simpliciter, vel ordinis. Itaque cùm *vnum* (quod hebraicè אחד dicitur) *primum* interpretamur, ordine primum non principatu, sed dignitate intelligimus, vt cùm creationis dies primus hebraicè dicitur dies *vnus*, ordo significatur. Itaque *vnus primorum*, loco citato est *vnus ex primis*, vt sint multi primi, qui nempe primi dicantur non comparati inter se (absurdum enim id foret) sed primi respectu inferiorum. Sanè Apostolus hoc videtur respexisse cùm *Thronos* dixit, nempe, *inter se æquales*; Thronus enim summæ dignitatis symbolum est, cùm ergo *Thronos* dixerit, non autem *Thronum*, credibile est Apostolum voluisse notare illos Danielis הראשנים, quo sensu in Ciuitate dicuntur *primi Magistratus*, & *vnus è primis Magistratibus*. Porrò, *Dominatus* ideò dici asserunt quod nulli secundum Deum subjecti sint potestati. At Thronis id conuenit, Videant autem quomodo κυριότητες dici propriè possint hac ratione, qui Thronis subditi sunt. Δυνάμεις, *Virtutes* quòd, inquiunt, sustineant illustrationem illam quæ est à Dei conspectu validissimè. Cùm autem ventum est ad reddendam rationem cur vocentur ἐξουσίαι, eodem reuoluuntur, nam quicquid cauillentur, eandem coguntur reddere rationem nominis κυριότητος, & ἐξουσίας. Tum etiam quum quærentibus cur nonnulli Angeli dicantur ἀρχαὶ *principatus*, idipsum ferè respondent, διὰ τὸ ἀρχικὸν, propterea quod illis insit quidam *principatus*. *Archangelos* autem dicunt ideò appellari quosdam ex Angelis, quòd in Angelos reliquos imperium habent. Nos verò id putamus simplicissimum esse, nempe vt dicamus Paulum dum vult ostendere esse inter Angelos ordinem quendam, id voluisse significare nominibus earum rerum quæ in oculos nostros incurrunt quotidie: nempe in politia humana sunt *Throni*, quales sunt Regum & Monarcharum, & sunt κυριότητες quales sunt Regulorum, & sunt deinde ἀρχαὶ, quales sunt qui à Regibus & Regulis præficiuntur prouinciis aut vrbibus: & sunt ἐξουσίαι quales sunt Magistratus infimo loco constituti, & certè lingua latina *potestas* id videtur significare, vt Iuuen. Sat.11.

Locus Dan. 10. 13. illustratus.

Dominatus.

Virtutes.

Potestates.

Principatus.

Archangeli.

Pauli locus Coloss.1. 6. explicatus.

> *Cuius qui trahitur prætextam sumere mavis,*
> *Quàm fidenarum Gabiorumq; esse potestas,*
> *Aut de mensura ius dicere, &c.*

Ergo videtur voluisse Paulus simpliciter significare ordines esse, aut potius ordinem inter Angelos, attamen an sint quatuor, aut verò pauciores,

pauciores, aut plures, id verò ex verbis Pauli definiri nequit. Nam & Iudas in Epistola sua ait hereticos sui temporis ἀθετεῖν τὴν κυριότητα, καὶ τὰς δόξας βλασφημεῖν, vnde tamen nemo collegerit duos tantum esse dignitatis gradus, nisi fortè nomine κυριότητος intelligamus illum ordinem hominum qui est cum imperio, δόξης autem nomine illum hominum ordinem qui est cum dignitate sine imperio, vt cùm nobiles conferuntur cum plebeis. Summa rei huc redit, Paulus nominibus quibus humanæ res appellantur Angelos distinguit, non quidem vt ostendat accuratè quot sint inter Angelos discrimina, sed vt rem tantam nobis adumbret. Certè cap. 1. ad Ephes. meminit *principatus, potestatum, virtutum*, & κυριότητος, quo in loco neglexit ordinem, (immò verò & nomen *Throni* omisit) quem secutus erat cap. 1. ad Col. nomen verò δυνάμεις adhibuit quod non adhibuerat, vt nobis constet Paulum noluisse hic philosophari, sed & 6. cap. eiusdem Epist. ad Ephes. Cacodæmonas vocat ἀρχὰς, καὶ ἐξουσίας (nempe vt doceat quantum possint) nominibus quibus illi ornantur qui in sæculo multum possunt.

Angelorũ Princeps.

Dicuntur etiam aliqui in Scriptura Angeli *Archangeli*. Sit-ne autem aliquis bonorum Angelorum sicut malorum Princeps quæri potest. Nos existimamus id maximè conuenire tum analogiæ fidei, tum etiam Scripturæ, vt sit inter malos Angelos quidam veluti Dux & Imperator, non sit autem Dux & imperator inter bonos, sed omnes vnum eundemque Ducem & Imperatorem habere, nempe Christum, quia caput omnium Angelorum est, qui ipse non est Angelus, nisi eo sensu quo in Epist. ad Heb. *Apostolus* dicitur, nempe quatenus Mediator est, & à Deo missus, non quòd sit præditus natura Angelica. Certè huc pertinet quòd cap. 10. Dan. Micael dicitur *vnus primorum*, non dicitur (vt vir magnus interpretatus est) *princeps dux primorum*. Attamen Micael ille Dan. 12. dicitur *magnus princeps*, dicitur stare à partibus populi Dei. Et cap. 12. Apoc. inducitur bellum gerens cum Angelis suis aduersus Draconem & Angelos suos. Sed alij hic respondent Micaelem illum esse Christum, nobis non licet hoc respõdere, quia ostendimus τὸ אחד הראשנים locutionem esse eiusmodi, vt non possit denotare *Imperium in primos*, sed vel nota sit numeri, vel ordinis. Sed nos hunc nodum aliter soluimus, nempe in omni Collegio, etiamsi Collegium sit parium, necesse est aliquem esse etsi non authoritate, attamen ordine primum alioqui in Collegio & à Collegio nihil potest geri ordine. Quemadmodum ergo ad locum illum *Tu es Petrus*, fusè docuimus omnes Apostolos eiusdem esse dignitatis, eiusdem authoritatis inter se æquales, cùm tamen Petrus in illo Collegio esset ordine primus, ita inter hos הראשונים nihil vetat Micaelem ordine primum fuisse, non autem authoritate: Et sicuti Petrus omnium Apostolorum adeoque Pastorum Ecclesiæ, quia fuit ordine primus, vnitatem repræsentauit, quod à Cypriano obseruatum est, sic nomine Micaelis omnes isti הראשונים significantur, cùm dicitur *Michael & Angeli eius*. Porrò, ne cuiquam videatur insolens Micaelem nobis esse Angelum creatum, Caluinus, tametsi non pugnet acriter aduersus diuersum sentientes, tamen in ea sententia fuit. Cæterum qui putant esse aliquem inter Angelos principem,

Solus Christus.

Micael est primus in supremo Angelorũ ordine.

vtuntur loco Apostoli 1. ad Thess. cap. 4. vbi dicitur *venturus Christus cum voce Archangelis*; Sed obseruandum est eo loco non esse scriptum τῷ ἀρχαγγέλῳ, sed simpliciter *in voce Archangeli*, nam dicitur Dominus venturus cum Angelis in voce tubæ; Nos autem vocem illam tubæ non dubitamus interpretari ingentem fragorem qui Angelorum opera edetur, solet enim Deus etiam cùm miracula edit, ea facere quæ videntur vim aliquam habere ad opus patrandum, si naturæ id opus sit: sic cùm curat naturâ surdum, immittit digitum in eius aures & cùm curat natura cæcum, inungit sputo eius oculos, & cùm Lazarum excitat à mortuis, exclamat *Lazare exi foras*.

Seraphim.

Sunt etiam Angeli qui *Seraphim* & *Cherubim* vocantur, immò verò hoc nomen omnibus Angelis videtur esse commune, & quidem eodem sensu, nam שרף quidem *serpentem* significare videtur cuius venenum ignitum sit, & corpora veluti vrat, attamen & hæc vox inclusit in se significationem alarum, quare Esa. 15. 30. epithetum שרף est מעופף. Itaque שרף non est quilibet serpens, sed serpentem volantem significat, ἀσπίδα πετομένην. Et כרוב *alatum* aliquid & *volucre* significat, (quod vel inde colligitur, quòd Psal. 18. dum Dei maiestas describitur verbis res terrenas significantibus, Deus dicitur volare alis כרוב, quo loco nomine כרוב non possunt intelligi Angeli, quia continua est allegoria ducta à ventis & tempestatibus, sed proculdubio *volare alis* כרוב est velocissimo ferri motu: vnde etiam כרובים dicuntur collocati ob Hedenis hortum cum gladiis flammantibus, nihil enim igne velocius) aut speciem potius expãsarum refert alarum, vt nullus hîc dubitandi locus sit quin illi Cherubim armati gladiis flammantibus Angeli sint, quorum opera Deus ignem accenderit in aditu horti, vt extaret testimonium iræ Dei aduersus Adamum, & esset typus conditionis eorum qui ob peccatum ius adeundæ vitæ æternæ amiserunt. Certè cap. 6. Esa. Seraphim sunt *alati*, vt Seraphim & Cherubim idem sint, nam & Cherubim igneos fuisse, vel inde liquet quod gladios habuerunt flammeos, & Ezech. 10. animalia illa quæ primò describuntur, Cherubim dicuntur ob alas & ignem. Nam quod Kimhius Cherubim dictos putat quasi כרביא alienum est: Etenim Cherubim vox est Hebræa illud autem כרביא est Chaldaicum, & quidem vox composita ex כ nota similitudinis, & nomine רביא *pueri*. Seraphim igitur dicuntur Angeli quod speciem habeant igneam, ad notandam summam velocitatem & vim in exequendis Dei mãdatis, ignis enim velocissimus est, atque (vt loquuntur in Scholis) maximè actiuus. & *Cherubim* item eodem sensu dicuntur. Nõ est igitur (vt ille Pseudo-Dionysius arbitratus est) titulus *Seraphim* peculiaris certis quibusdam Angelis, nec itidem titulus *Cherubim*, sed potius omnibus cõmunis: quod Apostolus videtur expressisse Heb. 1. 6. dum locum Psalmi qui supra à nobis explicatus est, *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis* de Angelis interpretatur, aut potius ad Angelos accommodat, nihil enim aliud illa verba significant quàm Angelos esse Cherubim & Seraphim, Pseudo-Dionysius planè delirauit cũ dixit Angelos primæ Hierarchiæ *Cherubim* dici ob copiam scientiæ linguâ Hebr.

Cherubim.

vnde dict.

nomina sunt omnibus Angelis communia.

fortasse semidoctus aliquis illi hoc persuaserat quia in Cherubim est syllaba quædam רוב quæ sola seorsim sumpta *multitudinem* significat.

Angelorũ ministerium.

Iam verò ex his nominibus facile est colligere quod sit ministerium Angelorum: neque enim frustrà est inter hos hic ordo, nec ideò inest vt obeant munia sua ordine, nulla enim re Deus delectatur magis quàm ordine. Unde & ab Apostol. cap.14. 1.ad Cor. negatur esse Deus confusionis, quo loco Apostolus hortatur vt qui paribus præditi sunt donis in Ecclesia, tamen ob ordinem alij aliis cedant: quo sensu dicit *spiritus Prophetarum subjectos esse Prophetis*, non est enim hæc Apostoli mens eo loco vt qui Propheta est pendeat à iudicio alterius Prophetæ (sic enim cum Michæa pessimè actũ fuisset, & verò, vt blasphemauit quidam è Pontificiis, sic Spiritus Dei Ecclesiæ iudicio subjiceretur) sed hoc tantum vult Apostolus, vt ne qui Prophetæ sunt omnes loquantur simul, sed (vt subjicitur eodem loco) *omnia fiant ordine* & vno loquente Propheta cæteri sileant, etiamsi ceperit illos impetus. Itaque non ineptè quæritur, *An absoluto Angelorum Ministerio, cùm Deus erit omnia in omnibus, huic ordini, qui non est nisi ob ministerium institutus, locus sit futurus*, quam quæstionem non est nostrum definire.

non eos dejicit infra homines,

Deinde etiam hæ vires quæ Angelis inditæ sunt, facultates sunt muneris exequendi. Neque tamen propterea (in qua sententia nonnullii fuerunt) homines Angelis præferendi sunt, quod Angeli in hominibus protegendis Deo seruiant, nam & Regis est curam gerere subditorum suorum, & Patrum liberis prospicere, & sæpenumerò qui summo loco sunt se totos in imo constitutis impendunt: quod vel Domini nostri Iesu Christi exemplo liquet, qui in nostri gratiam exinaniuit semetipsum, & solent in ampla & magnifica domo in Patrisfamilias gratiam, etiam qui principem locum obtinent ad omnia se demittere, obsequantur modò Patrifamilias.

sed est diuinum.

Certè Angelorum ministerium vsque adeò diuinum est vt *Elohim* appellentur, id est *Dij*, quomodo etiam Iudices dicuntur *Elohim* non ob naturæ excellentiam, quia in Angelis secundùm Deum summa est, sed ob dignitatem Ministerij, nempe Iudices Ministri sunt, sed qui sint *Elohim* ministri cum imperio: itaq; non sunt eorum famuli quibus ministrant, præfecti tamen illis sunt, quanto magis Angeli? Obiter autem hic obseruandum est, Ministros & Pastores Ecclesiæ non dici *Elohim*, quia non præsunt Ecclesiæ cum imperio; solius enim Dei est præscribere leges conscientiæ. Sunt igitur Angeli πνεύματα λειτουργικὰ quidem, sed quo modo Magistratus λειτουργὸς est: alioqui *Elohim* dici non possent qui Magistratum gerunt, quando *Elohim* dicuntur propter authoritatem & imperium.

Ministeriũ Angelorũ circa Fidelium animas.

Porrò Ministerium Angelorum vel pertinet ad fideles & electos Dei, vel etiam ad Dei hostes, sed diuersa ratione, nam ad fideles pertinet tanquam ad finem, ad Dei hostes, tanquam ad medium. Itaque Ministerium Angelorum erga Dei hostes non spectat aliò quàm ad salutem fidelium, vnde dicuntur ab Apost. *mitti ob salutem eorum qui sunt Dei hæredes* capite 1.ad Heb. Id autem obeunt vel in fouendis fidelibus, vel in protegendis: vtrumque autem faciunt vel in animis fidelium, vel in corpore. Atque in animis multis modis, & primò quidem monendo, deinde etiam consolando, cuius ministerij in Scriptura passim exstant exempla, Prophetæ enim sæpè monentur, etiam mittuntur Angeli qui solentur Prophetas: verbi gratiâ, missus est Angelus qui Eliam solaretur, & ad Christum ipsum, quatenus homo fuit, missus est Angelus qui eum solaretur versantem in agone. Sed tamen obseruandum est hoc loco, id semper fieri vel specie sensili, vel quæ videtur esse sensilis: specie sensili, vt cùm vigilantibus occurrunt visibili specie Angeli, nihil opus est afferre exempla harum apparitionum, sunt enim frequentissima: specie quę videtur esse sensilis, vt in somno per somnia, cogitationes enim somniantium hoc differunt à vigilantium cogitationibus, quod qui somnians cogitat, putat se agere aut pati extrinsecus, nam opinatur se vigilare, cùm qui vigilans cogitat nihil putat se agere aut pati extrinsecus, sed solùm putat se cogitare. Sic Iosephus admonitus est ab Angelo, sed per somnium. At dum Diabolus monet suos, dum solatur item, id est dum illis blanditur, rarò hoc facit specie sensili, rarò ea specie quæ videtur esse sensilis, nam (quod potest facilè) vtitur phantasmatis quæ etiam vigilantibus objicit. Et Scriptura (vt alibi monuimus) quoties peccati meminit toties ferè meminit tentationis Diabolicę, quæ tamen non est profecta à specie sensili, aut quæ videtur esse sensilis. Causa in promptu est, nam & Angeli possunt menti objicere phantasmata, sed tamen cùm agitur de hominibus ad officium faciendum excitandis, non perinde Angelorum fit mentio in Scriptura, vt Diabolorum quoties de hominibus ab officio auocandis agitur: nempe vult Dominus mentis nostræ renouationem sibi adscribi in solidum. Neque tamen id velimus pernegare, Angelos etiam objicere phantasmata quibus excitetur animus ad bonum, tamen haud sine causa Scriptura non meminit huius actionis, & vt maximè Scriptura illius meminisset, attamen laus rectæ voluntatis nostrę Angelis non esset tribuenda. Phantasmata enim non efficaciter agunt in intellectum aut voluntatem, nisi pro eo ac voluntas & intellectus vel recti sunt, vel praui. Unde 1.Reg.cap.22. mendaci spiritui dictum est, *& praualebis*, id est, phantasma quod objicies mouebit. Tenendum est igitur arctè, iustissima de causa (cùm de iis quos vocant *bonos animi motus* agitur in Scriptura) nullam fieri mentionem Angelorum, nisi quatenus vel objiciunt speciem sensilem, vel eam quæ videtur esse sensili: vt perinde in causa salutis nos existimemus de Angelis vt de hominibus, qui promouent salutem nostram nulla interna communicatione cum anima, sed extrinsecus duntaxat, vt Angelorum hic eadem sit quæ hominum conditio: At cùm agitur de exitio nostro, deque iis quæ eò pertinent, Diabolo tribuitur interna quædam cum anima communicatio. Nata autem est in Ecclesia Romana crassa superstitio hinc quod existimarunt intercedere cum Angello internam animæ nostræ communicationem; vnde factum est, vt eos quos vocant *bonos animi motus* (insuper habito Dei Spiritu) Angelis tribuant, quasi par esset in piis bonorum Angelorum ministerium, atque in impiis cogitationibus est malorum. Etiam bonis Angelis tribuitur animas eorum qui in Domino moriuntur in cœlum subuehere, aut potius dum subuehuntur comitati.

In cor-

Miniſterium Angelorum circa fidelium corpus.

In corpore autem Angelorum miniſterium ſæpe ſeſe prodit variè, vel enim fouent hoc corpus, vt dum Eliæ cibum apponunt quo veſcatur. Etſi autem hoc non faciant viſibili ſpecie hodie in Eccleſia, tamen non eſt dubitandum quin id faciant, nam verba Pſal. 34. 8. clariſſima ſunt, *Angeli caſtrametantur circa pios & eripiunt eos:* Cuius re: multa ſunt exempla, nam in hoc genere multa nobis videntur accidere fortuitò, quæ tamen procul dubiò Angelorum ope ſubminiſtrata ſunt, tanquam Eliæ panis ille ſubcinericius, quomodo Agaræ aperti ſunt oculi vt fontem videret. Quod ſi quis quærat cur hoc non fiat hodie viſibili ſpecie vt olim, ratio in promptu eſt, lux Euangelij tam clara eſt, tam confirmata vt his ſubſidiis nihil opus ſit: Non eſt opus (inquam) vt Eliſæus Deum oret, vt oculos Gehazi aperiat vt videat currus igneos, ſed tum cùm nondum Euangelij lux clara eſſet, ſed lateret abſcondita in myſterio, cùm nondum iacta eſſent fundamenta Eccleſiæ Chriſtianæ, decebat Dei ſapientiam ita ſubuenire hominum infirmitati. Tuentur etiam corpora noſtra ab iniuria multis modis; vel enim ab ea quæ proficiſcitur à rebus inanimatis, vt cùm prohibent quominus ardor ignis ſæuiat in ſocios Danielis, quidni etiam prohibeant quominus cœli intemperies & carceris fœtor tenerum affligant corpuſculum, ſunt enim hæc omnia eiuſdem generis. Etiam compeſcunt ferarum rabiem, cuiuſmodi Daniel profitetur beneficium obtigiſſe ſibi, adeoque depellunt tela quæ ab infenſiſſimis hoſtibus in nos conjiciuntur, veluti obiecto vmbone, id verò ſi non faciunt viſibili ſpecie perinde eſt. Sæpè etiam graſſantur in hoſtes, & tunc illis injiciunt terrores, quales ſunt quos Ethnici vocant *terrores Panicos*, ſic Samaria obſidione liberata eſt; & interdum etiam aërem ſic immutant vt reddant peſtilentem, vnde ſequitur hoſtium mors, Porrò cùm hoſtes in ſe mutuò ſæuiunt, hoc potius Angelis malis tribuendum eſt quàm bonis, non poſſunt enim inter ſe ſæuire niſi odiis mutuis incendantur eorum animi. Itaque vti ſeducuntur quadringenti Prophetæ à mendaci ſpiritu, cum par ratio ſit, ſic etiam inſtinctu mali ſpiritus conſentaneum eſt exardeſcere odia inter malos. Cæterùm (quod iam ſæpè monuimus) inſtinctus iſte non ita mouet efficaciter voluntatem, vt ſi boni eſſent non poſſent obniti. Sæpè amoliuntur obſtantia, vt dum vellent piis illis mulieribus aditum patefacere in Chriſti ſepulchrum (quod non ideò fecerunt vt aperirent Chriſto iacenti in ſepulchro veluti portam, quod facilè quiuis poteſt obſeruare, modò attentiùs legat huius rei hiſtoriam apud Euangeliſtas: Certè Chriſtus peractæ reſurrectionis & peragendæ locupletes habuit teſtes, nullos habere voluit reſurrectionis in fieri: Etenim vt noſtræ reſurrectionis modum ac rationem firmiter à nobis credi, attamen non vult mente teneri quia non capit tantam rem huius vitæ ratio, ſic ſuæ reſurrectionis rationem ita temperauit, vt eius modum nos voluerit latere.) Sic etiam Petrum ſoluerunt vinculis, & ianuam carceris aperuerunt. Quod verò penè prætermiſeram, occulta quadam vi hoſtes percellunt etiam nullo edito opere externo, aut incurrente in ſenſus, ut cùm decidunt hoſtes tanquàm perculſi fulmine, cuius exemplum habemus in militibus obſidentibus Chriſti ſepulchrum.

quod ipſi tuentur ab iniuria.

hoſtes terrent.

amoliuntur obſtantia.

Cæterum Scriptura de officio Angelorum cùm hæc commemorat, tacet illa quæ traduntur à Peripateticis de cœlorum motu. Etenim notum eſt ſatis ſuperque receptum eſſe in Philoſophia quæ principatum obtinet in Scholis, cœlos moueri ab intelligentiis, quas libuit Chriſtianis Philoſophis *Angelos* appellare. Non eſt autem credibile Scripturam (quæ tota eſt in prædicanda Angelorum virtute, ea præcipuè quam exerunt in rebus quæ ad homines pertinent, in quibus eſt vel in primis cœli circumactio, vnde pendet generatio, interitus, & omnis omnino motus inferiorum & ſublunarium quæ ſunt elementaris naturæ) rem tantam voluiſſe ſilentio præterire. Immo verò Scriptura contrarium docet vel directè, vel indirectè. Directè quidem dum affirmat *omnes Angelos eſſe miſſos* ad procurandam fidelium ſalutem: Certè non poteſt eo loco (vti ſupra nobis demonſtratum eſt) ſyncategorema *Omnes* reſtringi, euehit enim Apoſtolus Chriſtum ſupra omnes Angelos, non ſupra eos duntaxat qui hominibus opitulantur, quod leuius eſt & facilius quàm torquere & circum agere cœlum. Deinde idipſum Scriptura oſtendit indirectè, reprehendit enim idololatras quod cœlū & ſtellas Numinum loco haberent, cùm ſint res inanimatæ: At nullus eſt etiam è craſſis illis idloolatris qui ſyderibus non tribuerit mentem, dummodò ſydera pro Deo habuerit. Sed Chriſtianos Philoſophos hoc feſellit, quod Ariſtotelem hic habuerint præeuntem, qui contendit cœlos moueri à Mentibus, ſingulos à ſingulis. Immò verò quot ſunt in cœlo motus tot Mentes conſtituit Ariſtoteles in cœlo. Itaque ſi ad noſtra vſque ſæcula perueniſſet, quibus deprehenſi ſunt motus ſæculo illius planè incogniti, Mentium numerum auxiſſet. Certè definitionem numeri *Mentium* ait pendere ex Aſtrologia. Itaque poſtquam tot ſunt orbes excentrici, homocentrici, & cùm ſit motus Epicycli, & planetæ in Epicyclo, tot erunt mentes, tot Angeli. Et Ariſtotelem quidem decuit hæc ſententia, conuenit enim eius principiis: Etenim vult omnem motum eſſe à mouente, & ſingulos motus à ſingulis mouentibus, vt vnus idemque mouens vnum tantum habeat & ſimplicem motum. Cùm ergo conſtituiſſet Mentes agere per modum cauſæ naturalis, id eſt, (vt loquuntur) ad extremum virium ſuarum, primum autem mobile deprehendiſſet vnico motu moueri, plus poſſe primum motorem negauit. Cùmque eius ſit ſententia cœli formam non eſſe eductam vi efficientis è potentia materiæ, adeoque neget quippiam poſſe ex nihilo fieri, conſequens erat vt negaret motum cœli eſſe poſſe ab ipſo cœlo, quatenus corpus eſt, & aſpectabile, hactenus enim ſequeretur cœlum habere cauſam efficientem, quæ induxerit illi materiei hanc formam, quod item pugnat cum eius principiis.

An Angeli orbes cœleſtes voluant.

Peripateticorum & Scholæ ſententia.

Ref. 1.

2.

3.

Ariſtotelis de mentibus ſententia.

principiis eius conſentanea.

Nam quod aiunt ideò conſtituendas eſſe intelligentias cœli motrices, quod ſit cœli motus non propter ſe, ſed propter alia, nempe iſta inferiora, videtur hæc ratio non euincere cœli motum aliunde eſſe quàm à cœli forma. Nam eſto, ſit omnis motus qui eſt propter aliud quàm propter id quod mouetur, à forma intelligente, ſeu illa ſit propriè forma vt mens humana ſeu forma aſſiſtens quæ non facit cum re mota vnum per ſe, attamen non dabimus cælum ſimpliciter moueri

ab aliijs non ſatis firmo fundamento impoſita.

propter aliud, quia quæ pars mouetur propter totum ea propter se mouetur, quandoquidem bonum totius partis bonum est, Cœlum autem mouetur propter bonum vniuersi, & si autem vniuersum non sit vnum per se, & totum per se, attamen vnum est & totum. Itaque vniuersum confusum foret si cœlum non moueretur, desit autem aliquid parti etiam totius aggregatiui, nisi altera totius aggregatiui pars suam habeat perfectionem. Nisi ergo cœlum moueatur, deerit aliquid cœlo, nempe cœlum erit pars totius imperfecti; sitne illud totum *aggregatiuum*, aut totum per se perinde est: nam & domus totum aggregatiuum est, neque potest ratio singularum domus partium constare, nisi omnes partes domûs suam habeant in summa ἐν τῷ ὅλῳ perfectionem. Deinde etiam, nisi cœlum moueretur decederet aliquid pulchritudini cœli, duplicem autem habet cœlum pulchritudinem, quarum altera est cœli substantia, hanc quidem non amitteret cœlum etiamsi non moueretur, non enim contraheret rubiginem à quiete; sed est altera cœli pulchritudo, quæ est in ordine & situ partium, consequenterque in motu, vt nimirum exurgat illa harmonia, non dicam iam soni, quam affinxerunt Pythagorei cœlo, sed motus & situs partium, cuius imaginem videre est in saltatione Musica, quæ concinnitate motus delectat. Res est per se clara & euidens: fingamus enim omnia stare, cœlum & stellas, tollatur vicissitudo ista, quæ quando harmonica est pulcherrima est, non est enim vicissitudo melioris & peioris, sed vicissitudo boni. Quod si Aristoteles Deum credidisset conditorem cœli, & formam rudi & indigestæ materiæ indidisse, omninò perinde atque docet elementa moueri ab efficiente quatenus impressit formam elementis, & asseruisset cœlum moueri quidem à Deo, sed quatenus Deus indidit cœlo formam, quam sequitur iste motus. Sed redeamus ad institutum, illud modò monuerimus, expendenda etiam atque etiam esse à Christianis dogmata Philosophorum, neque temerè eundem esse in eorum sententiam, nisi prius habeamus ob oculos quod sit eorum πρῶτον ψεῦδος *primum verum*, quod si deprahendamus ex Religione Christiana esse *primum falsum*, discedendum est ab illa sententia, idque eò securius quod inde discedentibus recta ratio nunquam aduersabitur. Nam quæ sequantur grauia incommoda de motu cœlorum à Mentibus profectò, nisi iam anhelaremus ad metam huius disputationis, possemus Deo iuuante ostendere, & (quod pace omnium dictum sit) vt nobis quidem videtur, quæ contra afferuntur refellere, nam præ eo argumento quod refutauimus reliqua leuissima sunt.

Non sunt temerè amplectenda Philosophorum dogmata.

Quærendum igitur nunc est, *An singulis hominibus singuli Angeli tributi sint custodes.* Quæ opinio ideò debet suspecta videri quod celebrata est ab Ethnicis, qui singulis hominibus statim natis adscribebant singulos bonos & singulos malos genios, quos eorum lateribus veluti affigebant. Attamen non quicquid suspectum est idipsum temerè debet rejici, neque enim inter Ethnicorum sententias nihil sani est, nam & nonnulli eorum vnum Deum esse crediderunt. Itaque stet sanè hæc sententia si ex Scriptura probari potest, stet si non potest improbari ex Scriptura. Certè in Scriptura de hac peculiari custodia Angelorum altum silentium, nam quod Psal.34. *Angelus Domini dicitur castra-metari circa pios*, id Psal.91. explicatur, cùm dicitur Deus Angelis suis mandasse curam suorum, & quidem vsque adeò diligentem & sollicitam, vt caueant ne fidelium pes offendatur. Itaque *Angelus Domini* ex Scripturæ locutione est quilibet Domini Angelus, quomodo *iustus homo* in Scriptura dicitur quilibet iustus, & Diabolus dicitur quilibet Diabolus, sic etiam *Angelus Domini* quilibet Angelus Domini; Immò locutio hæc est nobis perfamiliaris, dicimus enim famulum obsequi domino suo, famulum curare res heri sui cùm non intelligamus tamen certum quendam famulum: & quod ex hoc loco (cuius explicatio nobis præbuit occasionem digrediendi in hanc disputationem) petunt argumentum, id quàm sit futile supra à nobis demonstratum est. Vnicus superest locus Act.12. qui videtur huic sententiæ fauere, quo loco ancilla Rhode reprehenditur à piis quibusdam qui in vnum conuenerant locum, quod temerè Petrum credidisset stare præ foribus, quam reprehensionem dum illa asseueratione à se studet amoliri, responsum est, *esse Petri Angelum.* Sed primò sumunt pro confesso quod non est positum extra omnem controuersiam, eo loco *Petri Angelum* non significare *nuntium eorum quæ Petro acciderant.* Certè qui sunt in vinculis & carcere solent nuntiorum operâ vti, qui significent quo in statu res suæ sint: Itaque nihil est absurdi si statuamus *Angelum* eo loco *nuntium* dici græcè. Quod verò dicitur eo loco Rhode agnouisse vocem Petri, id Rhode si significauit non impetrauit fidem, fieri autem potest vt non significarit, sed tantum affirmarit Petrum stetisse præ foribus; At verò cùm perseueraret, eò tandem ventum est, vt (quod solet accidere) Petri iniecta mentione à Petri nuntio, quibuscum Rhode res erat putarint Rhoden secius rem accepisse. Deinde, etiamsi demus eo loco Angelum intelligi propriè custodem Petri, (quamquàm si hoc detur necesse est demus etiam Angelos custodes figuram, & reliqua eorum quorum custodes sunt assumere, nempe vocem, gestum, &c. quæ quorsum pertineant non facilè est dispicere, etenim ista non simulantur nisi illudendi causa: Itaque Diabolus sic solet illudere miseris hominibus, vt cùm Samuelis assumpsit figuram, bonos Angelos non est credibile sic illudere) sed vt hoc demus, non tamen peculiaris Angelus denotabitur, vt cum dicimus *medicum Regis, famulum Regis* non certum quendam medicum, aut famulum intelligimus, sic per vices solent excubare milites, & qui excubat quandiu excubat, *excubitor* dicitur, attamen non intelligitur certus quidam & peculiaris affixus semper huic curæ, nulli decedens, nec vlli succedens. Certè *princeps regni Persici* Angelus fuit cui Deus curam commisit Persici regni, Attamen iste Angelus non fuit solus, neque necesse est statuamus Angelum istum fuisse huic regno perpetuo affixum, sed vna cum reliquis Angelis curam regni gerebat, vt manifestè colligitur ex 10. cap. Dan. Certè cùm agitur de Lazari anima subuehenda in cœlum non fit mentio vnius Angeli, sed Angelorum; absurdè, si Lazarus peculiarem habuit Angelum: sanè maiorem affert consolationem à pluribus quàm ab vno Angelo custodiri.

An singuli homines singulos habeant Angelos custodes.

Scripturæ loca quæ videntur hoc affirmare. 1. 2. 3. *Resp. 1.* 2. 3.

Atque hæc sunt quæ nobis visa sunt idonea ad cogni-

ad cognitionem Angelorum adipiſcendam quæ in Scriptura nobis tradita eſt, quam diſputationem claudimus hac admonitione, vt caueat vnuſquiſque ἐμβατεύειν εἰς ἃ μὴ ἑώρακεν *irrumpere temere in ea quæ non vidit*, etiam cum de Angelis ſermonem inſtituit. Cuius rei Auguſtinus etiam nos monet 57. cap. Enchir. ad Laur. quo loco fatetur ſe non percipere quæ ſit diſtinctio Thronorum &c. nempe aut ignotus fuit illi, aut contemptus Pſeudo-Dionyſius Areopagita. Porrò, operæpretium eſt conſiderare vnde fiat quod Angeli miſeris mortalibus miniſtrant, peccatoribus præſertim. Hoc verò Chriſti beneficio nobis impetratum eſt, is enim eſt ſuper quem Angeli aſcendunt in cœlum & deſcendunt in terram. Itaque ab Apoſtolo 1. ad Epheſ. dicitur ἀνακεφαλαιώσασθαι *omnia quæ ſunt in cœlo & in terra*. Jam verò quæritur quid ſit apud Apoſtolum illa ἀνακεφαλαίωσις, ac primò quorum ſit, ſecundò quid ſit. Sunt qui nomine *eorum quæ ſunt in cœlo* intelligunt animas Patrum in cœlum receptas, eorum nomine *quæ ſunt in terra* hominum animas à corpore nondum ſolutas: ſed hæc interpretatio videtur nimis arguta, quia ſi intelligatur reconciliatio cum Deo ſignificatio erit diluta, ſenſus enim erit, *Chriſtus tam reconciliauit Patres quàm nos Deo.* Sed videtur maius aliquid deſignaſſe Apoſtolus, & creaturas omnes diuiſiſſe in cœleſtes & terreſtres, & affirmare Chriſtum iſta omnia eſſe recapitulatum, hoc eſt, Angelos & homines, vt Caluinus explicat. Itaque dubitandum non eſt quin Apoſtolus intellexerit *Angelos*, quorum ſedes propria cœlum eſt, & *homines* quorum ſedes natiua eſt terra, ſupernaturalis autem cœlum eſt in Chriſto, ſanè quod anima recipitur in cœlum ſeiuncta à corpore ſuperat naturam, quod Angeli ſunt in cœlo non ſuperat naturam, immò non niſi ob œconomiam & λειτουργίαν verſantur in terra. Itaque aptiſſimè *ſpiritus cœleſtes* dicuntur τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *fideles* autem τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.

Locus Eph. 1. 10. explicatus.

Quoniam recapitulauit Chriſtus.

Sed quæ ſit hæc ἀνακεφαλαίωσις quæri poteſt. Ac primò quid ſignificet iſta vox eo loco. Putant eſſe Metaphoram ductam à re oratoria. Nam ἀνακεφαλαίωσις apud Rhetores eſt breuis recollectio eorum omnium quæ dicta ſunt fusè & copiosè. Cæterùm non videtur conuenire vt Apoſtolus mutuatus ſit ab Oratoribus Græcis & Sophiſtis locutiones quibus voluerit exprimere rem tantam: Et certè propiùs intuenti iſta ſimilitudo non videbitur ſatis grauis, neque ſatis familiaris plebi ad quem ſcripſit Apoſtolus. Non enim ſolent Chriſtus & Apoſtoli vti ſimilitudinibus quæ redolent ſæculi ſapientiam, ſed iis quæ ſunt familiares & obviæ, & penè petitæ è triuio. Itaque ἀνακεφαλαιώσασθαι potius eo loco nomen eſt deductum ἀπὸ τοῦ κεφαλαίου; eſt autem κεφάλαιον vox græca quæ ſignificat συναρίθμησιν *ſummam plurium numerorum*, quam *caput* liceat appellare, vt in Additione arithmetica, quæ etiam vulgò manifeſta eſt, ſumma Additionis κεφάλαιον dicitur, in quo plures numeri vnum faciunt, vt ſi vnum vni addatur conſurgit numerus qui omnes vnitates illas in ſe complectatur, ipſe tamen vnicam numeri ſpeciem conſtituens. Itaque Apoſtolus dum voluit ſignificare rudibus hominibus vnionem cum Angelis per Chriſtum, ſimilitudine vſus eſt perquàm familiari, nam & artis Arithmeticæ imperiti & penè infantes ac pueri naturæ ductu ἀνακεφαλαιοῦνται. Huc etiam & illud accedit quod lingua quæ Apoſtoli temporibus familiaris erat Judæis (cuius linguæ phraſim vbique ferè ſequitur Spiritus Sanctus in Nouo Teſtamento) הסכמה *conſenſum* ſignificat: Eſt autem הסכמה à voce Chal. סכום quæ vox *ſummam* ὁ κεφάλαιον numeri Chaldæis ſignificat (itaque Exod. 5. quo loco agitur de laterum numero præſcripto, hebraicum eſt מתכונת & תוכן, at vbique Chaldæus Interpres סכום poſuit, id eſt κεφάλαιον *ſummam numeri*) Vnde הסכים *conuenire* & *conſentire* ſignificat, ſignificatione in ſpeciem neutra, reapſe actiua; eſt enim in Hiphil quæ ſignificationis eſt actiuæ. הסכים igitur *conuenire* eſt, vt qui conuenit author ſibi ſit vt conueniat, quemadmodum השכיל idipſum eſt quod latinè *animaduertere*, eſt autem animaduertere ſignificationis in ſpeciem neutræ, at reipſa actiuæ. Cùm igitur הסכמה *conſenſum* ſignificat à סכום quod *ſummam* ſignificat, nullum dubium eſt quin intelligatur ab Apoſtolo coadunatio Angelorum & hominum veluti in vnam ſummam. Nam in ἀνακεφαλαιώσει Rhetorica non eſt coadunatio in vnum, ſed breuis multorum repetitio, at in ἀνακεφαλαιώσει Arithmetica vnus ſit numerus.

Quid ſignificet ἀνακεφαλαιώσασθαι.

1. ſententia.

Rejicitur.

2.

Hinc oritur noua quæſtio, *quo pacto Chriſtus homines & Angelos in vnum redegerit*, & reſponſio facilis eſt, vel enim quæritur ἀποτελέσματος ratio, vel medij cuius interuentu peruentum eſt ad hoc apotelesma. Hoc loco illud occurrit primum, quod per Chriſtum homines qui in prima creatione erant ex terra terreni & animales, redduntur, quantum eorum ſubſtantia & natura ferre poteſt citra implicationem contradictionis, ἰσάγγελοι. De anima nullus eſt dubitandi locus; de corpore quantum ferre poteſt corpus. Neque manet dubitandi locus quando Apoſtolum audimus aſſerentem, *Corpus mortale reddi immortale, corpus animale reddi ſpirituale.* 1. Corinth. 15. Vnde ἰσάγγελοι dicuntur à Chriſto. Deinde Angeli, perinde atque omnes Dei creaturæ, propter peccatum infenſi ſunt homini: Itaque dum homini reconciliantur, homo viciſſim illis, ſit ἀνακεφαλαίωσις illa quę illius, cuius iam meminimus, ἀνακεφαλαιώσεως cauſſa eſt. Vnde factum eſt vt Chriſto ſtatim nato Angeli advolarint, & Deo gratias egerint, hominibus autem fuerint gratulati: Indidemque proficiſcitur quod lætitia ſingulari perfunduntur quoties conſcij ſunt (conſcij autem ſunt pro creaturæ modulo) pœnitentiæ & conuerſionis peccatorum; nam vt Deus creaturam quâ eſt creatura non poteſt odiſſe, (vnde fit vt ſublato peccato per Chriſtum reconcilietur creaturæ) ſic item boni Angeli, perinde ac pij inter homines, non oderunt malos quâ homines ſunt, ſed quatenus mali ſunt.

Quomodo Angeli & homines in vnum coaleſcant per Chriſtum.

Porrò hæc fuit ratio mediorum quibus ad hoc Apotelesma peruentum eſt. Chriſtus peccatum ſuſtulit, atque vt in cruce diſcrimen illud aboleuit quo Gentes à Judæis diſtinguebantur, nempe producta in lucem veritate typorum & vmbrarum legalium, quibus ceu ſymbolo quodam & intergerino pariete Judæi à Gentibus ſegregabantur; ſic etiam peccatum deleuit, quo Angeli boni ab hominibus malis ſeparati fuerant ac ſeiuncti. Exemplum autem huius rei eſto obvium & familiare, in regno quandoque magna ſubditorum pars à Rege deſciſcit, atque ita non modò Regis, ſed etiam bonorum ciuium in ſe odia accerſunt, ſi mali illi ſubditi redierint in gratiam

Qua ratione facta fuerit iſta recapitulatio.

Simili illuſtratur.

cum Principe, continuò fit vt & cum bonis ciuibus in gratiam redeant, atque ita fit *Recapitulatio* quædam, (vt vtamur Apostoli verbo) & quæ fuerunt disiecta & dissipata membra in vnum coalescunt. Ergo Christus dicitur reconciliasse per crucem Judæos & Gentes, Angelos & homines, quia occasionem inimicitiarum sustulit in cruce, quomodo iam à nobis dictum est. Hoc autem fieri non potuit nisi Judæi & Gentes reconciliarentur Deo: vt id fieret tamen nihil opus fuit vt Angeli Deo reconciliarentur.

Quid sit Reconciliari Socini sententia.

At quid sit *Deo reconciliari* non videtur constare, nam reconciliatur alicui non qui exosus est (inquit Hæreticus) sed qui odit. Itaque & hoc loco nobis id est expendendum, eòque magis quod huius quæstionis explicatio pertinet ad explicationem rationis qua Christus dicitur *recapitulasse Angelos*. Primò autem obseruandum est, Hæreticum hallucinari dum putat reconciliari tantum eum qui odio habuit, non qui odio habitus est, sunt enim ista relata, eiusque locutionis adeò exstant exempla in lingua latina, quibus ideo nō vtimur quia Apostolus non scripsit latinè: In lingua græca autem vsque adeo familiaris est hæc locutio vt potuerit in Lexicis illius exempla deprehendere, vt cùm Lexicographi citant locum ex Ajace μαστιγοφόρῳ apud Sophoclem, quo loco Tecmessa inducitur narrans Ajacem prætextum esse ὡς καταλλαχθῇ θεοῖς χόλου *vt reconcilietur Diis ob iram Deorum*: nempe Ajax Tecmessæ imposuerat, simularat enim se ideò tentorio egredi vt expiaret peccata sua. Immò verò etiamsi nulla huius generis occurrerent exempla, loci quibus Apostolus ea voce vtitur cùm agitur de nostra redemptione, euincunt ita se rem habere; nam capite quinto Epistolæ ad Romanos δικαιωθῆναι & καταλλαγῆναι *iustificatum esse* & *reconciliatum esse* eadem sunt; Ergo quæ argumenta probant *iustificari* esse *consequi remissionem peccatorum*, eadem probabunt *reconciliari* nihil aliud esse quàm *restitui in gratiam cum Deo*: & capite quinto 2. Epistolæ ad Corinthios cùm Deus dicitur *fuisse in Christo reconcilians sibi mundum*, subiungitur μὴ λογιζόμενος *non imputans* (in Indicatiuo) *peccata*. Ratio ergo reconciliationis est in eo sita, quod Deus remittit peccatum: ac propterea reconciliatur non modò qui odit, sed etiam qui odio habitus est, siquidem is qui odio habitus est remissionem peccatorum accipit, non indulget. Nec obstat quod scriptum est primo capite Epistolæ ad Coloss. *nos fuisse reconciliatos cùm* ἐχθροὶ τῇ διανοίᾳ *inimici mente essemus*: nam vt illud taceamus posse nos dici *inimicos mente* quia Deus nos oderat ob mentem à se alienam, sequitur enim continuò τοῖς ἔργοις *ob opera*, dicimur præterea *inimici mente* eo loco, vt antecedentis nomine intelligatur consequens, nempe ac si sic locutus fuisset Apostolus, *Deus nobis qui eum oderamus, proindeque odio digni fuimus, peccata condonauit*. Atque hanc esse Apostoli mentem indicat vox immediatè præcedens ἀπηλλοτριωμένους *abalienatos*, non *alienos*: quomodo capite 2. ad Ephes. Gentes dicuntur fuisse *abalienatæ à fœdere promissionum*, nempe eo quod ad Gentes non pertinebant salutis promissiones Israeli factæ ante exhibitum Messiam (quorsum & pertinet quod ait Dominus *se non esse missum nisi ad perditas oues domus Israelis*) tum autem demum Messias exhibitus est plenè, cùm peracto in terris redemptionis nostræ opere in cœlum ascendit, atque inde Spiritum Sanctum misit: Huc etiam & illud facit quod Apostolus ad Ephes. cap. 2. hanc reconciliationem definit *libertatem accedendi ad Deum*. Itaque non intelligitur ab Apostolo reconciliatio tantum eorum qui odio habuerunt, sed etiam eorum qui odio habiti fuerunt, immò verò prius illud posterius hoc sequitur, non præcedit: non enim remittuntur nobis peccata quia fuimus pij, sed vt simus in posterum. Itaque reconciliamur Deo ea reconciliatione quæ pertinet ad eum qui odio habitus est, vt reconciliemur in posterum ea reconciliatione quæ pertinet ad eum qui odio habet.

Ref.

Ex Græcis exoticis Scriptoribus.

ex Paulo 1.

2.

3.

Socini de reconciliatione nostra. sententia. Ref.

Vnde sequitur Hæreticum nihil fuisse promoturum, etiam si probasset καταλλαγὴν significare reconciliationem quæ est illius qui odio habet, finis enim non tollit media, sed præsupponit potius. Itaque cum amor Dei in cruce Christi (cuius Apostolus semper meminit quoties meminit amoris Dei) hunc habuerit finem, vt miseros mortales pelliceret ad amorem ipsius, non continuò ex eo quod per mortem filij Dei nos excitati sumus ad Deum amandum fuisset secutum Filium Dei non satisfecisse pro peccatis nostris, (quod ille contendit) immò verò contrarium sequitur. Id quod dum Apostolus obseruat, tanti facit vt in hoc existimet vel præcipuè elucere admirabilem illam lucem bonitatis Dei, & sentiri vim amoris diuini, quo Deus nos etiam tum cum essemus alieni ab eo, per filium, & quidem per filium vnigenitum, nos reconciliauit sibi: nempe vt erepti tyrannide hostium nostrorum, & imperio illius qui imperium habet in mortem abolito nos ei seruiamus. Jam verò si ista reconciliatio est flexio cordis nostri ad amandum Deum, (vt ne illud prætereamus) hæc, inquam, reconciliatio de qua egit Apostolus, non videtur posse reddi ratio idonea, cur sanctificatio cordis constituta fuerit ab Apostolo finis huius reconciliationis, nihil enim sui ipsius potest esse simul medium & finis; Atqui ita sensit Apostolus ad Coloss. capite 1. vers. 22. & passim in Epistolis.

Angeli non sunt cum Deo reconciliati,

nec Mediatorem habent.

Hinc colligere est reconciliationem, quoties tribuitur Angelis (tribuitur autem disertis verbis ad Coloss. 1. 20. siquidem *quæ sunt in cœlis, & quæ sunt in terra*, eadem Apostolo significant quæ versu proximè antecedenti, vbi Apostolus nomine *eorum quæ sunt in cœlo* Angelos ipse designat) non significare reconciliationem Angelorum cum Deo, proindeque nullo Scripturæ loco niti sententiam maximi viri, qui ex Ephes. cap. 1. collegit beneficium redemptionis etiam ad Angelos pertinere: nihil enim est aliud ἀνακεφαλαιώσασθαι cap. 1. ad Ephes. quàm est ἀποκαταλλάξαι *reconciliare*, εἰρηνοποιήσας *pacificare* capite 1. Epistolæ ad Coloss. Jam verò boni Angeli nunquam fuerunt à Deo alieni: itaque ista *recapitulatio* non est Angelorum cum Deo, sed Angelorum & hominum. Et certè videtur disconuenire vt Angeli boni Mediatorem habeant, non vna de causa: Nam primò Mediatoris hæc conditio est vt debeat particeps esse vtriusque naturæ, iam verò Dominus noster Jesus Christus non fuit particeps Angelicæ, sed humanæ naturæ; tum etiam (quod ab Apostolo obseruatum itidem est capite 3. Epistolæ ad Galatas) non est Mediator qui idem non est duorum Mediator, & quidem duorum propter dissidium, alioqui frustrà illa ratio allata fuerit ab Apostolo; Nam cùm Lex non pronunciet veluti edita

edita voce homines esse peccatores, Pharisæi colligebant, quod hodie colligunt Sophistæ, fieri posse vt quis per Legem iustificetur: quorsum enim, inquiunt, Deus dedisset legem, nisi homo prædictus esset viribus ad legem implendam? Quod argumentum Apostolus, etsi aliter, tamen etiam hoc pacto refellit, *Lex* non est data simpliciter, inquit, sed *data est per Mediatorem.* Ergo data est hominibus alienis à Deo: Argumentum nullum erit si Mediator potest esse eorum qui non sunt alieni à Deo. Itaque si vera est Apostoli & legitima argumentatio, Angelorum non erit *Mediator.* At *Conseruator* tamen erit, absit enim vt putemus creaturam, quæ non potuit esse sine Deo, sine Deo stare posse. Et quidem hic *Conseruator* non alius erit quàm CHRISTVS, non quidem quâ Mediator est, sed quâ Dei filius, per quem omnia condita sunt, & qui omnia sustinet verbo potentiæ suæ: Attamen non negamus Christum (etiam quâ Mediator est) *Caput* esse Angelorum, quatenus nempe Angeli veluti milites sunt & famuli, quoties agitur de Ecclesia tuenda.

sed Conseruatorem Christum.

AD MATTH. Cap. XVIII. Verf. 15. 16. 17. & 18.

Si frater tuus in te peccauerit, &c. *Dic Ecclesiæ,* &c.

ITEM, ad Verf. 19. & 20.

Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic sum in medio eorum, &c.

Ordo dicendorum.

QVÆ sit Christi mens hoc loco etsi non est obscurum, attamen quia non modò variæ, sed discrepantes etiam sunt de re tanta interpretum sententiæ, visum est & hunc locum quoad eius fieri à nobis potest illustrare. Quod vt fiat à nobis commodè & ordine, primùm necesse est consideremus qui sint quos Christus hoc loco compellat. Id verò videtur esse constitutum extra controuersiam, sunt enim (vt ex serie narrationis constat) discipuli Christi, sed cùm discipuli Christi vel sint etiam Apostoli, vel simpliciter discipuli Christi, necesse est teneamus, an Christus discipulos suos alloquatur vt discipulos simpliciter. Nam qui *Christiani* demum, ij primitus *Discipuli* vocati sunt, Christiani enim Antiochiæ primùm sunt appellati qui Christo nomen dederunt, vt ex Actorum libro constat, & *Discipuli* dicuntur Euangelij secundùm Johannem capite 6. omnes Christi sectatores, etenim fit eo loco mentio discipulorum qui à Christo secesserunt: & תלמידים linguâ Hebraica iidem sunt qui lingua Græca φοιτηταὶ *auditores.* Certè Christus discipulos suos non alloquitur, quatenus Apostoli sunt, nam hactenus commendat illis tantum ea quæ pro Apostolici muneris ratione iis incumbunt agenda, hic autem præcipit illa quæ omnibus Christianis communia sunt. Quæ distinctio diligenter obseruanda est, ne nobis id accidat quod Pontificiis, qui pro animi libidine & ingenio ista confundunt: verbi gratia, Christus iussit omnes discipulos bibere dum celebraretur Cœna Domini à discipulis primùm, hoc illi putant præscriptum à Christo discipulis, non vt discipulis simpliciter sed vt Apostolis, itaque negant ius bibendi commune esse proceribus Ecclesiæ

1. Considerandum quos hic Christus alloquatur,

Nempe Apostolos quatenus sunt Discipuli,

siue Christiani:

non autem quatenus Apostoli.

Quæ distinctio obseruanda contra Pontificios.

1.

cum populo. Rursus cum Dominus noster vocat discipulos sal terræ, lumen mundi, vrbem constitutam in montis iugo, illi perinde dictum interpretantur ac si Apostolis non quatenus Apostoli, sed quatenus simpliciter discipuli sunt, dictum foret; indidemque concludunt Ecclesiam Dei semper esse aspectabilem, non modò fidei oculis qui animæ sunt oculi, sed etiam corporis oculis. Absurdè, nam Apostolici muneris ea ratio fuit, vt cùm missi essent ad prædicandum toto orbe Euangelium, neque eorum doctrina, neque vita debuerit, aut potuerit esse clancularia; imò illis præscriptum fuerat à Christo, vt quæ audierant clam ea publicitus efferrent: id verò non incumbit semper agendum omnibus Christianis vbique, ne iis quidem qui aliorum doctores sunt. Quod vel ipsi Jesuitæ fatentur, nihil enim est quod non conentur vt lateant iis in locis in quibus sine certa pernicie in publico nequeunt versari. Quod si fit prudenter, non astutè & insidiosè, hactenus quidem reprehendi non debet, nam & Christus ipse latuit aliquandiu, & se subduxit non semel furori Judæorum, sed id-ne fiat ab illis subdolè & vulpium in morem, penes, non iam dicimus veros Christianos, sed quicumque vllum habent sensum humanitatis, esto iudicium.

2.

Hæc autem admonitio inanis est, nisi certa sit quædam regula qua distingui possint illa quæ Christus dat Apostolis suis præcepta cum omnibus Christianis communia, ab iis præceptis quæ discipulis, qua sunt Apostoli, sunt peculiaria. Hæc verò regula non est vna, nam vel pendet à locutionibus Christi, vel à rei natura, & conditione de qua loquitur Christus: Nam dum discipulos compellat, dum iis dat præcepta, quoties agitur iis de rebus quæ ad eorum munus spectant propriè, compellat eos vniuersos, non vtitur singulari numero, sed plurali. Rursus cùm agitur de iis rebus quæ discipulis conueniunt, non quatenus Apostoli simpliciter, sed quatenus Christiani sunt, plurali quidem vtitur numero quandoque, sed ad singularem statim delabitur, cuius rei exemplum est capite 6. Euangelij secundùm Matthæum. Sed certissima norma hæc est, vt res ipsas de quibus agitur intueamur, sint-ne eiusmodi quæ certo cuidam hominum ordini conueniant, an verò quæ omnibus hominibus in vniuersum competant: verbi gratia, non est omnium prodire in publicum, itaque nec omnium est ciuitatem esse positam in monte, at Apostolorum tamen est in publicum prodire, missi enim sunt hoc fine vt ne in angulis modò, sed quod fecit Paulus Athenis, palam prædicent Euangelium: At patienter ferre, &, quatenus fieri potest, studere modis omnibus vt resipiscat frater, aut verò non habeatur pro fratre, id non Apostolorum modò, sed omnium omninò est hominum. Cum igitur ita se res habeat, nonnullis (iisque viris doctis) visum est illa verba *quæcumque ligaueritis in terra,* &c. pertinere ad omnes Christianos; nempe dicunt orationem esse continuam. Cæterum si nihil aliud afferunt, afferunt id quod est in controuersia; nam certè si spectentur ipsa verba oratio non est continua, multa enim sunt interiecta, si verò res ipsa spectetur, nec oratio videbitur esse continua, quandoquidem durum est affirmare cuiusuis esse ligare & soluere; nam Petro vt singulare priuilegium

Ad hanc distinctionem regulæ obseruandæ.

1. A Christi locutione.

2. A rei de qua agitur natura.

Hæc Christi verba, *quæcumque ligaueritis,* &c. non sunt dicta omnibus fidelibus.

Quod liquet.

1.

capit 16. tribuitur potestas ligandi & soluendi, quæ etsi omnibus Apostolis communis fuit, certa tamen quadam ratione (quæ non fuit Apostolis communis) Petro conueniebat, vt explicatum est à nobis in illum locum. Deinde locutio non est eadem, nam priori loco Christus vtitur numero singulari, posteriori plurali numero; Iam reddi potest ratio cur à plurali numero ad singularem transitus sit, vt videre est in præceptis Legis apud Mosem, at à singulari ad pluralem non fit temerè transitus. Sed hæc clarius cum ad eum locum erit peruentum, à nobis explicabuntur. Certè societatem Christus intellexit omnium Apostolorum, non quod singulis Apostolis seorsum non conueniret *ligare* & *soluere*, sed dico Christum intellexisse societatem Apostolorum, quia Apostolis id conueniebat. Quomodo autem huc delapsa sit Christi oratio postea ostendemus.

Secundò, considerandum de quibus peccatis Christus hic loquatur.

Secundo loco considerandum est in qua caussa Christus hæc præcepta dedit, nam plerique omnes Orthodoxi putant hic agi de peccatis in Deum, quæ admittuntur non publicè sed clam, consciis tamen hoc & illo. Res autem clara est (absit modò præiudicium ab hominum authoritate) neque enim Christi verba hæc sunt, *Si quis in Deum peccet*, sed, *Si quis peccet in te*, quæ verba quid sonent non est ambiguum. Maldonatus qui hanc interpretationem reprehendit (est autem Caluini & Bezæ) hanc, inquam, quæ facit vt verba, *Si quis peccet in te* significent si quis peccet te conscio, excusat, negat enim eam pugnare cum Christi verbis, (tantùm affirmat repugnare consilio Christi) quod similis locutio occurrat Psal.15. *Tibi soli peccaui*. Sed interpretes Orthodoxi de hoc loco non cogitarunt ne per somnium quidem, non est enim neque similis locutio, neque sententia par: nam apud LXX. Interpretes versum est, *Tibi soli peccaui*, potuit quidem & verti, *In te solum peccaui*, & quidem ad verbum. Sed quoties Apostoli & Euangelistæ Hebræis vtuntur phrasibus, iis fermè vtuntur quomodo versæ sunt ab iis qui Vetus Testamentum ex Hebræo Græcum fecerunt, attamen quia hoc potest esse non perpetuum, ratio hæc non foret satis valida, nisi res ipsa reclamaret. Non est enim mens Dauidis agnoscere se peccasse Deo conscio, etenim peccatum eius erat iam vulgatum, & diluta nimis oratio est: hoc tantum voluit, hominum iudicio (quod est carnale & crassum) videbatur tantum in Vriam peccasse, at hoc ille dicit vsque adeò leue esse, vt præ offensa quam in Deum admisit, penè nihil sit, & planè nihil; quomodo terra cum cœlo comparata à Mathematicis deprehenditur nullam habere magnitudinem, sed instar puncti esse. Itaque vt Petrus ait Ananiam & Sapphiram non mentitos esse hominibus, sed Deo, quanquam etiam hominibus mentiti sunt, ita planè negat Dauid se peccasse hominibus sed Deo, quod verba sequentia satis indicant, *Vt iustificeris in verbis tuis, & sis purus quando iudicas*; non est enim peccatum adeò graue vt mereatur maledictionem si ad proximum referatur, sed inde est omnis peccati grauitas quæ facit vt peccator tam horrendo supplicio afficiatur, quod peccata secundæ tabulæ in Deum ipsum redundant. Itaque stat hoc, verba ista *si quis peccauerit in te* idem significare quod significarent ista, *Si quis peccauerit aduersus te*.

In te non hic significat, te conscio.

Sed significat, aduersus te.

Quod probatur. 1.

Quod si quis neget, reuinci potest vel hinc, quod eadem verba eadem sententia extant apud Lucam cap.17. quo loco iubetur frater in quem peccatum est, redeunti ad se fratri & culpam agnoscenti remittere culpam, non est autem illius qui peccati conscius est remittere culpam admissam in Deum, & vt hoc admitti possit emollitum benigna interpretatione, attamen stat contra quod dicitur eodem loco, *si redierit ad te, & dixerit, pœnitet me*. Sed quod est inexpugnabile hoc est, quod hoc loco, saltem paulò post hunc locum, Petrus audita Christi oratione, Christum interrogat quoties condonaturus sit fratri suo, si frater sæpe in eum peccauerit, *Nunquid*, inquit, *septies? Immo*, inquit Dominus noster, *septuagies septies*, id est (vt ita loquar) infinities: & statim (quod nullo modo eludi potest) Christus affert simile debitoris cui immensa quædam vis pecuniæ, & quidem Regi creditori debita, remissa fuit, cum is tamen exiguam & contemnendam summulam pecuniæ noluerit debitoribus suis remittere, vnde factum est vt iram creditoris Regis ingratus debitor accersiuerit in se: quæ omnia demonstrant, *peccare in aliquem* hoc loco non esse aliquo conscio peccare, sed aliquem potius offendere, quocunque tandem modo id fiat. Huc accedit etiam illud quod Christi præceptum (absit blasphemia dicto) absurdum potest videri, si *peccare in aliquem* nihil aliud est quàm aliquo conscio peccare: Iubet enim Christus peccatorem reprehendi adhibitis testibus, tum vult peccatorem deferri ad Ecclesiam, quo consilio si tu solus sis peccati illius conscius? Nam factum negabit, tu affirmabis factum, vtri potius credetur? certè rei causa bonis viris potior iudicatur donec constet de accusationis iure & veritate. Immò verò *si peccare in te* hoc loco est *peccare te conscio*, oratio non cohærebit, erit mutila & imperfecta, suprà enim hortatus est Christus vt ne fratres contemnamus, quod quid sit explicatum est, nempe vt studeamus modis omnibus fratribus nostris. Iam verò vult præscribere quid sit faciendum si frater peccauerit in nos, hoc-ne est nobis conscius? Illud esset actum agere, supra enim id præscriptum est; certè fratrem contemnit qui peccantem videt & negligit, vt ægrum aspernatur qui non succurrit; sed præscribendum erat tamen quid nobis ex officio incumbat agendum, quando lædimur à fratre. Itaque Christi hortatio non fuisset numeris omnibus absoluta, nisi & in hac parte nos fuisset cohortatus ad patientiam & charitatem: atque ad patientiam eò quod non vult nos statim excandescere in fratrem, ad charitatem verò eo quod nos vult potius sollicitos esse de fratris nostri salute, quàm de nostro damno. Itaque conclusum esto, *Peccare in aliquem* hoc loco significare *aliquem lædere*, non *aliquo conscio peccare*. Pugnat enim tum cum prudentia, tum etiam cum pietate, ea peccata in lucem proferre quæ latent, ita vt in lucem proferri non possint, non autem poterunt in lucem proferri si te solo conscio admissa sunt. Itaque Iudices sæpe coguntur dimittere etiam eos quos certò sciunt esse nocentissimos, quia non suppetunt argumenta quibus conuincantur: attamen cum agitur salus Reipublicæ boni viri hic solent προσαγγέλλειν, & non sine præsenti capitis periculo eum deferre quem norunt perniciem & extremum casum Reipublicæ moliri. Sed eius generis peccata extraordi-

2.

3.

4.

extraordinaria ſunt, Chriſtus autem agit de iis quæ in vita quotidie contingunt. Quid igitur? inquiet aliquis, non licebit mihi fratrem reprehendere qui me conſcio peccarit? non licebit, ſi minus patientem præbeat aurem monenti, denuo teſtibus adhibitis monere? non licebit pertinacem ad Eccleſiam deferre? Omninò, modò cùm poſsis conuincere, alioqui in primo reprehenſionis gradu ſubſiſtendum erit. At hoc tamen præſcriptum eſt non hoc loco, ſed ſuprà: de quibus enim ſumus ſolliciti, quos non contemnimus, eos etiam à via aberrantes ſolemus monere, quod adeò Leuitic. cap. 19. diſertis verbis à Domino præſcriptum eſt, *Vt ne feramus in fratre peccatum.* Sed aliud eſt diſputare quid facto opus ſit, ſi frater nobis conſciis peccarit, aliud verò ſtatuere, id hoc vel illo loco Scripturæ præſcribi, non enim is negauerit fratrē debere reprehendi, ob ea etiam peccata quæ non admiſit in te, ſed in Deum, aut in homines, qui negauerit id præſcriptum hoc loco. Itaque non ſequitur, Chriſtus hoc loco non iuſsit reprehendi, & quidem adhibitis teſtibus, fratrem, non iuſsit deferri ad Eccleſiam peccantem te conſcio, ſed peccantem aduerſus te. Ergo illud Chriſtus non iuſsit omnino: nam ſupra illud iuſsit, & Deus Leuit. 19.

Obj.

Reſ.

Tertiò conſiderandum quid hic Chriſtus præcipiat.

Tertiò conſiderandum nobis eſt quid Chriſtus hoc loco præcipiat, in primis autem iubet moneri fratrem clam, ſeorſum iſta autem admonitio haud dubiè hortatio eſt ad pœnitentiam, quæ non poteſt eſſe vera niſi allatum damnum (ſi fieri poſsit) reparetur: attamen non vult Chriſtus nos eſſe præcipuè intentos reparando damno, ſed inuigilare ſaluti proximi. Quod ſi clancularia admonitio iſta ſpernatur, vult adhiberi Chriſtus teſtes, nempe viros bonos & prudentes, teſti enim horum vtrumque ineſſe neceſſe eſt, non eſt enim teſtis idoneus in hoc genere, qui parum prudens eſt, nec eſt idoneus teſtis qui non eſt vir bonus. Itaque non loquitur hîc Chriſtus de quouis peccato, ſed de eo tantum quod ſic admiſſum eſt vt poſsit probari: multi autem ſunt probationum modi, quos nihil neceſſe eſt hîc commemorare. Porrò id obſeruandum eſt, Chriſtum hoc loco ita reprehenſionem fratris commendare, vt meminiſſe velit vnumquemque quo ſit loco, & qua in parte humanæ vitæ conſtitutus, nam Dominus non delectatur Stoica & Cynica ſeueritate, qua (quamuis eſſet ſummus rerum Dominus) nunquam eſt vſus. Itaque ſi frater tuus qui te offendit, ſit in ſuperiori loco conſtitutus quàm ſit is quem tu obtines, reprehenſionem oportet eſſe conjunctam cum ſummæ animi demiſsionis teſtificatione. Itaque ſunt qui nonniſi genu flexo ſunt reprehendendi, vt ſi filius patrem reprehendat, aut ſeruus Dominum, &c. quam prudentiam homines in ſpeciem tantum humiles, cæterum ſuperbiſsimi mortalium prudentiam carnis ſolent vocare, ſeque Prophetarum exemplo ſolent tueri, qui Regibus ſumma cum acerbitate peccata ſua exprobrarunt. Sed videant illi homines quo ſpiritu ducantur, nam certè non ſic egit Chriſtus niſi quando voluit Majeſtatem ſuam declarare. Prophetæ autem dum ſic agebant, agebant acti Spiritu, qui ipſos tanto impetu corripiebat, vt raperentur extra ſe. Paulus certè qui ardebat zelo & ſanctitate nobis ſententiam Chriſti aperit ad Timoth. cap. 5. 1. Epiſt. quo loco Timotheum iubet ſenem increpare perinde ac patrem, adoleſcentes verò vel coætaneos, vt fratres, quanquam Timotheus poſt Apoſtolos ſecundum dignitatis gradum obtinebat. Adhibenda igitur eſt tum in reprehenſione, quæ fit remotis arbitris, ſumma modeſtia, tum in teſtium delectu ſumma, ſi fieri poteſt, prudentia: nempe, ſi redarguendus eſt frater, non adhibebo teſtes eos qui ei malè volunt, aut qui ſunt extranei, ſed amicos potius quorum intereſt vt illi bene ſit, quinque adeò illi benè volunt; ne quis irritati animi ſui libidini, aut feruori, prætexat authoritatem Chriſti. Sunt verò qui adhibitis teſtibus fratrem reprehendunt, vt traducant fratrem; neque enim eum reprehendunt apud quos reprehenſus corrigi, & emendari ſed efferari potius, atque in deſperationem agi potuit.

Nempe fratris peccantis reprehenſionem priuatam primò.

In qua duplex eſt cautio adhibenda.

Denique Chriſtus cùm priora iſta fruſtrà ſunt tentata, ad Eccleſiam rem vult deferri, *Dic*, inquit, *Eccleſiæ.* Ubi occurrit primò illud, pietatem & lenitatem Chriſtianam cum ſumma eſſe conjunctam prudentia, nempe vt in re medica medicus non ſtatim adhibet ad curandū morbum extrema remedia, fruſtrà enim, imò non ſine periculo, adhibetur aſpera vbi lenibus valetudo & ſanitas potuit reſtitui; etenim omnis medicina natura ſua ingrata eſt, & pungit vt profit. Itaque ſi curari frater poſſet, vel ſine dolore, vel mediocri cum dolore, eſſet id optabile in primis: non enim decet Chriſtianos, qui ſpiritu Chriſti aguntur, Menippos agere, & in canum morem miſeros peccatores adlattare, immò verò id vt per ſe barbarum eſt & ferum, via eſt compendiaria ad tumultus excitandos & contentiones, ad diſsipandam Eccleſiam, & (quod grauiſsimum & extremum eſt) miſeros homines à Chriſto abalienandos. Hinc illa Pauli ſollicitudo ne nimio dolore peccator, & quidem flagitioſiſsimus, contabeſceret, aut (vt ille loquitur ἐμφαζικῶς κα . absorberetur. Etiam id non eſt hoc loco prætereundum, quod vbi prima via nihil effectum eſt, altera & demum tertia rem tentari vult Chriſtus, nempe peccatoris conuerſio, etſi diuinum opus ſit, tamen ratione ad naturam humani animi accommodata peragitur; non enim Dominus cum hominibus agit perinde ac ſi ſtipites eſſent aut trunci, ſed dum eos vult in viam reuocare, agit eo modo ac ratione quæ decet eius ſapientiam, nempe, vt qui ratione præditi ſunt non agantur cæco motu, ſed quem ratione poteſt admittere; rationem autem non hic voco corruptam & deprauatam hominis naturam, ſed vim intelligendi, quæ humanam animam à belluina diſtinguit. Itaque quia natura moniti commouemur vult nos moneri, & quia vehementius mouemur à pluribus moniti, quàm ab vno; ſi non profuit vnius admonitio, vult adhiberi plures qui nos moneant: idque per quoſdam veluti gradus, vt ex hoc loco conſtat.

Secundò præcipitur publica etiam reprehenſio. Vbi 1. obſeruanda ſumma Chriſti prudentia

2. Deum in conuerſione noſtra, modo naturæ noſtræ conuenienti nobiſcum agere.

Hinc verò oritur quæſtio quæ prima fronte explicatu videtur difficillima. Nam ſi ea noſtra cōditio eſt vt ſimus in peccato demortui, omnis autem excitandi noſtri ad veram vitam vis ſuperet omnem naturæ modum, fruſtra videntur iſta adhiberi: nam apud mortuum tantumdem promouebis, ſi nullus moneas quā ſi moneas & tantumdem tres poterunt, quantum vnus, tantum

Quæſt. quo pacto modus ille poſſit conſiſtere cum peruerſitate humani ingenij.

vnus, quantum tres, & itidem tantum poterunt tres, quantum Ecclesia. Est secta quædam Scholasticorum quæ Deum affirmat agere non vi causarum secundarum, sed ad præsentiam (vt illi loquuntur) earum, id est, nolunt ignem esse qui vrat, sed Deum vrere ad præsentiam ignis: quomodo dicunt etiam Transsubstantiationem peragi non vi verborum consecrationis, sed ad prolationem tamen eorum. Si illorum sententia vera esset quæstio foret expeditu facillima, nam procliue esset & in promptu adeò respondere, in causis secundis quanquã illæ nihil per se faciant, Deum tamen constituisse ordinem quendam, & pro ratione ordinis agere secundùm causarum præsentiam. Sed isti homines dum Deum volunt facere omnipotentem, omnem illi detrahunt sapientiam, qui causas velit esse quæ causæ non sunt, quod enim nullam habet vim agendi, id verò causa non est: quod si aliquid fiat (vt illi loquuntur) ad præsentiam alicuius rei, rem illam signum esse rei, non causam necesse est. Tum imprudentes Deo aliquid indignum adscribunt, etenim quis dicat Deum lucere, aut vrere? facit quidem Deus vt aliquid luceat, facit vt vrat, nempe indidit vim illam Deus causis secundis, quæ agendi ratio multò nobilissima est, vim autem istam quam indidit sustinet etiam ac tuetur collapsuram alioqui. Pugnat verò ista sententia cum Scriptura, quæ admirabilem Dei potentiam & sapientiam prædicat, elucentem in hoc quod singulis rebus pro speciei ratione singularem vim indidit. Deinde, ridicula est planè & absurda hæc sententia, vt quis cùm gemitum edit & suspirium, non propriè dicatur gemitum & suspirium edidisse, sed Deus ad illius præsentiam edidisse gemitum, quod videtur nõ modò non esse ϑεολογεῖν, sed insanire penitus. Itaque qui sic conantur hanc quæstionem soluere, viam ineunt qua deducuntur in locum contrarium planè illi loco in quem tendunt. Ut illud interim taceamus, non esse verisimile Deum sic agere in Ecclesia, quod vel inde nobis constat, quod non quouis modo vult prædicari Euangelium, sed requirit ὀρθοτομίαν τοῦ λόγου, requirit ordinem & methodum, requirit iudicium in seligendis iis quæ rudibus, quæque rerum diuinarum peritioribus & doctioribus proponenda sunt: frustrà, si Deus agit in hominum animis tantum ad præsentiam, (vt ita loquar) soni externæ prædicationis, hoc enim pacto etiam iacendo lapides in auditores Euangelium prædicari posset. Deinde etiam, cùm instituenda essent sacramenta, non promiscuè & indiscriminatim quiduis pro sacramento haberi voluit, sed ea quæ habent analogiam quandam: nempe vbique Dominus accommodat actionem suam ad captum humanæ naturæ, quam non abolet sed ornat potius gratia, vnde & de se loquitur humanis verbis, & nos vult ita de se loqui. Itaque nondum est soluta quæstio.

Scholasticorum quorundam error.

Refellitur 1. *2.* *3.* *4.*

Quoniã verò hoc argumento vel vti possunt, vel vtuntur Semipelagiani, Iesuitæ, & Nouatores, priusquam recta occurramus argumẽto, hoc objiciendum illis est, quod sic non Semipelagianismus, sed purus putus Pelagianismus statuitur. Deus enim non vtitur hac ratione agendi apud conuersos tantum, sed vel maximè in conuertendis hominibus, seu illorum mentes illustret cognitione veritatis, seu etiam eorum corda emolliat & flectat. Itaque Paulus non statim objicit Atheniensibus recondita illa & abstrusa religionis Christianæ mysteria, sed tanquam inchoans opus incipit à rudimentis, id est, ab iis quæ non sunt vsque adeò remota à captu humanæ rationis; consilium eius scilicet fuit (quæ ratio procedendi accommodatissima est humanæ menti) à notioribus ad ignotiora progredi. Itidem Timotheum monet vt se mitem præbeat, & eandem admonitionem ad omnes omninò Ministros Euangelij Paulus pertinere vult, nempe vt sic concilietur animus etiam aduersarij: contrà, idem pertinaces, & quos Christiana lenitas tumidos facit & superbos, durius haberi & seuerius vult: cuius rei exemplum habemus in Christo. Si igitur hæc ratio vllam habet vim, Pelagianismum æquè ac Semipelagianismum corroborauerit. Itaque tam eorum qui ea aduersus nos vtuntur (si quidem non sint Pelagiani) quàm nostra interest hũc soluere nodum, ostendereque si nulla sunt in natura humana præter gratiam veræ virtutis semina, quorsum eam attineat iis modis excitari. At illi (si volunt quod res est fateri ingenuè) vt olim Stoici à Cynicis pallio, verbis tantum & locutionibus à Pelagianis se distare profitebuntur; Nam quod Pelagiani naturam candidè & rotundè vocabant, isti homines gratiam appellarunt, nempe *posse si velis*; quod non est à gratia, sed tam conjunctum humanæ naturæ, vt si ab ea sejungatur hominem in belluam conuerti necesse sit, neque enim peccatores sumus nisi quia peccamus volentes: itaque illud *posse* naturæ est, *velle* autem gratiæ, cùm illi contra *posse* gratiæ adscribant, *velle* autem *actu* (vt illi loquuntur) connaturali libertati voluntatis. Itaque tota hæc causa nostra est, qui docemus homini non esse gloriandum nisi in Domino.

Tam Semipelagianorum quàm Orthodoxorum interest soluere propositam quæst.

Respondemus igitur ad argumentum hoc, primùm quod non sit ea ratio mortis animæ in peccato quæ est mortis corporeæ; Itaque nisi benigna interpretatione emolliatur, obnoxia calumniæ est illa responsio, qua statuitur (in speciẽ quidem certè) verbum Euangelij quocunq; modo propositum non habere alium vsum quàm Christi verbum Lazarum excitantis. Etenim si ita se res haberet, nullum esset in iis peccatum qui Euangelio non parent, vt si Christus non indidisset vim Lazaro vitalem, quantũvis vocatus Lazarus non peccasset etiamsi iacuisset, neque se sepulchro mouisset. Sed in vocatione hominum ad salutem verbum Euangelij longè diuersum habet vsum, non est enim anima humana Physicè, sed (vt ita loquar) Ethicè mortua; mortem autem animæ Physicam appello, qua fieret (si vlla eiusmodi mors esset) vt anima amitteret facultatem intelligendi & volendi, quo pacto anima desineret esse anima, mortem autem Ethicam animæ appello peccatum, quæ vox quid significet supra expositum est; quod peccatum adeò non est malum animæ Physicum, vt qui id assereret, ad Manichæismum proximè accederet; sed est tamen peruersus quidam affectus animi; quo fit vt abutatur facultatibus quæ illi à natura insitæ sunt, itaque remanet quod fuit animæ essentiale, id est, facultas volendi & intelligendi. Quare speciebus opus est quibus istæ facultates veluti admoneantur, nempe quis possit intelligere nisi aliquid intellectui objiciatur, aut

Soluitur quæstio proposita.

1. Non est eadem ratio mortis animæ & corporis.

Ethica & Physica mors animæ.

Peccatum mors Ethica animæ.

aut nolle, nisi sit objectum quod velis aut nolis?

2. Duplex animi dispositio ad fidem.

Deinde, duplex est animi dispositio ad fidem & pœnitentiam, vna quam liceat appellare docendi caussa, *Dispositionem sine qua non*, alteram dicemus *dispositionem formalem*; verbi gratiâ, vt audiamus Euangelium, vt ne refugiamus parantem se vt annuntiet Euangelium, est dispositio sine qua non, non est dispositio formalis, fieri enim potest vt auditum Euangeliũ aspernemur. Item, vt ordine & via tradantur quæ tradenda sunt, pertinet ad dispositionem istam quam vocamus *sine qua non*, at non ad dispositionem *formalem*, fieri enim potest vt ista, quantumvis methodicè explicata, mysteria repudiemus. Item, aliquando ita odimus aut contẽnimus prædicantem Euangelium vt eius verba ne dignemur quidem auribus percipere; itaque necesse est vt qui volet à nobis impetrare vt audiatur, amoliatur hoc odium, hanc animi perturbationem; quod si fuerit assecutus maximè, non impetrarit tamen dispositionem illam quam *formalem* diximus, sed istam tantùm quam vocamus *sine quâ non*. Paulus vtriusque dispositionis meminit, cùm (vt ipse loquitur) μετασχηματίσαι εἰς ἑαυτὸν τὸν λόγον, cap. 1. 1. ad Cor. ait *se plantare*, *Deum verò esse qui dat incrementum*; nempe plantatio est hominis, & pertinet ad dispositionem *sine qua non*, dare verò incrementum (quod est Dei) pertinet ad dispositionem *formalem*; Quid sit autem dispositio formalis petatur ex Scholis Philosophorum. Sed res illustretur simili: In curatione vulneris necesse est vt Chirurgus militem curet exuendum lorica, tum etiam veste, tum sæpenumerò vt liget, at ista non est dispositio ad curationem vulneris formalis, non enim sic curatur vulnus, sed vi emplastri id fit, quæ dispositio est formalis ad curationem. Sic planè differentem de salute parta per Christum, necesse est non quouis modo differere, hoc enim esset quouis modo emplastrum etiam loricæ aut vesti applicare, sed summa hîc opus est prudentia, quam (vt suprà monuimus) Apost. vocauit ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον; & danda item opera ne cuiusquam animus à nobis abalienetur, quod est veluti ligare vulneratum, nisi quod hac ratione ligatur citra dolorem.

Quæ simili illustratur.

3. Gradus est quidam ad fidem qui fides non est.

Denique & hoc respondemus, esse quendam ad fidem gradum, qui tamen fides non sit, non enim continuo qui non est procul à regno cœlorum is introducitur in regnum cœlorum: gradus autem iste ad fidem & pœnitentiam in hoc situs est, quod veræ fidei dogmata etsi superant, non tamen euertunt communes notiones, quæ sunt lucis primigeniæ reliquiæ. Itaque qui ita docet vt sic attemperet sermonem, nihil vt videatur dixisse quod communibus repugnet notionibus, haud dubiè is etsi non promouit ad fidem (vt loquuntur) *inclusiuè*, attamen ad fidem auditorem promouit *exclusiuè*. Sed nec hîc quippiam promouetur, nisi Deus admouerit vim spiritus sui, tanta est & tam præfracta abalienatio à Deo: attamen si quid hac ratione promoueatur, tantum est quantum Paulus fecit apud Agrippam, *propemodum mihi persuades vt sim Christianus*, non dixit, *persuades*. Hæc ni vera forent quorsum tot Apologiæ pro fide Christiana & à veteribus & à recentioribus scriptæ? illis nempe Apologiis res non agitur testimoniis Scripturæ, hoc verò ridiculum foret ad quæstionem probandam quæstionis adhibere veritatem, ea enim est quæ quæritur. Ergo vt hæc accommodemus ad rem quam nunc agimus, cùm Dominus hortatur, vt fratrem primùm compellemus solum, deinde adhibitis arbitris, tum fratrem deferamus ad Ecclesiam, non respexit Dominus dispositionem *formalem* ad pœnitentiam, quæ est à sola spiritus luce, sed dispositionem illam quam diximus *sine qua non*.

Applicatur distinctio quæstioni.

IV. Considerandum quodnam sit hoc loco Christi præceptũ. Aliud nempe est Imperij, aliud Indulgentiæ.

Quartò & illud expendendum est, qua mente nobis Christus præscripserit vt fratrẽ contumacem deferamus, nõ enim quicquid iubet Dominus vna eademque ratione iubet, nam sæpe iubendo non imperat sed indulget, vt, verbi gratia, iubet Adamum vesci fructibus omnium arborũ quas plantauerat in Edene, præter vnicam arborem scientiæ boni ac mali, non est imperium, sed paterna indulgentia. Itidem. Noæ omne genus ciborum præscripsit præter sanguinẽ, &c. & quæ eò spectant, indulgentia etiam est, & 4. Decalogi mandato iubet nos sex diebus laborare, certè non est imperium, sed indulgentia, potuit enim à Iudæis cõplures exigere dies quàm septimum, & licebat Judæis feriari (modò id fieret non ad peccatum) etiam reliquis diebus. Itaque, vt hoc obiter moneamus, parùm firmum est argumentum quod ex hoc loco colligitur aduersus institutionem dierum festorum, non est enim hoc præceptum ab imperio, sed ab indulgentia, eo sensu nempe quo deprauatores Legis præcepto *Amabis proximum tuum* subjunxerũt formula præcepti, *& odio habebis inimicum tuum*, id est (vt Pontificij patrum Pharisæorum vestigia secuti interpretantur) licebit tibi sanè odisse inimicũ tuum, attamen hoc tibi non præcipitur (immò consilium est Euangelicum vt ei benefacias) sed non est saltem nefas eum negligere, modò (vt hypocritæ illi loquuntur) illum ames generali charitate, i.e. modò hypocriticè ames, non enim amat proximum suum qui quantum potest in eius gratiam præstare, tantumdem non præstat. Simili lege Deut. 25. Deus permittit populo vt mutuo det pecuniam in fœnus Chananæis, non quod hoc exigat, sed indulget potius, nẽpe Israelitis quos elegerat in peculiarem populum dederat Chananæos & quæ fuerant Chananæorum: itaque potuerunt sine furti crimine id iuris sibi arrogare in Chananæorum bona, quod summus rerum Dominus iis permiserat: cæterùm quando beneficium hoc fuit, licebat illis vti aut non vti beneficio pro arbitrio. Neque verò hoc præscriptum illis perinde fuit ac singularia quædam mandata, quibus Deus vult Anathema esse, ideoque deleri penitus gentem illam; non enim fuit hoc simpliciter beneficium (potuerunt nempe qui erant ex illa gente in seruitutem redigi, atque adhiberi ad vilia ministeria obeunda) sed pertinebat id ad vltionem peccatorum illius gentis, cuius ministrum Deus esse voluit populum suum.

Quomodo dignosci possit alterum ab altero.

Superest igitur disquirendum: An præceptum hoc, quo Christus iubet fratrem deferri, sit huius generis vt ad indulgentiam potius quàm ad imperium pertineat. Sanè quicquid Deus præscribit quod non simpliciter beneficij, sed officij rationem habet, id est à Dei imperio. Itaque in distinguendis iis quæ mandatorum formula concipiuntur in Scriptura, id semper ob oculos habendum est, pertineant-ne res præscriptæ ad

officium, an verò ad beneficium & priuilegium simpliciter: quod si occurrat in mandato officij ratio, non est profectò indulgétia sed imperium. Immò verò aliquando occurrunt (vt ne mandati specie decipiamur) quæ per concessionem dicũtur in Scriptura, cùm non probetur tamen quod conceditur, vt cùm Apost. cap. 4. Epist. ad Ephes. vers. 26. *Irascimini*, inquit, *sed ne peccetis*, quod videtur iracundiæ (in quam optimi quique ferè proni sunt) aliquid dare: hoc fit ea figura quam concessionem dicunt; nam laudabilem irã Apostolus non intellexit, sequitur enim *ne sol occidat super iram vestram.* Neque item illa legenda sunt cum interrogatione, vt doctissimus interpres arbitratus est, non enim dixit Apostolus *irascimini? ne etiam peccetis*, sed, *irascimini, & ne peccetis*, quasi diceret, si tanta est infirmitas etiam in regenitis vt prorumpant in iram, irascantur sanè, at ne excandescant vsque adeò vt aliquid vel dicant vel faciant quod eos peccatoribus & irregenitis faciat pares, id est, ne vtantur verbis; & multò magis abstineant factis, quæ testentur animum immanem & ferum. Iam si ad hanc normam res exigatur, facile erit distinguere quid mandati specie indulgeatur, quid iubeatur pro imperio: nam vt diximus iubetur officium, indulgetur beneficiũ simpliciter: simpliciter, inquam, nullum enim exigit officium Deus à creatura quod idem reapse non sit beneficium; neq; enim Deus nobis eget, vt Dominus seruo, pater filio, vxor marito, aut denique Rex subditis suis, sed *beneficium simpliciter*, dicitur in quo nulla se ostendit ratio officij erga Deum.

Hoc Christi præceptum est partim indulgentię.

Iam si hanc regulam sequamur, facilè erit dispicere pertineat-ne ad officium, an ad beneficium simpliciter, quod Christus hoc loco præscribit. Certè recurri potest ad Ecclesiam vel eo animo vt interuentu authoritatis Ecclesiasticæ reparetur damnũ, vt vel præcipuè habeatur fratris ratio, qui corrigendus est & reuocandus ad sanam mentem. Si Christi consilium esset hoc loco rationem præscribere, qua quod amissum est iniuriã fratris, recuperari possit, indulgentia est; nam certè neminem cogit Christus ad repetendum ius suum; Immò Apost. cap. 6. 1. ad Corinth. requirit in Corinthiis vt patiantur se potius affici iniuria quam litigare. Nec est quod quispiam verba Pauli sic interpretetur, vt Paulus damnet tantum litigationem apud iudicem à Religione alienum, nam reclamant Pauli verba, *Omninò* ἥττημα, id est, *defectus est in vobis quod* κρίματα ἔχετε, *litigatis aduersus vos inuicem.* Quo loco expendendum est illud *omninò*, quasi diceret Apostolus, grauiter in eo peccatur quod sunt inter vos lites, attamen quando hoc malum non potest vitari, litigetis sanè, sed apud fratres. Quod verò Apostolus dicit potius ferendam esse injuriam (nam illud διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε proculdubiò sic accipiendum est vt doctissimus Interpres latinè vertit, *Quare non potius iniuriam patimini*) ex eo oritur quæstio non contemnenda, quæ hoc loco eò potius explicanda est quod pertinet ad hanc rem quam Christus agit, peccent-ne qui litigant, quoties damno aut omnino vlla injuria affecti sunt, etenim Paulus id videtur damnare, *Cur non, inquit, potius fertis injuriam?* Sed non est explicatu difficilis hæc quæstio, si obseruemus primò, quo animo, tum quibus affectis injuriis litigandũ nobis sit. Sunt enim injuriæ leues

Quæst. quatenus liceat lite agere.

Soluitur.

& quę sine vllo damno vocationis (vt secundum Script. loquamur) ad quam nos Deus vocauit, tolerari queunt, huius generis injuriæ patientia vincuntur potius quàm contentione. Verùm si injuria eiusmodi est, quæ, non iam dico sine damno nostro, sed sine eorum damno qui nobis proximi sunt, vt liberorum, &c. tolerari non potest, hîc profectò indulgendum est aliquid nequitiæ seculi, litemque intentare licet, ne malum augeatur & crescat remedio hoc neglecto, aut patientia in remedium intempestiuè adhibita: vt cùm quis magna præditus authoritate hæreseos insimulat fratrem qui munere publico fungitur in Ecclesia, atque ita insimulat vt eius criminatio præcludat viam pergenti ad metam vocationis suæ, non est ferenda hæc injuria, sed repellenda est: non potest autem facilius aut modestius repelli, quàm si frater apud fratres cum fratre modestè & Christianè expostulet de injuria. Item si per fraudem quis studuerit fratrem spoliare atq; exuere iis facultatibus, quibus instructus & se, & familiam alit, sanè cedendo hac in parte injuriæ, injuria afficit suos, nullam gerit familiæ curam. Sed in primis habenda ratio est animi, nempe si non odio aut indignatione percitus, sed iusta & necessaria tuorum cura, ad quam subeundam te vocauit Dominus, incitatus, tuam & tuorum agas causam. Sed cùm de re leui agatur, Apostolus vult nos potius pati injuriam. Item, potius quàm rei necessariæ amissæ iactura inflammet odio, atque efferet animos nostros, vult (quomodo à nobis supra explicatum est) potius erui oculum, exscindi manum, aut pedem, quàm vt nostrum esse putemus quod Domini est, vt penes nos sit vindicta atque vltio; sed hæc dicuntur hyperbolice & comparatè.

Licet nempe, non leuem, sed grauem ob iniuriam.

modò animus non sit vindictæ cupidus.

Vel frater persequitur injuriam non tam animo damnum reparandi, quàm studio reducendi in viam fratrem aberrantem, quæ hoc loco mens Christi fuit proculdubio, qui non vult quidem negligi damni restitutionem, attamen non iubet pro imperio vt id præcipuè spectemus, sed in primis vult haberi rationem resipiscentiæ illius qui nos affecit injuria. Itaque cùm hæc sit Christi mens, præceptum est ex eorum genere quæ non habent duntaxat permittendi, sed imperandi vim & authoritatem. Sed hîc tamen habenda est prudentiæ Christianæ ratio quam charitas moderatur. Primò, vt ne ob quæuis delicta fratris nomen deferamus, nam, vt monuit Iacobus, *in plerisque cespitamus omnes*, &, *nemo nascitur sine crimine, optimus ille est qui minimis vrgetur.* Certè quædam sunt dicta & facta quæ proficiscuntur ab impetu quodam animi, quorum subit statim pœnitentia, etiamsi fratrem non vrgeas, immò in isto genere non vrgendus est, & ista nimia solicitudo verendum est ne fastum & superbiam hypocritarum sapiat potius quàm animum verè Christianum. Sed ne hîc hæreamus incerti, necesse est notari quodam charactere illa in fratrem peccata ob quæ meretur deferri, hæc autem esto nota, si frater peccet ita in te, vt peccatum aut sit scelus, aut affine sceleri, denique eiusmodi vt sit argumentum animi (nisi vita reliqua nota sit & perspecta) profani, contemptoris Dei & proximi: vt si frater videtur insidiatus vel famæ & existimationi tuæ, quod est animi nigri argumentum; aut si etiam vitæ immineat tuæ, quod est argumentum animi feri & immanis, aut

Quatenus præceptũ Christi sit Imperij præceptũ. Cautiones in deferendo fratre adhibendæ.

1.

Non leuibus, sed grauissimis de causis.

Puta, ob sceleri, aut sceleri proxima

aut per fraudem studuerit te spoliare & exuere iis bonis sine quibus hæc vita non potest tolerari, quod est animi auari simul & feri: vno verbo si frater in te peccatum admisit quod Scriptura peccatum elata manu patratum vocat, quia non tam tua res, quam illius agitur salus, omnia tibi tentanda sunt quibus ad resipiscentiam adduci possit. Deinde etiam danda est opera, vt ne ob ea quidem peccata quæ descripsimus deferatur frater, nisi de re ipsa constet, ita vt non modò tu, sed & alij conscij sint, alioqui frustra occupabitur & distrahetur Ecclesia, quando nisi adhibitis testibus nil probari potest, & non credibile est fratrem quem priuatum conueneras, confessurum esse in publico cœtu, quod seorsum negauit. Deniq; & illud obseruandum est, quanquam Christus non agit hoc loco ex professo de peccatis aduersus Deum, quæ pertinet ad priorem tabulam Legis, neque etiam de peccatis quæ te conscio admissa sunt in alium, tamé etiam si nullus alius exstaret Scripturæ locus, ex hoc loco colligi potest κατ' ἀναλογίαν, ob huiusmodi peccata fratrem esse deferendum. Nempe, Christus non vult hoc loco delationem hanc alium habere præcipuum finem quàm salutem proximi, quæ cùm agatur tam in his quàm in illis peccatis, præceptum etiam hoc ad hæc peccata pertinebit, vbi enim legis ratio locum habet, ibi etiam & legem habere locum necesse est.

2. Cautio.

Peccata etiam in Deum hic possunt intelligi.

Verum enim verò multa hinc oriuntur quæ possunt habere animum sollicitum, nam *Ecclesia* in scriptura multitudinem significat. Ergo deferendus erit reus multitudini. Deinde Ecclesia non est semper visibilis, imò natura sua inuisibilis est; quatenus Ecclesia est; Ergo constituetur iudex inuisibilis, aut non semper visibilis. Deinde Ecclesia, etiam Concilia possunt errare, Ergo cùm agitur de peccato, de agnitione peccati, stádum erit eorum iudicio qui possunt errare, & duci humanis affectibus. Atque hæc sunt quæ arripuerunt nonnulli ad constituendum in Ecclesiam vel Democratiam, vel Monarchiam: Democratiam, inquam, quæ verè ὀχλοκρατία est, & Monarchiam quæ verè tyrannis est. Et priores quidem illi hoc præcipuè nitútur, quod Ecclesiæ nomen putant nusquá adhiberi in scriptura nisi ad significandum promiscuam & confusaneam multitudinem, quod omnino falsum est, ná Hebraicè עדה non semel in scriptura conuentum Judicum significat, vt Ps. 8. Et præterea cùm agitur de iudicando vtrum cædes admissa fuerit temerè & fortuitò, ratione scilicet causarum secundarum, iubet עדה Ecclesiam ea de re iudicare. Itaque quod illi sumunt pro confesso falsum est, ecclesiam esse miscellaneam turbá: satis enim constat iudicia in populo Israelitico nó fuisse exercita per plebem, sed per certos quosdam & constitutos Iudices. Nec quod afferunt ex quinto prioris ad Cor. eorum sententiam iuuat, quod Apostolos reprehédit Corinthios quòd non eiecerint illum qui admiserat incestú: Etenim Epistolæ ad Ecclesias scriptæ scribuntur tam ad σεβεστοῖς & πρεσβυτέριον Ecclesiæ, quàm ad populum; At quæ scribuntur in Epistola accipienda sunt ita à Presbyterio & à populo, vt vnusquisque tam Presbyterorú quàm qui sunt è populo præceptum interpretetur pro officij ratione. Quamuis verba propius intuenti, non queritur Apostolus quod Corinthij non eiecerint miserum illum, sed quod non defleuerint illius casum, neque dederint operam vt ejiceretur; nam Presbyterorum in Ecclesia (vt Magistratus in Republica) socordià sæpè nostrâ, non iam dico seditione, sed dolore & iusta indignatione excitatur: Unde fit vt tam in Republica quàm in Ecclesia populus neglecti ab iis qui ipsis præsunt officij pœnas meritò luat, nempe per vtrumque non stetit quominus malum grassaretur & latè serperet. Sed nec eo iuuantur quod sequitur, Paulum noluisse tradi Satanæ flagitiosum illum, nisi plebe conuocata quæ Corinthi fuit, nam apertè ait, *se se hoc constituisse*, & absurdum foret vt Apostoli authoritas (quæ in terris post Christum suprema fuit) à turbæ iudicio penderet. Imò Apostolus hoc voluit fieri in exemplum, nam vt supplicia in Republica sic etiam in Ecclesia infliguntur, non clam, sed in publico, ob exemplum. Deinde eo in primis obseruandum est, quod Apostolus hoc loco meminit spiritus sui, quod non est referendum ad Apostoli animum simpliciter, sed ad vim quam eodem loco vocat Domini nostri Iesu Christi, cuius ille minister & dispensator fuit, de qua vi & authoritate satis multa diximus cùm interpretaremur locum illum *Tu es Petrus*. Denique non est credibile Dominum nostrum Jesum Christum (qui non est perturbationis & confusionis author, sed ordinis) voluisse iudicia esse penes plebem, quæ vel ob imperitiam rerum, vel ob affectuum perturbationem accipere debet non dare leges, & iudicium subire non ferre. Itaque ne in Democratiis quidem apud Græcos Judicia permissa fuerunt plebi, deligebantur tamen à plebe Judices (quod non est negandum) at id fiebat tantum in Democratiis: quæ Reip. administrandæ ratio Athenis fortasse locum ad tempus potuit habere, quod esset Attica ingeniorum feracissima, alibi fortasse Democratiæ ratio aliena est à ciuium bono. Huc etiam & illud accedit, quod animo capi non potest, qua ratione controuersiæ inter fratres exortæ componi, & definiri possint, si res ad singulorum suffragia deferatur, non enim poterunt colligi suffragia singulorum nisi res protrahatur in immensum. Itaque sic profligata esto ista nonnullorum opinio, qui iudicia Ecclesiastica penes vniuersum populum Christianum esse volunt.

Ecclesia hoc loco quid significet.

Nempe non promiscuam plebis turbam.

Obj.

Resp.

Superest igitur vt teneamus quid sit quod hoc loco Christus *Ecclesiam* appellet. Et sanè non est res adeò explicata facilis vt videtur prima fronte, nam si (in qua sententia fuit etiam Interpres doctissimus) Ecclesiæ nomine Synedrium intelligamus πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ (vt appellatur Lucæ 22.) conuentus primariorum Sacerdotum & Scribarum, qui erat Synedrium magnum, quæritur ratio tam nouæ & insolentis appellationis. Certè cœtus is עדה aliquando dicitur in Scriptura, עדה autem *Ecclesia* est, id est cœtus, coitus multorum. Attamen, quoties ea vox synedrio tribuitur toties Græcè vertitur συναγωγή, nec vllus in Vet. Test. occurrit locus quo vox עדה cum synedrium significat, non exponatur per vocem *synagoga*. Cætus autem ille nunquam dicitur Ecclesia, sed *Ecclesia* est קהל: est autem קהל populi, multitudinis, quæ etiam συναγωγή Græcè dicitur. Ergo peculiariter συναγωγή synedrium est, quanquam & ea appellatio pertinet etiam ad populum. At *Ecclesia* cœtum populi duntaxat significat in Vet. Test. & quidem cœtum externum, non

Neque etiam Synedrium Iudaicum significat.

quod συναγωγῆς potius nomine significatur.

Quid in Vet. T. st. קהל significet.

autem quatenus cœtus ille σχέσιν habet ad Religionem; (qua in re vel imperitè, vel malitiosè Bellarminus sibi & aliis imposuit;nam dum vult probare Ecclesiæ visibilitatem totus est in citandis locis Script. Vet. Test. in quibus occurrit Ecclesiæ nomen) veluti quum dicitur *odi Ecclesiam malignantium*, quem locum tamen ille non citauit, non enim faciebat ad illius causam. At contra in Nouo Testam. *Ecclesia* cœtum significat, & quidem cum σχέσει ad Religionem, cuius rei (vt hoc obiter moneamus) hæc est ratio, quod Ecclesia Dei non propriè, sed metaphoricè *Ecclesia* dicitur: nam traductum est nomen à politico cœtu ad cœtum religiosum designandum. Synagogæ autem nomen nunquam adhibetur vel à Christo vel ab Apostolis, ad spiritualem Dei populum designandum, nam quod 2. cap. Epist. Iac. nonnulli *Synagogam* Ecclesiam dici arbitrantur, decepti sunt, quod eo loco dicitur quidem εἰς τὴν συναγωγὴν, sed adjecto pronomine ὑμῶν, id est *in conuentum vestrum*; etenim absurdè dictum fuisset εἰς ἐκκλησίαν ὑμῶν, nam in N. Test. dicitur quidem *Ecclesia* Dei populus quem Deus in vnum colligit per Verbum & Spiritum suum; sed hoc fit non adjecto pronomine. Obscurè tamen videtur vocari *Ecclesia* etiam cœtus eorum qui conuenerunt vt audiant Dei verbum 1. cap. Ecclesiastis, nam Salomon isthic se vocat Hebraicè קהלת, hoc est *Ecclesiasten*, habet autem concionem de Religione. Cæterum neminem perturbet quod Salomon fœminino genere *Cohel th* vocarit, non enim voluit significare animam suam loqui, in qua sententia fuit vir magnus, durum enim est vt quis sibi nomen tribuat fœminini generis, quod sit anima quæ ei suggerit quæ dicenda sunt, sed non est nouum in lingua Hebræa vt nomina fœminina viris tribuantur, præsertim si res id poscat, itaque Esdr. 2. est qui *Sophereth* dicitur, h.e. verbum verbo *descriptrix* eadem planè forma qua *Koheleth* dicitur. Sed nec hic locus euincit Ecclesiam in Veteri Test. sumi vt in Nouo, non enim significat in Nouo côuentum hominum in eundem locum, sed in sensu diuiso, homines qui vt possit res & tempus conueniunt aliquando, aliquando non conueniunt. Denique nomen hoc Ecclesiæ in Nouo Testamento non notat σχέσιν ad coitionem, sed vnitatem significat: sic cùm populus in Vet. Testam. conuocatur Religionis causa קהל dicitur, sed tamen Ecclesia Dei in Veteri Test. non dicitur קהל, nomen hoc proprium est Noui Test. cuius ratio à nobis explicata est cùm interpretaremur celebrem illum locum *Tu es Petrus*.

Quid ἐκκλησία in N.T. significet.

Vera Dei Ecclesia nunquam dicitur Synagoga.

Cur Salomon vocet se קהלת.

Ecclesiæ nomine Synedriū Iudaicum Christus non intellexit.

Hæc cùm ita se habeant, quæ potest reddi ratio cur synedrium Iudæorum Dominus Ecclesiam vocauerit? certè alibi in Nouo Testamento *Synedrium* dicitur πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, cur hoc solo loco *Ecclesia* dicatur non videtur dici posse causa idonea. Fortasse dixerit hic aliquis Christum non esse loquutum Græcè sed Syriacè. At Euangelista tamen non scripsit Syriacè, sed Græcè, cui ergo hoc loco Ecclesiam dixit, quod alibi alio nomine Græco significatur? Deinde negari non potest quin Synedrium fuerit Magistratus politicus: Esto enim licuerit prouocare à Synedrio, attamen Synedrium Christi temporibus precario quidem, sed tamen authoritatem retinebat quandam etiam in Iudicio pœnali: precariò, inquam, nam dubium non est quin potuerit intercedere Magistratus Romanus. Respondet hic quidam vir doctus, agi hic de Magistratu politico Christique esse hanc mentem, vt Magistratus politicus qui rectè sentit de fide primum adeatur, tum si nihil sic promouetur, vt liceat fratri experiri iure apud Magistratum alienum à Religione. Quæ sententia etsi habeat speciem veri, attamen aliena est à Christi mente, qui hic conscientiæ legem præscribit, & vult nos esse sollicitos, non tam de accepti damni restitutione quàm de emendatione fratris; neque enim dat hoc loco Christus præcepta œconomica, sed quæ spectant ad conscientiam: hoc vero pacto Christi præceptum non resipiet mansuetudinem & patientiam Christianam. Fingamus enim summam habuisse αὐτονομίαν Synedrium, profectò causa apud Synedrium agi non potuisset, nisi frater etiam pœna corporis mulctaretur, hoc verò non est componere dissidia inter fratres, sed inflammare & vehementius accendere odia fratrum. Itaque nihil respondet, dum respondet hoc non fuisse tum metuendum. Primò, quia facit hoc contra eius scopum, vult enim abolere omnem authoritatem Ecclesiasticam, stare solam Magistratus authoritatem, si Christianus est. Certè si frater noxius deferatur, causaque agatur apud Magistratum Christianum, non poterit res abire sæpenumerò sine graui pœna. Deinde etiam & sic vrgeri potest, quid si frater non sit refractarius, quid si luceat iudicium? erit profectò illi fortasse pereundum. Nam quod res est fatetur, nisi prouocatio intercessisset futurum erat vt iudicium frater subiret, quod non videtur valdè humanum, vt frater eò cogatur, ut vel non habendus sit pro fratre, vel vt sit cædendus puta flagris; dura enim electio est & difficilis. Quod si hoc dicat (quod videtur innuere) Synedrium solitum vti clementia & moderatione, cùm Magistratus Christianus neque vti soleat, neque verò debeat vti clementia & moderatione illa quæ pœnæ nullum reliquit locum; neque enim Magistratus est pœnitentiam rei, sed culpam spectare, Dei enim hoc est peculiare, qui tamen (pro vt sapientissimus fuit) inuenit rationem expiandæ in Christo culpæ. Atque hac ratione non pertinuerit hoc præceptum ad eos qui viuunt sub Christiano Magistratu. Cùm ergo Christus ita sit hoc loco loquutus, vt verbum quo vsus est Euangelista *Ecclesiam* interpretatus sit, non soleat autem in Nouo Testamento tribui Synedrio Ecclesiæ nomen, explicandum nobis erit quid Ecclesiæ tandem nomine Christus significarit.

Refutatio Erasti interpretatio huius loci.

Igitur *Ecclesia* nomine videtur Christus significasse Collegium Presbyterorum, qui Ecclesiæ Christianæ erant præfuturi, cuius Presbyterij mentio fit 1. Tim. 4. quo loco Apostolus Timotheum hortatur vt *ne negligat donum sibi indultum per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij*. Nam quod vir doctus *Presbyterium* eo loco vult significare officium & dignitatē Presbyteri, neque videtur loquutioni conuenire, neque significationi vocis *Presbyterij*, nec Apostoli scopo. Nam primò loquutio est admodum dura ut *impositio manuum Presbyterij* significet dignitatem Presbyteri, nam oratio explicata sic se habebit, impositio manuum dignitatis Presbyteri. Deinde sæpius fit mentio in Nouo Test. τοῦ πρεσβυτερίου, at nunquam significat τὸ πρεσβυτέριον iis in locis officium,

Ecclesia significat hic Presbyterium Ecclesiæ Christianæ.

Presbyterium non est dignitas Presbyteri, sed Collegiū Presbyterorum.

officium, sed Collegium, vt Luc.2. & Act.22. & lingua Græca πρεσβυτέριον dignitatem Presbyteri significat potius quam πρεσβυτεῖον. Attamen rarò πρεσβυτεῖον significat item dignitatem Presbyteri, sed vbi πρεσβυτέριον legi posit. Quicquid sit, non redolet simplicitatem phraseos Apostolicæ *Presbyterium* vsurpatum pro officio Presbyteri. Denique Timothei authoritas maior fuit quàm vt πρεσβυτεῖον aut πρεσβυτέριον eius officium dici posit. Nam cap.5. hortatur Timotheum Apostolus, vt ne accusationem aduersus Presbyterum admittat, nisi probetur trium, aut ad minimum duorum testimonio. Jam verò Presbyter in Presbyterum nullam obtinet authoritatem, par enim in parem non habet imperium. Quid igitur fuit ista impositio manuum Presbyterij? Non potuerunt Apostoli Timoth. constituere eo loco quo fuit in Ecclesia? Omnino, sed Apostoli constituto ordine Ecclesiæ non faciebant quantum illis licebat, sed vt legati ad ordinandam prouinciam iussu Regis constituunt pro arbitrio Judices, prouincia verò ordinata cõmittunt administrationem prouinciæ Judicibus & Legibus secundùm ordinem quem instituerunt, ita planè se gesserunt in executione muneris à Deo sibi demandati Apostoli, non semper vsi sunt extraordinaria potestate, sed rebus iam constitutis ordinariè in Ecclesia rem geri volebant. Itaque nullus est dubitandi locus quin Timotheus à Seniorum collegio electus fuerit qui toti Collegio præesset, & quidem non sine authoritate aliqua, sed quæ modum tamen & limites suos haberet. Qui autem fuerint hi limites iudicare facile est, si habeamus ob oculos quod fieri solet in omnibus ferè collegiis, nempe vnus aliquis est qui etsi omnia non posit, aliquid tamen potest, nempe (quando res poscit) collegium conuocare, de re graui ad collegium referre, etiam collegas suos seorsum si minus rectè faciunt officium, objurgare & monere, &, nisi agatur res maxima, castigare.

Objiciuntur duo ab Erasto.

Sed quominus *Ecclesia* presbyterium significet Ecclesię Christianę, duo in primis obstare videntur. Ecclesia multitudinem Christianorum significat in Nouo Test. Presbyterium autem est collegium τῶν πρεσβυτέρων, cuius collegij erat πρεσβυτέρους vnus, non potest enim stare sine præside vnum collegium. Deinde verba Christi, *sit tibi velut Ethnicus & Publicanus* non possunt referri ad tempora Noui Test. sed pertinent propriè ad Ecclesiam Judaicam. Verùm prius illud facilè est diluere, nam Ecclesia perinde multitudinem significat in Nouo Test. vt *Sancti* dicuntur quilibet Sancti, at verò 6.cap. ad Corinth. Apostolus Corinthios grauiter reprehendit quod non detulerint cognitionem litium suarum Sanctis, non intelligit autem promiscuam multitudinem (vt suprà à nobis probatum) sed eos qui in Ecclesia constituti erant vt vacarent gubernationi Ecclesiæ: quemadmodum igitur Apostolus *Sanctos* dicit quosdam & præcipuos ex sanctis, sic Christus *Ecclesiam* dixit quosdam & præcipuos ex Ecclesia. At, inquiet aliquis, Principes Christiani non sunt in Ecclesia præcipui? Resp. Verum id esse in sensu diuiso, hoc est, sunt præcipui, & sunt in Ecclesia, attamen non est verum in sensu coniuncto, eos esse præcipuos (vt ita loquar) Ecclesiasticos, non enim obtinent Principes directè authoritatem Ecclesiasticam, sed indirectè. Non quod velimus

1. 2. Resp. Ad primũ. Instant.

vlla in caussa vllum eximi Jurisdictione Principis, sed quia eius Jurisdictio nonnisi per media Ecclesiastica pertinet ad conscientiam; nempe Princeps non prædicat Euangelium, non ligat & soluit peccatores, at de officio Principis est dare operam vt sint qui prædicent Euangelium, vt sint qui ligent & soluant peccatores. Vno verbo perinde Principis est curare salutem animarum ac eiusdem est saluti corporum prospicere, non est autem Principis prouidere ne morbi grassentur directè, esset enim medicus, at indirectè tamen Princeps id studere debet. Itaque Magistratuum collegium nullo modo *Ecclesia* dici potest, imò quatenus Magistratus est de Ecclesia, subjicitur hac in parte Collegio Ecclesiastico. Neque tamen ista inter se pugnant, idem vt imperet Collegio Ecclesiastico, & pareat idem, imperat enim quemadmodum medico imperat Rex, paret vt paret medico, nam si medicum facientem officium morte mulctet, non faciet quod decet sapientem Principem, sed quod faciunt furiosi & insani; sin veneficum afficiat extremo supplicio, faciet quod ius est & fas, & quod non facere nefas esset. Sic impij Reges & insani Prophetas iusserunt interfici, pius Rex & idem sapientissimus Dauid Nathanem exosculatus est. Cæterùm accipiatur cautè parendi verbum, Rex enim cùm Senatui Ecclesiastico paret, non paret illi obedientia ciuili quæ Collegium respiciat, sed obedientia religiosa quæ Deum respicit. Sic, qui Lictori misso à Senatu parebat, non parebat Lictori, sed Senatui. Verum de hac re Deo iuuante infra disputabimus copiosiùs, interim videte quæ annotauimus ad illum locum, *Tu es Petrus.*

Quomodo Principes obtineant authoritatem in Ecclesiam.

Quomodo Magistratus idem subsit & imperet Presbyterio.

Alterum verò illud quantumuis speciosum sit, tamen (pace omnium dictum sit) futile est. Nam solet Christus vti loquutionibus ductis à consuetudine sui temporis, ad eas res significandas quæ contingere debuerunt post eius ascensionem in cœlum, quarum locutionum complura exempla à nobis suprà annotata sunt. Itaque non necesse est vt quoties vtitur Christus locutione significante rem quæ tum fiebat cùm versaretur in terris, toties putemus Christum nihil aliud voluisse. Deinde Paulus temporibus Noui Testam. locutionibus vsus est ductis à consuetudine Ecclesiæ Judaicæ, 1. ad Corinth.16. *Si quis non amat Dominum Iesum, sit Anathema Maranatha*, quid verò sit *Anathema*, quid *Maranatha*, vtque harum vocum significatio ad Ecclesiam Judaicam propriè pertineat, si permiserit Dominus, infra explicabimus. Ad hæc omnia & illud accedit, quod Ecclesiæ illa rectè dicuntur dici, quæ dicuntur iis qui Ecclesiæ præsunt cum authoritate, nam quemadmodum corpus dicitur videre, cum soli videant oculi, sic Ecclesia audire id dicitur quòd ij audierunt soli qui sunt veluti Ecclesiæ oculi: non quod Antistites sint multitudinis hac in parte vicarij, neque enim oculi vicarij sunt pedum aut manuum, sed quemadmodum corpus totum quoddam est, cuius membra singula suas habent functiones, ita planè Ecclesia est veluti corpus quod constat ex plurium membrorum compage, quibus singulis sua singularia munia tribuuntur. Itaque vt qui aliquid objecit oculo conspiciendum, corpori dicitur id objecisse, cùm tamen non sit singularum corporis partium videre, ita qui Collegio Presbyterorum aliquid

Resp. ad secundum. 1. 2. 3.

Quomodo quę dicuntur Presbyterio, dici Ecclesiæ censenda sint.

Quo pacto Timotheo manus impositæ dicuntur à Paulo simul & Presbyterio.

detulit, aut verò Præsidi illius Collegij, Ecclesiæ rem detulisse videtur, cuius id Collegium pars est. Dispari tamen ratione Timotheus idem dicitur per impositionem manuum Presbyterij vocatus, cap.4. 1.ad Timoth. & vocatus à Paulo per impositionem manuum, 2.Tim.1. nam impositio manuum Presbyterij fuit, quia electio fuit à Presbyterio, Pauli fuit, quia ordinatio fuit à Paulo, qui hac in parte (ob eam caussam quam supra retulimus) non est vsus extraordinaria, sed ordinaria potestate. Nam qui manus imponit facta iam electione, etsi munere quodam fungitur singulari, attamen id eiusmodi est vt pendeat ab Electorum (vt ita loquar) suffragiis, non enim licet manus imponere ei qui non electus sit; itaque discrimen est inter electionem & impositionem manuum: at cùm Collegium Presbyterorum iudicat, non pendet id iudicium à plebe. Porrò (vt obiter moneamus) non debet id mirum videri quod Apostolus Timotheo electo ab ordine Presbyterorum, manus imposuerit, cùm ipse solus (si vti voluisset summo iure) id potuisset, cùm esset Apostolus (Apostolatus autem summam fuisse authoritatem secundùm Christum in terris, à nobis demonstratum est in locum illum, *Tues Petrus*) nam cap.6. Act. Apostoli Diaconis electis ab omnibus Discipulis manus imposuerunt. Deinde etiam, cùm totum Presbyterum nemini possit imponere manus, receptum est vt qui eiusdem est ordinis cuius esse debet is qui electus est, electo manus imponat; cum autem Timotheus Presbyteris esset superior, qui manus illi imponere debuit ex eodem Presbyterio esse non potuit; itaque superioris ordinis quàm sit ordo Presbyterorum aliquem aduocari necesse fuit. Nam esto, par parem possit sanè constituere, at superiorem qui inferior est non poterit; nihil igitur decentius fieri potuit quàm vt Apostolus à Presbyterio electum impositione manuum ordinaret. Certè hodieque in Ecclesiis nostris ordinatio non fit à pastore quatenus pastor est, sed quatenus ad tempus singularem authoritatem obtinet.

Alia Fratri obiectio.

Neque verò quod vir doctus objicit, Christum hic non instituere regimen Ecclesiæ N.T. cùm nondum ascendisset in cœlum, neque verò à mortuis resurrexisset nos debet commouere.

Ad quam Resp. 1. 2. 3. 4. 5.

Nam primò, Christus hæc verba fecit tum cùm iam esset se oblaturus in sacrificium pro peccatis nostris; deinde cap.16. meminit ædificationis Ecclesiæ suæ. Item, quærunt Discipuli initio cap. quis sit maximus futurus in regno cœlorum, itaque ad regnum cœlorum præcipuè ista referenda sunt omnia; esse autem Ecclesiam Noui Testam. regnum cœlorum satis euidenter à nobis alibi demonstratum est. Et verò sequitur continuò, *quorum peccata ligaueritis in terra*, quod pertinet ad N. Test. nam eadem verba repetuntur Discipulis post resurrectionem; tum & sequitur paulò post, *vbicumque vestrum duo aut tres congregati fuerint in nomine meo*, nulla ratione, nullo consilio, nisi omnia ista referantur ad Ecclesiam Noui Testam. nam Christo agente in terris non fiebant coitiones Discipulorum. Notetur autem hic aduersus cauillationes, personæ & numeri mutatio. Nam cùm agitur de delicto à fratre commisso, cùm agitur de adeunda Ecclesia, quia ista ad Apostolos pertinent non qua Apostoli, sed qua Christiani sunt, dicuntur in numero singulari, quæ figura

Mutatio numeri valde hic notanda.

Grammaticæ est etiam vsitata in reliquis linguis: nam quæ ad omnes pertinent sic proponi solent, vt si quis Latinè diceret, *quam profiteris artem eandem exerceas*, omnes proculdubiò compellat, idem enim dicit ac si diceret, *quam quisque profitetur artem eam exerceat.* At si quis ita loquatur, *quam profitemini artem eam exercete*, non est quidem in speciem mutata persona, sed reapse tam numerus quàm persona mutata est. Vt illud interim taceamus, quod non est verisimile Christum voluisse Apostolos & Discipulos suos (dum agitur de persequenda iniuria) ad Synedrium infensissimum Christo & Discipulis ablegare voluisse, id enim fuisset (quod Paulus seuerè vetat) suadere vt potius Iudicibus infidelibus quàm sanctis arbitris vtamur.

Non sequitur ex hoc loco Ecclesiam esse perpetuò visibilem.

Ergo quid illis respondebimus qui hinc euincunt Ecclesiam fore perpetuo visibilem in terris, tum etiam qui ex hoc loco concludunt non posse Ecclesiam errare? Primum negabimus ex eo sequi quod Christus non ablegat ad Ecclesiam fore vt Ecclesia semper visibilis sit. Alia enim ratio est præceptorum quæ loquutionibus affirmatiuis concipiuntur, alia præceptorum quæ formulis negatiuis proponuntur: nam horum hæc est ratio vt sint perpetua, illorum non item (de virtute, inquam, sermonis, vt loquuntur Scholastici, nam fieri potest vt quædam præcepta affirmatiua formula concipiantur, quæ eadem perpetua sunt, sed rem ita se habere colligitur non ex vi formulæ, sed ex materiæ vi) Vt, verbi gratia, iubemur erogare eleemosynam, non est hoc præceptum perpetuum, neque enim vel omni loco, vel omni tempore, vel omnibus, vel ab omnibus erogari potest eleemosyna. Imò verò hoc hoc loco si frater in nos peccarit iubemur adire fratrem seorsum, non potest hoc semper & ab omnibus fieri; nam fortasse notissimum erit nos esse offensos à fratre; non erit notissimum quis offenderit, & vt esset notissimum quis fratrum te offenderit, aberit fortasse. Itaque non ex eo quod iubet Christus adiri Ecclesiam, sequitur continuo posse semper adiri Ecclesiam, sed quemadmodum cum agitur de conueniendo priuatim fratre supponitur facultas, sic cum Christus iubet adiri Collegium Presbyterorum. Certè si apud Toupinambaultios frater offenderit fratrem, non poterit adiri Ecclesia, nisi constituta sit inter Barbaros illos Ecclesia. Tam facilè diluitur quod ex hoc loco volunt Ecclesiam non posse errare in Controuersiis definiendis: Etenim, inquiunt, si standum est Ecclesiæ Iudicio, necesse est Ecclesiæ Iudicium idem Dei sit Iudicium: At prius illud verum est, ergo & posterius. Nam siquis respondeat agi hic de controuersiis inter priuatos, non infringet vim argumenti, immò videtur potius addidisse pondus huic rationi: nam credibile-ne est Deum voluisse Ecclesiam iudicare de peccatis quæ committuntur in proximum, fuisse securum de iis peccatis quæ committuntur aduersus priorem tabulam Legis? non est, inquiunt, credibile. Itaque concludunt hoc loco Deum definiendi controuersias (cuiuscunque tandem generis sint) potestatem Ecclesiæ tribuisse. Deinde & sic possunt authoritatem Ecclesiæ ex hoc loco confirmare, quod agatur hic caussa conscientiæ, nam vult Dominus nos stare Iudicio Ecclesiæ cùm de peccato agitur, nunquam autem agitur de peccato nisi

aut verò eam non posse errare.

quando

quando agitur de conscientia. Itaque parum interest vtrum quis dicat hoc loco agi de peccatis aduersus proximum, aut de peccatis aduersus Deum, semper enim agetur de peccato. Sic explicata est omnis vis rationis Pontificiorum.

quod ostenditur Primò per incommodum.

At quicquid hac parte dixerint, nihil promouerint, non modo eo quod cùm agitur de Ecclesiæ constantia in retinenda & confirmanda veritate, non disputatur de singulis Ecclesiis, quas in confesso est posse errare (nam & ij quibuscum nobis controuersia est tribuunt tantum Conciliis Oecumenicis hoc infallibilitatis priuilegium) at hîc non agitur de Conciliis Oecumenicis, non enim quando frater fratrem offendit, cogenda sunt Concilia Oecumenica. Itaque aut nihil effecerunt, aut tantum effecerunt vt singularum Ecclesiarum Presbyteriis tribuenda sit potestas definiendi controuersias, vt nihil opus sit Conciliis Oecumenicis, neque verò Papæ authoritate ad definiendas controuersias, nam frustra fit per plura quod æquè commodè per pauciora perfici potest. At hoc non est argumentum soluere, sed tamen est ostendere quod nihil faciat ad illam causam quam agit is qui vtitur argumento.

Secundò Resp. directe ad argumentum. 1.

Itaque nobis non erit res iam cum Pontificiis, sed cum aliquo fanatico, qui voluerit singulos cœtus Ecclesiasticos non posse errare in doctrina, quale fortasse nunquam exstitit, nec exstabit etiam; vt vel hinc colligamus quam sint in hac parte Pontificij pertinaces, & iidem parum perspicaces qui ea afferunt, quæ non decet afferri nisi à fanaticis & stupidis hominibus, quibus (si fieri posset vt illis satisfieret) sic satisfacimus. Deus Ecclesiæ suæ commisit potestatem omnes omnis generis controuersias definiendi, neque id fecit tantum in gratiam Ecclesiæ vniuersalis, sed & in gratiam singularum Ecclesiarum, hoc non est negandum: sed hæc potestas non est potestas Dominij, sed qualis est potestas Judicis qui vulgo subalternus dicitur, cuius sententia stat si Lege nititur, non stat si lata est contra Legem. Hæc verò Christi mens est, etenim non dixit Christus, *Si frater tuus videtur in te peccasse*, sed, *si frater tuus in te peccauit*: Supponit igitur Christus peccatum esse admissum re vera, non opinione. Itaque quemadmodum temerè prouocatur à Judice subalterno, neque temerè modò sed damnosè etiam (etenim afficitur mulcta à superiori Judice qui iustam inferioris Judicis sententiam contempsit) ita planè qui ab Ecclesiæ Judicio iusto prouocauit, multo magis qui id Judicium contempsit, reddidit se obnoxium Dei Judicio. At si frater non peccauit in fratrem, Ecclesia autem iudicauit peccasse, non pertinet ea species (casum vulgo vocamus) ad hanc Christi Legem.

ad 2. Resp. 1.

Eadem responsione occurritur argumento quod secundo loco in subsidium istius afferunt; Non enim ex eo quod Christus Ecclesiam vult adiri, quod vult nos stare Judicio Ecclesiæ, sequitur Ecclesiam non posse errare. Nam & Christus Pharisæos iussit audiri, & ea fieri quæ præscriberent Pharisæi, cum idem Christus iubeat vt caueamus nobis à Pharisæorum fermento, quod Euangelista interpretatur doctrinam Pharisæorum. Sic Iudex superior inferiorem adiri iubet, neque ordinis seruandi caussa patitur rem ad se statim deferri, attamen non prohibet idem Judex superior, ne sicubi inferior Iudex erret prouocetur ad se, nouit enim inferiorem Iudicem sibi esse inferiorem. Ergo potest ex hoc loco colligi quis sit seruandus ordo in Ecclesia in definiendis controuersiis, non potest hinc colligi firmitas & veritas definitionis. Nam vt illud repetamus, supponitur in hoc præcepto reuera peccatum esse, non supponitur quæri, An sit peccatum. Itaque quod sequitur, quodque quinto loco obseruandum est, *Nisi audiuerit Ecclesiam, sit tibi tanquam Publicanus & Ethnicus*, sic accipiendum est, vt supponamus semper & reapse peccatum esse, & noluisse fratrem obedire monenti Ecclesiæ & studenti reuocare in viam.

2.

At si res fuit controuersa & dubia, non spectat eo præceptum Christi, vt quis in re controuersa cæca obedientia stet hominum Judicio: verbi gratia, iubentur filij parere parentibus in omnibus, & quicunque non paret patri monenti habetur in Scriptura pro execrabili, quid ita? quia nempe supponit Scriptura patrem monere sapienter & piè, quod si pater secus faciat, non tenetur conscientia filij vlla Lege obstricta, præter eam quæ sit Dei. Itaque videre est in Scripturis exempla piorum qui non contempserunt ordinem institutum à Deo, attamen si secus ab hominibus in dignitate constitutis, seu in Rep. seu etiam in Ecclesia, fuit constitutum quàm præscripsit Deus, prouocarunt à sententia lata.

Simili illustratur.

Vnus autem pro omnibus sit Paulus, qui cum Judæus esset agnouit Synedrij Principem pro Principe populi sui, & cùm animi impetu excanduisset excusat hinc, quod æstus & perturbatio (quam dum excusamus, *iustum* vocamus *dolorem*) ita eius præpedisset mentem vt non agnouerit (loquamur ita) in instanti authoritatem Principis Synedrij: & prouocauit idem Paulus ad Cæsarem, quia etsi malus, attamen Magistratus fuit, & damnatus à Cæsare haud dubiè prouocauit ad Deum.

Exemplo confirmatur.

V. Considerandum quid sit *sit tib. tanquam Ethnicus & Publicanus*, Erasti de hac phrasi sententia.

Sed quid sit, *sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus* nondum liquet. Sunt qui dicant Christum nihil aliud velle quàm licere experiri iure apud Magistratum profanum & alienum à religione, quoties frater contempsit Magistratum Christianum quem illi nomine *Ecclesiæ* à Christo designari volunt: quæ sententia planè absurda est, siquidem accommodetur ad Christi verba. Argumentum autem quo præcipuè nituntur vt probent sententiam suam, hoc est quod Publicanus idem vir bonus esse posit, idque videntur se probasse rationibus petitis partim à re ipsa, partim etiam à testimonio Sacræ Scripturæ: & res ipsa quidem huiusmodi est, vt sit non modò legitimum, sed sanctum etiam fungi munere Publicani, omnis enim ordo est à Deo, non potest autem stare Respublica sine Publicanis, itaque Publicanorum munus sanctum est. Quem ergo Christus iubet haberi eodem loco quo sunt Publicani, eum continuò non iubet haberi pro homine profano & alieno ab Ecclesia. Deinde Johannes Baptista non modò admittit Publicanos ad Baptismum, verum etiam quærentibus quid esset in posterum agendum, respondit ita vt illis non præscripserit vt abdicarent se illo munere, sed tantum vetarit ne munere sibi imposito abuterentur ad auaritiam & crudelitatem quam auaritia parit sæpenumerò, quæ etiam gignit auaritiam. Etiam Zachæus non cogitur à Christo se Publicani munere abdicare, tantum admittitur ad pœnitentiam, cùm in obeundo munere multa gessisset

Argumenta quibus nituntur eius sententia. 1. 2. 3.

auarè. Publicanus igitur idem vir bonus esse potest. Huc etiam accedit illud, quod Christus Ethnicum cum Publicano hoc loco coniunxit, quod non fecisset nisi Publicano & Ethnico aliquid esset commune. Atqui vnum potest esse Ethnico & Publicano commune, illud nempe quod litigandum erat aduersus vtrumque apud præsidem Romanum: erat enim Publicanorum nomen vsque adeò exosum Iudæis, vt procul dubiò causa essent casuri si res acta fuisset apud Iudæos. At haberi pro profano id non fuit commune Publicano & Ethnico, quando (sicuti supra demonstratum est) Publicanus idem vir bonus & sanctus esse potuit: Ethnicus iudicio rationis humanæ potuit quidem esse vir bonus, non potuit haberi tamen pro sancto.

Ref. Sed hæc quantumuis speciosa sint, attamen reapse sunt leuissima, nituntur enim hac hypothesi quæ falsissima est, Christum non vti iis loquendi formulis quæ populo erant in ore, sed vbique sequutum esse dicendi genus accuratum & exactum ad normam Philosophorum & Oratorum, qui vtuntur in dicendo arte quadam accommodata vel rebus vel personis. Huius hypotheseos falsitatem nos suprà demonstrauimus, cùm explicaremus illum locum, *Si manus aut pes tuus te offenderit, exscinde eum,* &c. Sed ne videamur (quod faciunt hæretici) tergiuersari, hoc à nobis hoc loco adjiciendum est, etiam Apostolum Paulum sic loqui vt habeat rationem vulgi, vt verbi gratia 2. cap. Epist. ad Gal. *Nos,* inquit, *natura Iudæi, qui non sumus è Gentibus peccatores,* dum sic loquitur noluit significare fideles è Gentibus potius esse peccatores quàm sunt Iudæi fideles, sed ita loquutus est secutus sententiam Aduersariorum de fidelibus qui erant è Gentibus. Sed & Dominus noster Jesus Christus peccatores & alienos ab Ecclesia solet *Publicanorum* nomine appellare, tum etiam *Ethnicorum* nomine designat eos qui nullum habent consortium cum Ecclesia Dei; vt cap. 5. Euangelij secundùm Matth. cùm hortatur suos ad patientiam & benignitatem erga hostes suos, quam non modò testentur tolerantia quadam, sed etiam benefactis, *Alioqui enim,* inquit, *si eos tantum amatis qui vobis benefaciunt, quid præstiteritis quod non præstent Publicani?* Itaque Christus sequutus vulgatam loquendi consuetudinem eos dixit *Publicanos* quorum (vt loquitur Scriptura) portio est in hoc mundo, vt idem Dominus cap. 6. eiusdem Euangelij, dum damnat superstitiosam precularum repetitionem, eam damnat eo nomine quod sit Ethnicis valde familiaris. Itaque sic colligimus, Christus impios aliquando designat nomine *Publicanorum* & *Ethnicorum*, Ergo falsum est quod asseruit vir doctissimus, Publicanum à Christo non potuisse dici virum profanum. Est scilicet quidam loquendi modus, seu figura quam Judæi vocant דרך גנאי, Rhetores autem & Grammatici Græci λόγον διασυρτικὸν: est autem ista figura tum familiaris, cum agitur de re aliqua quam studemus reddere exosam, vt verbi gratia Beatus Paulus cap. 2. Epist. ad Ephes. hortatur Ephesios velint meminisse qui fuerint olim, nempe *Gentes:* dictum est διασυρτικῶς, & secundum דרך גנאי, per contemptum pristinæ conditionis. Idem tamen cap. 3. vers. 1. eiusdem Epistolæ, *Ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis Gentibus.* Quum, inquam, sic loquitur, *aliquando eratis gentes,* Et, *ego sum vinctus pro vobis Gentibus*, videtur loquutus pugnantia, sed facilis est ratio conciliationis, nam cùm dicit Ephesios *fuisse Gentes,* est דרך גנאי, cum ait Ephesios *esse Gentes* propriè loquitur. Idem genus loquendi adhibuit Paraph. Chald. cùm alienum à Dei populo, quicunque tandem sit & cuiuscunque Gentis, vocat ארמי id est, *Syrum*, quomodo interpretatur quod scriptum est Leuitici 25. vers. 47. Et Syrus Interpres in Nouo Test. quod dicitur cap. 16. Actorum statim initio, Timotheum fuisse filium *Græci Patris,* exponit *Patris Aramæi* seu *Syri.* Quid ita? Quia nempe secutus est דרך גנאי, non enim eo loco notatur tam natio patris Timothei quàm religio: cùm autem Syri etiam antiquitus essent nobilissimi Idololatræ, hinc factum est vt quicunque à Deo vero esset alienus, *Syrus* hac loquendi formula vocaretur. Sic apud authores Ecclesiasticos, ἕλληνες dicuntur non qui natione Græci sunt, sed qui non sunt Christiani, eadem figura qua nos in sermone vernaculo *Turcas* & *Arabas* solemus vocare, non eos qui sunt Turcæ & Arabes natione (è qua gente multi sunt viri humani) sed auaros & crudeles designamus. Hoc, quia studio causæ abreptus non animaduertit vir doctus, effecit vt futilem ratiunculam habuerit pro luculentissimo argumento: res enim per se obuia est; Christo nempe & Euangelistis penè solenne est quoties *peccatorum* faciunt mentionem, toties meminisse *Publicanorum.* Itaque Dominus Jesus cap. 20. huius Euangelij, scorta seu meretrices Publicanis adiungit, & initio cap. 15. secundùm Lucam, Publicani & peccatores coniunguntur. Neque hæc figura Nouo Testam. peculiaris est, sed etiam in Veteri vsitata, nam Deus Ezech. cap. 16. Israelitis exprobrat quod eorum habitatio esset *Cananæorum habitatio,* & quod nati essent *patre Amorrhæo* & *matre Chittæa*, nec tamen habitatio Israelitarum erat tum terra Canaan, nec nati erant patre Amorrhæo aut matre Chittæa, sed dictum id est secundùm formulam illam loquendi quam דרך גנאי Rabbini vocant: nam Cananæi, Amorrhæi, Chittæi Gentes erant exosæ: itaque Deus dum vult exagitare Judæos, *Cananæos, Amorrhæos* eos vocat. Consimili figura Judæi 8. Ioh. Christum vocant *Samaritanum,* & *dæmonium habere* dictitant, non quod putarent Christum esse Samaritanum, aut arreptitium, sed quod ea nomina apud Judæos significabant rem abiectissimam, & maximè inuisam. Etiam Arabes dissentientem à se in negotio Religionis vocant מגוש id est, *Magum:* & quodam Idiomate linguæ Gallicæ iidem *hæretici* & *sortilegi* vocantur. Itaque vt redeamus eò vnde digressi sumus, verba Christi non efficiunt vt statuendum nobis sit, Christum velle, non quidem vt qui Ecclesiæ dicto non sit audiens habeatur pro profano, sed tantum vt conueniatur apud Magistratum.

Sequitur vt ostendamus hoc Interpretamentum alienum esse à Christi mente, idque duplici ratione, quarum prior pendet à phrasi qua Christus vsus est, *Sit,* inquit Christus, quæ phrasis imperantis est, vti constabit intuenti loca omnia in quibus hæc phrasis reperitur in Nouo Testam. Sic cap. 5. secundùm Matth. *Sit sermo vester Ita & Non.* Et cap. 20. *Si quis velit esse Magister inter vos, sit seruus vester.* Et 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 22. *Si quis non amat Dominum Iesum, sit Anathema.* Et cap. 1. ad Gal. *Si quis Euangelizauerit vobis*

Marginalia: 4. — Ref. — quos Christus intelligat Publicanorũ & Ethnicorum nomine. — ratio huius phraseos. — illustratur a iis similibus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. — Erasti interpretamentum est a Christi mente alienum.

vobis aliter quàm Euangelizauimus vobis, ſit Anathema. Et Iacob. 1. *Omnis homo tardus ſit ad loquendum,* &c. Et 3. cap. 1. Petr. *Quarum ornatus* (loquens de mulieribus Chriſtianorum) *ſit non in nodis capillorum, ſed in homine interiori.* Semel *Eſto* concedentis eſt 2. Cor. cap. 12. verſ. 16. ſed tum impersonale eſt, vt loquuntur Grammatici. At non eſt credibile Chriſtum voluiſſe imperare vt qui minus fuit obſequens Eccleſiæ, is trahatur in ius apud Magiſtratum. Nam vt Chriſtus hoc conceſſerit non imperauit tamen, quando multa eueniunt, certè poſſunt euenire, quæ id prohibeant, & vnicuique liberum eſt tueri, aut non tueri ius ſuum. Chriſti mens etiam & conſilium ab hac ſententia abhorret. Nam (vt antehac monuimus) Chriſtus non dat hic præcepta œconomica, ſed quæ pertinent ad vitam religioſè inſtituendam; quando autem experiundum ſit iure, & quibus legibus, abundè ſuprà à nobis demonſtratum eſt.

2.

Quid ſit habere aliquem pro Ethnico & Publicano.

Supereſt iam quærendum quid ſit tandem id quod Chriſtus hic exigit. Nam cum Publicani & Ethnici fuerint exoſi, videri poſſet Chriſtus nos hortatus, vt odio eos habeamus qui Eccleſiæ diſciplinam neglexerunt: (cùm tamen nihil magis alienum ſit à manſuetudine Chriſtiana; itaque Paulus vlt. cap. 2. Theſſ. v. 15. etiam eum qui ſua culpa ſe abalienauerat ab Eccleſia, iubet tantum admoneri vt fratrem, interdicit ſeuera lege ne eum odio habeamus.) At ita ſe res non habet, ſed hic antecedens poſitum eſt pro conſequente, quæ figura à nobis ſuprà explicata eſt, cum verſaremur in explicatione illius loci, *Si manus tua, aut pes tuus te offenderit,* &c. quia enim quos odimus, eos refugimus, hinc fit vt quos nos refugere velit Chriſtus, eos etiam velit haberi pro exoſis, ſed non haberi exoſos. Sed quid tandem illud ſit, nondum liquet. Id verò docet Paulus accuratè 1. ad Cor. cap. 5. & 2. ad Theſſ. cap. vlt. & hoc quidem poſteriori loco duo exigit, quæ tamen eodem redeunt. Primò, v. 6. hortatur nos στέλλεσθαι *ab omni fratre qui incedit ordinatè,* tum v. 14. *ne nos illi adiungamus,* ad verbum *miſceamur illi.* Quæ duæ locutiones rem totam exprimunt, nam eſt στέλλεσθαι inde te continere quo te impetus animi trahit, quomodo mater quæ filiolum vnicè amat, ſi prudens eſt cohibet impetum amoris, neque filiolo quantopere ipſum diligat oſtendit nimia familiaritate, proindeque nec ἀναμίγνυται *non miſcetur filiolo,* niſi quando & vbi neceſſe eſt. Itaque *habere pro Ethnico & Pulicano aliquem* non eſt odiſſe, ſed non vti familiariter eo qui contempſit vocem Eccleſiæ; quis autem is ſit iam declaratum eſt.

Docet id Paulus Apoſtolus.

Nempe nō vti eo familiariter.

Cuius rei tres ſunt cauſæ grauiſſimæ.

Huius rei tres ſunt cauſæ grauiſſimæ, quarum prima eſt ſalus illius qui contempſit vocem Eccleſiæ, ſecunda Eccleſiæ ædificatio, tertia Dei gloria. Primæ cauſæ Apoſtolus meminit 2. ad Theſſ. cap. vlt. v. 14. iubet enim nos *vitare conſuetudinem fratris inordinatè incedentis, vt pudefiat* ἵνα ἐντραπῇ (quæ vox elegantiſſima eſt, ſignificat enim huiuſmodi animi perturbationem vt qui ea afficitur, quærat vbi ſe poſſit præ pudore occultare) nihil enim eſt quod magis incitet peccatorem quàm ſi fratres videat eandem profitentes Religionem nihilominus ipſum colere, atque fouere: vt in morbis, ſi contemnantur à medico, aut verò ab iis qui aſſident decumbenti, æger proculdubiò putabit morbum eſſe leuem. Itaque Chriſtiana ſubductio non eſt ſubductio Anabaptiſtica coniuncta cum odio & execratione; ſed eſt argumentum tantummodo amoris erga peccatorem. Itaque ita *ſubductio* eſt, vt non ſit ſimpliciter *ſubductio* (nam hortatur nos Apoſtolus vt eum moneamus cum quo non vult nos habere commercium, quî autem monere poſſumus niſi adeamus hominem, & ſtudeamus in viam reuocare?) ſed quemadmodum nemo cum iis ludit qui conflictantur cum morbo lethali, neque ſerit cum iis quoſuis ſermones, ſed totus intentus eſt in eam cogitationem quî leuetur morbus; nempe ſi amat ſeriò, & ab ægro admittatur, nam ægri ſæpenumerò reſpuunt monentes. Hæc eſt prima ratio. Secunda eſt ea cuius meminit Apoſtolus cap. 5. 1. ad Cor. v. 7. quo loco reprehenduntur Corinthij quod pollutum inceſto non eiecerant, cùm metuendum eſſet ne fermenti paululum totam maſſam fermentaret. Accidit enim vt qui non gemunt ad aliena peccata, tantique peccatorem admiſſo peccato faciunt quanti antea fecerunt, vt peccatum illis leue & ioculare aliquid videatur, itaque facilè irretiuntur & inuoluuntur peccato; vt qui vlcera maligna, & quæ ſerpunt & contage ſua inficiunt, putant eſſe leuia, facilè ex eorum contrectatione morbum contrahunt. Tertia cauſa eſt Dei gloria, nam cùm in Eccleſia, & in eorum ſocietate qui profitentur veram religionem, tolerantur homines apertè impij & profani, fit hac ratione vt nomen Dei blaſphemetur inter Gentes, & tales exiſtimentur eſſe qui tolerant, quales ſunt qui tolerantur: vnde fit vt Deus propter vnius peccatum ſæpè excandeſcat in totam Eccleſiam, præſertim cùm conueniente Eccleſia peccatum patratum eſt. Ita fit vt Eccleſiæ culpa blaſphemetur nomen Dei inter Gentes. Quæ res Apoſtolum impulit ad Timotheum hortandum vt ſeruos diligenter admoneret officij erga Dominos, *ne,* inquit, *nomen Dei blaſphemetur.* Et id ipſum cauendum docet Apoſtolus Petrus priore Epiſtola cap. 3. vxoribus maritorum infidelium fidelibus.

1. *Salus peccatoris.*

2.

3. *Dei gloria.*

Expende verſ. 18.

Hanc autem quam diximus eſſe Chriſti mentem quæ ſequuntur apertè demonſtrant, *Etenim* (inquit Chriſtus) *Amen dico vobis quæcunque ligaueritis in terra, ligata erunt in cœlo.* Nam ſi *eſſe loco Ethnici & Publicani* eſt *trahi in ius apud Magiſtratum,* non cohærebunt Chriſti verba ſequentia cum præcedentibus, reddit enim rationem Chriſtus, cur qui contemnit Eccleſiæ hortationes meritò habendus ſit pro Ethnico & Publicano, quia nimirum Eccleſiæ vox in terra eadem ſit Dei vox in cœlo, vt idem ſit Eccleſiæ & Dei contemptor. Quod vt facilius intelligatur, ante omnia cauendum eſt nobis ne eorum amplectamur ſententiam qui putant hanc (quæcunque tandem ſit) poteſtatem ſoluendi & ligandi omnibus fidelibus eſſe communem, quod Auguſtinus ſenſiſſe videtur homil. 15. de verbis Domini, *Si fratrem,* inquit, *habes pro Ethnico & Publicano ligaſti illum in terra, ſi correxeris fratrem, ſoluiſti illum in terra.* Non quod hæc Auguſtini ſententia non ſit in ſe vera, ſed quia aliena eſt à ſcopo & mente Chriſti, quod Auguſtinus alibi paſſim agnoſcit. Nam certè qui corrigit fratrem, atque ita corrigit vt emendet, fratrem ſoluit vinculis peccati; contrà, qui fratri iuxta Dei verbum interminatus eſt, fratrem pœna obſtrinxit. Sed mutatio numeri hîc obſeruanda eſt, nam dum Chriſtus ageret de officio hominis priuati vſus

Poteſtas ligandi & ſoluendi.

non eſt omnibus fidelibus cōmunis.

est singulari numero, at postquam cœpit agere de Apostolorum officio & successorum, numerum mutauit è singulari in pluralem. Itaque hic est ætiologia, qui contemnit vocem Ecclesiæ habendus est pro Publicano & Ethnico, quid ita? quia quæcunque vos ligatis in terra eadem in cœlo ligata sunt contrà, quæ in terra soluitis eadem in cœlo soluta sunt.

Deinde verba ipsa sunt attentius consideranda, nam Christus ista non dicit tantum, sed asseuerat & affirmat adhibita formula *Amen*, quod non solet facere Christus nisi cùm agitur res magni momenti. Operæ autem pretium est scire quid sit *Amen*. *Amen* Hebraicè id dicitur quod Latini *firmum* & *ratum* vocant. Et autem particula ἐκφατικῶς vsurpata, itaque subintelligitur vel imperatiuus vel indicatiuus modus; Indicatiuus vt cùm aliquid affirmamus Paulus hanc vocem sic expressit πιστὸς ὁ λόγος *fidelis est hic sermo*, id est, *Amen, sermo firmus & ratus*. Vel subauditur modus imperatiuus, vt in clausulis precum, intelligitur enim *sit Amen, esto Amen*. Septuaginta Interpretes verterunt γένοιτο, id est firmum & ratum esto. Tum & hoc obseruandum est, Christum non sic loqui, *Quoscunque ligaueritis in terra ligati erunt in cœlo*, aut, *Quoscunque solueritis in terra, soluti erunt in cœlo*, sed neutro genere vsus est, haud dubiè non sine graui causa, quæ tum demum innotescet cùm perceperimus quid sit *ligare & soluere*: quæ vocabula etsi à nobis explicata sunt cùm interpretaremur locum illum *Tu es Petrus*, etiam & hìc veniunt explicanda peculiari quadam de causa.

Amen, quid sit.

Tenendum igitur est illa verba *ligare* & *soluere* in Ecclesia Judaica fuisse vsitatissima, proindeque notissimæ significationis quo tempore Christus agebat in terris, significabat autem *ligare* in Ecclesia Judaica *interdicere, prohibere*, contra *soluere* significabat *iubere* & *permittere*. Itaque eorum lingua אסר est *prohibere*, & contra התיר est *permittere, soluere*, vt cùm dicunt, *Ezechielem & Dauidem nihil ligasse quod non esset ligatum in Lege*. Itaque *ligare* est declarare rem aliquam esse profanam, vt sunt illa quæ illi vocant אסורים *res prohibitas*; contra *soluere* est pronunciare rem aliquam esse legitimam, vt sunt illa quæ ipsi vocant מותרים: Vt sit hæc sententia Christi, quæcunque Ecclesia causa cognita declarabit esse iniusta, ea Deus declarat esse iniusta, contra, quæ Ecclesia pronuntiat esse iusta, ea Deus iusta pronunciat. Capite 25. huius Euangelij Christus alludens ad hæc vocabula Pharisæis denunciat Dei iram, *Quod* (inquit) *ligent onera, atque imponant quæ ipsi nolunt portare:* Certè allusit ad illud *ligare & soluere* quod erat Rabbinis semper in ore, *Hoc ligatum est, illud verò solutum est*.

Ligare & *soluere* quid sit.

Hic verò quæritur, quo pacto fieri possit vt tanta sit Ecclesiæ authoritas in terris, ac primò illud occurrit expendendum, Sequaturne Ecclesiæ sententiam Dei sententia, an verò præcedat, tum, sitne Ecclesiæ sententia huiusmodi vt nunquam discedat à Dei sententia. Quod ad prius attinet, necesse est Ecclesiæ sententiam sequi sententiam Dei, iudicat enim ex præscripto & secundùm legem: Itaque non est hoc statuendum, Ecclesiam sententiam ferre, Deum autem ratam eam habere. Hoc solent facere Principes dum res etiam ipsis est cum iudicibus sibi subditis, vel ob socordiam, vel ob imperitiam iuris & æqui, vel ob occupationes crebras, & æquas, At Deus tamen hoc non facit, neque enim vel deses est, vel imperitus æstimator rerum, vel implicitus curis grauioribus, imò verò Legem Ecclesiæ dedit quam si illa sequatur non errauerit. Quorsum igitur ista sic pronunciata sunt à Christo, ac si præcedere debeat Ecclesiæ sententia? Nempe sic loquimur vulgò: Si paterfamilias procuratori præscripsit legem, reliquam alloquens familiam sic dicet, quicquid iste fecerit ego fecero; nempe hoc vult intelligi, Legem esse à se dispensatori præscriptam, vnde fiet vt quicquid illa Lege damnabitur iure per dispensatorem, ipse vindex sit futurus. Quomodo ergo fit vt quæ Ecclesia damnat, quæ interdicit, quæ habet pro illegitimis, ea Deus habeat pro profanis? quia nempe Ecclesia sequitur præscriptam à Deo Legem.

Non sequitur Dei sententia Ecclesiæ sententiam.

Ratio huius loquutionis Christi *quæcunque ligaueritis* &c.

Secundum verò quod quæritur, discedatne Ecclesia aliquando à præscripto verbi Dei? id verò intelligi potest duobus modis: vel si sic quæramus, An Ecclesia quodam animi malignitate odio inflammata, & agitata affectibus humanis transiliat limites sibi præscriptos, vel, Num errore, qui non sit crimen, aliquando deflectat à vero tramite? tum, si horum alterutrum aut vtrumque fiat, quæri poterit, quomodo vera sunt illa quæ tam asseueranter Christus pronunciat? Resp. ad vtrumque. Si Ecclesiæ nomine intelligantur ij qui hominum iudicio Ecclesia sunt, dubium non est quin peccent sæpenumerò animi quadam malignitate, quod Christus Dominus noster ipse expertus est, habitus enim est pro execrabili & blasphemo ab eâ quæ hominum iudicio Ecclesia fuit. At si nomine Ecclesiæ intelligamus veram Ecclesiam, & ὡς κατὰ ἀκρίβειαν, ea verò nunquam sic peccat. Sic autem peccatur interdum ignorantia *iuris* aut *facti*; & iuris quidem, cùm ignoratur quid Lex Dei præscribat agendum, facti verò, cùm incensi odio qui præsunt in Ecclesia non cognita causa damnant innocentem, volentes scilicet nescire quia iam oderunt. Prioris erroris exemplum habemus in Ecclesia Judaica, Christum enim damnarunt haud dubiè nonnulli ignorantia iuris, &, si rem accuratè expendimus, ferè omnes; neque enim putauerunt verum Messiam authorem extiturum bonorum cœlestium, sed terrenorum potius; vnde ortum est scandalum, quo factum est vt oculos occluderent ad illam lucem quæ in Christo refulgebat. Certè cùm omnis Judæa intenta & erecta esset in expectationem liberationis à tyrannide Romanorum, etiam Pharisæi profecti sunt ad Johannem in desertum, & Christum tot miraculis patratis insignem haud dubiè ambabus vlnis amplexi fuissent, si se regem terrenum professus fuisset. At ille de corporea seruitute parum sollicitus, totus erat in Ecclesia reformanda, in prædicanda fide & pœnitentia, quod proceribus Ecclesiæ non placebat. Ignorantiæ autem facti iidem Iudæi nobis exemplum præbent, reprehensi eo nomine à Gamaliele quod contra legem inauditum auderent damnare. Ista porrò iuris & facti ignorantia, quia oritur vtraque ab animi malignitate quadam, neminem potest excusare. Interdum etiam sic peccatur, nulla iuris aut facti ignorantia, sed vel superbia, vel auaritia, repugnante & contra vrgente conscientia Superbia, vt si quis veritatem odio habeat, quod illius lux luminibus suis obstruat, efficiatque

An Ecclesia à Dei præscripto discedat in Iudiciis suis.

Resp. Ecclesia quæ hominum iudicio tantum est Ecclesia à Dei præscripto discedit.

1. Ignorantia iuris.

vel facti.

2.

Superbia.

efficiatque vt reus peragatur inſcitiæ, proindeque dejiciatur de eo faſtigio in quo conſtitutus fuerat: Auaritia cùm vel pecuniæ cupiditate, vel ſpe augendæ rei domeſticæ, vel rei familiaris emittendæ metu contra ipſam pronunciatur veritatem.

Sed altero illo erroris genere quem diximus non habere crimen, poteſt etiam vera Eccleſia diſcedere à vero. Errorem autem qui non habet crimen dicimus eum omnem errorem qui non eſt argumentum animi perfidi, atque alieni à Deo, quem facilè agnoſcit ſenſus humanæ conſcientiæ, vnde oritur in hominum animis illius deteſtatio. Erratur autem eo modo (vt qui errat non continuò inſimulandus ſit perfidiæ) interdum ignorantia iuris, (at non ea quæ nullam habet excuſationem) interdum ignorantia facti, at quæ excuſari poſſit. Ignorantia iuris, vt cùm agitur de re leui, in cuius ignoratione verſari poſſit etiam is qui cæteroqui ſapit in diuinis, non ſunt enim omnia Chriſtianæ Religionis dogmata eiuſdem momenti. Non eſt idem errare cum Auguſtino, & errare cum Arrio; vterque errauit & quidem in iure, ſed alter graui & inexpiabili errore, alter fortaſſe leui. Poſſit etiam Eccleſia impetu quodam animi, dum aliorſum reſpicit, errare, & quidem grauiter, in ipſo iure, verbi gratiâ Eccleſia Galatarum, attamen hic error non fuit argumentum animi alieni à Deo, quia propoſitis ob oculos Eccleſiæ Galatarum rationibus quibus erroris grauitas oſtendebatur reſipuit (quod non faciunt ij qui in ipſo iure grauiter errant eo erroris genere qui excuſationem non admittit) ſæpe enim fit vt dum cupiunt vitare Charybdim boni viri, interdum incidant in Scyllam, vnde tamen moniti ſtatim reſiliunt. Hoc eſt quod Baſilius ἀμαρτείαν αἱθολκῆς vocat, Metaphora ducta ab iis qui contendunt funes, ſæpe enim tanta eſt contentio vt rumpatur funis, nempe contendenti non fuit animus funem rumpere, id tamen contingit dum nimia vi contendit; attamen rupto fune agnoſcit errorem ſuum. Facti autem ignorantia non ſine veniâ peccatur, cùm cauſſæ ſunt idoneæ, ſaltem probabiles, cur factum ſciri nequiuerit. Ita multos boni viri habent pro hæreticis, quòd à viris fide dignis, vt quidem illis videtur, audiant iis adſcribi ea à quibus abhorrent. Sic Baſilius olim habitus eſt pro hæretico etiam ab iis cum quibus idem ſentiebat de fide, & quos colebat tanquam fratres, nempe illi de Baſilio ſic forte ſentiebant aliorum impulſu, qui inuidebant Baſilij laudi, quæ ſumma fuit in Eccleſia propter profligatum Arrianiſmum tanta vi vt Philoſtorgius Arrianus ſcripſerit reliquos omnes Eccleſiæ Doctores præ Baſilio fuiſſe pueros. Sed vt Ariſtoteles acutè & veriſſimè argumentum actionis admiſſæ ignorantia facti vult eſſe, ſi ſequatur pœnitentia ſtatim, ſic Eccleſiæ veræ contingat ſanè ſic errare, non continget tamen vt admonita perſeueret in errore. Sic Ananias veritus eſt Paulum admittere in ſocietatem & colloquium ignorantia facti, nempe putabat eſſe perſecutorem Eccleſiæ, admonitus tamen Paulum amplexus eſt. Denique, neque ignorantia iuris neque ignorantia facti, ſed ſciens prudens, conſcia ſcilicet erroris ſui, Eccleſia errare poteſt, at id tamen nunquam facit ſuperbia aut auaritia impulſa, ſed metu, qualis ille eſt qui cadere poteſt in conſtantes etiam viros, quamuis Deus aliter iudicet: ſic Petrus nulla vel iuris, vel facti ignorantia lapſus eſt, cuius tamen fidem Chriſtus ait non defeciſſe. Attamen ſicut humanum eſt labi, ita diabolicum perſeuerare, ij teſtantur ſe non eſſe ſic lapſos, qui in lapſu perſeuerant; Illi autem qui ſint, iudicare facilè poſſunt homines à poſteriori, ſolus Deus à priori, qui corda hominum nouit. Certè aliud eſt re benè cogitata & expenſa Chriſto renuntiare, & falſo dogmati ſubſcribere, aliud incitatione quadam animi orta ab obiecta ſpecie rei ſua natura metuendæ veluti ceſpitare. Nam qui prius patrant, illi hærent in errore, non enim temerè in eum impegerunt, at qui poſterius hoc admiſerunt, poſtquam ad ſe redierunt, colligunt nouas vires, quod & ipſi accidit Petro. Cùm igitur vel in alterum errorum genus incidere poſſit Eccleſia, tametſi ab altero immunis ſit, certè Eccleſiæ iudicio non eſt ſtandum abſolutè. Cuius veritatis hæc eſt ratio, quod cuius ſtatur judicio in iis quæ conſcientiam reſpiciunt, eum neceſſe eſt diuinum eſſe planè & ἀμαρτάνητον, qui verò errori obnoxius eſt, (quacunque tandem de cauſſa errori obnoxius ſit) is hominem ſe eſſe demonſtrat, & proinde labilem: At quod ſingulis poteſt contingere in Eccleſia, totis Eccleſiis contingere nihil vetat. Singulis autem in Eccleſia alterum genus erroris contingere poſſe ipſa docet experientia, & rationes attulimus cùm doceremus eſſe quædam peccata quæ cum vera fide ſtare poſſunt, tum cùm explicaremus ea quæ ſcripta ſunt initio huius cap.

Quæ autem huc vſque à nobis diſputata ſunt, videntur duo trahere incommoda: Etenim diximus Eccleſiam ſequi Dei Legem, itaque non haberi ratum à Deo quod decreuit Eccleſia, niſi cùm Eccleſiæ decretum Legi Dei conſentaneum eſt. Id vero omnem in ſpeciem adimit authoritatem Eccleſiæ, nam ſi Eccleſiæ ſtatuta non ſunt aliam ob cauſſam firma, quàm quia conſtituit Eccleſia quod Deus conſtituerat, cuiuſvis tanta eſt authoritas quanta eſt Eccleſiæ: nam ſi minimus quiſque doceat Deum eſſe colendum, & contemnatur idem, haud dubiè Deus vindex erit. At non eſt æquum vt eadem homini priuato quæ Eccleſiæ tribuatur authoritas. Imò verò, ſi eadem ſit priuati hominis & Eccleſiæ authoritas, nulla erit authoritas Eccleſiæ, nam priuati hominis nulla eſt authoritas: quæ autem authoritas tanta eſt quanta eſt ea quæ nulla eſt, ea certè nonniſi ridiculè *Authoritas* dicitur. Diximus item Eccleſiam poſſe errare ſaltem aliquomodo; at id videtur eleuare prorſus energiam & emphaſim verborum Chriſti; verba enim Chriſti magnificentiora ſunt quàm vt poſſit cœtus ille cui Chriſtus tantum promiſit, errare.

Sed iſta ſpeciem quidem habent veritatis, verùm nihil minus. Iſta autem veritatis ſpecies vt detrahatur mendacio, quod ad prius incommodum attinet tenendum eſt, omnia quæ fiunt legitimè non vno modo legitimè fieri, ſed quot ſunt vocationis ſpecies, tot etiam modi ſunt agendi legitimè. Triplex autem eſt ſpecies vocationis, alia enim *Officium* dici poſſit, alia *Munus*, alia *Iuriſdictio*. Et *Officium* quidem eſt quod fraternitatis iure vnuſquiſque proximo debet, quæ autem hac ratione fiunt, ἀγαπητικῶς, duntaxat fiunt; nam neque par in parem, neque inferior in ſuperiorem habet imperium: itaq; ab hoc genere actionum abeſt omnis authoritas, vt cum frater monet

Marginalia (left): el auaritia. — Eccleſia vera poteſt errare. — 1. Errore qui crimen non habet. qui iti- em eſt ex ignorantia vel iuris, — vel Facti. — Act. 9. 15. — 2. ex metu.

Marginalia (right): Ideoq; Eccleſiæ iudicio non eſt ſimpliciter & abſolutè ſtandum. — Objiciuntur duo ad ea quæ ſuperius dicta ſunt. 1. — 2. — Reſp. ad 1. per diſtinctionem. — Vocatio eſt triplex. 1. Officium.

2. Munus.

fratrem, aut verò filius patrem, abesse debet authoritas. *Munus* autem est cura alicui demandata, sine iurisdictione tamen quam vocant, adeóque sine ea authoritate, quæ vel tanta est, vt quod præscribitur putetur ideò faciendum quia præscriptum est, vel potest is cui præscriptum est pœnâ adigi ad obedientiam, vt si Accensus missus à Rege, Nobili, Regis nomine, imperet vt Regem adeat, fungitur ille quidem munere, attamen nullam habet (vt loquuntur) iurisdictionem, non enim quod iussit ideò ratum est, quod ille sic iusserit, sed quia à Rege missus est, & quidem hoc munere ei imposito: sed nec ei licet vlterius progredi, aut coërcere pœnâ rebellem, hoc Rex sibi & iis quibus tribuit iurisdictionem, reseruauit. *Iurisdictio* autem est ius ea præscribendi quæ nisi præscripseris non erunt legitima, si præscripseris erunt, vt potestas coercendi pœnis dicto minus obsequentes. Iam verò tria hæc ita inter se differunt vt *viuens*, *sentiens* & *homo*, nam omnis iurisdictio munus est, omne munus officium, quemadmodum omnis homo sentiens est, omne sentiens viuens. At contrà omne officium non est munus, omne munus non est iurisdictio, vt omne viuens non est sentiens, verbi gratia planta: & omne sentiens non est homo, verbi gratia bellua. His ergo sic constitutis facile est diluere argumentum: nam aliter Ecclesia, aliter priuatus nos commonefacit officij, priuatus hoc facit pro officij sui ratione, non pro ratione muneris quod nullum habet, Ecclesia verò facit pro muneris sui ratione. Porrò munus omne coniunctam habet authoritatem, quamuis illa authoritas iurisdictionis authoritas non sit, vt liquebit intuenti vitam humanam. Ergo Ecclesia habebit authoritatem, sed eam quæ muneris est, quæ sanè magna est authoritas, grauius enim punitur qui aspernatur monentem pro muneris sui ratione, quàm si aspernatur monentem pro officij sui ratione: verbi gratia, si quis monet rebellem vt ad sanitatem redeat pro officij ratione, puta frater, filius, amicus, multò leuiùs peccat si eum contempserit, quàm si contempserit missum à Rege dedita opera, cuius monitu resipiscat. Quæ autem à nobis disputata sunt adimunt quidem Ecclesiæ authoritatem Iurisdictionis, non adimunt authoritatem Muneris: vt pædagogus habet quidem authoritatem muneris in puerum, authoritatem iurisdictionis pater sibi seruauit. Itaque multò grauius peccat puer qui præceptoris monita negligit, quam si negligeret eadem monentem condiscipulum. Non ergo detrahimus omnem authoritatem Ecclesiæ, sed quandam, nempe iurisdictionis authoritatem, de qua Deo iuuante disputabimus infrà.

3. Iurisdictio.

Quomodo tria hęc inter se differant.

Applicatur distinctio ad propositum.

Authoritas Ecclesiæ est authoritas muneris non Iurisdictionis.

Resp. ad 2. 1.

Alterum verò illud leuius est, non enim eleuatur continuò pondus verborum Christi, si habemus pro constituto Ecclesiam posse errare, nam Christus tam ἐμφατικῶς capite 23. huius Euangelij loquutus est, cùm iubet omnia fieri quæ præscriberent Pharisæi, idem tamen Dominus Iesus cap. 16. huius Euangelij sedulò Discipulos suos monet, vt sibi caueant à fermento Pharisæorum. *Fermentum* autem (vt ex eodem loco constat) dixit, non mores & vitam, sed doctrinam Pharisæorum, vt constat ex vers. 16. Quemadmodum ergo non ex eo quod Christus iussit omnia fieri quæ præscriberent Pharisæi, sequitur fuisse in doctrina Pharisæis per omnia obtemperandum, cùm idem Christus cauerit ne id fieret à Discipulis, sic neque hinc colligitur Ecclesiæ cæca obedientia esse parendum, quia pollicitus sit Christus fore rata quæcunque statuerit Ecclesia. At hoc est, inquiet aliquis, non soluere argumentum, sed (vt loquuntur in Scholis) respondere ad hominem, hoc est, sic poterit os occludi homini Christiano qui agnoscit authoritatem sacræ Scripturæ, sed Porphyrio haud ita satisfiet; dicet haud dubiè hæc inter se pugnare. Itaque aliter respondemus, solemne esse cùm imponitur alicui munus, vti istis formulis, cùm tamen subintelligatur hoc semper, fore vt cui munus illud imponitur, non abutatur munere. Sic dicimus eum qui patris vocem contemnit Deum contemnere, at non intelligimus tamen eum qui vocem patris praua iubentis contemnit, eundem Deum contemnere, adeoque (quod exemplum suprà attulimus) paterfamilias certis legibus commissa cura familiæ dispensatori, seruis imperat vt dispensatori pareant, denuntiatque si secus faciant fore vt vindex sit, attamen si familia conscia dispensator abutatur munere sibi imposito, & patris familias bona dilapidauerit, nemo est in familia bonus qui putet religiosum insurgere in dispensatorem; nam ratio & naturæ sensus docent eius generis priuilegia limites habere legem ab eo datam, qui priuilegium indulsit. Itaque facit hæc ratio vt Ecclesia bonorum cœlestium tantum dispensatrix sit, non facit vt iis modis (qui supra declarati sunt) non possit abuti munere. Sic solutæ sunt hæ difficultates.

2.

At videri possit durum adimere Ecclesiæ ius pœnæ irrogandæ, tum etiam parum (vt videtur) conuenit Christi verbis, vt Ecclesia Dei sequatur sententiam, nam Ecclesia suas etiam habet pœnas quas irrogat reis: Et Christus non dixit ea fuisse ligata in cœlo aut soluta, quæ ligaturi aut soluturi erant Apostoli, sed ea ligatum & solutum iri, quæ illi ligauerint aut soluerint; ita que non videtur præcessisse, sed sequuta Dei sententia. Cæterùm vtrumque hoc in se leue est & futile. Nam quod ad prius attinet, Ecclesia (si volumus propriè loqui) neminem punit, nec hoc ius sibi arrogat, fungitur enim vice patris; iam verò castigat pater, non punit. Est autem magnum discrimen inter *pœnam & castigationem*. Nam Pœna vindictæ rationem habet, non habet rationem emendationis, itaque ne pœnitenti quidem remittitur, vt videre est in iudiciis pœnalibus, in quibus Iudex nullam habet pœnitentiæ rationem, neque emendationis morum, afficit enim extremo supplicio quandoque pœnitentem reum; tantum hoc habet Iudex ob oculos, vt qui Leges contempsit, non impunè ferat, seu pœnituerit eum, seu non. At Ecclesia neminem castigat nisi quem studet adducere ad pœnitentiam; itaque nec propriè punit, & si quem segregat à communione fidelium, vel hoc facit vt medicus qui quod abscindit membrum corporis non punit, tantum cauet ne pars syncera trahatur; vel facit quod is facit cui dispensatio commissa est (qui tamen nullam habet iurisdictionem) qui scilicet non dat cibum & mercedem ei cui herus lege data vetuit præberi cibum & mercedem; vel facit quod is cuius munus est monere facere debet, id quod vulgò *Censuram* dicimus, id pœnæ rationem non habet, sed medelæ potius; veræ autem pœnæ sunt quas Deus Iudex irrogat. Huc etiam &

Instanti duplex.

Resp. ad 1. Ecclesia non punit sed castigat tantum.

etiam & illud accedit, quod ſi quid Eccleſia facit quod analogiam habeat cum pœna, non hoc facit tanquam ſi vllam haberet iuriſdictionem, non enim quod facit Eccleſia ideò ratum eſt, & firmum quia viſum eſt Eccleſiæ, ſed quia ſic Deo viſum eſt. Itaque ille qui dejicitur de Eccleſia iniuria, nihil amittit apud Deum, imò verò acquirit potius aliquid, patitur enim perſecutionem ob iuſtitiam, in qua patientia beatitudo eſt. Itaque Eccleſia propriè ius puniendi non habet: contrà videas vbi Iuriſdictio locum habet, quod de pœna conſtituitur ratum eſt, quantumuis in ſe ſit iniquum. Alterum verò illud nihilo maioris eſt momenti: Nam diſtinguenda ſunt illa quæ dicuntur œconomicè ab iis quæ propriè dicuntur, nam quæ dicuntur œconomicè eadem dicuntur figuratè, ſed ea tamen figura quæ familiaris eſt & nota. Dicuntur autem œconomicè illa quæ dicuntur cùm committitur cura Diſpẽſatori, verbi gratia, Paterfamilias diſcedens domo, *Quicquid*, inquit, *iſte iuſſerit ego iuſſero*, non hoc vult dum ſic loquitur, ſentẽtiam ſuam ſequuturam diſpenſatoris ſententiam, tantum hoc vult, vt ne familia expectet eius reditum, quoties officium faciendum eſt, quando ille non conſtituit iis imperare edita ex eo loco voce quò profectus eſt, ſed per Diſpenſatorem, cui tamen leges imperandi dedit, contra quas ſi quid præſcripſerit Diſpenſator, non obtemperarit hero, proindeq; nec familia. Et in vita quidem humana fieri id poteſt ſine piaculo, at non in vita Chriſtiana, neque enim excuſauerit gregem neglıgẽtia paſtoris. Cuius diſcriminis hæc eſt ratio, quod ſunt quædam in familia quæ ne bonus quidem ſcire poſsit herum velle niſi diſpenſator admoneat, itaque defenſioni, non modò excuſationi locus eſt. At nemo à Deo damnatur niſi ob peccatum, peccatum autem huiuſmodi eſt vt in iis ſitum ſit quæ neſciuiſſe non eſt infirmitatis, ſed vitij, eſt enim ea ignorantia iuris quæ nullum excuſat. Itaq; idipſum obtinet in familia in hoc genere, nam ſi quædam ſunt quæ Diſpẽſator præſcripſerit, eiuſmodi vt poſsit bonus aliquis è familia ſuboleſcere non eſſe id præſcriptum ab hero, licet familiæ intercedere: ſi ſit, verbi gratia, Diſpenſator ſcortator aut ganeo, ſi dilapidet bona herilia ſibi commiſſa.

Ad 2.

Verſ. 19. & 20. Πάλιν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς περὶ παντὸς πράγματος, οὗ ἐὰν αἰτήσωνται, γενήσεται αὐτοῖς &c. Altera eſt ratio qua Chriſtus Eccleſiæ ſuæ cœtibus Eccleſiaſticis conciliat authoritatem, nempe promittit fore vt quicquid vnanimi conſenſu qui præſunt Eccleſiæ petituri ſunt à Deo, dum munere ſibi impoſito fungi ſtudent, id impetraturi ſint à Patre illo cœleſti: nam nihil negat Pater iis quibus adeſt Filius, iam verò vbicunque duo aut tres conuenerunt in nomine Filij, Filius iis ita adeſt vt iis præſit. Quorum verborum ſenſum vt teneamus, 1. Neceſſe eſt vt expendamus vim verborum quibus Chriſtus eſt vſus: & primò occurrit illud πάλιν, *rurſus*, quod quid ſignificet hoc loco non eſt vſque adeò clarum, propter inuſitatam huius ſignificationem in qua hic adhibetur. Nam πάλιν lingua Græca duo tantum ſignificat, vel enim eſt particula, vt ita loquar, *repetitiua*, quæ ſignificat repetitionem rei iam factæ, aut ſermonis iam dicti, vel eſt particula *oppoſitiua* ſignificans oppoſitionem, cùm ſignificat *contra, è diuerſo*. At hic neutrius eſt ſignificationis, nam nec Chriſtus hic quippiam repetit quod antè dixerit, neque facit oppoſitionem. Quid igitur eſt? Loquutio eſt Syriaca, in qua lingua particula reſpondens particulæ πάλιν ſignificat additionem, idemque quod lingua Latina *præterea*, & lingua Gallica *& auſsi*. Eſt autem illa particula תוב, (ducta ex שוב Hebræo) quæ ſignificat *iterum, præterea, etiam*, vt cap. 4. Euangelij ſecundùm Matth. dum Diabolus tentat Chriſtum citat locum è Scriptura, Chriſtus autem reſpondet, *rurſuſq; ſcriptum eſt*; noluit opponere Scripturam Scripturæ, neque repetere locum Scripturæ prius allatum, hoc tantum voluit, *etiam ſcriptum eſt*, vt id ſcriptum eſt, ita etiam & hoc. Et cap. 5. eiuſdem Euangelij, *Rurſus dictum eſt antiquis non peierabis*, noluit dicere hoc bis eſſe dictum, tantum ſenſus eſt, *præterea dictum eſt*. Itaque nihil opus fuit vt doctiſsimus Interpres inſolentia ſignificationis particulæ πάλιν commotus nos moneret in vetuſtis Codicibus ſcriptum eſſe ἀμὴν. Nam Syriacus Interpres, qui vetuſtiſſimus eſt certè, πάλιν legit & vertit תוב, & eſt (vt diximus) illa ſignificatio vocis תוב vſitata in lingua Syriaca.

πάλιν quid hic ſignificet.

Sequuntur illa verba λέγω ὑμῖν. Accipiendum autem eſt illud vt dictum ſignificãter, non enim ſignificare tantum vult Chriſtus ſe aliquid dicere, ſed maius aliquid. Et certè hæ locutiones *dico tibi, dico vobis*, vel ſunt *conſtitutiuæ*, id eſt, ſignificant conſtitutionem, vel ſunt *affirmatiuæ* & *aſſeueratiuæ*, nullus vt dubitationi locus in auditoris animo relinquatur: verbi gratiâ, capite 2. Euangelij ſecundùm Marcum, dum Chriſtus vult ſe demonſtrare verum eſſe Deum, & qui non per blaſphemiam ſibi tribuit poteſtatem remittendi peccata, ait paralytico, *Dico tibi, Surge, & tolle grabbatum tuum*. Et cap. 5. eiuſdem Euangelij ſecundùm Marcum, *Puella, dico tibi, Surge*, vbi *dico tibi* conſtitutiuum eſt: quò pertinet quod dicitur Pſal. 82. *Ego dixi, vos dij eſtis*; vbi, *Ego dixi* vox eſt poteſtatis conſtituentis, vnde Apoſtolus dixit *omnem poteſtatem eſſe à Deo*. Et eſt eadem locutio aſſeueratiua, ſed quæ aſſeuerationem cum authoritate conjunctam habet, cuius locutionis paſſim exſtant exempla in Euãgelio; nam Chriſtus cùm aliquid magnum affirmat (cùm præeſſet domui Dei non vt ſeruus, ſed vt filius) *Dico* (inquit) *vobis, dico tibi*. Similis eſt locutio apud Prophetas, *Dixit Dominus*. Itaque non eſt oſcitanter legendum in Euangelio, *Dico tibi, dico vobis*, præſertim hoc loco, quo Chriſtus promittit Eccleſiæ rem optatiſsimam, & maximè neceſſariam. Itaque, *dico vobis*, hoc in loco eſt idem quod Græcè διϊσχυρίζομαι ὑμῖν, & hebraicè מבטיח אתכם. Itaque LXX. Interpretes blaſphemum illud Rabſacæ dictum, *Ne vos faciat confidere Ezechias*, verterunt, *Ne dicat Ezechias vobis*.

λέγω ὑμῖν eſt emphaticum.

Sequitur ἐὰν δύο ὑμῶν. De hac loquutione infra agemus. Συμφωνήσωσι. Συμφονεῖν eſt vox muſica, ſignificat *concentum*, (concentus autem à cantu eo differt, quod cantus vnius ſit, concẽtus nonniſi plurium) hic verò conſenſum ſignificat animorum, qui in hoc ſitus eſt quod plures non modo eodem, ſed eadem via tendunt: certè niſi eodem tenderint, ſumma erit diſſentio: niſi via eadem tenderint, erit quidem diſſentio, non erit ſumma. Hoc eſt Hebræis, qui ſcripſerunt poſt Prophetas, הסכי, cuius verbi ſignificationem ſuprà explicauimus, cùm explicaremus quid eſſet

Quid συμφωνεῖν hic ſignificet.

fratrem, aut verò filius patrem, abesse debet authoritas. *Munus* autem est cura alicui demandata, sine iurisdictione tamen quam vocant, adeòque sine ea authoritate, quæ vel tanta est, vt quod præscribitur putetur ideò faciendum quia præscriptum est, vel potest is cui præscriptum est pœnâ adigi ad obedientiam, vt si Accensus missus à Rege, Nobili, Regis nomine, imperet vt Regem adeat, fungitur ille quidem munere, attamen nullam habet (vt loquuntur) iurisdictionem, non enim quod iussit ideò ratum est, quod ille sic iusserit, sed quia à Rege missus est, & quidem hoc munere ei imposito: sed nec ei licet vlterius progredi, aut coërcere pœnâ rebellem, hoc Rex sibi & iis quibus tribuit iurisdictionem, reseruauit. *Iurisdictio* autem est ius ea præscribendi quæ nisi præscripseris non erunt legitima, si præscripseris erunt, vt potestas coercendi pœnis dicto minus obsequentes. Iam verò tria hæc ita inter se differunt vt *viuens*, *sentiens* & *homo*, nam omnis iurisdictio munus est, omne munus officium, quemadmodum omnis homo sentiens est, omne sentiens viuens. At contrà omne officium non est munus, omne munus non est iurisdictio, vt omne viuens non est sentiens, verbi gratia planta: & omne sentiens non est homo, verbi gratia bellua. His ergo sic constitutis facile est diluere argumentum: nam aliter Ecclesia, aliter priuatus nos commonefacit officij, priuatus hoc facit pro officij sui ratione, non pro ratione muneris quod nullum habet, Ecclesia verò facit pro muneris sui ratione. Porrò munus omne coniunctam habet authoritatem, quamuis illa authoritas iurisdictionis authoritas non sit, vt liquebit intuenti vitam humanam. Ergo Ecclesia habebit authoritatem, sed eam quæ muneris est, quæ sanè magna est authoritas, grauius enim punitur qui aspernatur monentem pro muneris sui ratione, quàm si aspernatur monentem pro officij sui ratione: verbi gratia, si quis monet rebellem vt ad sanitatem redeat pro officij ratione, puta frater, filius, amicus, multò leuiùs peccat si eum contempserit, quàm si contempserit missum à Rege dedita opera, cuius monitu resipiscat. Quæ autem à nobis disputata sunt adimunt quidem Ecclesiæ authoritatem Iurisdictionis, non adimunt authoritatem Muneris: vt pædagogus habet quidem authoritatem muneris in puerum, authoritatem iurisdictionis pater sibi seruauit. Itaque multò grauius peccat puer qui præceptoris monita negligit, quam si negligeret eadem monentem condiscipulum. Non ergo detrahimus omnem authoritatem Ecclesiæ, sed quandam, nempe iurisdictionis authoritatem, de qua Deo iuuante disputabimus infrà.

2. Munus. 3. Iurisdictio. Quomodo tria hæc inter se differant. Applicatur distinctio ad propositum. Authoritas Ecclesiæ est authoritas muneris non Iurisdictionis.

Resp. ad 2. 1.

Alterum verò illud leuius est, non enim eleuatur continuò pondus verborum Christi, si habemus pro constituto Ecclesiam posse errare, nam Christus tam ἐμφατικῶς capite 23. huius Euangelij loquutus est, cùm iubet omnia fieri quæ præscriberent Pharisæi, idem tamen Dominus Iesus cap. 16. huius Euangelij sedulò Discipulos suos monet, vt sibi caueant à fermento Pharisæorum. *Fermentum* autem (vt ex eodem loco constat) dixit, non mores & vitam, sed doctrinam Pharisæorum, vt constat ex vers. 16. Quemadmodum ergo non ex eo quod Christus iussit omnia fieri quæ præscriberent Pharisæi, sequitur fuisse in doctrina Pharisæis per omnia obtemperandum, cùm idem Christus cauerit ne id fieret à Discipulis, sic neque hinc colligitur Ecclesiæ cæca obedientia esse parendum, quia pollicitus sit Christus fore rata quæcunque statuerit Ecclesia. At hoc est, inquiet aliquis, non soluere argumentum, sed (vt loquuntur in Scholis) respondere ad hominem, hoc est, sic poterit os occludi homini Christiano qui agnoscit authoritatem sacræ Scripturæ, sed Porphyrio haudita satisfiet; dicet haud dubiè hæc inter se pugnare. Itaque aliter respondemus, solemne esse cùm imponitur alicui munus, vti istis formulis, cùm tamen subintelligatur hoc semper, fore vt cui munus illud imponitur, non abutatur munere. Sic dicimus eum qui patris vocem contemnit Deum contemnere, at non intelligimus tamen eum qui vocem patris praua iubentis contemnit, eundem Deum contemnere, adeoque (quod exemplum suprà attulimus) paterfamilias certis legibus commissa cura familiæ dispensatori, seruis imperat vt dispensatori pareant, denuntiatque si secus faciant fore vt vindex sit, attamen si familia conscia dispensator abutatur munere sibi imposito, & patris familias bona dilapidauerit, nemo est in familia bonus qui putet religiosum insurgere in dispensatorem; nam ratio & naturæ sensus docent eius generis priuilegia limites habere legem ab eo datam, qui priuilegium indulsit. Itaque facit hæc ratio vt Ecclesia bonorum cœlestium tantum dispensatrix sit, non facit vt iis modis (qui supra declarati sunt) non possit abuti munere. Sic solutæ sunt hæ difficultates.

2.

At videri possit durum adimere Ecclesiæ ius pœnæ irrogandæ, tum etiam parum (vt videtur) conuenit Christi verbis, vt Ecclesia Dei sequatur sententiam, nam Ecclesia suas etiam habet pœnas quas irrogat reis: Et Christus non dixit ea fuisse ligata in cœlo aut soluta, quæ ligaturi aut soluturi erant Apostoli, sed ea ligatum & solutum iri, quæ illi ligauerint aut soluerint; itaque non videtur præcessisse, sed sequuta Dei sententia. Cæterùm vtrumque hoc in se leue est & futile. Nam quod ad prius attinet, Ecclesia (si volumus propriè loqui) neminem punit, nec hoc ius sibi arrogat, fungitur enim vice patris; iam verò castigat pater, non punit. Est autem magnum discrimen inter *pœnam & castigationem*. Nam Pœna vindictæ rationem habet, non habet rationem emendationis, itaque ne pœnitenti quidem remittitur, vt videre est in iudiciis pœnalibus, in quibus Iudex nullam habet pœnitentiæ rationem, neque emendationis morum, afficit enim extremo supplicio quandoque pœnitentem reum; tantum hoc habet Iudex ob oculos, vt qui Leges contempsit, non impunè ferat, seu pœnituerit eum, seu non. At Ecclesia neminem castigat nisi quem studet adducere ad pœnitentiam; itaque nec propriè punit, & si quem segregat à communione fidelium, vel hoc facit vt medicus qui quod abscindit membrum corporis non punit, tantum cauet ne pars syncera trahatur; vel facit quod is facit cui dispensatio commissa est (qui tamen nullam habet iurisdictionem) qui scilicet non dat cibum & mercedem ei cui herus lege data vetuit præberi cibum & mercedem; vel facit quod is cuius munus est monere facere debet, id quod vulgò *Censuram* dicimus, id pœnæ rationem non habet, sed medelæ potius; veræ autem pœnæ sunt quas Deus Iudex irrogat. Huc etiam &

Instantia duplex. Resp. ad 1. Ecclesia non punit sed castigat tantum.

etiam & illud accedit, quod ſi quid Eccleſia facit quod analogiam habeat cum pœna, non hoc facit tanquam ſi vllam haberet iuriſdictionem, non enim quod facit Eccleſia ideò ratum eſt, & firmum quia viſum eſt Eccleſiæ, ſed quia ſic Deo viſum eſt. Itaque ille qui dejicitur de Eccleſia iniuria, nihil amittit apud Deum, imò verò acquirit potius aliquid, patitur enim perſecutionem ob iuſtitiam, in qua patientia beatitudo eſt. Itaque Eccleſia propriè ius puniendi non habet: contrà videas vbi Iuriſdictio locum habet, quod de pœna conſtituitur ratum eſt, quantumuis in ſe ſit iniquum. Alterum verò illud nihilo maioris eſt momenti: Nam diſtinguenda ſunt illa quæ dicuntur œconomicè ab iis quæ propriè dicuntur, nam quæ dicuntur œconomicè eadem dicuntur figuratè, ſed ea tamen figura quæ familiaris eſt & nota. Dicuntur autem œconomicè illa quæ dicuntur cùm committitur cura Diſpẽſatori, verbi gratia, Paterfamilias diſcedens domo, *Quicquid*, inquit, *iſte iuſſerit ego iuſſero*, non hoc vult dum ſic loquitur, ſentẽtiam ſuam ſequuturam diſpenſatoris ſententiam, tantum hoc vult, vt ne familia expectet eius reditum, quoties officium faciendum eſt, quando ille non conſtituit iis imperare edita ex eo loco voce quò profectus eſt, ſed per Diſpenſatorem, cui tamen leges imperandi dedit, contra quas ſi quid præſcripſerit Diſpenſator, non obtemperarit hero, proindeq; nec familia. Et in vita quidem humana fieri id poteſt ſine piaculo, at non in vita Chriſtiana, neque enim excuſauerit gregem neglıgẽtia paſtoris. Cuius diſcriminis hæc eſt ratio, quod ſunt quædam in familia quæ ne bonus quidem ſcire poſſit herum velle niſi diſpenſator admoneat, itaque defenſioni, non modò excuſationi locus eſt. At nemo à Deo damnatur niſi ob peccatum, peccatum autem huiuſmodi eſt vt in iis ſitum ſit quæ neſciuiſſe non eſt infirmitatis, ſed vitij, eſt enim ea ignorantia iuris quæ nullum excuſat. Itaq; idipſum obtinet in familia in hoc genere, nam ſi quædam ſunt quæ Diſpẽſator præſcripſerit, eiuſmodi vt poſſit bonus aliquis è familia ſubolfacere non eſſe id præſcriptum ab hero, licet familiæ intercedere: ſi ſit, verbi gratia, Diſpenſator potator aut ganeo, ſi dilapidet bona herilia ſibi commiſſa.

Verſ. 19. & 20. Πάλιν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς περὶ παντὸς πράγματος οὗ ἐὰν αἰτήσωνται, γενήσεται αὐτοῖς &c. Altera eſt ratio qua Chriſtus Eccleſiæ ſuæ cœtibus Eccleſiaſticis conciliat authoritatem, nempe promittit fore vt quicquid vnanimi conſenſu qui præſunt Eccleſiæ petituri ſunt à Deo, dum munere ſibi impoſito fungi ſtudent, id impetraturi ſint à Patre illo cœleſti: nam nihil negat Pater iis quibus adeſt Filius, iam verò vbicunque duo aut tres conuenerunt in nomine Filij, Filius iis ita adeſt vt iis præſit. Quorum verborum ſenſum vt teneamus, 1. Neceſſe eſt vt expendamus vim verborum quibus Chriſtus eſt vſus: & primò occurrit illud πάλιν, *rurſus*, quod quid ſignificet hoc loco non eſt vſque adeò clarum, propter inuſitatam huius ſignificationem in qua hic adhibetur. Nam πάλιν lingua Græca duo tantum ſignificat, vel enim eſt particula, vt ita loquar, *repetitiua*, quæ ſignificat repetitionem rei iam factæ, aut ſermonis iam dicti, vel eſt particula *oppoſitiua* ſignificans oppoſitionem, cùm ſignificat *contra, è diuerſo*. At hic neutrius eſt ſignificationis, nam nec Chriſtus hic quippiam repetit quod antè dixerit, neque facit oppoſitionem. Quid igitur eſt? Loquutio eſt Syriaca, in qua lingua particula reſpondens particulæ πάλιν ſignificat additionem, idemque quod lingua Latina *præterea*, & lingua Gallica *& auſſi*. Eſt autem illa particula תוב, (ducta ex שוב Hebræo) quæ ſignificat *iterum, præterea, etiam*, vt cap. 4. Euangelij ſecundùm Matth. dum Diabolus tentat Chriſtum citat locum è Scriptura, Chriſtus autem reſpondet, *rurſuſq; ſcriptum eſt*; noluit opponere Scripturam Scripturæ, neque repetere locum Scripturæ prius allatum, hoc tantum voluit, *etiam ſcriptum eſt*, vt id ſcriptum eſt, ita etiam & hoc. Et cap. 5. eiuſdem Euangelij, *Rurſus dictum eſt antiquis non peierabis*, noluit dicere hoc bis eſſe dictum, tantum ſenſus eſt, *præterea dictum eſt*. Itaque nihil opus fuit vt doctiſsimus Interpres inſolentia ſignificationis particulæ πάλιν commotus nos moneret in vetuſtis Codicibus ſcriptum eſſe ἀμὴν. Nam Syriacus Interpres, qui vetuſtiſſimus eſt certè, πάλιν legit & vertit תוב, & eſt (vt diximus) illa ſignificatio vocis תוב vſitata in lingua Syriaca.

Sequuntur illa verba λέγω ὑμῖν. Accipiendum autem eſt illud vt dictum ſignificãter, non enim ſignificare tantum vult Chriſtus ſe aliquid dicere, ſed maius aliquid. Et certè hæ locutiones *dico tibi, dico vobis*, vel ſunt *conſtitutiuæ*, id eſt, ſignificant conſtitutionem, vel ſunt *affirmatiuæ* & *aſſeueratiuæ*, nullus vt dubitationi locus in auditoris animo relinquatur: verbi gratiâ, capite 2. Euangelij ſecundùm Marcum, dum Chriſtus vult ſe demonſtrare verum eſſe Deum, & qui non per blaſphemiam ſibi tribuit poteſtatem remittendi peccata, ait paralytico, *Dico tibi, Surge, & tolle grabbatum tuum*. Et cap. 5. eiuſdem Euangelij ſecundùm Marcum, *Puella, dico tibi, Surge*, vbi *dico tibi* conſtitutiuum eſt: quò pertinet quod dicitur Pſal. 82. *Ego dixi, vos dij eſtis*; vbi, *Ego dixi* vox eſt poteſtatis conſtituentis, vnde Apoſtolus dixit *omnem poteſtatem eſſe à Deo*. Et eſt eadem locutio aſſeueratiua, ſed quæ aſſeuerationem cum authoritate conjunctam habet, cuius locutionis paſſim exſtant exempla in Euãgelio; nam Chriſtus cùm aliquid magnum affirmat (cùm præeſſet domui Dei non vt ſeruus, ſed vt filius) *Dico* (inquit) *vobis, dico tibi*. Similis eſt locutio apud Prophetas, *Dixit Dominus*. Itaque non eſt oſcitanter legendum in Euangelio, *Dico tibi, dico vobis*, præſertim hoc loco, quo Chriſtus promittit Eccleſiæ rem optatiſsimam, & maximè neceſſariam. Itaque, *dico vobis*, hoc in loco eſt idem quod Græcè διϊσχυρίζομαι ὑμῖν, & hebraicè מבטיח אתכם. Itaque LXX. Interpretes blaſphemum illud Rabſacæ dictum, *Ne vos faciat confidere Ezechias*, verterunt, *Ne dicat Ezechias vobis*.

Sequitur ἐὰν δύο ὑμῶν. De hac loquutione infra agemus. Συμφωνήσωσι. Συμφωνεῖν eſt vox muſica, ſignificat *concentum*, (concentus autem à cantu eo differt, quod cantus vnius ſit, concẽtus nonniſi plurium) hic verò conſenſum ſignificat animorum, qui in hoc ſitus eſt quod plures non modo eodem, ſed eadem via tendunt: certè niſi eodem tenderint, ſumma erit diſſentio: niſi via eadem tenderint, erit quidem diſſentio, non erit ſumma. Hoc eſt Hebræis, qui ſcripſerunt poſt Prophetas, הסכי, cuius verbi ſignificationem ſuprà explicauimus, cùm explicaremus quid eſſet

Ad 2.

πάλιν quid hic ſignificet.

λέγω ὑμῖν eſt emphaticum.

Quid συμφωνεῖν hic ſignificet.

apud Paulum ἀφανίζεσθαι. Sed non est hoc dissimulandum quod cap.14. vers.3. Genes. vbi est, חברו, LXX. Interpretes verterunt συνεφώνησαν: est autem hoc loco חברו *conuenerunt in vnum locum, vt inirent consilia de consociatione aduersus communem hostem.* Itaque חבר Oseæ 6. *significat collegium & societatem hominum idem sentientium.* Quare si חברו est συνεφώνησαν, חבר erit συμφωνία. Ergo חבר כהנים non erit simpliciter *collegium Sacerdotum*, sed *collegium Sacerdotum consentientium inter se.* Sanè חבר, *socius est*, & apud Rabinos חבר est Rabbini non quidem *discipulus*, sed tamen *assessor.* Itaque videtur Dominus noster Iesus Christus (cuius mentem expressit Euangelista, more Euangelistarum qui sequuntur Phrasim vsitatissimam in Ecclesia) non simpliciter notasse consensum, sed consensum hominum qui coïerunt in eundem locum: & sequentia id videntur confirmare, nam inquit, *Vbi duo aut tres conuenerint in nomine meo, ego sum in medio eorum.*

Quid significet hic περὶ παντὸς πράγματος. Sequitur περὶ παντὸς πράγματος οὗ ἐὰν αἰτήσωνται. Doctissimus Interpres distinxit hæc à prioribus ὑποστιγμῇ, atque conjunxit cum sequentibus hoc modo, συμφωνήσωσι περὶ παντὸς πράγματος, οὗ ἐὰν αἰτήσωνται, γενήσεται αὐτοῖς, &c. Rectè: nam nihil aliud vult Dominus nisi suos, quoties vnanimi consensu & studio decernendi ex præscripto Verbi Dei quid fas aut nefas sit in vnum locum conuenerint, quæcunque ad hanc rem subsidia petierint, impetraturos. Quanquam etiamsi ista verba jungantur cum præcedentibus res eodem redibit, non enim eo diuellentur ab iis quæ proximè sequuntur οὗ ἐὰν αἰτήσωνται. Notandum est quoties ἐὰν sequitur postpositiuum ὅς, ἥ, ὅ, idipsum significare quod Latinis *cunque* quum adjicitur pronomini, *qui, quæ, quod*, sic *quicunque, quæcunque*, &c. cuius rei exempla nihil est necesse referre cùm sint crebra in Nouo Testamento, vnum tamen afferemus vt lux afferatur loco alicui obscuro, quod à nobis fiet tamen, non vt velimus aliquid affirmare, cùm exstent tot virorum doctorum explicationes illius loci: exstat autem is cap.15. huius Euangelij. *Vos* (inquit Christus) *transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram: nam Deus mandauit dicens, honora patrem tuum & matrem, & qui maledixerit patri aut matri, morte morietur: vos autem dicitis, quicunque dixerit patri aut matri, donum, quodcunque à me erit, tibi proderit, etiamsi nequaquam honorauerit patrem aut matrem*, &c. δῶρον eo loco est קרבן *Corban* haud dubiè: קרבן autem est quod in vsus sacros dicatum est Deo: itaque hæc sunt verba filij patri maledicentis reapse: pater enim exigit à filio non iam eleemosynam, sed honorem, potest enim fortasse pater filio erogare eleemosynam, sed non filius patri: honorat filius patrem dum ei subuenit; hoc est, filius patri subueniens soluit tributum patri: Iam hîc nequam & profanus filius mauult se voto obstringere quàm vt iuuet patrem, indignabundus nempe. Itaque execratio quædam est, & iusiurandum vt fraudetur miser pater. αἰτήσωνται. Αἰτεῖν & ἀξιοῦν differunt, nam ἀξιοῦν est *postulare aliquid*, nempe, *ex iure*, at αἰτεῖν seu αἰτεῖσθαι est *suppliciter aliquid petere*, vnde qui Græcè προσαίτης dicitur, Latinè dicitur *mendicus.* Sic describitur precantium affectus γενήσεται αὐτοῖς, phrasis est etiam Hebræa, *erit illis*: nam quod factum est נהיה illis dicitur, hoc est, *fuit.*

[margin: οὗ ἐάν.] [margin: αἰτήσωνται.] [margin: γενήσεται.]

Vers.20. *Vbi sunt duo aut tres.* *Duo aut tres.* Id est, vel paucissimi, prospexit enim Dominus quibus tempestatibus Ecclesia sua esset iactanda. Nam regibus terræ licet quando illis libet habere conuentus, & quidem frequentissimos: non est ea semper Ecclesiæ conditio, iam verò duo aut tres minimum & infrequentissimum faciunt conuentum, itaque hac loquutione vsus est Dom. Sic Hebræi dum volunt dicere non ita pridem, dicunt תמול שלשם *heri, nudiustertius.* Sic Oseæ cap.6. *Dominus à duobus diebus viuificabit nos, & tertio die excitabit nos*, id est *breui Dominus nos liberabit.* Non sunt igitur hæc verba accipienda præcisè, quamuis etiamsi præcisè accipiantur res eodem redibit. *Ibi ego ero in medio eorum*, videri posset Pleonasmus, attamen nihil minus est, nam *esse in medio* duobus modis dicitur in Scriptura, phrasi Hebræa, vel enim in medio esse dicitur quicunque adest, vt verbi gratiâ Chittæi dicunt Abrahamo, *Nonne tu es princeps Dei in medio nostri?* vbi Chaldæus paraphrastes rectè vertit ביננא *inter nos*, & Ezechielis cap.1 ℣.1. *Et ego eram in medio captiuitatis* בתוך הגולה. Huc etiam pertinet quod scriptum est 52.cap. Esaiæ, & repetitum à Paulo cap.6. 2. ad Corinth. *Separamini de medio eorum*, nihil aliud est quàm segregemini ab iis. Profectò si hæc esset significatio perpetua huius locutionis, pleonasmus esset, sed qui tamen haberet emphasin, vt Græci dicunt πάλιν αὖ καὶ πάλιν, Latini *etiam atque etiam*; sed nihil necesse est huc confugere. Nam & phrasi Scripturæ *esse in medio* dicitur qui præest, qui (vt vulgò dicimus) præsidet, vt Psal.82. *Deus iudicat in medio Deorum*, præcessit, *stat in congregatione Deorum*, nam locus Præsidis est medius locus in cœtibus, vt quantum fieri potest ab omnibus ex æquo pariter audiri, pariter omnes queat audire.

[margin: Vers. 20.] [margin: ἐν μέσῳ.]

Sed dum properamus omisimus hæc verba ἐν ὀνόματί μου. Quid sit *cogi in vnum Christi nomine* non adeo liquet, vnde tot & tam variæ exortæ sunt interpretationes; itaque tenendum est quid sibi velit in Scriptura hæc locutio, *in nomine Dei, in nomine Christi.* Igitur vt ad rem veniamus, *nomen Dei*, interdum significat nomen illud quo se distingui voluit à fictitiis Diis, nomen autem illud est יהוה, vt ait Dominus 3. Exod. vers. 14. *Ego sum* (inquit) יהוה, *Deus patrum vestrorum, hoc est* (inquit) *nomen meum, & memoriale meum.* Unde factum est vt Iudæi השם, hoc est *Nomen*, per excellentiam pro ipso Deo dixerint, vnde illis Deus est השם, quasi dicas *nomen illud*, & hinc istæ formulæ אם יעזר השם, si adjuuerit Deus, אם יגזר השם, si decreuerit Deus, אם ירצה השם, si voluerit Deus, & השם יתברך, id est, *Deus benedictus.* Cur autem sic loquantur confidenter, hanc afferunt rationem, quod Leuitic. cap.24. vers.11.& 16. qui maledixit Deo dicitur *expressisse nomen*, id est, vt illi interpretantur, nomen Dei ineffabile יהוה pronunciasse. Certè vbi scriptum est in Hebræo ויקוב את השם Onkelos vertit פרש את שמא Sed hæc est mera argutiola, nam quemadmodum inter nos Christianos qui expresso Dei nomine Deum blasphemat, multo atrocius blasphemat quàm si id faceret suppresso Dei nomine, sic haud dubiè illius Israelitidis filius multo grauiùs peccauit quod blasphemarit in Deum, Dei insigni illo nomine expresso (quo distingui Deus voluit à diis Gentium) quàm si molliùs

[margin: ἐν ὀνόματι μου.] [margin: Nomen Dei sumitur pro Deo ipso.]

moliiùs blaſphemaſſet; itaque notatum eſt id à Spiritu Sancto. At in Scriptura ſacra ponitur quidem pro Deo ipſo Dei nomen, ſed hac formula *nomen Dei*, non formula rabbinica *nomen* ſimpliciter. Hæc igitur eſto prima huius formulæ *nomen Dei* ſignificatio, vt ſignificet ipſum Deum. Sed tamen cùm aliquid fieri dicitur *in Dei nomine* diuerſa locutio eſt, tum enim *nomen Dei* ſignificat authoritatem & potentiam Dei, vt 1. Sam. 17. verſ. 45. profitetur Dauid ſe prodire aduerſus Philiſtæum *in nomine Domini*; *Tu quidem venis ad me cum clypeo & haſta, ego verò tibi procedo obuiam in nomine Dei*, hoc eſt, non fretus meis viribus, nec authoritate mea, ſed Dei potentia, & iure quod obtinet in omnes, ſic Pſalm. 20. *Hi* (inquit) *in equis & curribus, nos autem in nomine Dei commemorabimus*, hoc eſt, hi iactant robur & inſtrumenta bellica, nos autem potentia Dei & authoritate in creaturas nitimur. In Eccleſia autem Iudaica tam fuit hæc phraſis vſitata, vt cap. 4. Actorum ſic Petrus & Apoſtoli compellentur à Synedrio, *in qua potentia & in quo nomine iſta facitis*, id eſt, vt Gallicè loquimur, *quis vobis dedit hanc authoritatem?* Et Matth. 21. interrogatur Chriſtus *qua poteſtate ea faceret quæ faciebat*, id eſt, *quo nomine*. Hinc patet quo ſenſu dicamur *ſeruari in nomine Chriſti*, Actor. 3. verſ. 16. nempe vi & authoritate Chriſti, & 1. ad Corinth. 6. verſ. 11. eodem ſenſu dicimur *iuſtificari in nomine Chriſti*. Atque hinc affertur lux formulæ in Eccleſia celeberrimæ, *Baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, id eſt, authoritate Patris, Filij, & Spiritus ſancti baptizo te in remiſsionem peccatorum, & ſanctificationem Spiritus, alioqui baptiſmus eſſet ritus inanis. Itaque hoc loco dicuntur conuenire in Chriſti nomine, qui deliberaturi de re magna, nec ex authoritate ſua conueniunt, ſed ex vocatione, id eſt, iubente Chriſto, neque item ſubnixi viribus ſuis, ſed fiducia auxilij Chriſti. *Ego* (inquit Chriſtus) *veni in nomine Patris mei*, id eſt, veni miſſus à Patre, *& non recepiſtis me, alius venit in proprio nomine*, id eſt à nemine miſſus, ſua authoritate & *recipietis eum*. Neque id ſolum requiritur, ſed etiam vt qui vocantur à Deo, à Deo pendeant (pendebunt autem à Deo, ſi in conſiliis ſuis ſequantur Dei præſcriptum, quod niſi fecerint, non conuenerint in nomine Dei, ſed in ſuo nomine) tum etiam agnoſcant non poſſe fieri vt ſequantur in conſiliis præſcriptum Dei, niſi Deus adſit per Spiritum ſuum, & det ipſis bonam mentem. Tenemus igitur quid ſit *conuenire in nomine Chriſti*, nempe conuenire, primò, ex vocatione, ſecundò, conuenire animo ſequendi præſcriptum Dei, tertiò, ita vt vnuſquiſque diffidat ſibi, & ſoli Deo fidat, & promiſsionibus auxilij Diuini. Et ratio eſt (vt ſummatim colligamus quæ diximus fusè) quòd ſcilicet ex phraſi *aliquid facere in nomine Dei* eſt aliquid facere ſubnixum authoritate & potentia diuina.

In nomine Domini, id eſt, in authoritate Domini.

Quid ſit in nomine Chriſti conuenire.

Verbis ita expoſitis facilè eſt ſoluere quæſtiones quæ hinc oriuntur. Ac primò quidem illud, vnde fiat vt in cœtibus Eccleſiaſticis peccetur ſæpè grauiſsimè cùm Chriſtus tam magnificis verbis pollicitus ſit auxilium ſuum. Nempe non obſeruantur promiſsionis conditiones; illæ verò tres ſunt, primò, vt conueniatur (quomodo à nobis ſupra explicatum eſt) magno conſenſu, hoc enim voluit Chriſtus ſignificare, dum requireret id quod Euangeliſta συμφώνειν vocauit; ſecundò poſtulat Chriſtus vt qui conueniunt in vnum inuocent nomen Dei, idque ſincerè, ſedatis animi affectibus & perturbationibus; tertiò vt qui conuenerunt in vnum, conuenerint vt de eo deliberent quod pertinet ad munus ſibi iniunctum à Deo, atque in iis Conciliis ſequantur leges præſcripti muneris; tum vt diſpiciant quid præſcripſerit Deus, atque id aſſequi non putent ſuis viribus, ſed illud à Diuino auxilio, & à Spiritus S. illuminatione pendêre exiſtiment. Itaque verba hæc cum ſuauiſsima conſolatione neceſſariam continent admonitionem, vt qui Eccleſiæ præſunt expendant quid ſibi conueniat pro ratione muneris impoſiti, nec temerè (quod prouerbio dicitur) in alienam meſſem immittant falcem, ſed ſequantur vulgatum illud, *Tractent fabrilia fabri*: tum vt ſciant Deum non reliquiſſe Eccleſiam ſine certis quibuſdam Legibus, nec putent conſcientiæ regimen eſſe arbitrarium. Denique vt ſic de ſemetipſis ſentiant, vt putent hoc quantum eſt, quod ſanè maximum eſt, neminem præſtare poſſe niſi qui ſit diuinitus corroboratus.

Vnde fiat vt in cœtibus Eccleſiaſticis grauiſſimè peccetur.

Altera verò quæſtio hinc nullo negotio ſoluitur, nempe, An hinc ſequatur Eccleſiam non poſſe errare, quod Chriſtus rem adeo magnam promiſerit Eccleſiæ? Reſpondemus enim promiſsionem hanc eſſe, non eſſe prædictionem: Hoc eſt autem inter *Promiſsionem* & *prædictionem* diſcrimen, quod prædictio nulla nititur conditione, promiſsio conditione nititur: itaque prædictio niſi impleatur non poteſt eſſe vera, promiſsio etiamſi non impleatur vera eſſe poteſt; nempe quominus impleretur non ſtetit per promittentem, ſed per eos quibus promiſsio facta eſt, quippe qui non impleuerunt conditionem, *Deumq́;* (vt loquitur Johan. cap. 5. Epiſt. 1. Cathol.) *effecerunt mendacem*, etenim quoties promittit Deus, exigit fidem & obſequium, non prædicit ſimpliciter quid ſit euenturum. Itaque neceſſe eſt Pontificij probent prius ſe eſſe veram Eccleſiam, ſe conuenire in Conciliis eo animo quem hic exigit Chriſtus, quàm à nobis poſtulent vt ἀβασανίστως, nulla adhibita deliberatione, amplectamur temerè quod in eorum cœtibus conſtitutum eſt. Neque tamen hinc ſequitur promiſsionem iſtam eſſe fruſtraneam. Etenim non eſt leue argumentum ſpiritualis lætitiæ, vt quis certò perſuaſum habeat fore vt modò occupetur in iis quæ pertineant ad munus ſuum, Deumque habeat ob oculos atque ab eo pendeat, aſſecuturus ſit votorum ſuorum ſummam. Itaque & conuentus hîc meminit Chriſtus, & precum, & nominis ſui: & *Conuentus* quidem, quia omnibus non eadem indulget dona, nec eadem copia, vt collatis in vnum ſententiis faciliùs diſpiciatur quid ſequendum, quid fugiendum ſit. Atque ita ſinguli admonentur conditionis ſuæ; nam ſi vnus ſolus præ cæteris ſaperet, conuentu non eſſet opus. Tum etiam vt foueatur concordia Chriſtiana, Chriſtus omnibus noluit omnia indulgere, ſed pro admirabili ſua ſapiẽtia ita diſpenſare munera ſua, vt ne quis fratrem contemnat. Ut illud interim taceamus, quod nihil eſt efficacius, tum ad excitandam, tum etiam ad inflammandam magis magiſque mutuam beneuolentiam, quàm ſi in vnum, quoties occaſio fert, conueniamus, idem

An Chriſti verbis fiat vt Eccleſia non erret. Reſp. Diſcrimen eſt inter promiſsionem & prædictionem.

Nec tamen eſt fruſtranea Chriſti promiſsio.

enim amor qui vnit animos, facit etiam vt præſentia fratrum ſecundum carnem mirificè lætemur.

Neq; hinc fit vt Concilia ſint ἀναμάρτητα.

Cæterùm quod hinc deducunt œcumenica Concilia, quæ Auguſtinus *plenaria* vocat, non poſſe errare, pari iure id faciunt, ac ſi duobus aut tribus in vnum coeuntibus tribuerent tantum vt ne poſsint errare: nam quod hic pollicetur Chriſtus, certè non minus eſt quod duobus aut tribus pollicetur, quàm quod pluribus, nempe vt illis adſit, & vt impetraturi ſint quicquid petierint à Patre cœleſti; iam verò negant hoc eſſe peculiare Conciliis quæ vocant *Vniuerſalia*. Noſtra autem ſententia ſecundùm Chriſti mentem plana eſt, nolumus enim hic plus tribui à Chriſto multis quàm paucis, ſed ſpectandam eſſe *qualitatem*, non *quantitatem*, vt dicunt in Scholis: non eſt enim multitudo quæ efficit vt non erretur, ſed probitas & ſapientia, quæ ſi inſit duobus aut tribus non magis errabitur quàm ſi multis ineſſet.

EIVSDEM *IOHANNIS CAMERONIS*, *de Eccleſia integra Diſputatio, Prælectionibus ab eo Salmurij explicata.*

SIc explicatus eſt locus longè celeberrimus, atque, vt arbitramur ab interpretamentis hominum, & cauillis Doctorum Eccleſiæ Romanæ vindicatus. Veruntamen quia agitur res magni momenti, quoties de Eccleſia Chriſti agitur, & titulo Eccleſiæ multi abutuntur ad conciliandam ſibi contra ius faſque authoritatem in hominum conſcientiam, vt eximatur omnis ſcrupulus, conſilium noſtrum eſt, appendicis loco, huic explicationi diſputationem de Eccleſia adjicere, vt res tota veluti oculis ſubjecta vno obtutu conſpici poſsit. Itaque quæ hactenus ſparſim à nobis de Eccleſia diſputata ſunt colligentur hoc loco in vnum, ea breuitate quam argumentum tam latè patens admittere poteſt. Eſt quidem tota de Eccleſia quæſtio per ſe facillima explicatu, ſed aſtu & vafritie humani ingenij, quod magis tenebras offundere veritati, quàm lucem afferre amat, factum eſt vt ſit impeditiſsima, & maxime inuoluta. Itaque non temerè res nobis aggredienda eſt, ſed eſt progrediendum via quadam & ordine.

Ordo dicendorum proponitur.

Primo igitur loco diſputabimus de Eccleſiæ nomine. Secundo, de Eccleſia natura & conditione. Tertio, de Eccleſiæ conſpicuitate. Quarto, de Eccleſiæ duratione. Quinto, de Eccleſiæ conſtantia in retinenda veritate. Sexto, de Eccleſiæ iuriſdictione. Septimo, de Eccleſiæ regimine. Octauo, de Schiſmate: atque ita, ſi voluerit Dominus, complexi fuerimus quicquid pertinet ad hanc rem quam agimus, nam his quęſtionibus definitis nullo negotio ſatisfieri poterit iis qui de Eccleſia nobis litem mouent, quicunque tandem illi ſunt.

* *

AD MATTHÆI Cap. XIX. Verſ. 3.

3. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ φαρισαῖοι πειράζοντες αὐτὸν, καὶ λέγοντες αὐτῷ, Εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, &c.

3. *Tum acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes ipſum, & dicentes, An licet homini dimittere vxorem ſuam qualibet de cauſſa?* &c. ad verſum vſque 10.

DE PHARISAEIS PLENIOR diſputatio.

HÆc eſt in ſpeciem apertiſsima narratio vnius è tentationibus Chriſti: Cæterum hæc narratio in ſpeciem ſimplex offert nobis materiam diſputandi de rebus longè grauiſsimis, vt poſtmodum liquebit.

Ordo dicendorum.

Atque vt viâ quadam & ordine inſtituatur explicatio huius loci, primùm à quibus profecta ſit hæc tentatio exponemus, deinde quænam illa fuerit, denique quis illius fuerit exitus, Deo iuuante trademus.

De Phariſæis quorſum hic diſputetur.

Eſt verò hæc tentatio profecta à Phariſæis, de quibus nobis diſſerendum erit eo diligentius, quod imprimis conducat ad intelligendos complures locos Noui Teſt. noſſe qui fuerint illi qui Phariſæorũ nomine toties deſignantur in libris Noui Teſtamenti: Tum etiam facit ea res plurimum ad internoſcendum puram illam & veram doctrinam quæ traditur libris Veteris & Noui Teſtamenti, ab ea qua (quantum in hominibus fuit) puritas veritatis illius adulterata eſt.

Quinque circa Phariſæos hic conſiderantur.

Ergo vt qui ſint Phariſæi teneamus diſputabimus, primò de nomine *Phariſæorum*, vnde dicti ſint Phariſæi. Secundò de ordine Phariſæorum, quæ illius ratio & conditio fuerit, ſit-ne hoc nomen dignitatis & officij in Eccleſia, an verò ſectæ ſimpliciter. Tertiò de dogmate Phariſæorum & eorum doctrina. Quarto de vitæ inſtituto. Denique de origine huius ordinis; quem ad locum vbi peruenerimus etiam ea trademus (ſed breuiter) quæ pertinent ad naturam reliquarum quæ inter Judæos celebres fuerunt, Sectarum.

DE NOMINE PHARISAEORVM.

De Etymo nominis Phariſæorum.

IGitur vt à nomine Phariſæorum ordiamur, ſunt, (quidem ij viri longè doctiſsimi) qui Phariſæos dictos eſſe putant quod eſſent diuinę Legis interpretes, nam פרש eſt *interpretari*, qui ſe tuentur primò authoritate Hebræorum.

2. opinio. Rationes quibus illa nititur.

1.

Sunt enim inter Iudæos qui dicant Phariſæos eſſe nominatos quod eſſent מפרשים התורה *Interpretes Legis*. Et Ioſephus libro 1. de bello Judaico capite 4. tradit Phariſæos fuiſſe σύνταγμά τι Ἰουδαίων, δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ ἀκριβέστερον τοὺς νόμους ἀφηγεῖσθαι, *ordo quidam Iudaorum qui videbantur reliquis Iudæis ſanctius viuere, & legem accuratius interpretari.*

2.

Quorſum & illud etiam accedit quod in Nouo Teſtamento mentio fit diſcipulorum huius ordinis hominum, quærunt enim Judæi Matth. 9. 14. cur Chriſti diſcipuli non ieiunent, cùm ieiunent Phariſæorum diſcipuli, vnde videtur concludi non abſurdè Phariſæos eoſdem eſſe doctores & interpretes legis.

Obj.

Nec huic ſententiæ obſtat (inquiunt) quod à doctiſsimo viro obſeruatum eſt, Phariſæos non dici פורשים quod dicendum omninò foret ſiquidē Phariſæi

interprete

1. ſ. *interpretes* ſunt: Nam forma Pahul actiuam habet ſignificationem apud Syros & Chaldæos: Itaque mirum videri non debet ſi nomen huius ordinis, etſi iuxta rem grammaticam Hebræorum paſſiuam habet ſignificationem, tamen ea ætate qua lingua hebræa corrupta fuit & tota penè Chaldaica reddita, Syra (inquam) illa lingua cuius vſus fuit vernaculus inter Iudæos actiuam habet ſignificationem: Sic ילוד *pater* dicitur, קטול *homicida*, חטוף *raptor* & eiuſmodi ſexcenta. Hæ rationes eò permouerunt doctiſsimum Interpretem Bezam vt poſteriori Noui Teſtamenti editione ſententiam de huius nominis Etymo mutarit: nam in prioribus editionibus Noui Teſtamenti (adductus authoritate maximi & incomparabilis viri Merceri) notarat Phariſæos non eſſe dictos ideo quod eſſent interpretes diuini iuris, ſed (vt Mercerus autumat) quòd eſſent à reliqua turba ſegregati &, vt fuit candidus & ingenuus, profitetur vltrò Druſij rationibus viri in hoc genere literarum doctiſsimi ſe vt ſententiam mutaret, permotum. Cæterùm quam vim habeant hæ rationes Deo iuuante poſtmodum tradem[us].

Sed hæ rationes non ſunt ſolidæ.

2. ſententia. Alij ſunt & hi viri docti, qui פרושים dictos putant Phariſæos, quod vitæ genere omnium oculis à reliqua turba internoſcendi exponerentur. Sed vt פרש *expandere & explicare* ſignificat quod erat inuolutum atque ob oculos illud conſtituere, tamen Metaphorica ſignificatione id non ſignificat: Nec eò iuuantur quod φαρισαῖοι per σῖγμα vnicum ſcribitur, nam & φαρισσαῖοι antiquitùs etiam ſcriptum eſt hoc nomen, & ש ſimplici etiam σῖγμα exprimitur. Sed hæc etymologia arguta nimis eſt, & à nemine veterum obſeruata, vt illud interim taceamus, non eſſe veriſimile ſectam quam Apoſtolus vocat ἀκριβεστάτην Act. 26. 5. aſſumpſiſſe nomen quo aſſumpto ſe exoſam reddidiſſet; etenim manifeſta eſt profeſſio hypocriſeos vt quis ſe eo nomine cenſeri exigat quod notat animum hypocritæ. Itaque hæc etymologia & petita longius eſt, & diſconuenit rei. Eorum autem qui Phariſæos dictos putant פרצים quaſi ἀπεσχισμένοι, ſententia exploſa eſt meritò à viris doctis, idque, ſi nihil aliud eſſet, ob inſolentiam huius appellationis: nam ἀποσχισμένοι græcè dicuntur non qui ſe ſponte ſegregarunt, ſed qui reciſi ſunt. Quamquam & ratio iam allata à viris doctis hanc etymologiã refellit: nam פרץ ἀποκόπτειν ſanè ſignificat, at פרש non idem ſignificat. Sed hoc loco tamen vindicanda eſt Epiphanij ſententia, qui *Phariſæi* vocem ἀφορισμένους interpretatur, quod, inquit, φαρὲς hebraicè ſit ἀφορισμὸς; quod Epiphanij dictum reprehenditur iniuria, vt videtur. Cùm enim ἀφορισμὸν Epiphanius dixerit ſuum illud φαρὲς, non eſt credibile virum haud imperitum linguæ hebraicæ intellexiſſe פרץ quæ vox *rupturam* ſignificat & *ſciſsionem*, non enim ſuum illud φαρὲς ſic interpretatur, ſed ἀφορισμοῦ nomine potius. Nam eſt & hebraicum פרש quod æquè facilè græcis literis φαρὲς exprimi poteſt. Verum quidem illud eſt פרש ſignificare צואה *excrementum*, ſed hoc fit κατ' ἀφορισμὸν, quia hîc fit ſeparatio quædam. Cæterùm natiua & primigenia vocis ſignificatio eſt ἀφορισμὸν. In eadem ſententia fuit Origenes linguæ hebrææ, vt inter Græcos, peritiſsimus.

Reijcitur.

3. exploditur.

4. ſententia verior. Alij denique Phariſæos (quorum ſententiæ nos aſſentimur) appellatos dicunt quòd eſſent ſegregati inſtituto vitæ à reliqua turba. Atque in hac ſententia ſunt Iudæorum doctiſsimi, qui Phariſæos dictos putẽt quod eſſent פרושים מדרכי עולם, hoc eſt, *ſegregati à viis mundi*; atque hæc eſt vera huius nominis etymologia: Id quod multis argumentis probari poteſt, ac inde primùm quod Phariſæi dicuntur quidem ברוכים ſed ab iis qui ſtudent hebraicè ſcribere (iam hebraiſmi hæc eſt ratio vt quæ ſic terminantur paſſiuam habeant ſignificationem aut neutram, hoc eſt, vel ſignificent, liceat nobis ſic loqui, receptionem actionis aliunde profectæ, cuius generis ſunt participia paſsiua, vel denotent rem præditam eſſe aliqua conditione, quo modo latinè *doctus* dicitur vel qui audiuit aliquem docentem, vel qui præditus eſt cognitione ac ſcientia; nunquã apud Hebræos huius formæ nomina actionem ſignificant, itaque פרושים non ſunt *interpretes Legis*) At verò qui inter ſcribendum vel æmulantur, vel vſurpant chaldaicas locutiones, illi non iam פרושים ſed פרישי potius eos vocant. Nomina verò hac forma Chaldæis & Syris paſſiuæ ſunt ſignificationis vel neutrius, nam quod in Paraphraſi Chaldaica legitur קטיל *interfector*, & reliqua eiuſmodi, Iod illud eſt index T eri, argumento eſt quod pluraliter legitur קטליא eſt enim Benoni Chald. Secundò, נזיר *ſeparatus* Onkelos vertit פרישא Geneſ. 49. 26. nam quo loco hebraicè dicitur נזיר *Nazar inter fratres*, illud vertit לגברא פרישא דאחוהי, hoc eſt verbum verbo, *viro Phariſæo*, hoc eſt, *ſeparato* græcè ἐξαίρετος, latinè *eximius, egregius* diceretur. Denique res ipſa id docet, nam qui ſe ſanctitatis vitæ nomine commendant ſolent itidem profiteri ſe eximium & ſingulare quid vt conſequantur ſtudere, vt non ſit dubitandum quin eadem mens Phariſæis fuerit.

Rationes quibus nititur.

1.

2.

3.

Ref. 1. opinio. Nam arrogaſſe ſibi ſolis ius interpretandi Legem, tam fuiſſet ab inſtituto ſuo alienum; quàm ſi Ieſuitæ hodie ſibi arrogarent ius Epiſcoporum. Jam qui ſunt in Eccleſia conſtituti in aliqua dignitate vt plurimum non inuident vlli gloriam ſanctitatis, tametſi non patiantur, (& quidem fortaſſe non iniuria) turbari niſi graui de cauſa Eccleſiæ ordinem Non eſt igitur credibile Phariſæos homines aſtutos & callidos hanc laudem ſibi vt peculiarem arrogaſſe, quod eſſent diuinæ legis interpretes, quanquam reapſe eam ſibi vindicarent; quod & Jeſuitæ hodie faciunt, cùm erubeſcant tamen hoc profiteri. Itaque non valet ea ratio, ſic fert & poſcit forma Chaldaicorum nominum, vt quę hebræis forma pahul ſunt apud Chaldæos nihilominus actiuam habeant ſignificationem, nuſquam enim occurrit hac ſignificatione פרוש apud Chald. aut eos qui eorum dialecto ſunt vſi, quin illis *interpres* Scripturæ & Legis eſt מפרש, vt quum dicunt quatuor eſſe genera interpretandi quibus vtuntur מפרשים *Interpretes*, nempe primum דרך הפשט ſiue *ſenſum literalem*, ſecundum דרך מדרש hoc eſt, *ſenſum inquiſitorium*, qui ſenſus eſt quem Latini Theologi *allegoriam* vocant, vt quum Pſal. 84. *Ibunt de virtute in virtutem*, ſiue *de robore in robur*, vel vt alij *de turma in turmam* interpretantur מבית מדרש אל בית מדרש h.e. *de Schola in Scholam*: Tertium, *ſenſum intelligentiæ* דרך השכל h.e. *ſpiritualem* cùm eruunt non iam allegoricum ſenſum, ſed latentem & abditum: Cuius locutionis exſtat exemplum Apoc. 3. 18. & 17. 9. *hic eſt intelligentia*, hoc eſt, ſunt iſta inter-

Quatuor Scripturam interpretandi genera.

pretanda על דרך השבר. Nam vt monuimus alibi non abhorret Spiritus Sanctus in Scriptura à locutionibus vsitatis in Ecclesia, quarum דרך קבלה, quum ex literis dictionum colligunt quis sit Scripturæ sensus. Certè ne hebraicè quidem qui loquuntur solent *interpretes* appellare פורשים, verbum quidem פרש semel in Scriptura significat *interpretari*, vt cùm Leuit.24. agitur de eo qui blasphemarat, dicitur traditus in custodiam לפרוש להם על פי ידוה hoc est, *vsque dum exponeret eis* Moses quid faciendum esset de eo, *ex præscripto Domini*. Sed tamen ab eo verbo non solent Rabbini (præter eorum consuetudinem tamen, nam affectant locutiones ductas ex illis vocabulis quæ rarò occurrunt in Scriptura) formare פורשים, quin & *interpretum* nomen & *interpretationis* deducunt à Pihel. Pharisæi igitur dicuntur *segregati* non פורשים, sed פרישין.

Merceri lapsus.

Quæ ratio effecit vt maximus ille vir & acerrimi iudicij Mercerus arbitratus fuerit Paulum Rom.1.1. allusisse ad nomen sectæ cuius fuerat antequam nomen suum Christo dedisset, dum dicit se ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον, vt qui olim fuit Pharisæus, h.e. *segregatus*, is se Pharisæum quidem profiteatur, sed *Pharisæum*, h.e. *separatum* ad Euangelium Christi. Quinetiam (vt fuit præditus singulari quodam ingenij acumine) eò progreditur vt Paulum velit eodem loco allusisse ad nomen illud suum quo primitùs insignitus fuerat, *Saülis* nempe, cùm Apostolus κλητὸν se ibidem vocat, quasi κλητὸς fuisset שאול hoc est *postulatus, vocatus*. Sed ista obseruatio vt est peracuta, resipit que ingenium eruditum, tamen non videtur conuenire menti Apostoli: id verò sic facilè possit quis colligere, si cogitarit & reputarit animo nomina huius formæ duplicem habere significationem, vel enim actionem significant susceptam ab alio, vel significant aliquid inhærens & permanens, vt verbi gratia, hoc nomen latinum *electus* aliquando significat id quod eligitur, aliquando significat simpliciter id quod eximium est & egregium, vt cùm dicimus *aurum electum*: sic etiam linguâ Hebraicâ קרוא & בחור quorum alterum *vocatum*, alterum *electum* significat, aliquando participia sunt quæ notant susceptam actionem ab alio profectam, aliquando rei ipsius dignitatem notant, & adjectiua sunt. Et certè פריש seu פרישא non est vsurpatum à Pharisæis vt participium significans actionem ab alio profectam, sed vt adjectiuum, quomodo Christus Heb.7.26. iure merito dicitur ἅγιος, tum κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν: nam participium κεχωρισμένος eo loco nominascit, non enim dicitur Christus κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν quasi quondam immistus illi turbæ, post segregatus inde fuerit, sed dicitur κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν quod nulla cum iis communio ei fuerit neque consociatio.

sed doctus lapsus.

reuincitur.

locus Heb. 7.26. illustratus,

locus Rom.1.1. illustratur.

At Paulus cùm dicit se ἀφωρισμένον haud dubiè hac voce vsus est non modò forma, sed etiam participij significatione: etenim Gal.1.15. ὁ Θεὸς (inquit) ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας. Quum ergo se ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον profitetur, noluit hoc intelligi *adjectiuè*, sed *participialiter*, quomodo quum audimus in N. Test. *electos* dici peccatores, non est hoc intelligendum actiuè, sed participialiter; maximè cùm in libris Noui Testamenti fiat mentio Christi, & Dei eligentis: quemadmodum etiam quum *vocatos* audimus dici quosdam in Nouo Testamento non est id accipiendum adjectiuè, tametsi linguâ hebraica קרואים dicantur *nobiles* & *insignes* viri, cùm tam crebra fiat mentio in Nouo Testamento Dei vocantis. Apostolus autem (quod est valde obseruandum) se κλητὸν Apostolum dicit, non vt se reliquis Apostolis pręponat, sed vt vindicet Apostolatum suum à calumnia. Itaque quemadmodum colligimus ex Gal.1. quo sensu Rom.1. dixit se ἀφωρισμένον, pari ratione ex eodem illo capite colligere licet quo sensu se dixerit ibidem κλητόν. *Paulus* (inquit) *Apostolus non ab hominibus, neque per homines*, &c. Etenim Apostolatus hæc est ratio vt vocatio ad id munus planè extraordinaria esse debeat. Sic igitur Apost. se κλητὸν vocat, vt fideles κλητοὺς ἁγίους: nempe κλητὸς ἀπόστολος est *Apostolus ad hoc muneris vocatus diuinitùs*, & κλητὸς ἅγιος est itidem *vocatus ad hoc vt sit sanctus*, nam adjectiuè κλητὸς *nobilem* significat, quæ significatio non conuenit Apostoli scopo, & frigida hic & otiosa foret.

DE ORDINE PHARISAEORVM.

Pharisæorum nomen nō designat Munus sed Sectam, quod probatur.

1. ex nominis Ety.no.

Ordo siue σύνταγμα (vt loquitur Josephus) Pharisęorum is fuit, vt ne *muneris*, vel (vt loquimur) *functionis* in Ecclesia designatio & notatio ab hoc nomine petenda sit. Id quod facilè probari potest. Primò ex ipsa nominis Etymologia quæ à nobis suprà explicata est. Etenim segregati non dicuntur ij qui certa quædam munia obeunt, sed quorum vitæ genus & ratio singularis est. Id quod vel vnico argumento demonstrari potest, nam Sacerdotes & Scribæ qui γραμματεῖς dicuntur & νομικοί, (si tamen hoc nomen, de quo postea disputabimus, *officium* significat) nomina sunt sumpta à munere, at nomen Pharisæorum, siue פרושים iidem sunt qui חסידים *pij*, nempè si habeas originis rationem. Itaque (qui locus facit ad hanc rem) R.Dau.Kimchi dum exponit vers.7.cap.1. Sophon. quo loco Dominus prænunciat fore *vt visitet principes, & eos quorum amictus peregrinus est*, citat veterem glossam his verbis ויש מפרשים אנשים שמראים עצמם פרושים וחסידים ולובשים מלבוש נכרי שיכירום במלבושים שהם פרושים ודרכיהם רעים hoc est, *sunt qui sic hunc locum interpretantur, homines qui semetipsos ostentant tanquam si essent separati* (Pharisæi) *& pij, quique induunt se vestimenti genere peregrino, & quo populus nequaquam vtitur, vt agnoscantur ex vestibus quasi pij essent, cùm tamen moribus sint corruptissimis*. Itaque ipsa nominis vis satis euidenter probat Sectæ nomen esse. Huc etiam pertinet quod (vt monuit Elias grammaticus) כל נזירה פרישה est, hoc est, vox נזירה est idem quod dialecto vsitatiori פרישה. Certè etiam quæ rara sunt, seu admiranda, seu stupenda & horrenda sint, פרישן nomine designantur, vt cùm Deus dicitur hebraicè עושה פלא host est, *operator mirabilium*, Chald.Paraph. vertit עבד פרישן: & *grauis & horrenda iniquitas* dicitur סורחן פריש, vt Job.21. Nempe legit Chald. Paraph. non quod nos hodie legimus ערן פלילים, sed legit ערן פלא non *iniquitatem Iudicum*, sed *iniquitatem mirabilem*, vel etiam ערן פלאים, nam & hæc locutio occurrit in Scriptura.

2. Iosephi autoritate.

Secunda ratio ducta est ex historia Josephi harum rerum peritissimi, qui lib.1. de bello Jud. cap.7. quo in loco meminit Judæ Galilæi, disertis verbis docet τρία εἴδη αἱρέσεως φιλοσοφεῖσθαι παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, Judam autem Galilæum fuisse σοφιστὴν ἰδίας αἱρέσεως hoc est, *Institutorem peculiaris sectæ*: Jam in his sectis numerat Pharisæos. Ergo Pharisæi fue-

riſæi fuerunt ſecta quædam, vt apud Ethnicos ſectæ Epicureorum, Stoicorum, &c. Tertia ratio, Act. 23. aperte dicitur & ſignificanter fuiſſe Scribas quoſdam ἐκ μέρους τῶν φαρισαίων, hoc eſt, *partium Phariſæorum*, Ergo Phariſæi ſecta quædam & factio fuerunt. Sed & Apoſtolus Paulus hanc ſectam Act. 26. ait fuiſſe, ἀκριβεστάτην: quæ verba obiter nobis ſunt explicanda; Nam *Phariſæi* nomen non ſignificat quamlibet ſegregationem, ſed accuratam quandam & exactam, qualis eorum eſt quos hebræi מדקדקים vocant qui anxiè ac ſcrupuloſè ſibi cauent ab iis quæ ſunt κοινά. Itaque profanum vulgus ſic notant vt dicant אינו מדקדק, hoc eſt, οὐκ ἀκριβοί. Nec abludit Apoſtolus ab hoc loquendi genere cum Rom. 2. 18. & Phil. 1. 15. hortatur fideles vt velint δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, nam vt in rebus adiaphoris ſuperſtitioſum eſt vt quis ſit מדקדק, ſic cùm agitur de rebus quæ ſunt in ſe bonæ non poteſt adhiberi nimia cura.

3. Scripturæ teſtimonio.

Hanc autem eſſe vim huius nominis hinc patet, quod verbum פרש etſi diuiſionem & ſeparationem notat, haud notat tamen quamlibet diuiſionem, ſed eam quæ fit ſubtili quadam ratione. Id quod hinc colligere cuiuis liceat, quod פרש Chaldaicè פרש *ſtimulum* ſignificat, & *quod pungit*, vt Eſa. 28. vbi de raſtro agitur, dentes raſtri dicuntur פרשים vnde & פרשים *equites* dicuntur, quomodo Græcè ἱπποκέντοι, & Prouerb. 23. כצפעוני מפריש *ſicut aſpis quæ pungit*, hoc eſt, diuidit, ſed ſubtiliter & punctim; quam vocem Chald. Paraph. legit ac ſi יפריח non autem מפריש ſcriptum eſſet, nempe ſic interpretatur דפרח *qua volat*. Atque hoc verbum פרש id ſignificare, præter ea quæ ſupra attulimus, ſatis oſtendit quod Hebræorum נקב verbo פרש Chaldaicè redditur, vt Leuit. 24. quo loco de blaſphemia agitur, dicitur Hebraicè blaſphemator ille expreſsiſſe nomen Domini (nomen illud characteriſticum eſt יהוה) ויקוב השם Chald. vertit הוא פרש השם, hoc eſt, *argutè, diſtinctè nomen Domini protulit*, puta cum indignatione, etſi enim multis violatur Maieſtas Dei, tamen tum grauiſsimè violatur, quum quæ adhibuit ſymbola (in quibus ſymbolis eſt nomen Dei illud characteriſticum quo ſe ſecerni voluit & diſtingui à reliquis Diis) contemnuntur, tum fit in Deum contumelia inſignis. Non erat igitur idonea cauſa cur Munſterus vir doctiſsimus illud פרש interpretaretur *maledixit*, non fuit ea Paraphraſtæ mens, voluit illud נקב, quod ſignificat *perforare*, exprimere. Sunt igitur Phariſæi, vt diximus, מדקדקים, nam מדקדק eſt qui omnia comminuit, adeò ſubtilis eſt, vnde etiam *grammaticum* ſignificat illud vocabulum.

Ratio etymi nominis Phariſæorum.

Locus Leu. 24. explicatus.

Neque mirum videri debet, quòd cùm hæc ſit verbi פרש in Scriptura propria & genuina ſignificatio, tamen occurrat hac ſignificatione tam rarò, nam omninò in Chald. ſemel tantum occurrit, idq; ſignificatione tantùm Metaphorica. Etenim ferè ſimile quid obſeruare licet in verbo, רקע. Mirati ſunt viri docti quorſum ſpectauerint LXX. Interpret. dum רקיע. verterunt στερέωμα, nam רקע eſt *extendere*, itaque Gen. 1. *expanſum* potius debuit verti, vt videtur, quæ nomenclatura conuenit rebus etiam iis quæ aut nullam aut mediocrem habent hypoſtaſim: ſed reuera ita ſe res habet, eſt quidem רקע *extendere*, ſed ita extendere vt res extenſa conſolideſcat, id quod non licet obſeruare ex vulgato vſu huius vocis in Scriptura; ſed tamen id licet obſeruare inde quod ad eas res ſignificandas adhibetur, idque ad eas ſolas ſignificandas quæ ſoliditatem habent & firmitatem, vt cùm dicitur Deus רקע הארץ: vnde factum eſt vt & in Syra dialecto רקע ſignificent *compingere*, nulla autem compactio fieri poteſt ſine compreſsione aliqua, quæ rem extendit primum, tum extendendo firmat.

רקע quid propriè ſignificet.

Sed tempus eſt iam examinandi has rationes quibus effici videtur, Phariſæos non fuiſſe ſectam, ſed Collegium hominum qui in Eccleſia munere Eccleſiaſtico fungebantur. Et rationem ductam à nominis Etymologia ſuprà refutauimus. Sed tamen magnam vim habere videtur quod Matth. 9. manifeſta mentio fit diſcipulorum Phariſæorum, tum Matth. 23. *Sedent* (inquit Chriſtus) *Scribæ & Phariſæi in cathedra Moſis*, nihil videtur dici potuiſſe ſignificantius: Tum Paulus dum ſe gloriatur Phariſæum fuiſſe, natum patre Phariſæo idem alibi ſignificat quomodo accipi velit, nempe ita vt diſcipulus operam dederit magiſtro Gamalieli, vnde & ſe Act. 22. 3. dicit ſediſſe ad pedes Gamalielis, nam *Schola* ישיבה & *ſcholarcha* ראש הישיבה dicitur. Tum elogium eſt Phariſæorum, cuius ſuprà meminimus, iis tributum à Joſepho lib. 1. de bello Judaico capite 4. quod cæteris accuratiùs Legem interpretarentur. Deinde Joſephus Gorionides quum de Phariſæis agit, *hi ſunt* (inquit) *qui legem populo interpretantur.*

Phariſæos eſſe functos munere Eccleſiaſtico.

Rationes 1. 2. 3. 4.

Sed hæ rationes non ſunt magni momenti; Nam vt à prima ordiar, dicuntur quidem diſcipuli Phariſæorum nonnulli, ſed & ſunt qui dicantur *diſcipuli ſapientum & iuſtorum*, vt in Paraph. Eccleſiaſt. cap. 9. 1. צדיקיא וחכימיא ותלמיד יהון, nec quiſquam eſt qui exſtimet hæc nomina *iuſtorum* & *ſapientum* ſignificare munera Eccleſiaſtica. Sic nos hodie *Ieſuitarum diſcipulos* dicimus, neque eſt propterea quiſquam qui cenſeat *Ieſuitæ* nomen eſſe nomen functionis Eccleſiaſticæ. Multò grauius videtur quod Chriſtus dicit Phariſæos ſediſſe in cathedra Moſis; Sed & illud leue eſt, quid enim vetat Phariſæos functos munere publico, præſertim cùm Act. 23. 9. γραμματεῖς dicuntur fuiſſe τοῦ μέρους τῶν φαρισαίων. Nam quod eo loco γραμματεῖς diſtinguuntur à Phariſæis factum eſt quod quamuis è Phariſæis quidam eſſent Scribæ, non omnes tamen Scribæ continuò erant Phariſæi; vt Jeſuitici ordinis quidam ſunt Sacerdotes, attamen non quicunque ſunt Sacerdotes continuò ſunt Jeſuitæ. Sed & huc accedit illud, quod cùm Phariſæorum præcipua eſſet authoritas (vt vbique docet Joſephus) priuatim docendo (quod & hodie faciunt Jeſuitę) eodem fuere loco ac ſi publicè docuiſſent, qui honos hodie defertur Jeſuitis. Sed alia Scholarum ratio eſt, alia Eccleſiæ: & Scholas ſuas habuiſſe Phariſæos, extra controuerſiam eſt, attamen non hinc efficitur cuilibet Phariſæorum in Scholis docere licuiſſe, quemadmodum Monachi ſuas habent Scholas, cùm tamen non liceat cuilibet Monacho docere. Itaque quod Paulus teſtatur ſe Phariſæum & doctum Phariſæorum opera, tantumdem valet ac ſi aliquis hodie ſe Jeſuitam profiteretur & Jeſuitarum opera inſtitutum. Cæterùm hoc eſt obſeruandum hoc loco, publicos Doctores vocari in Scriptura *Scribas*: Cuius nominis vim ſiquis velit deprehendere, eum oportet

Refelluntur 1. 2. Non publicè, ſed priuatim docebant Phariſæi. 5.

Scribæ qui fuerint & cur ſic dicti.

meminisse primùm in Paraphr. Veteris Testam. Prophetas dici *Scribas* ספריא, deinde meminerimus itidem Esdram *Scribam* dictum ספרא, quæ appellatio si Pharisæis tribuitur, notat officium quod Pharisæis conueniebat, non quatenus erant Pharisæi, sed quatenus ad hoc munus obeundum è reliquo grege Pharisæorum electi fuerunt.

DE DOCTRINA Pharisæorum.

ANte omnia monemus *Doctrinam Pharisaicam* nobis hîc esse quicquid Pharisæi docuerunt diuersum & dissentaneum à Dei verbo. Nam cæteroqui Pharisæos doctores commendauit Christus, *sedent* (inquit Christus) *in cathedra Mosis*; quam prærogatiuam non detulit Sadducæis, nam Sadducæi funditus euertebant (vt post modum exponemus) omnem Religionem negata resurrectione mortuorum, quæ res in causa fuit vt nullo pacto pro Doctoribus Ecclesiæ haberi potuerint: At Pharisæi tametsi Legem Dei (vt iam liquebit) multis modis adulterarint, & contaminarint, attamen non sunt eo progressi vt ausi sint conuellere veræ doctrinæ fundamenta: vnde factum est vt audiri potuerint, hactenus quidem quatenus in cathedra Mosis sedebant, adeoque Ecclesia Dei non ideò perierit quod talibus Doctoribus coacta sit operam dare: Nam hoc est ingenium Ecclesiæ vt si modò ea tradantur quæ prima sunt religionis elementa & fundamenta, possit falsum discerni à vero: at si ipsa fundamenta & elementa religionis non traduntur, quia nulla superest veritatis regula & norma, necesse est nullam esse Ecclesiam. Sic temporibus maiorum nostrorum Pharisæi Doctores erant Ecclesiæ, sedebant in cathedra Mosis, hactenus audiendi quatenus (inquam) ea docebant quæ scripta fuerunt, id enim hoc loco nobis est *Mosis Cathedra*, vt Hilarius eum locum interpretatur (& res ipsa vt sic intelligatur poscit, neque enim Moses cathedram habuit) qui *Doctores fuerunt Legis tradita à Mose, ij de Mosis cathedra docuerunt.*

Quomodo sederint Pharisæi in cathedra Mosis.

& audiri debuerint.

quid sit Mosis cathedra.

Pharisæorum hoc primum fuit Dogma, quod *negarunt omnia quæ spectant ad religionem scripta esse*, id quod Josephus disertis verbis notauit lib.13. Antiq. cap.14. verba eius sunt νόμιμα πολλὰ παρέδοσαν τῷ δήμῳ ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται. Itaque docebant duplicem esse legem, nempe שבעל פה, & שבכתב *oralem & scriptam*, ἄγραφον & ἔγγραφον. Quæ doctrina vt penitus perspiciatur, accuratiùs à nobis explicanda est. Præter legem scriptam erat à Pharisæis commendata doctrina quædam quam diuersis nominibus appellabant: Nam & dicebatur, *traditio*, παράδοσις מסרה, קבלה διαδοχή: item, שמועה hoc est, *auditio*, ἀκοή. Item δευτέρωσις משנה *duplicatio*, ad verbum δευτερονόμιον. Παράδοσιν doctrinam suam vocabant quod esset (vt inquit Josephus) ἐκ πατέρων διαδοχῆς, vnde & percipi potest ratio cur eadem קבלה sit vocata, nam מסורה *traditio* & קבלה διαδοχή sunt (vt loquuntur in Scholis) correlata: Itaque מסורה refertur ad קבלה & vicissim, vt sit eadem hic ratio quæ est in dando & accipiendo, vt quum dicunt מסר אדם וקבל איש מפי איש hoc est, *Adam tradidit doctrinam posteris suis vsque ad tempora Noachi*, dicunt etiam posteros eius accepisse doctrinam il-

primum Pharisæorum dogma. *Scripturam non esse sufficientem.*

Traditionum tria nomina. 1. Παράδοσις מסורה cuius correlatum קבלה *Cabala*.

lam, quod est קבלה, tum Noachum tradidisse doctrinam vsque ad tempora Abrahami, & Noachi posteri קבלו *acceperunt* doctrinam illam; Abraham item vsque ad Mosis tempora, quibus Deus ipse tradidit doctrinam Mosi, nempe Legem ופירושו hoc est *& expositionem eius*; Mosem autem tradidisse Josuæ &c. vbi semper est intelligenda *acceptio* קבלה. Hîc verò obseruandum est, traditiones istas non scriptas Pharisæorum in Nouo Testamento nunquam dici simpliciter *Traditiones*, sed notari semper aliquo elogio, vt cùm dicuntur *traditiones seniorum, traditiones humanæ, traditiones vestræ*, si quando Christus compellat Pharisæos, nunquam verò simpliciter & absolutè vocantur *traditiones*. Quin si quando traditionis vox ponitur simpliciter, nulla cum adiectione, sumitur in bonam partem: Vnde colligere licet nō esse aspernandas traditiones, quando & ipsum Dei verbum *traditio* est; Nam quæcunque modo tradantur *traditiones* dici possunt, deinde si agnoscuntur, hactenus *accipi* eadem dicuntur: hoc vsque adeò verum est, vt libris Veteris Testamenti *audire* (quod est obsequi) *Deo*, & *audire vocem Dei*, quod est *esse Dei dicto audientem*, in Paraph. chald. reddatur per vocem קבל *accipere Deum, accipere vocem Dei*. vnde etiam in Epistola Judæ dicitur παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις ὑμῶν πίστεως; imò verò Apostolus 1.Cor.11.23. *Ego*, (inquit) *tradidi vobis* את אשר קבלתי מסרתי לכם *quod accepi à Domino* מיהוה, quo in loco vtrumque coniunxit Apostolus *tradere & accipere*. Sic in Nouo Testamento δέχεσθαι λόγον est קבל *auscultare sermoni, obedire*, non *audire* tantùm. Ergo Iohan.1.11.12. *ad propria venit*, siue ad sua, *sui autem non acceperunt eum, quotquot autem eum acceperunt, dedit eis potestatem* τοῦ γενέσθαι υἱοὺς θεοῦ, *qui acceperunt eum*, hoc est, qui ei exhibuerunt ὑπακοὴν πίστεως, vt eodem loco monemur, sequitur enim τοῖς πιστεύουσιν εἰς ὄνομα αὐτοῦ. Itaque *accipere Christum*, est *per fidem obedire Christo*. Vnde etiam Apostolus Rom.6.17. εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, allusit ad verbum מסר *tradidit*. Nam est eo loco enallage, vt videtur, pro εἰς ὃν τύπον παρεδόθη ὑμῖν ἡ διδαχή: Sic illud, *Populo vt placerent quas fecisset fabulas*. Quomodo locutus est etiam Paulus Eph.1.10. *Ipsius enim* (inquit) *opus sumus, creati in Christo ad bona opera; quæ antea præparauit Deus vt in iis ambularemus*, videtur enim Enallage manifesta, *quæ antea præparauit Deus vt in iis ambularemus*, pro *antea præparauit nos Deus*, &c. Nam quod de operibus dicitur referendum est ad personas, non enim opera ad personas, sed personas ad opera præparat Deus: quod etiam cap.1. eiusdem Epistolæ dicitur *Electi vt simus sancti*, non dicitur *Electa sanctitas*, & ratio est in promptu & facilis, nihil enim est opus præparare bona opera, sed eorum necessaria præparatio est qui bona opera patraturi sunt. Igitur hoc teneamus, παράδοσις מסורה, διαδοχή קבלה non ponuntur in vitio, at קבלה & מסורה quoties aliquid adjicitur, sanè in vitio ponuntur: significant enim mendacium, hoc est, nihil est eorum quæ vocabula significant. Etenim traditionem oportet fluxisse ἀπ᾽ ἀρχῆς *à principio*, & *acceptionem* itidem, *Ego*, inquit Paulus, *tradidi vobis quod accepi à Domino*. Itaque prudenter Paulus cùm se diceret ζηλωτὴν παραδόσεων, adiecit πατρικῶν: vbi obseruandum est Paulum cum meminit πατρικῶν παραδόσεων, hoc est, παραδόσεων τῶν πρεσβυτέρων, non eas vocasse, παραδόσεις τῶν πατέρων: Etenim *Patres* Paulo sunt Patriarchæ, Rom.9. ὧν οἱ πατέρες

non dicuntur absolutè Traditiones in N. T.

Traditionis vox quandoque in bonam.

quandoque sumitur in malam partem.

Christus

Christus verò istas traditiones Pharisaicas vnico verbo perstrinxit, eas enim vocat ex Esaia ἐντάλματα ἀνθρώπων, *traditiones humanas*, & Paulus Coloss.2.22. ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων.

Aliud Traditionum nomen ἀκοὴ.

Vocantur etiam traditiones שמעתא ἀκοὴ *auditus*, Hebraicè שמועה: quæ vox in Scriptura non ponitur in vitio: exstat enim Esa.53. מי האמין לשמעתינו *quis credidit auditioni nostræ*, hoc est, *nostræ* παραδόσει, *nostræ doctrinæ*: Et Paulus Gal.3.2. *Nunquid* (inquit) *accepistis Spiritum ex operibus Legis, an ex auditione fidei*, ἐξ ἀκοῆς πίστεως משמועת האמונה, hoc est, ex doctrina fidei vobis à me tradita. Ita ergo se res habet, Verbum Dei non est ab hominibus, sed ex Deo, & quotquot audiunt verbum Dei, audiunt aliunde reuelatum. Itaque iniquum fuit hominum traditionibus *auditionis* nomen tribuere, non enim ἀκοὴ dici potest, aut debet nisi quod primùm à Deo auditum est: *Quisquis* (inquit Chr. Joh.6.45.) *audiuit, & didicit à Patre venit ad me.* Non loquitur certè Christus de auditione humana, & non scripta, neque Propheta item Esaias. Reliquæ auditiones vani sunt rumores, & commenta hominum per manus tradita: qualia fuerunt quæ in Paganismo obtinuerunt olim, quæ authoritatem quidem à maioribus habent aliquam, à Deo verò nullam. Cicero in lib. de natura Deorum: Cottam Pontificem maximum inducit disputantem, & quidem ita vt neget esse Deos, id cùm à Balbo Cottæ esset objectum, cùm vellet refellere orationem à Balbo habitam, non ausus est refellere Pontifex, sed dicit authoritate maiorum debere confirmari, vt Pontificij hodie faciunt.

3. n. men Mishna משנה δευτέρωσις.

Denique Traditio משנה vocatur siue מתניית δευτέρωσις, & תנאים δευτερωταὶ sunt, nam illud ת pro ש ponitur, prout Chaldaismus exigit. Sed non est quæstio contemnenda, cur traditio משנה vocata sit, & δευτέρωσις, etenim δευτέρωσις *repetitionem* significare videtur, & Hebraicum משנה *Exemplar* est, vulgo Copiam vocant. Cùm igitur hæ traditiones adjectæ sint Legi, quæri potest cur δευτερώσεις משניות appellatæ sint: maximè cùm sic loquantur, תנו *tradiderunt, docuerunt*. Nostra hæc est sententia: Qui docet Legem, qui commentatur in eam aliquid, eum oportet subinde verba Legis repetere, vnde factum est vt primùm interpretationes Legis vocatæ sint משנה & משניות. Itaque isti תנאים hoc solum profitebantur, se Legem (quod Pharisæis Josephus tribuit) accuratè explicare, ἐξηγεῖσθαι ἀκριβῶς. Sed cùm explicationi Legis aliquid adjicerent de suo, factum est vt & idipsum משנה δευτέρωσις sit appellatum, & παράδοσις item: verbi gratia, dum illa Legis, *quicunque maledixerit patri aut matri*, &c. interpretarentur, negabant ea Lege posse reos peragi qui patri petenti aliquid necessarium ad vitę vsum, responderent *donum quodcumque à me fuerit*, &c. locus est Matth.15. Hoc interpretamentum, quia non nititur ipsa lege, Christus παράδοσιν vocauit; δευτέρωσις item dici potest, quia eius tradendi occasionem præbuit legis interpretatio.

Correlatum eius תלמוד Talmud.

Correlatum (vt loquuntur) τῆς משנה est תלמוד, nam quod ratione Doctorum dicitur משנה idipsum ratione discipulorum dicitur תלמוד *doctrina, disciplina*. Itaque in Paraphrasi Cantici Cantic. משנה & תלמוד conjunguntur quidem, sed quasi quis מסורה & קבלה conjungeret: Nam קבלה correlatum est vt loquuntur τῆς מסורה sic תלמוד correlatum τῆς משנה. Neque fuit quod viri docti תלמוד eo loco interpretarentur *Commentarium*, משנה verò *textum* veluti, תלמוד enim non scribitur cum affixo post משנה, sed solum ponitur: deinde in illa Paraphrasi משנה solum ponitur, quia idem משנה & idem תלמוד. Deinde, etsi liquet authorem illius Paraphraseos vixisse post ea tempora quibus משנה & תלמוד, hoc est Iudæorum pandectæ scripto consignatę sunt, nondum tamen scripti fuerunt Commentarij in משנה. Præterea Commentarij illi vetustiores dicuntur גמרה, non dicuntur תלמוד Hoc igitur primum fuit Pharisæorum dogma; Scripturam docebant esse minùs perfectam & minùs perspicuam.

Traditiones. à Christo damnatæ.

Vnde ortum duplex משניות Traditionum genus: vnum earum quæ aliquid per occasionem interpretandi Scripturam adjiciebant Scripturæ, vt solet fieri; alterum genus erat earum, quas ex abdito quodam mystico sensu Scripturæ eruebant; quod est & Pontificiorum dogma. Porrò Christus hoc illis objicit, quòd in vtroq; genere peccarent: vt quum Discipulos suos tuetur aduersus calumniam Pharisæorum, qui illis objectabant quod illotis vescerentur manibus; qua in re Christi facultatem & benignitatem quis facilè perspiciat: Neque enim dedita opera, & veluti ex professo, inuehitur in ritus & Cæremonias, quibus nihil inerat perniciosum, atque (vt ita dicam) virulentum; sed eas demum traditiones exagitat quę religionis fundamentum conuellebant: cuiusmodi fuit illa traditio quam iis exprobrat cap.15. cuius & nos iam meminimus suprà.

Locus Matt. 15.5. explicatus.

Cæterùm cùm locus ille aliquam habeat difficultatem, obiter nobis venit explicãdus. Quærunt viri docti quæ sit horum verborum sententia δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, *donum, quod ex me tibi vtile sit*, Matth.15.5. Et sunt hac super re tres inter se dissentientes, & discrepantes sententiæ:

1 sententia de huius loci mente.

prima eorum est qui putant his verbis nihil aliud significari, quàm donum & Anathema quo pater iuuetur, hoc est, patri vtile esse quod à filio donum Deo offertur: Itaque filium officio satisfecisse etiamsi patrem non iuuerit opibus, quòd donum obtulerit. Atque in eo Monachi, & qui se Clericos vocant, Pharisæos volunt imitari. Cæterùm diuersa planè ratio est, nam δῶρον, quod hebraicè קרבן dicebatur, cedebat in vsum Sacerdotum, nihil inde ad Pharisæos redibat, nisi quatenus nihil prohibebat Sacerdotem esse secta Pharisæum. Sed non

Rejicitur.

videtur hæc interpretatio commoda, maximè cùm expendimus particulam ὃ ἐὰν: non enim ὃ ἐὰν de re certa dicitur, sed hypothesi siue conditionem satis apertè notat. Secunda interpre-

2. sententia.

tatio est viri longè summi Iosephi Scaligeri, qui hunc locum sic interpretatur, vt quod attinet ad sensum quem inde eruit, non discedat à prima interpretatione, tantùm docet Ellipsin esse, vt sit sensus, *Donum quod à me profectum est, tibiq; prodest, me absoluit iure quod in me habes.* Cæterùm, ait vulgatum esse, ut quum de formulis citandis agitur, citentur ita vt sint intercisæ (vt Latinè adjecto *Et cætera*. Græcè adjecto, καὶ τὰ ἑξῆς, Hebraicè adjecto, וגומר cùm citatur Scriptura, vel וכלו cùm citantur scripta Rabbin. aut aliorum scriptorum præter sacros) atque formulam esse inde probat, quod inter offerendum offerentem conceptis verbis vti oportuit, nempe his קרבן הזה *Do-*

Ref. *num hoc prosit mihi & meis.* Sed nec hæc interpretatio quadrat; nos est enim mos Scripturæ formulas, prouerbia, &c. proponere concisè; Deinde hæc interpretatio iisdem argumentis refelli potest quibus prima, quæ multò mollior videtur.

3. verior.

Tertia sententia eorum est, qui putant iuramentum hoc esse, siue execrationem, qua filius Deo deuouet quicquid potest à se profectum patri prodesse, quam interpretationem, quæ magnum virum Masium habet authorem, frustra Scaliger conatus est refellere: vnico enim duntaxat hic nititur argumento eoq; leuissimo, quòd nihil opus fuerit iurantem inducere filium: Nos & hoc adjiciemus, quod videtur scelus nimis atrox, neque credibile, sic nullo obtentu, nulla specie, tam splendidè, tamque apertè voluisse Pharisæos docere impietatem. Sed Masium iuuat imprimis, quod hæc formula Judæis visitata est, קרבן *seu donum est quo à me iuuaberis.* Jam verò quod Scaliger negat induci debuisse filium iurantem, pugnat hoc primùm cum Christi scopo, etenim præcesserunt illa verba, *quicunque maledixerit patri aut matri* &c. Reprehendit igitur Pharisæos, quod *Mischnâ* suâ sic illum locum interpretarentur, aut corrumperent potius, vt dicerent, non esse numerandum inter maledicta, aut probra iacta in patrem, si filius sic eum excipiat, vt rogatus respondeat δῶρον &c. Deinde pugnat etiam cum rei veritate nihil enim magis solemne est, & consuetum, quàm vt filius rebellis & contumax sic patrem rejiciat, vt execretur interim, non quidem patrē fortasse, sed vel semetipsum, vel aliud quid. Illud verò quod vnum videtur pondus aliquod habere, nempe carere omni specie quod docebant, filium si execretur non maledixisse patri, non est vsque adeò momentosum: Etenim hæc execratio cōsecratio fuit, & votum; sed votū quo filius sese obstringebat, nulla pietate erga Deum, sed iniquo & ingrato erga patrem animo; qua in re duobus modis peccabatur, ac primùm quidem in eo, quòd patri non tribuebatur honos; (porrò, ex phrasi Scripturæ, patri laboranti inopia succurrere est patrem honorare: quomodo Paulus iubet *honorari viduas* : & *Presbyteros qui dignè præsunt* dicit *esse dignos duplici honore*: nam cùm ab inferiori merces superiori debita tribuitur, *honorarium* illud est, non est merces) deinde, quod pater parum verecunda oratione excipiebatur: nam si par parem sic excipiat, tolerari fortasse id poterit, at si pater sic excipiatur à filio, maledictum est, quamuis si oratio ipsa spectetur, nihil minus est quàm maledictum.

Obj. 1. 2. Ref. 1. Objecti. 2.

Confirmatur hæc interpretatio.

Atque hanc esse genuinam huius loci interpretationem vel Syri interpretis authoritate facilè probari potest, sic enim hunc locum interpretatur קרבני מדם דתתהנא מני *donum meum, quocunque iuuari possis à me*; quæ ipsissima est Judæorum formula, קרבן מה תהנה ממני *Res est sancta quicquid à me profectum tibi prodesse possit.* Itaque מדם non fuit ab interprete Syræ versionis exponendum, *id quod*, sed potius, *quodcunque.* Sed & hæc interpretatio videtur placuisse authori vulgatæ editionis, *Donum* (vertit) *quodcunque ex me tibi profuerit*, Marc.7. vbi malè interpungitur *quod ex me, tibi proderit*, nam legenda sunt ista vno spiritu, *quodcunque ex me tibi proderit*, atque interpunctio rejicienda in anteriorem locum, hoc pacto, *donum, quodcunque ex me tibi proderit.* Sic Christus ostendit (Matt.15.6.) Phariseos Legē Dei irritam fecisse. Qui locus nos admonet locutionis cuiusdam obseruandæ in Scriptura: Etenim Prouerb.cap.1. Sapientia stultis exprobrat consiliorum suorū contēptum his verbis, ותפרעו כל עצתי LXX. Interpretes sic verterunt ἀκύρους ἐποιεῖτε τὰς βουλάς μου, Chald. verò Paraphrastes vocem תפרעון quod est *otiosum redditis, & inutile*, ἀκυροῦν, vertit שניתון, hoc est, *mutastis*: nam *mutare* & *abolere*, cùm de Dei mandatis agitur, eodem redeunt. Itaque Actor.6.14. καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ὁ Μωσῆς, *destruet hunc locum, & mutabit consuetudines quas tradidit Moses* ישנה המשפטים *mutabit*, hoc est, *abolebit.* Quod nos ideò obseruauimus vt moneremus non debuisse corrigi Paraphrastem à doctissimo viro, nam illud אנתון שניתון & illud כי תפרעו idem planè significant.

Locus Matt. 15.6. explicatus.

Denique solemne fuit hoc Phariseis, non quidem in speciem abolere Legem, sed verba Legis in alienum sensum detorquendo eam reapse abrogare; atque hic fuit eorum error perpetuus, quod in Legis interpretatione hærebant in prima verborum significatione, nec reputarunt animo quod monet Paulus, *legem esse spiritualem.* Unde sequutus est error multò grauissimus, quod iustitiam ex Lege sectabantur, quod omnino ij facere nequeunt, qui quæ sit vis legis tenent. Non sine graui causa igitur monuit Christus (Matth.5.20.) discipulos suos, *non fore vt iis pateat aditus ad regnum cœlorum, nisi eorum iustitia abundet supra iustitiam Scribarum & Pharisæorum*, hoc est, nisi renouentur spiritu Dei, vsque adeò vt ad intimas animi cogitationes & affectus renouatio ista pertineat. Quamobrem etiam subjunxit normam iustitiæ Pharisæorum, normam item veræ iustitiæ, *dictum est antiquis, ego verò dico vobis*, &c. hæc est illa iustitia Pharisæorum, iuxta quam Paulus gloriatur se fuisse irreprehensibilem, etiam ante conuersionem, *iuxta iustitiam*, inquit, *quæ est in Lege*, Philipp.3.6. Sed cur Pharisæorum iustitiam dixerit iustitiam esse eam *quæ est in Lege?* nempe *in* eo loco idem est quod *per.* Justitia ergo quæ est *in lege* Paulo eo loco iustitia est quæ est *per legem.* Atqui ista differunt, nam iustitia quæ est *in Lege* iustitia est lege præscripta à Deo, iustitia quæ est *per legem* iustitia est illa quam Lex iubendo potest ab homine impetrare, quæ iustitia vera non est: sic Rom. 2.14. dicuntur Gentes fecisse *ea quæ sunt Legis*, τὰ τοῦ νόμου, hoc est, fecerunt quæ lex potest facere vt quis faciat. Porrò, duo sunt quæ lex potest facere, vnum est cohibere hominem externum, excitare in homine qualecunque studium virtutis, alterum eum accusare & excusare aut defendere, id quod Apostolus dixit ἔργον νόμου vers.15. hoc est, *efficacia Legis*, quod Lex in nobis ἐργάζεται. At ἔργα νόμου sunt ea quæ fiunt à nobis prout scripta sunt in Lege (qualia opera ab homine irregenito nulla edi possunt) seu ἔργα νόμου dicuntur quemadmodum dicitur *iustitia quæ est in Lege.*

Quomodo Pharisæi Legem Dei abrogasse dicantur.

Locus Philipp.3.6. explicatus.

Secundus error Pharisæorum est dogma de liberi arbitrij viribus: nam inquit Josephus libro secundo de bello Iudaico cap.7. εἱμαρμένῃ καὶ τῷ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἱμαρμένην, hoc est, *fato & Deo tribuunt omnia, agere*

2. Dogma seu error Pharis. de libero Arbitrio.

quæ iuſta ſunt, aut non agere, aut plurimum ſitum eſſe in hominibus, iuuare autem & fatum; quod dogma intelligi non poteſt niſi teneamus quid ſit εἱμαρμένη, hoc eſt, *fatum Phariſæorum*. Nam doctiſsimi viri Phariſæorum εἱμαρμένην volunt eſſe id quod recentiores Judæi vocāt מזל הכוכבים quod dicitur *Aſtrorum influxus*. Itaque ex eorum ſententia, voluerint Phariſæi humanum arbitrium inclinari quidem & moueri quodammodo ſtellarum vi, cæterùm non flecti prorſus: quod verò eos adduxit vt ſic ſentirent, hoc fuit ſolum quod εἱμαρμένη *fatum* Chald. dicitur מזל; porrò מזל *influxum* ſignificat, nam נזל eſt *fluere*, vnde מזל טוב & מזל רע dum ſignificant proſperam aut aduerſam fortunam מזל טוב eſt ἀγαθὴ τύχη. Rabbini etiam appellant Iouis ſtellam מזל טוב vt & צדק. Atque ſententiam ſuam inde confirmant quod cap.9. Eccleſ. verſ.2. (quo loco dicitur omnia omnibus pariter euenire) Chald.paraph. ſic eum locum vertit כלא במזליא תלו *omnia à fato pendent*: hîc, inquiunt, מזלא eſt *influentia*, quam vocant, *ſyderum*.

Fatum Phariſæorum non eſt influxus Syderum.

Sed profectò ita ſe res non habet, nam εἱμαρμένη & πρόνοια Joſepho (cum de Phariſæorum dogmate agit) eadē ſunt. Illud autem, ſi nihil aliud eſſet, inde euinci poſſet, quod cùm priori loco εἱμαρμένην & Θεὸν diſtinctè poſuiſſet, poſteriori loco tamen ſolum εἱμαρμένης nomen poſuit, nempe quia εἱμαρμένη idem illi eſt quòd Θεός. Cùm igitur dicit, *omnia tribuunt fato & Deo*, illud *& Deo* epexegeticè dicitur. Deinde lib.13. Antiqu. diſtinguit Eſſenos à Phariſæis, quod Eſſeni docerent τὴν εἱμαρμένην πάντων εἶναι κυρίαν, *fato omnia regi*, cùm Phariſæi voluntatem humanam vocent in partes. Atqui conſtat Eſſenos maximè omnium deditos fuiſſe religioni, quæ penitus tollitur ſi omnia à ſyderum influxu reguntur, etiam voluntas humana: ſic enim inducitur Phyſica quædam neceſsitas, quæ religioni & pietati nullum relinquit locum. Attamen certum eſt fatum מזל dici, מזל autem *influxum* ſignificat, hoc etiam addamus, apud Jobum *Aſtra* dici מזלות: nempe non eſt dubitandum corpora illa cœleſtia agere in hæc inferiora, ſed pro ratione (vt ita loquar) actiuitatis & paſsiuitatis, atque ea omnis actiuitas & paſsiuitas corporea eſt, & merè Phyſica. Itaq; agant ſanè in corpora & res corporeas, cùm & ipſa corpora ſint, in animam, quando eſt ſejuncta à materia, nihil eſt illis iuris. Cæterùm non ſic efficitur vt continuò מזל *fatum Phyſicum* ſignificet: Nam גזר *decernere* eſt, & *definire*, primò verò *ſecare* ſignificat; quomodo Horatius dixit *quo multa magnaq; ſecantur iudice lites*: & Latinè, *decidere cum aliquo* eſt ſubductis mutuo ſuarum rerum rationibus conuenire; attamen Chaldaicè גזרין *Aſtrologi* dicuntur. Imò verò גזרה *impreſsio* dicitur illis *à motu ſyderum facta*, vnde & meteora oriuntur. Quemadmodum igitur ea nomina quæ propriè Dei voluntatem ſignificant, & fatum (quod à fando dicitur) ad res merè Phyſicas ſignificandas transtulerunt, ſic etiam nomina quæ res Phyſicas ſignificant ad voluntatem Dei ſignificandam pari libertate adhibuerunt: Nempe par vtrobique effectum eſt, atque effecti neceſsitas: atque hinc fit vt cauſarum nomina permutata ſint.

Sed Diuina prouidentia quod probatur

1.

2.

Fatum cur dictum ſit מזל

Atque ita ſe rem habere, primùm hinc probari poteſt, quod ſolet Paraph.Chald. *opes, res proſperas* מזלא vocare, ſed quoniam hæc ratio calumniæ obnoxia eſt, & cauillationi, longè grauior cauſa cur ſic ſentiendum ſit afferri poteſt ex eodem illo loco quo nituntur: nam Eccleſ.cap.9.2. poſtquam Paraph. dixit omnia pēdere à fato, ſtatim & continuò nulla interjectione verborum adjecit מן שמיא נתגזר hoc eſt, *decretum eſt cœlitus*: Jam verò *cœlum* Deum ſignificat, שמים Judæis *Deus* eſt: nempe quia habitat in cœlis, ſicut etiam illis dicitur מקום quia habitat in loco, nam מקום illis eſt *templum Hieroſolymitanum*, quod antonomaſticῶς ſic vocant אתרא Syrochaldaicè: vnde deſumptæ ſunt illæ locutiones, *Peccaui pater in cœlum & in te*, hoc eſt, *in Deum & in te*. Item, *Venient Romani & auferent hunc locum*, hoc eſt *Templum*. Certè cœlo (corpore Phyſico, inquam) nihil decerni poteſt: Jam verò גזר *decernere* eſt, & *ſtatuere*, ſic Græcis εἱμαρμένη φύσεως vocata eſt, vt φύσις illis viciſsim εἱμαρμένη. Certè φύσεως *fatum Phyſicum* eſt, vnde Ariſtoteles quaſdam φύσεις quas *violentas* vocat, negat eſſe εἱμαρμένας; & εἱμαρμένοι χρόνοι *ſtata* ſunt *tempora*, vt verbi gratia, quando Sol eſt in Capricorno, ſi tum aër intepeſcat non intepuit εἱμαρμένῳ χρόνῳ *ſtato tempore*, & *fortuna, fatum, neceſsitas*, εἱμαρμένη, τύχη, ἀνάγκη eadem ſunt: nam fortuna fors eſt, vnde & fortis dicitur & ἀνάγκη *neceſsitas*, & τύχη ἀπὸ τοῦ τεύχειν denominatur vt cùm Satyricus ſcripſit

Cur Deus dicatur à Iudæis מקום

Si fortuna volet fies de Rhetore Conſul,
Si volet hac eadem fies de Conſule Rhetor:

fortunæ nomine *fatum* intellexit, & *neceſsitatem*, στερεὰν ἀνάγκην vocant, hoc eſt, rigidam atque immotam neceſsitatem, quam Lucretius vim abditam appellauit,

Fortuna, fatum, neceſsitas idem ſunt.

Vſque adeò res humanas vis abdita quædam
Proterit, &c.

Certè quod miſeri illi his nominibus velarunt, diuina eſt Prouidentia, cui nihil in natura rerum ſubtrahi poteſt. Neque verò Scriptura hoc eodem loco cuius Paraphraſim iam explicamus מקרה nomen refugit, verba Scripturæ ſunt הכל כאשר לכל מקרה אחד, *vnuicuique vt omnibus, vnum eſt accidens*, hoc eſt, vna fortuna, vnus caſus: nam ſi cauſas ſecundas reſpiciamus מקרה eſt quod ad primam cauſam ſi referatur גזרה *decretum* eſt: ſic qui imprudens cùm in arborem impingit ſecurim excuſſo ferro viatorem interemit, dicitur hoc factum מקרה, etiam nomenclatore Deo. Itaque idem Paraphr. verſum proximè antecedentem ſic reddidit, *Quoniam hæc omnia repoſui in animo vt exquirerem hæc omnia, quod iuſti & ſapientes, & diſcipuli eorum, qui illis ſubjecti ſunt vt dent operam diſciplinæ Legis, traditi ſunt in manus Domini, & ab eo decretum eſt in toto mundo quicquid futurum eſt in diebus eorum, etiam amorem quem amant, etiam odium quod oderunt; nemo eſt Propheta in mundo, qui ſciat quid euenturum ſit hominibus, omnia* εἱμαρμένη *decreta ſunt, vt iis obueniant.* Ubi obſeruandum eſt quod in Vulg.edit. redditur, *& homo non nouit ſit-ne odio an amore dignus*, vertitur à Chald. Paraph. *Nemo eſt qui ſciat amorem quem amat, aut odium quod odit*, hoc eſt ex vſu linguæ, *Nemo nouit ſint-ne ea appetenda quæ appetit, aut fugienda quæ refugit*: quæ paraphraſis ſcopo Spiritus ſancti optimè conuenire videtur: neque enim hîc agitur de amore aut odio Dei, ſed de hominum & rerum odio & amore. Etiam in Heb. ſic habetur, *etiam amorem, etiam odium non nouit homo eorum omnium quæ ſunt ante ſe*, quo nihil verius dici potuit: ſæpe enim quæ maximè expetiueramus, deprehendimus

Fortuiti vocem ipſa Scriptura non refugit.

locus Eccl. 9.2. illuſtratus.

experiundo noxia esse, & damnosa: sæpe etiam quæ toto animo refugeramus, postquam euenerunt, reapse deprehendimus eiusmodi fuisse vt essent expetenda potius: Atque hinc est quod Spiritus sanctus non dixit simpliciter, *Non nouit homo amorem & odium*, sed, *Amorem & odium eorum omnium quæ sunt ante ipsos posita*, hoc est, quæ sunt futura; in quæ futurum est vt incurrant.

Pharisæi Fatum Stoicum non docuerunt.

Sed esto, fuerit hæc Paraphrastæ mens & sententia, omnia vt crediderit pendere à syderum fluxu, consequens tamen haud est eam fuisse Pharisæorum sententiam. Etenim sic omnis religio ab iis penitus fuisset sublata. Nam cùm sit syderum motus constans & immutabilis, liberum autem arbitrium solum in nostra potestate, quæ partes hoc pacto diuinæ prouidentiæ relinquentur? Nempe omnia pendebunt à syderibus & à libero arbitrio. Epiphanius igitur grauiter lapsus est in eo primùm, quòd Pharisæos putarit nullũ relinquere locum libero arbitrio, tum quod existimarit Pharisæorum fatum esse φυσικὴν *fatum Physicum*: Certè Pharisæi *fati* nomine diuinam prouidentiam designarunt, cuius has partes esse voluerunt, vt inclinaret, non vt flecteret voluntatem, vt docet Iosephus Antiq. Iud. lib.18. cap.2. οὐδὲ τῷ ἀνθρώπῳ τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς (legendum videtur ἀπ' αὐτῆς nempe εἱμαρμένης) ὁρμῆς ἀφαιρεσιῶνται, hoc est, *ab inclinatione quæ est à prouidentia non sejungunt humanam voluntatem:* quæ sententia explicari potest verbis Dauidis Kimhi in

Sed Fatum est ipsis Diuina prouidentia.

» Psalmum 119. littera Tau. Quamuis dedit Deus
» (inquit) הבחירה, hoc est, liberum arbitrium ho-
» mini, tamen si homo rectus est, Deus eum adju-
» uat in via bona; propterea apparuit Israeli in nu-
» be, in monte Sinaï, vt esset hoc illis veluti ma-
» gna clauis, quæ aperiret corda eorum ad bonam
» viam, & prohiberet ipsos à peccato: atque hoc si-
» gnificat hic versus; *quis dabit illis eiusmodi cor, vt ti-*
» *meant me?* (Deuteron.14.) dixit, *quis dabit* propter
» hominem, quoniam si homines dederint, ego da-
» bo & adjuuabo eos, vt timeant me, & seruent
» mandata mea.

Error Pharisæorum de *Merito*.

Quem errorem hoc secutum est, quod crediderunt hominem posse mereri, vnde illa Mosis Ben-Maimon sententia in tractatu de Pœnitentia cap.3.
» Unicuique sunt, inquit, sua זכיות *merita*,
» & vnicuique sua sunt peccata, cuius maiora sunt
» & plura merita quàm peccata, ille est צדיק *iustus:*
» cuius verò maiora sunt & plura peccata quàm
» merita, ille est רשע *impius*. At cuius paria sunt
» peccata & merita, ille est בינוני *medius*, hoc est, me-
» diam quandam sortem obtinet. Deinde, paulò
» post, *Cuius peccata plura sunt quàm merita, is continuò*
» *moritur in impietate sua:* hoc est damnatur ob im-
» pietatem. Quorsum respexisse videtur Jacobus
» Epistolæ suæ Catholicæ cap.2. dum monet, *eum qui vnius mandati violati reus est, & totius legis violatæ reum esse:* nempe istum Pharisæorum errorem voluit refellere. Christus verò Dominus quàm nullę sint liberi arbitrij vires satis apertè nos docuit, monuit enim disertis verbis, nos tum demum liberos fore, cùm ipse nos liberarit Ioh.8. & verò eo loco Iudæos Pharisæis addictos alloquitur, immò verò ipsos Pharisæos.

Objicitur Pharisæus Deo agens gratias.

Attamen Luc.18.11. Pharisæus σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν gratias agit Deo quòd non sit similis cuidam Publicano, qui μακρόθεν ἑστὼς *eminus & è longinquo stabat*; Quæri igitur potest qui conueniat isti gratiarum actioni qua Pharisæus defunctus est cum dogmate Pharisæorum; nam esto sanè, qui agnoscunt diuinam prouidentiam inclinare voluntatem, agant Deo gratias quod sint viri boni, attamen cùm agendæ sunt Deo gratiæ quod præ aliis viri boni sint, non potest hæc ratio habere locum: nam & liberum arbitrium inest omnibus, & communis est prouidentia (quod & Pharisæi non sunt negaturi) certè communis iis qui stant, & qui cadunt. Quod si quis eam velit esse specialem, & iis solis peculiarem qui stant, necesse est discedat à Pharisæorum dogmate, sitque in ea sententia quæ statuit, Deum eorum arbitrium qui stant ita affecisse vt starent, vt liberum hominis arbitrium, quòd non propendet in malum liberè, sed in bonum potius, non hoc sibi debeat, ne ex parte quidem, sed Deo: quî igitur egerit Deo gratias Pharisæus, quod non fuerit (vt loquitur) sicut ille Publicanus, cùm quantum ipse, tantundẽ Publicanus acceperit à Deo? etenim non modo ridiculum est, sed & impium, vt quis eo nomine Deo agat gratias, quo nomine nihil Deo debet acceptum ferre: non videtur igitur conuenire vt Pharisæus hac gratiarum actione vsus sit; sed tamen ita se res habet, inest consciẽtiæ tacitus quidam sensus ab ipsa insitus natura, qui prohibet vt quoties ipsum cõpellamus Deum, nobis quicquam boni adscribamus: concidit enim tum humanę mentis audacia, quũ se sistit coram Deo, quanquam quoties apud homines res agitur, effert se, & iactat insolenter. Itaque mirum videri non debet, si Pharisæus Deum compellans, à dogmate suo cogitur discedere: immò verò, vsque adeo premit & vrget hæc vis, & sensus conscientiæ, vt excidant etiam iis hominibus qui contra nos docent & sentiunt, hæ voces *Deus flectat cor tuum, Deus te illuminet, nondum Deus eius cor flexit*, &c. quod argumenti genus, *Testimonium animæ* Tertullianus olim appellauit. Etenim qui sic loquuntur, fatentur singularem esse quandam Dei ἐνέργειαν in quibusdam, quæ si absit nihil fit, quæque si adsit, res confecta est; vnde etiam pendet precum necessitas, earum (scilicet) quibus Deum obnixè & seriò rogamus, vt huius aut illius animum inducat, aut flectat in obsequium sui. Attamen non hinc efficitur, eos qui sic loquuntur quoties sinunt conscientiam agere suas partes, sic doceri. Quæ res occasionem Tertulliano præbuit olim scribendi librum de *Testimonio animæ* aduersus gẽtes, quo libro vnum hoc studet, vt ostendat tacito conscientiæ sensu probari religionem Christianam. Deinde, quid vetat gloriosum Pharisæum eius rei palam laudem Deo tribuisse cuius tamen se authorem tacitè censebat, quo modo gloriosi milites etiam tum quum se maximè iactant, aliquam faciunt mentionem Dei, *Deus*, inquiunt, *mihi adfuit vsque adeò, vt mea solius manu decem, aut 20. aut 30. ceciderint.* Sed & Epicurus, qui omnem sustulit prouidentiam, librum tamen scripsit περὶ ὁσιότητος: quærat aliquis qui conuenire id potuerit cum dogmate Epicuri? Sed Responsio facilis est, inest quidam Religionis sensus etiam profanis mentibus, quo coguntur impij homines pugnantia dogmati suo dicere. At quid hoc est (Luc.18.11.) σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν? doctissimus Interpres vertit, *seorsum*. Rectè, etenim hæc verba πρὸς ἑαυτὸν non sunt (vt est apud vulg. Interpret.) referenda ad consequentia, vt sit sensus *apud se precabatur*, sed cohærent cũ participio *stans*, quomodo

Resp. 1.

2.

quomodo etiam illum locum vertit Interp. Syrus, *ſtans inter ſe & animam ſuam*. Quæ locutio perperam verſa eſt à Boderiano, refert enim illa verba ad ſequentia, cùm non cohæreant ſed disjungantur: ſequitur enim apud Syrum Interpr. *& hæc precabatur*. Quid igitur eſt σαθεὶς πρὸς ἑαυτὸν? Certe idipſum quod Hebraicè לבדו: nam LXX. Interpr. eam particulam ſic exponunt καθ' ἑαυτὸν, Zach.12.12. atque idipſum conuenit Phariſæorum nomini, פרוש enim (vt ſupra dictum eſt) eſt *qui ſegregatus eſt*: quod illi (vt poſt modum dicemus) etiam in vita factitare ſoliti ſunt. Sic vbi Ierem.15. Propheta conqueritur coactum ſe eſſe ſeorſum ſedere ישבתי בדד, in Targum eſt פריש quaſi diceret *Phariſæus*, hoc eſt, *ſeparatus*.

3. dogma Phariſæorum De animarum ſtatu poſt obitum. quę eadem fuit Patrū ſententia. Tertulliani.

Tertium dogma Phariſæorum. Author eſt Joſephus in ea fuiſſe hæreſi Phariſæos, quæ ſtatueret animam vita in corpore functam vocari in ius, atque in locis ſubterraneis vel requie & honore frui, vel æternis affici pœnis, pro eo ac vixit in corpore. Quæ ſententia Tertulliani fuit vt diſertis verbis docet lib. de Anima cap.55. & 58. *Omnem animam in Inferis oportet ſequeſtrari vſque ad diem Domini*. Atque hoc nititur probare multis argumentis; Et hoc quidem præcipuo, quod diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, itaque quemadmodum Chriſti anima in inferis fuit, ita & reliquorum hominum animas eſſe debere, ſolas Martyrum animas excipit. Sed & idem ſenſiſſe videtur Auguſtinus, nam Enchirid. ad Laurent. cap.109. *Tempus*, inquit, *autem quod inter hominis mortem & diem reſurrectionis interpoſitum eſt animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquaque digna eſt vel requie, vel ærumna pro eo quod ſortita eſt in carne cùm viueret*. Ambroſius etiam non videtur ab hac ſententia longè receſsiſſe, nam idem probare conatur citatis, (quod notandum eſt) capp.5. & 7. lib.4. Eſdræ. Sed benè habet quod Ambroſius illa habitacula *ſuperiora* dixit, quo dicto emolliri poteſt illa ſententia. Cæterùm hoc dogma, ſiue errorem Chriſtus refutauit Luc.16.22. nam Lazari animam ait trāſlatam fuiſſe ab Angelis in ſinum Abrahæ. Certè Angeli è cœlo in terram & viciſsim è terra in cœlum aſcendunt, ad inferos non commeant Angeli. Tum *ſinus Abrahæ* eo loco non ſignificat ſpeciem quandam ſubterraneam, ne locum quidem omnino ſignificat, quis enim *ſinûs humani* nomine locum deſignet? Quid igitur eſt *ſinus Abrahæ*? nempe regnum cœlorum quod conuiuio à Chriſto Matth.8. comparatur, & quidem conuiuio in quo Abraham pater credentium primum locum obtineat, cæteri verò conuiuæ vnà cum Abrahamo recumbant, fuit autem moris vt qui conuiuarum in Principis ſinu recumberet, is honoratiſsimus haberetur; quòd argumentum fuit & indicium amoris illius ſingularis, quo Chriſtus Iohannem proſecutus eſt, nam recubuiſſe dicitur in ſinu Chriſti, Chriſtus autem ſedebat medius, vt apud Iudæos locus medius in conuiuio pręcipuus fuit. *ſinus* igitur *Abrahæ* eſt præcipua dignitas in regno cœlorum.

Auguſtini

Ambroſij.

qui error à Chriſto eſt notatus.

Reſurrectionem docuerunt Phariſæi, non autem μετεμψύχωσιν.

Sed & docuerunt Phariſæi, piis animabus hoc indultum iri vt reuiuiſcant, μεταβίωσιν ἀναβιοῦν vocat Ioſephus. Sed hic viri docti (inter quos Beza & alij) μετεμψύχωσιν (quæ & μετενσωμάτωσις dicitur) hoc eſt, tranſmigrationem animarum in aliena corpora à Ioſepho ſignificari volunt; Ut ſic ſentiant teſtantur ſe his præcipuè rationibus adduci, quod Ioſephus quam dixerat μεταβίωσιν ἀναβιοῦν cap.2. lib.18. Antiq. eam cap.7. lib.2. de bello Iudaic. μετάβασιν εἰς ἕτερον σῶμα vocauit, *tranſitum in aliud corpus*. Voluntque Phariſæos id dogma ex Pythagoreorū lacunis hauſiſſe. Deinde Kimhium citant qui Comment. in Pſal.104. tribuit hanc ſententiam ſapientibus חכמי המחקר hoc eſt *perſcrutationis*. Dixerunt, inquit, quidam è ſapientibus המחקר quod omne viuens poſtquam mortuum eſt, reſurget: propterea quod animæ circumuoluuntur, & rediturae ſunt in mundum, attamen non ſunt hæ rediturae ad materiam primam, quemadmodum ipſa materia erit (ſtabit) in ſeipſa, & hoc fiet iugiter, compluriuin millium annorum ſpatio. Magni Philoſophi dixerunt animam nunquam redituram in corpus, quemadmodum Iobus dixit, *donec cœli non fuerint nunquam reſurgent, nunquam expergiſcentur*, iuxta verò fidem noſtram, nos qui ſemen ſumus Iſraelis, firmiter innitimur fide noſtra, quę ſtatuit animas redituras ad materiam primam vnde egreſſæ ſunt, tempore viuificationis mortuorum (hoc eſt reſurrectionis.) Atque iſti חכמי המחקר haud dubiè (inquiunt viri docti) ſunt Phariſæi: quos deſignauit Paulus 1.Cor.1.20. nomine συζητητοῦ, *diſquiſitorum*, *vbi ſapiens*, *vbi ſcriba*, *vbi diſquiſitor huius ſæculi*? nam חקר *ſcrutari* eſt. Denique vnus atque alter locus eſt in N. Teſtam. qui (vt illi arbitrantur) aliter explicari non poteſt niſi hæc fuerit Phariſæorum ſententia: nam Matth.16. quærit Chriſtus, quem ſe eſſe homines arbitrentur, & reſpondent Diſcipuli, eſſe pleroſque in ea opinione vt exiſtiment Chriſtum vel eſſe Eliam, vel Ieremiam, vel aliquem è Prophetis: vnde hæc ſuſpicio niſi quod ita à Phariſæis edocti μετεμψύχωσιν eſſe credebant? ſed & Diſcipuli Iohan.9. quærunt, vnde is (quem nouerant ab ipſo ortu cæcum fuiſſe) hac pœna affectus ſit, ob ſua-ne an parentum peccata? abſurdè (vt videtur) niſi & ipſi in hoc errore fuiſſent; qui enim fieri poteſt vt peccando cæcus à natiuitate cæcitatem hanc acceſſiuerit, quæ omne peccatum præcedit, niſi ſtatuamus animam illius cæci in alio corpore peccaſſe?

Objicitur authoritas Ioſephi.

2. Kimhi.

3. locorum N. Teſt.

perperam iſte Metempſychoſeos error Phariſæis tribuitur.

Sed hæ rationes non ſunt eiuſmodi vt iis adduci debeamus, eum errorem vt tribuamus Phariſæis, quem Chriſtus nunquam iis objecit, objecturus haud dubiè, ſiquidem Phariſæi tam abſurdum dogma publicè docuiſſent: ſed neque credibile eſt, Chriſtum in Diſcipulis ſuis eum errorem tolerare voluiſſe, qui omnem Religionem funditus euertit, reſurrectionem penitus tollit. Nam ſi μετεμψύχωσις locus eſt, quis relinquitur locus reſurrectioni corporis? Hic ſanè locum habebit Sadducæorum quæſtio, nempe quærebant vtrius futura eſſet quę ſeptem nupſerat fratribus, quæ quæſtio ſolui facilè poteſt, cùm de conjugio agatur cuius nullus eſt vſus in reſurrectione, at non ſolui poteſt ſi traducatur ad animam quæ in penè infinita corpora migrauit, ſi quæratur cuiuſ-nam corporis anima illa hoſpes ſit futura in beata reſurrectione. Denique non eſt credibile Sadducæos capitales Phariſæorum hoſtes, ſiquidem Phariſæi ſic ſenſerunt, id reticere voluiſſe in diſputationibus quas inſtituere ſolebant contra reſurrectionem. Huc & illud etiam accedat, quod veriſsimile non eſt, veteres,

1. 2. 3. 4.

Epiphanium, Hieronymum, Clem. Alexandrinum, qui omnes Pharisæorum errores quanta potuerunt diligentia annotarunt, tam grauem errorem reticere voluisse.

Respondetur.

Sed occurrendũ tamen est iis rationibus quæ tantos viros in hanc sententiam, quæ Pharisæis hunc errorem tribuit, pertraxerunt. Ac primùm quidem illud quod (Iosepho teste) tradiderunt Pharisæi μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα, ad μετεμψύχωσιν trahi non potest. Etenim μετεμψύχωσις erat quarumuis animarum tam brutorum quàm hominum: At μετάβασις illa Iosephi piis animabus est peculiaris. Certè Iudæorum opinio fuit solis piis qui sanctè vixerunt datum iri resurgere. Impiis hanc prærogatiuam negant: Ergo, & μετάβασις ista ad resurrectionem referenda est, cùm impiorum hæc sit sors (vt clarius docet idem Iosephus lib.18. cap.2. Antiq. Iud.) vt in æternum in illo carcere detineantur subterraneo, solis verò piis indulgeatur ῥαστώνη ἀναβιοῦν. R. Dauid Kimhi in Psalm.1. solis sanctis tribuit resurrectionem. Cæterùm in hoc à Iosepho dissentit, quod tradit impiorum animas simul cum corpore interire, Maimonides autem ab vtroque dissentit, nam planè resurrectionem negat, solam vult animam manere superstitem. Itaque facile erit intelligere, quorsum spectent illa quæ lib.2. Machab. scripta sunt de Sacrificio expiatorio, quod pro defunctis obtulit Iudas: nempe cùm vulgo crederetur solos iustos resurgere, qui autem occubuerant eo bello, nisi intercederet expiatio, iniusti forent (nam subtracti & auersi Anathematis erant rei) opus esse pro iis Sacrificio existimabat: vnde colligitur nihil facere illum locum vel ad limbum Patrum, vel ad Purgatorium adstruendum: Consulatur locus.

1. authoritati Iosephi.

Iudæorum de resurrectione variæ sententiæ.

Explicatur Iosephi locus.

Neque verò est, quod quis vrgeat voces μετάβασιν, &, ἑτέρου σώματος apud Iosephum, quasi illis significaretur Metempsychosis: nam μετάβασις hæc dicitur ratione loci illius subterranei, in quo ante resurrectionem degunt animæ ex Pharisæorum hypothesi, & ἕτερον σῶμα non notat diuersum corpus materia & substantia, sed diuersum qualitate, quomodo ferè Luc.9.29. εἶδος, hoc est, species vultus Christi dum transfiguraretur, dicitur γίνεσθαι ἕτερον.

Respondetur ad loca N. Test. ac 1. ad locum Matth.6.

Quod verò negant commodè explicari posse illos Scripturæ locos, qui exstant Matth.16. & Ioh.9. in eo (pace tantorum virorum dictum sit) frustra sunt. Nam vt priori loco hæc dicamus, si μετεμψύχωσις credita est vel à Iudæis vulgò, vel à Discipulis Christi, contra quod quàm illi sentiunt, non possunt illi loci explicari. Nam quî crediderint Iudæi Christum esse Ieremiam eò quòd anima quæ Ieremiæ corpus aliquando insedit, corpus Christi insederit? Sic enim non magis Christus Ieremias fuerit, quàm is cuius corpus ante Ieremiam anima illa tot corporum hospes insedeat. Deinde nulla nos ratio cogit, vt Metempsychosin statuamus ab illis creditam, eo quod Christum suspicati sunt esse Ieremiam, aut aliquem è Prophetis: quidni enim suspicati fuerint Ieremiam excitatum fuisse à mortuis, quod profectò crediderunt, vt habetur Luc.9.7.8. penè disertis verbis, verba Euang. sunt, *Audiuit verò Herodes Tetrarcha omnia quæ ab eo* (Christo scilicet) *fiebant, & dubitabat* (hoc est, pendebat animi) *propterea quod à nonnullis diceretur Iohannes excitatus à mortuis; à nonnullis verò Eliam apparuisse, ab aliis denique quendam è veteribus Prophetis resurrexisse.* Ergo ideò Dominus creditus est Ieremias quod non videretur creditu absurdum Ieremiam resurrexisse; nihil vt opus sit confugere ad Metempsychosin.

2. ad locum Ioh.9.1.

Quin etiam, cùm interrogant discipuli, vtrum is qui à prima natiuitate cœcus fuerat, suo, an alieno peccato contraxerit hoc corporis vitium, nihil necesse est (vt constituatur quid sibi voluerint) recurrere ad Metempsychosin: Imò μετεμψύχωσις id non admittit facilè: Metempsychosis, inquam, Pharisæorum, hoc est, quæ Pharisæis affingitur: solę enim iustorum animæ ex hypothesi traducuntur in noua corpora, discipuli autem suspicantur illum cæcum fuisse impium. Deinde dici potest, discipulos ob oculos habuisse peccatum originis, quod hebræi vocát יצר הרע *figmentum malum.* Tum & id haud absurdè potuerunt cogitasse (vt sunt omnia Deo præsentia) præuidisse Deum multò ante, qualis cæcus hic futurus esset, ac proinde quemadmodum impio Regi intentanti in Prophetam manum graué inflixit pœnam, vt atrocitatem sceleris designati tum cohiberet, tum puniret etiam, sic cum isto egisse; sed nihil opus est huc deuenire, res est expedita & facilis. Res mira videbatur discipulis quempiam nasci cœcum, cùm omne malum (quod docendi causa *passiuum* appellamus) peccati pœna esse videatur, hoc autem malum nõ possit in hoc genere censeri, nam vt infans qui nondum vllo scelere peccata patris imitatus est, peccati pœnas à patre admissi luat, videtur duriusculum: tum etiam vt statuatur vllo peccato à se admisso (cùm nondum peccarit) hoc malum accersiuisse, pariter absurdum videtur.

Denique quod volũt Pharisæos dici à Kimhio sapientes המחקר, in eo sumunt pro confesso quod est maximè controuersum, imò verò quod negari potest: Nam sapientes המחקר sunt *Physici indagatores naturæ rerum*, nam quæ Græcis Physica, ea Hebræis חקירה dicitur. Et certè eo loco clarè distinguit Kimhius sapientes המחקר à Iudæorum Theologis. Unde colligitur pari ratione malè acceptum à Doctissimo Interprete illum locum qui est 1.Corinth.1.20. *vbi sapiens, vbi Scriba, vbi disquisitor* συζητητὴς *huius sæculi?* neque enim intelliguntur eo loco συζητητοῦ nomine Physici, sed Theologi Iudæi. Nam חדרשן verbum verbo redditum, est συζητητὴς: Porrò חדרשן est qui allegoricè & mysticè Scripturam interpretatur: vnde eiusmodi Commentaria מדרשים dicuntur, hoc est, συζητήσεις: Et ratio est, quia interrogationibus refertæ sunt, vnde Schola illis בית מדרש dicitur, οἶκος συζητήσεως vt & בית אולפנא οἶκος διδασκαλίας. Itaque 2.Reg.22.14. quum Hulda Prophetissa dicitur habitasse Jerosolymis in משנה, Chald. Paraphr. vertit בית את אלפנא, hoc est, *in domo doctrinæ*, משנה igitur *collegium* est, & Schola, vt & versio Gallica habet. Nam שנה δευτεροῦν *repetere, docere* est; nam sine repetitione nulla potest esse disciplina; præsertim cùm instituitur interpretatio eorum quę à graui aliquo viro scripta sunt, hîc enim verborum authoris crebra repetitio necessaria est.

locus 1.Corint.1.20. illustratus.

DE VITA AC MORIBVS *Pharisæorum.*

Quanta fuerit Pharisæorum.

PHarisæorum vita & mores vel in iis cernuntur quæ pertinent ad res ciuiles, vel quæ spectant

authoritas in Rep administranda.

ſpectant ad Religionem, nam ita ſtudebant ſanctimoniæ, vt ne tamen Republica carerent, quin illius administrandæ Reipub. ſanctimoniæ ſpecies & profeſsio occaſio fuit, nam Principium animos & plebis obſtrictos ſuperſtitione pro arbitrio verſabant, & quo libebat impellebant, & vnde libebat reuocabant. Id clarè docet Joſephus cap. 2. lib. 18. Antiquitat. *Hyrcano*, inquit, *apud Iudæos ſectas mutatam peperit, ſed præcipuè Phariſæorum ſecta male ei volebat, tanta autem eorum authoritas eſt apud populum, vt etiamſi Regi obloquantur, aut Pontifici, fidem tamen in vulgus habeat.* Et lib. 1. de bello Iudaico capite 4. [Greek text, partly illegible] Et lib. 18. cap. 2. Antiquitat. *Quoties*, inquit, *Magiſtratus ſuſcipiunt* (Sadducæi nempe) *Phariſæorum decretis licet inuiti aſſentiuntur: ni facerent, non ferendi.* Adeò verum eſt quod cap. 18. lib. 13. idem monuit Joſephus. Vnde verbis Chriſti quibus in eos inuehitur Matth. 23.6.7. lux affertur, *Amant*, inquit, *in conuiuiis primos accubitus & in Synagogis primas ſedes, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi.* Primò objicit iis Chriſtus quod ament πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις, cùm enim citra eorum conſilium nihil paulò grauius in Republica geri poſſet, adhibebantur à magnatibus ad menſam, cuius rei illuſtre exemplum apud Joſephum libro 13. Antiquitat. cap. 18. Secundò objicit iis Chriſtus πρωτοκαθεδρίας in ſynagogis. Vide autem vt πρωτοκλισία à πρωτοκαθεδρία diſtinguatur. Nam in Synagoga cathedris vtebantur, in conuiuio nullus, vt hodie, cathedrarum vſus fuit. Ad has cathedras reſpexit Chriſtus cùm dixit, *Sedent in cathedra Moſis.* Denique & hoc objicit Chriſtus, quòd captarent ſalutationes in foro, fruſtrà, niſi ii eſſent quorum opera pernecesſaria foret iis qui rem facere vellent, atque ad altiores dignitatis gradus promoueri. Quænam autem hæc fuerit ſalutatio *Rabbi, Rabbi*, obiter explicandum, poſtquam monuerimus ſummam inter ſe Phariſæos coluiſſe concordiam, quod monuit Ioſephus libro 2. de bello Iudaico cap. 7. φαρισαῖοι μὲν φιλάλληλοί τε, καὶ τὴν εἰς τὸ κοινὸν ὁμόνοιαν ἀσκοῦντες, quod factioſos homines facere oportet, nulla enim Societas ſciſſa in partes quicquam memorabile præſtare poteſt.

teſtimonium Ioſephi.

locus Matt. 3.5. 7. illuſtratus.

De appellatione Rabbi.

Iam verò quod ad cognomentum illud *Rabbi* attinet, cœpit eſſe in vſu paulò ante natum Chriſtum, idque à Iudæis obſeruatum eſt. Nam qui Prophetas ſecuti ſunt proximè Doctores in Eccleſia Iudaica, quos vocant אנשי כנסת הגדולה ii nullis titulis populo commendabantur, non (vt dictitant Iudæi) quod tanta eſſet eorum excellentia (quamuis ea ſumma fuit) vt nullis explicari titulis potuerit, ſed quòd eſſent ea ætate mores hominum à faſtu magis alieni, & reuera magnæ virtutes titulos non magnopere deſiderant. At ſæculo quod ſæculum Chriſti præceſſit cœperunt vocari *Rabbi* Doctores Eccleſiæ, & *Rabban.* Cæterùm *Rabbi* רבי eſt רב cum affixo ſingulari, Rabban רבן cum affixo plurali Chaldaico. Magnum autem faciunt diſcrimen inter רב *Rab* רבי *Rabbi*, & רבן *Rabban.* Nam *Rabbi* volunt aliquid eſſe minus quàm *Rabban*, paucos enim è ſuis doctoribus, & quidem eos tantùm qui ſæculo quod Chriſti ſæculum præceſsit, floruerunt, nomine *Rabban* ornarunt. Et *Rab* poſitum ſimpliciter maius aliquid eſſe exiſtimant quàm *Rabbi*, nempe *Rab* eſt Rabbi κατ' ἐξοχὴν, *Rabbi* verò titulus eſt omnium doctorum. Tenendum autem eſt רב *Rab* Magnatem propriè ſignificare: ad quam appellationem Paulus alluſiſſe videtur 1. Cor. 2.8. *Quam nemo Principum huius ſæculi nouit.* *Principes* certè ii ſunt quos רבי, רבן, & רבותינו dicunt. Neque enim eo loco Paulus *Principum* nomine Magiſtratus intelligit, ſed Doctores quorum inter Iudæos ſumma erat authoritas, qui & à poſteris (vt alibi explicauimus) גדולי השולם *Magnates ſæculi* vocabantur.

Diſcrimen Rab, Rabbi & Rabban.

Sed hoc loco quæri poteſt, quo conſilio Chriſtus Diſcipulis ſuis interdixerit ne *Rabbi* vocentur, & quidem hac vſus ratione, *Vnus enim eſt Magiſter veſter*, quid enim prohibeat vnum eſſe Magiſtrum ſummum, cùm tamen plures ſint hypodidaſcali? (Hoc ideò obſeruo quia cùm nos objicimus Pontificiis Papam non poſſe eſſe caput Eccleſiæ, ſolemne eſt illis reſpondere, Papam eſſe caput miniſteriale, & illuſtrant hoc exemplis, vt etiamſi Rex ſit ſummus, tamen multos eſſe illi Præfectos: & in familia vnicum eſſe caput ſupremum attamen alia quoque eſſe ſubalterna. Neque planè ſatisfeceris hoc quærenti, ſi reſponderis non damnari titulum, ſed faſtum eorum qui ſupra modum eo titulo delectantur, nam oratio Chriſti ſimplex eſt, *Nolite vocari Rabbi*, & verſ. 10. *Nec vocemini Magiſtri* (vnde colligi poteſt *Magiſtrum* & *Rabbi* res diſtinctas ſignificare, nam *Magiſter* eſt מורה quem & מר dicunt, neque hæc vox authoritatem vllam ſignificat, cùm vox *Rabbi* ſignificet authoritatem. Itaque ſic occurrimus huic quæſtioni, vt negemus damnari titulum, rem tantùm tituli damnauit Chriſtus, res autem tituli non erat quodlibet Magiſterium, quæuis authoritas, ſed Magiſterium & authoritas vnde nemini licebat prouocare, in quo omnes oportebat acquieſcere: Sic profectò nemini licet admittere cognomentum *Rabbi* aut *Magiſtri*, atque hoc vnum eſt quod præcipuè hoc loco Chriſtus damnat, non vult enim fidem noſtram ab vllius hominis authoritate pendere, nec quenquam, etiamſi Apoſtolus eſſet, tantum ſibi arrogare. Itaque Paulus Galat. 1.8. *Si vel*, inquit, *Angelus de cœlo, vel ego*, &c. *Anathema ſit.* Etiam id pertinet ad vitam ciuilem, quòd obtentu precum viduarum domos Phariſæi deuorabant (Matth. 23.14.) Nam opibus opus eſt ad tuendam authoritatem, quæ verò nulla ratione faciliùs comparari poſſunt quàm ſi cupiditati prætexetur religio, id quod ab hodiernis Phariſæis diligenter fit, & cautè.

Cur Chriſtus vetuerit, ne ſui vocentur Rabbi.

Non titulum ſed rem tituli damnat Chriſtus.

Iam quod attinet ad religionem, in primis notat Chriſtus omnia in Phariſæis comparata fuiſſe ad oſtentationem. *Opera* (inquit Matth. 23.5.) *omnia eorum faciunt vt videantur ab hominibus*, idque hoc probat argumento, quòd *dilatant phylacteria ſua & fimbrias amplificant.* Quo in loco illud primum aliquam difficultatem habere videtur, quòd Phariſæi qui ſe Deo ſtudebant probare, accuſantur ac ſi captarent duntaxat auram popularem. Profectò profani hominis eſt omnia facere vt videatur, at Phariſæos ſuperſtitioſos iure quis dixerit, non dixerit iure profanos; Certè Paulus

Phariſæorum hypocriſis conſpicua.

1. in dilatatione phylacteriorum.

Pharisęus fuit, at negat itidem tamen tum se profanum fuisse cùm esset Pharisæus (porrò profanum vocamus qui religionis omnis contemptor est) sed reuera ita se res habet, Qui sua nituntur iustitiâ ad consequendam salutem, etsi sibi videantur hoc vnum studere vt se Deo probent, attamen reuera aliter se res habet. Qui enim nititur se probare Deo, deprehendit statim quàm sit res nihili iustitia humana, itaque ea minimè nititur. Nec quicquam est efficacius, aut quod habeat maiorem vim ad dejiciendos hominum animos quàm si quis se sistat coram Deo, sic enim fit vt contremiscant omnes, etiam ij qui sanctitate cæteris præstant. Deinde, fieri nequit vt quis iustitia sua nitatur, qui idem non sit arrogans & superbus. Cæterùm arrogantiæ & superbiæ hoc est ingenium, vt virtus celata nulla virtus (si fueris arrogans) esse videatur. *Parum* (inquit ille) *distat inertiæ celata virtus.* Itaque minimè mirandum est si Pharisæi opinione quadam iustitiæ tumidi & inflati, consectati sunt gloriam apud homines; Quod ipsum deprehendimus in nostræ ætatis Pharisęis; videntur quidem sibi studere vt se probent Deo, vita tamen & mores, etiam illa victus durities, satis ostendit quò spectent, nempe vt pro sanctis habeantur: nam externa quæ sunt in eorum vita eminent, interna latent (cæterum externa dicimus rationem victus, vestitum, & illam, quam vocant, Disciplinam seueram, atque vt videtur intolerabilem) Non solet autem Christus quid profiteantur homines (ne id quidem quod sibi videntur profiteri) spectare, sed quod reuera sentiunt, quod re & factis palam testantur.

Quid sint phylacteria.

Sed iam nobis explicandum est quæ sint illa *phylacteria, fimbriæ*, quorum meminit Christus dum exprobrat Pharisæis fastum & hypocrisin. Ac Phylacteria quidem illa, membranæ sunt quibus inscribuntur quatuor Pentateuchi lectiones, quarum prima continet nouem priores versus cap. 6. Deuteron. secunda nouem priores versus cap. 13. Exod. tertia octo posteriores huius capitis, hoc est, versus inter 9. & 17. interiectos, quarta continet ex Deuter. cap. 11. versus qui sunt ad 13. ad 22. Hæc phylacteria Judæi fronti aptant, & תפילין vocant, hoc est *appensa*, quamuis sunt qui hoc vocabulum à תפלה quæ vox *orationem* significat, deducunt, quasi istorum תפילין præcipuus vsus esset in oratione: atque hoc pacto *Tephillin* dicerentur, quomodo Pontificij corollas suas, siue rosaria solent vocare *Paternostres*. Phylacteria verò græcè dicuntur quod fuerint ad instar phylacteriorum concinnata. Porrò φυλακτήειον græcis est ϖεδιάμμα *amuletum*, quod annectitur corpori aduersus fascinationes, item aduersus morbos, nam & ϖεδιάμμα est cuius vsus possit esse legitimus. Hunc autem ritum obseruarunt Pharisæi, vt & reliqua multitudo Judæorum, qui quidem Pharisæis fuerunt addicti, rati se in eo Deo obsequi, quasi Deus id pręscripsisset quatuor illis Scripturę locis, quæ illis phylacteriis inscribebant; Nam sua phylacteria volunt esse ea quę dicuntur Deuteronom. 6. 8. Exod. 13. 16. טוטפות. Itaque Paraphr. Onkelos vertit תפילין, & Vulg. Interpres Exod. 13. *quod appensum est.* Cæterùm non videtur iis locis Deus commendasse vsum horum Tephillin, nam Exod. 13. agitur de rebus, non autem de verbis, atqui res qui possint esse תפלין? nempe Deus vult Pascha esse Israelitis לטוטפות hoc est, quod

np idquod Iudæi vocant *Tephillin.*

quodq; in Scriptura vocatur טוטפות

Quid sint טוטפ

vers. 9. eiusdem cap. dicitur לזכרון *in monimentum*, Id quod facilè quis intelligat, si animo re putet quid significet vox טטפות, atque vnde deriuata sit: טטפות est forma pluralis numeri, significantur autem ea voce ornamenta: id quod vel hoc argumento probari potest, quod 2. Samuel. cap. 1. 10. quod est in Hebr. אצערה Chald. Paraphr. vertit טוטף. Cæterum eo loco intelligitur *armilla* cum gemma quæ armillæ fibula fuit, & certè quemadmodum אצערה dicitur à צעד (quæ vox motum & incessum significat, quòd ea ornamenta ad motum corporis mouerentur, atque magis conspicua redderentur) ita טטף à טפף deductum est, est verò טפף non simpliciter *incedere*, sed inter incedendum corpus totum iuueniliter agitare. Itaque Esaias cap. 3. 16. exprobrat puellis Israel הלוך וטפוף. Haud dubiè igitur טטפות frontis ornamenta sunt, quæ in incessu agitantur. Requirit igitur Deus à populo suo, vt quemadmodum fieri non potest vt quis obliuiscatur ornamenti, & quidem illius ornamenti quod mouetur, neque id solum, sed etiam quod mouetur ob oculos ad omnem motum corporis, ita ne tradant obliuioni, seu eius benefacta, seu etiam præcepta. Itaque Deut. 6. vetus Interpr. vertit טטפות *ea quæ mouentur*, quod confirmat imprimis interpretationem nostram. LXX. verò Interpretes ἀσάλευτα reddiderunt πρὸ ὀφθαλμῶν, nam ἀσάλευτον propriè est quod est inconcussum, quod non mouetur, quanquam fortasse illi scripserunt, ἀ σαλευτά quemadmodum habetur in editione Latina vul. Pari ratione inducti Judæi schedulas affigebant ianuis & portis, atque eas schedas seu membranas solent illi מזוזה vocare, propterea quòd מזוזה *postes* significet: atqui Dominus dum inscribi ianuis Legem suam voluit, nihil aliud iussit aut voluit, quàm vt Legis memoria nunquam ex animo populi sui discederet. Similes exstant locutiones in Prouerb. iubet Sapientia *ligari collo præcepta sua.*

Cæterùm, *fimbriæ* hoc loco, in cuius explicatione iam versamur, sunt quæ גדילים Hebraicè dicuntur. Jussit enim Deus populum Israeliticum vti veste fimbriata, atque istas fimbrias vt גדילים Deuter. 22. appellauit, sic Num. 15. ציצית easdem vocauit. Ea verò vocabula Chald. Paraphrastes reddit כרספדין. quæ sunt hæc κεάσπεδα *fimbriæ* quarum Christus meminit, quibus etiam Judæi ad superstitionem vtebantur authoribus Pharisæis: nam & illis fimbriis assuebant membranam, aut schedam inscriptam verbis Legis, desumptis ex iis locis quorum supra meminimus, atque hanc schedam ציצית appellabant. Vnde vnam eandemque rem תפלין dicunt cùm aptatur capiti, מזוזה cum aptatur ianuæ, ציצית cùm aptatur vesti. Verba eorum sunt תפילין, בראש ובזרוע, מזוזה בפתח, ציצית בבגד, & monent ציצית appendicem esse fimbriarum. Jam facile est perspicere quorsum Pharisæi spectarint dum Phylacteria dilatarent sua, & fimbrias suas amplificarent, nempè vt eo cęteris pietate antecellere viderentur, quemadmodum inter Pontificios, quo quisque superstitiosior est, eò gestat corollam maiorem, & grandioribus globulis.

κεάσπεδα seu Fimbriæ.

Eodem referenda est anxia illa diligentia, quam adhibebant in manuum & supellectilis, cuius vsus quotidianus erat, ablutione; neque enim aliò spectabant, quàm vt se sanctitatis studiosos hoc externo ritu probarent; simul etiam ne per

2. in Pharisæorum locutionibus frequentibus,

ne per ignorantiam vlli rei immundæ vel vestem afficarent. Immunda autem illis fuerunt non ea tantum quæ Lege Deus immunda pronuntiarat; (quanquam ne illa quidem immunda sunt, nisi quis sit conscius immunditiei illius) sed alia preterea multa. Hanc superstitionem notauit Christus Marc. 7. 3. Euangelista autem fusiùs narrauit, nam notat non vesci Pharisæos nisi priùs πυγμῇ lauent manus. Quid sit autem πυγμῇ non constat, variæ sunt de huius voculæ significatione Interpretum sententiæ. Nam sunt qui πυγμῇ vertunt *sæpè*, & certè πυγμῇ ea notione occurrit apud authores Græcos, Ecclesiasticos eos quidem, sed tamen Græcos. At quoties agitur de locutionibus quæ extant in Scriptura, eorum qui scripserunt Græcè si Ecclesiastici sunt authores, non est magna authoritas; Nam solent alludere (etiam tum cùm disertissimè loquuntur) ad locutiones in Scriptura vsitatas. Alij sunt qui contendunt olim scriptum πυκνῇ, hoc est, *crebrò*, sed nec πυκνῇ hac notione vsurpatur apud probatos authores; Neque verò conuenit huic loco vt πυγμῇ *sæpè* significet; non enim multis vicibus & per interualla, cum cibus esset capiendus, Pharisæi manus abluebant, id quidem præstabant diligenter & accuratè, sed continuâ & non interrupta lotione. Alij sunt (in quibus est doctissimus Interpres) qui πυγμῇ *pugno* interpretantur, quod postulet sollicita manuum lotio vt manus in pugnum contracta cauam manum fricet. Quæ interpretatio (quod pace tanti viri dictum sit) frigida videtur. Theophylactus πυγμῇ exposuit μέχρι τοῦ ἀγκῶνος *ad cubitum vsque*, quorsum respexerit facile est conjicere, fando enim accepit haud dubiè, qui fuerit mos in lauandis manibus Pharisæorum, nempe manus in altum soliti erant tollere, atque digitis contractis superfusam aquam excipere, quam necesse fuit ad cubitum vsque defluere, quod omninò est πυγμῇ νίπτεσθαι, hoc est, digitis in vnum contractis lauare manus: id quod vlli vocant נטילת ידים *manuum eleuationem* & notandum est הטיל illis esse *lauare*, sed manus lauare, & quidem hoc ritu, cùm הטיל propriè significet *attollere*. Addit Euangelista, redeuntibus à foro Pharisæis fuisse solemne operam dare lotioni, nempe verebantur ne ex Gentilium & prophanorum hominum contactu impuritatem contraxissent. Certè hanc ob causam nisi necessitate aliqua coacti nullam cum Ethnicis, cum profanis & impiis hominibus (quos illi *peccatores* vocabant) consuetudinem habebant. Itaque Christus induxit Pharisæum peccantem, sed σταθέντα πρὸς ἑαυτὸν, hoc est, *seorsum*, Publicanum autem stantem μακρόθεν, quod referri potest ad verecundiam illius Publicani, qui scilicet sanctum illum Pharisæum non audebat propiùs accedere. Sed & aliò potest referri, nempe ad locum, erant enim omninò (vt notat Josephus libro 2. aduersus Appion.) in Templo quatuor septa, ad primum patebat aditus quibusuis etiam Ethnicis, ad secundum viris & fœminis promiscuè, ad tertium viris tantum, ad quartum Sacerdotibus, ad adyta verò soli Principi Sacerdotum: Itaque fortasse steterit hic Publicanus in primo illo septo.

Quid sit πυγμῇ lauari.

1. sententia.

2.

3.

4. verior.

qua de causa frequentes illæ lotiones vlurparentur.

Etiam pertinet ad ostentationem sanctitatis quod Prophetarum sepulchra ædificabant, Matt. 23. 29. quemadmodum hodie Pontificij solent insanis substructionibus profiteri reuerentiam qua memoriam sanctorum Martyrum prosequuntur. Id quod Christus perinde illis objicit, acsi animo commendandi patrum suorum, qui Prophetas occiderant, immanitatem id ab eis factum fuisset: Quod sanè mirum videri possit, nam certissimum est Pharisæorum hoc non fuisse consilium, quemadmodum neque Pontificiorum hodie consilium est Tyrannorum atrocitatem & immanitatem commendare, dum ædificant in Martyrum honorem templa specie visenda. Attamen ita se res habet, objicit hoc illis consilium Christus, & quidem disertis verbis, ac non sine indignatione. Sed inprimis tenendum est orationem Christi esse figuratam, neque verò id dicemus (quod tamen dici posset) Christum nihil aliud velle, quàm apud Deum illam exædificationé sepulchrorum Prophetarum eodem esse loco, ac si studio Maiorum homicidarum, odio prophetarum id fecissent, quando ipsi æmuli in hoc genere patrum fuerunt, nam & Christum Prophetarum principem, & sectatores Christi persecuti sunt ad necem vsque. Illud potius dicemus quod res est, indignantis hanc esse vocem; hoc autem facit indignatio, quùm iusta est, vt quæ ab authoribus aliò referuntur, eò referantur quod authorum moribus est conuenientissimam: Vt si hodiè Pontificiis objiceremus omnem istam operam, hos sumptus quos impendunt templis magnificè construendis, non eò spectare vt commendetur Martyrum memoria, sed potius vt comprobetur eorum atrocitas, qui in martyres sæuierunt, quando hoc moribus & reliquæ vitæ Pontificiorum conuenientissimum est, maximè cùm quo nomine prisci illi Martyres interfecti sunt, eodem nomine furunt hodie in verè Christianos, eandemque fidem, quam prisci Martyres sanguine suo obsignarunt, profitentes, figurata quidem erit locutio, vera tamen, omnis enim figurata locutio ad propriam locutionem (vt eius teneamus sensum) reuocanda est: figura autem est ab affectu, affectus est ira aut dolor. Est ergo hæc verborum Christi sententia, vos quidem exædificatis Prophetarum sepulchra, quos Maiores vestri interfecerunt, sed si res æstimetur ex vestris moribus, id facitis vt atrocitatis Maiorum vestrorum, ac crudelitatis memoriam commendetis, nempe eadem facitis quæ illi.

3. in exstructione sepulchrorũ Prophetarum Explicatur locus Matt. 23. 29.

Præterea & illud pertinet ad redarguendam ostentationem Pharisaicam quod Christus iis exprobrat summam quidem diligentiam in conciliandis proselytis, sed iis quos multis partibus deteriores quàm ipsi fuerunt, reddebant. Quo loco nobis est explicandum qui fuerint quos Judæi προσηλύτους vocabant, tum quid hoc sit quod in hac Pharisæorum diligentia Christus maximè reprehendit. Proselyti sunt quos Hebræi גרים vocabant, *Inquilini* in terra promissionis quam Deus populo suo singulari munere largitus est. Postea etiam illi *Proselyti* vocabantur, qui etiamsi nullum haberent domicilium in terra Israelis, tamen Judaicam Religionem cùm essent exteri profitebantur: προσήλυτοι quasi προσεληλυθότες qui *accesserant* ad Religionem Judaicam: ποιῆσαι verò προσήλυτον vno verbo dicitur à Judæis גיר, & qui fit proselytus נתגור. Est igitur גיר προσηλυτεύειν quomodo Matth. 28. 19. μαθητεύειν dicitur pro ποιῆσαι μαθητὰς, *facere discipulum*, locutio est hebraica, nam תלמיד heb. discipulus est, vnde formant

4. in studio conciliandi Proselytos.

Qui sint Proselyti.

verbum תלמד μαθητεύειν, neque verò (quod putauit doctissimus Interpres) singulare aliquid verbo illo μαθητεύειν designatur, quin simpliciter μαθητεύειν est διδάσκειν *docere*, sed docere ea quæ pertinent ad Religionem, vnde Christiani primitùs *discipuli* vocabantur, more Judæorum qui eos omnes qui singularem in modum Religionis studio incumbebant Doctore præeunte, תלמידים *Discipulos* vocabant. Sed in Ecclesia Christiana proselyti nomen ideò non est vsurpatum, propterea quòd vocatio Gentium non erat extraordinaria, sed ordinaria: Itaque Gentes vocatæ non habebantur pro proselytis, quin tum fuit vna eademque Ecclesia Judæorum & Gentium. Ante illa tempora diuersa fuit ratio vocationis, nam quicunque è Gentibus ad Judæos transibant, id faciebant veluti extra ordinem, nondum enim venerat tempus vocationis Gentium: Attamen recens conuersos è gentibus ad Christianismum νεοφύτους vocabant, nomine cuius vsus præcedente tempore nullus erat. Fiebat autem ista admissio προσηλύτων in Ecclesia Judaica, etiam per baptismum, non modò circumcisionem, vti præceperat Dominus, fiunt enim proselyti vt loquuntur במילה, בטבילה, ובקרבן, hoc est, *circumcisione, baptismo & oblatione*; fœminæ baptismo, & oblatione, viri tribus illis.

Quomodo fiebant proselyti.

Christus autem non reprehendit hanc Pharisæorum diligentiam in conciliandis proselytis, sed eorum mentem potius & consilium. Itaque Christi verba non sunt ita intelligenda, ac si seiunctim duo Christus reprehenderet, primò quod Pharisæi tantoperè laborarent in traducendis Gentilibus ad Judaïsmum, deinde quod eos facerent duplo magis reos gehennæ, sed sic reddenda sunt, Væ vobis Pharisæi quod postquam omnem mouistis lapidem, vt vel vnum concilietis Proselytum, miserum illum redditis vel vobis duplo deteriorem. Similis exstat locutio Rom.6.17. *Gratia Dei* (inquit Apostolus) *quod eratis serui peccati, obedivistis verò ex animo &c.* Non fuit hæc mens Apostoli vt primum gratiæ agerentur quod essemus peccatores, deinde quod obediuerimus Euangelio, sensus simplex & obuius est, nempe, Gratiæ Deo quod cùm serui fueritis peccati obedieritis Euangelio: nam pristina nostra conditio quantò magis misera fuit, tantò maius beneficium est quod adepti sumus. Verba tamen Christi agentis (Matth.11.25.) Patri gratias, quòd sapientes & magnos celarit Euangelium, idque paruulis reuelauerit, non sunt ea ratione interpretanda vt nõnulli arbitrantur: nam vtrobique tam in priori, quàm in posteriori membro mentio fit operis quod Deo tribuitur, & quidem operis in quo elucet Dei sapientia, conuenit enim sapientiæ Dei, vt quæ mundi iudicio excelsa & sublimia sunt ea Deo contempta sint, contra quæ Mundus aspernatur ea Deus curet, quod nos docet Paulus disertis verbis 1.Cor.1.25. Fuit autem consilium Pharisæorum non quidem Deo proselytos, sed sibi ac sectæ suæ conciliare. Imò verò tanta tamque operosa fuit hac in parte eorum diligentia, vt discipuli Magistros superarent, atque hoc est quod Christus populari locutione significauit cùm diceret, *duplo magis filios gehennæ quàm vos*, hoc est, multò superstitiosiores, multò confidentiores; Quod in Papatu vsu venire solet, vt qui Pontificiorum Pharisæorum opera ad Christianismum conuertuntur, idololatria Papistica penitus imbuantur, à puritate Religionis multò vehementiùs abhorreant quàm Doctores quorum opera conuersi sunt scilicet.

quo sensu reprehendit Christus Pharisæos quod facerent Proselytos.

Atque hæc sunt quæ visum est nostræ præcipuè de moribus Pharisæorum; quamquàm & hoc obseruare licuisset, quod Josephus monuit lib.18. Antiq. cap.2. Pharisæos λέγοντες ... δίαιταν, quod Epiphanius explicauit fusiùs. Nam lib.1. Panarij (quo loco disputat contra Pharisæos) Pharisæis tribuit quæ Christus nusquam eis obiecit. Primò quod asseribus soliti essent incubare admodum angustè, vt ne grauiori somno comprimerentur; quod si aliquando contingeret, fiebat vt deuoluti solo allidérentur. Tùm glaream etiam substernebant compositurí sese ad quietem, etiam spinas. Jeiunabant autem bis singulis septimanis, nempe Sabbati secunda & quinta, hoc est, die Lunæ & die Jouis. Pontificij retinuerunt ieiunium feriæ quintæ. Alij addunt quartam feriam quę est dies Mercurij. Tum etiam authores sunt quidam, solitos eos vesti qua vtebantur talari stimulos suffigere, vnde fiebat vt inter ambulandum subinde compungerentur, inde sequebatur sanguinis effusio, atque eorum locorum per quæ incedebant, cruentatio. Scriptores Judaici solēt appellare Monachos פרושים & Monachas פרושות, eos scilicet omnes qui austero vitæ genere vtuntur.

Pharisæorum Diæta secundum Epiphanium.

DE ORIGINE PHARISÆORVM.

Exorta est secta Pharisæorum temporibus Demetrianis, annis circiter 109. ante Christum natum, vt colligere est ex Josephi lib.13. Antiqu. cap.9 Simul natæ sunt etiam duæ hæreses, & illæ celeberrimæ, Essenorum & Sadducæorum vt idem Josephus author est. Originis autem occasio hæc videtur fuisse. Cùm Judæa graui tyrannide oppressa iaceret, & pij extrema quæque perpeterentur, concrematis qui reperiri potuerunt sacris codicibus, multi vel apertè defecerunt ad Ethnicismum, multi quibus apertè deficere religio fuit, tamen vt quoquo modo Dominos placarent, sese ad eorum mores & ritus composuerunt: Alij verò, & illi pauci admodum, palàm insuper habitis cruciatibus & doloribus corporis veram Religionem profitebantur, quo nomine חסידים *pij* appellati sunt, nempe non eam solùm ob causam quod sese non contaminarent idololatria & superstitione Ethnica, multi enim id non fecerunt quibus tamen non est tributus titulus חסידים, ij nempe quibus satis fuit delitescere; Vnde factum est vt lib. 1. Machab. cap.2. qui Ἀσιδαῖοι vocantur statim hoc elogio ornantur quod sint ἑκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ, מתנדבים בתורה, nam non continuò qui Legis est obseruans, est etiam ἑκουσιαζόμενος, sed necesse est aliquid amplius accedere, vt nempe id vltro & sponte profiteatur, neque expectet donec ab eo exigatur fidei ratio; Atque hi sunt quos dicunt חסידים non qui simpliciter pij sunt, nam hi dicuntur simpliciter עוסקים בתורה *occupati in Lege*. Illi verò qui sunt מתנדבים ἑκουσιαζόμενοι, aliquid amplius præstant, nempe רבית חתורה ἐπίμετρον siue *auctarium Legis*; quo pertinet quod obseruauit R. Dauid. Kimhi Comment. in Psal.105. ℣.17.ex מדרש hoc esse discrimen inter חסיד & צדיק, quòd, inquit, *Iustus facit ea quæ Lege sunt præscripta*, חסיד *verò amplius aliquid quàm præceptum est.*

Quando cœ erit Pharisæorum secta.

& vnde orta.

Quinam fuerint olim dicti חסידים H. ...

Isti

qui postea dicti sunt *Pharifæi.*

Isti חסידים Ασιδαῖοι posteà *Pharifæi* פרושים appellati sunt, quod singularis ista vitæ fanctimonia à reliqua turba essent segregati, atque vt פרושים vocarentur id videtur dedisse occasionem, quod scriptum est, Psalm.4. כי הפליא יי חסיד לו *quia separauit sibi Dominus* חסיד. חסידים igitur sunt פרושים. Sane Iosephus Ben-Gorion in historia quo loco describit Hyrcani defectionem à Pharifæis, quos vocauit Pharifæos eosdem vocat חסידים. Pharifæi igitur propago quædam fuere priorum illorum חסידים ἐκπαιζόμενοι τῷ νόμῳ. atque ita quæ prius non fuit secta, in sectam tandem rebus pacatis, aut certè paulò quietioribus exiit; vt in Ecclesia Christiana Monachi (vt docet Hieronymus in vita Pauli) primùm fuerunt qui persecutionum metu in loca deserta secessere (non erat id sectæ nomen) nempe Anachoretæ, at postmodum tamen in sectæ nomen euasit, & ordinis cuiusdam hominum, qui certis Legibus communionem inter se colebant. Sed vt fieri consueuit, etiam isti חסידים postquam sectam constituere cœpere in partes diuisi fuerunt, nam qui minus vtebantur seuera disciplina, quique cum populo consuetudinem habebant, neque sese ex humana vita subducebant *Pharifæorum* nomen retinuerunt.

Essæni & חסידים iidem.

Apud reliquos nomen חסיד remansit, vnde & Essæni dicti sunt. Nam חסיד lingua Syriaca est חסי, quoniam verò ח *Cheth* nulla Græca litera exprimi potest, hinc factum vt quod proximum fuit per ψιλὸν Græc. redderetur. Id quod Græcus solemne est, vt verbi gratia, (ne longiùs abeamus) non dicunt χασιδαῖοι, sed Ασιδαῖοι à חסיד. Certè instituto vitæ seueriori Essæni à Pharifæis tantum distinguebantur. Cæterùm quòd essent Traditionum retinentes in eo consentiebant cum Pharifæis, in vno quidem dissentiebant vel maximè, quod libero arbitrio nihil, omnia fato tribuebant. Et erat istorum Essænorum non vnum genus; nam fuerunt qui à conjugio abstinebant, nullo nuptiarum odio quasi conjugium illegitimum putarent, sed (quod Monachi olim faciebant) vt tanto diligentiùs Religioni operam darent, à qua conjugium putabant esse auocamentum. Quod si nullo voto obstricti provt cuique à Deo datum esset, fecissent, in iis laudabile fuisset. Alij verò operam procreandis liberis dabant, alij contemplationi vacabant, alij operi incumbebant, omnes in secessu & à turba semoti: unde factum videtur quod eorum in Euangelica historia nulla mentio facta fuerit; Non enim prodibant in publicum, non docebant plebem, & quæ Christus in Pharifæis reprehendit qui in luce hominum versabantur, qui etiam res tractabant ad communem vitam pertinentes, quibus præcipuè occurrendum erat, etiam ad reliquos Essænos (seu חסידים seu פרושים eos dicas) pertinebant. Certè nomen פרוש generale est, vnde fit vt Gentilium Vestales & Christianorum Moniales Iudæi vocent פרושות.

cur eorum non meminerunt Euangelistæ.

Sadducæorum. 1. origo.

Nam Sadducæi diuersa secta fuere, qui neque חסידים neque פרושים dicti sunt (cùm Pharifæi tamen sint חסידים) Tradunt enim Hebræi Antigonum socerum Simeonis Iusti, qui initio temporum Templi secundi vixit (fuit autem hic Antigonus haud dubiè חסיד seu פרוש, orthodoxus tamen vt videtur) discipulos sic instituisse, *Ne sitis tanquam serui qui Domino seruiunt ea conditione vt accipiant mercedem, sed sitis tanquam serui qui Domino seruiunt ac si non essent accepturi mercedem, & sit metus cœlorum* (hoc est Dei) *super vos.* Unde duo ex eius discipulis quorum alteri nomen fuit צדוק, alteri ביתוס occasionem ceperunt nefarij dogmatis, vt statuerent animam una cum corpore interire, neque vllam esse præter eam quæ obuenit in hac vita bonorum operum mercedem: quasi verò ex eo quod pij viri officium est Deum colere non mercenarij, sed filij animo, sequeretur post hanc vitam nullam esse spem reliquam. Negabant porrò Angelos esse, quod magnus vir Scaliger miratur, præsertim cùm quidem reiectis Propheticis libris & contemptis Traditionibus, quinq; librorum Mosis authoritatem agnouerint, in quibus fit crebra Angelorum mentio. Sed Sadducæi non quidem negauerint esse Angelos, tantum negauerint Angelos spiritus esse immortales, & per se subsistentes, quod si quando vrgeantur prolatis iis locis quibus agitur de Angelorum apparitionibus, respondebunt fortasse fuisse illa spectra, quibus Angelorum nomen tributum est, quòd eorum spectrorum interuentu Deo libitum fuit significare hominibus voluntatem suam, hæc, inquam, responderint, sed frustrà. Etiam קראים dicti sunt, quasi dicas *Scripturarios* quod solis Mosis libris profiterentur se niti.

Sadducæorum error de Angelis

Cæterùm vt ad Essænos redeamus, Philo Iudæus librum scripsit de eorum vita ac moribus, cui titulum fecit περὶ βίου θεωρητικοῦ, quo libro Eusebius & Eusebium secuti plerique Pontificij contendunt describi vitam Monachorum, quos volunt ea tempestate vixisse in Ægypto, cùm Philo statim initio illius libri admoneat lectorem consilij sui, profitetur enim sibi esse in animo qui Essænorum mores sint tradere, tum quæ tribuit Essænis eo libro eiusmodi sunt vt Christianis conuenire nequeant. Hieronymus tamen Eusebium secutus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum meminit Philonis, ac si Christianus fuisset, eò quod libri illius author fuerit: idem tamen Hieronymus lib.2. aduersus Iouin. & Philonis, & Essænorum, & illius libri ita mentionem facit, vt liquidò appareat eum in diuersa sententia fuisse.

Philonis liber de Essenis. Eusebij & Pontificiorum error de eo libro.

Fuere etiam qui *Scribæ* & *Legisperiti* νομικοὶ appellabantur. Sed isti non constituebant sectam peculiarem: nomina videntur hæc fuisse munerum non verò sectæ. Cæterùm quæri solet à viris doctis fuerint-ne iidem Scribæ & νομικοὶ, an verò diuersi, & plerique omnes eosdem fuisse existimant, quod difficile sit horum discrimen ostendere, si nominum habeatur ratio; nam Scribæ Legis erant interpretes, quos Hebræi סופרים vocant, γραμματεῖς Græci, & νομικοὶ haud dubiè legis itidem Interpretes fuere, νομικοὶ dicti ἀπὸ τοῦ νόμου, quomodo γραμματεῖς dicuntur ἀπὸ τῶν γραμμάτων. Certum tamen est Christum Luc.11. Scribas & Pharifæos à Legisperitis distinxisse, nam cùm Pharifæis & Scribis horrendum illud *Væ* denuntiasset, subdit καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαὶ, vbi illud καὶ emphasim habet; præterea cùm increpuisset Scribas & Pharifæos respondit quidam ex Legisperitis, *Magister hæc dicens, nobis etiam facis contumeliam,* vbi notandum est illud *etiam nobis*, quasi diceret, non modò Pharifæis & Scribis, sed nobis etiam, quæ verba nihili forent nisi Legisperiti alij essent, alij Scribæ. Nobis quidem ita videtur, *Scribæ* fuerunt Legis Interpretes, sed qui publicè

Scribæ & νομικοὶ.

diuersi fuerunt.

Quinam fuerint *Scribæ*

in Synagogis Legem interpretabantur, qui fungebantur munere Ecclesiastico, νομικοὶ verò ij videntur fuisse quos Hebræi חכמים *sapientes* vocant, qui Legem quidem interpretabantur, sed in Scholis priuatim: quod videtur posse colligi ex verbis Christi, *Væ vobis Legisperitis, sustulistis enim clauem scientiæ*: Nam olim insigne doctoratus apud Iudæos fuit clauis cum pugillaribus; itaque de quodam R. Samuele scripserunt, eo mortuo (quòd filium non habuerit) clauem eius & pugillares in arca fuisse reconditos, verba eorum sunt נתנו לתחו ופנכסו בארונו מפני שלא זכה לבן. hoc est, *postquam mortuus est posuerunt clauem eius & pugillares eius, eo quòd non habuerit filium.*

quidam vero νομικοί.

DE TENTATIONE QVA PHArisæi Christum aggressi sunt.

Diximus suprà fusiùs de Pharisæis, sequitur vt de eo quod à nobis secundo loco propositum est, tentatione qua Pharisæi Christum circumscribere conati sunt, agamus. Eam narraturus Euangelista vtitur quodam apparatu, *Accesserunt, inquit, ad eum Pharisæi tentantes & dicentes*, vnico verbo res confici potuisse videtur, *Pharisæi Christum tentarunt*; certè illud *dicentes* superuacaneum esse videtur. Sed obseruandum est solemne esse in Scriptura, quoties ea de re mentio facienda est quæ ab aliquo consilio proficiscitur, quæque est magni momenti seu reipsa, seu opinione hominum, vti hoc genere locutionum quæ alioqui redundare in speciem videntur. Itaq; quod *accedere* dicuntur Pharisæi, in eo notatur vt res illis cordi fuerit; non leuiter studio rei quam agebant afficiebantur, quando accessisse eos monet Euangelista. Par ratio est illius locutionis, *tentantes & dicentes*: sic in libro Iobi sæpius dicitur, *Iob assumpsit parabolam, & dixit*, item, *& respondit, & dixit*, quæ locutio crebrò occurrit in Euangeliis: etiam Syrus Interpres quod est in Græco simpliciter *dicit*, vertit *testatur accidit*: Et certè hæc locutio maiorem habet Emphasim, vt liquet, quam si simpliciter dictum foret, vel *tentauit* vel *dixit*: Porrò vt faciliùs intelligamus quæ fuerit huius tētationis ratio quam hoc loco describit Euangelista, videtur esse necesse vt de Tentatione in genere disputemus; nec erit hæc digressio inutilis, tum ad plures Scripturæ locos intelligendos, tum etiam ad definiendas & explicandas grauissimas quæstiones & controuersias in Religione.

Tentatio duplex. 1. propriè dicta.

Tentatio non vno modo dicitur, est enim vel *propriè* dicta tentatio, vel *impropriè*, sed *analogicè* tamen dicta: & *propriè* quidem dicta tentatio est quum fit periculum quid aliquis vel sciat, vel possit, vel iudicet, vel etiam velit. Itaque omnis tentatio ad personas refertur, quod si etiam ad res pertinere videatur, non est rerum tamen quarumlibet, sed earum quibus personæ censentur, quatenus, inquam, personæ sunt, quod genus rerum, docendi causa, licet vocare *res personales*, quales sunt illæ quæ ad naturam præditam ratione propriè pertinent. Nam si velimus experiri an aliquis sit diues, aut corporis robore præditus, ex Scripturæ vsu non possit id dici tentatio, quia robur & diuitiæ non sunt ex eo rerum genere quas *personales* diximus, nã diuitiæ externæ sunt, robur autem corporis ad animum non pertinet. In tentatione igitur propriè dicta tria requiruntur, primùm, consilium tentantis, nempe vt qui tentat hoc spectarit vt sciat vel quid possit, vel quid sciat, vel quid velit, vel quid iudicet qui tentatur. Et in natura creata tentatio potentiæ συμπίπτει vel cum sciētiæ, vel cum iudicij, vel cum voluntatis tentatione: omnis enim potentia, quam *personalem* diximus, creaturæ rationalis quatenus personæ est, refertur ad hæc tria (vt constantia animi, & posse capere ea quæ sunt Dei pertinent ad intellectum) at in Deo res aliter se habet, tentatur enim aliquando Dei potentia ea tentatione quæ neque spectat ad Dei scientiam, neque item ad Dei iudicium, at voluntatem. Itaque secundò requiritur in tentatione propriè dicta vt qui tentat laboret ignorantia; vnde tertium sequitur vt sit anxius & sollicitus de euentu tentationis. Est & aliud quod conuenit tentationi propriè dictæ nempe consilium decipiendi.

in qua tria requiruntur. 1. 2. 3.

2. Impropriè dicta.

Tentatio *impropriè* dicta est qua fit simpliciter vt quod obscurum erat innotescat, seu aliquo consilio hoc fiat, seu nullo, seu id proficiscatur à tentantis ignorantia, seu tentanti quod euenit, quod-ve iam fuit, notissimum erat, seu id fiat cum sollicitudine quadam de euentu, seu sine vlla sollicitudine. Et ratio communicatæ nomēclaturæ est, quod in vtraque tentatione vnum aliquid præstatur quod tentationis propriè dictæ finis est, nempe vt res latens, & abdita innotescat, quocumque tandem modò id fiat. Tentatio igitur *proprie* dicta solummodò vel ab homine, vel à Diabolo, & omninò à sola creatura intellectu prædita proficisci potest. Sed vt res tota plenius intelligatur, considerandum primò tentationem distingui posse, vel ratione tentantium, vel ratione tentatorum; & si tentantium habeatur ratio, tentatio alia diuina est, alia humana, alia diabolica, alia carnis, alia rerum aduersarum: si autem eorum qui tentantur habeatur ratio, vel *Deum*, vel *homines* petit tentatio. Denique Tentatio vel *Bona* est, vel *Mala*.

Tentatio variè distinguitur.

Tentatio diuina multiplex. 1. efficiendo.

Tentatio diuina est ea cuius author est Deus; fit autem, vel *efficiendo*, vel *permittendo*, vel *omittendo*. Et *efficiendo* quidem vel *dicto*, vel *facto*; *dicto* vt cùm Deus Abrahamum dicitur tentasse, atque exegisse vt filium offerret, *facto* verò duobus modis, vel enim *rebus prosperis* & secundis Deus homines tentat (vt Exod. 16. 4. Deus pollicetur fore vt Manna de cœlo plueret, vt nimirum tentet populum suum) vel etiam *aduersis*, vt Deuteronom. 8. 2. (inquit Moses) *vt Deus te affligeret & tentaret*, est ἓν διὰ δυοῖν, hoc est, vt affligendo te tentaret, quemadmodum hoc loco, *tentantes & dicentes*, alterum enim modum rei, alterum consilium significat. *Permittendo* autem Deus tentat, dum habenas laxat Sathanæ & improbis hominibus, id quod nisi Dei permissu nequaquam fieret, vt Deuter. 13. 3. si quis Pseudopropheta studeat populum seducere, profitetur Deus se eo tentare populum suum. Vel *omittendo* simpliciter Deus tentat, dum suspendit veluti actionem, neque id adhibet quod solet aut potest adhibere, sic 2. Paralip. 32. 31. Deus dicitur *tentasse Ezechiam & dereliquisse eum*, vbi obseruandum est ἓν διὰ δυοῖν, sensus enim est, *tentauit Ezechiam derelinquendo eum*. Cæterum tentationi diuinæ in vno tantùm conuenit cum tentatione *propriè* dicta, nempe eo quod tentatione diuina innotescit non quidem Deo, sed hominibus, quod antea latuit. Itaque loco

permittendo. 3. omittendo. qua in re conuenit cum propriè dicta.

loco antea citato Deus dicitur tentaſſe Ezechiam vt notum eſſet quid in animo haberet, in Hebræo eſt לדעת verbum verbo *ad ſciendum*, quod Interpretes referunt ad hominum notitiam, in quibus ſunt & illi ipſi qui tentantur: (quò reſpexit Apoſtolus dum Rom.5.4. *Tribulationem* dicit *operari patientiam, patientiam verò probationem* ſeu *experimentum*, *experimentum verò gignere ſpem*, omninò deſignauit notitiam ſui quam nanciſcuntur fideles dum conſcij ſunt experientia roboris illius ſpiritus quo ſuſtentantur in cruce, nam vt poſt modum dicemus tribulationes eædem tentationes dicuntur in Scriptura) quanquàm ἀνθρωποπαθῶς dictum videri poſsit, vt cùm Deus teſtatur Abrahamo ſe cognouiſſe experiendo animum Abrahami, *nunc*, inquit, *cognoui*, &c. pari figura dicitur quâ Deus pœnitentia duci fertur in Scriptura: figurata porrò hæc locutio ad ſimplicem reuocari poteſt hoc pacto, *nunc cognoui me amari à te*, hoc eſt, tu hoc feciſti quo facto ſi me latuiſſet animus tuus, conſtitiſſet quì tu affectus eſſes erga me: nam profectò duriuſculum videtur iſta verba ſic interpretari vt referantur ad cognitionem hominum, quaſi hic ſenſus eſſet, *nunc cognoui*, hoc eſt, nunc feci vt homines cognoſcerent: id quidem fit (vt iam monuimus) dubium tamen eſt an Deus id voluerit hoc dicto ſignificare. Auguſtinus tamen celeberrimum dictum *Deus vult omnes homines ſeruari* hoc pacto interpretatus eſt, vt Deus id velle dicatur quod efficit vt pij velint: cuius interpretationis duritiem emollire ſtudet inde, quòd, inquit, Deus *cognoſcere* dicatur in Scriptura dum facit vt homines cognoſcant, quidni pari ratione dicatur *velle* ea quæ facit vt velint homines: atque hanc interpretationem contendit Apoſtoli ſcopo quadrare, qui eo loco piis commendat precum ſtudium, argumento ducto à piorum ingenio, in quibus ſic agit Dei ſpiritus vt eos inflammet ſtudio ſalutis omnium omninò hominum. Sed ſi licet ingenuè fateri quod res eſt, etſi quod hac interpretatione ſignificatur verum ſit, parum tamen conuenire videtur locutionibus Scripturæ quod iis hac interpretatione tribuitur. Reliqua diuinæ tentationi minimè conueniunt, tentandi conſilium, ignorantia, ac ſollicitudo, non enim tentandi conſilium habet, neque ignarus eſt, neque ſollicitus qui omniſcius & omnipotens eſt.

quibus in rebus diſcrepet.

Tentatio Diabolica ea eſt cuius author eſt Diabolus, qui ideò πειράζων dicitur in Scriptura, המנסה: & quidem πειράζων tanquam nomine appellatiuo, nam participium nominaſcit. Itaque Latinus Interpres Matth.4.3. rectè vertit *Tentator*, vnde lux quædam affertur ei loco qui eſt 1.Theſſ.3.5. *Ne fortè*, inquit Apoſtolus, *tentauerit vos is qui tentat*, Vbi notandus eſt lapſus Interpr. Latini, nam vertendum erat *Tentator*, videtur enim hæc locutio habere redundantiam, *ne fortè tentauerit vos is qui tentat*, quod Syrus Interpr. cauit, reddidit enim participium ac ſi nomen eſſet. Quemadmodum igitur Diabolus vocatur *Satan*, *Diabolus* κατήγορος (Apoc.12.) ſic *Tentator* etiam dicitur. Porrò שטן eſt ἀντικείμενος, quod Deo & Eccleſiæ aduerſetur, vnde Antichriſtus ἀντικείμενος dicitur: Διάβολος verò & κατήγορος ideò vocatur quod pios apud Deum traducat, cuius rei exemplum eſt in libro Jobi illuſtriſsimum, tamen non ex lingua Græca immediatè, ſed ex Syriaca ad vſum Scripturæ traductum eſt, etenim Syriaca lingua קטגור quidem non quemuis *accuſatorem*, ſed (vt exponit R. Ben-Maimon) המלשין אדם למלך *qui aliquem calumniatur apud Regem*, quique Latinè *delator*, Græcè συκοφάντης dicitur, contrà פרקליט quod forma Emphatica dicitur etiam פרקליטא eſt (interprete eodem Rabbi Ben-Maimon) מליץ טוב על אדם למלך *qui intercedit apud Regem in alicuius gratiam*: vnde factum vt in Scriptura κατήγορον nomen Diabolo tributum ſit, & quidem adiuncta hac eadem notatione nominis, Apocal. 12.10. *proiectus eſt accuſator* (הקטגור κατήγορος) *fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos apud Deum noſtrum* (hoc eſt, Patrem, Regem noſtrum) *die & nocte*. Contra *Paracleti* nomen Chriſto tributum eſt 1.Joh.2.1. *quod ſi quis peccauerit*, παράκλητον *Aduocatum habemus apud Patrem*, in Syro eſt פרקליטא, quod eſt notandum. Idem titulus tribuitur etiam Spiritui Sancto, Joh.14. 16. item dicitur *intercedere pro nobis* Rom.8.26. quanquàm & alia ſubeſt ratio cur Spiritus Sanctus *Paracletus* vocetur, nam פרקליטא eſt Hebraicè המליץ, ſic enim redditur à Syro Interprete: porrò מליץ eſt quicumque loquitur diſtinctè, explicatè, ac tanta cum ſuauitate vt auditorem delectet. Itaque Spiritus Sanctus qui ſemper ſecum affert gaudium & lætitiam פרקליט *Paracletus* ideò dicitur: quo Chriſtus reſpexiſſe videtur præcipuè Joh.14. 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Nulla eſt enim ſincera & pura auditoris voluptas præter eam quæ oritur ex veritate ſimul & dulcedine eorum quæ dicuntur. Sed & videtur Chriſtus *Paracletum* המליץ eo ſenſu dixiſſe quo vſurpatur Geneſ.42. 23. quo loco agitur de Interprete qui interceſsit inter Joſephum & fratres (nempe Joſephus ſimulabat ſe neſcire hebraicè, itaque opus ei fuit Interprete) nam Chriſtus facit hic Spiritum Sanctum interpretem, *Ille*, inquit, *docebit vos, & ſuggeret omnia quæcunque dixero*, planè Interpretem ſignificauit.

Diabolus dicitur. Tentator. Satan. κατήγορος & διάβολος.

cui opponitur παράκλητος. Cur Chriſtus, & Spiritus Sanctus dicatur Paracletus.

Sed vt redeamus vnde digreſſi ſumus, Diabolus idem *tentator* eſt: peragitur autem tentatio Diabolica, vel *intrinſecus*, vel *extrinſecus*, vel coniunctim intrinſecus & extrinſecus. *Intrinſecus* ea ſuggerẽdo quibus animus allici poteſt, cuius generis tentationum meminit Apoſtolus 1 Cor.7.5. *Nolite* (inquit) *vos mutuò defraudare, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi, & iterùm eodem reuertimini, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Quæ ſit autem huius internæ tentationis ratio formalis, (vt loquuntur) ad Phyſicam propriè pertinet explicare, quæ docet quæ ſit motuum animi ratio: nempe phantaſmata menti ſeu animo objiciuntur, phantaſmata autem cum materia coniuncta ſunt; porrò magnam habet vim Satanas in materiam: Itaque vt in ſublimi meteora, ſic in humana phantaſia gignere poteſt phantaſmata, quibus tamen ſi animus rectus eſſet & integer minimè afficeretur; niſi fortaſſe horrore quodam & deteſtatione earum rerum, ad quas conſectandas illa phantaſmata inducere videntur: id quod etiam in hac naturæ prauitate aliquando experimur, vt ſi matris animum ſubeat phantaſmata de cæde vnici filioli & chariſsimi, ſequitur continuò horror; at ſi eadem omnem exuerit humanitatem, & ſic

II. Tentatio Diabolica intrinſeca per ſpeciei Phantaſiæ obiectas.

animo fero & barbaro, pellicitur phantasmate. Hoc pacto Diabolus dicitur *immisisse in cor Iudæ vt traderet Dominum*, qua locutione exprimitur id quod Hebræi dicunt, *dare in cor*, neque enim cùm *immittere in cor* Satanæ tribuitur, significatur simpliciter aliquid in phantasia obiectum menti à Satana, quin simul etiam euentus notatur; quemadmodum & *dare in cor* euentum notat, & assensum cordis. Itaque Deo tribuitur, idque non modo cùm agitur de bono, sed etiam de malo, vt Apocal. 17. dicitur *Deus dedisse in cor Regibus terræ vt regna sua traderent bestiæ*, cæterùm diuersa ratio est, vti infrà exponemus. Tentat verò Diabolus *extrinsecùs* vel visibili specie, vel sine vlla specie visibili, quemadmodum enim Angeli ita pios custodiunt vt specie visibili se præbeant conspiciendos, sæpius tamen & ordinariè Angelorum custodia ab Angelis ita proficiscitur vt nulla species in oculos incurrat, neque verò vllum alium sensum afficiat, sic Diabolus struit homini insidias interdum, ita vt se sensibili specie prodat, interdum verò lateat, & quidem ordinariè & plerumque.

Extrinseca visibili specie.

Quomodo Christum tentauit, contra Cyprianum & alios. eorum rationes.

Illius generis tentationis exemplum habemus in Christo qui à Satana visibili specie tentatus est, quamuis sint qui id negent factum, in quibus fuit Cyprianus, atque vt sic sentiam his se adduci rationibus profitentur. Nam primò non videtur iis conuenire, vt Satanæ permissum fuerit vt corpus Christi ei fuerit obnoxium, atque ita quidem obnoxium, vt corpus sacratissimum transvehere & transportare licuerit, deinde negant sibi fieri verisimile, vt è deserto Christus fuerit translatus Hierosolymam vsque, adeoque in Templi Hierosolym. fastigium, tum negant vllum esse vsum huius translationis, deinde etiam contendunt tentationem Satanæ peractam fuisse in deserto, denique notant commonstrata Christo esse regna mundi & gloriam eorum, idque fieri nequaquam potuisse sensibili specie, maximè cùm Lucas notauerit id factum ἐν στιγμῇ χρόνου, *puncto temporis*: quinetiam; ne torquere Scripturas videantur, obseruant Prophetas, nempe Ezechielem & Ieremiam, dici translatos, cùm tamen non reuera, sed cogitatione, siue phantasia id factum sit.

contrariæ rationes.

Attamen aliter se res habere videtur. Nam cùm Historia Euangelica sit contexta simplicissima narratione, minimeque figurata, quando de re quam vti gestam narrat, agitur, non est credibile rem aliter esse gestam quam quomodo narratur: deinde quorsum attinuisset illa Satanæ tentatio, qua Christum in fastigio Templi constitutum sic aggreditur, *deijce* (inquit) *temet ipsum*, si hæc omnia in nuda phantasia fuissent peracta? Deinde adeò apertè, adeò candidè ista narrantur vt lector nusquam admoneatur visionem fuisse, neque verò ea suspicio possit lectoris animum subire, nisi eò adigatur rei quæ narratur absurditate, quæ hic (vt postmodum ostendemus) nulla est.

Ref. præcedentes rationes.

1\. Nam quod negant conuenire vt Christi corpus Satanæ potestati obnoxium fuerit, nullam habet vim, cùm illi ipsi authores fateantur Christi sensus à Satana fuisse delusos, etiam phantasiam quæ animæ & menti proxima est: certè si videtur indignum Christo vt Satanæ quicquam licuerit in ipsius corpus, multò indignius videbitur vt Satanæ quicquam licuerit in Christi phantasiam, quæ corpore multò est nobilior. Cæterùm possit quis mirari, cùm tota Scriptura deprædicet quousque Christus quod ad corpus attinet sese demiserit, quempiam vereri, si Satanæ in Christi corpus eiusmodi aliquid permissum sit, ne Christo aliquid decedat.

2\. Quod verò non sit illis verisimile Christum è deserto fuisse transuectum Hierosolymam, vel Physica (vt ita loquar) vel Ethica ratione adducuntur, atqui nulla ratione Physica adduci possunt, quia ferri possunt corpora sine interitu, certo tempore, per certum spacium, tametsi momento id fieri non possit: iam verò non docent Euangelistæ id factum momento, aut tempore vsque adeò breui vt illius motus celeritatem non potuerit ferre corpus humanum vita præditum: deinde multa potuit Christus sui tuendi causa, quæ naturæ legibus fieri non possunt, nam certè Christus non est inuitus raptus à Satana non magis quàm proditus à Iuda, & crucifixus à Iudæis.

3\. Iam quod negant vllum esse vsum huius transuectionis, hoc est quod pernegamus, nam & piorum corpora Diabolo obnoxia sunt, quæ autem piis, qui cum hoc tentationum genere conflictantur, maior potest afferri consolatio, quàm si habeant ob oculos exemplum Christi, qui si non est à Satana cæsus, certa quadam ratione id est factum, summa enim & extrema Christi passio, ea debuit esse quæ clausit omnes Christi afflictiones, itaque ne ab hominibus quidem Christus cæsus est, ante illam extremam passionem.

4\. Cæterùm quod negant potuisse fieri vt puncto temporis Satan omnia regna mundi, & eorum gloriam Christo commonstraret, si quod negant velint tueri, oportet negent Christum reuera subvectum in montem, nisi forte dixerint subvectum in montem in visione, atqui vt Christus omnia regna mundi videret in visione nihil opus fuit vt in visione subueheretur in montem, nam quæ fiunt in visione ea sunt eiusmodi, vt si reapse fierent, reapse fieret quod fit in visione: Iam verò fac reapse aliquem subvehi in excelsum montem, non videbit propterea regna mundi & gloriam eorum, propter Horizontem, iam non dico cœli tantum, sed etiam terræ. Atque hoc est quod eos maximè habet sollicitos, & quod effecit vt ad visionem confugerent, non enim videtur quî Christus puncto temporis in monte quantumuis edito constitutus oculis potuerit vsurpare regna mundi, & eorum gloriam. Nobis verò res videtur facilis, fac enim quempiam esse qui velit orbem terrarum designare, profectò (sic fert ingenium humanum) cui velit demonstrare terrarum orbem, eum in editum aliquem locum subducet, & veluti intento digito demonstrabit, &, si ei res sit cùm ingenio acuto, sitque peritus, statim demonstrabit.

5\. Neque verò colligi potest ex historia Euangelica, tentationem hanc peractam in deserto, tametsi clarè doceant tum Matthæus, tum Lucas cœptam esse in deserto: quod verò attulerunt de Prophetis, qui traducti in ea loca dicuntur in quæ corpore non sunt traducti, alienum videtur;

6\. eo enim faciunt vt incurrant in id quod maximè effugere voluerunt, nempe vt ne quid adscribatur Christo quod indignum fuerit illius maiestate, quæ ratio Ethica est, & quæ à nobis proposita fuit, vt eam refelleremus, id quod hoc loco facimus; multo enim indignius Christo videtur vt tam arctam habuerit cum

Christi

Chriſti animo coniunctionem ſpiritus diaboli, quam habuit ſpiritus Propheticus in Prophetis: deinde hæc non ſunt paria, nam hæc dicuntur diſertè contigiſſe Prophetis in viſione, vide Ezech. cap.40. hic verò nulla viſionis mentio fit.

Chriſti tentatio exemplum eſt earum quibus à Diabolo tentamur.

Cæterùm vt hoc obiter moneamus, in hac Chriſti tentatione exemplum habemus omnium tentationum quæ à Satana proficiſcuntur, vel enim (vt infrà fuſius differemus) eo pertinent vt nos adigant in deſperationem, vel vt ſecuros reddant, noſque inflent inani quadam fiducia, vel vt nos vana ſpe alliciant: ad quæ tria Diabolus conatus eſt Chriſtum impellere, ad *deſperationem* dum ei objicit, quòd cùm eſſet filius Dei laboraret fame idem, & nequiret lapides mutare in panes, id quod piis gementibus ſub cruce etiam hodieque ſolet objicere: ad *fiduciam* & *ſecuritatem*, dùm eo Chriſtum impellit, vt ſe velit præcipitem dare de Templi culmine, eò quod Deus ſuorum curam gerat, vt hodie etiam multis piis aliquando venit in mentem (niſi obſiſteret ſpiritus Dei) vt media ſalutis conſequendę velint negligere. Denique ad *vanam ſpem*, & fruſtraneam, dum Chriſto pollicetur omnia mundi regna, id quod penes eum non fuit præſtare; ſic hodieque per ſuos emiſſarios eos tentat, quos magnarum rerum ſpe allicit, ſi aſſentiantur, deludendos.

Locus 2 Cor.12.7. illuſtratur.

Ad hoc genus tentationis, puta qua viſibili ſpecie Diabolus tentat, pertinere videtur illa Pauli tentatio cuius meminit 2. Corinth. 12.6. verba Pauli ſunt, *datus eſt mihi ſtimulus carni meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizat.* Sunt quidam qui arbitrantur Paulum hac locutione notare eam quæ vulgò dicitur concupiſcentiam, ſunt qui aliud vitium quocum conflictatus ſit Paulus deſignari exiſtimēt, ſunt denique qui aduerſarium quendam inſignem, qui Paulo immineret indeſinenter, puta Alexandrum ærarium intelligi volunt, & ſunt denique qui morbum & cruciatum aliquem corporis à Paulo ſtatuunt ſubindicari,

Variæ de eo ſententiæ.

ea tamen ſententia ſimpliciſsima videtur quę ſtatuit Paulum cæſum plagis ab Angelo quodam Satanæ. Porrò non eſt obſcurum in Scriptura *Angelos Satanæ* dici, quos Cacodæmonas vocamus. Paulus enim nullo conſilio hic vſus fuiſſet (vt videtur) Allegoricis locutionibus, cùm narret (certè videatur narrare) rem geſtam. Ait quidem inditum ſibi ſtimulum in carne (quanquam σκόλοψ, vt poſtea dicemus, aliud videatur ſignificare) ſed id explicat quid ſit, *Angelus Satanæ*, inquit, *qui me colaphizet*, more Scripturæ, quod priore loco dixit figuratè, poſteriore nudis & ſignificantibus verbis proponit: deinde (quod maximopere conſiderandum eſt) Paulus reuelationi atque ſuperbiæ, quæ inde naſci potuiſſet (ni prouidiſſet Deus) apponit crucem longè grauiſsimam, quæque potuit tantum demere de faſtu ingenito, quantum addere potuit *illa excellentia reuelationum & magnitudo*, vt ipſe loquitur. Itaque deſcribit hic nobis haud dubiè afflictionis quoddam genus penè intolerandum, quod ideò σκόλοψ vocatur ἐν τῇ σαρκί. Eſt autem σκόλοψ *aſſula*, vel etiam quicquid acuminatum humano corpori infigitur, vnde naſcitur acutiſsimus dolor; etiam σκόλοψ σταυρὸς, non quilibet tamen σταυρὸς, ſed quo damnatorum corpora transfigebantur.

Omnium ſimpliciſſima.

σκόλοψ quid ſit.

Refelluntur aliæ ſententiæ.

Atque in hoc genere neque corporis morbum, nec item Aduerſariorum calumnias numerari decet, multo minus concupiſcentiam, aut aliud vitium vllum, nam vitium vitio non curatur; Hoc primum. Tum concupiſcentiæ non fuit obnoxius, hoc eſt, conflictatus Paulus; ſuperbiam verò Pauli curatam fuiſſe ſuperbia non eſt credibile: denique gloriatur Paulus verſ.10. in hac infirmitate, itaque non eſt hæc infirmitas vllum vitium: poſtremò, non eſt temerè diſcedendum ab eo quod Scripturæ verba præ ſe ferunt ſtatim, atque (vt loquuntur) prima fronte, oportet ſubeſſe grauem cauſam, quæ hic (vt nobis quidem videtur) nulla poteſt afferri. Etenim ſi eſſet vlla, dignitas Apoſtolici muneris & ſanctitas Pauli ea cauſa foret, at cùm (vt fatentur plerique omnes) tantum permiſſum ſit Diabolo in corpus Chriſti quantum à nobis ſupra demonſtratum eſt, qui mirum videatur licuiſſe Diabolo ſæuire in corpus Pauli? Deinde Iobus vir proculdubiò ſanctiſsimus expertus eſt corpore tenus Diaboli ſæuitiam, vt ne hoc inſolens videatur quod in ſanctorum corpora ſæuiat Diabolus. Quod ſupereſt hæc ita à nobis diſputantur, vt ſi quis repugnet feramus facilè repugnantem, quicquid ſit tamen afflictionem grauiſsimam deſignauit Apoſtolus.

Tentationis Diabolicæ & propriè dictæ conuenientia,

Jàm vt tandem hoc caput abſoluamus, Tentationi Diabolicæ cum tentatione propriè dicta in duobus conuenit, in hoc primum, quod omnis tentatio Diabolica præſupponit (vt loquuntur) ignorantiam, ſolius enim eſt Dei ſcrutari corda: deinde ſollicitudinem de euentu ſecum trahit; in vno non conuenit, quod tentatio propriè dicta pro fine habeat notitiam rei latentis, qua de re Diabolus non eſt ſollicitus, hoc vnum ſtudet, euertere & peſſundare quos tentat. Itaque hæc notitia non eſt, vt loquuntur in Scholis, *terminus*, ſed *ſequela* tentationis Diabolicæ.

diſcrimen.

Tentatio Diabolica per afflictiones a ſe illatas.

Quæ & extrinſecus alio modo peragitur quàm ſpecie viſibili, quem modum ideò non oportet nos prætereire, quòd ſit frequens & ordinarius, nempe cum ita Diabolus tentat extrinſecus vt interuentu earum cauſarum tentet quæ aliò referri poſſunt, ſi res humano iudicio æſtimetur: id verò fit duobus modis, vel *immediatè* cruciatibus corporis, vel *hominum interuentu*, ſeu cruciatu corporis ſeu iactura famæ & bonorum, ſeu etiam commodis huius vitæ inſtituatur tentatio. Porrò commodorum huius vitæ nomine intelligimus voluptates, opes, dignitates, & ſi quæ ſunt eiuſmodi quæ carni adlubeſcunt: Sic Jobum Diabolus tentauit, nempe immediatè in corpore inflictis cruciatibus, non viſibili ſpecie tamen, quia cruciatus illi corporis quos pertulit Jobus aliò referri potuiſſent, nempe ſi hic ſedeat arbitra mens humana, nam eoſdem morbos qui oriuntur à cauſis quas *naturales* vocant, Diabolus & poteſt & ſolet infligere, nam qui procellas excitat in mari, & in aëre, quæ tamen videntur oriri proximè ex cauſis naturalibus, quidni etiam turbet conſtitutionem corporis humani? Verùm tamen cùm id fit non continuò refertur acceptum illud damnum Diabolo, quia fieri poteſt vt nulla hic Diaboli opera interuenerit, at quum cruciatus eiuſmodi eſt vt non poſſit vlli cauſæ naturali tribui, tum demum agnoſcitur Dæmonis opera cruciatum inflictum eſſe, nam boni Angeli non delectantur hominum

vel immediatè.

cruciatu, piorum, inquam, quamquam (vt alibi disputauimus) in malis & impiis nihil prohibet Deum etiam bonorum opera vti. Deinde in eodem Iobo exemplum habemus illius tentationis quæ fit hominum interuentu cùm tamen à Diabolo profecta sit, nam in diripiendis Jobi facultatibus hominum opera Diabolus vsus est, vt ne quis putet si quando in improborum manus incidit sibi potius cum hominibus quàm cum Diabolo tentatore rem esse. Alterius verò generis tentationis diabolicæ, quæ peragitur iis oblatis quæ spectant ad hanc vitam, exempla quotidie occurrunt. Sed & animum hominum interuentu Diabolus tentat iis rationibus quę ad corpus & ad hanc vitam pertinere videntur, vt cùm abutitur operâ seductorum ad homines à Christo abducendos, id quod ei solemne est, quodque Apostolus caueri iubet, vsus argumento ducto à prima Euæ tentatione, quæ peracta est non quidem vllius hominis interuentu, sed tamen veræ doctrinæ deprauatione, & suggillatione: Etenim suasit antiquus ille Serpens Euæ, alio animo à Deo interdictum vt vesceretur fructu arboris vetitæ, quàm quo animo Deus id interdixerat. Hactenus de tentatione Diabolica.

vel mediatè hominum interuentu.

III. *Tentatio humana multiplex.*

Tentatio *humana* est nobis hoc loco quæ ab homine proficiscitur (nam cæteroqui *tentatio humana* Apostolo 1.Cor.10. est quæ non superat vires humanas) ea verò peragitur interdum tacendo, interdum loquendo, interdum agendo, interdum continendo se ab actione, quę distinctiones modorum huius tentationis quorsum spectent, infra liquebit.

IV. *Carnis tentatio à Iacobo descripta.*

Carnis tentatio ea est quam describit Jacobus Epist. Cath. cap.1.13.14. Eam verò describit κατ᾽ ἀφαίρεσιν, & κατὰ θέσιν, *negando* & *affirmando*; *negando* quidem vers.13. nam negat eam esse à Deo: Cùm enim caro & affectus carnis naturales sint, Deus autem naturæ author sit, potuit subire hominum animos, ea esse à Deo quæ à carne & affectu carnis proficiscuntur. At Jacobus id negat primùm argumento ducto à Dei ingenio, qui vt ipse non tentatur, ita etiam neminem tentat, nempe non tentatur vllis affectibus cùm sit purissimus, vnde illi nomen *Sancti Sanctorum* tribuitur, ita etiam neminem impellit ad peccatum, neque author est impuritatis affectuum; neque enim ista impuritas à natura est, cuius author est Deus, sed à naturæ perturbatione & prauitate, cuius Deus tantum abest vt sit author, vt eam execretur: κατὰ θέσιν verò seu *affirmando* vers. 14. describit Jacobus hanc tentationem primum à *causâ*, tum ab *agendi modo* quem vocant: & *causa* quidem est concupiscentia, *agendi modus*, est attractio, quo sensu nempe dicitur *trahit sua quemque voluptas*, & quo sensu Jesus Christus non dubitauit dicere Johan. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum*; Nam quo modo concupiscentia carnis trahimur ad peccandum, eodem modo concupiscentia Spiritus trahimur ad Christum, vtrobique suauitas est quædam & dulcedo, sed illic impura, venenata & exitialis, hîc verò pura, salubris & omnino beata, vnde fit vt Jacobus hanc attractionem *inescationem* dixerit. Sic autem tentamur non quod hæc ipsa concupiscentia non sit peccatum, sed quod ista concupiscentia sollicitamur atque impellimur vt in peccatum vlterius progrediamur; quemadmodum in humano corpore causas morborum vocamus etiam ea quæ ipsæ morbi sunt.

1. κατ᾽ ἀφαίρεσιν.

2. κατὰ θέσιν.

Trahere quid sit.

Itaque omnis tentatio à concupiscentia orta, ipsa peccati rationem habet, neque enim concupiscentia dicitur aut dici debet quilibet affectus naturæ, sed is demum qui peruersus est & præposterus; Id quod tribus modis contingit, vel enim appetitur id quod nulla ratione appeti debeat (vt cùm Adamus concupiuit similis esse Deo, aut cùm quis vxorem proximi concupiscit) vel id fit cùm cupimus quod cupi quidem potest, at simpliciter tamen & absolutè, nullâ adhibitâ conditione, appeti nefas est vt si quis quod alienum est cupiat, id ipsum tamen cupiat etiam cum proximi detrimento, nullius interuentu compensationis; nam non quidem cupit quod cupi nullo modo potest (sic enim nullus commercio esset locus) sed cupit prauè, quod rectè debuit cupere: vel denique id fit dum nec ea cupimus quæ nefas est cupere, nec ea ratione id cupimus qua nefas est id cupere, sed cùm æquo vehementius ea cupimus quæ cupimus, vnde oritur magna seges peccatorum, hinc enim fit vt nos & mundus nobis Deo & vitâ æternâ chariores sint, neque enim vetat Deus vt nobis studeamus, nec vetat itidem vt ea quæ ad hanc vitam spectant amemus, tantùm modum exigit. Vnde liquet omnem actum, etiam primum, concupiscentiæ peccatum esse: id quod breuiter quidem, sed tamen non paucis, neque contemnendis rationibus demonstrabimus. Initio autem hîc monemus concupiscentiam nobis hic esse, quod Jacobus *concupiscentiam* vocat, non est autem (vt adeunti locum statim occurret) concupiscentia Jacobo consilium, sed primus ille motus animi quem consilium nondum est secutum, hoc est (vt ita loquamur) *velleitas* quædam, non autem propriè dicta voluntas, quæ nempe rata est & fixa, quæque si minus re & factis se prodat, factum id est impedimento extrinsecus obiecto, non autem ideò quod ipsa sibi voluntas manum iniecerit, cùm nullus esset obex externus.

Concupiscentiæ prauitas,

in tribus spectatur.

Omnis motus etiam leuissimus concupiscentiæ est peccatum.

Igitur vt hinc ordiamur, vel primus iste animi motus peccatum est, vel simpliciter malum pœnæ, vel bonum, vel neque bonum neque malum; cæterum quod neque bonum neque malum est in se, id omne in ordine (vt loquuntur) bonum aut malum est, prout eo nempe quis benè vel malè vtitur. Atqui concupiscentia non est malum pœnæ simpliciter, nam mali pœnæ Deus author potest statui, mali, inquam, pœnæ simpliciter: fatemur enim & esse quoddam malum pœnæ, quod idem malum culpæ est, cuiusque ideò Deus author esse non potest, nisi permittẽdo (vt post explicabimus) aut omittendo. At Jacobus non vult Deum authorem esse concupiscentiæ. Itaque concupiscentia non est malum simpliciter pœnæ, quod si malum pœnæ non est simpliciter, sequitur vt ita malum pœnæ sit, vt sit malum culpæ, (nisi quis negare velit simpliciter concupiscentiam esse omnino malum pœnæ.) Atqui nullo modo Deus author dicitur concupiscentiæ. Itaque consequens est ut concupiscentia pro malo pœnæ quæ eadem culpa est, quatenus culpa est, habeatur. Sed dicat aliquis, hactenus quidem Deum non esse authorem concupiscentiæ.

Probatur.

I. quia non est malum pœnæ simpliciter.

Obi. Res.

Ergo,

Ergo,inquam, eò rediguntur vt ſtatuant concupiſcentiam eſſe malum pœnæ ſimpliciter, vnde fit vt Deus illius author ſimpliciter ſtatui poſsit. Deinde, omne malum pœnæ eiuſmodi eſt (malum, inquam, pœnæ vt diſtinguitur à malo culpæ) vt dolorem debeat afferre, at non concupiſcentia omnis affert dolorem. Ergo, &c. Tum, ſi malum pœnæ eſt, certè eſt naturale malum pœnæ; ea verò quæ ſunt eiuſmodi in hac vita, ſi nullam habent peccati rationem, ſunt argumentum pietatis & virtutis exercendæ, at concupiſcentia non eſt eiuſmodi, Chriſtus enim non laborauit concupiſcentia. Denique quæ ſunt ſimpliciter mala pœnæ, ea eiuſmodi ſunt vt commiſerationem pariant, non odium & execrationem, at concupiſcentiam oderunt omnes pij & execrantur, imò verò execrantur vt malum non quidem pœnæ, ſed culpæ, teſtis verò eſt ipſa conſcientia ſeu temetipſum, ſeu alium reprehendas. Et certè mali pœnæ ſimpliciter neminem pœnitet, nemo veniam deprecatur, pœnitet autem concupiuiſſe, & Deum oramus vt nobis etiam cum animi motum, qui euanidus videtur, condonet, idque ipſa veluti cogente conſcientia, vnde fit ut eos ſoleamus beatos prædicare qui concupiſcentiæ minimum obnoxij ſunt, non hoc nomine quod ſint minus calamitoſi, ſed iſto potius quod minus mali ſint.

2. quia eſt peccati originis actus ſecundus.

Præterea concupiſcentia eſt peccati originis (vt loquuntur) actus ſecundus, peccatum igitur eſt, habet enim peccatum originale peccati rationem, vt actus primi; quare neceſſe eſt cùm concupiſcentia ſit actus profluens à peccato in actu primo, vt ſit ipſa peccatum quod dicunt *actuale*, nam actus primi dicuntur cum reſpectu ad ſecundum actum, ſeu vitij ſeu virtutis habitus ſint. Unde cap.7. Epiſt. ad Rom. Apoſtolus ait, *peccatum arreptâ occaſione ex Lege genuit in me omnem concupiſcentiam*, deinde concupiſcentia nulla eſt quæ nos non impellat vlteriùs, quo nomine ſi nihil aliud eſſet, peccatũ cenſeri debet, nam quæ (vt loquuntur in Scholis) intentione & productione tantum differunt, ea neceſſe eſt eadem eſſe ſpecie & natura. Itaque cùm intentionem & productionem concupiſcentiæ omnes peccatum eſſe fateantur, & ipſam concupiſcentiam peccatum eſſe neceſſe eſt fateri. Neque verò eſt quod reſpondeant, ſic tolli mediocritatem affectuum, aut verò accenſeri vitiis, nam quod mediocre eſt id ſi intẽdatur aut producatur fit enorme, etenim affectuum mediocritas non dicitur concupiſcentia. Ut ſit finis, concupiſcentiam eſſe peccatum admonet ipſa Philoſophia, quæ virtutem collocauit in affectuum mediocritate. Ergo quicquid eſt citra vel vltra hanc mediocritatem vel infra vel ſupra conſtitutum, id inter vitia numerandum eſt. Huc etiam & illud accedat, quod grauiores Philoſophi concupiſcentiam inter vitia numerarunt, vnde eum demum virum bonum iudicarunt qui oculo irretorto poſsit auri ſplendorem intueri: quare autem *oculo irretorto*? quia dum cor vehementius commouetur, commouentur & perturbantur ſpiritus, vnde pendet motus quo fit vt oculi trepident.

3. quia nos impellit ad precandum.

4. probatur ex Philoſophia.

contraria ratio

Cæterùm quòd qui concupiſcentiam è vitiorum numero exemerunt induxit in errorẽ, illud eſt, quod putarunt eam haud pendere à iudicio & ratione; nam cùm omne peccatum ſit voluntarium, nihil autem voluntarium ſit quod non ſit à iudicio & ratione idem profectum, cùm voluntas ſit appetitus rationalis (vt loquimur in Scholis) iam verò concupiſcentia videtur eſſe ſenſitiuus, ſaltem vt plerumque, non eſt igitur vt videtur voluntarius. Sed hîc reſponſio facilis eſt, non eſt enim concupiſcentia ſimpliciter appetitus ſenſitiuus, ſed appetitus (quamquàm hoc omni concupiſcentiæ non conueniat) ſenſitiuus quidem, ſed qui exceſsit modũ, id quod euenit culpa iudicij & rationis, etenim iudicij & rationis eſt definire & circumſcribere appetitum ſenſitiuum, id quod tum ratio, tum experientia, tum etiam probat authoritas grauiſsimorũ Philoſophorum: quorum enim attineret menti imperium tribuere & iudicio, ſi menti & iudicio nulla eſt poteſtas in appetitus ſenſitiuos? imò ſi ita ſe res haberet nulla eſſet vnio animæ rationalis cũ ſenſitiua, neque poſſet quis inſtitui ad virtutem vllo pacto, certè non aliter quàm belluæ, & bruta animantia. Deinde ipſa experientia docet nos minimè commoueri iis rebus quæ ſenſibus quidem gratæ ſunt, ſi modò notum ſit nobis quàm ſint pernicioſæ, vt verbi gratia, eſto qui impẽſius rebus dulcibus delectetur, idem ſi animo compertum & exploratum habet eſſe quidpiã quod idem dulce eſt & venenatum, auerſabitur continuo. Iam qui virtutum ſedem eſſe voluerunt τὸ ἐπιθυμητικὸν, τὰ πάθη *affectus*, inferiorem animæ partem, haud dubiè agnouerunt in eadem animæ parte vitia ſedem habere. Itaque negarunt affectus in homine eſſe partes ἀλόγους, nempe illud omninò ἄλογον dicitur, quod à ratione in ordinem cogi non poteſt, non modò ipſa facultas irrationalis. Supereſt iam vt alia ratione eos vrgeamus, nam cùm eò redigantur vt agnoſcant concupiſcentiam non eſſe malum pœnæ, neque fateantur eſſe malum culpæ: hoc vnum, inquam, ſupereſt eò vt confugiant, vt dicant concupiſcẽtiam neque bonum eſſe, neque malum: id quod pugnat cum ſenſu communi, vt loquuntur. Imò verò ſi concupiſcentia neque malum eſt pœnæ, neque malum culpæ, neceſſe eſt ſit beneficium diuinum, nam quod ſuauitatem aliquam habet, ſi idem non eſt peccatum, beneficium eſt, nam malum pœnæ ſimpliciter eſſe non poteſt. Cæterùm tentatio carnis cum tentatione propriè dictâ in hoc vno conuenit, quòd ea id quod latebat pateat.

Reſ.

5. Concupiſcentia non eſt quid ἀδιάφορον.

Tentatio *afflictionis* ea eſt quæ per doloris ſenſum peragitur, cuius generis tentationis crebra fit mentio in Scriptura; vnde in Epiſt. ad Hebr. cap.2.17. Apoſtolus fidelium afflictiones *tentationes* non dubitauit appellare, nam afflictos eoſdem *tentatos* dicit; Imo verò & ipſum Chriſtum *afflictionibus tentatum* prædicat, verba Apoſtoli ſunt verſ.17.18. *vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret & fidelis Pontifex apud Deum, ut expiaret delicta populi: eo enim quod paſſus eſt ipſe tentatus, poteſt & iis qui tentantur* (nempe afflictionibus) *auxiliari*, & cap.4.15. eiuſdem Epiſtolæ, *non enim habemus Pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum per omnia iuxta ſimilitudinem, abſque peccato: tentatum* dicit *per omnia* nempe perpeſsionibus & doloribus; illud verò *abſque peccato* duobus modis accipi poteſt, vel vt χωρὶς *abſque* exceptionẽ notet, vt ſit ſenſus, Chriſtum omnia genera tentationum expertum, præter tentationem carnis, quæ (vti ſuprà demonſtrauimus) eadem peccatum eſt. Atque ita hunc

Tentatio *Afflictionũ* & Crucis.

explicatur locus Heb. 4.15.

locum interpretatus est Syrus Interpres, nam illud χωρὶς ἁμαρτίας reddidit בר מן חטיתא *seorsum à peccato*, hoc est, excepto peccato: quâ significatione particula χωρὶς non semel occurrit, vt Mat. 15.38. χωρὶς γυναικῶν *exceptis fœminis*, & 2.Corinth. 11.28. χωρὶς τῶν παρεκτὸς *exceptis reliquis*. Vel etiam χωρὶς eo loco significat *sine*, quomodo doctissimus Interpres eam vocem interpretatur, vt sit hæc sententia, Christus in omnibus tentatus est pari ratione ac nos, sine peccato tamen, nam in hac carnis infirmitate vix accidit vt afflictionibus tentemur sine peccato: etsi enim non superet afflictio & vincat, facit tamen primo statim impetu vt cedamus, & etsi non prosternamur, attamen subsidamus, & succumbamus veluti: Tentationes ab afflictionibus profectæ quas Christus expertus est, non fuerunt eiusmodi. Christus enim ne minimum quidē cessit loco: contra id ipsum nobis vsu venit quod iis qui luctantur, etsi enim non continuò affigātur solo, neque vero prorsus cadant, vacillant tamen & titubant. Atque hæc interpretatio (quamuis & prior commodum habet sensum) eo iuuatur quod postquam Apostolus dixit κατὰ πάντα, addidit καθ' ὁμοιότητα, *in omnibus & pari ratione*, Afflictiones enim & tentationes Christi huius generis duobus modis conferri possunt cum nostris, primò in *materia* (vt ita loquar) vt Christus in eadem incurrerit quæ nos, deinde in *vi* & *efficacia*, vt quemadmodum nos afficimur dolore, quoties hæc vel illa objiciuntur, Christus pariter acrem senserit dolorem; prius illud Apostolus significauit dicto κατὰ πάντα, posterius significasse videtur dicto καθ' ὁμοιότητα *iuxta similitudinem*. Jam verò quia vis afflictionum nō modò est in doloris sensu, sed etiam in peccato in quod impellimur vi doloris, addendum fuit in hac similitudine afflictionum nostri & Christi, eum modum esse obseruandum vt ne vllam peccati labem Christo adspergamus; Tentatus igitur fuit Christus in omnibus, & quidem, quod ad sensum doloris attinet, eadem ratione qua nos, sine peccato tamen, quod nobis haud contingit si quando cum rebus aduersis confligamur, nam (vtamur hoc exemplo) quantumuis aquam puram & limpidam exagites non fit turbida, at si aquam puram quidem vt videtur, sed in cuius ima parte arena est aut lutum, exagitaueris, continuo quæ visa est pura aqua videtur lutulenta aut certè turbidula. Porrò cùm Christus dicitur tentatus in omnibus, ne putemus Christum speciatim & sigillatim perpessum ea omnia quibus obnoxij sunt miseri mortales, sunt enim infinita, sed hoc accipiendum est (vt loquuntur in Scholis) lata significatione.

Afflictio antonomasticè dicta Tentatio.

Iam adeò verū est esse tentationes quæ oriuntur ab afflictionibus, vt ipsa afflictio *tentatio* antonomasticè vocetur vt 1.Cor.10.13. *tentatio*, inquit Apostolus, *vos non cœpit nisi humana, fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit etiam cum tentatione exitum, vt possitis sufferre: tentatio* eo loco afflictio est. Nam quod vir maximus tentationem hic peccatum interpretatur, videtur pugnare cum verbis Apostoli, qui tolerantiæ hoc loco meminit non enim tolerari peccatum, sed afflictio dicitur: id verò quo videtur permotus vt tentationem hoc loco sic acciperet, non videtur vsque adeò magni momenti, nam (ait) Apostolum reprehendisse ob delictum suprà Corinthios, & grauiter objurgasse, itaque contendit opus fuisse consolatione, vnde scilicet profectum fuit vt eleuarit eorum peccatum quodammodo, atque extenuarit, *tentatio non vos cœpit nisi humana*, hoc est, quod est à vobis patratum profectum est ab infirmitate carnis.

vindicatur locus 1. Cor.10.13.

Nam cur non potius arbitremur Apostolum obuiam ire excusationi quam Corinthij potuerant non sine specie prætexere peccato? quod nempe inter eos versarentur quibus erat aliquid dandum, cùm Christiano nomini vsque adeò essent infensi, vt qui erant leniendi & demulcendi ne oriretur in Ecclesia persecutio: id quod sic diluit Apostolus, Nihil vobis contigit ab Aduersariis religionis Christianæ quod vobis debuerit incutere terrorem; aut verò in posterum incutere debeat, cùm Deus ita suis prospiciat vt ne patiatur eos *tentari*, hoc est, affligi supra vires, quin ferendis magnis malis pares indit animo vires, magnæ calamitates magnæ patientiæ documenta sunt, quam patientiam suis Deus haudquaquam denegat. Atque hunc esse illius loci genuinum sensum, præter id quod de tolerantia nuper attulimus, hortatio quam statim subjungit Apostolus satis arguit. *Itaque*, inquit, *chariss.mi refugite idololatriam*, quid enim est quod impellat Corinthios vt cum Idololatris colant communionem, quàm periculi metus? quod omninò nullum est, si quidem Deus non finit suos ea adire pericula vnde exitus non pateat.

& verus eius sensus exponitur.

quid sit Paulo humana tentatio.

Sed quæri potest hoc loco, quid sit illud *humana tentatio?* profectò *tentatio*, hoc est afflictio, *humana* est ea quæ exacta est ad modum virium humanarum (vulgò *proportionatam* dicimus) vt ea sit *tentatio humana* quæ viribus humanis non est maior: vires autem humanas hic non voco eas quæ ab humanis viribus proficiscuntur, sed quas in hac vita Deus, si quando opus est, hominibus indulget. Imò verò & *tentatio humana* dici possit ea quæ non superat eorum cruciatuum grauitatē quos, cùm agitur de rebus sæculi, non detrectant tolerare ij quorum spes omnis in sæculo est, vt fuerit hæc Apostoli mens, *quid vobis* (ô Corinthij) *grauius contigit in causa Religionis quàm quod hominibus quotidie solet contingere?* Ac si quis requirat huius locutionis rationem, ea certè petenda erit ex vsu Scripturæ, nam verba fœderis quod Deus cum Dauide pepigit hæc sunt, 2.Sam.7.14. *visitabo in virga hominis iniquitates eorum* (In Scriptura frequenter occurrunt eiusmodi locutiones, vt cùm *hominis esse* dicuntur ea quæ sunt accommodata ad vires humanas; sic Esa.8. *Scribe stilo hominis*, hoc est, stilo quo litteræ sic exprimantur vt ab homine quod scribitur legi possit: contra quæ sunt excelsa, quæque rapiunt in admirationem ea *Dei esse* dicuntur, vt quum Scriptura quosdam montes vocat *montes Dei*, item cùm Moses dicitur *pulcher à Deo*, hoc est, insignem in modum pulcher, eodemque pertinet quod 1.Corinth.13.1. Apostolus dixit, *si linguis Angelorum loquerer*, nam & Angeli אלהים *Dij* dicuntur in Scriptura) *gratia autem mea non recedet ab iis*: Deus enim aliter cum reprobis, aliter cum suis agit, nam reprobos ita domat vt frangat & conterat, suos verò castigat, sed hoc adhibito temperamento vt ne victi acerbitate castigationis pereant. Cæterùm afflictiones *tentationes* nominari in Scriptura tametsi minimè constaret (constat tamen) aliunde,

vnde petita hæc locutio.

dè, tamen satis constaret ex Iacob. 1. 12. *omne gaudium existimate fratres cùm in tentationes varias excideritis*, & 1. Pet. 1. 6. *In quo*, inquit, *exultatis, ad tempus tristitia affecti in variis tentationibus*, planè afflictiones notauit.

Cur res prosperæ non dicantur Tentationes.

Etsi autem rebus etiam prosperis tentamur, Scriptura tamen nusquam res prosperas *tentationem* vocat, cuius rei causam fortasse requirat aliquis, idque non absurdè: Ac nobis quidem sic videtur, res aduersæ dolorem afferunt, & vehementiore nos afficiunt sensu quàm res prosperæ quæ voluntatem pariunt, neque enim voluptas tam acri sui sensu mortales afficit, quàm dolor, quod experiundo persentiscimus: cuius rei ratio in promptu est, nam voluptas est accessio quædam rei non necessariæ, dolor est à priuatione illius quod necessarium fuit. Deinde rebus prosperis latet hominum hypocrisis, quemadmodum in area vix fieri possit vt palea à frumento secernatur si sit νηνεμία, at si ingruat ventus continuò dissipatur palea, frumentum non mouetur loco: Unde sapiens dixit, *spem hypocritæ spem esse fallacem, iustum autem sperare in ipsa morte*. Unde fit, (vt hæc tertia ratio sit) quod eos qui rebus aduersis absterrentur, multò lubentius excusemus quàm qui prosperis rebus defecerunt à Deo. Atque has ob causas factum putamus quod non continuò, vt afflictiones *tentationes* dicuntur in Scriptura, sic res prosperæ venerint in communionem huius nomenclaturæ.

Quinam tentari dicantur.

Hactenus de prima distinctione tentationis pro diuersa tentantium ratione, sequitur secunda pro diuersa ratione eorum qui tentantur. Nam hoc pacto distingui potest vel in eam quâ Deus tentatur (in qua specie numeranda est tentatio quâ tentatur Christus) vel in eam quâ tentantur homines. Nam Angelos & Diabolos tentari in Scriptura non legimus, cuius rei ratio non absurdè quæri potest, cùm sit Angelorum & Diabolorum natura huiusmodi, vt sint intellectu præditi, qua natura tentationi obnoxia est. Atque huius rei hæc nobis causa videtur, quòd Angelorum quidem ea conditio est vt firmiter adhæreſcant bono, Diabolorum verò vt firmiter adhæreſcant malo, idque patet, vt nihil hic sit opus tentatione, at hominum natura diuersa est, nam & sibi videntur iusti qui minimè sunt iusti, & inconstantes sunt natura qui iusti sunt. Sed dicat aliquis cùm ita se res habeat, nullum esse locum tentationi quâ tentatur Deus: sed responsio non est difficilis, nam vtcumque Deus in se is sit qui tentari minimè debeat ignorantia tamen humana fit vt Deus tentetur, imò verò Diabolus Christum tentauit, haud dubiè quadam inductus ignorantia.

Deus tentatur.

Tentatio qua Deus tentatur, est qua periculum fit quid Deus *possit*, aut *velit*, aut *sciat*, quod fit duobus modis vel *directè*, vt ita loquar, vel *indirectè*, *directè* vt cùm Israelitæ tentarunt Deum in deserto, testis est Dauid Psalmo 78. *posset-ne* (inquiunt) *Deus aquam nobis sufficere, nobis panem sufficere*, &c. sic etiam tentarunt Ananias & Saphira spiritum Domini, si tamen id referendum est ad tentationem quæ peragitur *directè*, Apostolus enim illis exprobrat hanc tentationem, perinde ac si voluissent experiri, fieri-ne posset vt Spiritus Domini eorum fraudem occultam deprehenderet. Et tentatur *voluntas* Dei quum tentatur Dei patientia, tum enim quæritur & sit periculum, an Deus non sit æquo animo passurus hominum scelera, hoc est, an velit ea punire, vt cùm Malach. 3. 15. pij murmurantes aduersus Deum (quod nonnunquam contingit) aiunt, *impios tentasse Deum & fuisse liberatos*: quamquàm hoc etiam ad tentationem quæ peragitur indirectè referri potest, sed aliquando contingit: vt in alio genere tentetur Dei voluntas, vt cùm experiri volumus quid Deus constituerit vt Esa. 7. 12. *non tentabo*, inquit Achaz, *Dominum*, agitur enim eo loco de signo quod ab Achazo petî Propheta postulauit.

vel directè.

vel indirectè.

Tentatur Deus *indirectè*, quoties id fit quod fieret si esset consilium Dei tentandi; cùm tamen nullum eiusmodi consilium sit: hoc genus tentationis Scholastici *Interpretatiuam* tentationem vocant, propterea quod id quo peragitur hæc tentatio, non potest, si rem ipsam intuearis, aliter accipi quàm si statuas profectum esse ab animo & consilio tentandi; iam verò hæc tentatio est triplex, quotuplex nempe fuit tétatio directa, vel enim tentatur Dei *scientia* indirectè: quò pertinet (quod & suprà monuimus) factum Ananiæ & Saphiræ, qui tentasse dicuntur Spiritum Sanctum, non quod animus illis fuerit explorandi & experiundi an Deus esset conscius occultorum, sed quod eorum factum eiusmodi fuit vt vix aliter potuerit accipi. Secundò tentatur *potentia* Dei indirectè, cùm negliguntur causæ secundæ, quomodo Christus illa Legis verba *non tentabis Deum tuum* interpretatus est. Nam cùm potentia Dei eluceat præcipuè in iis quæ facit Deus sine causarum secundarum interuentu, omnino videtur is periculum facere quantum Deus possit qui negligit causas secundas. Denique tentatur Dei *voluntas* indirectè ab impiis hominibus, qui sceleribus suis videntur experiri sitne Deus arbiter rerum humanarum, an curam vllam gerat mortalium, nam quod ab illis fit eiusmodi est, vt si hoc illis esset consilium (non est autem) maximè ab illis fieret. Hoc sensu accipienda sunt verba Apostoli 1. Cor. 10. 9. *Et ne tentemus*, inquit, *Christum, sicut & eorum nonnulli tentarunt. Ne tentemus*, hoc est, ne irritemus, nam eodem capite diuersis verbis quidem, rem tamen eandem significat, *ne*, inquit, *Christum irritemus, ne prouocemus Christum ad iram*, ℣. 22.

idque tripliciter.

1. eius Scientia.

2. Potentia.

3. Voluntas.

Locus 1. Corint. 10. 9. explicatus & vindicatus.

Cæterum hic locus obiter à nobis explicandus est, nam Doctissimus Interpres existimauit particulam καὶ redundare, quod profectò nemo possit satis mirari, cùm non possit ea detrahi nisi tota sententia mutetur, non enim Apostolus sic simpliciter dissuadet ac dehortatur Corinthios ne Christum tentent, sed eos etiam deterret exemplo Israelitarum in deserto, qui & Christum tentarunt, profectò si simpliciter dixisset *qui Christum tentarunt*, potuisset id durius dictum videri cùm Christus nondum esset natus illo tempore, atque hoc ita emollit Apostolus vt affirmet etiam tum exstitisse Christum. Et certè si hæc particula detrahatur, erit locus obnoxius cauillationi Hæreticorum, qui contendunt sic intelligendum hunc locum, *ne tentemus Christum, quemadmodum eorum nonnulli Deum tentarunt*; Itaque negant ex hoc loco probari posse Christum esse Deum, neque verò illis satisfeceris si respondeas (quod annotauit doctissimus Interpres) in quibusdam exéplaribus legi αὐτὸν non verò καὶ τὸν, nam vt illud taceam, quod non caret periculo in

disputationibus quæ instituuntur aduersus Hæreticos, eleuare fidem codicum, nulla fuerit sententia, *ne tentemus Christum, quemadmodum quidam tentarunt Christum*, præsertim cùm superioribus versibus facta sit mentio Israelitarum. Quod si locus esset coniecturæ, statuendum potius foret vtrumque olim scriptum αὐτὸν & αὐτῶν, sed lapsu temporis alterum in quibusdam codicibus excidisse, alterum hæsisse. At si vis particulæ καὶ spectetur, neque verò habeatur pro redundante, necessariò sic erunt accipienda verba Apostoli ac si vellet (quod sanè vult) Christum tentatum ab Israelitis in deserto, quorsum enim attinuisset dixisse, *quemadmodum, &c.* cùm in prioris membro nulla Dei, sed Christi mentio facta fuerit? certè non modò frigida, sed absurda planè sententia est, *ne tentemus Christum, quemadmodum & eorum nonnulli tentarunt Deum.*

Angelus Israelitarum in deserto dux fuit Christus.

Deinde non est dubitandum quin Apostolus respexerit ad id quod scriptum est Exod.23.21. (quo loco Deus agit de Angelo quem præfecerat ducem Israelitarum in deserto) his verbis, *caue tibi à facie eius* (simpliciter intellige, quandoquidem ille adest inspector, cautè te gere, ne committas quod eius oculis non sit gratum) *audi verba eius, ne irrites eum, non enim parcet tibi, neque remittet tibi peccata, nomen enim meum est in illo*, hoc est, is est per quem tibi adsum, meus Legatus. Omninò hæc sunt eiusmodi vt nulli Angelo creato conuenire possint; sanè Angelus dux Israelitarum idem nomine *Dei* & *Angeli* designatur, vide Exod.14.19.& confer cum eiusdem capitis ℣.24. Neque verò est quod quisquam autumet Angelum eo loco Deum appellari ideo quòd sit Dei legatus, nam etsi legati verbis eorum à quibus missi sunt loquantur, attamen nulla lingua, nullius gentis consuetudine nomine mittentis indigitantur, verbi gratia, nemo est qui Galliarum Regis legatum Regem Galliæ vocet in casu (vt loquuntur) recto, hoc est, ita vt præcedat non sequatur, hoc est, ita vt conueniat non autem negatur: in recto casu, inquam, & obliquo itidem, deinde vt maximè id pati posset consuetudo, & linguarum idiotismus, nullum exstat tam insolentis μεταλήψεως exemplum in Scriptura. Denique cur facta potius fuerit permutatio in certis quibusdam Scripturæ locis, quàm in omnibus, profectò causa dici non potest, si illa μετάληψις sit: verbi gratia, cur Genes.18. vnus ex Angelis duntaxat dicitur יהוה ἐξοχικῶς potiùs quàm reliqui duo? vt finis sit, vnde aliquando fit in Scriptura, vt Angelus se patiatur adorari, aliquando (vt Apoc.22.9.) respuat hunc honorem, nisi statuamus Angelum esse quendam qui idem Deus sit, & cui adeò Dei nomen propriè conueniat?

qui idem est Deus.

Homines tentantur

Homines verò tentantur vel ab aliis hominibus, vt hoc loco Christus à Pharisæis, vel à semetipsis; & quidem à semetipsis duobus modis, vel tentatione quam *carnis* tentationem suprà diximus, vel ea tentatione quam Scriptura *probationem* δοκιμασίαν vocat; cuius tentationis meminit Apostolus 2.Cor.13.5. quo loco hortatur Corinthios vt sese tentent, hoc est periculum sui faciant: & hæc quidem tentatio, quæ *probatio* est, in laude ponitur: quod si quis requirat ad quod genus tentationis sit hæc tentatio referenda, an ad eam quam propriè dictam vocauimus, an verò ad eam quam diximus impropriè dictam tentationem. Respondeo omnino ad propriè dictam

Carnis tentatione.
Probatione.

tentationem pertinere. Porrò vt quo pacto ista tentatio peragatur teneamus, hoc tenendum est primum, homines vt plerumque nescire qui sint, idque ob hanc rationem quod amore sui cæcutiunt: deinde esse certas quasdam notas vnde quis deprehendere possit quis sit, alioqui frustrà hæc tentatio institueretur, vnde fit vt hoc opus tentationis perficiatur collatione notarum atq; applicatione. Quod si cui id mirum videtur cum eadem cæcitas vtrobique idem possit, vnde necesse est rem manere incertam, is consideret habitum latere natura sua, neque prodi nisi actu, orietur igitur ex actus cognitione habitus cognitio. Iam verò non est mirandum si cùm habitus lateat natura sua (vt qui amant fingunt sibi somnia) aliquis putet se esse eum (quod ad habitum attinet) qui non est, at cùm actus ipsos sensus feriat, ne cæcum quidem potest latere. Iam verò harum quas dixi notarum applicatio in hoc sita est, vt quis conetur eas persentiscere actu secundo in se, quæ opinione quadam persuasit sibi inesse actu primo, (vt loquuntur in Scholis) vt verbi gratia, nemo est qui se non arbitretur Christianum, nota hominis Christiani est sensus Spiritus Christi consolantis & sanctificantis animam, si quis igitur scire velit an sit habitu Christianus, cùm sciat hanc esse notam hominis Christiani, necesse est experiatur an persentiscat actum secundum, nempe consolationem & sanctitatem non iam in habitu, sed in ipso (vt dixi) actu: vnde deducitur hoc porisma, certò posse vnumquemque scire sit-ne verè Christianus, alioqui frustra institueretur hæc tentatio, non autem instituitur frustrà, cùm non præcipiatur frustrà, non autem frustrà præcipitur cùm ab Apostolo præcipiatur, idque isto fine.

Quomodo hæc tentatio instituatur.

Obiect.

Resp.

Quomodo quis certò sciat se esse verè Christianum.

Hactenus Tentationem distinximus pro diuersa tentantium, item pro diuersa eorum qui tentantur ratione, sequitur altera diuisio, tentatio alia *bona* est, alia *mala*: In bona tentatione requiritur primò, vt qui tentat tentandi ius habeat. Secundò, vt qui tentat iustum habeat finem. Tertiò, vt ratione legitima instituatur tentatio. Ius tentandi oritur ex tribus hisce conditionibus quas concurrere nihil necesse est. Prima conditio est, vt qui tentat sit potestate superior. Secunda si minus sit potestate, hoc est authoritate superior vt iustam habeat & idoneam causam dubitandi. Tertia, vt sit id quod dubitat eiusmodi vt sciri id expediat. Tentationis finis tum demum erit iustus si spectet ad Dei gloriam, vel etiam ad vtilitatem proximi, si ab homine proficiscatur: vnde sequitur tentationem bonam, quam diximus, cuius homo sit author, proficisci necessariò ab amore Dei, & proximi studio. Media verò legitima erunt, si fuerint eiusmodi vt neque peccata dici queant, neque illecebræ ad peccandum, quæ conditio adeò necessaria est vt si absit, quamuis qui tentat ius tentandi habeat, finem item, vt videtur, iustum, tentatio tamen mala est & peruersa, nam est ea regula perpetua, non sunt facienda mala vt eueniant bona. Iam videndum est speciatim omnino tentationi diuinæ & humanæ conueniant hæ conditiones, an verò aliqua sit tentatio diuina vel humana cui hæ conditiones non quadrent; Nam de tentatione Diabolica nulla est controuersia.

Tentatio bona.

eius conditiones.

ius tentandi nititur tribus conditionibus.

Ac primum quæri potest quî conueniant

Diuinæ

Diuinæ tentationi hæ quas diximus boniæ te tationes conditiones; Nam Deum auctorem esse tentationis malæ cogitatu, nedum dictu, nefas est. Certè Deus cùm sit supremus mundi rector ius habet tentandi, imo solus ius habet infinitum. Hominum etiam eorum quibus tentare licet, ius certis legibus circumscriptum est, quantum igitur est Dei dominium tantum patet ius quod habet tentandi Deus. Hoc igitur esto positum extra controuersiam, maximè cùm alibi à nobis de Dei dominio & iure fusè disputatum sit. Secunda verò conditio conuenit pariter Diuinæ tentationi, gloria, inquam, Dei, nam cum Deus non habeat proximum, absurdum foret diuinæ tentationi præscribere finem proximi salutem; possumus tamen aliquid analogum huic fini eius loco substituere, *studium creaturæ*, quod nihil necesse est par esse erga omnes creaturas, cùm dispensatio effectorum bonitatis Dei *ad extra* (vt loquuntur) non sit naturæ, sed liberæ voluntatis opus. Gloria autem Dei ex diuina tentatione oritur duobus modis, vel cùm patefit latens creaturæ vitium, vt cùm Deus tentauit Ezechiam 2.Paral.32. qui cœperat iam efferri animo, occulta tamen, & quæ forte vel ipsum Ezechiam latebat, arrogantia, vel cùm prodit vim spiritus sui quæ alioqui latuisset veluti sepulta, nisi tentatione excitata & exercitata sese exercuisset, vt fieret illud, *Virtus mea perficitur in infirmitate*; quomodo nempe Iacobus ait, *fidem perfici operibus*: sic ab Apostolo Martyres *tentari* dicuntur Hebr.11. 37. Tentationis igitur diuinæ, cùm res ita se habeat, finem iustum & sanctum esse oportet. Sed & media diuinæ tentationis legitima sunt, idque liquebit si cogitemus & recolamus animo quæ supra à nobis disputata sunt de ratione tentandi qua vtitur Deus, vel enim *agendo* tentat, vt cùm castigat suos, vel hypocritas etiam (atqui proculdubiò seu suos castiget, seu etiam impios, nihil facit quod vel peccati colorem habeat) vel *permittendo* tentat, cùm sinit Satanam per falsos Prophetas grassari in Ecclesia. Sed neque id peccati rationem habet, neque enim summus mundi rector dum sinit malum fieri, authorest mali, cùm sinere malum fieri aliquando sit sapientiæ & bonitatis; Cuius rei hæc est ratio, quod summæ sapientiæ est moderari & regere non vno modo, sed variis modis, non modò certo quodam ordine, sed & extra ordinem, & ex tenebris lucem, ex confusione & perturbatione ordinem elicere, præsertim si id fiat ab eo qui modum possit rebus præscribere, quique summum habeat ius & imperium: quorum neutrum cum vlli creaturæ conueniat, consequens est vt ne liceat creaturæ malum permittere, & contrà, cùm horum vtrumque Deo conueniat, indidem efficitur vt liceat Deo malum permittere. Denique diximus Deum tentare *non agendo*, id quod Scriptura *derelictionem* vocat, quo modo iam sæpius ex Scriptura docuimus Ezechiam tentari: In quo etiam nihil est, quod ad Deum attinet, quod peccati rationem habeat, potest enim Deus pro arbitrio continere aut exerere vim suam, id quod nulli creaturæ tribui potest ob hanc caussam, quod omnes creaturæ mutua quadam cognatione inter se coniunctæ sint, vnde fit vt altera alterius opem poscat, & iure postulare queat, propter eam nempe quam diximus naturæ communionem: vnde sequitur quandam esse creaturarum mutuam dependentiam, vt ita loquar, quæ in coniunctione creaturæ cum Deo locum habet. Etsi enim creatura dependet à Deo, Deus tamen minimè dependet à creatura, vnde sequitur pari ratione, vt debeat quidem creatura Deo, Deus nihil debeat creaturæ, & vt possit Deus iure agere cum creatura non possit vicissim creatura iure agere cum Deo. Quo referendum est quod scriptum est in Iobi libro, *Ne ipsos quidem Angelos puros esse coram Deo*, hoc est, Deus, si ei liberet etiam ipsos Angelos deserere, ita posset vt impuri euaderent, vel apertiùs, quicquid est in Angelis puritatis, id omne à Deo est, auferat Deus quod suum est, Angeli prodibunt impuri. Itaque ne Angelis quidem licet expostulare cum Deo.

Diuinæ tentationi conueniunt hæ conditiones.

1\.

2\.

3\.

Permissio Dei in malo.

Quod verò Scriptura huius generis tentationem notat verbis actionem significantibus neminem debet perturbare, (vt cùm rogamus Deum *ne nos inducat in tentationem*, haud dubiè vtimur verbo quod actionem notat: sic Ecclesia Esa.63.17. videtur queri à Deo factum vt aberrarit à recta via, *quare*, inquit, *fecisti nos aberrare à viis tuis?* Atqui Iacobus, vti suprà explicatum est, notat disertis verbis *neminem tentari à Deo*, neque verò id fieri posse) nam certum est verba illius formæ esse (vt loquuntur Grammatici Hebræi) Hiphil. Iam verò significatio formæ Hiphil in speciem actio est semper, non est reuera tamen actio continuo, sed permissio aut verò actionis quædam suspensio, vt cùm 2. Sam.8. (si tamen in re clara exemplis vtendum est) dicitur David *Moabitas alios occidisse, alios verò viuificasse*: certe *viuificare* videtur actionem significare, reuera tamen nihil aliud significat eo loco, nisi non occidere. Itaque etsi vetus Interpres non reddidit illam petitionem, *ne nos inducas in tentationem* verbum verbo, ipsius tamen sensum haud malè expressit dum vertit, *ne nos sinas induci in tentationem*, similis locutio est Psal. 66.11. *Induxisti nos* (inquit Ecclesia) *in rete*, hoc est, passus es nos induci, nec verò sine blasphemia intelligi aliter potest locus Esaiæ, quem nuper citauimus.

quæ verbis actionem significantibus designatur.

Sic verbum *indurare* in Scriptura, non significat actionem, sed actionis suspensionem, nam natura cor humanum rigidum est, itaque nulla est opus actione noua vt induretur. Quemadmodum igitur Dauid eos ex Moabitis viuificasse dicitur quibus vitam non ademit, quam (si libuisset modo) facile adimere potuisset, consimili planè ratione Deus eos indurare dicitur quorum duritiem & rigorem, cùm nullo negotio (voluisset modo) emollire potuisset, non emollit. Itaque & hæc [illegible] ratio verbis meram negationem significantibus propriè & sine vlla figura designatur, vt verbi gratia Deuteronom.27.4. *non dedit* (inquit Moses) *vobis Deus cor ad intelligendum, neque verò aures ad audiendum.* Et vt indurationem verbis negantibus significari, vnde etiam efficitur Deum dum indurat non esse peccati authorem. Deinde & id obseruandum est (vt vtamur breuitatis causa vocabulis Scholasticorum) actus voluntatis diuinæ (iuxta modum considerandi nostrum) duobus modis *negatiuus* dici potest, vel vt negatiuus dicatur respectu *proximi termini*, vel vt negatiuus dicatur respectu *sui*. Negatiuus dicitur respectu proximi termini, quum sequitur eum actionis suspensio, negatiuus erit respectu sui, si nulla fuerit planè Dei, (si fas sic loqui) volitio, aut nolitio. Atqui posterius

vt & Induratio.

Quæ sit voluntatis Diuinæ in induratione.

hoc Deo affingere insanire est, blasphemare modò, etenim humanę voluntatis imbecillitati conuenit vt sic se habeat negatiuè, id est, vt neque velit neque nolit, at diuinæ voluntati non potest hoc tribui, cùm enim Deus sit mundi rector, adeòque omnia gubernet, nefas est statuere Deum otiosum rerum spectatorem: dicitur ergo hoc sensu voluntas Dei habere actum negatiuum, quum vult aliquid non agere. Porrò discrimen est sanè magnum inter ista, *non velle agere*, & *velle non agere*, nam altera locutione negatur actus voluntatis, altera affirmatur voluntatis quidem actus, terminus tamen actus statuitur tantum negatiuus. Hinc efficitur posse actus eius generis verbis actionem significantibus notari, quamuis terminus sit negatio, præsertim cùm certo consilio suspendatur actio, quod fit in induratione & tentatione diuina, quæ derelinquendo (vt suprà demonstratum est) peragitur. Sic quoad eius fieri potuit tentationem diuinam à calumnia vindicauimus.

Tentatio quæ Deum petit mala est.

Tentatio humana vel Deum petit vel homines: Deum si petat, mala est, nulla enim bonæ tentationis conditio ei tribui potest, hactenus quidem, nam homo nullum ius habet Deum tentandi, neque enim vel potestate superior est, vel ratio vlla est dubitandi de scientia, de potentia, vel voluntate Dei. Imo verò de his rebus dubitare est peccare grauissimè, nisi tum fortè cùm voluntas Dei nondum reuelata est, quod duobus modis contingere potest, vel cùm agitur de doctrina salutis nondum reuelata, primum licet cohibere animi assensum, iuxta illud *omnia probate*, & *probate spiritus an sint ex Deo*. Sed in hac dubitatione duo tamen hæc tenenda sunt, quorum prius hoc est, vt ne de ipsis principiis & fundamentis dubitebus, secundùm vt ne dubitatio sit à proteruia, & pertinaciam habeat. Itaque laudantur Beroenses, qui doctrinam Pauli ad Scripturæ normam exegerunt; nempe doctrina Pauli eorum respectu qui imbuti erant duntaxat ea cognitione quæ sola obtinuit in Ecclesia ante Christi tempus, conclusionis non principiorum rationem habebat. Deinde contingit hoc aliquando vt liceat dubitare cùm agitur de futuris contingentibus, tum nempe cùm Deus fecit potestatem sui de hoc genere rerum consulendi, vt in Ecclesia Judaica edebat per Prophetas, vel per Vrim & Tummim, & Ephod responsa; exemplorum pleni sunt libri Veteris Testamenti: at cùm Deus hanc potestatem non fecit, sine sacrilegio nemo potest irrumpere in Dei arcana. Atque hoc loco hoc obseruandum est, quùm probatur Dei voluntas ritè & legitimè, Scripturam id non appellare *tentationem Dei*, sed *probationem* potius diuinæ voluntatis; quæ in laude ponitur, cùm Dei tentatio semper ponatur in vitio. Cuius rei hæc ratio esse videtur, quod tentatio Dei ipsam Dei personam petit, & est vel à neglectu, vel à contemptu Diuini numinis, cùm probatio Diuinæ voluntatis possit consistere cum honorifica de Deo opinione. Itaque disertè adiectum est ab Apostolo *probate spiritus an ex Deo sint*: Si enim constet esse ex Deo, nefas erit probare amplius, sic enim ad Deum pertinebit hæc tentatio, exibitque in tentationem ipsius Dei.

quando possit esse eius probatio bona.

1.

2.

aliud est Probare, aliud Tentare Deum.

An Verbum Dei subiectum sit ecclesię iudicio.

Hic locus nos admonet sophismatis, quo Pontificij (qui videri volunt acutiores) vtuntur, vt ostendant non esse nouum & insolens dogma, quo verbum Dei subiecerunt Ecclesiæ iudicio. Sic enim disputant, *Spiritus Prophetarum subjecti sunt Prophetis*, Atqui Esaiæ &c. item Pauli &c. Spiritus est Propheticus, subiectus est igitur Prophetis: Porrò Prophetæ *Ecclesiastici* sunt quos vocant: Sophisma est, non enim eo loco (exstat autem is locus 1.Cor.14.32.) agitur de probatione Spirituum, sed de ordine qui seruandus est in Ecclesia, nam cùm apud Corinthios tumultuariè & confusè, prout quisque Spiritu corripiebatur, institueretur Prophetia, Apostolus monet Prophetas esse Prophetis subiectos, hactenus vt si quis Propheta surgat ad dicendum, reliqui taceant: Atque hanc esse Apostoli sententiam ratio subjecta facilè euincit, addit enim continuò Apostolus, *Deum non esse Deum confusionis, sed ordinis*. Verum enim verò etiamsi eo loco ageretur de probatione Spirituum nihil promouerent, nō enim priusquàm probetur Spiritus, notum est an sit à Deo. Deinde probare an Spiritus sit à Deo, non est iudicij quod *authoritatis* vocent, sed iudicij quod dicunt *discretionis*, inter quæ magnum est discrimen; Nam vt veritas dignoscatur atque percipiatur omninò opus est iudicio discretionis, quî enim sine iudicio possit veritas percipi? Certè iudicium fit cùm statuitur hoc esse verum, illud falsum; Atqui de hoc iudicio non agitur in ea disputatione in qua quæritur, *pendeat-ne authoritas verbi Dei quo ad nos à iudicio Ecclesiæ*, imò verò tum quæritur de iudicio *authoritatis*, quum sic instituitur disputatio. Nam nos fatemur ingenuè verbum Dei discerni (in quo est iudicium) ac distingui à verbo humano ac Diabolico, sed hoc iudicium differt in duobus à iudicio quod Pontificij tribuunt Ecclesiæ; ac primò quidem in hoc, quod hoc, iudicium omnium fidelium est, non est vllius certi ordinis, iuxta illud, *omnia probate, quod bonum est retinete*; Deinde quòd (vt iam diximus) hoc iudicium non est *authoritatis*, sed subiectionis potius, quando nihil aliud est quàm admittere Dei verbum, & repellere quicquid est Dei verbo contrarium, idque percepta ipso animi sensu doctrinæ bonitate, sine quo sensu percipi non potest, vt lucem is non videt qui lucere non nouit nisi testimonio alieno.

locus 1 Cor. 14. 32. explicatus.

Etiam admonet nos hic locus quæstionis quæ solet agitari hinc inde, vnde factum fuerit vt Gedeon Deum tentaret impunè, Zacharias Joannis Baptistæ pater idem non tulerit impunè. At si nihil aliud quæreretur, responsio facilis esset, nam Deus prout est mundi rector, non continuò eadem peccata punit in suis, neque verò ob eadem peccata pariter punit alienos, est enim hoc ei liberum, sed quæri tamen potest, an vterque Gedeon & Zacharias pariter peccauerint? certè videtur, itaque Gedeon veniam deprecatur, quasi peccati sibi conscius, attamen hoc discrimine quod Gedeon agnita infirmitate fidei suæ, postulauit fidei confirmationem, vnde sequitur eum subdubitasse potius quàm dubitasse, haud quaquam verò desperasse, & luctatum fuisse, & vero superasse in Gedeone Spiritum aduersus carnem, & denique Gedeonis tentationem fuisse ab eodem animo à quo fuit illa vox, *Credo Domine, tu tamen succurre incredulitati meæ*. At de Zacharia nihil tale scriptum est, quin videtur aut dubitasse, aut omninò desperasse. Jam verò inter dubitationem & subdubitationem hoc inest

discrimen inter Zachariæ & Gedeonis tentationem.

hoc ineſt diſcriminis, quod qui ſubdubitat in meliorem partem pronior eſt, qui dubitat in ſequiorem.

Tentatio qua homo hominem tentat.

Tentatio humana vt ſit bona, vt ſit mala facilè cognoſcetur ſi alterutrum explicetur (nam vt tentatio diuina, hoc eſt, quà homo Deum tentat mala ſit ratione mediorum & finis, quando nemo ius habet tentandi Deum, tradere ſuperuacaneum foret.) Igitur tentatio humana, (illa, inquam, quâ homo hominem tentat) mala eſt ſi non habet ius tentandi ille qui tentat: non autem habet ius tentandi ſi vel deeſt authoritas, vt ſi quis cùm neque Rector, neque Iudex, neque Magiſter ſit, tamen in modum Rectoris, Iudicis, Magiſtri tentet, in quo genere plerumque peccatur. Atque huius tentationis hæc eſt ratio, vt qui ſic tentatur, non teneatur facere periculum ſui. Deinde tentatio qua homo hominem tentat mala eſt ſi nulla ſit iuſta & idonea dubitandi ratio, vt ſi quis tentet animo explorandi an is qui tentatur probus ſit, ſapiens, animi magnitudine præditus.

mala eſt 1.

An & quouſque alij alios tentare poſſint. Suſpicio quomodo cum charitate non pugnet.

Vnde oritur quæſtio in ſpeciem certè grauis, qui fieri poſſit, vt in hac naturæ peruerſitate, atque infirmitate non ſit iuſta & idonea dubitandi cauſa in hac parte. Deinde videtur Apoſtolus nos a dubitando reuocare, negat enim charitatem eſſe ſuſpicacem 1.Corinth.13.5. quo negato videtur tolli à rebus humanis res planè neceſſaria, exploratio aliorum, quæ non modò inter pares locum habet, ſed etiam inter eos quorum conditio diſpar eſt: vnde crebræ in Scriptura hortationes, vt probemus quæ objiciuntur nobis, tum iubemur quidem *ſimplices eſſe inſtar columbarum*, *attamen prudentes eſſe inſtar ſerpentum.* Quæ videntur pugnare cum charitate (cuius eſt omnia credere) minimè verò pugnant, aliud enim eſt *ſuſpicacem eſſe*, aliud eſt *eſſe credulum*, aliud verò *omnia credere*, nam *ſuſpicacem* eſſe & *credulum* extrema quæ iam ſunt, *omnia* verò *credere* mediocritatem habet. Etenim vt ſit ſuſpicio tria iſta interuenire neceſſe eſt, primò vt qui ſuſpicatur in deteriorem partem pronior ſit, ſecundò, vt quod in deteriorem partem pronior eſt, proficiſcatur ab amore ſui, & odio proximi, aut certè contemptu, vnde ſequitur gaudium quoddam animi, ſi quod verum eſſe ſuſpicio ſuaſit, reapſe verum eſſe compertum eſt. Id quod notauit Apoſtolus 1.Cor.13.6. quo loco ait *charitatem non gaudere iniuſtitia*, *gratulari verò veritati*, hoc eſt, ſi quis deprehenſus eſt reus, charitas non hinc petit lætitiæ, ſed triſtitiæ potius materiam, quod ſi compertum eſt quempiam eſſe innocentem qui ſuſpectus fuit de ſcelere, gaudet charitas. Vbi notandum eſt ἀλήθειαν & ἀδικίαν opponi, nempe ἀλήθειαν *iuſtitiam* ſignificat, & pro iuſtitia ponitur, quemmadmodum *mendacium* pro *iniuſtitia* Rom.3.7. imò verò & capite 1.18. eadem eſt antitheſis *iuſtitia* & *veritatis*; *qui veritatem Dei*, inquit Apoſtolus, *detinent in iniuſtitia*, hoc eſt, qui eam iuſtitiam quam Deus exigit irritam peccato reddunt & inanem. Enimuerò Apoſtolus hoc loco non de quauis veritate, ſed de veritate agit quam *practicam* licet appellare, quæ veritas practica nihil aliud eſt quàm norma iuſtitiæ. Tertiò, vt quis habeatur pro ſuſpiaci requiritur vt nullum habuerit argumentum ſuſpicandi probabile. *Credulitas* verò vitium mentis eſt potius quàm morum, nam is demum credulus eſt qui non iam pronior eſt in meliorem partem, neque tantum in eam propendet, ſed ruit potius ſine conſilio. At qui dicitur ab Apoſtolo *omnia credere*, is eſt qui in meliorem partem pronior eſt, maximè cum nondum habuerit argumentum diuerſum ſuſpicandi. Neque verò hoc prohibet quominus & eos tentet de quibus omnia credit, nempe qui ſic affectus eſt non tentat animo maligno, aut quod putet ineſſe illis quicquam mali quod gaudeat illis ineſſe, aut velit. Itaque qui omnia credit nunquam vtitur tentatione niſi in cauſa graui, cùm res agitur magni momenti, quæ non eſt temerè illius fidei cuius ingenium non ſit tibi notum, committenda; vt ſi quis velit liberos tradere in diſciplinam, explorat qui ſint Pædagogi mores, quodnam ingenium, quis animus, &c. iam vt dixi qui ſic tentant, animo beneuolo tentant, conſcij ſcilicet imbecillitatis humanæ. Vno verbo, *credere* Apoſtolo in hoc genere non idem ſignificat quod in iuſtificationis negotio, diuerſitatis autem hæc eſt ratio, quod *credere* propriè eſt aſſentiri cùm nullum argumentum habeas aſſentiendi ductum à ratione. Iam in rebus humanis oportet illum aſſenſum parum eſſe firmum, quia quæ argumenta eiuſmodi fidem conciliant, ea probabilia tantum ſunt, vnde fit vt aſſenſum oporteat eſſe minus firmum. At in rebus diuinis diuerſiſſima ratio eſt, nam etſi argumenta quibus iſte aſſenſus nititur, non ſint petita à ratione, nituntur tamen firmiſſimo argumento, Dei veritate.

ad ſuſpicionem tria requiruntur.

quid ſit Credulitas.

quid omnia credere.

Credere in genere quid ſit.

Tentatio qua homo hominem tentat vitioſa eſt ratione mediorum, quum qui tentat, ipſe vt tentet peccat; cuius generis tentationis reprehenſio occaſionem præbuit Auguſtino ſcribendi de Mendacio; Cùm enim Priſcillianiſtæ hæreſim ſuam occultarent, neque vllis præter ſectatores ſuos niſi cautè proderent, Catholici vt eos deprehenderent, atque ex latebris extraherent, mentiebantur ſe eſſe Priſcillianiſtas, aut verò iis fauere: quæ res fecit vt Auguſtinus accuratè, & multis argumentis diſputarit, nullo pacto licere mentiri. Huc etiam illud ſpectat, *Non ſunt facienda mala vt eueniant bona.* Sed interdum accidit vt medium tentationis non ſit peccatum in ſe, ſit tamen illecebra ad peccandum, vt ſi quis alicuius tentet pudicitiam, non iam dico ipſo peccandi actu ſed verbo, coniectu oculorum, &c. Sunt quidem illa fortaſſe ἀδιάφορα, quoniam tamen apta nata ſunt ad excitandam concupiſcentiam adhiberi non debent.

3. ratione Mediorū.

Denique ratione finis huius generis tentatio mala eſt, ſi quempiam tentemus animo nocenti: hoc eſt, vel vt pelliciamus ad peccandum, vel vt illi odium, vel inuidiam conflemus, vel iacturam famæ, fortunarum, aut vitæ conciliemus. Ad quod genus pertinet iſta tentatio qua Phariſæi Chriſtum aggreſſi ſunt, non enim diſcendi animo, ſed calumniandi Chriſtum tentarunt. Nam nihil opus eſt monere tentationem in Scriptura ea ſignificatione poni, vt non ipſam tentationem, ſed peccatum, tentationis euentum notet, quomodo 1.Cor.7.5. *ne Diabolus* (inquit) *vos tentet per incontinentiam*, hoc eſt, ne Diabolo tentante peccetis; Et Gal.6.1. *ne & tu tenteris*, hoc eſt, ne tentatus pecces. Antecedens ponitur pro conſequente. Haud multum diuerſa ratione Deus *vocare*, Electi verò *vocari* dicuntur in Scriptura, non tam vt notetur vocatio, quam vocationis efficacia, & non iam dico, euentus, ſed

4. ratione finis.

Tentatio pro peccato aliquando ponitur.

effectum, quo (quod attinet ad agendi modum) vocatio diuina à tentatione distinguitur, nam tentatio omnem mutuatur efficaciam ab illius qui tentatur arbitrio, at vocatio diuina efficaciter flectit, atque mouet arbitrium, ratione tamen conuenienti naturæ liberi arbitrij, quod eiusmodi est vt sequatur ductum intellectus, si igitur intellectu moto mouetur, nulla vis allata est arbitrio, quin leni & suaui, & eius naturæ apto motu inflexum est.

SPECIALIS CONSIDERATIO *tentationis Pharisæorum.*

Explicatio verborum Tentationis.

Sed iam veniamus ad specialem considerationem tentationis quæ Pharisæi Christum tentarunt. Nam primò quidem ipsa verba attentius consideranda sunt, tum res ipsa, denique ratio qua impulsi sunt vt Christum sic tentarent. *Si licet homini*, hoc est, an vlli licet, phrasis est Hebræosyriaca, nam illud *si* Hebraicè אם est, quod Hebræis est interrogatiuum, cùm Græcis εἰ & Latinis *si* interrogatiua particula non sit. Sed & illud *homini* pro *vlli* positum est, alioqui dicendum fuisset, *An licet viro vxorem dimittere*, non enim vxoris *homo*, sed *vir* est: verùm id dictum est ex vsu linguę Syriacæ, etiam Hebraicæ, Hebræi enim & Syri pro *vllum* hominum dicunt, quemadmodum etiam latinè *Nemo* est nec homo. Sic 2. Cor. 12. Paulus profitetur se raptum in paradisum illic audiuisse *quæ non licet homini loqui*, hoc est, quæ nulli licet eloqui. Qui locus à nobis obiter est explicandus. Paulus *paradisum* sedes beatorum vocat, phrasi vsitata ea ætate, & quæ eam ætatem proximè præcesserat in Ecclesia Judaica: פרדס dicunt, Græci verò παράδεισον, quæ vox propriè hortum significat, sed in quo amœnitas potius & voluptas quàm vtilitas quæritur; quod nomen cùm horto Eden, ex quo eiectus fuit Adam, κατ' ἐξοχὴν esset tributum, ἀντονομαστικῶς cœpit etiam adhiberi ad significandum locum illum in quo beata requie, & gloria ineffabili, quibus id datum est per Christum, fruuntur; qui locus & tertium cœlum vocatur, quod sit supra cœlos aspectabiles, atque hoc totum quod nobis inane videtur, quodque *cœlum* nominatur, cùm sit interiectum inter terram & cœlum aspectabile.

locus 2. Cor. 12. 4. explicatus.

ἄῤῥητα Paulo quid sint.

Sed non æquè notum est quid sibi voluerit Paulus cùm dixit se audiuisse ἄῤῥητα, nam Vulg. quidem Interpres illud exposuit *arcana*, & Syrus, *verba quæ non dicuntur*: nunquid hic ἄῤῥητα sunt *quæ dici nequeant*, an verò quæ si dici queant attamen dicere nefas sit? Certè ἄῤῥητον lingua Græca duo tantum significat, quantum nobis obseruare licuit, vel id quod non licet dicere (non licet autem aliquid dicere duas ob causas, vel quia nefandum est, & eiusmodi vt vel auribus admitti, vel ore proferri haud possit sine culpa) vel etiam ἄῤῥητον est quod ideò nefas est dici quod sit arcanum, & eiusmodi vt non debeat euulgari; At vt ἄῤῥητον dicatur quod nulla lingua exprimi vllo modo possit, ægrè impetrari potest ab iis quorum aures Græco idiomati assuetæ sunt. Huc etiam & illud accedit quod Paulus subjicit, *quæ non licet homini loqui*, nam etsi *licet* lingua latina, & ἔξεστιν Græca, non modò *potestatem* quam vocant, & *ius*, sed etiam *potentiam* quam dicunt, significat, tamen hoc infrequentiùs quàm illud hac formula significatur. Deinde (quod magnoperè obseruandum est) in libris Noui Testamenti *licet* semper potestatem significat; itaque nonnisi graui de causa à recepta huius particulæ significatione discedendum est. Attamen Doctissimus Interpres ἄῤῥητον interpretatus est *quod nequit proferri*, & *quod non licet loqui* exponit *quod dici non potest*, hac adductus ratione, quod non est credibile Paulum habuisse vllam rerum diuinarum arcanam notitiam quam nefas esset cum Ecclesia communicare.

An possit esse aliqua rerum diuinarum cognitio quam non liceat propalare.

Certè duplex est notitia rerum diuinarum, saltem cogitari potest animo duplex notitia, altera quæ sit earum rerum quarum notitia toti Ecclesiæ vel necessaria, vel vtilis sit, profectò eiusmodi nullam Paulus habuit notitiam quam cum Ecclesia non communicarit, tametsi certum sit etiam in Ecclesia omnia non esse omnibus cognitu necessaria; imò & hoc confidenter dici potest, quædam nonnullis esse scitu vtilia quæ omnibus & singulis non modò non sunt vtilia, sed & damnosa etiam, vtpotè qui illa nondùm possint capere, nam perinde mens humana afficitur luce cognitionis rerum diuinarum, vt corporis oculus hac luce quæ incurrit in sensum oculorum: nempe si æquo vel imbecillior sit oculus, vel lux clarior hebescit oculi acies. Atque sic planè se res habet in rerum diuinarum reuelatione, tenendus modus est atque habenda ratio captus eorum apud quos res agitur: in quo Christi habemus exemplum, *multa*, inquit, *habeo vobis dicenda, sed nunc non potestis ferre.* Sed & est notitia rerum diuinarum quæ etsi tali viro, qualis fuit Paulus, vtilis sit, tamen non est inuulganda, propterea quod non est datum omnibus esse Paulis, quemadmodum neque rapi in tertium cœlum ea raptus vehemétia vt diiudicari vix possit an fuerit in corpore, an extra corpus: nam certè Paulus id iam non videtur innuere, sed apertè significare sibi contigisse, *siue*, inquit, *in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit*, hoc est, (vt nobis quidem videtur) siue anima in corpore constituta, siue ad tempus seiuncta à corpore & segregata. Quæ sententia stare potest si statuamus animam rationalem, etiam in homine, distinctam esse à sensitiua, quamuis non sit diuersa, quæ summorum Philosophorum opinio fuit. Itaque illa Pauli ecstasis etiamsi (quod nolumus tamen affirmare, maximè cùm ipse Paulus non affirmet) statuatur peracta separatione animæ rationalis quam vocant, tamen mors dicenda non est, quando non secuta est animæ, quam vegetatiuam & sensitiuam vocant, exstinctio, quod in morte propriè dicta contingit.

Pauli raptus an extra corpus fuerit.

Potuit Paulus quædam scire quæ non euulgauit.

Jam vt redeamus eò vnde digressi sumus, habuerit sane Paulus cognitionem quandam rerum diuinarum arcanam, quarundam, inquam, rerum diuinarum, quam cum Ecclesia non communicarit, ac hinc tamen non efficitur vllam Paulum habuisse cognitionem vtilem Ecclesiæ aut necessariam, quam Ecclesiam celarit. Etenim testatur disertis verbis Act. 20. 20. *se nihil subtraxisse vtilium, quominus annunciaret & doceret publicè, & per domos*: certe qui non reticuit vtilia, necessaria non reticuit. Deinde eodem cap. idem Apostolus, *non enim subterfugi*, inquit, *quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis*, vbi obseruandum est illud *omne*, & *consilium*; & inferius, *omnia*, inquit, *ostendi vobis*. Hanc si distinctionem adhibeamus

non erit

neque propterea nobis est metuendum à Pontificiis.

non erit verendum (etiamsi verba Pauli *quæ non licet* de potestate, quam vocant, intelligamus) ne Hæretici inde colligere possint, Paulum non omnia reuelasse quæ quidem fuerint scitu & vtilia & necessaria, tantum enim colligere possint Paulum non omnia promiscuè quæ nouerat, atque indiscriminatim reuelasse, quod nullo periculo concedi potest. Nihil igitur opus erat vt Doctissimus Interpres à recepta verborum & locutionis qua vtitur Paulus significatione, huius metus periculi quod nullum est, discederet. Quanquam hæc à nobis disputantur nō vt negemus prorsus eam esse potuisse Pauli mentem, quam ei tribuit Doctissimus Interpres, tantum monemus nihil esse necesse eò deuenire; maximè cùm hæc sit eorum ratio quæ lingua humana nequit effari, vt possit ea tamen quodammodo effari, si quidem eiusmodi sint quæ capi animo queant: nam subsidit quidem, fateor, immane quantum sermo infra cogitationem de rebus maximis, haud ita tamen vt nullo penitus possint humano sermone res illæ adumbrari, siquidem eiusmodi sint vt mentis humanæ vi capi & comprehendi possint. Jam hęc quæ vidit Paulus percepit animo haud dubiè, esto igitur, ea non potuit effari pro dignitate, at quadantenus potuit describere, non describit autem. Quando igitur ita se res habet, videtur multò facilius esse os hæreticorum hominum obstruere, si demus Paulum hic agere de potestate, non autem de potentia, quam si id omninò negemus. Quod si demus Paulum hic agere de potentia, necesse est intelligamus Pauli verba dicta esse hyperbolicè: porrò hyperbolæ vsitatissimæ sunt in Scriptura, sed hæc responsio hæretico homini fortasse minus satisfecerit, prę-sertim cùm sic verbis Pauli vis quædam videatur afferri, nam (vt suprà monuimus) *licet* in Nouo Testamento nusquam significat aliud quàm potestatem, *non licet* negationem potestatis. Cæterùm si hoc loco significat potestatem, non multum interest vtrum datiuus *homini* connectatur cum verbo *licet* (vt sit sensus, nulli quantumuis sit prędituș magna authoritate, ne Apostolo quidem, qualis ego sum, quæ sunt eiusmodi licet reuelare) an verò cùm verbo *loqui*, vt sit sensus, non licet hæc reuelare vlli.

quæ animo capi possunt ea sermone etiam quadantenus efferri possunt.

γυναῖκα αὐτοῦ.

Licet-ne homini dimittere vxorem suam.] *Vxorem suam* non dicitur sine emphasi, id quod monemus ideo, satis enim videbatur dixisse *vxorem*, quando alienam nemo dimittit sed suam, verūtamen sic videtur dimittenti vxorem acrius peruelli auris, cùm officij sui admonetur. Id quod haud dubiè, quâ erant malignitate animi Pharisæi, de industria ab illis adjectū est, vt si Christus respondisset id licere, tanto maiorem illi inuidiam conflarent. Alia mente Paulus 1.Cor.7.2. *vnumquemque suam vult habere vxorem*: quo in loco (vt id obiter moneamus) *habere vxorem* est debitum vxori reddere, vt c.5. eiusdem Epist. *omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & quidem fornicatio talis, qualis nec inter gentes, ita vt quis vxorem patris sui habeat.*

ἀπολῦσαι.

Ἀπολῦσαι] *dimittere*. Etiam latinè *absoluere* dicitur, vt si quis absolui se petat nihil aliud petit quàm sibi vt liceat discedere. Jam cùm vxor non nisi inuita dimitteretur (nam certè *repudiata* גרושה hoc est *expulsa* dicitur in Scriptura, quamquam & שלוחה *dimissa* etiam dicitur, sed שלח Hebraïcè etiam *inuitum ejicere* significat, non modò *mittere ire volentem*) quæri potest quorsum id LXX. Interpretes verterint ἀπολῦσαι. Ad hoc responderi potest, rem duram aliquando molli verbo significari, vt cùm qui mortuus est eum *vixisse* latinè dicimus, non dicimus esse mortuum: quomodo Achis Psal.33. qui heb. dicitur *eiecisse Dauidem*, græcè tamen dicitur ἀπολῦσαι *absoluisse*, Gall. *despescher*; Deinde dicitur *absolui* mulier cùm dimittitur, quia ea dimissione soluebatur nexu, non enim quandiu viro obnoxia est, mulieri licebat nouo nubere viro: at dimissa ipsa dimissione hoc ius acquirebat, nam quæ antea non erat suis iuris & libera, sic sui iuris reddebatur: *repudium* igitur & ἀπόλυσις *absolutio* haud quaquam pugnant, etiamsi inuitæ & reluctanti repudij libellus obtruderetur.

Expenditur Iosephi consilium de repudianda B. Virgine.

Cæterùm quando huc deuenimus, habet aliquod operæpretium disquirere cuiusmodi fuerit Josephi factum, scribit enim Euangelista Josephū *cùm esset vir iustus, & nollet Mariam traducere, occultè dimisisse eam*: Nam sunt qui existiment non id licuisse Josepho si constitisset contractam fuisse noxam, quàm Josephus suspicabatur, post sponsalia: vt sic sentiant adducuntur eo quod Deus adulterium non vult tolerari, itaque (vt Iosephi factum tueantur) aiunt Iosephum suspicatum (vt sunt bonorum virorum suspiciones proniores in clementiorem partem) beatam virginem grauidam ex conceptu qui sponsalia præcessisset. Sed cum Euangelista rem narret simpliciter, neque iustitiæ Iosephi tribuerit quod hoc fuerit suspicatus, sed quod clam dimiserit Mariam Virginem, nihil opus est vt eo confugiamus. Item aliud Magistratus, aliud subditorum in Repub. officium est, nec verò subditi tenentur (nisi cùm graue aliquod periculum metuendum est) quorum criminum soli conscij sunt ea deferre, præsertim verò in eo genere, at Magistratus diuersa conditio est. Cæterùm Iosephus non fuit Magistratus, quod igitur dicitur Iosephus dimisisse clanculum Mariam, simpliciter accipiendum est: nam (vt postea explicabimus) in legitima dimissione testes requirebantur. Deinde non tam hic de dimissione seu repudio agebatur, quàm de mortis supplicio irrogando iuxta legem, quod ea pœna præcauebatur ne liceret desponsatæ fidē fallere. Verba igitur illa intelligenda sunt de simplici dimissione & clancularia illa quidem. Etsi autem παραδειγματίζειν apud prophanos Scriptores, corporis pœnam, non modò infamiam notat, tamen non quamuis corporis pœnam, sed eam quam sequebatur infamia designat; itaque primò & per se (vt loquuntur) infamiam, secundò pœnam corporis notat; in N.T. item verò infamiam & contemptum notat, id quod colligi potest ex cap.6. vers.6. Epist. ad Hebr. & cap.10. collatione, nam quod altero loco est παραδειγματίζειν, altero loco est ὀνειδίζειν: Et certè παραδειγματίζειν est פרסם quod propriè significat *euulgare*, Gallicè *eschaffauder*. Atque hic obseruandum est, cùm Iosephus *iustus* dicitur, non significari iustitiam commutatiuam, aut distributiuam, sed probitatem, benignitatem, clementiam animi, Gallicè *bonté*.

παραδειγματίζειν. quid sit.

Κατὰ πᾶσαν αἰτίαν] *propter omnem causam*: videri possit dictum insolenter, nam κατὰ certè non significat propriè *propter*, sed *secundum, iuxta*: Deinde *omnis causa* etiam duriùs dictum videri possit, cùm dicendum potius foret, *quaslibet*, vel *singulas*

κατὰ

causas. Quod ad illud κατ' attinet meminerimus hebræas præpositiones על &c. quæ multiplicem habent significationem, ideoque respondent multis præpositionibus in alia lingua, in Nouo Testamento indiscriminatim reddi per quamlibet præpositionem cui in qualibet significatione respondent, vt verbi gratiâ, על significat aliquando κατ', aliquando διὰ, aliquando *iuxta*, aliquando *pro*, quo modo Latinè *propter* idem quod *iuxta* & *pro* significat: Itaque & LXX. Interpr. indiscriminatim seu על significet *propter*, seu significet *iuxta*, id exprimunt per κατ': huius generis locutio est quum εἰς pro ἐν, & ἐν pro εἰς ponitur, quod multoties fit in Scriptura, vt *redempti sumus in sanguine Christi*, hoc est, per sanguinem Christi: quamuis & id dici posit, neque absurdè, κατ' hoc loco significare etiam *iuxta*, vt sit sensus, num statim atq; oboritur aliqua occasio dimittenda est vxor? Ita κατ' retinuerit natiuam significationem; & certè id non videtur alienum (vti postea explicabimus) à mente & consilio Pharisæorum. Cæterùm *omnis causa* hoc loco quælibet causa est, nam in Scriptura, *omnis* non significat semper vnum idemque, ponitur enim interdum pro *vno quoque*, quæ eius primaria significatio est, deinde pro comprehensione atque complexu singulorum, vt verbi gratia, Ephes.4.13. *donec omnes occurramus ad vnitatem fidei*, significatur complexus atque vnio singulorum, sic quum dicimus, *omnes fideles qui sunt aut fuerunt*, *aut erunt constituere corpus Christi*, non intelliguntur singuli fideles seorsim sumpti, sed conjunctim omnes, cuncti, (vt placet nonnullis Grammaticis eam vocem interpretari, quasi diceres *conjuncti.*) Deinde significat *omnis* ex singulis ordinibus, aut verò etiam speciebus certum, vt cùm Christus dicitur sanasse *omnem morbum*, in Schola vocant *genera singulorum, non autem singula generum.* Denique hæc vox *omnis* pro voce *quilibet* ponitur, nempe ita vt significentur singuli, non iam conjunctim, sed disiunctim, inter quæ magnum est discrimen: Nam qui *omnes* conjunctim dicit, singulos complectitur, ita vt oporteat sumi omnes, at qui *quemlibet* dicit (quod hoc loco dicitur) non significat statim omnes esse sumendos, tantum significat non interesse qui sumatur, vt (quod iam diximus) hoc loco quærunt Pharisæi, an quamlibet ob causam liceat vxorē dimittere. *Causa* verò in Scriptura duplicem habet significationem, vel enim *crimen* & *culpam* significat, exempli gratia, titulus crucis Christi ab Euangelista dicitur *causa inscripta*, *causa* eo loco crimen est cuius falsò Christus insimulatus est, quamquàm vera fuit inscriptio: & Pilatus, *nullam* (inquit) *inuenio causam*, h. nullum crimen. Verumtamen quoniam diuortia (vti post docebimus) non semper fiebant ob crimen aut culpam, sed ea de causa quæ calamitatis potius quàm culpæ nomen meretur, præstat vt hic *causam* intelligamus non eam tantum quæ culpam notat, sed *occasionem* etiam. Tenemus igitur mentem Pharisæorum, quærunt num qualibet de causa (quæcunque tandem illa sit) statim atque datur, liceat diuortium facere.

Præpositionum μεταλήψεις frequentes.

πᾶσαν. Variæ vocis *Omnis* acceptiones.

Discrimen inter *omnis* & *quilibet*.

αἰτίαν. *Causa* hic quid significet.

Iam dispiciendum est quo animo id quæsiuerint, quo consilio? Certè vt Christum seu affirmaret licere, seu negaret, caperēt: Etenim si affirmaret & bonorum virorum odium erat aditurus, & sibi ipse contradixisset, docuerat enim (vt cōstat ex Matt.5.32.) id non licere; Et si id negaret, pari in periculo res erat, imò verò multo maiori; nam & legi & consuetudini Iudæorum sic derogasset. Itaque (vt illis quidem videbatur) nullus Christo exitus patebat. Iam quod attinet ad inuidiam apud bonos si Christus affirmasset licere, res erat manifesta, (nam de altero, quod Christus sibi contradixisset, dicere nihil opus est) etenim repudia & diuortia etsi lege permissa tam diuina quàm humana, tamen apud bonos malè audiebant. Itaque Paulus neque in Presbyterorum collegium admitti voluit eum qui diuortium fecerat, 1.Tim.5.9. neque verò in numerum viduarum eam quæ diuortium non iam passa est tantùm, sed si passa est alteri viro nupsit, vel si non est passa, ipsa diuortium fecit, temerè, inquam, quamquàm Lege permissum diuortium fecit, vel Lege permissum matrimonium contraxit.

Pharisæorum consilium de capiendo Christo.

Locus 1 Tim. 5.9. explicatus.

Sed quoniam Pontificij aliud volunt à Paulo iis in locis significari, vindicanda est hæc interpretatio nostra ab eorum calumnia. Nam illi quidem (1.Tim.3.2.) *vnius vxoris virum*, & (1.Tim. 5.9.) *vnius viri vxorem* sic interpretantur, vt sit is *vnius vxoris vir* qui semel duxit vxorem, ea verò *vnius viri vxoris* quæ semel tantum nupsit; Itaque volunt à Paulo in Episcopis & viduis damnari secundas nuptias. Atqui nuptiæ secundæ nulla Lege neque diuina, neque humana habitæ sunt pro vitiosis, imò verò testatur Paulus Rom.7.3. disertis verbis, morte solui matromonium, hoc est, morte fieri vt liceat secundò contrahere matrimonium, nam si aliud vellet Apostolus, nempe mortuo marito vxorem desiisse esse vxorem, ridiculum id foret & absurdum, nam quis hoc neget? Itaque vers.3.3. *viuo marito adultera erit si fit alteri viro* hoc est si nupserit alteri viro, *at si mortuus fuerit vir, soluta est lege, vt ne sit adultera etiamsi alteri viro nubat.* Si in secundis nuptiis vllum esset vitium, profectò Paulus neque verè hæc dixisset, nec quod his dictis petit foret assecutus. Deinde Apostolus meminit vitiorum, aut verò earum rerum quæ vitio affines sunt, at verò secundæ nuptiæ neque vitiosæ sunt, neque verò etiam affines vitio, nisi quomodo & primæ nuptiæ affines vitio dici possint: Nam si quis temerè matrimonium contrahat, vel eo certè peccat, si id non facit temerè, non peccat. Iam secundæ nuptiæ si temerariæ sunt, omnino in iis peccatur, quod si non sint temerariæ, eadem lege qua primæ fiunt legitimè.

Pontificiorum sententia de Monogamia.

Ref.

Secundæ nuptiæ non sunt in vitio.

Sed vt res tota fiat manifesta, tenendum est tres olim fuisse species Polygamiæ. (Cæterùm Polygamia & Digamia idem significant, quemadmodum lingua Hebraica שנים *duo* plures seu plura significat, vt cùm Eccles.4.9. dicitur *duo sunt potiores vno*, hoc est, plures; & Psal.62.12. *Semel locutus est Deus, bis illud audiui*, hoc est, sæpè audiui; & ratio est, quod etsi vbicunque duo sunt non sunt tria, quatuor, &c. tamen vbicumque tria, quatuor &c. sunt, ibi duo sunt, & qui ab vno discedit aut eum in nihil, aut in plura necesse est incurrisse.) Prima species Polygamiæ est ea quæ fuit semper legitima, vt quis posit secundum contrahere matrimonium solutus iure diuino prioris matrimonij vinculo, hæc est illa Polygamia quæ sola non est vitiosa. Secundum genus Polygamiæ est, qua fiebat vt vno eodemque tempore vnus plures haberet vxores, de quo infra nobis erit disserendum fuerit-ne legitima, & si legi-

tres Polygamiæ species.

1. licita.

2. alia.

ſi legitima fuit, quatenus fuerit legitima. Cuius generis, vt nec prioris, non arbitrandum eſt Apoſtolum meminiſſe, nam etſi inter Iudæos & gentes barbaras locum habuit, interdicta tamen fuit Rom. legibus. Sed & fuit Polygamiæ tertium genus legibus permiſſum, ea autem Polygamia fiebat cum repudiata vxore vir alteram duceret vxorem, vel vxor repudiato priore viro, alteri viro nubebat. Porrò permiſſam fuiſſe hanc Polygamiam legibus liquidò conſtat ex Dig. ſt. lib. 24. titulo 2. de Diuortiis & Repud. Nam & fit mentio diuortij quo vir ab vxore, & quo vxor à viro diuertebat, vt interim taceamus nihil occurrere frequentiùs in veterum ſcriptis. Denique ex Marc. 10. 12. patet vxores ſolitas diuortium facere, *ſi* (inquit Christus) *vxor dimittat virum*. Tenemus igitur quid requirat in Epiſcopo Paulus, quid in vidua item idem: requirere Paulum in reliquis Christianis certum eſt, ſed in Epiſcopis tamen id maximè requirit, neq; enim quæcumque honeſta & legitima habentur ab hominibus (cuiuſmodi ſunt illa quæ legibus humanis permittuntur) continuò reuera honeſta & legitima ſunt, non enim humanæ leges ſed diuinæ iuſti & recti regulæ ſunt.

3. permiſſa. legibus humanis.

Cæterùm hic locus nos admonet ut explicemus quod ſequitur apud Paulum 1. Tim. 5. 11. habet enim aliquam difficultatem, verba Apoſtoli ſunt, *iuniores autem viduas ne admittas, poſtquam enim καταστρηνιάσωσι aduerſus Christum, volunt nubere habentes κρίμα, quod primam fidem abnegarunt.* Videtur Paulus probare continentiæ votum, tum etiam improbare ſi voto quis ſe ſoluat, nã quorſum referri queant Apoſtoli verba niſi id ſtatuamus? reprehendit enim apertè, vt videtur, viduas quæ volunt nubere, atque id duplici nomine reprehendit, Primò, quod illa nubendi cupiditas proficiſcatur à laſciuia aduerſus Christum: tum quod eo facto fidem, hoc eſt, votum quo ſe obſtrinxerant priùs, violarunt. Iam verò ſi dicamus Apoſtolum viduas reprehendere non quod nubant, ſed quod ea lege nubant vt Chriſto renuncient, vt abnegent fidem Chriſtianam, videbitur hæc interpretatio admodum dura, nam vno verbo hoc dici potuiſſet, ſi hæc fuiſſet mens Apoſtoli. Deinde, quorſum attinebat meminiſſe illius καταστρηνιάσεως? nam ſi eo nomine luxus & impudicitia ſignificatur, quid prohibebat eas ſcortari clanculum? Metus (inquiunt) cenſuræ Eccleſiaſticæ; Atqui multò grauior cenſura metuenda fuit nubentibus ea lege vt abnegaretur Christus: deinde poteſt clancularia ſcortatio latere, aperta defectio à Christo latere non poteſt. Denique, an non potuerunt nubere Christianis, ſi ſecundæ nuptiæ legitimæ ſunt, neque voto prohiberi poſsint? ut interim illud taceamus, quod tamen magni momenti eſt, non dici viduas *abnegaſſe fidem*, ſed *abnegaſſe primam fidem*, quorſum attinebat adjicere illud *primam*? nam profectò non eſt adjectum otiosè: ſupra enim verſu octauo, *ſi quis* (inquit Paulus) *ſuorum maximè autem domeſticorum curam non gerit, fidem abnegauit*, non dicit *primam fidem*. Quid igitur hic ſtatuendum eſt? dabimus-ne viduas voto ſe obſtrinxiſſe? Minime verò, quid igitur erat? nempe de iis viduis agit Paulus quæ ſe Eccleſiæ miniſterio addixerant, ad ea munia obeunda quæ ſexui conueniunt: iam addictis huic miniſterio nulla alia idonea cauſa fuit defugiendi quod ſuſceperant munus præter conſilium nubendi, poſtquam igitur cœpit diſplicere vel ob laborem, vel etiam ob vilitatem, prætexebatur pigritiæ & faſtui conſilium nubendi. Non reprehendit igitur Apoſtolus viduas quod nubant, nam *iuniores* (inquit) *volo nubere*, ſed quod nubant ita vt nuptias obtendant tantum, ne pateret quod non audebant profiteri vitium, ſegnities ſcilicet & faſtus, id verò eſt quod Apoſtolus reprehendit. Itaque eas accuſat primò καταστρηνιάσεως, deinde quod primam fidem abnegarunt, denique, hoc quicquid eſt κρίμα vocat, non κατάκριμα.

locus 1. Timot. 5. 11 de viduis quæ volunt nubere explicatus

rejicitur communis illius loci interpretatio.

alia commodior affertur.

Hæc ſingula ordine expendenda ſunt, ac primò, quid ſit καταστρηνιᾷν. Στρῆνος *inſolentiam* ſignificat 2. Reg. 19. 28. & Apocal. 18. 7. imo verò hæc eſt genuina vocis græcæ ſignificatio; Iam verò inſolentia duo parit, quorum alterum facit vt laborem refugiamus, hoc pertinet ad ſegnitiem, alterum ut reputemus indignum nobis eſſe laborem, aut ſi nullus ſuſcipitur labor, rem nobis eſſe indignam, unde fit vt qui ita ſunt affecti id prodant in cibis, veſtitu, &c. unde στρηνιᾷν interprete Heſychio eſt ὑβρίζειν καὶ βαρέως φέρειν *contumelioſum eſſe & delicatum*: quod ergo hebraicè dicitur שאננה loco citato, LXX. Interpr. στρῆνος verterunt: porrò שאנן propriè *quieſcere* eſt, ſed quoniam quies & otium inſolentiam hanc quã diximus gignit, hinc fit ut שאננים dicantur *inſolentes, ſuperbi & arrogantes*: ut Pſal. 123. 4. *ſatiata eſt anima noſtra* הלעג השאננים ὀνειδος τοῖς εὐθηνοῦσιν quod mox explicatur per הבוז לגאיונים ἐξουδένωσις τοῖς ὑπερηφάνοις. Καταστρηνιᾷν igitur non eſt tantum *laſciuire* ſed *inſoleſcere, ſeſe efferre cum contemptu*: Itaque Syrus vertit מצריא להם על משיחא. Nam צרא Chaldaicè & Syriacè ſignificat primò *diſrumpere, diſcindere*, unde נצרא eſt *diſrumpi*, quoniam verò quæ ſupra modũ inflantur ea neceſſe eſt crepare, hinc fit vt tumor is & ſuperbia quæ ſe prodit cum contemptu, hac voce ſignificetur: ut Prouerb. 30. 17. quod eſt hebraicè *oculus ſubſannans patrem* עין תלעג לאב hoc eſt, oculus prodens patris contemptum, Chaldaicè vertit עינא דמצריא לאבא Græcè ὀφθαλμὸς ὑβρίζων τὸν πατέρα. Non igitur tam notatur ab Apoſtolo laſciuia viduarum quã faſtidiũ laboris & aſpernatio, ut illis quidẽ videbatur, tam vilis miniſterij, porrò quia quicquid impenditur pauperibus Chriſto impẽditur, quib. illa miniſteria in ſpeciẽ vilia vidẽtur, ij aduerſus Chriſtũ ſeſe efferre verè dici poſſunt.

καταστρηνιᾷν quid ſit.

Iam verò illud ἔχουσαι κρίμα non videtur ſignificare *pœnam* aut *condemnationem*, nam eſt phraſis duriuſcula *habere condemnationem*, quanquã κρίμα ſæpè ponitur pro κατάκριμα. Itaque ſatius videtur ut κρίμα accipiamus pro *culpa*, ſed pro culpa quatenus σχέσιν habet ad pœnam, hoc eſt, pro reatu: quomodo Rom. 5. 16. ex uno (inquit Apoſtolus) eſt τὸ κρίμα εἰς κατάκριμα; abſurdè ſi idem eſſet κρίμα & κατάκριμα. Sed κρίμα ut eo loco ſignificat culpam cum σχέσει ad pœnam, ſic hoc loco pariter peccatum ſignificat quo contrahitur reatus. Atque hoc loco obſeruanda eſt Apoſtoli prudentia, qui cùm meminiſſet verſu præcedenti nuptiarum, ne eas nuptias damnare ſimpliciter videretur, exponit in quo peccatum ſit, nempe non eo quod viduæ nupſerint, ſed quod inſolentiæ & faſtidio ſuo nubendi neceſsitatem prætexerint, quod eo pacto (ut ſupra annotauimus) ratio iuſta & idonea ſe eo munere abdicandi quod obibant, occurrebat.

ἔχουσαι κρίμα.

πρώτη πίστις quid sit.

Deniquè quod vltimo loco ponit Apostolus *primam fidem abnegarunt*, referri potest ad fidem quam Ecclesiæ dederant cùm inter Diaconissas nomen suum profiterentur, quæ *fides prima* dicta videtur ratione fidei quâ se nouo marito obstrinxerunt; fieri enim nequibat vt quæ sui non erat iuris, ea Diaconissæ munere fungi posset, illis (inquam) temporibus. Nam si notasset defectionem à fide Christi, abnegationem, inquam, Religionis Christ. certè πίστιν simpliciter non autem πρώτην πίστιν dixisset, neque enim hic πρώτη πίστις potest accipi vt Apoc.2.4. πρώτη ἀγάπη, nam *prima charitas* dicitur ratione posterioris charitatis, sed quæ deterior fuit, vt constat ex eo loco: Atque ita certè quis posset dici deseruisse primam fidem, quando non iam incrementum sed decremētum cepit fides: At qui fidem (vt loquuntur) totaliter abnegauit, is ex vsu Scripturæ dicitur simpliciter *abnegasse fidem*, vix dici possit *abnegasse primam fidem*. Sed nec vllum moueat quod *fides* hoc loco dicitur ea fides quæ cernitur in promissione præstanda. Nam Matth.23.23. Dominus noster queritur Pharisæos neglexisse iudicium, misericordiam, fidem denique: *Iudicium*, hoc est, non reddidisse cuique ius suum, *misericordiam*, hoc est, quod non fuerint affecti sensu alienæ miseriæ, deniq; πίστιν vocat fidem in pactis & conuentis, vnde πιστὸς δοῦλος dicitur qui quantum ipsius conditio exigit, tantum studuit ex animo persoluere. Atque hæc à nobis disputata sunt, vt ostendamus etiam si Pontificiis detur non agi hic de defectione à fide, frustra tamen eos laborare vt ex hoc loco probent continentiæ votum, cùm in omni promissione necessitas contrahendi matrimonij excipiatur tacita conditione, & Apostolus hic damnat viduas non quod nuberent, sed quod tædio suscepti muneris affectæ, necessitatem nubendi caussarentur, cùm nulla alia honesta ratio occurreret.

Locus hic nihil iuuat Pontificios.

Tentationis à Christo depulsio.

Sed redeamus iam vnde digressi sumus. Hic fuit primus impetus tentationis Pharisæorum: videamus iam vt Christus eum depulerit; *Non legistis, inquit, quod qui fecit ab initio, marem & fœminam fecit eos, & dixit, huius rei causa derelinquet homo patrem & matrem, &c.* Summa responsionis Christi huc redit, qui non sunt duo sed vnus, eorum alterum ab altero diuelli nefas est, atqui maritus & vxor eiusmodi sunt. Ergo, &c. Maior propositio est certissimæ veritatis, enimuerò ea quæ unum faciunt eiusmodi sunt ut habeant partium rationem, iam cùm pars à parte abscinditur, sanè fit aliquid præter naturam, partium enim hæc est ratio vt ex earum vnione dependeat totius salus. Iam Christus tribus argumentis id probat, probat, inquam, Deo authore virum & vxorem partes esse quæ vnam carnem constituant, hoc est, arctissimo inter se vinculo conjungi.

Virum & vxorem vnum esse Christus probat.

1. Primum argumentum inde ductum est, quod Deus initio creauit marem & fœminam. Quod argumentum leuius videri possit (absit blasphemia dicto) nam & belluas Deus creauit mares & fœminas. Cæterùm longè aliter se res habet, nam in creatione belluarum nulla fit mentio maris & fœminæ, in creatione viri & mulieris id fit tantummodò: & ratio est, quia belluarum libidines vagæ sunt, ducuntur enim impetu naturæ: quod si in quodam genere aliter se res habet, factum est id admonendi hominis causa, quomodo sapiens ablegat nos ad formicas. Itaque id ipsum hic accidit quod cùm dicitur Deus *afflasse Adamo spiritum vitæ*, cùm tamen in historia creationis reliquorum animantium quorum Spiritus est à Deo, nulla huius afflationis mentio fit, nempe factum id est vt notetur animæ immortalitas; Ita planè maris & fœminæ mentio expressa est facta, vbi agitur de creatione viri & mulieris ad notandam istam conjunctionem, vt certè res ipsa poscere videtur, nam omnia hic ita comparata sunt, vt in iis qui ratione præditi sunt non promiscua esse omnium, sed duorum duntaxat inter se conjunctio significetur.

2. Secundum argumentum quo Christus vtitur ex eo ductum est, quod viro præscribitur vt adhæreat vxori suæ. Cuius argumenti vim quidam malè feriati homines dum volunt ostentare acumen ingenij, studuerunt eleuare, aiunt enim scriptum esse, *diliges proximum tuum*, neque tamen vllam subesse causam cur inde colligi debeat, colendam esse societatem constanter cum vno aliquo è proximis. Sed multa sunt quæ faciunt vt non debeat videri par ratio, ac primò quidem istud, quod iubetur vir *derelinquere patrem & matrem*, vnde efficitur conjunctionem viri cum vxore summam esse, quando nulla in natura conjunctio arctior est quàm parentum & liberorum: Itaque si conjunctio viri & vxoris hanc ita superat vt illa ei cedat; profectò oportet eam conjunctionem esse multò maximam, porrò summæ conjunctionis hæc est ratio vt sit indiuidua. Hic verò obiter obseruandum est, verba hæc *derelinquet patrem & matrem* à Paraphr. Chald. ita esse versa vt significetur *derelictio cubiculi patris & matris*, nempe veterum & illorum mos fuit non modò virgines, sed & adolescentes etiam continere in cubiculo, propter ætatis illius lubricum; Itaque adolescentes non pernoctabant extra patris cubiculum: certè ob hanc causam עלם, hoc est, *occultus* Hebraicè adolescens dicitur, quemadmodum & virgo עלמה. Non erat igitur quod Pontificij tantoperè vrgerent locum illum qui est 2.Machab.3.16. quo καὶ αἱ κατάκλειστοι *inclusæ virgines* in magna trepidatione dicuntur prodiisse in publicum: (quasi verò apud Iudæos ulli fuissent Nonnæ) nam illud κατάκλειστοι positum est ut Epitheton, non autem ut nota discriminis virginum inter se, quomodo Euripides παρθένον ἐν κατακλείστοις vocat pari de causa. Nā cùm non esset decorum vt virgines vagarentur per plateas, certè ad notandum magnam trepidationem hoc epitheto fuit opus, ut hæc sit sententia, virgines quarum conditio exigebat ut laterent domi, coactæ sunt prodire in publicum. Ipse locus adeatur. Deinde illa verba notanda sunt, *Adharebit vxori suæ*. Nam huius verbi hæc est vis προσκολληθήσεται ut significet arctissimam conjunctionem, nam quid sit κολλᾶσθαι nemini est obscurum. Deinde vox Hebr. quæ hac voce redditur est דבק *adharescere, conglutinari*. דבק autem est *ferrumen, plumbatura, conglutinatio*: adde quod non simpliciter vox ea redditur κολληθήσεται, sed προσκολληθήσεται. Denique Apostolus 1.Corinth.6.17. *qui adhæret Domino*, inquit, *vnus spiritus est*. Nam quod sæpenumerò דבק sic vsurpatur in Scriptura ut non significetur προσκόλλησις, sed *conjunctio* simpliciter, id fit figuratè. Ut finis sit, quemadmodum hæc verba sequuntur, non præcedunt, *sed adharebit vxori suæ*, ea necesse

Virgines κατάκλειστοι quæ sint.

Adhærere vxori notat arctissimā vnionem.

necesse est obtinere eam vim quam sequelæ ratio exigit, atqui præcessit quod Deus fœminam creauit vnicam, idque ex costa exempta ex viri latere, consequens ergo ratio postulat (ista enim dicuntur vt in Scholis loquimur *illatiuè*) ut intelligatur coniunctio duorum. Certè Malach.2. 19. id ipsum significari videtur, *Nonne*, inquit, *vnum fecit* (nempe Deus) *cum esset abundantia Spiritus in eo*. Alludit scilicet Propheta ad hominis creationem quæ perfecta est afflatu spiritûs vitæ; quasi diceret Propheta, potuisset Deus plures simul homines creasse, neque enim deerat illi, quem afflaret etiam multis, spiritus; at verò unum tantùm creauit, nam mulierem ex costa viri efformauit. Itaque mulier in viro condita est, neque vero plures efformauit mulieres, quod tamen procliue fuisset Deo, & facilè æquè atque vnicam ex vnica costa formare. Quorsum vero sic egerit Deus Propheta indicat, *vt esset*, inquit, *semen Dei*, hoc est, excellens semen, nam qui gignunt ex promiscua & vaga libidine, dant ad instar belluarum operam procreandis liberis, itaque eorum soboles, si generationis rationem habeat, non est *semen Dei*, hoc est, soboles Deo dignâ, orta nempe ex nefario concubitu: vnde factum est vt quodam naturæ instinctu, vulgo qui hac conditione nascuntur sint contempti, id quod ad calamitatem potius quàm ad peccatum, si eorum qui nascuntur rationem habeamus, referendum est.

locus Malach.2.13. explicatus.

3. quia duo sunt in carne vna.

Denique inde ducit argumentum Christus, quod dictum est *& erunt duo in vnam carnem*. Certè in Hebr. nulla *duorum* fit mentio, vnius carnis fit mentio. Attamen res ipsa poscit vt duo intelligantur: Etenim neque vnus vir cum pluribus vxoribus, neque vna vxor cum pluribus viris possunt vnum efficere, oportet enim coniunctionem esse arctissimam, non potest autem esse arctissima inter plures quàm sint duo. Id quod facilè intelligi potest, nam arctissima unio est inter duo; quod si aliquando contingit vt vnum multis arctissimè vniatur, hoc ideo fit quia illa multa vnum sunt inter se, vt verbi gratia, Christus arctissimè vnitur cum omnibus fidelibus, sed hoc fit ideòquia omnes fideles unum cor constituunt: itaque non singuli fideles Christi sponsa sunt, si volumus propriè loqui, sed tota Ecclesia, fideles simul sumpti, id quod fieri commodè potest propter unius eiusdemque spiritus communionem; unde & dicuntur corpus Christi, & alij aliorum membra. At in matrimonio id non potest habere locum, nam non omnes simul, sed vnaquæque seorsim vxor est, neque potest maritus omnibus se pariter exhibere, si una plures habeat vxores, unde oriuntur rixæ, contentiones, ut postmodum dicemus.

Mutuum viri & vxoris auxilium spectatur.

Sed nondum explicauimus in quo sita sit ista viri & vxoris vnio, qua fit ut sint una caro. Id verò intelligi facilè potest si intendamus oculos in finem istius vnionis: finis autem illius est ut vir auxilium habeat & subsidium in prõptu, non quoduis auxilium & subsidium, sed illud quod sit (ut loquitur Deus) כנגדו. Nullum autem ejusmodi auxilium suppeditari viro potest nisi cum eo coalescat in unum, nam auxilium כנגדו est quod semper, & ad omnia veluti coram & præstò est, etenim כנגדו significat *tanquam coram eo*, unde sequitur necesse esse ut sit hoc auxilium compar: unde factum est LXX. Interpr. verterint illud כנגדו κατὰ αὐτὸν, deinde ὅμοιον, alterum enim horum alterum sequitur, quamvis non sint eadem. Nam auxilio uno opus est, primò ad procreationem sobolis, quamvis enim propriè genitor sit, non potest tamen solus generare naturæ conditione, unde fit ut genita proles utrumque parentem agnoscat patrem & matrem, & quidem tanquam unum, unus enim ab uno est. Atque huc respexit Apostolus 1.Cor.6.15.16. quo loco probat scortatores & qui vagis libidinibus dant operam, corpora sua facere membra scortorum, eo quod scriptum est, *& erunt duo in carnem vnam*. Vnde (ut hoc obiter moneam) colligi potest qua mente Apostolus dixerit 1.Cor.6.18. *Omne peccatum esse extra corpus, præter scortationem, cùm qui scortatur peccet in suum corpus*: Nam quod haud dubiè vir maximus ita accepit dictum, ac si scortatio singularem quandam fœditatis notam corpori inureret, percipi vix potest; nam & id ipsum de ebrietate & sanguinis effusione dici cur nõ possit pari iure? sed, ut videtur, ita se res habet: Nullo alio peccati genere corpus redditur alterius membrum, hoc est, pars socia, non coalescit in unum; at per scortationem fit, iuxta hanc quæ à nobis explicata est vnionis rationem, ut qui scortatur coalescat in unum cum scorto. Jam hac in parte hactenus similis est unio Ecclesiæ cum Christo, quod ut in illo genere fit carnis unio, itidem in hoc fit unus spiritus. Itaque Apostolus postquam illud protulit, *& erunt duo in vnam carnem*, continuo subiicit (nempe alludens ad illã phrasin *in vnam carnem*) *qui autem adhæret Domino est vnus spiritus*, hoc est, coalescit in unum spiritum cum Domino. Nam ex Adamo formata est Eua, itaque quatenus id fieri potuit, in hoc genere, inquam, Adamus cum Eua communicatus est. Secundò, homini auxilio opus fuit in liberis educandis, nullum autem auxilium æquè idoneum nancisci potuit quàm vxorem, quæ eadem mater esset, quod fieri nullo modo potest sine hac unione; enimuerò quo arctior coniunctio est eo plura & efficaciora suppetunt amandi argumẽta. Tertiò, homini auxilio opus fuit vel ut (quod futurũ fuisset nisi lapsus interuenisset) communicaret cum aliquo gaudium suum, nam ut minuitur dolor si quem habeas ad quem doloris tui sensus aliquis perueniat, sic intenditur lætitia & gaudium si quẽ habes qui tuum gaudium suum esse existimet; id quod in statu naturę in nulla hominum coniunctione, æquè potest contingere ac in coniunctione viri & vxoris. Vnde sequitur summam esse animorum coniunctionem, quæ non est iam inde ęstimanda quod videmus oriri dissidia inter virum & vxorem, deinde mutuo rediri in gratiam, nam illa inconstantia est à peccato, & à turbato ordine naturæ: quamuis in hac etiam prauitate ingenij humani dissidia inter virum & vxorem rariora sint, certè prodigiosiora habentur instinctu naturę, quàm dissidia quę oriuntur inter eos qui quauis alia coniunctione coniuncti sunt. Illud etiam obseruandum est (nam primigenię naturę veluti palatij, quædã rudera agnoscimus, etiam in hac naturæ nostræ calamitate quę peccato contracta est) quod reliquę societates, quæ fœdere contrahuntur, non continuo gignunt tam acrem & vehementum affectum amoris: nam hic etiam inter ignotos postquam fœdus pactum est, nascitur continuo summus amor, nisi id malignitate quadam impediatur,

1. in liberorum procreatione.

2. in eorum educatione.

3. in consiliorum communicatione.

& mutuo amore summo.

qua fit vt etiam liberi oderint parentes, id quod pro prodigio habetur, vt est reuera. Quartò, hæc vnio cernitur in communione rerum omnium: etenim si viro benè est, vxori non potest esse pessimè, & si vxori benè est, non potest itidem pessimè esse viro; quodque ita intelligendum est, sæpenumerò fit vt qui societatem inter se contrahunt studeant priuatis quisque commodis, at hac in coniunctione fieri id nequaquam potest, cùm sit eiusmodi vt omnia sint, certè esse debeant communia.

4. in communione rerum omnium.

Cæterùm etsi hæc vnio tanta sit, non facit paritatem tamen; Id quod Apostolus 1.Cor.11. non vno argumento probat, quorum prius hoc est, *non enim* (inquit) *vir ex muliere, sed mulier ex viro:* Itaque vir respectu mulieris causæ quandam rationem habet. Deinde, *non*, inquit, *conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum*: interpretatur Apostolus illud *faciamus ei auxilium*, nam auxilium certè aliò refertur, porrò quod refertur aliò minus est eo ad quod refertur. At hæc imparitas tantum abest vt prohibeat quominus hæc vnio arcta sit, vt contra eam reddat arctiorem, Etenim (vt diximus) hæc vnio refertur aliò, non est terminus, sed potius vlterius spectat: atqui si pares essent vir & mulier, obtinere non posset id quo spectat illa vnio, cùm eius rei ea sit ratio vt paritatem respuat. At vnionis nostræ cum Christo ratio diuersa est, habet enim rationem termini, neque enim nos Christo adjuncti sumus vt Christus auxilium habeat, neque vnio nostri cum Christo vlteriùs tendit, nam in Christo vnimur Deo, quæ hominis fœlicitas est summa, imo Angelicâ fœlicitate maior. Paulus igitur mulieris caput virum esse docet 1.Cor.11.3. vt eandem habeat rationem vir ad mulierem quam caput habet ad corpus (nempe caput & corpus vnum quidem constituunt, sed hoc tamen inter se discrimine, vt à capite sit motus animalis & sensus, cuius facultas per totum corpus diffunditur) vnde fit vt vxorem viro subditam esse oporteat; quod si contingit vt vir qui est non iis præditus sit dotibus quas conditio capitis requirit (vt in vita vsu-venit quamuis rariùs) id non à primigenia naturæ conditione, sed à peccato ortum est, quemadmodum accidit aliquando, vt pueri viris iam matura ætate prudentia antecellant. Cùm igitur vir dicitur mulieris caput, de iure, non de facto, semper est accipiendum.

vnio viri & vxoris non facit paritatem partium.

nec propterea minus est arcta illa vnio.

Et certè hoc loco animaduertenda venit ratio similitudinis coniunctionis Christi & Ecclesiæ, nam vt mulier à viro omnia accipit, nisi naturæ ordo perturbetur, nihil verò dat, sic planè Ecclesia à Christo omnia accipit, Christo nihil dat præter amorem & reuerentiam, quæ duo sola, non perturbato ordine naturę, vxor viro exhibere potest. Deinde, apud neminem viri præceptum & exemplum tantum valet, aut verò valere potest, aut debet, quàm apud vxorem, nisi (vt iam sæpè diximus) turbetur ordo naturæ. Vnde efficitur vt vir vxorem sibi reddat quàm simillimam, inde veteri verbo dictum est, *vxorem esse viri speculum*; hoc identidem monemus, ordine naturæ non turbato. Hinc oritur altera ratio similitudinis coniunctionis Christi cum Ecclesia, & viri cum vxore: nam Christus Ecclesiam suam sibi similem facit, tum secundùm animam, tum etiam secundùm corpus: in quo elucet duplex discrimen atque disparitas, ac primò quidem illud, quod vir hanc vxoris conformitatem non potest aliter efficere quàm præcepto & exemplo; quorum vtrumque solum si Christus præstaret nihil fieret: Christus facit vt præceptum & exemplum quod exhibet efficax sit; nam mentem illuminat & cor flectit. Deinde, non est situm in viri arbitrio corporis dotes cum vxore communicare, vt sit firma valetudine &c. At Christus hoc facit, etenim *transformat corpus hoc vile nostrum, vt reddat conforme corpori gloriæ suæ*, hoc est, corpori glorioso.

Christi & Ecclesiæ cum viro & vxore collatio & similitudo.

1. 2. 3.

Sed quod diximus de vnione viri & vxoris videtur etiam ad belluas pertinere, hac saltem in parte, quod inter eas coniunctio quædam sit procreandæ sobolis causâ, quandoque etiam educandæ, à natura instituta, seu (vt veriùs dicamus) à Deo naturæ authore. Cæterùm longè aliter se res habet, in hoc primò, quod belluæ nulla ratione, sed naturæ impetu quodam, coniunguntur, tum diuelluntur statim; At viri & vxoris coniunctio non est eiusmodi, sed à consilio & ratione profecta: nam etsi homines perdito ingenio in coniugio non quærant quod præcipuè quæri debet, multò minùs extra coniugium, tamen non est inde æstimanda coniugij ratio. Itaque hoc discrimen ab Apostolo Johanne notatum est cap.1. Euangelij secundum Johannem vers.13. *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: primùm in genere notauit Apostolus veluti causam materialem generationis, nam quod *ex sanguinibus* dixit, phrasi hebraica est dictum pro *ex sanguine*, Hebræi enim *sanguines* pro *sanguine* dicunt sæpenumerò: Deinde cùm alij bruto quodam naturæ impetu adducantur sine consilio, (quamuis inde proles nascatur) alij verò consilio, hinc fit vt sit efficientium (vt ita loquamur) causarum in generatione discrimen: enimuerò qui gignunt sine consilio, ad morem belluarum gignunt, hæc est *carnis concupiscentia*: qui verò ita gignunt vt adsit consilium, vt decet viros gignunt: Itaque sic geniti dicuntur geniti *ex voluntate viri*. Quare vt Deus caueret ne perinde homines ac belluæ libidinarentur, in genere humano aliter marem & fœminam, aliter in belluarum genere creauit, nam generis humani marem & fœminam sic condidit, vt fœminam ex viri costa effinxerit, at non est hæc ratio obseruata in generis belluini maris & fœminæ creatione.

Obj.

Ref.

Qua in re alia elucet similitudo coniunctionis Christi cum Ecclesia, & viri cum vxore, enimuerò Ecclesia ex Christo condita est: quod ita accipiendum est, Christus primum exemplar & Archetypus primus est Ecclesiæ, nam dicitur Ecclesia σύμφυτος γεγόναμεν τῷ χριστῷ Rom.6.5. ideò quod qualis fuit Christus talis redditur Ecclesia per Christum: igitur Christus origo huius conformitatis est atque exemplar. Deinde à Christo, quicquid in nobis inest huius conformitatis, profectũ est, enimuerò ex huius plenitudine hausimus omnes: denique per Christum ad nos pertinet benedictio. Itaque vt Adam primò conditus, tum deinde, veluti appendix Adami, condita est Eua, sic planè Christus veluti fundamentum substratum est Ecclesiæ, vnde & dicitur *Ecclesia fundamentum*, & Ecclesia Christo superædificata. Quò referendum est quod mulier dicitur *exædificata ex viri costa*, id quod non sine mysterio significatum est illâ lateris Christi pertusione (quæ non fuit frustra, sed certo consilio notata) qua pertusione factum-

2. similitudo.

factum eſt vt efflueret ſanguis & aqua, ſanguis ad expiationem, aqua ad ſanctificationem: nam expiatio propriè dicta Eccleſiæ nulla contingit niſi beneficio ſanguinis Chriſti, cuius effuſione Deus placatus eſt. Porrò ſanctificatio à ſpiritu Chriſti eſt, qui ob hanc cauſam *aqua* in Scriptura dicitur. Vnde intelligitur quod ſcriptum eſt 1. Johan. 5. 6. *Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolum* (quod notatum eſt ne detur locus eorum hæreſi qui negant Chriſti ſatisfactionem, tantum Chriſto tribuunt ſanctificationem, & hanc tamen ſuſpenſam ab humano arbitrio) *ſed in aqua & ſanguine.* Chriſtus non ſanctificat modò Eccleſiam, ſed pretioſi ſanguinis effuſione reconciliauit Eccleſiam Deo. Hoc illud eſt myſterium quod Apoſtolus ſignificauit Epheſ. 5. verſ. 27. & 23. *ſacramentum* (inquit) *hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*: nempe hoc vult Apoſtolus, in coniunctione maris & fœminæ, atque conditione illius coniunctionis, elucere imaginem coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Certè Judæi (teſte Munſtero) fatentur creationem fœminæ ex coſta viri factam לרמוז לבת זוג האדם עהן ולי יתברך, hoc eſt, *ad ſignificandum, ſiue notandum, coniugium viri ſuperni qui benedictus eſt*: id quod illi haud dubiè à maioribus ſuis acceperunt, ab ipſis tamen perperam intellectum, nam ignorant planè quæ ſit Meſsiæ & Eccleſiæ coniunctio.

1. Ioan. 5. 6.

Quæſtio gemina. 1.

Hic verò oritur quæſtio non contemnenda, & quidem gemina; Nam primo loco quæri poteſt, *fuerit-ne hæc creandi mulierem ex viri coſta inſtituta à Deo ratio, vt ſignificaretur coniunctio Chriſti cum Eccleſia.* Et verò ſi dicamus, conſequens eſſe videtur, vt priùs cogitarit veluti Deus de Chriſto & de Eccleſia quàm de creatione, id quod non videtur conuenire, nam (teſte Apoſtolo) Chriſti coniunctio cum Eccleſia præſupponit peccatum, verba Apoſtoli ſunt Epheſ. 5. 25. *viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans eam,* &c. Deinde Eccleſia fuit ante Chriſtum, Chriſtum, inquam, non quatenus eſt filius Dei, ſed quatenus manifeſtatus eſt in carne. *Qui autem fieri potuit* (quæri poteſt) *vt qua Chriſtum, non quâ Deum ſimpliciter, ſed quâ Deum & hominem, habet ſponſum & caput, vlla potuerit exſtare priuſquam Chriſtus Deus & homo idem eſſet?* Jam ad vtramque quæſtionem facile eſt reſpondere: Ac ad priorem hoc pacto, Typi ſunt duorum generum, ſunt enim typi qui inſtituto tantum ſignificant, quales ſunt typi *legales* (cuiuſmodi typus non eſt hæc mulieris ex coſta viri creandæ ratio) ſunt typi qui ob ſimilitudinem typi dicuntur, quales ſunt typi, vt ita dicam, *naturales.* Nam in operibus Dei, etiam diuerſi generis, eſt ſimilitudo quædam, verbi gratia, Deus hominem creauit ex terræ puluere, materia informi; iuſſit lucem ſplendeſcere è tenebris, haud dubiè typus eſt & ſimilitudo (quam etiam Apoſtolus notauit) nouæ creationis. Vt altiùs aſcendamus, Deus omnia creauit ex nihilo, Apoſtolus Rom. 4. 17. *qui vocat* (inquit) *ea quæ non ſunt,* &c. refert hæc ad iuſtificationem, & iuſtificationis conſequentia, propter hanc quam diximus operum Dei ſimilitudinem. Nam vt in natura naturaliter (vt ita loquamur) ſic in ſtatu gratiæ, agit gratioſè, ſeruato interim diſcrimine quod eſt inter naturam & gratiam, nam natura *nihil* præſupponit, ſiue non *Ens* (vt loquimur) etenim ſi quis vlterius progrediatur incurrat neceſſe eſt in *nihil*; gratia verò præſupponit naturam, nihil tamen præſupponit eorum quæ ponit in natura. Jam verò in natura perdita & deprauata, abalienata à Deo, etſi non excludat naturam, tamen excludit id omne quo poſsimus vniri Deo. Huius generis typus eſt mulieris ex Adami coſta formatio. Nec propterea ſequitur Deum prius de Chriſto dando & Eccleſia per eum redimenda, quàm de homine creando cogitaſſe, conſilium-ve cepiſſe: quemadmodum ex eo quod lux illa primigenia ſplendeſcẽs Dei iuſſu è tenebris typus eſt nouæ lucis, qua in generatione tenebræ noſtræ ſpirituales depelluntur, non ſequitur Deum prius cogitaſſe de ſpirituali iſta luce nobis conferenda, quàm de prima illa luce creanda.

2.

Reſp. ad primam.

regeneratio eſt veluti quædam creatio.

Secunda verò quæſtio facilitate pari ſolui poteſt, nam in rebus corporeis & merè naturalibus neceſſe eſt fundamentum & caput præcedere, at in rebus ſpiritualibus non eſt eadem ratio. Certè vt mulier conderetur ex viri coſta, quia hæc creatio corporalis fuit, oportuit virum (vt ita loquar) præexiſtere: at creatio Eccleſiæ in Chriſto ſpiritualis eſt, nempe hæc eſt eius ratio, Deus Eccleſiam redempturus ob oculos Chriſtum habuit non iam ſtatim exhibendum, eodem enim res redit, ſed exhibendum aliquando: vnde dicitur Chriſtus *fuiſſe heri, hodie & in æternum.* Id quod fieri nulla ratione poſſet ſi Chriſtus mera eſſet creatura, mera autem creatura fuerit, ſi nihil habet Chriſtus quod Chriſto diſpenſatione quadam non fuerit datum, quantumuis id egregium ſit. Cuius rei hæc eſt ratio, quod Chriſtus idem Mediator eſt, & conformitatis huius exemplar, imò verò diſpenſator eſt huius conformitatis. Nam Adamus quidem exemplar fuiſſet (niſi fuiſſet lapſus) integritatis, at mediator idem non fuiſſet, neque verò diſpenſator, niſi fortè materialiter, vt loquuntur: at Chriſtus Mediator fuit quod requirit vim infinitatem; & diſpenſator idem eſt, quod officium pariter vim requirit infinitam (inquam) ſapientiam & potentiam.

ad ſecundam.

Et illud etiam obijci poteſt aduerſus id quod diximus de vnione viri & vxoris in liberis educandis, quod huius quidem vnionis exempla occurrant etiam in genere belluarum. Sed & hic facilis reſponſio eſt, nam in illo genere primùm hoc rarum eſt, deinde vt maximè frequens & verò perpetuum eſſet, tamen hoc intereſt, quod hic amor non eſt perpetuus, nam poſtquam fœtus belluarum adoleuit, depellitur etiam ab iis à quibus duxit originem: At (quod ſæpè monuimus) in genere humano, niſi naturæ ordo turbetur, procedente ætate non minuitur parentum amor erga liberos, ſed creſcit potius, adeò vt protendatur ad nepotes, & nepotum adeò nepotes.

Alia obiectio contra vnionem viri & vxoris.

ALTERA PARS TENTATIONIS Chriſti à Phariſæis inſtitutæ.

HActenus fuit prior impetus tentationis, qua Phariſæi Chriſtum adorti ſunt, atque adeò eius depulſio: ſequitur altera, ſequitur & illius depulſio, atque ita tandem, Deo iuuante, veniemus ad exitum tentationis. Cùm Chriſtus addixiſſet variis rationibus non licere viro repudiare vxorem, quærunt Phariſæi qui id fieri poſsit, cùm Moſes iuſſerit dare libellum repudij, atque ita demum dimitti vxorem, ſi occaſio ferret: Neque

conſilium Phariſæorum in hac inſtantia.

verò id quærunt quasi videantur velle Scripturam cum Scriptura committere, sed quod est cautorum & versutorum Sophistarum, præ se ferunt studium discendi, cùm interrogant *cur ergo Moses mandauit dare*, &c. nempe hoc videntur significare, ita quidem, vt docuerat Christus, se rem habere, cæterum esse quod quis miretur quo consilio Moses, cùm res ita se habeat, dari iusserit libellum repudij; non est enim credibile Mosen Dei seruum discessisse à norma iustitiæ, & æquitatis, vel latum vnguem. Sed vt huius ἐνστάσεως vis percipiatur, primo loco expendenda nobis erunt ipsa verba, quibus hæc ἔνστασις concepta est, tum ipsam instantiam quæ sit, & cuius momenti, explicabimus, si Deus dederit.

Cur Mosis, non Dei authoritatē obijciunt.

Et in verbis quidem primum id occurrit, quod non dicunt Pharisæi *cur Moses*, sed *cur igitur Moses*, τί οὖν? Quorsum id pertineat iam à nobis explicatum est; est oratio dubitantis, nunquid Moses repugnauerit instituto Dei, aut quorsum spectarit? deinde, non dicunt *cur igitur Deus*, sed *cur Moses*: nam profectò argumentum videtur multò speciosius quod à Dei authoritate ducitur, quàm id quod petitur ab authoritate humana: cùm igitur Pharisæi incumberent huc totis viribus, vt Christum circumscriberent & premerent, & tenerent captum, prima fronte videtur ab iis hic adhiberi debuisse, non Mosis, sed Dei authoritatem, si quidem Moses, vt testatur Deus ipse, seruus Dei fuit, & repetit Apostolus Heb.3.5. Sed in promptu huius rei ratio est, nam Mosis nomen hoc loco non est hominis designatio, non est itidem Doctoris in Ecclesia designatio, sed neque Prophetæ, simpliciter, inquam, sed (vt loquitur Apostolus Gal.3.19.) designatio Mediatoris inter Deum & populum. Cùm igitur constet nullum fuisse, in lege ferenda, commercium Dei cum populo nisi Mosis interuentu, hinc fit vt nomine Mosis duo designarint, quorum posterius includit prius, nempe Deum id voluisse, idque per Mediatorem, nam ministerij Mosis, & Doctorum in Ecclesia, & Prophetarum non erat vna eademque ratio. Moses enim minister fœderis fuit, quod nulli neque Prophetæ, neque Doctori datum est, præter Christum, qui Doctorum Doctor, & Prophetarum Propheta est. Qui Mosen secuti sunt (præter Christum, inquam) nullius fœderis ministri fuere; non legalis (nam fœdus legale pactum est in Mosis manu, hoc est per Mosen, prouocarunt siquidem illi ad legem Mosis) neque verò fœderis Euangelici quod ab illis quidem prædictum est, vt & ante Mosen, attamen per eos non est pactum illud fœdus. Atque hinc fit vt Moses cum Christo conferatur in Scriptura, vt Johan.1.17. *Lex per Mosen data est, gratia verò & veritas per Christum*: comparatio est Mediatoris cum Mediatore, Moses legis fuit Mediator, Christus Mediator Euangelij. Nam eo loco *gratia & veritas* vnum idemque significant, sed ratione diuersa: gratia quid sit nemini obscurum est, nempe est *affectus benefaciendi, & quidem gratuitò*, vnde ipsum beneficium *gratia* dicitur; *veritas* verò id ipsum significat, nam qui natura immites sunt & immanes, ij etiam sunt ingenio fraudulento & subdolo, *Astutam gestant rabido sub pectore vulpem*; vix fieri potest cui subdolus est animus, idem vt crudelis non sit, imò fieri non potest; quod si crudelis animus idem non sit subdolus, id fit ob impotentiam Physicam, nam qui crudelis est idem vellet esse, si posset, insidiator. Atque hinc fit vt quod *gratia* idem dicatur *veritas* in Scriptura: cuius luculentum documentum exstat Genes.24.27. nam seruus Abrahæ Deum alloquens meminit *misericordiæ & veritatis Dei*, idem Labanem dum studet hero ac sibi conciliare, meminit *misericordiæ ac veritatis*. Quod nos ideò obseruamus, vt ne putemus, dum de salute nostra agitur, hæc duo distingui *gratiam* & *veritatem*: Certè salus nostra fœdere nititur, itaque dum Deus salutem præstat, probat eadem opera se esse veracem, constantem in dictis & factis, attamen cùm reddenda est ratio huius locutionis, dicendum est simpliciter, eam ob causam, quæ est à nobis allata, *gratiam* eandem dici *veritatem*: quò haud dubiè allusit Apostolus Petrus 1.Cathol. cap.2.1.2. Vt igitur eò redeamus vnde digressi sumus, *Moses* hoc loco hominem non significat, neque Doctorem, neque verò Prophetam, sed Dei internuncium. Itaque sic solet Scriptura loqui *Moses & Prophetæ*, vt *Maria & mulieres*, sic Græci ζεὺς καὶ πάντες οἱ θεοί. Atque hinc est quod *Moses* Vetus Testamentum significat, *sedent* (inquit Christus) *in cathedra Mosis*: profectò Scribæ & Pharisæi non fuerunt Mosis successores, nempe Moses cùm esset Mediator Veteris Testamenti nullum potuit, neque verò debuit, habere successorem, pugnat hoc cum ratione muneris Mediatoris, sed *Moses* eo loco Legem significat, *cathedra Mosis* igitur est cathedra in qua explicatur Lex. Sic 2.Cor.3.15. *quando* (inquit Apostolus) *legitur Moses*, paulò superius dixerat *in lectione Veteris Testamenti*, hoc est, dum legitur Vetus Testamentum. Itaque *Moses* & Vetus Testamentum idem significant.

Moses vt Mediator considerandus.

Gratia & Veritas idem sunt ex Scripturæ phrasi.

Locus 2. Cor 3.15.

Cæterùm hic locus obiter est explicandus, verba Apostoli sunt, *quando legitur Moses manet velum impositum cordibus eorum, at quando conuertetur ad Dominum aufertur velum*. Habet locus iste primò ambiguitatem, deinde, etiam sublata ambiguitate, aliquam difficultatem, nam illud *conuertetur* referri potest ad Vetus Testamentum, seu ad Mosen: Sed id nobis videtur paulò durius, quanquam vt ad personas referatur videtur repugnare in versu antecedenti numerus pluralis, nam si rei Grammaticæ ratio habeatur, hoc pacto dicendum fuit *quando conuertentur ad Dominum*. Sed tamen id nos magis debet mouere quod ἀντιστροφὴ in Scriptura est *conuersio personarum*. Itaque non est temere discedendum ab illa significatione. Deinde enallage numerorum frequens est in Scriptura, præsertim cùm de aliqua gente agitur, nam quia gens vnum quid est & multa simul, hinc fit vt indiscriminatim pluralis & singularis numerus adhibeatur cum de gente agitur. Sed superest expedienda difficultas, nam videtur Apostolus requirere ante ablationem veli, conuersionem ad Deum; iam cùm *velum* sit ignoratio finis Legis & Christi, mirum videri possit vt sequatur conuersionem ad Deum, non præcedat potius cognitio finis Legis qui est Christus. Sed si verba Apostoli propiùs inspiciantur, deprehendemus non hic agi de rebus quarum altera altera prior est, sed de iis quæ simul peraguntur. Etenim (inquit Apostolus) *quando conuertitur ad Dominum tollitur velamen*, non dicit *post quàm*, non dicit *tolletur*, tantum ostendit quid fiat quando aliquis conuertitur ad Dominum.

explicatus.

conuersio ad Deum quomodo præcedat veli ablationem.

Sed tamen

Inst. ex Rom. 11. 29.

Sed tamen non sic videtur solui iste nodus. Etenim Apostolus Rom. 11. 29. *nisi*, inquit, *perseuerarint in incredulitate inserentur, potens enim est Deus eos rursum inserere*: hic non videtur habere locum id quod diximus, primò, quia hic adhibetur coniunctio conditionalis, tum quod sequitur conditionem enunciatio in tempore futuro: itaque hic videtur requiri conditio antecedanea, tum promitti aliquid consequens: qua ratione fiet vt præcedat fides, saltem vt ne Judæi perseuerent in incredulitate, sequatur autem hæc insitio. Et verò difficultatem auget quod *insitio* hic non dignitatem significat, etenim hic mentio fit *potentiæ*, non autem *potestatis* Dei: porrò *potentiæ* quidem diuinæ opus est nos inserere Christo per fidem, hæc enim est efficacia & vis Spiritus Dei in nobis: at dignitatem illam tribuere quæ fidem sequitur, *potestatis* est, non est enim *potentiæ* ius tribuere, sed idoneum reddere cui ius tribuatur, id verò potentiæ est. Itaque iustificatio & adoptio pertinent ad Dei *potestatem*, at fidem dare etiam ad Dei *potentiam*, vt Rom. 14. 4. docet Apostolus, *suo*, inquit, *Domino stat vel cadit, stabilietur autem, potens enim est Deus eum stabilire*; omninò hic agitur de interna spiritus vi, qua confirmamur stantes, erigimur verò iacentes. Attamen ne huius quidem difficultatis solutio difficilis est: sunt enim (vt loquuntur in Scholis) effecta quædam *formalia*, quæ sic vocantur quod eorum ratio sit in ipsa forma, verbi gratia, quod quis homo est, est effectum formale animæ rationalis. In hoc genere porrò sic loquimur vt dicamus, si hæc materia prædita fuerit anima rationali erit homo, nolumus tamen ista duo re distincta esse: sic planè, si quis crediderit in Christum, eum dicimus fore Christi membrum, nempe fides est veluti ratio per quam quis redditur membrum Christi. Atque hæc videtur fuisse mens Apostoli, non enim dicit Judæos *excisos propter incredulitatem*, sed *excisos incredulitate*, nempe istud excidium Judæorum est Judæorum obduratio, causa verò, quod ad Judæos attinet, formalis indurationis est incredulitas, deinde etiam, *tu verò* (inquit Apostolus) *stas*, non dicit *propter fidem*, sed *fide*, nam causa formalis standi est fides, quid enim aliud sit hoc loco stare, quàm perseuerare in fide?

Soluitur.

alia Inst. ex Ioh. 7. 17.

Sed fortasse hærebit aqua, si objiciatur nobis locus qui est Johan. 7. 17. *si quis* (inquit Christus) *fecerit voluntatem Patris cognoscet de doctrina*. Hic apertè videtur Christus postulare vt prius fiat Patris voluntas quàm cognoscatur de doctrina. Certè tam interest Aduersariorum hunc locum explicare, quàm nostra interest, nam omninò hęc videntur ἀσύστατα, vt quis prius faciat voluntatem Dei, quod rei caput est, tum deinde iudicet de doctrina. Neque enim hic fas est ita argutari vt dicamus, aliud esse *velle facere* voluntatem Patris, aliud verò eam *effectam dare*; nam profectò qui serio ducitur veræ pietatis studio, is iam hoc ipso sine controuersia pius est. Atqui nulla est pietas quæ veræ doctrinæ cognitionem præcedat, cùm pietatis omnis regula sit doctrina. Itaque aliud respondendum est, nempe, non dicit Christus *cognoscet de doctrina* simpliciter, sed *cognoscet περὶ τῆς διδαχῆς*, non enim omnis doctrina est ἡ διδαχὴ, tantum κατ᾽ ἐξοχὴν ἡ διδαχὴ vocatur, hoc quidem loco, Christi prædicatio, quæ non excludit omnem præcedaneam doctrinã, sed eam tantum quæ (vt iam diximus) κατ᾽ ἐξοχὴν *doctrina*

Resp. minus commoda Rejicitur.

alia melior affertur.

hic dicitur. Sic quum dicit cap. 1. 18. eiusdem Euang. *Patrem nemo vnquam vidit, Filius qui est in sinu Patris reuelauit eum*, non excluditur hoc dicto omnis reuelatio, neque omnis cognitio veritatis, sed singularis quædam cognitio ac præcipua, quæ non specie, sed gradu, distat ab ea cognitione cuius author fuit Christus agens in terris. Quùm igitur Christus ait, *si quis voluerit facere quod Pater vult*, voluntatem designat quæ eum cognitionis modũ sequitur qui haberi potuit ante Christi prædicationem, nempe ex doctrina Mosis & Prophetarum, quam qui animaduerterunt, & ad eum reuelationis modum ducebantur studio componendi vitam suam, haud dubiè auidè doctrinam Christi (vt ita loquar) bibebant. Nam, vt hic vtamur exemplo adeò crasso vt in ipsos incurrat sensus, pannus leuiter tinctus facilè, quo leuiter tinctus est, colore imbuitur, accedat modo opera tinctoris; atque ita accipiendum est illud *Habenti dabitur*. Cæterùm nulla ratione hinc colligi potest, rudem istum & inchoatum cognitionis modum aliunde esse quàm à Deo, aut posse esse efficacem nisi accedat Spiritus Dei: quod nos eo diligentiùs obseruauimus, vt si qui nollet ea admittere quæ attulimus ad illustranda cætera Scripturæ loca supra à nobis adducta, si tamen hoc impetrari potest, sic ea cogatur intelligere, vt intelligatur in vtroque loco aliquid præcedaneum, sed præcedaneum quod à Deo sit, non ab homine: præcedat sane aliquid, hoc verò detur, modò ne quidpiam præcedat quod non sit omninò à Deo, nullatenus verò ab homine, nisi quatenus, & quoad efficitur à Deo.

Sed iam reuertamur ad institutum. Igitur Moses Mediator fuit, eoque antecelluit (quod cœpimus dicere) omnibus Prophetis & Doctoribus Ecclesiæ Judaicæ. Id quod docuit ipse Deus Numer. 12. 6. verba Domini hæc sunt, *Audite verba mea: si sit Propheta inter vos, in visione motum me faciam ei, in somnio alloquar eum, non ita seruus meus Moses* (hoc est, non est ea conditio serui mei Mosis) *fidelis est in tota domo mea: ore ad os alloquar eum, & faciem* (non verò in ænigmate) *& similitudinem Domini contemplabitur*. Quo loco Deus manifestè constituit discrimen inter Mosen & reliquos Prophetas, id verò discrimen in tribus situm est, ac primò quidem *in modo reuelationis*, secundo *in re*, tertiò *in reuelationis frequentia*. In reuelationis *modo*, nam reliqui Prophetæ ita afficiebantur Spiritu Dei, vt ea animæ pars quæ Phantasia dicitur præcipuè commoueretur: vnde fiebat (quod & alibi monuimus) vt prophanis hominibus viderentur motæ mentis: at Deus cum Mose egit familiariùs, ipsam Mosis mentem afficit luce sua: illa, inquam, luce cuius irradiatio non perstringit, sed corroborat potius mentis aciem. Ad rem quod attinet, Deus Mosi ea omnia reuelauit quæ tunc temporis Ecclesiæ scitu erant necessaria, vnde profectum est illud edictum *non addes, neque detrahes quicquam*; quò etiam respexit Christus, *si crederetis M. si, crederetis etiam mihi*. Denique Mosis & Prophetarum in hoc diuersa fuit ratio, quod Mosi, quoties ei libebat, patebat aditus ad Deum, Prophetas oportebat expectare donec תצליח בם רוח יהוה (vt loquitur Esaias) hoc est, *donec irrueret in eos Spiritus Domini*, quoties, inquam, prophetandum fuit, nam alioqui doctori haud expectabant istum Spiritus impetum, nempe

Mosis prærogatiua supra reliquos Prophetas.

triplex. 1.

2.

3.

partes agebant tunc Doctorum, non Prophetarum, & hac in parte Mosis erant hypodidascali (vt ita loquar) quæ nos strictim monemus, ne immoremur in singulis verbis examinandis atque expendendis: nam cæteroqui obseruanda nobis esset phrasis *& faciem* (non autem in ænigmate) *& similitudinem Domini videbit*, nam Apostolus hac locutione vsus est in diuerso argumento 1.Cor.13.32. βλέπομεν (inquit γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου (hoc est, במראה, nam מראה non *visionem* modò, sed & *speculum* aliquando significat) ἐν αἰνίγματι (hoc est בחידות) τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, hoc est, פה אל פה *os ad os*, & במראה, nam מראה etiam *vultum* & *faciem* significat, & 2.Cor.5.7. *per fidem ambulamus, non per aspectum* οὐ διὰ εἴδους, Vulg. Interpr. edidit *non per speciem*, non malè, nam εἶδος omninò *species* est תמונה, πρόσωπον καὶ εἶδος ἄξιον τυ εραννίδος. Itaque & eo loco Apostolus allusit ad hæc (in quorum interpretatione versamur) Domini verba: *per speciem* igitur est בתמונה.

Quæstio gemina. I.

Vnde oritur gemina quæstio, nam cùm Apostolus *videre in speculo*, *videre in ænigmate* referat ad hanc vitam, *videre* autem *facie ad faciem*, item, *ambulare per speciem* referat ad vitam futuram, nunquid negarit Mosem vidisse πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, & ambulasse per speciem? Hæc est prima quæstio, quæ videtur definitu difficilis. Sed hic nobis primo loco expendendum est qua de visione agatur: etenim visio Dei duobus modis potest considerari, *absolutè* & *comparatè*, atqui nihil prohibet Dei visionem eam quæ non est absolutè *per speciem, facie ad faciem*, comparatè tamen dici esse eiusmodi, nam & maior lux cùm confertur cum minori, *lux* dicitur, minor lux *tenebræ*, nempe præ illa luce. Itaque cùm instituta sit comparatio reuelationis quæ Mosi obtigit cum reuelatione quæ obtigit reliquis Prophetis, non disconuenit vt Mosi quæ obtigit reuelatio, ea dicatur non *in ænigmate*, non *in visione*, neque verò *per somnia* (vt ita loquamur) *fatidica* contigisse; maximè cum conditionem ministerij Mosaici consideramus, etenim id eiusmodi fuit vt reapse & factis obtinuerit authoritatem; nam quæ Deus per Mosen fieri iussit, ea κατὰ τὸ ῥητὸν re & factis oportuit præstari, quod ad rei exhibitionem attinebat, nullus erat figuræ locus, quo modo & quæ Moses fieri iussit, ea eo modo fieri oportuit. Paucis, Mosis νομοθεσία Ecclesiæ norma fuit, hæc non fuit conditio reliquorum Prophetarum, nam si quando illis aliquid docendum fuit quod non esset in Mosis lege scriptum disertè, promittebatur id quidem non exhibebatur: imo verò etiam promittebatur per ænigmata, hoc est verbis res terrenas significantibus. Cuius rei ratio Judæos hodieque facit errare, dum Messiam fingunt qualis descriptus est κατὰ τὸ ῥητὸν à Prophetis. Arctè interim tenendum est res à Mose exhibitas typos fuisse, seu tamen res. Atque ita soluta est prior quæstio, nempe reuelatio Mosi quæ obtigit si conferatur cum reuelatione quæ indulta fuit reliquis Prophetis, non fuit ænigmatica, at si conferatur cum ea patefactione quæ obtinget in vita futura, omninò ænigmatica fuit: imò verò & ænigmatica fuit si conferatur cum reuelatione Noui Testamenti, nam illud constans est & inconcussum, *Patrem nemo vidit vnquam, Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, nempe quatenus cognosci potest in hac vita. Nam certè ante Christum exhibitum, erat quidem Patris cognitio, hoc est Dei, quatenus & Christi & nostrum omnium pater est per Christum, sed obscura, vigebat enim tum adhuc spiritus seruitutis: quò Apostolus respexit Heb.1.1. *multifariam*, inquit, & *multipliciter*, &c.

Solnitur.

Mosis ministerium excellentius Prophetarum ministerio.

Moses quo modo facie ad faciem Deū viderit.

2. Quæstio.

Quæstio altera sequitur. Ait, hoc loco quem explicamus, Dominus, se Mosen alloqui *ore ad os*, ac Mosen contemplari מראה, idem tamen Dominus negat (Exod.33.20.) fore vt Moses videat faciem suam, & verò negat id fieri posse, *non enim*, inquit, *videbit homo faciem meam & viuet*: idem Dominus (absit blasphemia dicto) videtur idem affirmare & negare. Iam vt hæc quæstio soluatur; ipse locus nobis diligentiùs considerandus est. Præcesserunt hæc verba Dei, *ego transire faciam omnem bonitatem meam coram facie tua*, *& clamabo in nomine Domini coram facie tua*, *miserebor cuius miserebor*, *& gratiosè indulgebo ei cui gratiosè indulgebo*, tum sequitur illa, *& dixit non poteris videre faciem meam, quia non videbit homo faciem meam & viuet*: Vnde hoc primum facilè est intelligere, non agi, in huius generis locutionibus, de visione essentiæ diuinæ (vt loquuntur) sed de cognitione Dei; nam certè faciem Dei vidit, vti probatum est, hoc est cognouit Deum, idem tamen Deus hoc loco negat faciem suam posse videri; id quod postea clariùs explicat, *amouebo*, inquit, *manum meam & videbis posteriora mea, facies autem mea non videbitur*, hoc est, videbis me à tergo, non autem videbis me coram: qualia Deus habet posteriora, talia sunt & anteriora Dei, etenim vtrobique eiusdem rationis locutio est. Sed hic tenendum est, esse cognitionem quandam voluntatis diuinæ, cuius est ea ratio vt nemini moueat admirationem, ea est voluntas Dei *reuelata* seu in Euangelio, seu etiam in Lege. Hæc voluntas est quam Deus hoc loco *posteriora sua* vocat: atque illa est quam notauit his verbis *faciam transire coram te omnem bonitatem meam*, h.e. reuelabo tibi voluntatem meam in qua elucet summa bonitas, *faciem autem meam non videbis*, hoc est, quod est apud me arcanum & reconditum, quodque illis explicatur verbis *miserebor cuius miserebor*, &c. illud enim iam occultum est, & dicitur *in nomine Domini*, vt omnes conticescant, neque verò pergat quis vlterius inquirere. Huius *arcanæ* voluntatis cognitionem nemo est mortalium qui possit assequi, imò verò qui audet eò irrumpere, eum mori necesse est, & absorberi illius abyssi voragine.

locus Exo. 33.20 explicatus.

Quomodo Moses non faciem, sed posteriora Dei, dicitur vidisse.

Id ipsum verò est quod Moses docuit sub finem cap.29. Deuter. vers.5.29. *quæ occulta sunt* (inquit) *ea sunt Domini, quæ verò reuelata sunt, ea demum ad nos pertinent, & ad filios nostros.* Qui locus est ab Aben-Ezra Judæo deprauatus, etenim vult is eo agi de discrimine peccatorum, quorum alia scilicet occulta sunt, alia verò nota & manifesta, punire verò peccata quæ occulta sunt Dei solius esse, at quæ sunt nota & manifesta, vt puniantur, id verò pertinere ad hominum curam, seu Reipubl. seu Ecclesiæ præsint. Id quod etsi verum est, tamen non est hoc loco ea mens spiritus, id quod facilè intelligi potest vel ex re ipsa, vel ex scopo Spiritus Sancti, vel ex verbis ipsis. Nam rem ipsam si spectemus, nihil opus fuit populum moneri occultorum criminum iudicium esse penes vnum Deum, quis enim id ignoret? Sane quod crimen ignoratur nec à Politico, nec ab Ecclesiastico Judice plecti potest, itaque nihil opus fuit hic admonitione. Deinde, consilium Spiritus

locus Deu. 29.29. vindicatus.

Iudæorum expositio.

Refellitur

I.

2\. Spiritus Sancti eſt obviam ire dubitationi quæ poſſet animum ſubire: nam initio capitis conuicerat Judæos peccati, & quidem multò grauiſſimi, tum ſubiunxerat eiectos Chananæos ob peccata ſua, atque in eorum locum ſubſtitutos Iſraelitas, potuit hoc, & quidem non iniuria prorſus, mouere admirationem; cur enim non æquè vindex fuerit peccati Iſraelitarum & Chananæorum. Deinde, non erant præter Chananæos multæ aliæ gentes paribus flagitiis contaminatæ, aut verò etiam fœdioribus & grauioribus multò? vt igitur conquieſceret animus humanus, admonet Moſes non decere Deum in ius trahi, aut eò cogi vt iudiciorum & conſiliorum ſuorum, quæ occulta ſunt, reddat rationem (nempe, vt ſupra diximus, Deus non oſtendit mortalibus faciem ſuam) ſed defigendum eſſe animum in ſeria meditatione Legis diuinæ, quæ nempe vitæ regula eſt & norma.

3\. Sed & id ex ipſis verbis facilè colligi poteſt: enimuerò hic ea de re agitur, cuius cura non certo hominum ordini, ſed vniuerſæ genti commendata eſt, at ius ſuppliciorum & pœnæ irrogandæ non promiſcuè ad omnes, ſed ad eos ſolos qui præſunt, pertinet. Deinde, *vt* (inquit Spiritus Sanctus) *faciamus verba omnia huius Legis*, apertè teſtatur non agi de certo quodam genere, ſed de pietate generatim, de omnibus (inquam) officiis pietatis.

Moſis prærogatiua dignoſcitur. *1. ex titulo eius.* Etiam hanc, quam demonſtrauimus, authoritatem Moſis arguunt vel tituli qui Moſi tribuuntur in Scriptura, vel etiam locutiones quibus vtitur Spiritus Sanctus quum agit de Moſis miniſterio. Ac inter Moſis titulos hi duo maximè ſunt illuſtres, quod vocatur *Mediator* & *Redemptor*. Nam ſi vnum Chriſtum excipiamus, nemini hi tituli neque tribuuntur, neque verò tribui poſſunt. *dicitur enim Mediator.* Ac *Mediator* Moſes dicitur non modò quod intercederet inter Deum & populum, ſed etiam quod intercederet inter populum & Deum: itaque legimus neque populum potuiſſe ferre Dei vocem, adeò fuit terrifica, ſed poſtulaſſe vt Moſes loqueretur, neque Deum ſuſtinuiſſe vt adiretur à populo, ſed conſtituiſſe vt Moſis interuentu populum conueniret, conueniretur que vicisſim à populo. Id quod nos ideò obſeruamus, quòd Hæretici qui negant opus fuiſſe vt Deus nobis reconciliaretur, hoc præcipuè niti videri volunt argumento, quod non pertineat ad conditionem Mediatoris vt ſit vtriuſque partis conciliator: atqui conſtat in Moſe vtrumq; habuiſſe locum, vt populum adduceret ad Deum, & Deum populo conciliaret: quamvis (ut poſtmodum dicemus) hoc typicè factum eſt, non autem reuera, id enim pertinet ad Chriſti gloriam qui vnus eſt Mediator (non iam dico *typicus*, ſed, vt loquimur in Scholis, *realis*) Dei & hominum. *Redemptor.* Alter verò ille titulus λυτρωτὴς *Redemptor* Moſi tribuitur, quòd populum ſeruitute Ægyptiaca liberarit: quod ille quidem fecit, nullo pretio ſoluto, cùm ratio huius ſeruitutis eiuſmodi fuerit, vt iniuſta cùm eſſet nullam requireret pretij ſolutionem, itaque res figurata eſt hac Moſaica redemptione, cauſa & rei modus non potuit figurari. Neque verò ideò contendendum eſt Chriſtum perſoluiſſe pretium noſtræ redemptionis, ſimpliciter quod dicatur redemptor, ſed quia dicitur nos redemiſſe pretio; deinde, & vel maximè, quia ea ſeruitutis noſtræ conditio fuit, vt ſtante Diuinæ legis authoritate, intemerataque Dei iuſtitia, aliter liberari nequiuerimus.

2. ex Scripturæ Phraſibus. Jam hæ loquendi formulæ, quibus vtitur Spiritus Sanctus cùm deſignat Moſis miniſterium, ſatis oſtendunt quæ fuerit Moſis authoritas. *1. credere in Moſem.* Nam primò Exod. 14. 31. dicitur populus *credidiſſe in Deum & in Moſen*: neque verò eo nomine reprehenditur populus, ſed potius certo conſilio id notatur, nam & Exod. 19. 9. Deus ipſe ſic loquitur, dum commendat authoritatem quam Moſi tribuerat, *Ecce veniam ad te in craſſa nube, vt populus audiat cùm ego te alloquar* וגם בך יאמינו לעולם *vtque credant in te in æternum.* Neque verò eſt quod quiſpiam hic cauſetur, hanc locutionem Dei ideò adhibitam, vt ſignificaretur Deum vti Moſis miniſterio, vt ſit hic figura quam Grammatici ἓν διὰ δυοῖν, *credidit populus Deo & Moſi*, hoc eſt, credidit populus Deo loquenti per Moſen; Nam etiam Deus per reliquos Prophetas allocutus eſt populum ſuum, attamen nuſquam ſcriptum eſt, *& populus credidit Deo & Prophetæ.* Neque verò vrgemus interim ipſa verba, non enim ſcriptum eſt ſimpliciter, *populus credidit Deo & Moſi*: ſed ſi (vt loquuntur) Hebraicam veritatem conſulamus, ſcriptum eſt, *& credidit populus in Deum & in Moſen.* Etenim etſi Eccleſiæ conſuetudo obtinuit vt *credere in* ſignificet illam fiduciam quæ ſoli Deo debetur, attamen phraſis Scripturæ, quæ vt plerumque hebraica eſt, non id euincit, nam particula ב nota datiui caſus eſt, ſic *loqui in aliquem* hebraicè eſt *loqui alicui* (eadem eſt phraſis in lingua Hiſpan. & Vaſconica dialecto) ſed cùm Moſes Deo ſubiungitur, certè hac locutione ſingulare aliquid demonſtratur, nempe iſtud, Moſen eum fuiſſe per quem Deus ad populum, populus item ad Deum accederet. Atque hic tenendum hoc eſt, non agi de mediatione *reali*, ſed *typica*. Ceterùm Chriſtus hoc ipſum videtur ſignificaſſe *ſi crederetis* (inquit) *Moſi, crederetis etiam mihi*, Johan. 5. ſumpſit pro confeſſo credendum eſſe Moſi: neque verò meminit Prophetarum, eo, inquam, loco. Atqui Hebraicè *credere Moſi* eſt *credere in Moſen*. Verumtamen vt diuerſa eſt mediationis Chriſti & Moſis, diuerſa item ratio eſt fidei in Moſen & in Chriſtum: tam diuerſa, inquam, quàm eſt diuerſa mediationis ratio: ea verò tam diuerſa eſt quàm vmbra à corpore, imago à re, & denique cœlum à terra, & verò res finitæ infinitis. vnde ſequitur nullam eſſe (vt loquuntur) proportionem fidei in Moſem & in Chriſtum.

2. baptizari in Moſem. Sequitur altera locutio quæ notat ſingulare Moſis miniſterium, nam 1. Cor. 10. dicuntur Iſraelitæ *baptizati in Moſen*, omnino ſignificans locutio eſt. Si enim hoc tantum Apoſtolus notauit, *baptizati ſunt Moſis miniſterio*, videtur hoc admodum frigidum, nam in Eccleſia quotidie miniſterio Paſtorum baptizantur infantes, & ſi fert occaſio, adulti, nemo tamen dixerit infantes aut adultos baptizari in eos quorum miniſterio baptizantur: imò verò, quod haud dubiè in lito grauius eſt, *vt ne quis dicat*, (inquit Paulus 1. Corinth. 1. 15.) *me in nomen meum baptizaſſe.* Quid igitur eſt? nempe Moſes Mediator fuit, at non verus & ſpiritualis, ſed typicus & carnalis duntaxat Mediator (id quod nulli præter Moſen contingit) nam Chriſtus verus Mediator fuit; typicæ verò mediationis typica etiam ſigna eſſe oportuit.

Discrimen inter Christi & Mosis Mediationem.

Hæc cùm ita se habeant, immane quantum est discrimen inter Mosis & Christi mediationem, vt interim de personis nihil dicamus. Hoc verò discrimen Apostolus paucissimis quidem verbis, attamen significantissimè, demonstrauit Heb.3.5. *& Moses quidem* (inquit) *fidelis fuit in tota domo Dei tanquam seruus* (repetit autem Apostolus verba Domini Mosis ministerium vindicantis à contemptu, eo loco qui supra à nobis est explicatus) *Christus verò tanquam filius.* Vbi obseruandum est, Apostolum agere non tam de Christi persona quàm de officio Christi, quod ea vult esse cum dignitate coniunctum, vt nullus eo fungi possit qui idem non sit Dei Filius, cùm contrà Mosis ministerium, etsi fuit excellentissimum haud dubiè, tamen non erat huiusmodi vt superaret naturæ humanæ modum. Vnde facilè solui potest quæstio haud quaquam contemnenda, etenim Apostolus negat Christum præfuisse domo Dei *vt seruum*, at verò ab Esaia Propheta, seu potius à Deo loquente per Esaiam *seruus* vocatur Christus, & quidem vbi de iustificatione agit: quę videntur inter se pugnare. Neque verò quæstio dissoluitur, si Christum dicas *seruum* dici respectu naturæ humanæ, quandoquidem Christus *seruus Dei* dicitur eo loco ob ministerium quod obiuit, cuius etiam meminit, professus se venisse non qui ministerium admitteret aliorum, sed qui ministraret ipse. Deinde verò cùm Moses dicitur *seruus Dei*, non notatur Mosis persona, sed ministerium, cuius si ratio habeatur Moses seruus fuit, sed hæc seruitus dignitas summa fuit vt Regum serui nobiles sunt. Nos igitur sic respondemus duo esse genera ministerij, vnum eorum est quod à nemine possit obiri ob dignitatem, qui non sit idem filius: omnes nempe ministerij Christi partes sunt eiusmodi vt requirant potentiam infinitam, nam & Christi officium Propheticum, Sacerdotale, & Regium eiusmodi sunt, vt nisi qui Deus sit nemo possit iis defungi. At est aliud genus ministerij, quod eiusmodi est vt qui non sit Deus is eo defungi possit: hoc ministerio qui functi sunt *serui Dei* dicuntur simpliciter & omni modo. Moses verò quia huius generis officio functus est quod excellentissimum fuit, dicitur antonomasticè *Dei seruus*. Non igitur pugnant ista ut Moses dicatur præfuisse vt seruus, Christus verò vt Filius, quanquàm etiam Christus seruus fuit, nam filium nihil vetat quadam ratione *seruum* dici, dummodo eius ministerium non sit adeò vile vt non deceat filium. Sed & aliud est, nam seruit aliquis vel secundum dispensationem (vt loquuntur) vel quia aliter seruire nefas est: At Christi seruitus œconomica fuit, nam cùm formam serui assumpsit erat in forma Dei, non fuit eiusmodi seruitus Mosaica. Porrò *seruitutis* nomine non hic intelligimus amorem Dei & proximi (cuius ratio pertinet ad Christi personam) sed vilem & abiectam conditionem Christi (vt Apostolus loquitur) *in diebus carnis suæ*, quam post beatam resurrectionem deposuit, natura humana retenta. Et certè Mosis ministerium ministerij Christi figura tantum fuit, at Mosis legislatio (quanquam illius respectu Moses Mediator fuit) Christi Euangelium pro fine habuit. Itaque quantum distant vmbra & corpus, & medium fine, maximè medium non absolutè necessarium ad finem consequendum, tantum differt legislatio Mosis à Christi prædicatione.

Quomodo tam Christus quàm Moses serui dicantur.

Ministerium duplex. 1. 2.

Christi seruitus qualis fuerit.

discrimen ministerij Mosis & Christi.

Quod indicauit Apostolus Galat.3.℣.19.20. & 21. nam primò Apostolus ait Legem datam esse *in manu Mediatoris*; quæ locutio hebraica est, hoc est per Mediatorem, Mosen verò intelligit haud dubiè, nam præcedunt illa *per Angelos*, Angelorum autem nomine intelligit spiritus illos ministros, quorum opera Deus vtitur sæpenumerò vel in turbando, vt nobis videtur, ordine naturæ, vt cùm sol sistitur, aut excitantur pręter leges naturæ tempestates, venti, fulgura &c. quod factum est cùm lex daretur per Mosen. Subjungit autem Apostolus *Mediator autem non est vnius*, nempe mirum videri potuit si alius esset Mediator Euangelij Christus, atque vt ne mirum videatur, monet Apostolus *Mediatorem non esse vnius tantum*, sed & alterius fœderis: itaque illud ἑνὸς neutrius est generis, non masculini. Deinde, quia videbantur ista pugnantia vt Mediator non sit vnius fœderis, & quod consequens est, vt non sit vnum fœdus, monet Apostolus optimè ista inter se quadrare, quia Deus vnus est, qui vnum eundemque scopum constituit in vtriusque fœderis pactione; nam finis legis est Christus in iustitiam omni credenti. Cum ergo ministerium Mosis subordinatum fuerit; vt ita loquamur, ministerio Christi, idque authore Deo, subordinata autem inter se non pugnent, quanquam diuersarum rerum fuere Mediatores, vnus tamen (quod ad consilium & voluntatem attinet) erat Deus: nam de naturæ diuinæ vnitate non videtur agi eo loco.

locus Gal.3.19. illustratur.

ἐνετείλατο *præcepit*] Notat authoritatem iunctam pręcepto, neque enim temerè occurrit usurpata hæc vox aliter in Scriptura: Nam Apostoli certè non sic loquuntur vt præ se ferat eorum oratio vllam præter Christi authoritatem, nempe non fuerunt Mediatores sicut Moses. Porrò videri possit dictum calumniosè, & subesse cauillationem, cùm Moses non præceperit dari libellum diuortij, sed permiserit: videri igitur possit Pharisæos rem auxisse in majus de industria. Verumtamen multò aliter se res habet, nam quod hic dicitur ἐνετείλατο, apud Marcum est ἐπέτρεψεν *permisit*, nulla igitur, hac quidem in parte, cauillatione vsi sunt Pharisæi. Neque verò pugnant inter se Euangelistæ, quorum alter introducit Pharisæos dicentes ἐνετείλατο *præcepit*, alter eosdem facit dicentes ἐπέτρεψεν *permisit*: nam hebraicum verbum צוה vtrumque significat, *præcipere & permittere*, quia horum vtrumque conuenit, vt ita dicamus, genere analogico: iam verò notum est nomine speciei analogicæ interdum genus ipsum designari. Itaque nihil prohibet permissionem præceptum dici, sic 1.Reg.5.℣.6. Salomum rogat Hiramum vt *præcipiat cædi in Libano cedros*, hoc est, vt permittat cædi. Tenendum est igitur præceptum duobus modis dici, vel vt sit iuris, vel vt pertineat ad iuris relaxationem: si iuris est, *præceptum* propriè dicitur, si pertinet ad iuris relaxationem, *permissio moralis*; quam voculam adjicimus vt distinguatur hæc permissio, de qua agimus, à permissione occultæ prouidentiæ, quæ non est iuris relaxatio. Duo autem sunt genera relaxationis iuris, vnum est quo fit vt quod permittitur, cùm antea non esset, euadat legitimum, vt liquet ex exemplo quod iam à nobis allatum est: non fuisset fas cædere cedros in Libano, nisi permissu Hirami, qui Libani dominus erat, at cùm potuerit Hiramus remittere quãtum visum esset de

ἐνετείλατο.

conciliantur Marcus & Matthæus.

permissio moralis, siue relaxatio iuris duplex. 1.

esset de suo iure, potuerunt cædi cedri legitimè. Sed & alterum relaxationis iuris est genus, quo non redditur legitimum quod fuit illegitimum, sed tantum redditur minus illegitimum, atque ita quodammodo cogitur in ordinem: vt cùm Magistratus, etsi nullo delectetur vitio, attamen multa permittit, hoc est, modò certa quadam ratione fiant, non punit, neque verò eo fit vt probet ea etiam facta certa illa ratione, sed quia aliter malo obuiam iri non potest. Neque verò tenetur propterea obstricta conscientia Magistratus, dummodo faciat quicquid in eo genere fieri possit ad conseruandam Rempublicam, quâ euersa etiam boni malis permixti pereunt. Cùm igitur neutra harum relaxationum iuris, neque ea qua res redditur legitima, neque verò etiam ea qua redditur minus illegitima, aliunde proficisci possit quàm ab eo qui præest cum imperio, neque verò alia ratione quàm proposito edicto (nam ad quæ conniuet Magistratus, atque ita demum permittuntur, habent analogiam cum iis quæ per occultam Dei prouidentiam geruntur) hinc fit vt lingua Hebraica etiam iuris relaxatio *præceptum* dicatur.

2. — neutra nisi à Præcepto

Βιβλίον ἀποστασίου] hæc vox planè Biblica est, ac profanis Scriptoribus ignota, nam Diuortium Latini, *ἐξαζύγιον* & *διάστασιν* vocant Græci: quanquàm inter hæc duo constituunt discrimen, nam *ἐξαζύγιον* facit vt coniugium non possit redintegrari, *διάστασις* leuius esse videtur diuortio: *βιβλίον* agitur *ἀποστασίου* est ספר כריתות qui vocatur in Scriptura. Nam Deus Deuter. 24. (quo loco permittit dari libellum repudij) adeò sollicitè & cautè id permittit, vt ex ipsis permissionis verbis colligi possit id permissum veluti ægrè. Certè Ethnici in diuortio non requirebant tot circunstantias, satis erat vel nuncium remittere, & iubere vt vxor suas sibi res habeat: At quod à Deo iubetur scribi libellum repudij, & vxori tradi, certe videtur inhibere quodammodo impetum animi concitati, & relinquere spatium deliberandi. Deinde, quod cauebatur ea permissione ne liceret marito in posterum vxorem quam repudiarat reuocare domum, contra quàm fiebat inter gentes. Tum & hoc singulari consideratione dignum est, quod non qualibet de causa licebat dare libellum repudij, sed certa quadam, nempe si maritus aliquid animaduertisset turpe & fœdum in vxore, quodque conciliaret horrorem. Denique & id etiam notandum est, quod marito quidem permissum fuit vxorem dimittere, contra vxori non licuit dare viro libellum repudij; cuius rei hæc videtur esse ratio, quod non est paritas iuris viri in vxorem, & vxoris in virum cùm vir vxoris caput sit: sic patet iniuria sæpè, & non sine scelere interdum, sæuit in filium, at non licet filio in patrem sæuire.

ἀποστάσιον. — Cautiones in libello Repud j. — 1. — 2. — 3. — 4.

Αὐτῷ.] Videtur dictum duriusculè, remotum enim est substantiuum, nempe *mulierem*. Sed id non est nouum in sacra Scriptura: in qua etiam obseruare est, pronomen non significare, vt vulgò solet, eandem rem specie quæ præcessit, sed eandem analogia, vt cùm dicit Christus, *non bibam ab hoc tempore ex fructu hoc vitis, vsque ad diem illum cùm ipsum bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Certè pronomen *αὐτὸ* neque ad idem numero, neque verò ad idem specie quod præcessit refertur: neque enim spondet eo loco Christus fore vt in regno Patris idem numero (vt loquuntur) vinum bibat quod tum bibebat, nec verò etiam spondet fore vt idem specie vinum bibat. Sed tamen quia pronomen *αὐτὸ* idem quod præcessit significat, intelligendum est significari idem quod præcessit, sed *analogia* idem, non verò *specie*, aut *numero* idem. Verumtamen quia rarior est & insolentior hic pronominis vsus, Interpretes volunt alij idem significari numero (ridiculè sanè & absurdè, sed tamen id volunt, nempe ij qui existimant Christum porrexisse bibendum Discipulis, & verò bibisse sanguinem suum.) Alij verò (in quibus etiam est Chrysostomus) volunt significari idem quod præcessit *specie*, Christus videlicet vinum bibit, spondet verò fore (ex eorum sententia) vt denuò vinum bibat vnà cum Discipulis. At prior quidem sententia stare nullo modo potest, non est enim credibile Christum bibere in regno Patris sanguinem suum, nam nec in illo statu Christi venit in regno Patris, nec Christus ipse sanguinem suum exsugit. Tum verò etiam & illud non est prætereundum, quod quæri potest, si Christus ipse suum sanguinem bibit in regno Patris, idne faciat continuò, an verò certis quibusdam temporibus. Ac prius quidē illud absurdissimum est, vt Christus semper in bibendo suo sanguine, sine vlla intermissione occupetur; posterius verò haud paulò minus, cur enim in regno Patris, hoc potius quàm isto tempore, Christus sanguinem suum bibet? nam non sunt credo feriæ & festa in cœlo. Deinde, quorsum attinet, aut quò spectat potus iste sanguinis in regno Patris? quem cedo vsum habet? Nam (vt iam diximus) Christus in terris agens cum Discipulis à resurrectione non legitur bibisse, comedisse legitur Luc. 24. 4.

αὐτῷ locus Matt. 26. 29 illustratus. — & vindicatus. — 1. à Pontificiorum corruptela.

Qui verò idem specie volunt intelligi, quasi Christus profiteatur consilium suum esse vt denuò vinum bibat, nec eorum sententia stare potest. Id quod multis rationibus probari potest, nam etsi Euangelistæ diligenter & penè anxiè & scrupulosè omnes Christi apparitiones descripserint, quidque dixerit fecerit-ve narrarint exactè & exercitè, attamen nusquam meminerunt Christum bibisse. Deinde, non tantummodò Christus pollicetur fore vt bibat de fructu vitis, sed hoc adjicit Epithetum *nouum*: atqui si intelligitur eadem species, statuendum foret Christum bibisse vinum proximo anno natum, quod fieri nullo modo potest, cùm Christus paucis post diebus resurrexerit. (Nam in cœlo non est qui vsque adeo insaniat vt vinum bibi existimet, nisi forte Mahumedani, in quibus qui doctiores sunt erubescunt id fateri.) Denique (nihil enim necesse est omnia afferre quibus hæc sententia non modo labefactatur, sed euertitur etiam) Christus loquitur de eo potu quo vsurus erat *in regno patris*: Atqui tempora proxime secuta resurrectionem non (si volumus proprie loqui & significanter) pertinebant ad id regnum: enimuero regnum Christi, etsi semper fuit, tamen tum demum illustre cœpit esse, vsque adeo vt is status *regnum Christi* proprie appelletur, cùm ascendit in cœlum, conseditque ad dextram Patris, indutus nimirum nostra natura. Atqui apud omnes in confesso est Christum in cœlo non bibere vinum.

2. à quorundam incommoda interpretatione.

Restat igitur vt euincamus ex vsu loquendi Scripturæ, vbi de Christi regno mentio est, ambitu temporis *Christi regni* & status non contineri

Christi regnum in terris vnde inchoatum.

tempora & conditionem gloriæ Christi in terris post resurrectionem. Id quod duobus duntaxat Scripturæ locis iam quidem studebimus euincere. (Nam nisi breuitati studeremus res posset pluribus adductis rationibus & testimoniis probari) Prior Scripturæ locus est Johan.20.17. Maria Christi pedes tangit adorabunda scilicet, Christus eam repellit, simul adjicit, *nondum ascendi ad Patrem.* Mirum si Christus adorantem repellit Mariam Magdalenam, qui neminem vnquam repulit adorantem, causa nulla potest dici alia cur id fecerit, quàm quod Christum non simpliciter adoraret, sed adoraret gratulabunda, quasi Christus iam eluctatus esset, & nixus ad supremum vsque fastigium & culmen dignitatis suæ: vnde consequens est Christum non statim à resurrectione contigisse apicem & metam gloriæ suæ. Id ipsum constat ex iis quæ exstant Act.1. nam cùm discipuli quæsiuissent quando tandem Christus restituturus esset regnũ Israeli, respondit, *vestrum non est scire tempora quæ Pater posuit in propria potestate* (hoc vult nempe, non esse hominum inquirere in Dei arcana, vt certè momenta temporum designare quibus vaticinia compleantur, nisi disertis verbis notata sint, est diligentię plus ęquo curiosæ) *at* (inquit) *recipietis virtutem Spiritus Sancti.* Vnde facile est colligere *regnum Israelis*, hoc est regnum Mesiæ, tum demum cœpisse postquam *ascendit in altum, & dedit dona hominibus*, vt loquitur Scriptura. Non quasi tum demum Christus cœperit esse Rex, sed quia tum primum cœpit regnare illustri illo & glorioso modo quem Prophetæ tantopere deprædicant.

quid sit vinum nouum quod Christus dicit se bibiturum.

Itaque vt hæc tertia ratio concludatur, cùm Christus spondet fore vt bibat cum discipulis suis in regno Patris, noluit sic accipi hoc dictum, ac si futurum esset vt biberet cum discipulis in terris statim à resurrectione, sed tale quid potius esse videtur quale illud est, *Ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum*, Apocal.3.20. Itaque *αὐτὸ illud* eo loco idem quidem significat quod præcesit, nempe vinum, sed idem non numero, neque verò specie, sed (vt diximus statim initio istius disputationis) idem analogia: nam eodem cibo, eodem vti potu communionis argumentum est, celebrare vna conuiuia eodem pertinet: vt illud interim taceamus, quod spirituale gaudium cum vino comparatur in Scriptura.

Obiect.

Verumtamen non videntur ista stare cum iis quæ scripta sunt Act.10.41. quo loco Petrus testatur *Deum excitasse Christum tertia die, conspicuumque fecisse non toti populo, sed testibus quos ipse prius designauerat, nimirùm nobis* (inquit) *qui comedimus ac bibimus vnà cum eo, postea quàm resurrexit à mortuis:* videtur Petrus disertis verbis affirmare Christum vnà cum discipulis bibisse postquàm resurrexit à mortuis.

Ref.

Hic verò illud primum obseruandum est, quod Petrus non dixit, Christum comedisse ac bibisse cum discipulis, sed discipulos comedisse ac bibisse cum Christo: inter quas locutiones magnum sanè discrimen est: nam si priori vsus fuisset Petrus locutione, haud dubiè eam adhibuisset eo animo vt inde fidem astrueret resurrectioni Christi, quomodo Christus ipse dignatus est vesci cum discipulis: (nam bibisse eum post resurrectionem cum discipulis in Historia Euangelica non legimus) iam verò cum diuersa locutione vsus sit Petrus, haud dubiè ea locutione designauit tantum (ea figura quæ dicitur *consequens pro antecedenti*) conuictionem & familiaritatem discipulorum cum Christo: *Non* (inquit) *toti populo, sed nobis qui cum eo coniunctißimè viximus.* Itaque hæc verba *qui vnà cum eo edimus & bibimus*, distinguenda sunt à sequentibus *postquam resurrexit à mortuis*, & iungenda sunt cum antecedentibus *non toti populo, sed testibus quos antea designauerat.* Quæ à nobis ita disputantur, vt etiamsi detur verba ista iungenda esse cum sequentibus, non autem cum antecedentibus, non concedamus tamen Christum, cùm diceret *donec bibero illud nouum*, id intellexisse quod Petrus hoc loco (si quidem hæc verba iungenda sunt cum sequentibus) intelligi voluit: non enim erat *nouum* quod Christus bibendum iussit.

Λέγει αὐτοῖς, ὁ Μωσῆς, &c.] Quod fuerit Mosis officium, & quæ illius authoritas in Ecclesia, iam à nobis satis superque demonstratum est: hic igitur id tantum obseruamus (quod facit imprimis ad ea confirmanda quæ iam diximus) Christum tantum Mosi tribuere vt Dei non meminerit (quemadmodum neque Pharisæi) sed Mosis, eam ob rationem quam supra diximus.

πρὸς quid hic significet.

πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν] Doctissimus Interpres vertit πρὸς quasi mens Christi esset, *iuxta duritiem cordis vestri*, adductus, vt sic illam propositionem verteret, vsu & consuetudine Græcorum, cæterum hic sensus durior esse videtur. Quod verò verebatur discedere ab vsitata significatione huius propositionis quum iungitur accusatiuo, metus vanus fuisse videtur: Etenim in libris Noui Testam. adeòque in versione LXX. Interpretum (quorum phrases scriptores codicis Noui Test. ideò secuti sunt, quòd essent vsitatæ in iis Synagogis Judæorum quę erant inter Gentes, ex quibus collecta fuit Ecclesia) nihil est frequentius istis Enallagis præpositionum.

Enallages præpositionum ratio.

Cuius rei hæc est ratio, quod vnica præpositio apud Hebræos complures habet significationes, quibus præpositiones apud Græcos & Latinos plures respondent, plures, inquam, vel simpliciter in se, vel structura plures: Atque hæc illis lex hebræam præpositionem vertendi, vt indiscriminatim eam vertant reddantque per quamlibet è præpositionibus cui respondet. Vt rem demonstremus exemplo usitatissimo in Scriptura, *per sanguinem* & *in sanguine* Christi idem est, quia nempe ב Hebræorum respondet vel τῷ διὰ vel τῷ ἐν. Atque non aliter hoc loco accipitur πρὸς, nam respondet Hebrææ præpositioni על: iam verò vt apud Latinos *propter* vtrumque significat, & rationem ordinis (vt cùm latinè dicimus *propter aquam riuum* &c.) & causæ rationẽ, sic על Hebræorum vtrumque significat, & rationem ordinis, & rationem causæ. Atqui hoc loco non significatur ordinis ratio, πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν, sed (vt post modum fusè docebimus) causæ ratio.

locus 2.Cor.3.13. explicatur.

Quomodo etiam accipienda est eadem præpositio 2.Cor.3.13. *Nec sumus sicut Moses qui imponebat velamen faciei suæ πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι, ne intuerentur filij Israel*, &c. sic enim vertit Doctissimus Interpres. Atqui non videtur sic fuisse vertendum hunc locum, sed ita potius,

verus eius sensus.

quoniam non intuebantur, siue, *non tendebant contra oculos* (quod est ἀτενίσαι) neque enim id poterant, id quod ipse Apostolus docet vers.7. *Quod si* (inquit) *mortis ministerium litteris infixum in saxis fuit gloriosum, adeò vt non possent filij Israel intueri faciem Mosis:* En quod post modum dicit πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι *quia non intuebantur*,

prius

prius dixerat ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι *adeò vt non potuerint intueri.* Atque hanc esse genuinam Apostoli sententiam constare potest tribus rationibus, quarum prima ducta est ab historiæ veritate, nō enim sponte & vltrò, & (vt ita dicamus) præuertendo Moses obvelauit faciem; neque enim (quod exertè traditur in Scriptura) splendori faciei suæ conscius fuit, sed trepidatione atq; auersatione Israelitarum admonitus fuit vt velum injiceret faciei: Itaque velum non imposuit Moses ne viderent Israelitæ splendorem vultus sui, sed quia rectis oculis eum intueri nō poterant. Deinde, antithesis Apostoli id ipsum demonstrat, *sed occalluerunt mentes eorum,* quod dictum foret frigidè, nisi sit eorum quæ præcedunt sensus, *non potuerunt ferre tantam lucem, sed eorum oculi caligarunt.* Nam si dicas, *impositum est velum ne viderent splendorem illum, sed eorum mentes occaluerunt,* non videntur ista cohærere. Denique, rei natura respuit hoc, nam quod occaluit intellectus Israelitarum in vitio ponitur hoc loco: vt illud interim taceamus, quod non debuit celari Israelitas finis legis Christus, atqui velo fit vt celetur, Apostolo docente, non enim patefit Christus nisi velo sublato. Quid igitur est? nempe totum hoc mysterium fuit: nam Mosis facies splēduit, quia (inquit Scriptura) *obuersa fuerat Deo,* h. e. ministerium Mosis, quatenus ad Dei mentem & consilium refertur, omninò splendidum est & illustre, *Christus enim finis Legis est in iustitiam omni credenti,* Rom. 10. 4. At populus carnalis istum splēdorem ferre non potest, itaque velatur carnali populo Lex, donec accedat spiritus qui velamen aufert. Tum ipse Moses splendoris sui sibi conscius non est, non enim pertinet ad Mosen, qui minister litteræ est, sed ad spiritum, nosse Euangelij mysteria: *Spiritum* autem voco non ἀθυμαστικόν (vt ita dicam) irregularem, sed spiritum illum qui solius Euangelij Christi comes est & dux. Itaque egregiè Apostolus cùm in antithesi ponendum fuisset, *sed eorum oculi perstricti sunt,* vel potius *præstincti sunt,* non id posuit, sed loco signi rem significatam reddidit. Nam splendor faciei Mosis cùm esset typus Euangelij Christi, quod populus illum splendorem non poterat sustinere typus erat cæcitatis spiritualis populi deinde futuri, quę temporibus Christi & Apostolorum sese prodidit. Et hoc itidem præclarè Apostolus, quod perstitit in Allegoria planè diuinâ, *postquam autem conuersus fuerit ad Dominum tolletur velamen:* neque illud ἡνίκα *postquam,* sed *quando* reddendum fuit: nam disertè notatum est in historia, Mosen, cùm Deum accederet, disposuisse velamen. Certè lex, quique legis iustitiam sectantur, quandiu non conuertuntur, non referunt vlteriùs Legem, neque Legis iustitiam, nempe ad Legis finem, ad Christum: manet illis Lex velata.

Probatur 1. — *2.* — *3.*

σκληροκαρδία. Σκληροκαρδίαν] Vox est vsitata scriptoribus sacris, qui eâ vsi sunt propterea quod *durus corde* קשה לב (nam קשה רוח *durus spiritu* aliud est, quia enim *spiritus* significat veluti motum vel gaudij vel mœroris, hinc fit vt קשה רוח is dicatur qui mœrore confectus est, vt Anna ita se excusat 1. Sam. 1. 25. ait se esse mulierem קשת רוח *duram spiritu,* hoc est mœstam & angore animi confectam) Hebræis dicitur *refractarius* & *contumax.* Dura enim eiusmodi sunt vt non admittant facilè impressionem, vnde & *lapideum cor* in Scriptura dicitur. Hæc cordis durities dicitur etiam πώρωσις τῆς καρδίας, quod malè verterunt *cæcitatem cordis,* non quidem malè quod ad sensum attinet, nullum enim cor durum est quod non sit idem cæcum, sed quoniam hæc vox πώρωσις non *cæcitatem* propriè, sed ex consequente tantùm significat, nam propriè πώρωσις *duritiem* significat, & certè nil æquè excæcat ac callum oculi pupillæ obductū. Nam quod Suidas author est πῶρον *cæcum* dici, dixit hoc sine exemplo, etenim πῶρος *callum* propriè significat, etiam Medicis, non omnem quidem, sed eos duntaxat quibus laborant podagrici & chiragrici, vt cùm quibusdam Pharmacis hanc tribuunt vim, vt dicāt λύειν τοὺς περὶ τὰ ἄρθρα πώρους, hoc est, *soluere callos circa articulos concretos.* Atque hæc durities in Scriptura tum menti, tum voluntati tribuitur, sed vbique indiscriminatim *cor* pro mente & voluntate ponitur. Id quod non habet leuem difficultatem, nam cor non videtur organum illud in quo primum cernitur mentis vis, quin si consulamus sensum ipsum & experientiam, cerebrum potius est in quo deprehenditur ista mentis agitatio. Quinetiam *Renum* nomine Scriptura mentem designat, nam passim junguntur simul *cor* & *renes,* tanquam voces synonymæ, Psal. 7. 10. & Jerem. 11. 20. & 17. 10. & 20. 12. Et ita quidem certè Latini *excordem* & *vecordem* dicunt eum qui mentis inops est. At si id impropriè latinè dicatur, non tuebitur se Spiritus Sanctus authoritate linguæ latinæ, itaque quærēda hîc nobis ratio est, cur quæ mentis sunt cordi & renibus tribuantur. Hæc verò potissimum nobis occurrit, quod mens cor & renes afficiat, nempe in corde est mœror & gaudium, neque voluntas nostra affici potest quin cor afficiatur; & renes non modò ad libidinem, sed etiam ad iracundiam pertinent, quanquam diuersa ratione. Atqui cùm mentis duplex sit officium, quod etiam Philosophi notarunt) vt vel versetur circa ea quæ simpliciter cognoscenda sunt, non autem expetenda, hæc fortasse mentis facultas ad cor non pertinebit, vel vt etiam versetur circa ea quę sunt eiusmodi vt à nobis appeti & concupisci possint: atque cùm sit in hoc genere tanta cōjunctio mentis & voluntatis, vt tamen voluntas finis sit veluti & terminus agitationis mentis nostræ; cumq; vicissim ea quæ vehementer nobis adlubescunt, feriant etiam & afficiant mentem, inde fit vt eæ corporis nostri partes quæ sedes sunt illarum passionum quæ afficiunt mentem, eæ pro ipsa mente positæ sint. Neque verò sic existimamus Spiritum Sanctum locutum esse, quasi hæc esset peculiaris quædam & singularis locutio à solo spiritu Sancto adhibita (nam recepta est, vti iam diximus, authoritate linguæ Latinæ) tantum hæc monuimus, ne videretur spiritus Sanctus adhibuisse locutionem vulgatam quidem, sed nullâ subnixam ratione.

πώρωσις [illegible] significet. — *Cor & Renes pro mente vsurpantur in Scriptura.* — *ratio huius locutionis.*

Ἐπέτρεψε] *permisit,* Jam verò quid sit *permittere,* & quot modis dicatur permissio, etsi fusè suprà dictum sit, hîc tamen, sed paucis, repetendum est. Permissio est illius quod natura sua, hoc est (vt loquuntur in Scholis) *per se,* nec vtile, nec necessarium, neque verò etiam iustum est, si, inquam, res in se spectetur: Id verò fit duobus modis, primùm, occultâ quadam Dei prouidentiâ, humanâ verò incuriâ & oscitantiâ, quæ diuinæ prouidentiæ non magis rationem habet quàm tenebræ lucis: nā Deus, si quando sinat fieri mala (sinit verò) adeò sapienter id facit, vt ne culpæ

Permissio Dei [illegible] est. — *[illegible] prouidentia.*

sit affinis; non est ea incuriæ & humanæ negligentiæ ratio, vnde sequitur dolor vel ob pœnam, qui Diabolos etiam cruciat, vel ob culpam, qui pertinet ad eos solos qui verè pij sunt, si quid secius admittatur. Verumtamen neque permissio occultæ Dei prouidentiæ, neque humanæ incuriæ consideratio, pertinet ad hunc locum quem explicamus, non enim eo excusantur hominum facta quòd arcanâ Dei prouidentiâ permittantur, hîc verò agitur de excusatione facti quod alioqui iniquum videatur. Itaque ad alteram significationem verbi *permittere* deueniendum est: Etenim permissio quædam est lege sancita, quæ contingit duplici ratione, primùm, cùm id quod permittitur eiusmodi est vt permissio id faciat legitimum, vt verbi gratiâ homini, postquam lapsus est, nullũ est ius in Dei creaturas, itaq; nisi accedat Dei permissio vt iis vtatur fruatur, immundis etiam munda erunt immunda, at accedente Dei permissione (quò pertinet illud Apostoli, *Domini est terra & plenitudo eius*) fit vt creaturarum vsus sit legitimus. Sed hoc genus permissionis tum duntaxat locum habet, cùm agitur de rebus quæ pertinent ad liberam Dei dispositionem, cuius ratio pendet à ratione Dominij Dei: (neque enim Deus vnquam eiusmodi dispensatione vtitur in rebus per se & natura sua pugnantibus cum iustitiæ & æquitatis normâ. Sic in lege Ceremoniali, quam vocant, hoc pacto potuit Deus permittere, aut interdicere quod libebat, & verò quoties libebat id fieri. Sed neque hæc permissio pertinet ad hunc locum. Denique, permissio est quâ non quidem permittitur malum, sed, si malum fit, circunscribitur certis quibusdam limitibus, nec vlterius euagetur. Hoc genus permissionis Christus hoc loco designauit. Porrò vt permittere malum lege, malum est, à quo Deus abhorret, sic malum circumscribere ac definire, certum modum ei præscribere, bonum est. Id quod demonstrari potest, primùm ex analogia, deinde ratione: ex analogia, non probat morbum qui remedia præscribit quibus morbi impetus sistitur, quanquàm illa remedia nõ sint eiusmodi vt morbum radicitus exstirpent. Ratio verò id ipsum docet, nam vt prohibere omninò malum optimum est, sic, si eiusmodi malum est vt prohiberi non possit, id lenire proximum optimo est: cuius generis *permissionem* Christus hoc loco intellexit. Neq; verò quispiam hîc objiciat, Deum potuisse malitiam illam penitùs tollere; non enim hîc agitur de occulta Dei prouidentia, sed de legibus Dei, nam Deus cùm agit per occultam prouidentiam, ita agit vt euentus sequatur, cùm agit legibus, non item.

alia *lege sancita*, eaque duplex.

1. qua aliquid fit legitimum.

2. qua aliquid fit minus illegitimum.

malum circumscribere bonum est.

Sed cùm ita se res habeat, quærat aliquis, idque non absurdè, cur eadem lex non obtineat temporibus Noui Testamenti? Ratio est dubitandi, quod *quandiu homines* (vt inquit ille) *erunt, tamdiu vitia erunt*, neque aliter comparata est hominum natura temporibus Noui, quàm comparata fuit temporibus Testamenti Veteris: quod igitur permisit in Veteri Testam. cur non idem permiserit in Nouo? certè vbi legis ratio obtinet locum, legem ipsam obtinere necesse esse videtur. Attamen certum est Dominum Iesum vsum huius permissionis penitus sustulisse, vt constat ex hoc loco. Quid igitur dicendum est? Nempe duo hîc licet respondere, quorum prius hoc est, quod etsi eadem sit humanæ naturæ ratio temporibus Noui & Veteris Testamenti, non est tamen eadem ratio Gratiæ, quæ multò copiosiùs, ac luculentiùs patefacta est, & explicata *vltimis temporibus*, quæ Scriptura vocat, quàm tum cùm viguerunt *rudimenta mundi*: Itaque multò seueriùs & sanctiùs vitam oportet his temporibus instituere. Tenebantur quidem & prisci illi eandem sectari vitæ sanctimoniam, at nos multò maximè, quanto enim quis accepit plus alio, tantò plus debet. Deinde & illud respondemus, legem hanc esse Politicam: porrò legum Politicarum hæc est ratio, vt non modo vitia penitus prohibeant, sed modum etiam vitiis præscribant: in quo non peccat Magistratus, nam si quod optimum est, facere non possis, proximum est vt refugias quod pessimum est: sic verbi gratia, pij Magistratus coguntur sæpenumerò circumscribere vel Ethnicismum, vel hæresim, quam legibus suis (nisi velint omnia cõplere tumultu & seditione) tollere nequeunt.

cur non idem liceat sub N. T. quod licuit sub Veteri.

Resp. 1.

2.

Iam verò Deus (eò enim ei libuit, vt ita loquamur, descendere) sese præbuit veluti Magistratum Politicum populi sui, quod est valdè obseruandum, vt intelligamus illud quod Samueli dictum est, *non te, sed me rejecerunt, ne regnem super eos.* Nam ante illa tempora Deus erat Rex veluti Politicus, quo nomine pendebatur Sanctuario annua pensio siclus, qui *Sanctuarij siclus* dicebatur: ac proinde quo modo Reges suos habent veluti Proreges, quos nominant & designant pro arbitrio subinde, sic planè ante extrema Samuelis tempora Deus Iudices delegabat, ac submittebat, quibus nefas erat Regis nomen sibi arrogare, at postquam populus hanc Imperij rationem aspernatus est, postulauit sibi dari Regem. Perperam igitur Pharisæi collegerunt licuisse dimittere vxorem, ex eo quod, si quando contingeret vt quis maliguitate quadam animi impulsus dimitteret vxorem, dato libello, & certa quadam de causa, id fieri iusserit. Quod si quis requirat, num Magistratui id ipsum liceat hodie, facilis responsio est, si eadem essent hominum ingenia, iidem mores, nõn multò potentiora & vehementiora remedia tanti mali, temporibus Noui quàm Veteris Testamenti, omninò id Magistratui liceret, sed cùm aliter se res habeat, id nequaquam licet.

Cùm huc vsque progressus esset Vir Doctissimus in huius loci explicatione, exorti sunt tumultus nostri ciuiles anno M. DC. XXI. *quibus exterriti plerique omnes S.Theol. studiosi hinc se vel domum quisque suam receperunt, vel exteras petiuerunt Academias. Et ipse Camero Angliam primùm, atque inde patriam Scotiam petiuit, vnde cùm post sedatas, & vtcumque compositas has turbas, Salmurium sub finem anni* M. DC. XXIII. *rediisset, non potuit ab animo suo impetrare vt tabulæ isti imperfectæ à se relictæ vltimam manum imponeret. Itaque interim dum vxor grauissimo (quo tandem exstincta est) morbo diu hîc conflictatur, rogatus à paucis, qui hic erant, S.Theologiæ studiosis, in eorum gratiam has, quas hîc subjicimus, priuatim dictauit Responsiones ad selectas, quæ proposita illi fuerunt in Epistolam ad Hebræos, Quæstiones.*

DE NOMINE

DE NOMINE ECCCLESIÆ.

Vocabulũ *Ecclesiæ* apud prophanos authores quid significet.

IGITVR vt à nomine ordiamur, *Ecclesia* vocabulum est vsitatum apud prophanos authores, ac traductum ad significandum Dei populũ (vt loquitur Scriptura) ϗ᾽ ἐξοχὴν. Dicitur autem Ecclesia ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν *ab euocando*, Ecclesia enim profanis scriptoribus concio est: Concio autem est non optimatum, sed eorum etiam qui sunt è plebe: dicitur autem concio à *ciendo*, vnde ortum est frequentatiuum *citare*, quia singuli edicto publico proposito vocabantur in concionem. Etiam in lingua Latina exstant huius vocabuli quædam vestigia, dum quædam Comitia *calata* vocant. Itaque videri potest Ecclesia dicta quod sit multitudo hominum euocatorum, qui iussi sunt ponere curam rei domesticæ ad tempus, egredi domo, & curare Rempub. idque vt fieri possit in vnum locum conuenire. Attamen non videtur Ecclesiæ nomen hac de caussa vsurpatum in Scriptura, sed potius adhibitum ad designandã multitudinem quandam. Cuius sententiæ non est vnum argumentum, sed plura. Nam primum in Vet. Testam. Ecclesiæ nomen occurrit sæpe, & quidem eo sensu vt significet cœtum, seu multitudinem hominum quacunque tandem de caussa consociatorum atque coactorum in vnum locum, vsque adeò vt legamus *Ecclesiam malignantium odi*, vt est in vulgata versione: & passim populus Israelis non quidem dispersus per familias, sed collectus in vnum locum, etiam nullo proposito edicto, *Ecclesia* dicitur, adeò verùm est Ecclesiam non esse ideò dictam quod euocata fuerit, sed quod in vnum collecta speciem habeat Ecclesiæ illius quam profani scriptores *Ecclesiam* vocant. Imò verò hoc obseruatu dignum est, quod cùm agitur de cœtu, qui stato tempore & loco conuenit, proindeque de cœtu euocato lege quadam, non solet in Vet. Test. is cœtus dici קהל, sed עדה. Et עדה quidem *Synagogam* interpretantur, *Ecclesiam* nunquam: est enim עדה à יעד, *Kahal* autem à nullo est: Verumtamen à קהל formatur נקהל quod dicitur de pluribus qui in vnum coeunt, etiamsi nullus locum aut tempus præscripserit, & verbum הקהיל quod est *colligere multitudinem in vnum*; Nam quod Salomon dicitur קהלת non ideò dicitur quoad coadunauerit turbam, sed quod turbam coadunatam alloquutus sit, aut sustineat personam alloquentis turbã collectam in vnum, nam קהלת non est ὁ καλῶν ἐκκλησίαν *qui conuocat multos qui conjuncti faciant Ecclesiam*, sed ὁ ἐκκλησιάζων *qui in concione habet orationem.* Itaque Augustinus imperitia linguæ Hebraicæ grauiter est lapsus, cùm nomẽ *Synagoga* vilius existimauit Ecclesiæ nomine, quod, inquit, *Synagoga* sit etiam belluarum, quæ non vocantur, sed coguntur in vnum, *Ecclesia* non sit nisi hominum qui vocantur. Atque inde factum putat quod Ecclesia Christiana non *Synagoga*, sed *Ecclesia* dicta sit; quasi verò Ecclesia Iudæorum fidelium conuentus fuerit belluarum: nam cæteroqui etiam

Quid significet in Vet. Test.

Salomon cur sit dictus *Koheleth*,

Lapsus Augustini de nomine Ecclesiæ.

Ecclesia N. Test. *Grex* dicitur & *ouile*, immò verò in N. Test. *Synagoga* nomen significat aliquid nobilius quam *Ecclesia*, quemadmodum nomen hominis significat aliquid nobilius quàm nomen animalis, nam עדה συναγωγὴ nunquam dicitur Ecclesia; Ecclesia semel atque iterum *Synagoga* dicitur, nempe *Ecclesia* etiam est confusanea multitudo, עדה non item.

Deinde, & hoc obseruandum est, in Vet. Test. Ecclesiam non dici simpliciter hominum multitudinem, sed multitudinem hominum coadunatorum qui conuenerunt in vnum locum, quique huc illuc dispersi non retinent amplius nomen Ecclesiæ: At contrà in N. Test. Ecclesia non dicitur tantum ideò quod conueniat in vnum locum, sed etiam cùm singuli qui Ecclesiam faciunt seorsum viuunt, retinent nomen Ecclesiæ. Quod item est obseruandum aduersus Bellarminum, qui ex eo quod in Vet. Test. Ecclesiæ nomen semper significet visibilem cœtum, concludit Ecclesiam in N. Test. esse cœtum visibilem, nempe vel ob imperitiam, vel odio veritatis ignorauit alium esse huius vocabuli vsum in Nouo, quàm in Veteri Testamento. Nam in Nouo Testam. Ecclesia dicitur, non ideò quod conuenit in vnum locum aspectabilem oculis corporis, sed quia vbicunque sit tota veluti in vnum locum coacta Dei oculis subjecta est, Deus enim eam semper videt, perinde ac si foret in vnum locum congregata. Itaque quoties occurrit *Ecclesia* nomen in N. Test. ne putemus Ecclesiam dici quod semper sit collecta in vnum quendam locum, sed Ecclesiam dici quia multitudo est hominum, quam Deus iisdem oculis intuetur, ac si in vnum quendam locum conuenissent: vt Ecclesia quæ dicitur in Vet. Test. potius significet conuentum quendam corporeum & internum qui definitur loco, in Nouo Ecclesia quidem conuentum significet, sed tamen qui non definitur loco. Iudæi tamen hodieque קהל vocant Ecclesiam, non quidem cœtus suos in Synagogis, sed ipsam religiosam societatem quæ inter eos est, seu conueniant in vnum locum, seu non conueniant: quomodo nos *Ecclesias* dicimus plurali numero, non quidem Ecclesiam vniuersalem, sed eas societates ex quibus Ecclesia vniuersalis conflata est, vt cùm dicimus *Ecclesias Gallicas* aut *Anglicas*, &c. Immò dicunt Iudæi קהלה קדשה ἁγίαν ἐκκλησίαν singulas suas societates, vt cùm dicunt קהלה קדשה שברומי, Ecclesia sancta quæ est Romæ. Verùm totam illam societatem Judæorum non vocant קהל *Ecclesiam*, sed כנסת vel כנישה id est *Synagogam*, vt cùm dicunt in Cantico Canticorum Deum alloqui Synagogam, id est (si Christianorum more loqui volumus) Ecclesiam suam: nam Iudæi hoc sensu קהלה & קהל nunquam dicunt. At in Nouo Testam. ἐκκλησία non modò de singulis collegiis, sed etiam de vniuersa societate Christianorum dicitur, nempe refugerunt vocabulum כנישה Apostoli, ideò quod Judæi suum illud fecerant (est autem כנושה

Ecclesia aliud in V. Test.

Aliud in N.T. significat.

quod obseruandum aduersus Bellarminum.

Discrimen & conuenientia inter Iudæorum קהל

seu קהלה

vel צנסת

& ἐκκλησίαν in N T.

Synagoga, collectio) nulla superstitione aut odio Judæorum, sed distinctionis caussa, ne qui Synagogam audiret dici, Judaicum aliquid dici existimaret. Latini quidem *colligere* (quod ipsum est quod Hebræis כנס) pro congregari ad operam dandam rebus sacris vsurparunt, vt Tertullianus & Cyprianus cœtus Ecclesiasticos *Collectas* dixerunt (id est, Hebraicè כנישה) attamen Ecclesiam nunquam dixerunt *Collectam*, vnde & illas preces quas in cœtibus Christianorum concipi publicè fuit receptum dictas esse *Collectas* alibi obseruatum est. Ergo *Ecclesia* non idipsum significat in libris Noui Test. quod in libris Vet. Test. apud LXX. Interpretes, cùm ea dicatur Ecclesia, cæ dicantur Ecclesiæ in Nouo Testam. quo non sunt conuentus, sed tamen homines societate quadam religiosa inter se iuncti; in veteri verò Testamento *Ecclesia* conuentus nomen est, neque vlli multitudini inditur nisi quæ conuenit, & quatenus conuenit in vnum locum. Unde exoritur noua quæstio, cur Apostoli quibus est solemne sequi phrasim vsitatam in Veteri Test. hic discesserint ab illa phrasi seu loquutione? Cuius rei ratio in promptu est: Nam Israel, seu in desertum seu in terram Canaan collectus, typus erat Ecclesiæ Dei, seu eò vocetur quo loco constituta mundus ei sit tanquam desertum, seu colligatur in patria cœlesti, nam desertum mundi huius, Canaan cœli typus est.

Collectæ apud Patres quid sint.

Cur populus Dei dicatur Ecclesia in N. T.

Atque hæc de nomine Ecclesiæ dicta sufficerent, nisi Bellarminus, & alij viri docti qui nobiscum idem sentiunt de religione putassent se obseruasse *Ecclesiæ* nomen tam in Veteri quàm in Nouo Testamento tribui etiam loco in quem religionis caussa conuenitur: & Bellarminus quidem neglecto Nouo Testamento scilicet, confugit ad Vetus Testamentum, vt huius rei argumentum inueniret, & locum profert ex capite 6. libri Apocryphi Judith, qui illi videtur facere mirificè ad hanc rem, eo enim loco Bethulienses dicuntur continuisse sese tota nocte intra Ecclesiam, atque Deum orasse. Nec refelletur Bellarminus, si respondeamus librum esse Apocryphum, quandoquidem certum est scriptum esse librum ab homine Iudæo. Itaque vel hoc collegerit Bellarminus, Judæis quæ hodie dicuntur בתי כנישה *domus Synagogæ* dici olim solitas *Ecclesias*. Itaque aliter occurrendum est, nempe hæc verba in Judithæ libro exstant quidem in vulgata editione, non exstant in Græca, vnde vulgata descripta est. Et verò res ipsa negat Judæum, quicunque author fuerit illius libri, hæc verba scripsisse, nam primò legenti locum illum liquebit adjecta esse ἐν ἐκκλησίας, atque ita vt adjectio videatur superflua. Tum & illud cordatos homines debet mouere, quod illa peruigilia (*Vigilias* vocant Christiani quæ Gentiles *peruigilia*) abhorrent à consuetudine Iudæorum, neque enim solent pernoctare in Synagogis suis. Quid igitur dicemus? nempe assutam esse hanc laciniam à Christianis apud quos (dum omnia ad captum Ethnicorum volunt accommodare) peruigilia (*Vigiliarum* nomine indigitata) in vsu fuerunt. Erant autem Christianorum *vigiliæ* nocturni conuentus in templis, qua in re imitati sunt morem Ethnicorum, qui comessationibus ac saltationibus nocturnis sacra sua celebrabant, quod Christiani boni homines semota lasciuia ad pium vsum accommodandum duxerunt, sed res malè successit, atq; idem in hoc negotio Ecclesiæ Christianæ euenit, quod fabulosi Poëtæ narrant accidisse Troianis, qui admiserunt intrà mœnia celebrem illum equum. Id verò res ipsa demonstrat & euentus, nam Vigiliæ tandem abolitæ sunt in Ecclesia, mansit tantum nomen, quod hodie non priuilegium significat, sed ieiunium, celebrandum eo die qui festum diem & solemnem proximè præcedit; nempe more veteri nullum ieiunium præcedebat festum diem, sed vigiliæ.

Ecclesiæ vocabulum non significat ædem sacram.

Neque in V. T aduersus Bellar.

At alter ille vir doctus & nobiscum idem sentiens de religione, magnoperè contendit aduersus eos quos meritò pios & doctos vocat, in N. Test. *Ecclesiæ* nomen significare locum quendam certum & publicum quo conueniebant Christiani, atque in hac disputatione sic versatur, vt putet agi rem magnam, si negetur Christianos Apostolorum temporibus habuisse templa quædam qualia sunt nostra; concedit ille quidem liberaliter, non fuisse vsque adeò magnifica, vt sunt hodie Gallicana & Anglicana, sed tamen nisi templa fuerint, negat potuisse rem Christianã geri ordine. Eius porrò argumenta hæc sunt. Primò affirmat Paulum (quod Bellarminus vsque adeò perspicax Sophista non vidit) 1. Corinth. 11. cap. sic loqui, *Cùm conuenitis in Ecclesiam, audio schismata esse in vobis.* At *conuenire in Ecclesiam* non est conuenire in conuentum, sed in locum conuenire, *Ecclesia* igitur locus est. Tum, inquit, versu 20. Apostolus interpretatur mentem suam, nam quod prius dixit *conuenire in Ecclesiam*, postea dicit, *conuenire ἐπὶ τὸ αὐτὸ*: itaque idem locus & *Ecclesia* est. Tertiò, opponit Apostolus Ecclesiam domui, *non domos habetis* (inquit) *aut Ecclesiam Dei contemnitis*? frustra, nisi *Ecclesia* locus esset perinde ac domus. Deinde etiam, omnia iubet Apostolus fieri decenter, at nisi sit certus locus & quidem publicus, nihil decenter fieri potest in Ecclesia. Tum Paulum ostendit valde fuisse sollicitum in segregandis Christianis à Iudæis, quâ necessitate adductus fuerit ad docendum in Schola Tyranni cuiusdam. Sed hæc omnia leuissima sunt. Nam vt à primo ordiar, etsi non soleat dici *conuenire in conuentum*, attamen *conuenire in Senatum* dicitur, quamuis Senatus conuentus sit, & *conuenire in Synodum*, quamuis Synodus conuentus sit. Certè cùm queritur Cicero Catilinam ausum fuisse venire in Senatum, non intellexit *Senatus* nomine locum, sed conuentum Senatorum: Neque enim in quocunq; loco Senatores vna sunt, *Senatus* est, sed quotiescunque conueniunt deliberandi caussa, tum *Senatus* esse dicitur: Et vbicunque Pastores Ecclesiæ simul sunt, non continuò Synodus est, nisi deliberandi caussa de rebus Ecclesiasticis conuenerint. Pari ratione non vbicunque pij vnà sunt, conuenisse dicuntur in Ecclesiam, sed vbicunque tandem sunt religionis caussa, coiisse dicuntur in Ecclesiam. Itaque *in Ecclesiam* additum est τῷ συνέρχεσθαι ad designandam conuentus rationem & conditionem, quæ designatio faciebat vnicè ad rem quam Apostolus agit. Vult enim argumentum ducere Apostolus à sanctitate conuentus (à sanctitate loci neutiquam) ad Corinthios à dissensionibus absterrendos; nam in omni sanè conuentu dissidia fugienda sunt, at detestanda in conuentu Ecclesiastico, qui instituitur Religionis caussa, multò vehementiùs.

Neque in N. Test. aduersus Fulleum.

Argumenta quibus ille nititur. 1. 2. 3. 4. 5.

Resp. ad 1.

Quid sit Paulo conuenire in Ecclesiam.

Resp. ad 2.

Quod

Quid sit ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθαι.

Quod deinde addit, ἐπὶ τὸ αὐτὸ vers.20. idem significare quod *Ecclesia* ℣.18. æquè leue est: Nam primo loco potest hoc negari, nihil enim opus est vt ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθαι dicamus idem esse quod συνέρχεσθαι εἰς ἐκκλησίαν, quamuis qui conueniunt in Ecclesiam sanè eodem loco conueniunt, at propterea non verum est idipsum esse (vt loquuntur in Scholis) formaliter, *eodem conuenire* (eodem, inquam, loci) & *conuenire in Ecclesiam.* Sunt quidem eodem subjecto (vt loquimur in Scholis) sed non sunt eadem tamen secundum formalem rationem, vt loquuntur. Itaque ex hoc loco tantum probarit Christianos solitos conuenire in vnum locum; haud dubiè (qui enim fieri posit vt conuentus sit, qui non sit vno loco) at non probarit quod instituerat, locum hunc fuisse publicum, definitum, & certum. Deinde, ἐπὶ τὸ αὐτὸ hoc loco (quod ille sumpsit pro confesso) non significat locum, sed personarum conjunctionem, vt sit sensus, conuenire ἐπὶ τὸ αὐτὸ conuenire simul, nulla habita loci ratione, licet imposibile sit simul conuenire qui non sint eodem loco, sed horum tamen alterum prius est, alterum posterius: appetitur enim locus propter conjunctionem, non conjunctio propter locum. Neque hæc locutio noua est, sed vsitata, nam Heb. יחד cùm de conuentu agitur respectum notat, non personarum ad locum, sed personarum inter se. Jam verò LXX. Interpretes (quorum, vt sæpe monuimus, loquutiones scriptores Noui Test. quod essent in Ecclesia notissimæ imitati sunt) exponunt יחד ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est, *simul*, vt cùm quod est scriptum Psalmo 2. נוסדו יחד vertunt συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό. Immò verò יחדו vertunt ἐπὶ τὸ αὐτὸ, iam verò יחדו personarum certè conjunctionem notat, quod ex affixo facilè colligi potest. Itaque ἐπὶ τὸ αὐτὸ est Latinè *vnà*, Gallicè *ensemble*, additum ἐμφατικῶς caussâ, quod faciebat, vel maximè ad obtinendum quod Apostolus studet, vt ἐπὶ τὸ αὐτὸ hic sit ἅμα, ὁμοθυμαδόν. Turpe enim est eos qui vt conjunctim de re magna agerent, conuenerunt, inter se dissentire, &, quod grauius est, damnosum est & impium. Itaque ἐπὶ τὸ αὐτὸ personarum vnitatem, non identitatem loci designat, quanquam illa hanc sequitur. Denique συνέρχεσθαι duobus modis dici potest, vel vt de singulis seorsim sumptis dicatur *distributiuè*, vel vt de omnibus simul sumptis dicatur *collectiuè*; Jam posterius hoc dici non potest, nam congregatio non congregatur, sed congregata est, at de singulis seorsim coeuntibus id verò & verè & eleganter dicitur. Ergo concedemus ἐπὶ τὸ αὐτὸ significare ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, sed quemadmodum genere species significatur, non concedemus tamen locum hic designari.

Resp ad 3.

Alia est oppositio Grammatica, alia Logica.

Tertium verò in quo videtur ille triumphare, etiam futile est, & planè nihili: Nam *Ecclesiam* ait opponi priuatis ędibus, locum autẽ opponi loco, itaque *Ecclesiam* apud Apostolum locum esse. Sed non quæcunque opponuntur κατὰ τὸ ῥητὸν, secundum Grammaticam (vt ita loquamur) oppositionem, ea Logicè opponuntur: verbi gratia, si quispiam sit qui in publico facit quod domi factum oportuit, sic eum solemus objurgare, Non tu ædes habes, non in ædibus est quo posis secedere, ita contemnis ciuitatem? sanè *ciuitatis* nomine non intelligimus plateas vrbis, sed ora ciuium qui in publico versantur. Itaq; non opponuntur hic Logicè *aliquid hoc loco, &c, illo loco facere*, sed *his inspectantibus, & illis inspectantibus*, aut verò, *nullis inspectantibus*. Quam fuisse Apostoli mentem verba quæ continuò subjungit epexegetica satis demonstrant, *Num, inquit, pudore afficitis tenuiores?* Quid est igitur Dei Ecclesiam contemnere? est ruborem & pudorem conciliare pauperibus & egenis, qui magnam Ecclesiæ partem constituebant. Sic 14. capite prioris ad Corinthios, Apostolus interdicit mulieribus ne in Ecclesia loquantur, & statim addit, *& si velint discere loquantur domi.* Profectò non opposuit locum loco nisi Grammaticè, Logicè non opposuit, non enim nefas est vt mulier loquatur in eo loco quo religionis caussa conuenitur, sed in conuentu Ecclesiastico & publico. Itaque hoc loco *Ecclesia* significat cœtum Ecclesiasticum, quæ secunda est significatio, & rarissima huius vocis in Nouo Testamento.

Resp. ad 4. An primis Christianis Templa fuerint publica.

Quod verò adjunxit, omnia debere fieri ordine & decenter in Ecclesia, itaque necesse esse vt primi illi Christiani templa habuerint publica, videtur non agnouisse ordinem Ecclesiæ non inde pendere, alioqui nullus fuisset in Ecclesia ordo cùm cœtus Ecclesiastici essent antelucani, quod vel ex Plinij Epistolis discere est. Nam hic ordo quo constitutum est vt in publicum quendam locum semper conueniatur, requirit pacem & tranquillitatem, non publicâ modo sed Ecclesiæ, alioqui & obnoxium periculo, & res absurda foret feruente persecutione velle templa publicè construere in quæ conueniatur. Itaque necesse est probet prius tempora Ecclesiæ tum fuisse pacata admodum, quod ille nunquam probauerit: affirmat quidem, non probat tamen. Immò verò semetipsum refellit eo argumento quod vltimò loco adducit, ait enim Paulum docuisse in Schola Tyranni cuiusdam. Non docuit igitur in Templo, & potest (quod ille tantopere timet) incommodum hac ratione vitari quam sequutus est Paulus.

Resp. ad 5.

Nempe timet ne si cœtus Ecclesiastici aliquo certo loco non celebrentur, fiat confusio & permixtio hominum diuersum de Religione sentientium. Sed vt id euitetur non est necesse vt sint templa, sed sufficit vt sit locus quo conueniatur, non quidem semper vnus & idem, aut si sit vnus & idem, potest esse iuris priuati, qualis locus fuit Schola Tyranni, non est necesse vt publici iuris sit. Immò verò cùm locus publici iuris est, multo magis metuenda est hæc confusio, nemo enim arcetur loco publico: Et, si quis arcendus erat illis temporibus (quod non putamus licuisse) arcendum fuisset authoritate Magistratus. Christiani igitur suos cœtus habuerunt, & habuerunt certis locis, & verò, vt constat ex cap.4. 1. ad Corinth. eo admittebantur infideles, nempe vt inuitarentur ad nuptias Agni: attamen nondum probatũ est fuisse à Christianis publicè exstructa templa quę illi Ecclesias vocauerint. Nam tolerantur etiam ab infensissimis hostibus Religionis sæpenumerò qui priuatim religioni operam dant, non credibile tamen est eosdem, si sacra sua colant publicè, æquè toleratum iri, nempe diuersum de religione sentientibus videtur contumelia. Sanè Judæi suas habebant Synagogas & quidem ex Edicto, itaque eo conferebant se Apostoli vt in Actis passim videre est, nec inde abscedebant nisi ejecti, quoties in publico docendum erat Euangelium. Esto igitur conclusum in Nouo Testam. *Ecclesiæ* vocabulum

Ecclesiæ vocabulum in

N. T. nunquam significat locum.

nunquam significare locum. Cap. quidem 16. Act. προσευχὴ locum significat in quo conuenitur ad orandum, sed nomen est quo Judæi hellenistę ædes publicas in quas conueniebant Religionis caussâ indigitarunt (vnde illud Iuuen. *In qua te quæro proseucha)* Syrus interpres vertit doctissimè בית צלותא *domum orationis*. Tenendum est igitur (quod & iam suprà conclusum est) Ecclesiæ nomen in N. Test. neque conuentum significare, neque locum in quo conuenitur, quamuis iunctum nomini aut verbo significet conuentum, vt cùm dicitur *conuenire in Ecclesiam, loqui in Ecclesia*, haud dubiè conuentus significatur, & cùm genitiuo jungitur (nisi sit genitiuus *Dei, Christi)* significat etiam conuentum, vt cap. 12. ad Hebr. *Ecclesia primogenitorum*, id est, cœtus, conuentus primogenitorum, vt vertit doctissimus interpres, qui de industria voluit Ecclesiam Latinè interpretari. Porrò (quod etiam suprà monuimus) Ecclesia dicta est ab Apostolis societas fidelium, propterea quod in Vet. Testam. dici solitum fuit pro Ecclesia Israelis קהל ישראל.

neq; etiam conuentum significat nisi verbo iunctum, aut nomini genitiui casus.

Cœtus fidelium in N. T. nunquam dicitur Synagoga.

Resp. ad Scripturæ loca, ad 1.

Nec satis firmum est quod affertur à viris doctis, qui negant alio nomine Ecclesiam in Veteri alio in N. Test. appellari, nam aiunt Ecclesiam Vet. Test. vocatam quidem esse *Synagogam*, sed & Ecclesiæ in N. Test. idipsum nomen tribui; idque student probare tribus locis in N. Test. quorum primus exstat 2. ad Thessal. cap. 2. quo loco Apostolus hortatur Thessalonicenses ne conturbentur variis rumoribus, eosque obsecrat per aduentum Christi & ἐπισυναγωγῆς eorum ad Christum, vbi, inquiunt, Ecclesia dicitur Synagoga. At nulla mentio fit eo loco Synagogæ, sed ἐπισυναγωγῆς. Tum ἐπισυναγωγὴ eo loco significat aggregationem fidelium ad Christum, quæ peragetur in magno illo die: Nam facta mentione aduentus Christi meminit continuò aggregationis nostræ ad Christum, nempe ante illud tempus nunquam conjungimur omnes ad Christum: Quod si ἐπισυναγωγὴ Ecclesiam eo loco significaret, oratio neque aliquid significaret, neque cohæreret, quid enim sibi velint hæc verba, *Oro vos per aduentum Christi, & per Ecclesiam?* Sanè non facile est assequi quid sibi velit qui sic loquitur.

Quid sit ἐπισυναγωγὴ ratio.

Tum etiam cur aduentus Christi primò meminerit, tum Ecclesiæ, si ἐπισυναγωγὴ aliud eo loco significat quàm collectionem omnium fidelium; collectionem, inquam, quæ fiet tum cùm anima & corpore simul vna conueniemus ad Christi tribunal, atque vna cum Christo regnabimus. Secundus locus quo nituntur est Hebr. 10. quo loco Apostolus hortatur Hebræos ne deserant mutuam ἐπισυναγωγὴν. At si ἐπισυναγωγὴ eo loco Ecclesiam significet, sensus erit, *Ne deserite Ecclesiam vestram*, quo modo non solent loqui Apostoli, nam *Ecclesiam Dei* dicunt, & *Christi*, sed *Ecclesiam horum*, aut *illorum* non solent dicere. Deinde pugnat illa interpretatio cum mente Apostoli, nam agitur de conuentibus Christianorum in vnum cultus Diuini caussa, itaque Apostolus hortationis suæ argumentũ adjicit, quod sic accenditur charitas mutua: Iam verò quæ esset hæc sententia, ne deficite ab Ecclesia vt accendatur charitas mutua? Profectò, absurda planè: sed si conuentum intelligamus optimè quadrant ista, nihil enim potentius ad colligendos fidelium animos quàm si frequentissimè conueniant publicarum precum, & verbi audiendi caussâ. Tertius locus est 2. cap. Epist. Cath. Jacobi, *Si quis*, inquit, *ingrediatur* εἰς συναγωγὴν ὑμῶν. Sed obseruandum est non dixisse Apostolum εἰς συναγωγὴν ὑμετέραν, sed εἰς συναγωγὴν ὑμῶν, *in Synagogam*, hoc est, in conuentum vestrum. Jam verò nullo modo potest dici Ecclesia συναγωγὴ ὑμῶν, multò minus aliquis ingredi in Ecclesiam aureum gestans annulum. Quid est igitur eo loco *Synagoga*? nempe conuentus, coitio, congregatio. At Iudæis *Synagoga* non est conuentus tantum, sed societas Judæorum. Ergo hóc maneat firmum, Apostoli abstinuerunt nomine quo vetus Ecclesia designata est, nouum nomen ad indicandam Ecclesiam Christi adhibuerunt. Itaque cùm Iudæi *Synagogæ* nomen etiam loco tribuerent, Apostoli *Ecclesiæ* nomen nunquam dederunt loco, etiamsi Augustinus diuersum senserit, nam eodem modo interpretatur quæ scripta sunt 1. Corinth. cap. 11. quomodo doctus ille vir cuius sententiam refutauimus. At Syrus Interpres longè doctissimus & vetustissimus idem, diuersum hic sentit ab Augustino, nempe eo cap. vbique Ecclesiam עדתא interpretatur, id est *cœtum, conuentum*. Atque hæc de nomine Ecclesiæ disputata sunto.

Resp. ad 2.

Resp. ad 3.

DE NATVRA ET CONDItione Ecclesiæ.

SEQVITVR secundum caput, de natura & conditione Ecclesiæ; Est autem Ecclesia, vt à definitione ordiamur, *Societas hominum ex vniuerso genere humano iam corrupto, per ministerium Verbi, iuxta Dei beneplacitum, vni capiti Christi vnitorum, atque in eo Gratiæ in hac vita, & Gloriæ in futura compotum, idque vt exstet extra Deum argumentum Sapientiæ, Potentiæ, Iustitiæ & Misericordiæ Dei.* Est autem Ecclesia *Societas*, est enim multitudo, πολλοὶ ἐσμὲν *multi sumus*, cap. 10. 1. Cor. Et quidem *eorum qui inter se iuncti sunt*, alioqui multitudo illa non foret societas, nam eodem loco inquit Apostolus οἱ πολλοὶ ἕν σῶμα ἐσμέν. Et verò est *hominum* hæc societas, non verò Angelorum (nam non esse belluarum nihil opus est monere) Angeli enim excubant quidem pro salute Ecclesiæ, sunt Ecclesię conjunctissimi studio atque affectu, attamen non sunt Ecclesiæ membra. Quod vel hinc colligere est, quod sint *Spiritus administratorij missi à Deo* (vt testatur Apostol. cap. 1. ad Heb.) *ad procurandam Ecclesiæ salutem.* Deinde, cùm Ecclesia sit corpus Christi mysticum, Angelos de Ecclesia non esse necesse est, nam non pertinent ad corpus Christi: ij corpus Christi faciunt, quos Christus assumpsit, *non assumpsit autem Angelos, sed semen Abrahæ.* Denique Ecclesiam Christus sanctificauit & lauit sanguine suo; at Angelis id non contingit: non lapsis, nulla enim illis salutis spes reliqua est: nec integris, nihil enim opus fuit illis purgatione, at confirmatione tamen opus fuit, sed confirmatio sanctificatio aut purgatio dici nequit. Attamen Christus Angelorum caput est, sed alio sensu quàm quo dicitur *Ecclesiæ caput*, nempe eorum caput est quà Deus est, qui illis quicquid sunt totum dat, deinde etiam quà Mediator est, eorum adhibet ministe-

Definitio Ecclesiæ.

1. Est Societas

2. Hominum non Angelorum.

Christus quomodo caput Angelorum.

ministerium ad Ecclesiam tuendam. Ergo Angeli ministri sunt Ecclesiæ, vel Dei potius erga Ecclesiam, non constituunt Ecclesię partem: ut cùm eidem Regi duo regna subdita sunt, quamquam socia & confœderata tamen non constituunt vnum regnum; ea planè societatis Angelorum & fidelium ratio est, duæ sunt velut ciuitates inter se coniunctissimæ, attamen non sunt vna eademque ciuitas. *Hominum*, igitur *societas* Ecclesia est, & quidem *collecta ex vniuerso genere humano*: Deus enim nullius in colligenda Ecclesia neque gentis, neque ordinis, neque dignitatis rationem habet, itaque in hoc genere non his magis, quàm illis addictus est. Sed colligitur Ecclesia non simpliciter ex humano genere, verùm *ex humano genere corrupto*, alieno à Deo, itaque dicitur Christus *sanctificasse & purgasse Ecclesiam suam*, cap.5. ad Eph. Et 17. Joan. *Ex mundo*, inquit Christus, *erant*. Nam quæ fuit Christi Discipulorum conditio, eadem omnium conditio est natiua: non enim nos Christum, sed Christus nos elegit. Itaque Apost. 2. ad Ephes. omnes affirmat indiscriminatim, tam qui è Gentibus quàm qui è Judæis crediderunt, *fuisse mortuos in peccatis*.

3. Collecta ex vniuerso genere humano.

4. Corrupto.

Colligitur autem Ecclesia *per Ministerium Verbi*: Verbum Dei instrumentum est quo Deus vtitur ad colligendam Ecclesiam, nam cùm Ecclesia sit societas hominum quos Deus intellectu & voluntate præditos esse voluit, verbo suo Deus vtitur pro captu humani ingenij in colligenda Ecclesia. Porrò *Verbum Dei* duobus modis intelligi potest; nempe ut vel *Legem* significet, vel *Euangelium*, id est, omnem doctrinam à Deo profectam. Sed nos *Verbi Dei* nomine Euangelium intelligimus, quod in Scriptura *Verbum Dei* solum vocatur, cùm *Lex*, quatenus significat doctrinam Euangelio oppositam, *Verbum Dei* in Scriptura nusquam appelletur, alioqui *Lex Dei* etiam pro doctrina Euangelica in V. T. st. sumitur, vt Psal. 19. quo loco eadem elogia Legi tribuuntur quæ Apostolus Legi detrahit, Euangelio peculiariter tribuit; nempe vox hæc תורה vi sua doctrinam significat. Non est autem omnis doctrina idonea ad colligendam Ecclesiam, quando Ecclesia colligitur ex multitudine hominum qui natura peccatores sunt & rei mortis æternæ. Jam doctrina Legis quid aliud possit facere apud homines perditos & condemnatos quàm augere & intendere desperationem? ut si quis ægrum ita soletur, ut prædicet laudes valetudinis firmæ & integræ, contraque exaggeret significantibus verbis miseriam eorum qui coguntur decumbere, & conflictari cum morbo lethali. At huiusmodi est Legis doctrina, solos enim prædicat beatos qui non sunt peccatores, reliquos quotquot sunt, & quicunque sint denuntiat non modo miseros esse, sed obnoxios maledictioni; Itaque ab Apostolo vocatur *ministerium mortis*. Et quia lex quædam habet, nempe quod ad præcepta attinet, omnia illustria & consentanea rationi, appellat legem *Litteram*: quorsum, & quo consilio? Nempe ut moneret in hominibus mortuis in peccato, legem nullam habere vim ad eos commouendos ut ea præstent quæ lege præscripta sunt. Quo Apostolus respexit cap.8. ad Roman. vbi docet quid Legi fuerit impossibile, & cuius vitio Legi id fuerit impossibile, nempe non vitio Legis quæ iusta est, & sancta, ut Apostolus docet cap.7. sed vitio carnis, hoc est naturæ humanæ corruptæ & deprauatæ peccato: Nam lex est instar cibi, porrò cibi non est curare ægritudinem, sed sanitatem conseruare, imò verò cibis, nisi adhibeantur tempore & loco, accidit ut sint noxij nullo ciborum vitio, sed illius morbo cui offeruntur.

5. Per ministerium Verbi.

Euangelij nempe nō Legis.

quæ non est apta ad colligendam Ecclesiam.

Quorsum Apostolus vocauerit Legem Litteram.

Eius impotentia.

At Euangelij non est ea ratio: etenim spem habet salutis, quam à Deo proponit atque offert, salutis, inquam, miserorum, & afflictorum, & iacentium. Et quamuis præcepta habeat, & quidem tam accurata quàm sunt præcepta Legis, tamen ea sunt condita tanta suauitate & dulcedine, ut illabantur atque insideant hominum animis; quod discrimen Legis & Euangelij longè maximum est, vnde Euangelium *Spiritus ministerium* est, nam Spiritus *consolator* est, & idem *sanctificator nostri*, quæ duo Euangelium complectitur ut soletur miseros, & peccatores adducat ad pœnitentiam. Itaque cum objicitur parem esse conditionem Legis & Euangelij, quod tam non sunt idonei homines qui pareant Euangelio, quàm non sunt idonei qui Legi pareant, futile id est. Nam lex inuenit peccatores, itaque nullo pacto fieri potest, ut quando solis iustis pollicetur vitam æternam, vllum soletur, aut ab illo impetret ut in posterum studeat bonis operibus. At Euangelium pollicetur vitam æternam etiam peccatoribus consceleratissimis, tantum exigit in posterum fidem & pœnitentiam. Itaque summam affert consolationem atque in posterum quidem omnem aufert occasionem indulgendi peccato, quando relicta est spes veniæ. At lex vtitur, ut loquuntur, stricto iure, nec tantum an te peccati pœniteat spectat, sed an peccaueris, vnde efficitur quod si Euangelium nullam habet efficaciam, id inde proficisci quod malitia humani ingenij summa sit, & quæ, nisi res ipsa nota esset, superaret omnem fidem. At in eo quod homines detrectant facere quod lex præscribit, magna quidem elucet malitia & detestabilis (Lex enim bona & sancta) sed tamen quia semel transgressi legem non possunt legem præstare (requirit enim lex obedientiam non in posterum modo, sed quæ integra fuerit & præstita ab ipso statim, pro ætatis conditione, vitæ limine) longè diuersa est conditio Euangelij & Legis: ut verbi gratia, si Rex curet per Ministros suos reo legi quid faciendum ei fuerit, aut idem Rex curet legi quid minus in vita anteacta rectè factum fuerit à reo, postuletque in posterum ut ad Regis misericordiam confugiat, profectò ut loquuntur, toto cœlo hæ agendi rationes distant. Huc etiam & illud accedit, quod Deus, quibus Spiritum indulget, non indulget nisi per prædicationem Euangel. quo referri potest etiam illud Pauli, *Num accepistis Spiritum per prædicationem Legis, an verò per prædicationem Euangelij* cap.3. ad Gal. Nam *Spiritus* est quicquid superat naturam corruptam, nempe non modò dona extraordinaria, sed etiam lætitia, gaudium, & amor Dei, qui nullus est nisi vbi est coniunctus cum summa voluptate. Quod verò accidit ut verbi Ministerium non sit efficax apud omnes, id vero inde fit quod omnes non admittant tantam lucem. Sed cùm simus omnes natura vera luce destituti, quæritur non absurdè vnde illud discrimen oritur, id verò Paulus describit, nam ait, *Si Euangelium nostrum tectum est, tectum est iis qui pereunt, quorum mentes*, νοήματα, *Deus huius sæculi excæcauit*, nempe *incredulorum*, *vt ne illis illucescat*

Euangelij supra legem præstantia.

Obj.

Ref.

Legis & Euangelij discrimen.

Simili illustratur.

Vnde fiat vt Verbi ministerium non sit efficax apud omnes.

illuminatio Euangelij gloria Iesu Christi. Nec propterea adscribenda est Deo caussa incredulitatis nostræ, sed adscribenda tamen est Deo proinde caussa fidei nostræ, nam quod terra lucida est, id verò Soli debet, quod verò opaca est sibi. Etenim quod Satanas excæcat mentes nostras, id non facit aliter quàm per modum tentationis, vt loquitur Scriptura, qui frustraneus esset nisi nos procliues essemus, atque propenderemus eo quo ille nos allicit; argumento sit quod apud Christum nihil promouit, quamuis vehementissimè tentarit Christum.

6. *Iuxta Dei beneplacitum.* Quod probatur. 1.

Adiecimus autem collectionem istam Ecclesiæ per verbum fieri, *iuxta Dei beneplacitum*, pluribus de causis, ac primò quidem, quia Scriptura meminit Dei beneplaciti in hominum vocatione ad salutem, vt verbi gratia Paulus cap. 1. ad Galat. *Quando*, inquit, *visum fuit Deo qui me separarat à ventre matris meæ, & qui me vocauit per gratiam suam, reuelare mihi filium suum, &c.* Nempe agnoscit Paulus vocationis suæ principium & caussam esse *Dei beneplacitum.* Quorsum respexit Iacobus Catholicæ suæ cap. 1. *Volens*, inquit, *peperit nos verbo*, vbi significanter dixit *volens.* Voluit, scilicet, significare non aliunde profectam esse regenerationem nostram quam à voluntate Dei, hoc est, vt in Scholis loquuntur, vocationem nostram in solidum vt caussæ adæquatę, qua posita effectum sequitur, ferendam esse acceptam voluntati diuinæ.

2.

3. Vindicatur locus Rom 9. v. 18. contra Arminianos.

Nam cap. 6. ℣. 18. ad Rom. Apostolus, inquit, *Miseretur quorum vult misereri, indurat autem quos vult indurare.* Quæ verba nullo modo trahi possunt ad iustificationem, quia induratio emollitioni cordis, non damnationi opponitur. Non enim Deus quos damnauit, prius eos indurat, sed damnat induratos, quemadmodum non eos quos fide donat prius iustificauit, sed iustificat fide donatos: Itaque vocatio iustificationem præcedit, neque enim Deus quos iustificauit eos vocat, sed contra quos vocat, eos iustificat. Deinde etiam non est credibile Apostolum ad Dei voluntatem recurrisse, cum ageretur de reddenda ratione cur hi potius, quàm illi iustificentur, cùm in promptu caussa sit, nempe hic Deo credidit, hunc pœnituit peccati, ille non credidit, istum non pœnituit peccati, caussa iusta & idonea est etiam humanę rationis iudicio, nisi quis insaniat. At cur Deus huic potius fidem ac pœnitentiam dederit quàm isti, cùm simus omnes natura pares, id verò non æquè liquet, itaque hic nobis in Dei voluntate est acquiescendum, non quidem eo animo ac si Deo ascriberemus incredulitatem hominum, sed vt Deo fidei nostræ totam laudem tribuamus, nam Deus quidem omnis boni author est, itaque si hic bonus est potius quàm iste, debet hoc Deo, & quidem, vti dictum est, *comparatiuè*, id est, non debet Deo tantum quod bonus est, sed quod potius bonus sit, quàm hic aut ille (vt qui è paupere diues factus est à Rege, debet diuitias suas Regi, & ita quidē vt instituta comparatione inter se & reliquos pauperes, agnoscat sibi datum à Rege quod paucis datum fuit) saltem vt id ex animo faciat quod ore tenus fecit Pharisæus, vt Deo gratias agat quod non sit is qui sunt alij demersi atque obruti peccatis, nulla spe, nulla fide præditi: alioqui necesse est vt partim nobis, partim Deo salutem debeamus, siquidem quantum in nobis Deus fecit tantum in reliquis fecerit. Nam discrimen est certè, & quidem immane, non autem pendebit discrimen à diuersa agendi ratione in Deo, siquidem Deus gratiam suam tam his quàm illis pariter offerat, nam caussa pariter agens non facit discrimen, sed tantum caussa partialis est, vt loquimur in Scholis. Itaque quod hic reijcit Euang. id est à Diabolo, & à malignitate naturę, quod iste paret Euang. id est à Dei gratia.

Vindicatur item locus Rom. 9. 11. *Non ex operibus, sed ex vocante.*

Eadem ratio effecit vt Apostolus eodem cap. totum hoc quod Deo paremus tribuerit, non operibus, id est, nulli prærogatiuæ quæ à nobis non à Deo esset, ait enim, *Esse à vocante, non ex operibus* quod hic credit, iste non credit. Neque verò detorqueri ista verba possunt ad negotium iustificationis, cùm iustificatio sequatur non præcedat vocationem. Nam cap. 8. inquit Apost. *Quos vocauit, eos iustificauit*, & certè locutio esset admodum dura, *vocationem* opponere *operibus* cum de iustificatione agitur, siquidem (quod volunt authores huius interpretationis) eo loco agitur de iustificatione. Nam solet Apostolus quoties de iustificatione disputat, *fidem* opponere *operibus*, nunquam opponit *vocationem operibus.* Deinde quod rei caput est, non potest hoc fieri, siquidem vocatio communis est, nam quæ communia sunt ea non opponuntur. Itaque si vocatio communis est tam operanti quàm non operanti, frustra dicitur, *Id non fit ex operibus, sed ex vocante.* Adijciatur & illud, quod Interpres Syrus longè vetustissimus hunc locum ita vertat, vt illa verba ἐκ τοῦ καλοῦντος interpretetur ביד דקורא *per manum vocantis*, quæ locutio facit vt vocanti tribuatur efficacia quædam, multo enim vehementior est quam si dixisset על יד, nam quoties agitur de efficacia, toties sic loquitur. Sic interpretatur quod in Græco designatum est vel per particulam ἐν, vel per particulam διά. Vt cùm 17. Act. Deus dicitur iudicaturus mundum ἐν ἀνδρί, vertit ביד גברא *per manum viri.* Itaque specialis quædam est vocatio, eademque efficax, nam non est specialis nisi efficax sit. Tum etiam quod sequitur idipsum confirmat, sequitur enim, *Vt propositum quidem secundùm electionem maneat:* Quibus in verbis hoc in primis obseruandum est, quod Apostolus non dixit, vt *propositum* κατὰ τὴν ἐκλογὴν, sed *propositum* κατ' ἐκλογὴν: nam ἡ ἐκλογὴ hæc demum locutio designare posset electionem quæ facta est secundum quandam legem, qualis est ex omnibus peccatoribus electio fidelium ad salutem, at Apostolus non est ita loquutus, simpliciter dixit, nulla adhibita designatione, *vt propositum Dei* κατ' ἐκλογὴν *maneat*: Quid est igitur *propositum Dei* κατ' ἐκλογὴν? sic liceat nobis loqui, nihil aliud est quàm *propositum electiuum*, ideoque liberum, saltem qui diuersum à nobis sentiunt hoc concedent.

Quid sit Apostolo *propositum Dei* κατ' ἐκλογὴν.

Diuinæ & humanæ electionis discrimen.

Porrò hoc est humanæ & diuinæ electionis discrimen, quòd cùm Deus ipse sibi finis est (nihil est enim præstantius Deo; itaque extra se nullum habet finem) attamen nihil illi opus est mediis vt perueniat ad finem suum, est enim sibi ipsi intimus non proximus modò: At electionis humanæ diuersa ratio est, nam finis hominis homo non est, sed Deus, & cùm ad Deum non quauis via peruenitur, sed vnica duntaxat, electionis mediorum (quatenus ab homine proficiscitur) ratio & cōditio non est merè libera, si libertatem *indifferentiæ* nomine designemus, non magis quàm ægris remediorum electio libera est, nisi fortè

fingamus

fingamus insanientem ægrum, qui quæuis remedia iuxta habeat. Vnde hoc sequitur, electionem aliter Deo, aliter hominibus tribui: quoties, inquam, Deo simpliciter tribuitur, vt hoc loco in quo versamur, est merè libera (& verò verba Apostoli præcedentia hoc indicant) nam notat æqualitatem: hæc sunt eius verba, ỽ.10. *Ex vno concubitu*, deinde, *cùm nondum nati essent, aut aliquid boni egissent*, quibus ille verbis haudquaquam fuisset vsus in tam immani discrimine, quantum est eorum qui credunt Deo, & quos peccati pœnitet, & eorum qui aspernantur Dei gratiam, & peccato securè indulgent. Denique & illud etiam atque etiam animaduertendum est, qua Apostolus hic præfatione vsus sit, nam sic exorsus est disputationem hanc vt dixerit, *non solum autem*, quæ locutio indicat satis Apostolum agere de re (si reuocetur ad calculum humanæ rationis) multo magis implicita atque impedita quàm sit ea de qua egerat versu præcedenti: quæ res (nisi velimus digredi) non potest à nobis iam commodè explicari. Igitur hoc teneamus, duplicem esse πρόθεσιν, vnam certis quibusdam legibus obstrictam, seu illę leges sint præscriptæ à iustitia, seu item à misericordia: à iustitia, vt si quis esset iustus, certè Deus eum iustificaret, attamen non esset hæc πρόθεσις κατ' ἐκλογήν, nam est ratio cur hoc fiat; itidem si esset qui serio in Deum crederet, eius haud dubiè Deus misereretur, sed tamen hoc esset fortasse κατ' ταὐ ἐκλογήν non esset simpliciter κατ' ἐκλογὴν: Sed cum omnia sunt paria (vt certè qui ab eodem nati sunt, vt nos omnes sumus ab eodem sanguine, quemadmodum Paulus loquitur & Propheta) merà est ἐκλογή, puta puta electio. Ne distinguamus igitur nimis subtiliter *Propositum Dei* ab *Electione Dei*, sed dicamus quod res est, hæc verba κατ' ἐκλογὴν adiecta esse explicationis causa: vt sit sensus, *vt propositum Dei quod liberum est, sit firmum*. Non est autem in Deo actio merè libera iustificare credentem & pœnitentem: (merè autem liberam actionem vocamus eam quam omittere non pugnat cum natura Dei) nam inest Deo naturalis quædam proprietas, misericordia nempe, cuius obiectum est is qui Deo gratiam & veniam offerenti fidit, Deus scilicet non potest semetipsum abnegare: At verò ita hunc compellare tam vehementer, atque (vt vulgo loquimur) tam persuasiuè vt manus det, id verò tam liberum est, quàm creasse aut non creasse mundum.

Duplex Dei πρόθεσις.

Itaque hæc Dei actio non est appellata *Vocatio* frustrà sed certa quadam ratione. Nam, vt iam monuimus, sæpè sequuntur Apostoli phrasim Vet. Test. in exemplis suis (nempe non contempserunt lectionem Vet. Test. quod scriptum erat lingua Græca) iam verò in Veteri Testam. *vocare* quoties Deo tribuitur, aliquando quidem significat nudam & simplicem vocationem, sed hæc significatio rara est admodum, nec, quantum possum meminisse, occurrit nisi in Prouerbiis, vbi Sapientia vocare dicitur etiam stultos: Quorsum Christus respexit cùm diceret, *Multi vocati, pauci electi*, nempe Christus est illa Sapientia quæ vocat etiam stultos, *stultos* autem dico *non parituros*, nam alioqui tam qui parent, quàm qui non parent natura stulti sunt. Igitur quæcunque scripta sunt in libro Salomonis de Sapientia, propriè intelligenda sunt de Christo manifestato in carne, & vocante homines ad rectam salutis viam ingrediendam & insistendam: Nam certè Sapientia Patris nunquam se destituit, semper edidit testimonia sui, nam *lux erat in mundo* statim ab initio, *Et luxit in tenebris, sed tenebræ non comprehenderunt illam lucem*, at ista lux se prodidit luculentissimè tum demum cum Verbum caro factum est. Sed multo frequentius *vocare*, quoties Deo tribuitur, significat designationem quandam coniunctam cum efficacia, quia in rebus designandis solemus eas nominibus suis appellare. Designantur autem homines, immò vero res inanimatæ, vel ad bonum, vel ad malum; & homines quidem ad bonum, vt cùm Deus dicit, se vocasse Bezeleelem nomine suo, vt Arcam & quę ad Arcam pertinerent fabricaretur, hoc vult, se efficaciter eum vocasse, id est, indidisse illi tùm facultatem, tum etiam voluntatem: non quod vsus Bezeleele sit, quemadmodum qui fistulâ vtuntur, aut tibiis quas inflant (sicut nonnulli loquuntur, dum volunt exosam reddere hanc sententiam, quæ omnem boni operis laudem Deo in solidum tribuit) sed quia sic affecit Bezeleelem spiritu suo, nihil vt illi deesset ad facultatem, vel ad voluntatem tanti operis pręstandi. Sic Esaiæ cap. 29. Dominus noster Iesus Christus profitetur se à ventre vocatum esse à Deo ad opus salutis nostræ peragendum, hoc est, seconstitutum esse in hoc munere; In hac loquutione tamen figura est, nam quemadmodum Ieremias à ventre sanctificatus fuit, vt scriptum est Ierem. 1. cùm tamen non fuerit statim Propheta, sic Dominus noster ab vtero matris (vt Scriptura loquitur) vocatus fuit, cùm tamen non continuò cœperit vel Prophetæ, vel Sacerdotis, vel Regis etiam (quatenus manifestatus est in carne) munere fungi. Et in malo eadem vox vsurpatur, cùm agitur de creaturis præditis ratione, vt cùm 2. Reg. cap. 3. tres Reges dicuntur vocati à Deo vt Deus eos tradat; porrò *tradere* in Scriptura malum significat: Ergo vocatio illa trium illorum Regum fuit in malum, efficax tamen. Et de rebus inanimatis item cum agitur eadem vox adhibetur, tum in bonum, tum in malum. Et in bonum quidem, vt cum Dominus dicitur *vocare frumentum* Ezech. 36. & alibi passim in hoc genere. Item cùm dicitur *vocare gladium*, *vocare vastitatem*, *vocare famem*, in malum quidem, sed efficax tamen vocatio significatur. Itaque hoc conclusum esto, *vocare* in Scriptura significare designationem efficacem, quæque pendeat à voluntate, & vi designantis, vt testantur exempla huius locutionis iam allata.

Vocare quid sit in V.T.

Nempe aliquando, vocare simpliciter,

sed rarius.

at multo frequentius, vocare efficaciter.

idque tum in bono.

quàm in malo.

etiam de inanimatis.

Sed vt accedamus ad rem propius, obseruandum est etiam atque etiam quod scriptum est Esaiæ cap. 55. *Vocabis gentem quam non nouisti*: eo enim loco exstat vaticinium de Gentium vocatione, quam figurata quadam locutione Deus dicitur non agnouisse, quia nempe non erant populus Dei ante illam vocationem. Et eo quidem loco vel hinc colligi potest agi de vocatione quadam efficaci, idque non ex euentu, sed ex vocantis voluntate, sequitur enim, *& populus qui te non nouit curret ad te*. Ita adimitur omnis laus obedientiæ naturæ, tota tribuitur Gratiæ vocantis. Atque hinc haud dubiè factum est, quod toties Apostoli verbo *vocationis* vsi sunt, nempe adhæserunt phrasi Scripturæ. Itaque iidem *vocati* & *credentes* dicuntur in Scriptura nec tamen intelligendum est hoc nomen ac si adiectiuum esset

Vocatio Dei ad salutem efficax.

non ex euentu, sed ex Dei vocantis voluntate.

Quid *Vocati* significet in Script.

(quæ est nonnullorum doctorum virorum sententia) vt *vocati* dicantur *illustres & celebres* : Non quod hæc vox non occurrat in Scriptura hoc sensu, nam Num.16. Principes Israelitarum dicuntur *vocati*, sed quia in Nouo Testamento vox κλητοὶ *vocati* participium est, non adiectiuum simpliciter. Quum 8. cap. ad Rom. qui Deum amant dicuntur *vocati secundùm Dei propositum*, certè necesse est eo loco nomen *vocatus* aut *vocati* participium esse, non adiectiuum: Nam *propositum Dei* non est simpliciter Dei voluntas, sed voluntas antecedens effectum (vt vox ipsa significat) quanquàm nullus dicitur celeber nisi vocatus à Deo. Etiam serui à Deo dicuntur vocati vt sint serui, *In qua vocatione* (inquit Apostolus) *vnusquisque vocatus est in ea maneat*: quo loco *vocatio* designatio est ad statum quendam in vita, seu status contemptus sit, seu in honore. Vnde factum est vt quod Iacobus Esauo prælatus sit, minor maiori, etiamsi nihil aliud intelligeretur quàm prælatio terrena, tamen tribuitur vocationi Dei, nempe Deus vocauit ad hoc Iacobum, non vocauit Esauum.

Vocationis Dei efficacia à verbo Dei est.

Cæterùm vis huius vocationis quâ non ad rem terrenam vocamur, sed ad communionem Christi vt loquitur Apostolus 1.Cor.1. non est aliunde quàm à verbo Dei, sed tamen non est à verbo Dei simpliciter quatenus ab homine proficiscitur illud Dei verbum, sed quatenus à Spiritu Dei agente per illud verbum, intrinsecus mouetur cor hominis ad fidem & pœnitentiam. Itaque dixit Paulus, *Paulus plantat*, *Apollo rigat*, *Deus dat incrementum.* Itaque cum in definitione Ecclesiæ *ministerij verbi* meminimus, intelleximus ministerium verbi quatenus comitem habet spiritum. Vnde Apostolus 1.Cor.2.4. ait *prædicationem suam fuisse in demonstratione spiritus*, quam eandem vult fuisse *in vi spiritus*: nempe non est ista vis *Physica* quâ mouetur cor hominis, quamuis vis sit, sed est vis *Ethica* veluti, nempe ista vis *demonstratio* est, demonstrationi autem non potest humana mens repugnare. Quod si apud quosdam Euangelium efficax non fuit, apud eosdem certè Euangelium non fuit ἐν ἀποδείξει καὶ δυνάμει. Nam continuò sequitur, *Vt fides vestra sit in Dei potentia.* Et, *sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius sæculi, neque Principum sæculi*, &c. *Quam nemo Principum sæculi nouit, si enim nouissent, non crucifixissent Dominum gloriæ, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit*, &c. *Nobis autem Deus reuelauit*, &c. *Nemo nouit ea quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, nos autem non accepimus spiritum mundi, sed Spiritum Dei, vt sciamus*, &c. *Animalis autem homo non capit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim ipsi sunt, & non potest ea cognoscere, quia dijudicantur spiritualiter, spiritualis autem dijudicat omnia. Quis enim nouit mentem Domini? Nos autem Christi mentem habemus.* Non credo loquitur Apostolus de impiis & hypocritis. Huc etiam pertinet quod Ezech.36. Deus pollicetur *se ablaturum cor lapideum*, *& daturum cor carneum*, quæ verba Apost. 8. cap. ad Rom. sic interpretatus est vt *cor lapideum* appellet φρόνημα τῆς σαρκός. *Cor* verò *carneum* appellarit *affectum spiritus*, est enim carnis affectus pugnans cum affectu spiritus: Attamen alibi rem penè totidem verbis enuntiauit, nam Euangelium suum ait inscriptum *carneis tabulis cordis, non lapideis.* Quod verò nonnulli *cor* voluntatem interpretantur, frustra sunt; nam Lex non scribitur in voluntate, sed in mente, cuius est agnoscere Legem, & *intelligere* cordi tribuitur in Scriptura: Itaque dicitur ἀσύνετος καρδία, *cor non intelligens* Rom.c.1. Et cap.29. Deuter. *Non dedit vobis*, inquit Moses, *cor ad intelligendum*, &c, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, vt ait Apost. Vbi *cordis* nomine mens haud dubiè intelligitur, nam mentis est credere, nempe, *credere* est actus qui habet pro objecto verum, mentis igitur est credere. Et Dominus noster Iesus Christus, cùm soli fidei tribuit vitam æternam, sic definit fidem vt *cognitionem* appellet, *hæc est*, inquit, *vita æterna vt te cognoscant verum Deum*, &c. *Cor* igitur in Scriptura mens est, non tamen illa mens quam Philosophi *Theoreticam* appellant simpliciter, sed potius mens *Practica*, quam voluntas non potest non sequi.

quatenus comitem habet Spiritum.

Cuius Spiritus vis non est *Physica*, sed *Ethica* verùm efficacissima & irresistibilis.

Cor etiam mentem significat in Script.

Fides est actus propriè Mentis, sed practicæ.

Atque ille locus ita quendam malè habuit, vt commentus sit aliquid quo posset tenebras offundere tantæ luci, scripsit enim eo loco Deum agere apud conuersos, non apud conuertendos. Sed hoc merum est effugium, nam (vt alibi monuimus) si conuersis opus est vt Deus auferat illis cor lapideum, multò magis conuertendis. Deinde, ridiculum est Deum statuere auferre cor lapideum iis qui conuersi sunt, nam conuersorum corda carnea sunt, non lapidea; non autem aufertur alicui quod non habet. Denique inspicienti locum liquidò constabit agi de celebri illa vocatione Iudæorum, cuius Paulus meminit ad Rom. 8. At Iudæorum conuersionem præcedet auersio, nam conuersionis objectum oportet esse eiusmodi vt quod conuersum est auersum fuerit. Sed exstat similis locus, si loquutionem spectemus, cap.31. Ierem. qui nullo pacto eludi potest. Nam Christus illum locum aliter interpretatur cap.6. Ioan. Nempe Christus illo loco vtitur vt probet neminem ad se venire, id est, conuerti (nemo enim conuertitur nisi ad Christum veniat) nisi Pater trahat eum, quia *Scriptum est*, inquit, *& erunt omnes docti à Deo.* Itaque non agitur eo loco de conuersis, sed de conuertendis: & si de conuersis ageretur, multò vehementior ratio esset in conuertendis, nam multò facilius promouetur res mota quàm mouetur immota. Atque hæc est illa celebris *vocatio* quæ in Nouo Testam. nunquam dicitur *euocatio*, quamquam sit reuera euocatio. Itaque Ecclesia non est dicta (vt putarunt viri docti) ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, quamquam verum est Ecclesiam euocatam esse, neque enim *vocatio* vnquam dicitur in Scriptura ἔκκλησις *euocatio*, sed Ecclesia ob eam rationem *Ecclesia* dicta est, quæ supra allata est. Deinde tanta est huius vocationis excellentia vt *vocatio* simpliciter appelletur, nam licet ignobilis sit terminus à quo, tamen nobilis est terminus ad quem: nempe sicut creatio dicitur simpliciter, ita & vocatio, nam cùm creationem dicimus, non notamus terminum à quo, sed potius, terminum ad quem. Vnde illud, quod est 4.cap. ad Rom. *qui vocat ea quæ non sunt tanquam si essent*, non dicit Apostolus *qui euocat* sed *qui vocat.*

Vindicatur locus Ezech.36.

1.

2.

3.

Vocatio electorum nunquam dicitur euocatio in N.T.

sed *Vocatio* simpliciter.

Porrò & hæc vocatio est secundum Dei beneplacitum, seu statum & conditionem, seu genus & patriam, seu locum intueamur. Si statum & conditionem, nam agit Christus gratias Patri quod verbum Euangelij reuelauerit νηπίοις, cùm tamen idem verbum celauerit Magnates, quos Rabini vocant גדולי עולם, nempe Deus etiam illorum corda potuisset emollire, voluisset modo, non ta-

Quæ vocatio est secundum Dei beneplacitum, siue respiciatur status, & conditio vocatorum.

non tamen sic egit Deus. Atque eius consilij rationem reddit Christus, *quia*, inquit, *sic tibi visum est*, nam fortasse alij aliis stultiores sumus, non sumus alij aliis nequiores, Adam certè tentatore stultior fuit, attamen nequissimus fuit. Atque vt huius libertatis Dei habeamus argumentum, quanquam rarò, tamen Dominus etiam superborum fastum dejicit. Quæ res Paulum permouit vt Corinthios hortaretur vocationem vt vellent considerare suam; nempe, inquit, *non estis multi sapientes secundùm carnem*, &c, *sed stulta huius mundi elegit Deus*. Notandum autem est accuratè quod præcedit, *Nos prædicamus*, inquit, *Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Græcis stultitiam, attamen vocatis Iudæis & Græcis Christum potentiam & sapientiam Dei.* Itaque falluntur illi qui rationem vocationis hinc petunt quod iste illo melior fuerit, non falluntur qui rationem vocationis inde petunt, quod iste hoc contemptior fuerit, quanquam & Deus hîc liber est. Nam etiam nobiles, & potentes, & tumidos inani opinione scientiæ, licet paucos, vocat; nempe vt speciem edat libertatis suæ, quod ideò monuit Apostolus, non enim dixit, quod *nulli sapientes secundùm carnem*; sed quod *non multi sapientes*.

[…]que eorum […]enus & […]atria.

Eadem libertas etiam cernitur si genus respicias & patriam. Nam aliquandiu Deus siuit Gentes aberrare, tanquam si conniueret ad eorum peccata, vti nos docet Apostolus cap.17. Act. & rursus Iudæos siuit aberrare: quidni enim tam omnes Iudæos, quàm Paulum potuisset conuertere, voluisset modò? neque enim omnes Iudæi magis quàm Paulus peccauerant in Spiritum Sanctum. Vnde prædicatio illa misericordiæ Dei, qua vtitur Paulus, in qua quod huius rei meminit, *feci enim ignorans*, meminit caussæ impellentis. Nam certe qui blasphemat Christum quemadmodum Paulus, in eo conuersionis caussa *sine quâ non* esse potest, non potest esse impellens causa. Iudæos, inquam, siuit aberrare, Nam & hoc testatur Apostolus ad Rom. 11. (& quidem iisdem penè verbis quibus vsi sumus, sanè eadem sententia) vers.13. *Quemadmodum enim*, inquit, *vos Gentes aliquando fuistis rebelles Deo, misericordiam autem nunc consequuti estis horum rebellione*, &c. & v.32. *Conclusit Deus omnes in rebellione*, & vers. 33. ὢ βάθος πλούτου, *ô profunditatem diuitiarum*. Porro Deus ita conclusit omnes & obstrinxit hoc peccato, vt neque faciendo, neque deficiendo, sed non faciendo hoc consequutus sit.

[…]uomodo […]eus con[…]usit om[…]es sub pec[…]to,

Neque enim Deus author est peccati; author autem esset si vel faciente Deo, vel deficiente contingeret malum; sed libet Deo pro Sapientia sua non tantum semper facere quantum potest. Itaque si quid fit boni, Deo efficiente id fit, nempe author omnis boni est, efficitque in suis & velle & perficere: si quid mali fit, non fit deficiente, sed non faciente Deo. Nam *deficere* certè vel culpam, vel imperfectionem caussæ denotat, quorum neutrum in Deum cadere potest: Neque enim Deus infirmus est, qui imperfectione laboret sine culpa, neque malus est, qui deficiat culpa voluntatis, in quo peccatum est. Ad hanc libertatem Dei & beneplacitum respicit Propheta Dauid, Psalm.147. *Qui*, inquit, *verba sua annuntiat Iacob, & statuta sua, & Iudicia Israeli, non fecit sic omni genti.* Cuius discriminis ratio non pendet à Iudæorum & Gentium conditione, quàm disertis verbis excludit Moses, dum prælatos Israelitas reliquis Gentibus negat, ob iustitiam vel dignitatem vllam quæ illis peculiaris fuerit.

[…]e pecca- […] tamen.

[…]dæi non […]t Gen[…]us præ[…]i suo […]rito.

Quod si meminit amoris quo Deus prosequutus est Israelitarum Patres, non fecit tamen hoc eo consilio, vt Iudæis persuaderat, se fuisse prælatos ob Gentis nobilitatem: Nam Iosue eodem consilio quo Moses ad dejiciendum illius gentis fastum, reuocat illis in memoriam patrum suorum conditionem, atque ita reuocat vt moneat eos fuisse idololatras. Qui locus notandus est imprimis, ne quis quod huic potius Genti quàm isti annuntietur Euangelium, hominum meritis, non Dei beneplacito attribuat.

Vindicatur Psal.147. à falsa interpret.

Nam quod quidam locum Psalmi quem nuper citauimus sic interpretatur, vt iubeat obseruari loquutionem *non fecit sic*, nempe vult sic innui Deum quidem iudicia sua, & statuta reliquis gentibus reuelasse, at non *sic* vt Iudæis. Primò, in eo grauissimè errat quod hoc putat innuere hanc loquutionem. Nam *non sic* in Scriptura mera negatio est, non autem est simpliciter negatio modi, vt cum Dominus noster dicit, *Vos autem non sic*, Luc. 22.26. mera negatio est. Et Psal.1. *Impij autem non sic*, mera itidem negatio est, & quidem vtrobique adsignificans contrarium ἀντιθέτως. Deinde, verba quæ sequuntur hoc interpretamentum refellunt, sequuntur enim ista, *& Iudicia eius non nouerunt.* Beneficium ergo hoc in eo situm est, quod Iudicia Dei Israelitæ nouerunt, non nouerunt autem Gentes: Nam si tam Gentes quàm Iudæi Dei nomen agnouerunt, quocunque tandem modo fuerit id factum, ferè perinde est. Tum quæ præcedunt verba idipsum euincunt, facit enim Propheta mentionem operum Dei: Operum, inquam, Dei qualia exhibentur in creatione & gubernatione mundi, hoc verò versu singulare aliquid prædicat concessum Israelitis, nempe verbum Dei. Sic Psal.19. priore parte Psaltes celebrat bonitatem Dei, quæ elucet in vniuerso, quam Deus omnibus omnino hominibus patefecit, at posteriore Psalmi parte totus est in deprædicanda illa Dei bonitate, quam Deus exhibuit conspiciendam in verbo: quod beneficium Ecclesiæ peculiare est. Hinc verò non sequitur Deum celasse Gentes bonitatem suam: imò hinc sequitur potius Deum reuelasse (vt loquitur Scriptura) in oculis Gentium quàm esset bonus, at non ita tamen vt Gentes Deum agnouerint, quod Ecclesiæ proprium est.

1.

2.

3.

Deus Verbo tantum suo conuertit homines.

Non enim Deus vtitur alio instrumento ad conuertendos hominum animos quam verbo suo, quod efficax fit per Spiritum, cuius rei nos admonuit Paulus 1.Cor.cap.1. Verba autem Pauli hæc sunt, etiam atque etiam expendenda. *Postquam per Dei sapientiam* (nempe eam quæ elucet in creatione & gubernatione mundi) *mundus non nouit per sapientiam* (illam nempe quæ iam descripta est) *Deum, beneplacitum Dei fuit per stultitiam prædicationis seruare credentes.* Ergo reuelarit sanè Deus etiam Gentibus bonitatem suam, & quidem illam bonitatem qua inuitantur homines ad pœnitentiam, proindeque quæ nullum relinquit locum desperandi: Attamen ista reuelatio non est efficax, ea quæ per verbum fit duntaxat efficax est, vnde & *ministerium Spiritus* dicitur. Atque hoc est illud beneficium quod effert, vti decebat, laudibus Propheta cùm dicit: *& non nouerunt illa.* Vbi *Et* illatiuum est, perinde enim est ac si diceret Propheta, *propterea non nouerunt*, vt doctissimè vertit Vatablus. Non

quod *propterea* significet caussam efficientem, sed caussam non efficientem; Vt cùm dicimus locum esse opacum & tenebrosum, propterea quod sol non illustrarit illum radiis suis, non notamus illa locutione caussam efficientem tenebrarum, sed caussam non impedientem tenebras, quam, docendi caussa, *non facientem* appellamus. Et eâ item figurâ solemus dicere familiari sermone, *hic non legit Aristotelem*, cùm volumus designare aliquem rudem & imperitum Philosophiæ: non notamus tamen hic efficientem caussam. Et id est quod Apostolus nos docuit, simul enim docet Gentes ita fuisse à Deo habitas, vt non reliquerit se Deus apud eas ἀμάρτυρον, & docet idem *Deum siuisse Gentes ambulare in viis suis*. Quæ videntur pugnare, cùm non pugnent: Nam alterum refertur ad efficaciam reuelationis, alterum refertur ad reuelationem. Porrò efficacia reuelationis est verbi. Quod si Deus extraordinaria quadam ratione se quibusdam è Gentibus patefecit, referendum est hoc ad patefactiones propheticas, vt Jobo: Nos autem hic agimus de vocatione ordinaria qua homines vocantur ad salutem, quam negamus aliter fieri quàm per verbum.

apud Paulum conciliatur.

Et ratione *temporis*, eadem vtitur libertate Deus. Nam alios hoc, alios illo tempore vocat, alios mane, alios hora tertia, alios sexta, vt est Matth.20. Sic Gentes in plenitudine temporis vocauit, non semper: Judæos item vocaturus est in temporis plenitudine, quos iam non vocat: quod ille quidem facit summa cum sapientia, sed cuius rationem tamen nos non tenemus. Itaque acquiescendum est nobis in eius beneplacito, & existimandum id sapienter fieri, quia à Deo fit, qui nihil nisi sapienter facit. Nam hominis quidem est & belluarum temerè & nullo consilio facere quæ faciunt, non conuenit Deo qui idem sapientissimus est. Eadem libertate nuper memoriâ auorum nostrorum (quod antea non fecerat) sustulit, & collocauit in edito loco facem Euangelij sui: Quid aliud respondeamus iis qui quærunt, cur hoc non prius fecerit, quàm quod Christiani olim Judæis & Gentibus fecerunt, nondum venisse plenitudinem temporum, *plenitudo* autem *temporum* est dies & hora quam constituit Dominus. Et ratione *loci* vocatio nostra Deo adscribenda est: Nam alios vocat eo loco in quo peccauerunt, in quo sedent peccantes, vt *Matthæum in Telonio*, quod non est obseruatum frustrà in Scriptura, quasi diceret *nepotem in lustro*. Alios dum sunt in viâ ad peccandum, quamuis ignari si sunt, vt Saulum dum proficiscitur Damascum. Alios in patibulis in quibus suffigi merent propter scelera sua, vt Latronem. Alios in pegmate, vt complures tortores & carnifices, quos *adjectos* ideò vocabant, quia cum in eo essent vt torquerent Martyres, ipsi Martyres fuerunt, verbo Dei, & constantiâ Martyrum permoti. In profeuchis vero & Synagogis, hodieque in Templis quę vocamus, multos vocat Deus, qui se eò contulerant non vt inuenirent quod discerent, sed quod calumniarentur. Quod Dei beneplacitum etiam cernitur, si *numeri* rationem habeamus. Nam nunc paucos vocat, nunc plurimos, tantâ copiâ vt *rumpant granaria messes*. Quorsum respexit Christus cùm diceret *Messem esse magnam, operarios autem paucos*. Nam hoc in primis mirabile est, quod quibusdam temporibus & certis magnus fit concursus ad Euangelium audiendum ab omnibus ferè, aliis temporibus Euangelium ab omnibus contemnitur, cuius discriminis ratio nos latet. Nam quod nonnulli causantur mores hominum, id ipsum afferunt pro ratione quod quæritur: quærimus enim cur ij sunt hominum mores potius his quàm illis temporibus. Denique & beneplacitum Dei in hoc apparet, quod Deus nunc maiorem, nunc minorem (si obiectum spectemus) lucem ostendit Ecclesiæ suæ. Nam vt taceamus discrimen reuelationis sub V. & N. T. temporibus Vet. Test. tenebræ sæpenumerò (si humano iudicio res pensitetur) videntur occupasse ipsam Ecclesiam. Et temporibus N. T. idipsum accidit, cum tamen certum sit verbum Dei nunquam fuisse penitus exstinctum: qua de re suo loco, Deo iuuante, fusius disputabimus, nunc satis sit hoc attigisse quatenus pertinet ad Dei libertatem, & beneplacitum. Atque hîc conclusum esto hoc caput, *Vocantur homines, sed omni ratione secundùm Dei beneplacitum*.

Etiam ratione *Temporis* Deus est liberrimus in vocatione sua.

Item ratione *Loci*.

& ratione *Numeri*.

denique & ratione gradûs Luminis.

Jam verò cùm qui per ministerium verbi secundùm Dei beneplacitum vocantur, vocentur ad communionem Christi, diximus *Ecclesiam societatem esse hominum vni Christo capiti vnitorum*. Itaque de hac vnione nobis disputandum est. In qua disputatione hunc sequemur ordinem, primò ostendemus hanc vnionem existere. Secundò demonstrabimus quam sit necessaria, vtilis, iucunda, & magnifica. Tertiò studebimus exponere in quo sita sit hęc vnio. Quartò quæ sint huius vnionis proprietates docebimus, quàm sit arcta, quàm firma, quàm efficax. Quintò probabimus eam latissimè patere, neque tantum ad populum Noui Test. sed etiam ad populum Dei sub Veteri Fœdere pertinere. Denique, ostendemus quomodo id fieri possit.

De Ecclesiæ cum Christo Capite suo Vnione.

Vt igitur ordiamur à primo, Esse hanc vnionem in Nouo Test. & Veteri item edocemur. Nam Christus dicitur caput Ecclesiæ suæ cap.1. ad Ephes. *Deus*, inquit Apostolus, *dedit ipsum caput super omnia*, eodemque loco Ecclesiam vocat *Christi corpus. Dedit, inquit, eum caput Ecclesiæ, quæ est corpus eius*. Hoc est diligenter notandum, quod Christus disertis verbis dicitur *caput super omnia*, & Ecclesia item disertis verbis, *corpus eius*. Sed quæ sequuntur non sunt minus obseruanda; Nam ibidem Ecclesia dicitur πλήρωμα αὐτοῦ *complementum Christi*. Quid hoc est *complementum Christi*? Vt teneamus quid hoc tandem sit, necesse est consideremus vocem hanc *complementum* esse Hebraicam, nam *complementum* Latinè, πλήρωμα Græcè, Hebræum est מלא, מלא autem non dicitur vno modo in Vetere Testamento, nam aliquando מלא significat, *multitudinem*, vt cùm dicitur *multitudo pastorum* מלא רועים Esai.31. 4. Significat etiam מלא id quod implet & occupat locum, vt cum dicitur Psal.24. *Domini est terra, & plenitudo eius*, nam sequitur continuò, *orbis & habitantes in orbe*, &c. Esaiæ 42.cap. *plenitudo maris* dicitur, id est, ea quæ sunt in mari, nempe quibus si denudaretur terra, spoliaretur mare, terra & mare vacua videri possent. Eodemque sensu Amosi cap.6. Oppidani dicuntur *plenitudo oppidi*, nempe oppidum vastum & desertum est nisi sint incolæ, nec vlla tristior facies objici potest oculis quàm si quis inueniat oppidum & agrum desertum, nam continuò horror occupat intuentis animum. Itaque hic *plenitudo* perfectionem quandam connotat, vnde priusquam Deus terram ornasset plenitudine sua,

Vnio nostra cum Christo probatur 1. e N Test.

Ecclesia quomodo Christi dicatur

מלא quid significet in Vet. T. 1. 2.

dine sua, dicitur fuisse תהו ובהו *deserta & vacua.* Tertiò πλήρωμα, מלא in Scriptura refertur ad mensuram vt cùm dicitur *plenitudo funiculi* מלא החבל 2.Sam. 8.2. *plenitudo pugilli*, Exod.9.8. Leuit.21.2. hoc est, iusta pugilli mensura, *plenitudo calami*. Ezech.41.8. Denique ad staturam refertur, diciturque מלא קומה *plenitudo staturæ*, vt cùm Saül dicitur concidisse in terram מלא קומתו *secundùm plenitudinem staturæ suæ*,1.Sam. cap.28. Atque hæc ultima significatio hîc locum habet, tametsi & reliquæ omnes locum habere possint hoc loco. Nam & Ecclesia *multitudo est*, & quidem multitudo quæ colligetur aliquando in unum locum, & habet certam quandam mensuram. Attamen Apostolus quum vocat Ecclesiam πλήρωμα *Christi* ad ultimam significationem respexit, id quod colligere facilè possumus ex c.4. eiusdem Epist. & cap.2. ad Col. nam ℣.16. cap.4. ad Ephes. *ex quo* (Christo nempe) *totum corpus compactum est, & connexum*: & cap.2.ad Col. vers.19. *Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones est coagmentatum*, &c. Itaque cùm Ecclesia dicitur *plenitudo Christi*, intelligamus plenitudinem illam quæ requiritur in corpore. Huc enim haud dubiè Apostolus respexit.

3. | 4. | hoc vltimo sensu dicitur Ecclesia, Christi πλήρωμα.

Verùm quoniam si Ecclesia est plenitudo Christi, Christus videtur esse imperfectus sine Ecclesia (nam corpus si desit ei sua plenitudo, imperfectum est) subjunxit Apostolus Christum esse authorem huius plenitudinis. Nam ut Philosophi dicunt animam fabricari sibi corpus, ita Christus Ecclesiam sibi fabricatur, quamquam longè dispar ratio est. Nam anima non est perfecta si juncta à corpore, alioqui resurrectione nihil foret opus. Itaque si (ut dicunt) anima corpus fabricatur, facit id quo indiget, at Christus Ecclesiam sibi quidem aptat, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non est tamen indigus Ecclesiæ suæ, sed quia constituit se unire Ecclesiæ, sibi unire Ecclesiam, id est, esse unum cum Ecclesia, inde fit ut Ecclesia dicatur etiam *Christi complementum.* Ut si quis constitueret pauperculam ducere in uxorem, nulla necessitate, sed tantum quia vult ita vitam instituere, non vult solus viuere: licet in genere humano (quod indigum est & egens alienæ opis) vix occurrit exemplum quod vel leuiter adumbret rem tantam. Ecclesia igitur dicitur Christi plenitudo, ex hypothesi nempe, quia Christus sic voluit. Cuius rei hoc sit argumentum, quod Christi liberalitas in Scriptura tam magnifica deprædicetur, vt nefas sit Christum hominem aut creaturam existimare. Nam Paulus ad Col.1. profitetur *se implere quod superest afflictionum Christi.* Attamen hoc non dicit simpliciter, sed ea utitur voce quæ significat officium. Nam, inquit ἀνταναπληρῶ non dicit simpliciter ἀναπληρῶ. Christus passus est, Paulum pro eo æquum est pati. Obiter autem obseruetur eo loco, *paßiones Christi* dici phrasi vsitata in Scriptura, quæ patiuntur homines eo quod redduntur conformes Christo, vt 2.ad Corinth.1. *Sicut*, inquit Apostolus, *abundant in nobis paßiones Christi, ita & per Christum abundat consolatio nostra*, nempe passiones Christi eo loco non sunt quas Christus in cruce passus est, sed quas patimur vel propter Christum, vel cum Christo. Deinde quod Apostolus Ecclesiam dicit *corpus esse Christi, & complementum Christi, qui implet omnia in omnibus*: Non est hoc ita intelligendum & accipiendum; ac si Christus omnes faceret membra corporis sui: Nempe videmus rem multò aliter euenire, neque enim omnes sunt Christi membra, sed quod de Apostolis Christus dixit *noui quos elegerim*, latissimè patet. Quid igitur sibi volunt illa verba. *Qui omnia in omnibus implet?* Nempe quod nos significamus (neque enim Apostolus loquitur obscurè aut ambiguè) cùm dicimus *Solem omnia illustrare*, nempe hoc tantum volumus significare, nihil illustrari quod Sol lumine suo non illustrarit? Et certè nihil aliud voluit Apostolus ut si quis dicat, Deum esse authorem omnis boni, & omnia bona omnibus concedere, nemo hinc colliget si sanus sit, Deum in omnibus eadem operari bona, tantum sic loquendo significamus, nihil esse boni quod non oriatur à Deo. Sic Apostolus omnem plenitudinem vult esse à Christo, non vult omnes participes esse huius plenitudinis quæ est à Christo. Nam Ubiquitariorum glossema contemnendum est, non enim agitur de impletione creaturarum inanimatarum, (neque enim necesse est ad errorem tam crassum redarguendum altius ascendere) sed de complemento corporis Christi, de quo agit Apostolus.

neque propterea Christus in se imperfectus. | quid sibi velint illa Pauli, *qui omnia in omnibus implet.*

Et 1.cap. ad Col. *Caput* dicitur *Ecclesiæ* Christus, & *corpus eius* Ecclesia: Et capite 5. ad Ephes. diuersa paulò ratione *caput* dicitur *Ecclesiæ*, sed quomodo vir vxoris caput est, ut sit duplici ratione significata nobis vnio Christi cum Ecclesia, & vicissim Ecclesiæ cum Christo: Nempe res vel vniuntur Physico quodam modo, vel, vt ita loquamur, Ethico. Physico autem modo nihil vnitur arctius quàm membra capiti, in qua unione vnum est quod est præcipuum, caput nempe: Atque modo illo Ethico (quem docendi caussa sic vocamus) nulla est arctior vnio quàm vxoris & viri, in qua vnione vir veluti caput est, vxoris enim est pendêre à viro. Est & alia ratio cur Christus dicitur Ecclesiæ caput, est enim Rex, idemque Pastor Ecclesiæ: Nam & Reges Pastores sunt, & qui Rex est, idem tamen pastor semper non est; Rex quidem ille fit de iure (nam & iniquis Regibus est parendum) at de facto tamen non est Rex. Et hoc quidem pacto dicitur Christus Rex Ecclesiæ, quatenus vt Pastor gregem tuetur ab incursu luporum, ipsumq; pascit, sic Christus Rex Ecclesiam pascit verbo & Spiritu, & opponit Sapientiam & robur inuictum quo pollet, hostium fraudibus, & potentiæ quæ magna est si eam metiamur pede rationis nostræ, sed cassa est nullaque si conferatur cum sapientia Christi, & eius insuperabili robore: Quæ sapientia, quodque robur sese prodit in infirmitate Ecclesiæ, hoc est, cum Ecclesia videtur dejecta & penitus destituta. Itaque cùm Christum audimus dici Regem Ecclesiæ (nam & Rex hostium suorum est, velint nolint) sic Regem intelligamus, vt Pastor sit.

Christus quomodo dicatur & sit *caput Ecclesiæ.*

Et ex libris Vet.Testam. idipsum constat, nam cùm dicitur fore vt *semen mulieris conterat caput serpentis*, haud dubiè vnio quædam intelligitur, non est enim cuiusquam creaturæ conterere caput serpentis; suis, inquam, viribus: quò Apostolus respexit cap.16. ad Rom. cùm certò affirmat *vt Deus conterat Diabolum sub pedibus fidelium.* Iam verò hoc non est factum nisi per Christum qui Deus est, sed Deus φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ, *Verbum caro factum,*

2. probatur nostra cum Christo unio ex Vet.Test. | 1. *Semen mulieris.*

qui particeps voluit esse carnis & sanguinis, quia pueri (vt est cap.2. ad Hebr.) quos assumpserat participes erant carnis & sanguinis. Itaque illud *semen mulieris* non est legendum oscitanter, sed expendendum etiam atque etiam, neque dubitandum est quin Apostol. qui *seminis* toties meminit, non fuerit permotus illo vocabulo seminis, *Semen*, inquit, *dixit*, *non semina*, Galat.3.16. Quamquam eo loco agit de Abrahami semine, res tamen eodem redit, nam quomodo dictum est *Abrahami semen*, dictum est eodem modo *mulieris semen*. Et certè Christus (si propriè loqui volumus) est mulieris semen immediatè, hoc est (ne quis hic crassum aliquid imaginetur & carnale,) natus est proximè muliere, non proximè prognatus est viro, quod non prohibet quominus semen Abrahæ, semen Dauidis fuerit, atque adeò Adamo oriundus, quemadmodum Lucas ab Adamo genealogiam Christi repetit secundùm carnem. Sed hoc tamen mulieris, hic hominis Filius, (nam vt alibi obseruauimus, *hominis Filius* dicitur per excellentiam, quemadmodum dicitur *Semen mulieris*) non est mulieris semen, & Filius hominis ratione quadam plebeiâ, & vulgari, sed conceptus è Spiritu Sancto. Itaque non est sic natus vt esset promiscuè omnium hominum caput, sed eorum tantum quos ex vniuerso humano genere corrupto Deus voluit regenerare per Spiritum Sanctum, atque ita vnire & conformes facere (quatenus fieri potest) Christi Filio. Quæ res occasionem Christo præbuit, vt Nicodemo (viro quidem minimè malo, sed tamen suprà modum elato vanâ æstimatione nobilitatis suæ) objecerit considerandam necessitatem nouæ cuiusdam generationis, scilicet regenerationis. Nam natura etiam cùm recta est, mutabilis est, & cùm deprauata est, deplorata & conclamata est. Cùm igitur Christus in Vet. Test. dicitur *semen mulieris*, & quidem tam maturè, intelligamus Christum dici in Veteri Testamento caput Ecclesiæ suæ.

Est Christus singulari modo.

2\. Sed crebrò dicitur in Vet. Testamento *sponsus Ecclesiæ suæ*, nam vt taceamus Psalmum 45. & Canticum Canticorum, & quæ scripta sunt Ezech.16. exstat manifesta promissio Oseæ 2. 19.20. *Desponsabo te*, inquit, *mihi in sempiternum.* Itaque Christus sponsus est Ecclesiæ suæ, quod Apostolus interpretatus est alludens ad illum locum cap.11. posterioris ad Corinth. ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρί, *desponsaui vos vni viro.* Doctissimus Interpres, & idem vir maximus, verba ista negat cohærere, attamen diuersum sensit Interpres Syrus, qui hæc verba sic interpretatus est מכרתיכן לגברא חד, *Mecar* autem Chaldaicâ & Syriacâ Dialecto est *desponsare*. Etiam in Veteri Testamento vox hæc ἁρμόζεσθαι de desponsatione dicitur, vt Prouerbiorum cap.19. vers. 14. quod est in Hebræo אשה משכלת מארני LXX. Interpretes reddiderunt, παρὰ δὲ κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρί, hoc est, *à Domino vxor desponsatur viro*; in Hebræo quidem est מארני אשה משכלת, hoc est, si Hebraica interpretemur, *vxor prudens est à Domino.* Attamen Chald. Interpr. (ut est in quibusdam editionibus) vocem hanc משכלת interpretatur מתמכרא, vel ut est alibi איתמכרא, quod idem est, nam alterum est præteritum, alterum Participium. Iam cum Interpretes LXX. aliter illum locum essent interpretati, quàm quomodo Interpretes Christiani (non iam intelligo authorem vulgatæ interpretationis, sed Vatablum, & Mercerum) qui locum illum perinde interpretati sunt ac docti inter Hebræos, nempe ut אשה משכלת dicatur *vxor prudentia*, eâ formâ quâ שמכורת *Merces* dicitur Hebraicè, quæri potest non absurdè, quo consilio Chaldæus Paraphrastes מתמכרא אתתא adhibuerit ad interpretationem eorum verborum. Quod Eliam Leuitam Grammaticorum facilè principem adeò commouit, vt in Meturgeman putet esse mendum aut erratum, quod ille sic corrigit vt legendum præscribit מתמסרא pro מתמכרא hoc est pro *desponsata*, *tradita*, nam מסר Chald. *tradere* est, unde מסרה *Traditio.* Sed hæret semper scrupulus, & Elias non videtur obseruasse מכר esse vocabulum merè Chaldaicum in Nouo Testamento Syriaco usitatissimum, ut in eo loco quem nuper citauimus, & cùm beata Virgo dicitur fuisse מכרה Josephi, id est, *desponsata* Josepho. Quid igitur est? Certè videntur LXX. Interpretes & Chald. item Interpres legisse non quidem אשה משכלת, sed errore in quem lapsus erat satis procliuis משה משכיות. Nam si rectè pingatur ר apponaturque ei suus apex accedit proximè ad Lamed, quomodo in Psalmo 19.4. quod notissimum est pro ו legerunt Lamed, nempe ob apicem ..., sed hoc tamen mendum non irrepsit tam latenter, nec tam latè diffusum est, nec tantam authoritatem obtinuit, ut non permanserit usque ad hodiernum diem in Codicibus Hebræis vera lectio. Attamen ex hoc loco colligere est, phrasi usitata in Synagogis Iudæorum Hellenistarum (ad quorum captum Apostoli sese accommodabant sapientissimo consilio) ἁρμόζεσθαι significare *desponsare*: nec mirum est Apostolus hac uti voce, non enim profitetur se sibi desponsare Ecclesiam, sed Christo.

Christus Sponsus Ecclesiæ sæpius dicitur in Vet. Test.

Illustratur locus 2.Cor.11.2.

& Prou 19. 14.

Nec illa locutio durior videri debet, quàm illa qua usus est, cùm dicit se genuisse etiam fideles, 4.cap. 1.ad Corint. Qui locus à nobis obiter est exponendus, sunt enim hæc Apostoli verba, *Non habetis multos patres, etiamsi multos habeatis Pædagogos.* Quid sibi vult Apostolus dum patrem pædagogo opponit? Et doctissimus Interpres putat Apostolum eo nomine Pseudo-Apostolos perstringere, qui cum essent eius authoritate præfecti Corinthiis, quomodo pater pædagogum iuuentuti filij præficit, auderent tamen insurgere in Apostolum. Sed hæc interpretatio (quod pace tanti viri dixerim) minus commoda videtur, nam non est credibile Pseudo-Apostolos fuisse eos quos Apostolus præfecit Corinthiis, fuissent enim Apostatæ, & haud dubiè Paulus hoc illis objecisset. Nam certè doctè obseruatum est à magno illo viro, Apostolos solitos iactis fundamentis Ecclesiarum, committere curam operis promouendi aliis (de qua re nos alibi disputauimus.) Jam verò Paulus illos mendacij arguit, nunquam illis objicit Apostasiam. Itaque non est credibile Paulum Pædagogi nomine id significasse. Immò illud nomen cùm refertur ad eos qui præfecti sunt à Patre, non solet vsurpari ad significandum aliquid quod sit refugiendum. Itaque videtur Apostolus aliud respexisse. Nempe ut in lingua Latina *Patrui* dicuntur qui duriter & seuerè iuniores habent, sic Apostolo *Pædagogi* sunt qui sæuiunt in eos qui ipsorum curæ commissi sunt, titulo Doctorum: Nempe Pater docet, & Pædagogus, sed diuersa ratione, nam

Ex 1.Cor.4. 15. aliena interpretatio huius loci rejicitur.

verior affertur.

Pædagogi qui sint Apostolo.

nam hic plagosus est Orbilius, iste mitis & lenis, cum grauitate tamen; quia pater est admonitor. Atque hanc esse mentem Apostoli constat, primò ex ipsius loci circumstantia, tùm ex cap. 11. 2. ad Corinth. quo loco Paulus, ignauiam & vecordiam saepe exer (ut solet omnia) objicit Corinthiis, quod ferant istos Pseudo-apostolos, qui eos in seruitutem redigût, etiam qui eos cædunt verberibus, cùm tamen verè Pastores, (ut Apostolum mitissimum paterno erga eos animo affectum) non ferrent. Quod est ingenium eorum hominum qui respuunt Christi Euãgelium, nam Papã, & Cardinales, & Episcopos, & Monachos ita ferunt, ut ferant eorum & superbiam, & auaritiam, at qui nihil sibi in eos iuris arrogant, neque in eorum conscientiam, qui nihil spectant præter hoc vnum ut Christo dent nomen verè & ex animo hos verò rejiciunt & contemnunt; vnde factum est ut vigente tyrannide conscientiarum multi certatim integra patrimonia profuderint, ut esset vnde tyrannis se sustentaret, & grauius incumberet humeris miserorum hominum. At postquam reddita est libertas Euangelij, qui patres sunt contemnuntur, amãtur pædagogi, nempe humanum ingenium seruile est & abjectum, vno verbo superstitiosum, omnis enim superstitio coniuncta est cum metu seruili. Deinde eo loco obseruandum est, Paulum ita se profiteri patrem, ut nunquam se vocet patrem. Dicat aliquis ista non differre, attamen multùm differunt, nam qui se vocat patrem titulum sibi arrogat, at qui se profitetur esse patrem non arrogat sibi titulum, tantùm significat affectum. Itaque profitemur inter loquendum nos multorum esse patres, à quibus nolimus tamen nos vocari patres. Nam cum agitur de religione, professio paterni affectus in Pastore magnopere necessaria est, at ut se vocet patrem, & arroget sibi hunc titulum, non caret periculo, adeò procliuis est animus ad superstitionem. Itaque cùm in Ecclesia primitiua nomen hoc Episcopis esset tributum ad instar tituli, res paulatim eò prouecta est ut defierit in idololatriam & superstitionem. Quæ à nobis non ita dicũtur, ac si nefas putaremus quempiam vocari patrem, sed ut ostendamus quàm sit inde procliuis lapsus in idololatriam, ut in Ecclesia Romana videre est, in qua Episcopi, immò reliqui Monachi potius quàm Episcopi, vocantur *Patres* ob authoritatem in conscientiam, &, *Magistri nostri* itidem; quod damnauit Christus Matth. cap. 23. In summa, aliud est profitendo se patrem esse, testari affectum, aliud vero ambire illum titulum, & se eo nemo plebi venditare.

Hominum superstitiosorum ingenium.

Aliud est profiteri se patrem, aliud, vocare se patrem.

3. Redeamus iam ad institutum. In Vet. Test. ut significetur vnio nostri cum Christo, Christus dicitur Pastor, & Rex noster, & quidem Dauidis nomine id significatur. Ex plurimis locis quæ exstant in Prophetis, duo eligemus præcipua, nam Ezech. cap. 37. ℣. 24. Pollicetur Dominus fore ut Dauid Pastor sit futurus populi sui, *Et erit*, inquit, *Pastor omnibus vnus*, deinde pastorem illum Dauidem vocat seruum suum. Vbi obseruandum Dauidem primò dici, *pastorem vnum*, tùm nominari *Dauidem*, deinde dici, *vnum omnibus*. Et Ezech. cap. 34. ℣. 23. *Suscitabo*, inquit, *super eos pastorem vnum & pascet eas seruus meus Dauid.* Quorsum Christus allusit cap. 10. Johan. ℣. 16. quo loco ait Christus *& erit vnus pastor, & vnum ouile.* Ex quorum locorum collatione satis patet quàm sit friuolum quod afferunt Pontificij ad stabiliendam Monarchiam Papæ. Nempe sic agunt, Si Christus nomine Pastoris semetipsum intelligeret, cur dixe it, *& erit pastor vnus*, non dixerit apertè, *Et ego sum vnus ille Pastor?* Nempe, Christus allusit ad hæc duo loca quæ nuper citauimus, quasi diceret, Implebitur quod prædictũ est à Prophetis, fore vt sit vnus Pastor. Deinde solemne Christo est, etiam cum de se loquitur tertiâ vti personâ, vt cùm dixit, *Cùm Filius hominis veniet, credit is fore vt inueniat fidem in terra?* Hinc concludet quispiam, alium esse Filium hominis præter Christum qui loquitur? Denique & id notandum est, Christum dici Dauidem apud Prophetas, & quidem ferè passim, vt ne quis miretur Johannem Baptistam (nam in eo triumphant Pontificij) dictum Esse Eliam. Aiunt enim Eliam venturum, cùm hoc prædictum sit; & nos itidem dicamus Dauidem venturum, quia hoc prædictum sit. Profectò necesse est respondeant quod res est, Dauidem venisse, sed Dauidem illum esse Christum: Et nos Eliam venisse dicimus, sed Eliam illum esse affirmamus Joannem Baptistam qui venit in Spiritu Eliæ. Sic ostensum est ex Veteri & Nouo Testamento, Christum esse omnibus modis Ecclesiæ caput. Nemini autem debet mirum videri quod illud hîc clariùs, illic obscuriùs dicatur, cùm sit alia ratio reuelationis sub Veteri quàm sub Nouo Testamento, de quo disputabimus cum de Scriptura agemus. Nec quispiam item miretur id dici in Veteri Testamento euenturum in tempore futuro. Nam quæ sub Nouo Testamento multò illustriora fuerunt quàm sub Veteri, ea ita in Veteri Testamento narrantur, vt narrentur tanquam futura. Cuius rei rationem postmodum reddemus, cùm ventum erit ad disputationis caput, in quo agetur de amplitudine vnionis Christi cum Ecclesia, disputabiturque sitne vtriusque Ecclesiæ veteris & nouæ Christus caput.

Christus in V.T. etiam dicitur Rex, & Pastor noster.

Indicatur locus Joh. 10. 16. contra Pontif.

Christum vocatur Dauid, Quomodo Ioh. Bapt. dicitur Elias.

Quàm verò sit hæc vnio cum Christo vtilis & necessaria, abundè explicatum est (in libris Noui Testamenti præcipuè) omnibus modis: Primò, per negationem omnis boni citra hanc vnionem; vt cum Dominus capite 15. ℣. 5. Johannis χωρὶς ἐμοῦ *nihil potestis facere*, vbi notanda est Emphasis particulæ χωρὶς, nec à Syro, nec à Latino Interprete expressæ. Nam χωρὶς hîc non est simpliciter *sine*, nec χωρὶς ἐμοῦ, est Syriacum דלא אנא, vt interpretatus est Syrus, sed maius aliquid, quasi dicat Christus *seorsum à me*, Hebraicè לבד ממני. Nam eo loco Christus agit de vnione nostri, quã tam ait esse necessariam quàm sit vnio palmitum cum vite. Itaque illud χωρὶς est לחוד Chald. & Syriac. Deinde necessitas istius vnionis exprimitur per positionem seu θέσιν omnis mali. Nam 3. Johan. *Qui non credit in Filium, ira Dei manet super illum*, vbi etiam notanda est Emphasis vobis *manet*. Certè naturâ sumus omnes Filij iræ, fide autem in Filium liberamur, attamen Christus nõ huc respexit, nondum enim in hac vita persentiscimus iram Dei, immò multi ne sentiunt quidem eam, sed simplicius loquitur Christus. Nam in Scriptura μένειν singularem habet significationem, notat enim constantem & penitissimam adhæsionem rei illius quæ dicitur manere. Nam est quædam Dei ira quæ transit, & adflat tantum, & quodammodo, (si ita loqui liceat) lambit,

Quàm sit necessaria & vtilis nostra cum Christo vnio ostenditur.

1.

2.

Ira Dei manens quæ sit.

ut ignis qui non destruit, sed expolit potius', ut est cap.54. Esaiæ. Ita quædam Dei est momentanea, quam experiuntur etiam Filij Dei. At *ira manens* ea est quæ ita perdit ut nunquam disperdat, & cruciat ita ut nunquam perimat. Nam & in bono hæc vox *manet* vsurpatur, & quidem multò frequentiùs (ut est liberalitas & misericordia Dei multò magis admiranda quàm eius seueritas & vltio, nam huius causas tenemus, illius nulla est caussa præter Dei bonitatem gratuitam, qui Christum nobis dedit, & in Christo Redemptore omnia) ut cùm Dominus pollicetur capite 14. ℣. 16. Johannis fore ut Consolator maneat cum Discipulis suis in æternum, & versu sequenti idipsum repetit, eandem inquam, locutionem; *Vos*, inquit, *illum cognoscitis, quia manet vobiscum, & erit vobiscum.* Et certè non est obseruatu indignum quod Hebraicum verbum שכן & Chaldaicum שרא sic vsurpantur: ut in veteri illo & celebri dicto Judæorum, quod referendum est ad illustrationem loci in quo versamur, *duo qui simul sedent, & inter illos sunt verba legis*, שכינה, hoc est, *Spiritus Dei est inter illos:* Spiritus autem *habitatio* & veluti *mansio* dicitur, quia Dominus in Veteri Testamento, vbi agit de spiritu sub Nouo Testamento, *Habitabo*, inquit, *inter eos*, hinc factum est ut *spiritum Dei* prisci Iudæi vocarint *Schecina*, habitationem, sed de hac re alibi egimus copiosiùs. Eadem necessitas & vtilitas vnionis nostræ cum Christo demõstratur per formulas loquendi quę significant ἄρσιν *negationem maximi boni*, ut cùm 1. Johannis capite 5. dicitur, *qui filium non habet, non habet vitam*; & contrà *positionem* θέσιν *summorum bonorum*, ut cùm eodem capite dicitur, *qui filium habet, vitam habet.* Item, cùm filius dicitur Prophetas Sacerdos, Rex noster, factusque nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Item cùm dicitur, Resurrectio, Princeps vitæ, Lux: & negatiuè iterum, cum dicitur Johan.3.36. nos non visuros vitam nisi regeneremur: *videre* enim phrasi Hebraica eo loco *experiri* est. Nam *videre* linguâ Hebr. non modò ad sensus omnes exteriores & interiores etiam mentis refertur, sed ad ipsam quoque experientiam, vnde illæ phrases in Scriptura *videre bonum, videre malum*, &c.

Spiritus sanctus manere cum fidelibus qui dicatur.

Deinde, quàm sit iucunda hæc vnio cum Christo vel hinc liquet, quod in hac vita pax ea quam affert superat omnem intellectum. Ita declaratur positiuè quantam affert voluptatem hęc vnio. Negatiuè autem, cum pollicetur Dominus fore ut nunquam sitiat aut esuriat qui comedit carnem eius, hoc est qui in ipsum cedit. Sed quid tandem illud est Philip.4.7. *Pax quæ superat omnem intellectum?* Nempe pax illa huiusmodi est, primò ut qui eam sensit, priusquam eam sensit non potuerit fingere animo quid tandem illud sit. Deinde, postquam ea pax percepta est, fieri nullomodo potest ut quis eius vim pro rei dignitate & excellentia possit explicare. Nam quod nonnullis videtur aliquid significare quod præter intellectum, & sine eius interuentu voluntatem afficit, vel hinc refelluntur, quod eadem pax eodem loco custodire dicitur intellectus nostros, & Apoc.2. Calculus albus qui fidelibus datur eiusmodi esse dicitur, quem nemo nouit præter eum qui accepit. Ergo, qui accepit Calculum, nouit quis sit Calculus. Non est autem nouum in Scriptura, ut ea dicantur superare omnem intellectum, quæ humanus intellectus non potest ita distinctè concipere, ut eadẽ possit explicare: Nam in Scriptura *Spiritus* dicitur vehemẽs affectus qui rapit in admirationem; nam etiamsi pro obiecto intellectum habeat, tamen maius dicitur esse aliquid quàm *intellectus*, ut verbi gratia, c.8. ad Rom. *Spiritus* ipse dicitur *intercedere pro nobis per gemitus inenarrabiles*: Nam Apostolus quasdam & singulares fidelium preces à reliquis distinguit, nempe cum animus constitutus in angore, idemque erectus fiduciâ in Deum precatur veluti raptus extra se, quales fuerunt Mosis preces, qui cùm non dicatur orasse in Scriptura tamen Deus sic illum compellauit ac si clamasset, nempe orabat spiritus in Mose, non orabat intellectus: spiritus, id est, intellectus Mosis non distinctè concepit preces. Et cap.14. vers.15. 1. ad Cor. *Psallam spiritu, psallam etiam mente.* Nempe, voluntate, credo, nemo psallit, nam psallere opus est intellectus, sed opposuit Apostolus spiritum intellectui, quia Spiritus eo loco significat intellectum ita affectum ut non possit distinctè explicare quæ concepit. Itaque eodem capite suprà hortatur, ut *qui linguis (id est spiritu) loquitur, roget vt possit interpretari*, hoc est, ut non modò spiritu, sed etiam mente loquatur. Duobus igitur modis afficitur intellectus humanus, & quidem à Dei spiritu, quorum alter huiusmodi est ut cùm intellectus sic afficitur κατ' ἐξοχὴν *Spiritus* dicatur, alter cùm intellectus sic afficitur ut dicatur simpliciter intellectus. Ratio prioris affectus accedit ad Propheticam Ecstasim, quamquam non est semper eadem cum illa, posterior accedit proximè ad natiuam rationem mentis humanæ; Itaque si prior illa perpetua esset, non posset in hac quidem vita humanus animus tantam vim ferre.

Quàm sit iucunda nostra cum Christo vnio.

Spiritus qui ab intellectu distinguatur.

Bifariam à Spiritu Dei afficitur intellectus humanus.

Nec fuit diuersa mens Apostoli, Ephes.cap.3. *Et*, inquit, *qui summa cum exuperantia potest omnia facere supra ea quæ petimus, aut cogitamus:* & paulò superius, *Vt sciamus charitatem illam Christi omni notitia supereminentiorem*, vbi Apostolus videtur dicere pugnãtia, quomodo enim nouerimus quod omnem notitiam superat? Sed res est expedita si obseruentur ea quæ suprà à nobis explicata sunt. Et eodem certè loco Apostolus optat ut valeamus *assequi* cum omnibus sanctis, hoc est, *comprehendere*, nam καταλαμβάνειν Græcis, Latinis est *comprehendere*, vnde ἀκαταληψία Academica, quia Academici negabant aliquid posse comprehendi, id est, intelligi certò. Nam quod addit *quæ sit illa latitudo, & longitudo, & profunditas & altitudo*, ostendit immensum esse quod comprehenditur, & veluti infinitum, quale Aristoteles describit, cum infinitum definit extra quod semper potest aliquid capi. Itaque capit hanc vim mens humana, & non capit: Atque in eo capit, quod rapitur in admirationem, & videt aliquid semper superesse quod persentiscere quidem potest, attamen nõ ita percipere ut possit explicare totum. Quod verò Apostolus (ut obiter illum locum explicemus) meminit latitudinis, & longitudinis, & profunditatis, & altitudinis, non est vexandum: Nam Apostolus loquitur simpliciter, nempe in hoc vniuerso aliquid consideramus ut longum, aliquid ut latum, aliquid ut profundum, aliquid ut sublimè supra nos positum. His igitur verbis vsus est Apostolus ut extendat veluti & dilatet humanã mentem: quasi diceret, ut immensitatem illam

Quo sensu dicamur capere, & non capere, ea quæ Deus nobis dat.

illam amoris Dei possitis comprehendere. Atque hoc est gaudium illud quod Petrus *ineffabile* vocat 1.Cathol. cap.1. Quomodo Apostolus 8. ad Roman. gemitus piorum dicit esse *ineffabiles:* Nempe intellectus comprehendit quid hoc tandem sit, at non distinctè, nam quicquid mens distinctè comprehendit, potest idem distinctè explicare. Et hæc est illa pax cuius meminit Ioan. cap.14.vers.27. *Pacem meam,* ait *do vobis, non quomodo mundus dat pacem.* Quæri potest quid sit hoc, *non quomodo mundus dat pacem?* Et verum quidem est quod obseruarunt viri docti, mundum sæpe mentiri cùm dat pacem, mundum sæpe aggredi quantum non potest præstare cùm dat pacem, etiam cùm non mentitur, sed seriò agit. Sed Christus tamen aliud videtur voluisse, (quamuis hæc verissima sunt, atq; altius animo infigenda) nam mundus vel fallax est, vel inops consilij & virium, itaque qui nituntur mundo non consulunt sibi, nituntur enim eo quod vel decipit fraude, vel deficit imbecillitate virium. Hæc verò videtur mens fuisse Christi, vt inspicienti locum propius liquebit; Nempe mundus dat pacem vt amoliatur res aduersas carni, Christus non ita dat pacem, sed pax Christi tum demum viget, cùm rebus secundùm carnem aduersis non premimur modò, sed penè opprimimur. Conferatur cum hoc loco cap.4. ad Philipp. & res erit manifesta.

Explicatur locus Ioh. 14. 27.

Itaque Christus Spiritum vocauit *Paracletum,* Spiritum, inquam, suum. Quorsum autem vocauit *Paracletum?* Nam Doctissimus Interpres ideò *Paracletum* dici contendit, quod sit deprecator & Aduocatus noster apud Deum. Sed operæ pretium est considerare quibus rationibus sit adductus, vt qui in Ecclesia *Consolator* dicitur à prima vsque antiquitate, eum voluerit dici potius *Aduocatum* & *Deprecatorem,* in qua sententia non fuit beatæ memoriæ Caluinus. Prior quidem ratio hæc est quod παράκλητος Græcâ linguâ *Aduocatus* est Latinè, posterior quod 8. c. ad Rom. iste Spiritus dicitur intercedere pro nobis. Et prior quidem illa ratio non est tanti, nam παράκλητος vox est Attica, quâ significantur illi (vt ipse vir ille magnus obseruauit) quos in periculo accersimus vt nobis adsint consilio, qui iidem *Aduocati* dicuntur Latinè, etiamsi nō litigent in foro nostro nomine: Itaque παράκλητος linguâ Græcâ, & *aduocatus* linguâ Latinâ non significat propriè *deprecatorem,* sed cuius consilium requiritur in re difficili. Verum quidem illud est, quod per accidens idem Aduocatus deprecator est, quomodo Christus Dominus noster dicitur *Deprecator* 1.Iohan.2. Posterior verò ratio non est magni momēti, nam 8.ad Rom. Spiritus dicitur intercedere pro nobis, quia excitat in nobis affectum precandi, qualis supra à nobis descriptus est. Quid igitur est παράκλητος? Non est vox adhibita ab Euangelistis dū alludunt ad morē & leges sæculi, præsertim Græcorum & Latinorum, sed vox παράκλητος vsitata fuit etiam inter Iudæos, nam παρακλήτων illi vocant פרקליט barbarè quidem, sed postquam Iudæi dispersi fuerunt inter gentes, varij barbarismi in eorum linguam irrepserunt quos admiserunt. Quod vt melius intelligamus, sciendum est vocē esse quandam Hebræam formâ participij מליץ, quæ vox generali significatione significat eum qui loquitur cōcinnè, eleganter & accommodatè: Iam verò qui ita loquitur non docet ille quidem simpliciter, sed docet ita vt voluptate quadam afficiat Discipulum, tum etiā qui loquitur accommodatè & eleganter, facit facilè id quod is cuius nomine loquitur vel non potest, vel potest ægrè facere, inde factum est vt מליץ linguâ Targumicâ & Chaldaicâ sit interdum מלפא hoc est Doctor, interdum מתורגמן hoc est Interpres, sed & est interdum linguâ Chaldaicâ (vt cap.16. Iob) פרקליטא, hoc est Consolator: Nempe Spiritus sanctus non docet simpliciter, sed ita docet vt soletur, itaq; מליץ est: & idem Spiritus sanctus est מתורגמן, quia nos nescimus neq; quid loquendum sit, neque quomodo orandum. Itaque Christus vetat nos esse sollicitos hac de re, nam pollicetur fore vt interpretem habeamus Spiritum, nempe qui faciet vt simus diserti. Et certè cap.14. Joh. Christus huc præcipuè videtur respexisse, nempe vt non descripserit deprecationem quandam & intercessionem Spiritus, sed duo illa quæ nuper commemorauimus, nempe quod Spiritus edocturus esset Apostolos, & redditurus eos idoneos qui aliis respondeant, & eos doceant. Quod verò 8. ad Rom. dicitur intercedere pro nobis, hoc non est ita intelligendum ac si ipsa persona Spiritus sancti immediatè intercederet, intercedit enim per gemitus; porrò non gemit Spiritus, sed nos gemimus: itaque docendo hoc facit, efficiendo vt gemamus. Ergo non videtur Syrus Interpres debuisse reprehendi à doctissimo Interprete quod פרקליטא vt vocem peregrinam & barbaram adhibuerit ad exprimendam vim vocis Græcæ παράκλητος, cùm vox illa exstiterit ante Syrum Interp. vsitata in Ecclesia Iudaica. Nam non est credibile, Paraphrasten Chaldæum vocem hanc mutuatum esse à Christianis quos oderat: est autem vsurpata à Paraphraste Hagiographorum qui vixit diu post natum Christum, & hac paraphrasi testatur capitale odium aduersus Christianos. Eâdem caussâ Spiritus dicitur *primitiæ,* & *arrhabo,* & *sigillum.* Nam sublata spe melioris vitæ nullus superest consolationi, & paci animæ locus. Ergo primitiæ, arrhabo & sigillum respiciunt beatam immortalitatem. Itaque potissima pars illius voluptatis quę percipitur ex vnione nostri cum Christo nos manet in cœlo. Ea autem voluptas describitur aliquando formulis negatiuis, vt cùm dicitur fore vt omnes lachrymæ abstergantur ab oculis nostris, non futurus amplius luctus, aut clamor, aut mors, quod in hac vita accidit: sed sępius describitur formulis affirmatiuis, vt cùm dicitur fore vt inebriemur, & exsaturemur, idque deliciis quę sunt ad Dei dextrā.

Spiritus sanctus cur dicatur Paracletus. quorundā sententia rejicitur.

1.

2.

Quomodo Spiritus dicatur pro nobis intercedere.

Quàm verò magnifica & gloriosa sit hæc vnio colligi potest, vel si rem consideremus confusè, vel si distinctè expendamus quanta sit: & confusè quidem, si spectemus titulos & elogia quæ ab hac vnione proficiscuntur, vt cùm Ecclesia dicitur *Domus Dei,* cuius lapis angularis & fundamentum est Christus: cùm dicitur *Templum Dei, templum Spiritus sancti,* cùm dicitur *sponsa Christi, corpus Christi,* cùm dicuntur omnes fideles *filij Dei, primogeniti* quorum nomina scripta sunt in cœlo, dicuntur *genus electum, regale Sacerdotium, populus Dei peculiaris.* Sed obiter explicandum est quid sit illud *regale Sacerdotium,* & *populus peculiaris.* Quæ verba non sunt ita accipienda ac si remota essent à consuetudine loquendi qua vtitur Spiritus sanctus, nam primò (vt obseruatum est à doctissimo Interprete) *Sacerdotium regale* dicitur

Quàm gloriosa sit nostra cum Christo vnio, colligitur primò confusè.

Explicatur locus 1. Pet.2.9.

Ecclesia, quomodo Exod.19. Deus populum Israeliticum appellat *regnum Sacerdotum.* Sed quorsum appellatur *regnum Sacerdotum*, hoc verò explicandum est. Chaldæus Paraphrastes *Onkelos* vertit *Reges & Sacerdotes*, quomodo Christus Apocal.1. dicitur nos fecisse *Reges & Sacerdotes.* Itaque *Sacerdotium regale* nihil aliud est quàm *multitudo Regum & Sacerdotum.* Sed quo pacto dicuntur qui sunt in Ecclesia *Reges & Sacerdotes?* Nempe *Cohanim*, hoc est *Sacerdotes* dicuntur respectu Dei, *Reges* aliorum respectu. Quod vt pleniùs intelligatur notandum est, כהן *Ministrum* significare qui Regi proximus est, כהנה *præcipua dignitas* est. Est autem Rex vel cui imperium est in conscientiam, qualis Rex solus est qui idem Deus est, & est Rex cui imperium est in corpus, quales sunt Reges *αὐτοκράτορες*. Itaque duplex est *Cohen* in Scriptura, vel respectu Dei, vel respectu regum: & respectu quidem Dei illi *Cohanim* sunt qui populo præeunt in peragendâ re diuinâ, quia Deo proximi videntur. Respectu autem Regum illi *Cohanim* sunt qui sunt regibus proximi, vt cùm 2.Samuelis 20. Hiram Iaïrites dicitur fuisse *Cohen* Dauidis, & cap.8. 2.Sam. filij Dauidis dicuntur fuisse *Cohanim*, hoc est præcipui Regis ministri, quæ dignitas summa fuit, &, si Judæis credimus, occasionem præbuit Absalomo (quia non fuit admissus in communionem huius dignitatis) conspirandi in patrem. Atque ita se rem habere constat ex cap.18. 1.Paralip. quo loco qui dicuntur capit.8. 2.Sam. fuisse *Cohanim*, iidem sunt הראשנים ליד מלך, hoc est, *Primarij prope Regem*, filij Dauidis nempe. Quod nos ideò obseruamus, vel vt hoc exemplo probemus imperitiam & inscitiam heretici hominis, qui ex eo loco quo Dauidis filij dicuntur *Cohanim* contendit Dauidem fuisse Sacerdotem, & quidem secundùm ordinem Melchisedech. Sed vt hæc accommodemus ad rem nostram, quia Deus consecrauit populum suum cultui suo, & quidem vocatione quam supra descripsimus, hinc fit vt Ecclesia Sacerdotium dicatur. Et quia omnia subjecit, etiam vitam etiam mortem, pedibus populi sui, & voluit populum suum dominari in hostes suos, hinc fit vt Ecclesia vocetur *regale sacerdotium*, etiam *populus peculiaris*, λαὸς περιούσιος, עם סגלה, vt obseruauit Doctissimus Interpres. Sed quorsum עם סגלה? Nempe *περιουσία* Græcè est *abundantia*, abundant autem ornamenta & quæ sunt prætiosa, itaque reconduntur etiam, & habentur maiori in pretio quàm quæ sunt vulgaria. Deus igitur quamuis sit totius mundi Rector, tamen habet Ecclesiam vt diadema in capite, & sigillum in manu (vnde omnium hominum Seruator dicitur, maximè verò fidelium) iam *Segulla* Heb. idem est quod *preciosum.* Distinctè verò colligere est quanta sit dignitas huius vnionis, si spectemus quis sit is cui nos vnimur, qui nos simus: vt sit ille Dei Filius &c. nos autem concepti & nati in peccato &c. Deinde, si consideremus quid fecerit vt esset huic vnioni locus, vt, quod verbum caro factum est, quod natus est ex muliere, factus sub lege, &c. quod crucifixus est, quod excitatus à mortuis. Nam quò tantum molimen nisi res ageretur maxima? Denique si intueamur illa quæ ex hac vnione ad nos redundant, vt remissionem peccatorum, Spiritum consolationis, Spiritum sanctificationis, vitam æternam denique, & beatam immortalitatem, quæ omnia eiusmodi sunt vt credentis animum rapiant in admirationem, nam animalis homo vel palam, vel occulto cordis sensu hæc irridet.

Cohanim qui dicantur in Vet. Test.

Carpitur Socini inscitia.

colligitur secundò distinctè.

Quid autem sit vnio nostri cum Christo cogitari multò facilius potest quàm explicari, attamen quia nihil cogitari potest quod non sit traditum in verbo Dei, nihil autem traditum sit in verbo Dei quod non possit quodammodo explicari, & nos hoc caput aggrediemur, illud præfati in parte disputationis, quod ab initio etiam præfari debueramus, nempe nos adumbraturos rem tantam, quam ne Angelica quidem mens possit pro dignitate comprehendere. Atque vt id fiat, disputandum nobis est de vnione in genere, non enim potest à nobis ratione vlla perspici ratio vnionis nostræ cum Christo, nisi sciamus quid sit *vnio.* Illud autem imprimis obseruandum est *vnionem*, & (vt ita loquamur) *vnitionem* differre inter se, nam *vnio* est rerum actus qui formæ rationem habet, nempe actus rerum vnitarum quâ vnitæ sunt: *vnitio* autem actum significat caussæ efficientis, quatenus vnit eas res quæ vi illius actûs manent vnitæ. Itaque, vt Grammaticè loquamur, vnitio est nomen verbale participiale, vnio verò nomen merè substantiuum. Deinde *vnio* & *vnitas* differunt, si propriè loqui volumus, nam *vnio* est rerum diuersarum, vnitas vnius eiusdemque rei. Itaque vnitas est speciei, vnio indiuiduorum; vnitas est diuinę essentiæ, vnio personarum, & vnio est diuinæ naturę & humanę in Christo, & quidem vnio hypostatica, attamen vnitas non est; & vnio est animæ & corporis, vnitas tamen non est. Sic indiuidua inter se vniuntur, non sunt tamen vnum nisi respectu communis naturæ, quemadmodum diuinæ personæ vnionem habent quatenus sunt distinctę, non sunt vnum nisi respectu naturæ quæ vna est. Denique vnio vel dicitur *ab vno*, vel *ad vnum*; & *ab vno* quidem duplici ratione, vel ab vno vt à *communi simpliciter*, vel ab vno vt à *communicato*, non communi simpliciter. Sic totum genus humanum vnione quadam colligatur, est enim in omnibus hominibus vna eademque natura, vnitate, inquam, formali: sic trianguli omnes trianguli sunt vnitate quadam naturæ quæ reperitur in omnibus, vnitate, inquam, formali. Sed hæc vnionis ratio, si nihil aliud est, non complectitur in se communicationem ab vno. Nam homines qui sunt inter se vniti communione naturæ, non tamen acceperunt omnes, ab omnibus quibus communione naturæ iunguntur, hanc naturam; sic fratres iunguntur inter se, & vniuntur communione naturę, sed quam non acceperunt à se mutuò. Et vnio dicitur ab vno respectu naturæ, non simpliciter communis, sed communicatæ, nempe pater & filius vniuntur inter se non simpliciter ob eandem naturam communem (nam & ea est inter fratres vnio) sed ob eandem naturam communicatam; nempe non modò præditi sunt eadem natura qua pater, sed etiam eam naturam à patre acceperunt. Itaque vnio ab vno communicato præsupponit necessariò communem naturam, at vnio ob communem naturam non præsupponit necessariò vnionem ob naturam communicatam. Vnio autem ob naturam communicatam duobus modis contingit, vel vt refertur ad primam originem communicationis, vel vt ad proximam refertur. Ad primam originem, vt verbi gratia Deus dicitur fecisse omnes homines ex vno eo-

Quæ in ré ipsa sit nostra cum Christo Vnio.

Differunt Vnio.

Vnitio.

Vnitas.

Vnio est duplex.

1. ab vno communi simpliciter.

ab vno communicato.

idq; rursus bifariam.

1.

vno eodemque sanguine; nempe omnes Adamo sumus oriundi: At si proximam originem intueamur, vnio quædam est inter homines peculiaris, vt qui sunt eodem patre eadem matre proximè oriundi vnionem habent inter se & cum proxima origine.

2.

II. Sed & est vnio *ad vnum*; Est verò vnio ad vnum cum ex pluribus coniunctis oritur vnum tertium. Id verò fit non vno modo, nam vel oritur aliquid vnum distinctum & separatum ab iis quę vnita fuerunt ut id vnum oriretur, ut cùm ex vnione plurium mediorum exoritur finis distinctus à mediis, tum sanè omnia illa media efficiunt vnum quid, nempe ob finem qui vnus est, cum tamen inter se distincta sint. Non enim hîc media intelligimus quæ sunt in suum media singula per se sumpta, sed illa quæ sumpta seorsum aliquid possunt ad medium consequendum conferre, nonnisi simul iuncta possunt id omne præstare quod requiritur ad finem assequendum, ut dixit ille, *Et quæ non prosunt singula, multa iuuant*; itaque concursus plurium facit vnum & solidum Medium. Sed est vnio *ad vnum* eorum à quibus *Vnum* quod exoritur ex vnione non potest separari, immò ne distingui quidem nisi animi cogitatione: sic partes vnitæ totum constituunt, cum tamen vnitæ partes si rem spectemus ipsam nihil aliud sint quàm totum. Etsi igitur totum distinctum sit à partibus sigillatim sumptis, & verò etiam, si rem attentius consideremus, à partibus simul sumptis, attamen ab iis separari non potest. Nam qui partes dicit, seu dicat simul sumptas, seu seorsum, plures notat, at qui totum dicit, directè, ut ita dicam, non distinguit (ut qui corpus humanum dicit, aut orbem terrarum) sed distinguit pro natura totius, ex consequenti, ut ita loquar. Sed non omne totum vnius eiusdemque est generis, nam est totum quoddam quod in Scholis vocant *essentiale*, cuius partes sunt materia & forma. Et est totum quod in Scholis vocant *integrale*, cuius partes liceat membra appellare Et hoc totum item vel *continuum* est, vel *discretum*: continuum id est, quod constat ex partibus quæ ideo numerantur quod possint separatim considerari, non ideo numerantur quod actu sint separatæ, quomodo lineæ partes dicimus, &c. At totum cuius partes discretæ sunt, totum quidem est & vnum, sed eo ferè modo quo vnum ternarium dicimus, vnum quaternarium, simul enim distinguimus & vnimus, dum sic loquimur. Hoc vero totum non est vnius eiusdemque generis, nam pluribus modis plura naturâ suâ discreta vniri possunt ad constituendum integrum aliquod. Sed est in eo genere præcipuum quoddam totum, quod nos docendi caussa *Totum politicum* vocemus, eo sensu quo Aristoteles dixit hominem *animal politicum*, id est, animal gaudens societate, non belluinâ illâ sed quæ est à ratione: Non quod iudicaret Aristoteles quosuis homines dignos hac appellatione, sed ita loquutus est ut indicaret quid exigeret ab homine natura & conditio humanitatis: Et est totum aliquod Physicum; ut in corpore humano quod non constat ex partibus (si habeamus rationem contactus corporei) separatis, sed coniunctis, & quidem ita coniunctis, ut sit quædam continuitas, non contiguitas tantùm, quemadmodum in iis contingit quæ sunt arte facta, cuius generis etiam Totum quoddam est, sed quod non vsque adeò

Vnio est ad Vnum, quod est duplex.

1.

2.

Totum Essentiale, Integrale, continuū.

Discretū.

ad quod genus Totum referri potest Totum politicum.

ad continuum verò refertur Totum Physicum.

Totum dici potest atque illa quæ naturâ inter se cohærent.

Hæc præfati eadem accommodemus ad rem de qua agimus. Primo igitur loco obseruetur vnionem Ecclesiæ cum Christo distinguendam esse ab vnitione, ut ita loquar, Ecclesiæ cum Christo. Nam *vnitio* est actus transiens, *vnio* est veluti forma manens: & *vnitio* communis est Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *vnio* propria Filij, vel, (vt magis propriè loquamur) cum Filio ut cum termino. Quomodo quod natura humana vnita est diuinitati, si vniendi actum respiciamus communis est Patri, Filio, & Spiritui Sancto (est enim actio ex earum genere quæ sunt ad extra) at si vnionem ipsam spectemus, est Filij propria, nam Filius Dei non est quidem solus caussa efficiens huius vnitionis, attamen solus terminus est huius vnionis. Itaque & in Scriptura Pater dicitur nos dare Filio, & Filius nos eligere, & Spiritus Sanctus inscribere cordibus nostris fidem; quanquam peculiari quadam ratione quod ad Filium accedimus Patri tribuitur. Nempe alia ratio est constituendi obiecti quod Christus tueatur, aliud tueri obiectum constitutum. Nam prius illud opus eiusmodi est, ut in eo præstando Deus (Trinitas, inquam) vtatur libertate sua. Nam, *quorum vult miseretur, quos autem vult indurat*, id est, Deus non dat omnibus fidem & pœnitentiam. At posterius illud est quidem gratuitum & meræ beneuolentiæ, attamen quia obiectum iam constitutum est, non est ex hypothesi liberum. Atque huc Christus respexit cum diceret, *hanc esse voluntatem Patris, vt ex omni eo quod sibi dedit Pater nihil amitteret, sed excitet in nouissimo die*, quod est fundamentum quo nititur perseuerantia sanctorum. Nam cur Deus hos potius quàm illos det Christo (quod facit ipse, teste Christo, cap. 17. Johan. quo loco etiam de custodia agitur, de qua nunc nobis sermo est) reddi nulla ratio potest, quanquam cur non hos Deus det Christo reddi potest ratio, nempe mali fuerunt, & indigni tanto beneficio. At cur hos Deus illis prætulerit, cùm simus omnes natura eiusdem criminis rei, caussa dici non potest præter eam quæ suprà à nobis descripta est, *Dei beneplacitum*. Deinde cum audimus intercedere nobis cum Christo vnionem, meminerimus vnionem hanc non esse *vnitatem* (quamuis ab vnitate proficiscatur, tendatque ad vnitatem) sed vnionem rerum natura distinctarum; non est enim vnitas plurium sed vnius, vti supra demonstratum est, attamen vnio plurium est.

Denique secundùm hanc rationem vnionis quam descripsimus omnibus modis vniti Christo sumus, primò vnione illa quæ est ab vno, duobus modis, nam sumus eiusdem naturæ participes cuius fuit Christus. Itaque si eiusdem naturæ communio vnionem facit, vnio nobis est cum Christo: Naturæ autem nomine non intelligimus materiam veluti & substantiam naturæ humanæ, sed naturam humanam quomodo sanctificata est vi Spiritus Sancti, nam Christus non fuit simpliciter homo (quanquam reuera homo fuit) sed fuit homo conceptus ex Spiritu Sancto, idque non sine mysterio. Neque enim Christus quorumuis hominum caput est, sed eorum quos Pater ei dedit, ij autem sunt qui Spiritu Sancto regeniti sunt. Itaque pro iis solis orat Christus, negat verò se orare pro mundo. Mundus autem

Vnio nostra cum Christo non est idem cum Vnione, (quæ communis est toti Trinitati.

qui inquam peculia iter Patri tribuitur.)

neque cum Vnitate.

I. Vnimur Christo vnione quæ est ab vno bifariam.

I. ob communionem naturæ humanæ, & quidem sanctificatæ, quem in finem conceptus est & Spiritu sancto.

(vt id ὁδοῦ πάρεργον explicemus) vel sumi potest *negatiue* (vt loquuntur in Scholis) vt mundus significet eos qui nondum venerunt ad Christum (atque ita verum non est Christum non orare pro mundo) vel mundus sumi potest *positiuè*, vt significet eos qui Christi gratiam aspernantur, quales sunt ij omnes qui non credunt Euágelio, & gratiam repudiant oblatam. Atque ita intelligenda sunt illa Apostoli verba, *In Adamo moriuntur omnes, & omnes in Christo viuificantur.* Nempe non moriuntur omnes in Adamo, sed ij tantum qui in Adamo permanserunt; neque viuificantur omnes in Christo, sed ij tantùm qui Christo adhæserunt. Non enim Pater dedit Filium vt nemo pereat simpliciter, sed vt eorum nemo qui credunt in Filium pereat, *Sic enim Deus dilexit mundum*, &c. Cæterùm vt essemus consortes eiusdem naturæ cum Christo, sapientiæ Dei visum est vt Christus moreretur primò, tum excitaretur à mortuis, denique ascenderet ad cœlum, duabus de caussis, nam & expianda erant sacrificio peccata nostra, & testanda illustri argumento vis & efficacia satisfactionis, nullum autem illustrius huius rei argumentum esse potuit, quàm si Christus defunctus illa satisfactione ostenderet se in resurrectione victorem. Deinde Christus quidem à prima statim origine secundùm naturam humanam fuit sanctificatus, quippe conceptus à Spiritu Sancto, nostra eadem non est conditio, vtpote qui concepti sumus in peccato: Itaque renouari & immutari nos oportet, ideoque Christus pro suis mori voluit & excitari à mortuis, vt in eo tamquam in capite exstaret (quantum fieri potuit) ideo conditionis Ecclesiæ, nam mortuus est quoad vitam attinet animalem, vt nos moriamur quoad veterem hominem attinet, & excitatus est à mortuis, nouamque iniit vitam, vt nos etiam renouaremur ad imaginem Dei, quæ sita est in sanctitate & beata immortalitate. Vnde factum est vt Christo propriè Ecclesia vniatur quatenus crucifixus est & excitatus à mortuis, nempe vt in Christi morte Ecclesia sit veluti satisfaciens Deo & expians peccata, non in se, sed in capite Christo, in resurrectione autem Ecclesia sit veluti defuncta satisfactione, eoque triumphans, non itidem in se, sed in Christo capite. Deinde in Christo moriente in cruce Ecclesia fuit moriens peccato: Itaque Paulus non dubitauit dicere 6. cap. ad Romanos ỷ.6. Christum mortuum esse peccato, quia nempe Ecclesiæ suæ nomine peccato mortuus est, neque enim ipse suo nomine mortuus est peccato: eademque mente in beata resurrectione dicitur viuere Deo Ecclesiæ suæ nomine: non enim est aliud Christi resurrectio quàm symbolum resurrectionis animæ omnium fidelium à morte peccati. Hæc verò eiusdem naturæ communio ab Apostolo demonstrata est capite 6. ad Rom. docet enim nos esse σύμφυτοι, quasi dicas *congenitos* Christo, & *connatos*, nempe propter similitudinem (vt est eo loco) mortis & resurrectionis Christi. Porrò, vbi nulla naturæ communio est, nulla σύμφυσις esse potest, nulla cognatio. Atque eodem respexit Petrus cap. 1. secundæ Cathol. quo loco docet *non esse consortes diuinæ naturæ*, quod est prudenter considerandum. Certè consortes sumus diuinæ naturæ non vno modo, sed, vel quia in nobis est *formaliter*, id quod in natura diuina (vtimur autem vocabulis vsitatis in Schola) est *eminenter*, alioqui *formaliter* (vt loquuntur) diuina natura incommunicabilis est: Vel dicimur reddi consortes diuinæ naturæ, quatenus consortes facti sumus naturæ Christi quâ homo est, in qua Christi natura Deus non impressit leuia vestigia potentiæ, bonitatis & sapientiæ suæ, qualia sunt impressa omnibus creaturis, neque item imaginem fluxam & debilem, vt ita loquar (qualis fuit in Adamo, cuius rei testis sit eius lapsus,) sed firmam & stabilem imaginem tum sanctitatis Dei, tum beatitudinis, quatenus creatura illius capax esse potuit. Itaque cùm Christus sit idem Deus & homo, nos autem (vt loquitur Apostolus cap. 3. ad Hebr.) Christi participes facti sumus, facti sumus eius participes, primò, secundùm naturam diuinam, quatenus id quod est in Christi naturâ diuinâ *eminenter*, in nobis est secundum modum creaturæ, in nobis, inquam, qui credimus in Christum. Secundò, participes facti sumus Christi secundùm naturam humanam, quatenus id quod fuit in Christo secundùm eam *formaliter*, idipsum in nos per Spiritum Christi deriuatur. Atque ob hanc caussam dicitur Christus primogenitus inter multos fratres, nempe ob communionem naturæ humanæ, nam quod ad naturam Diuinam attinet, multò magnificentior titulus debetur ei, nam idem Creator est & Ecclesiæ suæ Redemptor.

Mortuus est item, & Resurrexit, duabus de caussis.

Ecclesia Christo vnitur propriè quatenus est mortuus & excitatus.

Explicatur locus 2 Petr. 1.4. Quomodo simus consortes naturæ Diuinæ.

Secundò diximus vnitatem naturæ considerari posse, vel vt simpliciter vnitas est, vel vt est vnitas communicata. Maior autem est vnio quæ oritur ex vnitate communicata, quam quæ ex ea quæ est simpliciter vnitas, verbi gratia, maior est vnitas patris cum filio quàm filiorum inter se, nempe inter patrem & filium non est simpliciter vnitas, sed vnitas communicata. At inter fratres est vnitas quidem naturæ, sed non vnitas communicata, neque enim frater fratri communicat naturá, sed fratribus omnibus pariter est à patre natura communicata. Itaque non nobis eò solum vnio est cum Christo arcta, quod sumus participes naturæ Diuinæ eo modo qui supra à nobis est explicatus, sed multò magis eo quod in eo & per eum sumus facti participes Diuinæ naturæ, nam ex eius plenitudine hausimus omnes. Vt Adamus auctor generis nostri est secundùm carnem, homo terrenus terrenorum, ita Christus auctor generis nostri est secundùm spiritum, homo cœlestis cœlestium. Attamen diuersa ratione, nam Adamus generis nostri non est author immediatè, itaque patribus nostris propinquiores sumus omnes quàm Adamo. Quæ ratio facit vt minus arcta sit vnio nostri cum Adamo primo parente: nam vnio arctissima non potest intendi aut remitti, ut dicitur in Scholis, vnio autem quæ est in genealogia (ut videmus) intendi potest & remitti, unde tot sunt orta cognationum discrimina. At cum Christo secundùm rationem vnionis quæ oritur ex vnitate communicata, ita coniuncti sumus, ut Christum contingamus propinquitate generis immediatè. Itaque ille κατ' ἐξοχὴν *primogenitus ex mortuis* dicitur capite 1. ad Coloss. Nos reliqui omnes pariter primogeniti dicimur cap. 12. ad Hebr.

Secundò Vnimur Christo vnione quæ est ab vno communicato, ob naturã nẽpe eius ab eo nobis communicatam.

Sic demonstratum est Ecclesiam unam esse cum Christo iuxta utrumq; modum illius vnionis quam diximus esse *ab vno* docendi caussa. Etiam Ecclesia Christo unita est secundùm eum modum unionis quo media uniuntur inter se propter

Tertiò, vnimur Christo vnione quæ est ad Vnũ. 1. Quomodo Media v-

iunturad finem.

propter finem; & quo partes inter se vniuntur propter totum, id est Ecclesia Christo vnita est eâ vnione quæ est ad vnum, sed media non sunt vnum respectu finis vno eodemque modo, nempe non respiciunt vno eodemque modo finem. Sunt enim quædam media quæ sunt à fine remota, quædam quæ propius accedunt ad finem. Itaque hîc sunt varij vnionis gradus, nam media quæ ad finem proximè accedunt multò magis inter se vnita sunt, quam quæ sunt à fine remotiora. Et media sunt quę per se tendunt ad finem, media item quæ ad finem referuntur non per se, sed per accidens, ideoque per accidens tantum media sunt. Haud dubiè igitur maior erit vnio mediorum quæ per se tendunt ad finem. Denique alia sunt media quæ tendunt ad finem per se, instinctu quodam & ductu naturæ, quæ vt alibi diximus, bruta est & sui nescia, quam naturam arte facta imitantur. Alia verò media sunt prædita ratione & iudicio, quæ tendunt ad finem notum & cognitum. Illa verò multò arctius inter se vniuntur, non enim media sunt simpliciter, sed media quæ proximè accedunt ad finem, neque id solum, sed media per se, quæ sponte sua, ratione & iudicio tendunt ad finem. Porrò, finis est vel verus vel falsus: non autem conuenit inter ea media quæ finem falsum appetunt, nempe non appetunt omnia vnum eundemque finem, sed vnumquodque eorum finem appetit qui videtur finis, vnde ortę sunt inter Philosophos dissentiones de finibus bonorum & malorum. Itaque qui sic appetunt finem, non possunt dici propriè media, nempe semetipsos faciunt finem, quemadmodum Deum dicimus sibi ipsi finem esse. Nam ut Scriptura docet Deum fecisse omnia propter semetipsum, sic qui falsum appetunt finem omnia propter semetipsos appetunt, quod fuit primi parentis peccatum. At qui verum appetunt finem ij inter se coniunctissimi sunt, non enim ducuntur amore qui vocatur *concupiscentiæ* (Græci φιλαυτίαν vocant) sed amore qui vocatur *amicitiæ*, quem φιλίαν vocant. Itaque necesse est ab illis abesse inuidiam & odium, atque illis inesse amorem summum, cuius vmbram videre est in iis qui vnius Principis ductu & auspiciis militant. Jam verò omnia quidem referuntur ad Deum vel remotè, ut ita loquar, vel proximè, vel per se, vel per accidens. Et per se quidem, ut quæ bona sunt vel bonitate Physica & Metaphysica, vel bonitate morali per accidens autem quæ mala sunt: vel referuntur ad Deum non modò per se, sed vltrò tendunt ad Deum, vt qui præditi sunt bonitate Ethica, quam sic vocamus docendi caussa, ut boni Angeli & fideles. Verùm, in iis quæ (quia sic ad finem tendunt) coniunctissima sunt inter se, tamen gradus vnionis, sunt, ut in exercitu cuius omnia membra tendunt ad finem, & quidem iudicio & ratione, tamen sunt gradus vnionis, nam si licet ita loqui, multò arctiùs Dux adhæret militi, quàm miles Duci, nempe penes Ducem est τὸ ἡγεμονικὸν, ut est multò arctior coniunctio patris cum filio, quàm est filij cum patre. Ita hic planè, ut arctissima sit coniunctio Christi cum Ecclesia, quia Christus & Ecclesia ad eundem finem tendunt, attamen multò arctior est Christi cum Ecclesia, quàm sit Ecclesiæ cum Christo, immò verò multò propius accedit Christus ad finem quam Ecclesia, est enim Mediator & is per quem Ecclesia tendit ad Deum, ut

Mediorum ad finem varia dispositio.

Finis alius verus, alius falsus seu apparens.

Deus est verus finis.

Varij gradus vnionis.

maior est Christi cum Ecclesia vnio, quàm Ecclesiæ cum Christo.

(quamuis hæc non sint omnino paria.) Dux multò propius accedit ad finem, quàm miles; itaque Duci laus victoriæ tribuitur, non militi: Vnde illud Pauli dictum, *Vos estis Christi, Christus autem Dei.* Media autem dicuntur Christus & Ecclesia respectu finis, quia Deus his mediis vtitur ad finem consequendum, nempe ut sic miseris mortalibus vniatur, eosque beatos faciat & immortales. Porrò, qui falsum appetunt finem ob eam caussam quam suprà attulimus, media dici non possunt.

Secundo verò modo vnionis quæ est ad vnum, nempe eo modo vnionis quo partes inter se vniuntur, Christo Ecclesia vnita est. Nam cùm sit partium vnio, quædam Physica (ut ita dicamus, ad quam vnionem referenda est ea quæ Physicam vnionem imitatur, nempe ea quæ est ab arte) & vnio item quædam Politica, ita Christo Ecclesia vnita est, ut in ea vnione exstet exemplum vtriusque vnionis. Et Physicæ quidem atque illius quæ Physicam imitatur, cùm Christus & Ecclesia dicuntur *vnum corpus, cuius Christus caput est*, cùm Christus & Ecclesia dicuntur *vna domus, cuius Christus fundamentum & lapis angularis est.* Et vnionis Politicæ similitudinem in vnione Christi cum Ecclesia deprehendere est, cum Christus dicitur Ecclesiæ suæ *Sponsus, Rex, Pastor,* &c. vtrobique autem hoc obseruandum est, seu dicatur Christus Ecclesiæ, seu dicatur Ecclesia Christo vniri modo Physico aut eo qui Physicum imitatur, seu modo Politico (quicunque tandem is sit) distinguendas esse partes, nam in toto Physico pars vna est pręcipua vnde pendent reliquæ, & in toto item arte facto, & in toto Politico quoque, ut caput in corpore, fundamentum in domo, in coniugio vir, in Republica Magistratus. Nam & caput corporis pars est, & fundamentum pars domus, & vir & vxor vna caro sunt, itaque vir pars est, & in Republica Magistratus pars est Reipublicæ, sed præcipua. Cæterum semper id ob oculos habendum est quod hæc vnionis exempla adumbrant tantùm, non satis exprimunt vnionem nostri cum Christo, nempe proposita sunt ut quæ in rebus humanis singula tantùm reperiuntur, ea doceamur omnia simul, & quidem multò magnificentiora & firmiora esse in vnione nostri cum Christo. Nam & Christo vnimur vnitate eiusdem naturę spiritualis, & quidem nobis à Christo communicatæ: & vnimur Christo eâ vnitate quæ est mediorum non per accidens, sed per se, non instinctu naturæ, sed ductu mentis, & inclinatione voluntatis tendentium ad eundem finem: & ea vnione quæ est partium inter se quæ eadem viuunt vita (quæ vnio Physica est) & quæ eodem principio nituntur (quæ vnio etiam in arte factis cernitur) & ea item vnione quę est rerum inter se cohærentium vnione quadam Politica, ut est hominum inter se in familia, vel in Republica.

Sed ut res sit illustrior demonstrandum est quod sit tantæ vnionis vinculum. Id verò deprehendi non potest nisi consideremus quanta sit vis spiritus, vnde omnes istius vnionis modi proficiscuntur. Nam quia spiritu Christi ducimur, hinc fit ut etiam Christo cohæreamus. Vnde & dicimur *vnus cum Christo Spiritus*, cap. 6. 1. ad Corinth. Apostolus scilicet alludit ad id quod vxor & maritus dicuntur vna caro, ut perinde nos

2. Christo vnimur vt partes in toto.

Physico.

Politico.

cuius ipse pars est præcipua.

Vinculum huius Vnionis est Christi Spiritus.

dicamur vnus Spiritus cum Deo, quomodo vxor cum marito dicitur vna caro. Itaque quod scriptum est Ephes. cap. 5. *Ecclesiam esse carnem de carne Christi, & os de ossibus eius* non est vexandum, dicuntur enim ista per allusionem, cæterùm sensus est, nos esse vnum spiritum cum Domino. Quorsum pertinet illud Apost. cap. 8. ad Rom. *si quis non habet Spiritum Christi, non est Christi.* Porrò, quæcunque hactenus dicta sunt de vnione nostri cum Christo, sic intelligenda sunt ut Christum non cogitemus iam Deum simpliciter, sed Deum incarnatum & Mediatorem nostrum; nam cum Christo quatenus Deus est, nobis intercedit quidem vnio, sed quomodo cum Patre. Deinde & hoc tenendum est, Christum mediatorem hîc dare, nihil accipere quod non dederit, est author eorum omnium in suis quæ ad hanc spectant vnionem: Vnde etiam dicitur *dilexisse Ecclesiam suam, & seipsum tradidisse pro ea,* &c. cap. 5. ad Ephes. Denique & hoc considerandum est, Christum ita vnitum esse Ecclesiæ suæ, & Ecclesiam vicissim Christo, ut aliquando *Deus futurus sit omnia in omnibus*: nempe donec mors & peccatum aboleantur non patet nobis aditus ad Deum nisi per Christum. At postquam omnes Dei hostes & salutis nostræ pessundari fuerint, tum immediata erit vnio nostri cum Deo, quod Apostolus significauit cap. 15. ad Cor. Ita tamen ut Christo hæc laus propria sit & sempiterna, quod huius vnionis fuerit conciliator.

Obseruanda sunt circa hanc Vnionem tria. 1. 2. 3.

Quàm verò hæc vnio arcta sit & firma, & efficax, etsi satis constat ex iis quæ disputauimus de vnionis huius ratione, tamen demonstrandum nobis est in aliis argumentis. Ac primò quidem quàm sit arcta hæc vnio, vel hinc patet quod Christus & Ecclesia vno eodemque nomine appellantur cap. 12. 1. ad Cor. quæ nota est summæ vnionis, eo autem loco Ecclesia Christus vocatur. Tùm quod 17. Iohan. confert Christus vnionem Ecclesiæ secum cum vnione sui cum Patre: Quæ verba item non sunt vrgenda ac si eadem protsus vnio esset, sed intelligenda sunt secundùm proportionem, ut sit vnio summa. Denique & hinc colligi potest quàm sit hæc vnio arcta, quod sit immediata. Nam in rebus humanis plurium nulla est immediata vnio cum vno, hic autem omnes æquali propinquitate Christum contingimus. Itaque obseruanda sunt diligenter illa verba quæ exstant capite 4. ad Ephes. & capite 2. ad Coloss. quibus verbis Apostolus totum corpus Christo iungit, totum autem, ut loquuntur in Scholis, intelligatur *totaliter*, nam certè in reliquis corporibus totum, ut loquuntur *Categorematicè* iungitur parti præcipuæ, non iungitur *Syncategorematicè*. Itaque nullum est membrum corporis Christi, ne vilissimum quidem iudicio humano, quod non æquè Christum contingat atque illa quæ sunt nobilissima; & ratio est, quia Christus totius Ecclesiæ, & singulorum Ecclesiæ membrorum sponsus est. Itaque Apostolus dixit *qui adhæret Domino vnus Spiritus est*: huc etiam referatur & illud, quod omnes dicimur primogeniti, id quod suprà monuimus.

quàm sit arcta hæc Vnio. colligitur. 1. 2. 3.

Indidemque sequitur firmam esse hanc vnionem. Nanc in cæteris quidem rebus vnio non est ideo firma, quod vis vnionis non pendeat ab vno, sed à pluribus, quod multis exemplis posset demonstrari nisi res esset obuia; Nos vnum asseremus, vnio mariti cum vxore ideo non est firma; quia non pendet à marito ut vxor casta sit, monet quidem maritus vxorem ut sit casta, at non potest impetrare ab vxore ut sit casta. Hic verò longè diuersa ratio est, nam quicquid in nobis rationem boni habet, id omne à Christo capite est, ut quicquid est in sarmentis illud totum à vite est. Neque verò potest aliter constare ratio laudis quæ Christo capiti debetur, nam hærebit semper animis quantum illi tribuendum sit, triensne, an quadrans, an sextans, an dodrans, ut tutissimum sit assem illi tribuere, & profiteri nos, ut nihil possumus sine illo, sic quicquid possumus nos posse per illum. Huc etiam & illud accedit, quod tum apud Prophetas in Veteri Testamento, tum etiam in Nouo Testamento sic describitur vnio nostri cum Christo, ut negetur fore ut semel vniti Christo separemur à Christo. Vt Jerem. cap. 31. pollicetur Dominus fore ut fœdus ineat cum suis, non quale fuit fœdus quod iniit cum populo Israelis, quod, inquit, illi violarunt. Itaque fœdus iniit Deus cum populo N. Test. quod populus N. Test. non est violaturus, non enim, quod est valde obseruandum, eo loco agitur de substantia fœderis, sed de efficaciâ, nempe Propheta in nomine Domini sic non agit, *Non feriam vobiscum fœdus, quo exigam vt faciatis & viuatis,* sed, inquit, *non feriam vobiscum fœdus quod violetis.* Cuius rei rationem subiungit, quia *scribam Legem meam in cordibus vestris.* Deinde Oseæ 2. postquam inuectus est Propheta in rebellionem populi, pollicetur nomine Domini fore vt *Deus desponset sibi populum suum in infirmitate, & in sempiternum, & auferat nomina Baalim ex ore populi sui,* hoc est, quominus deficiant à se prohibiturum. Et hæc quidem dicuntur in tempore futuro, non quod iam tum non essent, sed quod non essent tam illustria: quomodo Deus pollicetur iisdem locis remissionem peccatorum, non quasi iam tum nulla esset, sed quia non fuit illustris, ut infrà demonstrabimus. Locus verò qui est Jerem. 32. multò illustrissimus est, etenim pollicetur Dominus disertis vobis fore, *vt ita Spiritum suum indat cordibus suorum, vt nunquam recedant ab eius timore.*

quàm sit firma probatur 1. ratione. 2. Scripturæ testimoniis. 1. 2. 3.

Etsi autem non sit consilium nostrum hoc loco disputare de perseuerantia Sanctorum ex professo, attamen respondendum est eorum cauillationibus qui citatos à nobis locos detorquent in alienum sensum. Ac primò quidem negant promissiones Dei semper præstari, itaque etsi Deus promiserit perseuerantiam, negant ideò sequi ut sint qui perseuerent: Etenim duplex est genus promissionum, ut aiunt, quorum alterum conditione nititur, alterum minimè: Et promissiones quidem illas quæ conditione nituntur, negant impleri continuò, in hoc autem genere esse promissionem de Perseuerantia. Sed, ut mollissimè dicam, hæc est cauillatio indigna viris qui se Christianos profitentur, nam promissio de perseuerantia eiusmodi est ut excludat omnem conditionem, præter primum illum actum fidei Christiani hominis sese ex animo Deo committentis, alioqui promissio huc rediret, *Perseuerabitis si perseuerauerítis.* Deinde ipsa Prophetæ verba respuunt hoc interpretamentum: Nam seu Jeremias cap. 31. & cap. 32. seu Oseas cap. 2. in nomine Domini hęc annunciet, manifesta est antithesis, nempe inconstantię Israelitici populi secundùm carnem, cum constantia populi Israelitici secundùm Spi-

2. Objicitur. Resp. 1. 2.

dùm Spiritum. Denique verba illa, *Et dabo illis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me omnibus diebus, vt bene sit illis & filiis eorum post eos*, &c. nimis sunt manifesta. Nam quod aiunt Deum non semper consequi finem suum, non quadrat huic loco. Etenim, vt iam diximus, est antithesis, & Deus opponit statum spiritualem Ecclesiæ suæ statui carnali Ecclesiæ Iudaicæ. Deinde quando Deus non assequitur finem suum, hoc fit ideo quod finem illum non est persecutus simpliciter & absolutè, persequitur autem Deus finem absolutè, cum adhibet illa media quibus positis oritur finis, non autem persequitur finem absolutè, cum adhibet illa media quibus adhibitis non sequitur finis: verbi gratia, voluit Christum esse sacrificium pro peccato, & voluit hoc absolutè. Quid ita? quia adhibuit omnia media vnde hoc exortum est, conuenienter tamen, atque ita vt non sit affinis culpæ, sed auctor boni quod per accidens ex culpa exortum est. Et aliquando Deus finem quidem habet, sed quem non persequitur absolutè, quod nos colligimus ex posteriori, vt cùm non adhibet illa media vnde exoritur finis. Sic Scriptura docet, Deum velle omnes homines seruare, attamen non adhibet apud omnes homines illa vnde exoritur salus. Sed vt ipsa experientia testatur hoc nonnullorum priuilegium est, non omnium. Iam verò locis quæ citata sunt agitur de medio, quod si adhibeatur finis sequitur. Nam ait, *dabo illis cor vnum, & viam vnam*, non modò *cor*, sed *viam* etiam dixit, iam verò cor vnum & viam vnam sequitur metus Domini omnibus diebus. Nam eorum qui non perseuerant non est vnum cor, neque via vna. Quod verò aiunt, agi hic de iis qui reduces erant futuri ex captiuitate Babylonicà, errant grauissimè, & ipsi secum pugnant, nam Dominus noster Iesus Christus ista traxit, & accommodauit ad populum N. T. cap. 6. Iohan. & res ipsa id testatur: nam iis qui reduces erant ex captiuitate Babylonica ista non obtigerunt, immò populus Iudæorum tametsi alio genere scelerum, tamen non aliàs sceleratior fuit quàm postquam reductus fuit ex captiuitate Babylonica. Quod verò aiunt promissionem esse in futuro, ideoque de re quæ nondum præstita fuit, suprà à nobis est refutatum. Nam pari ratione asserant promissionem de remissione peccatorum quia est in futuro non pertinere ad N. Test. & populum N. Testam. præcipuè: sic enim argumentantur, Si Deus hic pollicetur perseuerantiam, nondum fuit perseuerantia, nempe pollicetur perseuerantiam in futuro. Itidem & nos sic argumentemur, Si Deus pollicetur remissionem peccatorum, nondum fuit peccatorum remissio, etenim Deus eam pollicetur in futuro: At certè iam fuit peccatorum remissio, fuerit ergo etiam donum perseuerantiæ. Quorsum igitur promissiones in futuro? quia tollendi erant omnes typi, nullus erat futurus Israel secundùm carnem, hoc est Israel typicus, sed Israel secundùm Spiritum, itaque & omnia erant futura illustriora, vt cùm sublatis typis res ipsa proponitur nuda. Adiiciunt & hoc, nempe Metaphoricas esse locutiones, vnde, inquiunt, nihil concludi potest nisi prius constet de genuino sensu verborum; At, inquam, omnis metaphorica locutio similitudinem significat, itaque exponi non potest ita vt tollatur ratio similitudinis, tolletur autem nisi statuamus [...]t Dei populus secundùm Spiritum perse-

[Marginal notes: 3. — Obiicitur. — Resp. — 2. — 3. Obiicitur. Resp. — 4. Obiicitur. — Resp. — Inst. Resp. — Obiicitur. 5. Resp.]

ueret, propter antithesim quæ in iis locis passim adhibetur, & commemorationem causarum perseuerantiæ, quæ adeò arctam habent cum effecto connexionem, vt iis positis necesse sit effectum sequi. Nam quod aiunt sic futurum vt Prophetæ redderent populum securum, nos respondere iis possemus quod est ipsis solemne, incommodum non soluit argumentum: Attamen quia veritatis Professores nihil æquè decet ac candor, respondeamus quod res est, duplex esse genus securitatis, vnum quod proficiscitur à neglectu mediorum, alterum quod procedit à certitudine mediorum. Certitudo autem mediorum duplex est, vel enim dici possunt media certa, quia certò ea adhibebis, vel certa dici possunt quia si ea adhibueris certò finem consequeris. Hæ verò promissiones afferunt quidem secundi generis securitatem, quæ non est vitiosa, depellunt primi generis securitatem: hæ enim Dei promissiones nihil aliud efficiunt, quàm vt statuas apud te fore vt Deus tuus nunquam ita te derelinquat, vt non adhibiturus sis illa media, nec fore vnquam vt illa adhibueris frustrà. Iam verò qui statuit nunquam fore vt non adhibeat, aut vt sine fructu adhibeat illa media, potest-ne fieri vt idem non adhibeat ea quæ putat certò sibi esse adhibenda? Fieri non potest. Exemplum autem huius rei esto caput nostrum Iesus Christus, qui media scilicet non contempsit, immo persecutus est summo studio, nam orauit Deum & exauditus est, & consolatus est eum Angelus è cœlo, & admisit consolationem: Et Daniel cum haberet persuasum fore vt Deus redimeret populum suum, attamen orauit Deum suum. Eiusdem farinæ est quod aiunt sic statui Prophetas dixisse pugnantia, nam iidem, inquiunt, hortantur homines ad perseuerantiam. Sed est duplex genus perseuerantiæ, vnum est Physicum, quomodo cœlum perseuerat & terra, cuius perseuerantiæ principium est natura secundùm Deum, bruta scilicet atque expers rationis: profectò hoc genus perseuerantiæ non admittit admonitiones. Sed est aliud genus perseuerantiæ quod est ab animi proposito, id vero admittit, & poscit vltrò admonitiones; nam propositum animi est à iudicio & ratione: porrò, iudicium & ratio requirunt obiecta de quibus iudicetur, illa autem obiiciuntur admonitionibus, verbi gratia, Christus qui fuit verè homo, attamen in agone admonitus fuit ab Angelo. Quanquam duplex admonitio est, vna extraordinaria quæ fit à spiritu, non eadem quomodo docent Anabaptistæ, sed à spiritu suggerente ea quæ scripta sunt in verbo Dei, sine hominis interuentu; & est admonitio alia quæ coniunctum habet spiritum, sed adhibito interuentu hominis: Huius autem generis admonitio, vt & prior illa, tantum abest vt efficiat ne firma sit perseuerantia, vt contrà quod Deus sic agit, inde colligamus esse firmam, sic enim agit Deus vt sit firma.

Id ipsum verò tam clarè & tam multis locis Noui Testam. docetur, vt mirum sit viros doctos ad tantam lucem non aperire oculos: Et nos quidem non afferemus omnia, sed quædam loca, eaque maximè illustria, quæque illi conati sunt deprauare, sed frustrà. Primus autem locus esto qui est cap. 16. Matth. quo loco pollicetur Christus fore vt ædificet Ecclesiam suam, atque ita ædificet vt aduersus eam portæ inferorum non sint

[Marginal notes: Obiicitur. 6. — Resp. — Securitas duplex. — Certitudo mediorum duplex. — Dei promissiones non pariunt securitatem vitiosam neque mediorum neglectũ. Exemplo illustratur. — Obiicitur. 7. Resp. duplex perseuerantia. Physica; — Ethica. — Probatur perseuerantia ex N. T. — 1. locus.]

præualituræ, quod si Ecclesia defiangatur à Christo, certè præualuerint aduersus eam inferorum portæ. Nam quod respondent portas inferorum significare mortem & damnationem; non efficit (etiamsi id detur) vt ne ex hoc loco possit probari perseuerantia Ecclesiæ. Nam qui non sunt perituri, eos necesse est perseuerare. Itaque si Ecclesia non potest perire, non potest itidem non perseuerare, nam si non perseuerauerit, peribit. Porrò, quid sint hoc loco portæ inferorum à nobis declaratum est cum explicaremus illum locum: Nempe *portæ inferorum* sunt *sepulchrum*, ex phrasi Script. quæ non modo *inferos*, sed *inferorum portas* solet dicere. Quod verò adjiciunt promissionem hîc fieri duntaxat aduersus vim externam, non aduersus propriam hominis malitiam, non loquuntur satis clarè, videntur enim præsupponere fore vt Ecclesia malitiâ laboret, & contumaciâ, quod si sic sentiunt, profectò dicunt quod res est, Deus enim hominibus contumacibus non pollicetur auxilium suum. Sed res longè aliter hîc se habet, pollicetur enim Dominus Ecclesiæ fore vt non sit contumax, nam *ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam, & portæ inferorum*, &c. Itaque (quod citra contumeliam dictum sit) hoc est cauillari, nam ita Deus Ecclesiæ nihil polliceretur quod non sit commune omnibus hominibus. At Christus certè singulare aliquid hîc pollicetur Ecclesiæ nempe vt quantumuis illa prona sit in rebellionem, ille tamen hunc impetum sit cohibiturus per Spiritum suum; quod non est polliceri auxilium hominibus profanis, sed polliceri (quæ summa consolatio est) vt ne qui natura procliues sunt ad impietatem, eò vergant quò ducit natura. Denique (tanta est inconstantia) respondent, promissionem hîc tantum dirigi ad Ecclesiam Christi quatenus ea est talis, neque promitti perseuerantiam in fide, aut ipsos semper mansuros Ecclesiam, sed quantisper Ecclesia manent, &c. hoc est, vt loquuntur in Scholis, promissio hic sit Ecclesiæ in sensu composito, non in sensu diuiso. Ac sic promissio nulla erit, vt si quis homini promittat fore vt non moriatur, moriatur tamen cui promissum est fore vt non moreretur, quia quando moritur desinit esse homo, nulla erit promissio, nam certè homo quamdiu homo est, non moritur. Sic solemus ridiculè dicere, remedium esse aduersus mortem vt edamus & bibamus, quia quandiu edemus & bibemus non moriemur. Sic verò tollitur omnis consolatio & fiducia in posterum: quis enim est cuius mentem vnquam subiit hæc cogitatio, etiamsi Deum ex animo coluero, in eum sperauero, tamen me Deus destituet? At hæc cogitatio sæpe animum subit, in hac inconstantiâ naturæ & leuitate, inter tot hostes quis poterit stare, & perstare vsque ad finem? hoc verò est quod sollicitos habet pios, itaque hîc opus est consolatione, nulla autem erit si nulla est promissio. Vt illud interim taceamus, quod si istorum hominum cauillatio locum habet, fieri poterit vt nullam habeat Deus in terris Ecclesiam, immò verò vt omnes qui in Christum crediderunt simul deficiant: nempe non possumus iudicare de firmitate Ecclesiæ nisi ex promissionibus Dei, omnes autem promissiones Dei secundùm istos præsupponunt, non ponunt perseuerantiam, perseuerantia autem incerta est: Itaque transeundum nobis est in castra Socinianorum, qui exertè docent nihil esse absurdi, si dicamus fuisse aliquandiu Ecclesiam Dei in terris exstinctam.

Except. 1. | Except. 2. | Resp. | Except. 3. | Resp. 1. Promissio foret ridicula, | & consolatio nulla esset fidelibus. | Resp. 2.

Secundus locus Noui Testamenti est cap. 10. Iohan. Quo loco Christus ait, *Oues meas nemo rapiet è manu mea.* Iam verò rapiuntur è manu Christi qui deficiunt à Christo, oues autem non rapiuntur, ergo nec deficiunt. At illi more suo respondent oues quantisper oues sunt, non posse eripi, fieri tamen aliquando vt desinant esse oues: Causam verò conseruationis ouium esse Patris potentiam, quæ opponitur imbecillitati hostium, non autem dicitur potentia illa caussa esse immutabilitatis voluntatis. At nos non dicimus voluntatem esse immutabilem, hoc est enim vnius Dei proprium vt immutabilis sit. Attamen eorum qui sunt oues Christi, dicimus ita nunquam mutari voluntatem vt deficiant à Christo. Quod verò aiunt potentiam Patris hoc loco opponi imbecillitati hostium, mera nugatio est, hostes enim nostri non dicuntur validi nisi ob facultatem superandi nos: itaque non potest opponi potentia Patris illorum imbecillitati, nisi quatenus prohibet ne illi nos superent, non autem prohibebit si ab illis superemur, superabimur autem si cedamus, pollicetur ergo Christus fore vt ne cedamus. Immò verò nemo est in tentatione qui sibi aliunde metuat quàm à semetipso, vnde vox illa notissima in Ecclesia, *Ne nos inducas in tentationem*; non enim credo, oramus Deum ne sit author mali, blasphemaremus enim strenuè inter orandum, sed vt ne nos patiatur superari à Tentatore, quod est puto, vt efficiat vt nos superemus Tentatorem. Et sanè cùm quis constitutus in carcere, & perculsus metu mortis confugit ad Christum, & nixus veritate huius promissionis rogat Christum, vt credo, non petit à Deo perseuerantiam si velit perseuerare, hoc est, vt perseueret si perseueret, esset enim iocularis petitio (at qui in agone constituti sunt non iocantur) sed petit à Deo vt perseueret, nam, inquit, oues Christi nemo rapiet è manu Christi.

2. locus Scripturæ ad probandam Perseuer. | Except. 1. | Resp. | Except. 2. | Resp.

Tertius locus hic est, cap. 14. Ioan. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Hîc se vertunt in omnes partes, ac primò quidem hoc respondent, Christum hoc tantum velle, ego pro tempore tantùm ad vos veni, vt breui post mortem redeam ad Patrem, sed Spiritus Sanctus ita venturus est vt nunquam moriatur. Quasi quis metueret ne Spiritus Sanctus moriatur. Contrà, hoc vult Christus, Ego duntaxat ad tempus secundùm carnem fui vobiscum, at Spiritus meus semper vobis aderit: opponit præsentiam Spiritûs præsentiæ suæ secundùm carnem. Sed quia metuunt ne hæc responsio succedat, respondent 2. Hanc promissionem pertinere tantum ad solos Apostolos, & proinde argumentum non valere. Accipimus quod dant, Ergo Apostoli saltem perseueraturi fuerunt. At orarunt Apostoli, & ieiunarunt, & non laxarunt habenas libidini carnis, & subegerunt corpus suum. Itaque falsum est quod dicunt, dogma de perseuerantia inducere securitatem. Sed fieri, inquiunt, etiam potest vt spectet ad totam Ecclesiam, at debet, inquiunt, necessariò subintelligi conditio, si nimirum seruent eius mandata. At scriptum est, fore vt hic Spiritus deducat eos quibus datur in omnem ver[itat]em. Itaque Spiritûs est qui facit vt seruemus m[a]ndata, nam *deducere in omnem veritatem*, est effi[cere] vt

3. locus Scripturæ. | Excipitur. 1. | Resp. | Excip. 2. | Resp. | Excip. 3. | Resp.

a Spi[rit]es

ambules in omni veritate: nisi fortè hoc velint, (quod tamen se nolle profitentur) non esse Spiritus opus quod exequimur Dei mandata: nam Spiritus Dei certè vbiq; est etiam in impiis, hîc autem Christus Spiritum pollicetur singulari quodam modo, qui nullus erit, si Spiritus Dei non est aliter in piis quàm in impiis, non erit autem aliter, nisi aliquid amplius efficiat in piis quàm in impiis. Nam cùm his potius dicitur adesse quàm illis, non est hoc intelligendum secundùm Spiritus essentiam, sed secundùm efficaciam Spiritus. Denique dicunt ἵνα vt non semper significare euentum, fieri enim posse vt Spiritus recedat, & repellatur. Itaque ne promissio quidem Spiritus Apostolis facta, qualis hæc fuit, firma erat, fieri enim potuit vt Apostoli repellerent Spiritum: quod apud illos sanè non est absurdum, nam coguntur id fateri, cùm his disertis verbis affirment fieri posse vt promissio ista ad solos spectet Apostolos. Omnis itaque certitudo iaciendorum fundamentorum Ecclesiæ Christi non pendebat à Spiritu, sed à libertate voluntatis Apostolorum. Itaque Spiritus non fuit determinans, sed determinatus potiùs, neque constabiliens, sed constabilitus. Vt finis sit, pugnat hæc glossa cum scopo Christi. Nam Christi consilium est consolari, at miserum mortalem & obnoxium peccato non consolatur qui sic compellat, non discedet à te Spiritus nisi volueris, nam ille inde sibi non metuit, metuit tantum à se ipso. Imò vnica hæc est & solida consolatio, non modò non discedet à te Spiritus nisi volueris abigere Spiritum, sed efficiet Spiritus vt ne id velis: quo fundamento nituntur & preces, & gratiarum actio, dum pro eo impetrato Deo agimus gratias.

[margin: Excip. 4. Resp. 1. 2.]

Huc etiam & illud accedit, quod Christus cap.17. Joan. orat pro suis, & quidem vt seruentur à malo, nullum autem malum perniciosius est defectione; orat igitur ne vnquam deficiant sui. Porrò Christus non orat frustrà; Itaque vtut pereat mundus non deficient illi qui verè Christi membra sunt. At illi inquiunt Christum impetrare quicquid rogat, sed eo modo quo rogat, etenim Christus in cruce pendens rogauit pro hostibus suis, orat & orauit pro inimicis suis. Et hoc ipso capite orat pro suis vt conseruentur à malo, attamen peccant credentes. Jam verò subsumunt Christum nunquam orasse pro absoluta perseuerantia credentium in fide. Deinde (vt titubant & vacillant in hoc argumento) respondent hæc esse dicta specialiter Apostolis Christi (non ergo pertinere ad fideles reliquos) propter munus quod illis impositum est. Deinde Christum respicere præsens tempus, nempe tradendus erat, interficiendus, illi verò dispergendi. Denique, hoc loco, inquiunt, sub voce *mali*, si peccatum quis velit comprehendere, præsupponitur eos pro quibus Christus orat non esse de mundo, sed ipsi videre debent ne mundum diligant. Et, vt finis sit, Christum ostendisse se (cùm pro Apostolis orauit) non orasse tanquam pro singularibus personis, sed tanquam pro Apostolis. Deinde non debet id latius trahi, quàm verba patiuntur, nimirum vt vnum sint, & per fidem sanctificati charitate compingantur.

[margin: ... locus Scripturæ. Excip. 1. 2. 3. 4. 5. 6.]

Sed ista ferè non egent refutatione. Nempe vt à primo ordiamur, aiunt Christum impetrare quo modo rogat, rogasse autem Christum non simpliciter pro suis. Quomodo autem rogauit Deum pro suis? Hoc illi debuissent explicare. Non est enim Christi oratio, cum intercedit pro suis, suspensa, sed certa. Nam quod dicunt Christum orare pro hostibus suis etiam hodie, petimus locum aut rationem è Script. quo id probetur. Sanè postquam Christus sedit ad dextram Dei, vtitur aduersus hostes suos sceptro ferreo. Et quod afferunt Christum orasse pro hostibus in cruce, vt Pater ipsis condonaret, longè diuersa ratio est. Primò illæ Christi preces non erant Christi preces quatenus mediator est, sed quatenus homo fuit pius & sanctus, at Christi preces cap.17. Joh. sunt Christi preces quatenus mediator. Quæ distinctio multis probari posset, nos tantùm vnum afferemus, quod erit omnium instar: Christus cap.17. Ioh. disertis verbis negat se orare pro mundo, hoc est, pro iis qui non erant credituri, vt patet ex antithesi at in cruce, etiam fatentibus iis quibuscum nobis controuersia est, orauit pro mundo, etiam pro iis qui non erant credituri. Secundò, quædam sunt preces quæ tacitè includunt cōditionem aliquam in eo pro quo precamur, quædam verò quæ nullam possunt includere conditionem: Vt rem demonstrem familiari exemplo, oramus Deum vt det vitam æternam peccatori, sed tacitè præsupponimus fidē & pœnitentiam, quia sine fide & pœnitentia vita æterna dari non potest, immò nefas est orare vt impœnitenti Deus det vitam. Quædam verò preces sunt quę nullam præsupponunt conditionem in eo pro quo oramus, vt cum oramus Deum vt det fidem & pœnitentiam alicui, nulla potest præsupponi conditio in eo pro quo oramus, nempe constituimus eum ob oculos vt perditissimum hominem, destitutum fide & pœnitentia. Hac adhibita distinctione. Resp. Preces quas Christus fudit in cruce habuisse cōditionem: itaque exauditum fuisse Christum, quatenus obuenit iis pro quibus orauit (si præstiterunt conditionem) vita. At preces, quæ sunt Joh. cap.17. nullam possunt præsupponere conditionem: sunt enim preces quas Christus concipit non pro hominibus simpliciter, sed pro fidelibus, quæ non eò spectant vt Deus simpliciter det vitam fideli, sed vt ne patiatur fidelem superari à malo. At illi (pro eo ac sunt acuti homines) respondebunt, fidelem sumi extensiuè, vt fidelis sit qui permansurus est in fide ad finem vsque (vnde illorum electio completa, incompleta, fides intensiua, extensiua, &c.) At hæc Resp. nugatoria est, nam Christus orauerit pro iis qui perseueraturi sunt ad finem. Iam verò objectum rei pro qua oramus debet esse distinctum à re pro qua oramus, quis enim oret Deum vt qui perseueraturi sunt perseuerent? Immo, Deum oramus vt qui alioqui non erat perseueraturus is perseueret, nam oratio esset ridicula. *Perseuerent in fide qui erunt perseueraturi in fide, ne superentur à malo quos malum non superabit*: nemo enim superatur à malo qui idem non deficit, nemo non superauit malum qui perstitit. Ergo preces Christi pro fidelibus sunt absolutæ preces, absolutæ, inquam, non vt ab iis dicuntur odiosè, sed absolutæ, quia preces Christi nihil aliud requirunt in objecto quàm vt quis datus Christo fuerit à Patre, & verè in Christum crediderit.

[margin: Resp. ad 1. An & quomodo Christus orauit pro hostibus suis. Non omnes Christi preces sunt Mediatoriæ. quædam preces includunt conditionem, quædam non includunt. Applicatur distinctio. Inst. Resp.]

Quod verò aiunt hæc esse dicta specialiter Apostolis Christi. Nec assequuntur quod voluerunt, & dicunt pugnantia cum Christi verbis:

[margin: Resp. ad 2.]

Fac enim (quod non est verum) Christum orasse pro solis Apostolis, ergo falsum erit (quod & supra notatum est,) quod illi aiunt, certitudinem perseuerantię inducere securitatem; Nemo enim ignorat Apostolus etiam in iis quæ spectabant ad munus suum fuisse assiduos in precibus & labore, & cauisse diligenter ne eorum culpâ Euangelium aliquid caperet detrimenti. Pugnant item quæ dicunt cum Christi verbis: Nam Christus disertè profitetur se non modo orare pro Apostolis, sed etiam pro iis qui credituri erant, nempe vt credituri seruentur à malo. Nam illud quod dicunt Christum respicere tempus præsens, indignum est planè tam magnis ingeniis, quando Christus orat pro iis qui credituri sunt vsque ad finem mundi: Et vt maximè verum hoc esset, nihil promouerent, nam hæ Christi preces non effecerunt vt Apostoli non sibi cauerint: nec pugnarunt preces Christi cum eiusdem hortatione, *vigilate, & orate*: Illud verò quod dant, *mali* nomine etiam peccatum posse intelligi, sed eos pro quibus Christus orat debere videre ne mundum diligāt, hoc est perinde ac si quis dicat, Christum orare ne sui diligant mundum, sed esse eorum qui sunt Christi, cauere ne mundum diligant. Hoc iam non est respondere, nam omnino, pro quibus orat Christus non amant mundum. Sed omnis controuersia est sitne effectus precum Christi quod non diligunt mundum, an verò conditio quædam quam Christus requirit in iis vt pro iis oret: quod esse nullomodo potest, nam idem esse effectum precum & conditionem, sunt ἀσύςατα: vt si quis Deum roget vt morbo liberetur, non orat Deum vt morbo liberetur ea lege si morbo iam liberatus est, non enim petimus quæ habemus à Deo impetrata, sed vel ea quæ non habemus, vel eorum quæ habemus conseruationem.

Resp. ad 3.

Resp. ad 4.

Et, quod nos penè fugerat, dum dicunt hoc pacto fore vt fideles ne peccent quidem, illud verò videtur hoc animo dictum vt patêret effugium deprehensis: neque enim credibile est eos sic velle eludere omnes Dei promissiones, vt cum Deus pollicetur suis consolationem in hac vita, nos cauillemur sæpe conflictari pios cum magnis animi angoribus. Nam vt semel hoc moneamus, omnes Dei promissiones sic sunt intelligendæ, vt in hac vita impleantur quidem, sed ita vt sit futuræ vitæ locus, nec vlla sit in hac vita perfectio. Itaque Christus, quod est valdè obseruandum, orauit pro Petro, effecitque oratione sua, non quidem vt ne Petrus deficeret, sed vt ne prorsus deficeret. Nam quod aiunt exemplum Petri esse singulare, id nihil aliud est quàm exemplum Petri esse exemplum, omne enim exemplum singulare est. At si hoc intelligant, significatum eo exemplo aliquid singulare, & quod non fuerit Petro cum reliquis fidelibus commune, profectò dixerunt Christum orasse pro solo Petro, ita vt non sit intercessurus pro suis, quibus multò magis opus est Christi intercessione (si res humano iudicio æstimetur) quàm Petro, qui singularia adeptus fuit priuilegia, nempe Apost. fuit, vt nihil suprà dicamus. At videtur esse vehementer absurdum orasse Christum ne fides Petri deficeret, non orare Christum ne miserorum hominum, sed credentium tamen, fides deficiat. Quod si illi hoc velint, habeant sanè Christum qui non oret ne fides eorum deficiat, nostra sit hæc consolatio quod Christum habemus qui orat ne nostra fides deficiat, nam multo tutiùs credimus Christo quàm nobis. Deinde dum sic respondent (quod suprà monuimus) in id incurrunt quod maximè refugiunt, nam sic commendarit Christus securitatem Petro, prius enim quā Petrus esset lapsus, hoc illi Christus significauit. Sed quoniam locus est insignis verba ipsa consideranda sunt. Ac primò illud *Satanas* ἐξῃτήσατο ὑμᾶς hoc est, non simpliciter expetiuit, sed *postulauit*, nam ἐξαιτεῖσθαι Græcè est *deposcere ad supplicium*, vel *ad quæstionem*: Itaque interpres Syrus sic eam vocem vertit, שאל, nempe vt Satanas Iobum, hoc verò *deposcere* est ἐξαιτεῖν. Et Apocal. cap. 12. Satanas dicitur accusator fratrum, nempe hoc poscit vt sibi dedantur vexandi tanquam hypocritæ, quomodo Jobum sibi dedi postulauit. Tùm & illud σινιάσαι, quærunt viri docti quid sit σινιάσαι, nam est verbum infrequens, attamen σινίον Græcè *cribrum* est apud Hesychium, & σινιάζεσθαι *cribare* est apud eundem. Sed quia in cribratione duo sunt, vnum concussio illa atque agitatio, qua omnia sursum deorsum vertuntur, alterum verò segregatio atque separatio, secundùm priorem significationem hoc loco vsurpatur, vt Christus nihil aliud voluerit quàm Satanam voluisse Apostolos & Petrum dedi sibi, vt eos conturbaret. Quomodo Apostolus cap. 1. ad Galat. testatur Euangelium illud falsum non esse aliud Euangelium, *sed sunt*, inquit, *qui vos conturbant*. Vbi obiter obseruandum est in Græco esse εἰ μὴ *nisi*, vt ne putemus *nisi* in Scriptura significare exceptionem, sed oppositionem, vt & illo loco qui est cap. 17. Johan. *Ex iis quos mihi dedisti nemo periit nisi filius perditionis*, non intelligimus filium perditionis datum fuisse Christo, quasi exciperetur ex eorū numero qui Christo dati sunt, verùm, *nisi filius perditionis*, idem est ac *sed filius perditionis*, quod iis non videtur insolens qui tenent quæ sit phrasis linguæ. Nam Syriacè אלא, & purius, אלהן vertuntur Græcè εἰ μὴ, non per exceptionem semper: Vt & cap. 2. ad Galat. dicimur *iustificari non operibus*, *nisi fide*: Pontificij dixerint, ergo operibus & fide, sed respondendum est illud *nisi*, non esse exceptiuum, sed aduersatiuum. Itaque id quod quibuscum nobis controuersia est afferunt non est firmum, dum volunt Judam fuisse Christo datum, quia scriptum sit, *nisi filius perditionis*. Porrò, vt nullus relinquatur dubitandi locus similis exstat locutio Amos 9. *℣.* 9. quo loco Dominus minatur fore vt cribret populum suum, atque ita cribret vt ne lapillus quidem excidat, sequitur quæ continuò *& perdam eos gladio*. Itaque *cribrare* est *conturbare* & *perdere*, si de corpore agitur, secundùm corpus, si de anima, secundùm animam. Neque vexandum est illud, *vt ne lapillus quidem excidat*, non est enim promissio vt intuenti patebit.

Rursus Resp. ad 1.

Exemplū Petri labentis, sed non deficientis prorsus.

Instant. contra Petri exemplum.

Resp

Illustratur locus Luc. 22. 31.

Illustratur & vindicatur locus Iohan. 17. 12.

Quod verò dicunt se hanc prærogatiuam libenter concedere Apostolis, Quorsum Apostolis fuerit id concessum? Vel enim iis concessum fuit quatenus Apostoli fuerunt, vel quatenus Christiani; vt si dixerim, hoc tribuitur homini vel quia homo est, vel quia animal est, vel quia corporeus est, &c. At si hoc Petro concessum fuit quatenus Apostolus fuit cur non ipsum fuit concessum Iudę quatenus fuit Apostolus? nā illi sanè fatentur Petrum suâ instantiâ meruisse vt à Diabolo conteretur. Sed nihil opus est eos sic vrgere, res enim

Apostolis non qua Apostolis, sed qua Christianis datum fuit vt perseuerarent.

res enim est manifesta, quod datur Apostolo quatenus Apostolus est, datur omnibus qui sunt Apostoli, non est autem commune priuilegium hoc Petro & Judæ, ergo non datum est Petro quatenus Apostolus fuit: quod Apostolis datur quatenus sunt Apostoli, datur Apostolis non propter se, sed propter alios, nam Apostolatus non tam respicit eum qui est Apostolus, quàm eos in quorum gratiam Apostolus est. Itaque si fides Petri non defecit vt Apostolus esset, fides Petri non defecit ne vlla esset fides saltem in quibusdam, nota enim regula est, *Propter quod aliquid est tale, illud ipsum est magis tale.* Et verò Christus hoc significat, *& conuersus fratres confirmabis*, id est, prohibebis quominus vacillent, cespitent, & cadant denique fratres tui. Itaque vsque adeò perseuerantia est, vt perseuerantiæ organum sit Petrus. Quamquam non debet concedi, Christum ista pollicitum fuisse Petro quatenus fuit Apostolus, sed quatenus fuit fidelis Apostolus, vt cùm Deus pio homini qui Magistratus est pollicetur fore vt officium faciat, aut si non faciat, saltem non prorsus negligat, non dicemus hanc promissionem factam esse Magistratui quia simpliciter Magistratus est, nam Christiani hominis cernuntur officia in omnibus muneribus. Immò verò Christus non dicit se orasse pro reliquis Apostolis, nempe reliqui Apostoli non erant subituri hanc tentationem; attamen dicit se cauisse ne reliqui Apostoli tentationem subirent, nam, inquit, *Postulauit vos Satanas sibi dari*, hoc omnibus dictum est Apostolis, *At ego oraui pro fide tua*, nempe solus Petrus præbuit se obnoxium tentationi.

Resp. ad 5.

Quod verò aiunt Christum orasse pro Apostolis capite 17. Joannis, facilis responsio est. Distinguenda sunt ea quæ Christus petit concedi Apostolis suis, quædam enim sunt necessaria absolutè ad salutem, (vt, verbi gratiâ, vt seruentur à malo, vt sanctificentur in veritate, nam, inquit, *Ego pro ipsis sanctifico memetipsum*) & sunt quæ propriè spectant ad munus Apostolicum. Quum Christus petit ea quæ Apostolis necessaria sunt ad salutem, non est dandum tum orare Christum pro Apostolis quatenus Apostoli sunt. Immò hoc est pernegandum, nam quæ petuntur in alicuius gratiam, quatenus hoc aut illo munere fungitur, respiciunt propriè hoc aut illud munus, quæ verò eiusmodi sunt vt spectent rectà salutem animæ, non sunt numeranda in iis quę sunt peculiaria, sed quæ sunt communia. Et vt omnis pertinacia expugnetur, Christus profitetur hac oratione se non modò orasse pro Apostolis, sed pro omnibus qui credituri sunt, continuoq; addit, *vt omnes*, id est, tam hi, quàm illi, *vnum sint*, &c.

Resp. ad 6.

Denique quod dicunt verba Christi non esse trahenda vlterius quàm patiuntur, neque sanè id fit à nobis, nam seruari à malo, atque ita seruari, vt vniti simus arctissimâ vnione inter nos cũ Christo, & per Christum cum Deo, tam firmâ vnione vt aliquando vbi ille est nos futuri simus, id verò non aliter efficitur quàm perseuerantiâ. Itaque Christus orauit Patrem vt perseueremus omnes, quicunque seriò, cùm nobis ipsis diffideremus, credidimus nos Christo regendos eius Spiritu, quod est nosmetipsos abnegare. Sunt & alia loca penè innumera in Nouo Testamento, quorum lux tanta est vt frustrà ingeniosi homines conentur iis tenebras offundere, sed quia nobis properandum est aliò, hîc subsistimus; hoc interim monentes, vt in timore Domini sepositis animi affectibus illorum hominum scripta legatis, in quibus si quid occurrit quod pugnet cum eo dogmate de quo iam disputamus, ea de re seriam suscipiatis cogitationem.

Quam sit efficax nostra cum Christo vnio cognitur.

1.

Porrò, vt institutum nostrum persequamur, quàm sit hæc nostri cum Christo vnio efficax, etsi iam satis liquet ex iis quæ iam suprà disputata sunt, & vel inde facilè colligi potest, quod quæ Christus in nostri gratiam pertulerit, ea eodem apud Deum loco sint ac si nobis tam grauis pœna incubuisset. Hoc verò est quod Apostolus significauit disertis verbis 2.Cor.5. *Si vnus, inquit, pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt*. Ita Christus dum pœnâ quæ fuit [illegible] defungitur, totum Christi corpus eâ pœnâ defunctum est. Atque hinc patet quæ sit ratio iustitiæ diuinæ, dùm pœnam peccatis nostris debitam à Christo exigit, nempe vsque adeò arcto vinculo Christus & Ecclesia coniuncti sunt, vt Christus sit veluti peccator in Ecclesia, Ecclesia veluti defuncta pœnâ peccati in Christo. Nam quemadmodum dum luctaretur Christus cum ira Dei, Ecclesia non est ipsa per se cum Dei ira colluctata, ita dum Christus dicitur factus peccatum ob Ecclesiam, eo significatur Christum non fuisse peccatorem. Itaque eodem modo ista intelligenda sunt, vt Christo mortuo nos dicamur morte defuncti, & pro nobis peccatoribus Christus dicatur factus peccator.

2.

Deinde facit hæc vnio nostri cum Christo, vt quæcunq; patimur ab hominum iniustis odiis ea Christus pati dicatur propter eius nobiscum vnionem. Itaque non veritus est Paulus cap.1. ad Coloss. vocare afflictiones suas *reliquias afflictionum Christi*, quemadmodum & Christus audiente Paulo clamauit ex cœlo, persecutionem Pauli se petere, *Saul, Saul, quid me persequeris?*

3.

Immò verò hæc nostri cum Christo vnio nos facit esse ea conditione, vt necessariò multa nobis patienda sint: Etenim facit vt conformes simus Christo, neque poterit constare conformitatis istius ratio, nisi patiamur cum Christo, vt est cap.8. ad Rom. Cætera quæ spectant ad efficaciam huius vnionis demonstrandam nihil opus est hîc repetere.

Quàm latè pateat nostra cum Christo vnio; nempe etiam ad fideles sub V. Testam. eam pertinere.

Veniamus igitur ad id caput quod sequitur, vnio Christi latissimè patet: neque enim Christus Ecclesiæ tantum Noui Testam. coniunctus est, sed Ecclesiæ Veteris Testam. adeoque fuit omnium fidelium, qui fuerunt unquam, caput. Quod vt demonstremus, necesse est vt priori quidem loco ostendamus Christum semper fuisse omnium piorum caput, tum vt ostendamus qvomodo id fieri possit. Neque tamen afferemus ea omnia quæ ad hanc rem faciunt, nihil enim necesse est, tantum studebimus fontes rationum quibus tanti momẽti veritas probetur, indicare; idque vel collatis quibusdam Scripturę locis, qui erunt reliquorum omnium instar, deinde rationibus quæ Scripturæ authoritate nituntur.

aduersus Socinum probatur Scripturæ testimoniis.

1. locus.

Primus autem locus, isque maximè illustris, hic sit, *In Adamo*, inquit Apostolus capite 15. 1.ad Cor. *omnes moriuntur, in Christo omnes viuificantur.* Itaque nullus est qui vitam quam in Adamo amiserat, consecutus sit nisi in Christo, nullus autem vitam consequitur in Christo, qui non sit Christi membrum: Nam Adamus nonnisi suis mortem attulit, & Christus nonnisi suis vitam cõmunicat.

2. Huc & illud accedat quod capite 4. Act. scriptum est, *in nemine salutem esse extra Christum:* quod non potest restringi ad Noui Testamenti tempora, quia Apostolus eo loco vrget necessitatem salutis per Christum consequendæ. Deinde cap.9. ad Hebr. disertis verbis dicitur redemisse illa peccata quæ erant in Veteri Testamento.

3. Quod non potest ita eludi vt intelligantur peccata eiusdem generis, vt sit hæc sententia, Christum eiusmodi peccata redemisse sanguine suo, quæ sacrificiis legalibus expiari non potuerant, pugnat enim hoc interpretamentum cum Apostoli scopo, qui est ostendere sacrificium Christi necessarium esse. Nam si in Veteri Testamento peccata vllo sacrificio fuerunt expiata, nihil erat opus sacrificio in Nouo Testamento: sed Apostolus hoc voluit, peccata non fuisse expiata in Veteri Testamento, itaque opus fuisse sacrificio in Nouo Testamento, alioqui futurum vt patres Veteris Testamenti perirent. Etiam & illud obseruandum est quod eodem capite ait ℣. 22. *sine effusione sanguinis non esse remissionem*, posset enim hoc refelli si Patres redempti sunt sine sanguinis effusione: nam vt dicat redemptos fuisse sanguine hircorum & taurorum stare non potest cum verbis Apostoli, qui negat sanguinem hircorum & taurorum potuisse purgare conscientiam, indidemque concludit necessariam fuisse redemptionem per Christum. Quid? quod ait vers.23. etiam *necesse fuisse vt cœlum sanctificetur*, hoc est, *purgetur præstantiori aliquo sacrificio:* Cœlum autem sanctificari dicitur non ratione sui, sed nostri, itaque Metalepsis est qua vtitur Apostolus vt alludat ad sacrificia Legalia. Et cap.10. idem Apostolus disertis verbis docet inde ortam esse, inde pendere necessitatem satisfactionis Christi, quod vetera illa sacrificia non potuerint præstare rem tantam.

4. locus Excip. 1. Et 13. cap. vers.8. *Christus*, inquit, *hodie, heri, & in æternum idem est*, quod neque ita intelligi potest, vt cum Christus dicitur fuisse heri, intelligamus Christum fuisse priusquam Apostolus scriberet hanc Epistolam, hoc enim frigidum esset: *Resp.* neque sic intelligi potest, vt hoc Apostolus tantùm voluerit innuere, Christum fuisse prædestinatum, nam hoc Christo cum multis commune est, at Apostolus singulare aliquid tribuit Christo. *Excip. 2. Resp. 1.* 2. Deinde, fideles quidem dicuntur electi ante iacta mundi fundamenta, at nusquam dicuntur fuisse ante iacta mundi fundaméta. 3. Denique non cohærent ista, *Christus fuit hodie, heri & in æternum*, si horum primum intelligendum est de prædestinatione. *Excip. 3. Resp.* Nec simpliciter ista de Deitate Christi intelligenda sunt, quamquam hinc colligitur Christum esse Deum, & quidem necessariò, nam consequentia arguunt hæc spectare eò, vt certi simus in Christo semper omnia subsidia ad salutem fuisse reposita. Sequitur enim continuò, *Doctrinis variis & peregrinis*, &c. Item, *bonum est vt cor gratiâ confirmetur, non cibis, ex quibus nullam consecuti sunt vtilitatem qui in iis ambularunt: habemus enim altare*, &c. Vnde liquet studuisse Apostolum auocare Hebræorum animos à studio rituum, & cæremoniarum ad Christum solum, hoc pacto, Si veteres Iudæi in iis ritibus se exercuerunt, non inde tamen vllum fructum, sed à Christo salutem consecuti sunt, *Christus enim est idem heri, hodie, & in æternum*, hoc est, nunc Seruator non est, ita vt olim non fuerit, atque vt non sit futurus in æternum Saluator. Neque nouum videri debet, vt quibus locis Spiritus sanctus meminit æternitatis Christi, quæ eum Deum esse reuincunt, iisdem meminerit locis Redemptionis per Christum partæ, vt Apoc.1. ℣.8. dicitur, *Qui est, qui fuit, & qui venturus est, omnipotens ille*, non quidem eo consilio duntaxat, vt teneamus Christum esse Deum, sed vt teneamus Christum esse Deum, qui semper fuerit Redemptor, & futurus sit, nam sunt illa verba eadem quæ exstant cap.43. Esa. Quo loco Deus meminit æternitatis suæ, vt fuerit, & sit, & futurus sit semper, continuoque subiungit, *Et præter me non est Seruator*, Et Psal.90. meminit initio Redemptionis Propheta, & è Redemptione ad Dei æternitatem assurgit, vt Psal. itidem 102. sub finem.

Explicatur locus Apocal. 1.8.

Illustratur locus Exod. 6.3. De nominibus שדי & יהוה.

Immò verò cap.6. Exod. Dominus profitetur se in eo esse vt reuelet se Iehouam, hoc est *Æternum* populo suo, cum Patribus sese tantùm ita reuelarit, vt fuerit שדי, locum ipsum aditote, nempe hęc est loci illius sententia, Patres quidem senserunt me promissorem Redemptionis, quanquã interim illis omnia suffecerim quę necessaria fuerunt, at vos me experiemini Deum æternum, qui promissiones meas reapse ac factis præstem. Itaque meritò reprehensus est, quanquam tacitè, Onkelos Paraphrastes à Salomonio Jarhio, quod locum illum, *Et non notus fui illis in nomine Iehouæ*, sic vertit, *Et non notum feci illis nomen Iehouæ*, quod falsum est, nam nomen Jehouæ Patribus notum erat. Sed quærat aliquis, cur æternus dicatur Deus cum de Redemptione agitur. Nempe æternitas duobus modis in Deo considerari potest, vel vt significet aliquid absolutum, quodque Deus solum respicit, vel vt significet vim illam qua Deus ita immutabilis est, vt constans sit in promissis. Promissio autem quæ κατ' ἐξοχὴν promissio dicitur, est promissio salutis: Ergo cùm Deus hanc datam effectam & præstitam edit argumentum æternitatis suæ, nempe constantiæ. Vnde Salomon ille Jarhi, quanquam Iudæus, loco quem citauimus vocem יהוה interpretatur ita, vt dicat eo notari Deum esse נאמן πιστὸν, quæ vox crebrò occurrit in N.Test. vt cùm Apostolus dicit, non fore *per inconstantiam nostram vt Deus abneget se ipsum*, hoc est, vt sibi non constet. At quod Deus profitetur se probasse primis illis Patribus (quos Patriarchas vocamus) שדי, illud verò obscuritatem quandam præ se ferre videtur. Nam quid tandem est illud, *Schaddai?* Certè *Schaddai* nomen Dei est, vt & *Iehoua*. Attamen Deus Patriarchis fuit *Schaddai*, non fuit, vt videtur, *Iehoua*. *Schaddai* si rei Grammaticæ rationem habeamus, vocabulum est cuius origo inter Hebræos est controuersa, nam sunt (in quibus est Salomo Jarhi) qui putant שדי dictum quasi אשר די, qui est ita omnibus instructus nihil vt ei desit, qui sibi ipse sufficit, nam אשר contrahi solet in ש. Porrò omnia Dei attributa ita nobis consideranda sunt, vt ne in illis obseruemus dumtaxat quis sit Deus in se, sed quem se erga nos exhibeat. Itaque quemadmodum *Iehoua* non tantum significat (vt iam suprà monuimus) constantiam illam quæ est in natura Diuina, sed eam etiam quæ cernitur in iis quæ, Deus præstat miseris mortalibus, vt cùm Malach.3.6. testatur se non mutari, non vult tantum significare se non esse obnoxium interitui, sed neq; labefactari constantiam cõsilij sui in hostibus suis profligandis, & protegenda Ecclesia: Nam

quid sit שדי & cur Deo tribuatur.

Nam sæpenumerò subeunt hominum animos profanæ cogitationes de Deo, cùm ex animo voto & sententia res non fluunt. Quorsum Apostolus videtur respexisse cap. 3. ad Gal. quo loco *Mediator*, inquit, *non est vnius, at Deus tamen vnus est:* nempe, fuit Legis Mediator, Legis, inquam, quatenus data est in monte Sina, & est, atque initio fuit Mediator Euangelij Christus, *qui fuit heri, & hodie, & erit in æternum.* At diuersitas Mediatorum non facit vt continuò fuerit diuersitas in Deo, idem enim Deus est, cuius, si ita loqui fas est, ductu & auspiciis Lex & Euangelium data sunt: nempe Euangelij & Legis idem finis est, eiusdemque est intueri finem & persequi, prospicereque de mediis. Hac ratione *Schaddai* significat illam copiam rerum omnium quæ est in Deo, significabit itidem nomen hoc Deo tributũ quod omnia sufficiat suis, vnde LXX. Interpr. *Schaddai* ἱκανὸν interpretati sunt. Quid igitur hoc erit, *Deus præstitit se Patribus Schaddai*, *non præstitit se Iehouam?* nempe quantum illis sufficiebat tantùm induisit, non induisit quod erat summum, vt sit hic quædam αἰτιολογία, nam dum liberaret posteros Patrum seruitute Ægyptiaca, & eos mitteret in possessionem terræ Canaan, executus est quod promisit. Vt cap. 12. 2. ad Corinth. *Gratia*, inquit, *mea tibi sufficit*, non significat Paulum adeptum esse summam votorum suorum, sed istam quam diximus sufficientiam, cuius & in celebri dicto mentio fit, *Pietas cum sufficientia magnus quæstus est*, id est, pietas est quæstus cum sufficientia, cum tamen expectemus in cœlo beatam illam quietem.

Explicatur locus Gal. 3. 20.

Sed hæc Grammatica vocis *Schaddai* interpretatio non placet Aben Esræ, non enim potest hoc concoquere vt *Schaddai* dicatur *Ascherdai*, veretur enim ne parum conuenire possit, vt nomen proprium conflетur ex relatiuo & nomine, sed si nihil aliud esset, metus iste foret vanus, nam inter Afros (qui oriundi sunt ex Phœniciâ, & Punicâ vtuntur linguâ, id est. Arabicâ, quæ linguæ Hebraicæ quædam dialectus est) nihil est frequentius, vt cum nomen *Quod-vult-deus* imponunt, & *Adeodatus*, &c. Multò magis nos mouere debet quod Iobi 9. scriptum est, *Sagitta Schaddai*, videtur enim eo significari sagittas quas eiaculatur esse maximè valentissima. Itaque ille *Schaddai* interpretantur *victorem*, atque huius interpretationis authorem laudat Samuelem quendam Rabbinum, quem & *Principem* vocat, qui *Schaddai* interpretatus est linguâ Arabicâ *Alkabir*, hoc est victorem, Heb. מנצח, nam linguâ Arabicâ *Schadad* est *vincire* & *corroborare* itidem, quia quæ soluta sunt, eadem sunt infirma, contrà quæ sunt compacta eadem robusta sunt. Sed & linguâ Hebraicâ *Schadad* est *dissipare* & *perdere*, quod victori conuenit imprimis, non enim aliter quàm clade & interitu hostium peruenitur ad victoriam, vt eundem victorem & vastatorem esse oporteat. Sed res eodem redit, significatur enim hoc titulo quo pacto Deus agat cum suis, donec executus sit factis quod verbo promiserat imprimis, interim enim omnia illis suppeditat, & in rebus aduersis vsque adeò corroborat vt vincant. Quo Deus videtur respexisse initio capitis 15. Gen. Quo loco pollicetur fore vt sit Abrahamo clypeus, שדי אל hoc est *Deus præpotens*, *omnia sufficiens* (nam sufficere, est misero sufficere) quasi dicat gratia mea tibi sufficit, & clypeus est illius quem hostium mucro & gladius petit. Itaque habet hic titulus suauissimam consolationem, eo enim portenditur Deum nunquam defore suis, etiam tùm cùm summam promissionis suæ non adimpleuit.

Aliud vocis שדי etymon.

Sed quærat aliquis quorsum ista spectent, nam ne tum quidem cum liberauit seruitute Pharaonica populum suum, ostendit quantùm in suorum gratiam præstiturus esset. Sed responsio facilis est, erat enim assertio populi sui in libertatem secundùm carnem typus assertionis populi sui in libertatem secundùm spiritum; vnde factum est, vt cum de typo ageretur iisdem sit verbis vsus Dominus ac si de re ipsa ageretur. Et verò si rem ipsam spectemus Deus ante Christum exhibitum in carne fuit *Schaddai*, Christo autem in carne exhibito fuit, secundùm hanc rationem, *Iehoua*. Nam quæ fuit ratio promissionis de asserenda in libertatem gente Israelitica per Mosem, ad ea quæ illam libertatem præcesserunt, quæ fuit ratio præstitę promissionis terrę Canaan ad ea quę possessionem terræ Canaan præcesserunt, eadem est ratio Euangelij patefacti ad eam reuelationẽ quæ Euangelium patefactum præcessit. Deinde, Dominus vsque ad id tempus quo meliori vita fruemur *Schaddai* est, nondum enim implete sunt promissiones, at in illa beata vita erit *Iehoua*. Itaque eò nos ablegant Apostoli & Christus: sic Christus cap. 8. Johan. profitetur *se fuisse antequam Abraham esset*, atque eo loco non tantùm significat se fuisse in se, vtpote qui Deus est, sed se fuisse cõseruatorem Ecclesiæ suæ, nam inquit, *Abraham cupiuit videre diem meum, & vidit, & gauisus est*, hoc est, Abraham percepit aliquem fructum, alioqui in Abrahamo *cupere videre, & vidisse* seiungi possent, iam verò coniunguntur ista, *cupiit videre*, & *vidit*. Itaque fructum aliquem oportet redundasse hinc ad Abrahamum, quare sequitur continuò, *& gauisus est*, immò verò hoc significat gaudium non vulgare, vox, inquam, qua vsus est Euangelista ἠγαλλιάσατο, ἐχάρη. Nec verò aliud significatum est Ioan. 1. cum dicitur Christus *Lux*, & quidem *lux quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, diciturque idem fuisse in mundo. Quod, tametsi verum sit omnem humanæ mentis lucem esse ab illo Sole, attamen intelligendum est præcipuè de illa luce quæ est ad salutem, & qua fit vt tenebris peccati & mortis liberemur. Neque tamen inde sequitur, omnes indiscriminatim homines participes fieri huius lucis, est enim locutio in Scriptura vsitata, vt quoties ita se res habet, vt restitui non possit nisi Deo restituente, tum Deus omnia eius generis dicatur restituere, vt cùm Ps. 145. Deus dicitur sustentare omnes cadentes, & erigere omnes incuruatos, id est, qui cadunt, si sustentantur, à solo Deo sustentantur, & qui eriguntur, à solo Dei eriguntur. Nihil est igitur quod inde concludant Semipelagiani, Christum vera illa luce omnes illuminare, nisi sic intelligãt vt Christus statuatur in tenebris luxisse, neque tamen fuisse comprehensus à tenebris, quomodo & Christum omnium hominum Redemptorem dicere possumus.

Obiicitur aduersus istam loci Exod 6. 3. explicationem. Resp.

Explicatur locus Ioh. 8. 56. & 58.

& locus Ioh. 1. 9.

Resp.

Sequuntur rationes petitę ex Scriptura quibus idipsum probatur. Prima autẽ ratio hæc sit. *Semen mulieris conteret caput serpentis*, hoc verò dictum est statim perpetrato peccato primi parẽtis, ergo pertinet ad semen mulieris, vt conteratur caput serpentis, non est ergo caput serpentis contritum,

Rationib. è Scriptura petitis probatur Vnio fidelium Vet. Test. cum Christo.

I. *Semen mulieris*, &c.

Vindicatur hic locus contra Socinianos.

nec verò conteri poteſt niſi per *ſemen mulieris.* Quod non poteſt detorqueri ita vt ſtatuamus dictum, fore vt eſſent multi ex ſemine mulieris, pij ſcilicet qui contrituri eſſent caput ſerpentis. Nam vt priori loco hoc dicamus, qui erant à ſerpente peſſundati, non potuerunt conterere ſerpentem, deerat enim illis omnis vis; Itaque opus fuit quodam ſemine mulieris quod caput ſerpẽtis contereret, atque eam vim, pro eo ac ſapientiæ eius viſum eſt, communicaret cum ſuis. Deinde, ſi credimus Apoſtolo 3.cap. ad Galat. Quoties cum de promiſsione agitur mentio fit *ſeminis*, intelligitur ſingulare aliquod ſemen, id eſt, aliquis ſingularis oriundus ex ſemine. Hanc rationem ſecutus Apoſtolus concluſit inde quod dictum fuit, *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes* quendam fore, immò iam eſſe oriundum, aut ortum Abrahamo ſecundùm carnem, cuius interuentu omnes nationes benedicantur. Et hîc itidem, cum dicitur fore vt ſemen mulieris conterat caput ſerpentis, intelligendus eſt Chriſtus, qui ſingulari quodam modo mulieris ſemen eſt: nam ſi liberet verba vrgere, Chriſtus propriè *ſemen mulieris* eſt, nam ſecundùm carnem patrem non habuit, matrem habuit. Verum quidem id eſt, omnes homines dici phraſi Hebraica γεννητοὺς γυναικῶν (cum dico phraſi Hebraica, Chaldaicam linguam intelligo præcipuè) at id nihil prohibet tamen quominus *ſemen mulieris* ſignificarit peculiare quoddam ſemen, quomodo etiam (vti ſuprà explicatum eſt) Chriſtus *filius hominis* ſingulari quadam ratione dicitur. Ergo, aut ante aduentum Chriſti in carne caput ſerpentis non fuerit contritum, atque ita Deus nullam habuerit Eccleſiam, aut Chriſti efficacia & vis, in aſſerendo populo ſuo atque vindicando, ſeſe exeruit ante eius aduentum in carne.

Chriſtus ſolus propriè *ſemen* eſt *mulieris.*

2. ratio contra Socin.

Huc & illud adjiciamus quod cap.1. ad Col. 1. dicitur *primogenitus ex mortuis*: non erit autem primogenitus ex mortuis niſi & Patriarchę vi reſurrectionis Chriſti reſurgant, & ni Patriarchę vi reſurrectionis Chriſti reſurgant non debuerunt Chriſto reſurrectionem ſuam. Sed & ille titulus quo Chriſtus *Mediator* dicitur *Dei & hominum*; idipſum euincit, eoque magis quod dicitur *vnus Mediator*. Id verò non poteſt torqueri ita vt dicatur Mediator hominum qui nati ſunt, poſt eius aduentum in carnem, nam eodem modo dicitur vnus Mediator, quomodo Deus dicitur vnus Deus: Itaque vel Patres illi non habuerunt Mediatorem: vel Chriſtus eorum Mediator fuit. Neque facit hîc ad rem quam vult agere hæreticus, quod dicit Chriſtum Mediatorem dici quod internuncius fuit, fuerit enim Chriſtus hac ratione hominum internuncius, proindeque & Patrum, id eſt, vt ne cauillemur, internuncius apud homines, Dei, inquam, apud Patres; alioquin quorſum attinuiſſet dixiſſe Chriſtum eſſe vnum Mediatorem hominum? Nam niſi intelligantur omnes omnino homines qui fuerunt, qui ſunt, aut erunt, aliter haud dubiè loquutus fuiſſet Apoſtolus, nulla enim lingua eſt qua vox *homines* non ſignificet totum genus humanum. Deinde quorſum attinuit adjicere, *homo Ieſus Chriſtus*, & quæ ſequuntur, *qui ſe dedit pretium redemptionis*, &c. Sed Apoſtolus noluit eo loco Chriſtum ſimpliciter internũcium vocare, quod nos vnico argumento oſtendemus, quo omnes eius argutię refellentur. Nam Mediator Chriſtus

3. Vindicatur locus 1.Tim 2.5.

Inſt.

Reſp. 1.

2. Chriſtus non eſt ſimpliciter internũcius, vult Socinus.

dicitur non vt ille vult, quod intercedat pro Deo apud homines, ſed eo quòd intercedat apud Deum pro hominibus. Itaque ἱλαστήριον dicitur, non quod reddat homines Deo propitios, abſurdum enim id eſt, ſed quod reddat Deum hominibus propitium. Itaque 1. Johan. capit. 2. dicimur *habere Aduocatum apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe*, inquit, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*

Quod verò dictitat Moſem identidem dictum Mediatorem, cùm tamen non fuerit Mediator quomodo nos volumus Chriſtum eſſe Mediatorem, reſponſio in promptu eſt, Moſem quatenus Mediator fuit, fuiſſe typum. Cæterùm Moſem fuiſſe Mediatorem ſecundùm typum eiuſmodi, vt inde colligi poſſit non modò populum fuiſſe alienum à Deo, ſed Deum etiam à populo, quod per typum demonſtratum eſt. Immò inde colligit Apoſtolus Legem datam fuiſſe populo peccatori, quod lata eſt per manum Mediatoris, neque populo licuit accedere ad montem, ſoli licuit Moſi, nempe vt in huius typi vmbra nos cernamus lucem veritatis, quæ eſt in re huius typi Domino Ieſu, *per quem* (vt eſt capite 2. ad Epheſ.) *nobis patet aditus ad Patrem.* Et profectò nullo conſilio Deus adhibuiſſet Moſem internuncium, niſi populus fuiſſet admonendus non licere peccatoribus accedere ad Deum ſine Mediatore. Itaque tam magnifica maieſtatis ſuæ ſigna edidit in monte Sinai, vt populus petiuerit Moſen ſibi dari Mediatorem, typicum, inquam.

Obijcitur Moſes qui Mediator dicitur.

Reſp. Moſes fuit Mediator typicus.

Chriſtus verus Mediator.

Eandem vim habet quod ſacrificia legalia vmbræ erant, atque typi Chriſti, itaque & remiſſionis per Chriſtum obtinendæ. Aut igitur Patribus non ſunt remiſſa peccata, & ſacrificia illa inania fuerunt, aut ſi habuerunt aliquem vſum ſacrificia illa, Patres conſecuti ſunt remiſsionem per Chriſtum. Nam quod hæreticus excipit, fieri nullomodo potuiſſe vt illa ſacrificia Chriſti ſatisfactionem repræſentarent, quod inquit, nulla ſit ratio typi, in eo fallitur, quod non animaduertit res ſpirituales non eſſe typos rerum ſpiritualium, ſed res corporeas typos eſſe rerum ſpiritualium: non enim putat fieri poſſe vt ſacrificia typi fuerint ſatisfactionis Chriſti, niſi illis ſacrificiis ſit ſatisfactum Iuſtitię Dei; immò verò ſi ea fuiſſet ratio ſatisfactionum Legalium, ne typi quidem fuiſſent. At ille quærit rationem ſimilitudinis. Ea verò non eſt obſcura, nam erat olim in Lege reatus quidam typicus, & pœna typica, & ſecundùm reatum & pœnam neceſsitas quædam typicæ ſatisfactionis. Reatus typicus in eo fuit, quod peccato pollutis non licebat ſocietatem religioſam colere cum fratribus, & pœna itidem fuit, quod ſi deprehenſi fuiſſent non oblato ſacrificio, non tuliſſent hoc impunè. Et ſatisfactio typica fuit quod offerebatur ſacrificium veluti expiatio delicti, quod optimè quadrat rei typo ſignificatæ. Peccato alienamur à Deo & ab Angelis, & reatum contrahimus mortis æternæ, & neceſsitas ſatisfactionis incumbit, ſed qua defungimur ſacrificio, impoſitis, ſicut olim victimis, peccatis noſtris Chriſto. Nam quod ait, non fuiſſe olim receptum, aut conſtitutum à Deo, vt pro omnis generis peccatis victimæ offerrentur, id ſuprà à nobis refutatum eſt ex cap. 19. Leuit. cum probaremus omnia peccata eſſe ἀκούσια. Sed & hoc eum decepit, quod in priuatis ſacrificiis nulla grauium

Si & ſacrificia legalia typi erant ſatisfactionis Chriſti.

Obiectio Socini.

Reſp.

Ratio ſimilitudinis inter ſacrificia legalia & Chriſti ſatisfact.

Alia Obj.

grauium scelerum habetur ferè ratio; Cuius rei hæc fuit ratio, quòd qui pro delictis seorsim sacrificia offerebant, eos oportuit fateri delictum, omne autem graue delictum Deus iusserat in Lege morte puniri. Itaque cùm sit clemens & misericors, noluit miseris hominibus arcanorum scelerum sibi conscijs imponere necessitatem offerendi seorsim sacrificia, ne adirent vitæ & capitis discrimen, immò verò ne extremo afficerentur supplicio. Attamen die solemni propitiationum, ne vllum abiret peccatum quod non expiaretur typicè, institutum est anniuersarium illud sacrificium quod non singulorum, vt in priuatis sacrificiis, sed omnium peccata (quæcunque tandem illa fuerunt) expiabantur, typicè, inquam, nulla enim vera est expiatio peccati nisi ea quam Christus peregit.

4. ratio contra Socinum Explicatur & vindicatur locus 1 Cor. 10. 9. & locus Exod. 23. 20. 21.

Quin etiam Apostolus Corinthios hortatur ne Christum tentent, quemadmodum quidam ex Israelitis tentarunt. Ergo Christus iam tum fuit Ecclesiæ suæ seruator, quem hypocritæ tentarunt. Vt hic locus intelligatur necesse est repetamus animo quod scriptum est cap. 23. ℣. 20. 21. Exod. quo loco Dominus grauiter interdicit populo Israelis ne irritet, ne se rebellem præbeat Angelo, *Non enim*, inquit, *condonabit vobis*, *nomen enim meum est in medio eius*. Haud dubiè hic Angelus Christus est, atque idem ille qui cap. 63. Isaiæ ℣. 9. dicitur *Angelus faciei Dei*, quod multis argumentis probari potest, quorum hoc esto primum, quod Angelus creatus in Scriptura non sit ea dignitate vt dici possit irritari, aut tentari. Deinde quod nulli creaturæ Scriptura tribuit potestatem remittendi peccatum, nisi fortè Ministris Euangelij ob ministerium; At in deserto Mosis & Aaronis visibile ministerium fuit, non fuit Angeli. Itaque hic Angelus describitur qui remittit peccata vt Christus. Tertiò, vel ipsis Judæis fatentibus cap. 3. Malach. *Angelus fœderis* est Messias, &, si negarent quâ sunt pertinaciâ, vel ex ratione phraseos conuinci possent, præcessit enim *& veniet Dominator quem quæritis, & Angelus fœderis quem cupitis*: nota est Scripturæ consuetudo, nempe eadem diuersis, sed idem significantibus verbis eodem versu significare. Itaque Salomo Jarhi testatur Rabbinos (hoc est Maiores suos) obseruasse hunc Angelum esse מטטרון. Porrò *Metatron* illis est is Angelus quem vocant ספרא רבא hoc est, *scribam magnum*, quod illi videntur hausisse ex cap. 9. Isaiæ, quo loco Christus dicitur *Consiliarius*, יועץ. Certè יועץ & ספרא רבא idem sunt. Deinde cùm illa verba interpretatur, *Nomen meum est in medio eius*, dicit hoc esse significatum, nomen Dei esse commune cum hoc Angelo: Immò verò eo vsque progreditur, vt dicat huius Angeli nomen esse שדי, secundùm eam rationem quam illi vocant גמטריא; Est autem illis *Gematria* cum nomina nominibus ita commutantur, vt licet diuersæ litteræ sint, tamen idem numerus exurgat: Ita *Schaldai* est *Metatron*, & *Metatron* vicissim est *Schaddai*, numerus enim qui exurgit ex litteris מטטרון, idem est cum eo qui exurgit ex litteris שדי, nimirum 314. Cæterùm *Metatron* nihil significat per se, significat autem secundùm rationem *Gematria*, ergo *Metatron* illis est vox mystica. Profectò nisi locus esset insignis, & quo significatur magnum aliquid, non fuisset opus tam accuratis obseruationibus quàm sunt eæ quas Judæi hîc adhibuerunt. Nam quod excipiunt

Except. Socin. ad locum 1. Cor. 10. 9.

hæretici, scriptum quidem à Paulo, *Ne tentetis eum, sicut nonnulli eorum tentarunt*, at non esse scriptum, *sicut nonnulli eorum tentarunt Christum*, id verò futile est planè, nam huius locutionis plurima exstant exempla in Scripturis.

Resp. 1.

Nos autem vnum afferemus duntaxat breuitatis caussa, cap. 8. Joan. *Abraham exultauit, & cupiuit videre diem meum, & vidit*; Non est repetitum, *& vidit diem meum*, sed id subintelligitur.

2.

Deinde possemus & nos vicissim quærere ex hæretico, cur non additum fuerit, *sicut quidam tentauerunt Deum*. Certè si ea est huius vocis sententia quam ei affingit hæreticus, non potest reddi ratio huius Ellipseos, at si ea est sententia loci, vt est, quam nos tradidimus, potest reddi ratio Ellipseos, multò enim insolentior locutio fuisset si repetitum fuisset nomen Christi. Vt illud interim taceamus quod ab aliis obseruatum est, αὐτὸν & αὐτῶν gignere hiatum in oratione si iungantur simul: Porrò αὐτῶν necessarium erat, non enim omnes Israelitæ in deserto tentarunt Christum, sed quidam duntaxat.

5. Ratio contra Socinum.

Præterea Dauid Psalmo 110. Christum vocat *Dominum suum*, agnouit igitur se Christi subditum, non autem fuerit Christi subditus si nullum ius in eum Christus habuit, nec habuerit vllum ius in eum Christus, si nullum à Christo beneficium accepit, nullum autem acceperit beneficium à Christo, nisi Christus pertinuerit etiam ad eos qui Christi aduentum in carne præcesserunt.

Vindicatur locus Psal. 110. 1.

Nam quod excipere posset aliquis Christum dici Dominum Dauidis quia Dauide multò sit excellentior, siquidem (quod & nos alibi probauimus) Dominium non modò nititur beneficiis, sed ὑπεροχῇ excellentiâ, duobus modis refelli potest.

1.

Ac primò quidem hoc modo, quod Dauid non simpliciter Messiam vocat *Dominum*, sed *Dominum suum*, idque non compellans Messiam, sed de eo sermonem instituens. Sanè etiam eos qui nobis excellunt *Dominos* solemus appellare, si quando eos alloquimur, at si de iis loquimur non solemus eos vocare *Dominos nostros*, sed simpliciter *Dominos*. Itaque in Scriptura honoris caussa multi compellantur ita, *Domine mi*, etiam ab iis qui illis non sunt subiecti nisi secundùm rationem ὑπεροχῆς *excellentiæ*, iidem tamen, quoties loquuntur in tertia persona de iis quos vocarunt *Dominos*, aliter loquuntur.

2.

Deinde nulla potest reddi ratio cur Messias Dominus dicatur Dauidis si nihil potuerit in Dauidem: Nam quod aliquis Dominus est propter excellentiam, inde hoc fit quia aliquid potest in eum cuius Dominus est, quid autem potuerit Messias in Dauidem si non potuit Dauidem seruare? Nam si damnare potuit, certè & seruare potuerit, quod si neque seruare, neque item damnare, non potest reddi caussa cur eum vocauerit Dominum, & quidem suum.

Inst. Iudæorum.

Sed respondebunt fortasse Judæi hæc non dicta esse de Messia, sed de Dauide, aut si concedant (quod concesserunt Maiores ipsorum, recentiores autem Iudæi pertinaciter negant) hæc dicta de Messia, negabunt aliud inde sequi quàm quod suprà diximus, Messiam esse Dauide præstantiorem Regem.

Resp.

At horum neutrum stare potest, nam eo Psalmo qui dicitur *Dominus*, idem dicitur *sedere ad dextram Dei*, deinde vocatur *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec*, atqui *sedere ad dextram Dei* idipsum significat quod sedere ad dextram Regis, id verò est euehi in digni-

tatem regiæ proximam, vt cum dicitur Salomo effecisse vt mater Bersabee ad dextram eius sederet. Nam quod cauillantur Sacerdotem in Scriptura *Principem* significare, Mesiam autem hîc dici Sacerdotem quia Rex sit, non obseruarunt כהן *Cohen*, cum significat politicum Principem, nunquam dici de Rege, sed de eo qui Regi proximus est: cum verò idem dicitur *Cohen* & *Melch*, non dicitur *Cohen* & *Melch* secundùm eandem rationem. Sed Rex est respectu subditorum, *Cohen* respectu Dei. Sanè idem eodem respectu *Cohen* & Rex dici non potest. Quod verò dicere queant, dici *Dominum* ob præstantiam Regni, si hoc intelligunt Dauidem & Christum fuisse terrenos Reges, sed Christi regnum potentius fuisse; præter eas rationes quas suprà adduximus, hac ratione refelluntur, quod Dauid Mesiæ typus fuit: Itaque necesse est regnum Mesiæ fuisse specie, non gradu distinctum à regno Dauidis, cuius rei hæc est ratio, quod (vt suprà obseruauimus) non corporea corporeorum, sed corporea spiritualium typi sunt. Non negauerint Dauidem typum Mesiæ fuisse, cum Mesias Dauid dicatur à Prophetis, nam filius certè Abrahæ est, vt & Dauidis fuit, non tamen vsquam dicitur *Abraham*, cùm dicatur *Dauid*, nempe Abraham pater Mesiæ, typus Mesiæ non fuit, Dauid non pater modò, sed typus etiam fuit. Nec miretur quispiam dictum in Psal. לארן non autem לארני nam ארון Deo in Veteri Testam. tribuitur, & Mesiæ cap. 3. Malach. qui *Dominus* dicitur singulari quadam ratione propter officium Mediatorium, quod si ארני dictum fuisset, primò non fuisset notata ea voce potestas Regia Christi, sed aliquid Christo essentiale, Dominium illud quod ei conuenit quatenus Deus est, præter consilium Dauidis. Deinde *Adonai* non est *Dominus meus*, sed simpliciter *Dominus*, at *Adoni* est *Domine mi*, cùm ergo Dauid vellet significare Mesiam esse regem suum, non potuit aliter eum quàm *Dominum suum* appellare, hoc est, *Regem suum*; frustrà, si non fuit Dauidis Rex.

[Alia Inst. — Resp. — Alia Inst. — Resp. — Obijcitur. Resp. 1. — 2.]

Denique cap. 10. 1. ad Cor. *Petra* dicitur fuisse Christus. Nec est quod aliquis hîc excipiat, Petram fuisse Christum *nobis*, non fuisse autem Christum *Iudæis*, id est, Petram significasse Christum quatenus noster est, non autem quatenus pertineret ad Judæos. Nam pugnat hoc cum Apostoli scopo, qui vult probare eodem genere peccati peccare Christianos & Iudæos olim, nempe quod aspernentur tam hi quàm illi symbola gratiæ Dei in Christo. Itaque illud inseruit orationi, *Petra autem erat Christus*; nempe vt Christianis auferat materiam gloriandi, eò quod sacramentorum Christi participes facti sint, cùm hoc non fuerit olim negatum Iudæis, quique non fuerunt continuò immunes ab ira Dei, vt & Christianorum eadem sit conditio. Itaque non esse gloriandum (vt vult Apostolus) in rebus externis, sed cauendum ne iis abutamur, quæ ratio nulla erit si Sacramenta Iudæorum non exhibebant Christum. Ergo vna est Ecclesia Iudæorum & Christianorum, solo cultu externo distincta: vnde sequitur necessariò, primò Christum non esse aliter Seruatorem quàm si satisfecerit pro peccato, secundò non esse eundem aliter Seruatorem quàm si verè satisfecerit pro peccato: nam cùm constet mortem Christi non fuisse notam omnibus fidelibus in Vet. Testam. non profuerit mors Christi, quatenus exemplum aut obsignatio doctrinæ, illis prodesse, nam exemplum et obsignationem doctrinæ oportet esse notam iis qui exemplo & obsignatione illa confirmantur. Sed & sequitur Christum verè satisfecisse, nam illa satisfactio ficta *per fictionem iuris* nullum potest habere alium finem quàm vt ea statuatur exemplum, nullum autem exemplum iuuat eum cui exemplum ignotum est. Probauimus autem mortem Christi pertinuisse ad Patres, & in confesso est mortem Christi non fuisse notam Patribus, non iuuerit igitur Patres illa mors, vt testimonium iræ Dei aduersus peccatum, sed vt satisfactio vera & realis, quam nihil est necesse distinctè scire eum pro quo satisfit.

[6 Ratio contra Socin. Explicatur locus 1. Cor. 10. 4. — Conclusio præcedentium aduersus Socinum. 1. 2. — 3.]

Superest vt explicemus quomodo Christus ante aduentum in carnem potuerit esse caput Ecclesiæ, mirum enim id videri possit: cùm enim Christus sit Deus & homo, quî potuit esse caput priusquam esset homo? Sed mirari desinèmus si habeamus ob oculos quibus modis Christus dicitur & est caput Ecclesiæ: Vel enim est caput suorum per potentiam, vel per meritum, vel vt est suorum exemplar, non iam dico *exemplum*, sed *exemplar*; vt tribus modis Christus caussa salutis nostræ sit censendus, *efficientia*, *merito*, & *exemplari*. Sed secundùm *potentiam* vt caput sit, non est necesse vt continuò sit homo, nam potentia est à Deitate. At vt secundùm *meritum* caput nostrum sit necesse est vt homo sit, non enim impetrat nobis remissionem peccatorum nisi quatenus est Sacerdos, neque vero Sacerdos esse potest nisi homo sit. At secundùm hanc rationem non est necesse vt statim ab initio fuerit homo, nam salus merito Christi impetratur, vt per caussam moralem. Eius vero generis caussæ hæc est ratio, vt vim habeat etiam cùm non est *actu*, modò habeat, vt loquuntur in Scholis, *esse cognitum*, cuius rei exempla sunt in vita quàm plurima, nulla enim esset societas, nullum commercium inter homines, si promissa nihil efficerent nisi postquam impleta sunt. Itaque cùm Deo, (cui omnia præsentia sunt) certissimum esset Christi meritum, etiamsi futurum fuit, tamen exeruit iam tum vim suam. Eadem est exemplaris caussæ ratio, non enim vt res *exemplar* sit necesse est vt sit actu in rerum natura, satis est vt sit in mente: sic, etsi errarunt qui dixerunt Adamum esse conditum ad imaginem Christi hominis, tamen eo non errarunt quod non putarunt absurdum esse vt Christus nasciturus exemplar esset hominis ante ipsum nati, hoc est, ante eius natiuitatem secundùm carnem.

[Quomodo Christus ante aduentum suum in carne potuit esse Ecclesiæ caput, & illi venit. — Christus est Ecclesiæ caput & caussa salutis tripartitam 1. Efficacia — 2. Merito. — 3. Exemplari caussa.]

Iam his ita constitutis occurrendum est iis primò, qui negant Patribus ante aduentum Christi patuisse cœlum, quod Christus, inquiunt, nondum esset passus. At, inquam, certissimum fuit & cognitissimum apud Deum fore vt Christus pateretur, neque Deus hominibus illiberalior est, apud quos futura (si ea statuunt certò futura) tantam habent vim, cùm de satisfactione agitur, ac si præsentia essent. Itaque cap. 9. ℣. 26. ad Hebr. Apostolus docet Christum *semel passum fuisse in fine sæculorum ad abolendum peccatum*: quo loco duo docet, quorum prius illud est, Christum semel esse passum, *nihil enim*, inquit, *necesse fuit vt multoties pateretur*. Vbi id obiter obseruandum est passionem non posse separari à sacrificio Christi, vt nullum

[Refutãtur qui negant fidelibus ante Christum patuisse cœlum testimonio Apostoli, Heb. 9. 16.]

vt nullum sit sacrificium vbi nulla est passio; Etenim sic Apostolus probat non fuisse opus vt Christus semetipsum sæpius offerret, immò hoc absurdum esse, nam, inquit, *sæpius esset passus*: argumentum nullum erit si Christus offerri potuit ita vt non pateretur. Tum illud etiam, quod Christus sacrificio suo profuit Patribus, quorsum enim dixisset Apostolus, *Oportuisset Christum sæpius pati à iactu mundi fundamentis*; nam si Patribus illis non fuit opus sacrificio Christi, hæc oratio Apostolus superuacanea est. Responderi enim posset, ideò Christus non est oblatus sæpius, immo neque oblatus est temporibus Patrum, quod Patribus nihil eo esset opus. Alterum verò hoc loco obseruandum est, quod Christus semel oblatus est in fine sæculorum, vt intelligamus tantumdem valuisse sacrificium Christi, quantùm valuisset si initio sæculorum fuisset oblatum, sequitur enim finis sacrificij, *ad abolendum peccatum*, quod non magis necessarium fuit sub finem sæculorum, quàm initio, cùm tam obnoxij fuerint peccato prioris æui, quàm posterioris homines.

quid sit Finis sæculorũ Apostolo.

Quod verò *finem sæculorum* dicit tempus illud quo Christus passus est, non est torquendum, sed accipiendum simpliciter, vt finis sæculorum dicatur tempus illud quo absoluta est omnibus partibus œconomia, qua Deo visum est vti in Ecclesia colligenda & gubernanda vsque ad aduentum Christi, qui finem imposuit omni œconomiæ & perfectionem eam attulit cui nihil adjici possit in hoc seculo, contra quàm fiebat temporibus illis quæ Christi aduentum præcesserunt, nam subinde aliquid vel addebatur, vel detrahebatur, vel immutabatur nullâ hominum culpâ (vt fit iam in Ecclesia Christiana) sed Dei sapienti consilio. Itaque eadem est hoc loco συντέλεια αἰώνων, quæ est Apostolo alibi *plenitudo temporum.*

Alia fuit ratio meriti Christi, alia cognitionis huius meriti sub V. T.

Porrò hoc arctè tenendum est, aliam esse rationem meriti Christi in iis quæ sunt essentialia ad salutem, aliam esse rationem cognitionis huius meriti, & declarationis seu promulgationis illius, (nam prius illud etiam in Veteri Testamento valuit, posterius verò inualuit temporibus Noui Testamenti, nam & multò clariùs promulgatum est id mysterium, & multò pluribus communicatum, vocatis nimirum Gentibus) vt ne Pontificij putent ex eo quod gratia Christi non fuit æquè nota, neque tam multis annuntiata quàm fuit post Christi aduentum, vim mortis Christi, quantum pertinet ad remissionem peccatorum, non fuisse æquè efficacem. Certè Apost. cap. 11. ad Hebr. docet Patres *expectasse auidè ciuitatem illam quæ habet Deum architectum, & quæ fundata est*; Porrò expectasse dicuntur, non in vita futura, sed in hac vita, & quidem eodem genere locutionis quo nos dicimur expectare Christum è cœlis. Itaque non magis inde colligi potest, fuisse illis egressis statim viâ proficiscendum in Limbum quàm nobis, cùm tam nos quàm illi dicamur idem expectare.

Object. pro Limbo Patrum.

Quod verò dicuntur Patres sub finem illius capitis *non reportasse promissionem, cùm Deus aliquid melius nobis prospexisset, ne sine nobis perficerentur*, non potest trahi ad commentum Limborum.

Resp. 1.

Nam primò dicuntur non reportasse in hac vita promissionem, ergo agitur de promissione implenda in hac vita: At illa promissio non potest esse alia, quàm exhibitio Christi, & plena reuelatio mysterij redemptionis nostræ; nam non puto quempiam negaturum impetrasse eos remissionem peccatorum, & Spiritum Sanctum pro modulo œconomiæ quæ tum vigebat. Deinde eodem loco scriptum est, *vt ne sine nobis perficerentur*, at hæc perfectio fuit sita in exhibitione promissionis, nam eo non fuerunt perfecti quod non erant consecuti promissionem, nos ergo præ illis perfecti sumus eò quod adepti sumus promissionem; Promissio autem erat rei præstandæ in hac vita. Ergo discrimen nostræ perfectionis & Patrum situm est in eo quod in hac vita exhibetur.

Quid sit illud. Vt sine nobis perficerentur, Heb. 9. 40.

Sed difficultatem videtur habere nonnullam quod dixit Apostolus, *ne sine nobis perficerentur*, sed ea nulla est, si consideremus œconomiam Dei, cuius hoc fuit consilium vt ne statim perficeretur Ecclesia, sed certo quodam tempore. Itaque cùm Apostolus sic scribit, *vt ne sine nobis perficerentur*, nihil aliud voluit quàm vt ne perficerentur priusquam ad tempora nostra deuentum esset. Et profectò ne Angelis quidem beatis notum fuit mysterium redemptionis nostræ ante Christum exhibitum (atque haud magis spiritibus Patrum) tam claré quàm Christo reuelato. Itaque tota ista τελείωσις, sita est in cognitione, quæ multò illustrior est re exhibita & reuelata quàm dum exhibenda & reuelanda est, vt sunt vaticinia, & omnes Dei prædictiones multò obscuriores ante, quàm post earum complementum. Res erit multò notior si expendamus vim horum vocabulorum quæ tam crebrò occurrunt in libris Noui Testamenti, nempe τέλειος, *perfectus*, τελείωσις, & τελειότης *perfectio*, τελειῶ *perficere*, τελειοῦσθαι *perfici*. Quod si teneamus quid significet τέλειος, assecuti fuerimus etiam quid voces reliquæ inde deriuatæ significent. τέλειος autem est ex eorum genere quæ in Scholis ἀνάλογα dicunt, nam neque synonymum est, neque homonymum, sed aliquid significat per analogiam commune iis quibus tribuitur, id verò summum est aliquid in vnoquoque genere rerum: quo distinguitur ab eo quo significatur integritas; nam *integritas* notat perfectionem illam quæ exsurgit ex partibus, *perfectio* autem illam quæ exsurgit ex gradibus.

Discrimen inter integrum & perfectum.

Itaque cum metaphoricè pius dicitur תמים *integer* ὁλόκληρος, & cùm dicitur גמור τέλειος, res eadem significatur, sed significandi modus diuersus est; Nam in priori significandi ratione adhibita est metaphora à perfectione corporum quæ constant membris suis, vt is dicatur *integer* qui nulla re dimoueri potest à proposito, aut si dimoueatur hoc fiat impetu quodam, non ita vt perstet, sed ita vt se recolligat statim.

Quid sit תמים Integer.

Nam qui sunt corpore vegeto, ij si cespitent & cadant sese erigunt, at qui corpore debili sunt & infirmo, si cadant non erigunt se: itaque eo testátur non fuisse ipsis corpus integrum & firmum. Vnde factum est vt quem Græci dicunt *quadratum virum*, eundem Hebræi *integrum* vocarint: hoc enim, discrimen est integri & eius qui integer non est, quod hic in parte quadam vitæ non deest officio, at idem in reliqua vita officio deest, vel enim negligit quædam præcepta vitæ instituendæ, quemadmodum ille qui dixit, *In cæteris quidem decere homines iustitiam & æquitatem, at cum de regno inuadendo agitur non decere.* Non fuit hic integer, non enim constabat membris omnibus idoneis ad præstanda vitæ officia, vel (quod eodem redit, tametsi ratio paulò diuersa sit) qui integer est nullis ærumnis dimoueri potest à suscepta sententia secundùm

ius & æquum. Vel denique *integer* is dicitur in quo omnia sibi mutuò respondent, atque (vt ita loquar) sunt germana, conspirant in vnum; non est enim integrum quod à seipso dissidet, nam integrum idem totum est, non est autem totum in quo discrepantia est. Vnde lingua Latina factiones dicuntur *partes*, & Hebr. qui inter se dissident dicuntur, חלקים id est, *partiti* passiuè: atque ita qui aliud habet in lingua promptum, aliud in pectore clausum, is non potest dici *integer*, sed ne rectus quidem, ישר *rectus* enim is est qui se non intorquet aut inflectit, nec, vt loquuntur, seruit foro & tempori, sed Deo & conscientiæ, quamquàm interim nihil vetet eum qui seruit Deo & conscientiæ seruire tempori & foro, quando id fit sine detrimento gloriæ Dei & conscientiæ, non est enim eadem Philosophia Christiana & Stoica. Secundùm hanc significationem Apostolus hortatur Corinthios cap. vltim. post Epist. & 1.Cor.1.10. vt sint κατηρτισμένοι, hoc est, *perfecti*, & cap.3.2.ad Timoth. Scripturæ perfectio inde demonstratur, quod facit *vt vir Dei*, id est Minister Christi (nam Prophetæ olim *viri Dei* dicebantur, id est, *serui Dei*, vt, *viri Saulis*, id est, serui Saulis) *sit perfectus* ἄρτιος, hoc est, constet omnibus membris quæ requiruntur ad opus peragendum, opus, inquam, Ministerij, quod Apostolus præcedenti versiculo descripsit, quo omnia Pastoris munia persecutus est.

ἄρτιος & κατηρτισμένος quid sit Apostolo.

At vocabulum τέλειος cùm eandem rem significet quod ἄρτιος, attamen id, vt suprà diximus, diuersa ratione significat. Nam τέλειος est iis qui summum adeptus est gradum: Summus autem gradus duobus modis sumitur, vel vt intelligatur summus gradus absolutè, quomodo Apostolus cap.13. 1.ad Corinthios τὴν τελειότητα, & τέλειον docet esse vitæ futuræ, atque hęc omnia quę sunt in hac vita, etiam illa spiritualia, quæ spectant ad ipsam conscientiam appellat τὰ ἐκ μέρους, hoc est, quæ sunt eiusmodi bona, vt bona sint duntaxat ex parte, nempe sunt bonorum illorum quæ nos manent in cœlo quædam initia & rudimenta. Vel τέλειον dicitur quod summum quidem est si compareтur cum eo quod est infrà, sed tamen eiusmodi τέλειον necesse est vt sit respectu inferiorum reuera summum. Sed res clara fit exemplo (nam cauillari aliquis possit id omne quod superat summum esse respectu illius quod superatur, itaque cùm infra istam perfectionem sint gradus, qui superiorem gradum obtinuit *perfectum* dici posse respectu inferiorum.) Pueri infantibus perfectiores sunt, attamen non dicuntur τέλειοι, & adolescentes itidem pueris perfectiores, attamen non dicuntur *perfecti*, at cùm ad eam ætatem peruentum est qua sumitur virilis toga, quamquàm crescente ætate aliquid adjiciatur, tamen dicuntur *perfecti*, quia tum veluti formam assecuti sunt. Porrò res dicitur *perfecta* cùm est assecuta formam, quamquàm gradibus eorum accidentium quę formam sequuntur subinde aliquid adjici possit. Itaque qui defuncti sunt rudimentis Religionis Christianæ dicuntur *perfecti*: nam (vt inquit Apostolus cap.5. ad Hebr.) *perfectorum cibus solidus est*, nempe alludit ad rationem ætatis, & initio cap.6. quod statim illa verba Apostoli sequitur, *Contendamus*, inquit, *ad perfectionem*, hoc verò est quod præscribit Paulus cap. 4.ad Ephesios, dum nos excitat vt aspiremus ad virum perfectum in Christo, instituit enim αὐτὸ τὸ

τέλειος quid sit.

τελειότης duplex.

1. Absoluta.

2. comparatè dicta.

quænam ex ista, similis declaratur.

quinam sint illi τέλειοι quorum tam sæpe meminit Apostolus.

ον inter eos quos νηπίους vocat, id est *infantes*, & eos qui sunt *viri perfecti*. Eadémque mente cap.4. 1.ad Corinthios hortatur vt *malitiâ pueri simus*, at verò *animo, mente, sapientia, prudentia simus perfecti*, hoc est, vi i. Nec alia fuit Apostoli sententia cap.2. 1.ad Corinth. dum *sapientiam* profitetur *se loqui inter perfectos*, hoc est inter eos qui non iam sunt pueri, sed adulti in Christo: Cuius loci commentarius exstat sub finem cap.5. ad Hebr. & initio cap.6.

Atque hæc locutio non est, vt quidam viri docti putant, desumpta ex Græcorum loquendi more, sed, (quid enim prohibet Hebræos tam significanter loqui quàm Græcos) vsurpata in Ecclesia Judaica. Nam Esdras cap.7. hoc elogio insignitur quod fuerit in Lege גמיר id est *perfectus*. Certè גמר ad disciplinam refertur, eandemque significationem habet quàm *discere*, sed hac ratione *Gamar* erit *perfici*, non autem *perficere*, vnde illâ formulâ גמרינן hoc est *didicimus*, verbum verbo, *perfecti sumus*: similis est formula גרסינן, nisi quod *Garsinan* refertur ad lectionem, *Gamrinan* præcipuè ad cognitionem, vnde Judæi præcipuam partem Pandectarum suarum vocarunt גמרא, id est perfectionem τελειότητα, vt reliquis quæ in Thalmud sunt hæc pars opponatur vt rudimentis. Neque dubium est Apostolos, qui cùm non essent superstitiosi, res sacras tradiderunt vocabulis vsitatis, ab hac formula non abhorruisse, dum vellent docere discrimen quod est inter eos qui imbuti sunt ea cognitione duntaxat quæ petitur à Lege & Prophetis, vt qui imbuti sunt cognitione Euangelij habeantur pro perfectis, quasi dicas, pro iis quibus etiam *Gemara* nota est, hoc est ea Theologia quæ est maximè recondita. Vnde Apostolus Euangelium vocat *mysterium quod fuit omnibus retrò sæculis reconditum*, omnemque œconomiam Legis *Elementa* appellat, quæ nempe pueris traduntur. Itaque dicit idem, *Legem fuisse pædagogum vsque ad Christum, postquam autem Christus exhibitus est, nihil opus fuisse pædagogo*, quia Christiani non sunt iam amplius instituendi rudimentis, sed habendi pro perfectis discipulis. Cùm igitur Apostolus docet ad Heb. capite 7. vers.19. *Legem nihil perfecisse*, nihil aliud docet quàm Legem fuisse tantùm rudimentum.

Vnde hæc locutio Apostoli.

nempe idē est τέλειος quod Heb. גמיר.

Et hoc loco, in cuius explicatione versamur, Apostolus nihil aliud voluit significare, quàm fideles temporibus Veteris Testamenti fuisse rudes & nouitios, in N. Test. esse eruditos & prouectos; vnde & Johanni Baptistæ præfertur minimus in regno cœlorum. Non facit ergo ille Apostoli locus vt ne populus vtriusque Ecclesiæ, Judaicę & Christianæ, fuerit in Discipulis Christi, sed tantùm facit vt qui vixerūt discipuli temporibus reuelati Euangelij præ illis perfecti fuerint. Attamen quæri potest quid sibi velit hoc, *ne perficerentur sine nobis*. Obseruemus hîc non notari finem, sed euentum rei, nam particulæ illæ *ne* & *vt* in Scriptura eodem redeunt quò Latinæ particulæ *adeò vt, adeò vt non*, id est notant id quod euenit sæpe, non notant consilium & finem, vt sit sensus: Isti omnes non acceperunt promissiones, nam hoc Deus voluit esse priuilegium nobis peculiare, qui vocati sumus per Euangelium, adeò vt illi quantumuis pij, tamen non adepti sint perfectionem, nempe in hac vita, quemadmodum nos: perfectionem, inquam, quæ sita est in reue-

Explicatur locus Heb. 11.40.

in reuelatione Euangelij, quæ est omnis reuelationis complementum. Sed videtur innuere perfectos esse nobiscum tandem qui aliquando non fuerunt perfecti, cùm dicit, *ne perficerentur sine nobis*, videtur hoc nihil aliud esse, quàm, *ne perficerentur priusquam nos*. Sed non est opus tantopere vrgere illa verba. Nam si prius perfecti fuissent quàm nos, perfecti fuissent sine nobis, non enim viximus eorum temporibus. Attamen ne quis scrupulus hæreat, concedamus fuisse perfectos nobiscum, hoc est adeptos tandem maiorem illius mysterij cognitionem. Etsi enim paradoxum est nonnullis, verumtamen est mysterium redemptionis nostræ ne Angelis quidem, ante exhibitum Christum, fuisse perinde notum atque iam Ecclesiæ notum est. Ergo, vt suprà monuimus, nec beatis spiritibus piorum receptis cœlo. Itaque si quis quærat an nouâ gloriâ locupletati sint Christo exhibito, possumus id affirmare citra vllam nimiæ curiositatis suspicionem, cùm certum sit mysterium illud iis redditum fuisse multò notius: Porrò quò notior Deus est, eò amatur vehementius, quò autem Christus notior est, eò Deus est notior, est enim Christus imago Dei. Atque hæc ad illustrationem huius loci pertinent.

Object. — Resp. — An & quomodo Patres maiorem adepti sint gloriā post, quàm ante Christum passum.

Christus quomodo dicatur τελειωθείς.

Verumtamen quia vox τέλειος non semper refertur ad cognitionem, sed etiam ad mores, immò verò Christus cap.2. ad Hebr. ℣.10. dicitur τελειωθεὶς, & *consummasse suos*, videamus quomodo hæc congruere posſint cum iis quæ nuper à nobis sunt disputata. Duplex est cognitio, est quę sita est in nudâ perceptione rerum, & est quæ sita [illegible] is: secundùm posteriorem istam [illegible] dicuntur τέλειοι qui docent rea[illegible] didicisse quod se didicisse [illegible] Iacobus c.3. ℣.2. τέλειον vocat [illegible] linguam: Quod vt intelligatur [illegible] est etiam in disciplina Judæorum fuisse ἀσκήσας hoc est, qui sese exercebant, hi sunt משתדלים, & fuisse itidem quos Philo τελείους vocat, quos dicit non laborare (quamquam hoc dicit nimis confidenter) sed tantum conseruare quæ acquisiuerunt labore. Itaque ἀσκησιν vocat μέσον ad perfectionem, ferè vt Philosophi dispositionem comparant cum habitu, itaque quoddam illis fuit *discere experimentale*, vt ita loquamur. Christus igitur τελειωθεὶς dicitur *consummatus*, quemadmodum dicitur *didicisse obedientiam ex iis quæ passus est*; Metaphorâ scilicet ductâ ab humana infirmitate. Christus enim initiatus est & perfectus omnis virtutis experimento & documento. Hinc est quod qui sunt patientes τέλειοι dicuntur etiam à Christo. Nam est quoddam rudimentum veræ pietatis amare à quibus ameris, at eos amare qui te odio habent, id verò est documentum animi defuncti omnibus officiis veræ pietatis. Atque vt obiter illum locum explicemus qui est Matth.5. cùm iubet nos Christus esse perfectos ad similitudinem Patris cælestis qui perfectus est, consequens ponitur pro antecedente: Nam perfectio eo loco patientiam significat, non enim iubet nos Christus imitari excellentiam naturæ Dei, tantùm hortatur vt eius patientiam imitemur: quoniam verò patientia documentum est animi exercitatissimi in pietate, ideò *perfectio* dicitur, & Metaphorâ hinc ductâ, Deo tribuitur. Cæterùm non sumus nescij τελειῶσαι etiam esse *consecrare*, sed hoc ob

Discrimen inter Christi & Sacerd. legalium τελείωσιν.

seruandum est, id non solere in libris Veteris Testamenti dici simpliciter de persona. Non enim dicit Scriptura Sacerdotes fuisse τελειωθέντας, sed Sacerdotum manus, quæ τελειοῦνται dicebantur, quod etsi antea idoneæ fuerunt, tamen ante illam consecrationem non planè idoneæ fuerunt ad contrectandas res sacras; idoneę quidem fuerunt secundùm vim naturalem quæ requirebatur, sed oportebat ad hanc vim naturalem accedere authoritatem quandam, vt possent manus admouere sacrificiis: at Christus dicitur τελειωθεὶς, non autem Christi manus. Deinde Christus Sacerdos fuit in terra. Denique non consecratur Sacerdos offerendo sacrificium, sed consecratur vt sacrificium offerat. Jam τελείωσις illa, ipsa est Christi oblatio, qua Sacerdos est, itaque non est consecratio Christi Sacerdotis. Nec fuit diuersa Christi mens capit. 13. Luc. quo loco profitetur se *hodie & cras*, id est, ad tempus, *edere miracula, at tertio die fore vt consummetur*, id est breui: oportebat enim Christum priusquam ad cœlum ascenderet, certis quibusdam officiis perfungi in terra. Quò respexit etiam cap.17. Joan. dum testatur se esse executum in terra quod erat ei iniunctum à Patre, nempe quia tantillum supererát temporis, atque iam instabat Christi passio qua consummatus est, factum dicit quod in eo fuit vt penè factum esset. Nec aliò pertinet vox Christi in cruce, *consummatum est*, noluit enim Christus significare typos legales, & quæ prædicta fuerunt in Prophetis tum desiisse, nondum enim Christus resurrexerat à mortuis, nondum ascenderat in cœlum, quod prædictum fuerat: sed hoc potius videtur significare, se defunctum esse omnibus iis quibus in hac vita defungi debuit, atque ita consummatum esse.

Virtus Dei qui dicatur perfici in infirmitate.

Sed nec illud hoc loco tacendum est, quod Dei potentia in suis tum dicitur perfici cùm se prodit in re summa, adeò verum est quod diximus, perfectionem istam tacitè referri ad gradus quosdam. Sic Paulo dictum est cap.12. 2. ad Corinth. *Virtus mea perficitur*, τελειοῦται *in infirmitate*: Certè Dei virtus nec augetur nec minuitur, sed tum perfici dicitur cum iudicio humano facit quod summum est, viuimus enim & mouemur in Deo, atque hoc potentiæ Dei est, at cùm in summis angustiis, & in ipsa morte constituti viuimus tamen & respiramus, singulari quodam modo virtus Dei se exerit. Itaque perficitur in nobis, hoc est, ostendit se summam esse, quæ non possit vinci aut superari, quemadmodum etsi qui patientes sunt semper sunt patientes, attamen tum perfecti dicuntur cum in summis malis patientes sunt. Consimili penè ratione fides Jacobo cap.2. ℣.22. dicitur *perfici operibus*, non quod opera fidem perficiant, sed quod fides dum producit opera ostendit quàm sit perfecta. Neque enim Christi virtus aliter perficitur in nobis quàm quatenus facit vt sentiamus quàm sit perfecta, dum nos perfectos, id est, patientes reddit. Est enim character Christianæ sanctitatis patientia, quæ nec inuidet, nec odit, quod si cui obtigit, oportet eum esse fœlicissimum, nec frangitur rebus aduersis, nec prosperis affertur, vnde necesse est sequi vitam quietam. Nam sunt quidam gradus fidei (si tamen *gradus* ac non potius *species* appellandi sunt, attamen gradus dici possunt) sed hos gradus opera non sequuntur, & est quidam summus fidei gradus siue species, fides iustificans

& Fides operibus perfici.

nempe quam opera sequuntur. Sicut igitur potentia Dei perfici dicitur cum se exerit in summo gradu, sic fides perfici dicitur cùm se ostendit esse summam. Porrò fides iustificans summa est, non quod iustificans fides fide iustificante non sit excellentior in hoc vel illo credente, sed quoniam fides iustificans fide iustificante excellentior est vt homo nomine, non vt homo quolibet animali.

DE GRATIA.

QVod verò diximus vnitos Christo compotes fieri in hac vita gratiæ, in futura gloriæ, non poterit percipi planè nisi quid sit Gratia, quid Gloria, quod Gloriæ & Gratiæ discrimen expendamus. Gratia autem (vt in pauca conferamus rem quæ videtur latissimè patêre) vel significat *fauorem*, vel significat *effectum* fauoris, *caussam* fauoris, vel *compensationem* fauoris. Significat *fauorem*, vnde illæ loquutiones, *inuenire gratiam, consequi gratiam*, & apud prophanos scriptores, *valere gratiâ*, *redire in gratiam*. Sed hoc tamen semper intelligendum est in omnibus linguis, *gratiam* significare fauorem qui non oritur tam ex vlla excellentia quæ sit in eo quem amas, quàm ab affectu tuo. Itaque subditi valent gratiâ apud Principem, Princeps itidem non dicitur valere gratiâ apud subditos, sed authoritate potius. Itaque *fauorem* diximus gratiam, non diximus *amorem*: nam si propriè loquamur, bonum Principem amant subditi, at subditi, nisi velimus impropriè loqui, non dicuntur fauere Principi, nam omnis fauor amor est, at vicissim omnis amor non est continuò fauor: vnde factum est vt in Scriptura, amor Dei erga nos non simpliciter *amor*, sed *gratia* dicatur, at noster amor erga Deum non dicitur *gratia*, sed *amor*. חן Hebraica vox est à חנן *Chanan*, porrò *Chanan misereri est*, & *gratificari*. Itaque quod Apostolus cap. 1. ℣. 1. ad Tim. dicit ἐλεήθην *consecutus sum misericordiam*, Hebraicè esset חוחנותי in Hophal. & 1. ad Ephes. *Deus*, inquit Apost. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, hoc est *Chanan*: vnde *Preces* תחנונים, hoc est, *gratiæ petitiones* & התחנן *precari est*, vnde præceptum illud, vt ne homini peruerso fidamus, etiamsi vocem suam componat ita vt orare videatur, apud Salomon. Prouerbior. 26. 25. כי יחנן קולו. Hoc verò tenendum est arctè aduersus Pontificios (quamquam non sunt omnes in hac sententia) qui Gratiæ nomine nihil aliud volunt intelligi quàm donum aliquod supernaturale (de quo postea agemus) nobis infusum. Certè hæc est illa Dei Gratia, Dei fauor, inquam, vnde omnia bona in nos promanant, præcipuè iustificatio nostrâ. Quod apertè significauit Apostolus cap. 3. ad Rom. quo loco docet *nos iustificari gratis*, *Dei gratia*, *per redemptionem Christi*; *iustificari*, inquam, *gratis*, quia nos exhibuimus planè nihil, *iustificari* verò *gratia Dei*, quia quod Deus sic nobiscum agit, hoc ortum est ex Dei fauore. Denique iustificari *per redemptionem Christi*, quia fauor Dei ita gratuitus est vt sit gratuitus ratione nostri, non vt ita sit gratuitus vt nullum relinquat satisfactioni locum. Atque vt ne Hæreticus putet redemptionem istam non esse satisfactionem, sed exemplum, sequitur, *Christum propositum esse vt propitiatorium, idque per fidem in eius sanguine*. Sed duplex est Dei fauor, alius est qui *misericordia* est propriè dicta, qualis est Dei fauor quo miseros prosequitur peccatores, atque hæc est illa Gratia quæ tantopere prædicatur. Alius Dei fauor est quo prosequitur creaturam, qui fauor dicitur, quia creatura, quà creatura est, subdita est Creatori suo. Secundùm hanc significationem etiam Christus *crescebat gratia apud Deum, & apud homines*, non quà Deus est, sed qua homo est. Nam quo illustrior est imago Dei etiam in creatura, eò Deus creaturâ magis delectatur. Porrò illustrior fuit imago Dei in Christo adolescente, quàm in puero; itaque creuisse dicitur Christus gratiâ: quod nihil detrahit (vt calumniantur Pontificij) dignitati Christi, hoc enim factum est per œconomiam in gratiam nostri, alioqui exclament indignum fuisse Christo vt puer fuerit. Sed Christi indignitas nostra dignitas est, non enim exinaniuit semetipsum in sui, sed in nostri gratiâ, quemadmodum docet Paulus Christum non quæsiuisse sua, sed aliena. Meminerimus ergo gratiam Dei esse Dei fauorem, sed alium esse fauorem misericordiæ erga miseros peccatores, alium verò esse fauorem gratuitum erga creaturam, non etiam fauorem misericordiæ, quatenus scilicet misericordia præsupponit peccatum; hoc est, (vt alibi tradidimus) gratia Dei aliquando est חסד simpliciter, aliquando רחמים, vtrumque verò vt ἔλεος sic etiam χάρις dicitur, sed diuersa ratione, vti iam explicatum est, nam aliud est nihil promereri, aliud verò promereri pœnam; & creatura quidem quà creatura nihil promeretur: Itaque quicquid nanciscitur gratuitum est, attamen si peccat promeretur pœnam; si ergo consequitur Dei fauorem (gratiam inquam) erit illa gratia non simpliciter חסד, *gratuita beneuolentia*, sed erit רחמים, quasi diceres, *viscera*, qua voce commiseratio erga miserum significatur.

Significat verò χάρις *gratia* effectum fauoris, quemadmodum ἐλεημοσύνη, id est, *Eleemosyna* dicitur effectum ἐλεημοσύνης, est enim ἐλεημοσύνη *misericordia*: quemadmodum etiam δικαιοσύνη *iustitia* eleemosyna dicitur, quod sit iustitia sic dicta effectum Iustitiæ, nempe illius quæ eadem probitas est. Itaque Paulus collectam Corinthiorum *gratiam* vocauit, quamquam diuersa ratione. Nam ἐλεημοσύνη dicitur quia effectum est misericordiæ quâ quis egenum prosequitur: At Corinthiorum collecta & eleemosyna non dicitur χάρις, quòd profecta sit à gratia qua apud eos valebant ij quibus subuenerunt, sed potius quod esset profecta à gratiâ Dei erga Corinthios; quod potest colligi ex cap. 8. 2. ad Cor. Nam toto eo capite propensionem Corinthiorum ad benefaciendum, & beneficia Corinthiorum vocat Apost. *gratiam*, nempe effectum gratiæ Dei erga Corinthios. Id verò intelligitur nullo negotio ex 1. ℣. eiusdem cap. *Notam*, inquit, *facimus vobis, fratres, gratiam Dei quæ data est Ecclesiis Macedoniæ*: Deinde exponit quæ sit illa gratia data à Deo ℣. 2. *Quod in multa probatione afflictionis*, &c. Vnde colligimus charitatem & effecta charitatis *gratiam* dici; quantò magis ergo fides gratia fuerit, à qua charitas promanat? Itaque Apostolus cap. 1. ad Philip. *gratis*, inquit, *vobis datum est credere*, fides igitur gratia est. Certè omnia dona Spiritus in Scriptura dicuntur χάρις: Sunt autem illa duorum generum, alia enim dona sunt quæ nullis contingunt qui iidem non seruentur, alia quæ etiam illis obtingunt, qui non seruantur. Illa dona quæ

Gratia quadrupliciter sumitur.

1. Fauorem significat.

eumq; gratuitum, atque indebitum.

Discrimen inter *Amorem* & *Fauorem*.

Gratia qua iustificamur est Dei fauor.

Duplex Dei fauor.

2. Gratia significat *effectum* fauoris.

Illustratus locus 1. Cor. 16. 3.

Charitas & charitatis effecta, & Fides dicuntur *Gratia*.

Dona Spiritus duûm sunt generum.

dona quę solis iis qui seruantur obtingunt, quæcunque tandem sint, vno verbo *Gratia* dicuntur, vt cùm cap.3. ad Hebr. docet Apostolus, *bonum esse vt gratia confirmatur cor, non autem cibis.* Et Petrus vltimo cap. posterioris Epistolæ vers. vlt. nos hortatur *vt crescamus in gratia & agnitione Domini, &c.* Immò verò quæcunque media faciunt ad has dotes conferendas, ea nomine *gratiæ* designantur in Scripturis, vt cùm Euangelium *gratia* dicitur, *Non estis*, inquit Apostolus, *sub Lege, sed sub Gratia*; Cùm hortatur *vt ne gratiam Dei frustra accipiamus*, hoc est, vt ne Deus nobis frustrà promulgarit Euangelium suum: Cæterùm promulgatio Euangelij medium est, non est finis, sed quia tam mediorum administratio, quàm perductio ad finem opus est gratiæ Diuinæ, vtraque Gratiæ nomine appellatur. Sæpius tamen *gratiæ* vocabulum, etiam tùm cùm significat effecta gratiæ Dei, adhibetur ad significanda ea dona quæ non prosunt iis in quos collata sunt, sed aliis; Vt cum Petrus cap.4. prioris Epistolæ iubet *nos esse dispensatores variæ gratiæ Dei*, id est, ut vnusquisque pro virili parte conferat in commune bonum, donum & talentum quod accepit à Domino, *iuxta mensuram doni gratiæ Christi*, vt ait Apostolus cap.3. ad Ephes. Vnde factum est etiam, vt Apostolus munus suum *gratiam* vocarit passim ferè vt cùm dicit *secundùm gratiam sibi datam, ne quis spiat supra id quod scriptum est.* Itaque Scholasticorum diuisio gratiæ in gratiam *gratis datam*, & gratiam *gratum facientem*, vt iam demonstrauimus, non est satis commoda: Nulla enim gratia ideò gratia dicitur quod nos gratos faciat, verùm ideò gratia dicitur quia Diuinæ gratiæ donum est. Sed si quærenda est donorum Dei diuisio, illa erit longè aptissima quæ secantur in ea dona quæ aliis tantū, non etiam nobis prosunt, qualia sunt omnia Dei dona in impios collata, & ea dona quæ sæpe aliis prosunt, aliquando nō prosunt, semper tamen iis prosunt in quos sunt collata, qualia sunt spes fides, charitas, & dona quæ communia sunt piis & impiis, sed quatenus eorum donorum finis est vt homines adducantur ad fidem, &c. qui finis si minus sequitur in his quàm in illis, id non fit horum meritis, istorum culpâ, sed misericordiâ Dei erga istos, illorum verò culpâ qui tantum donum contempserunt.

[Margin: ea cōtinet quæ sunt propria electis.]

[Margin: cū mediis quæ faciūt ad illa consequenda.]

[Margin: 2. eaquę sunt communia piis cum impiis.]

[Margin: Gratiæ diuisio in gratis datam, & gratum faciētem. Refellitur. Alia Donorum Dei diuisio.]

Diximus tertiò, *Gratiam* significare id quo fauor conciliatur, sic autem gratia nihil aliud fuerit quàm elegantia quædam, quæ vel in vultu vel in sermone elucet, vnde nascitur amor, & conciliatur gratia apud illos qui vel audiunt dicentem, vel vident; dicentem, inquam, eleganter, & præditum pulchritudine. Itaque duplex est gratia concilians fauorem, animi & corporis: & corporis quidem forma *gratia* dicitur, vt Prouerb. cap. vlt. *gratia*, inquit, *mendacium* שקר חן *& pulchritudo vanitas est*, ויפי חבל, notat haud dubiè corporis venustatem, & Psal.45. *gratia* dicitur *effusa Christi labiis*, hoc est, dicitur Christus amabilis inter loquendum, hoc verò est quod Gallicè dicimus *la grace de bien parler*. Cæterùm obseruandum est dona Dei nunquam dici hoc sensu gratiam, quasi iis conciliaretur Dei fauor, eaque dona nos redderent Deo gratos & acceptos. Sed si quando dona Dei *gratia* dicuntur hoc sensu (vt sunt dona Dei, gratia formæ, & sermonis) hominum ratio habetur qui istis donis inducuntur in amorem, non autem habetur ratio Dei, Quod vt percipiatur, intelligendum est humanum amorem qui conciliatur istis donis non efficere hæc dona, sed inuenire, at amor diuinus idem inuenit & effecit hæc dona, vt pictor qui delectatur opere suo, idem gaudet pulcritudine operis, & author fuit istius pulchritudinis. Itaq; nulla debuit dici gratia *gratum faciens* propriè loquendo, sed potius dicenda fuit illa gratia *gratum facientis*, χάρις τοῦ χαριτοῦντος.

*[Margin: 3. Gratia significat *causam* fauoris.]*

[Margin: quæ est vel corporis.]

[Margin: vel animi.]

[Margin: Gratia non dicitur quod nos reddat Deo gratos.]

Quarto loco diximus gratiam in Scriptura vocant compensationem gratiæ, vt cùm Apostolus toties vtitur his verbis χάρις τῷ Θεῷ *gratia sit Deo*, significatur compensatio gratiæ acceptæ à Deo, compensatio, inquam, impropriè dicta, nam ad Deum nihil redit ex gratiarum nostrarum actione, nihil item si negligentes sumus huius officij inde Deo decedit, sed quemadmodum metaphorâ quadam vita æterna cùm sit propriè donum, dicitur tamen *merces*, sic planè cùm nos agimus gratias Deo retribuimus Deo, sed hoc dicitur metaphoricè: vt cùm Psal.116. exclamat Propheta *quid retribuam Domino? sumam in manum calicem benedictionis*: Similique metaphora Deus in Scriptura dicitur veluti gratias nobis agere, cùm nos ea facimus quæ illi grata sunt & accepta, vt cap.2. 1.Petri, *Quæ*, inquit, *gratia si malefacientes patiamur*, & paulò post quod *gratiam* dixit, vocat *gloriam* ποῖον κλέος; nempe illa est gratia & gloria quam Apostol. *laudem* vocat ἔπαινον, *vniquique erit laus iuxta opus suum*: Jam verò cùm diximus in definitione Ecclesiæ, eam compotem fieri gratiæ in hac vita, nomine *gratiæ* intelleximus ea dona quæ sunt iis qui seruantur peculiaria, qualia sunt fides, quam sequitur remissio peccatorum (quæ *gratia* dicitur sub finem c.4. ad Hebr. & iustificatio, quæ eadem *gratia* dicitur initio cap.5. ad Rom. & secundùm iustificationem sanctificatio.

[Margin: 4. Gratia significat compensationem gratiæ.]

[Margin: quo sensu dicimur Deo aliquid redde̅re.]

DE GLORIA.

GLORIA etiam dicitur, quemadmodum & Gratia, non vno modo, nam vel *rem* significat, vel *opinionem* de re, vel *deprædicationem*. Cum *rem* significat nihil aliud est quàm magnitudo virtutis aut pulchritudinis, quæcunque tandem illa sit. Itaq; linguâ Hebr. dicitur כבוד (porrò כביד *pondus* est, pondus verò magnitudo) & linguâ Chaldaicâ יקר quæ vox itidem *pondus* significat, eodem sensu. Ad hanc significationem vocis gloriæ allusit Apost. cap.4. 2.ad Cor. quo loco docet *afflictionem leuem & momentaneam producere pondus æternum gloriæ*, nempe allusit (vt solet) ad Hebræū & Chaldæum nomen Gloriæ: vnde factum est vt vtrumque nomen, Hebręum, inquam, & Chaldæum significet *splendorem*, quid enim aliud est splendor quàm quædam pulchritudinis magnitudo, & veluti pondus? Itaque כבוד & יקר *splendorem* notant in Scriptura: vt cum D.N.I.C. cap. 6. Matt. negat *splendorem Salomonis comparandum esse cum pulchritudine florum liliorum*, vsus est nomine *gloriæ*: Et cum Propheta *carnis gloriam* dicit *esse similem flosculo*, splendorem & pulchritudinē notauit. Sic Actor.2.v.11. Paulus ait *oculos suos perstrictos fuisse gloriâ lucis*, id est, magnitudine lucis; porrò magnitudo lucis splendor est, nam lux mediocris non dicitur splēdor. Quod si quis huius appellationis rationē requirat, peti potest ex ipsius rei natura,

[Margin: Gloria trifariam accipitur.]

[Margin: 1. Rem significat, nempe magnitudinem virtutis aut pulchritudinis.]

[Margin: Item, Splendorem.]

nam quæ sunt mediocria, in earum rerum consideratione & contemplatione nec animus, nec oculus succumbit, sed quæ sunt summa, quæque rapiunt in admirationem, ea cogunt veluti succumbere pondere quodam considerantem & contemplantem. Itaque cùm in Domino omnis virtus summa sit, atque ita summa ut sit infinita, ut semper sit aliquid vlterius quàm quod humana mens capere potest, cumque in Deo summa bonitas sit, suauitas, incunditas, quæ rationem pulchri habet, Deo propriè *gloria*, id est, pondus tribuitur, unde Act. 7. à Stephano vocatur Θεὸς δόξης, & Psalm. 24 *Rex gloria* מלך הכבוד unde & D. N. cap. 2. ℣ 8. prioris ad Cor. *Dominus gloria* dicitur.

Potentiam. Sanè potentia Dei *gloria* dicitur in Script. vt D N. I. C. cap. 11. v. 40. Euangelij secundùm Joh. *Si credideris*, inquit, *videbis gloriam Dei* hoc est, videbis potentiam Dei, non vulgarem potentiam, sed summam, cuius consideratio te rapiet in admirationem efficietque vt mens tua veluti pondere quodam pressa succumbat, fateatúrque non posse rem tantam satis pro dignitate laudari. Et verò Paulus cap. 6. ad Rom noluit aliud significare, cùm dixit *Christum excitatum à mortuis per gloriam Patris*, διὰ δόξης. Doctiss. Interpres hunc locum sic interpretatur vt sit Enallage διὰ δόξης *per gloriam*, cùm dicendum fuisset *propter gloriam*: At nihil hic est opus Enallage, nam sensus clarus est, *Excitatus est per gloriam*, h. e. *per potentiam gloriosam*, quomodo per gloriam Dei excitatus est Lazarus, id est, per magnam Dei potentiam.

Bonitatem. Et bonitas Dei dicitur in Scriptura *gloria Dei*, vnde illæ Apostoli phrases, *vt ostendat diuitias & gloria sua*, &, *iuxta diuitias gloria sua*, &, *in laudem gloria gratia sua*, notatur insignis Dei bonitas, cuius latitudine, longitudine, & profunditate, quæ pondus addunt, opprimitur mens humana; itaque 1. cap. ad Eph. Apostolus anhelat veluti, nec sibi potest satisfacere in consideranda illa gloria.

Denique signa [illegible]. Hinc verò etiam *Gloria* Dei dicitur omne signum quo Deus potentiam & bonitatem suam testatur. Et signa quidem potentiæ diuinæ in puniendis improbis *gloria Dei* dicuntur, quia signa sunt magnæ potentiæ, quæque ipsos improbos dant in stuporem, coguntque fateri digitum Dei. Sic Propheta, *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam* id est, ede signa potentiæ tuæ; atq; huius generis signa terrorem incutiunt.

& Bonitatis Dei. Cùm verò edit Deus signa bonitatis suæ, vt sunt splendor & lux, non autem ignis & flamma, vt est Psal. 50. signa referunt rem significatam & exprimunt. Cæterùm Deus quæ sibi propria sunt quadam analogiâ communicat suis, vnde & *natura diuina participes* dicuntur. Itaque seu eos instruat robore, seu amabiles facit, seu illis indit signa vtriusque horum, eos glorificat: de quo postmodum dicemus.

2. Gloria significat opinionem de re. Secundò Gloria significat *opinionem*. Nam gloria quæ est in re objicitur menti contemplanda, itaque gloria rei est externa, cùm quod est in se gloriosum idipsum quod est creditur esse: Et secundùm hanc rationem id quod est in se summè gloriosum, tamen eiusmodi est vt eius gloria augeri possit & minui, nempe quo magis creditur esse id quod est, quamquam rei gloriosæ fœlicitas non pendet inde, vt si quis solem vitio oculorum putaret obscurum, nihil inde decederet gloriæ solis.

Quo sensu Dei gloria augeatur vel minuatur. Atque hac ratione gloria Dei augeri aut minui potest. Itaque non perceperunt vim veræ gloriæ qui eam definierunt *notitiam claram cum laude*, nam si ita res se haberet, ne ità quidem Deus *gloriosus* esset, volo dicere, *praditus gloriâ*, (nam Latinè *gloriosus* superbus est.) Huc verò respexit Euangelista Johannes cap. 12. 43. quo loco Principes Iudæorum nonnulli dicuntur *amasse vehementius gloriam hominum, quàm gloriam Dei*, hoc est, magis studuisse vt conciliarent existimationem apud homines, id est, opinionem, quàm apud Deum.

Gloria pro existimatione. Cæterum hoc semper tenendum est, Deum non perinde gloriam tribuere hominibus, dum grata sunt illi quæ iis indulsit dona sua, quàm cùm homines gloriam tribuunt Deo, nam illi habent quod admirentur, Deus verò nihil offendit in homine quod admiretur, nempe quicquid est in homine quod rationem gloriæ habere possit, totum hoc à Deo est, in natura quidem, tanquam à prima rerum omnium caussa, in opere verò redemptionis multò illustrius. Sic reprehenditur Herodes, neque reprehenditur modò, sed dicitur graues luisse pœnas, quod Deo non dedisset gloriam, tùm nempe cùm exclamaret vulgus, *vox Dei non hominis*: Nempe ille tacitâ animi cogitatione eam gloriam sibi arrogauit.

3. Gloria significat prædicationem magnitudinis, vt cùm Deus dicitur à nobis glorificari. Denique Gloria est deprædicatio magnitudinis, quorsum pertinent tam crebræ exhortationes vt Deum glorificemus. Porrò illa glorificatio non modò verbis, sed opere & factis debet præstari, vnde Paulus eo maximè gaudet quod afflictionibus suis glorificetur Deus. Nam verbis quidem procliue est glorificare Dei nomen, sed vera gloriæ Dei prædicatio ea est quæ factis ita elucet, vt *qui vident lumen nostrum*, hoc est, gloriam nostram (nam, ut suprà obseruauimus, lumen gloria est, & splendor) *ij glorificent patrem nostrum qui est in cœlis*, authorem illius luminis & gloriæ.

Gloria homini etiam tribuitur trifariam. Totidem modis gloria tribuitur homini, nam & significat excellentiam & dignitatem hominis, seu illa interna sit seu externa, seu in anima, seu in corpore & diuitiis; Et quidem anima *gloria* dicitur, quod in ea sita sit præcipua hominis dignitas, dignitas, inquam, naturæ:

1. Gloria pro Anima. Anima verò sine controuersia *gloria* dicitur Gen. 49. v. 9. (quem locum ideò citamus, vt inde lux afferatur tot locis qui exstant Psalmorum libro, quibus multi dubitant an Gloria animam significet) verba Jacobi hæc sunt, *Ne sit in secreto eorum anima mea, nec intret in consilium eorum gloria mea.* Quod priore loco *animam* dixit, more Script. posteriore loco *gloriam suam* vocauit. Anima igitur *gloria* dicitur, quia eâ homo belluis excellit.

2. Gloria corpori tribuitur, hoc est, pulchritudo, decor. Illustratus locus, Psal. 45. 14. Sed & gloria item corpori tribuitur, vt cùm gloria pulchritudinem significat, sic Esa. 35. dicitur *gloria Libani*, sequitur continuò, *& decor Carmel*, gloria igitur & decor idem sunt. Sic Psal. 45. *filia Regis dicitur tota gloriosa intrinsecus*, id est, tota pulchra. Etsi autem eo loco designetur animi pulchritudo, tamen, quod obseruandum est, designatur allegoricè, nam primò verba illa significant pulchritudinem corpoream, secundariò, & per metaphoram notant pulchritudinem animæ, quatenus nempe vxor Salomonis typus est Ecclesiæ Gentium. At, inquiet aliquis, si pulchritudo corporea nomine *gloria* primò eo loco designatur, quomodo dicitur pulchra intrinsecus filia Regis? Sed responsio facilis est, nam pulchritudo quæ est adscititia à fuco aut ab ornamentis, ea verò externa pulchritudo corporis est, at quæ est natiua & genuina, ea

verò licet

verò licet sit corporis pulchritudo, tamen interna dici potest; non quidem comparata cum animi pulchritudine, sed collata cum iis quæ extrinsecus conciliant corpori decus: nam non videtur conuenire ut in continua allegoria locus sit locutioni propriæ. Cùm verò pulchritudo corporis *gloria* dicitur, non intelligitur quæuis corporis pulchritudo, sed ea quæ dignitatem habet & maiestatem quandam. Itaque in Cantico Cantic. Ecclesia dicitur *pulchra sicut Luna*, sed subjicitur statim, *formidabilem esse* Ecclesiam vt *castra cum vexillis*, nempe describitur non quæuis pulchritudo, sed ea quæ est coniuncta cum oris maiestate, quæ non est mollis & effœminata. Eadem significatione capite 15. 1. ad Corinth. dicitur *alia esse gloria corporum cœlestium, alia gloria corporum terrestrium*, hoc est, alia pulchritudo. Item, *alia Luna gloria est, alia astrorum.* Quinetiam & gloria diuitias significat, sed hæc gloria non est interna, ut cap. 31. Genes. indignantur filij Laban *quod Iacob gloriam pepererit*, id est, diuitias, nam præcessit illud, *abstulit bona Patris nostri.*

1. Gloria pro Diuitiis vsurpatur.

Sed ista non superant naturæ modum. Itaque quærenda nobis est alia gloriæ significatio, sed quæ tamen proportionem habeat cum ea quam iam attulimus. Gloria igitur cùm superat modum naturæ significat excellentiam animi, item excellentiam corporis, non significabit diuitias, quia cùm interna summa sunt nihil opus est externis: Et certè soli sunt beati in cœlis qui omnia sua secum portant. Itaque quadam metaphorâ diuites dicuntur, ut cùm dicitur *pauper fuisse Christus vt essemus diuites.* Id verò est quod toties κατ' ἐξοχὴν *Gloria* dicitur in Scriptura. Petrus verò cap. 5. prioris Epistolæ vocauit *coronam* ἀμαράντινον δόξης. Doctissimus interpres vertit *coronam amarantinam*, qua in versione discessit à vulgato Interprete & Syriaco, Gallica item versione, nam vulgatus interpres vertit *coronam immarcessibilem*, Syrus, כלילא דלא חבלא *corona quæ non marcescit*, Gallicè, *qui ne se peut flestrir.* Quod verò mouit doctissimum interpretem ut sic verteret, fuit insolentia deriuationis huius nominis ἀμαράντινος, nam *Amarantus* est herba ex cuius flore texuntur corollæ. Attamen Hesychius Grammaticorum Græcorum facilè princeps ἀμαράντινον, ἄσηπτον exponit, hoc est *quod computrescere non potest*, neque, (quod pace tanti viri dictum sit) videtur commodum vt *corona ex Amaranto*, (cuius mentio fit apud lasciuos Poëtas) dicta fuerit Petro gloria beatorum, nam illa corolla quæ fit ex Amaranto continuò marcescit: itaque potius videtur significasse Petrus quod dixit initio cap. 1. eiusdem Epist. *hæreditatem incorruptibilem incontaminatam, seruatam in cœlis.* Itaque hæc gloria duplex erit, in anima, & in corpore. Et in anima quidem, hoc est, in intellectu & voluntate tanta erit excellentia quantam in hac vita humanus animus capere non potest (nam videmus hîc in specie & in ænigmate, in vita futura citra speciê, *species* autem hîc nobis est figura & similitudo rerum, non qualis est in oculo species humani corporis, sed qualis est in typo species rei figuratæ) verbi gratiâ, nô possumus capere in hac vita quæ sit vita æterna, sed cùm de ea cogitamus cogimur eam repræsentare similitudine rerum terrenarum. Sic non capimus planè rationem consilij diuini in opere Redemptionis nostræ, sed cogimur eam comprehendere adhibitis figuris rerum terrenarum: Vnde tot oriuntur disputationes in Scholis, nempe contraria videntur hominibus quæ non sunt in se reuerâ contraria, vt enim designetur res summa mutuanda sunt aliquando hinc, aliquando inde vocabula, quæ videntur inter se pugnare, cum res significata eadem sit, nihilq; in ea sit pugnans & cõtrarium. Porrò, intellectum sequitur voluntas, itaque quæ ratio est intellectus in hac vita ad intellectum in vita futura, eadem ratio est voluntatis in hac vita ad voluntatem in vita futura. Itaque cùm intellectus dicitur ænigmaticus in hac vita, quæ est ratio ænigmatis ad rem, eadem ratio est intellectus in hac vita ad intellectum in vita futura, proindeq; & voluntatis ideoq; & gaudij; nam voluntas vel habet gaudium, vel si summa est, nihil aliud quã gaudium est. Et sanè Amor gaudium habet, aut est potius gaudium, nam quod dolorem habet comitem hoc fit per accidens, quando non fruimur eo quod amamus. Hæc verò est imago Dei, atq; in anima non fit gloriosa ratione belluarum solùm, sed etiam ratione hominum qui hac gloria destituti sunt, vt dicitur cap. 2. ad Rom. Est quidem huius gloriæ initium in hac vita, vt est cap. 3. post. ad Cor. *Nos enim qui retecta facie intuemur gloriam Dei in Christo, transformamur in eandem imaginem, de gloria in gloriam, tanquam à Spiritu Domini*, sed hæc gloria tantùm est arrhabo & rudimentum gloriæ illius cœlestis, nempe vt Dominus noster se transformauit in monte, vt gustum aliquê præberet gloriæ suæ Discipulis, sic planè agit cum suis in hac vita. Altera pars huius gloriæ est in corpore immortalitas, quæ proportionem habet cum excellentia animæ, qualis enim anima est tale corpus est: Excellentia autem animæ superat etiam excellentiam illam animæ Adami, itaque & corporis gloria superabit gloriam corporis Adami, quod multis argumentis probari posset, sed quæ nos afferre supersedêmus quia res est nota, & aliò properamus. Itaque dicimur fore ἰσάγγελοι, & corpus nostrum *spirituale*, & locus corporum supra istos cœlos aspectabiles, & societas nostra cum Angelis, & Deus denique futurus *omnia in omnibus*, & nostra corpora redditum iri conformia glorioso Christi corpori, cap. 3. ad Philippenses.

Gloria modum naturæ superans.

quæ κατ' ἐξοχὴν Gloria dicitur. Illustratur locus 1. Pet. 5. στέφανος ἀμαράντινος.

Gloria illa est duplex. 1. in Anima. 1. Primum in intellectu.

quàm in voluntate quæ sequitur intellectum.

in quã est Gaudium.

2. Gloria in corpore.

Quod superest, sic prodidit Deus argumenta potentiæ, sapiêtiæ, iustitiæ, & misericordiæ suæ. Itaque 1. cap. 1. ad Cor. Christus dicitur *Dei sapientia & potentia*, nempe quia is est in quo & per quem dum studet Deus acquirere sib Ecclesiam, & restaurare genus humanum, ostendit quàm sit potens & sapiens; Et potens quidem in Christo secundum carnem in eius conceptione, operibus, morte, resurrectione, ascensu in cœlum, sessione ad dextram Patris, hoc tamen discrimine quod argumenta potentiæ Dei in Christo quandiu versatus est in terris, immò verò ab initio statim conceptionis, conjuncta fuerunt cum argumentis humilis conditionis, alioqui non fuisset illa exinanitio Christi, sed glorificatio potius: nam quod conceptus est ex Spiritu S. id potentiæ fuit, quod conceptus est ex paupercula Virgine, id fuit humilitatis. At quæ eius resurrectionem sunt consecuta ita fuerunt gloriosa, vt nihil adjunctum fuerit humile. Itaque cap. 17. Joh. petit vt *glorificetur à Patre eâ gloriâ quã habuerat*, nempe non decebat humanam Christi naturam

In Ecclesiæ collectione Deus edidit argumenta Potentiæ,

in Christo.

quando à Diuinâ fuit assumpta, haberi tam abjectè. In nobis verò qui in Christum credimus, eadem potentia exeritur in sanctificatione animæ, in resurrectione corporis, in gloria cœlesti, in patientia, in consolatione, in liberatione, in victoria, in tentatione. Atque hæc est illa Potentia ab Apostolo Paulo tantopere deprædicata. Quanta autem fuit Dei Sapientia & quàm admirabilis, quod genus humanum repugnante Dei Justitia, vt videtur, ita conciliauerit, vt nihil tamen admissum fuerit quod cum Dei Justitia pugnarit, impositis omnibus peccatis nostris tanto Seruatori, vt potuerit & ratione naturæ Diuinæ, & ratione humanæ naturæ dispungere debita nostra, cùm & pati posset, & dignitatem conciliare passioni suæ? vt taceamus summam sapientiam in dispensatione huius Gratiæ. Porrò Iustitia manifesta est, cùm nemini condonentur peccata nisi cuius peccata expiata sunt, & quicumque pereunt eo merito pereant quod Dei Legem violarint, & tantum Redemptorem contempserint. Denique Misericordia summa est, seu objectum illius intueamur, homines qui non modò nihil promeriti sumus, sed contrà mortem sumus promeriti, seu rationem Redemptionis, Deus enim non pepercit Filio vnigenito, siue fructum Redemptionis, vitam æternam, non qualis erat terrena illa prioris Adami vita, seu vnionem cum Filio Dei arctiorem multò quàm sit ea Angelorum vnio cum eodem filio. Illud verò superat omnem admirationem, quod huic Misericordiæ Deus omnes suas proprietates veluti subseruire voluit, nam potentiam adhibuit, & sapientiam, & iustitiam, sed vt misericordiâ vteretur. Et quod in reliquis operibus videtur adumbrasse tantùm, immò verò significasse tantùm ex parte, hic planè, & apertè, & omnibus modis demonstrauit. Hæc est eius gloria in facie Christi, cuius contemplatio nunquam exsatiat & explet animum, quia nulla contemplatione comprehendi potest, planè autem reuelabitur nobis cùm videbitur sicuti est, sed nunquam tamen ita plenè videbitur, vt non supersit aliquid: quod significatum est illis aquis quæ describuntur apud Ezech. cap. 47. quæ primò pertigerunt ad talos, tum ad genua, tum creuerunt vsque ad lumbos, denique verò intumuerunt in eam altitudinem, vt Prophetæ natandum fuerit: qua figura haud dubiè describitur modus contemplationis gloriæ Dei in hac vita, qui gradus suos habet, tum verò modus contemplationis eiusdem gloriæ in vita futura, qui modum nullum habet. Deus det nobis aliquando frui illa gloria per Dominum nostrum Iesum Christum.

Discrimen autem Gloriæ & Gratiæ in hoc situm est, quod gratia adsignificet quodammodo peccatum & infirmitatem: Peccatum, vt cum dicitur cap. 5. ad Roman. *Vbi abundauit delictum, gratia superabundauit*: infirmitatem, vt cùm dicitur cap. 12. poster. ad Corinth. *Gratia mea tibi sufficit, virtus enim mea perficitur in infirmitate.* At gloria non adsignificat peccatum aut miseriam, immò significat peccatum & infirmitatem omnem deletam esse, & iam obtinuisse regnum veræ iustitiæ, & beatitudinis absolutissimæ.

* * *

(Marginalia: In Nobis. — Sapientia item. — Iustitia. — Misericordia. — Cui subseruiunt reliquæ Dei proprietates. — In his sita est gloria Dei in facie Christi. — Discrimen Gratiæ & Gloriæ.)

DE ECCLESIAE *conspicuitate.*

EXPLICATA Ecclesiæ naturâ sequitur vt disputemus de Ecclesiæ conspicuitate, nam naturam Ecclesiæ sequitur eius conspicuitas, quando accidens eius est, vel (vt Pontificij volunt) proprietas, nam quæ sunt huius generis ea sequuntur naturam rei cui insunt. Sed quia res est admodum controuersa præmuniendum est hoc in primis, vt teneamus quid sit in hoc argumento *visibile* & *inuisibile*, & quomodo hæc Ecclesiæ tribuantur. Nam quicquid cernitur illud non eodem modo cernitur continuò, nam vel oculis *animi*, vel *corporis* videmus ea quæ videmus. Itaque constare oportet vtro sensu Ecclesia dicitur *inuisibilis*, an ideò inuisibilis sit quia cerni non potest oculis animi, an verò quia non potest corporeis oculis conspici. Tum, quæ animi oculis cernimus ea vel sunt eiusmodi vt *confusè* cernantur, quomodo non dubitamus esse viros bonos, quamquam non possimus statuere certò qui sint viri boni, vel *distinctè*, quomodo Deum cernimus, non enim tantum nouimus esse Deum, sed scimus quis sit verus Deus. Et corporis oculis item quod videmus non videmus vno modo; Quædam enim ita videmus corporeis oculis vt possimus dici ea videre *per se*, quomodo colorem, figuram, & lumen videmus, quamquam diuersa ratione: vel corporeis oculis aliquid videmus per accidens, quomodo homines videmus, non enim hominem videmus qua homo est, attamen insaniat qui neget se videre hominem. Id verò fit cùm eas rerum notas oculis corporeis vsurpamus vnde mens aliud colligit: vt rem dicamus apertius, cùm sunt rei, quam sola mens percipit, notę incurrentes in sensus, videmus, & dicimur sensu percipere quod sola mens capit; capit, inquam, per se. Sed quia lineamenta humani corporis nulli conueniunt animali præterquam homini, ea verò lineamenta oculus videt, dicitur oculus etiam corporis hominem vidisse. Sed quia hæ notæ duûm sunt generum, vel enim sunt eiusmodi vt non possint seiungi à re cuius notæ sunt, vel sunt eiusmodi vt seiungi possint, idque vel rarò, vel plerumque, hinc fit vt ista conspicuitas non pariat æquè certam cognitionem. Nam si notæ sunt eiusmodi vt sejungi nequeant à re, certissima cognitio est: si seiungi possunt, attamen non vt plerumque sed rarò, cognitio minus certa est, non est tamen planè incerta. At si notæ sunt eiusmodi vt plerumq; abesse possint, cognitio incertissima est. Abesse autem notæ dicuntur, quot modis adesse dicuntur. Itaque quæ de absentia notarum, eadem de earum præsentia, vt ita dicam, volo intelligi, nimirum si notæ sint maximè propriæ, certissima cognitio est, si minus propriæ, minus certa cognitio est, si omninò communes incertissima est, vnde locus fit captioni vulgatissimæ quæ dicitur παρὰ τὸ ἑπόμενον.

Cùm igitur disputamus de Ecclesiæ visibilitate, hoc primo loco constituendum est, quæraturne an Ecclesia cerni possit corporis oculis, an animi. Et si animi oculis, an cerni possit confusè, hoc est, ita vt credamus, & certò constituamus esse Ecclesiam, neque possimus itidem statuere quæ sit hæc Ecclesia, hoc est, eam designare ex cir-

(Marginalia: Visibile multifariã dicitur. nempe, vel animi oculis, — idque vel confusè, — vel distinctè. — vel oculis corporis, idque vel per se, — vel per accidens. — certò. — minus certò, — incertissimè. — quid in hac controuersia quærendũ veniat. nempe, I.)

ex circumstantiis personarum, temporis & loci: multum enim interest vtrum scias aliquid esse in rerum natura necne, & an scias vbi, & in quo sit illud. Deinde & id constituendum est, cùm quaeritur, an Ecclesia cernatur oculis corporis, vtrum hoc intelligatur, an Ecclesia per se cernatur, an verò per accidens. Nam, (quod pace doctorum virorum dictum sit) oculi corporis hîc sunt sensus quicumque tandem illi sint, itaque illud fuit ioculare potius, quàm seriò dictum, quod non nemo negauit Ecclesiam esse visibilem eo quod audiatur: Non est enim credibile Pontificios adeò delirare, vt asserant Ecclesiam cerni oculis corporis per se, oculorum autem corporis nomine intelligimus omnes sensus. Itaque constituendum est hoc semel, an Ecclesia sit visibilis per accidens, id est, an Notae Ecclesiae quae in sensus incurrunt sint eiusmodi, vt inde possimus colligere quaenam sit tandem Ecclesia, & qua certitudine id possit colligi. Itaque dispiciendum hîc erit, sintne Notae sensiles Ecclesiae huiusmodi quae non possint abesse ab Ecclesia, aut quae non possint abesse nisi rarò, aut quae possint abesse plerumque. Deinde videndum est an Notae Ecclesiae, sensiles inquam, sint eiusmodi quae non possint adesse nisi adsit Ecclesia, aut rarò possint adesse nisi adsit Ecclesia, aut saepe adesse possint vbi nulla sit Ecclesia. Denique & id constituendum erit, vtrum sint eiusmodi Notae quae pariant confusam Ecclesiae cognitionem, nempe vt sciamus quidem esse Ecclesiam, attamen nesciamus vbinam sit, aut si sciamus vbinam sit, nesciamus qui sint vera membra Ecclesiae, aut si id scimus, non sciamus certò. Constituendum pari ratione erit quomodo Ecclesia sit visibilis, an secundùm se totam, an secundùm partes; & si secundùm partes, an secundùm omnes partes, an secundùm quasdam duntaxat. Nam tota terra non potest simul cerni, potest tamen cerni secundùm partes, & quidem secundùm omnes partes, successiuè, inquam, nam vno obtutu terra cerni non potest, attamen nulla est pars terrae habitabilis quae non possit cerni. Denique & id est constituendum, an Ecclesia dicatur visibilis in Pastoribus, visibilis in Concilio, visibilis in Capite, visibilis semper; an verò aliquando visibilis, aliquando inuisibilis.

Occasio huius de Ecclesiae conspicuitate controuersiae.

His constitutis vt teneamus statum controuersiae, necesse est constituamus ob oculos occasionem controuersiae, tùm quo exierit controuersia. Origo autem controuersiae, vt ab ipso Bellarmino obseruatum est cap.11. lib.3. de Eccl. mil. haec est. *Cùm*, inquit, *Erasmus obiecisset Luthero non esse credibile Deum tam longo tempore deseruisse Ecclesiam, respondit Deum nunquam deseruisse Ecclesiam, sed non esse Ecclesiam Christi illam quae vulgò dicitur Ecclesia*, ergo hinc nata est haec controuersia tribus modis. Nam primò non videtur leue argumentum quod nouata multa sunt in Ecclesia, cùm nihil debeat nouari: nempe Deus semper adest Ecclesiae suae, non igitur patitur Ecclesiam errare, nihil vt opus sit renouatione, cui nullus est locus vbi errori non est locus. Secundò, Pontificij volunt Ecclesiam esse iudicem & arbitram controuersiarum, non potest autem esse arbitra nisi conspicua sit, itaque hoc illis praemuniendum fuit, Ecclesiam esse conspicuam, vt Ecclesia eadem sit arbitra. Denique cum apud illos constitutum sit, Ecclesiae caput esse Pontificem Romanum, & non potuerint negare caput hoc visibile esse, & regimen quod ab hoc capite proficiscitur itidem esse visibile coacti sunt fateri. Quae res eò adegit eos, vt nihil veriti sint definire Ecclesiam, *coetum hominum eiusdem Christianae fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipuè vnius Christi in terris vicarij Romani Pontificis*. Bellarm. lib.3. de Ecclesia milit. cap.2. Exitus autem huius controuersiae hic est, quod negant Pontificij pertinere ad essentiam Ecclesiae vt sit inuisibilis. Itaque Bellarmin. non est virtus negare requiri ad constituendum aliquem in Ecclesia internas virtutes: verba eius haec sunt, *Atque hoc interest inter sententiam nostram & alias omnes, quod omnes aliae requirunt internas virtutes ad constituendum aliquem in Ecclesia, & propterea Ecclesiam veram inuisibilem faciunt, nos autem etsi credimus in Ecclesia inueniri omnes virtutes, tamen vt aliquis absolutè dici possit pars verae Ecclesiae de qua Scriptura loquitur, non putamus requiri vllam internam virtutem, sed tantùm externam professionem fidei, & sacramentorum communionem, quae sensu ipso percipitur*. Bellarm. lib. 3. cap. 2. de Eccl. mil. Vnde colligimus quorsum tandem exierit ista controuersia, nempe, vt quod aliquis fide, spe, & charitate praeditus dicitur Ecclesiae membrum, sit attributio (vt vocant in Scholis) *per accidens*, non autem *per se*, vt cùm Musicus dicitur vir fortis, attributio est per accidens, non enim conuenit Musico quâ Musicus est; aut vt crassiori vtamur exemplo, cùm Musicus idem dicitur pulcher, attributio est per accidens. Ergo eò res deducta est vt quaerendum sit, sit ne essentiale verae Ecclesiae vt praedita sit his virtutibus, an verò, vt ita loquamur, accidentale. Atque, vt hoc obiter dicamus, bellè id conuenit Romanae Ecclesiae, nam certè si qui in ea sunt praediti vllis virtutibus, id eis conuenit per accidens, non quatenus sunt in Ecclesia Romana, sed quatenus diuersum sentiunt ab Ecclesia Romana quomodo acutè Cicero dixit, *Epicureos, si quando viri boni sunt, vinci bonitate naturae*; quasi diceret, *repugnare dogma*.

Exitus controuersiae.

Triplex.

Status controuersiae. Ecclesia etiam Catholica oculis animi est conspicua.

His ita explicatis constituendus erit status controuersiae. Et primò quidem non erit negandum Ecclesiam Dei visibilem esse animi oculis. Quod si quando non est tota oculis animi visibilis (vt cùm Elias dubitaret an esset vlla Dei Ecclesia in terris, vt nos postmodum docebimus) oritur hoc ex imbecillitate fidei, quemadmodum Dauid dubitauit saepè (sed ita vt se recolligeret) an futurus esset Rex, *Dixi, inquit, praecipitanter, omnis homo est mendax*; haud dubiè Samuelem notauit: at sententia tamen illa vera est in se, quamquam adhibita perperam à Dauide, quod & agnouit ipse. At Elias tamen non dubitauit Ecclesiam Dei esse in coelo, itaque concedendum, immo affirmandum est, Ecclesiam Dei etiam vniuersalem visibilem esse animi oculis, tùm eam quae est in coelo, tum etiam eam quae est in terra. Sed quaecumque sunt visibilia animi oculis, ea non sunt continuò distinctè visibilia animi oculis: verbi gratiâ, scimus certò vbique terrarum esse quosdam animo mansueto, vt in Polonia, attamen fortasse distinctè non modò non scimus qui sint inter Polonos mansueti, sed ne scimus quidem qui sint Poloni, qui non. Hoc pacto non est negandum esse membra Ecclesiae

at non distinctè tota.

sed per partes, siue membra.

multa quæ oculis animi ſunt viſibilia, etiam diſtinctè, quales ſunt, verbi gratiâ, illi quibus Deus teſtimonium in Scriptura perhibuit. Itaque Eccleſia hoc modo tota quidem erit confusè viſibilis, & erit in certis quibuſdam membris viſibilis diſtinctè, ſed viſibilis animi oculis, non corporis. Itaque credimus Eccleſiam Catholicam, non videmus. Eſt autem Eccleſia Catholica communio Sanctorum quæ oculis corporis non cernitur. Ea autem communio à duobus pendet, vel eſt enim communio reſpectu ſuperioris vt capitis, quemadmodum Apoſtolus Joan. nos docet 1. Epiſt. cap. 1. *Si*, inquit, *dixerimus nos habere communionem cum illo* (nempe Chriſto, & Patre Chriſti per Chriſtum, adeoque etiam cum Spiritu Sancto, nam & Apoſtolus Paulus meminit *communionis Spiritus Sancti) & communionem habemus inter nos* (vt eſt eodem cap.) id eſt, communionem, quæ cùm ſit inuiſibilis oculis corporis, attamen oculis animi eſt viſibilis: Iſta enim communio nec interuallis temporum, nec locorum interrumpi poteſt.

Confusè autem tota.

propriè enim creditur Eccleſia, non videtur.

At ſi de ea Eccleſiæ conſpicuitate agitur, quæ oritur ex iis notis quæ ſenſus percipit, diuerſa ratio eſt conſpicuitatis. Etenim concedendum eſt Eccleſiam hactenus quidem eſſe viſibilem, at non ſimpliciter, ſed aliquatenus, & aliquomodò & aliquando, & aliquibus duntaxat. Itaque non erit negandum, primò, Eccleſiam eſſe aliquatenus viſibilem etiam oculis corporis, vt ſi intelligamus illam partem quæ dicitur Eccleſia militans in terris, & eam partem intelligamus viſibilem eſſe, non totam, ſed vel in ſingulis Eccleſiis, vel in membris ſingularum Eccleſiarum. Deinde nec negandum eſt aliquomodo eſſe viſibilem etiam oculis corporis, oculorum autem corporis nomine (vt iam monuimus) intelligimus omnem ſenſum, quicumque tandem ille ſit, quo notæ Eccleſiæ percipi poſſunt. Sed negandum eſt primò vllam Eccleſiæ partem per ſe cerni, tantùm concedendum eſt cerni per accidens, quia quæ incurrunt in ſenſus non ſunt eiuſmodi, vt vel pertineant ad eſſentiam Eccleſiæ, vel fluant neceſſariò ab Eccleſiæ eſſentia, vt ſuprà monuimus obiter. Secundò, negandum eſt oculis corporis diſtinctè cerni poſſe Eccleſiam Dei, non eſt negandum cerni poſſe confusè, id eſt, ea cernuntur vnde colligimus Deum hoc aut illo loco habere Eccleſiam, non cernuntur illa vnde queamus colligere hunc aut iſtum eſſe verum Eccleſiæ membrum: cuius rei ratio hæc eſt, quod omnes Eccleſiæ Notæ incurrentes in ſenſus ſunt communes omnibus piis cum hypocritis. Tertiò, negandum eſt poſſe ſciri *diſtinctè & certò* qui ſint veræ Eccleſiæ membra, quæ ſit vera Eccleſia: at concedendum eſt tamen poſſe id ſciri *diſtinctè & probabiliter*, quæ ſcientia vulgo dicitur *Iudicium charitatis*. Nam cùm objiciuntur oculis notæ, vnde probabiliter colligi poteſt hunc aut iſtum pertinere ad Eccleſiam Dei, hos aut iſtos eſſe veros Eccleſiæ Paſtores &c. oritur quidem diſtincta cognitio, ſic enim non ſolùm ſcimus eſſe veros Paſtores, ſed agnoſcimus hunc aut iſtum pro vero Paſtore (verum autem Paſtorem hic intelligo Paſtorem fidelem) ſed hæc *opinio* eſt potius quàm *ſcientia*. Vnde & hic oritur noua diſtinctio, cùm ſint notæ veri Paſtoris, & verorum Eccleſiæ membrorum, aliæ aliis illuſtriores, oritur, inquam, inde noua diſtinctio Judicij charitatis. Nam quò illuſtriores Notæ ſunt, eo id iudicium minus incertum eſt, quò verò obſcuriores ſunt, eò incertius eſt. Quod de Paſtoribus diximus, idipſum dicimus de grege.

Eccleſia etiam corporis oculis eſt, conſpicua.

ſed aliquatenus tantum.

& aliquomodo.

nempe nō per ſe, ſed per accidēs tantum.

neque diſtinctè, ſed confusè tantum.

neque certò, ſed probabiliter

ex iudicio charitatis,

quod aliquādo certius eſt aliquando minus certum.

Huc referenda eſt diſtinctio Eccleſiæ viſibilis & inuiſibilis, quæ non eò ſpectat, vt calumniatur Bellarm. cap. 2. lib. 3. de Eccleſiæ milit. vt ſtatuantur duæ Eccleſiæ, quarum altera ſit viſibilis, altera inuiſibilis (quæ diuiſio valde abſurda foret, cùm diuiſionis partes coincidant ſæpenumerò, nam eadem Eccleſia quæ certâ quadam ratione inuiſibilis eſt, quadam ratione viſibilis etiam eſt) ſed hæc eſt diſtinctio *nominis*, vt loquuntur in Scholis, id eſt, aliquando Eccleſia nominatur ab iis quæ ſunt inuiſibilia, quæque eius eſſentiam conſtituunt, atque hoc ſenſu dicitur inuiſibilis, aliquando denominatur ab iis quę ſunt externa, quæque in ſenſum incurrunt, & tum viſibilis dicitur: quoniam verò externa illa veræ Eccleſiæ cum hypocritis ſunt communia, hinc fit vt Eccleſiæ nomen etiam hypocritis tribuatur, nempe quatenus Eccleſia denominatur à rebus externis. Sed res hęc quæ non nemini obſcura videbitur, aut certè videri poſſet, illuſtranda eſt exemplo. Fingamus ergo fideles Regis ſubditos dici viſibiles & inuiſibiles; & inuiſibiles quidem, quia fidelitas vnuſquiſque ſibi conſcius eſt, & Deus cordium ſcrutator, at externæ profeſſionis, externorum officiorum, etiam alij præter nos ſunt conſcij, ſed ea ſunt eiuſmodi vt ſæpenumerò proditores iis defungantur, nihil enim externum eſt quod ſimulari non poſſit. Quiſquamne dicet ſic conſtitui duo genera fidelium ſubditorum Regis? Minimè verò, ſatis enim liquet ſic deſignari tantùm varios modos vnde denominantur fideles Regis ſubditi, nempe vel ab affectu cordis qui latet, vel ab externa profeſſione quæ patet. Quoniam verò externa profeſſio communis eſt etiam proditoribus, hinc fit vt hactenus proditores dicantur fideles ſubditi Regis, donec ſcilicet ſuis ipſi ſe ſceleribus prodant. Nihil autem opus eſt (quando res eſt poſita iam in aperto) vt oſtendamus eodem modo ſe rem habere in Eccleſia. Ergo Eccleſia dicitur quemadmodum homo: Nam & homo pictus & coloratus à Philoſopho dicitur homo, & verus homo, homo dicitur, & homini picto & vero quædam ſunt communia, ſecundùm quæ tam hîc quàm ille homo dicitur; attamen nemo ſic cauillabitur conſtitui duo genera hominum.

Diſtinctio in Viſibilem & Inuiſibilem. non duas conſtituit Eccleſias.

ſed vnam tantum diuerſimodè conſideratam.

Simili illuſtratur duplici.

Tertiò, nec negandum eſt aliquando Eccleſiam eſſe viſibilem corporis oculis, immò nec negandum ferè ſemper eſſe viſibilem corporis oculis, nempe viſibilem *confusè* non *diſtinctè*, aut verò diſtinctè quidem in certis membris viſibilem. At non ita tamen vt illa viſibilitas gignat certam, & quam vocant infallibilem cognitionem. Immò verò ne negandum quidem eſt ferè ſemper eſſe viſibilem hoc pacto. Huius rei hæc eſt ratio, Deus ſemper habet Eccleſiam in terris, non poteſt enim Chriſtus eſſe caput niſi corpus habeat, & quidem partem corporis in terrâ, quæ terra non ſtat niſi vt ſtet Eccleſia. Cùm autem Eccleſia & gignatur & alatur verbo, neceſſe eſt & verbum eſſe in Eccleſia, verbum autem non poteſt eſſe in Eccleſia niſi prædicetur, non poteſt autē prædicari niſi oriatur aliquid quod incurrat in ſenſus, itaque ferè ſemper viſibilis eſt Eccleſia. Adjici-

RurſusEccleſia conſpicua eſt corporis oculis aliquando.

imò ferè ſemper.

Adjicimus autem illud *ferè*, quia nihil prohibet quominus Deus instinctu Spiritus, etiam sine verbo, nos doceat, sed hoc est extraordinarium. Ecclesiæ autem status non est extraordinarius. Nihil item prohibet quominus domi quisque turbulentis temporibus legat sacras literas priuatim seorsum; sed & hoc quamquam non vsque adeò) tamen extraordinarium est & rarum. Attamen hîc illud obseruandum est, hanc visibilitatem non esse semper æquè claram, nam prout verbum minus clarè & purè prædicatur, aut magis purè & clarè prædicatur, maior etiam aut minor est Ecclesiæ visibilitas. Vnde fit vt sit visibilitas quædam Ecclesiæ dicta κατ' ἐξοχὴν, vt cùm verbum Dei purè & clarè prædicatur, & quædam visibilitas Ecclesiæ quæ collata cum illa visibilitate quæ dicitur κατ' ἐξοχὴν *inuisibilitas* dicenda est; cùm nempe prædicatur quidem verbum Dei, sed adobruitur tot humanis traditionibus, vt vix emicent quædam scintillæ illius lucis. Dinique & aliquibus Ecclesia visibilis est, nihil tamen necesse est vt sit omnibus & singulis visibilis. Sic Elias se solum putauit, at reliqui tamen fideles coluerunt communionem inter se fortasse, & sibi mutuò noti fuerunt, hæc autem, vt ita loquamur, inuisibilitas Ecclesiæ, quæ facit vt quibusdam Ecclesiæ membris non sit nota, oritur vel à persecutione, vel non iam dico, ab immani quadam deprauatione doctrinæ, sed ab idololatriâ summâ, quâ fit vt veri Dei cultus ne professione quidem retineatur, de qua re infrà, Deo iuuante, disputabimus fusius. Hic igitur esto controuersiæ status: *An Ecclesia militans in terris sin minus tota, saltem in partibus suis sit conspicua per se, & primariò, distinctè, & semper, & certò, & quibuslibet*; Pontificij id affirmant, nos negamus.

Sed hęc visibilitas nō est semper ęquè clara.

neque omnibus semper est cōspicua, sed aliquibus.

Cōtrouersiæ status cōtractus.

Primum argumentum quo vtuntur hoc est, tale quid Ecclesia est quale nomen *Ecclesia* significat in Scriptura. At nomen *Ecclesia* semper significat visibilem cœtum (*societatem* dicere voluerunt.) Ergo, Ecclesia visibilis est. Hoc Argumentum nihil est, nam primò non concluditur negatum, secundò, vtraque propositio est falsa: nam non negamus simpliciter Ecclesiam esse visibilem, fatemur enim Ecclesiam esse aliquatenus, & aliquando, & aliquomodo, & aliquibus visibilem. Itaque hæc est captio quam in Scholis vocant à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Deinde maior propositio falsa est, quod si vera esset, certa tantùm esset per accidens: Nam sæpenumerò accidit vt vocabula alium habeant vsum in Scriptura, alium in consuetudine recepta in Ecclesia, sunt enim quædam vocabula usitata in Ecclesia, quæ non reperiuntur in Scriptura, quamuis res illis vocabulis significata subinde occurrat, vt sunt verbi gratia *Trinitas*, ὁμοούσιον, quæ nusquam in Scriptura leguntur, cùm res ipsa tamen clarissimè tradatur in Scriptura. Rursus quædam sunt vocabula vsitata in Scriptura quæ ea significatione quâ adhibentur in Scriptura, nullum habent vsum in Ecclesia, vt verbi gratiâ, *Sacramentum*, nam Baptismus & sacra Cœna nunquam dicuntur Sacramenta in Scriptura; contrà *mysterium, sacramentum* vt plerumque ea dicuntur in Scriptura, quæ nihil minus sunt quàm quæ Sacramenta dicuntur in Ecclesia, & si quando ea vox ad significandum aliquod signum adhibetur, eâ significatur signum quidem, sed cuius significatio est occulta: saltem hoc necesse est vt fateantur (nam iam non libet nobis excurrere) nusquam in Scriptura Baptismum aut Cœnam Domini vocari *Sacramentum*. Itaque si liceret illis argumentari, Quod non dicitur Sacramentum in Scriptura illud non est Sacramentum, Baptismus & sacra Cœna non dicuntur Sacramenta in Scriptura, Non sunt ergo Sacramenta. Nemo adeò est in Religione cæcus qui non videat maiorem huius syllogismi esse falsam. Fingamus ergo Ecclesiæ nomen nunquam occurrere in Scriptura eo sensu quo adhibetur in hac controuersia, in qua agitur de societate quadam hominum cui Deus singularia quædam & summa promisit, imò in vniuersum nihil tale significare, ratio nulla erit, non enim hîc disputatur de verbis aut nominibus, sed de rebus, quæritur enim an illa societas, quam vtcunque iam descripsimus, sit eo modo visibilis quomodo à nobis definitum est vtcunque. Tertiò, Minor est falsa: itaque hic syllogismus vndique laborat. At illi minorem probant collatis quibusdam Scripturæ locis: atque hîc errant non vno modo, vel enim quædam Scripturæ loca afferunt quæ nihil faciunt ad rem, vel tantum hoc faciunt vt inductione quorumdam concludant vniuersale, qui concludendi modus est Sophisticus, in quibusdam locis Scripturæ nomen *Ecclesia* significat visibilem cœtum, ergo in omnibus. Non sequitur.

Rationes Pontif. pro Ecclesiæ visibilitate.

1. Resp. 1.

2.

3.

Attamen vt res notissima sit, nos sigillatim, breuiter tamen singula illa loca expendemus. Primus autem locus est. Num. 20. *Cur deduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem*, Ecclesia (inquit Bellarm. cap. 12. lib. 3. de Ecclesia milit.) vocatur populus ille notissimus Israel qui exierat ex Ægypto. Sed hic locus nihil facit ad rem, nam Ecclesia eo loco significat cœtum hominum qui in vnum locum conuenerunt, multitudinem inquam: At in hac controuersia non notatur multitudo hominum qui in vnum sunt congregati, sed societas fidelium ad quos pertinent singulares Dei promissiones. Vno verbo Ecclesia eo loco non dicitur *Antonomasticè*, sed (vt loquuntur Grammatici) *appellatiuè* simpliciter. Citant secundo loco, locum qui exstat 3. Reg. capite 8. quo loco Salomon dicitur benedixisse toti Ecclesiæ Israel, Sed si Ecclesia hoc loco significat id de quo agitur in hac controuersia, Salomon fuerit Papa, immò verò legenti diligenter illud caput, Ecclesia Israel significat multitudinem quæ conuenerat in Templum, itaque nec eo loco Ecclesia antonomasticè vsurpatur, nam distinguntur Sacerdotes & Leuitæ ab illo cœtu. Tertium locum citant ex capite 16. Matth. magnâ confidentiâ, ne impudentiam dicamus. Nam eo loco non significatur Ecclesia quatenus est visibilis, neque enim illa hactenus propriè ædificatur, nec est eiusmodi (quatenus, inquam, est visibilis) vt aduersus eam portæ inferorum nequeant præualere, nam vera certè Ecclesia à Satana non potest vinci, ideoque nec à morte & sepulchro, cùm Ecclesia, quam illi volunt esse visibilem, sit eiusmodi vt nihil prohibeat eius membra, quatenus sunt eius membra, superari à Satana primùm, tum etiam à morte. Sed illi tamen hoc vrgent imprimis, quod Ecclesia illa ædificata est vel super Christum, vel super Petrum, vel super fidei Petri confessionem, & quiduis dixerint (vt loquũtur)

An Ecclesiæ nomen in Scriptura cœtum visibilem semper significet.

1. Scripturæ locus.

2.

3.

Except.

hæretici, necesse est hæreant, nam si Christo fuit inædificata Ecclesia, Christus tùm erat visibilis; Si Petro, Petrus erat tum visibilis etiam, si confessioni Petri, ea quidem non fuit visibilis, attamen sensilis fuit, quod eodem redit. At nihil horum stare potest. Primò quia nos non negamus simpliciter Ecclesiam esse visibilem, quæstio tantum est quomodo sit visibilis, quatenus, quando, quibus. Secundò, non ex eo quod caput Ecclesiæ est visibile sequitur continuò Ecclesiam esse visibilem, nam fieri potest vt Rex sit visibilis, etiam subditi nusquam compareant, nos autem in hoc argumento non disputamus de visibilitate capitis Christi (quem fatemur aliquando fuisse manifestatum in carne in terra, conspectumque fuisse ab hominibus, vt testatum est primo cap. Euang. Ioan. & eiusdem Epist. 1. Cathol. cap. 1. & res ipsa clamat apertè) sed an caput Ecclesiæ semper debeat esse visibile oculis, hoc verò est quod quæritur. Tertio loco respondemus, non ex eo quod symbolum fidei nostræ (putà confessio) visibilis est, continuò Ecclesia est visibilis, nam fieri potest vt de symbolo minimè dubitemus, at sæpenumerò accidit, imò semper accidit vt non possimus certò statuere quis id symbolum verè vsurpet. Hic igitur locus tantùm abest vt caussam Aduersariorum iuuet, vt nostram iuuet vel maximè. Quartus locus est Matthæi cap. 18. is nempe in cuius explicatione iamdiu sumus versati, qui vt nihil faciat ad rem quam agimus, liquebit facile considerantibus eam, quæ suprà allata est, huius loci explicationem. Quintus locus est Act cap. 20. sic autem habet, *Attendite vobis & vniuerso gregi*, vnde sic ratiocinantur, Cuius cura committitur hominibus id necesse est vt sit visibile, at Ecclesiæ cura committitur hominibus, Ergo necesse est vt sit visibilis. Ratio maioris propositionis hæc est, Solius Dei est nouisse qui sint sui, hominis autem ea tantùm spectare quæ incurrunt in sensus, si igitur Ecclesia esset societas quædam inuisibilis, frustrà daretur hoc negotium homini, vt gereret curam Ecclesiæ quam videre non posset. Atque huic loco Scripturæ multa alia adjiciunt, vt cùm dicitur Ecclesia deducere Pastores suos, cùm dicitur salutari, cùm Apostolus Pastores hortatur vt conuersentur in Ecclesia quomodo oportet) Quî fieri, inquiunt, ista possunt nisi sit Ecclesia visibilis?

Visibilitas capitis non infert necessariò visibilitatem corporis.

4. locus.

5. locus.

quibus alia multa adjiciuntur.

Respondetur, & in Scriptura eadem tribuuntur electis, vt verbi gratiâ 2. ad Timoth. 2. *Omnia*, inquit Apostolus, *tolero propter electos*, ergo necesse fuerit, si hæc ratio stat, electos fuisse notos Paulo, non enim magis necesse est vt qui verbo docentur nobis noti sint, quàm nobis necesse est, esse notos qui docentur exemplo. Deinde Apostolus Petrus scribit ad electos 1. Pet. 1. At non est magis necessarium vt quos docemus, qui nos audiunt, quos salutamus, qui nos salutant nobis noti sint, par enim vtrobique est ratio. Sed vt rectè occurramus argumento, repetenda est nobis distinctio suprà à nobis adhibita, nam Ecclesia vel dicitur visibilis *confusè*, vel *distinctè* visibilis, atque ex his Scripturæ locis probatur quidem Ecclesiam esse *confusè* visibilem, non probatur esse visibilis *distinctè*. Sic cùm Christus Petrum hortatur vt pascat oues suas, certè eo significatum est, oues Christi esse saltem *confusè* visibiles, at non est eo probatum esse visibiles *distinctè*: Ete-

Resp. 1. indirectè per incommodum.

2. directè per distinctionem. Ecclesiæ confusè, vel distinctè visibilis.

nim seu electi intelligantur qui electi dicuntur quia Deus eos elegit vt donaret eos fide, vel (vti nonnulli interpretantur) vt electi dicantur, quicumque iam credunt, res eodem redibit, nam tam fieri non potest vt hi quàm isti humanis oculis aspectabiles sint, *distinctè*, inquam, attamen vtrumque *confusè* fieri potest. Vt cùm datum est negotium Apostolis prædicandi Euangelium inter Gentes, nouerant esse electos inter Gentes, & postquam multi professi sunt religionem Christianam, nouerant fuisse electos, id est, fideles actu (quamuis non putamus *fideles actu* dici *electos* eo sensu quo electi dicuntur à nonnullis qui perseueraturi sunt ad finem vsque, repugnant enim verba Pauli quæ citauimus, sic enim loquitur, *Omnia tolero propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*, quæ frustra dicta sunt, vt mollissimè dicam, si electi eo loco sunt quos Deus habet ob oculos vt perseueraturos, quid enim opus est vt Apostolus patiatur in eorum gratiam qui perseueraturi sunt, nisi eius passio medium sit huius perseuerantiæ, id est, medium quo vtitur Deus ad electos suos confirmandos? vnde sequitur confirmationem sequi electionem non præcedere, præcederet verò si electi iidem sunt qui perseueraturi, iidem, inquam, *formaliter*, nam certè *materialiter* iidem sunt) sed Bellarminus passim docet electos esse inuisibiles; itaque cogitur recurrere ad hanc distinctionem quâ vsi sumus initio huius disputationis: vnde sequitur huius argumenti nullam esse vim, quando nos non negamus Ecclesiam Dei, id est, electos & vocatos esse confusè visibiles aliquando, tantùm verò negamus esse visibiles distinctè. Huc etiam & illud accedit, quod non negamus Ecclesiam esse aliquando distinctè visibilem, tantùm negamus illi visibilitati esse vllam certitudinem præter eam quæ in Scholis dicitur *Moralis*, quia notæ quibus Ecclesia sic redditur visibilis, sunt illa quæ dicuntur εἰκότα σημεῖα, non sunt τεκμήρια. Iam verò loci Scripturæ adducti ab aduersariis probant quidem Ecclesiam sciri posse ἐκ τῶν εἰκότων, non probant Ecclesiam nosci posse ἐκ τῶν τεκμηρίων.

Ecclesia seu Electi & verè fideles sunt confusè visibiles.

Electi non sunt illi quos Deus præuidit & considerauit vt perseueraturos.

Certitudo moralis.

Secundum argumentum quo vtuntur hoc est, vbi non nominatur, sed tamen apertè describitur Ecclesia, describitur semper cœtus visibilis, vt Psal. 19. *In Sole posuit tabernaculum suum*, exponit Augustinus, *in manifesto posuit Ecclesiam suam*: & Esaiæ 2. Dan. 2. Mich. 4. comparatur Ecclesia monti magno & Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, quod Augustinus exponit de Ecclesia: denique parabolæ, de Reti, Area, &c. ostendunt Ecclesiam veram, quæ est *regnum cœlorum*, esse visibilem. Respondetur primò, Etiamsi esset vera expositio Augustini loci illius qui exstat Psal. 19. (nouerunt autem qui vel à limine Hebræas litteras salutauerunt, non esse veram illam interpretationem, sed natam ex imperitiâ linguæ Hebrææ, vt intuenti locum propius patebit) tamen nihil faceret illa expositio contra nos, qui non negamus Ecclesiam Dei esse visibilem, tantùm negamus semper esse visibilem, quod & ipsi Aduersarij negant. Nam docent summo consensu fore vt temporibus Antichristi tanta sit omnium rerum futura confusio, vt aut Ecclesia cerni omninò non possit, aut vix cerni possit. Itaque vaticinium hoc fuerit de florenti Ecclesiæ statu sub Nouo Testamento, sed qui status tamen perpetuus esse non debuit. Certè Antichristi regnum

2. Ratio Pontif.

Resp. 1.

regnum vel ipsis Pontificiis fatentibus cum florenti Ecclesiæ statu stare non potest; Iam verò nos affirmamus Ecclesiam fuisse conspicuam summo splendore vsque ad Antichristi tempora, sed iidem affirmamus pridem venisse Antichristum, vt ne mirum cuipiam videatur Ecclesiam regnante Antichristo minus fuisse visibilem. Eadem responsione occurritur argumentis petitis è reliquis locis, nisi quod locus qui exstat Matt. 5. non facit ad hanc rem quam agimus, nam si velimus fateri quod res est? agitur eo loco de Apostolis, quorum Ministerium fuit tam illustre, tam splendidum vt occultari neque debuerit, neque potuerit, nam parabolæ de area, & de reti aliò spectant: non enim Ecclesia dicitur *area* aut *rete*, sed Euangelij prædicatio, qua fit vt etiam qui sunt hypocritæ nomen dent Christo: Nos autem Ecclesiam definimus, *Societatem hominum vni capiti Christo vnitorum, atque in eo Gratiæ in hac vita, & Gloriæ in futura compotum.* Itaque probabit sanè hic locus Ecclesiam esse confusè visibilem, non probabit esse visibilem distinctè, quando eædem notæ communes sunt piis cum hypocritis: At id non est quod nos negamus, immò hæc nostra sententia est, quæ adeò ex hoc loco probari potest.

2.

3.

3. ratio Pontific.

Tertium Argumentum petunt ex ipso ortu & progressu Ecclesiæ, nam, inquiunt, vt omittamus statum Vet. Test. in quo adeò visibilis erat Ecclesia vt in carne ipsa portaret visibile signum Circumcisionis, in Nouo Test. sine dubio visibilis erat in Apostolis, visibilis in descensu Spiritus Sancti, visibilis in conuersione hominum, visibilis in confessione, in Baptismo. Resp. Hoc argumentum indignum esse viro graui, non enim eo concluditur quod negatum est, Ecclesiam semper esse visibilem, Ecclesiam esse distinctè visibilem, tantum concludit Ecclesiam esse visibilem confusè: Nam Circumcisio, conuersio externa, Baptismus notæ sunt communes, descensus verò Spiritus Sancti in Apostolos, probat quidem Apostolos esse visibiles, sed suprà nos non negauimus reuelante Deo quædam membra Ecclesiæ esse distinctè visibilia, & aliquando, tantùm negauimus hoc esse solemne, & ordinarium.

Resp.

4. ratio.

Resp. 1. retorquendo.

Quartum Argumentum, Societas hominum est visibilis, Ecclesia est societas hominum, Ergo est visibilis. Resp. 1. Argumentum tale est, Societas hominum est visibilis, Electi sunt societas hominum, Ergo Electi sunt visibiles. Vsque adeò negat hanc conclusionem Bellarminus, vt laborauerit magnopere in hoc vt probet Ecclesiam non esse societatem Electorum: Nempe videbat fore vt cogeretur concedere Ecclesiam esse inuisibilem, si daret Ecclesiam esse societatem Electorum. Respondeo 2. à materiali ad formale non esse ratiocinandum, nam homines quidem sunt Ecclesiæ materia, attamen non eò sunt Ecclesia quà homines sunt, sed quâ fideles. Quod addit, non posse esse vllam communionem inter fideles nisi sibi mutuò noti sint, Primò id concludit quod pugnat cum ipsa experientia, nam est communio Sanctis in cœlis, quod fatetur ipse, cum Sanctis qui sunt in terra, cùm tamen non sint sibi mutuò noti, etsi enim quidam in cœlis sancti nobis noti sint, non sunt tamen omnes sancti in cœlis nobis noti. Deinde, magna est communio inter fideles Germanos & Gallos, attamen non sunt sibi inuicem noti. Denique fatemur ingenuè quædam esse pietatis officia quibus nemo defungi possit nisi erga notos, attamen nemo inde concluserit notitiam hanc esse certam & distinctam; verbi gratiâ, boni bonis benefaciunt, attamen decipiuntur sæpe, nam qui videntur boni non sunt iidem semper reuera boni. Itaque concidit quod adjiciunt de visibilitate, vt loquuntur, signorum quibus obsignatur omnis societas; Est enim duplex omnino societas *externa*, & *interna*, interna vt sit non requiruntur vlla visibilia signa, at externa sanè requirit: verbi gratiâ, inter omnes bonos, vbicumque tandem terrarum sint, intercedit quædam communio, sunt enim fratres & sibi mutuò benè volunt, etiamsi mutuò non se internoscant. Huius rei argumento sunto preces quas concipimus etiam pro ignotis, vt cùm Deo commendamus curam fidelium, profectò testamur communionem nostram, præsertim cùm preces hæ mutuæ sint, non est tamen ista communio visibilis. Nam veræ preces animo, non verbis concipiuntur, & si concipiantur verbis, vel priuatim concipiuntur, vel publicè, ceu hoc, ceu illud fiat, non designantur, proindeque nec internoscuntur ij omnes pro quibus concipiuntur hæ preces. Externa quidem communio & societas, quam temerarium esset negare, non posset constare nisi sint huius communionis quædam signa incurrentia in ipsos sensus. At hæc communio neque est Ecclesiæ essentialis, sæpenumerò enim accidit vt ea complectatur etiam hypocritas, neque semper conuenit Ecclesiæ, nam aliquando ea sunt tempora vt externæ isti communioni nullus sit locus. Itaque nihil effectum est quarto hoc argumento: Nam, vt id subinde repetamus, non quæritur, sitne Ecclesia *confusè*, & *non certò*, & *aliquando* visibilis, sed an sit *distinctè*, *certò*, & *semper* visibilis, idque *omnibus*. Frustrà igitur adducunt authoritatem Augustini lib. 19. contra Faust. Manich. cap. 11.

Resp. 2.

Instant. Resp.

Alia Inst.

Resp. Societas duplex, interna & externa.

5. ratio Pontif.

Quintum argumentum. Tempore Christi, inquiunt, Zacharias, Simeon, Anna, Maria, pauci alij pij, si Philippo & Illyrico creditur, constituebant Ecclesiam, At constat istos communicasse cum Pontificibus in Templo. Ergo vel malè faciebant isti communicando falsæ Ecclesiæ, vel malè faciunt Lutherani non communicando nobiscum. Respondeo. Qui sic argumentantur, vt nihil grauius dicam, non videntur hoc agere, nam pertinet ad locum de Schismate, quem infrà tractabimus, Deo iuuante, non pertinet ad visibilitatem Ecclesiæ. Nisi tamen hoc velint, quod tamen non significant, eos qui colunt communionem externam esse hactenus visibiles, quod nos non negamus, tantùm quod res est affirmamus, istam visibilitatem communem esse illis cum hypocritis; Itaque ex illa non posse colligi, nisi probabili quadam ratione cui subesse potest fallacia, eos esse membra veræ Ecclesiæ. Deinde, vt ne hoc intactum relinquamus, planè dispar ratio fuit Ecclesiæ Iudaicæ, & tyrannidis Pontificiæ, nam in Ecclesia Iudaica aliquid fuit (typicum nempe illud) quod oportuit stare quandiu res ipsa (Christus) non fuit exhibita. Itaque vt aurum non abjicitur quia aliquando terræ admixtum est, ita neque hoc fuit abjiciendum quicquid erat. At non est eadem ratio Ecclesiæ Papalis, nam in ea nihil typicum est, saltem non debet, & quia esse non debet, nec est

Resp. 1.

2.

quidem, non debet autem esse quod Deus non instituit. Sunt & alia, & quidem non minoris momenti quàm ista, fortasse etiam maioris, quæ responderi possint, sed differenda donec ad eum locum ventum sit, in quo disputandum erit de Schismate.

6. Ratio. Tenemur nos adjungere Ecclesiæ.

Sextum argumentum. Probatur, inquiunt, id ipsum ex necessitate, nam tenemur omnes sub periculo æternæ mortis veræ Ecclesiæ nos adjungere, & in illa perseuerare, id est, capiti eius obedire, & certis membris communicare, vt patet ex Cypriano, Hieronymo, Augustino; At hoc fieri non potest si Ecclesia sit inuisibilis.

Resp.

Respondemus, quod & suprà diximus, Ecclesiæ communionem esse duplicem, & interna quidem semper & omnibus necessaria est, externa quando datur eâ frui, datur autem eâ frui vt plerumque (quod postea docebimus) attamen ita vt non possit inde colligi *distinctè*, & *certò*, & *ab omnibus* quæ sit vera Ecclesia, addamus etiam & *semper*.

Simili illustratur.

Sic necesse est parêre patri, id est, si pater notus sit, nam patri ignoto nemo tenetur parêre, ignotum autem patri dico, cuius noscendi nulla sunt argumenta quibus ingenuus possit commoueri. Quamuis fatendum est disparem paulò esse rationem Ecclesiæ, quæ si exigat obedientiam potest semper, immò & hoc vnicè vult, probare se esse Ecclesiam, cùm falsa Ecclesia non patiatur se adduci eò vt reddat sui rationem, quin agit pro imperio potius, atque omnia studet obruere preiudiciis, quod & faciunt fures, & scorta.

Vera Ecclesiæ communio est inuisibilis.

Nam certè vera Ecclesiæ communio (quæ est, inquam, inter Ecclesiæ membra) ea est quæ sequitur communionem cum Christo, istius autem communionis ratio inuisibilis est, quis enim norit quis sit Christi, quis non sit; norit, inquam, *distinctè*, & *certò*, & *semper*; Itaque neque nouerit idem qui sint in Christo fratres sui *distinctè, certò, & semper*. Sanè mirum est eos homines qui negant (negant autem id Pontificij) quempiam scire posse certò an sit Christi, contendere Ecclesiam, quæ est corpus Christi, visibilem esse: nam si non noueris certò & distinctè an ipse Christi membrum sis, quî noueris quæ sint membra Christi? multò enim nobis propiores sumus quàm alij.

7. ratio. Resp.

Septimum Argumentum sumit veram esse definitionem Ecclesiæ quam tradunt, quam falsam esse constat ex definitione à nobis traditâ, quamque infra suo loco refellemus. Itaque huic argumento non est hic occurrendi locus, neque verò ei occurrere necessarium est.

Resp. ad Patrum testimonia.

Vltimo loco vtuntur testimoniis Veterum, quæ vt vno verbo interpretemur, vel referri possunt ad lumen, gloriam, & splendorem Ecclesiæ qui internus est, non autem is quem humani oculi admirantur, qui nihil admirantur quod non sit idem splendidum & magnificum secundùm carnem: vel referenda sunt ad eum Ecclesiæ statum quem schismatici Donatistæ negabant.

Quomodo accipienda sint Veterum testimonia aduersus Donatistas, de Ecclesiæ visibilitate.

Non enim est credibile Donatistas negasse Ecclesiam Dei fuisse visibilem, & quidem distinctè visibilem, & quoad locum, & quoad personas, immò passim hoc clamitant; Argumento sit quod in eo triumphant, quod in Cantico Canticorum sponsus dicitur *recubare in Meridie*, id est, in Africâ. Itaque cum Patres disputant de visibilitate Ecclesiæ aduersus Donatistas, argumenta eorum sic sunt interpretanda vt referri possint ad scopum disputationis. Scopus autem disputationis est ostendere Ecclesiam Dei non esse alligatam certò terræ angulo, sed latissimè patêre. Deinde & hoc habendum est ob oculos, non agi cum Donatistis de communione in doctrina, sed de communione externa, quæ, nisi Schismatici sumus, communionem in fide & doctrina sequi debet. Sic refutata sunt eorum argumenta.

Ostenditur quàm faciant hæ responsiones ad hanc contra Pontif. controuersiam. 1.

Sequitur vt ad eam rem de qua hîc agitur præcipuè refutationem istam accommodemus, nam posset aliquis ad ista omnia quæ diximus respondere, perinde esse, modò Pontificiis concedatur Ecclesiam esse vtcumque visibilem, vel plerumque esse visibilem. At nos respondemus hæc inter se maximo distare interuallo. Nam quod tantoperè Pontificij contendunt Ecclesiam esse visibilem, id non aliundè profectum est, quàm quod videbantur sibi rem confecisse si probare possent nos nuper exortos: Iam verò illud non probarint, si demus Ecclesiam fuisse etiam in Papatu aliquomodo visibilem, id est, obscurè & indistinctè; *obscurè*, quia in Papatu admixta fuerunt religioni quàm plurima falsa dogmata, vt lolij magna copia frumento, attamen non effecit lolij magna copia ut non fuerit frumentum, tantum effecit vt ne frumentum distinctè internosci potuerit. Quorsum referendum est illud Christi dictum Luc. 8. *Cùm venerit Filius hominis reperiet-ne fidem in terra?* Quo loco non negatur fore vt reperiatur fides in terra, tantùm negatur hyperbolicè fore vt fideles multi sint & conspicui in terra: Sic planè cùm dicimus Ecclesiam in Papatu esse inuisibilem, non negamus hoc absolutè, non negamus, inquam, Ecclesiam fuisse visibilem, sed dicimus fuisse admodum obscurè visibilem, propter Notarum obscuritatem: sic spem *incertam* & *obscuram* in lingua Latina dicimus, non eam quæ planè nulla est, sed quæ nititur notis admodum obscuris.

2.

Deinde etiam dum laborant & sudant in hoc vt probent Ecclesiam esse visibilem, hoc eorum consilium est, vt efficiant esse quendam cœtum cui cœcâ quadam obedientiâ obsequendum sit: Id autem non possunt facere nisi probent istum cœtum esse distinctè notum, non autem probauerint id, si Notæ istius cœtus communes sint piis cum impiis. Itaque si Pontificij non intelligunt alio sensu Ecclesiam esse visibilem, quàm quo sensu eius visibilitas à nobis est explicata, nihil aliud planè effecerint quàm quod sæpenumerò contingit, vt eam veritatem, quam omni ope conantur obscurare, illustrent magis ac magis.

DE NOTIS ECCLESIAE.

HVc referendus est locus de Ecclesiæ Notis, Notæ enim pertinent ad visibilitatem Ecclesiæ, quam rem breuiter quidem, sed tamen (iuuante Deo) non sine aliquo fructu percurremus. Esset autem nobis de Notis in genere disputandum, nisi prohiberemur breuitate temporis, hæc igitur de hac re tradidisse sat esto, *Nota est rei latentis & occultæ argumentum*, nam eius vsus patet latissimè. Ergo Nota est *alicuius* quidem, sed præcipuè *cui*, hoc est, Nota respicit potius personam quàm rem: vnde sequitur, omnem Notam debere notam esse ei cui *Nota* est, quare & γνώρισμα

Nota quid sit.

Græcè

Græcè dicitur, neque rei conspicuæ tribui posse Notas. Itaque, vt hoc obiter moneamus, longè aberrant Pontificij à scopo, dum iidem contendunt Ecclesiam esse per se visibilem, & Ecclesiam habere Notas, non enim quæruntur *Notæ* rei notæ, sed rei ignotæ. At nos tamen docet tradere Ecclesiæ Notas, qui fatemur vltrò Ecclesiam esse per se inuisibilem, atque notam distinctè soli Deo, vt nos oporteat sanè aliquas tradere Ecclesiæ Notas, Pontificios nihil minus oporteat facere, si volunt sibi constare. Neque enim Sol notis opus habet, aut lux, nisi fortè apud cæcos, quibus adeò nullæ possunt dari notæ Solis & lucis. Deinde, Notam oportet esse aliunde notam quàm à re cuius Nota est, etenim medium non potest probari per conclusionem, sed contrà medium argumentum est conclusionis, alioqui probabitur ignotum per ignotius. Itaque & hac ratione longè discesserunt à scopo: Nam omnia volunt referri & pendere ab authoritate Ecclesiæ, ergo nisi accedat authoritas Ecclesiæ nulla poterit istis Notis fides adhiberi; Authoritas ergo Ecclesiæ notior erit istis notis. Non potest autem sciri authoritas Ecclesiæ, nisi prius sciamus quid sit, & quæ sit Ecclesia; Itaque rem ipsam tenebimus priusquam teneamus rei notas, vnde sequitur notas fore superfluas. Tertiò notæ sunt vel *per se*, vel *per accidens*, & *per se* quidem notæ sunt, quæ pendent à re ipsa cuius notæ sunt: *Per accidens* vero quæ extrinsecus impositæ sunt rei. Porrò magnum est harum notarum discrimen, nam notæ rei extrinsecus impositæ opus habent aliquo argumento præter notam ad rem indicandam. Notæ *per se* vel desumuntur *ex antecedentibus* vel *ex consequentibus*, vel ex iis quæ rem cuius notæ sunt comitantur: & *ex antecedentibus* quidem duobus modis, vel *directè* vel *indirectè*; *directè*, cùm causa, aut quod habet aliquam causæ rationem, futuri euentus nota est, vt cùm aër cogitur in nubem nota pluuiæ est. *Indirectè*, vt cum una eademque caussa duo producit effecta, quorum alterum altero posterius est tempore, atque ita vt non pendeat ab altero effecto, vt cum oritur repente obscuritas in Mari, nota est futuræ tempestatis, quid ita? non enim continuò sequitur tempestas, neque obscuritas causa est tempestatis, sed quia effectum est eiusdem caussæ quæ producit tempestatem, nota est ex antecedentibus non quidem directè, sed indirectè, at nubium coactio est quidem nota ex antecedentibus directè etiam. At *ex consequentibus* nota ducitur, cum id quod nota est rationem habet effecti, vel per se, vel per accidens: *per se*, vt cùm nihil accessit extrinsecus, qualia sunt illa effecta quæ in Scholis *formalia* dicuntur, vt verbi gratiâ, Proprietates quæ fluunt à forma sunt indicia & argumenta formarum vnde fluunt, sic calor nota est ignis quia fluit ab igne: *per accidens* verò vt cùm fumus aut fuligo dicitur ignis nota, non enim per se fumum ignis gignit, sed per accidens. *Ex iis* autem *quæ comitantur* petuntur notæ, cum eadem causa sic agit vt non vnum sed plura producat effecta, vnumquodque effectorum socij effecti, vt ita loquar, signum est, sic in agris magna strages signum est naufragij in mari. Ergo notæ quæ propriè notæ sunt, non possunt conuenire vlli rei præter eam cuius notæ sunt. Notæ autem per accidens sunt quæ significant ex instituto, quæque imponuntur ab hominibus, vel omnino à creatura rationali, vt ab Angelis, vel à Deo significationis caussâ duntaxat. Istis ita explicatis accedamus ad rem ipsam.

Quindecim tradunt Pontificij notas Ecclesiæ, quarum prima ducitur à nomine Ecclesiæ Catholicæ vt sit ea vera Ecclesia quæ Catholica dicitur. Primò quærimus sit-ne hæc nota per se, an per accidens. Si per se Nota est, vel ducitur ex antecedentibus, vel ex consequentibus, vel ex iis quæ comitantur Ecclesiam, hoc est, pendet à natura Ecclesiæ vt dicatur Catholica; at nullum nomen pendet à natura rei, itaque nullum nomen nota rei est per se. Necesse est igitur Ecclesiæ Catholicæ nomen nota sit Ecclesiæ per accidens, vtpote quæ nota sit Ecclesiæ ex instituto. Atque hîc quærimus quis imposuerit hoc nomen Ecclesiæ, num Deus aut Angelus? Certè Ecclesia multis nominibus designatur in Scriptura, at numquam tamen in Scriptura vocatur Catholica. Sequitur ergo vt impositum hoc nomen Ecclesiæ fuerit ab hominibus. At quis tandem fuit qui hoc nomen imposuerit Ecclesiæ, ipsane Ecclesia, an Hæretici, & Pagani? Si ipsa Ecclesia, priusquam ex hoc nomine sciam quæ sit Ecclesia, necesse est nouerim Ecclesiam quæ nomen imposuit, atque ita prius erit nota Ecclesia quàm nomen Ecclesiæ; non enim nomina quæ significant ex instituto, aliquid significant nisi ob id quod notum est hoc nomen huic rei esse impositum. Secundò, nomen *Ecclesiæ Catholicæ* impositum est Ecclesiæ ex consuetudine, est enim nomen Græcum. Itaque non est ideò impositum vt eo nomine significaretur quæ sit Ecclesia, sed vt significaret quid sit Ecclesia. At non quæruntur iam notæ significantes ex instituto rem quæ conuenit Ecclesiæ, sed quæruntur notæ vnde colligi possit hanc esse Ecclesiam. Nemo, nisi insaniat, dicat notam viri boni esse quod vir bonus vocari solet vir bonus: nempe hic titulus *vir bonus* rem significat in genere, non ostendit cui res illa conueniat. Itaque *Catholici* nomen significat quidem rem in genere, at non ostendit quæ sit, vt ita loquar, in particulari illa res, alioqui tot essent Ecclesiæ notæ quot sunt nomina & tituli Ecclesiæ in Scriptura. Tertiò, Hæretici etiam vindicant sibi hoc nomen, sic Donatistæ se Catholicos vocabant, vt est apud August. Epist.48. & Bellarminus imprudens cap.1. lib.4. de Notis Ecclesiæ, laudat Lactantinm libro 4. cap. ult. affirmantem singulos quosque hæreticorum cœtus se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putare. Quòd si hoc voluerunt singulari Dei prouidentia contigisse vt verè Catholicis *Catholici* nomen tributum semper fuerit, profectò idem dicunt ac si dicerent, singulari Dei prouidentia contigisse vt qui viri boni sunt iidem dicantur viri boni, cùm sæpenumerò accidat vt optimi viri pro pessimis habeantur, & è contrà. Et certè omnes Orthodoxi, cùm grassaretur hæresis Ariana, hæretici vocabantur. Nec cum his pugnant quæ affert è Patribus; nam quod illis nomen *Catholicæ* Ecclesiæ nota fuit, hoc factum est per accidens: Nempe etsi hæretici nomen *Ecclesiæ Catholicæ* sibi tribuebant, tamen vix ægrè potuit hoc obtinere vt *Catholici* vocarentur, quia nempe nota fuerat ab Ecclesia discessio hæreticorum: verbi gratiâ, in politia sæpe accidit vt qui arma sumunt aduersus patriam, profiteantur se esse bonos ciues, attamen non possunt impetrare

Pontificiorum de Notis Ecclesiæ hallucinatio.

1.

2.

Circulum committunt Pontificij.

Notarum diuisio. Aliæ sunt *per se*, aliæ *per accidens*.

Notæ *per se* desumuntur. 1. ex Antecedentibus, directè & indirectè.

2. ex Consequentibus, siue ex effectu, per se

per accidens.

3. ex Comitantibus.

Notæ per accidens.

Notæ Ecclesiæ secundum Pontif.

1. *Nomen Catholicorum.*

Ref. 1. Non est Nota per se, sed per accidens.

Ecclesia prius nota debet esse quàm illa Nota.

Refellitur 2. Nomen *Catholicæ* non indicat quæ sit, sed quid sit Ecclesia,

Refellitur 3. Hæretici idem nomen sibi vindicant.

Quomodo apud Patres nomen *Catholicæ* sit Ecclesiæ Nota.

vt habeantur pro bonis ciuibus, impetrant tamen id aliquando, cùm nempe vsque adeò creuit rebellium numerus, vt boni ciues præ paucitate lateant veluti. Itaque hoc argumentum est valdè leue, vocantur rebelles, ergo sunt rebelles, vocantur boni ciues, ergo sunt boni ciues. Ergo nullam vim habet hoc argumentum: habuerit sanè sed qualem habet hoc argumentum, vulgò dicitur meretrix, ergo est meretrix, vulgò dicitur pudica, ergo est pudica. At notæ non debet ea esse ratio, notam enim oportet esse certam. Vt verò hæc ad nostram rem accommodemus, nomen *Catholici* non licuit nobis initio vsurpare, quia occupatum fuit ab iis à quibus minimè debebat, & si vsurpassemus, oppressi iacuissemus multitudine: nam Hæretici dicuntur, non qui sunt reapse, sed qui vulgò existimantur, vt & Catholici, quorum authoritas & potentia summa est. Denique longè alia conditio fuit Ecclesiæ ante tempora Antichristi, atque post eius tempora; Nam sicut ipse Christi titulum sibi vindicauit, sic par fuit Ecclesiam Antichristi titulos & elogia veræ Ecclesia vsurpare.

Argumenti infirmitas.

Cur nos Catholicorum nomen non vsurpauimus. Non est eadem hodie quæ fuit olim, huius nominis ratio.

II. Notæ. Antiquitas Refellitur. I. Antiquitas est quærenda in doctrina, non in personis.

Secunda Nota Ecclesiæ est *Antiquitas*. Sed vt respondeamus: Primò, antiquitas non inest Ecclesiæ immediatè, sed interuentu doctrinæ & disciplinæ. Ergo non demonstrabitur antiquitas Ecclesiæ aliunde quam ex antiquitate doctrinæ & disciplinæ, nam personæ certè quæ constituunt Ecclesiam subinde moriuntur, viuunt autem vitam perennem in cœlo duntaxat. Itaque Ecclesia non est antiqua ratione personarum, sed ratione doctrinæ & disciplinæ; Ergo nos hac in parte assecuti sumus quod volumus, hoc nempe, vt deueniatur ad doctrinæ considerationem, vt ea Ecclesia verè antiqua sit, & habeatur, quæ antiquam drodtrinam & disciplinam retinuit. Quanquam (quod vel ij ipsi quibuscum nobis res est, fateri coguntur) non fuit semper eadem in Ecclesia doctrinæ & disciplinæ ratio, nam ante Legem datam alia fuit Ecclesiæ conditio, quàm post Legem datam, & exhibito Euangelio immutatus est Ecclesiæ status. Itaque hìc adhibenda fuit distinctio, & quidem duplex, & prior quidem hæc esse poterit, vt aliud sit velle addere aliquid essentiæ, aliud verò circumstantiis: nam certè si essentiam fœderis gratuiti spectemus, eadem fuit semper, neque enim vlli vnquam indulta est salus nisi credenti, & quem peccati seriò pœnituit, sed ratio dispensationis in hac salute obtinenda non semper fuit eadem. Item & id considerandum est, vnde oborta fuerit hæc mutatio in Ecclesia, an ex hominum culpa, an ex instituto Dei. Nam certè status Ecclesiæ ante Legem, sub Lege, & Gratia diuersus fuit, non hominum vitio speciali sed Deo sic dispensante mysterium salutis nostræ: At sub N. Test. si quæ incidit mutatio (ea verò summa incidit) id factum est non ex instituto Dei, sed hominum culpa & vitio, cuius euentus exempla in Vet. Testam. sunt. Etsi enim Deus tum constituerat modum quendam dispensationis, atque iam tum summopere diligebat Eclesiam suam, hoc est, credentes, & quos pœnitet peccati, tamen multæ sunt hominum nequitiâ exortæ mutationes rerum in Ecclesia, (in Ecclesia, inquam, quemadmodum aceruum cui plurimum inest paleæ, frumentum dicimus, quia inest illi aceruo frumentum, & ex aurifodinâ terram extractam aurum dicimus, quia illi terræ aurum inest) vt nihil hic promouerint Pontificij. Nos enim sic eos conuenimus, vt postulemus iudicari, non de antiquitate hominum, sed de antiquitate doctrinæ. Tùm, cùm dicimus in Nouo Testamento multa esse immutata, non dicimus hoc factum esse vllo Dei præcepto, sed infirmitate, & malignitate ingenij humani.

Mutatio in Ecclesia, vel est ex Instituto Dei,

vel hominum culpâ & vitio,

Secundò, hæc Antiquitas est quidem Ecclesiæ nota, (at non est Ecclesiæ nota simpliciter, Nota, inquam, per se) & quidem ex earum genere quæ ex consequentibus (hoc est, effectis, verum effectis non per se, sed per accidens) petuntur: Nam quod Deus ab initio instituit id necesse est antiquissimum esse. Ergo Antiquitas sequitur naturam Ecclesiæ. Certè quando Deus voluit restituere genus humanum, habuerit Ecclesiam necesse est, sed hoc duobus modis potest considerari, vel si respiciamus Dei promissionem, vel si respiciamus conditionem promissionis, sed diuersa ratione. Nam si promissionem Dei respiciamus, concludemus quidem esse Ecclesiam, attamen non directè id concludemus, opus est enim alio medio, nam & Deus promisit fore vt donet vitâ æternâ eos qui seruarint Legem, non tamen inde sequitur vllos esse qui Legem seruarint. Itaque si nihil aliud esset, ex eo quod Deus promisit vitam credenti, & quem pœnitet peccati, non sequitur continuò semper fuisse Ecclesiam: Attamen hoc argumentum valet per accidens, nam Deus nullum fœdus frustrà instituit. Ergo si detur homine iam lapso Deum fœdus aliquod instituisse, sequetur vt ne frustrà instituerit. Atque hoc argumento Paulus conclusit vitam non dari per Legem, quia, inquit, si data fuisset per Legem, haud dubiè aliquis impleuisset Legem. Quid igitur, inquiet aliquis, quorsum data Lex est? Nempe subseruiebat Euangelio. Hoc igitur effecerit Apostolus Legem esse datam vt subseruiret Euangelio, nam certè Deus nihil facit frustrà. Cùm igitur Deus homine lapso nouo fœdere initio iniecerit spem veniæ, non iniecit frustrà eam spem, neque enim fœdus init cum Diabolo lapso. Ergo aliqui fuerunt & semper fuerunt quibus profuit hoc Euangelium. Sed & alia ratione directè hoc potest demonstrari, nam Deus in verbo suo non modò meminit promissionis, sed etiam docuit fore vt efficaciter (nam sufficienter hoc omnibus indulget) quosdam donet ex mera gratia, facultate præstandæ conditionis. Hoc verò sic demonstratur, vt iam diximus, non indirectè, sed directè, itaque dubium non est quin Antiquissima sit Ecclesia. Attamen non propterea *Antiquitas* dicenda est Nota Ecclesiæ, non modò quia, vt suprà dictum est, oportet agnosci hanc notam in doctrina priusquam in Ecclesia, sed quoniam hæc nota est admodum obscura hominibus imperitis antiquitatis, præter quàm illius quæ dignoscitur ex Scripturis. Sed nec Antiquitatem Scripturarum agnoscere queant nisi hominum sermone, antiquitatem, inquam, prout consideratur historicè; nam alioqui optimum quodque antiquissimum esse iudicatur, exempli gratiâ, Sol: sed quod ex bonitate iudicatur antiquum, non iudicatur historicè, non est enim profecta illa cognitio ex Chronologia, sed ex rei ipsius natura quæ eiusmodi est, vt non possit admittere nouitatem.

Refellitur 2. Antiquitas sequitur quidem Ecclesiæ naturam.

at non propterea est propriè dicta Ecclesiæ Nota.

Nam quod

Inst. Resp. Mutatio in melius facilè potest designari.

Nam quod aiunt omnem mutationem posse designari, verum quidem illud est, cùm agitur de mutatione in melius, in iis quæ pertinent ad religionem & ad mores: quod illi, credo, spiritu vertiginis agitati videntur agnouisse, nam hanc rem probant exemplo mutationis à Christo institutæ: At cùm agitur de mutatione in peius non est vsquequaque verum. Cuius rei ratio euidens est, nam mutationi in melius omnes renituntur, nempe mundus odit veritatem, itaque necesse est oriri magnos tumultus, vbi primum lux veritatis non iam micare tantum, sed splendere atque affulgere mundo incipit, veluti Sol claro meridie. At mendacium furtum est, & mendaces fures, si cauti sunt: itaque obrepunt latenter, at ita tamen vt deprehendi possit, non quidem (quod fures postulant) vt demonstretur, quâ horâ, quibus præsentibus, & quo loco furtum fecerint, sic enim cum furibus optimè ageretur, sed ita tamen vt demonstretur, eo quod rem alienam detinent pertinaciter, cùm hoc vno se possint tueri (quod est effugium pessimorum hominum) non posse demonstrari, hoc quodcumque retinent iniustè, qua ratione deuenerit in ipsorum manus, quæ agendi ratio iniquissima est, & à qua vir bonus abhorret. Nobis sit satis demonstrasse quando non fuerit error, nam eo demonstrabimus non fuisse antiquum errorem. Eorum qui se venditant antiquitatis titulo, est ostendere id quod credunt antiquissimum esse non eos contemnere qui nihil se credere profitentur quod non sit antiquissimum.

At non mutatio in peius. Ratio huius discriminis.

Simili illustratur.

Refellitur. 5. Aliud est reuera, aliud opinione hominum, Antiquũ.

Denique aliud est reuerà, aliud opinione hominum antiquum: nam quæ nostra tempora proximè præcesserunt nobis videntur antiqua, at id verè antiquum est quod fuit ab initio. Jam si ad hanc antiquitatis normam res reuocetur, non negabimus, immò gloriabimur veram religionem esse antiquissimam, tantùm negabimus aliunde id posse agnosci quàm ex Scriptura, quæ antiquissima est. Quod vi veritatis coactus, sed tamen quadam incogitantiâ (nam mendax etiam dum dicit quod res est, non hoc dicit sponte, sed oblitus instituti) Bellarm. fatetur cap. 3. lib. 4. qui est de Nota Ecclesiæ, hæc enim sunt eius verba, *Apud eos qui admittunt Scripturas diuinas, & historias & Patrum veterum scripta faciunt euidentiam veritatis. Tametsi enim articulorum fidei veritas non potest nobis esse euidens absolutè, tamen potest esse euidens ex hypothesi, supposita veritate Scripturarum. Quod enim e Scriptura euidenter deducitur, est euidenter verum, suppositis Scripturis.* In quibus verbis, obiter quidem, sed tamen imprimis obseruandum est, quod monet *supposita veritate Scripturarum, quod è Scriptura euidenter deducitur, est euidenter verum, suppositis Scripturis.* Quæ verba magnam habent emphasim, sunt enim bis repetita, vnde sequitur (etiam authore Bellarmino) consequentiis (quas Sophistæ hodie vocant) necessariam esse vim conciliandi obsequium verbo Dei.

III. Nota. Duratio. Quomodo Duratio Ecclesiæ tribuatur.

Tertia nota est *Duratio diuturna, nec vnquam interrupta*, Ecclesia enim, inquiunt, dicitur Catholica non solum quia semper fuit, sed etiam quia semper erit. Resp. Duratio duobus modis tribui potest Ecclesiæ: vel enim ratione fidei tribuitur Ecclesiæ, vt ea sit natura Ecclesiæ vt semper fuerint, semper futuri sint, & semper sint qui credant verè in Deum: vel duratio Ecclesiæ tribuitur ratione doctrinæ, vt ea sit doctrinæ ratio qua fides gignitur in hominum cordibus, vt semper tradita fuerit, semper tradenda, & semper tradatur. At sic duratio non erit nota; Non priori modo, necesse est enim sciamus qui sint qui perseuerarint in fide (hoc est, qui verè crediderint) qui non perseuerarint, quæ res soli Deo nota est; Nec posteriori modo, quia necesse erit sciamus quæ doctrina ab initio mundi obtinuerit, quæque etiam obtinebit authoritatem ad finem vsque mundi; quod non potest sciri nisi duobus modis vel ex historia, quæ, si verbum Dei excipias, nulla est quæ hoc possit demonstrare, vel ex ipsius doctrinæ natura, atque ita prius doctrinam scire oportuerit. Sed hæc nota nobis erit fusius discutienda, cùm disputandum erit de Duratione Ecclesiæ. Itaque hic non dicimus omnia quæ faciunt ad hanc rem, tantum ea attulimus quæ sunt necessaria.

IV. Nota; Amplitudo. Resp. Amplitudo dici potest vel absolutè,

Quarta Nota est Ecclesiæ est *Amplitudo*, siue multitudo & varietas credentium. Respond. Amplitudo conuenit Ecclesiæ duobus modis, vel absolutè, vel comparatè. Cùm absolutè dicimus, nō volumus id intelligi propriè, nam certè multitudo dici non potest absolutè, sed relatè duntaxat. Sed quia multitudo relatè dicitur vel respectu certorum quorumdam (vt instituatur comparatio inter multos quosdam, & paucos quosdam) vel ratione indiuiduorum, (quæ hoc loco rectè vaga dici possunt) hinc fit vt ij absolutè dicantur esse multi, qui multi dicuntur quia sunt complures & magno numero non comparati cum certis quibusdam indiuiduis, sed cū paucioribus in genere, quicunq; tandem sint. Sed si hoc pacto multitudo tribuitur Ecclesiæ, Nota non potest esse Ecclesiæ, quis enim sic deliret, vt quia non sunt pauci in Ecclesia, ideò concludat vbi sunt multi ibi esse Ecclesiam. Sanè multitudo absolutè sumpta nihil distinguit, cùm absolutè sumpta sit communis admodum. Tribuitur verò comparatè multitudo Ecclesiæ, cum qui Ecclesiam custodiunt dicuntur multi respectu certorum qui pauciores sunt: at id fieri non potest si Ecclesia cum impiis comparetur, est enim *pusillus grex*, & *multi vocati, pauci electi*, &, *angusta est via qua cœlum aditur, pauci eam ingrediuntur* & numerus stultorum, & malorum, & ignauorum multò maior est numero sapientium, bonorum, & fortium virorum. Potest tamen tribui multitudo Ecclesiæ comparatè, si comparetur cum semetipsa. Nam multò amplior est in Nouo Testamento quam in Veteri Testamento, & temporibus Noui Testamenti crescit & augetur numerus fidelium. Itaque Nota hæc non potest esse veræ Ecclesiæ nam interdum seipsâ est maior, interdum minor seipsâ, quod experientia docet. At si comparetur cum Veteri Testamento multitudo ei tribuetur ex instituto Dei, qui constituit Ecclesiam suam nullo certo loco alligare, in nullo certo populo colligere. At sic multitudo non erit Nota, nisi præcedat notitia doctrinæ & verbi Dei; quod illi nolunt qui nobis has notas venditant. Denique hanc notam delet ipse Bellarm. eodem loco quo eam proponit cap. 7. lib. 4. *Nota hæc*, inquit, *non requirit vt hoc fiat simul ita vt vno tempore, in omnibus prouinciis, necessariò esse oporteat aliquos fideles: satis enim est si fiat successiuè, ex quo id sequitur, quod si sola una prouincia retineret veram fidem, adhuc propriè, & verè diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clarè ostenderetur eam vnam esse & eandem cum*

[at hoc pacto non est Nota Ecclesiæ]

vel *Comparatè.*

neque hoc etiā respectu est Nota ecclesiæ.

quo sensu Multitudo ecclesiæ attribui possit.

Hanc Notam ipse Bellarminus eleuat, & delet.

illa quæ fuit aliquo tempore, vel diuersis toto in mundo.

V. Nota. *Successio Episcoporum.* Ref. 1. Non conuenit hæc Nota Ecclesiæ Romanæ.

Quinta nota est, quam volunt, *Successio Episcoporum.* Atque dum hanc notam proponunt se præbent ridendos, addunt enim *in Ecclesia Romana*, quasi verò Ecclesiæ Romanæ ullum priuilegium in hac parte debeatur, cùm in illa Ecclesia hæc successio multò magis perturbata sit & confusa quàm in ulla alia Ecclesia: Notum enim est ex historiis. Notum etiam hoc sæculo quàm legitimè Pontifices Romani maioribus suis successerint. At illi ultrò fatentur duo requiri (Bellarm. cap.8.lib.4.de Notis Ecclesiæ) vt aliquis Episcopus dicatur ab Apostolis legitimè descendere, & proinde esse legitimus Episcopus, vnum est *Successio*, alterum est *Ordinatio*. At Baronius, & Genebrardus, & omnes Pontificij grauiter queruntur, vt illi quidem dictitant, tyrannide Imperatorum Romanorum factum vt electio Episcopi Romani non fuerit libera non paucis sæculis. Itaque defecerit hæc Nota etiam Ecclesiæ Romanæ: quasi verò quis sit rerum vsque adeò imperitus, vt nesciat fœdam nundinationem sedis Romanæ. Itaque si non est vera Ecclesia cui deest hæc nota, ne Romana quidem Ecclesia vera fuerit, non est enim vera *successio* cùm quis cui succedit; successio, inquam, *de iure*, sed successio *de facto*, quæ iniqua est sæpenumerò. At illi nobis hîc commendant (dum de hac Nota disputant) non quidem successionem de facto (hoc enim esset insanire) sed successionem iustam & legitimam.

Ref. 2. Successio dicitur bifariam. 1. in Doctrina.

Cæterùm vt rem ipsam propius intueamur, Successio Episcoporum non vno modo dicitur, vel enim sic intelligi poterit, vt ij successores dicantur Episcoporum, qui Decessorum suorum vestigia sunt secuti: atque hîc eos dicemus successores Veterum Episcoporum, qui decessores doctrina & moribus imitantur: At sic successio consideranda erit præcipuè in doctrina, quod illi nolunt.

2. in Cathedra, quæ non potest esse Nota.

Vel successio Episcoporum ea dicitur, quâ fit vt serie non interrupta Episcopus Episcopo succedat. Hanc verò esse Notam veræ Ecclesiæ vel ipsi illi negarint. Nam & in Ecclesia Constantinopolitana, & in Antiochena, & in Alexandrina, & in Anglicana successio est Episcoporum. Quid hîc aliud respondeant, quàm Episcopos istos non colere communionem cum Ecclesia Romana? Ergo, inquam, sola successio Nota non erit. Immò verò, quod grauissimum est, oportuerit prius sciri *requiri communionem cum Ecclesia Romana*, quod si sciatur nihil opus est hac Nota. Illud verò *requiri communionem cum Ecclesia Romana* est illud quod hodie negatur ab omnibus Ecclesiis Christianis, præterquam à sola Ecclesia Romana, cuius authoritas vocatur in dubium: quam vt tueantur, solent afferre notas quasdam, quo facto profitentur hanc authoritatem laborare, & requirere extrinsecus quædam præsidia, quæ nullam habent firmitatem, nisi eo fulciantur cui firmando accersita sunt. Sed de hac re tota disputabitur copiosius eo loco quo agetur de Ecclesiæ duratione.

VI. Nota. *Consensus in Doctrina cum Ecclesia antiqua.* Resp. 1. Conuenit Ecclesiæ.

Sexta Nota est illis, *Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua.* Et quidem hæc conspiratio & consensio conuenit Ecclesiæ, oportet enim Ecclesiam semper in doctrina sui esse similem: vna enim fides est, quamuis in modo, hoc est, in mensura reuelationis, atque in cæteris circumstantiis nihil necesse est paritatem esse, & similitudinem omnimodam: alioqui enim non fuisset eadem Ecclesiam & Veteris & Noui Testamenti, sed alterutram necesse fuisset esse adulterinam Ecclesiam. Quinetiam in Nouo Testamento non est idem omnium, vt ita dicam, sensus de doctrina: nam alij ab aliis dissentiunt, cuius rei exemplum videre est in ipso Papismo, neq; enim idem sentiunt de Religione omnes Pontificij.

sed non est Nota Ecclesiæ, eo quo volunt sensu. Sic enim recurritur ad examen Doctrinæ.

Quod si responderint dissentionem istam esse in rebus quæ non sunt vsque adeò magni momenti, fatebuntur eo traditam esse notam non satis explicatè: nam priusquam conspiratio in doctrina statuatur Nota veræ Ecclesiæ, sciendum erit quænam dogmata fidei sint maioris, quæ minoris sint momenti. At in eo summa rei agitur, nam qui id poterit tenere, eiusmodi est nihil vt egeat notis, & tota disputatio reuocatio ad doctrinam quod illi refugiunt imprimis.

2. Quæritur quæ sit Ecclesia illa antiqua.

Tum, quæ est ista Ecclesia antiqua? Nam suprà dixerunt *Antiquitatem* esse Notam Ecclesiæ, nunc verò volunt conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua Notam esse, neque dum definierunt quæ Ecclesia pro antiqua sit habenda.

nempe quanam fuit tempore Apostolorum.

Nam si Ecclesiam Apostolicam (hoc est, qualis Apostolorum tempore fuit) eam demum Ecclesiam antiquam vocant, hodierna Ecclesia non fuerit antiqua, sed duntaxat, quod dicunt, conspirans cum antiqua, vt, vel ipsis fatentibus, elogium antiquitatis soli Ecclesiæ qualis fuit Apostolorum temporibus conueniat. Atqui nos hîc non negamus rem, nempe eam demum esse veram Ecclesiam, quæ consentiat in doctrina cum Ecclesia primitiua, tantum negamus hanc esse Ecclesiæ notam.

sed sic iterum recurritur ad examen doctrinæ.

Iterum monemus; non negamus hoc conuenire Ecclesiæ, sed negamus id esse notam Ecclesiæ alio sensu quàm quo nos dicimus, *veram doctrinam notam esse Ecclesiæ*. Veram autem Ecclesiam dicimus, non quæ fidem duntaxat docet, sed quæ mores etiam, vt excludantur Schismatici, qui in doctrina de rebus cognoscendis, idem sentiunt cum iis qui minimè Schismatici sunt, sed cum ad mores est ventum, tum discedunt à norma.

quod illi minimè volunt.

At hoc id est quod illi minimè volunt: Nolunt enim rem deferri ad iudicium primitiuæ Ecclesiæ, h. Apostolorum & Euangelistarum, proindeque Christi & Prophetarum, nam quod aiunt deferendam rem esse ad iudicium Patrum, quorsum pertinet? Non enim minus viuunt Prophetæ, Christus, Apostoli, quàm Patres: nempe non licet nobis percipere viuam Patrum vocem. Nec igitur mirum videri debet si qui prouocant ad Prophetas, Christum, & Apostolos, cogantur fateri se non audire viua voce loquentes eos Judices, & arbitros ad quos prouocant. At illi hoc volunt, Antiquitatem eam esse quæ non sit Prophetarum, Christi, & Apostolorum, sed eorum quos vocant *Patres*.

Dilemma Pontific.

Atque hic videntur sibi nos vrgere mirificè. Aut enim, inquiunt, idem sentitis cum Patribus, aut idem non sentitis: Si prius, ex scriptis Patrum definiatur controuersia; si posterius, fatemini vos & Patres non idem sentire. Sed hoc dilemma non est valde cornutum (hoc est acutum.)

1. Retorquetur contra ipsos.

Nam primò, eiusmodi est vt aduersus eos retorqueri possit, nam qui eo aduersus nos vtuntur discedunt sæpenumerò à Patribus quos vocant, quod & ipsi fatentur: Neq; enim idem sentiunt de conditione infantum qui moriuntur ante perceptum Baptismum, quod sensit Augustinus; nempe Augustinus sensit infantes mortuos ante perceptum Baptismum, non modò obnoxios esse pœnæ damni,

damni, sed etiam pœnæ sensus. Et Eucharistiam adeò infantibus docuit disertis verbis necessariam esse ad salutem. Sed illi ipsi qui nobiscum sic agunt, illud vltrò fatentur, vt nihil opus hîc sit probationibus. Itaque si aduersus nos valuerit dilemma, & aduersus eos valuerit. Sed nihil opus est eò deuenire, duplex enim est conspiratio in doctrina, nam est quædam conspiratio in præcipuis doctrinæ capitibus, quæ necessaria sunt ad salutem, atque hæc consensio facit conspirationem in doctrina, alia verò est conspiratio in omnibus omnino doctrinæ capitibus, quæ necessaria non est, & iniquè agitur. Iam nos non negamus veram Ecclesiam cum bonis illis Patribus consentire in summa doctrinæ, tantum negamus hanc esse Ecclesiæ Notam. Nam hanc Notam oportet aliud præcedere, nempe vt teneamus qui Patres fuerint, quæque fuerit Patrum doctrina, quod est operosum, & non facilè cognitu aliis quàm qui iidem docti sunt, hoc est, versati in lectione tum sacræ Scripturæ, tum Scriptorum illorum Patrum. At quando Notæ afferuntur ad illustrandam rem ignotam, non sunt afferendæ Notæ quæ non nisi ab iis cognosci possunt quibus nihil est opus his Notis. Reliqua addemus cum ventum fuerit ad locum de duratione Ecclesiæ.

Conspiramus in præcipuis Doctrinæ capitibus cum Patribus.

Sed obscura est hæc Nota & operosa.

VII. Nota. Resp.

Septima Nota est, *Vnio membrorum inter se, & cum Capite.* At vnio Ecclesiæ duplex est, interna & externa. Interna Nota esse non potest, cùm sit inuisibilis, & pertineat ad ipsum Ecclesiæ essentiam. Externa verò Ecclesiæ vnio cum Capite nulla est, nam Caput Ecclesiæ est Christus, qui licet aliquando visibilis fuerit in terris, & nunc visibilis sit in cœlo, attamen vnio quæ intercedit inter Christum & Ecclesiam, in terris nunquam fuit visibilis, quamuis in cœlis visibilis futura sit, externa verò communio membrorum Ecclesiæ inter se non potest esse Ecclesiæ Nota, quia conuenit etiam profanis cœtibus, & huic externæ communioni non est semper locus variis de caussis, ob distantiam locorum, ob diuersitatem & dissentionem Rerum publicarum, aut regnorum in quibus colligitur Ecclesia, tum etiam sæpenumerò fit (de quo nos Paulus monuit) vt Schismata oriantur in Ecclesia propter infirmitatem humanam, quæ in hac vita non aboletur penitus. Non est igitur certa hæc Ecclesiæ Nota.

VIII. Nota. Sanctitas Doctrinæ. Resp.

Octaua Nota est *Sanctitas doctrinæ:* atque ita doctrina confluitur nota Ecclesiæ, quæ nostra est doctrina quam illi impugnant: Sanctitas enim doctrinæ ea est quæ non posit intelligi nisi perceptâ doctrinâ; vnde enim colligatur sanctitas doctrinæ, quam ex consideratione omnium partium verbi Dei, & dogmatum Fidei. Itaque hîc non aduersus nos, sed nobiscum aduersus semetipsos pugnant, & quidem acerrimè. Quod si doctrinæ sanctitas Ecclesiæ nota est, vt certè est, ea apud nos est, non apud Pontificios. Nam, vt multa dicam paucis, doctrina nostra admonet hominem seriò miseriæ suæ, dejicit fastum ingenij humani, constituit ob oculos gratiam & misericordiam Dei in Christo, nihil tribuit humanæ dignitati, tota est in deprecanda Dei gloria, hortatur homines ad veram pietatem, quæ nulla esse potest vbi homines arbitrantur se Deum demereri, rectà homines ad Christum ducit, consolatur languentes, erigit afflictos & iacentes.

IX. Nota. Efficacia Doctrinæ. Resp.

Nona Nota est *Efficacia doctrinæ.* Hæc verò Nota duobus modis potest considerari, vel vt hæc efficacia seiungatur à doctrina, vel vt ei iungatur: & quidem sejungatur, vt nempe ea dicatur vera doctrina quæ efficax sit. Vtrouis modo dicatur *efficacia* Nota, non conueniet hæc Nota Ecclesiæ immediatè, sed interuentu doctrinæ. Nec enim efficacia est nota Ecclesię si seiungatur à doctrina, quis enim ignorat mendacium sæpius efficax esse quàm veritatem, propter nempe ingenij humani peruersitatem. Immò prædixit Deus hoc fore passim: Apostolus autem disertis verbis monuit temporibus Antichristi euenturum vt Deus immittat efficaciam erroris, vt credant mendacio, & verba Apostoli sunt alibi, *proficient in peius decipientes & decepti.* Quod si iungatur efficacia cum doctrina, vt talis doctrina dicatur à Deo profecta, quia cùm sit talis efficax fuit, dicimus quidem hoc conuenire veræ doctrinæ, at non ita conuenire vt semper res tanta illustris sit, & conspicua; nam interdum pauci sunt qui obediunt Euangelio Christi, interdum multi, quod vel ipsi Pontificij non negarint: Non enim mirum est, si quæ sunt humana placent hominibus, humana autem dico, quæ sunt accommodata ingenio humano, vt cultus superstitiosi, qui sunt siti in rebus externis; item præcepta vitæ degendæ quæ caro potest facilè præstare, item ratio satisfaciendi Deo facilis. Sed doctrina quæ abhorret ab humano ingenio, quæ suadet patientiam sub cruce, hominem reuocat à peccato ad veram pietatem quæ est interna, &c. ea verò quando efficax est, satis euidens præbuit documentum sui, hoc est, probauit originem suam esse à Deo.

Efficacia seiuncta à Doctrina non est Nota,

iuncta Doctrinæ, ei quidem conuenit, sed est obscura Nota,

X. Nota. Sanctitas vitæ. Resp.

Decima Nota est *Sanctitas vitæ authorum, & Patrum nostræ religionis*; At nullus est author nostræ Religionis præter Christum, Ergo sanctitas Christi Nota erit veræ Ecclesiæ. At illi aliud volunt: Nam Patres intelligunt, at sanctitas Patrum, quæcumq; tandem sit, non potest esse nota hodie veræ Ecclesiæ, nam si Apostolos intelligunt, non percipitur aliunde quæ fuerit Apostolorum sanctitas, quàm ex verbo Dei. Itaque priusquam hæc Nota sit Nota, recurrendum erit ad verbum Dei, atque sic constituetur Nota, quam nos volumus Ecclesiæ.

XI. Nota. Gloria miraculorum. Resp. 1.

Vndecima Nota est *Gloria miraculorum.* Primò sic respondemus, miracula sunt duorum generum, sunt enim vera, sunt & falsa miracula. Porrò si secludamus doctrinam, non est facile ista internoscere; Cuius rei hæc est ratio, quod quæ à Dæmone fieri possunt, sunt eiusmodi vt miracula videantur, alioqui frustrà monuisset Deus populum suum, Deut. 13. fore vt exorirentur falsi Prophetæ miraculorum patratores, & nullo consilio iussisset ea reuocari ad examen verbi Dei: & Paulus 2. Thess. 2. magno studio monet Ecclesiam, dum agit de aduentu Antichristi, fore vt Antichristi aduentus sit insignis patratione miraculorum: Miraculorum, inquam, quæ non possunt internosci à veris miraculis, nisi referantur ad doctrinæ genus. Itaq; nos hic respondeamus Pontificiis, quod olim Augustinus Donatistis, Tract. 3. in Ioh. Euang. *Nemo igitur vobis fabulas vendat, & Pontius fecit miraculum, & Donatus orauit & respondit ei Deus de cœlo. Primò aut falluntur aut fallunt. Postremò, fac illum montes transferre, charitatem autem non habeant, nihil sunt. Videamus vtrum habuerit*

Resp. 2. Augustini authoritate.

„ *charitatem: crederem si non diuisisset vnitatem. Nam & contra istos, vt sic loquar, mirabiliarios, cautum me fecit Deus meus, dicens*, in nouissimis temporibus exurgent Pseudoprophetæ, facientes signa & portenta, vt in errorem inducant electos, si fieri potest. Ecce prædixi vobis. *Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus.* Et lib. de vnitate Ecclesiæ cap.16. *Remotis ergo omnibus talibus*, inquit, *Ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in concilijs Episcoporum suorum, non in litteris quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigijs fallacibus (quia etiam contra ista verbo Domini præparati, & cauti redditi sumus) sed in præscripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum Cantibus in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus, & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sacrorum librorum authoritatibus.* Tertiò, non semper res poscit vt edantur miracula, quod & Augustinus obseruauit lib.22. de Ciuitate Dei cap. 8. Nam tum demum edi miracula oportet, cùm antiquanda sunt quæ fuerant constituta, & nouandus est Ecclesiæ status, vt à nobis annotatum est quum explicaremus locum Matth.17.℣.14. & sequentibus. Ergo miracula non possunt, neque verò debent esse perpetua in Ecclesia. Quod si illi hoc volunt, eam esse Ecclesiam veram, cuius dum fundamenta iacerentur, edita sunt insignia & stupenda miracula, hoc verò non est nostrûm vllus qui neget, sed negamus posse aliunde dignosci Ecclesiam quæ horum authoritate miraculorum se tuetur, quàm ex doctrinæ puritate. Cùm enim ea miracula non sint perpetua, omnino necessarium est vt habeamus pro comperto quæ sit illa doctrina, quæ tot miraculis olim comprobata fuerit, vt ij ea sibi arrogent miracula penes quos est doctrina, quæ miraculis illis confirmata fuit. Quartò, passim in Scriptura nos monemur, fore vt Antichristus se commendet miraculis, nusquam legimus scriptum, vt vera Ecclesia miraculis freta & instructa oppugnatura sit & expugnatura Antichristum. Nam quæ illi de Elia & de Enocho prædicant, esse fabulosa etiam olim Hieronymus obseruauit. Denique, si contendant nonnunquam extra ordinem edi miracula Ecclesiâ iam constitutâ, Respondemus cum Augustino, ea miracula minus esse clara, minus nota. Deinde non esse eandem conditionem Ecclesiæ nostris temporibus, quæ fuit olim temporibus eorum quos Patres vocant. Nam ea tempestate Paganismus obtinebat, nondum erat penitus deletus, vt neminem deceat mirari tum (nondum rebus planè compositis, cùm reuincenda esset mundi incredulitas) edita fuisse miracula ad Martyrum memorias, quas vocabant. (Nam templa Martyribus exstruere & sanctis nouum est, atque in illa Ecclesia inauditum, quemadmodum etiam & Martyrum inuocatio.) Quod si nobis liberet iactare miracula, multò meliori iure id à nobis fieri posset, quàm ab iis qui tantopere miracula sua ostentant, sed nos subnixi solâ authoritate verbi Dei (quod etiam admittunt ij quibuscum nobis res est) bonitatem caussæ nostræ omnibus probare studemus. Nam certè professio edendi miracula suspecta esse debet de impostura, cùm his temporibus tanto molimine non sit opus; nam quando qui docent profitentur se non inuehere nouam doctrinam, sed eam commendare quæ verbo Dei tradita est, facilè redargui possunt, si reuocetur res ad verbum Dei tanquam ad amussim exigenda. Meritò igitur suspecti sunt, cùm exigunt miracula ab iis qui nihil se facere profitentur quod miraculum requirat. Quid enim æquius est quàm vt Deus audiatur in Scriptura, ab iis qui Deum agnoscunt & profitentur loqui in Scriptura.

Resp. 3. Quando necesse est edi miracula, quando non.

Resp. 4.

Resp. 5. Cur olim in primitiua Ecclesia facta sint Miracula.

Non est necesse nos niti Miraculis.

Duodecima nota illis est *Lumen Propheticum.* Respond. Hæc Nota eiusdem est farinæ cuius miracula, itaque eisdem rationibus refellitur: nam sæpe vera vaticinia à falsis non possunt distingui. Vera autem vaticinia hîc dico, non quæcunque ipso euentu comprobantur, vt & falsa non sunt ea duntaxat dicenda, quæ vana esse res ipsa docuit, sed vera nobis vaticinia sunt, quæ ab iis Prophetis proficiscuntur qui iidem tradunt veram de fide & moribus doctrinam, & falsa in hoc argumento vaticinia itidem sunt, quæ ab iis proficiscuntur qui falsam tradunt doctrinã. Quæ distinctio est petita ex Deut.13. Quo loco Deus grauiter monet populum suum, fore vt sint Pseudoprophetæ qui res prædicant futuras, quæque fient aliquando, caueant sibi ab illis, quod Deus hac ratione velit probare qui sint qui seriò studeant veræ pietati, & notam quâ internosci possunt ista vaticinia à veris negat esse rei euentum, ait verò vnicam esse Notam puritatem doctrinæ. Itaque hæc nota opus habuerit notâ, nempe doctrinâ; hæc verò est quam illi negant esse veram notam veræ Ecclesiæ. Secundò respondeo, Christum in Nouo Testamento Marc.13 nos monere apertè, fore vt sint Pseudoprophetæ in Ecclesia, quibus adeò tribuit vim patrandorum miraculorum. Non autem fallit Pseudopropheta nisi quod prædixit eueniat, neque enim Pseudopropheta dicitur propter vanitatem prædictionis, sed ob doctrinæ prauitatem, cui ab euentu vaticiniorum studet conciliare authoritatem. Cuius rei luculentissimum documẽtum exhibitum est ætate patrum nostrorum Monasterij; nam phanatici illi Anabaptistæ multa quæ videntur non aliunde proficisci quàm à Spiritu Prophetico prodiderunt, verbi gratiâ, cum constitutum esset vt omnes ciues omnes suas fortunas in commune conferrent, erant puellæ quæ quantum vnusquisque domi occuluisset indicabant certò; Quæ res cordatos homines non debet commouere, cùm Diabolus sit rerum peritissimus, idque quod nihil est vsque adeò abditum vt ei impeperium sit, præter humanæ mentis recessum, in quem tamen penetrat sæpenumerò coniecturis quæ non sunt omnino & vsquequaque fallaces. Deinde cùm sit Diabolus Dei minister in exequendo Dei opere, quid est quod prohibeat eum scire id euenturum, quod vt ab eo fiat negotium ei est à Deo datum. Itaque ne hæc quidem est nota veræ Ecclesiæ. Sanè non sunt vana prorsus quæ in Ethnicorum libris passim traduntur de Oraculis. Attamen id tenendum est, non perinde Diabolo ac Deo notas esse res futuras: Nam primò, Deus non nititur conjecturis, non diuinat, secus Diabolus. Secundò Deus reuelat, Diabolus si quid nouit certè, nouit ex reuelatione, etsi autem in iis sæpe erret Diabolus quæ non nouit nisi conjecturâ, sæpe tamen non errat, nam vt dicitur prouerbio, σοφὸς μάντις *prudens idem vates est*: sed tamen quod non errat, hoc fit contingenter, non fit necessariò. Quod si verò quæ nouit eadem nouit Deo reuelante, non errabit quidem, immò necessariò non errabit,

XII. Nota, Lumen Propheticum. Resp. 1.

2.

Vnde quis Pseudopropheta dicẽdus sit.

Diabolus sæpe res occultas, & futuras potest indicare.

Aliter Deus, aliter Diabolus nouit res futuras

etiam quæ ea nouit & prædicit, Deo reuelante.

errabit,attamen immane quantum est hoc discrimen vatum qui veri vates sunt, & Pseudoprophetarum, etiam in hac parte. Nam veri vates toti sunt in iis prædicendis quæ spectant ad Ecclesiæ liberationem, Diabolus satis sibi factum putat, si certarum quarundam rerum euentum prædicit. Deinde (quod hoc quod iam diximus sequitur) vaticinia Diaboli abalienant homines à vero Dei cultu. Iam quæ prædicta sunt de Christo, de Ecclesia, non sunt eiusmodi. Vt sit finis, possemus & nos ostentare nostra vaticinia, sed hoc caussam nostram non decet.

XIII. Nota *Confessio Aduersariorum.*

Nota decima tertia, qua volunt dignosci Ecclesiam, est *Confessio Aduersariorum.* Tanta enim, inquiunt, est vis veritatis, vt etiam Aduersarios cogat interdum sibi testimonium dare, iuxta illud Deut. 32. 31. *Non est Deus noster vt dij eorum, & inimici nostri sunt Iudices.* Respondeo primò, illud *interdum* eximit hanc notam è numero notarum Ecclesiæ, nos enim quærimus notas quibus Ecclesia reddatur semper conspicua, at quod interdum duntaxat conuenit Ecclesiæ, non potest esse eiusmodi. Tùm, non liquet vsque adeò quis sit sensus huius loci quem citant, nam eo loco *Iudices* non sunt necessariò intelligendi hostes ij qui vi veritatis ad acti coguntur manus dare vel inuiti, immò verò *Iudices* videntur potius dici à Mose, penes quos est imperium & ius præscribendi leges. Nam deflet Propheta conditionem populi, qui si paruisset Deo, omnes hostes suos pessumdedisset, iam verò cùm à Deo desciuerit, hostes imperium obtinuere in populum Dei, atque ita vt Judices sint populi, quod non semel contigit Judæis. Certè פלילין non sunt qui agnoscunt quod res est, sed qui de superiori loco ius dicunt. Itaque Chaldæus Paraphr. totum illum locum sic vertit בעלי דבבנא דיננא vt sit hæc sententia, *quamuis Deus noster non sit sicut Deus eorum, tamen illi nobis ius dicunt paremus eorum Imperio.* Quod à Christianis qui viuunt in Turcia vsurpari potest. Tertiò, non quod conuenit Ecclesiæ continuò nota est Ecclesiæ, nam fides, spes, charitas, electio Ecclesiæ conueniunt, non sunt tamen notæ. Nam notam oportet esse cognitam, iam verò ista Aduersariorum confessio non potest certò cognosci, nisi fortè externa confessio intelligatur, ea enim sola est quæ cognosci potest: An illa non est nota veræ Ecclesiæ, nisi fallax admodum. Nam sæpenumerò & mendacio aduersarius testimonium prohibet, nempe spe vel metu inductus, sæpenumerò etiam deceptus specie quadam veritatis; quod in disputationibus Scholasticis quotidie euenit, nam quo quisque est imperitior eo facilius aduersario cedit locum. Deinde hæc nota est admodum ambigua. Nam non vt in bono omnia bona sunt, sic in malo statim omnia sunt mala, nihil igitur prohibebit quominus in malis boni multa laudent. Immò hac in parte boni, vt in cæteris omnibus, agunt simpliciter & candidè, neminem enim fraudant sua laude, at contrà impij, etsi tacitè apud se testimonium perhibeant bonis, vix tamen eo adduci possunt vt id profiteantur, nempe odio & inuidia præpediuntur. Virtutem enim palam omnes impij vituperant, tacitè tamen admirantur. Contrà vitio plerique assentiuntur, attamen animi cogitatione vitium omnes damnant. Itaq; in quo illi triumphauit, nos id nobis laudi & gloriæ ducimus. Nam, inquiunt, nusquam inueniuntur Catholici laudasse aut probasse doctrinam, aut vitam vllorum Ethnicorum, aut Hæreticorum, vt necesse fuerit istos Catholicos fuisse homines praui ingenij: nam in Ethnicorum doctrina, & Hæreticorum item, non sunt omnia rejicienda, sed segreganda quædam sunt. Tum si hac lege cum Patribus ageretur pessimè cum iis actum foret: verbi gratiâ Augustinus Tychonium Donatistam magnifice laudauit, Basilius Libanium, Ausonius Symmachum, itaq; non qui laudentur, sed quid laudetur, spectandum est. Quintò, Resp. homines nostros fuisse laudatos à Catholicis, quamquam hæc responsio nobis leuissima videtur. Quod verò Lutherum & Caluinum iactant multum tribuisse Doctoribus Ecclesiæ Romanæ, magnopere aberrant à scopo: neque enim hæc est nostra sententia, omnes Doctores in Ecclesia Romana fuisse idololatras, nec verò putamus in Ecclesia Romana Christianam Religionem fuisse penitus exstinctam. Illi igitur Doctores hactenus à nostris laudari fuerunt, quatenus idem quod nos sentimus docuerunt, hoc est, quatenus non sunt aduersarij nostri, vt hac in parte confessio nostra *Aduersariorum confessio* dici nequeat.

Resp. 1. | 2. Explicatur locus Deu. 32. 31. | Resp. 3. Non potest hæc esse Nota Ecclesiæ. | Resp. 4. hæc Nota est ambigua. | Retorquetur. | Resp. 5.

XIV. Nota. Resp. 1. Hæc Nota est fallax.

Nota decima quarta est *Infœlix exitus eorum qui Ecclesiam oppugnant.* Sed hæc nota fallax est, nam sæpenumerò impiorum exitus est felix, si res æstimetur humano iudicio: quæ res præbuit materiam quærimoniæ Prophetæ, qui cùm Deo expolat quod impij descendant viui in infernum, nullæque sint in eorum morte angustiæ, contraque pij sæpissimè cum grauissimis morbis conflictantur; & mors Martyrum acerbissima est. Secundò, in fœlicem exitum eum demum esse qui non sit in fide Domini nostri Iesu Christi. At id cerni non potest, hoc est, non potest discerni certò & distinctè quis piè, quis non piè exeat ex hac vita; Igitur hæc nota nulla est. Tertiò, Respond. Si liberet nobis insultare Aduersariis nostrâ, & Patrum memoriâ nemo vnquam Ecclesiam vexauit, cui id non malè cesserit; Contrà, quorum opera Deus vsus est in Ecclesia sua reformanda, omnes placidè in Domino obdormierunt: nam Zuinglio quidem quæ mors magis potuit esse optata, quam vt occumberet pro patriæ salute & libertate, obscurus patriis legibus, quæ iubent vt qui sacris præest, idem comes sit in militia?

Resp. 2. | 3.

XV. Nota. Resp. 1.

Nota decima quinta illis est *fœlicitas temporalis.* Respond. Itane verò? Atqui crux nota est Ecclesiæ potius quàm fœlicitas temporalis, nam vt est Rom. 8. Omnes quotquot sumus, prædestinati sumus vt reddamur conformes Filio Dei, vt in reliquis, ita etiam in cruce. Nam in eodem cap. sequitur. *Si cum illo patiamur, vt glorificemur simul cum illo.* Resp. 2. Fœlicitas temporalis Nota esto sanè, si beatis illis benè cessit, at si illis malè cessit, optimè autem iis quibus non contigit, profectò Nota erit falsa non erit Nota falsæ Ecclesiæ. Contrà infœlicitas temporalis Nota erit veræ Ecclesiæ, eoque magis quod miraculum censeri possit, vt quibus ista temporalis felicitas obtigit, illi tandem fuerint longè miserrimi etiam in hac vita: contra, qui ista temporali infelicitate videbantur oppressi, inde emerserint & triumpharint tandem. Itaque nihil vanius esse potest, quàm quod iactant tot victorias esse reportatas de nostris in Germania & Gallia, quando huc exiuit earum victoriarum magnitudo, vt Ecclesia Dei tantò magis floruerit.

2.

DE ECCLESIAE inuisibilitate.

Quo sensu dicatur Ecclesia inuisibilis.

SEquitur vt ostendamus Ecclesiam esse inuisibilem, non quidem absolutè (vt Aduersarij volunt nos docere esse inuisibilem) sed eo modò qui prohibet ne possimus distinctè ostendere veluti intento digito, quæ sit vera Ecclesia: nam confusè certè & probabiliter concedimus Ecclesiam esse visibilem. Vnicum argumentum quo id probamus hoc est, id est distinctè & certò inuisibile cuius nullæ Notæ certæ tradi possunt (nam ipsam Ecclesiam in se esse inuisibilem vel ipsi Pontificij videntur agnouisse, qui in tradendis Ecclesiæ Notis non exiguam operam posuerunt, etenim rei manifestæ nemo, nisi insaniat, Notas tradit.) At Ecclesiæ nullæ sunt Notæ quæ certò & distinctè Ecclesiam demonstrent, itaque Ecclesia inuisibilis est. Hoc verò demonstrari potest inde, quod notarum quæ rem certò & distinctè demonstrant, ea debet esse ratio, vt vel ducantur ab antecedentibus per se, vel per accidens, vel ab iis quæ rem comitantur, vel à consequentibus rem seu per se, seu per accidens, vt suprà obseruatum est; at Ecclesia nullo genere harum notarum potest dignosci. Non ex Antecedentibus per se, nam decretum Dei nobis ignotum est; decretum, inquam, vel de emolliendo, vel de indurando. Nam natura omnes nequam sumus. Iam verò decretum de emolliendo quos libet Domino emollire per se antecedit, decretum verò de indurando per accidens: nam si teneremus qui sint indurati & quot, non scire mus continuò per se qui sint electi, sed per accidens tamen id sciri posset. Sic vocatio in tempore, (vocatio, inquam, illa quam sequitur iustificatio) non potest sciri nisi ab eo qui vocatus est, itaque poterit scire se pertinere ad Ecclesiam, non poterit idem scire distinctè & certò qui sunt de Ecclesia ad quam pertinet, adeoque nec scire poterit quæ sit Ecclesia speciatim & sigillatim. Et ea quæ comitantur Ecclesiam non poterunt sciri, nempe Dei protectio, quam nemo metiri potest, neque verò debet ex rebus externis, cùm & impiis & piis Sol oriatur. Sed nec ex consequentibus id potest deprehendi, nam interna ab hominum oculis sunt remota; externa verò sunt eiusmodi vt piis & hypocritis sint communia. Hoc vnicum est argumentum, nam reliqua huc referuntur. Vnde liquet nihil esse necesse vt negemus, quod Aduersarij magnopere contendũt, *Notas rei distingui debere à re ipsa:* Nam negamus in vlla re externa sitam esse Ecclesiæ essentiam, ideo que nulla vis est quæ nos cogat vt fateamur essentiam Ecclesiæ eandem Notam esse, vti nec id concedemus, esse quidpiam quo possit Ecclesia certò & distinctè internosci. *Certò*, inquam, qua Deus nouit qui sint sui, & *distinctè*, quia etsi nescimus qui sint Dei, tamen scimus quando prædicatur Euangelium (neque frustra prædicatur) aliquos esse qui sint Dei.

Probatur eius inuisibilitas.

quia nullæ certę & indubitatæ eius Notæ tradi possunt.

neque ab Antecedẽtibus quæ.

neque ex Comitantibus.

neque ex Consequẽtibus.

In nulla re externa sita est essentia Ecclesiæ.

Sed vt res clarior sit, Ecclesia dicitur Ephes. I. *Corpus Christi*, & vicissim, corpus Christi dicitur Ecclesia. Ergo Ecclesia est corpus Christi, & vicissim corpus Christi est Ecclesia, ad Col. cap. I. Sunt igitur ista *ἀντιστρέφοντα*, hoc est, vt dicitur in Scholis, *reciprocantur*. At respondent, Ecclesia dici *Corpus Christi*, & vice versa, quia, inquiunt, in Ecclesia est corpus Christi, quidam in Ecclesia sunt de Christi corpore. Quod vehementer absurdum est, nam totum integrum nunquam enunciatur de parte, manus non dicitur corpus, neque itidem pars enunciatur de toto, nam corpus non dicitur manus aut pes; sæpe quidem quæ toti conueniunt parti tribuuntur, & vicissim, sed nullâ linguâ pars dicitur totum, aut totum pars, *attributiuè*, inquam. Quamuis hîc aliud subest, nam epexegeticè, per modum expositionis Ecclesia dicitur *Corpus Christi* Paulo, hæc enim sunt eius verba, *& ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ quidem est corpus eius*, & vice versa c. I. ad Col. *pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Sed fingamus tamen, quod nullo modo fingi potest, Ecclesiam vsurpari in Scriptura synecdochicè, nempe vt eo nomine pars pro toto significetur, aut totum pro parte, vtrumlibet, res eodem redibit. Quærimus enim quid significetur nomine Ecclesiæ, cùm Ecclesia dicitur *Corpus Christi*, an omnes promiscuè, atque ita nulla erit Synecdoche, an quidem duntaxat, at illi, cum sint pars potior, superabunt, hoc est, denominabitur corpus ab illis vt à potiori parte, itaque quod toti tribuitur illis præcipuè tribuetur, nec aliter toti conueniet, quàm quatenus illis conuenit qui faciunt potissimam totius partem, vt cùm totus homo dicitur immortalis propter animam. Ergo vel hoc effecerimus, ista elogia quæ tribuuntur Ecclesiæ (quatenus Ecclesia tam domesticos reuerà, quàm professione comprehendit) conuenire Ecclesiæ respectu verè domesticorum, vt qui verè domestici sunt de Ecclesia esse propriè existimandi sint. Iam verò si res ita se habet (vt certè se habet) consequens est, vt quæcunque Deus pollicetur Ecclesiæ suæ, seu ea pertineant ad fidem, seu etiam ad mores, intelligenda sint ea de parte, quæ propriè sine tropo Ecclesia dicitur, neque conuenire Ecclesiæ illi quæ Synecdochicè Ecclesia dicitur, nisi per accidens, respectu scilicet illius partis, quomodo viuere is dicitur cuius aliqua pars computruit, quamquam pars putrida, (quod & Aristoteles nos docuit) non est propriè pars, sed homonymως, propter similitudinem & figuram, nam reapse non est pars, quando non est formæ totius particeps. Atq; ita nihil efficiunt dum ostentant nobis priuilegia ecclesiæ. Nam libenter concedimus esse quosdam, qui propriè Ecclesia sunt, quibus ista elogia quadrant, sed illam Ecclesiam dicimus nobis non esse certò & distinctè notam. Vnde sequitur frustrà nos vrgeri & iniquè, vt demonstremus veluti digito Ecclesiam Dei, nisi fortè velint confusè demonstrari, quod nos non refugimus. Deinde & hoc sequitur, nulla ratione nos vrgeri vt stemus Ecclesiæ Judicio, quando illa Ecclesia cui Deus tam magna indulsit nobis est ignota, nempe ea est Ecclesia, quam Aduersarij ipsi fatentur partem facere illius Ecclesiæ, cui hi tituli non conueniunt aliter, quàm quomodo cumulo & aceruo tribuitur frumenti nomen, cui tamen plus insit paleæ & arenæ quàm frumenti. Atque hac vnica responsione occurri potest omnibus eorum sophismatibus, quibus eludere conantur vim earum rationum, quibus nos probamus Ecclesiam esse inuisibilem, ideoque iniuriam fieri nobis dum vel à nobis exigitur, vt eam veluti intento digito demonstremus, vel etiam vt illius iudicio stemus. Nam, quod suprà monuimus, solus,

Ecclesia quid sit secundùm Paulum.

Responsio Pontif.

Ref. I. de absurdo.

2.

Elogia quę Scriptura Ecclesiæ tribuit, solis verè domesticis ecclesiæ conueniũt.

Porismata duo.

I.

2.

Quomodo Prædestinati pertineant, vel non pertineant ad Ecclesiam.

mus, solus *Dominus nouit qui sint sui*, 2. ad Tim. Nec obstat quod illi aiunt, Prædestinatos non pertinere ad Ecclesiam Dei. Nam illud potest accipi duobus modis, vt vel prædestinati dicantur simpliciter *obiectiuè*, atque ita sanè fatemur, non continuò qui Pædestinati sunt eosdem esse membra Ecclesiæ: vel Prædestinati sunt *terminatiuè*, vt Prędestinati ij dicantur qui secundùm Dei propositum vocati sunt. Atque ita sanè Ecclesia est ex Prædestinatis, nemo enim qui non est vocatus efficaciter pertinet ad Dei Ecclesiam, nemo itidem qui vocatus est non pertinet ad Ecclesiam Dei, Catholicam, inquam, illam & sanctam, in qua est Communio Sanctorum.

DE VERIS ECCLESIAE notis.

Ecclesia in se quidem est inuisibilis.

VEntum iam est ad locum de Notis Ecclesiæ. Nam certè Ecclesiam in se inuisibilem esse necesse est, cùm sit corpus Christi, & vicissim cùm Christi corpus Ecclesia sit, vt supra demonstratum est. Nam esse Christi corpus id verò oritur ex communione cum Christo, quæ oculis & menti humanæ non patet, Deus enim solus nouit qui sint sui, & qui Dei sunt vicissim soli norunt certò se esse Dei. Itaque Deus qui scrutator est cordium, omnium omnino hominum præcordia inspicit, at vnusquisque hominum solius conscius est, iuxta illud Apostoli, *nemo nouit ea quæ sunt in homine, præter hominis cor*, seu spiritum. Quid igitur, inquiet aliquis, quæramus Ecclesiæ notas, si Ecclesia cognosci non potest? Certè rei quæ nulla ratione sciri potest frustrà quæruntur notæ, notæ enim sunt argumenta rei cognoscendæ. Sed responsio facilis est, nam Ecclesia Dei non est simpliciter incognita, sed modo quodam: neque item debet omninò Ecclesia in hac vita à nobis cognosci, sed modo quodam duntaxat. Illæ igitur erunt notæ Ecclesiæ, qui Ecclesiam reddent notam eo modo quo nosci Ecclesiam nobis sufficit. Nihil autem necesse est vt noscamus certò, & distinctè quæ sit Dei Ecclesia, sufficit vt sciamus distinctè; sufficit itidem vt sciamus distinctè qui perueniant ad Ecclesiam Dei, tametsi id certò non sciamus. Quæ res vt pleniùs & clariùs intelligatur, necesse est habeamus ob oculos, cur necessarium sit vt sciamus quæ sit Dei Ecclesia, seu quæ sit materia (vt nequamur Scholasticè) in qua inest forma constituens Ecclesiam. Jam verò quæ sit Dei Ecclesia cognitu necessarium est, vt sciamus cui-nam cœtui deceat nosmet adjungere, hoc autem vt sciamus non est necesse, vt possimus certò affirmare hunc aut illius animum Dei iudicio rectum esse, satis est si id conjecturis quibusdam possimus colligere. Nam certè Dominus noster noluit nos esse animalia soliuaga, immò commendauit nobis vt cum omnibus colamus pacem, omnibus benefaciamus, præcipuè verò domesticis fidei, vt est scriptum cap. 6. ad Galat. Igitur nobis commendata est duplex communio, *politica*, nempe, & *religiosa*. Et *politicam* communionem hic appellamus eam quæ sita est in commercio politico, cuius commercij lex est natura humana; communionem autem *religiosam* vocamus eam quæ sita est in commercio religionis, cuius commercij lex est verbum Dei. Itaque omnis communio, recta modo sit, est à Religione. Nam Religio neque naturam, neque politias abolet, immò commendat potius, nam vt verum vero, ita nec ordo ordini contrarius est; Non est tamen omnis communio religiosa, sed ea demum quæ sita est in communione eorundem sacrorum.

Sed tamen quædam sunt eius Notæ.

ex quibus modo quodam, qui nobis sufficit, cognosci potest.

Cur sit necessarium scire quæ sit Dei Ecclesia.

Duplex cõmunio. Politica.

Religiosa.

Quatenus, seu quousque, sit necesse nosse quę sit Dei Ecclesia.

His constitutis, nihil necesse vt sciamus distinctè & certò qui sint vera membra Ecclesiæ, satis est si id probabili ratione queamus colligere. Quod duobus modis demonstrari potest. Nam vt in Ciuitate colatur communio, non est necesse vt certò & distinctè teneamus qui sint fidi ciues, & ex animo obsequentes Legibus, satis est si eos internoscamus quorum sceleris non sumus conscij. Et in vita idipsum obtinet, nam præceptum est vt boni cum bonis vnà versentur, aut non exigit hoc præceptum vt sciamus certò & distinctè qui boni sint, tantum exigit vt eorum vtamur consuetudine, quos esse malos nullo argumento potuimus deprehendere. Etsi enim quædã sunt argumenta malitiæ & improbitatis indubitata, non sequitur tamen continuò vlla esse bonitatis indubitata argumenta. Cuius rei hæc est ratio, quod quæ externa sunt in malo referunt animum, nam non potest adduci vir bonus sibi vt repugnet, at vir malus sæpe dissimulat, pugnat ipse secum, vnde in Scriptura dicitur *habere cor & cor*, & esse *δίψυχος*. Communio autem hæc politica & sacra non modò publica, sed priuata etiam est, vnde oritur istud, vt aliæ sint notæ communionis *publicæ*, aliæ *priuatæ*, verbi gratiâ, communio publica in politia est eorum qui iisdem vtuntur legibus eidemque subdici sunt Magistratui, itaque illius communionis nota erit professio. Nam qui verè & ex animo pareant illis legibus solus Deus potest deprehendere. Et est item communio priuata in politia, sed & eius fundamentum nullum est præter conjecturam oritur enim non modò ex eodem sensu de Repub. sed etiam ex quadam speciali coniunctione, vnde fit vt tametsi omnes qui sunt eiusdem ciuitatis communionem inter se colant, inter ciues tamen sit arctior horum inter se, quàm illorum communio, nempe pro eo ac sibi inuicem notiores, aut minus noti sunt. Quod habet locum vel imprimis etiam in communione sacra & religiosa: Nam qui iisdem in sacris vtuntur legibus, quique sese profitentur viuere secundùm eas leges, eos necesse est communionem inter se colere: Sed cùm inter eos, qui se iisdem legibus vti profitentur alij aliis magis, alij minus noti sint, hinc oritur vt in istâ communione publicâ, coadunentur qui inter se minus, aut magis coniuncti sunt. Cæterùm vtrobique ea est cognitio distincta vt subesse possit falsum, attamen in communione publica cognitio quidem certa est, at non distincta, hoc est, scimus fieri non posse vt in magna hominum multitudine quæ audit verbum Dei, & eadem sacramenta percipit, omnes impij sint, quia verbum Dei, si minus in omnibus, attamen in quibusdam efficax est. At in arctiori illa coniunctione quę est cum singulis seorsum, distincta potest esse cognitio, non potest esse certa; certa, inquam, absolutè. Nam vt in Scholis est opinio quædam scientię proxima, sic item est in Ecclesia certitudo quædam, quæ propriè dictæ & veræ certitudini proxima est. Huius autem certitudinis hoc est argumentum, quod oritur ex signis

Cõmunio, tam Politica quàm Religiosa est vel Publica.

vel Priuata.

Quatenus cognitio de Ecclesia possit esse Distincta,

Certa.

quæ non est credibile inesse impiis hominibus: atque hæc est illa certitudo quæ Scholasticis dicitur *coniunctura moralis*.

Oportet nos scire quibuscũ debemus colere religiosam cõmunionẽ.

Hæc à nobis sic disputata sunt, vt meminerimus quorsum pertineat disputare de Notis Ecclesiæ; nempe non eò vt sciamus certò & distinctè quæ sit Ecclesia, vel qui pertineant ad Ecclesiam, sed vt sciamus quibuscum nobis colenda est communio, seu publica, seu priuata, nempe cum iis quibus illa insunt, vnde iudicio charitatis colligi possit eos esse veram Ecclesiam, vel pertinere ad veram Ecclesiam. Id verò non fit cæco quodam iudicio (quod iudicium non est, neque enim quod cæcum est, idem iudicium esse possit) sed eo iudicio quod nititur argumentis, & quidem argumentis duorum generum. Vel enim sunt eiusmodi, vt quia aliquid abest nihil possimus concludere, verbi gratiâ, si inciderimus in aliquem cuius doctrina & vita non sunt nobis notæ, non est continuò defugiendus, nam fortè amicum vel fratrem refugeremus. Sed hîc nihil est, vt loquuutur in Scholis, positiuum. Vel sunt Notæ quædam quæ aliquid ponunt, atque eas eiusmodi esse oportet, vt rarissimè conueniant iis quibus non conuenit id quod his notis designatur, nihil autem necesse est, vt nullis conueniant quibus res designata non conueniat, immò verò etsi sæpè dicantur conuenire iis quibus res non conuenit, illud *sæpè* intelligendum est *comparatiuè*, non autem *absolutè*: Nam etiamsi multi sint hypocritæ in Ecclesia, attamen in mundo multò plures sunt prophani.

Argumenta, quibus niti debet iudicium charitatis, sunt duûm generum.

Tria sunt de veris Ecclesiæ Notis docenda.

Sed tota res clarior erit si ostenderimus primò esse quasdam Ecclesiæ Notas, secundò si docuerimus quæ sint illæ Ecclesiæ Notæ, denique, si refellamus ea quæ Pontificij solent objicere. Ac esse quidem Ecclesiæ Notas Scriptura demonstrat & rei natura. Et Scriptura quidem quæ docet τοὺς δοκίμους, *eos qui verè probi sunt manifestari*. Ergo naturâ suâ latent, neque enim manifestantur quæ posita sunt in aperto, sed quæ sunt occulta & abdita. *Oportet*, (inquit Paulus, 1.Cor.11.) *etiam hæreses esse, vt qui sunt probi manifesti fiant*. Est ergo Nota quâ internoscuntur pij. Porrò soli pij Corpus Christi & Ecclesiam faciunt. Deinde, cap.3. post. ad Cor. φανερούμενοι *manifestati* ad verbum, agit autem de Corinthiis quos ait notos esse, vt qui verè crediderint Christo. Itaque verè fideles Notis quibusdam insignes sunt, quæ vbi patuerunt oculis humanis designant fideles. At idem tamen Apostolus docet 2. ad Tim. cap.2. *Dominum nosse qui sint sui*, hoc est, solum Dominum nosse, nam eadem loquutio est quæ ista, *Deum adorabis, Deo seruies*, quam Christus sic reddidit, Deum adorabis, & ei soli seruies. Et rei natura idipsum postulat, nam quo pacto possit vlla esse communio inter fideles, si nullæ prorsus essent Notæ quibus à se mutuò agnosci possent? Et rursus, certò nobis constaret quæ sit hominum mens, qui animus, si qui sint verè fideles *distinctè & certò* sciri posset. Itaque internosci poterunt fideles, iidemque non poterunt internosci. Nempe internoscuntur, vt ita loquar, conjecturali iudicio, quantum humana mens potest perspicere, scimus qui sint fideles, qui minus, sed certo iudicio solus Deus id nouit. Itaque Apostolus appellat statum animæ interiorem τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας, & Petrus appellat item *hominem occultum*. Nam vt suprà obseruatum est, sui quidem vnusquisque

1. Esse quasdam Ecclesiæ Notas. quod demõstratur.

2. Scripturæ authoritate

3. A rei natura.

Quatenus internoscuntur verè pij.

conscius est, vnde illud Iohannis, *Inde*, inquit, *scimus nos esse filios Dei, & Deo gratos, si fratres amamus nostros* : Et, *Spiritus Dei vnà cum spiritu nostro testatur*, (inquit Paulus) *nos esse filios Dei*. Sed alienæ conscientiæ nemo conscius est, nisi forte ea sese patefaciat : At in hypocritis obtendit velum sibi, itaque certo internosci non poterunt hypocritæ à piis.

Quæ verò sint Ecclesiæ Notæ eadem Scriptura docet : ac primò quidem hanc Notam commendat nobis Scriptura, vt ea demum habeatur vera Ecclesia, quæ sese profitetur verè credere in Christum. Secunda Nota est Concordia cum fratribus, tertia, Bona opera. Ij verò profitentur se verè credere in Christum, qui audiunt verbum Euangelij, verbum fidei. Porrò audiri non potest illud verbum nisi prædicetur, vt docet Paulus, cap.10. ad Romanos, non prædicabitur autem nisi Deus excitet, atque propellat in medium qui prædicent Euangelium. Iam verò hanc esse Notam veræ Ecclesiæ Johannes indicat cap. 4.1.Epist. *Si quis*, inquit, *nos audit, ex Deo est*. Ac ne quis cauilletur Iohannem loqui de auditu interno, proindeque nullam Notam præscribere, sequitur continuò, *inde deprehendi qui sint nati ex Deo*, nempe quantum potest assequi mens humana. Nam vt is verè fidelis est qui audit verbum Dei, ita pro verè fideli haberi debet, qui profitetur se verè & ex animo audire verbum Dei. Secunda Nota probatur ex cap.13. ℣.35. Euangelij secundùm Johannem. *Hinc*, inquit, *omnes scient vos esse meos discipulos, si vos mutuò ametis* : Ergo mutuus amor & concordia nota est Ecclesiæ Christi. Quod verò cauillari queant charitatem latêre, leuissimum est, nam, inquit Christus, *hinc omnes cognoscent*, loquitur igitur Christus de coniecturali illa cognitione, quam charitas edit per sui signa quædam, quæ tamen non possunt esse vsque adeò indubitata, vt nihil possit subesse falsi. Tertiam verò Notam Christus commendat cap.5. Matth. *Sic splendeat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt qui vident vestra bona opera glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis*. Hæ sunt tres Notæ Ecclesiæ, quarum prima indicium est fidei & spei, secunda charitatis, tertia operum fidei, spei & charitatis. At spes, fides, & charitas pertinent ad essentiam Ecclesiæ, Notæ autem est deducere ad cognitionem essentiæ, rectè igitur hæ sunt à nobis dictæ Notæ Ecclesiæ, cùm, quantùm coniecturâ assequi liceat, his solis indiciis deprehendi possit quæ sit Ecclesia.

II. Quæ sint veræ Notæ Ecclesiæ.

1. Professio veræ fidei.

2. Concordia cum fratribus.

3. Bona opera, seu Vitæ sanctitas.

Jam audiamus quæ objiciant Pontificij. Ac primò negant professionem veræ fidei Notam esse Ecclesiæ, & negationis primam rationem hanc afferant, quod Notas oporteat esse proprias miniméque communes. At, inquiunt, professio veræ fidei, veræ doctrinæ, Nota est communis. Itaque non est Nota. Respond. Nota sequitur naturam rei, hoc primum : Tum talis esse debet, qualis esse debet rei cognitio, si igitur res naturâ suâ vsque adeò abstrusa est vt non possit certò & distinctè cognosci, sed coniecturis quibusdam tantùm quæ fidem vtcumque faciunt, frustrà petuntur eius rei Notæ quæ minimè sint communes ; si enim vllæ essent eiusmodi Notæ, res ipsa non esset iam naturâ suâ abdita: verbi gratia, viri boni non possunt certis & indubitatis Notis distingui à malis, ergone nullæ Notæ sunt bonorum virorum? aut adeone non sunt illæ Notæ pro

III. Objectiones Pont. 1. contra primam Notam.

Resp. 1.

pro Notis habendæ, quod sint communes cum malis? Si ita se res habet, dissipetur sanè, concidat omnis societas humana. Itaque ex eo quod Nota communis est, non continuò sequitur non esse veram Notam: In rebus Physicis fortasse valebit hæc ratio, non valebit in Ethicis. Tùm eiusmodi rei Nota esse debet, vti iam monuimus, qualis esse debet rei cognitio: At non est necesse vt Ecclesia certò & distinctè in hac vita internoscatur, satis est vt sciamus probabiliter, vt loquuntur, quæ sit Dei Ecclesia. Itaque cùm Notas opòrteat habere rationem cum cognitione, Notas nihil necesse est esse vsque adeo proprias, satis est superque si sint eiusmodi, quibus demonstrari possit cui cœtui nobis liceat nos adjungere, cum quibus vnà versari, in iis quæ pertinent ad veram pietatem, nos oporteat.

Resp. 2.

Inst. 1.

At, inquiet aliquis, ita per calumniam reiectæ fuerint pleræque Notæ Ecclesiæ quas Pontificij commendant, quippe quæ reiectæ sint eo nomine quod non sint Ecclesiæ peculiares. Respond. vno verbo. Aliam esse in hac quæstione Pontificiorum, aliam nostram conditionem: Nos enim non profitemur quod profitentur Pontificij, posse scilicet certò & distinctè demonstrari Ecclesiam. Itaque non tenemur eadem lege: nostra enim sententia est, Ecclesiam suam naturâ verè & propriè inuisibilem esse *simpliciter*, si habeatur ratio certæ & distinctæ cognitionis. At Pontificiorum diuersa sententia est, nam illi nullam Ecclesiam agnoscunt præter eam quæ certò & distinctè nota sit: non est ergo quod exigant à nobis Pontificij Notas quales nos ab iis exigimus. Quod si velint tam candidè nobiscum agere vt fateantur quod res est, Ecclesiam nullas habere Notas quibus absolutè, præcisè distingui possit, nulla inter nos & Pontificios esset controuersia, obtinuerimus quod voluimus, vt ne sit vllius iudicio standum, tum vt ne cogamur singulis sæculis demonstrare vbinam, atque inter quos fuerit Ecclesia.

Resp. Alia est Pontificiorum in hac causa, alia nostra conditio.

Instant. 2.

Sed vt propius cum illis congrediamur, Aiunt prædicationem Euangelij, & verò administrationem Sacramentorum (quæ Nota non debet separari à prædicatione Euangelij, cùm Sacramentum nihil aliud sit quàm Euangelium reipsa, quamquam significandi modo diuersum sit, & quidem duobus modis, eo quod Sacramenta non adhibentur ergà eos qui conuertendi sunt, sed qui se profitentur esse conuersos, aut verò in eorum numero sunt, qui partes & membra conuersorum sunt; deinde Sacramenta omnes ferè sensus feriunt præter auditum, verbum non itē) communem esse Sectariis & Schismaticis, (atque ita non eluserint planè distinctionem, quâ vsi sumus, sed si vera dicunt, effecerint vt ne quadret: nostra enim distinctio huc spectat, vt teneamus cui cœtui deceat nosmet adjungere, atque hoc ob oculos hîc semper est habendum, non quæri à nobis qui distinctè & certò sint de Ecclesia, tantùm quæri cum quibus debeat nobis intercedere communio.) Si igitur prima nota locum habet, necesse est illi tantùm cœtui conueniat, aut verò personis quibuscum nobis intercedere communio potest, non est autem vlla communio Christianis cum Sectariis & Schismaticis, itaque si hæc nota conuenit Schismaticis & Sectariis, non erit nota. Respond. primò, notas Ecclesiæ non esse sejungendas nisi quodam modo, hoc est, vbi prima nota locum habet, si non pateat secundam notam locum non habere, non est propterea defugiendus cœtus. Item si secunda nota locum habeat, neque item pateat locum non habere tertiam notam, non erit propterea secedendum. Itaque cum dicimus professionem veræ fidei notam esse veræ Ecclesiæ, sic hoc dicimus vt intelligi velimus secundam notam, hoc est, vt qui profitentur eandem fidem colant inter se communionem. Et cùm secundam notam commendamus, sic hoc volumus intelligi, vt qui colunt inter se communionem, communionem colant quæ sita est in bonis operibus, non disiungimus enim has notas, sed coniungimus. Respond. secundò, idipsum posse objici Johanni Apost. quod nobis objicitur. Nam cap. 4. primæ Catholicæ cùm iubet probari spiritus, spiritus iubet probari ex doctrina, vt cùm dicit *omnem spiritum esse ex Deo, qui docet Christum venisse in carne*, epitomen dedit Christianæ doctrinæ. Atque hæc sententia eo vehementius premit, quod Iohannes proponat hîc notam Spiritus veram doctrinam, nam Spiritus dicitur *spiritus veritatis* à Christo, veritas igitur à Spiritu non potest separari, vbi igitur veritas est, ibi & Spiritus est.

Resp. 1.

Non sunt sejūgendæ

sed conjūgendæ Notæ Ecclesiæ.

Resp. 2.

Inst. 3.

At, inquiunt, penes Schismaticos veritas est aliquando. Mirum si Schismatici sint penes quos veritas est, nam veritas duplex est, quæ dogmata spectat, & quæ mores, & sit quidem veritas apud Schismaticos, quæ spectat dogmata, non erit penes eos veritas quæ spectat ad mores, nam à moribus nihil magis abhorret quàm Schisma. Esto igitur, sit apud Schismaticos professio dogmatum, non erit professio doctrinæ quatenus spectat ad mores. Possemus & aliter occurrere huic argumento, sed quia propediem, Deo iuuante nobis erit disputandum de Schismate, supersedebimus de hac re plura dicere. Respondent etiam Hæreticos opinione sua hanc habere notam, itaque non esse notam veræ Ecclesiæ, quam scilicet alieni ab Ecclesia sibi queant vindicare. *Et alienos* (hîc vt agamus candidè) non intelligimus sanè eos quibus nihil est commercij cum Christo, sed eos quibuscum nobis nihil commercij est, nam sæpenumerò accidit vt nos oporteat habere commercium cum iis quibus Christus dicturus est *Nescio vos*, nempe cuius hoc proprium est vt scrutetur renes. Atqui si res exigatur ad hanc normam, vt sanè exigi debet, vt dicamus mollissimè quod res est, fugit eos ratio qui confundunt ista, profiteri Religionem, id est, fidem in Deum per Christum (vt loquamur Scholasticè) *opinione sua*, & *reipsa*. Nam sæpenumerò est quædam cognitionis species, quæ *cognitio* dicitur quia qui eâ præditus est putat se cognoscere: & verò hoc cognitionis genus non facit vt continuò incerta sit cognitio quæ est reapse: nulla enim est Religio quæ non profiteatur se obsequi Traditioni, ne Turcica quidem, multo minus Judaica: non tamen ideò admittuntur in communionem veræ religionis, qua reuera demonstrari potest neque Turcas, neque Iudæos retinere veram traditionem Ecclesiæ. Ergo Hæretici sanè & Sectarij profiteantur opinione suâ veram doctrinam, si tamen eam non reapse profitentur, nihil effecerint; vt qui se profitentur esse viros bonos & sapientes, nisi sese ea facere probaue-

Resp. Duplex veritas, penes Dogmatū & Morum.

Inst. 4.

rint, quæ boni faciunt & sapientes, nihil promouerint.

Instant. 5.

Vltimo loco negant etiam inter eos qui se profitentur esse veram Ecclesiam conuenire de doctrina. At in Ecclesia in hac vita non est perfecta, ita nec Notæ Ecclesiæ in hac vita sunt perfectæ. Nam qualis est res, tales sunt rei Notæ; nulla autem absoluta perfectio est in cognitione & moribus in hac vita. Itaque ne expectemus donec exhibeat Ecclesia perfectas Notas earum rerum quas non nisi imperfectas possidet. Attamen vnum est in quo necesse est conueniat omnis Dei Ecclesia, nempe vt ne excidat fundamento, nam cæterò qui nulla in hac vita societas potest coalescere: pij sæpenumero inter se pugnant, atque idipsum illis euenit quod Paulo & Barnabæ, in summa tamen rei optimè piis conuenit. Iam verò ostendere quæ sit illa rei summa pertinet ad locum quo disputabitur, *An, & quatenus Ecclesia obnoxia errori sit.* Ad rem quam agimus satis est vno verbo monuisse, aliud esse profiteri veram religionem *reapse*, aliud *falsò*. Porrò illud *falsò* duobus modis sumi potest, vel respectu *subiecti* (nam vt ita loquamur) vel respectu *obiecti*: & respectu quidem *subiecti*, omnes profitentur veram religionem præter contemptores veræ religionis, h.e. omnes putant se esse in ea sententia de religione quæ amplectenda est. At ex parte *obiecti*, falsum hoc est, non enim omnes profitentur eam religionem quæ vera est; inter quæ immane quantum discrimen est, nam aliud est scire quid sit sequendum in religione, atque id profiteri; aliud verò nescire quid sit sequendum in religione, attamen profiteri se illud scire. Sic aliud est profiteri te idipsum sentire de Philosophia quod traditum est scriptis Aristotelis, cùm qui id profiteare teneas quæ sint dogmata Aristotelis; aliud verò profiteri te idipsum sentire de Philosophia quod Aristoteles, cùm tamen quando ad rem ipsam ventum est, nugeris planè, & nihil minus testeris reapse quàm te id sentire quod sentit Aristoteles.

Resp.

Profiteri falsò veram religionem, dicitur bifariam.

1. respectu Subiecti.

2. respectu Obiecti.

Simili illustratur.

Obiect. 2. Pontif.

Secundo loco objiciunt, notas debere esse notiores ea re cuius sunt notæ: Jam (inquiunt) Aduersarij non volunt solam externam prædicationem verbi esse notam Ecclesiæ, sed prædicationem & receptionem, ibi enim dicunt esse veram Ecclesiam vbi prædicatur, auditur, & creditur verbum: At quis nosse potest vbi verè credatur verbum? Respond. Non quæri iam notas vnde certò & distinctè colligi possit quæ sit Dei Ecclesia, tantùm hoc agitur vt teneamus quæ sit (iudicio illo quod suprà *coniecturale* appellauimus) habenda pro Ecclesia. Nam quæstio de visibilitate Ecclesiæ (quod iam sæpe monuimus) non eò pertinet vt sciamus distinctè & certò qui sint Christi corporis mystici membra vera, sed vt sciamus (quatenus sciri potest) quibuscum nos oporteat colere communionem. Si igitur prædicatur verbum Euangelij & idem admittitur externa professione, quando cordium solus scrutator est Deus, assecuti sumus quod voluimus, nempe noluimus irrumpere in abditos illos recessus mentis humanæ, sed scire qui sint qui iudicio charitatis habendi sunt pro fratribus: vt v.g. in societate humana qui eiusdem Imperatoris ductu & auspiciis militant, non sunt anxij & solliciti de iis notis quibus possint internosci ij qui ex animo parent Imperatori, hoc enim mens humana non potest assequi, tamen student eas notas tenere quibus id possit probabiliter, quoad eius fieri possit, cognosci.

Resp.

Simile.

Instant.

Præterea inquiunt, etiam de externa prædicatione, sine dubio notius est quæ sit vera Ecclesia, quàm quæ sit prædicatio verbi, nam id ab Ecclesia discimus. Argumentum igitur quo refelletur hæc nota hoc erit, Ignotius non est nota notioris. Atqui prædicatio verbi (vt ita loquamur) ignotior est Ecclesia. Itaque non est nota Ecclesiæ. Maior propositio est extra controuersiam, minorem verò propositionem probant, primùm authoritate, deinde ratione, denique exemplis. Et authoritate quidem Irenæi, & Tertulliani vtuntur. Nam Irenæus ita libro 3. capite 4. *Quid enim esi de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione quod certum & re liquidum est.* Respond. locum illum intempestiuè citari, nam si vrgemus ipsa verba loci, primùm agitur de modica quæstione, tùm non agitur de Ecclesia Romana, sed de antiquissimis Ecclesiis: Itaque recurrendum erit hodie ad Ecclesiam Galatarum, Corinthiorum, &c. quæ Ecclesiæ Irenæi temporibus erant florentissimæ. Tertiò, *Sumendum erit*, inquit, *ab Ecclesiis quod certum erit, & re liquidum*: Sed quod certum & re liquidum est docetur, non iubetur. Nam certè Irenæus capite 11. eiusdem libri. *Hi verò* inquit, *qui sunt à Valentino iterum existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur quàm sint ipsa Euangelia, siquidem in tantum processerunt audacia, vt id quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Euangelium titulent, in nihilo conueniens Apostolorum Euangeliis, vt ne Euangelium quidem sit apud eos sine blasphemia, si enim quod ab eis profertur veritas est Euangelium, dissimile est autem hoc illis quæ ab Apostolis nobis sunt tradita, qui volunt possunt discere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur, iam non esse id quod ab Apostolis traditum est veritatis Euangelium.* Denique, vt ne quis dubitet quid respondendum sit, alia conditio fuit sæculi quo vixit Irenæus, alia nostri: Nam Irenæus vixit tempore proximo temporibus Apostolorum, anno 180. post Christum natum. Itaque iis vixit temporibus quibus exstabant ipsa Apostolorum αὐτόγραφα in Ecclesiis: At nostra remotissima sunt ab iis temporibus. Itaque sicut nos hac vti prouocatione minimè decet, ita nec hac prouocatione conueniendi sumus, præsertim cum nobis placeat hæc quam laudauimus Irenæi sententia. Sed & Tertullianum citant in libro de Præscript. *Quid prædicauerint Apostoli, hoc est, quid Christus illis reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt.* At hic obseruanda sunt ea quæ à nobis iam obseruata sunt, prouocari à Tertulliano ad eas Ecclesias quas Apostoli condiderunt. Si ergo hoc argumentum valet, non fuerit arbitra controuersiarum Ecclesia Romana, sed quæcunque tandem Ecclesia ab Apostolis condita est. Deinde & hoc obseruetur, eandem fuisse Tertulliani, quæ Irenæi fuit, conditionem, vixit enim & floruit anno 203. post Christum natum, nostra non est eadem conditio. Tùm hoc respondemus, vtrobique seu Irenæus, seu Tertullianus nobis obtrudatur, prouocatur ad Ecclesias ob Epistolas scriptas ad has Ecclesias, hoc est cùm agitur de historica cognitione: Nam hæretici (quantumuis impudentes) non negabant se contraria

Minorem argumenti sui probant 1. a thoritate Irenæi,

Resp. 1. 2.

3.

4.

2. Tertulliani.

Resp. 1.

2.

3.

contraria docere dogmati tradito ab Apostolis: Itaque vt in Jure Ciuili, in eo genere prouocatur ad tabulas, sic Patres illi ad αὐτόγραφα Apostolorum prouocabant. Atque hanc esse mentem Tertulliani patet ex eodem libro. *Confingant*, inquit, *aliquid tale Hæretici* (nempe Successionem; Ergo Successio confingi potest) *sed etsi confinxerint nihil promouebunt, ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciauit, neque Apostoli alicuius authoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis authorem suum proferunt, vt multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.*

Probant 2. Ratione.

Idem deinde ratione ostendunt, certè conantur ostendere. Nam vera, inquiunt, prædicatio, est prædicatio & interpretatio vera Scripturæ Diuinæ, quæ sit autem vera Scriptura & quis verus eius sensus, non possumus scire nisi ex testimonio Ecclesiæ, vt Aug. docet li. contra Ep. fund. cap. 5. & lib. de Vtilitate credendi cap. 14. vnde concludunt, Ecclesiam notiorem esse professione veræ doctrinæ, proindeque veram doctrinam non esse Notam Ecclesiæ, sed Ecclesiam potius Notam esse doctrinæ, nam quod notius est Nota potius est, quàm id quod minus est notum. Respond. primo. Testimonium veræ Ecclesiæ duobus modis intelligi potest, vel vt loquuntur in Scholis *materialiter*, vt testimonium veræ Ecclesiæ sit id quod vera Ecclesia testatur: atque ita sanè fatemur, ordinariè non aliundè veram disci Christi cognitionem, quàm ex iis quæ testatur Ecclesia: nam doctrina quæ eadem non est Ecclesiæ doctrina, non est vera doctrina, licet vulgò probata sit, vt neque falsa est Ecclesiæ doctrina, sit licet vulgò improbata. Vel testimonium, Ecclesiæ intelligitur, vt loquuntur *formaliter*, nempe ita vt testimonium Ecclesiæ dicitur, non quod testatur Ecclesia *objectiuè*, sed testimonium Ecclesiæ sit authoritas Ecclesiæ testantis; atque ita negamus ex testimonio Ecclesiæ constare quę sit vera doctrina. Sed sit res exemplo notior, ex Philosophi testimonio (verè, inquam, Philosophi) constat quid sentiendum sit de vera Philosophia, nempe materialiter, hoc est, percipitur inde quæ sit vera Philosophia, vnde proficiscuntur rationes necessariæ. Iam imperium non adhibebit rationes necessarias. Philosophum esse oportet, & quidem verè Philosophum, qui rem addicat rationibus necessariis, atque ita certè agnoscetur Philosophus ex Philosophi testimonio, sed vt diximus iam, ex testimonio *materiali*, non ex *formali* testimonio, hoc est, Philosophus non continuò probabit se Philosophum esse, si se Philosophum profiteatur, ac si præbeat specimen doctrinæ suæ, id vero probauerit: quorsum pertinet illud quod vulgò dicitur, *Artificem ars probat, Magistratus virum arguit, non vir Magistratum.* Atque hîc planè eodem modo se res habet; Nam non eo Ecclesia est, quod se Ecclesiam profitetur, nec quòd vulgò Ecclesiæ testimonium perhibetur, sed eo Ecclesia est, quod ea facit, & dicit, & docet quæ Ecclesiam facere, & dicere, & docere æquum est. Vnde sequitur fore, vt tam absurdè faciat Ecclesia, si se aliunde commendet quàm à doctrina & moribus, quàm faceret vir sapiens si vellet se alia ratione commendare, quàm eâ sapientiâ quam testatur dictis & factis: Valeat igitur hîc testimonium *materiale* Ecclesiæ, non valeat testimonium *formale*, nam solius Dei est vsurpare hoc αὐτὸς ἔφα. Sed neque Deus hoc sibi arrogat. qui tamen optimo iure hoc sibi arrogare posset, vult enim ex operibus, & ex verbo suo iudicium de se fieri, quia nulla sunt opera conferenda cum Dei operibus, nec vlla itidem sapientia conferenda est cum sapientia Dei. Itaque meretrix potius est, quàm sponsa Dei, quæ sibi tam superbos arrogat titulos. Quod verò ad loca Augustini attinet, quia id pertinet ad locum de authoritate Ecclesiæ, cùm eò ventum fuerit ad ea respondebimus.

Resp. 1. Testimonium Ecclesiæ sumitur vel Materialiter, vel Formaliter. Quo sensu ex testimonio Ecclesię constet vera doctrina. Simili illustratur.

Resp. 2. Quæritur vera doctrina vt constet de vera Ecclesia, non contra.

Secundò Resp. non ideò quæri notas Ecclesiæ vt sciamus quæ sit vera doctrina, sed ideò quæri veram doctrinam vt sciamus quæ sit vera Ecclesia: verbi gratiâ, non quæritur qui sint viri boni, vt teneamus quæ sit virtus, sed contrà, quæritur quæ sit vera virtus, vt teneamus qui sint vera virtute præditi, non enim vtimur virtute ob hominum consortium, sed contra hominum consortio ob virtutem. Vt res sit clarior, si vtendum est alicuius consuetudine, ideò faciendum est quia vir bonus est, saltem quantum animus humanus potest iudicare; Ergo prius necesse est constet nobis de viri bonitate, quàm nobis constiterit eius consuetudine vtendum nobis esse.

Resp. 3. Inartificialibus argumentis prius constat de Ecclesia quàm de vera doctrina. At artificialibus argumentis prius nota est doctrina quàm Ecclesia.

Denique, respond. Longè aliud esse rem scire iis argumentis quæ *artificialia* vocantur, atque iis quæ vocantur *inartificialia, insitæ & assumptis* rationibus. Nam nihil verius est, in artificialibus & assumptis argumentis aliquando fit vt prius Ecclesia quàm doctrina nota sit. At artificialibus & insitis argumentis vt nota prius sit Ecclesia quàm doctrina, id verò nunquam contingit, neque sanè potest contingere: verbi gratiâ, fama aliquando notior est Doctor quàm doctrina, sed fama *assumptum* est, & *inartificiale* argumentum, itaque fallax & incertum, nam fama est *tam ficti prauique tenax, quàm nuncia veri.* At insito & artificiali argumento (cuius generis argumenta minimè sunt fallacia) prius innotescit doctrina quàm doctorem noscamus; Quamuis in hoc genere in quo versamur, non potest percipi quo pacto qui nullum habet gustum veræ Religionis, & veræ doctrinæ, vel fama perducatur ad cognoscendam veram Ecclesiam. Nam oportet vt hoc saltem teneat Deum esse, Christum esse, & Spiritum Sanctum, atque ista prius teneat quàm possit adduci vt credat Ecclesiam esse quæ sit Christiana, nam scire *rem esse* præcedit cognitio definitionis rei, illius saltem quæ *nominalis* dicitur, itaque scire *quid nominis* est in præcognitis. Porrò qui agnoscit quod nomine significatur verum esse, eum necesse est retinere non modò nominis significationem, sed rei veritatem. Ergo concipi animo non potest, si res exigatur ad amussim, quo pacto fieri possit vt Ecclesia doctrinâ notior sit, quando *esse Ecclesiam* doctrinæ præcipua pars est. Vnde & non minimam partem symboli Apostolici facit fides de Ecclesia. Vt illud interim taceamus, Ecclesiam esse in eo genere Relatorum quæ dicuntur relata *secundum dici*, quorum hæc est natura, vt cognosci non possint nisi cognito correlato.

Applicatur Simile, & Distinctio.

Resp. 4.

Resp. 5.

Sed nec id hoc loco omittundum est, quod fama de Ecclesia tum commouet, cùm Ecclesia (id est, qui Ecclesiæ sibi nomen vindicant) non est scissa in multas partes, quod Patrum sæculo fortasse non contigit, nostro certè contigit, nam est Græca, est Æthiopica &c. Ecclesia, est & Romana, quæ singulæ sibi titulum Ecclesiæ vindicant & quidem ostentant vnaquæque Antiquitatem & successionem: Quamuis (nam accuratiorem responsionem differimus eo vsque, donec se offerat respondendi locus magis idoneus) Patres nunquam ita conueniunt Hæreticos qui profitebantur se sola Scripturarum authoritatem niti, vt obruerint eos publico consensu & famâ, immò tùm cùm illis res est cum eius generis Hæreticis, verbi gratiâ, cum Arrianis, omne caussæ præsidium collocant in Scripturis.

Resp. 6.

Sed nihil opus est tantopere laborare in hoc argumento, nam ipsi aduersarij nos hîc subleuant, fatentur enim aliquando ex hypothesi Scripturam esse notiorem, quando videlicet Scriptura est recepta, & clarè loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia, sicut interdum è contrario Ecclesia est recepta & nota, & quæstio oritur de Scriptura. At, inquam, hæc nostra est conditio, nam de Scriptura constat inter nos, quæstio tota est de Ecclesia. Itaque inter nos non Ecclesia debet haberi pro Notâ, quando ea est de qua disputauimus, sed Scriptura, cùm vtrinque Dei beneficio testimonium perhibeatur Scripturæ, neque Aduersariorum impudentia tanta est vt negent Scripturam, tantùm volunt eius authoritatem pendere ab Ecclesia. Ergo, quod ad rei summam attinet, conuenit nobis cum illis, hanc esse sacram Scripturam, non conuenit inter nos, an Ecclesia tantam habeat authoritatem. Et, si maximè nulla esset de hac re controuersia, non conueniret tamen quæ esset Dei Ecclesia.

Inter nos & Pontif. constat de Scriptura, lis est de Ecclesia.

Atque hæc à nobis disputata sunto de visibilitate Ecclesiæ, reliqua suo loco trademus. Sequitur vt loquamur de Ecclesiæ duratione, cuius quæstionis definitionem priusquam aggrediamur, necesse est meminerimus Notas has quas tradimus Ecclesiæ, non esse semper atque in omnibus Ecclesiis singularibus æque puras, & claras; Vnde nos oportet metiri visibilitatem & inuisibilitatem Ecclesiæ. Nam vbi hæ Notæ sunt clarissimę & purissimæ, ibidem necesse est Ecclesiam maxime esse conspicuam, vbi verò hæ Notæ minus claræ & puræ sunt (nam notitia Notas sequitur) illic itidem Ecclesiam minus conspicuam esse oportet, non oportet ideò nullam esse.

Notæ Ecclesiæ non sunt semper & vbique æquè puræ & claræ.

DE DVRATIONE ECCLEsiæ perpetuâ & continuatâ, atque nunquam interruptâ.

Occasio huius controuersiæ.

SEquitur ergo explicanda quæstio de Ecclesiæ duratione, quę priori illâ, quam iam explicauimus, non est minus nobilis. Solet enim nobis subinde hoc objici, quod eius Ecclesiæ nos profitemur esse membra, quæ aliquando desierit esse in terris. Cum verò abhorreat ab Ecclesiæ natura vt sit intercisa & interrupta, videtur non sine specie quadam veritatis nobis id exprobrari, quod desertores sumus, & Schismatici, vel sanè noua quædam & nuper nata Ecclesia. Hic autem, vt & supra, imprimis est constituendus controuersiæ status. Ac primò quidem illud est quærendum, quid verba significent: Nam Aduersarij negant Ecclesiam posse deficere, nobis verò hanc sententiam tribuunt, quæ asserit Ecclesiam posse deficere. Jam verò *posse deficere*, & *non posse deficere* duobus modis intelligi potest. Nam vel Ecclesia dici potest posse deficere, quia id non repugnat naturæ Ecclesiæ: vel dici potest Ecclesiam posse deficere, quia id neque pugnat cum natura Ecclesiæ, neque cum decreto Dei. Sæpenumerò enim euenit vt ea non pugnent cum natura rerum, quæ pugnant tamen cum decreto Dei; verbi gratiâ, non pugnat cum rei natura, vt ne corpora nostra reuiuiscant, at id tamen pugnat cum decreto Dei. Vel vt ad rem accedamus propius, non repugnabat naturæ ossium Christi vt confringerentur, vt hoc pugnabat cum decreto Dei. Vnde nascitur duplex impossibilitas, quarum altera est *absoluta*, vt loquuntur in Scholis, altera *ex hypothesi*. Porrò impossibilitas absoluta est in natura ipsius rei, at impossibilitas ex hypothesi rei accidit extrinsecus. Certe quod Ecclesia nunquam desinit esse in terris non conuenit Ecclesiæ, vt loquimur, ex parte rei, sed conuenit Ecclesiæ ideò quia Deus decreuit Ecclesiam conseruare. Huius autem rei argumentum vel inde peti potest, quod Adamus & Eua exciderunt ea dignitate in qua erant constituti, cùm tamen in iis esset Ecclesia, qualis esse potuit in statu Naturæ. Deinde Propheta Esaias cap. 1. clarè testatur, futurum vt totus populus esset instar Sodomæ & Gomorrhæ, nisi Deus quasdam reliquias conseruasset.

Quo sensu dici possit, Ecclesiam posse, vel non posse deficere.

duplex impossibilitas.

Hoc igitur in hac quæstione primò tenendum est, cùm disputamus de Ecclesiæ duratione, cùm quærimus possit ne fieri vt Ecclesia desinat esse (non iam dico *desinat esse Ecclesia*, sed *desinat esse in terris*) nempe non quæri, an hoc sit absolutè, & simpliciter impossibile, sed quæri, an hoc Deus decreuerit. Atque hîc Dei beneficio nulla est, quod sciam, dissentio inter nos & Aduersarios, omnis enim hæc disputatio instituitur de Ecclesia quæ est sub statu Gratiæ, non autem de Ecclesia qualis fuit sub statu Naturæ. Nam neque aduersarij rectè faciunt, qui negant illam fuisse Ecclesiam, cùm fateantur tamen in illis fuisse (vt eorum verbis vtamur) principium materiale & formale Ecclesiæ; *materiale*, inquiunt, quia Adamus erat primus, *formale*, quia fuit Doctor; nam si summus Ecclesiæ doctor cecidit (vt id interim taceamus, quod ubi Discipulis non est locus, neque Doctori locus est) certè illa Ecclesia, vel consentientibus aduersariis potuit intercidere in Doctore saltem, atque in capite. Neque verò negandum est (quod tamen nonnulli faciunt) Adamum & Euam lapsos fuisse penitus, nam exciderunt statu naturæ; Itaque quod se recollegerunt, non fuit Naturæ, sed Gratiæ opus. Igitur quærendum erit an hic sit quæstionis sensus, mens quærentis. *An Ecclesia semper fuerit, semper futura sit in terris? Vt postquam Deus decreuit genus humanum restituere, num ita id decreuerit, vt nullo vnquã tempore voluerit vrbem terrarum vacuum esse fidelibus, qui constituunt Ecclesiam?* Quod si hic sit status quæstionis, neque hic videmur dissentire ab Aduersariis quod

In hac controuersia quid sit tenendum.

Malè negant Pontifici Adamum & Euam constituisse Ecclesiã.

Malè ab aliis negatur eos penitus excidisse.

quod illi ita coguntur agnoscere, vt profiteantur, nam hæc sunt verba Bellarmini de Ecclesia lib. 3. cap. 13. *Notandum est multos ex nostris tempus terere. dum probant absolutè Ecclesiam non posse deficere, nam Caluinus, & cæteri hæretici id concedunt*; Itaque nondum est peruentum ad statum controuersiæ.

2. Quid sit id quod quæritur.

Denique quæri potest non modò, an Ecclesia semper inuisibilis fuerit naturâ suâ, an verò aliquando inuisibilis quidem naturâ suâ, sed tamen certis quibusdam notis visibilis? (cuius visibilitatis ratio nouissimè à nobis tradita est) verùm etiam, an natura sua sit licet inuisibilis, tamẽ notis quibusdam visibilis semper fuerit? Sed quamquam hoc vltimum videatur, ne quidẽ hic hærendum est nam cùm agitur de Ecclesia Veteris Testamenti aut nulla, aut leuis admodum cõtrouersia est nobis cum aduersariis. Itaque quamuis nobis concederent, quod tamen non concedunt, Ecclesiam Veteris Test. aliquando desiisse esse iudicio humano, tamen non concederent idipsum contigisse Ecclesiæ Noui Testamenti. Et reuera, si volumus agere ingenuè, fatendum est alium esse etiam externum statum Noui Testamenti quàm fuit Veteris, & quidem hac in parte.

Alia est Ecclesiæ Vet. Test. alia N. ratio.

Nam temporibus Veteris Testamenti aliquando publicè, & quidem de eorum authoritate & consilio qui sacris præerant, Dei cultus penitus abolitus est, quod dum Aduersarij negant, negant primùm contra manifesta Scripturæ loca, nam constat ex libris Regum, constat ex Prophetis non modò Israelem, decem tribus, sed & reliquam item ita defecisse à Deo, vt admiserint Gentium ritus. At in N. Test. nulla vnquam fuit, nec erit vnquam eiusmodi defectio. Certè aliud est corrumpere veram doctrinam, falsa dogmata admiscere veris, atque adulterare & interpolare Religionem Christianam, aliud verò ab ea penitus deficere. Iam verò hoc aliquando contigit Ecclesiæ Judaicæ, illud non contigit Ecclesiæ Christianæ. Quod omnem demirandi mutationem illam quæ contigit in Ecclesia Christiana, occasionem debet præcidere: Nam certè horrenda illa deprauatio doctrinæ, vel potius abolitio quæ contigit temporibus Veteri Testamenti non durauit diu, at deprauatio quæ sub Nouo Testamento contigit, diu durauit. Et certè res ipsa non potest admittere vt sit Ecclesia in terris, nulla sit doctrina quâ ali possit Ecclesia, ad tempus quidem sine institutione externâ stare potest Ecclesia, at propagari non potest, nisi sit Ecclesiæ regimen extraordinarium planè, hoc est, pendeat ab afflatu quodam immediato Spiritus, quod vt contingat aliquando, tamen non potest vel diu, vel continuò habere locum.

Sub V. T. fuit aliquando prorsus inuisibilis

Sub N. T. non item.

Discrimen corruptionis Ecclesiæ sub Vet. & Ecclesiæ sub N. T.

Itaque hic esto status controuersiæ, *An vnquam Ecclesia Dei, præsertim verò temporibus Noui Testamenti, fuerit obscurata, an verò semper gloriosa & conspicua.* Obscurari autem Ecclesia tum dicitur in hac controuersia, non tum cùm nulla est Ecclesia, sed cùm latet. Et ne hoc quidem tantùm, sed cùm ita latet vt non pateat hominum oculis, quomodo patêre solebat, aut verò potuisset patêre. Non igitur vt in Veteri sic in Nouo Testamento negamus Ecclesiam fuisse visibilem; nam in Veteri Testamento agnoscimus aliquando contigisse vt Ecclesiæ notæ planè defecerint, Noui Testamenti affirmamus quidam defecisse notas, at non planè defecisse. Itaque hîc dicimus Ecclesiam defecisse non absolutè, sed comparatè, hoc est, non fuit Ecclesia Noui Testamenti omnibus temporibus æque clara & conspicua. Nam initio clarissima fuit, hanc claritatem secuta est imminutio splendoris, tum obscurata est, at non penitus obscurata, denique effulsit tandem: cùm Ecclesia Judaica in tam crassis tenebris delituerit aliquando, vt videri possit fuisse penitùs exstincta. At huius discriminis hæc est ratio, quod debuit accidere in Nouo Testamento Apostasia, *defectio*: defectio, inquam, diuturna, nam id mysterium inceptum est temporibus Apostolicis, creuit verò & denique peruenit ad extremum, quò vbi peruenit, cœpit declinare tandem. Iam quæ sunt eiusmodi non sunt momentanea, neq; enim vel subitò se proripiunt in lucem, sed paulatim & sensim, neque concidunt itidem subitò, sed vti creuerunt, quamquam pronior & lapsus & casus, quàm ascensus, quæ ratio est hîc obseruanda.

Status Cõtrouersiæ.

Quomodo dicatur Ecclesia obscurata sub N. Test.

ratio discriminis Ecclesiæ V. & Noui Test. quoad visibilitatem.

Sic constitutâ quæstione, videamus quæ sint argumenta Pontificiorum quibus negant vnquam Ecclesiam defecisse, multò minùs temporibus Noui Testam. Primum autem eorum argumentum ducitur ex Nouo Testamento. Nam Christus pollicetur fore vt *ædificet Ecclesiam suam, ita vt portæ Inferorum aduersus eam non sint prævalitura.* Matth. 16. sed hic locus nihil facit ad rem. Nam etiamsi Ecclesia intercideret in terris, non eo fieret vt portæ inferorum aduersus Ecclesiam præualuerint, tantùm fieret vt Ecclesia desineret esse in terris, atqui desinere esse in terris non est vinci à portis inferorum, sed contrà superare inferorum portas & perfringere: quamquam verum est Deum semper habere Ecclesiam aliquam in terris, sed nos id volumus tantùm, non posse id probari ex eo loco. Vnde sequitur prodere sic Aduersarios studium causæ, atque à causæ studio ortam mentis perturbationem.

Rationes Pontif. pro perpetua Ecclesiæ claritate ductæ ex locis N. T. 1. locus. Resp.

Afferunt item quod scriptum est 3. capite 1. ad Timoth. quo loco Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis.* Primò posset negari illud *Columna & firmamentum veritatis* iungendum esse huic voci *Ecclesia*, sed pertinere ad sequentia. Id verò non potest vlla necessaria ratione negari; nam facilis & expeditus sensus est, *Columna & firmamentum veritatis. & sine controuersia magnum est pietatis mysterium.* Sanè Iudæi sic loquuntur cùm agunt de summa Religionis suæ, nam opus illud celebre quo Rabbi Moses Ben Maimon tradit summam doctrinæ receptæ inter Iudæos, totidem penè verbis inchoatum est, nempe יסוד היסוד ועמוד החכמות hoc est, *Fundamentum fundamenti, & columna Sapientiæ est*, &c. Porrò solent Apostoli vti phrasibus receptis etiam in Ecclesia Judaica, sed accommodatis ad rem quam agunt; quæ docendi ratio accommodata est imprimis, nam Religio studet simplicitati, non est anxia & superstitiosa. Sed nihil opus est eò recurrere ne videamur argutari. Concedamus Ecclesiam dici firmamentum & columnam veritatis. Ergo hæc columna & hoc firmamentum veritatis semper hærebit in terra, non sequitur: itaq; nec hic locus appositè citatus est, quamuis verissimum sit Deũ semper habere in terris Ecclesiam. Itaque etsi hic locus hanc rem probaret, tamen nihil effectum foret, non enim negamus Deum semper habere Ecclesiam in terris, præcipuè temporibus Noui

2. Locus. Resp. 1. Explicatur locus 1. Timot. 3. 15. 16

Resp. 2.

Testamenti, tantùm negamus hanc Ecclesiam semper fuisse gloriosam & conspicuam, affirmamus verò esse non absolutè, sed comparatè inuisibilem.

Locus 3. Tertius locus quem citant ex Nouo Testamento est Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi:* quæ verba, inquiunt, dicta sunt ad Ecclesiam visibilem, nimirum ad Apostolos, & cùm illi homines non essent permansuri in corpore vsque ad mundi consummationem necesse est dicere hanc promissionem pertinere ad eorum successores. Et hic itidem locus nihil facit ad rem. Resp. 1. Primò, etiamsi demus hanc promissionem factam esse non modò Apostolis, sed etiam successoribus Apostolorum, nihil fieret, nam successores Apostolorum tales sunt quales fuerunt Apostoli, atque iis certè semper Christus adest, non autem ex eo quod Christus piis Pastoribus semper adest, sequitur semper fore pios Pastores. 2. Secundò Respond. nihil opus esse vt hunc locum intelligamus de posteris Apostolorum, agitur enim de missione Apostolorum, quæ non fuit transmissa in vllos successores, quos Apostoli, quatenus Apostoli nullos habuerunt, erat enim id munus extraordinarium planè, & ridiculum esset quod omnibus Apostolis dictum fuit, ad solum Petrum trahere & restringere. (Apostoli nō habuerūt succes sores, quatenus Apostoli.) Quod nos ideò dicimus vt Aduersariorum pertinaciæ aliquid concedamus, neque enim existimandum est, Petrum potiùs quàm reliquos Apostolos habuisse successorem. Instant. Quod verò aiunt locum solis Apostolis non posse accommodari, cùm promissio extendatur ad consummationem sæculi, Apostolique non vixerint vsque ad consummationem sæculi, immò multis ab hinc sæculis ex hac vita emigrarint leue est, Resp. nam Christus vsitata locutione, dum vult profiteri se semper adfuturum Apostolis, pollicetur se illis adfuturum vsque ad consummationem sæculi: quæ ratio loquendi non videri debet insolens, primò quia sic potest exponi vt sit sensus, si fieri posset vt viueretis vsque ad finem mundi, ego toto eo tempore vobis adessem, itaque semper adero vobis. Deinde similis exstat locutio 1. ad Tim. cap. vlt. quo loco Apost. Timotheum hortatur, vt seruet mandatum vsque ad illustrem illum aduentum Domini nostri Iesu Christi, hoc est, ita serua hoc mandatum vt quotidie Christum expectes, atque ita vt si tibi ad id vsque tempus esset viuendum, tamen nihil remittas de studio. Sed hęc non tantum obseruamus vt liqueat, quàm sint cæci Aduersarij nostri in hac causa, nam cæteroqui non negamus Deum Ecclesiam semper habere in terris.

Locus 4. Quartus & vltimus locus è Nouo Testamento est 4. cap. ad Ephes. quo loco Apostolus docet, *Christum ascendisse in altum, vt daret dona hominibus, & ipse quidem,* inquit, *alios dedit Apostolos,* &c. *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum.* Ergo, inquiunt, pollicetur aliquid Deus quod durabit semper, non enim occurrimus in vnitatem fidei, & in hominem perfectum; nisi in magno illo die. Resp. 1. Sed primò, vt agamus candidè, si ex hoc loco potest probari conspicuitas Ecclesiæ perpetua, oportet semper fuisse in Ecclesia, atque fore semper Apostolos & Prophetas, & Euangelistas, non Doctores, modò & Pastores; nam hoc loco tam fit mentio Apostolorum, Prophetarum, & Euangelistarum, quàm fit mentio Doctorum. Et, si velimus illos conuenire summo iure, concederemus etiam Apostolos in Ecclesia durasse, hoc est, Apostolorum doctrinam, quemadmodum Christus iubet audiri Pharisæos, qui sedent in catedra Mosis, hoc est, quia etsi interpolant & adulterant Legem, sunt tamen Doctores Legis. (Pontifici Doctores sedent in cathedra Apostolorum, quomodo Pharisæi in cathedra Mosis.) Atque ita nihil euincent, quando vti suprà constitutum est, non negamus ne in Papatu quidem penitus fuisse abolitam Religionem Christianam: quamquam fateamur fuisse adulteratam, atque interpolatam fœdum in modum: quomodo calamitosis temporibus Ecclesiæ Iudaicæ quibus Christus natus est, sanè puritas veræ religionis multis modis contamita fuit, attamen ita vt (quod fieri solet maligna luce) tamen non fuerint meræ tenebræ, Atque ita nihil effecerint, nos enim non negamus omnibus sæculis exstitisse Apostolos, hoc est, Apostolorum doctrinam, quemadmodum neque negandum est omnibus sæculis exstitisse Mosen, hoc est, Mosis doctrinam, quamuis discriminis ratio est diuersa, vt suprà est à nobis explicatum. Nam certè omnibus sæculis in Veteri Testamento non fuit tam clara Mosis doctrina quàm fuit Christi in Nouo Testamento. Resp. 2. Secundò, Respond. Locum hunc nihil facere ad rem, eo quod nulla sit hîc mentio finis sæculorum, immò si fieret vlla mentio, faceret id contra Apostoli scopum: nam, vt constabit legenti totum illud caput, hoc Apostoli consilium est, vt ne qui sunt in fide confirmati contemnant inferiores, quia (inquit) apud Deum constitutum est, vt huius ordinis interuentu qui nunc obtinet in Ecclesia, omnes colligamur in vnum; *omnes*, hoc est, tam infirmi, quàm qui firmi sunt. (Explicatur locus Ep. 4. 13.) Itaque nihil facit ille locus ad continuationem & propagationem Ecclesiæ, quamuis, (vt non iam semel monuimus) Ecclesia propagatur. Sed Aduersarij ostendunt perturbationem animi sui, eo quod adhibeant Scripturæ loca quæ nihil faciunt ad rem. Resp. 3. Tertiò loco, Respond. vt vndique excludantur, Esto Deus semper dederit Ecclesiæ suæ Pastores (quod sanè non est negandum) attamen dispiciendum est qui sint hi Pastores. (Etiam alii quàm Pastoribus titur aliquando Deus ad pascendam Ecclesiam.) Nam vt homo homini lupus est, ita nihil prohibeat hominem homini pastorem esse, neque enim ij soli medici sunt qui solemni quadam pompâ prouecti sunt ad id muneris, sed medici sæpenumerò sunt qui rem tenent, à rei pompâ, quam maximè sunt alieni, quales sunt deploratâ & perditâ Republicâ boni ciues, qui tamen non sedent ad gubernacula Reipublicæ, sustinent tamen, vt possunt, ruentem domum, & pro virili parte student eximere naufragio quasdas tabulas, adeoque eos qui tabulis insident. Resp. 4. Denique vt finis sit, Esto Deus (quod tamen non potest probari ex hoc loco) voluerit perpetua quadam serie continuari pastores; non sequetur inde pastores istos fuisse eiusmodi pastores qui omnes non duxerint in ea pascua quibus cicuta & aconitum nascatur, satis est vt duxerint in ea pascua quibus etsi insit virus, tamen inest vnde oues pascatur. (Quomodo sub Papatu conseruata fuerit Ecclesia.) Iam verò non est aliquid planè extraordinarium, immò ordinarium potius est, vt quod faciūt belluæ, homines facere possint, præsertim Christiani qui Spiritu Dei ducuntur; atqui belluæ aut leuiter attingunt, aut ne attingunt quidem, ea quę pugnant cum natura sua, Quis igitur

miretur

miretur si oues Christi à Pastoribus ductæ in ea pascua in quibus multa bona erant admixta, multa item lurida, tamen vsq; sint pastoribus suis: *Vti* verò *pastore* idipsum est quod Christus docet *sedent in Cathedra Mosis*. Nam eo loco Christus agit de Pastoribus qui oues ducebant ad pascua venenata, attamen quibus inerant salubria, vt alibi Christus monet, cum nos iubet cauere nobis à fermento Scribarum & Pharisæorum. Ergo iidem qui sedebant in Cathedra Mosis, iidem adhibebant fermentum, atque ita faciebant vt acesceret quod natura suâ dulce erat. Nam nos negamus sanè illo spatio aliquot sæculorum latuisse planè Dei verbum, quod Ecclesiam constituit & facit, tantùm affirmamus multò fuisse obscurius annunciatum illo interuallo sæculorum, quàm antea fuit, & nunc est eas ob rationes quas suprà attulimus, quasque, Deo iuuante, inf à clarius demonstrabimus.

Rationes Pontif. ductæ ex locis V.T.

Secundum eorum argumentum ducitur ex locis Veteris Testamenti. Nam non sunt adeo solliciti de Ecclesia Veteris quàm de Ecclesia Noui Testamenti. Itaque hîc inuerterunt ordinem, quæ res caussæ diffidentiam prodit, nempe id verentur, ne si id obtineamus contigisse in Veteri Testamento, idipsum præiudicio quodam euicerimus contigisse in Nouo: qua in re meticulosos & timidos homines imitantur, qui tuta etiam timent, & dum non volunt mori moriuntur, Nam intuenti rem propius, etiamsi concederent nobis Ecclesiam sub Veteri Testamento intercidisse, nihil viderentur promouere, quando non dum expugnatum est illud dogma, quod statuitur non esse eandem rationem Ecclesię Veteris & Noui Testamenti. Sanè Pontificij non negant Ecclesiam Veteris Testamenti penitus errasse, ne Bellarminus quidem hoc negat, sed & suos reprehendit qui id negant: Quidni etiam concedant (nam par est ratio) potuisse intercidere, atque interrumpi Ecclesiam Veteris Testamenti, non enim minus abhorret ab ingenio Ecclesiæ vt erret, quàm ab Ecclesiæ ingenio abhorret vt intercidat.

Locus 1.

Primus igitur locus quem afferunt hic est, *Deus fundauit eam in æternum*, Psal.147.9. iuxta Vulgatam editionem, Secundus, Isaiæ 61. *Et fœdus perpetuum feriam eis, & scietur semen eorum*, &c. quo in loco triumphant, hæc enim sunt eorum verba, *Profectò tam perspicuus est hic locus, vt expositione non egeat*. Nempe, vt ne illis inuidiam faciamus, valde eos mouet vox hæc *semen*, nam denotat vt videtur propagationem: Tum verò *cognoscentur*, sic enim denotatur propagatio nota, obuia oculis Denique, *& scietur in Gentibus*, erit igitur propagatio nota Gentibus.

Resp. 1. Locutiones figuratæ Prophetis familiares, non pro... acciendæ.

Sed respondetur primò, insolens esse & nouum apud Prophetas, vt quæ verbis res terrenas significantibus designantur ea terrena sint, alioqui quæ traduntur à Prophetis de bellis, de victoriis, de dignitate restauratæ Reipublicæ Israelis, exponenda forent Judaicè, hoc est, crassè, atque ita vt ne Prophetæ figuras existimentur adhibuisse, hoc est, ita vt Prophetæ non fuerint Prophetæ. Nam qui rem simpliciter narrat, aut docet, ei sanè liceat abstinere à figuris, sed qui Prophetam agit, eum sanè nulla inuidia est vti aliquando vulgatis loquutionibus, & verò propriis, modò figuratis etiam interdum vtatur, & verò plerumque. Jam verò figuratæ loquutionis ea ratio est, vt optimè quadret huic loco, quid enim optabilius Dei populo possit contingere secundùm carnem, quam vt digito indicetur; Nam *pulchrum est* (vt ait ille) *digito monstrari, & dicier, hic est*. Itaque dum Dominus vult insignem quandam gloriam polliceri populo suo, hac vtitur locutione, quamuis hæc gloria fortasse non obtingat in hoc sæculo. Quot enim viri impij & prophani habiti sunt pro piis, & vicissim pij pro impiis & prophanis, quæ res Apostolum eò adduxit, vt profiteatur 1.Cor.4.3. sibi perinde esse seu absoluatur, seu condemnetur humano die, etenim se expectare diem Domini, quo occulta cordium proferantur in lucem. Nam certè illa Prophetæ verba non esse intelligenda κατὰ τὸ ῥητόν, iuxta sensum literalem, vt loquuntur, patet ex eodem capite, pollicetur enim Deus pacem & gloriam terrenam Ecclesiæ suæ, quod si crassè accipiatur delabemur in Iudaismum: hæc enim verba sunt Prophetæ, *Extranei pascent oues vestras, & filij peregrini erunt agricolæ vestri, & vinitores vestri*.

Nomine Seminis designatur aliquid spirituale.

Vox autem *semen* nihilo magis illam caussam iuuat, etenim vel intelligi id possit ita vt ei carnalis nomine significetur res spiritualis, nam optanda secundùm spiritum significantur rebus optandis secundùm carnem. Itaque apud Prophetas etiam tum cùm Deus pollicetur res merè spirituales, κατὰ τὸ ῥητόν promittit res carnales: verbi gratiâ, in Psalmis passim promittitur longa vita, & prospera piis. Certè promissio est ad verbum rei carnalis, quod ex illis ipsis Psalmis colligi potest, in quibus sæpius mentio fit non modò rerum aduersarum, quæ piis contingunt in hac vita, sed etiam acerbæ & præmaturæ mortis. Etenim Propheta docet impios florere, ac descendere viuos in infernum, contrà castigari pios & quidem quotidie, tum haberi pro ouibus destinatis mactationi, *iugiter, propter*, inquit, *nomen tuum*. Hic ergo canon sequendus sit, vt in cultu Veteris Testamenti carnalia erant typi cultûs spiritualis, itidem in Prophetarum vaticiniis, rerum carnalium promissiones putemus esse promissiones ad verbum rerum carnalium, reapse rerum spiritualium. Quamquam ne carnales quidem res Deus suis negat, sed hoc fit adhibito quodam temperamento, quæ verò spiritualia sunt ea semper indulget suis, immò verò in cœlo suis omnia indulget, vbi neque cruci, neque morti locus est.

Resp. Propheta non intelligit successionem non interruptam.

Secundò, sit nomine *seminis* mens & consilium Prophetæ, hoc est Spiritus Dei, designare successionem quandam, non designauerit tamen Propheta continuò successionem non interruptam. Nam hodieque qui fideles sunt semen sunt Abrahæ, non quod fides Abrahami illis tradita sit tanquam per manus, sed quia credunt quemadmodum Abraham credidit. Itaque vox *semen* similitudinem & conformitatem posterioris cum priori significabit, non verò propagationem quandam continuam. Nam fac (quod non est) fidem aliquot sæculis fuisse prorsus exstinctam in terris, si quis fidelis derepente prodiret, esset is de semine Abrahæ, non eò quod continuata & non interrupta propagatione fides ad eum deuenerit, sed qui credidit exemplo Abrahæ. Ergo, vt vocem hanc *semen* accipiamus ita vt significet posteros fidei, non continuò inde sequetur fidem perpetua quadam serie propagari.

Resp. 3.

Quod nos non eò dicimus ac si negandum esset fidem propagari, hoc enim vltrò concedimus, sed

vt liqueat quis sit in hac quæstione Aduersariorum nostrorum stupor, qui cùm versantur in eo loco,in quo triumphant, eas tamen adhibent rationes, quibus nihil possent efficere si cum illis ageretur iure summo. Deni que respondemus, demus sanè *seminis* nomine eo loco significari continuam Ecclesiæ, minimeque interruptam, propagationem.nihil effecerint. Nos enim non negamus quin Deus semper habuerit Ecclesiam, & quidem propagatam in terris, tantùm negamus propagationis istius rationem semper æquè conspicuam fuisse. Nam quod eo loco id vrgent, quod Propheta prædixit fore vt agnoscatur id semen,vel illi ipsi coguntur diluere hanc cauillatiunculam; nam concedunt sæpenumerò contingere, vt qui se profitentur pertinere ad Ecclesiam Romanam lateant.neq; conspicui sint Gentibus,id est, alienis ab Ecclesia,vt verbi gratiâ, in Anglia Iesuitæ:nunquid noti sunt Gentibus Jesuitæ laruati qui sunt, scilicet, Ecclesiæ semen? Minimè verò. Quid igitur est? Certè rei secundùm carnem magnificæ & gloriosæ nomine Propheta pollicetur rem magnificam & gloriosam secundùm Spiritum. Vt sit finis, Esto intellexerit Propheta eam Ecclesiæ gloriam, quæ sit tanta vt omnes rapiat in admirationem sui, quæ vt aliquando contigit Ecclesiæ, ita nihil prohibet vt denuò contingat, nempe deleto Antichristo, & Iudæis conuersis ad fidem, non inde sequitur gloriam hanc perpetuam esse debuisse in Ecclesiâ. Iam verò Propheta non pronuntiat hoc fore perpetuum ab initio nascentis Ecclesiæ ad finem vsque;atque ita hoc loco nihil promouetur.

neque perpetuò conspicuam.

Inst. Resp.

Resp. 4.

Locus 3.

Sunt alij acutiores qui locum citant qui est cap.62. Esaiæ, quo sibi videntur nos premere & vrgere vehementius,verba sic se habent, *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte, semper non tacebunt, sed admouebunt Dominum, ne sit quisquam inter vos qui sileat.* Vnde concludunt non potuisse in Ecclesiam Christianam obrepere vllum errorem, qui quidem sit vllius momenti, quia Dominus eam curam pollicitus sit se suscepturum Ecclesiæ, vt ne passurus sit vnquam Ecclesiæ Pastores & custodes obdormiscere. Sed & locus hic nihil planè facit ad rem; Nam vt id primo loco respondeamus,verba ista non continent promissionem, sed significant tantum ardorem & zelum fidelium,cupientium atque exoptantium ex animo restaurationem Ierosolymorum,& aduentum Messiæ. Itaque illa verba *tota die & tota nocte, semper non tacebunt*, sunt explicanda eodem modo atque si posita essent in infinitiuo modo, nam linguarum Orientalium hæc est consuetudo, vt futura pro infinitiuis vsurpent, vt sit sensus constitui in muris Ierosolymorum custodes vt noctu diùque semper clament. Deinde verò, qui sit iste clamor continuò significatur, nempe clamor est precibus suis interpellantium Deum, & veluti admonentium promissionis suæ,quos adeò hortatur Propheta vt ne sileant. Itaque versu sequenti, *& ne detis ei silentium*, ei, nempe, *Domino*. Qui locus plurimum facit ad illustrationem parabolæ viduæ Judicem ita interpellantis,vt ei instet semper, neque patiatur requiescere. Quæ obseruatio suauissimam habet consolationem & luculentum documentum constantiæ in precibus. Et verò sequitur, *Donec stabiliat, & donec constituat Ierusalem in laudem*; Ergo non agitur de continuo quodam statu Ecclesiæ, tantum docet Deus quales velit esse pios eo tempore,quo Propheta vaticinatus est restaurationem Ecclesiæ per Messiam.

Resp. 1.

Resp. 2.

Tertiò adducunt testimonia ex parabolis quibus omnium consensu significatur Ecclesia, nam area in qua sunt grana & paleæ, rete in quo sunt boni & mali pisces,& ager in quo sunt frumenta & zizania, & conuiuium in quo sunt boni & mali discumbentes, & ouile in quo sunt oues & hœdi, significant Ecclesiam visibilem, vt etiam Hæretici fatentur, nam Ecclesia inuisibilis non habet bonos & malos, sed tantùm bonos secundùm eorum sententiam : at eædem parabolæ docent istam Ecclesiam visibilem nunquam interituram vsque ad diem Judicij, nam Matth. capite 3. dicitur : *Ipse permundabit aream suam*, &c. & Matth. capite 13. *Sinite vtraque crescere vsque ad Messem*, & infrà, *Messis autem consummatio est seculi.* Respond. primo, Demus sanè Ecclesiam esse *aream*, esse *rete*, esse *agrum*, esse *conuiuium*, tamen non efficitur ex his locis Ecclesiam semper fore in terris : Nam quod id probant testimoniis iis quibus significatur extremum Judicium, incassum laborant; fac enim desiisse aliquandiu Ecclesiam in terris, illa testimonia haberent pondus suum, nam vera piorum ab impiis segregatio dilata est in extremum illum diem. Certe, & in hac vita, si res deferatur ad iudicium humanum, & post hanc vitam, par est conditio piorum & impiorum; Nam, vt est apud Ecclesiasten, *Omnia omnibus pariter eueniunt*, sed solemnis illa segregatio continget in magno illo die, cùm hœdi à sinistris, agni à dextris constituentur. Non probat igitur hic locus semper fore in terris Ecclesiam,sed non esse Ecclesiam in terris nisi impiis permixtam, & vel hypocritis, vel prophanis hominibus : quamuis sanè non est negandum, Deum habuisse semper, & verò habiturum Ecclesiam. Itaque secundò respond. His parabolis nihil minus effici quàm quod volunt Aduersarij.Nam in Ecclesia area est, non noscitur an sit in Area frumentum, *distinctè*, inquam, & *certò*, sæpe enim in area tantum est paleæ, & arenæ, & lolij, vt lateat frumentum, & in reti tanta est copia piscium vilissimorum, vt illa multitudine obruantur pisces nobiles & laudati, & in agro tanta vis zizaniorum interdum crescit,vt sensim oculorum subterfugiat triticum: In conuiuio autem vel plures sunt mali discumbentes quàm boni, vel boni quàm mali : si plures sunt discumbentes mali quàm boni, profectò boni latebunt, hoc est, non eminebunt boni, sed opprimentur multitudine: vel plures sunt boni quàm mali, atque vt hoc aliquando contingat, non tamen semper, imò neque sæpe contingit, immò mali superant numero. Tertiò, Respond. nihil opus esse vt istæ parabolæ trahantur ad Ecclesiam, nam area cur potius Ecclesiam quam mundùm significaret? Vt sunt homines acuti, respondebunt fortasse ideò aream Ecclesiam significare, quia scriptum est, *permundabit aream suam.* Sed hæc responsio nihil est, nam cap.13. Matth. Paterfamilias, id est Deus, dicitur seminasse bonum semen in agro suo : At eodem cap. Christus agrum Patris sui *mundum* dicit esse, *ager*, inquit, *est mundus*. Deinde, cùm area sit quæ

Rationem Pontif.ductæ ex parabolis.

Resp. 1.

Resp. 2.

Resp. 3. Quid *Area* nomine sit intelligendum.

permun-

permundatur, sanè areæ nomine vel nihil est intelligendum, nisi quod hîc adhibetur illud nomen propter similitudinem non quidem vllius rei quæ huic nomini respondeat, sed actionis quæ sequitur hoc nomen (nam in area fit ventilatio) vel si quid eo nomine significetur, Electi & Fideles significabuntur, qui dicuntur permundari, non, quod ipsi immundi essent (hactenus, inquam, nam naturâ immundi fuerunt) sed quia segregantur ab iis qui immundi sunt, quomodo triticum purgari dicitur, non quod triticum sit imperium, sed quia permixtum fuit impuro. Duplex enim impuritas est altera *interna*, altera *externa*; *Interna* est inhærens de hac purgatione nulla mentio fit his locis, *externa* est ab eo quod comitatur, atque extrinsecus accedit, de qua mundatione locus est intelligendus. Quòd verò *Rete* Ecclesia dicitur non id fit authoritate vll. Scripturæ, nam, vt suprà dictum est, *Rete* est prædicatio Euangelij, *Ager* verò (Christo etiam interprete) non est Eccl. sia, sed mundus in quo sunt boni & mali. *Conuiuium* verò nec Ecclesiam significat, sed quemlibet cœtum profitentium (idque externo cultu) veram Religionem, quem nos nolumus appellari *Ecclesiam* in Scriptura aliam ob caussam quàm quia iudicio charitatis habendus est pro vera Ecclesia. Itaque Aduersarij produnt stuporem suum in hac caussa, nam is solus qui instituit conuiuium ipsos conuiuas discernit & distinguit. *Ouile* autem in quo sunt oues & hœdi non magis in Scriptura est, quàm in rerum natura, non enim ouile dicitur vbi plures hœdi sunt & capri quàm oues: At plures sunt mali quàm boni, quare Ecclesia conflata ex malis & bonis non posset dici ouile. Itaque vel ostendant illi semper fore plures bonos quàm malos in Ecclesia quam illi vocant, vel desinant vti hoc argumento. Certè nos Ecclesiam dici *ouile* in Scriptura fatemur, & quidem *vnum ouile*, quemadmodum dicitur *sponsa mea vnica est*. At istud *vnum ouile* est ouile in quo sunt Christi oues quæ eius vocem audiunt. Porro qui illi sint certè & distinctè, solus ille nouit qui scrutatur renes. Atque vt hæc ratio perimatur, fingamus his omnibus locis probari Ecclesiam esse visibilem, atque ita visibilem vt hæc visibilitas nunquam deficiat, nihil tamen inde efficietur aduersus nos, qui non negamus Ecclesiam Dei semper fuisse visibilem in Nouo Testamento, etsi negamus huius visibilitatis eundem semper fuisse splendorem; nempe (vt suprà monuimus) cùm negamus Ecclesiam semper esse visibilem, intelligimus hoc non absolutè, sed comparatè, vt qui negat noctu lucem esse, non planè negat vllam esse lucem (nam & noctu etiam in densissimis tenebris quædam exilis lux est) sed id dicitur comparatè, nempe ratione diei. Hoc verò qui neget insaniat, nam certè ante aduentum Christi erat Ecclesia, & quidem Ecclesia visibilis, visibilis, inquam, si comparetur eius status cum conditione Gentilium, Ethnicorum, at inuisibilis si comparetur eius status cum pristinâ conditione, atque eo statu cuius effulsit splendor post aduentum Christi.

Quid Rete, Agri, Conuiuij nomine significetur.

In ouili Domini non sunt hœdi, aut hirci.

Resp. 4. Quomodo Ecclesia sit modo visibilis, modo inuisibilis.

Quartò, inquiunt, probatur ex Scripturis idipsum. Nam Psalmo 89. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut luna* &c. Agitur de regno Christi, Regnum autem Christi Ecclesia est, itaque Ecclesiæ conspicuitas continua est. Et ibidem, *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli*, &c. Et Daniel cap. 2. *In diebus autem regnorum illorum, excitabit Deus cœli regnum quod in æternum non destruetur.* Et Luc. 1. *& regni eius non erit finis.* Ad primum locum sic respondetur, vt negemus eo agi de conspicuitate Ecclesiæ, nam eodem Psalmo, & quidem versibus proximè sequentibus, sequitur, *Tu verò repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum, euertisti Testamentum serui tui* &c. & versu 45. *Cessare fecisti splendorem eius, & solium eius in terram deiecisti*, quæ pugnant cum illa externa pompa & gloria Ecclesiæ, & efficiunt planè vt necesse sit obscurari & latêre Ecclesiam: nam etsi hæc dicuntur de Dauide, & eius regno κατὰ τὸ ῥητόν, iuxta sensum quem vocant literalem, tamen etiam conueniunt Christo & Ecclesiæ Christi. Ergo perperam adhibetur hic locus ad confirmandam gloriosam illam & conspicuam humanis oculis conditionem Ecclesiæ. Ergo Ecclesia sanè durabit, sed hæc duratio similis erit Lunæ & Solis, non *in splendore*, sed *in re*. Nam si vellemus, quod non est nostrum, argutari, possemus affirmare Solem latêre aliquando, & Lunam itidem, & vtrumque pati Eclipsim, sed nihil opus est eò recurrere, quando consilium Prophetæ hoc est, vt ostendat Ecclesiam parem esse Soli & Lunæ immortalitate, immò superiorem, non esse parem splendore externo, alioqui pugnantia diceret Propheta. Iam verò nos non ij sumus qui negemus semper esse Ecclesiam, & esse Ecclesiam immortalem, tantùm negamus Ecclesiam semper & vbique splendescere. *Semen* autem, cuius eo Psalmo mentio fit, non est colluuies improborum & proborum, in qua superant improbi, sed (si allegoricè interpretemur locum) *semen Christi*, nam eo loco Dauid proponitur vt typus Christi: At *semen Christi* ij sunt duntaxat qui non ex carne & sanguine, sed ex Dei spiritu sunt nati. At (etiam fatentibus Aduersariis, & postulante rei natura) hoc semen nos non negamus fuisse semper, immò affirmamus apertè & clarè, Christum semper habuisse semen in terris: Quamuis (quod sæpe iam monuimus) Aduersarij hîc ostendunt cæcitatem suam, nam etiamsi *semen Dauidis*, hoc est, Christi (nam vt in N. Test. Elias dicitur Iohannes Baptista, sic etiam in Veteri & in Nouo *Dauid* non semel dicitur Christus, vt alibi demonstratum est) desinat esse in terris, non ideò non est in sæculum sæculi, & sicut dies cœli, immò tum demum illa æternitas vera obtingit Ecclesiæ cum desinit esse in terris. Nihil igitur facit ad rem hic locus, extra causam est.

Ratio. Quarto. ex

1. locus. 2. 3. Resp. ad 1.

Ecclesia Soli similis duratione, non splendore externo.

Semẽ Christi sunt soli pij.

Atque iisdem rationibus occurrunt argumento quod adducunt ex cap. 2. Daniel. Nam vt ab hoc posteriori ordiamur, fac nullum esse Dei regnum in terris (quod non fuit vnquam, nec est, nec verò erit) nõ inde sequeretur regnum illud non fore æternum, immò tum demum æternum erit cùm desinet esse in terris: nam quæ de regno dicuntur ea pertinent ad ciues, ciues autem non ideò intereunt quia emigrant ex hac vita. Itaque nec interiret regnum Dei, etiamsi omnes ciuitatis illius cœlestis ciues non amplius in terris agerent, quod nos vt negamus, tamen vt negemus non adducimur locis Sripturæ quæ Aduersarij afferunt cæcutientes nimio studio caussæ. Secundò, Regnum Dei

Resp. ad 2. 1.

idem regnum Christi est, de quo dicitur, *Veniat regnum tuum.* Huius verò regni non sunt ciues qui sunt alieni à Christo, sed hostes, quos Christus sceptro ferreo conteret. Ergo non pertinet hic locus ad illam fictitiam Ecclesiam (de cuius ratione, vt illi loquuntur, non sit fides, spes, charitas, virtutes quippe, quæ ex eorum sententia per accidens conueniunt Ecclesiæ, quomodo ciui Romano vt sit doctus) sed conuenit Ecclesiæ fidelium, hoc est veræ Ecclesiæ, quæ non dicitur Ecclesia per accidens, sed per se. At nos affirmamus eiusmodi Ecclesiam semper fuisse in terris, tantum negamus semper fuisse gloriosam.

Resp. ad 5. Atque itidem respondetur loco qui adducitur ex cap. 1. Lucæ, *Et regni eius non erit finis.* Nam fac Ecclesiam fuisse intermortuam, desierit certè Ecclesia esse in terris, non desierit esse in cœlo, hoc est, ita esse vt nunquam possit deleri; Nam quæ cœlestia sunt eadem sunt æterna, terrena verò omnia obnoxia sunt vicissitudini temporum.

Inst. Pontif. Quod verò Aduersarij, vt veluti fulcro quodam stabiliant argumentum ductum ex his locis, negant aliquot homines occultos dispersos & separatos ab inuicem posse dici *Regnum*, cum regnum sit multitudo hominum congregatorum qui se inuicem norunt, videntur agi spiritu vertiginis.

Resp. Nam hoc argumento efficietur vt pij omnes qui vixerunt, qui viuunt, & qui victuri sunt, sibi mutuò sint noti, quod est absurdissimum. Immò verò tam crassè hîc errant, vt ne id quod contingit in vita humana, ac se vltrò ingerit oculis nostris, videantur agnouisse: Nam ne in regno quidem terreno omnes ciues sibi mutuò noti sunt, præsertim rebus confusis & perturbatis: nouimus quidem qui debeant esse ciues, non continuò nouimus qui sint verè ciues. Attamen illorum hominum tacita quædam est consensio, & artissima coniunctio, quantumuis occulta sit, & si se quandoque agnoscunt mutuo coniecturis quæ speciem habent, sibi nequeunt temperare quin ruant in mutuos amplexus, quod ipsum solet fratribus accidere qui se mutuo non norunt vel ob vestis, vel ob faciei mutationem, dicas istos non fuisse fratres? Certè Christi regnum si quando (vt aliquando se res habet) habet pompam & splendorem, nec ea pompa, nec hic splendor pertinet ad essentiam illius regni, non magis quàm lætus successus rerum in vita. Vnde fit vt pij vel paucissimis piis, vel non omnibus sint noti, nam solent viri boni & prudentes vtrumque cauere, vt vel se prodant temerè iniquo tempore & loco, vel etiam dissimulatores sint & vafri, quiq; nō tam gloriæ Dei, & bono proximi quàm sibi caueant. Itaque nec Christus detrectauit aliquando se subducere, & verò silere. Porrò Christus vitæ nostræ idem institutor & exemplū est.

Vt viri & ciues boni,

Sic & verè pij rarò sunt sibi mutuò noti.

Alia inst. Pontif. Nam quod Ps. 88. (hoc est, secundùm Hebr. 8. 9.) locum hunc vrgent, *Si autem dereliquerint filij eius legem meam,* &c. frustrà id faciunt, nam *filiorum* nomine eo loco designantur pij, qui etiamsi aliquando peccent vt Dauid, tamen non traduntur continuò in reprobum sensum.

Resp. Quem locum egregiè exposuit Paulus capite 10. 1. ad Corinthios, nam quod eo loco dicitur fore *vt Deus visitet virga,* Apostolus exponit *tentationem humanam, Tentatio,* inquit, *vt non cœpit, nisi humana,* quod verò dicitur eo loco, *Misericordiam autem meam non auferam.* Apostolus exponit, *Deus non tentauit vos supra id quod potestis ferre.* Itaque hic locus nihil facit ad rem, nam agitur de conditione piorum, non autem de continua eorum propagatione in terris. Sed fac agi eo loco de illa propagatione, nihil efficitur; nos quippe eam non negamus, tantùm negamus istam propagationem peragi cum apparatu, & pompa obuiâ atque incurrente in sensus humanos.

Rationes Pontif. ductæ ex Patrum authoritate. Quintò, aiunt idem probari Testimoniis veterum, Augustini imprimis, & Bernardi. Et Augustinus quidem Psal. 101. concione 2. disputans contra Donatistas, *Illa,* inquit, *Ecclesia quæ fuit omnium Gentium, iam non est, periit: hoc dicunt qui in illa non sunt, ô impudentem vocem,* &c. Infrà, Ecclesiam ita loquentem introducit, *quandiu ero in isto sæculo annunciato mihi, propter illos qui dicunt fuit, & iam non est, apostatauit, & periit Ecclesia de omnibus Gentibus.*

Resp. Respond. Augustinum eo loco nomine Ecclesiæ intelligere Ecclesiam electorum & fidelium, quā nos negamus periisse vnquam: nam quod Aduersarij student efficere, Augustinum non augere de Ecclesia verè fidelium, quod Donatistæ admittebant illam non periisse, nec perituram, & ad se trahebant illud, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,* vt dicam modestissimè frustrà sunt, nam etsi Donatistæ negabant Ecclesiam inuisibilem periisse in Africa, tamen affirmabant periisse inter omnes gentes, immò verò inter eos omnes à quibus discesserant: At nos hoc negamus. Itaque non est eadem nostra conditio, & Donatistarum.

Augustinus Ecclesiæ nomine intelligit verè pios. Sed vt expugnetur omnis pertinacia, Augustinus loco citato docet apertè se eā Ecclesiam intelligere quæ inuisibilis est, id est, Ecclesiam fidelium, vocatorum electorum, hæc enim eius verba sunt, *At verò illa Ierusalem de qua dictum est,* lætare sterilis quæ non paris, erumpe, & exclama quæ non parturis, &c. *quid est* respondit ei? *ille pluit, illa fructum dedit. Respondit ei, sed vbi? in via formidinis suæ; nunquid in se? nam quid esset in se? aut quam vocem haberet in se, de se, nisi solam vocem peccati, vocem iniquitatis? excute voce ipsius, quid inuenis nisi tumultum. Ego dixi,* Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. *Porrò, si iustificata est, respondit ei, non ex meritis suis, sed ex manibus ipsius:* De hac Ecclesia toto Psalmo agitur, Hæc Ecclesia, quæ est vocatorum & iustificatorum, vel ipsis Aduersariis fatentibus, est inuisibilis, Ergo Augustinus agit de Ecclesia inuisibili, nam hæc verba locum quem Aduersarij citant sequuntur. Et infrà, *in hoc ego ei respondet, in vnitate; qui autem non est in vnitate, non ei respondet: ille enim vnus est, Ecclesia vnitas, non respondet vni nisi vnitas. Sed existunt qui dicunt, iam hoc factum est, respondit ei in omnibus gentibus, Ecclesia pariens plures filios quàm illa quæ habebat virum, respondit ei in via fortitudinis suæ, credidit enim Christum resurrexisse, crediderunt in eum omnes gentes.* Deinde continuò sequuntur illa verba, *Sed illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium,* &c. quæ sic claudit Augustinus. *Cúmque subdidisset, respondit ei, vtique laus eius, vtique Ierusalem mater nostra de peregrinatione reuocanda, fœtosa cum multis filiis, magis quàm ea quæ habet virum.* Hactenus Augustinus cui *Ierusalem* est societas iustificatorum per fidem Christi, ideóque Ecclesia certò & distinctè inuisibilis, nam cæteroqui non negat Augustinus, immò verò affirmat, Ecclesiam obscurari & obnubilari, Epistola ad Vincentium 48. etsi enim affirmet Ecclesiam, etiam tum cùm obscuraretur, in suis

credidit Ecclesiam obscurari non rarò, & latere.

in suis firmissimis eminere, attamen inferius hæc eius sunt verba, *quamquam & illi qui tunc firmissimi fuerunt, & verba Hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant* (loquitur de temporibus Arrianæ hæreseos) *Ac sic Ecclesia quæ per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conseruata est, & vsque in finem (donec omnino gentes omnes, etiam barbaras teneat) conseruabitur. Ipsa est igitur Ecclesia in bono semine quod seminauit Filius hominis, & vsque ad Messem crescere inter zizania pranunciauit, Ager autem mundus est.* Et paulò post, *habent enim etiam Scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perueniat. Quod etiam Apostolus dicit ad Corinthios*, Quomodo dicunt quidam in vobis quia resurrectio mortuorum non est, *manifestat vtique omnes non esse tales, veruntamen & tales non extra, sed in eis fuisse testatur, à quibus ne illi seducerentur, qui non ita sentiebant paulò post monuit, dicens, nolite seduci*, &c. Ergo Augustinus vbique Ecclesiam piorum intelligit.

2. authoritate Bernardi.

Quod verò attinet ad locum quem locum ex Sermone 79. Bernardi, possemus excipere Bernardum non esse accensendum veteribus, sed nihil opus est hac vti exceptione, verba enim Bernardi sunt, *Ista est, & tunc deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia, venerunt flumina, flauerunt venti*, &c. *Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit ista, aut potuit aliquando separari à charitate Dei.* Respondeo Bernardum loqui de ea Ecclesia quæ non potest separari à charitate Dei, de ea Ecclesia quæ est corpus Christi, & eius sponsa, hanc autem Ecclesiam concedunt Aduersarij inuisibilem esse. Ergo agit Bernardus de Ecclesia inuisibili, quam nos concedimus vltrò, immò verò affirmamus semper fuisse in terris. Atque vt ne sit vllus dubitandi locus, ipsa quę proximè sequuntur Bernardi verba, quæ de industria Aduersarij videntur reticuisse, consideremus. *Adeò fortiter tenet quem diligit anima sua, adeò illi adhærere Deo bonum est, glutino bonum est, ait Esaias? Quid hoc tenacius glutino? quod nec aquis eluitur, nec ventis dissoluitur, nec scinditur gladiis, denique aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*; quæ conueniunt Ecclesiæ illi in qua viget charitas, non conueniunt illi Ecclesiæ, cuius de ratione non sit charitas.

Resp.

Instant.

Nam quod negant hoc intelligi posse de Ecclesia inuisibili, quòd Ecclesiam inuisibilem non persequantur gladij tyrannorum, nec verbositas Philosophorum, nec cauillationes Hæreticorum, cauillantur. Scriptura enim sic loquitur, & res ipsa id euincit; nam vt ne multos congeramus Scripturæ locos, verba sunt Christi, *Adeo vt seducant electos, si possibile esset.* Ergo Pseudoprophetæ student seducere electos. Et Paulus, *Quis nos separabit à charitate & amore Dei, num gladius?* &c. Atqui, si Aduersarij dicunt quod res est, pij non possunt pati persecutionem; nam in confesso est verè pios inuisibiles esse, hoc est, non posse certò & distinctè cognosci. Res verò ipsa id euincit, nam etsi non sint persecutoribus & Hæreticis noti certò & distinctè, qui pertineant ad Christum, qui non sint Christi, non inde sequitur tamen persecutores, & Hæreticos non adoriri eos quibus quantum humanus animus iudicare potest, insunt veræ Christi membrorum notæ, adeoque sæpe res ipsa. Sed hîc non est immorandum, quando in vita humana occurrunt huius rei exempla, nam sunt qui student persequi & subducere fideles Regis subditos, cùm tamen de fide subditi erga Regem nemini certò & distinctè constare posit præter vnum Deum: itaque hîc planè cæcutiunt Aduersarij.

Resp. Quomodo Ecclesiæ hostes eam persequuntur, etsi sit inuisibilis.

Argumenta Pontif. ducta ex naturali ratione.

Vltimò, inquiunt, probatur hoc idem naturali ratione. Si nobis excidisset sic loqui magnas illi excitassent tragœdias, sed quemadmodum non est vtendum latrocinio aduersus latronem, ita neque cauillandum est cum cauillatore; hoc igitur missum faciamus, expendamus verò quomodo hoc quod volunt probari posit naturali ratione. Primo autem loco hoc afferunt, quod si aliquando sola maneret in mundo Ecclesia inuisibilis, aliquando etiam esset impossibilis salus iis qui sunt extra Ecclesiam, nam non possunt saluari nisi in Ecclesiam ingrediantur, quemadmodum tempore Noë peribant necessariò qui non habebant aditum in Arcam. At non possunt ingredi in Ecclesiam quam ignorant. Igitur non habent remedium. Respondeo. Hoc argumentum vndique laborare: Nam primò hoc videtur ab Aduersariis innui, dum sic ratiocinãtur, prius sciri Ecclesiam quàm aliquis sit membrum Ecclesiæ quam agnoscit, quod est absurdissimum. Nam cùm cognitio Ecclesiæ sit articulus fidei, pendeatque non à ratione, sed à Dei verbo (non enim ratio est, sed verbum Dei, quod docet esse Ecclesiam) nemo potest Ecclesiam scire, qui eo ipso non sit Ecclesiæ membrum; eò ipso, inquam, quod agnoscat Ecclesiam, qualis enim Christi agnitio est, talis est Ecclesiæ agnitio. At Christum nemo nouit qui non sit fidelis, nec Ecclesiam nouerit quispiam nisi fidelis item sit, nam hæc se mutuò ponunt & tollunt, Christus & Ecclesia: Vbi non agnoscitur Christus, nec agnosci potest Ecclesia, & vicissim vbi Ecclesia agnoscitur, Christus etiam agnoscitur. Ergo etiamsi Ecclesia inuisibilis statuatur oculis corporis, tamen hoc argumento non fit vt statuatur inuisibilis oculis fidei. Iam verò vt quis sit veræ Ecclesiæ membrum, satis superque est vt quemadmodum credit Christum esse in cœlo, quamuis non possit digito indicare Christum, ita credat Christum habere Ecclesiam in terra, quamuis eam non possit ostendere intento digito, aut dicere confidenter, hîc est, nulla illic est Ecclesia Dei: nam, vt iam diximus, cognitionem Christi sequitur cognitio Ecclesiæ.

1. Nō possent ingredi Ecclesiam & sic salutem consequi, qui sunt extra Ecclesiam.

Resp. Aliquis prius debet esse membrum Christi & Ecclesiæ, quam agnoscat Ecclesiam.

Secundò, hæc ratio etiam laborat in hac parte, quod statuat necessarium esse vt quis seruetur, idem colat communionem externam cum veris Ecclesiæ membris, quod nihil necesse est, nam vt interna communio necessaria est, sic externa non est necessaria, nisi certis quibusdam conditionibus & legibus: Internam autem communionem dicimus eam, quæ est in vnius fidei & charitatis spiritu, quæ fides, qui spiritus charitatis, locum habet etiam tum cum non agnoscuntur fideles mutuò. Quod solet euenire etiam in communi vita. Nam fratres etiam qui se non nouerunt mutuò, tamen se amant mutuò. Externa verò communio quæ sita est in officiis quæ oriuntur ex agnitione mutuâ (agnitione, inquam, qualis esse illa potest quæ oritur ex signis, quibus tamen subesse potest quædam fallacia) non est ad salutem necessaria. Nam aliquando deficiunt illa signa calamitate temporum, & loci

Resp. 2. cōmunio fidelium interna semper est necessaria.

at nō semper est necessaria externa communio.

in quo degimus iniquitate. Certè quod Ecclesia vbique non est conspicua & gloriosa, neque semper prohibuerit sanè secundi generis communionem, non prohibuerit primi. Sed hoc ne Aduersarij quidem queant negare, quando multæ sunt gentes Barbaræ, inter quas fideles detinentur captiui, vt ne hiscere quidem audeant, multæ itidem gentes quæ profitentur Christum, inter quas fideles necesse est conticescere, & latêre hactenus, vt nec agnoscantur, nec verò difficultate temporum & loci impediti sese mutuò agnoscant: quod Eliæ contigit, nam quod membro alicui Ecclesiæ contigit, quidni posit pluribus contingere membris Ecclesiæ, & verò, si eiusmodi tempora sunt, omnibus? Quod si non fuerunt, nec futura tempora sunt vsque adeò calamitosa, vt omnes & singuli ciues Ecclesiæ sibi mutuò ignoti sint, tamen non ideo vllum pondus haberet hoc argumentum. Nam quod necessarium est ad salutem, tam singulis quàm omnibus necessarium est, quod verò singulis non est necessarium, nec omnibus itidem necessarium fuerit.

comprobante illud ipsa experientiâ & fatentibus Pontif.

Resp. 2. Verè fideles non sunt semper alicuius Ecclesiæ extrinsecus membra. vt catechumeni.

Tertiò, hoc argumento statuitur necessarium esse ad salutem, vt quinque credit, alicuius Ecclesiæ extrinsecus membrum sit, quod est falsum. Quid enim si (olim) Catechumenus est? certè Catechumeni extrinsecùs nullius Ecclesiæ membra sunt, itaque nec olim numerabantur inter fideles. Est-ne qui salutem propterea neget pertinere ad Catechumenos? forsitasse respondebunt, vt sunt argutatores, Catechumenos esse in potentia proxima, vt possint accenseri Ecclesiæ membris. Atque ita nos respondemus, fideles & pios calamitosis temporibus, cùm omnia sunt perturbata & confusa, esse in potentia proxima (vt cum illis loquamur) vt se adjungant Ecclesiæ, si qua Ecclesiæ facies sese offerat; itaque exultant prægaudio, & eò non currunt, sed ruunt præcipites, vbi vel auditur fama veræ Ecclesiæ. Sed & sæpenumerò contingit, vt viri boni temerè excommunicentur, atque ita sanè, vt licet maximè velint, non possint tamen colere communionem externam cum Ecclesia, quod etiam Basilio contigit viro longè maximo. Quid igitur temerè excommunicatis nulla supererit salutis spes? Minimè verò. Nam quod qui sunt extra Ecclesiam non possunt seruari, illud contingit, vel ideò quod qui extra Ecclesiam sunt, extra Christum iidem sunt, quandoquidem Ecclesia Christi corus mysticum est, atque ita sanè qui extra Ecclesiam sunt non possunt seruari, sed vt qui sese adjungat corpori mystico Christi (quod Aduersarij fatentur) non est opus vt certò & distinctè agnouerit corpus Christi mysticum. Ergo & nos facilè concedimus extra Ecclesiam nullam esse salutem, neque damus iidem inde sequi, necesse esse vt Ecclesia semper visibilis sit, & conspicua. Vel extra Ecclesiam ideò non dicitur esse salus, hoc sensu, vt qui superbiæ & odij spiritu impulsi sese segregarunt à communione fratrum, damnentur seu statuantur obnoxij damnationi, verùm hoc pacto superbia & contemptus damnabit, non dolor & mœror qualis fuit Eliæ. Nam sæpenumero contingit vt frater fratrem desideret, atque hoc laudi ducitur, & si quadam calamitate desiderium illud frustraneum redditur, est hoc argumentum commiserationis, non est argumentum criminationis: At si frater fratrem notum (quatenus nosci potest, nam secundùm carnem certò noscitur frater, non noscitur æquè certò secundùm spiritum) non amplectatur, neque cum eo colat communionem, externam etiam, id verò inhumanum & impium foret.

& iniustè excommunicati.

Quomodo extra Ecclesiam nulla sit salus. 1.

2.

Resp. 4.

Denique nos non ij sumus qui negemus Ecclesiam, præsertim temporibus Noui Testamenti, vllo vnquam sæculo ita fuisse obscuratam, vt non potuerit dignosci magnum discrimen inter populum Dei & Gentes. Itaque non ea docemus vnde effici posit, nullum patuisse aditum hominibus à fide alienis ad veram Ecclesiam, nam vtcunque graues corruptelæ, veluti morbi lethales occuparint Ecclesiam & penè obruerint, attamen non ita obtinuerunt vt possent penitus Ecclesiam delere; deleuissent autem si tot tantorumque errorum mole veritas (vnde alitur Ecclesia) fuisset omninò exstincta: at hoc nunquam est factum, neque verò fiet. Nam vt hæc accommodemus ad hanc controuersiam, quæ nobis est cum Pontificiis, ne in Papatu quidem concedimus veritatem Dei fuisse penitus exstinctam, sed quemadmodum in Ecclesia Iudaica, non iam dico, crassa illa idololatria, quæ facit vt etiam ex professo verus Deus contemnatur, sed illa adulteratio cultus Dei quæ diu durauit (nam reiectio veri Dei non durauit diu in Ecclesia Iudaica) non fuit tanta, vt sustulerit omnem rationem cognoscendi veri Dei: Vnde vox illa Christi de Pharisæis & Scribis loquentis, *Sedent in cathedra Mosis* &c. Hæc tamen adulteratio doctrinæ diuturna fuit, æquè ac doctrinæ adulteratio in Ecclesia Christiana, si rem æstimemus non Arithmeticâ sed Geometricâ proportione. Nam in Ecclesia Iudaica, hoc est in Ecclesia qualis fuit sub Lege, & verò ante Legem, multa acciderunt (quod ad immutationem status Ecclesiæ attinet) mira & prodigiosa, vt constat ex libris Veteris Testamenti. Attamen quia in illa Ecclesia non erat *Mysterium iniquitatis*, quod sensim prouehi debuit, hinc factum est vt initia puriora fuerint, tum veluti per gradus, vel (vt Iurisconsultorum verbis vtar) *per alluuionem* (Græci dicunt ἐκ προσθήκης) debuit crescere hoc monstrum, donec eò magnitudinis deuenit, vt neminem posit latêre qui modò oculos habeat. Vbi licet agnoscere insignem Dei sapientiam: Nam in Ecclesia Iudaica tempora subinde interrupta sunt statim ab initio, at in Ecclesia Christiana multò aliter res sese habet, nam statim ab initio malum minimum fuit, singulis ætatibus aliquod cœpit incrementum, nempe veluti factâ compensatione. Nam in Ecclesia Iudaica mali grauitas intentior fuit aliquando, non fuit tam pertinax malum, in Ecclesia Christiana non fuit statim graue, fuit tamen pertinacissimum: nam sub aduentum Christi erat quidem Dei cultus adulteratus, diuque adeò adulteratus fuerat, attamen non erat penitus sublatus, & cùm Christus veluti denuò apparuit, non quidem iudicaturus viuos & mortuos, sed tamen apparuit *spiritu oris sui*, hoc est, verbo *confecturus hominem peccati*, omnia inuenit disiecta & perturbata, non ita tamen vt sublata fuerit professio Christi, & quidem veri Christi.

Etiam in Papatu fuit Ecclesia.

Corruptionis Ecclesiæ Iudaicæ & Christianæ collatio.

& discrimen.

Præterea inquiunt; de ratione vnius veræ Ecclesiæ est vt sit visibilis. Sed nos hoc refutauimus supra, neque enim primo, neque secundo modo per se

2. Argumentum. Refellitur.

per se conuenit Ecclesiæ vt sit visibilis, immò cùm quòd Ecclesiam facit internum sit, externa autem Ecclesiæ cum reliquis cœtibus sint communia, fieri non potest vt, si propriè loqui velimus, Ecclesia sit visibilis, nam quod Ecclesia constat ex hominibus (id quod Aduersarij repetunt hoc loco) non facit vt sit de ratione Ecclesiæ, vt visibilis sit, nisi fortè quis fortè ideò esse de ratione bonorum virorum, vt certò & distinctè sint visibiles, quod iidem viri boni & homines sint.

3. Argumentum cõstat Dilemmate.

Denique, inquiunt, vel homines illi occulti qui Ecclesiam inuisibilem constituunt, profitentur palam fidem suam vel non profitentur. Si profitentur, Ergo non est Ecclesia inuisibilis; si non profitentur, Ergo nulla est Ecclesia; non est enim Ecclesia vera in qua nulla boni, & qui saluentur, non autem sunt boni, nec saluantur qui non confitentur fidem, sed ea in corde retenta, exterius profitentur perfidiam & idololatriam, cùm ad Romanos cap. 10. dicat Apostolus, *Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem*, & Matth. 10. *Omnis qui negauerit me coram hominibus, ego negabo illum coram Patre meo cœlesti.* Ergo implicat contradictionem, Ecclesiam esse & carere omninò forma visibili. Atque hoc est illud argumentum in quo solo videntur sibi triumphare.

Resp. 1. Euertunt ipsi à se datam Ecclesiæ definitionem.

Quod nobis iam excutiendum venit, ac primo quidem loco animaduertendum id est, quod fatentur, *non esse veram Ecclesiam in qua nulli sunt boni.* Ergo poterit definitio Ecclesiæ ab illis tradita cœtui conuenire qui non sit Ecclesia, nam id, vt definitio Ecclesiæ cõueniat alicui cœtui, requiritur tantum vt ea quæ sunt in definitione, quæque definitionem necessariò sequuntur, conueniant: vt, verbi gratiâ vt sit triangulum requiritur tantùm vt vel definitio, vel quæ sequuntur definitionem trianguli conueniant. Iam verò definitio Ecclesiæ ab illis tradita neque constituit, neque facit vt constituantur boni in Ecclesia, est enim communis (vt fatentur ipsi) bonis & malis, hæc enim sunt Bellarm. sua ra (pag. 197.) à nobis allata verba ex libro 2. de Ecclesia milit. capite 2. *Atque hoc interest inter sententiam nostram & alios omnes,* (hîc verò non nos modo, sed & suos notat) *quod omnes alij requirunt internas virtutes ad constituendum aliquem in Ecclesia*, &c. *nos autem etsi*, &c. *tamen vt aliquis absolutè dici possit*, &c. *non putamus requiri vllam internam virtutem*, &c.

Patres agnouerunt Ecclesiam malis permixtam, at non ex malis & bonis conflatam.

Atque hoc obseruandum hîc est, quia gloriantur in eo quod apud Patres Augustinum præcipuè) laudatur Ecclesia, quam Patres, adeoque Augustinus, permixtam quidem malis agnouerunt, non agnouerunt tamen conflatam ex bonis & malis, multò minus in ea reperiri bonos per accidens. Quod nos vel ex vnico loco Augustini probabimus qui est 48. Epist. ad Vincent. Donatistam, hæc eius sunt verba, *Dubitatio enim cuncta scientis nostram in illo dubitationem præfigurauit, quando Ecclesia ex multis de quibus multum sperauit, (sæpè decepta, quod aliter quàm credebantur inuenti sunt, sic perturbatur in suis, vt de nullo facilè boni aliquid velit credere.* Et paulò post, *ipsa est ergo Ecclesia quæ intra sagenam Dominicam cum malis piscibus natat* (videtis vt Ecclesia non sit sagena, sed in sagena) *à quibus corde semper & moribus separatur, atque discedit, vt exhibeatur viro suo gloriosa, non habens maculam, neque rugam.* Quæ inuisibili Ecclesiæ, inuisibili, inquam, certò & distinctè, duntaxat conuenire satis liquet. Deinde, quod concludunt est extra rem: concludunt enim Ecclesiam nunquã carere omnino forma visibili, at hoc non erat concludendum, nos enim, etsi temporibus Veteris Testamenti concedamus aliquando etiam forma visibili omnino caruisse Ecclesiam, non concedimus tamen tantam sub Nouo Testamento vastitatem fuisse inuectam, nam in ea permansit Christiani nominis professio, immò dogmata quæ dicimus fundamenta nostræ Religionis, quicquid istis dogmatibus in Papatu ad veritatem, si fieri potuisset, obruendam adjectum sit.

2. Resp. Non concludunt quod est controuersum.

Resp. 3. directè ad argumentum.

Sed rectà occurramus argumento. Vel, inquiunt, homines illi occulti (quod dicitur odiosè, nam non negamus homines esse visibiles) qui Ecclesiam inuisibilem constituunt, profitentur palam fidem suam, & abstinent idolorum cultu, vel non. Respondeo primò. Fieri posse vt profiteantur palam fidem, & abstineant ab Idolorum cultura, neque tamen visibiles sint ita vt constituatur Ecclesiæ visibilitas: nam si pauci sunt præ multitudine, haud dubiè non facient Ecclesiam conspicuam, conspicuitas enim Ecclesiæ oritur ex eorum multitudine qui extrinsecus saltè nomen Christo dederunt, qui si pauci sint, habebuntur pro fatuis & stultis, & hominibus mente capitis, Secundò respondetur, duobus modis abstineri posse ab Idololatria, vel, vt loquuntur in Scholis, *negatiuè, sed positiuè.* Et *negatiuè* quidem qui abstinent ab Idolorum cultu non faciunt Ecclesiam visibilem; Nam in Israele temporibus Eliæ, Deus septem millia (hoc est quam plurimos) sibi reseruauit, qui non flexerant genu coram Baal, attamen illi non reddiderunt Ecclesiam conspicuam. Vel *positiuè* abstinetur ab Idololatria, hoc verò tum demum fit, cùm quis non modò non colit Idola, sed aliquo edito signo testatur se detestari idola, & quidem palàm populo, quod fecit Daniel & Danielis socij. Prius, abstinentia nempe negatiua semper est necessaria, posterius, nempe abstinentia positiua non est semper necessaria, alioqui Idololatræ fuissent qui Baaliticis temporibus latuerunt. Quando verò abstinentia negatiua duntaxat necessaria est, & quando positiua item necessaria fit, pendet ex circumstãtiis personarum, loci & temporis, quas hîc definire non est locus, tantum monemus spiritum quo ducuntur pij esse sapientum monitorem. Tertiò, Respond. Duplicem esse professionem Religionis: est quædam professio Religionis quæ sita est in bonis operibus, vt prius opera cognoscantur quàm Religio, & professio est quædam veræ Religionis quæ sita est in aperta confessione (quatenus fit ore) omnium dogmatum veræ Religionis. Prior professio necessaria est semper. Secunda non est semper necessaria. Nam simulare mendacium est, non profiteri quod sentias, tum demum mendacium est, cùm est idipsum quod simulare, nempe tacuisse intempestiuè, & loco minimè idoneo. Itaque hoc Argumentum est admodum debile, etiamsi nihil aliud esset quod responderemus. Nam, vt hæc conferamur in paucissima, dicimus à Christi temporibus ad ætatem vsque nostram fuisse semper fideles, qui vel pauci profiterentur Religionem, vel abstinerent idololatria negatiuè, vel profiterentur operibus & vitâ sanctâ qui essent: at nihil horum Ecclesiam facit visibilem & gloriosam, quomodo Aduersarij

& quidem 1.

Abstinere quis potest ab idololatria, vel Negatiuè, 2. vel Positiuè.

3. Duplex Religionis professio.

Applicatio distinctionum superiorum.

hoc intelligi volunt quum dicunt, *Ecclesiam semper esse gloriosam.*

Alia plenior Resp. ex quadruplici Dist.

Sed vt nihil superfit in quo hæreamus, res est explicanda fusè, quod vt à nobis fiat adhibendæ sunt docendi causâ quædam (vt loquimur vulgo inter disputandum) distinctiones. Prima autem distinctio esto *Cultus* seu *Religionis*. Secunda *Conscientiæ* eorum qui communionem cultus & Religionis colunt. Tertia *Conditionis* eorum inter quos in Religione societas quædam est. Quarta *Temporum*. Secundùm primam distinctionem;

1. Distinct. Cultus, qui est vel purus, vel impurus, vel mixtus.

Cultus alius est *merè purus*, alius *merè impurus*, alius *mixtus*. Jam verò vt ista ad rem accommodemus, in Papatu fuit olim aliquid purum, & est hodieque, nam morbus non tollit, sed labefactat naturam: & in Papatu item fuerunt quædam prorsus impura, hodieque sunt, qualia sunt illa in quibus nullum apparet vestigium illius pietatis quam Deus præscripsit in verbo suo, vt, verbi gratiâ, Idololatria, &c. Sed & fuerunt in Papatu quædam mixta, in quibus aliquid puri erat, aliquid itidem impuri, vt in Sacramentorum administratione, hæc sit explicatio primæ distinctionis. Iuxta secundam distinctionem, *conscientiæ*, Alij sunt qui non nouerunt quid doceatur, quid credi iubeatur; alij sunt qui id nouerunt quidem, sed non approbant; alij qui & nouerunt & approbant. (Quæ distinctio non est nostra, sed Augustini epist. 48. ad Vincentium, etsi iisdem verbis quibus nos sumus usi eam non proponit.) Nam sæpenumerò contingit, vt qui sunt simpliciores in Ecclesia, nihil minus credant quàm quod Rabbinis suis tribuitur meritò, vt (quod ipsa experientia testatur) multi hodieque sunt in Papatu, quibus frustra coneris persuadere, credi in Ecclesia Romana transsubstantiationem, aut si illis suadeas à quibusdam hoc credi, negent à veris membris Ecclesiæ Romanæ id credi: Vt olim qui subscripserunt Arrianismo, plerique omnes arbitrabantur nihil minus agi, quàm vt ne Filius Dei, pro vero Deo haberetur. Et sunt qui errorem agnoscunt neq; probant, sed duorum generum sunt, vel enim ideò non recedunt quia conscientia quadam tenentur; ne videantur authores Schismatis, vel ne recedant tenentur spe quadam erroris corrigendi, si modestiâ quadam & leni συγκαταβάσει non continuò id tentent, quod tum demum illis tentandum videtur cùm ventum est ad extremum, vel cùm vident vlcus esse insanabile, saltem (nisi præpedirentur studio tuendi status sui) possent id videre. Inter quos immane quantum discrimen est, nam etsi aliquando errent priores, tamen si sibi benè conscij sunt, hoc est, si verè & ex animo hoc tamen student, vt ne grauius malum fit factâ discessione, errauerint, quidni? sed vt boni viri errare solent. Nam sunt errores quidam occulti qui non afferunt perniciem, qui non sunt argumenta animi à Christo alieni, vnde oriuntur contentiones etiam inter viros bonos, & peritos rerum. Sunt item qui nouerunt errorem & probant; Nouerunt errorem, inquam, non iam dico, nouerunt esse errorem; sed tamen tenent quid doceatur, quid agatur: hi verò excusari nullo modò possunt, nisi fortè excusandus fit ille, qui putaret religiosum esse & sanctum Mahumetem præferre Christo, scortari, libidinari, liberos immolare, &c. Tertia distinctio fuit *Conditionis* eorum qui inter se societatem colunt religiosam, quæ non est omnium eadem.

2. Distinct. conscientiæ. Quidam non sunt conscij erroris.

Quidam sunt conscij, sed illum improbant.

Quidam denique sunt conscij & probant.

3. Dist. Conditionis eorum qui colunt societatem religiosam quæ duplex est. 1. 2.

Nam sunt quorum memoriæ hærent pertinaciter quæ in religione puriora sunt, quamuis ea non statim expendant, atque traducant ad vsum conscientiæ. Sunt verò quorum memoria ne leuiter quidem tingitur harum rerum commemoratione. Horum conditio desperatissima est, illorum non est desperata; Nam est Spiritus Sancti peculiare opus, idoneo tempore & loco nobis in memoriam reuocare ea, quæ dum audiremus primum, vix ac ne vix quidem animum affecerunt: Vt semen aliquandiu iacet occultum, tandem verò prodit vim suam, sic planè Dei verbum, etsi statim prolatum contemni videatur, tamen non est semper inane. Cùm igitur in Religione, qualis etiam fuit in Papatu, multa fuerint quæ obseruata potuerint ostendere & prodere Papismum, nihil est absurdi, vt etiamsi multi in vita, atque constituti extra agonem & tentationem, ea non pro eo ac oportuit obseruarint, tamen quum ad rei summam ventum est, ea adhibuisse ad salutem. Cuius rei exemplum habemus in Scriptura, Nam Christo agente in terris multa discipuli audierunt, & verò infixerunt memoriæ, quorum tamen nullum interim fructum perceperunt, præpediti tarditate ingenij in rebus diuinis, quorum tamen post Christi resurrectionem non tantum meminerunt, sed notitiam etiam salutarem consecuti sunt.

Applicatio distinctionis.

4. Distinct. est Temporum, quæ duûm sunt generum. 1. 2.

Quarta distinctio *Temporum* est, non sunt enim eadem semper Ecclesiæ tempora. Idque duobus modis potest intelligi, aliquando enim vulgo docentur errores in Ecclesia, sed nulla authoritate vniuersali & legibus sancita, aliquando docentur errores & commendantur, vt doctrina publico consensu approbata in Ecclesia; Immane autem inter hæc est discrimen. Nam quandiu nullum intercessit decretum, liberũ est illis cœtibus interesse quibus traditur illa doctrina, nam id malum tribui potest vitio quorundam, non poterit continuò tribui vitio totius cœtus. Vt hodie (vtemur enim exemplo quod ab Aduersariis rejici non potest) in Papatu ferè passim docetur Papam esse supra Concilium, & quidem tantâ vehementiâ id vrgetur, vt nemo sit qui palam pro concione audeat contradicere, nisi fortè vnus aut alter sit vir fortis, qui audeat etiam palam reclamare, id tamen haud impunè laturus, attamen non continuò pro Schismaticis habentur, aut hæreticis, qui diuersum sentiunt, nisi tacita animi cogitatione, & hominum priuatorum in hac parte iudicio. Secundò distinguenda sunt tempora alia ratione, nempe quemadmodum olim cùm Dei populus detineretur captiuus in Ægypto primùm, tum postea Babylone, non peccauit populus, quod in Ægypto & Babylone passus est illam seruitutem, attamen postquam Deus viam ad libertatem patefecit, si hæsisset in Ægypto, aut in Babylonia, peccasset, & quidem grauissimè. Ita planè distinguenda sunt tempora Ecclesiæ, quandiu oppressa fuit seruitute Ægyptiaca & Babylonica, hoc est, Pontificis Romani, ab iis temporibus quibus Deus sustulit signum & vocauit ad libertatem: nam quando hoc factum est, nullus est veniæ aut excusationi locus relictus, illis quidem quorum oculis objectum est hoc veluti Dei signum, Euangelij prædicatio. Atque ita se rem habere constat ex Scriptura, quæ non semper iussit, sed certo quodam tempore, populum suum exire Babylone, quod

Applicatio Distinctionis.

Ex emplo illustratur.

Alia Temporum distinctio.

Applicatur distinct.

ne, quod non est perperam annotatum, non enim semper, sed statuto quodam tempore, vox illa de cœlo est audita.

Directa argumenti solutio.

Jam verò facile est hinc colligere quî fieri potuerit vt Deus Ecclesiam suam semper conseruarit, & quidem visibilem, quamuis comparatè inuisibilem; nam suprà monuimus (quod & hîc repetimus) Ecclesiam nullo vnquam æuo temporibus Noui Testamenti fuisse absolutè inuisibilem, quamuis esse potuerit absolutè inuisibilis, qualis fuit Ecclesia Israelitica temporibus illis Baaliticis. Nam quod cauillantur Aduersarij id quidem contigisse parti cuidam Ecclesiæ, idem non potuisse toti Ecclesiæ contingere, frustrà sunt. Idque duplici ratione ostendi potest; Primò, si vlla pars Ecclesiæ stare potuit, etiamsi absolutè inuisibilis esset (quod Aduersarij concedunt) quidni & omnibus partibus idipsum possit accidere? Cur enim id huic parti potius quàm illi conueniat? Quò & illud accedit quod decem illæ Tribus maximam partem populi Dei constituebant, vt si pompæ & splendoris habeamus rationem, præferenda fuerit illa multitudo Judæorum paucitati. Deinde, quod itidem suprà monuimus, cùm essent impij Reges in Judæa, profectò defecit tota Ecclesia. Itaque Bellarminus homo cautus etsi conatur eludere argumentum ductũ à statu Ecclesiæ Israelis, quod tum in Iudæa esset Ecclesia, tamen quia fortasse vidit hoc, quod iam à nobis allatum est, potuisse objici, eò confugit vt asserat diuersam esse conditionem Ecclesiæ Noui & Veteris Testamenti, hanc enim illâ adeptam esse multò præstantiora priuilegia. Itaque hîc pes figendus erat, & certandum ad hanc lineam. Primò igitur quærendum est, an hac in parte eadem sit conditio Ecclesiæ Christianæ & Iudaicæ. Et, si non est eadem prorsus, sit ne tamen verum quod nos asserimus, etiam Ecclesiam Noui Testamenti defecisse; defecisse, inquam, non *absolutè* (hoc enim nullo modo concedendum est) sed *comparatè*: Nam illi negant vtrumque, antecedens, & consequentiam antecedentis, & quidem antecedens potius quàm consequentiam, diffisi nempe bonitati caussæ, vt ostendemus post modum.

Ecclesia Judaica aliquando fuit absolutè inuisibilis.

Quid sit hic controuersum.

Antecedens verò sic probatur Ecclesiæ in genere duo sunt tempora, vel status potius, nempe *naturæ* & *gratiæ*. At tempore naturæ Ecclesia defecit, nam Adamus & Eua defecerunt. Quod argumentum illi frustra conantur eludere, dum sic respondent, Ecclesiam non fuisse in Adamo & Eua (attamen dum respondent hoc pacto probari Ecclesiam inuisibilem defecisse, non sunt redarguendi ac si quippiam dixissent præter rem, nostro quidem iudicio.) Nam (in quo illi collocant firmamentum caussæ suæ) quod duo homines non sint Ecclesia, id vanissimum est, cùm fateantur iidem duos illos homines fuisse principium formale & materiale Ecclesiæ. Etenim si principia formalia & materialia Ecclesiæ deficiunt, quid statuendum erit de ipsa Ecclesia? Certè sublato formali & materiali rem ipsam tolli necesse est. Quod verò aiunt, hoc pacto probari Ecclesiam inuisibilem defecisse, id quod nos negamus, non euitant vim argumenti: nam sunt quibus hoc non absurdum videatur, nempe vt Ecclesia Dei penitus defecerit, nihil igitur promouerunt. Etsi enim nos id negamus, tamen Hæreticus (Socinus, puta) id possit affirmare. Rectiùs respondissent, si dixissent alium esse statum Ecclesiæ sub Natura, alium sub Gratia. Nam esto, duo homines non constituerint Ecclesiam, at si successores habeant, ij verò sint principia materialia & formalia Ecclesiæ, certè iis deficientibus deficiet Ecclesia. Ac nos (vt ingenuè fateamur quod res est, & certè putamus rem esse) nolimus vti hoc argumento. Nam certum est Ecclesiam eam demum propriè dici, quæ collecta est postquam homo lapsus est. Porrò status Naturæ fuit mutabilis, status Gratiæ non item, quippe quæ Naturæ superuenerit, & non sit mirum Ecclesiam (si tamen Ecclesia dicenda est) defecisse planè, quandiu fuit in statu Naturæ, mirum verò si Ecclesia constituta in statu Gratiæ deficiat. Cuius discriminis rationem non modò facimus niti rei ipsius veritate, sed etiam authoritate Apostoli. Nam rei veritas id postulat, vt si cum lapso homine ineatur fœdus, non ita ineatur ac si genus humanum, quo cum fœdus initur, intercidere posset: deficiente autem Ecclesia genus humanum intercideret, quia Dei patientia, quâ mundus sustentatur, huc spectat vt stet semper Ecclesia, & sic stante mundo stet etiam Ecclesia, quæ si collabesceret, etiam in hoc sæculo redderet omnia ita perturbata & confusa, vt sæculum infernum videretur. Apostolus verò authoritate sua hoc confirmauit, vel potius Spiritus Sanctus, nam dum vult probare Legem non potuisse viuificare, id inde efficit, quia *si data esset Lex quæ posset viuificare, verè per Legem esset iustitia*: quod argumentum nititur hoc fundamento, quòd non conuenit sapientiæ diuinæ vt cum homine lapso fœdus ineat, quod nemo impleturus sit, cùm initi fœderis cum homine lapso finis à Deo constitutus sit *collectio Ecclesiæ*. Porrò locus Apostoli quem interpretamur est cap. 3. ad Galat.

Duo Ecclesiæ status nempe *Naturæ* & *Gratiæ*.

An & quomodo Ecclesia in Adamo & Eua defecerit sub statu Naturæ.

Status naturæ est mutabilis, at non status Gratiæ.

ratio discriminis probatur. 1. rei ipsius veritate.

2. Apostoli authoritate.

Etiamsi igitur ab hoc argumento discedamus, accesserimus ad rem de qua agitur, hoc est, *An Ecclesia constituta sub statu Gratiæ possit deficere*. Status autem Gratiæ duplex est, vel qui propriè *status Gratiæ* dicitur, qualia fuerunt tempora Noui Testamenti, quibus Deus & illustriùs, & pluribus voluit reuelari gratiam suam: vel is qui non propriè dicitur *status Gratiæ*, vt nocturna tempora non sunt propriè tempora lucis, attamen vt noctu quædam lux est, sic illa tempora, tempora Gratiæ fuerunt. Possunt autem distingui illa in trium temporum genera vel rationes. Nam fuerunt tempora quædam quibus Deus per Patriarchas populum suum est allocutus, fuerunt quibus per Prophetas est allocutus populum suum, & fuere item tempora quibus est allocutus populum suum scriptis, cum desiisset Patriarcharum & Prophetarum opera: *Tempora*, inquam, *Gratiæ* quidem, sed non illa tamen quæ peculiariter *tempora Gratiæ* dicuntur. Hæc tempora item distingui possunt ratione politici regiminis, nam homine iam lapso regimen politicum, primùm veluti fuit domesticum, quia hoc genus regiminis est maximè naturale, porrò natura artis fundamentum est. Secundò, fuit regimen Ecclesiæ politicum non à natura, sed à Dei spiritu præter ordinem naturæ (& verò politiæ etiam) excitantis eos qui regerent politicè Ecclesiam, vt Mosis & Iudicum temporibus, quibus Deus ipse Rex erat. Et sequuta sunt tempora quibus politia,

Status Gratiæ duplex, nempe vel Noui, vel V.T. Tempora Vet. T. triplicia.

alia Temporum illorum distinctio, triplex etiam.

1.

2.

3.

hoc intelligi volunt quum dicunt, *Ecclesiam semper esse gloriosam.*

Alia plenior Resp. ex quadruplici Dist.

Sed vt nihil supersit in quo hæreamus, res est explicanda fusè, quod vt à nobis fiat adhibendæ sunt docendi caussâ quædam (vt loquimur vulgo inter disputandum) distinctiones. Prima autem distinctio esto *Cultus* seu *Religionis*. Secunda *Conscientiæ* eorum qui communionem cultus & Religionis colunt. Tertia *Conditionis* eorum inter quos in Religione societas quædam est. Quarta *Temporum*. Secundùm primam distinctionem;

1. Distinct. Cultus, qui est vel purus, vel impurus, vel mixtus.

Cultus alius est *merè purus*, alius *merè impurus*, alius *mixtus*. Jam verò vt ista ad rem accommodemus, in Papatu fuit olim aliquid purum, & est hodieque, nam morbus non tollit, sed labefactat naturam: & in Papatu item fuerunt quædam prorsus impura, hodieque sunt, qualia sunt illa in quibus nullum apparet vestigium illius pietatis quam Deus præscripsit in verbo suo, vt, verbi gratiâ, Idololatria, &c. Sed & fuerunt in Papatu quædam mixta, in quibus aliquid puri erat, aliquid itidem impuri, vt in Sacramentorum administratione, hæc sit explicatio primæ distinctionis. Iuxta secundam distinctionem, *conscientiæ*, Alij sunt qui non nouerunt quid doceatur, quid credi iubeatur; alij sunt qui id nouerunt quidem, sed non approbant; alij qui & nouerunt & approbant. (Quæ distinctio non est nostra, sed Augustini epist. 48. ad Vincentium, etsi iisdem verbis quibus nos sumus usi eam non proponit.) Nam sæpenumerò contingit, vt qui sunt simpliciores in Ecclesia, nihil minus credant quàm quod Rabbinis suis tribuitur meritò, vt (quod ipsa experientia testatur) multi hodieque sunt in Papatu, quibus frustra coneris persuadere, credi in Ecclesia Romana transsubstantiationem, aut si illis suadeas à quibusdam hoc credi, negent à veris membris Ecclesiæ Romanæ id credi: Vt olim qui subscripserunt Arrianismo, plerique omnes arbitrabantur nihil minus agi, quàm vt ne Filius Dei, pro vero Deo haberetur. Et sunt qui errorem agnoscunt neq; probant, sed duorum generum sunt, vel enim ideò non recedunt quia conscientia quadam tenentur; ne videantur authores Schismatis, vel ne recedant tenentur spe quadam erroris corrigendi, si modestiâ quadam & leni συγκαταβάσει non continuò id tentent, quod tum demum illis tentandum videtur cùm ventum est ad extremum, vel cùm vident vlcus esse insanabile, saltem (nisi præpedirentur studio tuendi status sui) possent id videre. Inter quos immane quantum discrimen est, nam etsi aliquando errent priores, tamen si sibi benè conscij sunt, hoc est, si verè & ex animo hoc tamen student, vt ne grauius malum fit factâ discessione, errauerint, quidni? sed vt boni viri errare solent. Nam sunt errores quidam occulti qui non afferunt perniciem, qui non sunt argumenta animi à Christo alieni, vnde oriuntur contentiones etiam inter viros bonos, & peritos rerum. Sunt item qui nouerunt errorem & probant; Nouerunt errorem, inquam, non iam dico, nouerunt esse errorem; sed tamen tenent quid doceatur, quid agatur: hi verò excusari nullo modò possunt, nisi fortè excusandus sit ille, qui putaret religiosum esse & sanctum Mahumetem præferre Christo, scortari, libidinari, liberos immolare, &c. Tertia distinctio fuit *Conditionis* eorum qui inter se societatem colunt religiosam, quæ non est omnium eadem.

2. Distinct. conscientiæ.

Quidam non sunt conscij erroris.

Quidam sunt conscij, sed illum improbant.

Quidam denique sunt conscij & probant.

Nam sunt quorum memoriæ hærent pertinaciter quæ in religione puriora sunt, quamuis ea non statim expendant, atque traducant ad vsum conscientiæ. Sunt verò quorum memoria ne leuiter quidem tingitur harum rerum commemoratione. Horum conditio desperatissima est, illorum non est desperata; Nam est Spiritus Sancti peculiare opus, idoneo tempore & loco nobis in memoriam reuocare ea, quæ dum audiremus primum, vix ac ne vix quidem animum affecerunt: Vt semen aliquandiu iacet occultum, tandem verò prodit vim suam, sic planè Dei verbum, etsi statim prolatum contemni videatur, tamen non est semper inane. Cùm igitur in Religione, qualis etiam fuit in Papatu, multa fuerint quæ obseruata potuerint ostendere & prodere Papismum, nihil est absurdi, vt etiamsi multi in vita, atque constituti extra agonem & tentationem, ea non pro eo ac oportuit obseruarint, tamen quum ad rei summam ventum est, ea adhibuisse ad salutem. Cuius rei exemplum habemus in Scriptura, Nam Christo agente in terris multa discipuli audierunt, & verò infixerunt memoriæ, quorum tamen nullum interim fructum perceperunt, præpediti tarditate ingenij in rebus diuinis, quorum tamen post Christi resurrectionem non tantum meminerunt, sed notitiam etiam salutarem consecuti sunt.

3. Dist. Conditionis eorum qui colunt societatem religiosam quæ duplex est.

1.

2.

Applicatio distinctionis.

Quarta distinctio *Temporum* est, non sunt enim eadem semper Ecclesiæ tempora. Idque duobus modis potest intelligi, aliquando enim vulgo docentur errores in Ecclesia, sed nulla authoritate vniuersali & legibus sancita, aliquando docentur errores & commendantur, vt doctrina publico consensu approbata in Ecclesia; Immane autem inter hæc est discrimen. Nam quandiu nullum intercessit decretum, liberū est illis cœtibus interesse quibus traditur illa doctrina, nam id malum tribui potest vitio quorundam, non poterit continuò tribui vitio totius cœtus. Vt hodie (vtemur enim exemplo quod ab Aduersariis rejici non potest) in Papatu ferè passim docetur Papam esse supra Concilium, & quidem tantâ vehementiâ id vrgetur, vt nemo sit qui palam pro concione audeat contradicere, nisi fortè vnus aut alter sit vir fortis, qui audeat etiam palam reclamare, id tamen haud impunè laturus, attamen non continuò pro Schismaticis habentur, aut hæreticis, qui diuersum sentiunt, nisi tacita animi cogitatione, & hominum priuatorum in hac parte iudicio. Secundò distinguenda sunt tempora alia ratione, nempe quemadmodum olim cùm Dei populus detineretur captiuus in Ægypto primùm, tum postea Babylone, non peccauit populus, quod in Ægypto & Babylone passus est illam seruitutem, attamen postquam Deus viam ad libertatem patefecit, si hæsisset in Ægypto, aut in Babylonia, peccasset, & quidem grauissimè. Ita planè distinguenda sunt tempora Ecclesiæ, quandiu oppressa fuit seruitute Ægyptiaca & Babylonica, hoc est, Pontificis Romani, ab iis temporibus quibus Deus sustulit signum & vocauit ad libertatem: nam quando hoc factum est, nullus est veniæ aut excusationi locus relictus, illis quidem quorum oculis objectum est hoc veluti Dei signum, Euangelij prædicatio. Atque ita se rem habere constat ex Scriptura, quæ non semper iussit, sed certo quodam tempore, populum suum exire Babylone, quod

4. Distinct. est Temporum, quæ duûm sunt generum.

1.

2.

Applicatio Distinctionis.

Ex exemplo illustratur.

Alia Temporum distinctio.

Applicatur distinct.

ne, quod non est perperam annotatum, non enim semper, sed statuto quodam tempore, vox illa de cœlo est audita.

Directa argumenti solutio.

Jam verò facile est hinc colligere quî fieri potuerit vt Deus Ecclesiam suam semper conseruarit, & quidem visibilem, quamuis comparatè inuisibilem; nam suprà monuimus (quod & hîc repetimus) Ecclesiam nullo vnquam æuo temporibus Noui Testamenti fuisse absolutè inuisibilem, quamuis esse potuerit absolutè inuisibilis, qualis fuit Ecclesia Israelitica temporibus illis Baaliticis. Nam quod cauillantur Aduersarij id quidem contigisse parti cuidam Ecclesiæ, idem non potuisse toti Ecclesiæ contingere, frustrà sunt. Idque duplici ratione ostendi potest; Primò, si vlla pars Ecclesiæ stare potuit, etiamsi absolutè inuisibilis esset (quod Aduersarij concedunt) quidni & omnibus partibus idipsum possit accidere? Cur enim id huic parti potius quàm illi conueniat? Quò & illud accedit quod decem illæ Tribus maximam partem populi Dei constituebant, vt si pompæ & splendoris habeamus rationem, præferenda fuerit illa multitudo Judæorum paucitati. Deinde, quod itidem suprà monuimus, cùm essent impij Reges in Judæa, profectò defecit tota Ecclesia. Itaque Bellarminus homo cautus etsi conatur eludere argumentum ductũ à statu Ecclesiæ Israelis, quod tum in Iudæa esset Ecclesia, tamen quia fortasse vidit hoc, quod iam à nobis allatum est, potuisse objici, eò confugit vt asserat diuersam esse conditionem Ecclesiæ Noui & Veteris Testamenti, hanc enim illâ adeptam esse multò præstantiora priuilegia. Itaque hic pes figendus erat, & certandum ad hanc lineam. Primò igitur quęrendum est, an hac in parte eadem sit conditio Ecclesiæ Christianæ & Iudaicæ. Et, si non est eadem prorsus, sit ne tamen verum quod nos asserimus, etiam Ecclesiam Noui Testamenti defecisse; defecisse, inquam, non *absolutè* (hoc enim nullo modo concedendum est) sed *comparatè*: Nam illi negant vtrumque, antecedens, & consequentiam antecedentis, & quidem antecedens potius quàm consequentiam, diffisi nempe bonitati causæ, vt ostendemus post modum.

Ecclesia Judaica aliquando fuit absolutè inuisibilis.

Quid sit hîc controuersum.

Antecedens verò sic probatur Ecclesiæ in genere duo sunt tempora, vel status potius, nempe *naturæ* & *gratiæ*. At tempore naturæ Ecclesia defecit, nam Adamus & Eua defecerunt. Quod argumentum illi frustra conantur eludere, dum sic respondent, Ecclesiam non fuisse in Adamo & Eua (attamen dum respondent hoc pacto probari Ecclesiam inuisibilem defecisse, non sunt redarguendi ac si quippiam dixissent pręter rem, nostro quidem iudicio.) Nam (in quo illi collocant firmamentum caussæ suæ) quod duo homines non sint Ecclesia, id vanissimum est, cùm fateantur iidem duos ilols homines fuisse principium formale & materiale Ecclesiæ. Etenim si principia formalia & materialia Ecclesiæ deficiunt, quid statuendum erit de ipsa Ecclesia? Certè sublato formali & materiali rem ipsam tolli necesse est. Quod verò aiunt, hoc pacto probari Ecclesiam inuisibilem defecisse, id quod nos negamus, non euitant vim argumenti: nam sunt quibus hoc non absurdum videatur, nempe vt Ecclesia Dei penitus defecerit, nihil igitur promouerunt. Etsi enim nos id negamus, tamen Hęreticus (Socinus, puta) id possit affirmare. Rectiùs respondissent, si dixissent alium esse statum Ecclesiæ sub Natura, alium sub Græcia. Nam esto, duo homines non constituerint Ecclesiam, at si successores habeant, ij verò sint principia materialia & formalia Ecclesiæ, certè iis deficientibus deficiet Ecclesia. Ac nos (vt ingenuè fateamur quod res est, & certè putamus rem esse) nolimus vti hoc argumento. Nam certum est Ecclesiam eam demum propriè dici, quæ collecta est postquam homo lapsus est. Porrò status Naturæ fuit mutabilis, status Gratiæ non item, quippe quæ Naturæ superuenerit, & non sit mirum Ecclesiam (si tamen Ecclesia dicenda est) defecisse planè, quandiu fuit in statu Naturæ, mirum verò si Ecclesia constituta in statu Gratiæ deficiat. Cuius discriminis rationem non modò facimus niti rei ipsius veritate, sed etiam authoritate Apostoli. Nam rei veritas id postulat, vt si cum lapso homine ineatur fœdus, non ita ineatur ac si genus humanum, quo cum fœdus initur, intercidere posset: deficiente autem Ecclesia genus humanum intercideret, quia Dei patientia, quâ mundus sustentatur, huc spectat vt stet semper Ecclesia, & sic stante mundo stet etiam Ecclesia, quæ si collabesceret, etiam in hoc sæculo redderet omnia ita perturbata & confusa, vt sæculum infernum videretur. Apostolus verò authoritate sua hoc confirmauit, vel potius Spiritus Sanctus, nam dum vult probare Legem non potuisse viuificare, id inde efficit, quia *si data esset Lex quæ posset viuificare, verè per Legem esset iustitia*: quod argumentum nititur hoc fundamento, quòd non conuenit sapientiæ diuinæ vt cum homine lapso fœdus ineat, quod nemo impleturus sit, cùm initi fœderis cum homine lapso finis à Deo constitutus sit *collectio Ecclesiæ*. Porrò locus Apostoli quem interpretamur est cap. 3. ad Galat.

DuoEcclesiæ status nempe *Naturæ* & *Gratiæ*. An & quomodo Ecclesia in Adamo & Eua defecerit sub statu Naturæ.

Status naturæ est mutabilis, at non status Gratiæ

ratio discriminis probatur. 1. rei ipsius veritate.

2. Apostoli authoritate.

Etiamsi igitur ab hoc argumento discedamus, accesserimus ad rem de qua agitur, hoc est, *An Ecclesia constituta sub statu Gratiæ possit deficere*. Status autem Gratiæ duplex est, vel qui propriè *status Gratiæ* dicitur, qualia fuerunt tempora Noui Testamenti, quibus Deus & illustriùs, & pluribus voluit reuelari gratiam suam: vel is qui non propriè dicitur *status Gratiæ*, vt nocturna tempora non sunt propriè tempora lucis, attamen vt noctu quædam lux est, sic illa tempora, tempora Gratiæ fuerunt. Possunt autem distingui illa in trium temporum genera vel rationes. Nam fuerunt tempora quædam quibus Deus per Patriarchas populum suum est allocutus, fuerunt quibus per Prophetas est allocutus populum suum, & fuere item tempora quibus est allocutus populum suum scriptis, cum desiisset Patriarcharum & Prophetarum opera: *Tempora*, inquam, *Gratiæ* quidem, sed non illa tamen quæ peculiariter *tempora Gratiæ* dicuntur. Hæc tempora item distingui possunt ratione politici regimnis, nam homine iam lapso regimen politicum, primùm veluti fuit domesticum, quia hoc genus regiminis est maximè naturale, porrò natura artis fundamentum est. Secundò, fuit regimen Ecclesiæ politicum non à natura, sed à Dei spiritu præter ordinem naturæ (& verò politiæ etiam) excitantis eos qui regerent politicè Ecclesiam, vt Mosis & Iudicum temporibus, quibus Deus ipse Rex erat. Et sequuta sunt tempora quibus politia,

Status Gratiæ duplex, nempe vel Noui, vel V.T. Tempora Vet. T. triplicia.

alia Temporum illorum distinctio, triplex etiam.

1.

2.

3.

neque fuit secundùm naturæ illam legem quam domesticam diximus, neque itidem secundùm illam legem quam Propheticam appellamus docendi causâ, sed secundùm illam Legem quæ vsitata est inter Gentes; inter quas Leges magnum est discrimen. Nam dum populus vteretur Magistratu quem Deus excitabat, optimè illi fuit, semper enim expertus est liberationem, at postquam cupiuit sibi dari Regem, Samuel ei denunciat quod euenturum fuit, idq; Domini verbis: attamen prætexebat aliquid ambitioni suæ populus, quod non est frustrà notatum in Scriptura. Nam hoc typus fuit illius euentus qui diu post sequutus est in Ecclesia Christiana. Nam Deus initio Ecclesiam rexit per pios Episcopos, sed (quod fecerunt olim Israelitæ) Ecclesia Regem petiuit. At postquam Reges desierunt esse in Ecclesia, cœperunt dominari Principes, non quales Iudices fuerunt, nec item quales fuerunt Reges. Hæc tempora sequuta sunt liberationem à seruitute Babylonica.

Defecit Ecclesia ante Legem.

Iam istis omnibus temporibus ostendemus defecisse Ecclesiam. Sic temporibus ante Legem quibus obtinuit Politia naturalis, dicitur suo fine capitis 4. Genes. apertè, temporibus Sethi *cœptum esse inuocare nomen Domini.* Quæ verba alij aliter accipiunt, nam sunt qui ea sic interpretentur, vt dicant temporibus Sethi nomen Domini cœpisse profanari; sic interpretatur illum locum Chaldæus Paraphrastes, cuius Venetiis edita Paraphrasis est, contra id quod nobis Hebraica veritas persuadet. Nam in Heb. est verbum impersonale הוחל *profanatum est*, ille autem interpretatur חלו, vel אחלו *profanarunt, profanè se gesserunt.* Sed nisi prohiberent sequentia, hoc autem aliquo pacto stare posset, verùm quæ sequuntur sic habent, *Ad inuocandum in nomine Domini*; certè dicendum fuisset, non לקרא sed מקרא, nam ל *actionem* significat, non *abstinentiam ab actione.* Tum hæc non conueniunt Sethi temporibus, immò verò potius conueniunt temporibus quæ Sethi tempora præcesserunt, nam Seth fuit pius singulari quodam modo. Itaque multò melius Paraphrasis Complutensis hunc locum vertit, בכין שריאו בני אינשא לשלאה בשמא, hoc est, *Tunc cœperunt filij hominum inuocare nomen Domini*

Sethi tempore. Explicatur locus Gen. 4.26. Reprehenditur Chald. Paraph.

Arguuntur LXX. Int.

LXX. verò Interpretes etsi non commodè verterunt hunc locum, eorum tamen versio nostræ conuenit sententiæ, nam quod est in Hebræo אז הוחל illi ita verterunt זה הוחל οὗτος ἤλπισε, quod nullum habet sensum, nisi statuamus Sethum demum (nam vt ad Enoschum illa referantur, cum sit Parenthesis, nihil est necesse) ausum fuisse inuocare nomen Domini publicè: nam cùm audacia omnis spem habeat, non est adeò absurdum vt qui ausus est, *sperasse* dicatur. Vulgatus verò interpres sic hunc locum vertit, *& cœpit inuocare.* Iam verò si illud *cœpit* referatur ad Sethum, eadem est hæc interpretatio quæ LXX. sensu, inquam, eadem. Cæterùm videtur aliter illum locum legisse, nam pro הוחל, quod est in Hebræo, LXX. legerunt הוחל, vulgatus Interpres החל potius legisse videtur, nisi fortè mendum est, & scriptum *inuocare* pro *inuocari.* Quod superest, vt dicamus rei summam, Paraphrasis Venetæ editionis discedit ab Hebræo, & à temporis circumstantiis; reliquæ interpretationes confirmant sententiam nostram, quamuis & illæ (solâ Complutensi exceptâ) discedant ab Hebræo.

etiã Vulg. versio.

Atque hæc ita dicuntur à Spiritu Sancto, vt ne quis fingat tamen nullum antea exstitisse Dei cultum & quidem perpetuum, sed vt statuat vnusquisque apud se, cultum illum fuisse obscuriorem, atque obtinuisse inter pauciores: nam ex vsu Scripturæ, quæ latuerant vbi patêre cœperint, tùm demum esse cœperunt. Sic apud Prophetas quæ contigerunt temporibus Noui Testamenti sic annuntiantur, an si Veteris Testamenti temporibus earum rerum nihil accidisset; vt quæ dicuntur de cognitione Dei, de remissione peccatorum, de inscriptione Legis in corde, de oblatione sacrificij mundi: quasi verò illa temporibus Veteris Testamenti non obtinuissent, obtinebant iam tum sanè, quamuis minus clarè, & inter pauciores. Nam quod sic nonnulli hunc locum interpretantur, vt velint hoc tantùm significari, pios cœpisse tum demum vocari *Filios Dei*, & alienum est, & si habet et hunc locum, faueret sententiæ nostræ: Nam *Filij* quidem *Dei* dicuntur in quibus elucet singulari modo imago Dei, attamen non dicuntur iidem Filij יהוה. Itaque frustrà ad stabiliendam hanc interpretationem confugerunt ad initium capitis 6. quo loco mentio fit Filiorum Dei: non enim eo loco dicuntur vlli *Filij* יהוה, sed *Filij* אלהים *Dei.* Vt interim illud taceam, *Filios Dei* eo loco esse propriè Magnates & Principes, qui in prima illa ætate principatum obtinebant ob præstantiam virium corporis & animi.

Sententia. aliorũ interpretatio rejicitur.

Iudicum verò temporibus Ecclesia defecit, nam cap. 17. Iudicum, (agitur autem eo loco de Idololatria) dicitur *vnusquisque Israelitarum fecisse quod erat rectum in oculis suis*, hoc est, coluisse Deum prout libebat; quam rationem colendi Dei Apostolus ἐθελοθρησκείαν vocauit. Doctissimus Interpres vertit *voluntarium cultum*; sed egregiè vulgatus Interpres vocem illam interpretatus est *superstitionem*: nam superstitio est cultus Dei, sed qualem sibi præscribit ingenium humanum, nam veræ Religionis est ea facere quæ sunt recta in oculis Domini. Itaque passim in libris Regum pij Reges, qui cultum Dei restaurauerunt, dicuntur fecisse quod erat rectum in oculis Domini: quamuis (etiamsi hic locus non exstaret tam disertis verbis) ipsa lectio libri Iudicum satis arguit his temporibus obscuratam fuisse faciem Ecclesiæ, & quidem (quod mirum videri possit) statim post obitum Iosuæ, ne quis miretur in Ecclesiam Christianam errores post Apostolorum tempora irrepsisse. Et etiam Regum temporibus defecit Ecclesia, huius autem rei exemplum sunto Baalitica tempora. Nam quod illi excipiunt, etiam illis temporibus fuisse Ecclesiã in Iudæa nugatorium est: Nam aliquando ne in Iudæa quidem fuit Ecclesia conspicua, nempe temporibus impiorum Regum; sed etiamsi semper fuisset Ecclesia in Iudæa, tamen argumentum valeret, nam si pars aliqua Ecclesiæ, & quidem tam insignis pars quàm fuit Ecclesia decem Tribuum, potuit stare occulta, quæ ratio poterit prohibere quo minus etiam tota Ecclesia stet occulta. Sic verò refellitur quod dicunt Ecclesiam occultam eandem esse hypocriticam: Nam Deus septem illa millia (quo Iudice stamus aut cadimus) pronuntiauit esse Ecclesiam suam. Etiam Prophetæ testantur Ecclesiam defecisse suis temporibus: verba Ieremiæ (cap. 2.) sunt, *Confusi sunt domus*

Deficit Ecclesia sub Vet. Test. tempore iudicum.

& Regem temporibus.

domus Israel, ipsi & Reges eorum, & Principes eorum, &c. Nam quod excipiunt ex Augustino vniuersum populum reprehendi, quasi nemo sit bonus, id confirmat nostram sententiam, qui non negamus tum fuisse bonos, eorum sententiam refutat qui volunt Ecclesiam semper fuisse conspicuam. Nam pauci inter multos non possunt reddere cœtum conspicuum, vt vnum & alterum frumenti granum in aceruo paleæ.

Item tempore Antiochi Epiphanis.

Item iis temporibus quæ Regum tempora sequuta sunt, defecit Ecclesia, id verò probatur ex cap.9. Danielis, qui prædixit fore vt Antiochus Epiphanes *auferret hostiam & sacrificium*, qui locus ab Aduersariis nullo pacto in alienum sensum (adeò illustris est) detorqueri potuit. Cuius vaticinij complementum exstat in libris Machabæorum.

Pharisæorum & Sadducæorũ.

Item, defecit Ecclesia tum cùm obtinuerunt in eâ authoritatem Sadducæi & Pharisæi, qui Hæretici fuerunt, vel fatentibus Aduersariis. Certè Sadducæos & Pharisæos Epiphanius *Hæreticos* vocat: Et certè si qui puritatem doctrinæ contaminant Hæretici sunt, illi profectò fuerint Hæretici imprimis.

tempore mortis Christi.

Denique defecit Ecclesia, cùm paucis piis exceptis (qui coacti sunt latere, quemadmodum scriptum est, *Feriam pastorem & oues dispergentur*) omnes Christum ad mortem persecuti sunt, etiam qui profitebantur se credere in Messiam, & expectare eius aduentum.

Idem Ecclesiæ Christianæ status sub Antichristo.

Qui status Ecclesiæ refert Apostasiam Ecclesiæ Christianæ, neque enim illi profitebantur se contemnere Legem Mosis, scripta Prophetarum, & Messiam, quemadmodum nec hodie asseclæ Antichristi profitentur se contemnere scripta Apostolorum,& Christum. Sic probauimus pro diuersa ratione temporum Ecclesiam ante Christi aduentum defecisse.

An alia sit ratio Ecclesiæ Vet. T. alia vero Noui.

Sed, inquiunt, non est eadem ratio populi Judæorum, & populi Christianorum; nam populus Iudæorum non erat Ecclesia vniuersalis, vt est populus Christianorum, sed particularis, & propterea etiam extra illum populum inueniebantur fideles & iusti.

Resp. 1.

Respond. primò, Hoc est miserrimum effugium, nam cùm potissima pars Ecclesiæ deficit, tota Ecclesia dicitur defecisse. Non enim quisquam ita insaniat, vt non prius rem existimet deficere quàm omnino desinat esse: verbi gratiâ, dicimus deficere Lunam, & magnam esse Eclipsin, & horrendam, etiamsi tota non deficiat, si maxima sui parte deficiat, sic quæritur Dauid, *defecisse rectos de terra*, quod recti præ paucitate laterent, quasi nulli essent.

2.

Respondeo secundò, post datam Legem nulla censebatur Ecclesia extra Iudaicam Ecclesiam, nisi quo pacto aliquis animo fingere potest inter Barbaros esse Christianos: nam quæ afferuntur de Melchisedeco & Iob antiquiora sunt Lege. Quod verò ad Cornelium attinet, is vixit temporibus quibus multa erant corrupta & deprauata in Ecclesia Iudaica, vt non sit adeò mirandum si minus adiunxit se Ecclesiæ. Denique *vna hirundo non facit ver*, & oportet eos fuisse redactos ad incitas, qui ad ea confugiunt vt ad sacram anchoram. Certè desinant in posterum nobis objicere, Deum à nobis (absit blasphemia dicto) statui negligentem maritum qui non curam gerat Ecclesiæ suæ, quod dicamus Ecclesiam aliquando defecisse, cum ipsi fateantur (etiam inuiti, nam diffisi hac exceptione inde statim resiliunt) Ecclesiam Iudaicam defecisse, neque enim Deus Ecclesiæ Iudaicæ sponsus minus fuit quàm Christianæ.

Defecit Ecclesia etiã temporib. Noui Test. quod probatur. 1. authoritate Scripturæ.

Temporibus verò Noui Testamenti defecisse Ecclesiam probatur primò, authoritate verbi Dei, secundò experientiâ. Nam capite 2. posterioris ad Thessalon. Apostolus testatur, *Mysterium iniquitatis suis temporibus cœpisse.* In quo loco hæc duo præcipuè sunt obseruanda, primò quod id de quo agit *mysterium* vocat *iniquitatis*:

Mysterium iniquitatis.

iam verò si eo nomine quis intelligat hæreses,& corruptelas morum vulgares, quæ tum grassabantur in Ecclesia, non est res tanti vt *mysterium* dici debeat: mysterium aliquid magnum est & latens. Itaque *Mysterium iniquitatis* dicitur quemadmodum *Mysterium pietatis*, quod cœpit statim à lapsu hominis, sed tandem adeptum est complementum certo quodam & statuto tempore. Itaque doctrina Ecclesiæ creuit per gradus quosdam, donec est adepta perfectionem suam, ipsa quidem sibi in circumstantiis dissimilis, vt puer & staturâ & veste differt ab adulto, sed reapse tamen sibi similis: vnde intelligitur (id quod secundo loco obseruandum est) quod hoc mysterium cœpit temporibus Pauli, itaque promouendum erat per gradus: vnde & id colligitur, non intelligi ab Apostolo hæreses quæ statim euanescunt, succedentibus nouis hæresibus pugnantibus sæpenumerò, sed aliquod malum quod serpere debuit per omnia sæcula, & serpendo capere incrementum, vt pilæ niueæ quas per ludum pueri conficiunt, nam initio sunt admodum exiguæ, sed dum voluuntur crescunt ferè in montem, præsertim si qui sint qui indesinenter & valida manu eas subinde impellant & versent.

quid sit Paulo.

Atqui quæri potest, quodnam fuerit tandem hoc mysterium quod ab exiguis initiis eousque peruenerit. Responsio autem (adsit modò candor & integritas) est facilis, nempe hoc mysterium *Papatus* est, cuius fundamenta etiam Apostolicis temporibus sunt iacta.

Nempe Papatus, seu Primatus in Ecclesia.

Quùm dicimus *Papatus fundamenta* intelligimus. Primatum in Ecclesia, non *ordinis* modò, sed *iurisdictionis*, & *authoritatis*, quam distinctionem explicauimus fusiùs cum interpretaremur locum illum, *Tu es Petrus*, vt nihil sit necesse ea quæ tum à nobis dicta fuerunt hîc repetere.

Qui cœpit ipsius Pauli tempore.

Sed ad rem, Primatus cœpit temporibus Apostolicis, id verò liquet manifestè ex lectione capitum primi & secundi Epist. ad Galat. Nam eo loco omni ope Apostolus incumbit in hanc rem, vt se æquet iis qui tum *Columnæ* habebantur in Ecclesia, quo in loco id est imprimis obseruandum, quod Zebedæi filios seiungit & in medio Petrum collocat;

in Petri, Iacobi & Iohannis persona.

nempe,his tribus Christus singulare priuilegium indulserat, vnde orta est nimia eorum æstimatio. Porrò hoc priuilegium fuit, quod indita iis fuerunt nomina à Christo,quæ nunquam induntur frustrà, si quidem induntur Dei consilio; etsi autem nomina indita filiis Zebedæi significabant rem magnam (nam,vt est scriptum capite 3.Marci, appellati sunt *filij tonitru*) tamen non legitur eorum vtrumque separatim vocatum fuisse *filium tonitru.* Deinde, & titulus hic videtur significare aliquid quod commune sit iis qui verbum Dei efficaciter annuntiant, cùm Petro

inditum nomen sit peculiare, quod non fuit ei commune cum vllo, tum Petri nomen significare videtur aliquid imprimis egregium, illud autem quid sit, & quantum exposuimus (vt iam diximus) cum interpretaremur illud *Tu es Petrus*. Sed tamen hoc obseruandum nobis venit hoc loco, Apostolum non collocasse Petrum in primo loco, cum agitur de columnis, neque item vltimo loco, sed medio, vt hunc ordinem disturbaret; nam si coniunxisset duos fratres eodem nomine appellatos, visus illis fuisset detulisse primatum: si Petrum primo loco collocasset, detraxisset quidem fratribus primatum, tribuisset Petro. Itaque, quod sapientiæ Apostolicæ fuit, Petrum in medio locauit.

Nec tamen propterea Petrus fuit Antichristi decessor.

Nec verò quis hîc insurgat, ac si nos vellemus Petrum fuisse Antichristi decessorem: nam pari ratione quis cauillari posset Jeremiam habitum fuisse Idolum Hieronymo, qui scripsit, etiam ea ætate quâ vixit Ægyptios solitos ad sepulchrum Jeremiæ ea facere quæ faciunt idololatræ; vel vt exemplo vtamur quo animus afficiatur vehementius, Serpens æneus qui Dei iussu est erectus in deserto, Idolum tùm fuit cùm adorari cœptum est. Sed est *idolum* duplex, alterum genus Idoli est (liceat enim sic loqui) *actiuè* Idolum, quale Idolum est Antichristus, vult enim se haberi pro Principe, & adorari: Alterum Idoli genus est quod est *passiuè* Idolum, idque duobus modis, nam Idolum *passiuè* est quod neque admittere, neque verò respuere potest idololatriam, vt sunt res inanimes, seu aliquando fuerint animâ præditæ, seu nunquam, vt qui hac vita sunt functi, ex ligna & lapides: & est Idolum *passiuum*, qui defertur honor quem respuit, huius generis Idola fuerunt Paulus & Barnabas, quorum alter pro Joue, alter pro Mercurio est habitus. Sic fundamenta Antichristianismi fuerunt in Petro, non *actiuè*, sed *passiuè*, hoc est, Petro perperam, contra ius & fas, deferebatur primatus. Jam verò norunt omnes etiam pueri, hodieque Papatus priuilegia adscribi & accepta ferri authoritati Petri, & qui vel primoribus labris attigit historiam Ecclesiæ, deprehendet magnum honorem semper habitum sedi Petri, nam mysterium iniquitatis effecit vt Roma sedes Petri haberetur. Neque tamen statim hoc malum adeò magnum fuit, nam quæ existunt derepentè eadem euanida sunt, sed quæ exigua habent initia, ea verò excrescunt aliquando in molem immensam. Certè cùm Christus primus sit, Antichristianismus *Primatus* erit: quid enim aliud sit Antichristianismus quàm vsurpatio dignitatis Christi? Porrò, Christi dignitas in tribus est sita, vt sit idem Propheta, Sacerdos, & Rex Ecclesiæ suæ, docendo, offerendo sacrificium, & regendo Ecclesiam. Iam procliue est non modò diuinare, sed indicare digito quis hæc sibi tribuat, apud quos ea authoritas obtineat: non enim latet quis sibi arrogat ius in conscientiam, in regna, in ea quæ spectant ad hanc vitam & ad futuram, qui nouum instituit sacrificium, abstulit sacrificium verè nouum, atque ita facit re quod Antiochus Epiphanes typicè fecit *abstulit iuge sacrificium*, nostrum enim sacrificium iuge est Christus crucifixus, qui vt loquitur Apostolus Heb.9.12. *Postquam inuenit* (id est exhibuit) *æternam redemptionem, consedit ad Dei dextram in cœlo*. Ille est qui solus pro nobis intercedit, nam eo non intercedente, quid iuuerit vllius vel Angeli, vel hominis intercessio? & eo intercedente quis erit vsus vllius vel Angelicæ, vel humanæ intercessionis? nam piorum certè preces in terra mutuæ, non sunt intercessiones, non enim meritis freti se inuicem commendant Deo, sed meritis Christi freti orant pro se mutuò, quod solent fratres, qui sæpenumerò eiusdem culpæ rei sunt, apud patrem, neque enim tantùm pro se quisque orat, sed pro fratre etiam. Nec obscurum est quis sit qui solus agat Doctoris partes in terris, & Prophetæ: is nempe qui negat posse ab vllo mortalium statui quid sit verum, quid falsum in religione, nisi testimonium dicat in caussa veritatis, quid dixi, *testimonium*? ni sententiam ferat. Itaque etsi non satis piè, tamen non omnino ineptè ad sæculi gustum dictum est, *Româ Tridentum deferri solitum in mantica Spiritum sanctum*. Nam Patribus Tridentinis nefas erat quippiam decernere quod Papæ non luberet. Quamquam res ipsa satis hoc declarat, nam eos non pudet authoritatem Scripturæ *quoad nos* suspendere ab Ecclesiæ authoritate, & Ecclesiæ authoritatem ab authoritate Papæ: vt sit res prodigij similis, nam verbo Dei conciliat authoritatem Ecclesia, Ecclesiæ Papa: sic, verbum Dei vltimo loco, Papa primo loco collocatur quoad nos, hoc est, quoad rem ipsam. Nam apud nos obtinet authoritatem is quem agnoscimus: authoritas enim in hoc argumento relatiuum est, quando ea quæ authoritatem obtinent, tum demum authoritatem obtinent cum admittuntur & agnoscuntur, alioqui etiamsi mereantur authoritatem contemnuntur, hoc est, quod iis iure debetur, non exhibetur facto, sic amittitur authoritas.

Idolum dupliciter dicitur, 1. *Actiuè*, 2. *Passiuè*, idque bifariam. 1. 2.

Antichristianismi fundamenta quomodo fuerunt in Petro.

qua in re situs sit Antichristianismus.

Papa arrogat sibi Christi munus.

Regale.

Sacerdotale.

Propheticum.

nam se supra Scripturam effert.

Deinde, Spiritus sanctus prædixit fore vt veniret Apostasia, itaque Ecclesiam necesse est defecisse, nam Apostasia haud dubiè significat aliquid magnum & insigne, sed magnum & insigne malum: quod Apostolus *Apostasiam* nuncupauit Antonomasticôs, neque enim intelligenda est defectio ad Gentilismum: nam iis temporibus quibus Apostolus hæc scripsit Gentilismus obtinebat. Deinde, ne Aduersarij quidem hoc concedunt, denotari defectionem ad Gentilismum, sed potius defectionem ab Imperio Romano, in eo secuti nonnullorum Patrum authoritatem. Sed si defectio ab Imperio Romano hoc loco significetur, cùm etiam ante elatam facem Euangelij, Romanum Imperium defecerit, sequetur multò ante nostra sæcula defectionem hanc contigisse, & quidem in Ecclesia Romana. Nam, solâ Germaniâ exceptâ, ac ne illâ quidem exceptâ, euiluit vbique authoritas Imperatoris Romani. Itaque si hæc defectio est intelligenda, nos assecuti sumus quod voluimus, Ecclesia tum defecit, subduxit enim se Imperatori Romano, præsertim verò Papa caput Ecclesiæ Romanæ, qui reliquis Principibus exemplum præbuit huius rebellionis, atque adeò illis fuit author, vt notum est ex historia. Huc etiam & illud accedit, quod sic nobis licebit aduersus eos disputare, vt aduersus Iudæos disputamus, nam quia est scriptum, *non auferetur sceptrum de Tribu Iuda, donec venerit Messias*, inde efficimus Messiam iam venisse, quando nulla hodie est Iudæorum Respublica.

Apostasia à Paulo prædicta, quid sit.

nempe, nō defectio ad Gentilismum,

nempe ab Imperio Romano.

Vnde tam probatur Papam esse Antichristum.

Quidni

Quidni & ſic liceat conuenire Pontificios, defectionem ab Imperio Romano comitatur Antichriſti reuelatio (id eſt exhibitio ex phraſi Scripturæ) hæc defectio iam euenit, Ergo Antichriſtus eſt exhibitus. Hæc autem etſi non pertinent ad explicationem vocis *Apoſtaſia*, niſi ex Aduerſariorum ſententia, tamen vera ſunt, atque indicata ab Apoſt. verbi gratiâ, cap.2. poſt. ad Theſſal. *Et nunc*, inquit, *noſtis quid impediat*, intellexit ex omnium Patrum conſenſu Imperium Romanum, cuius occaſum Epiſtolis publicè ſcriptis, (quia hoc nihil faciebat ad fidem & ad mores) noluit aliter quàm tacitè denunciare, vnde priſcis illis temporibus concipiebantur preces *pro mora finis*, hoc eſt, vt ne citò veniret Antichriſtus, deleretúrque adeò Imperium Romanum. Et ſanè rem vel leuiter inſpicienti liquebit, Imperio Romano ſenſim declinante ad occaſum, creuiſſe itidem ſenſim authoritatem & tyrannidem Romani Pontificis. Nam quibus gradibus de dignitate priſtina deſcendit Romanus Imperator, iiſdem gradibus ad multò maiorem conſcendit dignitatem Pontifex Romanus; adeò Romæ fatale fuit vt vel corporis, vel animæ ſimul & corporis Tyrannorum ſedes eſſet.

Quid Apoſtaſia ſignificet, nempe, defectionem à vera Doctrina, ſeu Verbi Dei adulterationem.

Sed redeamus ad inſtitutum. *Apoſtaſia* non ſignificat Apoſtolo defectionem ad Gentiliſmum, neque item à legitimo Magiſtratu, ſed idipſum planè eſt quod Propheta Jeremias (cum agit de falſis Prophetis, eorumque vaticiniis) vocat סרה, hoc eſt, (vt verterunt Septuaginta Interpretes, & res ipſa poſcit) *declinationem & receſſum*, non quemlibet, ſed eum cui prætexitur authoritas verbi Dei. Nam cum Propheta Jeremias objicit Pſeudoprophetis ſui ſæculi Apoſtaſiam, non iis objicit Idololatriam Gentilium, ſed adulterationem verbi Dei. Similiter item Paulus 4. cap. 1. ad Timoth. *Spiritus*, inquit, *manifeſtè dicit, fore vt vltimis temporibus nonnulli diſcedant à fide*, non hoc vult, fore vt nonnulli deficiant ad Paganiſmum, ſed potius, vt nonnulli Doctoribus profitentibus Religionem Chriſtianam præbeant aures nimis faciles, & pronas. Et cap. 21. Act. Fratres Jeroſolymitani dum admonent Paulum periculi in quo verſabatur Jeroſolymis, aiunt percrebuiſſe rumorem de Paulo, ac ſi doceret *Apoſtaſiam*: nempe, non quod Paulo vnquam ab vllo eſſet obiectum quod defeciſſet ad Gentes, quod negaret Meſsiam, aut verò etiam Legem & Prophetas; ſed quod obtentu nominis Meſsiæ, Legis & Prophetarum, contaminaret puritatem doctrinæ.

Cur ſic dicta Apoſtaſia antonomaſticè, nempe 1. quia non genuit in Eccleſia manifeſtũ Schiſma.

Jam ſi quærat aliquis, cur hæc Apoſtaſia antonomaſticè *Apoſtaſia* ſit dicta Paulo, duplex ratio huius rei reddi poteſt, quarum hæc potiſsima eſt, quod iſta Apoſtaſia ea fuit quæ non genitura eſſet in Eccleſia manifeſtum ſchiſma. Nam admittenda fuit à ſucceſſoribus verorum & piorum Epiſcoporum, & quidem à ſucceſſoribus veri & pij gregis, cum reliquæ Apoſtaſiæ quæ etiam temporibus Apoſtolicis obtinuerunt, coniunctæ fuerint cum ſchiſmate. Itaque Nota illa Eccleſiæ, *ſucceſſio Epiſcoporum*, non eſt legitima Nota, cùm Apoſtaſia κατ' ἐξοχὴν dicta ideò ſic appellata ſit, quod debuerat etiam admitti à ſucceſſoribus ſanctorum Epiſcoporum. Cuius generis Apoſtaſiæ imaginem habemus in Eccleſia Judaica, qualis fuit à Prophetarum temporibus ad Chriſti vſque aduentum. Nam labes illa, ſeu lues potius, ipſos occuparat ſucceſſores piorum Doctorum, vt patet ex hiſtoriâ Joſephi, cùm pij interim gemerent & ſuſpirarent: neque tamen ſic interrupta eſt Eccleſiæ ſeries & propagatio, quæ non eſt politica & externa, ſed ſpiritualis, nam pares cum paribus, pij cum piis facillimè congregantur, atque ita omni quo facilis fuit propagatio; vt illud interim taceam, etiam inter impios Doctores, & quidem calamitoſiſsimis temporibus reperiri Joſephos Arimathæos, & Nicodemos, qui aliis ſæpe plus quàm ſibi proſint. Altera cauſſa quæ prioris cauſſæ cauſſa eſt, hæc eſt, quod reliquæ Apoſtaſiæ ſtatim eruperunt, itaque in iis nullum fuit myſterium: at hæc Apoſtaſia quæ Chriſtianam Eccleſiam penè obruit, cœpit ab exiguis initiis, creuit tempore, cùm interim non extincta fuerint priora, ſed prioribus aliquid ſingulis ætatibus adiectum. Nam corruptelæ in doctrina initio leues fuere, itaque vel non fuerunt perceptæ, vel negligebantur etiam à viris *bonis*, qui niſi vrgeat rei grauitas, nullomodo poſſunt excitari (tametſi nunquam ſint diſsimulatores) ad ea palàm profitenda, quorum profeſsio turbas excitare poſsit in Eccleſia, etiamſi ſint veriſsima, tantùm eunt obuiam malo cùm pernicioſum eſt. In quo ſe tuentur exemplo Chriſti, qui inuectus eſt tantùm in craſſos & intolerabiles errores Eccleſiæ Judaicæ, quæ erant leuiora ne attigit quidem, niſi oblatâ occaſione, ne videretur argutator, cùm eſſet tamen non modò ſummâ inter homines, ſed diuinâ præditus authoritate.

2. quia non ſubitò, ſed lento gradu progreſſa eſt.

quod & videre eſt in progreſſu Primatûs Papæ.

Huc imprimis referendum eſt incrementum Myſterij iniquitatis, cuius reſpectu præcipuè, & ſecundùm priorem, & ſecundùm poſteriorem rationem Apoſtaſia hæc ſingularem in modum dicta eſt. Nam initio res fuit tenuis admodum, Petrus primùm cœpit haberi pro primo Apoſtolorum, in quo modus ille Primatûs, qui Petro ex inſtituto Chriſti conueniebat, non eſt obſeruatus, tùm quia in tenebris naſcentis Eccleſiæ (porrò *tenebras* dicimus Scriptorum ſtatim poſt Apoſtolorum tempora inopiam) obtinuit fama (vera ne an falſa non iam diſputamus) Petrum conſtituiſſe Romæ præſertim, ſucceſſorem. Cùm huic rei lenocinium aliquod veluti conciliaret Vrbis ſplendor & dignitas, Epiſcopus Romanus habitus eſt pro Petri ſucceſſore: & cum ad res magnas gerendas ea vrbs eſſet admodum opportuna, vel ob authoritatem politicam, erat enim omnium vrbium Domina, vel etiam ob ſitum, ſita enim eſt ita vt inde Orientem & Occidentem verſus patêre poſsit commercium; hinc factum eſt vt ſenſim, nullo penè animaduertente, myſterium illud ad ſummum tandem perductum ſit. Atque illud eſt myſterium quod Apoſtaſiam facit imprimis, quo Chriſtus nomine tenus non negatur, ſed in Chriſti locum Chriſti quidam vicarius ſubſtituitur. Ex huius Chriſti Vicarij authoritate non tollitur quidem penitus Religio Chriſtiana, nam ſtatim rei horror & fœditas ſeſe proderet, ſed adulteratur tamen & corrumpitur doctrina, eatenus tamen vt non penitus aboleatur (non enim fuiſſet vnde Eccleſia potuiſſet ali, Eccleſia, inquam, quæ fuit olim Babylone) ſed tamen ita vt

in quo Primatu Apoſtaſiæ pars conſpicitur.

Vnde corrupta & adulterata eſt doctrina orthodoxa.

h..rrendum in modum fuerit obſcurata, vt olim Phariſæi non aboleuerunt penitus doctrinam Moſis. Itaque iuxta hanc rationem Chriſtus vult eos audiri, nempe ſedebant in Cathedra Moſis, quam Hilarius; cathedram doctrinæ interpretatur: Cùm idem tamen Chriſtus in Phariſæos acerrimè ſit inuectus, denuntiatitque illis horrendum *Væ*, quod aditum & ſibi & aliis intercluſerint ad arcem veritatis, nempe ſurreptâ claui ſcientiæ.

Sed neque Spiritus prædixit hanc defectionem per Apoſtolum Paulum ſolum, ſed in Apocalypſi cap. 18. (ne videamur conſectari Allegorias) iubet Deus populum ſuum egredi Babylone, debuit igitur aliquandiu populus Dei latêre Babylone, & quidem ad certum tempus, nam non ſtatim audita eſt hæc vox, ſed longo tempore interjecto, iuxta Dei admirabilem œconomiam. Jam verò exploſa eſt etiam ab Aduerſariis noſtris illa ſententia quæ Babylonis nomine ſtatuit intelligi Romam Ethnicam, conſentiunt omnes Romam & ditionem Romanam intelligi quatenus defecit, inquiunt, à ſede Apoſtolica. Si nomine *ſedis Apoſtolicæ* intelligerent authoritatem Petri Apoſtoli, nihil potuiſſet dici rectius. Vtvt ſe res habet, coguntur fateri Romam fore ſedem Antichriſti, adeoque euenturum vt magna & penè vniuerſalis defectio reuelationem Antichriſti ſequatur, id verò nobis ſatis ſuperque eſt. Nam quod illi Antichriſtum fingunt tyrannum quendam, qui vi & armis orbem terrarum Imperio ſuo ſubditurus ſit, non conuenit Apoſtoli ſcopo & verbis, nam quis effugiat vim illam Antichriſti iſtius fictitij, cùm ſit externa? poſtquam autem illa minui cœpit, nihil neceſſe eſt eam fugere, non eſt enim tum metuenda, vt cùm vertuntur in fugam hoſtes, nemo eſt qui ſuos hortetur vt fugiant. Deinde repugnant verba Apoſtoli, notat enim tyrannidem, quæ non vi rectâ, ſed illecebris, & per illecebras vi tandem graſſetur: nam meretrix illa Babylonica dicitur *inebriaſſe Reges Terræ*, atque ita demum obtinuiſſe in eos imperium, vt ſolent meretrices, quarum imperium etſi iuxta auarum & crudele eſt, tamen nititur initio illecebris. Porrò, vt conſcientiâ nihil charius eſt, ſic nullæ ſunt illecebræ magis inſidioſæ quàm quæ conſcientiis ſtruuntur.

Alterum argumentum ducitur ab experientiâ, quod eſt validiſſimum. Nam doctrina, qualis fuit in Papatu vulgò tradita, collata cum doctrina tradita in primitiua Eccleſia, prodit mutationem: nam quod objiciunt notam Eccleſiæ *conſpirationem* eſſe *doctrinæ cum doctrina veteris Eccleſiæ*, faciunt vt, quod prouerbio dicitur, ſorex ſuo pereat indicio, nihil enim eſt quod Chriſtiano homini optatius poſsit contingere, quàm vt reuera deueniatur ad expendendam iſtam conſpirationem doctrinæ. At illi dum hoc profitentur ſe velle, nihil magis defugiunt, nota enim ſunt quæ iactant de conſequentiis: hæc verò conſpiratio, quam volunt eſſe Eccleſiæ notam, quomodo intelligi poterit ſi conſequentiis nullus eſt locus? Nec verò eſt quod hîc reſponſent, ſe non teneri ea lege: nam nec nos ea tenemur, niſi quatenus ratio, rei veritas; conſcientia, hanc Legem præſcribunt, quam certè præſcribunt. Neque enim ſi volumus omnia exigi ad normam veteris doctrinæ (quod ſolùm volumus & nos velle profitemur) excludimus illas, quas vocant, conſequentias; nam qui normam dicit & regulam, continuò ſignificat aliquid eſſe exigendum ad hanc normam, & ad hanc regulam. Igitur vt illis meritò cauillari videatur, qui ab iis poſtulet, vt ne profeſsi ſe ſtare authoritati Eccleſiæ, admittant conſequentias, ſic æquum eſt vt ne à nobis id poſtulent, qui docemus ſtandum eſſe verbo Dei, ni velint eſſe & videri cauillatores. Quod autem queruntur nos diſcedere à doctrina nonnullorum Patrum, quos vocant, eaque habere in Eccleſia Romana pro hæreſibus, quæ in Patribus ſic excuſamus vt appellemus *næuos*, futile eſt, quis enim ignoret errari cum venia quadam errore nondum demonſtrato, ſaltem in aliquo genere; at errore demonſtrato, etiamſi res eſſet leuiſsima, pertinaciter tueri ſententiam, id demum eſt pernitioſum. Quod & ipſi vel inuiti coguntur fateri, nam multa in Patribus vocant *næuos*, vt (ne abeam longius) Chiliaſtarum errorem, neceſsitatem Euchariſtiæ, etiam cum de infantibus agitur, quæ hodie *hæreſes* vocarent. In ſumma, vt hunc locum tandem concludamus, non negamus Eccleſiam aliquam ſemper fuiſſe in terris, non negamus Eccleſiam nunquam (etiam extrinſecus) poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, penitus defeciſſe, tantùm docemus non fuiſſe eam omnibus ſæculis æquè conſpicuam, immò verò affirmamus, ſi inſtituatur ſæculorum inter ſe collatio, aliquando fuiſſe extrinſecus ſplendidiſsimam, diu præ illo ſplendore fuiſſe obſcuram, nunquam tamen penitus inconſpicuam, quando ſemper fuerunt in orbe Chriſtiano aliquæ Eccleſiæ notæ, licet obſcuræ.

[Margin: Quare Babylone quid ... | Babylon Roma. | Antichristus Pontificiorum fictitius. | Meretrix Babylonica. | Defectio Ecclesiæ Christianæ probatur experientia ipsa. | Consequentiarum ratio & vsus est legitimus. | De Patrum authoritate. | Conclusio Disputationis quomodo Ecclesia defecerit vel non defecerit.]

De Eccleſiæ Conſtantia, in retinenda Veritate, ſiue de ipſius Infallibilitate.

DE Eccleſiæ quam vocant infallibilitate diſputaturi (quia res eſt ardua & magni momenti in omni controuerſia de religione, de qua homines ex hominum duntaxat conſenſu faciunt iudicium, conſcij ſibi in rebus diuinis ignorantiæ, qua in re ſe, quod docet Scriptura, cæcos eſſe profitentur vel inuiti, cùm ſit cæcorum in diſcernenda luce pendêre à iudicio alieno, lumen enim cognoſcitur duobus modis, vel à cæcis, teſtimonio alieno, vel ab oculatis, proprio) neceſſe eſt ante omnia, vt cùm hæc controuerſia his verbis vulgò proponatur, *An Eccleſia poſſit errare*; explicemus vim horum verborum. Sunt autem hîc tria verba, *Eccleſia*, *errare*, *& poſſe errare*. Ac primò quidem *Eccleſia* vel in hoc argumento ſignificat eam Eccleſiam quæ verè Eccleſia dicitur, non quæ videtur eſſe Eccleſia, ſed quæ eſt reuera Eccleſia. Quæ duobus modis poteſt conſiderari, vel *collectiuè* vt totum quid, hoc eſt, vt ſignificet corpus Chriſti myſticum, vel *per partes*, vt ſignificet Eccleſia non modò ſingulos cœtus, ſed etiam ſingulos homines, quatenus ſunt membra vera corporis Chriſti; ſic vt nomen Eccleſiæ ſit diſtributiuum, vt bo-

[Margin: Ad ſtatum Controuerſiæ conſtituendum. | Variæ adhibentur Diſtinctiones I. | Eccleſia, quæ accipitur. I.]

vt *bonorum* nomen, quod non modò bonos significat collectiuè, sed etiam *distributiuè*, hoc est, singulos bonos: Atque hoc sensu quum quæritur, *An Ecclesia possit errare*; vel quæritur, *An tota possit errare*, vel, *An vlla eius pars possit errare*. Sed & Ecclesia significat non modò eam quæ est & videtur Ecclesia, sed & eam quæ cùm non sit, tamen videtur esse Ecclesia. Hoc non est nouum & insolens, res enim non modò nominatur secundùm rem ipsam, sed etiam iuxta opinionem: sic viros bonos eos dicimus qui non sunt boni, quia opinione nostra sunt boni, & adamantem dicimus qui non est adamas, quia opinione nostra est adamas. Et secundùm hunc sensum quæri potest, *An Ecclesia quæ non modò videtur, sed reuera est Ecclesia, possit errare*: vel, *An Ecclesia quæ videtur quidem Ecclesia, at non est reuera, possit errare*. Etiam illud *videtur*, est distinguendum, nam videtur vulgo esse Ecclesia, quæ piis non videtur esse Ecclesia; nomen tamen *Ecclesiæ* is cœtus obtinebit, nam in nomina vulgus habet ius: hæc est prima distinctio, *Ecclesiæ*. *Errare* verò potest duobus modis distingui, vel vt erroris distinctio sumatur ex parte *subjecti* vt loquuntur, vel vt sumatur ex parte *objecti*. Et ex parte quidem *subjecti* duobus modis, vel ratione, vt loquuntur, *intentionis*, vt sit error pertinax, & quidem adeò pertinax, vt qui sic errat eum frustrà moneas, adeò veritatem odit, amat verò errorem vel *arrogantiâ*, vel *partium studio*, vnde fit vt vis veritatis expendi non possit: neque enim credibile est omnes Hæresiarchas, atque eos omnes quos impulerunt in errorem errare renitente conscientia, quamuis id sæpenumerò contingat. Item, ex parte *subjecti* distinguitur error ratione *extentionis*, nam est error qui in hominum animis obtinet *ad tempus*, non tamen *semper* obtinet, nam se recolligunt ex errore, & est error in quo vsque ad finem vitæ miseri homines perseuerant.

2.

3.

2. Dist. est *Erroris*, qui est vel ex parte *subjecti*.

Altera erroris distinctio petitur à diuersa ratione objecti, nam aliquando erratur in re graui, aliquando in re minus graui. Prius genus erroris vulgo *error fundamentalis* appellatur: quid porrò sit error fundamentalis non est adeo facile cognitu, tametsi nomen huius erroris sit vsitatissimum. Nos, quia res est planè necessaria, id explicare conabimur, nisi enim percipiatur, non poterit intelligi quatenus vera Christi Ecclesia possit errare, aut non errare. Igitur, vt à nomine ordiamur *fundamenta* Judæi olim hodieque vocant eos quos nos dicimus *fidei articulos*: duobus autem nominibus hîc vtuntur eandem rem significantibus, quorum alterum עקר solet verti *fundamentum*, Apostolus θεμέλιον vocauit initio capitis 6. ad Hebr. agit autem eo loco de principiis Religionis Christianæ; alterum יסוד quod verti solet στοιχεῖον: nam quæ Græci στοιχεῖα seu *elementa vocant*, Hebræi dicunt *fundamenta*, vt cùm dicunt esse quatuor יסודים, hoc est, στοιχεῖα, *elementa*, eaque notant quatuor hisce litteris ארמע, hoc est, עפר, מים, רוח, אש. Itaque Rabbi Moses Ben-Maimon initium operis (quod יד dicitur seu *Misna*) facit יסוד היסוד quasi dicas *fundamentum fundamenti*, agit enim isthic de Dei essentia & vnitate, qui est primus religionis Judaicæ articulus. Quam vocem Apostolus vsurpat sub finem cap. 5. ad Heb. vbi agit de præcipuis & primis illis dogmatibus fidei, & Apostolus hac eadem voce sæpe vtitur, sed adjecto epitheto, vt cùm dicit *infirma elementa*, item *egena elementa*, sæpe addit nomen *mundi*. Notat autem ea quæ Judæi prædicabant esse præcipuos fidei articulos, vti nos Christiani loquimur, cùm nihil essent minus: nam cæremoniæ illæ Legales obtinebant quidem vicem articulorum fidei, donec veritas fuit exhibita in Christo, at postquam res ipsa comparuit, disparuit vmbra & imago rei. Itaque quæ antea fuerunt στοιχεῖα simpliciter, cœperunt esse *infirma elementa*, & *egena*, & *elementa mundi*: nam solet Apostolus nomine *mundi* notare fastum & arrogantiam Judæorum. Atque hinc est quod Apostata, Hæreticus, aut etiam Ethnicus Iudæis vocatur כופר בעקר, hoc est, *qui abnegat fundamentum*, vt contrà si quis Gentilis probet ea fundamenta, solent eum vocare גוי עקרי, hoc est, *Gentilem fundamentalem*, qui probet fundamenta, hoc est præcipuos articulos religionis Iudaicæ, sicut fortè fuit Cornelius. Sic explicata est ratio nominis.

vel ex parte *Objecti* Error fundamentatis.

vnde dictus sit.

Infirma, egena, elementa mundi quid sint Paulo.

Veniamus iam ad rem ipsam. Error fundamentalis igitur est, qui non potest stare cum verâ fide & sanctitate. Nam duo sunt quæ Deus exigit à nobis planè necessaria, nisi velimus perire, *fidem* sine quâ impossibile est Deo placere, & *sanctimoniam*, sine qua nemo videbit Deum. Itaque Spiritus Sanctus, Spiritus *veritatis* & *consolationis* propter fidem quam gignit in hominum animis, & Spiritus *Sanctus* propter sanctitatem qua nos informat, vocatur; atque eo eius vis distinguitur à ratione naturali, & specie virtutum quæ inde proficiscuntur. Cùm igitur ita se res habeat, quicquid directè non oppugnat modò, sed euertit fidem & sanctimoniam, illud habendum est pro errore fundamentali. Sed hæc dicta in genere sunt obscuriora, itaq; res est explicanda speciatim. Euertitur igitur fides vel tum cùm tollitur prorsus fidei objectum, vt cùm negatur esse Deum; vel cùm non tollitur objectum fidei, sed statuitur esse eiusmodi in quod non sit credendum, vt cùm non negatur esse Deum, sed negatur respicere eos qui ad eum accedunt, quorum vtrumque Apostolus his verbis significauit Hebr. cap. 11. vers. 6. *Nam oportet*, inquit, *credere esse Deum, & quidem remuneratorem*, hoc est, secundùm Legem remuneratorem, vel secundùm Euangelium: nam Euangelium est post naufragium tabula, suamque habet remunerationem. Nam vbi fœdus est, remuneratio est, sed pro ratione fœderis diuersa: In Lege quia fœdus est Iustitiæ, remuneratio est secundùm normam Iustitiæ, in Euangelio quia fœdus est gratiæ & misericordiæ, remuneratio est gratiæ & misericordiæ. Vnde & duplex thronus Deo tribuitur in Scriptura, & duplex retributio. Qua de re disputauimus fusiùs cum explicaremus 27. versum capitis 16. Matth. Tertiò (quod & reduci potest ad hoc quod iam diximus) erratur in fundamento dum non negatur id in quod debemus credere, sed falsò constituitur, quod fit duobus modis, vt, verbi gratiâ, si quis neget Christum esse Deum, aut esse Mediatorem, Christique loco substituat qui non sit Mediator, haud dubiè errauerit in fundamento, non enim posuerit illud fundamentum quod posuit Apostolus, & Christus adeò, cuius hæc sunt verba altius infigenda

quid sit *Error fundamentalis*.

Nempe qui euertit Fidem, & Sanctitatem.

euertitur autem Fides.

1.

2.

3.

memoriæ, Joh. cap. 17. ℣. 3. *Hæc est vita æterna vt te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quæ Apostolus aliis expressit verbis, *vnus Deus, vnus Redemptor Dei & hominum*, nam sine Mediatore non patet accessus ad Deum. Vel etiam erratur in fundamento, cùm etsi non substituatur loco veri Dei, & veri Mediatoris, Deus aut Mediator quidam fictitius, tamen adiungitur illis aliquid, & vocatur in societatem tantæ dignitatis. Deinde erratur in fundamento, quando ea tribuuntur Deo, quæ prohibent quominus conscientia possit in eo acquiescere, vt siquis Deum fingat qui non sit præscius futurorum, qui non sit omniscius, qui non sit omnipotens, infinitus & quæ sunt eiusmodi. Aut siquis Deum fingat qui neminem seruet nisi qui mereatur salutem, concidat omnis fiducia necesse est. Atque, vt mihi quidem videtur, si quis Deum fingat qui suspendat salutem ab humanæ voluntatis arbitrio (quo nihil est incertius & instabilius, quod ij qui illud docent vltrò fatentur) quî enim possit Deo fidere, quem nouit non id auferre quod maximè est metuendum, hoc est inconstantiam voluntatis, postquam, inquam, natura nostra peccato corrupta est. Nam Adamus etsi mutabilis fuit, tamen idem erat sanctus, & quidem perfectè sanctus, nostra verò conditio est diuersa, quorum sanctitas est imperfecta. Sextò, erratur in fundamento ratione fidei, si statuatur fidendum esse creaturæ, vt qui multa sibi tribuunt, atque suâ iustitiâ nituntur ad salutem, neque se submittunt Deo, neque eius Iustitiæ. Denique erratur in fundamento, si quis doceat aperte esse dubitandum, quod docent Pontificij, nam dubitatio & fides pugnant, vnde illa Christi increpatio, *Exiguæ fidei homo quid dubitasti?*

4. 5. 6. 7.

Errores fundamentales qui pugnant cum Sanctimonia.

Alterum genus eorum quæ euertunt fundamentum continetur iis quæ pugnant cum sanctimonia. Sanctimoniæ porrò duæ sunt partes, quarum altera ad Deum, altera ad homines pertinet, Sanctimoniæ quidem quæ pertinet ad Deum duæ etiam partes sunt, quarum altera in amore Dei, altera in honore qui Deo debetur sita est: Nam Deus bonus idem est, & summâ præditus gloria, ob bonitatem amandus, ob gloriam & potentiam reuerendus & colendus. Errant igitur in fundamento primò, superstitiosi qui non amore bonitatis Dei, sed metu coguntur ad officium, nam etsi Deum fingant seuerum, non tamen cogitant quam sit bonus & misericors: Immò nec cogitant de Dei seueritate pro eo ac decet, existimantes iis rebus friuolis Deum posse placari. Secundò erratur hoc modo in fundamento, si quis putet creaturam, verbi gratiâ, Sanctos & Angelos sibi fore magis propitios quàm sit propitius Deus: sic enim Angeli aut Sancti redduntur Deo amabiliores. Quod verò attinet ad id fundamentum quo Deus colendus statuitur supra omnia, in hoc erratur tribus modis. Primò, cùm Dei cultûs specie imaginem fingimus, quo nomine Apostolus Gentes reprehendit cap. 1. ad Rom. non enim potest magni Deum facere qui talem Deum depingit: Nam qui Deum prout decet magni facit, non potest, non iam dico in trunco aut lapide, sed ne animo quidem representare sibi Dei imaginem, quin si conetur, damnat studium suum. Secundò in hoc erratur, si quem honorem Deo soli debemus, eum creaturis, & iis rebus quæ non sunt præditæ animâ tribuamus, vt qui Angelos, & Sanctos, & ligna, & lapides adorant. Tertiò cùm vis quædam diuina tribuitur creaturis, vt si quis *Agnos Dei, grana benedicta* quæ vocant, &c. putet habere vim sanctificandi, aut exhibendi remissionem peccatorum. Altera pars sanctimoniæ sita est in iustitia & sobrietate: *Iustitia* proximum spectat, *sobrietas* nosmetipsos. Iustitiæ verò quam proximo debemus duæ sunt partes, Amor & obsequium, *Amor* erga pares & inferiores, *obsequium* erga superiores, Si quis ergo doceret aliquem esse habendum odio, æqualem aut inferiorem, quocunque tandem obtentu hoc faceret, erraret in fundamento: plerumque etiam odio prætexitur pietas, vt cùm docetur fidem non esse seruandam hæreticis, patrem debere odio prosequi filium, aut filium patrem, quando non idem sentiunt de Religione filius & pater; sexcenta sunt eiusmodi. Secundò, idipsum habet locum cum exhibendus est honos proximo, nam sunt qui dicunt hæretico Regi, aut hæretico patri non esse parendum, qui humana & diuina iura violant hoc pacto. Nam Deus non iussit coli bonum patrem aut bonam matrem, sed simpliciter patrem & matrem, quamuis cùm Deus sit præcipuus pater, & patrum pater, non est colendus pater infimus ita vt negligatur supremus. Quid igitur est? Cæsari dabimus quæ sunt Cæsaris etiam Cæsari tyranno, Deo dabimus quæ Dei sunt. Sobrietas vel sita est in cibi & potus vsu moderato, vel in castitate: atque in cibi & potus vsu errari potest aduersus fundamentum duobus modis, vel si quis doceat ingluuiem esse rem solutam legibus. *Quorum venter* (inquit Apostolus) *est Deus*, vel si contra doceat *abstinendum esse cibis quibusdam, quos Deus creauit in vsum nostrum, & qui verbo sanctificantur*, quam doctrinam Apostolus vocat *Dæmoniorum doctrinam*. 1. Timoth. cap. 4. vers. 1. Vel in castitate erratur, vt si quis polygamiam vrgeat, & fornicationem doceat esse licitam, vel si quis etiam neget matrimonium purum & sanctum.

1. 2. *nempe aduersus Dei Amorem.* *aduersus Dei cultum.* 1. 2. 3. *aduersus proximi amorem.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

3. Dist. vocum, Posse errare. Duplex possibilitas.

Tertiò venit explicandum quid sit *posse errare*. Id verò duobus modis sumi potest, nam vel *posse errare* sumitur *absolutè*, vel *ex hypothesi*. duplex enim est possibilitas vna quâ id omne dicitur possibile, quod in se consideratum (vt loquuntur) non implicat contradictionem, sic ossa Christi comminui potuerunt. Altera possibilitas est ex hypothesi nempe si Deus ita vellet. Hæc possibilitas eiusmodi est, vt præter ea quæ implicant contradictionem omnibus rebus conueniat, sed tamen potest fieri vt quæ & rei ratione, & ratione huius præsuppositionis *si Deus hoc vellet*, possibilia sunt, ea tamen fiant impossibilia, nempe si Deus aliter decreuit, qui mentiri non potest aut falli. Multum igitur interest scire quo sensu negandum, aut affirmandum sit Ecclesiam posse errare.

Status Controuersiæ falsò à Pontificiis ponitur. *Verus status quæstionis.*

His igitur explicatis quæritur, non, *An Ecclesia Dei pertinaciter in rebus ad salutem necessariis possit errare?* Hæc est Aduersariorum impostura, non est autem sententia nostra: nos enim arctè tenemus, & Dei beneficio defendimus accuratè, Deum eam gerere Ecclesiæ suæ curam, vt non patiatur eam ruere in exitium, quod omninò foret, si in rebus ad salutem necessariis pertinaciter erraret: hoc tantum quæritur, *Fierine possit, & verò fa-*

verò factumne sit, vt qui humano iudicio pro Ecclesia Dei habentur, ij possint errare, aut errarint? Atque nunc esse statum controuersiæ vel hinc apparet, quod inde orta sit hac super re inter nos & Aduersarios contentio, quod illi voluerunt iudicem constitui Ecclesiam ad controuersias in religione dirimendas, quod si veram illam Ecclesiam Dei intelligunt, quæ Christi est sponsa, frustra ea constituitur arbitra, nam (vt supra à nobis multis argumentis, & iis quidem firmissimis est probatum) ea soli suo Sponso certò, & distinctè est nota, vt non possit hîc institui ad eam prouocatio, quando nobis ignota est; certò, inquam, & distinctè, iuxta illud celeberrimum in Ecclesia dictum *Dominus nouit qui sint sui*, notum autem oportet esse arbitrum. Quamuis hîc habemus Aduersarios nostros confitentes, illi enim nobis Ecclesiam visibilem commendant, sponsa autem Christi, quatenus est sponsa Christi, non est visibilis *distinctè & certò*, nam *confusè & probabili conjectura* non diffitemur eam esse visibilem, sed quum standum est aut cadendum arbitrio iudicis, non oportet iudicem esse confusè, & incertâ quadam conjecturâ notum, sed distinctissimâ & certissimâ notitiâ cognitum. Nos hîc affirmamus *Ecclesiam, quæ etiam humano iudicio videtur esse Ecclesia, posse errare, & quidem pertinaciter, & in rebus ad salutem necessarijs*, Aduersarij id negant.

Id verò vt negent adducuntur multis rationibus, quarum prima hæc est, *Ecclesia*, inquiunt, *est columna & firmamentum veritatis* 1. ad Timot. cap. 3. Neque illis satisfeceris si respondeas, Ecclesiam *columnam* dici & *firmamentum veritatis*, quod veritatem doceat: Nam vrgebunt semper illa verba *columna & firmamentum*, vt sit sententia Ecclesiam quidem docere veritatem, sed constanter & firmiter. Sed Respond. primò locum istum nihil facere ad rem. Nam propius intuenti seriem orationis Apostoli, verba ista coniungenda sunt cum sequentibus, non pendent a præcedentibus. Verba Apostoli sic habent *Columna & firmamentum veritatis, & sine controuersia magnum est pietatis mysterium*, sensu aperto & plano: Nam idem vocat Apostolus *mysterium pietatis*, summam nempe Euangelij, & *Columnam ac firmamentum veritatis*: Atque ita se rem habere hinc probari potest, quod alioqui erit oratio Apostoli hiulca & suspensa, *Vt scias (inquit) quo modo tibi sit versandum in Ecclesia quæ est domus Dei, columna & firmamentum veritatis. Et sine controuersia*, &c. Est γοῦν δὲ ἰὸν, non cohærent ista. Deinde, non solet Apostolus noui argumenti tractationem inchoare à coniunctione: *Et*, itaque illud *& sine controuersia magnum est pietatis mysterium* necessariò cum præcedentibus cohæret, nempe, *columna & firmamentum veritatis*. Tertiò est vsitatissima formula etiam inter Iudæos, cùm quis profitetur se traditurum præcipua dogmata religionis, vt illud præmuniat, *columnam esse & fundamentum veritatis, vel sapientiæ, quod traditurus est*, vt exempli gratiâ celeberrimus ille Moses Ben-Maimon (cuius hoc est elogium inter Iudæos, *à Mose vsque ad Mosen nullus surrexit similis Mosi*) initio nobilissimi operis quo omnia Iudæorum dogmata est complexus, sic habet, *Fundamentum fundamenti, & columna sapientiæ hæc est, vt sciamus quod sit ens primum*, &c. Itaque Apostolus more suo formulas quibus vtebantur Iudæi, adhibet iis in locis quibus propriè conueniunt. Secundò respondeo, Largiamur sanè Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis (quamquam id, nisi fortè perfricuerit frons de rebus humanis, admodum durum est, vt Ecclesia potius dicatur firmamentum & columna veritatis, quàm veritas columna & firmamentum Ecclesiæ: nam quod Ecclesia stat inuicta atque immota, id debet veritati acceptum, quæ vinci & concuti non potest) nihil tamen promouebitur hoc pacto. Nam in promptu nobis est respondere, intelligi veram sponsam Christi hoc loco, quam nos non negamus à Christo conseruari vsque adeo, ut etsi nutet & concutiatur, quod etiam columnis & fundamentis sæpe contingit, tamen nunquam penitus euertatur. At de hac Ecclesia nulla nobis est controuersia.

Secunda ratio qua nituntur hæc est, Christus est caput & sponsus Ecclesiæ suæ, & Ecclesia regitur à Spiritu non secus ac corpus ab anima. Itaque non potest Ecclesia errare. Immò, inquiunt, Christus *tenetur* remouere omnem errorem exitialem ab Ecclesia, Bellarminus libro 3. de Ecclesia milit. cap. 14. Respondeo primò. Non concludi hac ratione negatum, non enim iam agitur de illa Christi Ecclesia quæ Christi populus est peculiaris, sed de ea quæ videtur (quantum potest iudicare animus humanus) Christi Ecclesia, deprehenditurque post nodum error atque imbecillitas ingenij humani, dum ipsa sibi laruam detrahit latâ sententiâ aduersus veritatem. Secundò respondeo Christum quidem caput esse & sponsum Ecclesiæ suæ, hactenus vt huius dignitatis fructus, in hoc quidem sæculo, non redundet ad Ecclesiam plenè, reseruatur enim in cœlo, alioqui foret vt ne Ecclesia quidem peccaret. Iam verò & ipsa testatur experientia, & Aduersarij concedunt vltrò Ecclesiam errare grauiter in moribus. Atqui non magis Christus est sollicitus de cognitione veritatis in Ecclesia conseruanda, quam de morum sanctimonia & integritate. Nam cognitio est medium, integritas & sanctimonia finis, itaque multò commendatior est sanctimonia, nempe *finis*, quam cognitio, *medium ad finem*: nempe *doctrina verita is est secundùm pietatem*, inquit Apostolus 1. Timot. 6. 3. Itaque quod alibi docuimus non est theoretica, sed practica.

Sunt qui ad hoc argumentum aliter respondent, docent enim Spiritum Sanctum ita adesse Ecclesiæ, vt sit penes Ecclesiæ arbitrium admittere, aut respuere doctrinam Spiritus, vt nemini debeat mirum videri si Spiritus præsentia non prohibet Ecclesiam ab errore, cùm nimirum non agat efficaciter in Ecclesia, sed ita vt euentus actionis Spiritus suspendatur ab Ecclesiæ voluntate. Sed hæc responsio primò est admodum periculosa, deinde est planè falsa: Et periculosa quidem est, nam sic constituitur dogma, à quo huius responsionis, non iam dico authores, sed astipulatores videri volunt abhorrere, nempe illud quo statuitur non esse absurdum vt aliquandiu, immò verò admodum diu, nullam Deus habuerit Ecclesiam in terris. Hoc est dogma Sociniani. Nam si præsentiæ Spiritus efficacia in Ecclesia pendet à voluntate hominis; nihil est absurdi vt cùm vitia sint, & frequentiora, & diuturniora quàm virtutes, vt spiritus per multa sæcula in Ecclesia fuerit inefficax. Sed & hæc responsio falsa est: quod docemus duobus modis, & priori qui-

Pontificiorum rationes pro infallibilitate Ecclesiæ. 1.

Resp. 1. Locus 1. Tim. 3. 15. explicatus.

Resp. 2.

2. Ratio Pontific.

Resp. 1.

2.

Alia Responsio quæ est Semipelagianorum.

Ref. 1. quia periculosa.

2. quia falsa quod demonstratur. 1.

dem isto, quod dogma & responsio hæc pugnat cum eorum dogmate qui eâ vtuntur: siquidem hoc est eorum dogma, *Mens irresistibiliter illuminatur.* Nam etsi negant voluntatem flecti irresistibiliter, concedunt tamen mentem illuminari irresistibiliter, at non illuminabitur irresistibiliter, si cùm Spiritus illuminans adsit Ecclesiæ, Ecclesia tamen non illuminatur, non autem illuminabitur Ecclesia præsente Spiritu, si præsentia Spiritus non tollit omnem errorem. Nam vbicumque error est, tenebræ sunt, quid enim aliud sunt tenebræ mentis quàm error? Deinde & hæc responsio est falsa, cùm spiritus præsentia in Ecclesia huc spectet, vt deducatur in omnem veritatem, alioqui promissio foret inanis, etenim eò pertinet vt miseri homines habeant vnde se solentur, conscij nempe ignorantię suæ, & propensionis in errorem. Itaque cap.2. 1.Cath. Johan. *At vos* (inquit, alloquitur autem verè credentes) *accepistis vnctionem* (χρίσμα, hoc est spiritum) *& nouistis omnia,* & eodem capite inferius, *Nihil opus est,* inquit, *vt quispiam vos doceat, nam ipsa vnctio vos docet omnia.* Itaque spiritus vis, Ecclesiam immunem ab errore conseruantis, non pendet ab Ecclesiæ arbitrio, sed docendo flectit arbitrium Ecclesiæ, & veluti captiuum ducit omnem intellectum ad obsequium Christi: quod si qui respuunt Euangelium, ij profectò demum sunt quorum mentes Deus huius sæculi excęcauit, non sunt ij quos Scriptura singulari quodam elogio ornat, vt eos vocet θεοδίδακτους, *qui audiuerunt & didicerunt à Patre, quique adeo veniunt ad Christum.* Nam *audiuisse & didicisse à Patre* naturâ præcedit, *venire ad Christum* sequitur.

2.

Nos igitur sic respondemus Aduersariis, vt concedamus Christum esse caput Ecclesiæ suæ, & Spiritum, non quidem esse, vt illi docent, *animam Ecclesiæ*, sed tamen *Doctorem Ecclesiæ*, sed eiusmodi doctorem qui discipulos suos hebetes naturâ reddat ingeniosos & eruditos: quod præter hunc doctorem nullus doctor possit efficere. Itaque nulla est virtus Christiana vnde iste doctor non denominetur, nam dicitur Spiritus *sapientiæ & scientiæ*, Spiritus *fidei*, Spiritus *timoris Domini*, Spiritus *precum*, Spiritus *reuelationis*, &c. Cæterùm negamus hunc doctorem in hac vita in omnibus vim suam exerere plenè & perfectè: quod Aduersarij non audent negare, alioqui enim omnes essent pariter sancti, saltem pariter docti. Iam illi concedunt mensuram donorum Spiritus non esse æqualem, esset autem æqualis si spiritus ageret perfectè: vnde efficitur, posse aliquando, & aliquandiu errare etiam eam quæ non modo videtur, sed est vera Ecclesia, tametsi non semper & pertinaciter vsque ad finem erret in rebus ad salutem necessariis. Sed de hac Ecclesia nobis non est iam controuersia; est enim (vt suprà demonstrauimus) soli suo sponso certò & distinctè nota, sed de ea demum Ecclesia nobis controuersia est cum Aduersariis, quæ Ecclesia nostro iudicio dicitur: agitur enim de ea Ecclesia quæ arbitra est in Synodis & Conciliis. Hæc potest esse non vera Ecclesia cùm videatur esse Ecclesia, laruata nempe, neque vera Ecclesia esse deprehenditur aliunde, quàm ex doctrinæ puritate, concordia, vnione, & vitæ sanctimonia. Itaque prius hæc nota nobis esse oportet quàm ea Ecclesia arbitra statuatur: Et, si hæc prius nota sit, eius arbitrio nihil est opus ad sententiam pro arbitrio ferendam, cui omnes sese cæcâ obedientiâ submittant. Sed de hac re, iuuante Deo, plura dicemus cùm ventum erit ad locum de Ecclesiæ authoritate.

4. & directa responsio. Spiritus docet Ecclesiam,

sed nō plenè & perfectè in hac vita.

De qua Ecclesia quæstio de Infallibilitate sit instituta.

Nam quod illud vrgent Iohan.cap.16.vers.13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Primò, non facit hic locus ad rem. Deinde vt demus agi hîc de tota Ecclesia, non effecerint quod voluerunt. (Priusquam horum vtrumque demonstremus, illud monemus non esse eos temerè reprehendendos, qui illud ὁδηγήσει verterunt *docebit*, etsi enim non verbum verbo reddiderunt illum locum, tamen expresserunt Christi mentem. Nam ὁδηγεῖν verbum est vsitatum in Scriptura apud LXX. in Veteri Testamento & verò ita vt idipsum significet quod *docere*, verbi gratiâ, Ps.89. הורני דרכך illi verterunt ὁδήγησόν με ἐν τῇ ὁδῷ σου, & Psal.25. הדריכני באמתך illi sic verterunt ὁδήγησόν με ἐπὶ τὴν ἀλήθειάν σου.) Etenim Christus hîc Apostolos suos compellat. Nam quod Matth.28. 20. Christus pollicetur *se adfore iis vsque ad consummationem sæculi*, id jà nobis suprà est interpretatum pag.266. Diximus nempe esse hyperbolen, & ne videretur hoc mirum & insolens, huius hyperbolæ exemplum protulimus è Scriptura, nam hortatur Apostolus Timotheum *vt seruet mandatum vsque ad aduentum Christi.* Sed etiamsi demus eo loco agi de Ecclesia (vt certè ἀναγωγικῶς, hæc possunt, & debent accommodari ad Ecclesiam, quando quæ Christus pollicetur Apostolis, eadem Deus pollicetur in suæ Ecclesiæ gratiam & commodum) tamen sic nihil fit, quia istud pertinebit tantum ad Christi sponsam, de qua hîc non est controuersia: non quod etiam Christi sponsa non interdum erret, etiam in doctrina, sed quia non errat exitialiter: exempli gratia, *Vos* (inquit Iohannes) *accepistis vnctionem, & nouistis omnia, & non habetis necesse vt quis vos doceat*, quis neget hyperbolicas esse locutiones, quibus significatur omnia ista de quibus agitur, quæ sunt necessaria ad salutem tenere, esse vno verbo instructissimos? sic, *Ego* (inquit Christus) *oraui pro te Petre, ne fides tua deficiat*; nempe ne Petrus labatur ita vt non se possit erigere. Ex huius generis locis ergo non concluditur Ecclesiam non posse errare, ne veram quidem Ecclesiam, quantò minus Ecclesia quæ videtur quidem vera, non est tamen.

Inst. Pontif. Ref.

alia Inst.

Ref.

Tertia ratio qua nituntur hæc est. Obligamur sub Anathematis pœnâ credere Ecclesiæ in omnibus, vt patet Matth.18. *Quod si Ecclesiam non audiens sit tibi veluti Ethnicus & Publicanus.* Et Concilia omnia dicunt Anathema non assentientibus Ecclesiæ decretis. At iniquum esset sub tam graui pœna obligari ad assentiendum rebus incertis, & interdum falsis. Respond. hanc rationem licet partiri in duas, quarum prior ducta est ab authoritate Christi, denuntiantis habendum pro Ethnico & Publicano qui non obtemperarit Ecclesiæ: posterior ducta est ab eo quod fit in Ecclesia, nam Conciliis solemne est contemptoribus decretorum Concilij denunciare Anathema. Ad priorem rationem sic Respond. Prouerb. 6. verba hæc sunt Spiritus Sancti, *Conserua præceptum patris tui, & ne relinquas legem matris tuæ. Alliga eam cordi tuo, & annecte eam gutturi tuo*, (hoc est, meditare & recole eam crebrò, & sit ea argumentum sermonis tui quotidiani) *cùm deambulaueris deducet te* (id est, deducat te) *cùm dormieris custodiet*

3. ratio Pontific.

cujus duæ sunt veluti partes.

Resp. ad 1. simili Præcepto de obediendo Parentibus,

custodiet te, (id est, puta hinc pendêre quietem tuam) *cùm expergefactus fueris, colloquetur tecum*, hoc est, colloquatur tecum, audias quid iubeant pater & mater. Quisquam-ne est, qui hinc colligat cæcâ obedientiâ filiis esse parentibus obediendum? ne ipsi quidem Pontificij collegerint, neque enim putant parentes non posse errare, sic enim nec Ecclesiæ, nec Concilij, nec Papæ hoc priuilegium foret. Sic iubent affici extremo supplicio Leges diuinę & humanę quicunque Principi sese exhibent rebelles. Nemo tamen inde collegerit Principes non posse errare, aut in omnibus nulla adhibita cautione Principi esse parendum. Immò verò Matth.23. iussit Dominus discipulos suos quæcunque dicerent Pharisæi ea facere, cùm idem tamen Matth.16. sedulò monuerit discipulos, caueant sibi à fermento Pharisæorum, hoc est (vt ipse Euangelista interpretatur) ab erroribus Pharisæorum quibus doctrinam sinceram adulterabant. Temerè igitur (vt dicam modestissimè) ex eo quod Christus contemptoribus Ecclesiæ interminatur grauissima, colligitur Ecclesiam non posse errare, cùm eadem tribuantur parentibus, Regibus, etiam falsis doctoribus in Ecclesia, sed Doctoribus tamen. Quorsum igitur (inquiet aliquis) spectat hæc locutio? nempe sic loquendum est, quoties de his agitur qui constituuntur in aliquo officio & munere, vt iis concilietur authoritas, statuendum enim est fore vt officio suo ritè fungantur, in eorum gratiam qui eorum fidei commissi sunt. Sic dum pater liberos commendat Pædagogo, præscribit liberis vt pareant Pædagogo, minus obsequentibus interminatur, hoc tamen semper subaudit, modò ne turpe quicquam, aut quod sit contra bonos mores præscribebat, quod si fiat, etiam septennis filij, aut quinquennis indoles laudatur à patre, si authoritatem, & verò seueritatem pædagogi fuerit aspernatus. Sed hic locus à nobis suprà fusiùs est explicatus.

Principi, Doctorib. Ecclesiæ. Pædagogo.

Altera ratio (quam fecimus secundam partem tertiæ rationis qua vtuntur) sic refellitur. Duo sunt genera Conciliorum, vnum est eorum quod bonâ conscientiâ nititur Dei verbo, nihil tribuit affectibus humanis, nihil sibi indulget: atque hæc Concilia eò iustius denuntiant Anathema, quò humiliùs agnoscunt sese potuisse errare, itaque in Conciliis concipiuntur preces. At non fatebuntur tamen se errasse, nempe subnixi Dei verbo, huius authoritate Anathema denuntiant. Sic solent parentes, non quidem imprecari iracundè liberis suis, (quod solent facere parentes parùm sapientes, dum indulgent iusto dolori, neque enim parentes continuò iidem Prophetæ sunt) sed tamen denuntiare (freti authoritate Dei) extrema filiis rebellibus. Quæ denuntiatio est legitima, suffulta nempe authoritate Dei, at nemo inde tamen concluserit parentes non posse errare (tantum hoc concluserit non semper errare qui possunt errare) nec ideò adduci debere in contemptum vllius superioris authoritatem, eò quod fieri possit vt eâ abutatur. Sed & est alterum genus Conciliorum quod indulget affectibus, & abutitur sua authoritate, (porrò quæ sit authoritas Conciliorum infrà disputabimus) & hæc Concilia denuntiant Anathema, quemadmodum irati Patres, aut verò etiam barbari & feri, etiam pio & probo filio non modò iram Dei denuntiant, sed etiam imprecantur. Nullus tamen est adeò mentis inops, vt putet hinc effici, contemnendam esse authoritatem parentum, qui iustâ & idonea de caussa vtuntur authoritate sua. Eadem planè ratio est Conciliorum. Nec si quis dicat aliquando contingere, vt Concilia temerè denuntient Anathema, continuò irritam facit authoritatem Conciliorum omnium. Nec etiamsi hoc pacto fateatur Concilia errare posse, fatetur continuò Concilia errare semper, aut Conciliis licere negat coactis in Dei nomine (quod quid sit alibi à nobis explicatum est) vti sua authoritate, hoc est, denuntiare contemptoribus verbi Dei, Dei iram. Nam si singulis in Ecclesia Pastoribus id licet, vel fatentibus Pontificiis, (alioqui tolleretur ex Ecclesia omnis concionandi authoritas) cùm tamen propterea singulis Pastoribus non tribuatur ius infallibilitatis, cur, si Concilia sibi arrogent vt denuntient Anathema, putabimus eadem sibi arrogare vt nequeant errare? Conciliorum Pontificiorum (hoc est, vt loquamur rotundiùs, Antichristianorum) hoc esto priuilegium. At Christiana Concilia dicant sanè confidenter, *Anathema sit*, sed dicant eadem, *Nos enim quod accepimus à Domino, tradidimus.*

Resp. ad 2. Anathema in Conciliis denuntiari solitum. non arguit Concilia non posse errare. neque propterea sic tollitur Conciliis omnis authoritas.

Quarta ratio quam afferunt hæc est, Ecclesiam esse sanctam docet symbolum Apostolicum hæc autem Sanctitas propriè in confessione dogmatum consistit. Ergo Christiana professio nihil continet nisi sanctum, id est, verum quoad fidei doctrinam, & iustum quoad præcepta morum. Respond. Nouum est & insolens collocare sanctitatem in professione dogmatum, sic enim hypocritæ vitâ contaminatissimâ homines *Sancti* dici possint & haberi. Itaque Ecclesia non dicitur sancta ob professionem dogmatum, sed ob vitam institutam rectè, atque vti dogmata præscribunt. Porro fatentur Aduersarij Ecclesiam errare in vita & moribus, imò hoc repetunt & inculcant vsque ad nauseam; nempe sibi malè conscij hac in parte, nota enim sunt probra, non modò aulæ Romanæ, sed etiam eorum qui vel superstitiosè, vel etiam subdolè, vt consulant rebus suis, assentantur Romano Pontifici & asseclis eius. Quod si vllum pondus haberet hoc argumentum, efficeret vt ne Ecclesia in moribus videatur peccare. Nam Psal.50. exprobratur impio quòd verba Dei vsurpet ore tenus, quæ vitâ & factis aspernatur. Itaque secundo loco respond. hoc esse elogium non illius Ecclesiæ quæ videtur esse Ecclesia, sed illius Ecclesiæ quæ est Ecclesia reuera: sponsæ, inquam, Christi, quæ non professione dogmatum tenus, sed reapse & factis sancta est & inculpata: sancta, inquam, & inculpata non absolutè, etenim ipsa est quæ demissè petit à Deo quotidie remissionem peccatorum, sed comparatè tamen sancta, hoc est, si conferatur cum hominibus prophanis & impiis verè sancta est, quia non modò profitetur veritatem, sed etiam ad veritatis quam profitetur normam exigit & componit mores suos: neque enim Spiritus Sanctus qui eam regit, veritatis modò, sed etiam sanctitatis Spiritus est. Cæterum sanctitas in moribus est, non in cognitione nuda & simplici, alioqui dæmones forent sancti. At de hac Ecclesia nulla nobis est controuersia, fatemur enim sponsam Christi non errare exitialiter; etenim ij sumus qui asserimus dogma de Perseue-

4. ratio Pontif. Resp. 1. Sancta cur dicatur Ecclesia. Resp. 2. Ecclesia quomodo Sancta.

rantia sanctorum ab Aduersariorum calumnia; fugeret verò nos ratio si iidem assertores essemus dogmatis de perseuerantia Sanctorum, hoc est Ecclesiæ sanctæ, & affirmaremus Ecclesiam Sanctorum posse errare pertinaciter. Nam pertinacem errorem sequitur haud dubiè iactura salutis, cùm pertinax error sit is in quo perseueratur ad finem vsque. Cuius generis errore neque tota Ecclesia, neque pars vlla Ecclesiæ vnquam errat, tametsi nihil absurdi sit vt statuamus, ad tempus Ecclesiam (certè præcipuas partes Ecclesiæ) posse labi, lapsu tamen vnde se statim erigit.

5. ratio Pontif.

Quinta ratio. Si esset (inquiunt) vera Caluini (hoc est, nostra) sententia, qua statuimus Ecclesiam posse errare (Ecclesiam, inquam, quæ videtur esse Ecclesia) pertinaciter (veram autem Ecclesiam nullâ pertinaciâ) sequetur & posse errare Ecclesiam in iis quibus perhibet testimonium Scripturæ, maximè iis quæ ita traduntur in Scriptura, vt etsi eorum cognitio sit vtilis, tamen minimè est necessaria ad salutem consequendam.

Resp.

Respond. Argum. hoc non modò est futile, sed ridiculum etiam & indignum graui viro: Nam perinde est ac si sic argumentarentur, si quis potest errare, poterit errare dum testimonium perhibet veritati, quod est dicere pugnantia, si quis potest mentiri, potest mentiri dum verum dicit. Nam Ecclesia dum perhibet testimonium Scripturæ, dicit quod res est. Hoc tantum sequitur ex hoc argumento, quotiescunque qui potest errare testimonium dicit, non est ei fides adhibenda, si nullum aliud afferat documentum testimonij sui præter authoritatem suam: quod nos non modò vltrò concedimus, sed affirmamus, & vrgemus aduersus Pontificios, quibuscum nobis res iam est. Nolumus enim Ecclesiæ credi testanti Scripturam esse veram, ob Ecclesiæ authoritatem, quæ nota esse non potest & certa, nî prius nota sit & certa authoritas Scripturarum. Credimus tamen Ecclesiæ testanti Scripturas esse veras, quia testimonij sui affert documenta, vt in foro tum demum testium fides certa est, cùm testando aperuerunt ea quæ fuere clausa, quæque postmodum Judices experiundo vera esse deprehenderunt, haud deprehensuri nisi testes ea documenta edidissent. Sed de hac re, cum ventum erit ad locum de Ecclesiæ authoritate, Deo iuuante, accuratiùs disputabimus.

Quatenus Ecclesiæ sit credendum.

6. ratio Pôtific. ab authoritate Patrum. ac 1. Tertulliani,

Sexta ratio & vltima, ducta est ab authoritate Patrum, quos volunt docuisse Ecclesiam non posse errare; vtuntur autem hîc authoritate Tertulliani, tum etiam Augustini. Etenim Tertullianus libro de Præscript. aduersus hæret. cap.28. *Age, inquit, omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit Spiritus Sanctus.* Ergo, inquiunt, absurdum visum est Tertulliano Ecclesias omnes errasse.

qui vindicatur. 1.

Respond. Et nobis idipsum videtur absurdum, nempe si eo sensu dicatur, quo dictum est à Tertulliano. Quod vt planum sit & apertum, primum hoc notamus, eodem loco (ne abeamus longiùs) Tertullianum scripsisse, *deceptus sit & Apostolus.* Quæ verba consultò Aduersarij in hoc loco citando solent omittere, nempe iis admonemur quodnam dogma Tertul. oppugnet, hæreticorum scilicet nouitiorum, qui negabant vllam fuisse Ecclesiam priusquam illi fuissent exorti. Absit autem nos vt id negemus, qui docemus clarè primis illis temporibus fuisse florentissimas Ecclesias, adeoque semper Deum habuisse Ecclesiam in terris, etsi omnibus sæculis non pari splendore effloruerit.

2.

Deinde, series disputationis Tertulliani id ipsum demonstrat, nam cap.22. *solent, inquit, dicere* (putà hæretici) *Apostolos non omnia scisse.* Deinde cap.27. (qui locus vnicè obseruandus est aduersus Pontif.) hæreticos facit eò confugientes, vt negent vllam Ecclesiam vnquam ante se natos accepisse illam veritatem: verba Tertulliani hæc sunt, *Si ergo incredibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidisse, videamus ne fortè Apostoli quidem simpliciter & plenè, Ecclesiæ autem,* (id est, Ecclesiæ quas Apostoli docuerunt) *suo vitio aliter acceperint quàm Apostoli proferebant.*

Quibus in verbis non modò id notandum est de quo nunc agitur præcipuè, nempe intelligi omnes omnino Ecclesias quas Apostoli docuerunt, sed & id etiam quod Tertul. affirmat Apost. *Regulam* (Canonem, nam Canon *Regula* est) *veritatis edidisse*, haud dubiè libros ab Euangelistis & Apostolis conscriptos intelligit, quorum authoritatem isti hæretici adeò defugiebant, vt noluerint admittere hanc regulam, *fides* (inquit cap.14. eiusdem libri) *in regula posita est, habes Legem, & salutem ex obseruatione Legis*, Legem nempe fidei. Quamquam certum est *regulâ fidei* speciatim designari summam credendorum ex Scripturis collectam, cuius meminit disertis verbis sub finem cap.12. eiusdem libri, & initio cap.13. verba eius sunt planè aurea, *Quæramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro: idque duntaxat quod saluâ regulâ fidei potest in quæstionem deuenire. Regula est autem fidei, vt iam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur vnum omnino Deum esse,* &c.

2. Augustini.

Secundo loco (atque hîc subsistunt) adducunt testimonium Augustini libro 1. contra Cresconium Donatist. cap.33. & Epist. 118. Et locus quidem prior sic habet: *Scripturarum à nobis tenetur veritas cùm id facimus quod vniuersæ iam placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas, vt quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Posterior autem locus sic habet, *Disputare contra id quod vniuersa Ecclesia sentit insolentissima est insania.* Vterque locus eodem spectat, itaque alterutrum refutaueris, vtrumque refutaueris.

Vindicatur Augustini locus.

Porrò priori, proindeque & posteriori loco sic occurritur, quod non agatur de dogmate quod pugnet cum Scriptura, verùm de eo cuius notitia conceditur (per figuram quam Rhetores συγχώρησιν vocant) esse in Script. obscuriùs tradita, in cuius generis dogmatibus errare (absit modo pertinacia & peruicacia) non sit pernitiosum. Quæritur enim, *An sint rebaptizandi qui ab hæreticis fuere baptizati*, vt sensit olim Cyprianus, qui in Catholicis omni æuo fuit numeratus.

Quibus in rebus sequendus sit vniuersalis consensus Ecclesiæ.

Atque in hoc genere nos minimè defugimus cōsensum vniuersalem Ecclesiæ, immo cum ad huius generis quæstiones res perducta est, dicimus esse ingenij insolentis & petulantis rixari & contendere. Atque Augustinum hæc dicere per concessionem, constat ex filo dissertationis, seu antecedentia, seu consequentia spectemus. Nam probat primùm illud dogma ex Scriptura, &

quia vera

quia vera argumenta interdum non satisfaciunt pertinaci, saltem hoc postulat sibi concedi, nihil tradi in Scriptura quod pugnet cum doctrina recepta: vnde concludit tandem in huius generis quæstionibus (iis nempe de quibus Scriptura statuitur nihil tradidisse certum, vt sunt quæstiones de his rebus in quibus cum Cypriano licet errare sine salutis dispendio) dandas esse manus publico consensui. At non est nobis controuersia cum Aduersariis de hoc genere, immò verò nos ij sumus qui in rebus obscurioribus, & quibus nihil contrarium est traditum in Scriptura, cedamus libenter consensui publico veræ Ecclesiæ. Sed & consequentia apud Augustinum idipsum demonstrant, etenim meminit obscuritatis quæstionis. Ergo agitur de quæstione quæ obscura est, certè videtur obscura, vt sunt in religione nonnulla, quæ obscura dicuntur ideò quod eorum cognitio non sit clarè, & perspicuè tradita. At huius generis non sunt Christianæ religionis summa capita, non enim dixerit August. obscuram quæstionem, qua quæritur, *An Christus sit Deus, an Spiritus Sanctus sit Deus, an Christus mundi Redemptor sit*, &c. Nec obscuram item quæstionem dixerit, *An remissio peccatorum gratuita sit, An humana natura corrupta sese possit ipsa instaurare.* Itaque cùm de huius generis quæstionibus disputat, non solet prouocare ad Ecclesiæ authoritatem, sed testimoniis prolatis ex Scriptura nititur: frustrà, siquidem potuit viam hanc compendiariam ingredi, vt postularet perimi ac decidi controuersiam ex Ecclesiæ iudicio. Quin contra facit: nam lib.3. contra Maximinum Arrianum profitetur, vt non vult ipse stare authoritate Concilij Ariminensis, ita se nolle exigere vt Maximinus stet authoritate Concilij Nicęni. Verba eius sunt, *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Arimmense, tanquam perjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum authoritatibus non quorumcunque propriis, sed vtrinque communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione concertet.* Ex quo loco colligitur manifestè in rebus arduis Conciliorum authoritatem esse præiudicia, non esse Judicia, proindeque in re magni ponderis, cùm res agitur seriò, abstinendum esse (Augustini grauissimi viri exemplo) authoritate Conciliorum, rem ipsam esse intuendam.

In aliis non est hominum iudicio standum, sed Scripturæ.

teste ipso Augustino.

Sed Aduersarij student hunc locum eludere; nam aiunt Augustinum non velle dicere, non teneri vllo modo Maximinum authoritate Concilij Nicæni, sed non teneri in illa disputatione, quia Augustinus id promittebat: quia enim Maximinus objiciebat Nicæno Concilio Concilium Ariminense, & Augustino non videbatur operæpretium tunc, tempus consumere in ostendendo Concilium Nicænum fuisse legitimum, & Ariminense illegitimum, cùm haberet meliora argumenta ex Scripturis, ait, *Nunc nec ego huius, nec tu illius authoritate teneris*, id est, nolo nunc teneamur Conciliorum authoritatibus, omittamus Concilia, ad Scripturas veniamus. Quibus verbis primò, fingunt promissionem vbi nulla est: neque enim hic Augustinus loquitur per concessionem: Nam vtitur hoc verbo *debes*, quod coniungendum est cum præcedentibus, *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus*, &c. Intelligenda sunt ista vt coniuncta, hoc est, si ego vtar authoritate Nicæni Concilij præiudicaturo, voluero aliquam quæstionem definiri authoritate Concilij, quod non est disputare sed præiudicare: alioqui *nec ego Nicænum* hiulcæ erit orationis pars inutilis. Deinde *Nec ego huius*, inquit, *authoritate, nec tu illius detineris*, verba ista non significant concessionem, alioqui dicendum fuisset, *Nec ego huius authoritate, nec tu illius detinearis.* Denique, quæ sequuntur periment controuersiam, *Res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione concertet.* Nihil potuit dici euidentius ad astruendam Scripturæ authoritatem in controuersiâ Religionis, commendandamque candidam illam & simplicem disputandi cum Aduersariis rationem. Nam quod veriti Aduersarij ne lux tanta hominum oculis vltrò sese ingerat, aiunt Augustinum suprà meminisse *authoritatis veritate*, in eo fucum faciunt. Nam *veritas authoritatis* Augustino est, veritas authoritate commendata & suffulta: verba Augustini sunt, *Pater ergo & Filius vnius sunt eiusdemque substantiæ, hoc est illud ὁμοούσιον, quod in Concilio Nicæno aduersus hæreticos Arrianos à Catholicis Patribus veritatis authoritate, & authoritatis veritate firmatum est.* Porrò Augustinus hoc demonstrauerat prius ex Scriptura, vt efficeret nihil decretum fuisse à Patribus Nicęnis quod *veritatis authoritate* non fuisset firmatum, proindeque authoritatem Concilij Nicæni fuisse *veritatis authoritatem*, vt si quis diceret, *verba hac non mea sunt, sed Spiritus Sancti verba.*

Exceptio Pontif. ad illum Augustini locum.

Ref. 1. *2.* *3.*

Inst. Pontif. *Ref.*

Sic refutata sunt argumenta quibus probant Ecclesiam non posse errare, sequuntur ea quibus conantur efficere Ecclesiam repræsentatiuè non posse errare. Hic autem priusquam vlterius progrediamur, obseruandum apud Aduersarios distinctas esse quæstiones, *An Ecclesia possit errare*, &, *An Ecclesia repræsentatiuè possit errare*, verba enim hæc sunt Bellar. cap.14. lib.1. de Ecclesia milit. *Nostra igitur sententia est Ecclesiam absolutè non posse errare, nec in rebus absolutè necessariis, nec in iis quæ credenda vel facienda nobis proponit, siue habeantur expressè in Scripturis, siue non. Et cùm dicimus Ecclesiam non posse errare, id intelligimus tam de vniuersitate fidelium quàm de vniuersitate Episcoporum, ita vt sensus sit eius propositionis, Ecclesia non potest errare, id est, id quod tenent omnes fideles tanquam de fide necessariò est verum, & de fide: & similiter quod docent omnes Episcopi tanquam ad finem pertinens, necessariò est verum, & de fide.* Et postquam effecerunt, vt putant, vniuersitatem fidelium non posse errare, *Iam*, inquiunt, *quod Ecclesia repræsentatiuè non possit errare, probatur*, &c. Quorsum pertinet ista obseruatio? nempe, Primùm vt demonstremus, alteram harum quæstionum esse otiosam. Nam si vniuersitas fidelium non potest errare, quid opus est vt Episcopis tribuatur infallibilitas? Immò quid opus est Concilio, quando consensus vniuersitatis fidelium satis magnum argumentum est veritatis, siquidem vniuersitas fidelium non potest errare? Respondebunt fortasse non posse statui in quo tandem fideles consentiant nisi Concilio id declarante. Ergo, inquam, prior illa quæstio otiosa fuit, non enim nititur fides nostra authoritate consensus fidelium, sed authoritate consensus Episcoporum in Concilio. Deinde, quis iste est consensus fidelium de quo singuli fideles dubitant, quod si non dubitant, quorsum attinet conuocasse Concilium? Nunquid quod vnusquisque fidelium credit, statuendus est id credere quia id putat ab omnibus fidelibus credi, de quo consensu omnium

An Concilia possint errare.

Pontificiorum sententia.

Laborat alterutrâ quæstionum quæ superflua est quod ostenditur. 1.

fidelium nihil poteſt habere compertum, & exploratum niſi Concilium cogatur? Deinde etiam hæc obſeruatio huc pertinet, vt deprehendamus quanta ſit hîc ambiguitas, quæri enim poteſt quo ſenſu negent Eccleſiam (id eſt vniuerſitatem fidelium, quatenus hæc vniuerſitas diſtinguitur ab vniuerſitate Epiſcoporum) poſſe errare; an hoc velint *neminem è fidelibus poſſe errare*? nam certè ſi aliquot fideles poſsint errare, falſum eſt vniuerſitatem non poſſe errare. An potius hoc velint, *Vniuerſitatem fidelium, id eſt, fideles in vnum coactos non poſſe errare, cùm ſinguli tamen ſeorſim errare queant?* Nam ſic quidem Concilium conflabitur ex vniuerſitate fidelium, quod eſt abſurdum. Vel, an hoc velint, *Fideles non errare in eo in quo omnes omnino quotquot ſunt conſentiunt.* Quod ſi hæc eorum mens eſt fortaſſe non diſſentiunt à nobis hac in parte: nam omnes fideles conſentiunt in fundamento, ſed ſic quæſtio otioſa fuerit, nempe inſtituta eſt vt afferatur authoritas Eccleſiæ in iudicandis controuerſiis. At ſinguli fideles, vt in quo conſentiunt omnes intelligi poſsit, non poſſunt à nobis interrogari. Jam videamus quomodo probent Eccleſiam repræſentatiuè non poſſe errare, hoc eſt omnes Epiſcopos: Et hîc tenendum eſt, *vniuerſitatem Epiſcoporum* iis ſignificare *Concilium conflatum ex Epiſcopis.* Nam certè, *Epiſcopos ſeorſim exiſtentes non docet*, inquiunt, *Spiritus Sanctus omnem veritatem: Ergo ſaltem Epiſcopos omnes in vnum congregatos docebit omnem veritatem.* Bellarm. lib. 2. de Concil. capit. 2. Meminerimus igitur *Eccleſiam repreſentatiuè* in hac quæſtione eſſe *Concilium Epiſcoporum in vnum congregatorum.*

(Margin: 2. — Eccleſia repræſentatiua quid ſit.)

Primò nituntur locis Scripturæ, vt probent Epiſcopos in vnum congregatos non poſſe errare. 1. Locus eſt Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* At hoc non Apoſtolis in vnum congregatis, ſed ſingulis ſeorſum prædicantibus Euangelium tribuitur, itaque nihil facit ad rem. Et ſi quid faceret ad rem iſte locus, eo efficeretur, vt ne ſinguli Epiſcopi ſeorſum exiſtentes errent, quod ipſimet Aduerſarij coguntur negare, alioqui nihil opus eſſet Concilio, & locus eſſet (vt quidam loquutus eſt) *auferibilitati Papæ.* Sed nos aliter reſpondemus, fortaſſe enim quis calumniari poſſet & cauillari, verba Chriſti ſingulis Paſtoribus tribuere ius infallibilitatis: Dicimus ergo iſta verba ſequi mandatum Chriſti, mandatum autem Chriſti fuit, vt diſcipuli excitarent in hominum animis Chriſti deſiderium, cui mandato ſubiunctum eſt, *Qui vos audit, me audit*: vt ſi herus famulo præſcribat primùm, quid famulus debeat præſcribere agendum in familia, tum ſubiungeret *qui te audit, me audit*, non inde ſequetur fieri non poſſe vt ille famulus diſcedat ab heri præſcripto, aut ſic vbi diſceſſerit ei eſſe parendum: immò potius hoc ſequitur, vt quando herus datis mandatis hoc appoſuit *qui te audit me audit*, diſpiciatur primum, iubeat-ne famulus quod præſcribit herus. Denique reſpondemus aliam eſſe Apoſtolorum, aliam eſſe vulgarium in Eccleſia Paſtorum conditionem, nam Apoſtolorum & miſsio, & dona erant extraordinaria, Paſtorum in Eccleſia diuerſa eſt conditio.

(Margin: Loca Scripturæ pro infallibilitate Conciliorum. Locus 1. Reſp. 1. — 2. — 3.)

Secundus Scripturæ locus quem citant eſt Matth. 23. *Quæcumque dixerint facite.* Sec hoc loco nō agitur, vt nec priori, de Epiſcopis in vnum congregatis. Deinde agitur eo loco de Scribis & Phariſæis corruptoribus Legis, à quorum fermento (hoc eſt, doctrina, cap. 16. Euang. Matt. vt ſuprà obſeruauimus) Chriſtus iuſsit diſcipulos ſuos ſibi cauere. Quid igitur? poſsit ne quis cauillari, Ergo Chriſtum dixiſſe pugnantia? Minimè verò: nam præceſſerunt hæc verba *ſedent in cathedra Moſis*, hoc eſt, legunt Moſen & Prophetas, & interpretantur ad Moſis mentem, hactenus audiantur: nam *ſedere in cathedra Moſis* non eſt Moſi ſuccedere, ſed doctrinam quam Moſes tradidit, tradere: id quod nos facilè concedimus Scribis & Phariſæis in Eccleſia Romana, non minus grauibus Chriſti hoſtibus quàm fuerunt priſci illi Scribæ & Phariſæi: immò docemus hoc pacto Eccleſiam Chriſti fuiſſe conſeruatam, quod omnibus ſæculis etiam deploratiſsimis, Scribæ & Phariſæi ſederint in cathedra non modò Moſis & Prophetarum, ſed Apoſtolorum etiam: neque tamen inde ſequitur, doctrinam quam tradiderunt non fuiſſe fermentatam & adulteratam, atque eiuſmodi vt quando purior lux Euangelij affulſit, non fuerit aliò confugiendum quàm ad iſtos Doctores, quorum fraus aliquam potuit habere ſpeciem quandiu Deus maioris lucis copiam non indulſit.

(Margin: Locus 2. Reſp. 1. — 2. — Doctores Pontificij ſimiles Phariſæis.)

Tertius locus eſt Matth. 18. *Dic Eccleſiæ.* Sed hic locus ſupra expenſus eſt, & illis ereptus. Interim ſubit mirari inconſtantiam iſtorum hominum, nam nuper intellexerunt hunc locum ita, ac ſi ageret de vniuerſitate fidelium, nunc eundem locum ſic accipiunt, ac ſi intelligendus eſſet de vniuerſitate Epiſcoporum in vnum congregatorum. Illud verò, *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo*, vt iſtud etiam, *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*, ſupra explicatum eſt.

(Margin: 3. Locus.)

Quartus locus eſt cap. 16. 13. Euang. ſecundum Iohan. In quo loco citando parem produnt inconſtantiam, nos verò quo is ſpectet iam conſiderauimus pag. 284. ita vt nihil ſit opus ea repetere. Certè non conuenit Epiſcopis tantum in vnum congregatis, ſi quid facit ad hanc rem quæ nunc agitur, non enim Chriſtus pollicetur eo loco Apoſtolis ſuis Spiritum coactis tantùm in vnum locum, ſed ſingulis ſeorſum; atque illi (Bellarminus nempe libro 2. cap. 2. de Conciliorum Authoritate) dum hūc locum citant, agnoſcunt ingenuè Epiſcopos ſeorſim exiſtentes non docere Spiritum Sanctum omnem veritatem, quod eſt imprimis obſeruandum. Primò, quia hinc euincitur fidem plebis non pendere ab Epiſcopi authoritate: at plebs, inquam, non audit Papam aut Concilium, tantùm dat operam Epiſcopo & Paſtori, & quidem ſeorſim exiſtentibus, dum ſinguli in ſingulis Eccleſiis & diœceſibus munere ſuo funguntur. Vnde ergo conſtabit plebi Epiſcopum non errare, aut Paſtorem, ſiquidem Epiſcopi ſeorſim exiſtentes poſsint ſinguli errare? Deinde qui ſeorſim exiſtentes poſſunt errare, quidni etiam in vnum congregati poſsint errare? nam ægrorum certè multitudo in vnum coacta non minuit, ſed auget morbum; Itaque qui ſinguli ſeorſim exiſtentes ægri ſunt, eos in vnum coactos ægros eſſe neceſſe eſt, præſertim in hac propenſione naturæ in errorem: vt ſi oues quę ſeorſim exiſtentes erant ſcabioſæ, periculum eſt ne in vnum coactæ ſanioribus affricent ſcabiem. Denique ſi hæc vox, *Spiritus veritatis vos docebit*

(Margin: 4. Locus. — Epiſcopi ſeorſim poſſunt errare, quod obſeruandum. 1. — 2. — 3.)

docebit omnem veritatem, non pertinet ad Episcopos seorsim existentes, nullo modo pertinuerit ad Episcopos, & ratio est, quia Apostoli hîc primùm compellantur. Itaque si sensus est, *Ego vobiscum adero non seorsum existentibus, sed simul congregatis, vosque seorsim existentes poteritis errare, non poteritis errare coacti in vnum*, sequetur Apostolos semper potuisse errare cum existerent seorsim, nunquam non potuisse errare nisi in Concilio Hierosolymitano, aut eiusmodi alio Concilio, cujus nulla tamen mentio fit in Scriptura, neque in historia Ecclesiastica. Sed hic locus suprà explicatus est.

5. locus. Quintus locus est Actor.15.28. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Vnde sic colligunt, si illius Concilij decreta erant decreta Spiritus sancti, reliquorum Conciliorum quæ legitima sunt decreta, sunt decreta Spiritus sancti. Respondeo primò, Ista non cohærere, nam vt ex eo quod Apostolis, etiam seorsim existentibus, prærogatiua infallibilitatis in doctrina indulta est, nemo inde colligat idem priuilegium omnibus Pastoribus, etiam legitimis, seorsim existentibus esse concessum; sic nemo ex eo quod Apostolis simul existentibus concessum est vt ne errarent, colliget Pastoribus legitimis in vnum locum congregatis concessum esse vt ne errent, par enim vtrobique ratio est. Respondeo secundò, Concilia *legitima* duobus modis dici posse, vel vt *legitima* Concilia dicantur in quibus celebrandis ritus externi (vulgò *formas* vocant) obseruantur, de quibus nobis erit differendum, cùm peruentum fuerit ad locum de Regimine Ecclesiæ. Vel *legitimum* Concilium dicitur in quo celebrando non modò externi ritus, sed multò magis quod Deus requirit intrinsecus obseruatur: exempli gratiâ, Pastores *legitimi* dicuntur ad quorum institutionem & ordinationem quod extrinsecus requirebatur nihil defuit (verbi gratiâ Judas) qui tamen intrinsecus mercenarij & lupi esse possint, nam externa homines vident & curant, interna solus Deus: vel pastores *legitimi* dicuntur, qui pastores sunt non modò quod nihil eorum omiserint quæ in externa ordinatione requiruntur, sed qui interna illa, dotes animi & zelum gloriæ Dei, ad ministerium attulerunt, ij sunt verè *legitimi* Pastores: haud dissimilis est Conciliorum ratio. Nos verò facilè concedimus Concilia *legitima* quoad id quod requiritur intrinsecus, id est, Concilia verè sine fuco & fallaciâ congregata in nomine Christi, non posse errare in iis quæ sunt alicuius momenti, sed quænam illa sint Concilia dicimus sciri non posse nisi ex Concilij decretis, iuxta illud, *Probate spiritus an sint ex Deo*, & illud, *Omnia probate, quod bonum est retinete*, & illud, *Si ego ipse, aut Angelus de cœlo vobis aliud Euangelizauerit, Anathema sit.* Nam vt pictores & sculptores ductus & lineaméta humani vultus adeo ad viuum exprimunt, vt fallant interdum eminus intuentium oculos, cùm tamen vitam & Spiritum non possint inspirare operi, sic planè externam Pastoris aut Concilij formam humana industria facilè mentitur & imitatur, dum vult humana fraus internam mentiri formam nulla meretrix æquè decipit quàm illa quæ est modesta.

(Marginalia: Resp. 1. — 2. Concilia legitima dici possunt bifariam. — 1. 2. — Sic & legitimi Pastores. — Simile.)

6. 7. Sextus locus est, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Septimus est, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, Matth. vlt. Octauus, *Columna & firmamentum veritatis*, vnde sic colligunt, Ecclesia non potest errare. Ergo neque Concilium. Circulus est, nam probatur idem per idem, Medium enim quo probant Concilia non posse errare, est quæstio quam student concludere ex eo quod Concilia non possunt errare, ita quod est in quæstione affertur pro argumento. Nonus locus est Lucæ 22.23. *Rogaui pro te ne deficiat fides tua*, verba sunt Christi Petrum compellantis. Argumentum tale est, *Romanus Pontifex non potest errare in fide, nam Petrus non potuit errare in fide. Quod si Romanus Pontifex non possit errare in fide, neque Concilia confirmata à Romano Pontifice possunt errare.*

(Marginalia: 8. locus. — 9. locus.)

Hoc argumentum est inuolutum magnis ambagibus, quas breuiter sic excutimus. Primò oratio Christi pro Petro non prohibuit quominus Petrus errarit, & quidem in fide, nam abnegauit Christum. Ergo etiamsi hæc oratio pertineret ad Pontificem Romanum, non prohiberet tamen quominus erraret in fide. Respondebunt fortè, Petrum errasse in moribus (& sanè quicunque errat in fide, is etiam in moribus errat.) Sed hæc responsio nihil ad rem facit: nam Doctor qui metu perculsus docet extrinsecus falsam doctrinam, docendo æquè decipit ac si hoc facit prorsus impiè: verbi gratiâ, Liberius Episcopus Romanus metu coactus subscripsit Arrianismo. Nihil interfuit plebis scire vnde adductus fuerit vel subscripserit, immò hoc plebs non potuit diuinare, quando subscriptione sua non est testatus se inuitum, sed sponte subscripsisse, vt Petrus iureiurando Christi abnegationem confirmauit. Jam si hoc detur Papam metu coactum posse docere falsa, primò, vnde nobis constabit Papam non cogi? Nam solus est & obnoxius (si quid moliatur quod non libeat Consistorio) veneno, idque notissimum est toto orbe Christiano, nec dissimulant Pontificij. Hoc primum. Deinde cujus est metu cogi vt falsa doceat, ejus est etiam spe prolici vt falsa doceat. Hoc igitur obtinemus, fieri posse vt Papa vel metu coactus, vel spe illectus, putà diuitiarum, inanis gloriæ, &c. possit falsa docere. Ergo, inquam, possit esse Apostata & Hæreticus: nam in docendo minimum peccant qui decepti decipiunt, & grauius & periculosius peccant qui sunt αὐτοκατάκριτοι. Sed de hac re aliàs pluribus, Deo iuuante. Hoc primum. Deinde, nulla connexio est, Christus orauit ne fides Petri deficeret, Ergo eâdem operâ orauit ne Papæ fides deficeret. Tertiò, hæc dicta non sunt ita vt quis inde possit colligere promissionem generalem, si, inquam, nihil aliud subest, referuntur enim ad certam quandam circunstantiam. Itaque si nulla alia promissio Petro fuisset facta præter hanc, non posset inde colligi ne Petri quidem infallibilitas, nedum Papæ: quæ sit autem ista circunstantia patet, præcesserunt enim illa, *Postulauit Satanas*, &c. Quartò, Christus eâdem est vsus oratione pro singulis credentibus cap. 17. Johan. Neque tamen singulis credentibus concedunt jus infallibilitatis, sic enim daretur locus non modò auferibilitati Papæ, sed etiam Concilij, quando singuli fideles æquè non possunt errare ac Papa, & Concilium. Denique non cohærent ista, Petrus non potuit errare, Ergo neque

(Marginalia: Resp. 1. — Papa potest errare, metu coactus. — spe illectus. — Resp. 2. — 3. Promissio Petro facta non est generalis. — 4. Idem omnibus fidelibus promissum est quod Petro. — 5.)

Papa: Papa non potest errare, Ergo neque Concilium.

Confirmatio Conciliorum à Papa convellitur. 1.

Nam quod aiunt Concilia à Papa confirmata non posse errare, in eo se præbent ridendos, nam Papæ confirmatio sequitur Concilij decreta, non præcedit. Itaque diu Romæ disputatum est (iam penè dimisso Concilio Tridentino) An confirmari debuerit Concilium. An Concilia postquam cœperunt desinere, non poterunt errare? hoc verò tam absurdum est ac si quis dixerit, Concilium, postquam desiit esse Concilium, non posse errare, nisi fortè hoc velint, Papam declarare, an Concilium errauerit: Sed si hoc voluerunt, ridiculè loquuti sunt, dicendum enim fuit, non, *Concilia à Papa confirmata non possunt errare*, sed, *Concilia à Papa confirmata non errarunt.*

2. Deinde si confirmatio Concilij pendet à Papa, perijt Papæ infallibilitas: nam si ita se res habet, quid opus fuit Concilio? via enim compendiaria fuit, vt ipse Papa statim ederet quid sentiret de controuersiis. Respondebunt fortassè opus esse Concilio vt habeat Papa de quo statuat; vt admoneatur & doceatur, quemadmodum Reges adhibent in consilium viros graues: Sed si ita se res habet, Papa obnoxius est errori, nam nisi Reges obnoxij essent errori, non adhiberent in Concilium viros sapientes.

3. Deinde hac ratione tollitur Concilij essentia, nam etiam in Concilio adhibentur *quorum suffragia*, vt illi loquuntur, *non sunt decisiua*, idipsum potuit à Papa adhiberi conuocatis Theologis.

4. Quartò, sic fatebuntur Papam non esse Petri successorem, Petri, inquam, quatenus caput Vicarium Ecclesiæ statuitur: fac enim, (quod non est verum) Petrum fuisse constitutum in tanta authoritate & dignitate, profectò id ideo factum fuerit quod Petrus excellentiora præ reliquis dona adeptus esset, nam munera collata à Christo non sunt seiuncta à dotibus quæ requiruntur ad muneris administrationem. Atqui si Papa ad definiendas controuersias Religionis opus habet admonitione virorum doctorum, profectò eò testatur se non esse Petri successorem.

10. locus. Decimus locus est ad Hebr. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Respondeo primò vt suprà, hæc dici de Pastoribus separatim. Secundò, subintelligi conditionem cuius toties iam meminimus, vt cum præscribitur sacris litteris vt Regi, vt parentibus pareamus, non inde colligitur absolutè hoc esse faciendum, quod necesse esset colligere si hoc pacto Regibus, aut parentibus indultum esset priuilegium infallibilitatis.

11. locus. Vndecimus locus est, *Docete omnes gentes.* Respond. Agitur hîc de Apostolis, & quidem seorsum.

12. locus. Duodecimus est Ezechielis cap. 33. *Speculatorem domui Israel dedi te.* Ratio hinc ducta non meretur responsionem, nam eo loco agitur de Propheta singulari, de officio Prophetæ.

13. locus. Vltimus locus & celeberrimus est Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Hic locus alibi à nobis explicatus est, & vindicatus à calumnia.

Pontific. Sophisma. Hîc tamen (quod nos tum fugerat cùm eum locum interpretaremur) obseruandum est, quo sophismate vnam è nostris exceptionibus conentur eludere: nam reliqua non repeto. Sic enim solent nostrorum nonnulli excipere, si ita se res habet, ne duo quidem vel tres poterunt errare, at fatentur Aduersarij non modò duo aut tres posse errare, sed Concilia etiam quæ vocantur Prouincialia, Regionalia, Nationalia. Respondent illi argumentum valere à minori ad maius.

Soluitur. Admodum ridiculè. Nam argumentum tum demum valet à minori ad maius, cùm verum est quod ponitur in minore, sed cùm quod in minore ponitur falsum est, non potest valere argumentum. Nam argumentum huius generis huc recidit: Si hoc locum habet in minori, habebit locum in maiori, assumitur verò, locum id habere in minori, quæ assumptio si falsa sit, necesse est conclusionem esse falsam. Nam iste hypotheticus Syllogismus in hunc categoricum reducitur, Quod locum habet in minori, id habet in maiori locum, at hoc habet locum in minori. Si negatur hæc minor, nihil sequetur: Atqui neganda est ex eorum sententia. Ergo eluserunt, non eliserunt exceptionis nostræ vim.

Rationes Pontif pro Infallibilitate Ecclesiæ.

Destituti Scripturâ confugiunt ad rationes. *Accedat*, inquiunt, *postremo etiam naturalis ratio*: Ac primùm, inquiunt, *si Concilia generalia possunt errare, nullum est in Ecclesia firmum iudicium quo controuersia componi, & vnitas in Ecclesia possit seruari: Nihil est enim maius generali Concilio legitimo & approbato.*

1. Resp. 1. Approbatio Concilij à Papa frustranea est.

Quæ verba attentè & cum iudicio sunt consideranda, volunt enim etiam Concilia legitima, etiam generalia nullam habere authoritatem nisi Papæ authoritas accedat, & volunt iidem Conciliis legitimis Spiritum Sanctum præsidere, non enim fecerit (credo) Papæ approbatio vt præsederit Spiritus, qui non præsederat priusquam accessit approbatio, nam sicuti factum infectum fieri nequit, sic infectum nequit fieri factum. Itaque si Spiritus non præsedit ante Papæ approbationem, hoc infectum approbatio Papæ non reddiderit factum.

Resp. 2. Iudex Controuersiarum summopere expetendus.

Cæterum vt occurramus rectà argumento, hoc expendendum est etiam atque etiam, nihil esse nimirum humano iudicio acceptius, quàm vt in omni controuersiâ detur qui litem dirimat, sic enim videntur fluctuantis animi æstus componi. Itaque in Religione homines eo ingenio sumus, nihil vt optemus vehementius quàm vt Iudex detur qui sententiam pronunciet, sic enim putamus fore vt non modò vnicuique nostrûm priuatim constet ratio tranquillitatis suæ, verùm etiam publici consensus: non enim adeò iuuat vt quis sibi conscius sit veritatis, vt non multùm huic voluptati accedat ex notitia publici consensus; vt in familia boni liberi non modò delectantur conscientiâ amoris quo prosequuntur seorsum parentes, verùm etiam ea demum voluptas summa est, si sciant fratres, sorores, in eo consentire. Itaque dandum hoc est, immò affirmandum, nihil posse veris Ecclesiæ membris accidere gratius aut optatius, quàm si statuatur Iudex qui omnes controuersias componat, tantùm quæritur quis sit iste Iudex.

Iudex ille non est Concilium.

Nos certè putamus Concilium de quo nunc agimus, non esse hunc Judicem, nec verò esse posse. Ratio est in promptu, nam Concilia non semper, neque vbique celebrantur, nec verò obtineri potest vt quoties velimus, toties Concilium possit celebrari. At, inquient, sunt Concilij Canones quos adire cuiuis licet. At verò respondi id primùm, hos Canones Concilij paucis admodum esse obuios,

obuios, nam vt adeantur opus est linguarum & Antiquitatis cognitione. Deinde requiri cognitionem historiæ Ecclesiasticæ,& quidem non vulgarem, vt sciamus fuerint ne hæc Concilia legitima. Tertiò respondeo, Concilia de quibusdam tantùm dogmatibus fuisse consulta.Itaque non hinc peti,nisi in certis quibusdam capitibus religionis, definitionem controuersiarum. Quartò dicimus, diu vixisse Christianam Ecclesiam sine Conciliis, hoc est, à temporibus Apostolicis vsque ad tempora prioris Concilij Nicæni. Quo tempore non est credibile Ecclesiam Christianam nullum habuisse Judicem in Controuersiis, alioquin pessimè tum cum ea fuisset actum, nunquam enim grauiora perpessa est quàm iis temporibus: grauiora, inquam, secundùm carnem, nec maiori vnquam impetu ab Hæreticis fuit oppugnata, nec vnquam restitit validius & fortius, postquam enim cœpit feriari à cruce, potuit illud à piis vsurpari, *longa pacis patimur mala, sæuior armis luxuria incubuit:* Quando itaque tam periculosis temporibus substitit inconcussa sine hoc Judice Conciliorum, non est credibile Concilia Judices esse Ecclesiæ. Quid igitur est? non habebit Ecclesia Judicem in controuersiis? Omnino. Et hîc stat omnis Ecclesiæ fiducia, quod audet ad Judicem prouocare, & quidem supremum Judicem, qui nos non modò iam per internos afflatus, sed per Legem & Euangelium publicis commendatum tabulis alloquitur,non minus quàm illa quæ vocant Concilia. Etenim quid est tandem quod hic requirant? verbi gratia, si velimus habere aliquid constitutum de religione, iubent nos adire Concilium Tridentinum, at huius Concilij decreta non exstant (quod ad nostram pertinet notitiam) nisi typis euulgata, atque in varias traducta linguas. Quod si quis hîc causetur vel se nescire, an Concilium Tridentinum rectè fuerit traductum, vel etiam multa esse in Concilio Tridentino tradita ambiguè (quod qui norunt bonorum illorum Patrum consilium, nouerunt iidem de industria id factum esse ab iis, & disputationes Pontificiorum, vel dimicationes potius, dum vnusquisque in suas partes nititur trahere acta Concilij Tridentini, satis demonstrant) verè quidem & iure id caussabuntur, ob eas rationes quas euitandæ prolixitatis caussa cogimur hîc reticere. Attamen Deo loquenti in Scriptura neutrum horum objici potest, etenim ea vis est verbi Dei, in Scriptura præsertim, vt qui non assentitur (etiam seclusa omni alia authoritate præter eam quæ ipsius veritatis est, quæque, vt lucis semetipsam commendantis fulgore suo, summa est authoritas) eum necesse est eiusmodi esse, vt nulla authoritate compesci possit & cogi in ordinem:in ordinem, inquam, cogi pro eo ac decet, nam stultus & mente captus etiam obiecta palea cogitur in ordinem. Illud enim Christi subinde nobis debet recursare, *nisi Mosem & Prophetas audiuerint, ne excitatum quidem à mortuis audient.* Et illud etiam Pauli, *Si Euangelium nostrum tectum est, tectum est illis qui pereunt*, & sanè ita se habet res, nullus vnquam hæretici insolentiam potuit compescere, nec Concilia se nobis approbant authoritate sua,sed euidentia veritatis, ἀποδείξει πνεύματος

sed Scriptura.

Huic iudici qui non acquieuerit.

in nulli alij acquiescet.

Litium forensium.

Cuius rei hæc est ratio, quod non est ea litium conditio quæ de religione,& quæ de hæreditate sunt:nam in his litibus componendis iudice externo opus est, &, si eius copia fiat, res confecta est. At earum litium, quæ de religione sunt, dispar omnino ratio est, cuius disparitatis non est aliunde quærenda ratio, quàm ab eo quod est obuium. Nam si quis caussâ cadit apud Prætorem, non exigitur ab eo vt putet iure se caussâ cecidisse, sed qui cadit caussa cùm de religione agitur, ab eo exigitur, non iam externa quædam obedientia, sed interna. Porrò interna obedientia non potest impetrari in religionis caussa, authoritate vllâ præter diuinam, si modò est obedientia, atque eiusmodi cuius Scriptura meminit his verbis, *credidi, ideò sum loquutus.* Itaque Concilij authoritas non gignit fidem, sed pondus & vis earum rationum, quibus adductum est Concilium vt sic statueret. Jam verò cùm eædem rationes proferri possint, & verò exstent sine Concilio,non sequitur Concilia esse necessaria, quantumuis vtilia sint, qua de re infrà disputabimus. Et, quod rei caput est, tantùm hinc sequetur, tum demum standum esse iudicio Conciliorum cum eiusmodi proferunt rationes, non enim rationibus ob Concilium, sed Concilio ob rationes credendum est. Vnde sequitur Concilia posse errare, etsi non sequatur Concilia semper errare, & adeunda quidem esse, vt Pastores ab ouibus adeuntur, eoque maiori reuerentia quò plures sunt in vnum coacti, sed non sequitur,*cæcâ obedientiâ*,sola authoritate Concilij,Concilio esse parendum.

& de Religione

Discrimen.

Quatenus Concilio sit credendum.

Sic igitur dissoluitur nobile illud sophisma. In omni controuersia arbitro opus est, controuersia autem in caussa religionis, controuersia est, & quidem summa. Itaque arbitro hîc opus est.Est enim (vt iam monuimus) duplex controuersiarum genus, quorum alterum pertinet ad mentis iudicium, alterum verò respicit tantùm hominum externum. In vtroque genere opus est arbitro, sed in iis controuersiis quæ pertinent ad mentis iudicium, oportet arbitrum esse huiusmodi qui illustret mentem, efficiatque perfusa luce vt quæ res fuit controuersa, & dubia, iam clara sit & manifesta, nullam habeat controuersiam. Itaque in negotio religionis vnus Dei Spiritus idoneus est arbiter, hujus enim componit fluctus animi (vt & maris fluctus iubet ponere) iuxta illud Apostoli, *homo animalis non capit ea quæ sunt Dei, &c. spiritualis verò dijudicat omnia.* Præclarè stant verò illa, *Spiritus Dei nobis reuelauit, Spiritus ille qui scrutatur etiam profunda Dei.* Neque tamen sequitur hinc aperiri ianuam furoribus hominum phanaticorum,qui iactant Spiritum. Nam Spiritus quos docuit, docuit verbo Dei, atque ita docuit vt idoneos reddat qui fidei suæ, omni poscenti rationem spei suæ, reddant rationem:neque enim hîc agitur de eo medio quod in Scholis dicunt *Syllogisticum*, cum disputamus de medio quo dijudicatur veritas, sed de eo medio quod *potentia & facultas* dicitur, qua fit vt dijudicemus veritatem: verbi gratia, in rebus humanis nemo veritatem percipit nisi interuentu rationis, at ratiocinandi facultas non est medium syllogisticum, sed mediū quo percipitur vis medij syllogistici: sic planè hîc,vis Spiritus sancti in nobis nō est medium syllogisticum, sed vis qua percipimus quid verum sit,quid verò falsum. Itaq, quemadmodum

Resp. directè ad argumentum Pontif. de iudice.

Controuersiarum de Religione Iudex.

est unus Dei Spiritus.

qui alius est à Phanaticorum Spiritu.

duplex Medium.

Simile.

in rebus humanis si quis rectè sentiat, atque probet quod sentit argumentis, nihil effecerit apud hominem qui nullum vsum habet rationis, neque tamen ita se tuebitur vt dicat, *Ego ita sentio, itaque sic tibi existimandum est*, sed se tuetur ratione, quæ si non percipitur, illius culpa est, apud quem instituitur disputatio. Pariter in caussa religionis, nemo verè pius sic commendat caussam quam agit, vt conciliet authoritatem caussæ assensu suo, quamuis rationes quibus nititur non percipiantur ab eo quo cum ipsi controuersia est. Vt desinant Aduersarij obtrectari nobis hac in parte, quasi Anabaptistis similes essemus, aut nobis circulum objicere, quasi probaremus nos habere Spiritum Dei, per verbum, & vicissim nos habere verbum, per Spiritum: nam manifesta calumnia est & sophisticatio, nam hęc particula *per* non significat vtrobique idem. Cùm enim probamus nos habere Spiritum per verbum, *per* notat medium syllogisticum, cùm verò dicimus nos tenere (nam non sumus adeò ridiculi vt dicamus *nos probare*) quod sit verbum Dei, per Spiritum, *per* non significat Medium syllogisticum, sed Medium facultatis: hoc est, cùm quæritur quâ vi factum sit vt tantam lucem agnoscamus, respondemus rotundè & apertè cum Apostolo, hoc nō factum vlla vi hominis animalis, sed (ad eiusdem Apostoli mentem) profectum id esse à Spiritu reuelationis, ad Ephes. 1. Itaque vnus ille Spiritus controuersiarum in caussa religionis arbiter est.

Refellitur cauillum Pontificiorum.

Alterum verò controuersiarum genus quod pertinet ad externum hominem, vt sunt controuersiæ de fundo & hæreditate, quia non pertinent ad internum mentis iudicium, sed ad id quod, ne turbetur Respublica, fieri debet, etiamsi aliter sentiant partes, parum interest, aut nihil, vt Arbitrum constituamus à cujus iudicio pendeamus, immò hoc necessarium est ne oboriantur turbæ, vi externâ singulis quæ sua putant vel retinentibus, vel vindicantibus. Id quod in Religione (quæ non spectat hominem externum, sed internum) nullo modo locum potest habere: immò hypocrisis quædam esset, si quod fit in controuersiis politicis idipsum fieret in religione: nam in illo genere acquiescimus non iudicio & ratione, sed quatenus continemus nos ab opere externo. At in religione tum demum acquiescendum est cùm persentiscimus ejus veritatem, vt fiat illud, *qua vidimus testamur*, & illud, *credidi, ideò loquutus sum*, & illud, *hac est vita æterna vt te cognoscant verum Deum*, &c. & vt simus præditi *Spiritu qui deducit in omnem veritatem*, & *spiritu sapientiæ*; Et simus ij *qui peruenerunt ad agnitionem veritatis*: Item & ij simus quorum *intellectus illustratus est luce Euangelij*. Nam certè voluntas ipsa cæca est, & mens temeraria & stulta, si credit ea, quæ ipsa non sensit.

Alia est ratio iudicis controuersiarum ciuilium.

Secundum argumentum. Nisi esset infallibile Conciliorum iudicium, possent reuocari in dubium omnes damnatæ hæreses. At illud absurdum est. Respond. Nullam esse consequentiam. Nam si ita se res habet, Pastores Ecclesiæ non poterunt errare, quia nefas est reuocare in dubiū hæreses & peccata quæ Pastores damnant. Excipient fortasse, hoc ideò fieri quia præsupponitur Pastores damnasse hæreses verè hæreses, & peccata verè peccata, ideoque non hinc sequi, non potuisse Pastores errare (nam hoc semper habendum est ob oculos quod Pontificij concedunt, *Episcopos seorsim posse errare*) nos pariter respondemus non ex eo sequi Concilia non posse errare, quia nefas sit reuocare in dubium damnatas hæreses à Conciliis, præsupponitur enim eas fuisse hæreses iure damnatas. Itaque quod non reuocantur in dubium, ideò non reuocantur in dubium quia patuit hæreses fuisse, non autem simpliciter quia damnatæ fuerunt. Quid igitur (inquiet aliquis) contulerit Concilium ad hæresim profligandam? aut quid opus fuerit Concilio? Responsio facilis est, nam idipsum posit dici de Patre, si quod pater præscribit faciendum in caussa religionis, non est ideò faciendum quia præscribit pater, sed quia res ipsa sancta est, quò patris authoritas? aut quid opus fuit patris præscripto? Ridicula interrogatio est, nam iuuat multùm patris authoritas ad animum excitandum, sed non est id tanti, vt si obstet veritas, patri aliquid sit dandum: faciliùs & procliuiùs insinuat se veritas commendata à patre, quàm si à seruo commendaretur. Itaque si non est necessaria, vtilis tamen est authoritas patris ad commendandam veritatem. Neque tamen inde quis colligat, veritati ideò credendum esse simpliciter, quia pater eam commendauit; tantùm hoc sequitur, tantò magis credendum esse veritati, & multò maiori pertinaciâ hîc aberrari à veritate: nec quisquam propterea infallibilitatem patri tribuat.

ratio 2. Pontif. *Ref.* *Inst.* *Ref.*

Tertia ratio quam afferunt. Nulla, inquiunt, esset certitudo de multis Scripturæ libris, nam de Epistola ad Hebræos, secundâ Petri, secundâ & tertiâ Iohannis, Iacobi, & Iudæ, & de Apocalypsi, quem librum etiam Caluinistæ recipiunt, tandiu est dubitatum donec à Concilio res declarata est. Respondeo vno verbo, Ergo de his libris dubitatum est ante Concilium Tridentinum. Item, Ergo Ecclesia errauit ante illud Concilium. Nam si non prius credidit Ecclesia hos libros esse Canonicos, non prius credidit esse profectos à Spiritu Sancto. Ergo in eo saltem errauit Ecclesia, atque ita demonstratum fuerit Ecclesiam posse errare. Sed nos aliter respondemus. Idem iudicium faciendum de Conciliis cùm veritati perhibent testimonium, & cùm hæresim pugnantem cum veritate damnant. At cùm hoc faciunt, id eo iure, eâque faciunt authoritate de qua nobis suprà est disputatum. Ergo eodem iure eademque authoritate commendarint nobis Canonem Scripturæ, neque tamen hinc sequitur frustraneam esse hanc commendationem. Nam primò, quoties aliquid decretum est à cœtu quodam hominum, qui in aliqua authoritate constituti sunt in Ecclesia, facit hoc vt ne *temerè*, & non adhibita accurata & graui obseruatione, id rejiciatur: Vnde fit, vt si verum est quod est à cœtu tanto attentiùs consideratum, tantò magis se probet, nec alio consilio etiam Apostoli in tradenda vera doctrina vrgent authoritatem suam. Nam cæteroqui iubent vt ne Angelo quidem, nedum vt sibi credatur. Deinde in Concilio si adsint viri pij & docti, aperiunt quæ fuerunt clausa, mutuâ συζητήσει: id quod non æquè facilè posit præstari à singulis seorsum, aut si præstetur extraordinarium id fit. Porrò Leges ita conduntur vt respiciatur imprimis non quod rarò sed quod plerumque contingit. Cùm igitur

3. Ratio Pontif. *Resp. 1. retorquendo.* *2. Quis sit vsus decretorum Cōcilij de Religione.* *Nempe 1.* *2.*

rarò

rarò contingat (nam & hoc contingit aliquando) vt vnus solus sapiat, & sit res pessimi exempli omnia ad vnius arbitrium referre, præsertim in caussa Religionis, hoc est, putare vnum omnia scire, ad Concilia consentaneum fuit rationi confugere. At hoc non eo consilio factum est, quasi quod Concilium decreuit excipiendum sit cæcâ (vt loquuntur Sophistæ) obedientiâ. Sed potius, quia id exspectamus vt in Concilio, in conuentu doctorum & piorum virorum proferantur argumenta veritatis quę anteà ignota fuere; interim illud cogitantes, fieri posse vt excidamus spe nostra: quemadmodum (vt suprà diximus æquum est vt filius putet patrem (præsertim quem bonum putarat) præ se sapere: Attamen non putauerit cæcâ obedientiâ patri parendum.

3. Est & hìc aliud quod sæpenumerò quæritur, quæ sit eorum qui habentur pro viris doctis & grauibus de Religione sententia, & verò id sciri commodius non potest quàm si Concilium celebretur, & hactenus quidem fit, vt sciamus quid publico consensu receptum sit, id quod magnum habet pondus, quando inest publico consensui veritas, quid enim suauius aut vtilius cogitari possit, quàm vt veritas publico consensu comprobetur. Attamen non hinc sequitur infallibilitas, huius rei exemplum est in vita communi. Simile. Nam si quid rectè sentimus de rebus humanis, gratissimũ nobis id est, si idipsum sciamus probari eis qui præditi authoritate & gratiâ sunt. Ergo etiam si hoc solum spectaretur in celebrandis Conciliis, non frustrà celebrarentur. Et quando hìc agimus de Scriptura, dicimus Concilium aperire rationes quibus fit vt deprehendatur quod occultum fuit, eam ob causam quam suprà diximus. Deinde, non esse rem exiguæ voluptatis publicum consensum in verbi Dei authoritate recipienda & retinenda, tantum negamus hinc astrui infallibilitatem.

4. ratio Pontif. Quartum eorum argumentum est. Si, inquiunt, Concilia possent errare, omnia possent intolerabilem admittere errorem, at omnia non potuerunt, &c. Probant minorem sic, Non admiserunt. Resp. In quo duplex error admittitur. 1. Primò, in eo quod ex eo quod factum est, concludunt non potuisse aliter fieri. 2. Secundò, in eo quod principium petunt, nam contendunt id quod nos negamus, quodque est in controuersia præcipuè, nullum Concilium grauissimè errasse. Nam nos quidem fatemur vltrò multa Concilia non errasse, immò fatemur Concilia *legitima*, (quomodo illud à nobis suprà explicatum est) hoc est, verè congregata in Dei nomine, non errare in rebus necessariis, sed quid hoc ad rem? non enim hinc sequitur Concilia non potuisse errare, aut eiusmodi authoritatem esse Conciliorum, vt non potuerint quippiam præscripsisse quod non sit excipiendum absolutâ obedientiâ.

Ecclesiam posse errare. Sequitur vt demonstremus Ecclesiam posse errare, eo sensu nempe, qui suprà in statu controuersiæ constituendo à nobis est explicatus. Nam Ecclesiam simpliciter, & absolutè, & omni modo posse errare nemo dixerit, sed iam quæstio est, *An Ecclesia quæ videtur Ecclesia, ideoque Ecclesia dicitur quia esse Ecclesia videtur, immò verò an vera Ecclesia aliquandò, & aliquandiu non possit errare.* Probatur 1. Ac primò quidem id probatur iis rationibus, quibus suprà demonstratum est Ecclesiam posse deficere. 2. Secundò, hoc probatur ipsa experientia, nam non est nouum, vt admittantur publicè in Ecclesia grauissimi errores, abusus vocant; sed cùm abusus illi in Ecclesia publicè tolerentur immò probentur, nec improbentur nisi à singulis priuatim, idque clam, Ecclesiam errare necesse est. 3. Tertiò Ecclesiam posse errare hinc euincitur, quod nulla sit Dei promissio, quæ possit efficere vt ne erret (Ecclesia, inquam, quæ Ecclesia dicitur quia videtur, immò verò ad tempus ea Ecclesia, quæ pertinet verè ad eum cœtum qui facit Christi sponsam) nulla autem eiusmodi promissio est, vt est demonstratum suprà. Itaque Ecclesia potest errare. 4. Quartò, probatur hinc, quod si Ecclesia non possit errare, posset eadem esse (saltem quod ad cognitionem attinet) nulli imperfectioni obnoxia, quod vera Ecclesia non agnoscit, immò profitetur se esse obnoxiam errori, quod argumentum valere potest duplici ratione. Primò, si eo vtamur ex hypothesi Aduersariorum, nam dum illi volunt probare verè pios posse excidere salute, hinc illud probant, quod (inquiunt) orant ne excidant salute. Pari ratione Ecclesia poterit errare, nam orant ne contingat vt erret Ecclesia, in *Collectis* (quas vocant) rogant Deum vt deducat Ecclesiam in via veritatis. Sed & alia ratione possunt vrgeri hoc argumento. Nam Ecclesia dum se fatetur obnoxiam errori, fatetur etiam se errasse, vt Dauid Psalm.19. *Ab occultis meis munda me Domine*, quod Dauidi obtingere potuit, potest omnibus fidelibus simul obtingere, nempe vt in eo deliquerint, quod aliquando putarunt rectè factum; idque tum illis fuit occultum, at admoniti resipuerunt: verbi gratiâ, Petrus, aliquando nefas putauit cum Gentibus habere commercium, at postmodum resipuit: neque tamen hinc sequitur, nullam posse haberi certam notitiam dogmatum Christianæ religionis, non magis quàm ex eo quod aliquando videmur nobis videre quæ non videmus, colligi potest eorum quæ vidẹmus nullam habere nos certam notitiam.

5. Concilia errarunt de facto. Quintum argumentum est Conciliorum inconstantia, nam Concilia possunt errare. Id verò demonstratur exemplis petitis ex libris Veteris Testamenti, deinde è Nouo Testamento, ex authoritate Patrum, denique ipsâ experientiâ, qua nihil dici potest certiùs. Probatur ex V.T. Et quidem ex Veteri Testamento constat ex 3.Reg. cap.22. quadringentos Prophetas errasse. Except. Respondent eos fuisse Pseudoprophetas, neque ignorasse vel ipsum Achab, qui eos consulebat, nam cum ibidem diceret Rex Iosaphat, *non est hic quidam Propheta Domini, per quem interrogemus Dominum?* Respondit Achab, *Remansit vnus, sed ego odi illum, quia non prophetat nisi malum.* Ref. 1. Sed hæc responsio vana est, nam habebantur etiam & illi à Iosaphat pio Rege pro Domini Prophetis, non enim respondit Iosaphatus simpliciter, *Non est hic aliquis Propheta Domini?* sed, *non est prætereà aliquis Propheta Domini?* 2. Deinde facile fuisset & in promptu Micheæ se tueri aduersus istos Prophetas, si non fuissent quoad munus, Domini Prophetæ. Iam verò ab iis habitus contumeliosè, non iis exprobrat vsurpationem iniquam alieni tituli, sed ad ipsum euentum prouocat. 3. Tertiò, ridiculum est hìc & joculare, ludere

in nomine Pseudoprophetæ. Nam Pseudopropheta dicitur vel qui munere Prophetæ non fungitur, qui non est vocatus ad id munus, quales sunt Pseudoprophetæ Ethnicorum, vel sunt Pseudoprophetæ qui senserunt aliquando Spiritum Dei, vocatique sunt ad id munus gerendum, sed dum student vt omnia ad gratiam eorum quorum beneuolentiam captant, componant, faciunt vt Deus iis immittat spiritum erroris, vt sæpenumerò Ministris Euangelij, qui artibus aulicis nimis deditis sunt, contingit. Nos verò hos quadringentos Pseudoprophetas fuisse secundi generis, minimè dubitamus. Possemus in eandem sententiam proferre querimoniam Prophetæ Isaiæ cap. 56. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi.* Quæ verba illi sic interpretantur, vt concedant intelligenda esse non de omnibus, sed de multis. At hoc, inquam, satis superque nobis est: nam errores qui authoritatem obtinent in Ecclesia, sanè non proficiscuntur à bonis paucis, sed à multis malis. Deinde, haud dubiè his verbis Propheta etiam Concilia complectitur. Nam in Ecclesia Iudaica erant perpetua Concilia, nempe *magnum Sanhedrin*, cuius Iudicium in omni caussa supremum fuit. Ergo Sanhedrin errarat cum Propheta sic loquutus est.

2.

Probatur ex N. Test. nempe Cōcilium quo Christus damnatus est, errauit.

Secundò constat ex libris Noui Testamenti Concilia errasse, nam illud Concilium quo Christus condemnatus est, errauit. Solent Aduersarij certè eorum nonnulli, & quidem viri haud contemnendæ authoritatis, respondere, Concilium illud errasse *in facto*, non autem *in iure*, non enim (inquiunt) damnarunt Messiam, sed eum quem crediderunt ementiti Messiæ titulum & nomen. Est hæc responsio planè ridicula & impia; & ridicula quidem; quia *facti* ignorantia tum fit ignorantia *iuris*, cum nulla ratio idonea est dubitandi de facto, vt si quis profiteatur se patrem colere, attamen eum aspernatur qui verè pater est, non potest se tueri ea excusatione quæ petitur ab ignorantia facti, si ea omnia argumenta quibus probatur aliquem esse patrem, ei objecta sunt. Deinde impia est hæc responsio, nam sic effici posset vt ne errent hodie Iudæi, nam nec illi damnant Messiam, hoc quidem modo quo negant Aduersarij Messiam à Concilio fuisse damnatum, sed eadem hodie Iudæorum sententia est quæ Patrum fuit. Et certè, si ita se res habet, Paulus qui Christum persecutus est non fuit blasphemus, quod tamen vltrò & ingenuè fatetur.

Except. 1. Ref. 1. — 2.

Alia Except.

Alij aliter respondent, nam aiunt *Synedrium errasse mente, non verbis.* Nempe sic possint tueri sententiam suam, nam Iohan. cap. 11. Caiphas suadet Christi mortem, & rationem cur id suadeat adjicit, expedire enim vt vnus moriatur pro peccatis populi, & continuò monet Euangelista, Caipham id non protulisse tanquam ex semetipso, sed prophetasse, quòd esset eo anno Pontifex. Sed hæc responsio multis modis refutatur. Primò in Christo damnando Pontificis verba non fuere, *Oportet istum mori pro populo*, quæ verba sensum propheticum habere potuissent, sed his verbis sententiam pronuntiauit, *blasphemauit iste*, nempe, qui se Filium Dei verè dixerat, non est igitur par ratio. Secundò, cùm quæritur, *An Concilia errent*, non iam disputatur de verbis, sed de Concilij mente, nam si Concilia tum demum dicenda sunt non posse errare, quando verbis non errant, etiamsi verba aliena sint à Concilij mente, oportebit illa Concilia ex Caiphis conflari, haberique pro Conciliabulis, Christo & nomini Christiano infensis. Deinde, non sic præstabitur obedientia Concilia, sed verbis Concilij, quæ an aliquid significent quod faciendum sit, non iam dijudicari potest ex eo quod Concilium sic decreuit, sed ex eo quod ea verba commodum sensum possunt admittere. Ita verò res fit magis controuersa, nam quis iudicauerit vter sensus sit sequendus, isne quem Concilium in mente habuit, an verò is quem verba Concilij referunt? Certè oportet rem ipsam hîc esse iudicem, id est, oportet nos iudicare quid sequendum, non ex authoritate Concilij, sed ex rei ipsius veritate (quæ nostra sententia est) nam Concilium ambiguè loquutum est, & sententiam dixit: verbi gratiâ, cùm Caiphas diceret, *expedire vt vnus moriatur pro peccatis populi*, non potuit id credi sensu recto ex authoritate Caiphæ, nam ille nihil minus voluit: oportuit igitur id credi ex authoritate veritatis. Denique respondetur, cùm agitur de concilianda authoritate Conciliis, oportet hoc constitui primum, sintne Concilia conflata ex personis, quæ loquuntur tantùm per Enthusiasmos (atque ita nihil opus erit Theologis, neque disputationibus, quæ tamen in Papatu *pro formâ*, hoc est, dicis caussa adhibentur) vel constituendum, sintne Concilia conflata ex hominibus quorum ominosa verba sunt, hoc est, qui si vera dicunt, id dicunt fortuitò, nullo verò consilio.

Ref. 1. — 2. — 3. — 4.

Objicitur Caypham prophetasse.

Sed quoniam hoc loco quæri potest, quorsum verba illa summi Pontificis spectarint, non, inquam, quatenus ab eo prolata fuere, sed quatenus voluit Deus eum rem injustam planè & iniquam animo agitantem, tamen iis verbis efferre vt prophetauerit, & quidem eo quòd illius anni Pontifex esset; sic enim videtur concedi prærogatiua quædam etiam Pastoribus qui munere suo abutuntur, proindeque labefactari nostra, confirmari Aduersariorum sententia, præsertim cùm id notetur disertis verbis. Respond. primò, quamquam minus directè, si ita se res habet, vnde factum est vt Pontifex cum ad rem ipsam ventum fuit (nam cùm illa verba pronuntiaret, res vocata tantum fuerat in quæstionem, quid facto opus esset) pronuntiauerit *blasphemauit*, nam debuit valere priuilegium præsertim cum ad rem ipsam ventum esset, quando non deliberationem sed decretum, malum sequitur, reapse, inquam, & facto. Sed & respondetur directè, & quidem duobus modis, quorum prior hic esto. Extra solemne Iudicium, & quod ratum debuit esse, id Pontifici obtigisse, vt nobis argumento sit aliquando eos qui in Ecclesia regenda non versantur fideliter, cùm de Christi caussa agitur, hoc est, de fide, tamen imprudentes eò delabi, vt ea dicant quæ faciunt ad fidem Christi propagandam. Cæterùm cauisse Deum ne id fieret in eo Concilio in quo Christus damnatus est, ne quis hîc diceret (quod dici volunt hîc Pontificij) ab hominum authoritate esse pendendum: Itaque vtrique prospexit Deus, tum vt habeamus eius prouidentiæ argumenta, tum vt ea habeamus tam opportunè, vt ne desit (si incidamus in errorem) idoneæ excusationis argumen-

Resp. 1. *Indirectè.* Nullum inde Pontificatui priuilegii adstrui.

2. *Directè, bifariam.* 1.

argumentum. Nam Pilatum quidem quia Iudex fuit (qui hominum ordo nullo vnquam ſæculo habitus eſt pro eo ordine qui non poteſt errare) ſic habuit, vt & Pilatus prophetauerit quodammodo, nam iuſsit titulo crucis ſcribi ea verba, & quidem variis linguis, tribus ea ætate celeberrimis toto terrarum orbe, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, tantâ conſtantiâ vt decretum ſemel reſcindi non ſit paſſus. Secundò, Reſpondeo, notatum, *quia hoc anno erat Pontifex*, vt ratio prouidentiæ diuinæ redderetur, non verò vt notaretur priuilegium Pontificatûs. Nam verba quæ magnis viris excidunt, & conſtitutis in authoritate, multò magis animum afficiunt; cuius generis ſunt illa verba quæ dicimus *ominoſa*, atque in eo non erramus à vero, modò ne ſuperſtitioni, ſed (vt Religionem Chriſtianam decet) prouidentiæ diuinæ ei, quæ nobis ineſſe debet, cognitioni obſequamur. Certum enim eſt magnis viris, dum magna moliuntur, imprudentibus multa excidere, quæ rerum quas moliuntur exitum deſignant.

2.

3. Pontific. Except. Ref. Cõcilium eſt legitimum, vel *Intrinſecus* vel *Extrinſecus*.

Alij autem concedunt Concilium illud erraſſe, negant fuiſſe legitimum. Sed (vt ſuprà pag. 289. monuimus) Concilium *legitimum* dicitur vel *extrinſecus*, vel *intrinſecus*: & quidem *intrinſecus*, quod fit toties quoties ij qui conueniunt, conueniunt in Chriſti nomine, quid autem id ſit fuſius alibi explicatum eſt, nempe ij conueniunt in Chriſti nomine, primò quos Chriſtus conſtituit aliquo loco in Eccleſia, vt quod faciunt non faciant temerè. Deinde qui conueniunt non ſubnixi vlla ſui fiducia. Denique qui vnicam Chriſti gloriam habent ob oculos. Atque huius generis Concilia quæ ſint, opus demum eſt & labor ſcire, non enim ſumus καρδιογνώσαι. Itaque ſi dicunt illud Concilium ideò erraſſe quia non fuerit legitimum *intrinſecus*, falsi fuerint quod nos voluimus: Nempe cum dicimus Concilia poſſe errare, & verò errare, dicimus Concilia *intrinſecus* fieri poſſe illegitima, hoc eſt, fieri poſſe vt qui conueniunt non conueniant freti Deo, ſed ſe, tùm (quod ſequitur continuò) vt non ſpectent Dei gloriam, ſed ſuos affectus. Quod ſi dixerint illegitimum fuiſſe extrinſecus (in quo comprehenditur prima conditio Concilij legitimi *intrinſecus*) hoc verò apertè falſum eſt: Nihil enim requirebatur ad conſtitutionem Concilij extrinſecus legitimi, quod non adhibitum ſit in illo Concilio: nam Synedrij authoritas erat, non iam iuris humani quod vocant, ſed diuini, & quidem eo iudicio abſolui debuit Chriſtus. Quamuis Aduerſarij negent (quod eſt planè tyrannicum) licere cuiquam quærere, *an Concilium ſit extrinſecus legitimum*, quæ quorſum ſpectent, nemo non videt; nempe verentur ne etiam in Conciliis, vel potius Conciliabulis Papiſticis requiratur, non ſolum quod eſt legitimum *intrinſecus*, ſed etiam quod eſt legitimum *extrinſecus*: adeo meticuloſi ſunt & malè ſibi conſcij, vt nolint examinari cauſam vel eâ regulâ quæ poſſit fallere.

4. Pontific. Exceptio trimembris.

Denique (quæ reſponſio illis vnicè placet) aiunt Concilium illud erraſſe, ſed ita tamen vt concedant non eſſe quod quis miretur id eueniſſe, cùm facti ratio conſtat: nempe, inquiunt, primò, non eadem Deus Eccleſiæ Iudaicæ indulſit quæ Chriſtianæ, nullæ exſtant eiuſmodi promiſsiones. Deinde, cùm Chriſtus ageret in terris, nihil opus fuit vt Concilium non poſſet errare. Tertiò, prædictum id fuiſſe olim à Prophetis. Ad hæc omnia reſpondeo ſigillatim. Atque hîc monemus primùm, non eſſe operæpretium vt huc adducamus vaticinia, promiſſiones Propheticas, nam hoc argumentum ſic eludent vt reſpondeant, pertinere illas promiſsiones ad tempora Noui Teſtamenti. Itaque nihil promouerimus, noua contentio erit ineunda. Sic ergo propius congrediamur. Nunquam deſtituit Eccleſiam Deus in iis quæ ſunt eſſentialia. Atqui ex ſententia Aduerſariorum, niſi Concilia nequeant errare, actum eſt de fide, nullum eſt firmamentum fidei. Itaque non magis in Veteri quàm in Nouo Teſtamento, iuxta hanc hypotheſim, neceſſe fuit vt ne Concilia errarent: nam in rebus ad ſalutem non abſolutè neceſſariis, aliter quidem Deus habuit Eccleſiam ſub Veteri quàm ſub Nouo Teſtamento, at in iis quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, minimè verò. Ad ſecundum reſpondeo, non eſt credibile Chriſtum præſentiâ ſuâ detraxiſſe aliquid Eccleſiæ, præſertim cùm quandiu egit in terris, nunquam hoc ſtuduerit vt dejicerentur de gradu qui ſedebant ad gubernacula Eccleſiæ, immò vſque adeò ab eo abhorruit, vt donec tempus venerat (tempus autem illud non venerat ante mortem & reſurrectionem Chriſti) ablegarit ſuos etiam ad Eccleſiam qualis tum fuit. Ad tertium reſpondeo, prædictum id fuiſſe quia fuit futurum, non fuiſſe autem futurum quia fuit prędictum. Iam verò quid aliud hoc facit, quàm fieri poſſe vt Concilia errent, cùm Deus hoc prædixerit certo cuidam Concilio obventurum? At (inquiunt) non hoc prædixit euenturum reliquis Conciliis. Quid tum poſtea? non enim prædicit Deus omnia quæ ſunt euentura, ergo ex eo quod Deus non prædixit fore vt & reliqua Concilia errent, ſequitur reliqua Concilia non poſſe errare? minimè verò.

Reſp.

ad 1.

ad 2.

ad 3.

Concilia poſſe errare probatur teſtimonio Auguſtini.

Sed & poteſt hoc Patrum authoritate demonſtrari, verba enim Auguſtini ſunt libro 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. *Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceßitatem collegas ſuos adigit, quando habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium tanquam iudicari ab alio non poßit, quomodo nec ipſe poteſt alterum iudicare, ſed exſpectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus eſt, olus habens poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.* Et cap. 3 *Quis neſciat ſacram Scripturam Canonicam tam Veteris quàm Noui Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum litteris ita præponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poßit vtrum verum, vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Epiſcoporum autem litteras quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuſlibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi ſi quid in eis fortè a veritate deuiatum eſt? Et ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere, ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & agnoſcitur quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum*

pace Catholica, cum charitate Christiana. Quem ad locum illi hos excipiunt primò, vt dicant Augustinum tantum hoc velle, Concilia errare etiam plenaria, cùm agitur *de facto*, nolle autem Concilia errare tùm (plenaria modò sint) cùm agitur *de iure*: neque enim, inquiunt, tum de iure, sed de facto agebatur, cùm ageretur caussa Donatistarum. Quod omnino falsum est, nam Catholici Donatistis dabant inter disputandum (tametsi id darent tantum, non etiam affirmarent aut agnoscerent peccasse Cæcilianum, tantum negabant, etiamsi id factum fuisset, ab Ecclesia fuisse discedendum. Secundò excipiunt, vel ex mente Augustini constare agi eo loco de facto, non de iure, quia, inquiunt, verba Augustini sunt, *Cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat:* Atqui id fit tantum cùm de facto agitur, non autem cùm agitur de iure. Immò verò nos affirmamus Conciliorum decreta quæ ad mores pertinent, sæpenumerò deprehendi ipsa experientiâ esse illegitima: verbi gratiâ, speciosum fuit decretum de cœlibatu Sacerdotum, experientia docuit impium fuisse, vt in re Medica contingit aliquando, vnde illud ortum est, vt Medici quosdam vocent *populares errores*, qui tamen sunt speciosi, & aliqua nituntur probabilitate, iuxta illud, *vox populi, vox Dei.* Secundò respondetur, Augustinum non id modò dicere, sed à moribus ascendere vsque ad fidem: quamquam, si Concilia errare possunt in iis quæ spectant ad mores, perniciosus & exitialis error est. Nam non mores ad fidem, sed fides refertur ad mores, nempe mysterium est pietatis. Itaque si Concilium decreuit pugnantia cum pietate, decreuit pugnantia cum fide, Sed nihil opus est iam eò deuenire, nam, vt diximus, sequuntur hæc Augustini verba, *cognoscitur quod latebat.* Itaque Canonum qui ad mores spectant Augustinus priore loco meminit his verbis, *Cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat*, nempe quia nobis proximi sunt, quippe sunt de rebus agendis: deinde Canonum fidei meminit de iis quæ nobis cognoscenda sunt, istis, *& cognoscitur quod latebat.* Sic à posteriori recedit ad prius.

[margin: 1. Except. ad illum locum. / Ref. / 2. Except. / 2.]

Denique diximus Concilia errasse de facto, primò quia id agnoscunt Concilia, nam precibus quibus concluditur Concilium, orant Deum vt si quid humanitùs erratum sit, condonet. Deinde, si credimus Aduersariis, Concilij decreta tum demum sunt rata cum Papa ea confirmauit: Itaque non satis est vt Concilium aliquid decreuerit, necesse est vt eius decreta confirmentur à Papa. Quî pote, nî fateris Concilia posse errare, & verò fortasse errasse? Sed de hac re suprà fusius.

[margin: Concilia errasse probatur experientia.]

Porrò grauius est inter ipsos Aduersarios controuersia, quo tandem niti debeat fides hominis Christiani, *Núm authoritate Concilij* (nam quis sit Ecclesiæ consensus verus in confesso est sciri non posse nisi per eos qui Ecclesiam repræsentant) *An Papæ authoritate*; & quidem summâ contentione inter eos agitata, qui nobis audent objicere discordiam. Res certè iis eò redit, vt cogantur, velint nolint, fateri se inter se dissentire de fidei fundamento. Nam si Concilium (vt eorum nonnulli volunt) supra Papam est, Ergo creditur Papæ ob Concilium, non creditur Concilio propter Papæ authoritatem; quod si verò Papa supra Concilium sit, credetur Concilio ob Papam, non verò Papæ ob Concilium. Atqui propter quod vnumquodque creditur, id fidei fundamentum est. Itaque boni illi viri qui nobis inuidiam faciunt de dissentione, inter semetipsos dissentiunt: non enim fides vera dicitur quia creditur quod verum est, sed quia id quod verum est creditur ob id ob quod credi debet. Sed hac de re nobis iam proximo loco *de Ecclesiæ Iurisdictione & Authoritate*, fusius erit disputandum, tum, inquam, cùm Deo iuuante, explicabimus, nec Ecclesiæ, nec Concilij, nec Papæ authoritate fidem nostram niti.

[margin: Contentio inter Pontif. de Concilij & Papæ authoritate]

DE POTESTATE ET iurisdictione Ecclesiæ.

DIsputaturi de Potestate & Iurisdictione Ecclesiæ necesse habemus vt teneatur controuersiæ status, scire quid sit *Potestas*, tum quæ sint *species* seu *genera potestatis*, alioqui vix expediri & explicari possit ista quæstio, adeo inuoluta est & intricata. *Potestas* igitur in genere ea est, qua quis possit citra cuiusquam injuriam sibi aliquid arrogare. Versatur verò vel circa *res*, vel circa *actiones* simpliciter, vel circa *personas*, Circa *res*, cum res nostra est: Itaque hic comprehendendæ & intelligendæ sunt personæ, sed quatenus personæ res sunt, vt cum persona eiusmodi est, vt eam possis tuam rem appellare. Sic seruus res est & persona; Persona, quia ratione est præditus; Res, quia in potestate est aliena, non sui iuris. Vel Potestas versatur circa *actiones*, cum licet cuiquam hoc sibi arrogare, vt hoc aut illud possit facere; quatenus nempe non refertur illa actio ad alteram, verbi gratiâ, vt quis possit legibus non violatis venari aut non venari. Iam verò cum de potestate Ecclesiæ agitur, hactenus de ea agitur, quatenus (inquam) versatur circa *res & actiones* simpliciter. Circa *Res*, vt, verbi gratiâ, cum statuendum est, quid possit Ecclesia suum dicere: Item in *actionibus*, cùm statuendum est quid possit Ecclesia facere, aut non facere, nam omnia, vt ait Apostolus, *sunt Ecclesiæ.* Ius habet Ecclesia in omnes creaturas, nam destinatæ sunt à Deo in Ecclesiæ vsum, & in rebus & actionibus adiaphoris, hoc est iis quibus neque Deus offenditur, neque læditur proximus, vt vesci hoc aut illo genere cibi, &c. Sed ista pertinent ad locum de Libertate Christiana. Potestas porrò quatenus versatur circa personas, est ea qua fit, tibi vt liceat personam vel continere in officio, vel ad officium reuocare. Ea verò multiplex est, est enim vel *minima*, vel *proxima minimæ*, vel *magna*, vel *maior*, vel *maxima*, vel denique *multo maxima*. Nam his vocabulis instar notarum liceat nobis vti.

[margin: Potestas quid sit. / versatur circa. Res. / Actiones. / Personas. / Et hæc est multiplex.]

Minima potestas qua quis ita agit, vt vel contineat in officio vel reuocet, est quæ nititur nullâ continentis, aut reuocantis authoritate, sed rei veritate. Atque ita vt qui hac minima potestate præditus est agat summissè, hoc est, ita vt ne (etiamsi spreta fuerit admonitio) ei liceat vti increpatione, neque quidquam facere quod rationem pœnæ habeat, vt ne iam dicam pœnam, si quando experitur minus obsequentum dicto. Ita, verbi gratiâ, seruo licet dominum continere in officio, aut reuocare ad officium faciendum, filio pa-

[margin: 1. Minima.]

filio patrem,&c. Neque tamen seruo licet, si nihil aliud subest, monendo objurgare herum, neque filio patrem, &c. Neque item adhibere quæ pœnæ rationem habent, verbi gratiâ, abstinere consortio & congressu: fac enim seruum ab hero contemni, neutrum licebit, neque vt objurget, neque item vt discedat, nam hæc duo habent rationem pœnæ.

2. *Proxima minimæ* nempe paris in parem.

Proxima minimæ potestas est paris in parem, non est enim nefas vt par (si recta momenti par restiterit) parem increpet, modò hoc faciat prudenter, hoc est, ἀγαπητικῶς nec item nefas erit vt adhibeatur aliquid quod rationem habeat pœnæ, nempe (vt incutiatur pudor fratri, hoc est pari) eius vt consortio abstineamus, dummodo ne id fiat animo vindictæ cupido, & nostri potius quàm fratris studioso. Hæc potestas est quæ *minimæ* proxima est, itaque *minimæ* potestati cum hac, & huic cum *minima* hactenus conuenit, quod vtrobique desit authoritas: nam vt minor in maiorem, sic nec par in parem imperium habet, nisi quod propiùs ad maioritatem (liceat nobis sic loqui) accedit par quàm minor, nam vt minus maius fiat necesse est par fiat. Itaque tametsi in primo temporis momento id non accidat, accidit tamen in priori momento naturæ. Itaque par in parem vmbram quandam authoritatis obtinet, nempe quatenus maiori proximus est; attamen reuera non habet authoritatem.

3. *Magna.*

Magna (quam diximus docendi caussâ) potestas est, cùm quis vel continet in officio, vel reuocat ad officium authoritate, sed quæ eiusmodi est nihil vt habeat quo posit cogere seu intellectum, seu etiam hominem externum, sed eiusmodi tantùm est, vt si res ipsa subsit, magna sit: vt verbi gratiâ, Doctoris authoritas in Schola non cogit intellectum, nec item exteriorem hominem (vt vtar phrasi Scripturæ) cum illi res est cum viris; attamen ea authoritas magna est, nempe non est leue discrimen inter eum qui nullo munere fungitur & vera dicit, & cum qui cum fungitur aliquo munere, iuxta muneris præscripti rationem ea præscribit quæ sequenda sunt. Itaque in hoc genere, si qui docet contemnitur, duplo grauius peccatur: non enim modò res ipsa contemnitur, sed & ordo quem instituit Deus. Itaque & qui hoc munere funguntur, tametsi non sit penes eos pœnam infligere, aliquid tamen faciunt, & verò licet facere, quod pœnæ inflictæ rationem habet, nam non objurgant modò, sed & summouent item quos objurgarunt, si pertinaciores sunt; atque id non faciunt solùm quomodo homines priuati, sed etiam, vbi rectè constituta est Respublica, publica authoritate.

vt est Doctoris in Schola.

4. *Maior.*

Maiorem potestatem docendi caussâ eam vocamus, quæ tanta est vt non faciat & constituat jus, attamen tanta est vt posit perhibere juri testimonium tam certò, vt id testimonium in dubium non debeat reuocari. Quod vt intelligatur pleniùs, tenendum id est, cùm de jure agitur duplicem esse authoritatem, est enim authoritas quædam quæ facit vt id sit jus quod naturâ suâ jus non est, & est item authoritas quædam quæ facit vt quod jus erat nos putemus esse jus: vnde nata est distinctio authoritatis, in authoritatem *in se*, authoritatem *quoad nos.* Nam authoritas *in se*, ea demum est qua fit vt res mereatur authoritatem, authoritas verò *quoad nos* ea est qua rei meritum nobis innotescit: verbi gratiâ, gemma genuina non adulterata authoritatem habet *in se*, nempe habet vnde mereatur vt æstimetur gemma, sed gemmularius authoritatem ei attribuit *quoad nos*, non sunt enim omnes eius rei periti, vnde ortum prouerbium, *Artifici in suâ arte credendum.* Sic Medici non faciunt vt pharmaca quæ præscribunt verè pharmaca sint, tribuunt tamen pharmacis authoritatem *quoad nos:* nempe cum res agitur apud eos qui rei Medicæ imperiti sunt, qui enim norint an pharmacum vtile sit, nisi quia Medicus præscripsit? Jam nos *maiorem* authoritatem vocamus, non eam quæ facit vt res authoritatem mereatur, sed eam qua fit vt agnoscamus rem esse eiusmodi vt mereatur authoritatem. Cuius generis authoritatis exemplum habemus illustre imprimis in Republica Romana. Erant enim, liberâ adhuc Republicâ, Jurisperiti, Jurisconsulti, Jurisprudentes trium generum: erant *Antecessores* (qui postea vocati sunt) qui jus docebãt, & *Canditati* qui λύται vocabantur, & *Prudentes* propriéque *Iurisconsulti.* Qui *Antecessores* vocati sunt, Doctores erant juris: qui λύται & *Candidati*, ij qui operam dabant responsis prudentum, vnde & λύται quasi *solutores* dicti sunt. *Prudentes* verò siue *Iurisconsulti*, non iam jus faciebant, sed tamen quicquid Consulti pronuntiabant de jure, id jus & fas esse etiam à iudicibus existimabatur, nempe ob opinionem peritiæ juris: vnde nata sunt *Responsa prudentum*, quæ legum vim obtinent, quæ postea *rescripta Principum* dicta sunt. Nam postquam Principatus, seu regnum potius obtinuit apud Romanos, omnia ad voluntatem Principis cœperunt referri, itaque Jurisconsultorum responsa Principum rescripta dicebantur, non quod Princeps cognouerit de caussa, sed quia id ad Majestatem Principis pertinere videbatur, nullius vt sententia haberet pondus, nisi ejus authoritate confirmata.

Authoritas duplex. *in se, quoad nos.* *Sic illustratur.* *Exemplũ Maioris authoritatis.* *in antiquis Romanorum Iurisconsultis.*

5. *Maxima.*

Potestas *maxima* est ea qua fit, vt qui eâ preditus est, etsi non profiteatur se esse authorem juris quod commendat, tamen hoc sibi posit jure assumere, vt pœnam irroget contemptoribus juris, quod dum commendat, negat se esse illius authorem, assertoris tantùm partes & vindicis sibi sumit: verbi gratiâ, Magistratus negat se esse authorem juris naturæ, item, negat se esse authorem Religionis, attamen contemptores vtriusque juris (quatenus distingui possunt) profitetur se (& quidem jure) posse curare pœnâ afficiendos. Hæc *maxima* est potestas siue authoritas, nam superat *maiorem* quę puniendi nullum habet jus, itaque & eam superat quam *magnam* diximus, proindeque quam vocauimus *proximam minimæ*, denique *minimam.*

quæ pœnã irrogat, *qualis est Magistratus inferioris.*

6. *Multò maxima.*

Potestas *multò maxima* ea est quę jus facit quod alioqui jus non erat, quæque eiusmodi est vt conciliet authoritatem puniendi qui secus fecerint. Hanc authoritatem *multo maximam* diximus, quia quam vocauimus *maximam* hoc gradu superat (adeoque omnes reliquas species potestatis) quod *maxima*, & reliquæ potestatis species non faciunt jus quod suâ natura non fuit jus: verbi gratiâ, Magistratus dum præscribit leges politicas, quæ Religione & lege naturæ illæsa potuerunt non obseruari, jus facit quod non erat jus. Quantò magis dum eas leges præscribit quæ sunt damnosæ (modò damnum ne cedat in damnum conscientiæ, sed externum damnum sit, quo læduntur *Bona* quæ dicuntur, & corpus)

quæ Ius facit, & dat authoritatem puniendi. *qualis est summi Magistratus.*

ius fit quod non erat antea ius, & quod naturâ sua injustum est? Hæc est potestas *multò maxima*, quam Deus in hominum conscientias noluit exerceri, ideoque nemini id ius tribuit, cujus rei hæc ratio est, quia corpus & bona hujus vitæ sunt caduca, &, si hac in parte quis læditur, modò ferat rem patienter & æquo animo, non eo læditur, sed iuuatur potius, non visum est Deo alienum à suorum commodis, vt tam duram subeant Legem. Deinde, quia nisi eiusmodi lex fuisset lata non modò verendum erat, sed certò hoc fuit euenturum, vt in Regnis & Rebuspublicis subinde noui tumultus exorirentur; si vnicuique liberum foret trahere Magistratum in ius, adigere ad causam dicendam. At cùm de conscientia agitur, dispar est ratio. Nam lædi illa non potest aut opprimi, nisi continuò de ipsa salute & vita æterna actum sit. Itaque hîc summam libertatem Dominus esse voluit; quorsum illud spectat, *Parendum potius Deo est, quam hominibus.*

Hanc nulli hominum in Ecclesiam dedit Deus.

Controuertitur igitur inter nos & Pontificios quæ tandem potestas sit Ecclesiæ:& de illa quam *minimam* diximus, vt & de illa quam diximus *proximam minimæ*, immò verò de ea potestate quam *magnam* vocauimus, nulla controuersia est, omnis nostra contentio est de potestate *majori, maxima*, & *multò maxima*. Itaque in tribus dissentimus à Pontificiis, ac in eo primò, quod illi volunt Ecclesiam eâ esse præditam authoritate, vt quod verbum Dei esse Ecclesia iudicauit id pro verbo Dei sit habendum. Non volunt illi quidem (vt ne quid illis affingamus) Ecclesiam constituere verbum Dei, quod suâ naturâ non erat verbum Dei, sed quod verbum Dei agnoscitur,& habetur pro Dei verbo,id volunt pendere ab authoritate Ecclesiæ. Porrò *verbum Dei* nobis est doctrina libris Vet. & N. Test. comprehensa, hoc, inquam, loco. Hæc *maior* potestas est quam nos negamus Ecclesię conuenire. Deinde, Pontificij putant penes Ecclesiam esse punire, vel afficere præmiis eos qui verbum Dei libris Veteris & Noui Testamenti comprehensum contempserunt, vel reueriti sunt. Nos id negamus, hæc potestas *maxima* est. Denique Pontificiorum sententia est, Ecclesiam posse leges condere, quæ citra rationem contemptus & scandali conscientiam obligent, quarumque legum obseruatores afficere præmio (vulgò vocant *beneficium Ecclesiæ*) & afficere pœnâ contemptores Ecclesiæ liceat, id quod nos negamus: hæc est potestas *multò maxima* quàm suprà descripsimus.

De tribus prioribus Potestatibus non est Controuersia, sed de tribus posterioribus, nempe de 4. — de 5. — de 6.

PRIMA CONTROVERSIA.

De Authoritate Ecclesiæ in Dei Verbum.

Rationes Pontificiorum. — 1.

REdeamus iam ad primam controuersiam, huius hæc est status. *Verum, quod agnoscitur verbum Dei traditum in Scripturâ pendeat ab authoritate Ecclesiæ*, illi id affirmant nos negamus. Affirmationis primum argumentum hoc est. Inde agnoscitur verbum Dei quod certissimum est agnoscendi Verbi diuini argumentum, At testimonium Ecclesiæ certissimum est agnoscendi Verbi Dei argumentum, Ergo, &c. (Staplet. lib.1. de Author. Script. cap.7.) Minorem probant non vna ratione, ac primò quidem istâ, Deus nos docet per Ecclesiam. Sic igitur ratiocinantur, Cuius ministerio docemur, eius authoritas facit vt credamus esse vera quæ docentur, Ministerio Ecclesiæ docemur, Ergo, &c. Resp. vno verbo, Propositionem non modò falsam esse, sed ridiculam; Nam docentis partes non sunt partes Imperatoris, sed Doctoris. Itaque nihil aliud sequitur, quàm Ecclesiæ *magnam* esse authoritatem, hoc est, Ecclesiæ commissam esse peculiariter curam docendi. Atqui Doctor qui verè Doctor est, hoc studet vt doctrinam commendet non authoritate sua, sed veritate. Nam authoritate niti neminem decet præter Regem, nemo facit indecorè præter stultum.

Resp.

2\. Idipsum probant alia ratione. Ab eius authoritate pendet Scripturæ notitia, qui peritissimus est Scripturarum. At Ecclesia peritissima est Scripturarum, Ergo potissimum ab authoritate Ecclesiæ pendet notitia Scripturæ. Idem Staplet. de Auth. Script. lib.1. cap.8. Respond. Maiorem falsam esse & absurdam:& falsa quidem est, quia consuluntur periti, non vt authoritate sua rem approbent, sed vt doceant. Ridicula item est, nam si authoritas Ecclesiæ peritia est, non est Ecclesiæ se commendare authoritate, sed peritiâ, vt si quis postulet sibi credi quod peritus sit, tenetur probare peritiam re & factis. Nam Judex sanè ridiculus foret, qui, vt probet Decreta sua esse rata & fixa, velit ad peritiam Juris confugere, nam si sic agat, nihil erit fixum & ratum ni reddat rationem Decreti, sic Judicia turbarentur.

Resp.

Tertia, quam adhibent ratio hæc est, (vt probent, inquam, Judicium Ecclesiæ esse certissimum.) Si vllum esset iudicium certius iudicio Ecclesiæ, esset id iudicium Scripturarum. At Scripturarum iudicium in hoc argumento tantùm abest vt sit certius, vt ne certum quidem sit, non enim potest probari Script. per Scripturam. Nam daretur circulus, probaretur idem per idem. Vnde constat Script. esse verbum Dei? Quia Scriptura hoc profitetur. Est probatio eiusdem per idem. Respondeo, cùm Scriptura dicitur probari per Scripturam, posse id duobus modis intelligi, vel vt instituatur probatio, qualis illa est quam Rhetores *inartificialem* vocant & *assumptam*, vt cùm res agitur testibus; vel cùm adhibentur *insita*, quæ Rhetores vocant, & *artificialia* argumenta. Et sanè si probetur Scriptura per Scripturam, probatio ridicula possit fortasse videri, si ita instituatur, vt instituatur ad modum *inartificialis* argumenti. Nam sic possint respondere Pontificij, posse sic probari Alcoranum, nam illud sibi præbet testimonium: blasphemabunt illi quidem si sic responderint, sed non est illis nouum ad hunc modum blasphemare. Sed si tamen instituitur probatio, non iam quidem nixa *inartificiali* argumento, sed *insito*, dicimus Scripturam posse probari per Scripturam: verbi gratiâ, Sol probatur per Solem, vir doctus probat se esse virum doctum, sapientia iustificatur à filiis suis, non inartificiali argumento & assumpto, sed petito ex ipsius natura. Sic qui Christum audiuerunt loquentem, eoque adacti sunt vt faterentur neminem vnquã sic loquutũ, apud illos verba Christi, authori-

3\. Ratio. Daretur circulus, probando Scripturã per Scripturam ipsam.

Resp. per Distinct.

Probationis inartificialis & artificialis.

Simile.

Exemplum.

authoritatem habuerunt ob ipsorum verborum pondus, non putauerunt Christum verum dicere, quia Christus professus est se verum dicere, sed adducti sunt vt crederent vera dicere, ob vim & pondus verborum Christi, *verborum* autem nomine intelligo res verbis conuenienter designatas. Sic (vt eò descendamus) Aristotelis libri summi Philosophi opera esse agnoscuntur, Hippocratis summi Medici, vsque adeo vt inter Philosophos Aristotelis, inter Medicos Hippocratis libri penè sint in summâ veneratione, quantò magis libri Veteris & Noui Testamenti, immò (si ita fas est loqui) infinities magis apud eos qui vllum habent gustum pietatis, nullo argumento extrinsecus assumpto (quamquam nec illa desint) summo in honore & religione debent haberi. Sic igitur respondemus ad argumentum, Scriptura non probatur per Scripturam *authoritatiuè*, inartificiali argumento, nisi apud eos qui cùm hanc Scripturæ partem agnoscant pro verbo Dei, adducuntur ad agnoscendum alteram Scripturę partem (Scripturæ, quam iam agnoscunt, authoritate comprobatam) esse verbum Dei. Attamen *ratiocinatiuè* Scriptura probatur per Scripturam, hoc est, rationibus petitis ex earum rerum conditione quæ tractantur in Scripturis, tractandique ratione. Nam huius generis probatio instituitur non *extrinsecus* assumptis, sed *intrinsecus* insitis argumentis, quæ probatio longè omnium firmissima est, nam *segnius irritant animum demissa per aurem, quam quæ sunt oculis commissa fidelibus*, & multò vehementior est assensus qui ex ipsius rei notitia oritur, quam is quem impetrat testis authoritas.

Simile.

Quomodo Scriptura per Scripturam probetur.

4. Pontific. ratio aduersus testimonium Spiritûs.

Quarta ratio qua nituntur hæc est; Aut Ecclesiæ authoritate adducimur vt credamus verbum Dei esse verbum Dei, aut interno Spiritus testimonio, at non interno Spiritus testimonio adducimur, Ergo &c. (Stapleton. de Authoritate Scripturæ libro 1. cap. 12.) Priusquam respondeamus ad hoc argumentum, tenendum est quæ sit ratio interni testimonij Spiritus. Vel enim Spiritus ita potest intelligi, vt sit *extasis* & *enthusiasmus* Propheticus, vel vt sit lux quædam ita mentem perfundens, vt eam leniter afficiat, ostendatque rationes ipsi rei quę credenda proponitur insitas, sed ocultas antea: vt cùm Agaræ aperti sunt oculi, vt fontem, quem non viderat cùm esset in proximo, videret, non fuit hæc fontis indicatio Propheticus enthusiasmus. Sic planè Spiritus S. statui possit nos docere, & verò sic nos docet, dum nobis Euangelij veritatem persuadet, non exagitat mentes nostras enthusiasmis, sed facit vt Dei Sapientia, quæ nobis antea stultitia videbatur, ita INNOTESCAT, vt non possimus eam non admirari, amplectique vt rem diuinam planè, cuiusque author nullus esse possit præter vnum Deum. Hæc est illa πολυποίκιλος σοφία cuius meminit Paulus. Si ergo nomine *testimonij spiritus* Aduersarij intelligunt enthusiasmos, fatemur ordinariè nemini sic persuaderi Scripturam esse Scripturam. At si nomine *Spiritus* intelligunt lucem Spiritus Sancti, quâ oculi mentis aperiuntur, vt in Scriptura cernant NOTAS insitas veritatis, dicimus testimonio Spiritus Sancti præcipuè deprehendi quod sit verbum Dei.

Resp.

Simile.

Quomodo per Spiritum innotescat Scriptura.

Inst. Pontific. 1.

At illi sic conantur hoc refellere. Primò inquiunt, si ita se res haberet, de verbo Dei summus esset consensus inter eos omnes qui se habere Spiritum profitentur, at magna est inter eos dissensio. Idem Stapleton ibid. cap. 6. Nos verò hic quærimus, quam tandem intelligant professionem, nùm eam quæ veritate vacua est, an eam quæ conjunctam habet rei veritatem? Si prius id intelligunt, consequentia nulla est, non enim ideo sapientis iudicium fallax est & incertum, quia multorum, qui se sapientes putant, iudicium eiusmodi est, nempe fallax & incertum; quod si posterius hoc intelligant, vt sit inter eos dissentio de verbo Dei, qui verè Spiritum Dei habent, tam illorum quàm nostra interest argumentum soluere. Nam illi non negant Diuinitatem Spiritus Sancti, nec audent dicere Spiritum Sanctum esse authorem mendacij, nec negare Spiritum esse Spiritum veritatis, quique non modò agnoscat sua, sed faciat etiam luce sua vt agnoscantur. Dum enim student conciliare authoritatem Ecclesiæ, plurimi sunt in eo vt probent Spiritum esse in Ecclesia: quî igitur factum est, vt in primitiua Ecclesia multi libri Scripturæ non sint habiti pro canonicis; habiti, inquam, à tota Ecclesia (nam nullus vnquam liber verè Canonicus ab omnibus Christianis fuit rejectus) cum igitur Spiritus fuerit non in parte quadam Ecclesiæ, sed in tota Ecclesia, vnde factum est vt tota Ecclesia non agnouerit, & admiserit integrum Canonem Scripturæ? Deinde quæro, vnde (si quidem Spiritus est in Ecclesia, Romana inquam, ex Aduersariorum hypothesi) grauissimæ tamen oriantur dissentiones, & quidem de rebus maximi momenti, verbi gratia, de adoratione imaginum, de vltimo principio in quod resoluitur fides, de iure Pontificis Romani? Num negabunt Spiritum Sanctum esse in Ecclesia? At, inquiunt, Concilia non definierunt has controuersias. Immò quæritur, inquam, an Concilia possint eas definire: itaque omnis definiendi spes sublata est, quando nescitur cuius sit definire, Papæ ne, an Concilij. Nam si quis dicat, vtriusque esse coniunctim, & hoc itidem controuersum est. Quæritur etiam inter eos, an, si Papa negauerit quod Concilium affirmauit, ideò Concilij decreta nullius futura sint momenti. Nam in quibusdam politiis ita se res habet, vt quod ab Ordinibus fit, intercessione regia impediri possit, sed qui Concilium dicunt esse supra Papam authoritate constitutum, negant posse intercedere Papam quominus ratum sit quod à Concilio fuit definitum; vnde oritur illa insignis controuersia inter Pontificios. Denique quæro, an Spiritus Sanctus adsit Ecclesiæ tantùm quandiu Concilium habetur. *plenarium*, inquam, & *vniuersale*, (vt loquitur Augustinus) Si ita se res habet, pessimè agitur cum Ecclesia quandiu non habetur Concilium, nam tandiu destituetur Spiritu Sancto, sin hoc nolint, quid est quod dicunt rem pendere à Concilio? Et certè ita se res habet, Concilia *plenaria* quæ vocant & *vniuersalia* rarò celebrantur, & adhibentur, vel temporum iniquitate, vt primis illis sæculis, vsque ad tempora Concilij Nicæni, nullum cogi potuit Concilium plenarium & vniuersale, vel ob statum Christiani orbis, quando diuisus est & sectus in partes, vt nostrô sæculo contigit, nam alij Regi Galliarum Christianissimo subditi sunt, alij Regi magnæ Britanniæ, alij Hispaniæ Regi, &c. Nisi inter Reges conueniat, non poterit cogi Concilium vniuersale, vel (& præcipuè) id fit hominum vitio,

Resp. 1. Indirectà

Retorquetur enim, 1.

2.

5.

Papæ præsertim, qui etiam sibi metuit à Conciliis ex eo hominum genere conflatis qui à veritate Euangelica sunt alieni: nam tyrannorum hoc est ingenium, vt & timeant sibi ab eorum consensu qui nihil minus quàm rempublicam spirant, nam tyrannis res est admodum suspicax, metuit enim sibi etiam à suis, & durum est homini sibi malè conscio sese credere fidei alienæ. Contrà, veritas quia fortis est & inuicta, eò minus est meticulosa. Quid igitur, quorsum erit res redacta, an eò vt ne adsit Spiritus Ecclesiæ ni Concilium adsit?

Resp. directè. Spiritus non eadem omnibus semper mensura conceditur.

Sed tamen soluendum est argumentum, nam hæc omnia quæ suprà sunt allata, etsi obruunt Aduersariorum, tamen non tollunt rationem dubitandi. Sic igitur habendum est, Spiritum Sanctum non eadem mensurâ omnibus Ecclesiis & singulis personis sese admetiri, vnde sequitur, non debere mirum videri si inter eas quibus adest Spiritus, dissensio est; nempe non adest iis *PARITER* Spiritus, neque tamen eo fit vt ne adsit in iis quæ ad salutem sunt necessaria, tantùm fit vt ne pari copia adsit omnibus. Deinde, quod in rectæ rationis vsu sæpenumero vsurpatur, *Olitor opportunè loquutus est*, nempe eò significantur, Prudentes etiam falli vbi rustici non-falluntur, ita planè nihil vetat, quominus tenuioribus aliquando Spiritus adsit *IN RE OPPORTVNA*, qui non adfuit valentioribus, vt nemo glorietur in se, sed in Deo. Itaque argumentum futile est & leue, vsque adeò vt eius leuitas experientiâ comprobata sit. Nam si pompam & consensus celebritatem intueamur, Epistola ad Hebræos primis sæculis à paucissimis fuit admissa, paucissimis, inquam, quorum authoritas fuit contempta, nam si fuisset in honore, haud dubiè magnum nomen dignitate & authoritate sua reliquos commouisset. Vno verbo, nihil concluditur, quando nondum est probatum Spiritum pari luce, *pariter*, id est eodem modo, *omnibus* & *semper* affulgere. Nam si detur, quod dari necesse est, Spiritus lucem sese prodere in his potius quàm in illis, in hac potius quàm in illa re, hoc potius quàm illo tempore, nemo mirabitur, vnde orta sit inter eos qui eundum Spiritum acceperunt dissensio; nam ratio manifesta est, *NON FVIT VBIQVE, ET SEMPER, ET IN OMNIBVS, EADEM SPIRITVS COPIA*, quod vel ipsi Aduersarij coguntur profiteri, neque enim negant in Ecclesia alios aliis præstare in hoc genere.

5. ratio Pontif.

Quinta ratio, si Ecclesia Dei libros quamplurimos à Prophetis conscriptos, ideoque scriptos afflatu & instinctu Spiritus noluit habere pro Canonicis, potest Ecclesia Dei, quoad nos, vel conciliare vel detrahere authoritatem verbo Dei (authoritatem inquam, quoad nos, nam de authoritate *in se* nulla controuersia est.) At Ecclesia hoc potest, nam complures libros à Prophetis conscriptos Ecclesia repudiauit (Stapleton. de Authoritate Scripturæ lib.2. cap.1.) immò ipse Augustinus testatur libro 17. de Ciuitate Dei, cap. vlt. perpaucos fuisse Prophetas, qui ea scripserint quæ Canonis authoritatem obtinerent. Atque hîc plurimi sunt in citanda Scriptura Veteris Testamenti, nam in Nouo Testamento laborant sanè, præsertim cùm nulla mentio sit ferè, nisi vno aut altero loco librorum qui à Spiritu Sancto profecti possint videri ab Ecclesia contempti & rejecti, neque in Canonem Scripturæ admissi. Huic argumento duplex solet opponi responsio, & prius quidem hæc, quâ negatur vllos libros instinctu Spiritus Dei scriptos intercidisse. Id verò quia probare est operosum & perdifficile, & magnis obnoxium (saltem in specie) incommodis, in eo non immorabimur, quamuis res non sit desperata planè. Sed altera responsio magis nobis idonea videtur. Concedi enim potest sine vllo caussæ tanti momenti detrimento, quosdam libros instinctu Spiritûs dictatos intercidisse, sed quid facit hoc ad rem? Non enim iam quæritur, *quid diuinâ prouidentia interciderit, aut non interciderit*, sed quæritur, *quid Ecclesia pro imperio elegerit, aut rejecerit*. Quo in loco dum versantur Aduersarij, produnt animum vastum, & qui nihil non concoquat, etiam blasphemias in Deum: nam dum testantur libros istos scriptos esse à Prophetis, & eosdem testantur rejectos esse ab Ecclesia, quid testantur aliud quàm Ecclesiam habere authoritatem in Spiritum Sanctum, vt quę dixit Spiritus habeantur pro non veris, aut vera quæ sunt non habeantur pro regula mentis nostræ. Nec est quod ita se excusent, vt dicant iudicatum ab Ecclesia non expedisse vt illa exstarent, quando quod Deus edidit, sic exstat, nisi velit Ecclesia mentiri, non poterit negare id esse à Deo, si non exstat, nihil est quod hîc Ecclesia interponat authoritatem: nam quæ non exstant ea non leguntur. Quod si hoc velint, potuisse Ecclesiam ea respuere quæ commendauit Spiritus Sanctus, quod non essent opportuna omnibus temporibus, dicimus hîc opus fuisse nouâ reuelatione, nam quod Propheta docuit & commisit scripto, vel id docuit & scripto commisit ad tempus, idque monuit; vel non monuit: vnde sequuta est noua reuelatio, siquidem Ecclesia quod fecit, fecit legitimè. Atqui nulla reuelatio reuelationi vlli contraria est. Itaque Lex & Euangelium non pugnant, nec Euangelium fecit vt ne Legi locus esset in Ecclesia, tametsi quidam Legis vsus ad certum tempus duntaxat pertinuit; nempe conducit vt teneamus quæ fuerit Dei œconomia in Ecclesia administranda, quod facit vt ij libri non sint iam inutiles, qui ea continent quæ non pertinent ad nostra tempora, vt præscripto tot cæremoniarum. Quid igitur statuendum est, interciderunt illi libri? Omninò, at non expuncti fuerunt ab Ecclesia aut deleti, immò verò desiderati potius. Non est igitur factum authoritate Ecclesiæ quòd non sint relati in Canonem, sed injuriâ temporum. Neque tamen hoc facit vt ne Canonem Scripturæ integrum habeamus; nam integrum id demum dicitur, cùm de regula agitur, quod ea omnia continet quę possint regulam constituere: iam verò libri Scripturæ qui supersunt omnia continent ad salutem necessaria; itaque Canon integer est. Quo cernere est sapientiam Dei & potentiam, nam quantum possit hominum incuria, demonstratum est amissis quibusdam libris Propheticis, hoc est conscriptis à Prophetis, quantum verò effecerit Dei cura & prouidentia, declaratum est conseruatis iis libris qui normam continent fidei & morum.

Resp. 1.

2.

Except. Pontif.

Resp. Non potest Ecclesia libros θεοπνεύστους rejicere.

Cur non ferat scripta Legem cum iam non obseruetur.

An imperfectus sit hodie Scriptura Canon.

6. ratio Pontif.

Sexta ratio, Ecclesia (inquiunt) quosdam libros qui non erant in Canone retulit in Canonem. Itaque ab Ecclesiæ iudicio pendet quid sit habendum

Ref. Liber in Canonem refertur bifariam.

habendum pro verbo Dei, quid minus. (Staplet. lib.2. de Author. Script. cap 3.) Sed liber referri in Canonem duobus modis dici potest, vel vt authoritas inde concilietur libro, vel vt deferatur: inter quæ magnum discrimen est. Nam cùm filius agnoscit patrem non conciliat, sed defert patri authoritatem. Iam verò nos non negamus Ecclesiæ esse referre in Canonem genuinos sacræ Scripturæ libros, tantum negamus hoc pacto illis conciliari; quin dicimus potius haberi illis honorem. Sic viri docti dum Aristotelis libros ab adulterinis distingunt, non conciliant, sed deferunt authoritatem illis libris. Itaque quod commendant pro libris Aristotelis, non commendant authoritate sua, sed commendant vi & pondere rationum; quarum duæ sunt classes, vel enim ducuntur à materia libri, vt cum aiunt, non est hic liber Aristotelis, continet enim dogma quod pugnat cum Peripatetica disciplina, vel ducuntur à forma libri, vt cum dicunt non est hic liber Aristotelis, phrasis enim non est Aristotelica. Per accidens quidem fit, vt hoc pacto concilietur authoritas libro; id verò fit duobus modis, vel apud imperitos, apud quos viri docti sunt in aliqua existimatione, vnde fit vt eorum iudicium sit præiudicium, (apud imperitos, inquam) vel apud peritos æstimatores rerum, qui quidem etsi non fuerint eo ingenij acumine, vt potuerint per se notas illas deprehendere, attamen à viris doctis deprehensas, & obseruatas, demonstratasque facilè agnoscunt. Nec dispar hîc ratio est, cum agitur de authoritate quæ oritur ex relatione libri alicuius in Canonem; nam id Ecclesiæ iudicium, vel præiudicium est apud imperitos, vel iudicium est apud peritos, hoc est, argumentum est iudicij; Præiudicium, inquam, quia hoc pacto tantum fit, vt excitetur animus ad rem attentius considerandam, quem modum imperiti excedunt, dum non progrediuntur vlterius, sed in ipsa commendantis authoritate hærent. At qui Notas libri, qui refertur in Canonem, affert, (quod facit Ecclesia) is non iam adfert præiudicium, sed, vt diximus, Iudicium, hoc est, præbet argumentum iudicandi. Respondemus igitur vno verbo, Ecclesia authoritate sua potest quidem hominum animos excitare ad rei attentam considerationem, non potest authoritate sua persuadere rem ita se habere. Atque sic negamus Ecclesiæ esse conciliare Canoni Scripturarum authoritatem, quamuis non negemus Ecclesiæ esse hominibus hîc præire, ea tamen lege, vt non iam authoritatis, sed veritatis facem sequentibus præferat. Est igitur mera petitio principij, cum ex eo quod Ecclesia refert in Canonem libros verè Canonicos, sumunt Ecclesiam hoc facere pro imperio, proque authoritate sua. Quod si aliud intelligunt, nempe quod nos iam diximus, Ecclesiæ esse agnoscere hos libros pro Canonicis, atque aliis commendare, id verò est extra omnem controuersiam: sed hoc pertinet ad eam potestatem quam *magnam* diximus, quamque tribuimus Ecclesiæ, non pertinet ad eam potestatem quam vel *maiorem*, vel *maximam*, vel *multò maximam* appellauimus.

Simili illustratur distinctio.

Applicatur simile.

Ecclesiæ authoritas in referendis libris in Canonem.

Solutio huius 6. rationis.

Qua distinctione adhibita facilè respondetur ad loca citata è Patrum scriptis, ad hanc quam Pontificij volunt Ecclesiæ authoritatem stabiliendam, nempe omnibus his locis agitur de MVNERE Ecclesiæ, quod agnoscere verbum Dei, atque aliis commendare, non quidem authoritate sua, sed veritate, in quo tamen potestas quædam est. Sic pater liberis commendat Dei verbum, atque in hac commendatione potestas est quædam, facit enim id multò aliter quàm frater: attamen non probat authoritate sua verbum Dei esse Dei verbum, excitat tantùm filij animum ad rem attentiùs considerandam, quia magna patri debetur reuerentia. Cæterùm si deprehendat filius rem aliter se habere, non tenetur patris commendatione: quod si verò ita se rem habere deprehendit, nemo patris authoritatem dixerit inutilem esse, sed & nemo dixerit, filium parêre Deo sola patris authoritate subnixum.

Responsio ad loca Patrum pro Ecclesiæ authoritate Scripturam, neque illis authoritatem significatur. Simile.

Vnicus locus multorum ingenia torsit ob doctrinam & pietatem Authoris. *Ego verò*, inquit Augustinus, *Euangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret authoritas: quibus ergo obtemperaui dicentibus, credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, nolite credere Manichæo. Elige quid velis: si dixeris, credito Catholicis, ipsi me monent vt nullam fidem accommodem vobis, quapropter non possum illis credens nisi tibi non credere: Si dixeris, noli Catholicis credere, non rectè facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi.* August. cap. 5. contra Epist. Manich. Hic locus non admittit modò, sed poscit etiam benignam interpretationem, satis enim constat ex Augustini scriptis quibus adductus argumentis Euangelio crediderit, verba enim sunt capite 5. lib. 9 Confess. *Persuasisti mihi* Deum alloquitur) *non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus authoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos. Nec audiendos esse si qui fortè mihi dicerent, vnde scis illos libros vnius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi subministratos? Idipsum enim maximè credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum*, (Græci dicunt [illegible]) *per tam multa quæ legeram inter se confligentium Philosophorum, extorquere mihi potuit, vt aliquando non crederem te esse, quicquid esses quod ego nesciebam, aut administrationem rerum humanarum ad te minimè pertinere. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius, semper tamen credidi & esse te, & curam nostri gerere, etamsi ignorabam vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret, aut reduceret ad te; Ideóque cùm essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & hoc* (legendum est hîc) *nobis opus esset authoritate sanctarum litterarum, iam credere coeperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras authoritatem, nisi per ipsam tibi credi, & per ipsum te quæri voluisses, iam enim absurditatem, quæ me in illis Litteris solebat offendere cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad Sacramentorum* (hoc est mysteriorum *altitudinem referebam, eoque mihi illa venerabilior & sacrosancta fide dignior apparebat authoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret: verbis apertissimis & humillimo genere loquendi se cunctis prebens, & exercens intentionem eorum qui non sunt leues corde, vt exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te trajiceret, multò tamen plures quàm si nec tanto apice authoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc & aderas*

Excutitur locus illustris Augustini, Non crederem Euangelio nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret authoritas.

cui explicando alius opponitur eiusdem Augustini.

mihi, suspirabam & audiebas me, fluctuabam & gubernabas me, ibam per viam sæculi latam, nec deserebas me. Ex quibus verbis procliue est colligere, quo modo, & quibus adductus rationibus Augustinus veluti manu ductus est ad veritatis cognitionem, nulla enim hîc Ecclesiæ mentio fit, sed authoritatis sacrarum Litterarum. Idque eò diligentius est obseruandum, quod hic Confessionum liber ab Augustino sane est scriptus, in eoque non iam homines, sed Deum compellat, profertque in apertum arcanos motus animi sui. Non est igitur credibile Augustinum tam dixisse pugnantia, vt idem fateretur, se persuasione seu instinctu Spiritus Dei adductum ad cognoscendam Scripturæ veritatem, & neget idem se eò adductum vlla alia ratione quàm Ecclesiæ authoritate.

Resp. ad illum Augustini locum, 1. non satis firma.

Quid igitur respondebimus ad ea Augustini verba quæ suprà sunt citata? *Ego verò non crederem Euangelio, nisi me moueret Ecclesiæ Catholicæ authoritas?* Certè si respondebimus illa Augustini verba sic esse accipienda, ac si hoc vnum vellet Augustinus, se dum esset Manichæus solâ Ecclesiæ authoritate commotum fuisse, & adductum vt crederet Euangelio. Primò in eo (vt solent de re leuissima gloriari) Pontificij triumphabunt, quod Ecclesiæ authoritas ea sit quæ homines à Manichæismo ad Christianismum traducat, & se profitebuntur assecutos quod voluerunt, nempe nisi constet de Ecclesiæ authoritate, nihil esse quod possit miseros homines ab errore auocare, ne Euangelium quidem. Deinde, negabunt hanc esse hoc loco Augustini mentem: Quo iure horum vtrumque faciant, non est iam disputandi locus, certè vtrumque faciunt.

Alia Resp. firmior.

Nos simpliciter respondemus, Augustini verba sic esse accipienda, vt cohæreant cum iis quæ proximè præcesserunt. Illa verò huc redeunt, *His omnibus tamen præponenda est veritas.* Sed præstat ipsum audire loquentem, *In Catholica enim Ecclesia*, inquit, *vt omittam syncerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant, cæteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: vt ergo hanc omittam sapientiam, quam esse in Ecclesia Catholica non credis, multa sunt alia quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet primò, Consensio populorum atque gentium. Secundò, Authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tertiò, Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopum successio sacerdotum. Quartò, Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen.* Jam sequuntur illa. *Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula, rectè hominem credentem tenent in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendit. Apud vos autem, vbi nihil est quod me inuitet aut teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus quibus in Catholica teneor: si autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me mouebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni astringit.* Tum illa sequuntur, *Videamus igitur quid me doceat Manichæus, &c.* Et paulò post, *Non credo istum esse Apostolum Christi, quæso ne succenseatis, & maledicere incipiatis.* Et post modum, *Quæro ergo quis sit ille Manichæus. Respondebitis, Apostolus Christi. Non credo. Iam quid dicas, aut facias non habebis: promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio cogis vt credam. Euangelium mihi fortè lecturus es, & inde tentabis asserere personam Manichæi, si ergo inuenires aliquem qui Euangelio non credit, quid faceres dicenti, non credo?* Deinde continuò sequuntur illa. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me moueret, &c.*

cui muniendo adducuntur antecedentia Augustini verba.

Solutio, siue explicatio loci illius Augustini.

Sic explicata serie disputationis Augustini, facile est perspicere quæ mens eius fuerit: nempe, quæ sit vera doctrina duobus modis intelligi potest, vel veritate doctrinæ, vel authoritate illius qui doctrinam commendat, Augustino verò prius hoc argumentum ductum ab ipsa veritate potius est posteriori. Sic ergo conuenit Manichæos. Aut sectam vestram probatis authoritate, aut veritate: si veritate, præstate id sanè, vicistis, veritas enim omnibus rebus est præponenda; sin authoritate, qua tandem authoritate nitemini? num Manichæi Epistolâ? negamus illam vllam habere authoritatem, nisi se nobis ipsâ veritate commendet, quod non facit: sola enim inter vos personat veritatis pollicitatio. Quæ tandem illa erit authoritas quâ se commendarit Epistola Manichæi? Euangelij, inquient; sic, ait Augustinus, eodem reuoluimus, nam si (quod facit Epistola Manichæi) secludatur insitæ veritatis ratio, qua tandem authoritate commendabitur Euangelium? sanè res eò deducta est, vt hactenus quidem Euangelio credi non possit, nisi ob Ecclesiæ authoritatem. Id quod verissimum est. Nam seposita veritate quæ lucet in Euangelio, quî fieri potest vt Euangelio quis credat, nisi adductus authoritate Ecclesiæ? Sed iam Ecclesiæ authoritas, etiam cum huc disputatio est perducta, non est ea quam fingunt Pontificij, imperium & ius quoddam, sed Ecclesiæ dignitas, magnis & illustribus diuinæ prouidentiæ notis in Ecclesia conseruanda comprobata: vt verbi gratiâ, Euangelium in Gallia duobus modis se possit commendare, vel ipsa insita veritate, continet enim omnia quæcumque faciunt vel ad comparandam animo quietem & tranquillitatem, vel ad ingenerandum sensum veræ pietatis. Sed hoc argumentum quibusdam infirmioribus non est vsq; adeo obuium; itaque huc accedit Ecclesiæ authoritas, qua multi commouentur: vt cùm vel pietate eorum qui profitentur veram religionem, vel etiam perpensis argumentis diuinæ prouidentiæ in Ecclesiæ suæ in Gallia restauratione, & Ecclesiæ restauratæ conseruatione, adducuntur, vt agnoscant hîc esse digitum Dei. Hæc est Ecclesiæ demum authoritas, quam Augustinus suprà dixit *nutritam spe, incohatam miraculis, &c.* veritas tamen, vt ex ipso hoc loco patet, teste Augustino præponderat. Itaque nihil promotum authoritate Augustini, nos enim non negamus, cum secluditur insitę veritatis consideratio, non posse aliunde potius conciliari veritati extrinsecus authoritatem, quàm accuratè pendens à dignitate in qua Deus Ecclesiam suam constituit. Sed hoc argumentum dicimus esse argumento ducto à veritate multò infirmius, etiam teste Augustino.

Quomodo autoritate Ecclesiæ credatur Euangelio.

7. Ratio Pontif. Nos ai

Septima ratio qua nituntur hæc est, Nisi authoritate Ecclesiæ concilietur *quoad nos* omnis verbo

verbo Dei authoritas, vnde sciemus hos libros qui dicuntur Vetus & Nouum Testamentum scriptos fuisse à Prophetis, Euangelistis, Apostolis afflatis Spiritu Dei. Etenim hic duo quaeri possunt non absurdè, vt videtur, quorum prius illud est, Fuerintne Prophetæ, Euangelistæ, & Apostoli afflati Dei Spiritu. Hoc primum. Deinde, vt de eo maximè constet, qui scimus eorum libros, sicuti erant ab iis scripti, peruenisse ad manus nostras. Quò accedit & hoc tertium, cùm ij scripserint vel Hebræâ, vel Græca linguâ, qui sciant Græcæ & Hebraicæ linguæ imperiti, an quæ scripta sunt Græcè & Hebraicè rectè, & ad mentem authorum, traducta fuerint in aliam linguam. Certè videtur totum hoc negotium pendêre à definitione Ecclesiæ. Vnica responsione his occurritur, nempe, vt Euclidis libri Elementorum ipsa insita veritate, in quancunque linguam sint translati, agnoscuntur primò, pro libris qui continent certissimam veritatem, ideoque quorum author fuerit ductus recta ratione. Secundò, & hos libros, quales ab authore ducto recta ratione scripti sunt primùm, ad manus nostras peruenisse tales, indidem agnoscitur. Tertiò denique, eadem ratione intelligimus rectè esse versos seu in Gallicam, seu in Germanicam linguam, nempe quia in versionibus illis exstant tam claræ & tam illustres notæ summi & incomparabilis ingenij, vt non sit credibile eum qui profitetur se functum partibus interpretis fuisse mentitum, quando ingenio fuit deteriori quàm vt rei tantę author esse possit. Jam ista accommodentur ad rem quam agimus, & res erit manifesta. Nam scriptores librorum fuisse Dei Spiritu afflatos, & eosdem libros ad nos peruenisse quibuscunque tandem linguis exstent, inde colligitur quod sint in iis libris, in quancunque tandem linguam vertantur vt Euclidis libris (quod dictum esto exempli gratiâ tantum) insunt, sempiternæ veritatis notæ.

[margin: aliter scire posse Scripturam esse Verbum Dei quàm ex testimonio Ecclesiæ. / Resp. Simili. / Applicatur Simile.]

At, inquient forrasse, nulli igitur næui sunt in versionibus? quid ergo opus est noua versione? cur tantoperè laboratum est in emendanda veteri & recepta? Eadem responsio recurrit, & occurrit huic quæstioni, nam duobus modis errari potest in versione, vel ita vt praua versio stabiliat dogma, quod pugnat cum dogmate quod Scriptura commendat præcipuè. Atque hoc pacto Mathematicus linguæ Græcæ imperitus deprehendet errorem facilè, si quid in Scriptis Euclidis malè Gallicè versum sit, idque probabit ex ipsius Euclidis scriptis, siquidem versio tam praua est, vt affingat sensum Euclidi ab Euclidis mente alienum. Sed huius rei habemus exemplum magis illustre, & quod haud dubiè Aduersariis non displicebit. Thomas ille Aquinas inter Pontificios Scholæ princeps, & in Philosophia pro summo habitus, imperitus fuit planè linguæ Græcæ, vsus est versione scriptorum Aristotelis non barbarâ modò, sed nonnullis in locis fœdè deprauatâ: At ille quo fuit non modò ingenio, sed peritiâ Philosophiæ Peripateticæ, eos locos ita interpretatur, vt iis non iam reddat sensum qui est in translatione deprauata, sed qui in Græco est. Sic, si quis Christiano versato in Scripturis, & qui sensit quid sit adorare in spiritu & veritate, etiam imperito linguæ Græcæ & Hebrææ, proferat illum locum qui prauè versus est, *Iacobus adorauit baculum suum*; haud dubiè respondebit, se quidem nescire proprietatem linguæ Græcæ & Hebrææ, hoc tamen se scire certò, pugnare cum dogmate verbi Dei vt quis baculum adoret: Itaque in versione peccatum esse. Sic ex dogmate agnoscuntur in versione pernitiosi errores. Sed est aliud erroris genus quod non est pernitiosum, vt cùm locus aliquis malè versus est, ita tamen vt si ea versio locum habeat, non peccetur tamen in dogma. Atque hoc erroris genus primò, non est reapse error, nihil enim creditur quod non tradatur in Scriptura, tátùm in hoc erratur, quod id quod alibi traditum est, quodam loco in quo id non traditur, putamus tradi, qui error leuissimus est. Sed præterea, hoc etiam est obseruandum, & hunc errorem, quantumuis leuem, non aliunde corrigi quàm ex Scriptura, nam ex antecedentibus & consequentibus redarguitur. Hoc verò vt fieri possit, etsi Hebrææ & Græcæ linguæ cognitio magnum adfert adiumentum, tamen & sine vlla Græcæ & Hebrææ linguæ cognitione idipsum potest deprehendi, nisi versio adeò sit deprauata, vt tota orationis series conturbetur, atque ita fiet vt res ipsa clamet versionem non esse idoneam. Quomodo in versionibus Scriptorum sæcularium, si quando nullius occurrit sensus, colligimus erratum esse in versione, & suspendimus iudicium, & cohibemus saltem assensum. Iam verò hoc vltrò fatemur in versionibus sacræ Scripturæ si passim peccaretur (id quod fieri nequit potest, nisi quis loco Scripturæ Alcoranum vellet subjicere, & ita Mosis & Prophetarum libros vertere, vt nulla appareant vestigia editionis primæ) non posset id aliunde dignosci quàm à dogmatis impietate & absurditate, quæ ratio dignoscendi verbi Dei & expeditissima, & tutissima est. Nam vnde quæso adductæ sunt Gentes ad Euangelium agnoscendum? Certè ipsa vi veritatis, nam etsi aliquando, non semper tamen adhibuerunt Apostoli miracula, quod vel constat ex concionibus Apostolorum Hierosolymis (quamquam erant Proselyti intermixti Iudæis, qui illis victi concionibus manus dederunt veritati, attamen illi Proselyti è gentibus fuerunt) vel ex Pauli concione Athenis habitâ, quâ Dionysius Areopagita adductus est ad veritatis agnitionem. Sic legimus multos idiotas imperitos linguæ Græcæ & Hebrææ, cùm in libros Veteris & Noui Testamenti incidissent, nullius humani testimonij authoritate commendatos, versosque in aliam linguam, immò despectos potius & contemptos, & nonnullis in locis prauè versos, vsque adeò tamen fuisse commotos, vt agnouerint eos libros fuisse à Deo profectos, non ab homine.

[margin: Inst. Pontif. de Versionibus Scripturæ. / Resp. In versione erratur bifariam 1. / Simile. / Exemplum. / Applicatur simile. / Erratur 2. / Errores in Versionibus non aliunde deprehendi quam ex ipsa Scriptura. / Vnde commoti sint Iudæi & Gentes ad amplectendum Euãgelium.]

Octauò, & si nos vrgent. Esto, inquiunt, constet de authoritate Prophetarum & Apostolorum, constet hos esse eorum libros qui in manibus versantur, constet esse versos summa fide: attamen non sunt omnes periti legendi, vnde Idiotis constabit ea exstare in libris quæ leguntur. Certè, inquiunt, oportet pendere homines plebeios ex authoritate prælegentis, quantò magis decuit pendere ab authoritate Ecclesiæ. Sed hac ratiuncula nihil est futilius, id quod facile potest intelligi, si ea quæ suprà à nobis sunt disputata de insita veritate Scripturę expendantur,

[margin: 8 Ratio Pontif. de Idiotis qui nesciunt legere. An sola Ecclesiæ authoritate nitantur. Resp.]

quanquam nihil necesse est eò deuenire. Nam procliue est respondere, non vnum esse qui prælegat, sed multos, diuersis locis, diuersis temporibus, diuersæ conditionis quosque, simul in vnum conspirasse vt fallerent, neque credibile est, neque fieri potuit. Et certè hoc pacto, qui captus est oculis non posset (contra quàm testatur experientia) euadere in virum doctum, neque enim cæcis credo datur legere, audire tamen datur, quando ij non sunt surdi & cæci simul. Sed & hæc responsio valet etiam tum cùm agitur de versionibus, non est enim credibile, immò fieri non potest, vt in diuersitate tanta versionum tanta sit conuenientia, nisi in versionibus exstet veritas quam vocant originaria, quæ res fecit vt inter disputandum, ne vulgatæ quidem quam vocant editionis authoritatem defugiamus, quod dum facimus, exemplo facimus Apostolorum qui versionem Græcam in Ecclesia receptam, etiam vbi paulùm discessit ab Hebraica veritate, vt loquuntur, adhibent tamen; nempe cùm illa discessio nullum dogmati & rei summæ affert detrimentum: neque tamen ideò fassi fuissent Apostolici, aut vt faterentur vllo iure cogi potuissent, Hebraicam veritatem insuper habendam. Sed hæc est Spiritus Christi natura & ingenium, vt non sit sollicitus, nisi cum agitur de his quæ rectà spectant ad fidem & mores, Græcè τὰ κύρια dices.

Simile.

In versionibus quibuscumq; semper est veritas originaria.

Nona ratio qua vtuntur hæc est. Nisi pendeat ab Ecclesiæ authoritate quod dignoscimus verbum Dei, primò cùm agitur de Scriptura interpretando omnia forent incerta, quia hominum iudicia diuersa sunt, præcipuè priuatorum, quiq; nullo munere funguntur, nam (vt dicitur) πολύξεστος δὲ ὁ ὄχλος, itaque & πλάνοις (si ita loqui fas est) nam mores iudicium sequuntur. Deinde, etiam tum cum constat de verbi interpretatione, aiunt rem non esse confectam: nam cùm verbum sit veluti lex, lex autem sit vniuersalis, deducendæ sunt ex verbo consequentiæ. At, quî pote? potest enim animus humanus falli & decipi in consequentiis deducendis. Itaque hîc confugiendum est ad Ecclesiæ authoritatem, quâ fit scilicet, vt non modò teneamus quis sit verbi Dei sensus, sed etiam quid (constituto vero Verbi Dei, sensu) inde ad conscientiæ & vitæ vsum concludendum sit.

9. Ratio bis em-brit.

Jam vt redeamus ad id quod primo loco afferunt de Scripturæ interpretatione, ita hanc rationem muniunt, vt ipsa Scripturæ authoritate contendant nobis esse mandatum vt Judicem hîc adeamus. *Et primum (inquit Bellarminus libro 3. de Verbi Dei I. terp. cap. 4. testimonium habetur Exod. 18. Ibi enim legimus, quod cùm cœpisset populus Dei redigi ad quandam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ, sedebat Moses tanquam Princeps & Caput illius Ecclesiæ, & ad omnia dubia circa Legem Domini exorta respondebat, nec homines remittebat ad Spiritum aliquem reuelantem. Ibidem cum constituisset iuxta consilium soceri sui, minores Magistratus qui populum iudicarent, semper tamen sibi reseruabat dubia circa Religionem.* Priusquam ad hæc respondeamus, operæpretium est expendere quàm ingenuè agant, & quæ faciunt ad rem adducant. Nam quid sibi volunt illa verba, *Cùm cœpisset populus Dei redigi ad aliquam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ*: Sic enim euertitur hypothesis, nam aiunt nihil certi esse in Ecclesia nisi sit iudex & arbiter controuersiarum. Quid? ante Mosem omniane fuerint incerta? aut si certa fuere, designent nobis quæso ante Mosem controuersiarum Judicem. Nam Abrahamum quidem legimus docuisse in causa Religionis, non legimus Abrahamum Judicem sedisse, qui pro imperio cæcam obedientiam (quam que non veritate, sed authoritate commendaret) suis præscripserit. Deinde & illud inuidiosè dictum est, *Nec homines remittebat ad Spiritum aliquem reuelantem*, videntur enim nobis hîc affingere eam sententiam quæ inducit Enthusiasmos Anabapt. Nam si nomine *Spiritus reuelationis* intelligunt Dei Spiritum, qui idem *veritatis Spiritus & reuelationis* dicitur, profectò tantùm abest vt nobis faciant injuriam, vt contra præbeant argumentum gloriandi, sed in Domino, cum illi sic fateantur vltrò Christianorum non doceri quenquam sigillatim Spiritu veritatis, neque compotes se esse *Spiritus reuelationis*, cuius Apostolus meminit, cap. 1. ad Eph. ideoque fatentur vltrò ab ea Ecclesia (quam dicunt tamen esse cœtum fidelium) abesse Spiritum sanctum. Cæterum Spiritus *reuelans* dicitur vt ratio *colligens*, in hac specie. Nam (vt iam toties monuimus) quæ ratio est, seu proportio, rationis ad res quæ ratione percipiuntur percipiendas, eadem ratio & proportio est Spiritus ad res, quæ Spiritu percipiuntur, percipiendas, iuxta illud Apostoli, *Sed Spiritus Dei, inquit, nobis reuelauit: &, homo animalis non percipit ea quæ sunt Dei.*

I.
Pars fulta Scripturæ testimoniis.
Locus 1. de Indice controuersiarum in Religionis negotio.

Spiritus reuelans quis sit.

Illa verò quæ statim sequuntur, *Cùm constituisset iuxta consilium soceri sui minores Magistratus, qui populum iudicarent, semper tamen sibi reseruauit dubia circa Religionem*, (nimirum vt intelligeremus vnum esse debere commune tribunal, à quo omnes petant diuinæ Legis interpretationem, & cui omnes acquiescant) dicuntur quidem insidiosè, verùm ita tamen vt fraus diluceat: nam Jethro Mosis socer non præscripserit credo Mosi in rebus Ecclesiasticis quid facto opus sit. Itaque callidè consilium Jethronis restrinxerunt ad politica, quod ex ipso contextu refellitur: Idem enim Jethro qui Mosi suadet vt earum causarum, quarum dijudicatio est facilior, cognitionem committat aliis, Mosi author est vt grauium & momentosarum causarum ipse suscipiat cognitionem. Itaque si graues & momentosæ causæ, eæ sunt quæ spectant, ad Religionem, Moses à Iethrone renuntiatus fuerit Papa, proindeque non fuerit Moses à Deo vocatus immediatè, sed ab homine, & quidem extraneo. Atqui hoc non est credibile, immò cogitatu est impium, vt Moses à Deo diuinitùs vocatus aliunde didicerit quæ essent, & quomodo obeunda ea munia quæ vocationis suæ ratio postulabat. Quantò rectiùs & simpliciùs, & Scripturæ (etiam huic Scripturæ loco, in quo versamur) conuenientiùs sentiunt, qui totum hoc consilium Iethronis volunt esse Politicum de rebus Politicis? Nempe, Moses cùm esset ingenio leni, vt testatur Scriptura, supra reliquos mortales, quod boni Principes solent cupere præstabat, etiam minimis causis cognoscendis voluit vacare, quod Iethroni viro prudenti non visum est conuenire. Itaque necessariò hinc colligitur, Mosen ea quæ hic fecit, quoad agendi modum, vt loquuntur, non fecisse tanquam Prophetam: Nam quæ Prophetæ faciunt, ea eiusmodi sunt, vt nullo humano iudicio queant mutari, non sunt

Iethronis ad Mosen consilium, cuiusmodi fuerit.

nempe nō Ecclesiasticum.

sed Politicum.

sunt (vt loquimur) vel consilio, vel censuræ obnoxia. Sed præstat ipsa verba contextus audire. *Et vidit socer Mosis omnia quæ ipse faciebat populo, & dixit, quid est hoc quod facis populo? cur tu sedes solus, tu solus, & omnis populus stat iuxta te à mane vsque ad vesperam? Dixitque Moses socero suo, quia ad me venit populus ad inquirendum Deum, cùm fuerit illis causa, veniunt & iudicio inter virum & inter socium eius* (siue inter vtrumque) *& notifico statuta Dei, & eius Leges. Et dixit socer Mosis ad eum, Non est bonum verbum quod tu facis, cadendo cades, tu, etiam populus qui est tecum, quia supra vires tuas est res, non poteris eam facere tu solus. Nunc audi meam vocem, & consulam tibi, & Deus erit tecum: Esto tu pro populo coram Deo, & adduces tu* (hoc est refer) *eius causas ad Deum, & monebis eos, & statuta, & leges notificabis eis*, &c. *Et tu considera ex omni populo viros fortes, timentes Deum, viros veridicos, & pones super eos Tribunos, Centuriones, quinquagenarios, & iudicabunt populum in omni tempore, & illi omnem rem magnam referent ad te, & omnem rem paruam iudicabunt ipsi. Si verbum hoc feceris, & quæ præceperit tibi Deus, stare poteris, & omnis etiam populus iste super locum suum ibit pacificè, & obediuit Moses voci soceri sui.* Quibus in verbis est obseruandum, Mosem non consuluisse Deum, sed ratione & iudicio comprobasse consilium sui soceri, quæ res satis significat, non agi eo loco iis de rebus quæ spectant ad religionis summam; tum manifestè notatur in textu quibus de rebus eo loco agatur, nempe non de illis quæ pertinent propriè ad religionem, sed de controuersiis quas vulgò *lites* vocamus, in quibus scilicet agitur de *tuo* & *meo*. Nam controuersiæ de religione non dicuntur *controuersiæ inter virum & virum*, ex phrasi Scripturæ. Et præterea, controuersiæ de quibus eo loco agitur sunt omnes eiusdem generis, tantùm differunt secundùm magis & minus, itaque cuius generis sunt minores cõtrouersię, eiusdem item sunt & maiores. At (vel aduersariis fatentibus) minores illę controuersiæ sunt ciuiles, itaque & maiores. Si igitur vrgeant quod in textu agitur de Deo inquirendo, tam hoc pertinebat ad maiores, quàm ad minores controuersias, nam de vtroque genere dicitur, atqui *minores* illi volunt esse controuersias Politicas, itaque & maiores. Iam si eos pœniteat has distinxisse controuersias, eoque vi veritatis coacti redeant, vt dicant vtrobique de controuersiis religionis agi, facilè reuincuntur. Nam hæ controuersiæ ita distinguntur, vt in quibusdam dijudicandis & dirimendis ius summum sit apud Judicem inferiorem, nulla intercedente prouocatione, quod nisi in controuersiis politicis habere locum minimè potest, etiam fatentibus Aduersariis. Et certè qui potest errare, etiam in minimo poterit errare, cùm igitur omnem infallibilitatem velint esse penes vnum, oportet (quod consequens est) omnis controuersiæ in religione eam definitionem, quæ pacat conscientiam, ab vno proficisci: quod sanè volunt, nam in textu leuiores controuersias volunt esse politicas, grauiores religiosas, scilicet vt quadrent omnia.

de rebus nempe Ciuilibus,

non verò de caussis Ecclesiasticis.

Ita constat quo de genere controuersiarum eo loco agatur. Sed esto fuerint hæ controuersiæ de Religione, quis miretur in controuersiis de religione definiendis hunc seruari ordinem, vt quos Deus præfecit Ecclesiæ suæ ij adeantur, & quidem hac lege, vt quid Dominus voluerit his docentibus audiamus, quomodo Prouerb. 6. (id quod à nobis est obseruatum) filiis commendatur parentum lex, & quidem commendatur exsertè, non sequitur tamen cæca obedientiâ, quam vocant, parentibus esse obtemperandum. Nam in huius generis mandatis semper illud præsupponitur, facturos officium qui munere funguntur, quod suprà fusiùs à nobis est explicatum: Itaque nisi qui præsunt officium fecerint, non tenemur mandato. Neque tamen mandatum est frustraneum, vt si quis ægro suadeat vt consulat Medicum, si incidat in veneficum æger, etiamsi hominem refugerit, non contempserit illius consilium qui suasit Medicum adeundum. Eadem est mandatorum ratio, sic enim Deus constituit in Ecclesia Doctores, vt illi quidem sint adeundi, cæterùm vt si ea doceant quæ non conueniunt, non sint audiendi, id quod in rebus politicis solet euenire. Nam sæpenumerò consilij capiendi gratiâ adimus viros prudentes & peritos rerum, sed si postquam consilium ediderunt, quod nobis sequendum esse existimant, deprehendamus eos vel vafrè & callidè nobiscum egisse, vel etiam fœdè & grauiter errasse, non continuò sequimur quod est præscriptum, hoc primum. Sed & est aliud, non est enim ea pastorum Ecclesiæ, ne Papæ quidem, conditio, quæ Mosis fuit. Nam Moses & rei ipsius veritate, & signis euidentissimis, quæque nisi ab insano in dubium non potuerunt vocari, probarat se esse Prophetam, & quidem non vulgarem, sed Prophetam extraordinarium, itaque Mosis effata eo ipso Dei effata esse constabat, quòd ea Deus euidentissimis signis comprobasset.

Quatenus sint adeundi & audiendi Pastores.

Simile.

aliud simile.

Alia est Mosis, alia Papæ ratio.

Deinde alium adducunt locum, qui speciem quandam & colorem videtur conciliare caussæ quam agunt, scriptum enim est Deuteron. 17. *Si difficile atque ambiguum iudicium apud te esse perspexeris, inter causam & causam, lepram & lepram*, &c. *& Iudicum intra portas tuas videris verba variare, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit eo tempore, quæresque ab eis*, &c. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur.* Sed hic locus speciem habet rei quam ex hoc loco student efficere, rem non habet. Primò, ob id quod iam diximus, quia non continuò ex eo quod obedientia præscribitur in Scriptura, sequitur esse parendum nullâ ratione, solâ authoritate, quoniam in hoc genere semper habetur ratio *non illius quod fit, sed illius quod fieri debet*. Cuius rei ratio hæc est obuia, & petita ex vsu communis vitæ, nempe qui obedientiam præscribit Magistratui habendam, non solet quicquam excipere, ominosum enim id est, & aliquam labem aspergit ordini. Secundò. Agitur eo loco de Judicio, cuius exitus est animaduersio, si quis non sit audiens dicto. Itaque Iudicium illud est politicum, politicum, inquam, nõ ratione materiæ, vt loquuntur in Scholis; nam non est negandum illo iudicio actum de rebus quæ pertinent ad Religionem: sed tamen non potest negari illo Concilio actum esse politicè de rebus Religiosis, inter quæ magnum est discrimen. Nam iudicium politicum cogit extrinsecus, hoc est authoritate, pœnis reum redigit in

2. Scripturæ locus, de Iudice cõstituendo in caussis Religionis.

Resp. 1.

2.

ordinem;non persuadet intrinsecus,hoc est,non nititur rationibus, hortationibus. Nam illud iudicium erat quod postea *Sanhedrin* (vocabulo ex lingua Græca deprauato) cœpit vocari. Quo in iudicio non solum erant Sacerdotes & Leuitæ, sed etiam ex aliis tribubus viri idonei: cuius rei exemplum illustre habemus in vita Josaphati, qui Judicium hoc constituit Jerosolymis (*magnum Synedrium* quod vocant) eâ lege vt summus Sacerdos in rebus quæ pertinent ad Deum, ferret iudicium,alius præesset in rebus Regiis. Cæterùm idem exitus est iudicij, tantum munia distinguntur, vt cum agitur de rebus Religiosis, primas tueatur partes summus Pontifex; cùm verò agitur de rebus Regiis, primas partes tueatur qui ad id munus à Rege est delectus. Sed quærat hîc aliquis, quænam hîc sint *res Regiæ*. Nam si cum Pontificiis dicamus esse res politicas,non videtur hoc quadrare,quia & res politicæ Dei res sunt, præsertim cum de iis Deus legem tulerit, & quidem consignatam litteris sacris:Itaque eundem Jurisconsultum & Theologum oportuit esse, hactenus quidem in Israele, quia,vt monuimus alibi ea Jurisprudentiæ pars verbi Dei pars. Itaque *res Regiæ* videntur esse Regum constitutiones, & leges quas tulerunt pro conditione rerum. Itaque Josaphatus pius & prudens Rex cum de rebus agitur de quibus Deus Legem fixerat,seu illæ res sint politicæ seu Religiosæ, iuridicundo hic vult præesse summum Sacerdotem, at cum agitur de suis constitutionibus alium vult præesse, in eodem tamen consessu. Erat enim Synedrium septuaginta virale, ad exemplum septuaginta seniorum, quos etiam populus dum esset in deserto pro Synedrio habuit; nam minus Synedrium quod in reliquis vrbibus fuit constitutum, constabat tantùm viginti tribus,vnde ad maius Synedrium instituebatur prouocatio,his autem in locis qui vrbis nomen non potuerunt obtinere, si vera est traditio (nihil enim hîc habemus certi ex Scriptura) tres erant iudices. Potuissemus & aliter respondere,nempe agi hîc,vel de his controuersiis quarum dijudicatio pendet à sensu, quales controuersiæ sunt quę nascuntur de cęremoniis. (Nam quale est controuersiæ argumentum, talis est controuersiæ dijudicandæ ratio) vel de controuersiis merè politicis, & ciuilibus *inter causam & causam*, *inter sanguinem & sanguinem*, hoc est, sit ne quis nocens,an innocens,hoc est,an quis cædis author sit, an verò alienus ab hoc crimine: &, *inter causam & causam*: cùm agitur de rebus & litibus pecuniariis.Controuersiarum in Religione longè diuersa est ratio. Nam lepra à lepra distinguitur à peritis harum rerum,vt febris à Medicis, & definitio causarum, atque accommodatio ad singulas species,non est quod ad conscientiam attinet,momentosa. Denique isti homines dum hoc Scripturæ loco abutuntur,suo se iugulant gladio,vt loquuntur,etenim in hoc consessu vnius voluntas non obtinebat, præerat quidem vnus & dicebat sententiam, at non suâ tamen, sed totius authoritate consessûs subnixus. Et,vt miremur cæcitatem horum hominum, factum Josaphati magnificis verbis collaudant imprudentes: nam ex hoc loco (inspiciatur locus) liquidò constat quæ sit Regum authoritas suprà Pontificem: id quod aliis argumentis potest demonstrari, sed ne iam excurramus hoc

Quale fuerit Iudæorum סנהדרין.

Iosaphato constitutum.

Quid nomine *rerum Regiæ* intelligat Iosaphatus.

nêpe Constitutiones regias.

Resp. 3.

4. Retorquetur in Pontif.

c.19. 2.Paralip.

vno id probasse sufficiat.

Tertium testimonium cuius authoritate nituntur est Eccles.12.℣.13. *Verba sapientum tanquam stimuli*,(nempe ob acumen & vim quam obtinent in animos hominum) *& tanquam claui plantati* (quia sunt axiomata ἀσάλευτα inconcussa) *Authores collectionum* (Græcè diceres χρηστομαθίας, nam colliguntur sententiæ, & collectio hæc est sententia quæ meretur vt eligatur & colligatur,nam electa eadem sunt collecta) *dati sunt à Pastore vno*, nempe ab eo qui Ecclesiæ suæ dedit alios Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores. Nam Aduersarij nomine vnius Pastoris Papam intelligunt, etenim in Scriptura idipsum eis euenit quod quibusdam agyrtis qui se profitentur esse chymicos, si quando incidunt in aliquem locum Scripturæ, vbi fiat quædam mentio auri,argenti,&c. continuò aiunt agi de chymicâ eo loco: sic isti planè,adeò sunt ebrij studio Pontificis Romani, vt si quando mentio fit Pastoris, aut vnius Pastoris, continuò Papam, & quos approbauit Papa significari putant. Sed videamus quid colligant tandem ex hoc loco: *Si hæc*, inquiunt, *dicuntur de Sacerdote Veteris Testamenti, quantò magis possunt dici de Sacerdote Noui Testamenti.* Nos verò resp. primò vnicum esse Ecclesiæ Sacerdotem Christum, itaque quæ dicuntur de vnico Pastore hoc loco,ea esse intelligenda de Christo, cui soli hic titulus debetur, nam solus est ἀρχιποίμην.Deinde sic respondemus,vt quæramus interim, an istorum sapientum, quorum hoc loco fit mentio, ea sit authoritas vt nequeant errare? Si ita se res habet, ergo penes vnum non est imperium in Ecclesia,imperium, inquam, infallibilitatis; Quod si queant isti errare (id quod docetur etiam in Ecclesia Romana) quorsum attinuit hunc locum citasse, etenim dicuntur dati isti sapientes ab vno Pastore: Atqui si poterunt errare dabuntur frustrà, quando non ipse Pastor per se, sed per hos nos docet. Sed nostra responsio est facilis & aperta: nam sapientes vel dicuntur, vt loquimur in Scholis, in sensu diuiso, vel in sensu conjuncto. Et *sapientum verba* in sensu conjuncto, hoc est quatenus sunt sapientes,dum dicunt quæ professionem sapientię decent,ea verò sunt eiusmodi vt sint stimuli & claui fixi:in sensu verò diuiso longè aliter se res habet. Nam sæpenumerò etiam sapientes non sunt sapientes, hoc est, sapiens in sensu diuiso nō est sapiens in sensu conjuncto,fit ipse sibi dissimilis. Vnde hoc concludendum necessariò,non authoritate,sed veritate etiam tum cùm audiuntur sapientes esse nitendum, hoc est, iudicandum esse (quod Spiritus Sanctus etiam hoc loco videtur innuisse) de sapienti ex sapientiâ, non verò de sapientiâ ex sapienti.Nam hi *stimuli* notant vim,efficaciam verborum quæ à sapientibus proferuntur. Nam *stimuli* sunt cum stimulant animum, & *claui fixi* dicuntur, quia sic sistunt motum animi, &mentis æstum componunt, vt animus stet, nec fluctuet, nempe vi veritatis eum in locum deductus in quo consistit, quod non fit, credo, authoritate, sed veritate.

Quartum testimonium est Aggæi cap.2. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum interroga Sacerdotes Legem*, &c.Pessimè sibi consuluerunt dum citarunt hunc locum, nam non dicit, *Interroga Sacerdotem*, sed *Sacerdotes*, itaque (quod nos demonstraremus nisi fuisset iam pridem à nobis explicatum)

authoritas

3. Scripturæ locus.

Resp. 1.

Vnus Ecclesiæ Pastor est Christus.

Vera mens loci.

Cur verba Sapientum dicantur, *Stimuli. Claui fixi.*

4. Scripturæ locus. Resp. 1.

authoritas Ecclesiæ non fuit penes vnum. Deinde, adhibenda est hîc responsio solemnis, non eorum qui interrogantur,quosque nos iubet Dominus interrogare,eam statim esse authoritatem, vt eorum authoritate solâ commoti discamus quid sit sequendum, quid non, sed vel præcipuè (cum debeant esse harum rerum præ reliquis peritiores) veritate quam demonstrant, & quidem multò efficaciùs, vt plerumque, quam quiuis alius: Deus enim qui author est ordinis, ita dispensauit dona sua vt ordinem velit seruari, quod tamen haud ita fecit, vt si perturbaretur ordo, non consuleret aliunde suis. Itaque sæpenumerò *olitor loquitur opportuna,* dum delirant Reges.

5. seu vltimus Scripturæ locus.

Vltimus locus est Malach. cap.2. (Nam quæ citant ex Nouo Testamento ferè omnia à nobis alibi sunt explicata,) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Itaque, inquiunt, Sacerdos non potest errare, vnde sequitur, authoritatem Sacerdotis esse Legis instar. Sed primò qui id probent, agi hîc de summo, non agi de quouis Sacerdote.

Resp. 1.

Nam certè phrasis Hebraica, Latina, etiam Græca, & vernacula ea est, vt *Sacerdos* dicatur in singulari quilibet Sacerdos, quomodo *pater* dicitur quilibet pater, Rex quilibet Rex, &c. Hoc primum. Deinde idipsum euincitur ex textu, nam præcesserunt illa verba, *Pactum meum fuit cum Leui,* non iam dicit *pactum meum fuit cum summo Sacerdote,* sed, *cum Leuitica tribu.* Deinde explicatur hoc pactum, nempe ex parte Leui, vt diximus, *vt Deum debuerit timere,* & ex parte Dei, *vt Deus illi dederit argumentum hujus religiosi timoris,* verba enim sunt, *pactum meum fuit cum eo, pactum vitæ & pacis, dedique ea illi timorem;* quod explicatur, *& timuit me.* Quod potest explicari duobus modis, vt illud, *&*, vel sit nota finis, hoc est, dedi illi timorem vt me timeret (quæ locutio est vsitatissima in Scripturis, certè qui vel primoribus labris degustarunt Hebræa, norunt per Græcorum ἵνα, Latinorum *vt*, significari *Vau* copulatiuum Hebræorum, cuius locutionis exempla obuia sunt) vel significari potest etiam, Leuitas executos fuisse pactum hoc Dei. Sed vtrouis modo intelligatur locus, nihil eo efficitur, nam si dicamus intelligi ipsum pactum, sensus erit, hoc debuisse fieri. Nam & primo cap. Malachiæ, *Filius,* inquit Deus, *honorabit patrem,* hoc est debet honorare patrem: sic planè hîc, *labia Sacerdotis custodient scientiam,* hoc est, debent custodire scientiam. Sic, *non furaberis,* hoc est, non debes furari. Quod si intelligatur fœderis præstatio, nam de fœdere hic agitur, non potest hoc intelligi nisi de quibusdam, sequitur enim continuò. *Et vos recessistis de viâ, & multis fuistis offendiculo in Lege, corrupistis pactum Legis,* hoc est, non estis sequuti (si quidem hic secundus sensus locum habet) maiorum vestigia, quod nos etiam Pontificiis exprobramus, & meritò. Itaque quoquò se vertant, hoc loco citato ad rem suam, caussam quam agunt impedierint, non expedierint sese.

Scripturæ loca ex Noui Testam. 1. locus ex N. Test.

Sequuntur iam ordine loci quos citant ex Nouo Testamento, de quibus nos ea sola expendemus, quæ à nobis hactenus intacta fuere, E quibus est locus 1. ad Corinth. cap.12. quo loco Apostolus monet, *Alij dari per Spiritum sermonem sapientiæ, alij verò interpretationem:* vnde concludunt hoc primum ridiculè, penes arbitrium Ecclesiæ esse interpretationem Scripturæ, cum eo in loco non agatur neque de Concilio, neque de Papa, sed de donis extraordinariis, etiam priuatis hominibus indultis, certè singulis seorsim. Deinde non agitur eo loco de tradenda vera Scripturæ interpretatione, sed de interpretatione γλωσσῶν. Denique agitur eo loco de dono miraculoso, nam multi linguis loquebantur, qui non potuerunt tamen linguâ vernaculâ explicatè enuntiare quæ erant prolocuti, vnde illa hortatio Apostoli, *oret vt interpretetur,* qui linguâ vtitur peregrinâ & exoticâ, oret Deum vt possit quæ ea lingua effatus est, interpretari. Sæpè etiam accidebat vt qui peregrina lingua vti non potuit, tamen peregrinâ linguâ loquentis mentem interpretabatur, id quod miraculi magnitudinem augebat. Sed & erat (cuius & hoc loco mentio fit) aliud donum, διάκρισις πνευμάτων *dijudicatio spirituum:* hoc verò donum nihil aliud fuit, quàm extraordinaria facultas à Deo indita detegendi, & redarguendi phanaticos Spiritus. Hoc est, quod Apostolus alibi vocat ἐλέγχειν, quod temporibus Ecclesiæ primitiuæ in cœtibus, etiam priuatis hominibus obtingebat, haud dubiè non sine admiratione, non est enim cuiusque conuincere aduersarium, & si quando id obtingat homini indocto, & cæteroqui hebeti ingenio, res non caret admiratione. Mirum est igitur Aduersarios non notasse hunc locum, nam *dijudicatio Spirituum* aliquid maius est quàm *interpretatio* linguarum: sed vt maximè id obseruassent, nihil promouissent, nempe agitur 1. de dono extraordinario, 2. de dono priuatis hominibus indulto, vt constat ex ipso contextu, & ex formula ἄλλῳ μὲν, deinde ἑτέρῳ δὲ, tum hinc quod Apostolus Corinthios hortatur (non iam doctores, aut pastores Corinthiorum) sed ipsos Corinthios, gregem, vt ne sectentur & magni faciant illa dona, sed charitatem imprimis.

Resp.

Quid sit Paulo donum *Interpretationis.*

Item donũ *discretionis spirituum.*

Locus 2. ex N. Testamento. Ref. 1. *Propria interpretatio* quid sit Petro.

Deinde citant locum qui est 2. Pet. capite 1. *Omnis Prophetia Scriptura propriâ interpretatione non fit.* Hoc primum respondemus, *Propriam interpretationem* dici posse, vel quæ singulis seorsim probatur non authoritate, sed veritate; Atque ita falsum est Scripturam non esse propriæ interpretationis: Oportet enim vnumquemque scire quis sit genuinus sensus Scripturæ, quod si non contingat, nescitur Scripturæ sensus (id quod fieri potest) sine periculo, modò non sit ignorantia vniuersalis. Vel, *propria interpretatio* est interpretatio conficta pro ingenio, atque ita sanè Scriptura non debet corrumpi glossematis & interpretamentis. Sic (absit dicto calumnia) ne Aristotelis quidem aut Hippocratis scripta propriæ sunt interpretationis, quin oportet Aristotelis & Hippocratis interpretem, Aristotelem & Hippocratem ad Aristotelis & Hippocratis mentem interpretari. Id verò fit (neque enim vbique loquuntur obscurè) cùm adhibentur eorum dicta clariùs ad dicta obscuriùs interpretanda. Sed secundò respondemus, locum istum esse deprauatum ab aduersariis. Hæc verò responsio nostra non modò huc tendit, vt aduersariorum sententiam refellamus, quæ etiam admissa vulgata versione potest refelli ea ratione quæ suprà est explicata, verùm etiam vt asseratur Gallica versio à reprehensione, quæ, quod vulgata *interpretationem* vocat, ἐπίλυσιν *reuelationem* interpretatur, cuius in-

Simile.

Resp. 2. Locus ille non est bene in vulg. vers. redditus.

terpretationis author est Caluinus, sed qui Bezam hîc habuit dissentientem. Certè videtur Caluinus non improbasse illius sententiam, qui monuit, videri ἐπιλύσεως scriptum pro ἐπηλύσεως facillimo lapsu, seu pronuntiationem, qualis fuit illis temporibus, seu litterarum ductum spectemus. Porrò ἐπήλυσις, inquiunt, est afflatus quidam Spiritus extraordinarius, ἐπιφοίτησις πνεύματος, atque hîc se tuentur authoritate Hesychij qui ἐπηλυσίας interpretatur ἐπῳδὴν *incantationem.* In quo id primum videtur reprehendendum, quod Hesychius ἐπηλυσίαν non ἐπήλυσιν sic interpretatur, sed hoc fortasse videtur leuius; at istud multò grauissimum est, quod ἐπηλυσία Hesychio non est *afflatus*, sed *efficacia* quæ verba incantatorum sequitur: nam ἐπῳδὴν esse ἐπηλυσίας dicit. Denique non est credibile ἐπηλύσεως esse hoc loco legendum; siquidem à Magis hæc vox infamata fuit. Nam cæteroqui verùm illud est, illud *Irruit in me Spiritus Domini*, posse fortasse exponi ἐπῆλθεν ἐπ' ἐμέ, vel ἐμοί, præsertim cum quæ nobis suggeruntur tacitè nullius hominis operâ, de iis solemus dicere (Latinè quidem) *venisse nobis in mentem*, est ἐπήλυσις quædam illa Græci verò in hoc genere ἐπῆλθέ μοι, inquiunt, hoc est quod Gallicè dicitur, *le cœur me dit*. Sed quoniam nulla ἐπηλύσεως mentio fit in Scriptura, & in nullis neque vetustis, neque item recentioribus codicibus ἐπηλύσεως vocabuli mentio fit, exstat verò constanter ἐπιλύσεως vocabulum: Profectò retinendum est ἐπιλύσεως, sed ita tamen est retinendum, vt stet interpretatio Caluini & Gallica. Nam ἐπιλύειν est idipsum quod Hebraicè פתר, est autem פתר propriè quæ occulta erant & abscondita interpretari. Itaque non est culpandus verus Interpres qui ἐπίλυσιν *interpretationem* dixit. Hæc vox ἐπιλύειν exstat apud LXX. Interpretes capite 41. Genes. vbi agitur de somnio Pharaonis: Meminerimus autem interpretationem Iosephi Prophetiam esse, non profectam ab acumine naturali, sed à reuelatione. Itaque Iosephi interpretatio fuit *reuelatio* ἀποκάλυψις. Quare פתרון ἐπίλυσις est, nempe illius quod alioqui in mysterio consilij diuini foret reconditum, vnde & Prophetæ *Interpretes diuinæ voluntatis* dici queant. Sensus igitur est, Prophetas non suæ mentis sensum edidisse, sed fuisse interpretes consilij diuini. Itaque vaticinia Prophetarum, & eorum præconium שמועה ἀκοὴ dicitur in Scriptura, & ipsi adeò Prophetæ sunt מליצים *Interpretes* ἐπιλυταί. Sententia igitur est aperta, *Prophetas non suam mentem, sed Dei hominibus exposuisse*, id quod tum consequentia tum antecedentia ostendunt. Nam in antecedentibus Apostolus dixerat sermonem Propheticum esse firmiorem, & laudarat suos quod sermoni Prophetico multùm tribuerent. Iam verò rationem reddit vnde fiat vt tantùm debeant sermoni Prophetico tribuere, nempe, inquit, scientes non esse illum sermonem ab ea interpretatione, quæ proficiscitur ab vnius cuiusque ingenio, prout hoc aut illo modo est affectum. Consequentia verò idipsum probant, est enim ratio à priori, cur Prophetarum scripta non sint habenda pro scriptis humanis, quia nempe voluntate hominis, id est, humana voluntate prophetia non est allata. Sed & ipsa verba hoc demonstrant, nam, inquit Apostolus, Prophetia οὐ γίνεται ἰδίας ἐπιλύσεως: Nullum sensum ista verba habent, si ea interpretemur ita vt velimus iis significatum, Scripturæ interpretationem non pendere à iudicio priuatorum hominum, (quamuis in se verum sit) loquitur enim Apostolus ita vt ostendat vnde sit Scriptura. Nam, inquit, πᾶσα προφητεία οὐ γίνεται, quæ vox ortum significat: Et sanè dura admodum foret locutio, quæque careat exemplo, vt ideò liber aliquis dicatur μὴ γίνεσθαι, dum de libri interpretatione agitur.

Quidam voluntili scriptum esse ἐπιλύσεως pro ἐπηλύσεως.

Sed malè.

Antiqua lectio ἐπιλύσεως non est sollicitanda.

Quid sit ἐπιλύειν.

quid ἐπίλυσις.

Probatur hæc interpretatio ex antecedentibus,

ex consequentibus.

Etiam citant locum illum qui est Act. 15. *visum est Spiritui Sancto & nobis*, Vnde colligunt etiam, Spiritus Sancti sententiam tum demum Ecclesiæ probari cum accedit Ecclesiæ authoritas, alioqui quorsum, inquiunt, attinuisset adiecisse, *Et nobis.* Atque hic aiunt idipsum contingere quod in Republica, edicta Regum tum demum firma & rata sunt, cum non modo Regi sic placuit, sed accessit etiam ad Regis voluntatem decretum seu approbatio Senatus. Sed res explicatu adeò est facilis vt nihil sit necesse hîc immorari, etenim qui sunt in aliqua authoritate constituti, eos necesse est authoritatis suæ aliquam facere mentionem, sed opportunè & loco idoneo, vt testentur quænam sit ipsorum authoritas, ne pro Diis habeantur. At hic res ipsa poscebat vt Apostoli testarentur authoritatem suam, constat enim ex eodem loco fuisse qui fingerent se missos ab Apostolis, quique Apostolis doctrinam alienam affingebant. Itaque cauerunt diligenter ne hæc opinio hominum animis insideret, ne haberentur pro authoribus doctrinæ à qua abhorrebant. Itaque non dicendum erat simpliciter *visum est Spiritui Sancto*, sed etiam, *& nobis*. Cæterùm Prophetas nusquam vsos hac formula *Dominus dixit*, &, *nos idem dicimus* non adjiciebant, diuersa enim ratio fuit, nam Prophetæ non nisi impulsu & afflatu quodam extraordinario prophetabant, Apostoli ordinariè, atque (vt loquuntur in Scholis) habituali quadam gratia. Itaque etiam sub Euangelio Prophetæ ab Apostolis distinguntur; quod Prophetarum donum, liceat nobis sic loqui, ita fuit infusum, vt non fuerit habituale. Deinde loco idoneo hoc est factum, nam præcedit hîc dictamen Spiritus, *visum est Spiritui*, sequitur mentio Apostolorum, *visum est nobis*, quo testantur ea demum esse probanda si profecta sint à Spiritu, neque cæcâ obedientiâ ipsis esse parendum. Id quod vel hinc potest probari, quod Apostolus inter disputandum nunquam vtitur authoritate, semper pugnat veritate, nam in Epistolis quid procliuius fuit, quam citare huius Concilij authoritatem. Deinde in hac Epistola mentio fit non modò Apostolorum, sed Presbyterorum, & fratrum; Iam cum *fratres* distinguntur à *Presbyteris*; haud dubiè notantur ij qui nullo munere funguntur in Ecclesia. Atqui non est credibile, neque verò aduersarij hoc probabunt, homines è plebe, *Laicos* vt vocant, vocari in societatem tanti honoris. Huc igitur summa redit. Duo sunt quæ conturbant animos hominum, *Res ipsa*, & *rei authoritas*: *Res ipsa*, vt cùm rem intuentur qualis est in se, nempe cum speciem habet veritatis, cum sit tamen aliena à veritate, vel speciem habet falsitatis, cum sit aliena à falsitate. Deinde & *rei authoritas* perturbat, si sententia habet illustres authores & magni nominis, & consensum magnorum virorum, quique dignitate quadam constituti sunt in Ecclesia. Iam, his malis non eodem modo occurritur. Nam cum agitur de rei ipsius veritate, ea probanda est rationibus; cum

3. locus ex N. Testam.

Resp. 1. Cur Apostoli sui meminerint in illo Decreto.

non item Prophetæ sub V. Testamento.

Resp. 2.

Quid opus fuerit Concilium illud come.

nibus; cum de authoritate & consensu, hic sola opus est declaratione, seu professione veritatis, ab his profecta quibus contraria sententia fuit afficta. Atque hic ea fuit causae ratio. Id quod constat ex iis primum quae dicta sunt in Concilio illo, nam propositis rationibus res acta est in Concilio, deinde in Epistola (quam licet nobis *Synodicam* appellare) disertis verbis dicitur. *Quoniam audiuimus quod quidam egressi perturbarunt vos sermonibus,quibus hoc non praescripseramus.* Tum argumentum Epistolae est eiusmodi, fieri vt non possit vlla ratione,vt rerum quas Epistola commendat notitia pependerit à sola Concilij authoritate. Etenim fit mentio fornicationis, & vetatur ne quis alteri faciat quod sibi nolit factum, quae cùm ipsa lux naturae patefaciat,non potest statui illa credi,atque in Ecclesia probari simpliciter ob Ecclesiae authoritatem.Sed & aliud est.Illius authoritatis quam *magnam* diximus haec est ratio, vt etiam dum praescribuntur illa quae suo pondere, nulla accedente extrinsecus alia authoritate se commendant, tamen mentionem oporteat fieri, ab eo qui commendat, authoritatis suae, verbi gratiâ, pater filium hortatur vt Deum timeat, praeceptum hoc est eiusmodi, vt suo pondere se commendet etiam *quoad nos*, vt illi loquuntur. Attamen quia pater est qui hortatur, hoc est, is cui peculiariter hoc munus incumbit, decet omninò patrem authoritatis suae meminisse, vt si sic agat, Deus à te id exigit, fili mi, & ego pater tuus idipsum exigo, estne quisquam qui ita insaniat, vt patrem hoc velle putet hac locutione, vt filius non putet timendum esse Deum aliam ob causam quàm quia pater hoc praescripsit:hoc est (vt ne calumniari videamur) vt filius existimet, non sibi aliunde constare sitne Deus colendus,quàm ex patris authoritate. Atque hic par ratio est.

Resp. 3.

Etiam adhibent locum qui est ad Galat.cap.2. *Ascendi*, inquit Paulus, *Hierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium quod praedico in Gentibus*, &c. *ne fortè in vanum currerem, aut cucurrissem.* Vnde colligunt ne praedicationem quidem Pauli vllam habere authoritatem nisi accedat Ecclesiae authoritas, quandoquidem ipse Paulus profitetur vanam fore operam quam nauarat,quamque erat nauaturus nisi consilia cum iis qui videbantur aliquid esse,communicasset. Quibus in verbis duo sunt obseruanda, atque illud primum. Quod isti homines aberrant à scopo, nam Paulus eorum nomine *qui videbantur esse aliquid*, haud dubie eos designat quibus iam tum nimirum tribuebatur, verba enim illa *qui videntur esse aliquid* hoc designant.Itaque non notat istos quos designat, elogiis officij & dignitatis, tantùm eos designat ab hominum opinione. Id quod pugnat cum Aduersariorum consilio, qui volunt iudicium de verbo Dei pertinere ad officium & munus aliquod in Ecclesia quo funguntur multi, vel, si minus hoc volunt, quo fungitur vnus. Et isti quidem non habent in hoc loco vbi pedem figant, nam si Petrus fuit Papa, non debuit Paulus meminisse plurium,sed vnius. Sed nec qui in priori sententia sunt, possint hinc exculpere quod ipsorum caussam iuuet, ob eam rationem quae iam à nobis est allata, nam haud dubie δ[illegible] dictum est, *iis qui videntur*, reprehendit enim tacitè Paulus praeposteram multorum de quibusdam in Ecclesia prae reliquis magnis viris,opinionem. Sed & illud etiam obseruandum est, quod Aduersarij hic nobiscum agunt parum constanter. Nam illud, *ne fortè*, quoties alibi occurrit in Scriptura, vt & illam formulam, *si fortè*, ita interpretantur ac si dubitatio significaretur. At hic, *ne fortè*, volunt significare rem certissimam, nam si formula dubitationem significat, concidit eorum ratio, non voluerit Paulus authoritatem Euangelij quod praedicarat, pendêre *quoad nos* ex authoritate eorum qui videntur esse aliquid, hoc est, non existimarit id esse de iure, metuerit tantùm ne id contingat de facto. Itaque si nobis luberet eos sic premere, res esset facilis & procliuis, *ne fortè*, μήπως *ne aliquomodo* significat alibi dubitationem, quidni & hic significet; Neque verò esset quod illi responsarent, nos id negare, nam etsi locutionem istam *ne fortè*, velimus significare aliquando euentus certitudinem, tamen non dicimus hoc significari semper hac formulâ. Itaque contendimus hic quaerendum esse in subjecta materia sensum formulae: Nam si materia est contingens (vt loquuntur) formula notarit illam contingentiam, sin necessaria, non potest (vt loquuntur in Scholis) de vi sermonis aliquid concludi. Denique respondemus quod res est, consulendum esse aliquando infirmis, nempe multi sunt quibus veritas displicet eo solo nomine quod certis quibusdam hominibus non placuit, nempe quorum authoritas magna est, diffidunt sibi, istis omnia tribuunt. Itaque & authoritate omnia metiuntur. Ergo si quis hoc scandalum potest amoliri sapienter fecerit, atque ideò fecerit ne laboret incassùm, scandalo non amoto, nec dum sic facit testabitur, se velle veritatis authoritatem ab hominum authoritate suspendere, quin potius sic agit quemadmodum hoc loco Paulus, Quando sunt *qui videntur aliquid esse*, & eos consulamus sanè, quando veritas ipsa se non commendauit, quod profectò indignum est. In summa, Paulus cùm videret se traduci ab Aduersariis,ac si doceret aliud quàm Apostoli, qui authoritate & existimatione apud vulgus hominum ipsum antecedebant, & hac in parte voluit eorum os obstruere,ne sic intercluderetur via Euangelio,sensus est planus & apertus.Sic,etiamsi Paulo licuisset viuere de altari, noluit tamen; noluit, inquam, ne Aduersarij haberent quod objicerent, veritus nimirum ne id officeret profectui Euangelij.Itaque Aduersarij hic ius cum facto confundunt,non enim ideò quod iniquitate temporum, & hominum vel incredulitate vel infirmitate istud contigit,continuò sequitur,rem ita se habere debuisse. Immò verò res apud plerosque aliter se habuit; Nam Paulus multò antea praedicarat Euangelium quàm ascenderet Jerosolymam, & quidem non sine ingenti fructu: Immò hoc eodem capite in eo gloriatur, quod non nisi certa quadam occasione fuerit coactus hoc iter capessere. Quod si Aduersariorum ratio vllum haberet pondus, Paulus tota hac disputatione, sese planè ridiculum praebuisset, quod est impium cogitatu. Etenim consilium Pauli est omnibus probare authoritatem suam,quam vult esse Apostolicam, vt fuit reuera; Apostolica autem esse non potuit si penderet aliunde quàm à Christo & Deo immediatè. Itaque totus in eo est, vt neget se quidpiam hominibus debere. Quod verò ascenderit Jerosolymam, quia id ei potuisset

4. Locus ex N. Testam.

Resp. 1. οἱ δοκοῦντες: cur à Paulo sic dicti sint

Resp. 2. Vtrum μήπως dubitationem, an certitudinem significet.

Resp. 3. Cur Paulus reliquos Apostolos consuluerit.

Simile.

Pontificiorum argumentatio Paulum facit ridiculum.

fortasse objici, respondet hoc fuisse factum vt turbas compesceret objectantium dissentionem in doctrina à viris summis in Ecclesia. Id quod eò fecit lubentius, quod ne hac quidem ratione cessit illis summis viris, non enim ascendit ideò quod essent tales, sed quia videbantur esse. Ergo respexit in eo aliorum opinionem, non suam. Tum Petrum ipsum testatur se reprehendisse, & quidem hoc testatur iis verbis, quibus non obscurè significat id quod voluit, nempe non fuisse Petro in ipsum ius, nam Petrum reprehendit ita vt restiterit ei in os, & reprehendit eum eo nomine quod esset dignus qui damnaretur. Jam fatemur vltrò posse historicè, dum narratur res gesta, dici *restitum in os*, tum cùm quis intercessit, etiam qui minori preditus fuit authoritate quàm is, cui restitum est, sed vt quis loquens de semetipso, & quid fecerit narrans, sic loquatur, tolerari non potest, nisi primò, vel factum ipse suum damnet, quod non facit Apostolus, secundò, vel habeatur pro homine impudenti, tertiò, vel pro eo qui id potuerit. Jam Paulus non damnat, immò gloriatur potius in eo quod hac in parte præstitit. Neque verò quisquam est, qui Paulum eo nomine ausit reprehendere. Quid superest igitur quàm vt Paulus id fecerit, quod iure fieri potuit, & oportuit?

Petrum à Paulo reprehensum esse quò spectet.

DE CONSEQVENTIIS ex Scriptura deductis.

DEpulsi Sacra Scriptura, aliò confugiunt ad inuehendam authoritatem Ecclesiæ, nempe aiunt quod res est, verbum Dei non posse aliter adhiberi tum ad fidem, tum etiam ad mores, quàm si ex eo tanquam ex lege deducantur quædam conclusiones. Atque hìc contendunt incerta fore omnia, cùm sit lapsus procliuis in deductione conclusionum. Atque hìc multa disputant. Negant id esse Dei verbum quod concluditur ex verbo Dei. Negant certam esse concludendi rationem, cùm humana mens possit labi & errare. Denique vt sit certa concludendi ratio, negant certam esse ea certitudine quam *fidei* dicunt. Porrò hæc omnia eò tendunt, vt appareat quanta sit authoritatis Ecclesiæ necessitas in controversiis definiendis. Atque hoc commentum non est hominum doctorum, adeo absurdum est, sed nonnullorum hominum qui modò rudi populo imponant, quo quo modo id fiat nihil habent pensi. Itaque videtur planè res indigna de qua disputetur, sed quando effrons hominum audacia, & stupor vulgi effecit vt aliquid qui sic disputant dicere videantur, & de hac quæstione nobis est disputandum, quam tribus capitibus complectemur.

quo spectent in illa Disputatione Pontificij.

Tria hic sunt disputanda

Primò igitur quæritur, (pudet hæc referre) *An quod necessariò concluditur ex verbo Dei, sit verbum Dei.* Quæstio est hominis insani, nihil enim concludi potest, nisi quod eo comprehenditur, vnde conclusum est: itaque quicquid concluditur in eo fuit vnde conclusum est, proindeque conclusio idipsum est quod est illud vnde sequuta est, nam qui dicit bina & bina, sanè idem dicit quatuor, quando bina & bina efficiunt quatuor. Jam verò, si quod conclusum est non comprehensum fuit eo vnde est conclusum, ea conclusio demum non est conclusio. Sic cum Christus dicitur in Scriptura nobis factus per omnia similis excepto peccato, concluditurque inde Christum fuisse præditum proprietatibus humanæ naturæ, profectò nihil concluditur quàm quod dictum est in Scriptura. Nam qui ait Christum nobis factum esse similem per omnia, haud dubiè idem ait, Christum fuisse præditum proprietatibus nostræ naturæ, quid enim aliud significetur? atque hæc referenda est regula *de omni & nullo*, quæ omnis bonæ consequentiæ est fundamentum. Nam quod de omni dicitur, perinde dicitur ac si diceretur de singulis simul, *omne* enim quid aliud est quàm singula simul sumpta? Itaque cum ex eo quod de omni dicitur, infertur conclusio de hoc singulari, nihil noui dicitur, tantùm explicatur quod fuit inuolutum. Et par est ratio regulæ *de nullo*, nam quod de nullo dicitur, ideo dicitur de nullo, vt intelligatur non posse dici de singulis. Vnde factum est vt Aristoteles (quamquam nos nunc non vtimur eius authoritate) omnem concludendi rationem reuocauerit ad regulam *de omni & de nullo*. Alioqui verbum Dei nihil significaret, esset sonus sine mente: verbi gratiâ, *Non occides*, quid hoc tandem significat nisi significet *Petre non occides*, *Paule non occides*? Adime hanc significationem nulla erit significatio. Sic verbo Dei docemur Christum habuisse corpus, adime hanc significationem, *Christus ea habuit quæ insunt corpori*, nihil fuerit significatum. Itaque hæc conclusio manet certa, cum aliquid verbo Dei dicitur, eadem operâ dicitur quicquid eo quod dicitur comprehenditur, comprehenditur autem conclusio; alioqui nulla esset: Itaque & pariter quod conclusum est dictum est. Certè & hic fuit Dei scopus, nam qui sapit, dum loquitur, vno verbo multa significat, alioqui frustrà loqueretur, nam singularia sunt infinita: Itaque cum Deus sit sapientissimus, ita loquutus est vt quicquid possit concludi ex eo quod dixit, velit inde concludi. Nam hominum ea oscitantia, vel stultitia est aliquando, vt ea dicant ex quibus aliquid colligitur quod minimè velint: vnde locus fit deductioni ad impossibile, quam vocant in Scholis, sed hoc fit ignorantiâ, nempe non vident quid sequatur, mutaturi scilicet sententiam si id peruiderent: itaque reuera, si candidi sunt, sententiam mutant, nempe cùm vident quo sint delapsi. Deinde sæpenumerò contingit, vt quis veram proferat sententiam, cùm tamen sit in sententia sententiæ quam protulit contraria, nullâ fraude aut dolo malo, sed quoniam *non respexit*, hoc est non habuit certam notitiam & distinctam veræ quam protulit sententiæ, vnde locus est prouerbio vernaculo, *Rectius loquutus est quàm sensit*, *Ce qu'il dit vaut mieux que ce qu'il veut dire.* Sed nihil eiusmodi in Deum potest cadere, itaque quicquid Deus dicit, consilium Dei est vt quicquid inde sequitur vt dicat. Est ergo *verbum Dei* quicquid ex verbo Dei concluditur.

1. Quod concluditur ex Dei verbo est verbum Dei.

Regula de Omni & de Nullo, est fundamentum omnis bonæ conclusionis.

Cur Deus sic locutus sit, vt ex eo conclusiones sint eliciendæ.

Sed quærat aliquis fortasse, Quomodo possit fieri vt habeatur pro verbo Dei quod ex illo concluditur, cum quod concluditur debeat distingui ab eo vnde concluditur. Enca est Aduersariorum vel stultitia vel imprudentia, vt hoc audeant objicere, perinde ac si quærant, *Quomodo pro lege habeatur quod ex lege concluditur.* Sed ne sibi sapere videantur, aliquid respondendum est, nam

Obi. Pontif.

Resp.

nam verbum Dei dicitur quod omnium consensu verbum Dei est, atque ita sanè conclusio distinguitur à verbo Dei, sed ratio distinctionis est externa, non est interna, hoc est, nititur nostra cognitione. Constat enim de principio, vel (vt significantius loquamur) de præmissis, ideo principium, præmissæ, dicuntur, (habita ratione cognitionis nostræ) *verbum Dei* respectu conclusionis. Nam conclusio est quæstio quæ fuit in controuersia, quæ etsi verbum Dei sit in se, tamen propter ignorantiam Aduersarij, donec concludatur non dicitur verbum Dei; nempe non est sumendum quod erat in quæstione, postquam verò id conclusum est & demonstratum, certè conclusionis sensus hic est: Ergo hoc est verbum Dei. Nam in omni disputatione de religione in hoc cardine versatur controuersia, *sit-ne hoc aut illud ex Dei verbo credendum, aut faciendum.* Sic igitur probauimus verbum Dei esse quicquid concluditur ex Dei verbo.

2. *Vnde sciri possit conclusionem esse legitimam.*

Sed quærunt secundo loco, vt maximè verbum Dei sit quod ex verbo Dei concluditur, vnde possit innotescere conclusionem esse legitimam. Jam verò hoc à Deo quærendum esset non à nobis, & hoc est Deo non nobis dicam scribere, nam si verum est quod est à nobis iam demonstratum, Dei consilium fuisse cum aliquid dicit, simul vt nobis significaret quæ ipsius dictum sequuntur, omninò istud quærere est Deum reprehendere. Sed tamen & hæc quæstio est soluenda, quandoquidem ea temporum est calamitas, vt cum proteruis hominibus, & insanis adeò, de re tam liquidâ & clarâ nobis litigandum sit. Sed hic ante omnia est definiendum quid sit consequentia.

Quid sit Consequentia.

Est verò Consequentia affectio propositionis ad aliam quandam propositionem, quâ fit vt si ea propositio vera sit, & ipsa etiam sit vera, aut si falsa sit alia illa propositio, & ipsa pariter sit falsa. Cuius affectionis hæc est ratio, quod quæ alterâ propositionum (quæcunque tandem illa sit) dicuntur, includunt necessariò quæ conclusione, quæ inde deducitur, continentur: vnde ortum est *consequentiæ* nomen, nam non propriè sed Metaphoricè *consequentia* dicitur. Sicuti enim cum aliquid trahitur, id quod trahitur sequitur continuò (nempe quia vnum est cum eo quod trahit, omnis enim motus fit per contractum, contactus autem vnionem facit, vnde pendet omnis machinarum ratio, nam in distantia non est vnioni locus, quia non est contactui locus, proindeque nec motui) hinc factum est, vt inter ratiocinandum cùm quid dicitur quod cum altero cohæret, & id dictum censeatur cum quo cohæret.

Ratio di[illegible] legitimam consequentiam duplex. 1. [illegible]

Constituta definitione consequentiæ; quæritur ratio dignoscendæ consequentiæ legitimæ, sit-ne illa certa, an incerta. Res autem duobus modis potest explicari, vel si dicamus notitiam pendere à notitia significationis terminorum: Nam si propositionis termini sint noti, si teneamus quid illis significetur, tenebimus item quid sequatur, quatenus, inquam, tenemus quid illis significetur (nam interdum nota est terminorum significatio confusè tantùm, non autem distinctè) verbi gratiâ, *Christus est homo*, oportet hoc sciri quid significet hæc vox *homo*, priusquam intelligamus quæ attribuenda sunt Christo, quatenus homo est. Jam si id sciamus leuiter duntaxat & confusè, quid sit *hominem esse*, qualis est illa cognitio quæ sensibus est proxima, (quæ vt est tempore prima, sic maximè communis est) ipsa itidem consequentia non erit distinctè nota. Sed cauit nobis hac in parte Deus: nam duo sunt in Scriptura genera terminorum, vnum est merè Theologicum, vt cùm dicitur *Filius Dei*, alterum non est Theologicum, vt cùm adjicitur, *est homo*. In priori genere terminorum hanc sequutus est Spiritus Sanctus docendi rationem, vt in Scriptura, quatenus sciri & intelligi est necesse nobis, explicarit, in secundo genere nihil fuit opus. Et tamen & hic nobis consuluit, noluit enim nos aliud docere quàm quod (nisi insanimus) possit à nobis capi, vt cùm *Filius Dei* dicitur *esse homo, verbum caro factum est.* Docuit quid hoc significet *Filius Dei*, quid significet hoc *homo* non docuit, quare? quia nempe omnibus qui non sunt fatui, notum potest esse confusè quid sit homo. At distinctè, inquiunt, sciri non potest ab omnibus æquè. Itaque, inquam ego, nec hoc requiritur à nobis. Nam de recondita illa ratione humanæ naturæ fideles non sunt magnopere solliciti, neque verò decet illos esse sollicitos, quando credunt Christum iis omnibus esse præditum quæ sunt obvia in natura humana, & verò si quid latet & eo ipso Christum esse præditum, non definiunt tamen quid lateat, neque enim necesse est. Atque hæc est prior illa ratio.

2. *Fides non destruit, sed præsupponit rationem.*

Secunda hæc est, fides præsupponit rationem, non destruit, præsupponit, quia neque infantibus, neque etiam mente captis & furiosis prædicatur Euangelium, vt ratio & experientia testatur. Quis enim infantem lactentem & pendentem ab vbere, aut verò splendidè furentem hortetur vt credat in Christum? Cum igitur ita se res habeat, & quidem Deo in verbo id præscribente, sequitur Deum in verbo suo rationem præsupponere. Sed neque infidelitas rationem destruit, quia peccatum non sustulit naturam, alioqui non posset esse idem homo & peccator, tantùm naturam deprauauit. Atqui si omnis colligendi ratio penitus fuisset sublata peccato, non iam corrupta, sed exstincta & abolita penitus fuisset natura.

Etiam infidelis nouit quid ex quo sequatur in rebus fidei.

Itaque infideles quid ex quod sequatur facilè deprehendunt, cùm tamen minimè credant, quia dispicere quid ex quo sequatur rationis opus est, quæ in illis non periit, hactenus quidem. Vnde igitur fit vt non credant? Nempe, assentiuntur dato antecedente consequens esse verum, quia tenent quid significent termini: sed neque antecedens esse verum putant, neque consequens, cum consequentiam agnoscant tamen. Itaque illis hoc in re verissima cōtingit, quod sapientibus in re vanissimâ. Nam si quis sic ratiocinetur, Chimæra fuit, ergo Poëtæ non sunt mentiti hac in parte, nemo sapiens est qui neget consequentiam, cùm tamen omnes sapientes negent fuisse Chimæram, affirment Poëtas esse mentitos, de quo mentiendi genere non iam disputamus. Sic si Turca daret aut Judæus, Jesum Christum Filium Dei esse, equidem eundem & Deum & hominem esse concederet, & consequens hoc pari fide cum antecedente crederet: sed reuera consequentiam agnoscit, antecedens verò negat. Hæc est posterior ratio explicandi quæstionem.

Objicitur. Sæpè erratur in deducendis consequentiis.

At, inquiunt, sæpenumerò erratur in deducendis consequentiis.

Resp. 1.

Jam hoc primum respondemus, non ex eo quod erretur sæpè in deducendis conclusionibus, sequi deductionem conclu-

sionis esse incertam, non magis, quàm ex eo quod iudicium sensuum aliquando fallitur, sequitur comprehensionem sensuum esse incertam. Et certè nisi velimus sponte cæcutire, etiam tum cùm sensus errat (quod contingit vel inter somniandum, vel in delirio) si rem intueamur propius, fallax illa comprehensio obscurior est & exilior, quàm cùm res ipsa sensibus neque impeditis, neque oblæsis percipitur. Sed quia res contentiosa est, in hoc nolumus firmamentum causæ tam grauis collocare. Itaque aliter respondemus. Consequentiarū duplex est genus, vnum est cuius ratio hæc est, vt proxima sit, alterum cuius hæc est ratio vt sit remota. Et in secundo quidem genere fieri potest, immò fit plerumque, vt mens humana erret, quemadmodum oculus dum rem intuetur è longinquo, non facile deprehendit figuram & colorem rei. At in primo genere diuersa ratio est. Nam oportet esse aut naturâ, aut studio fatuum qui erret in illo genere. Iam verò duplex est errorum genus, alterum quod non omnino pugnat cum bono conscientia, alterum quod cum bona conscientia omnino pugnat. Discriminis verò ratio hæc est quam attulimus, quòd sunt quædam remota à suis principiis, in quibus animus etiam pius potest hallucinari, cum in iis quæ proximè accedunt ad principia, idipsum locum habere non possit, eam ob causam quam iam attulimus. Itaque hoc genus hominum solemus dicere, vel esse homines impudentes, vel excæcatos studio causæ suæ. Atque hinc oritur ratio fouendæ in Ecclesia concordiæ, nam errores qui sunt in iis quæ remota sunt à principio, proculdubio sunt tolerandi, at errores qui sunt in iis quæ proxima sunt principio, nullomodo sunt tolerandi. Etiam hinc petenda est ratio lucis verbi Dei. Verbum enim Dei non dicitur clarum respectu nostri, ob aliam causam, quàm quia quæ cognitu sunt necessaria, ea, nisi sponte velimus cæcutire, statim se offerant atque ingerant oculis nostris. Ac de hoc tantùm genere consequentiarum debemus esse solliciti, hoc est, de iis cognoscendis quę principio proxima sunt, in reliquis sequendum est præceptum Apostoli, vt foueatur concordia interim, donec Deus, si quis aliter sentiat, patefaciat veritatem. Certè etiam earum conclusionum quæ remotæ sunt à principio, consequentiæ ratio tum demum non potest ignorari, cùm non à principio statim, sed à proximo deducuntur, tum proximum id è proximo, & rursum id proximum è proximo, donec peruentum sit ad principium, quod si fiat, profectò & hæc ignoratio à pertinacia est. Cùm igitur Deus constituerit Pastores & Doctores, quibus hoc indidit, vt non modò proxima principiis, sed & remota à principiis percipiant vi principiorum, si officium fecerint, pertinacem oportet esse qui repugnet. Sic explicandum est vulgatissimum dictum, *non error, sed pertinacia Hæreticum facit*, nam *erroris* nomine non est intelligendus error in principio, aut in iis quæ proxima sunt principio, sed error in iis quæ à principio sunt remotiora: in quo genere tum erratur perniciosè, cùm constitutum est ob oculos auditoris (id quod facere non est cuiusuis) vt extrema per media cohæreant cum primis. Atque hic est vsus Pastorum & Doctorum in Ecclesia, nempe vt hoc faciant pro modulo gratiæ sibi indultæ. Atque ita se rem habere vel

Resp. 2.

Duplex consequentiarum genus.

Duplex etiam errorum genus.

Vnde petenda ratio fouendæ in Ecclesia concordiæ.

Quomodo conclusiones remotæ à principiis fiant tamen notæ

Quomodo non error, sed pertinacia faciat hæreticum.

Quis sit v- [illegible]

ipsi Aduersarij coguntur fateri, nam & inter eos controuersiæ sunt, cùm tamen glorientur de consensu, non possunt aliter tueri causam, quàm si respondeant, esse in quibus liceat errare citra dispendium concordiæ, quæ, vt illi loquuntur, Catholicismum facit. Iam si quæras cuiusmodi sint illa, necesse est agnoscant, ea esse quæ remota sunt à principio: vnde natum est in Theologia etiam Scholastica genus *Quodlibeticorum*, vel vt Aristoteles loquitur, *Problematum*. Et certè ne Ecclesia quidem poterit subuenire si consequentiæ ratio fallax est. Nam Ecclesiæ vox ex sententia Aduersariorum, vel Papæ, vel Concilij vox est. Cæterùm neutrius vox intelligi potest nisi deductis consequentiis. Quid ita? quia lex omnis eiusmodi est vt sit Catholica & vniuersalis. Porrò vniuersale, nisi referatur ad singulare, nullam habet significationem; Atqui referri non potest vniuersale ad singulare sine consequentia. Itaque vel ex eorum sententia qui aduersus nos litigant, dandus est locus consequentiæ. Immò verò videre est Doctores Ecclesiæ Romanæ iisdem vtentes principiis inter se dissentire, putà dum interpretantur Paparum & Conciliorum decreta, non enim omnes idem sentiunt: id verò tum euenit, quum vel odium, vel studium causæ, vel obscuritas, & dicti ambiguitas dedit pertinaciæ locum in quo posset exultare. Negauerintne & Paparum decreta, & Concilia esse eiusmodi, vt nisi accedat Ecclesiæ authoritas nihil inde possit concludi? Certè dabitur progressus in infinitum. Nam Ecclesiæ authoritas non est quærenda in iis qui priuatim docent, ex eorum sententia, sed in Papæ decretis, & in Conciliis. Quòd si aliter se res haberet, graue sequeretur incommodum, quis enim definiret hanc controuersiam? Cur non definitur?

Pastorum & Doctorum in Ecclesia.

Si tollantur Consequentiæ nihil omnino poterit [illegible]

Sed tertio loco quæri potest, num aliter conclusiones, aliter principia credantur: Nam cùm conclusiones deductæ sint è principiis vi rationis, videntur etiam credi vi rationis. Itaque nec erunt articuli fidei, proindeque nec verbum Dei. Ante omnia hoc tenendum est, aliud esse consequentiæ rationem deprehendere, aliud ipsum consequens. Nam vt monuimus suprà, sæpenumerò depræhenditur consequentiæ ratio, cum nec comprehendatur antecedens, nec deprehendatur consequens, tantum intelligitur hoc ex illo sequi. Iam hoc constituto, dicimus non esse fidei proprium, sed rationis etiam dispicere consequentiæ rationem, dicimus tamen fidei esse proprium consequens credere. Nec inde tamen sequitur fidem (qua consequens creditur) niti ratione, quia ratio non hîc argumentum, sed instrumentum est: quemadmodum cum fides dicitur esse ex auditu, auditus non est argumentum fidei, sed est instrumentum: nam nisi mens habeat de quo statuat, non potest vel assentiri, vel dissentire, non potest autem habere mens de quo statuat, iuxta ordinariam Dei agendi rationem, nisi verbum Dei audiamus. Est-ne quisquam qui inde concluserit fidem niti sensu? Nam sensus tantùm exhibuit de quo iudicandum erat, non est iudicij argumentum. Sic consequentiæ ratio tantùm exhibet quid sit credendum, non exhibet rationem cur quid credatur, ratio enim est in antecedenti. Itaque Sophisma est, *pendebit fides à ratione*, vel enim ratio dicitur vt *instrumentum*, vel ratio dicitur vt *argumentum*

III. An Conclusiones aliter quàm principia credantur.

Simile.

quod

quod suppetit ratio. Porrò ita se rem habere hinc liquet, quod Gratia vt neque surdos facit homines, & cœcos quoad corpus, sic nec facit (nisi accedat pertinacia) ignorantes quid ex quo sequatur. Sed & aliud est, quod etiamsi nihil aliud esset, vinceret tamen solum; quod Spiritus sanctus etiam ratiocinationem acuit, vnde illud *si quis aliter sentiat Deus illi reuelabit* : &, quod experientia quotidiana facit manifestum, etiam pueri viros in causa Religionis, cùm ventum est ad consequentias, superant atque antecellunt quandoque, iuxta illud *ex infantium ore fundasti laudem* : neque tamen id fit per enthusiasmos, nam Enthusiasmus non docet consequentiæ rationem, puer docebit, atque ita docebit vt os obstruat aduersario, eumque vel in ruborem, si superest quędam mica bonæ mentis, vel si perditus est, in pallorem dabit.

Fides acuit ratiocinationem.

Sic demonstratum est quàm sint illa argumenta vana, & leuia, quibus student nonnulli probare eam esse Ecclesiæ authoritatem, vt quæ singulis membris inest notitia verbi Dei, non pendeat aliunde quàm ex authoritate Ecclesiæ; Id quod quàm sit absurdum vnico & altero argumento ostendemus. Esse Ecclesiam non potest sciri ex Ecclesię authoritate, at pertinet vel maximè ad Dei verbum, docere esse Ecclesiam, non enim hoc percipitur ratione. Itaque non omne Dei verbum internoscitur authoritate Ecclesiæ, nempe hoc Dei verbum, *esse fideles, esse electos*, non potest sciri authoritate Ecclesiæ. Iam eadem est particulæ cuiusdam verbi diuini agnoscendę ratio, & totius. Nam ratio formalis agnoscendi verbi Dei non est à ratione, sed à reuelatione, itaque Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus veritatis & reuelationis*. Deinde non potest sciri authoritate Ecclesiæ quæ sit Ecclesia, oportet enim prius sciri esse veram Ecclesiam, quæ sibi hanc authoritatem tribuit, quàm agnosci possit quo iure sibi tribuat hanc authoritatem. Denique, sic tollitur vsus gratiæ Spiritus Sancti. Nam si non aliunde quàm ab Ecclesiæ authoritate proficiscitur notitia verbi Dei, quis erit vsus Spiritus Sancti? Nempe, inquient fortasse, vt flectat corda nostra in obsequium. Vt hoc primum respondeamus, sic adimitur Spiritui Sancto laus illuminati intellectus nostri, siquidem *cordis* nomine voluntatem denotant. Itaque flexerit quidem Spiritus volũtatem, non illuminarit mentem. At idem Spiritus est *veritatis*, & *sanctitatis*, author omnis lucis in intellectu, auctor omnis obsequij in voluntate, itaque Deus qui mittit Spiritum, dicitur *pater luminum*. Hoc primum. Deinde Spiritus dum voluntatem flectit, flectit ita vt mentem doceat, alioqui non haberet locum illud, *Et erunt omnes docti à Deo*. Et sanè voluntatis flexio nulla est, nisi præcesserit assensus in intellectu: vnde sequitur eundem Spiritum esse qui facit vt voluntas seruiat iustitiæ, & vt intellectus veram iustitiam agnoscat. Vnde & *renouari* dicimur *spiritu mentis nostræ*, & *homo spiritualis* demum *dijudicat omnia*, *à nemine autem dijudicatur*. Quod non est ita accipiendum, ac si hoc opus per Enthusiasmos perageretur, nam Spiritus reuelans idem constituit ita ob oculos animi *veritatem*, vt fiat illud Christi quo promisit tantam indultum iri sapientiam suis, nemo vt iis reddentibus fidei & spei suæ rationem, possit obsistere.

Argumenta quibus probatur notitiam Verbi Dei non pendere ab Ecclesiæ authoritate. 1. 2. 3.

Obj. Resp. 1. Spiritus non voluntatem modò flectit, sed etiam intellectum illustrat. 2. Imò voluntatem per intellectum mouet.

SECVNDA CONTROVERSIA.

DE POTESTATE ECCLESIÆ in condendis Legibus.

IAM sequitur vt quæramus, conueniatne Ecclesiæ potestas illa quam *maximam* diximus. Potestas autem *maxima* nobis est, potestas condendarum legum, condendarum inquam legum quæ necessariò obligent vel conscientiam, vel etiam, vt loquuntur Theologi, hominem externum. Iam Aduersariorum sententia est, posse eos qui præsunt Ecclesiæ, maximè summum Pontificem, cogere fides vt id credant vel faciant quod ipsi iudicauerint. Deinde aiunt, istas constitutiones obligare in conscientia, non modò ratione scandali, negantque liberum esse eas seruare vel non seruare, etiamsi absit scandalum. Hæc verò quæstio etsi in se explicatu facilis est, tamen temporum calamitate factum est, vt non sit vsque adeò facilis explicatu. Nam negari non potest Ecclesiam leges condere, & leges quidem quæ spectant ad religionem & conscientiam, non enim fert Ecclesia politicas leges. Quomodo igitur hîc deprehendetur status controuersiæ? Nam cuius est ferre leges quæ obligant conscientiam, eiusdem est, sanè videtur esse, cogere, modò vires adsint, vt legi pareatur. Sed hæc difficultas vt explicetur, teneamus necesse est primò, quid sit *Lex*, deinde, quia ea res magnum habet vsum, quid sit *obligare conscientiam*. Et lex quidem est, etiam assentientibus Aduersariis, quæ ab eo proficiscitur qui iurisdictionem & principatum obtinet, seu is vnus sit, seu Magistratus qui vnus non est, volunt enim Ecclesiam habere vim in spiritualibus, vt habent Reges in temporalibus; ita vt sicut illi possunt condere leges ciuiles, & punire transgressores ciuilibus pœnis, sic Ecclesia, vel Pontifex Romanus, possit condere leges Ecclesiasticas verè obligantes in conscientia, & possit transgressores punire, saltem spiritualibus pœnis. Nostra sententia diuersa est. Negamus enim idem esse ius Regum & Magistratûs condendarum legum, & Ecclesiæ. Nam ius Magistratûs est ἀνυπεύθυνον, non tenetur reddere vlli præter quàm Deo, & conscientiæ suæ, rationem legum quas fert. Itaque quæ à Magistratu proficiscitur, ea demum propriè lex est: & Magistratus in Scriptura *Dij* dicuntur, qui præsunt Ecclesiæ non dicuntur *Dij*, nempe ob iuris differentiam; Ecclesiæ enim est docere primùm, tum præscribere, Magistratûs alia conditio est. Itaque non peccarit Magistratus si legem tulerit cuius nullam reddit rationem, lex modò in se iust sit. At Ecclesiæ diuersa ratio est, non enim veræ Ecclesiæ libet leges ferre, quarum non reddat rationem. Itaque Magistratus solet insigniri his titulis in Scriptura, vocatur *Potestas superior*, aliquando *Dominatus*, *Rex* Ecclesia, & qui præsunt Ecclesiæ non solent ornari his titulis. Immò verò Paulus apertè testatur se non esse *Dominum fidei*, hoc est, à cuius imperio pendeat fides, quemadmodum in Republica quod hoc vel illud rectè fit, non quærunt ciues aliunde quàm ex lege quam tulit Magistratus, nihil

Pontificiorum sententia.

Ad constituendum Controuersiæ statum.

2 mittuntur quædam.

1. Quid sit Lex.

Ratio discriminis inter Magistratum & Ecclesiæ Præsules.

2. Cor. 1. 24.

aliud disputant apud se quàm an sit constitutum sit à Mag.st.atu. Sic milites dum parent Duci aut Imperatori, non quærunt in materia mandati rationem iustitiæ, aut æquitatis, aut prudentiæ, satis est si sciant mandatum profectum esse ab Imperatore. Ecclesia non sic agit, non enim dominatur Cleris, nec agit cum iis quos Christus redemit, ac si non possent capere quid sit religiosum, quid minus. Itaque quæ ab Ecclesia proficiscuntur, *admonitiones* potius, & *hortationes* dici debent, quàm *Leges*: quamquam si ad verbum Dei referantur, exigantur quæ ad hanc normam *admonitiones* quidem sunt respectu Ecclesiæ, at *Leges* respectu Dei: nempe hac ratione quod commendauit Ecclesia, Deus imperauit, quando quod ab Ecclesia commendatum est, idipsum Dei verbum est.

Quæ Ecclesia mandat sunt duum generum.

Porrò eorum quæ mandat Ecclesia duo sunt genera, vel enim spectant ad fidem & mores, vel ad ea quæ conducunt ad fidem & mores. Vtrumque genus verbo Dei præscribitur exertè, sed non vno modo, nam quæ ad fidem & mores pertinent, ea non iam generatim, sed speciatim, & verò sigillatim verbo Dei sunt mandata, sunt enim eiusmodi quibus nulla possit accidere mutatio. Quæ verò conducunt ad fidem & ad mores, ea quidem disertis verbis commendantur, sed generatim. Sunt autem ista non vnius generis, nam vel spectant ad politiam Ecclesiæ, vel ad singulorum mores, & viuendi rationem. Inter hæc porrò duo discrimen est, vt alia traduntur in Politica, alia præcepta in Ethica, nempe Politices ea ratio est, vt habeatur ratio totius ciuitatis; Itaque Politica architectonica est. At Ethices diuersa ratio est, nam habetur in Ethica singulorum ratio, quare Ethica cum Politica conspirat, non potest enim consuli in vniuersum ciuitati, nisi singuli ciues officium faciant. Præcepta tamen sunt distincta, nam sæpenumerò ciuitas malè regitur, cùm tamen multi in ciuitate faciant officium, & sæpè item accidit ciuitas vt benè regatur cùm tamen plerique detrectent ciuitatis imperium. Iam Ecclesia ciuitas est sed ciuitas Dei: vnde nascitur item in Ecclesia ratio huius discriminis, vt sint alia quæ pertineant ad totam Ecclesiam, quatenus est corpus quoddam, alia verò ad Ecclesiam, quatenus est *membrum* seorsim considerata. Prioris generis sunt quæ spectant ad ordinem qui seruandus est in Ecclesia, de quo ordine præceptum habemus, *vt omnia fiant κατὰ τάξιν* Ad secundum genus pertinent quæ spectant ad priuatas functiones pietatis: pietatis, inquam, erga Deum charitatis verò erga proximum, vt cùm vetatur ne Dei nomen blasphemetur, præscribitur aliquid faciendum quod alioqui omitti potuit, aut omittendum quod alioqui fieri potuit. Item cum præscribitur (ne oriatur scandalum) aliquid fieri quod alioqui potuit omitti, aliquid omitti quod alioqui potuit fieri. Ratio discriminis hæc est, quod quæ pertinent ad fidem & ad mores, ea sunt constantissima & certissima, quæ conducunt ad fidem & ad mores pendent à circunstantiis personarum, loci, & temporis, quæ cum sint penè infinitæ, non potuerunt de istis sigillatim præcepta tradi, tantum hoc à Deo commendatum est Ecclesiæ, vt quicquid fit fiat ordine, publicè, inquã; priuatim verò nihil fiat nisi quod sit εὐσχημόνως. Vt igitur ista ad rem nostram accommodemus, dicimus in neutro genere conuenire Ecclesiæ potestatem ferendi leges: Nam in iis quæ pertinent ad fidem & ad mores, lex expressa est & explicata, lex, inquam, Domini nostri Iesu Christi: In iis verò quæ spectant ad ea in quibus, neque fides neque mores siti sunt, sed quæ conducunt ad fidem & ad mores, legem quidem habemus in verbo generalem, cæterum particularem nullam habemus, ob eam quam attulimus rationem, nempe pendet hoc à circunstantiis. Cauendum est igitur sedulò, ne quis (quod arbitrantur nonnulli) putet dignitatem Noui Testamenti imminui, nisi tam exsertè tradantur in Verbo Dei præcepta de iis quæ spectant ad ordinem totius Ecclesiæ, & modestiam singulorum, quàm exsertè traduntur præcepta de fide & moribus. Nam pertinet hoc potius ad libertatem Ecclesiæ Christianæ, quam tantopere deprædicat Paulus: si enim certis quibusdam circumstantiis alligaretur Ecclesia, esset adhuc sub pædagogia Legis, & in posterum foret semper. Iam verò multo aliter Christi beneficio se res habet. Vnde sequitur non esse disputandum ita, vt quoniam in Veteri Testamento de rebus alioqui adiaphoris certa fuit Lex Lex, inquam, non quatenus ab Ecclesia, sed quatenus à Deo profecta est, id in Nouo Testamento habere locum. Nam populi Noui Testamenti ea conditio est, vt non sit is populus multitudo puerorum sub pædagogo, sed adultorum; quod si aliter accidit non id proficiscitur ab œconomia & instituto Dei, sed vitio humano. Cuius rei hæc est ratio, quod temporibus Noui Testamenti adeò clarè & luculentè Deus aperuit consilium suum, vt nihil opus sit pædagogiâ. Summâ huc redit, Quid sit fides, quid sit pietas, quid sit charitas verbo Dei demonstratur. Quid ad hæc conducat, seu reputando rem in vniuersum, seu reputando rem quatenus singulis competit pendet ex cognitione circumstantiarum. Iam id definire Deus voluit esse penes Ecclesiam, hac tamen lege, vt quod definit Ecclesia conueniat generali definitioni Dei. Res illustretur vnico exemplo, ieiunandum est, & quidem publicè, in genere verbum Dei hoc definit, at in specie fieri non potest vt verbum Dei definiuerit. Nam ieiunij publici occasiones infinitæ sunt, vt in Scholis dicitur *indiuidua esse infinita*. Iam Ecclesiæ est dispicere occasionem, illud verò pendet ex consideratione circumstantiarum: Nam aliquando publicè, aliquando priuatim est ieiunandum; aliquando non est omnino ieiunandum.

Quomodo verò huius generis præcepta obligent conscientiam, aut non obligent, iam explicemus. Obligatur conscientia duobus modis, vel *directè*, vel *indirectè*. *Directè* quidem cum ea præscribuntur quæ præscribit Deus, *indirectè* cùm ea præscribuntur quæ non prę̃scribit Deus, præscribuntur tamen ab eo cui nos Deus iubet parere. Ea verò præscriptio duobus modis fit, vel enim nititur solâ iubentis authoritate, vel nititur ratione quam, qui iubet, affert, sed pro authoritatis suæ ratione. Nam est quædam in terris authoritas eiusmodi, quæ in certo quodam genere non tenetur reddere rationem præceptorum, sed & est authoritas in terris eiusmodi, vt teneatur rationem reddere: vt verbi gratiâ, si res agatur non modò friuola, sed etiam iniqua, tamen si pater præscripserit, aut Magistratus,

In neutro genere Ecclesia potestatem habet ferendi Leges.

Discrimen hac in parte Ecclesiæ V. & N. Testamenti.

Ratio discriminis.

Summa supradictorum.

II. Quid sit obligare conscientiam.

Magistratus præcepta sunt authoritate.

1.

2. Cuius item duo sunt genera.

1.

2.

Ratio discriminis inter illa duo.

ſtratus, faciendum id eſt, etiamſi id friuolum ſit, & iniquum: *Iniquum* autem dicimus non quo proximo infertur damnum, aut gloriæ Dei aliquid detrahitur, nam in hoc genere nemini parendum eſt, ſed *iniquum* quo nobis detrimentum adfertur. Sed & eſt authoritas in terris, qualis eſt authoritas Eccleſiaſtica, quæ tenetur reddere præſcripti rationem, (id quod etiam ſuprà monuimus) præſcripti, inquam, quod non eſt in verbo Dei niſi in genere, non in hac aut illa ſpecie. Huius generis præſcriptio obligat, & eadem non obligat conſcientiam: nempe non obligat ratione *materiæ*, ſed obligat conſcientiam ratione, vt ita dicam, *formalitatis* illius materiæ. Porrò formalitas illa duplex eſt, vel enim conſideratur reſpectu præſcribentis, vel conſideratur quatenus refertur ad finem. Et certè quatenus ad finem refertur, eo non obligat conſcientiam, quod ſi te tantum reſpicias, liber es, quod tenêris id fit propter aliquem finem, nempe conſeruandus eſt ordo publicus, non objciendum ſcandalum fratri, aut eiuſmodi aliquid.

Sed oritur hîc quæſtio, *An reſpectu iubentis teneamur legibus Eccleſiaſticis*, hoc eſt, an ſi Eccleſia præſcripſerit aliquid iniquum; iniquum, inquam, reſpectu noſtri, præſcripto teneamur ob reuerentiam quę Eccleſiæ debetur. Reſponſio facilis eſt, non eſſe eandem rationem reuerentiæ quæ debetur Eccleſiæ, & parentibus, & Magiſtratui, quia Eccleſia tota verſatur in regenda conſcientia, certè verſari debet. Itaque quod Eccleſiæ præſcribenti aliquando friuola & iniqua quis paret, hoc ideò facit ne contemnere videatur nulla cauſſa neceſſaria Eccleſiam, quem contemptum ſcandalum & ſchiſma ſequitur. Cùm in obedientia quę Magiſtratui debetur & parentibus diuerſa ſit ratio. Itaque ſi quando eiuſmodi Eccleſiæ præcepta negligi poſsint citra contemptum & ſcandalum, non tenetur iis cuiuſquam conſcientia. Sic igitur ſe res habet. Conſcientia obligatur præceptis Eccleſiæ, (iis, inquam, quæ ſpectant ad ordinem, ἀξίαν, & ad vitanda ſcandala) *indirectè*, quia materia præcepti non eſt in verbo Dei, quamquam finis præcepti ſit in verbo Dei. Tum etiam obligant conſcientiam indirectè Eccleſiæ præcepta, quia Deus non vult contemni præpoſitos Eccleſiæ, niſi iuſta & neceſſaria de cauſſa, inde enim orirentur tumultus, & ſchiſmata. Ergo, vt caput hoc concludamus, etſi Magiſtratûs præcepta & mandata conſcientiam obligent indirectè, tamen non eodem modo obligant conſcientiam Eccleſiæ præcepta. Hoc primum. Tum, Eccleſiæ præcepta conſcientiam obligant indirectè, non modò reſpectu materiæ præcepti, quæ omninò non obligat niſi quatenus refertur ad finem, ſed etiam reſpectu præcipientis, diuerſa tamen ratione quàm Magiſtratus. Vnde colligitur cõciliatio duorum locorum Scripturæ. Nam Apoſtolus iubet vt pareamus Magiſtratui *propter conſcientiam*, non reſpectu materiæ, ſed iubentis reſpectu, Magiſtratus enim eſt cui Deus nos ſubjecit. Idem Apoſtolus iubet vt abſtineamus Idolothytis, negat idem fieri id debere ob conſcientiam, cùm tamen id Eccleſia præſcripſerit. Et-ne maior honos Magiſtratui quam Eccleſiæ habendus? Minimè, ſed obedientia quæ Magiſtratui debetur cæca eſt, niſi cum agitur de Dei gloria, aut cùm parendum eſt Eccleſiæ, Eccleſia non eſt Eccleſia ſi eiuſmodi exigat honorem. Itaque præſcribit Apoſtolus hactenus vt pareamus Eccleſiæ, quatenus Eccleſiæ præceptum refertur ad finem, hoc eſt, ſi, niſi obſequimur Eccleſiæ, ſcandalum oriatur. Sic Dominus noſter Jeſus Chriſtus, etiam paruit Magiſtratui, nempe ne oriretur ſcandalum, nos aliter tenemur parêre Magiſtratui, non tenemur aliter parêre Eccleſiæ, niſi ni pareamus, ſcandalum oriatur, nempe cum Eccleſia ea præſcribit quæ in ſe nullius ſunt momenti. Sed longè diuerſa eſt Aduerſariorum ſententia, nam illi volunt Eccleſiæ præcepta conſcientiam obligare, etiam in hoc genere. Quam ſententiam vt percipiamus, conſiderandum eſt eos hoc nolle, nempe vt quæcunque præſcribit Eccleſia directè obligent conſcientiam, quaſi in ſe eſſent bona, ſed tamen directè obligare conſcientiam, quatenus Spiritus Dei adeſt Eccleſiæ ſemper, æquumque eſt vt nullo adhibito examine, quicquid ab Eccleſia decernitur habeatur ratum & fixum, iuxta illud, *Eccleſia non poteſt errare.* Atque ſi quis rationem huius diſtinctiunculę requirat, proferent ex Dei lege exemplum, quâ in lege multa præſcribuntur quę non fuerunt in ſe bona, neque mala itidem, ſed tamen habebantur pro iis quæ obligarent conſcientiam, quia Deum nempe authorem habuerant, etſi nulla conſtaret ratio præcepti, atque hæc nos dicimus directè obligare conſcientiam. Nam, vt ita loquamur, directæ obligationis formalitas hæc eſt, quod præceptum materialiter conſideratum eſt à Deo. Deus enim præſcripſit materiam præcepti, quamuis etiam eorum quæ præſcripſit Deus diuerſa ratio ſit. Nam alia ſunt in ſe bona, quæ impreſſas habent notas bonitatis & Juſtitiæ diuinæ, alia verò adiaphora: ſed tamen vtrumque genus in hoc conuenit quod à Deo præſcriptum eſt. Non eſt eadem ratio conſtitutionum Eccleſiaſticarum. Itaque ſimpliciter concludi poteſt, *Conſtitutionibus Eccleſiaſticis non obligari conſcientiam.* Nam in hac diſputatione, obligatio conſcientiæ non conſideratur *abſolutè*, ſed *comparatè*: fatemur enim aliquando obligari conſcientiam, tantum negamus *abſolutè* obligari: & *omninò*: quæ diſtinctio etiam atque etiam obſeruanda eſt. Iam quia quæ Pontificij adferunt argumenta ad tuendam ſententiam petita ex Scriptura & ratione, vel à nobis ſuprà refutata ſunt, vel his quæ diximus refutantur, otioſum eſt & ſuperuacaneum ea adferre.

Quomodo conſcientiam obligent conſtitutiones Eccleſiaſticæ.

Quomodo differat hac in parte Pontificiorum ſententia à noſtra.

TERTIA CONTROVERSIA.

AN ECCLESIA HABEAT ius irrogandæ pœnæ.

SEQVITVR igitur vt diſputemus de ea poteſtate quę *multò maxima* dici poſsit, quâ nempe fit vt Eccleſia poſsit eadem condere leges, & pœnis afficere contumaces & rebelles. Et poteſtatem quidem legum ferendarum eam Eccleſiæ detraximus quam ei adſcribunt Pontificij. Jam verò videndum eſt, ſit-ne pariter ius irrogandæ pœnæ Eccleſiæ detrahendum. Nam certè

aliquando contingit, vt qui ius nullum legis condendæ habet, tamen ius habeat puniendi transgressorem: exempli gratiâ, Magistratus potest punire blasphemos, cùm tamen in eo agatur Religio, cuius author Magistratus non est, sed solus Deus. Vt res sit explicatior & magis expedita, tenendum est ante omnia, quid sit pœna, quæque sint genera pœnarum, tum quibus modis infligi pœna possit, denique veniendum erit ad definitionem quæstionis. Et pœna quidem omnis eiusmodi est, vt sit ei qui ea afficitur damnosa; damnosa, inquam, in se: nam fortasse non erit, si respiciamus iudicium & existimationem eius cui pœna infligitur. Deinde, fortasse non erit damnosa respectu exitus & euentus. Deinde, oportet hoc damnosum quodcunque sit, infligi ob aliquod delictum; Vnde exoritur pœnæ definitio, *Pœna est aliquid damnosum quod infligitur ob peccatum.*

Quid sit Primò.

Cæterùm pœnarum distinctio vel desumitur à pœnarum materia, vel etiam à fine pœnæ, nam est pœna *corporalis*, quâ corpus ipsum afficitur. Est pœna *ciuilis*, qua fit iactura vel opum vel dignitatis. Priorem iacturam *mulctam* dicimus, posteriorem *infamiam*. Est & pœna quæ animam afficit, quatenus religioni obnoxia est. Atque id pœnæ genus est duplex, nam vel est temporarium in hac vita, vel est æternum in vita futura. Et temporarium quidem in hac vita, cum eo fit vt auferatur quod recuperari potest, æternum verò fuerit si id auferatur quod nullo modo recuperari potest. Porrò ea quæ ablata possunt recuperari duorum sunt generum, quorum alterum *medij*, alterum *finis* habet rationem: vt verbi gratiâ, *finis* rationem habet animi gaudium, consolatio, ædificatio quæ oritur ex auditione verbi Dei, & societate fidelium: *medij* verò rationem habet exclusio, atque eiectio ex cœtu piorum, repulsa cùm accedendum est ad sacram mensam, nam his rebus fit vt gaudium animi minuatur. Sed hæc tantum volumus esse exempla, res enim latius patet quàm vt totam complectamur. Dicimus huius generis pœnas esse vel *in verbis*, vel *in factis*: *In verbis*, vt reprehensiones, quæ omnino pœnæ rationem habent cum publicæ sunt, noluisset alioqui Apostolus Timotheum palam peccantes palam reprehendere, vt & reliqui metuant, nam certè reprehensio non gignit metum, nisi quatenus rationem habet pœnæ, metuimus enim naturâ reprehensionem, præsertim si grauis sit & reuera. Itaque & reprehendi (*censuram* vulgò dicunt) pœna est. Vel infligitur hæc pœna *facto*, & quidem duobus modis, vel *priuatim*, vel *publicè*: priuatim cùm quis conscius vitæ nequiter actæ proximi sui, vt ei incutiat pudorem, non facit ei copiam sui, atque ita hominem punit, nam pudefacere punire est: ad quam pœnam irrogandam Apostolus hortatur fideles non quidem semel, sed sæpissimè, immò ferè totus in eo est, tantum cauet ne hîc affectibus indulgeatur. Nam vt in sordium ablutione modus quidam est tenendus, ne ipsa cutis detrahatur si nimia frictio sit, sic etiam in hoc genere est adhibenda quædam moderatio Spiritus Christi, sapientiâ temperante hanc pœnam. Vel *publicè* id fit, dum iam toti Ecclesiæ præscribitur ab iis qui præsunt Ecclesiæ, vt Rei consortium defugiatur. Porrò consortium est duplex, vel in vita priuata, vel in communione & participatione eorundem sacramentorum. At sæpenumerò accidit, vt illius consortio priuatim abstinendum sit, cuius consortio in communione sacrâ non erit abstinendum: nempe nos eorum fratris peccatorum aliquando conscij sumus, quorum Ecclesia non est conscia. In hac specie schismatici est ingenij abstinere fratris consortio, nempe dum illi inuidetur quod eius peccatum non est notum, sic cauetur ne nos possimus esse participes eorum quæ Deus instituit in gratiam nostri, seu verbi auditio, seu sacramenta intelligantur.

Pœnarum multiplex distinctio. Pœna est vel Ciuilis. vel Religiosa. quæ rationem habet. vel Finis. vel Medij. Estque vel in Verbis, vt sunt Reprehensiones. vel in Factis, vt est Abstinentia [illegible] à consortio familiari. publica. à communione Sacramentorum.

Sed & aliter pœnæ distinguuntur respectu finis. Nam est pœnæ quoddam genus quod infligitur *in vindictam*, aliud verò pœnæ genus, quod infligitur *ad gignendum pœnitentiam*: inter quæ genera magnum est discrimen, vt iam, Deo iuuante, videbimus. Cæterum vindictæ duplex est genus. Nam est vindicta quæ est *ab ira* propriè dicta, quæ damnatur in Scriptura: sed & est vindicta cuius meminit Paulus cap. 13. ad Roman. vbi de Magistratu agit, quæ non est *ab ira* propriè dictâ profecta, sed *à studio iuris conseruandi.* Vnde apparet discrimen illud quod diximus, nam vtrouis modo vindictæ nomen vsurpetur, nulla aut perexigua habetur pœnitentiæ ratio. At cum agitur de priori pœnæ genere infligendo, si constiterit de pœnitentia, nullus huic generi pœnæ locus est. Cuius rei ratio est in promptu, quod media superuacanea sunt & otiosa planè, cum ad finem est peruentum: Iam prius illud pœnæ genus tantùm infligitur vt gignatur pœnitentia, itaque si liqueat de pœnitentia, nullus hac in parte pœnæ vsus est. Sed in hoc argumento non modò hæc sunt spectanda quæ iam diximus, sed considerandus etiam est modus, & ratio pœnam infligendi. Nam pœna non vno modo infligitur: nempe vel *voto* infligitur, vel *sententiâ* infligitur (*suffragium* vocant vulgò) vel pœna infligitur *re ipsâ* & *facto* immediatè. Et pœna quidem *voto* infligitur, vt cum Elias votis impetrauit, vt ignis de cœlo consumeret & vastaret eos quos misit Achazias ad ipsum comprehendẽdum: haud dubiè fuit pœna, & quidem grauissima, quæque possit dici ab Elia inflicta, quia Eliæ voto vt infligeretur est impetratum. Sic etiam miracula dicuntur edita ab Apostolis. Sic haud dubiè Petrus Ananiæ & Sapphiræ pœnam inflixit. Sed & pœna *sententiâ* (qui volunt rem emollire, *suffragium* vocant) infligitur, vt cum quis ita damnatur vt eam sententiam sequatur certò pœna, sed interuentu tamen noui iudicij, quod iudicium pro norma & lege sententiam hanc quam diximus habet, vt (nullum aliud enim est exemplum quod possit huc accommodari.) *Responsa prudentum* quæ vim legis obtinebant apud Iudices. Vel denique infligitur pœna *proximè*, & *immediatè*, cùm pœnæ inflictio decretum sequitur statim, nullius noui decreti interuentu: meminimus autem *Decreti*, quia ij quorum operâ pœna infligitur (puta carnifices) non dicuntur propriè punire. Nam hîc rationem habent organi eius generis quod Aristoteles vocat ἔμψυχον: & quidem facit rectè Aristoteles duo genera instrumentorum, quorum alterum est *animatum*, alterum *inanimatum*, atque animatum organum cum infligitur pœna est carnifex. Itaque nullâ lege, neque diuinâ, neque humanâ tenetur reputare

Pœna infligitur. vel in Vindictam. vel ad pœnitentiam gignendam. quæ non constat de pœnitentia non est infligenda pœna. Modus infligendæ pœnæ. triplex. 1. Voto infligitur. 2. Sententiâ seu Suffragio. 3. Proximè seu immediatè.

imputare cum animo suo, sit-ne quod decreuit Iudex æquum aut iniquum, est enim merè instrumentum, quamuis animatum.

Ecclesia non potest infligere pœnas corporales & ciuiles.

Iam hæc sunt accommodanda ad propositæ quæstionis definitionem. Ac primum id tenendum est, si spectemus pœnarum genera quatenus, vt ita dicam, materiâ distinguuntur; pœnas Ecclesiasticas non esse ex eo genere pœnarum, quibus vel corpus læditur, vel detrahitur aliquid facultatibus & dignitati in Republica. Nam huius generis pœnæ irrogandæ ius apud Magistratum est; Neque enim distinguitur iurisdictio Ecclesiastica à Politica, objecto & vltimo fine, sed mediis: quicquid enim cadit sub iurisdictionem Ecclesiæ, idipsum cadit sub iurisdictionem Politicam, sed ratio puniendi diuersa est, nam pœnæ Politicæ sunt vel quas vocant *corporales*, vel *ciuiles* &c. Huius rei hæc ratio potest reddi, quod iurisdictio Politica coactiua est eadem, huius autem generis pœnæ propriè sunt quæ cogunt. Iam verò vt ad alterum genus pœnarum transeamus: pœnarum, inquam, quibus anima afficitur, ita vt sint animæ exitiales, & earum quidem irrogandarum ius nullum habet Ecclesia, vnus enim idemque Deus est qui seruat & damnat, nam vt Philosophi dicunt contrariorum eandem esse scientiam, sic nos possumus affirmare contrariorum in hoc genere idem esse ius, nullus enim potest damnare qui non possit idem absoluere. At reliqua pœnarum genera quorum suprà meminimus, ea verò penes Ecclesiam sunt.

Neque Spirituales, quatenus sunt exitiales.

An Magistratus sequi necessariò debeat iudicium Ecclesiæ.

Sed quoniam & pœnas distinximus ratione modi, quæri potest, possit-ne Ecclesia, irrogare pœnas temporales *sententiâ*, quam diximus: verbi gratiâ, Magistratus habet ius puniendi Hæreticum pertinacem, hoc est in confesso inter nos & Pontif. Itaque si quem Ecclesia Hæreticum pertinacem iudicauit, eoque dignum morte aut carcere &c. statim Magistratus tradat afficiendum eum supplicio, quæritur an Ecclesia sententiâ suâ irrogarit pœnam corporalem. Nostra quidem hæc est sententia, licere quidem, & verò id incumbere Magistratui, consulere Ecclesiam cum agitur de hæresi, iidem tamen negamus id esse ius Ecclesiæ, vt quicquid ipsa decreuerit, eo ipso quòd decretum est ab Ecclesia, cæco animi impetu Magistratus sequi debeat, sed dispicere ipse debet quid sit decretum. Huius rei exemplum est, quod Magistratus Medicos consulunt cum quæritur an quis sit veneno extinctus, neque tamen Magistratus sequitur Medicorum sententiam obedientia quadam, sed ratione, nempe Medici eas afferunt sententiæ suæ rationes, quibus perspectis Magistratus iudicat. Aliud enim est deprehendere rationem, aliud iudicare proposita ratione; quod si minus fiat, Iudicis est pronuntiare *non liquet*: alioqui non iam Iudex, sed carnifex foret, Medicus propriè Iudex esset. Nihil enim æquè Iudici conuenit atque ratio, nihil æquè conuenit carnifici, quam vt quod à Iudice decretum est, exequatur nulla adhibita ratione. Attamen potest Ecclesia, & verò debet, Iudicem admonere officij sui, & Reges adeò qui Iudicibus præsunt, sunt enim oues Christi quanquam Reges sint & Iudices terræ. Sed hoc fit non pro imperio, quasi Ecclesia arrogaret sibi ius & authoritatem *coactiuam*, quam vocant, in Magistratum.

Simili illustratur.

Ecclesia duntaxat potest Magistratum admonere officij.

Multo minus potest concitare plebem in Magistratum.

Quod si ita se res habet, multò minus potest Ecclesia, ne consulto quidem Magistratu, plebem aduersus Magistratum concitare: illud enim multò arrogantius & insolentius fieret, nullum enim est, si volumus dicere quod res est, ius populi in Magistratum, nullo enim munere publico fungitur. Quod si verò agitur res apud Democratiam, fatemur quidem populum in illa Republica esse quodammodo Iudicem. Damnamus igitur eos omnes qui putant Ecclesiæ licere vel sententiâ populum ad rebellionem concitare: non iam moramur sitne hoc illis rebellio. Quod non facit tamen, vt non possit induci populus vt Deum legitimè colat, potest enim coli Deus legitimè, etiam non perturbato Reipublicæ statu (vnde locus fit patientiæ & martyrio) iuxta vulgatum illud,

Herodes hostis impie,
Christum venire quid times?
Non aufert mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Itaque seruitutem, rem quæ nostro iudicio videtur immanis, non sustulit Paulus, nec vetuit Christus tyranno Cæsari quod est Cæsaris dari, adeò benè conuenit spirituali libertati cum seruitute corporali.

Ecclesia neminem addicere potest æternis pœnis, neque *sententiâ*.

Superest iam disputandum, An Ecclesia vel *sententiâ*, (quid autem sit, iam explicatum est) vel *animi voto* quenquam possit afficere pœnis æternis. Nos vtrumque negamus. Prius hac ratione subnixi, quod quemadmodum non pendet ab Ecclesia quempiam facere (*sententiâ*, inquam) hæredem vitæ æternæ, ita neque pertinet ad Ecclesiam quempiam facere mortis æternæ reum. Etenim fœdus Deus pepigit cum hominibus, cuius fœderis conditionem qui præstat saluus erit, qui non præstat non erit saluus, seu Iudicium Ecclesiæ intercesserit, seu non intercesserit: Id quod suprà demonstratum est fusus, cùm doceremus Ecclesiæ sententiam sequi Dei sententiam; itaque ne sententiam quidem esse, sed denuntiationem. An verò *animi voto* Ecclesia, possit infligere pœnam æternam quæri potest. Exstant enim in Scriptura precum formulæ conceptarum ab Ecclesia aduersus hostes Ecclesiæ, quibus in precibus non modò pœnarum quæ in hac vita solent infligi, sed & æternarum mentio fit. Hîc verò adhibenda quædam distinctio est, ne quæ sunt diuersa confundantur. Nam vt hoc dicamus priori loco, aliud est agere de singulis sigillatim, & verò nominatim, aliud verò in genere de pertinacibus Ecclesiæ hostibus. Nam qui singulorum meminit & nominatim, arrogat sibi partes Dei, vt habeat pro constituto & explorato hunc aut illum esse pertinacem Ecclesiæ Dei hostem; sed qui in genere imprecatur hostibus Ecclesiæ, hoc non facit, immò verò hoc subintelligit, hostes Ecclesiæ eosdem esse obstinatos & præfractos. Deinde distinguendæ sunt preces *Propheticæ* ab *ordinariis* Ecclesiæ precibus; Nam *Propheticæ* preces à Prophetis ortæ sunt primùm, qui afflatu Spiritus Dei didicerunt, & nouerunt qui sint pertinaces, qui minus. Prius genus precum etiam hodie locum habet in Ecclesia, secundum non item, quia nec vaticiniis, vnde illæ preces proficiscuntur, neque miraculis locus est.

neque *animi voto*.

Objiciuntur Preces in Scriptura aduersus Ecclesiæ hostes conceptæ.

Resp. 1.

Resp. 2.

Obj. Sed aduersus ista (nam vt quis dicat Ecclesiam non *sententiâ* quam diximus, non *animi voto*, sed *immediatè* pœnam posse infligere seu temporariam, seu æternam, nullam subesse rationem demonstrauimus) primò hoc potest obijci, quod pœnæ temporales interdum inflictæ sunt animi voto à Prophetis & Apostolis. Nam Christus sanè nullas eiusmodi pœnas inflixit, quod est obseruandum, Maiestate quidem suâ, quoties libuit eam prodere, terruit aduersarios, at non perdidit tamen, extrinsecus, inquam, quod fecerunt Prophetæ & Apostoli.

1. Apostolos pœnas corporales inflixisse.

Resp. Sed responsio est in promptu. Id quod à Prophetis & Apostolis in hoc genere factum est, factum esse extra ordinem, Christumque hoc genere abstinuisse, vt tanto altius infigeret hominum animis μακροθυμίαν Euangelicam, patientiam & benignitatem qua vtitur erga peccatores.

Obj. 2. Deinde & hoc objici potest, quod est in Ecclesia locus excommunicationi. Excommunicatio autem videtur esse inflictio pœnæ æternæ vel *latâ sententiâ*, (quæ est sententia Pontificiorum) vel saltem *animi voto*. Cuius rei hæc ratio solet adferri, quod in Ecclesia Judaica erant tres Excommunicationis species, prima vocabatur נדוי, secunda חרם, tertia שמתא. Erat verò נדוי *separatio*, nam נדה in Pihel est *separare, expellere*, חרם verò *Anathema* verti solet; שמתא autem idipsum est quod *Maranatha*. Atque inter has Excommunicationis species erat discrimen, quamuis Rabbini omnes has excommunicationis species solent vocare חרמות. Atque inde dicunt *Herem* dici quod pertingat ad bis centum quadraginta octo corporis humani membra (tot enim definierunt esse corporis membra) quia חרם compositum est ex ח quod significat octonarium, ex ר quod notat ducenta, & ם quod notat quadraginta. Sed omnia ista friuola sunt.

Excommunicatio quæ in Ecclesia vsurpari solet. Excommunicatio apud Iudæos triplex.

Quid sit נדוי & חרם. Nam *Niddui* quidem separatio est, sed quæ conuenit leprosis & contaminatis secundùm Legem ceremonialem Mosis, *Herem* verò eorum est qui sunt obnoxij morti iuxta Mosis Legem Politicam. Quid ergo est *Schammata*? Etiam sunt ex eo grege qui *Schammatha* dicunt esse שם מותה vel, vt illi loquuntur, שם מיתה *ibi mors*. Sed si ita se res habet, nulla erit distinctio inter *Herem* & *Schammatha*. Nostra igitur hæc est sententia, *Niddui* erat eorum qui Lege cæremoniali erant polluti: *Herem* eorum qui eam culpam contraxerunt, quæ non nisi morte lui posset.

quid שמתא. Sed quid erit *Schammatha*? Certè *Schammatha* (qua in sententia sunt etiam prisci Judæi) ortum est à שם אתא *Deus venit*, quod & מרן אתא *Maranatha* dicitur, est autem מרן אתא *Dominus noster venit*. Certè Apostolus hoc nomine non est vsus; nomine, inquam, *Schammatha*, sed formulâ *Maranatha*, dum voluit rem prorsus execrandam designare, *Si quis non amet Iesum Christum, sit Anathema Maranatha*: vbi *Maranatha* adjicitur ad significandum extremum Anathema. Porrò *Schammatha* est vltimum Anathema, itaque *Schammatha* & *Maranatha* idem erunt, quamuis ratio Etymologiæ videtur hîc difficilis & obscura. Nam *Schammatha* nomen est in quo obscura admodum vestigia sunt illius quod diximus שם אתא, quod tamen non videbitur mirum, si consideremus *Schammatha* non esse tam antiquum quàm *Maranatha*. Nam in Paraph. Cant. Cantic. occurrit quidem hæc vox, sed hæc Paraphrasis non est antiqua: haud dubiè si Apostoli ætate fuisset vsurpata, quando Apostolus gaudet vocabulis vsitatis in Ecclesia, eo fuisset vsus.

quid *Maranatha*. Sed iam videamus quid sit illud *Maranatha*, quod post *Schammatha* dictum est. Explicauimus iam duos gradus Excommunicationis communis, *Niddui* & *Herem*; & *Niddui* diximus esse separationem iuxta legem cæremonialem, *Herem* cùm quis morte afficiebatur, *deuotus*, κάθεμα. Quid superest igitur quam vt *Maranatha* sit excommunicatio quam sequebatur mors æterna. Sic erunt hîc tres gradus, 1. Segregatio cæremonialis, 2. Segregatio seu potius exemptio ex vita humana, 3. Segregatio à cœtu piorum in vita futura. Quod tamen à nobis dictum sit, non ita atque si affirmaremus rem ita se habere. Nam *Niddui* certè mentio fit in lege, & *Herem* itidem, cæterum *Schammatha* & *Maranatha* nulla fit mentio in Lege. Quare credibile est, Judæos tum cùm non liceret vti *Herem*, introduxisse *Schammatha* & *Maranatha*, tanquam aliquid grauius, vt quando deest ratio vlciscendi, solent homines confugere ad diras & execrationes: id quod etiam locum habet in iis qui vitio laborant (quod speciem virtutis habet) μισοπονηρίας, quod vitium non cadit nisi in eos qui sunt bonæ mentis, tametsi non seruent modum. Nostram autem conjecturam hoc iuuat quod *Maranatha*, initium est Prophetiæ Enoch, de qua in Epistola Iudæ: *Dominus venit* est *Maranatha*, denunciatio est extremi Iudicij.

An Ecclesiæ liceat diris eiusmodi deuouere aliquem. Iam quæritur sit ne penes Ecclesiam huiusmodi diris vti. Nam in Ecclesia Christiana est quod habet analogiam cum *Niddui*; in Republica, (non iam dicimus in Ecclesia) si Magistratus faciat officium (Christianus, inquam, Magistratus) etiam est *Herem*, sed an sit *Maranatha* & *Schammatha* hoc demum est quod quæritur.

Negatur. Sanè non videtur: nam, vt inde ordiamur, in Veteri Testamento est *Niddui* & *Herem*, nullum *Maranatha*, in Nouo Testamento (quod Veteri sanè mitius est) mentio quidem fit *Maranatha* ab Apostolo:

Objicitur *Maranatha* Apostoli. sed primò hoc est obseruandum, *Maranatha* Apostoli non denuntiari vllis nominatim hominibus, sed in genere pertinacibus osoribus Christi, id quod suprà docuimus Ecclesiæ licere, ea adhibita prudentia quàm suprà demonstrauimus. Deinde & hoc obseruandum, Apostolos fuisse etiam præditos Spiritu Prophetico. Itaque & illis datum est scire, si non omnes, saltem quosdam ex eo genere, qui ita peccant vt nulla sit spes resipiscentiæ. Itaque quidni illis licuerit adhibuisse *Maranatha* in hac specie?

3. Tertiò, quod non est obseruandum oscitanter, solet Christus, solent Apostoli accommodare sententiam ad captum auditoris, & rem quæ maximè refugienda est vocabulis vsitatis designare, quanquam non semper ad amussim (si habeatur rei Grammaticæ ratio) quadret significatio vocabuli: verbi gratiâ, *sit tibi* (inquit Christus) *tanquam Ethnicus & Publicanus* (quam locutionem suprà explicauimus) non probauit hac locutione Christus eos qui Ethnicum & Publicanum putarunt nihil aliud esse, quàm *esse alienum à vera religione*, sed quia vulgo his vocabulis designabantur homines execrabiles, & in quibus ad sanam mentem reuocandis frustra labores, inde factum est vt sic loquutus sit Chri-

ſit Chriſtus. Nam quando cum hominibus inſanis nobis res eſt, & apertè impietatem profeſſis, ratio & bona mens ſuadet, vt ne laterem lauemus, aut indignemur ſi vulpes ingenium non exuit. Quidni & Paulus ſic fuerit loquutus, vt ſit hæc verborum eius ſententia, *Quam miſera eorum ſors eſt & refugienda, quibus Maranatha denuntiatum eſt, tam vobis videatur miſera eorum conditio qui Chriſtum non amant*, vt ne putemus cum quibuſdam zelotis, excitari hominum animos ad odium. Cæterùm facile eſt hinc colligere, quandoquidem ſpiritus propheticus deſiit in Ecclesia, niſi forte (quod tamen rarum admodum eſt, &, ſi contingat, opus habet diligenti conſideratione) obtingat extra ordinem, nullum eſſe locum, cum agitur de poteſtate Eccleſiæ ordinaria, ne animi quidem voto, & precibus apud Deum vlli denunciandi Maranatha; vlli, inquam, nominatim, niſi propoſitâ pœnitentiæ conditione, & fidei in Chriſtum: quæ ratio ſi adhibeatur, eſt quidem denunciatio in ſpecie minax & terrifica, ſed propius conſiderata, plena conſolationis.

Etiam illud objici poteſt, aliquando contigiſſe vt Eccleſia, non iam Magiſtratus, ſed viri Eccleſiaſtici, etiam temporibus Noui Teſtamenti affecerint peccatores *Cherem*, hoc eſt, morte mulcterint, cuius rei exemplum eſt mors Ananię & Sapphirę. Cur non poſſit Eccleſia idipſum, hodieque, ſi cum pertinaci nobis res ſit, & Sophiſta? Facilis reſponſio eſt. Faciat ſanè hodieque Eccleſia modò poſſit, at non poteſt hoc facere quod potuit Petrus. Jam neque eſt prudentis, neque verecundi hominis, ſed imprudentis aggredi quod nouit ſe non poſſe preſtare. Cæterùm nondum ſoluta eſt quæſtio, nam quæri poteſt, vnde id factum ſit, de quo ſi conſtiterit, ſatis liquebit non licere idipſum Eccleſiæ. Primò, id factum eſt ideò, quod Apoſtoli non modò vt docerent, ſed etiam vt doctrinam miraculis comprobarent conſtituti fuerunt. Tum etiam & illud, quod qui Apoſtolis à Chriſto miſsis immediatè, & non ſine ſingulari teſtimonio atque approbatione etiam externa, reſiſtunt, multò grauius & maiori dedecore Euangelij reſiſtunt, quàm qui reſiſtunt ordinariis Miniſtris. Nam certè Chriſtus non eſt ſic vitus contemptum Euangelij quùm ageret in terris, quia nondum venerat tempus quo debuit palam innoteſcere omnibus gloria Euangelij. Attamen huius rei quædam veluti edidit præludia, nam inſtitores flagris eiecit è templo. At temporibus Apoſtolicis opus fuit hac diſciplina, quæ tamen non eſt latè graſſata; Nam vnius exemplum quum eſt notiſsimum poteſt plurimum. Hæc non eſt hodie Eccleſiæ conditio. Denique Apoſtoli non ſummiſerunt ſicarios, nec armarunt ſeruos & ancillas Ananiæ & Sapphiræ in herum ſuum: Petrus ſola fide in Chriſtum, quæ *miraculorum* dicitur; hoc patrauit. Qui hoc ius ſibi arrogant hodie, quique ſe tuentur hoc exemplo ſummittunt ſicarios, veneficos, excitant in Republica tumultus, ſeditiones, quæ ſingulari Dei prouidentia ſemper recidunt in ipſorum caput, quod non contigit Petro. Sic abſolutum eſt caput *De poteſtate Eccleſiæ*, de qua multò plura dici potuiſſent, hæc qualiacumque & quantulacumque tamen ſi attentius conſiderentur, Deo iuuante, atque vti ſperamus, ſufficient. Nam quæ argumenta Pontificij ad ſententiam ſuam tuendam ſolent afferre, ſuprà à nobis confutata ſunt.

[Margin: ...denunciandi vlli ... Anania & Saphira ...]
[Margin: Objicitur ... Petri ... ſum Ananiam & Sapphiram interficien... Reſp.]
[Margin: Cur id tum Apoſtolis licuerit, hodie idem non liceat. Ratio 1.]
[Margin: 2.]
[Margin: 3.]

DE REGIMINE *Eccleſiæ*.

QVod ſit Eccleſiæ regimen vt habeamus definitum, ante omnia tenendum hoc imprimis eſt, Eccleſiæ regimen propriè, atque, vt loquuntur, adæquatè habere omnium & ſingulorum conſcientiam pro objecto: qua in re differt à regimine politico, quod regimen politicum, etſi conſcientiam habeat pro objecto (nam omnis ordinis à Deo conſtituti finis eſt ſalus hominum, & Dei gloria) tamen regiminis politici hoc non eſt proprium, & adæquatum objectum. Quod duplici ratione oſtendi poteſt, quarum prior hæc eſt, quod regimen politicum verſetur etiam in iis regendis, qui ſunt à religione vera prorſus alieni. Etenim ſi proprium & adæquatum objectum politici regiminis eſſet conſcientia, ejiciendi Republica & regno forent continuò, neque agnoſcendi pro ciuibus, qui diuerſum à principe ſentiunt de religione. At hoc non ſemper fit, neque verò fieri debet, niſi tùm cùm poteſt fieri legitimè; poterit autem tum fieri legitimè, cùm factum non ſequitur occaſus atque interitus totius Reipubl. dummodo qui ejiciuntur verè ſint Hæretici & Schiſmatici. Sed hîc interdum accidere ſolet, quod vlceribus quæ Medici κακοήθη vocant: nam ſi vlcus eam partem corporis occupauit, vnde recidi non poteſt niſi totum corpus pereat, Chirurgus non admouet hîc manum, ne carnifex ſit potius quàm Medicus. Sic etiamſi conſtet de Hæreſi, & quidem pertinaci, deque Schiſmate, non tenetur tamen Magiſtratus in hoc genus hominum graſſari, ſi quidem ſequitur totius Reipublicæ adeoque Eccleſiæ interitus. At regiminis Eccleſiaſtici non eſt eadem conditio. Nam regni & ciuitatis ſubditi & ciues eſſe poſſunt, etiam qui non benè ſentiunt de religione, quemadmodum legitimus Rex aut Magiſtratus eſſe poteſt, cuique adeò debetur obedientia, qui peſsimè ſentit de religione, verùm Eccleſia, quæ Dei Ciuitas eſt, non poteſt pro ciuibus agnoſcere aut ſubditis eos qui ne quidem iudicio charitatis ad ciuitatem & regnum Dei pertinent. Neque pugnat quod objicitur, præſcriptum olim Iſraelitis vt integras delerent ciuitates, ſiquidem diſcederent à cultu diuini numinis, nam ſemper id ſubintelligitur fieri id potuiſſe commodè, alioqui Zorobabelis erat impetum facere in Samaritanos, & principum Iſraelis, qui Zorobabelem ſunt ſecuti, quod neque fecerunt, neque ab iis minus factum crimini datum eſt. Commodè hoc autem fieri poteſt, vel ſi Hæreticorum & Schiſmaticorum numerus tam eſt exiguus, vt ſuperari nullo negotio poſsit; Deinde ſi adſit Spiritus quem docendi cauſſa *Propheticum* vocamus. At hic quærat aliquis, cur non idem Eccleſiæ liceat? nam par videtur eſſe ratio. Reſponſio eſt in promptu, ſtat Reſpub. & Eccleſia in Repub. modò colatur ſocietas ciuilis, nulla eiuſmodi ſocietas eſt in Eccleſia, ſed ſacra tantùm. Altera ratio, quod in Republica dum Magiſtratus procurat ſalutem hominum, & Dei gloriam, propriè hoc facit per

[Margin: 1. Proprium Eccleſiaſtici regiminis objectum.]
[Margin: differt ab objecto regiminis Politici.]
[Margin: Quod duplici oſtenditur ratione. 1.]
[Margin: An & quomodo Hæretici ſint è Repub. ejiciendi.]
[Margin: Objectio pro exterminandis Hæreticis. Reſ.]
[Margin: Cur non tam Eccleſia quam Reſpub. ferat diſſentientes in Religione. Reſp. Ratio 2.]

Ministros Euangelij, hoc est, vtitur eorum operâ. Quemadmodum igitur in procuranda corporis sanitate etiam Magistratus operam ponit, sed non propriè, vtitur enim Medicorum operâ, dat operam vt sint periti Medici; Itaque sanitatis corporis regimen propriè penes Medicos est, attamen etiam penes Magistratum est, sed diuersa ratione.

II. Regimen Ecclesiae est externum.

Secundò obseruandum est Regimen Ecclesiæ esse externum ratione mediorum: in quo differt à regimine Christi & Spiritus Christi, nam objecto sanè non differt. Externum autem regimen est illud, quo per externa media contenditur ad finem. Hæc autem media externa sunt, *verbi prædicatio, administratio Sacramentorum*, & quam vocant, *Disciplina Ecclesiastica*. In quo genere est adhibenda distinctio, sed à nobis suprà explicata, cùm ageremus de Ecclesiæ potestate in præscribendo: quâ distinctione adhibitâ facilè intelligemus Ecclesiam, si propriè loqui volumus, nullum habere ius in conscientias hominum, nam impropriè loquendo certè ius habet: quod ius quod sit, & quantum suprà demonstratum est.

Pag. ... & seqq.

III. Non est coactiuum.

Tertiò & hoc obseruandum est, Ecclesiæ regimen minimè esse coactiuum. Ratio est, quia habet pro proprio & adæquato objecto conscientiam, quæ cogi non potest. Itaque Magistratus est propriè qui studet quieti & tranquillitati publicæ, quatenus ea facit tranquillitas vt Deus, vel saltem à paucissimis ritè colatur, quod grassante ferri licentiâ fortassè minus liceret: at Ecclesia dat operam, non vt quamplurimos, sed vt quàm optimos habeat ciues.

An sit Monarchicum.

Cum igitur teneamus quæ sit Ecclesiastici regiminis ratio, facilè percipi poterit, sitne hoc regimen penes vnum, an penes plures. Atque vt vocabulis technicis rem explicemus, sit ne hoc regimen *Monarchicum*, an *Aristocraticum*: nam *Democraticum* esse nemo est, nisi mentis inops, qui contendat cuius generis homines phanatici pauci patrum memoriâ, Dei beneficio paucissimi nostrâ exstant. Igitur imprimis repetendum est & recolendum, non iam hîc agi de interno regimine Ecclesiæ, Nam id sanè *Monarchicum* debet esse, & non potest non esse; nulli enim tribui debet ius regendi hominum conscientiam, præterquam ei qui idem sapientissimus & potentissimus est. Porrò is vnus est Dominus noster Iesus Christus. Neque verò potest tribui hoc ius vlli præter eum solum, quando, vt quis tanto munere fungatur, opus est iis dotibus quæ sunt infinitæ. Omnis hæc disputatio instituitur de regimine externo, quo in regimine non requiritur vel infinita sapientia, vel infinita potentia, itaque potest esse penes hominem.

Ecclesiæ regimen internum. Vni Christo competit.

Pontificiorum de nobis querela duplex.

Atque hîc solent Pontificij nobiscum expostulare. Nam primò, negant se tribuere Pontifici Romano ius regiminis interni, quin aiunt id regimen esse solius Christi: tum queruntur sibi fieri magnam iniuriam, dum illis affingitur hæc sententia, quæ statuit duo capita in Ecclesia: negant enim hoc à se fieri, cùm Pontifex Romanus respectu Christi minimè sit caput, sed ipse membrum sit Ecclesiæ cum reliquis, caput autem sit duntaxat respectu aliorum, idque caput externum *Ministeriale*. Sed immeritò nobiscum expostulant, nam nos quidem agnoscimus ingenuè, eos non tribuere Pontifici Romano *potentiam*, quam dicunt in Scholis, hoc est, vim & facultatem quâ possit flectere hominum animos: attamen tribuunt Pontifici Romano *potestatem* internam, hoc est, ius præscribendi leges quibus conscientia teneatur. Ita etiamsi *potentiam*, quam non possunt tribuere Pontifici Romano, illi adimunt, *potestatem* tamen & ius illi tribuunt, atque ita Pontificem Romanum alterum Christum faciunt, nam Christi solius hoc est proprium, vt sit Ecclesiæ suæ Legislator. Deinde nos quidem non negamus, posse fieri vt vnus idemque caput sit & minister, modò in diuerso genere id contingat, vt in regno, Rex supremum caput est, at Prouinciarum præsides capita sunt, singuli singularum Prouinciarum, sed in diuerso genere, nam Rex caput est supremum, isti ita capita sunt vt sint Ministri. At in hac caussa hoc non potest habere locum, nam primò quod ad internum regimen attinet, fatentur Christum non habere vicarium potentiæ suæ, quæ incommunicabilis est, vt potè infinita, potestatem tamen Christi volunt esse communicabilem. Absurdissimè, cùm potestas & ius infinitum non possit à potentia infinita separari & seiungi. Sed in exemplo quo vtuntur Regis & Præsidum, diuersa omninò ratio est: Nam primò Rex cum sit homo, non potest quidquam nisi per ministros. Itaque *potentia* Regis pendet à potentia eorum quorum ministerio vtitur, vt si sint viri fortes & magno præditi animo, si sint sapientes, si magna authoritate, si instructi copiis, hoc demum Regis robur est. Itaque partem quandam potestatis suæ cum his communicat: nam in plerisque omnibus caussis nulla datur ad Regem prouocatio. Cæterùm etiamsi daremus regimen Ecclesiæ penes plures esse, si tamen eiusmodi regimen intelligatur, quod ratione potestatis sit internum, res ferè eodem redibit: erit Antichristianismus, seu vni seu pluribus tribuatur, sed Antichristianismus propriè dictus cùm vni tribuitur, sic enim fit vt quod Christo qua Christus est, & Rex Ecclesiæ suæ, propriè conuenit, id homini peccatori tribuatur: in quo situs est Antichristianismus. Etsi enim multi sunt exorti hæretici, multi qui blasphemarint nomen Dei, tamen nullus est præter Antichristum, qui Christi partes ausus sit sibi vindicare. Neque speciem habet tantam, vt possit huic tyrannidi colorem aliquem conciliare, quod dicunt Pontif. Romanum Christi esse Vicarium. Nam & in Regnis, multis exemplis hoc potest demonstrari, Regiam maiestatem, cum imminuitur, minui hoc prætextu, nam est qui se dicit *Regis vicarium*, quique quæ arbitrio facit, ea regio nomine obumbrat, vnde oriuntur euersiones regnorum. Deinde, est quoddam regiminis genus quod vicariatum omnem (vt ita dicam) excludit: vt ne discedamus ab exemplo quo nuper sumus vsi, Rex, nisi sit infans, aut mente captus, aut absit domo, neque debet neque potest admittere vllum vniuersalem, vt ita dicam, regni sui vicarium. Præsertim si, (vt in hac caussa) arroget sibi authoritatem quandam αὐτοδίκαιον, quæ tanta sit vt non possit à subditis trahi in ius. Cum igitur ita se res habeat, certè Christus vicarium non potest admittere. Tum etiam, est quoddam genus vnionis & coniunctionis quod vicariatum omnem excludit, verbi gratiâ, patris & filij, mariti & vxoris, nam hîc certè vicariatus non potest habere locum, nam nec filius vllum potest

Sed iniqua vtraque, & quidem I.

tum & 2.

Christus nullum habet potentiæ, neque potestatis Vicarium. I.

nec quadrat Regis simile.

2. Obtentu Vicariatûs Christus à regimine depellitur.

3. Regimen eiusmodi est vt vicarium non patiatur.

potest agnoscere patris vicarium, nec mariti vxor.

An Ecclesiæ externum Regimen sit Monarchicũ.

Sed tamen si hîc intelligatur regimen externum Ecclesiæ, quod à nobis est suprà definitum, quæstio non est omninò contemnenda, vtrum debeat esse Monarchicum, an verò Aristocraticum. Dixi non esse contemnendam quæstionem, quia sunt dubitandi quædam rationes. Deinde etiam, quia sic confusio quædam fortasse inuehitur in Ecclesiam, & perturbatio rerum omnium, nisi hæc potestas penes vnum sit: at non videtur statim inuehi in Ecclesiam Antichristianismus, quia potestas de qua agitur, non est interna in hominum conscientias, sed externa, sita in iis quæ eò pertinent, vt verbum Dei prædicetur, Sacramenta administrentur, morum censura peragatur ordine quodam, & via quæ conuenientissima sit. Et sunt quidem dubitandi rationes,

Rationes pro parte affirmante.

1. nam certissimum est in Ecclesia Judaica, quæ à Deo fuit instituta, regiminis rationem eiusmodi fuisse vt esset Pontifex Maximus. *2.* Tum ratio ipsa videtur suadere, nullum posse cœtum, nullam hominum societatem coire & constare, nisi sit vnus, cuius interuentu, tanquam fibula quadam, partes illæ tam variæ, tamque inter se dissentientes continerantur. Cuius rei exemplum quotidianum habemus incurrens in oculos in cœtibus Ecclesiasticis, nam vnum semper oportet eligi, qui præsit cœtui, & videtur Deus hoc pacto impressisse vnitatis suæ imaginem rebus, quod etsi multæ sint, tamen consistere nequeant nisi vnitæ, & ea quidem lege, vt sit vnum quod emineat, vnde illa dicta, εἷς κοίρανος ἔστω *vnus Rex, vna Lex, vnus Pastor.* *3.* Quod adeò ipsa experientia videtur confirmari, nullum enim est aduersus schismata, & contentiones quæ solent oriri, præsentius remedium, quàm si pendeant omnes ab vnius arbitrio: nam multi quidem inter se dissentiunt, vnus verò non dissentit à semetipso, vnde fit vt si multa in vno conueniant, & conueniant inter se. Sic in familia pax est & tranquillitas, si familia conueniat cum patrefamilias, quamuis sint in familia aduersa studia, tamen referuntur ad vnius arbitrium.

Partis negantis, Ratio, Optãdum quidem esset Ecclesiam vnius regi arbitrio,

Sed hæc omnia etsi specie quadam veritatis arrideant: tamen nihil aliud sunt quam dicta insidiosè ad simplices decipiendos. Quod vt liqueat, hoc est constituendum ante oculos animi, quid possit in hoc genere fieri; nam profectò (neque enim quis dubitet, nisi fortè mentis inops) optandum esset vt vnius operâ Ecclesiæ regimen posset constare. Nam, vt loquuntur, cæteris paribus, quò paucioribus mediis opus est, eo facilius peruenitur ad finem; vt via quæ breuissima est, si sit æquè expedita, ineunda est.

si id fieri commodè posset, at fieri id nullo modo potest.

Itaque si fieri posset, vt esset vllus qui posset suis humeris sustinere tantam molem, profectò causa dici non posset, cur Ecclesiæ regimen in terris non debeat esse Monarchicum, regimen, inquam, externum. Sed fieri hoc nullo modo potest, quis enim tantum onus, nisi sit vasti animi & furiosi, aut verò prophani & impij, velit suscipere.

Obj. à Simili. Resp. 1.

At, inquiunt, cùm Imperator (nihil enim repugnat) aut Rex possit dici totius orbis, cur non pari ratione quis possit omnium Ecclesiarum Episcopus? Possemus quidem sic respondere, nunquam contigisse vt esset vnus totius mundi Dominus, ne florente quidem Imperio Romano, quod latissimè patuit: idque contigisse singulari quadam prouidentia. Nam solet quidem Deus res humanas ab infimo loco in supremum, subuehere, hac tamen lege, vt supremum hoc fastigium intuenti non sit supremum. Itaque ab Orbe condito ad hunc vsque diem fuerunt semper, & erunt plures Orbis Domini. *2.* Attamen (tanta est bonæ causæ fiducia) ne sic quidem dignamur respondere. Faciamus igitur vnicum fuisse, aut esse posse Orbis Dominum (totius, inquam, Orbis) ratio Ecclesiæ prohibet quominus id fiat in Ecclesia. Quod duplici ratione potest ostendi, quarum prior hæc est.

Similis allati dissimilitudo duplex,

1. Ecclesiæ regimen non est coactiuum: Itaque non cogit minis, aut legibus eorum qui præsunt, nec adiguntur illius vi & potentiâ ad parendum: sic enim non conscientiam, sed corpus subigeret quod Ecclesia non postulat. Deinde si quis sit Rex qui multitudine negotiorum obrutus, distractus & distentus tot curis non facit quod exigit Reipublicæ tranquillitas, & otium, non est continuò dejiciendus de illa dignitate, duabus de causis. Nam primò nihil inde redit quod sit conscientiæ damnosum, si Respublica minus rectè administretur, quia (etiam fatentibus Aduersariis) politicum regimen non pertingit ad conscientiam. *2.* Deinde huc & illud accedit, quod bonus Rex (siquidem id fieri possit sine grauiori incommodo quàm quod studet euitare) in hac specie tenetur aliquem adsciscere in communionem imperij. Sed quæ rerum sæcularium conditio est, aut vix aut nunquam potest id fieri sine grauiori incommodo. Sed in Ecclesia neutra harum rationum locum habet. Itaque non est par ratio.

Resp. ad contraria argumenta. ad 1. Resp. 1.

Jam procliue erit respondere ad ea quæ allata sunt. Nam quod dicunt in Ecclesia Judaica fuisse summum Pontif. Primò in eo nobis imponunt quod vocant eum *Pontificem maximum.* Nam Scriptura sanè vocat eum *magnum Pontificem,* cuius in consacerdotes, vt ita loquar, nullum fuit imperium, pro imperio nihil potuit in eos, tantùm iis omnibus præibat, & certa quædam munia obibat quæ reliquis obire fuit nefas, nihil potuit decernere in collegas suos pro arbitrio.

Ecclesiæ Iudaicæ regimen fuit Aristocraticum.

Itaque regimen illud non erat Monarchicum, sed Aristocraticum, quale regimen est Venetæ Reipublicæ, in quâ tamen Dux est, & Princeps Reipublicæ qui vocatur: nam, vt sæpe iam monuimus, nullum potest esse collegium, nulla societas, vbi vnitati non sit locus. Porrò oportet huius vnitatis repræsentamen esse in vno, nam etiam in Aristocratiis, quamuis hic vnus subinde mutetur, manet tamen in vno aliquo, etsi non in vno eodemque. In quibusdam verò Aristocratiis etiam in vno eodemque semper manet, vt in Veneta Republica is quem *Ducem* vocant, hoc primum.

Resp. 2. Non est eadem Christianæ & Iudaicæ Ecclesiæ ratio, 1. respectu amplitudinis.

Deinde respondetur, non eadem est Christianæ Ecclesiæ ratio quæ Judaicæ fuit, neque si amplitudinem, neque si rationem cultus, & religionis spectes. Nam si Ecclesia Christiana nullius regionis finibus continetur, sed toto terrarum orbe disseminata & dispersa est, non colligitur ex singulari aliquo populo, sed ex omnibus omnino gentibus. Itaque nulla fuit inuidia quempiam vnum præfuisse reliquis in Ecclesia Judaica, eo modo qui à nobis explicatus est, at odiosum foret admodum, & quidem meritò odiosum, vnus aliquis toti præfuerit Ecclesiæ Christianæ, quæ nullis neque loci finibus, neque,

vt ita loquar, populi continetur. Tum & ratio cultus discrimen hic fecit. Nam cultus Dei Legalis ille vni loco fuit veluti alligatus, nempe ei loco vbi erat Arca fœderis, quicumque tandem fuerit, deinde Hierosolymis, postquam arca constituta fuit Hierosolymis. Itaque non modo sequi ebatur, sed etiam necessarium fuit, vt vnus esset qui tam operoso cultui præesset. At cultus Ecclesiæ Christianæ diuersa ratio est. Nam quacumque patet cœlum, modò prædicetur Euangelium, & administrentur Sacramenta, nostræ sunt Hierosolymæ. Quæ res, vt hoc respondeamus tertiò, fecit locum typo, nam summus Sacerdos typus erat & figura Christi. Itaque non debet quod ille fuit in exemplum trahi, quando typorum in Ecclesia Christiana nullus vsus est.

Quod verò afferunt secundo loco, nullum cœtum posse coire nisi sint qui præsint. Verum quidem id est, sed nihil facit ad rem, quia nunquam coit in vnum tota Ecclesia nisi in cœlo. Cæterum particulares Ecclesiæ coëunt in terris, & semper vno p. coëunte, & cùm Pastores coëunt, & vnus item præest. Jam verò, An inter Pastores vnus possit eminere, non est hic disputandi locus, quia iam quæritur duntaxat, *An omnibus omninò Pastoribus vnus debeat præesse*, satis est ostendisse hac ratione non probari Monarchicum regimen.

Quod verò contendunt vltimo, sic componi Schismata, apertè negant quod res est. Certè si quis vnus esse posset eâ animi sapientiâ præditus, eâ cognitione rerum quæ geruntur, aliquid fortasse dicerent; sed eiusmodi nullus est mortalium. Hoc tamen fortasse in singulis Ecclesiis, addamus item & Diœcesibus, possit habere locum: sed alia ratio est partium, alia totius simul sumpti. Non enim qui tenus progreditur, continuò progreditur vltrà, est enim modus in rebus, sunt certi fines intra quos consistere fas est, vltra quos progredi nefas est. Sic potest graue onus humeris sustinere, qui non possit idem Ætnam montem aut Atlantem ferre. Cætera petantur ex iis quæ disputabamus cùm explicaremus locum illum, *Tu es Petrus*, nam iam nobis est disputandum de Schismate.

DE SCHISMATE.

Disputationi de Ecclesia velut appendicem subjiciemus disputationem de Schismate; est enim ea quæstio nobilis imprimis. Nam Schisma Ecclesiæ morbus est & veluti vulnus, cui iam inde ab Apostolorum temporibus fuit obnoxia, etsi non semper laborarit Schismate. Cuius rei hæc est caussa, quod pax & tranquillitas Ecclesiæ certa, quandiu militat, nulla est: Deinde non est is modus, nec ea efficacia Spiritus in hac vita, vt omnino compescat, vel (vt significantius dicam) componat, denique (vt loquitur Scriptura) mortificet vitiosos animi affectus. Vno verbo, vt nihil æquè arguit ingenium Spiritus Christi, ac studium conseruandæ societatis & vnionis, in quo charitas elucet, sic etiam nullum est euidentius argumentum prauitatis ingenij humani (vnde & inter carnis opera *contentiones* nominantur) quàm tumultuandi & rixandi studium. Itaque ad mores & vitæ studia instituenda planè necessaria nobis est hæc cognitio, vt promptum sit quò vergat animus: An studia nostra, quibus sæpe zelum prætexímus & gloriam Dei, sint Schismaticorum hominum, an verò eorum qui rectà contendunt ad metam: Metam, inquam, quæ nobis in Christo est proposita, vt simus in Christo & inter nos vnum. Deinde, solemne est audire voces exprobrantium Schisma nobis qui discessimus ab Ecclesia Romana, nec potest aptè responderi ad ea quæ objiciuntur, adeò sunt speciosa, nisi teneamus quid sit Schisma. Quod si compertum fuerit, atque ita compertum vt explicatum sit, facile erit occurrere conquerentibus nos esse authores Schismatis in Ecclesia. Igitur vt hæc disputatio via quadam & ordine instituatur, peragaturque, videtur primò disputandum de nomine Schismatis, tum de re, quid sit, deinde de Schismatum speciebus seu modis (nam fortè, si volumus propriè loqui, vix sunt Schismatum *species*, quamquam *modi* sint Schismatis) denique hæc omnia eruit accommodanda ad eam quæstionem definiendam quâ vrgemur, dum exigitur à nobis ratio, cur secessionem fecimus ab Ecclesia Romana: præsertim cùm illud adjicitur, nouum esse exemplum, & maiorum nostrorum memoriâ inauditum, vt vel qui ante hæc tempora vixerunt pro sacrilegis & hæreticis sint habendi, aut nos nullâ necessaria de caussa tantos excitasse tumultus. Sunt enim hodieque quamplurimi quibus & tyrannis Pontificia, & crassa idolotatria (quæ illa tyrannide, quo iure quaue iniuria, obtruditur) mirum in modum displicet, qui tamen dictitant, fortasse etiam arbitrantur, se Religione quadam teneri quominus secessionem faciant, nempe veriti ne faciant Schisma.

Vt igitur ab eo quod primò proposui ordiar, ab explicatione nominis (cuius generis definitionem Græci vocant ὀνοματώδη, quæ ducit ad rei ipsius cognitionem) σχίσμα Latinè est *scissura*. Porrò scissura est cùm partes inter se cohærentes vel dissiliunt, vel diuelluntur vi quadam: Vnde metaphorâ plenâ luminis & venustatis traductum est hoc nomen ad eam discessionem significandam quæ fit in hominum societate, non sine aliqua vi. Nam in omni Schismate aliquid est violentum, hoc est, vt in natura præter ordinem, sic etiam in societate præter ius & fas: nam si quando heterogenearum, vt ita loquar, partium discessio quædam fiat, discessio illa non est discissio, non est Schisma: sed cùm id contingit partibus quæ homogeneæ videbantur, reuera Schisma est. Vnde linguâ Latinâ in ciuili dissensione *partes* dicuntur, vnde illæ loquutiones, *bonarum partium*, & *partium studio*, quibus locutionibus notatur semper diuisio & Schisma. Etiam hæ voces, *seditio* & *secessio*, nihil aliud notant quàm Schisma quoddam ciuile: nam *seditio* est cùm itur seorsum, & *secessio* est cum seorsum conceditur, vbi semper vnionis significatio includitur. Itaque in omni discessione disceditur quidem, sed & coitur in vnum. Vnde factum est vt *conspiratio* eadem *seditio* fit. Itaque & conspiratio קשר linguâ Hebræâ, hoc est, *colligatio*: Et Hoseæ cap. 4. quo loco Propheta dicit, *Dei populum se segregasse cum meretricibus*, notat verò idololatriam, non dubitauit Jonathan vocem יפרדו Hebraicam vertere בִּמְתִיעַן, hoc est *consociarunt se*. Vnde factum est etiam, vt Hæreticos Hebræi dixerint מינים hoc est *species*, qui

2. ratione cultus.

Resp. 3.

ad 2. Resp.

Resp. ad 3.

Schisma est Ecclesiæ morbus.

quo sæpe laborat.

Cur de Schismate

sit dis... tantum ... tatio.

2.

Ordo disputationis.

Schismatis nomen.

metaphorice ad animum translatum.

ad dissensiones ciuiles notandas.

quæ & conspiratione... conspiratio dicitur.

quâ voce simul vnio & separatio significatur: & כתים seu כתות, hoc est, *societas & cœtus*, etiam *sectas* vocant, non semper eâ significatione quæ odiosa sit, nam quod in Ecclesia Latina & Græca dicere solebant *Ordines* & *Choros Angelorum*, illud כתות מלאכים dicerent. Certè quod Genes. 32.2. dicitur *Castra Angelorum* מחנה אלהים Chaldæus Paraphrastes vertit משיתא *turmas*, quia turmarum hæc est ratio vt sint vnitæ simul & diuisæ. כת porrò est à כתת *contundere & tundendo comminuere*. In Nouo Testamento autem σχίσμα emphaticè, quod est קרע Hebraicè, quasi diceres *dilacerationem*, nam קרע veluti oppositum est τῷ רקע. Et certè propriè σχίσμα *scissura* est eiusmodi rei dilaceratio.

Schismatis vox.

Cæterum nomen hoc apud Prophanos authores neque in Veteri Testamento quidem existit, at verbum tamen vnde deriuatur occurrit, in seditione populus dicitur σχίζεσθαι, & linguâ latinâ *scindi*, vnde illud Poëtæ, *Scinditur incertum studia in contraria vulgus: Scinditur*, hoc est, σχίζεται, vbi semper intelligitur aliquid ἄτακτον *inordinatum*, tumultu... Sed hîc idipsum contingit quod plerisque vocabulis, quę in Ecclesia inuecta sunt, vt fuerint iure quodam Ecclesiæ facta Ecclesiastica: verbi gratiâ *Sacramentum* apud Prophanos authores significat quidem rem sacram, sed tamen non quamuis, sed id tantùm quod inter Ethnicos pro multò sanctissimo habebatur, nempe *iusiurandum*: vnde factum est vt in Ecclesia Latina quicquid esset sanctum, quicquid decebat Christianos prosequi quadam veneratione animi, dict... sit *Sacramentum*. Item vox hæc *Idolum* sanè Scriptoribus prophanis *Imaginem* significat, seu in phantasia, seu in marmore sculpatur: at vsus Ecclesiæ & consuetudo obtinuit, vt id omne *idolum* sit cui animus humanus vel affingit Diuinitatem, vel tribuit cultum Diuinum. Pari caussa factum est vt *Schismatis* nomen sit Ecclesiasticum & Ecclesiæ peculiare: eoq́ magis quòd Apostolus capite 11. 1. ad Corint. *Audio*, inquit, *Schismata esse inter vos, & partem aliquam credo, oportet enim*, inquit, *esse inter vos hæreses*. Quo loco videtur Schismata discernere ab hæresibus: quod tamen ... est intelligendum, vt putemus nullam esse hæresin vbi non sit Schisma, ... vnuis Schisma possit esse vbi non sit hæresis: nisi quod Schisma ... inueteratum vt ... aut vinus, sic etiam hæresin gignit. Porrò & ... hoc loco constat, *Hæreseos* nomen ... tum factum fuisse Ecclesiæ peculiare, alioqui apud Prophanos Scriptores est dogma seu sententia in Philosophia. Nam cum de finibus bonorum & malorum Philosophi inter se dissentirent, quam quisque sententiam fuerat amplexus, ea verè *Hæresis* dicebatur, vnde illa locutio, *in hac hæresi sum*, hoc est, *sic sentio*, *in hac sum sententia*. Hæc de nomine *Schismatis*.

vt & Sacramenti.

& Idoli.

facta est Ecclesiæ peculiaris.

sicut & Hæreseos vox.

Definitio Schismatis,

Sequitur definitio rei. Est verò Schisma secessio in religionis negotio vel temeraria, vel iniusta, siue facta sit, siue continuata. Quæ definitio naturam Schismatis in se considerati complectitur. Nam Schisma certè secessio est; non enim qui nullo vinculo continentur & coniunguntur, faciunt Schisma, sed qui coniuncti fuerunt: itaque neque Turcæ, neque Judæi Schismatis possunt accusari, quia nulla vnquam Turcis & Judæis intercessit cum Ecclesia communio, Judæorum nomine intelligimus eos qui Judaismum, qui vocatur, profitentur. Sed & hoc ipsum in Sacra Scriptura *secessio* dicitur: Etenim, inquit Apostolus Ioan. 1. Cath. 2.19. *Egressi sunt è nobis, sed non fuerunt è nobis*. Notat haud dubiè eos qui ab Ecclesia secesserant, cuius tamen Ecclesiæ professi fuerant se esse membra: Neque tamen ... designantur qui prolapsi sunt in Ethnicismum aut Iudaismum, nam illi quidem grauius admiserunt scelus quàm vt *Schisma* dici posset. Quæ res fortasse in caussa fuit, cur temporibus Ecclesiæ Iudaicæ nullum nomen inditum schismati fuerit, quia quicunque tum defecerunt ab Ecclesia, ità defecerunt vt idololatria esset manifesta, sine vllo obtentu. Nam illæ sectæ Sadducæorum, Pharisæorum, Essenorum colebant communionem in sacris inter se: in sacris, inquam, quæ symbolum erant Ecclesiæ Iudaicæ, Apostolus vocat, *carnalem cultum*. Sed Schisma non est quæuis secessio, nam & in Republica secessio quædam est quæ *seditio* dicitur, vnde *partes* cœperunt appellari qui harum aut illarum partium fuerunt: sed vt monuimus suprà, quemadmodum vox hæc *Idolum* & *hæresis* significat altera imaginem, altera quamuis opinionem quam quis elegit vt verissimam, attamen hæc significatio in Ecclesia est restricta, *Idoli* ad imaginem significandam cui defertur honos religiosus, & *hæreseos* ad significandam opinionem singularem, quam pro ingenio aliquis amplexus est & arbitrio, cùm abhorreant à canone & norma veritatis, sic peculiari quadam ratione *Schisma* dicitur non quælibet secessio, sed secessio in religionis negotio. Sed neque quælibet secessio in religionis negotio Schisma est, etenim Scriptura duplicis secessionis meminit: Nã est secessio quædam in bono, laudabilis illa & probata, vt cùm cap. 52. Esaiæ, Deus hortatur suos vt egrediantur, hoc est, vt secedant & sese separent è medio impiorum, quod Apostolus repetiuit atque accommodauit ad institutum, cap. 6. poster. ad Cor. Et 18. Apoc. dicitur audita cœlitus hæc vox, audita, inquam, in visione Prophetica, *Egredere Babylone popule mi*. At huius generis secessio profectò non est Schisma: Schisma igitur est secessio vel temeraria vel iniusta. Quæ nos distinguimus, eadem enim Schismatis quæ erroris ratio, nam est quidam error leuis, qui non est hæresis, error tamen est, fitque hæresis cum accedit pertinacia: non quod vllus error in se augeri possit, sed augetur adiecto nouo errore. Iam, etiam cum agitur de leuissimo errore, pertinacia facit vt nouus accedat error, qui enim disputant aduersus errorem leuem, ea solent proferre absurda quæ illum errorem sequuntur, si pertinacia ne discedatur ab errore obstet, omnino id fit concedendo quæ sequuntur. Et est error qui in se hæresis est, non iam ob absurda quæ sequuntur, sed quia immediatè hæresis sese ostendit in ipso errore. Eodem modo res se habet in Schismate. Nam est Schisma quod nemo possit vocare iniquum planè & iniustum, sed temerarium tamen, quia causam habet leuiculam, quod schisma tamen si accedat pertinacia (accesserit autem si leuitas causę demonstretur) erit verè & κατ' ἐξοχὴν Schisma.

quod & secessio dicitur.

Verùm non quæuis secessio,

sed tantùm in Religionis negotio, & quidem non in bono,

sed in malo.

Quæ res vt plenius intelligatur, tenendum est vt omnis Schismatis, sic etiam temerarij Schismatis notitiam vel esse *à priori*, vt loquuntur in Scholis, vel *à posteriori*: A priori si nobis paterent hominum animi, nam ad faciendum schisma

Schisma est ab amore sui.

nemo impellitur (si volumus dicere quod res est) nisi amore sui, aut suorum. Vnde fit vt etiam in Schismate temerè facto odium interueniat: Immò verò nullum schisma fit temerè, vbi charitati locus est, nam ait Apostolus *Charitas est vinculum perfectionis*, hoc est, perfectißimum vinculum: *Charitas non est suspicax, charitas non est vitilitigatrix*, itaque cum ob rem leuem schisma fit, manifesta odij nota est. Porrò odium omne non est eiusdem generis. Nam est odium quod nascitur ex *offensa*, & est odium quod nascitur ex *offensione*. Jam distinguendi causâ *offensam* dicimus si quis læsus sit, *offensionem* dicimus scandalum acceptum, cùm quis ægrè fert quempiam sibi præferri, aut verò id metuit, nam cum sit illud Poëtæ, *Maxima de nihilo nascitur historia*, quod ab eo dictum de amore, ad odium pertinet, maximè ad inuidiam.

& odium gignit.

quod est vel ab offensa,

vel ab offensione.

Porrò temerè fit Schisma vel ab authoribus, vel ab iis qui authorem sequuntur. Et authores quidem temerè schisma faciunt, cùm non grauem, sed leuem habuerunt Schismatis occasionem: nam vt, si vlcus (quod idem non sit carcinoma, aut vlcus cacoethes) partem aliquam corporis occupauit, putà digitum, non est continuò recidenda ea pars sed vel emplastris curanda, vel tolerandum est malum, donec (vt loquuntur Medici) viribus naturæ expugnetur; sic non statim atque oritur in Ecclesia opinionum diuersitas, adhibendum est ferrum, nam hæc Chirurgia carnificina esset. Ceterum quod de erroribus diximus, idipsum etiam extendi potest latius, etenim sæpenumerò accidit, vt etiam ob hæresim schisma fiat. Posit hîc aliquis dicere, tantum abesse vt tum temerè secessio fiat, vt contrà fiat iure. Sed quemadmodum Iudices dum nimis auidè condemnant reum (reum, inquam, qui verè reus est, mortemque adeò commeritus) attamen Judices iniqui sunt, quia feritate animi potius impulsi quàm amore & studio iustitiæ sententiam pronunciarunt, sic temeraria est secessio, etiamsi iustas videatur habere causas, quæ ab odio est profecta. Nam in hoc genere idipsum oportet fieri, quod requiritur in Chirurgis & Medicis, vt si quando membrum aliquod recidant, id faciant inuiti & coacti, & postquam omnia sunt experti quibusvis mali sisti, aut inhiberi potuit. Nam charitatis hoc est ingenium, inquit Apostolus cap. 13. 1. ad Corinth. *Non gaudet*, inquit, *iniustitiâ sed congratulatur veritati*. Vbi notandum est veritatem opponi iniustitiæ, quemadmodum 1. cap. Epist. ad Rom. Apost. ait, esse qui detineant veritatem in iniustitia, mens Apostoli hæc est, *Charitas pugnat cum ἐπιχαιρεκακίᾳ*. Est autem ἐπιχαιρεκακία vitiū quo fit vt non modò gaudeamus calamitatibus hominum, sed etiam auidè, bibamus rumores, & verò cum rumoribus, subest veritas, ea re impensè delectemur: Charitas verò facit vt simus patrum similes, qui filiorum laudes admittunt, at verò vituperium nisi re perspecta non admittunt, & si res est perspecta, grauißimè dolent.

Schisma temerè fit ab authoribus,

1. ob leuem caussam,

imò etiam ob hæresim.

quod Simili ostenditur.

Nonnisi ægrè facienda est Secessio.

Etiam temeritas secessionis deprehenditur, vt loquuntur, à posteriori, si eius occasio leuis sit: erit autem leuis, nisi vel inciderit grauis & intolerabilis persecutio, vel ille cœtus vnde fit secessio laboret hæresi, aut verò deditus sit idololatriæ. Si enim persecutio tolerabilis sit, fiat autem secessio, non erit quidem illa secessio iniusta, sed temeraria fuerit, & verò *Schisma*. Persecutionem autem grauem dicimus, quæ vel vitam petit, vel ea quæ sunt ad vitam necessaria, quæ persecutio si oboriatur omninò secedendum est; non enim vel suadet, vel præcepit Dominus, vt persecutorib. caput vltrò objiciamus, immò nos docuit exemplo suo, nos, si quando ejusmodi tempora sunt, subducere furori eorum qui nos persequuntur. Cæterum grauis persecutio non modò ea est quæ ad vitam, & ad ea quæ sunt ad vitam necessaria pertinet, sed est item quædam persecutio spiritualis, quæ pertinet ad animam, cujus generis est Anathematismus, excommunicatio iniusta & iniqua. Certè qui ex cœtu aliquo eiecti secedunt & se subducunt, secesserunt quidem illi, attamen non fecerunt Schisma: alioqui fuissent Schismatici qui Christo agenti in terris nomen dederunt, nam & illi ex Synagogis Judæorum sunt eiecti. Sed tamen vt hæc secessio legitima sit, seu ei præbuerit occasionem corporalis, seu spiritualis persecutio, oportet eam fieri ab inuitis & dolentibus. Nam si ex graui persecutione quis arripiat auidè occasionem secedendi, profectò quamuis secessionis occasio fuit iusta, tamen fecit Schisma, sed cuius homines, non Deus, conscij sunt, vt qui bello ciuili delectantur, etiamsi bonarum partium sint; & iustam habeant atque idoneam occasionem belligerandi, tamen quia lætantur sibi oblatam occasionem, eo perduelles sunt & hostes patriæ.

2. Temerè fit Schisma quum persecutio non est intolerabilis.

quæ sit intolerabilis persecutio.

1.

2. Anathemat. iniustus.

Secundò secessio temerè fit, si sit quidam error in cœtu vnde seceditur, qui idem non sit hæresis, vel superstitio; ritus superstitiosus qui idem non sit idololatria. Nam si error est tolerabilis, si ritus, superstitiosus licet, sit tolerabilis, non oportet fieri secessionem, quia vt suprà monuimus, nisi morbus sit lethalis & contagiosus non est deserendus æger, immò ne tum quidem deserendus est nisi ægrè admodum. Etiam secessio fit temerè, cùm fit ob morum corruptelas, quorsum illud Christi pertinet, *Sedens in Cathedra Mosis, facite quæcunque dixerint vobis*. Cuius rei hæc est ratio, quod vbicumque viget puritas doctrinæ, Deum in eo cœtu necesse est habere Ecclesiam, tametsi obruptam penè multitudine scandalorum. Itaque qui secessionem faciunt ab eiusmodi cœtu, haud dubiè inde secedunt vbi Deus colligit Ecclesiam.

3. Secessio fit temerè ob errorem leuem,

ob morum corruptelas.

Est verò secessio iniusta veluti extrema Schismatis linea. Secessio autem iniusta ea est quæ fit nullâ oborta persecutione, nulla vel hæresi, vel errore grassante in Ecclesia, nulla obtinente superstitione aut idololatria, cum nulla sunt in Ecclesia scandala, aut penè nulla; eiusmodi fuit Schisma Donatistarum. Diximus vltimo loco, Schisma esse secessionem vel factam, vel continuatam: Nam sæpenumerò authoribus Schismatis & principibus sublatis è medio, secessio continuatur in posteris, sic non modò Donatus, & sectatores Donati in Africa, sed quicumque sequentibus temporibus Schisma continuarunt, secessionem fecerunt. Illud verò obseruandum est, fieri sæpenumerò, vt quæ Ecclesia Schismaticos habet Pastores, non sit eadem continuò ipsa Schismatica. Nam ij Pastores Schismatici sunt, qui fratribus suis student inuidiam & odium conciliare, cum tamen grex minimè sit Schismaticus, ignorat enim quid rerum geratur.

Secessio iniusta quæ sit.

Schisma continuatum.

Aliquando Past. sunt Schismatici, cùm grex minimè sit.

Cuius

Cuius rei duo habemus illustria exempla: Quorum alterum exstat in sacra Scriptura; alterum in historia Ecclesiastica. Paulus cap. I. ad Philipp. queritur, *Multos esse qui Euangelium doceant per contentionem, & per inuidiam, vt addant*, inquit, *vinculis meis cruciatum*: haud dubiè eos notat Apostolus qui ipsum suggillabant & traducebát, quasi merito ea pateretur quæ ei acciderát Hierosolymis. Attamen idem Apostolus gaudet Christum ab iis annuntiari, non gauderet autem, si qui iis dabant operam, qui fuerunt ex eorum grege, quòd Schismaticis Pastoribus præberent aures, eo essent & ipsi Schismatici. In historia verò Ecclesiastica etsi plura sint exempla, vnum tantum afferemus. Basilius à fratribus, vt iis temporib. loquebantur, anathematizatus est, tulit æquo animo iniuriam, nec exclamauit continuò Schismaticas esse Ecclesias, quibus præerant Antistites Schismatici, qui secessionem fecerant à Basilio, cú ipse non fecisset secessionem. Itaque si quando eiusmodi tépora sunt, non continuò tamen est desperandum de Ecclesia, quasi nulla esset, eò quod regatur ab iis qui sunt Schismatici. Immò aliquando res poscit, vt qui iniuriam passus est, sileat, ne reddat Pastores à quibus iniuriam passus est, Ecclesiis quibus præsunt exosos, proinde & inutiles. Hæc patientia est laudabilis, ac similis planè affectui materno, cuius exemplum habemus in muliercula, quæ potius passa est per summum nefas abripi filiolum quem habebat vnicum, quàm vt scinderetur in partes. Et reuera sic internoscitur pij hominis in Ecclesia ingenium, patitur enim sæpenumerò, cum iactura nominis sui & existimationis, iniuriam, ne Ecclesia scindatur, cùm impij & mercenarij, si quis eos vel digito extremo attingat, aut quidpiam faciat quod eorum famam imminuat, obtentu vel seueritatis in disciplina Ecclesiastica, vel puritatis doctrinæ conseruandæ, dum reuera tantum sibi student, non dubitant excitare turbas, cœlum terrâ miscere: nempe hoc agitur, vt ne illis quidpiam decedat.

Porrò Schisma distinguitur variis modis, vel ab occasione, vt cum occasio leuis est aut nulla: vel à modo, vt si dicamus schisma aliud esse, vt loquuntur in Scholis, *negatiuum*, aliud *positiuum*. Jam docendi causa schisma *negatiuum* vocamus, schisma quod non exit in cœtum & societatem aliquam religiosam, sed simpliciter secessio est & subductio, cùm non instituitur Ecclesia facto Schismate. Quod schisma vel à pluribus seorsum, vel à pluribus simul fieri potest: vt, verbi gratiâ, solet euenire in Ecclesijs, vt complures insurgant in eos qui præsunt Ecclesiis, subducantque sese cœtibus Ecclesiasticis, atque in hoc conspirent, sibique præbeant mutuò & consilium & auxilium, qui tamen non condunt Ecclesias nouas: sæpe hoc fit quidem, sed à pluribus seorsim, qui tamen non conspirant in vnum, hoc est quod diximus schisma *negatiuum*. Schisma, quod docendi causa *positiuum* diximus, tum fit cum instituitur Ecclesia, hoc est, cùm fit consociatio quædam, quæ legibus Ecclesiasticis, & Dei verbo, atque Sacramentorum administratione vtitur separatim: quod quâdam formulâ desumpta ex Scriptura dicitur, *struere altare aduersus altare*; hoc est, quod schisma Antonomasticôs dicitur, & κατ' ἐξοχὴν. Ratio est cur κατ' ἐξοχὴν *Schisma* dicatur, hæc, quia sæpenumerò secessio, vt ita loquamur, *negatiua* legitima est, non erit tamen legitima si sit *positiua*, hoc est, vsu veniet vt iure & piè liceat secedere ab aliquo cœtu, non liceat tamen continuò nouum cœtum instituere: verbi gratiâ, multi eorum culpâ qui præsunt Ecclesiæ (nullâ Ecclesiarum quibus præsunt culpâ) ejiciuntur, fac hoc euenire (nam certè potest id euenire) si colligant (vt vtar vocabulo Ecclesiastico) seorsum, Schismatis erunt rei: quia ferenda videbatur hæc iniuria.

Sed tamen hîc hoc tenendum est, vt spectemus imprimis quæ fuerit eiectionis occasio, num aliqua ratio quæ solos ejectos attingebat, an verò eorum causam, hoc primùm. Nam si eiectionis causa fuit odium priuatú, nihil fuit necesse seorsum instituere Ecclesiam, quia Ecclesia Dei stabit, nempe in his quibus (vt ita loquar) caussa personalis odij istius, vnde profecta est eiectio, non inest. Quod si seorsum instituantur Ecclesiæ, haud dubiè fit diuisio, neque enim institui possunt nisi inter fratres reuerâ odia oriantur: id quod fini dogmatis Christiani repugnat, nã præcepti finis charitas est. Deinde, non modò spectandum an causa sit personalis, vt ita loquamur, (nam causa personalis nullã affert necessitatem, sublatis enim è medio personis nullá habet vim, *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit*, inquit ille: porro genus *fati* est abdere se in tenebras) sed imprimis illud spectandum est, sit-ne *res* causa, vt ita loquar, non *personæ*. Atque hîc considerandum etiam atque etiam est, sit-ne res grauis & momentosa, quæ quæ, si negligatur, tanta est vt de salute & gloria Dei actum sit; an verò de re eiusmodi, quæ Dei gloriâ indelibatâ & salute hominum potest insuper haberi: neque enim quicquid verum est, idipsum continuò necessarium est, vt qui salubres cibi sunt, non sunt continuò necessarij. Præterea & hoc est obseruandum, cum condenda est noua Ecclesia, (*nouam* iam voco Ecclesiam quæ se segregauit) oportet haberi rationem χαρισμάτων, *donorum*. Nam sæpenumerò accidit vt secessio sit legitima, etiam legitima ob causam, non iam personalem, sed realem, cum tamen secessionem oporteat esse *negatiuam*; si *positiua* sit, χίσμα fuerit, & quidem grauissimum schisma, quo Dei gloria & animarum salus periclitabitur: Non enim potest institui noua Ecclesia, nisi sint Pastores & Doctores; neque Doctores & Pastores esse queunt, nisi sint qui mittantur; neque vllos mittit Deus quos non instruat donis necessariis. Denique, vt hoc caput concludamus, oportet haberi posterorum rationem. Nam vt est propagatio quædam *naturalis* & *ciuilis*, sic etiam est Ecclesiæ quædam *spiritualis* propagatio, quæ facit vt de posteris sollicita sit Ecclesia, iisque prospiciat. Itaque fieri potest, & verò fit, vt secessionem *negatiuam* fecerint qui cauerint iidem ne nouos condant cœtus, propter posteros, solet enim odium partium propagari. Sed, inquiet aliquis, Ergo eiectis ex Ecclesia, & iniuriâ, quæ supererit ratio Dei colendi? Facile est occurrere huic quæstioni; nam cultus Dei est quidem ille, quod ad essentiam attinet, vnus idemque (quemadmodum obsequium quod debetur Regi aut Patri, (si tamen parua licet componere rebus maximis) sed ratio, ac (vt loquuntur Philosophi) modus huius

Marginalia: Quod duobus exemplis demõstratur. — 1. — 2. — Non est propterea secessio facienda. — Schisma variè distinguitur. — Aliud est Negatiuum. — aliud Positiuum. — quod antonomasticè dicitur Schisma. — Vt secessio positiua sit legitima. 1. ne causa sit personalis. — sed realis. — & quidem grauis. — 2. sint Pastores necessariis donis instructi. — 3. posteris cõsulatur, & spes reconciliationis ne tollatur. — Obj. — Resp.

cultus non est semper vnus idemque, neque debet semper esse. Sanè qui eiecti sunt ex Ecclesia colant Deum cultu priuato, non instituant tamen nouas Ecclesias, nisi accesserit caussa idonea: fuerit verò caussa idonea, si persecutio pertinuerit ad plurimos, sitque eiusmodi, vt non modò nitatur caussa personali, sed reali etiam, & causa grauis sit & momentosa, caueaturque in posterum vt sublatâ causâ locus sit reconciliationi.

An ideò simus Schismatici quod ab Ecclesia Rom. secessimus.

His ad hunc modum explicatis atque constitutis, superest quærendum id quod vltimo loco à nobis positum est, Sitne verum quod nobis objicitur, & maioribus nostris piæ memoriæ, *nos esse Schismaticos*: & hos quidem quod fuerint Schismatis authores, hoc est quod schisma fecerint, nos verò quod in Schismate perstiterimus, hoc est, in nobis & per nos cõtinuatum fuerit & productum schisma. Res facilis est, expendantur modò ea quæ à nobis suprà sunt disputata. Nam tãtum abest vt negemus nos fecisse secessionem, vt contra in eo quod secessionem fecimus gloriemur; sed benè habet quod non omnis secessio illegitima est, proindeque neque schisma. Igitur si demonstrauerimus nostram secessionem non esse illegitimam, demonstrauerimus nos non esse reos Schismatis. Id verò demonstrabimus, si ostendamus neque *temerè*, neque *iniustè* nos secessisse. Posterius hoc ne Pontificij quidem ipsi negant, nam secessio *iniusta* nobis iam est ea secessio quæ nullam, ne vel leuem quidem, caussam habuit. At illi fatentur aliquam fuisse caussam, neque enim negant multa obrepsisse in Ecclesiam quæ possint objicere scandalum (*Abusus* vocant) tum in ritibus, tum etiam in vita & moribus: tantum dicunt temerè à nobis Schisma factum, quia non fuerit scilicet idonea causa. Itaq; controuersiæ status hic erit, *fueritne iusta, & necessaria causa secessionis nostra.* Nos hoc affirmamus, illi negant. Hîc verò repetenda sunt quæ diximus suprà, *iusta* secessionis triplicem esse causam, quarum prima est Persecutio intolerabilis. Secunda, non iam Error, sed Hæresis. Tertia, Idololatria, Quarta, verò causa (cuius nõ meminimus suprà, quia versabamur in thesi, hîc verò meminimus, quia ventum est ad hypothesim) si agnitus fuerit Antichristus. Jam nos contendimus secessionem nostram quatuor has habere causas, intolerabilem persecutionem corporis & animæ, hæresim, Idololatriam, Antichristi agnitionem. Nec quisquam est cui adeò frons perierit, qui possit negare has esse iustas secessionis causas. Itaque in hoc vno est laborandũ, vt probemus has causas fuisse datas. Jam res deducta fuerit ad quæstionem quam vocant *de facto*, incubueritne tam grauis persecutio, fueritne error tam grauis, vt hæresis idem fuerit, sitne Idololatriæ rea Ecclesia Romana, an in ea sedeat Antichristus? Sed quoniam non est vnum & simplex (quod & suprà obseruauimus) secessionis genus, est enim secessio merè *negatiua*, vt sic loquar, & est secessio *positiua* (iam verò vt hæc secessionum genera inter se differant suprà explicatum est) causari possit aliquis secessionis *negatiua* iustas nos habuisse causas; at *positiua* non item. Non enim desunt qui non negant extrema quæque ferenda fuisse à singulis priuatim ob confessionem Christiani nominis, qui negant tamẽ iidem oportuisse nouam quasi institui

Resp. Secessionem quidem fecimus,

sed ea non est *Iniusta*.

neque *temeraria*,

verùm iusta & necessaria,

Nec *Negatiua* modo,

Ecclesiam. Itaque qui ante hanc secessionem adeò multa passi sunt, cùm tamen non fecerint secessionem (*positiuam*, inquam) ab iis laudibus in cœlum vsque tolluntur: qui verò (vt quos *Albigenses* vocant) secessionem fecere *positiuam*, (nam etiam suos habebant conuentus) magnoperè improbantur. Addunt quod res non successerit, etenim deleti sunt & exstincti.

sed *Positiua* fuit.

Huc igitur incumbendum est, vt liqueat modis omnibus secessionem nostram non modò (quatenus ea est quam *positiuam* diximus) *iustam* esse, sed *necessariam*. Atque vt à posteriori ordiamur, *necessaria* fuit vel ob multitudinem secedentium, quæ ratio politica est: nam tanta hominum multitudo quî, citra graue scandalum, viuere potuisset sine vllo Religionis exercitio? aut quomodo deleri in hac paucitate profitentium Christi nomen, & Christianę Reipublicæ tenuitate, citra graue tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ dispẽdium? Nam certè si pauci sint, videtur nihil esse moliendum, sed expectandum patienter tempus Domini: sed cum messis magna est, certè messis magnitudo admonet colligendam esse messem in horrea, & cùm fit illud *rumpunt granaria messes*, extruenda sunt horrea. Deinde subest & alia ratio, nam non quouis, sed certo quodam tempore voluit Deus fieri hanc secessionem: cuius rei documenta nobis exhibent typi, tum etiam oracula quæ exstant in Scriptura. Nam Israel in Ægypto seruiuit diu, liberationis statum fuit tempus. Sic Dei populus in Babylonia seruiuit diu, liberationis item fuit certum & constitutũ tempus. Consimilis hîc ratio est. Nam constitutum erat apud Deum vt Electi sui & fideles aliquandiu seruirent, non fruerẽtur illa libertate qua nunc fruuntur, sed ad certum tempus essent veluti in peregrino solo: sed & constitutum fuit etiam apud Deum certum tempus liberationis, non enim statim ab initio audita est hæc vox, *Egredere Babylone popule mi.* Id quod reapse & factis comprobatum est. Nam quæcunque secessiones *positiua* fiunt, oportet eas eiusmodi esse, vt sint viri præditi donis singularibus, qui possint, non iam vlla authoritate humana, sed diuina, id est, petita è Scripturis, factum tueri, atque congredi cum Aduersario, non iam eo animo, atque eo euentu, vt qui reddunt fidei suæ rationem, sed vt Pastores & Doctores. Nam ista dona distincta sunt, aliud enim donum est hominis Christiani reddentis rationem spei suæ, aliud donum Doctoris *docentis* & *increpantis*. Itaque cauendum est sedulò, propter phanatica ingenia, ne hæc confundantur. Sed & idipsum eo comprobatum est, quod non vi, sed eâ ratione qua Religio debet promoueri, res acta est, hoc est, ordine quem instituit Deus: vt qui sunt in authoritate aliqua constituti faciant singuli quod est muneris sui; Magistratus obeat munia Magistratus, qui iis funguntur muneribus quæ spectant ad animam & conscientiam, faciant itidem officium suum. Sed nec vllibi turbata est Respub. nec deiecti de Cathedra qui fungebantur munere Ecclesiastico, nisi fortè ij deiecti sint qui deseruntur ab auditoribus conscijs prauæ doctrinæ. Nam Magistratûs & eorum qui præsunt Ecclesiæ diuersa ratio est. Magistratus enim nec potest, neque debet deseri, debent deseri qui præsunt conscientiæ, si minus rectè faciunt officium.

Et ea quidem.

Necessaria 1. Ob multitudinem credentium.

2. quia tempus à Deo constitutum venerat.

quod ostenditur, 1. ipso Facto.

2. modus & ratio fuit conuenientissima.

sine tumultu & seditione.

officium. Etenim omnis Magistratûs potestas, quatenus sese exerit & facit vt sentiatur, ad corpus tantum pertingit, & ad ea quæ vocantur bona externa (veteres dixerunt *bona fortunæ*) quarum rerum iacturâ nullum fit detrimentum conscientiæ: At qui præsunt Ecclesiæ, iidem conscientiæ præsunt. itaque si non faciant quod spondet tanti muneris professio deserendi sunt, nam *parendum Deo potius quàm hominibus*: vt si quis Medicinam professus non curaret morbum, sed exacerbaret potius, profectò foret deserendus, & cooptandus in eius locum alius, quia nihil debet esse antiquius sanitate; quantò æquius est, vt eadem cautela adhibeatur cùm agitur de salute animæ, & de Dei gloria? quanquam nihil opus est ita deuenire. Nam singulari Dei prouidentia factum est, vt vnde cœpit ista REFORMATIO, ne in ordine quidem Ecclesiastico quippiam sit turbatum quia Deus & animos Magistratûs, & eorum qui publicis muneribus fungebantur, ita permouit, vt conspirarint & consenserint in vnum: vt in Germania, in Anglia, (iam cum Germanorum memini, & Heluetiorum memini, nam hodie quidem Heluetij accensentur Germanis) nec Magistratus loco motus est, & qui authores fuerunt puritatis segregandæ ab impuritate, omnes muneribus fungebantur in Ecclesia quæ id postulabant.

authoritate Magistratus, & eorum qui in Ecclesia præerant.

At in Gallia, & fortè alibi, res secus acta est. Primò negamus vllam vnquam à nobis vim illatam Magistratui, quod etiam si euenisset (quod non euenit, nulla tamen culpa Religionis foret, sed hominum impatientia. Nam Religio quidem id vetat iuxta illud, quod & suprà citauimus, *Herodes hostis impie*, &c. Certè ante exortos ciuiles motus in Gallia, vera Religio iam effloruerat solâ Martyrum constantiâ & patientiâ constabilita. Jam verò cùm ita se res habeat, frustrà quærunt, *Quâ tandem authoritate hoc ausi fuistis?* Etenim etiamsi daremus (id quod nullo modo damus) Authores & Principes rei tantę aggrediundæ fecisse Schisma, non sequeretur tamen eos qui eorum secuti sunt sententiam, Schismaticos esse. Nam, vt suprà obseruauimus, sæpenumerò accidit vt Pastores sint Schismatici, plebs verò Pastores secuta minimè sit schismatica. Etenim hæc est Schismatis ratio, vt subsit odium non iam rei, sed personæ, quod in genere imponi potest facilè simplici auditori: verbi gratiâ (id quod suprà attulimus pro exẽplo) Paulus Apostolus etiam inter Christianos malè audiit culpâ Doctorum, doctrina tamen Pauli non cõtinuò malè audiit: Itaque Paulus in eò exultauit & grauisus est, quod à Schismaticis Pastoribus vera Christi doctrina annunciaretur. Esto igitur, quod tamen non est, non possunt conuinci Schismatis aut hęreseos, qui secuti sunt Pastores veram tradentes doctrinam, nî prius conuincantur hæreseos, aut verò probetur eandem doctrinam traditam esse in Ecclesia Romana. Secundò, respondeo satisfieri huic quæstioni, in cuius solutione iam versamur, si dicamus Gallos (nam vnum hoc potest obijci) coiisse in vnum cum Germanis & Anglis, itaq; rem factam legitimè. Nam vt in prœliis multa fiunt ab hac turma & cohorte, ordine, atq; ad pręscriptum legum militarium, quæ tamen ab hac aut illa cohorte viderentur fieri tumultuariè. Quid ita? quia quod in hac vel illa cohorte fit, Ducum iussu fit, quod fit in reliquis turmis & cohortibus, non fiet fortasse iussu Ducum, attamen ita fiet, si se adiungant iis qui quod faciunt, iussu Ducum faciunt; nempe conscij eos demum esse Duces qui fidelem operam nauant Regi, & Reipublicæ. Itaque si se eorum militibus aggregarunt, nihil fecerunt temerè, tum præsertim cum exercitus videtur disiectus & dissipatus, sic nempe restaurantur prælia, alioqui nihil fieret. Tertiò Resp. *Necessitatem nullam habere legem*, vt vulgò dicitur. Quid hoc est tandem? Nam quod legem non habet id possit videri illegitimum, itaque si necessitas nullam habeat legem, laxentur habenę necessitati, furet. Sed est quædam necessitas quæ verè & propriè est necessitas, est verò ea necessitas tum, cùm si quod est faciendum negligatur, Deus & hominum salus contemnatur: id verò tum accidit, cùm Deus indulsi humano generi *idoneos homines*, *tempore idoneo*, qui vindicent gloriam suam. Lex enim illa æterna est. *Amabis proximum tuum sicut teipsum.* Itaq; quicquid fit ad hanc normam fit legitimè. Santo igitur eiusmodi tempora, vt filij Abraham non profiteantur fidem Abraham, nemo est qui miretur, certè qui possit iure mirari, si Deus ex lapidibus excitet filios Abrahæ.

Obiicitur. Ecclesiarum Gallicanarum reformatio. Resp. 1.

Resp. 2.

3.

Etsi autem quicquid necessarium est, eo ipso quod est necessarium, iustum esse videtur, tamen aliquando accidit vt aliunde iustitia & æquitas possit demonstrari, quod etiam in hoc argumento locum habet. Etenim cùm malum est insanabile, secundò & lethale, tertiò contagiosum, secessio etiam *positiua* iusta est. Sed an sit malum insanabile sciri non potest, nisi prius omnis cura, & secundùm curam remedia adhibeantur, quibus malum curari possit, si posset curari. Jam factum id est à maioribus nostris, & viris piis qui vixerunt iis sæculis, quæ tempora maiorum nostrorum antecesserant, sed frustrà: ita euenit quod est apud Prophetam Jeremiam cap. 51. vers. 9. *Curauimus Babylonem & noluit sanari*, vnde illud sequitur, *Reuertatur vnusquisque in terram suam*, manifestò notatur secessio positiua. Quę verba typicam habent significationem. Nam captiuitas Babylonica typus erat captiuitatis Ecclesiæ Christianæ spiritualis, vnde satis liquet, Lutherum piæ memoriæ non temerè, & nullo consilio aureo libello præscripsisse titulum, *de captiuitate Babylonica*, nam Apocalyps. cap. 18. hæc typicè à Propheta dicta adducuntur ad significandam Ecclesiæ Christianæ temporibus Antichristianis captiuitatem. Non est igitur hoc glossema nostrum, sed ipsius Spiritus Sancti interpretatio. Cæterum ipsa Prophetæ verba id ostendunt: *curauimus*, inquit, *Babylonem*, hoc est, quod nemo ausit negare, dedimus operam vt Babylon resipisceret, *& noluit sanari*, hoc est, noluit resipiscere, desperata igitur & conclamata eius salus est. Itaque *Reuertatur vnusquisque in terram suam*, hoc est, satis diu dum curauimus Babylonem viximus Babylone, iam cùm nihil promotum fuerit, secedamus vnusquisque in terram suam, notatur noua consociatio; *nam iudicium eius peruenit ad cœlos vsque*: Etenim sic significatur quod Christus dixit, *Si non venissem ad eos non habuissent peccatum*, hoc est, quod dixit Propheta *peccatum eorum peruenit ad cœlum*, nam qui monitus, & iterum iterùmque monitus

Secessio nostra fuit etiam *Iusta*,

quia malum in Ecclesia Romana fuit insanabile.

Curata est Babylon, sed noluit sanari.

non respicit, omninò eius peccatum ad cœlum peruenit. Huius autem sollicitudinis maiorum nostrorum exstant luculentissima documenta, nam vsque eò prouecti sunt vnionis studio, atque odio Schismatis, vt nullam ferè conditionem pacis recusarent, præter eas vnde secutus foret omnis religionis interitus.

An culpanda sit priorum Reformatorum cum Pontificiis pacis studio.

Quo nomine quæri potest an culpandi sint. Nos certè (quod bonâ omnium cum pace dictũ sit) non sumus in ea sententia, vt sint culpandi, qui etiam hac in parte agnoscimus spiritus Christi mansuetudinem: nam neque Christus in Pharisæis omnia reprehendit, immò verò tolerauit multa, quæ si notauit aliquando, obiter & pro re nata notauit, & quidem exsertè; & Paulus qui spiritum Christi habuit, hoc exemplum sequutus est. Nam & ille omnia tolerat, & nihil non facit vt sit vnio, modò fundamentum CHRISTVS stet inconcussum. Nam vt Medici in curandis morbis corporis, non temerè vel adhibent pharmaca vehementia, vel iubent adhiberi ferrum & ignem, id quod supra notauimus: ita faciunt animæ Medici. Fortasse quæret aliquis, quo consilio? Nam certè etiam minimum malum fugiendum est, præsertim cum Apostolus moneat *fermentũ paruum totam fermentare massam*: sed fermentum Apostolo est, quod est lethale & contagiosum, non est fermentum Apostolo quod potest tolerari. Et vt respondeamus ad quæstionem in omni secessione, positiuâ præsertim, necesse est oriri dissensiones & distractiones animorum, vnde oritur odium veritatis: nam sæpenumerò odio personarum fit vt ipsa veritas odio sit, non enim æquè facilè agnoscitur, dum qui eam proponunt exosi sunt auditori, ac dum auditori grati sunt & accepti. Itaque idipsum euenit quod in morborum curatione. Nam Medicus ægro ingratus non æquè facilè curat morbum, quia nec agnoscitur, nec pari facilitate admittitur remedium quod à Medico ingrato proficiscitur, ac remedium quod adhibetur à Medico grato & accepto. Deindè, secessiones positiuas sequuntur non modò odia & dissensiones, sed tumultus, & sæpenumerò bella ciuilia & cædes, quorum hîc semper exitus est, vt victoria sit (iuxta vetus illud verbum) Cadmæa. Iam hoc illud est à quo vel maximè abhorret spiritus Christi: neque tamen illud defugit ita vt si res postulet, hoc est, si necesse sit, vt hoc malum fugiat, velit incidere in maius malum. Nam & Christi hæc est vox, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*, hoc est, mea doctrina est eiusmodi, vt haud dubiè eam secuturi sint tumultus: nempe Esauus Jacobum persequitur, nec, etsi Jacobus odit maximè turbas illas intestinas, æquum tamen est, vt componantur, Jacobum cedere benedictionem Esauo fratri.

Obiicitur. Resp. 1. 2. 3.

Dilemma Pontif. de illis qui in Ecclesia Romana vixerunt ante Reformationem.

Sed hinc oritur quæstio, vt mihi quidem videtur, minimè contemnenda. Sic enim vrgeant nos Aduersarij: Aut qui delituerunt in Ecclesia Romana ante hæc tempora, (tempora, inquam, institutæ reformationis) pij fuerunt, aut impij: si pij, secessio non fuit necessaria, ideoque nec iusta: quod si impij fuerunt, nulla fuit illis temporibus Ecclesia, quod absurdum est, neque enim vnquam tam fuere calamitosa tempora, Deus vt nullam habuerit in terris Ecclesiam. Nos verò respondemus, ad hanc quidem quæstionem vnico verbo. Non esse eandẽ temporum rationem. Nam quandiu durát captiuitatis tempora, licet esse captiuum, at postquam illuxit ille dies quo vocantur omnes ad libertatem, si quis malit delitescere inter captiuos, quàm incedere erectus inter liberos, profectò iam is non captiuus, sed seruus est. Sic, quod & alibi monuimus, licuit aliquando viuere in Ægypto, & quidem in summa seruitute, & in Babylonia etiam, sed postquam venit dies Domini, postquam audita est vox, *Egredere Babylone, ex AEgypto*, iam non amplius integra & libera fuit optio. Sic conclusis atque obsessis licet protrahere vtcunque vitam ægrè, fame & siti & squallore & fatigatione penè oppressis, at obsidione liberatis in summa annonæ copia, & passis portis, idem non licet, nisi velint perire pro merito.

Diluitur.

Quomodo pius tum licuerit colere communionem cum Ecclesia Romana.

Hinc rursus oritur quæstio in speciem admodum difficilis explicatu, Etenim videmur tacitè concessisse, licuisse aliquando communionem colere cum Ecclesia Romana etiam corrupta. Diximus enim populum Dei detentum fuisse Babylone aliquandiu captiuum. Iam ista captiuitas quæ fuerit, nisi Dei populus cum Babylonijs vnà societatem inierit? Nam certè non hîc intelligitur societas quædam ciuilis, quam hodieque qui sunt egressi Babylone colunt cum ciuibus Babylonis. Itaque alia quædam societas est intelligenda. At quæ tandem illa fuerit? num religiosa? qui potest? Nam cultus ille Babylonicus est impius cultus, superstitiosus. Atque hæc impietas secessionis fuit causa. Respondemus, cultum dici posse impium duobus modis, vel *in se*, vel *relatè*, vt loquuntur in Scholis. Nam fieri potest vt aliquis cultus sit *in se* impius, qui *relatè* non sit impius: immò potest esse *relatè* pius, vt quando ignoratur quid rerum geratur: verbi gratiâ, sunt in Papatu multi viri boni & simplices, qui clamant magnam fieri sibi iniuriam si quis doceat, Papam sibi tribuere ius in conscientiam, quod tamen est verissimum: dico honorem qui tribuitur Papæ ab istis, non esse impium *relatè*, hoc est horum respectu, non enim putant eum Papam esse qui reuera est, quod si putarent, haud dubiè eum refugerent. At alij (in quo genere sunt Iesuitæ & omnes Doctores Ecclesiæ Romanæ) qui Papæ tribuunt ius in conscientiam, atque secundùm hoc ius ei honorem habent reuera diuinum; horum iam cultus, non tantum est *in se*, sed etiam *relatè* impius. Sed res erit clarior exemplo. Sit qui sororem duxerit vxorem, sed quam minimè norit esse sororem, immò quam certò persuasum habeat se nulla neque consanguinitate, neque affinitate, nec vlla propinquitate contingere, haud dubiè sunt *in se* incestæ nuptiæ, at *relatè* non sunt incestæ: erunt tamen incestæ *relatè*, si postquam quid gestum sit innotuit, non sequatur pœnitentia. Sic qui Papæ honorem habuit, quia non habuit perspectam Papę sacrilegam Tyrannidem, is quidem honorem habuit Antichristo, sed, vt ita loquar, *materialiter*, non *formaliter*: cultus ille fuit *in se* Antichristianus, nam habitus fuit Antichristo, sed *relatè* nõ fuit Antichristianus, hoc est, respectu deferentis. Sic multi pij & simplices viri putant falsum esse quod doceatur in Ecclesia Romana verum Christi corpus immolari verè in Missa. Isti sanè si qui sunt, (sunt autem quàm plurimi) cultu

Resp. Cultus alius est *in se*. alius est *relatè* impius.

Simili illustratur.

applicatur Simile.

cultu vtuntur *in se*, vt ita dicam, impio, at qui *relatè* ad ipsos, minimè sit impius, modò, inquam, sit animi simplicitas, neque simulatè, sed verè & ex animo negent impium illum cultum probari in Ecclesia cuius se membra esse profitentur.

Rursus, Cultus est Impius. vel *per accidens* & hoc

Secundò, cultus impius dici potest duobus modis, vt sit impius vel *per accidens, vel per se*: Cultus impius *per accidens* iterum potest distingui, vt sit vel cultus *coniunctus* impio cultui, vel cultus *admixtus* impio cultui, inter quæ magnum sanè discrimen est: verbi gratiâ, si quis Deum orat per Dominum nostrum Jesum Christum, idem tamen finita oratione inuocet Virginem Mariam, aut Sanctos, fuit hîc pius cultus coniunctus cum impio, proindeque & impius, sed *per accidens*, quia iunctus fuit cultui impio. Sed aliquando accidit vt cultus aliquis sit impius quia est *admixtus* impio cultui, vt si quis in vna eademque oratione precibus ad Deum preces ad Sanctos intermisceret, dico, etiam preces ad Deum impias esse *per accidens*, quia admixtæ fuerunt impiis precibus Cultus verò *per se* impius, est cultus qui iam non propter ea quæ sunt adiuncta, aut quibus est admixtus, impius videtur, sed quia suâ naturâ est impius, habet non iam *extrinsecus*, sed *intrinsecus* caussas & rationes impietatis.

1. quia *coniunctus*.

2. quia *admixtus* impio cultui.

vel Cultus est *Per se* impius.

Resp. ad quæst. 1.

Hac adhibita distinctione, aio cultum Papisticum, *in se* impium fieri aliquando relatè pium, aut certè tolerandum. Itaque qui sic communicant cum Pontificiis, non sunt continuò habendi pro Idololatris, nisi si admoniti, quod nostro fit sæculo, contemnant monentem: hoc enim certissimum est argumentum, quæri tantum occasionem delitescendi in captiuitate illa Babylonica. Secundo loco Respondeo vt suprà, temporibus quibus summa est annonæ inopia, non esse parricidâ sui qui cibis minus salubribus vtatur, idem tamen si illis temporibus veneno vescatur, erit sui parricida, neque verò excusabitur hoc crimen, si dicat, nihil fuisse aliud quo vesceretur, nam semper aliud est, aut verò si preter venenum nihil est, expectanda est dextera Domini. Jam facilè est hæc accommodare ad rem nostram. Nam cultus *per se* impius venenus est, cultus *per accidens* tantùm impius est veluti cibus insalubris, quo tamen vescendum potius est quàm moriendum. Si ergo distinxerimus in Papatu, (quod non est difficile) ista, facile erit cognoscere quatenus temporibus illis captiuitatis Babylonicæ licuerit, aut non licuerit populo Dei societatem colere cum ciuibus Babylonicis, temporibus, inquam, illius captiuitatis. Nam, vt suprà docuimus, alia nunc sunt tempora. Nam Deus iam cœlitus clamat *Egredere Babylone*, &c. Reliqua petantur ex locis de Ecclesiæ perennitate, de visibilitate, & infallibilitate.

2.

Cautio considerand.

Hoc tamen vnum velimus obseruatum, hîc præsertim, multum interesse quo animo quis delitescat in Papatu: nam si quis id faciat quod ipsum pudeat Euangelij, profectò quicquid obtēdat & prætexat, impius est, his præsertim temporibus, atque eo facto testatur iam se non esse captiuum, neque enim frui liber libertate oblata. Attamen si quis eo animo delitesceret (quod ante Reformationis tempora potuit contingere) quod non patêret exitus, absit à nobis vt temerè virum sic affectum animo damnemus. Quę à nobis disputantur in eorum gratiam, quibus durum videtur vt secludantur ij omnes à Christi consortio, *qui vllo vnquam sæculo vllam communionem coluerint cum Ecclesia Romana* nec cum illis sentiunt, qui putant Ecclesiam fuisse illis temporibus in illis solis qui secesserunt ab Ecclesia Romana, vel illa secessione quam dicimus *negatiuam*, vel illa quam docendi causâ diximus *positiuam*.

THESES

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO,

Disputatæ August. XIV. 1618.

In Consensu Reuerendorum & doctissimorum virorum Dnn. Examinatorum ad id muneris à Synodo prouinciali Andegauensium, Turonensium, & Cænomanensium Ecclesiarum, & Senatu Academiæ Salmuriensis delectorum.

Vnà cum duabus Prælectionibus.

Quarum altera habita est XI. Altera verò XIII. eiusdem mensis, in eodem consessu.

INCOMPARABILI HEROI

PHILIPPO MORNÆO,

PLESSIACI MARLIANI DOMINO,

Baroni de la Forest, &c. quinquaginta Cataphractorum equitum ductori, Christianissimi Regis sacri Consistorij Consiliario, & Salmuriensis ditionis Præsidi.

DISPVTATIONEM *de Gratia & libero arbitrio meam (Vir Illustrißime) vnà cum prælectionibus, quas designatus S. Theologiæ Professor, in consessu grauißimorum & doctißimorum virorum nuper habui, ad Doctoris munus in Academiâ Salmuriensi, quæ te secundùm Deum parentem agnoscit, eorum iudicio & authoritate promouendus, iussus sum, an coactus, edere atque proferre in lucem. Quo consilio tu vnus omnium optimè nosti, nec hoc loco attinet commemorare. Ego quidem certè tumultuarias hasce commentatiunculas in summis animi mei molestiis atque angoribus natas, premere & intra scholæ septa continere decreueram. Non quod me puderet veritatis, quam studui asserere & vindicare à calumniis vel imperitorum, vel impiorum hominum, qui Semipelagianismum extinctum iampridem, ad vitam reuocare atque Ecclesiæ Dei obtrudere, multò quàm Iesuitæ impudentiùs moliuntur: sed quia mihi non licuit per curas & ægritudinem animi mei (ad quam accedebat etiam temporis breuitas quæ me vehementer vrgebat, vt de ingenij tarditate nihil dicam) de re tantâ accuratè disputare, id quod vnicè volebam. Iam verò ne hoc quidem mihi concessum est, rudia illa & penè extemporanea limare atque expolire, quin eadem editionem, quæ meditationem, premit atque vrget festinatio. Sic voluêre quorum authoritati non obtemperare nefas esse duco. Hæc est vnica eademq; iustißima defensio mea aduersus eos, si qui sint, qui me temeritatis accusaturi sunt. At certè mirabitur quispiam, neque fortasse immeritò, confidentiam meam, qui huic libello nomen ausus sum præscribere tuum, quo toto orbe Christiano nullum est magnificentius aut illustrius, quod tu consecutus es ingenio, doctrinâ, sapientiâ incomparabili, fortitudine animi inuicta & pietate, optimis artibus. Sed idem ille quisquis est, mirari desinet si animo reputauerit benignitatem & mansuetudinem animi tui, quæ inter tot incomparabiles dotes, quibus te excultum & exornatum Dominus esse voluit, est eò magis admiranda, quò lenitas & mitis illa, quæ latinè dici non potest, συγκατάβασις rarius ea quæ excellunt & eminent comitatur. Vt taceam amorem erga me tuum incredibilem, cuius conscientia me totum ineffabili quadam lætitia perfundit, quæ me non inflat tamen aut effert: Noui enim totum hoc indulgentiæ tuæ, quæ summa est, non meo merito, quod nullum est, esse tribuendum. Huc accedit necessitas quædam mea, quæ facit vt authoritate & grauitate testimonij tui (quod omni exceptione majus est) mihi magnopere opus sit. Nescio enim quo pacto, sed certè accidit id tamen, vt nimia hominum credulitate, & calamitate temporum ea de me iactata sint & credita, à quibus haud secùs quàm ab inferis semper abhorrui. Mihi enim hæc sententia altius animo insedit, excidisse* Christo qui voluntati humanæ, & viribus arbitrij liberi vel minimum in negotio salutis tribuunt, qui Spiritui Dei solas SVADENDI partes relinquunt, nec aliter eum in suis quàm in hypocritis agere contendunt. *Cuius sententiæ impietatem, & antea semper, & nuper in disputatione mea, studui, quantum in me fuit, traducere. Et, si Deus vitam mihi indulserit, & otium, ne sic quidem abibit: maius aliquid & accuratius conabor tuis auspiciis, faueat modò atque adspiret Christus cœptis meis. Tu interim ista qualiacumque eodem accipe vultu quo me soles, pignus certißimum animi tibi deuoti. Vale, Illustrißime vir. Dominus te regno, Ecclesiæ, tuis, mihi etiam, quàm diutißimè incolumem seruet. Salmurij, 18. August. 1618.*

Tuus addictissimus,
IOANNES CAMERO.

THESES

THESES DE EFFICACIA GRATIÆ DEI, ET VSV LIBERI HOMINIS ARBITRII, IN NEGOTIO salutis humanæ.

Omnium dogmatũ Christianę religionis.

DOCTRINA Christiana est illa quidem tota *a* ad illustrandam Dei gloriam, ad *b* animos hominum afflictos & iacentes erigendos & sustentandos, ad *c* promouenda veræ virtutis & pietatis studia, comparata: *d* in quo eius sanctitas & diuinitas vel præcipuè elucet.

a *Rom.*1.16.17. 2.*Cor.*4.4.5.6. b *Psal.*19.8.9. *Esa.*61.1.2.3. c 1.*Tim.*3.16. 2.*Tim.* 3.16.17. d *Ibidem Rom.* 1.16.

II.

Præcipuũ & maximè momentorum.

Nullus tamen eius dogma ista facit (si obtineat potentiùs & efficaciùs, *a* quàm id quo constitutum est, vocationis nostræ ad communionem Filij Dei vim neutiquam à naturæ viribus pendere, sed totam in solidum, quanta quanta est, à Dei gratia & Spiritus Sancti potentia proficisci: quod nos (Deo volente) explicare, & à calumniis vindicare instituimus, ea breuitate quam huius generis disputatio requirit.

a *Ephes.*1.13.14.17.18.19

III.

Ordo dicedorum.

Hoc vt ordine & viâ perficiatur, consideranda venit, primo quidem loco quæ ante vocationem sit animi conditio; tum quę in ipsa vocatione sint Spiritus Sancti, quæ voluntatis nostræ partes; denique, qui status animæ vocationem efficacem consequatur. Ita (vti speramus) celebris illa & tot disputationibus exagitata, de liberi arbitrij & gratiæ in negotio salutis concursu, quæstio explicata fuerit & definita.

IV.

Hominis status ante Vocationem.

Ac primum, vt ab eo ordiamur quod primo loco propositum est, hominem vocationem illam ante efficacem (de qua sola nunc agitur) Scriptura *a* seruum vocat peccati, *b* venditum vt subsit peccato, *c* naturâ filium iræ, *d* conceptum in peccato, vnde & non *e* secus peccato ac piscis aquâ sese ingurgitat, *f* cùm is sit nimirum cuius cogitationes constanter malæ sint, *g* cuius cor lapideum, *h* & supra omnia peruersum, *i* Deo aduersum & Dei legi tam pertinaciter repugnans, vt ei ne possit quidem se submittere, imò verò homo *k* adeò extra Christum nihil potest, vt in *l* offensis & peccatis sit mortuus.

a *Rom.*6.20. b *Rom.*7.14. c *Ephes.*2.3. d *Psal.*51.7. e *Iob.*15.16. f *Gen.*6.5. g *Ezech.*36.26. h *Ierem.* 17.9. i *Rom.*3.7. k *Ioh.*15.5. l *Ephes.*2.1.

V.

Doctrinæ de libero arbitrio maximè cõtrarius.

Atque hi tituli (si nihil aliud esset) satis arguunt, quàm sint illa vana quæ de liberi abitrij virib. in causa salutis vulgò iactantur. Etenim si serui sumus peccati, quo pacto cum seruitute poterit vnà consistere libertas? Si venditi vt peccatum in nos imperium habeat, erit-ne, præter filium, qui nos possit asserere in libertatem filiorum? Si in peccato concepti sumus, certè ingenitum nobis à natura peccatum est, proindeque non in natura, sed extra naturam tanti mali remedia quærenda nobis, & inuenienda sunt. Si cogitationes nostræ prorsus & constanter malæ sunt, poterunt-ne ad id quod verè bonum est adspirare? poterunt-ne esse bonæ simul & malæ? Si supra omnia humanus animus est deprauatus & peruersus, quæ potest inesse naturâ in nobis, vel animo fingi rectitudo? Si cor ipsum lapideum est, quo sensu affici, quo motu ad veri boni fontem ferri potest? Si extra Christum constituti nihil possumus, poterimus-ne (quod summum est) ad Deum redire? Si Legi Dei natura submittere sese non potest, est-ne vt possit vel cogitare ex sese, vel efficere quod verè bonum est? denique quis esse potest vel in bono, vel ad bonum, hominis demortui sensus aut motus?

VI.

Probatur ille status 1. ipsa experientia.

Profectò animi sensus, & ipsa (qua nihil esse potest certius) experientia satis ostendit, hominem Sancti Spiritus expertem non modò esse auersum à Deo, sed & vsque adeò aduersum, *a* vt Dei veritatem in mendacio detineat, *b* & à lege quæ eius inest membris, lege, inquam, peccati, (quicquid hortetur contrà iubeatque mentis lex) vinci se & captiuum abduci patiatur.

a *Rom.*1.18. b *Rom.*7.23.

VII.

Tum & ratione.

Ratio denique idipsum suadet. Cùm enim liberum arbitrium sit facultas quædam naturalis, vera autem sanctitas vel in iis sita sit, vel ab iis pendeat, *a* quæ omnem excedunt naturæ modum, *b fide, spe, & charitate*, fieri non potest vt natura suis duntaxat viribus instructa, eò se erigere atque assurgere queat.

a 1.*Cor.*2.14. b 1.*Cor.*13.13.

VII.

Quid homo in Vocatione sua præstet vel no prǽstet.

Cùm igitur hæc sit hominis nondum efficaciter vocati conditio satis inde liquet, ab homine nil ad vocationem sui posse afferri præter solam volendi aut nolendi facultatem, quæ si homini nulla inesset, ne homo quidem esset, nedum vt gratię diuinę particeps esse posset. Ex quo efficitur, neque homidem esse stipitem & truncum, neque agere etiam (dum obsequitur diuinę vocationi) naturę saltem viribus, sed hactenus quidem agi à Spiritu tantummodò: qui Spiritus

naturalem illam volendi aut nolendi facultatem, qua caro abutitur ad peccatum, auocat à malo, & ad bonum inuitat atque allicit, persuadendo quidem, sed tam potenter tantâque efficaciâ, vt animus sic à Spiritu affectus non possit non assentiri.

IX.

Actio Spiritus Dei in Vocatione.

Id quod vel inde intelligi potest, quòd illa Spiritus actio in Scriptura appellatur *a* creatio, *b* mortificatio, *c* viuificatio, *d* regeneratio, *e* renouatio, *f* illuminatio, *g* cordis lapidei ablatio, *h* carnei contra donatio, *i* conuersio, *k* sanctificatio, *l* fidei & *m* pœnitentiæ donatio, *n* liberatio, *o* è regno tenebrarum in regnum lucis traductio, *p* reuelatio, *q* tractio, *r* cordis apertio, *s* potens insitio, *t* vegetatio, *u* obsignatio, *x* operatio efficax conatûs & consummationis, *y* miseratio indurationi opposita, *z* ablutio, *aa* missio Spiritus, *bb* Legis in corde inscriptio. Denique in vocatione efficaci Deus ipse *cc* doctoris agit partes, & ita quidem vt omnia illa depellat quæ prohibere queant ne pareant vocati.

a *Psal.*51.11. *Eph.* 2.10. b *Rom.*6.2. c *Ephes.* 2.5. d *Ioh.*3.5. e *Ephes.*4.23. f *Ephes.*1.18. g *Ezech.* 36.26. h *Ibidem.* i *Ier.*31.18 & *Thren.* 5.21. k *Ioh.* 17.17. l *Philip.*1.29. m 2 *Tim.*2.25. n *Ioh.*8.31.36. o *Coloss.*1.13. & 1.*Petr.*2.9. p *Gal.*1.16. & 1.*Cor.*2.10. & *Matth.*11.25. q *Ioh.*6.44. r *Act.*16.14. s *Rom.*11.23. t 1.*Cor.*3.6. u *Ephes.*1.13. x *Philip.*2.13. y *Rom.*9.15. z 1.*Cor.* 6.11. aa *Gal* 4.6. bb *Ier.*31.33. cc *Ioh.* 6.45.

X.

Motus liberi arbitrij Ethicus non Physicus.

Satis hæc euidenter ostendunt, Spiritus in vocatione partes esse dantis hominis qui vocatur, accipientis duntaxat: nullamque in hoc negotio interueniente vitium humanarum cooperationem, nullum gratiæ & liberi arbitrij concursum, qui quidem possit efficere vt sociæ causæ locum obtineat, cùm tamen moueri à gratia liberum arbitrium necesse sit, sed motu, vt ita loquar, Ethico, non Physico, qui motus tamen sit tam efficax quàm si Physicus foret. Neque enim animo percipi potest, quo pacto liberum arbitrium (quod principium ethicum est) aliter quàm ethicè moueri possit, quamuis agnitâ *a* boni specie non *b* possit non commoueri, eoque vehementiùs quò illustrior est & nobilior species obiecta.

a *Act.*26.19. b *Cant.* 5.6. & 6.5. 2.*Cor.*3.18.

XI.

Solus est Spiritus Sanctus.

Et certè Spiritus Sanctus non ob aliam magis causam *a* *Spiritus Sanctitatis* appellatur, quam quia *b* nos sanctificat, *c* qui cum ex sanguine & libidine carnis & viri nati simus, (quæ *d* generatio nos excludit Dei regno) necesse est agnoscamus, esse quidem in nobis liberum arbitrium quod sanctificetur, at quod sanctificet, aut verò iuuet sanctificationem, nullum esse posse.

a *Esa.*63.10. b 1.*Cor.*6.11. c *Ioh.*1.13. d *Ioh.*3.5.6.

XII.

qui cordis nostri duritiem.

Nempe inest animis nostris affectus quidam erga res terrenas & nosmetipsos, acerrimus idem & vehementissimus, qui mentem præpedit quominus, vt oportet, Dei veritatem attentè consideret: vnde sequi necesse est voluntatis deprauationem atque alienationem à Deo, vt fiat illud. Tertull. Apolog. cap. I. *malunt nescire, quia iam od. unt*

XIII.

Hic est ille affectus quem Scriptura vocat *a* cordis duritiem, *b* cuique adeò tribuit mentis ignorationem, vnde reliqua omnia mala proficiscuntur.

a *Marc.*3.5. b *Ephes.* 4.18. *Ioh.*5.44.

XIV.

edomans

Itaque & is est propriè in quo superando atque edomando sese exerit illa Spiritûs vis admiranda, quam tantopere deprædicat Apostolus Ephes. I.

XV.

Idque Spiritus in nobis facit, dum nos miseriæ nostræ, & bonitatis Dei in Christo, sensu afficit, quam ad rem adhibet aliquando *a* solius verbi ministerium, *b* aliquando vtitur præterea pauoribus conscientiæ, & *c* angoribus animi sub cruce gementis, qui agendi modus in Scriptura *d* *ossium confractio* vocatur

a *Act.*16.14. b *Psal.*51.10.14. c *Psal.*119.67. d *Psal.* 51.10.

XVI.

Hominis conuersi Perseuerantia.

Hominis autem iam vocati efficaciter ea conditio est, etsi labatur interdum, at pessumdari tamen & funditus euerti non possit. *a* Manet quippe in eo Dei semen, cuius viuificæ facultati perseuerantiæ nostræ tota laus est tribuenda: quę si ab humani viribus arbitrij penderet, causa dici non potest cur non singulis momentis nobis esset pereundum: ea est inconstantia & leuitas voluntatis nostræ. Nempe non est credibile aliquid ampliùs in nobis, quàm olim in Adamo, præstare naturalem illam voluntatis libertatem.

a 1.*Ioan* 3.9.

XVII.

Magna interim est, & verè anxia piorum *a* sollicitudo ne gratiâ excidant, quam adeò Spiritus Sanctus in eorum animis gignit, vt vel hoc fræno eos in officio contineat, vel calcari ad officium faciundum impellat.

a 1.*Cor.*9.26.27.

XVIII.

Spiritus Sanctus author est

Itaque qui Spiritus est author nostræ vocationis, idem & perseuerantiæ nostræ vnicus author est censendus, vt hac quidem in parte eadem sit eorum habituum, quos *infusos* vocant, quæ est eorum quos *acquisitos* appellant, ratio: nempe, quibus, acquiruntur rationibus iisdem etiam conseruantur.

XIX.

nulla Arbitrij nostri cooperatione.

Igitur vt in prima vocatione, sic etiam in perseuerantia, nulla est liberi arbitrij & gratiæ cooperatio, est tamen (detur veniat verbo) *suboperatio*, vt nos conficiamus quidem salutem nostram, sed Deo efficiente in nobis velle & perficere. Philip.2.13.

XX.

sed hominum, Ministrorum Euangelij opera.

Quod autem Euangelij ministri *Dei cooperarij* *a* dicuntur, aliorsum pertinet, sic enim instituitur comparatio inter externam verbi prædicationem, eiusque in hominum animis vim & efficaciam, quarum prior à Deo quidem est, sed operæ humanæ interuentu, altera immediatè à solo Dei Spiritu proficiscitur: in quo apparet imago quædam cooperationis, homine extrinsecus loquente,

loquente, Spiritu intus persuadente. At hîc de sola interna illa Spiritûs efficacia agitur: quæritur enim, requirat-ne illa duntaxat assensum, (quod nos negamus) an verò (quod affirmamus) efficiat etiam?

a 1.Cor.3.9.

XXI.

Perseuerantiæ fundamentū.

Itaque totum hoc opus Scriptura Spiritui tribuit, *a* qui in fidelibus habitat, mundoque fortior est: *b* fidelitati Dei, qui suos non sinit tentari supra vires, sed vnà cum tentatione dat exitum, nec *c* opus suum rude & inchoatum relinquit: *d* potentiæ, & *e* precibus Christi, quæ *f* inanes esse non possunt: denique *g* nostræ vnioni cum Christo capite, quâ nulla arctior aut firmior cogitari potest.

a 1.Cor3.16. b 1.Cor.10.13. c Philip.1 6. d Ioh.10.29. e Ioh.17.11. f Ioh.11.42. g Osea2.19.

XXII.

Indidem proficiscitur, quod Scriptura vt piorum animos, ob eorum defectionem qui nomen aliquod in Ecclesia fuerant consecuti, perturbatos confirmet, *a* curam illam paternam quâ Deus prosequitur suos, *b* vimque & efficaciam Spiritûs iis ab oculos constituit: frustra, si hinc solùm ad nos rediret, quod hypocritis est nobiscum commune, *posse perseuerare si velimus*, non etiam *velle quod possumus*.

a 2.Tim.2.19. b 1.Ioh.2.20.

XXIII.

Idipsum verò est quod quotidianis à Deo precibus contendimus, id docente & iubente Christo, qui suos non vult orare frustra, neque verò *a* fluctuare animis & titubare inter orandum, sed certò statuere sese exauditum iri.

a Marc.11.23.24.

XXIV.

Et certè, si certitudo perseuerantiæ conuellatur, aut labefactetur etiam vllo pacto, necesse est salutis certitudinem simul nutare & corruere, si demque adeò debilitari & frangi, denique omnem illam piorum solidam consolationem in fumos euanescere.

XXV.

Sententia ista.

Sic explicatum est quæ sit gratiæ, quæ item liberi arbitrij, in prima hominis conuersione, tam etiam in perseuerantia, vis & efficacia, quam nemo melius definire queat quàm is qui dixit, *quid ergo liberum arbitrium? saluatur. Tolle gratiam, non est quod salues: tolle liberum arbitrium, non est quod saluetur.* Bernard. de libero arbitrio.

XXVI.

est fidei analoga.

Quæ sententia nec libertatem voluntatis tollit, nec vllam ei cum gratia cooperandi vim attribuit, neque iustitiæ diuinæ repugnat, nec hortationes frustraneas facit, nec studia veræ pietatis vel remoratur, vel remittit.

XXVII.

Gratiæ efficacia non efficit libertatem arbitrio.

Quomodo enim hæc gratiæ vis libertati voluntatis nullum relinquat locum, cùm non efficiat vt homo *velit*, (id enim homini à naturâ est insitum) sed tantum prohibeat ne *malè* velit, (quod est à peccato & naturæ corruptione,) vtque *benè* velit (quod est naturę integrę & illæsæ) faciat. Profectò, gratia morbum naturæ pellit, ipsam naturam fouet & perficit.

XXVIII.

sed illud ornat potius.

Itaque ista voluntatis humanæ determinatio eius naturam non destruit, sed conseruat & ornat. Neque enim *physica* est, à principiis physicis profecta; sed *ethica*, pendens à iudicio & ratione: nempe, vt finis non potest non appeti, (cùm tamen sponte & voluntariè appetatur) ita nec quæ ad finem tendunt, respuit voluntas, aut potest respuere, comprehensa semel atque agnita. Sanè qui metam seriò cupit contingere, eum necesse est velle etiam seriò cursu defungi, sine quo ad metam perueniri non potest.

XXIX.

Voluntatis determinatio non tollit libertatem.

Imò verò nec Deus amare bonum, nec malum liberè posset odisse, si ista (quam diximus) determinatio voluntatis cum eius libertate pugnaret; sed nec beati Angeli, nec apostatæ Spiritus, nec Sanctorum animæ cœlo receptæ, nec impiorum in inferos detrusæ, nec indurati in hac vita vllam haberent voluntatis libertatem, cum sit certissimum, in his omnibus voluntatem esse determinatam.

XXX.

nec reddit hominem trunco similem.

Itaque non tam in nos contumeliosi sunt, quàm in Spiritum Sanctum, qui odiosè exclamant, sic hominem statui stipitem, & truncum, & demortuum, sine sensu, sine motu, sine vita: sic enim loquitur Scriptura, dum nobis tribuit *a lapideum cor*, quod ligneo haud minùs rigidum est, eademque apertè clamat, *b nos esse mortuos in peccatis.*

a Ezech.36.26. b Ephes.2.1.

XXXI.

Nam causæ nimio studio abrepti, non satis attendunt quâ mente Scriptura, quo animo nos secundùm Scripturam loquamur. Scriptura namque, nosque adeò secundùm eam, hominem arbitramur in bono stupidum, in malo sensûs acerrimi; imò verò in *a* bono mortuum, in malo & in malum *b* viuentem, vegetum, & valentem, vt qui pro ratione insaniat, & nonnisi iudicij, & electionis interuentu, quæ verè bona sunt aspernetur, vt sit hic animi stupor à corporis stupore, & animi mors à morte corporis longè diuersa.

a Ephes.2.1.5. b Ier.4.1.22.

XXXII.

Vnde sequitur illâ cauillatiunculâ nihil calumniosius, frigidius, aut ineptius dici posse, *non peccant mortui* (inquiunt) *si admoniti non reuiuiscunt, neque verò stipites, si iussi se non mouent loco, proindeque nec homines in peccatis mortui, quorum cor malitia obdurauit.* Neque enim vel mortui quoad hanc vitam animalem, vel stipites agnoscunt, & contemnunt vocem monentis adhibito iudicio & ratione, quod strenuè faciunt qui mortui esse in peccatis, & habere cor lapideum in Scriptura dicuntur.

XXXIII.

Neque tollit laudem & vituperium.

Itaque & illud corruit, quod tam fluxò & instabili fundamento superstruxêre, *nullum vituperio, nullum laudi, præmio nullum, nullum pœnæ locum relinqui, si voluntas constanter determinata statuatur.* Quid enim; non diabolos & induratos vituperio, non pœnâ dignos censemus, etiam ob ea

quæ post primum lapsum admisêre, quorum voluntatem tamen in malo esse obfirmatam apud omnes in confesso est? Contrà, non Deum, non beatos Angelos laudamus, cùm certum sit tamen eos in bono immotos perstare?

XXXIV.

Et certè cùm sit hoc Dei ingenium, vt non possit bonum non amare, necesse est, eos qui ad Dei imaginem restaurati & reformati sunt, pro restaurationis & reformationis modulo, *a* bono arctissimè & firmissimè adhærescere. Contrà, *b* qui filij diaboli sunt, cùm patris imaginem referant, pari necessitate quod est verè bonum refugiunt, sponte tamen & volentes.

a *Ioh.*5.9. b *Ioh.*8.44.

XXXV.

nec Deum constituit iniustum.

Æquè vanum & friuolum est, quod dictitant, hac ratione *Deum statui iniustum, qui non causa, sed persona rationem habeat, cum paribus paria non reddat, quoque (quod non faciunt feræ & immanes belluæ) suos negligat, cùm omnium certa gratia sensu non afficiat; & tyrannum denique, qui damnet eos, qui ei obedientiam exigenti parêre, aut indurare volenti resistere nequaquam potuerunt.*

XXXVI.

Sed hæ sycophantiæ sunt sanè peruetustæ, & est *a* Apostolo luculenter refutatæ, vt nos minime deceat iis perturbari aut commoueri vehementiùs. *b* Deus enim aget ipse causam suam, & ab horum calumniis facilè vindicabit: est enim sapientissimus, potentissimus, & iustissimus.

a *Rom.*9. b *Ioh.*3.7.8.

XXXVII.

Deus enim liber est in dispensanda Gratia.

Quid enim? Deo non licebit, quod vilissimus homuncio sibi licere existimat, vt de *a* suo faciat quod ei libet? & cùm omnes à Deo indurari mereantur, mirabimur aut queremur vlli fieri iniuriam, si *b* miseretur quorum vult misereri? Num, si *c* vniuersum genus humanum passus fuisset hærere atque obrui in peccati cœno & voragine, in quenquam fuisset iniquior? Aut est natura nostra Angelicâ præstantior, quam *d* Deus restaurare noluit? quod tamen, si sic ei libuisset, (quæ est illius sapientia) facilè præstare potuisset.

a *Matth.*20.15. b *Rom.*9.15. c *Rom.*9.22. d *Heb.*2.16.

XXXVIII.

Vt illud interim omittamus, quod nihil in vita magis sit obuium, quàm exempla libertatis quâ Deus vtitur in dispensatione donorum suorum. Non occurrunt quotidie diuites, pauperes, ægri, valentes, hebetes, ingeniosi, cerebrosi, & acerrimo præditi iudicio? & (quod ad rem quam agimus plurimum facit) alij vocantur ad salutem per Euangelium, alij de Christo, ne fando quidem, quidquam vnquam acceperunt. Cuius disparitatis etsi causam nos ignoramus, Deus tamen nouit optimè pro singulari & immensa sapientia, citra cuius præscriptum nihil facit, quamque adeo nos mirari potiùs, quàm curiosè rimari decet: neque enim vel pueri virorum, vel homines consilij Diuini rationes queunt percipere. Rom.11.34.

XXXIX.

nec propterea crudelis est Deus.

At Vrsi, Leones, Tigres, aut si qua fera dici potest immitior, catulos suos amoris acri sensu prosequuntur, neque dilaniant aut vorant, ne in extremâ quidem fame, imò ne sinunt quidem vllum in eos sauire, quantum quidem in illis situm est, cùm tamen satis constet Deum multos sinere errare, labi, denique in exitium & perniciem ruere. Quid tum postea? Nûm sunt indiscriminatim & promiscuè omnes mortales Dei filij? aut eam habet nobiscum Deus cognationem & coniunctionem naturæ, quæ Vrsis, Tigribus, & Leonibus, cum catulis suis intercedit? Sanè, (vt pereat mundus) Deus suorum neminem nec passus est vnquam, nec patietur interire. Joh.17.12. 2.Timot. 2.19.

XL.

Quo minùs est ferenda istorum hominum inconstantia, qui dum de cura Dei erga totum genus humanum intempestiuè rhetoricantur, iidem tamen Deo iniuriam impingunt, quasi eorum quos in Christo semel est complexus, salutem tam oscitanter curaret, vt eos prorsus sinat deficere, quod illi horrendo vocabulo *apostasiam sanctorum* vocant.

XLI.

aut iniustus.

Sed & insignem Deo faciunt iniuriam qui negant, *Deum iniustum fore si ab homine exigat quod non potest præstare.* Quid enim? Non peccat hodieque diabolus eo quòd non possit non peccare? aut non peccant damnati, quos tamen constat aliud nihil posse quàm peccare? an non etiam ab illis fides exigi debuit *a* qui credere nequiuerunt, bonaque opera ab iis qui non credunt, cùm *b* impossibile tamen sit sine fide Deo placere?

a *Ioh.*12.39. b *Heb.*11.6.

XLII.

Duplex impotentia,

Cæterùm hac calumniâ nihil est putidius. Etenim, cùm sit duplex impotentia, altera *a* *ab infirmitate*, altera à *a* *malignitate* quadam animi profecta, illi alteram cum altera vel malitiosè, vel certè imperitè confuderunt: Nam vt impotentia ab infirmitate profecta veniam potius & misericordiam, quàm iram & indignationem meretur; sic altera illa, quæ ex insolita malitia oritur, exectabilis est, & quouis supplicio dignissima.

vna excusabilis.

a *Ioh.*5.44.

XLIII.

altera damnabilis.

Quid enim indignius est, aut diabolicum magis, quàm ita affici animo, vt Deum nequeas amare? In vita certè humana nullam vocem filius emittere possit immaniorem & diriorem, quàm si verè & ex animo dicat, non posse à se impetrari vt patrem amet. Quisquam-ne est qui hanc contumacem, præfractam & prodigiosam animi ingratissimi feritatem veniâ dignam, ac non potiùs atrocissimis pœnis expiandam putet?

XLIV.

quomodo Deus induret.

Consimilis planè calumnia est, quod Deo student inuidiam facere, *eo quòd nemo volenti indurare possit resistere:* Deus enim indurando non efficit, *a* sed fert magnâ potentiâ, certo consilio, duritiem in impiis: quomodo lingua Sancta *b* viuificare dicuntur, quicunque patiuntur eos viuere quibus vitam, si libuisset eripere potuissedt.

a *Rom.*2.4. & 3.24. & 9.22. b *Gen.*47.25. & 6.19. & *Num.*22.33.

XLV.

Non tolluntur hortationes.

Quòd verò negant, *vllum locum admonitionibus & horta-*

& hortationibus relinqui, si parêre atque obtemperare non est arbitrij nostri, & ipsi secum, & cum ipsa veritate pugnant. Fatentur enim, apud induratos & obstinatos admonitiones & hortationes esse infructuosas: nec audent negare tamen, Dei prouidentiâ accidere, vt & *a* indurati moneantur & excitentur, si fieri posit, ad pœnitentiam agendam.

a *Act.8.22.*

XLVI.

Quorum [...]us est v[...]us in piis.

Nam apud eos certè quorum miseretur Deus, admonitiones & hortationes quid aliud sunt quàm quędam veluti *a* plantationes & irrigationes, quibus scilicet Deus dat incrementum? Itaque non magis pugnant cum necessitate efficaciæ Spiritûs, quàm plantatio & irrigatio humana cum Diuina benedictione: quò & illud pertinet, *b nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant qui ædificant eam,* quo significatur, etiam non laborare frustra qui ædificant.

a 1. *Cor.3.6.7.* b *Psal.127.1.*

XLVII.

& in impiis etiam.

Apud reliquos verò eædem illæ cohortationes testimonia sunt *a* patientiæ Diuinæ, & diuitiarum benignitatis eius, quibus quod abutuntur *b* ipsorum vitio imputandum est, quemadmodum quod *c* iisdem ad salutem vtuntur electi, gratiæ diuinæ adscribendum est.

a *Rom.2.4.* b *Ibid.vers.5.* c 1.*Cor.3.6. Act.16.14.*

XLVIII.

Nec inducitur securitas carnalis.

Jam verò quod contendunt *carnis induci securitatem, nisi verbi efficacia partim humanæ voluntatis, non tota Spiritui attribuatur,* clarè testantur se non agnouisse quam sequatur agendi rationem Spiritus Sanctus, qui regenitos non modò monet, excitat, & impellit ad agendum, sed etiam *a* cautos & sollicitos reddit: quamobrem *b* Spiritus *precum,* & *c* Spiritus *timoris Domini,* & Spiritus *fortitudinis* appellatur, immò verò hic est Spiritus qui *d* subleuat infirmitates nostras: quæ omnia cum securitate pugnant.

a 1 *Cor.9.27.* b *Zach.12.10.* c *Esa.11.2.* d *Rom.8.26.*

XLIX.

Nam quo pacto, qui nouit Spiritum sic agère, poterit esse animo quieto & tranquillo, nisi sentiat hos motus? Et si sentit, erit quidem securus de euentu, cæterùm istâ securitate non auocabitur à labore ad otium, sed ab otio contrà ad laborem reuocabitur.

L.

Concursus lib. Arbit. cum Gratia.

Atque ita sunt depulsæ calumniæ quibus gloria Diuinæ gratiæ obscuratur: superest vt consideremus quàm absurdè, (vt ne dicam impiè) liberi arbitrij concursus efficax cum gratia statuatur.

LI.

prout à Nouatoribus explicatur.

Ref. 1.

Ac primum omnium illud obseruandum est, in hoc concursu gratiæ & liberi arbitrij quem damnamus, Spiritui Sancto monendi & excitandi duntaxat partes attribui; libero arbitrio, assentiendi & obsequendi: Ita *parêre Deo* (quod rei caput est) naturæ, *monere* verò *vt id facias* (quod leuius est) Spiritui Sancto adscribitur. Nemo certè eo quòd monetur, sed quòd monenti paret, bonus est.

LII.

2. Gratia erit communis, Naturæ vero singularis.

Tum, quid fingi aut dici potest magis peruersum ac præposterum, quàm gratiam communem vim liberi arbitrij (quod est naturæ) peculiarem facere? Nam si quicunque extrinsecus vocantur gratiæ Diuinæ participes redduntur, (vocantur autem extrinsecùs tam qui parent, quàm qui renituntur) omnino consequens est, vt gratia communis, assensus autem, qui est à libero arbitrio, sit peculiaris: Et cùm assensus sit peculiaris, sit verò à libero arbitrio, necesse est vt quod est liberi arbitrij, proindeque naturæ, sit peculiare.

LIII.

3.

Cùm autem omne discrimen filiorum Dei, & sæculi, in hoc positum sit, quòd hi minùs rectè, illi rectè gratiâ vtuntur; non sit autem gratiæ *vti rectè gratiâ,* sed liberi arbitrij, liberum vero arbitrium sit naturæ, omnino consequens est, vt omne discrimen filiorum Dei & sæculi sit à naturà, minimè verò à gratia, quæ ex eorum hypothesi communis est.

LIV.

4. Homini Deitas quædam tribuitur.

Illud verò omnium longè grauissimum est, quòd sic naturæ non iam Diuinitas, sed Deitas quædam ascribitur: cui enim debebit conuersionem, qui nihil agnoscit sibi à Deo datum, quod non hypocritis & impiis hominibus tributum sit? An Deo gratiæ authori? At illâ nisi benè vtaris nihil promouetur. An Deo naturæ authori? At natura communis est. Itaque aliud requiritur vt natura gratiâ rectè vtatur, alioqui cùm Deus vtrumque, tam gratiam quàm naturam, in his & illis ad conuersionem efficiendam adhibeat, eadem vis in his & illis idem effecerit. Nunc autem cùm sit discrimen, quo inter se differunt, longè maximum, erit in his aliquid quod in illis non est, quod tamen à Deo non est profectum, qui, ex hypothesi, iniquus esset scilicet, nisi eadem omnibus adminicula ad salutem suppeditaret.

LV.

5. Homo Deum eligeret, non contra.

Sic verò non Deus hominem, sed homo Deum eligere statuitur: nec Deus figulus, sed lutum; nec contrà homo lutum, sed figulus suæ salutis existimatur, quod & *a* Scripturæ, & rectæ rationi repugnat: quicquid enim à Deo est, commune esse, quicquid autem peculiare est, ab homine proficisci censetur ex hypothesi.

a *Ioh.15.16. Rom.9.11.*

LVI.

6. Fouetur superbia.

Vnde sequitur horrenda pietatis omnis & religionis euersio. Quis enim vel de se demissè, vel de Deo, prout decet, magnificè sentiet, qui sibi quicquam inesse, quod à Deo non acceperit, gloriabitur.

LVII.

7. Fides & consolatio aboletur.

Itaque, nec firmâ animi fiduciâ in vnum Deum recumbemus, neque certò apud nos statuemus nunquam fore vt nos derelinquat, cùm auxilium Dei in hoc solùm esse putemus, *vt nos si velimus, iuuet,* non etiam, *vt efficiat vt velimus,* verùm id ab arbitrio nostro pendêre, quo nihil est incertius.

LVIII.

8. Preces tolluntur.

Quid verò à Deo petamus quod ex arbitrij viribus pendet? Dedit enim Deus omnibus sufficientem gratiam, seu eam petierint, seu non petierint: usus autem illius gratiæ penes humanum

est arbitrium, ex hypothesi. Vnde consequens est, vsum precum omnino tolli.

LIX.

& Gratiarum actio,

Aut quid Deo gratias agamus quòd hypocritis præstamus? cum illud non sit à gratia, (quæ nobis cum hypocritis, ex hypothesi, statuitur esse communis) sed à recto gratiæ vsu, qui noster est scilicet, quippe à nobis profectus.

LX.

9. tollitur Prouidentia.

Denique sic tollitur penitus Prouidentia. Nam si in conuersione peccatoris non elucescit, & quidem præcipuè, vbi tandem se præbebit conspiciendam? non autem elucesceet in conuersione peccatoris, nî Deus constituerit peccatorem conuertere: neque statuerit Deus conuertere peccatorem, nî peccatoris animum ita afficere decreuerit vt oblatam non repudiet gratiam; neque ita affecerit eius animum, nî aliquid singulare, & quod aliis non indulget, ei concesserit: id autem fieri non potest, nisi totum hoc opus in solidum gratiæ tribuatur. Hanc autem cur Deus his potiùs quàm illis impertiatur, admirandum potiùs quàm disputandum est.

Itaque totam hanc disputationem, doctissimi, grauissimi, mitissimi, & sanctissimi Senis verbis concludamus. *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur vt persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat, ô altitudo diuitiarum! &, numquid iniquitas apud Deum? Cui ista responsio displicet quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.* August. de Spir. & litt. cap. 34. Quod ille nunquam dixisset, si vel tantillum semi-Pelagianis fauisset.

COROLLARIA.

I.

Vnitas & simplicitas diuinæ essentiæ ne rectæ quidem rationis iudicio ἀσύςατος est cum distinctione personarum, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, quibus est communis: est enim infinita, ideoque communicabilis, quantumvis indiuidua sit.

II.

Generatio æterna Filij, & processus Spiritus Sancti à Patre, & Filio, non tam ex Ecclesiæ consensu quàm S. Scripturæ authoritate credenda sunt.

III.

Vt peccatores Deo reconciliarentur satisfactio fuit necessaria: ea autem à nemine nisi Christo, Filio Dei, exhiberi potuit.

IV.

Huius satisfactionis nemo, nisi verè fidelis, fit particeps. Porrò fides in Christo non mortem solam, neque vitam solam intuetur, & ne hanc quidem vt causam sine qua non, sed vtramque concurrentem ὀργητικῶς & efficaciter, ad plenitudinem satisfactionis, qua loco nostro defunctus est.

V.

Itaque sola fide iustificamur.

VI.

Tam est ἀσύςατον, vt fides iustificans sit sine bonis operibus, quàm vt bina & bina non efficiant quatuor.

VII.

Fides non est omnium. Itaque prædestinatio est ad fidem, non modò ad salutem fidelium.

VIII.

Sacramenta N. Testamenti signa sunt & sigilla *Gratiæ* Dei à Christo instituta.

IX.

Ea duo sunt tantum, quorum alterum præcipuè fructum mortis Christi; alterum præcipuè mortem Christi significat & obsignat. Itaque alterum nunquam, alterum sæpe repetendum est.

PRÆLE-

PRÆLECTIO POSTERIOR HABITA XI. AVGVSTI 1618.

CVM EIVS THEMA PRIDIE EIVS DIEI, à Reuerendis & doctissimis viris Dnn. Examinatoribus præscriptum esset.

PRAEFATIO.

Reuerendi grauissimique viri.

QVOD neque meâ, neque amicorum opera ambiui, nec spe præcepi, aut animi voto concupiui, id mihi video hodierno die contigisse, vt Burdigala vsque huc accitus authoritate Synodi, Senatu huius Academiæ suffragante, & annuente Ecclesia Burdigalensi, stem in hoc consessu periculum mei facturus, an is sim qui cum aliquo fructu in ea Schola, in qua hactenus summorum virorum ingenium enituit, industria & labor desudauit, queam versari, idq; non tradendis sæcularibus disciplinis, sed Sacrosancto Dei verbo interpretando, atque aliis in hoc genere præeundo. Quæ res an me magis reficere & recreare, quàm perturbare & perterrefacere debeat, nondum apud me constitutum habeo. Nam (præterquàm quod, ex quo Pater ille Cœlestis ad Verbi Ministerium obeundum pro ineffabili sua bonitate me vocauit, vita mea curis & angoribus animi conflictata, & grauißimis iactata est & vexata tempestatibus) quod tamen nunquam ausus sum mihi arrogare, quantum nunc mihi iudicio maximorum virorum video oblatum, illud effecit, vt dum ad hunc locum, ad quem nisi doctißimis atque exercitatißimis aditus patere non debet, minimè adspiro, sed ad vsum duntaxat Christianæ plebis studia mea comparo, non potuerim ingenij culpam studio & diligentia resarcire, vt mihi magnopere verendum sit, ne minùs satisfaciam expectationi & opinioni vestræ. Rursus autem me recolligo: cùm idem apud me cogito, neque ambitu & prensatione (peßimis artibus) hominum mentes à me fuisse occupatas, nec vlla me huc deuenisse subnixum mei fiducia, sed tantùm ne viderer aliqua conscientia, non iam dico inscitiæ, sed tamen aliqua conscientia (nihil enim attinet reliqua dicere) deterritus, iudicia vestra refugiße. Nam si causatus fuissem imperitiam meam (verè quidem fortasse id fecissem) verebar ne non satis ingenuè & candidè id fecisse viderer: (est enim genus quoddam vituperandi sui ambitiosum) sin obtendissem illa quibus humanus animus ducitur, meorum desiderium, & nescio quam rerum mearum & rationum conturbationem, metuebam ne ea oratio hominem eum minimè deceret, cuius est alios ad hæc (si Dei gloria id poscat) aspernanda excitare: præsertim cùm ad hæc omnia accederent Ecclesiastici Regiminis leges, in quas ego me iurasse profiteor. Hac sola conscientia me sustento, cui spero Dominum non defuturum, confidoque adeò fore vt vos pro pietate, proque vestra æquitate, innocentiæ meæ faueatis, quod vos rogo atque obsecro, simul etiam vt cogitetis illud, rerum omnium initia esse rudiora, cæterùm adspirante Deo prouehi atque augeri. *Sed iam plus satis præfati sumus, ad rem ipsam veniamus.*

PHILIPP. Cap. II. Vers. 12.13.

12. Μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε.
13. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν, καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.

12. *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem conficite.*
13. *Deus enim is est qui efficit in vobis, & ipsum velle, & ipsum agere, pro beneuolo suo libitu.*

Doctrinæ Christianæ partes duę.

DOCTRINA Christiana tota in duas partes diuisa est, quarum altera in iis quæ homini cognoscenda, altera in iis quæ agenda sunt, versatur. Alteram licet δογματικὴν καὶ θεωρητικὴν, alteram ἠθικὴν καὶ πρακτικὴν appellare. Itaque altera pars ad mentem, altera ad animum & voluntatem, referenda: mens enim est quę cognoscit, voluntas quæ impellit ad agendum. Quamobrem Apostolus apposité totam hanc disciplinam *mysterium pietatis* 1. Tim.3. 16. & *veritatem quæ est secundum pietatem* Tit.1.1. appellauit: & *mysterium* quidem, quòd quæ ea traduntur cognoscenda, naturę luce comprehendi nequeant: *mysterium* verò *pietatis*, quòd eadem illa (quæcumque tandem sint) cognita semel & credita excitent admirabiles affectus pietatis: nil enim reuelatur, nil cognoscitur in religione Christiana, quod ad hunc finem non tendat, vt seriò pietati studeamus. Itaque illi vehementer errarunt qui Theologiam scientiis quarum finis præcipuus est contemplatio, ἀνάλογον esse tradiderunt: tota enim ad praxin tendit. Hinc fit vt Apostoli, iis explicatis quæ credenda sunt, hortationes subjiciant, quas non ex humanæ rationis luce maligna, (quod faciunt Philosophi) sed ex Christianæ fidei capitibus, vt riuulos ex fontibus, deriuant.

Theologia non est Scientiæ sed Arti ἀνάλογος, quid.

Loci huius summa, & Apostoli in eo mens.

Quod hoc loco Apostolus facit diligenter, qui postquam redemptionis nostræ modum & rationem in Christo descripsit, hortationem continuò inde elicit, ad perseuerantiæ in pietate studium cum humilitatis serio studio coniunctum: neque etiam Christianorum constantia est illa Stoicorum καρτερία præfidens & superciliosa, sed integritatis, quæ summam habet comitem animi demissionem, perpetuus & constans tenor. Simul eidem hortationi rationem addit, vt sic concitatior facta altiùs in hominum pectora descendat, vires, industriam, laborem, studium, conatum, & opera denique, nostra quidem esse, sed à Deo primùm profecta, qui nobis omnia suppeditat, idque nullâ aliâ adductus, aut impulsus causâ, quàm ob εὐδοκίαν; quia libuit nobis benefacere.

Ordo dicendorum.

Hæc summa est hortationis, quam vt assequamur, primo loco ipsa verba interpretabimur, tùm quæ contra Apostoli sententiam adferri queant diluemus. Et interpretationem quidem verborum non è lexicis, sed ex ipsa Scriptura petemus, gnari quàm grauiter in hoc genere ab iis peccetur qui secus faciunt.

Vocis κατεργάζεσθαι significatio. 1.

Igitur primùm hîc occurrit τὸ κατεργάζεσθαι, quod apud septuaginta Interpretes significat rem expolire rudem & informem; itaque vim verborum חרש & כרת sic expresserunt Exod. 35. vers. 33. vt vbi est בחרושת עץ verterint κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα, & בחרושת אבן λιθουργῆσαι τὸν λίθον. & 1. Reg.6.36. וטור כרותות ארזים, καὶ στίχος κατειργασμένου κέδρου. Eam huius vocis significationem eleganter Paulus traduxit ad significandam vim gratiæ, qua nos comparamur & idonei reddimur qui compotes simus immortalitatis. 2.Cor.5.5. ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, Θεός. Nos enim naturâ à cœlesti illa vita sumus alieni, non minùs quàm ligna & lapides illâ figurâ vacui sunt, qua deinde, sculptoris arte, exornantur. Quam ob causam etiam Dei οἰκοδομὴ 1.Cor.3.9. & κτίσις 2.Cor.5.17. & ποίημα Ephes.2. 10. dicimur, & *lapides viui* 1.Pet.2.5. Hæc prior est huius vocis significatio, quæ huic loco non vsque quaque conuenire potest.

2.

Sequitur altera. Significat etiam τὸ κατεργάζεσθαι rem inchoatam prouehere eousque donec absoluatur, atque hic est vsus huius verbi hoc loco. Quomodo Apostolus 7. ad Rom. vers.18. τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω, & omnino κατεργάζεσθαι est rem affectam dare. Quam ob causam Lex etiam dicitur iram κατεργάζεσθαι Rom.4.15. eò quòd proferat in lucem Dei iram aduersus peccatum, cuius sensus sine lege adeò non est acer, vt Apostolus peccatum, nisi sit lex, neget imputari Rom. 5.13. affirmetq; 1.Cor.15.56. *stimulum* quidem *mortis esse peccatum, at verò legem esse peccati vim*, seu conscientiæ tuæ, seu Dei iudicium spectes. Sed è diuerticulo in viam, κατεργάζεσθαι est hoc loco rem inchoatam promouere, vt infrà clariùs liquebit.

ἐργάζεσθαι non est idem.

Quamuis autem eodem pertinere videatur nobilissimus locus, qui est Iohan.6.27. ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν, spectat tamen aliorsum. Nempe Iudæis semper erant in ore opera: itaque legis præcepta in עשה & לא תעשה diuiserunt. Vnde & statim subjiciunt, τί ποιῶμεν ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ. Quam quæstionem sic soluit Dominus, vt in allusione persistat, Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, non quidem innuens fidem esse opus, sed ostendens tamen fidem esse qua illi potiùs quàm operibus ad salutem niti deberent. Simili allusione Paulus *legem fidei* dixit Rom.3.27 non quod fides propriè sit lex, sed quia Euangelium sectatoribus iustitiæ legalis, nisi perire velint, in locum legis subrogandum est. Sic fides *imputari* dicitur *in iustitiam* Rom.4.5. non quod in se sit iustitia, sed quod idem præstet vi Christi, vi promissionum quas amplectitur, quod iustitia efficeret. Sic explicata est vis verbi κατεργάζεσθαι. Nempe hortatur Apostolus Philippenses, vt quo cursu cœperant, eodem contendant ad metam. Itaque Arabs appositissimè τὸ κατεργάζεσθαι expressit his verbis, *crescite seu augescite magis in opere in quo est vita vestra.* Et Syrus, *magis operamini opus salutis vestræ*, i.e. *magis magisque.*

Σωτηρία, salus.

Sequitur vox σωτηρία. Κατεργάζεσθε, inquit, τὴν σωτηρίαν. Syrus & Arabs σωτηρίαν *vitam* verterūt. Neuter tamen assequutus est emphasim vocis σωτηρία. Est quidem σωτηρία vita, at vita omnis non est con-

quid sit est continuò σωτηρία: Nam & Deus viuit,& beati Spiritus viuunt, & quidem vitam beatissimam; sed σωτηρία est ea demum vita quæ miseris & deploratæ spei,& denique perditis hominibus obuenit. Itaque Spiritus Sanctus qui simplicissimè, cautè tamen & sapientissimè loquitur, felicitatem fœdere legis promissam *vitam* vocat, non *salutem*. Etenim, si qui vi legis viuunt, (viuit autem vi legis nemo) iidem non *seruantur*, sed tamen donantur vita; Donantur, inquam, pertinet enim vita, etiam lege promissa, ad gratuita Dei munera, quæ gratia חסד in Scriptura dicitur, quamuis ab illa gratia, quæ רחמים vocatur vita legis non pendeat. Nam cùm Deus etiam iustum remuneratur, vtitur חסד Exod.20.6. nemini enim quicquam debet nisi quia ei libet: quum verò impium seruat, certè vtitur חסד, at illo חסד quod est רחמים. Illud *gratia* simpliciter, hoc *misericordia* propriè appellari queat, vt sit planè ea differentia inter *vitam* & σωτηρίαν quæ est inter חסד & רחמים. Itaque Apostolus in diuina illa & admirabili Legis cùm Euangelio comparatione, cum de promissionibus Legis agit, *vita* semper meminit, cùm ad Euangelium peruentum est, *salutis*.

Salus ista porrò, *Dei salus* & *nostra salus* dicitur, (sicut etiam sanctificatio nostra *vita Dei*, & *vita* item *nostra*) *Dicant indesinenter, magnificetur Dominus, qui amant salutem tuam*, Psal. 70.5. *Domine in fortitudine tua lætabitur Rex, & in salute tua quàm vehementer exultabit*, Psal.21.2. sexcenta sunt huius generis loca; nempe *salus Dei* dicitur, quia proficiscitur à Deo: crebriùs autem & potissimum *nostra*, quòd eius nos reddamur per Christi gratiam compotes. Huius locutionis passim occurrunt exempla.

Eadem salus etiam *iustitia* vocatur, & quidem *Dei iustitia*, tùm *nostra* etiam, Psal.69.28. *Adjice peccatum peccato, & ne veniant in iustitiam tuam.* Et Psalm. 98.2. *In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* Et Esa. 56.1. *Itaque salus mea in proximo est vt veniat, & iustitia mea vt reueletur*, quo in loco *iustitia* & *salus* synonyma sunt. Quem ad locum & Paulus respexisse videtur Rom.3.21. Hîc vbique *iustitia* salus est. Salus item *iustitia nostra* dicitur Ierem. 51.10. *Dominus eduxit iustitiam nostram.* Et Psal. 35.27. *gaudeant qui vehementer cupiunt iustitiam meam*, haud dubiè salutem & liberationem significauit: nam continuò adjicitur, vt iustitiæ synonymum nomen, *Pax: qui*, inquit, *vehementer cupiunt pacem serui eius.* Quod priori loco *iustitiam* dixit, posteriori *pacem* nominauit.

Quarum locutionum ratio petenda est ex linguâ hebræâ, in quâ צדקה *probitatem* significat, & צדק *probum, benignum*: Vnde fit vt quicquid à benignitate quadam animi & clementiâ proficiscitur, quod beneficij rationē habeat צדקה & צדק appelletur. Quare צדקה ex Scriptura vsu ἐλεημοσύνην significat, quæ vox & ipsum misericordiæ affectum significat, & misericordiæ effecta. Itaque septuaginta Interpretes צדקה Deuter.24.13, & Dan.4.27. ἐλεημοσύνην interpretati sunt. Matth. 6. voces δικαιοσύνη & ἐλεημοσύνη promiscuè vsurpantur. Sed de vi verborum hactenus. Nunc verò rem ipsam consideremus.

Hortatur igitur nos Apostolus ad absoluendum opus salutis nostræ iam inchoatum. Similis extat admonitio Rom.13.11. νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. Non continuò inchoatur & absoluitur salus, quemadmodum nec mundus statim ac condi cœpit, absolutus est; quicquid cōtra senserit Augustinus (de Gen. ad litt. lib.4. cap.33.) quem alioqui sanctissimum & doctissimum hebraismi ignorātia impulit in errorem. Nam quod scriptum est *Deum omnia condidisse* יחד *simul* Eccles.cap.18.1. id ex vsu Hebrææ linguæ est *pariter*, siue *tam hæc quàm illa*, (יחד enim hanc vim habet, vt Psal.49.11. *sapientes* יחד ימותו *h.e. æquè moriuntur ac stulti & stupidi intereunt. Et vers.3.* יחד עשיר ואביון, *h.e. æquè diues ac pauper.*) Ille vnico momento mundum fuisse conditum & ornatum existimauit: quem errorem eò lubentiùs errauit, quòd ei videbatur illa agendi ratio diuinæ omnipotentiæ conuenire, dum non cogitat interim satis attentè (quod salua laude tanti viri dictum sit, cuius memoria apud pios omnes sanctissima est) Deum vti omnipotentiâ suâ non absolutè, sed prout eius sapientiæ conuenire videtur. Quemadmodum igitur in creatione prima quidam admirandi illius operis veluti gradus & internalla fuêre, sic item in noua ista Ecclesiæ reparatione, quæ *noua terra & cœlum nouum* dicitur Esa. 55.17. Deus opus suum non absoluit statim, sed sensim & paulatim promouet, donec ad beatum illum sabbatismum perducamur. Hebr. 4.9.

Vnde gemina exoritur difficultas: nam doctores Ecclesiæ Romanæ, & Nouatores semipelagiani, Ecclesiæ Christi turbatores, hoc loco abutuntur, ad stabiliendum impium & nefandum dogma, quo gratiæ monendi & excitandi, atque, vt illi loquuntur, iuuandi tantùm vim tribuunt, & naturæ humanæ, voluntati, ac libero hominis arbitrio annuendi, efficiendique vt gratia efficax sit, vires assignant. Quorsum enim inquiunt, tàm grauis & seria hortatio, nisi & nos aliquid possemus? etenim si parêre non est arbitrij nostri, iniquus profectò Deus est, qui exigat quantum præstando non sumus, & impossibile detrectantibus obsequium mortem minetur æternam. Tum etiam negant Deum agere seriò, si sic nobiscum agat, vt iubeat ea quæ à nobis fieri haud quaquam posse nouit certò.

Sed dum sic disputant miseri, non vident se imprudentes in atheismum delabi, nam & gratiam Dei hoc pacto non modò inanem, sed & damnosam reddunt, tùm etiam omnem prouidentiam tollunt: quorum vtrumque priùs ostendemus, deinde hunc nodum, qui illis gordius videtur, non secabimus, sed soluemus, Deo volente. Ac, vt inde incipiamus, gratiam Dei illi reddunt inanem: hoc enim volunt, *tantum exigi à nobis iure licere, quantum possumus*, exigi verò obedientiam, posse igitur præstari. Nihil ergo, ex illorum hypothesi, exigetur à nobis si nihil possumus, nil autem poterimus sine gratia: vnde efficitur, nisi adsit gratia, fore vt nihil iure exigatur. Quod si ita se res habeat, sanè neque debebitur quicquam: nihil igitur, nisi accedat gratia, debebitur. Itaque si absit, nihil iure exigi potest: quapropter etiam nec rei erimus coram Deo. Itaque ad absoluendum reatu, qui nullus erat, gratiâ nihil opus fuit. Sed

Marginalia: quid sit [σωτηρία]; differt à vita.; [Sal]us Dei.; cur nostra dicatur.; item, cur iustitia Dei.; & nostra dicitur.; ratiò huius appellationis.; Salus nostra non statim.; sed per gradus dicitur.; Hoc loco abutuntur Pontificij & Arminiani.; Sed sic Gratiam Dei reddunt.; 1. inanem.

euicimus eos sic disputando gratiam reddere inanem.

2.

Age verò ostendamus vt eam reddant damnosam. Ideo enim meritò damnamur, quod noluimus quantum potuimus: Iidem verò fatentur quod possumus id esse à gratia, gratia igitur fuerit damnosa quae efficit vt possimus, quod si non effecisset aut damnandi, proindeque saluandi fuissemus. Parùm verò in hac causa interest, sit ne gratia *per se* damnosa, an *per accidens*. Quicquid enim *per se* inane est, si *per accidens* damnosum fit (vt in templis statuae & pupae) propriè damnosum dici debet.

3. Deum faciunt illusorem, vel ignorantem.

Denique cùm negant Deum seriò agere, si exigat ea quae nouit ab homine non posse praestari, vel Deum faciunt illusorem, vel imperitum humanarum rerum; quorum vtrumque cum eius summâ sapientiâ & bonitate pugnat. Quid enim? audebunt-ne negare Deum scire qui parituri sint, qui minùs? aut si id nouit, (nouit autem certissimè) concedent-ne esse illusorem, qui eos hortetur quos nouit iam, si moneantur, non fore dicto audientes? quicquid ad ista responderint, suum ipsi soluerint nodum. Et certè quid respondeant aliud, quàm Deum etiam eos hortari, quos pro singulari sua prouidentia nouit optimè hortationibus nullum esse locum relicturos? vt hoc pacto bonitatis & longanimitatis suae, tum etiam contumaciae reproborum possit exstare documentum, nihil vt impij habeant quod praetexant malignitati & superbiae suae; quae nostra est sententia.

Soluitur Ex epto per oistinctionem de potis impotentia. 1.

Nam quod aiunt id demum verum fore, si statuamus improbos homines potuisse parêre; in verbo *potuisse* latebras quaerunt, etenim est quaedam potestas cui voluntas imperat, eam nos non negamus impiis & contemptoribus Dei (quales naturâ sumus omnes) vel maximè inesse, possumus enim Deum colere si velimus, indeque prouenit quòd iustus est Dominus cùm sententiam aduersus peccatores pronunciat. Quid enim prohibet quominùs pareamus? Certè non obstat inopia vllius facultatis, qua vtatur voluntas, quoties ad agendum quod voluimus, nos impellit: quae si abesset, certè nullum nobis hac quidem in parte peccatum inesset, vt si quis egenti & languenti subuenire seriò cupit, nec potest tamen. Si huius generis esset impotentia nostra, calamitas esset, vitium non esset:

2.

sed est quędam impotentia quę ipsi inest voluntati, (vt in Thesibus disputauimus) quae profectò peccatum est, quod se longè latéque diffundit. Itaque cum dicimus esse plerosque qui nequeunt esse viri boni, nolumus hoc sic accipi, ac si vellemus vllum esse, qui nequeat, si velit, esse vir bonus. Itaque vt est absurdum affirmare, Deum ab iis exigere obedientiam, qui etiamsi eam velint maximè, tamen praestare nequeunt; sic impium est negare quicquam ab iis deberi, qui soluendo sunt impares, quòd soluendo pares esse noluerunt; quae est natiua omnium nostrûm conditio.

quae reddit hominem inexcusabilem.

Iam verò qui hoc pacto non possunt praestare quod debent (nempe quia nolunt) certè apud eos hortationes non sunt frustraneae: vel enim hortando monendoque idonei redduntur, (est enim Verbum Spiritus sancti instrumentum, quo flectit & corrigit voluntatis nostrae prauitatem) vel illis admonitionibus fit, vt nihil sit quod malignitas humana possit iure obtendere: etenim sic praeciditur omnis ansa expostulandi cum Deo: quò respexit Paulus cap. 10. Epist. ad Rom ℣. 15. 18. Sic explicata est prior difficultas. Sequitur altera.

Quo sensu dicamur conficere salutem nostram.

Hortatur nos Apostolus *ad conficiendam salutem nostram*: imò verò & alibi Apostolus Timotheum sic hortatur, vt moneat fore, vt si officium faciat, *se primùm, tùm alios etiam sit seruaturus*. 1. Timoth. 4. 16. Quid ergo nos miseri & perditi, & deplorati, seruatores nostri sumus? non erit haec Christi solius laus Iesu nostri, *praeter quod nomen ea nullum aliud est*, &c.? Act. 4. 12. Sed aliud est salutem iure meritoque acquirere, aliud in partem salutis possessionem mitti; prius illud soli Christo conuenit, (cuius iustitiâ, obedientiâ, & morte salus nobis acquisita est, satisfactumque est iustitiae diuinae expiationem peccati exigenti) posterius hoc etiam soli Christo conuenit vt caussę primariae, sed nobis etiam tribuitur vt instrumentis quibus ad hanc rem Deus vtitur: quibus instrumentis tamen nulla penitus inest vis, quae ab illo fonte inexhausto omnis boni in nos non deriuetur. Itaque nec seruatores nostri sumus, nec dici possumus, sed tamen *conficere* hactenus *salutem nostram* in Scriptura dicimur, quatenus fide, poenitentiâ, perseuerantiâ, salus à Christo nobis parta aditur. Quomodo intelligendum est illud Augustini, *qui te creauit sine te, non te seruabit sine te*.

Quanquam vox ipsa σωτηρία satis indicat, posse quidem adiri à nobis possessionem salutis, at non posse acquiri. Etenim quibus obuenit *salus σωτηρία*, eos esse mortis reos necesse est: Itaque veniâ & remissione peccatorũ egent vel maximè, (quę praecipua salus est) id eò quod Paulus in remissione peccatorum hominis foelicitatem collocauit, Rom. 4. 6. 7. Jam verò qui rei sunt mortis, quorum beatitudo sita est in venia & peccati expiatione, eos-ne credibile est alio iure ad salutem posse niti, & contendere, quàm illo quod sanguine Filij Dei, atque eius absolutissimâ numeris omnibus obedientiâ, partum est?

quod non pugnat cum Christi Seruatoris titulo.

Itaque non pugnant ista, *Christus solus nos seruauit*, &c. *nos nihilominus salutem nostram conficimus*: solus nempe Christus ius adipiscendae salutis nobis impetrauit, nos autem instinctu Spiritus Christi illius iuris reddimur participes. Quod sine fide non fit, imò sola fide fit, quae Christum, quę Dei promissiones amplectitur, nobis applicat, & nostras facit: Quod & si fides sola facit, tamen cum id facit sola non est, sed trahit secum poenitentiam & bona opera, quae (vt verissimè dixit ille) *non sunt causa Regni, sed via regnandi*. Bernard. de lib. Arbit. Quomodo sola est in sole lux quae illustrat, at ista lux tamen non est, nec esse potest, sine calore.

Timor & tremor.

Hactenus fuit hortatio ad perseuerantiam, sequitur modus & ratio quam Apostolus vult à nobis in perseuerantia adhiberi. Ea verò his verbis describitur μετὰ φόβου καὶ τρόμου: quę nihil aliud quàm humilitatem atque summam animi demissionem significant, idque ex vsu sacrae Scripturae, quae nunquam alio sensu hęc verba simul iuncta vsurpat.

humilitatem significat.

In Veteri Test.

Quod vt liqueat, obseruandum est quinquies tantum

tantum in sacris literis hanc locutionem occurrere, eâdem semper mente; Primus locus est Psal.2.11. *Seruite Domino in timore* ביראה, *& exultate cum tremore* ברעדה, ad quem locum haud dubiè Apostolus respexit; iam verò nihil magis quàm trepidatio pugnat cum gaudio & lætitia summa, qualis eo loco describitur; est enim גיל, quod non *lætari* modò, sed *gestire & exultare* præ gaudio significat. LXX. ἀγαλλιᾶσθαι verterunt, quod non vulgarem sed quantam animus capere potest maximam lætitiam, ipso corporis habitu & gestu se prodentem, designat. Cùm ergo hic affectus cum *timore & tremore* coniunctus sit eo loco, nihil minus significare *timorem & tremorem* necesse est, quàm pauorem & consternationem, aut verò dubitationem & diffidentiam, quę non potest esse sine anxietate & sollicitudine. Itaque eo loco *timor & tremor* nihil aliud significant quàm modestiam & humilitatem: Etenim vt pauoris & mœroris argumentum & materia nobis inest, ita gaudij & lætitiæ in Christo.

Item Neu. Test.

Secundus locus exstat 1. Cor. 2. 3. καὶ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς. Paulus summâ præditus in Ecclesia secundùm Christum authoritate, ait *se versatum in infirmitate* ἀσθενείᾳ (qua voce LXX. reddiderunt Hebræum נחשל Deut. 25. 18. cum fallor) *in timore & tremore* inter Corinthios. Quid? num sibi à Corinthiis metuebat? minimè verò, sed eo loco humilitatem suam & mansuetudinem, atque animi simplicitatem cum pseudoapostolorum fastu comparat.

Tertius locus est 2. Cor.7.15. ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐδέξασθε αὐτόν. Quo loco Apostolus eo nomine Corinthios laudat, quòd summa cum reuerentia Titium exceperint: nam eum excepisse trepido animo & pauido, non fuisset admodum laudabile aut decorum.

Quartus locus Ephes. 6. 5. οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα μετὰ φόβου καὶ τρόμου: quo loco commendat seruis obedientiam & obsequium spontaneum erga dominos, à quo nihil est magis alienum quàm seruire illiberaliter, quod illi faciunt qui non nisi metu coacti officium faciunt: itaque adiecit Apostolus ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας.

vt & hic, quod probatur
1.
ex Antecedentibus.

Superest hic locus quem præ manibus habemus, quo μετὰ φόβου καὶ τρόμου idipsum quod alibi significat. Quod si nihil aliud esset, antecedentia & consequentia euincunt: Etenim hæc hortatio Apostoli ducta est à Christi exemplo. Christus maximis ornatus donis, quid dixi *maximis ornatus donis*? Christus verus Deus assumptâ serui formâ summam humilitatem testatus, atque ita decursu vitæ stadio coronam adeptus est: Itaque & vos conficite (inquit Apostolus) salutem vestram in timore & tremore. Profectò si hoc loco *timor & tremor* aliud præter humilitatem significant, ista minimè cohærent.

2.
ex Consequentib.

Tum quæ sequuntur idipsum arguunt: *Deus enim facit in vobis tum velle tum perficere.* Atqui si Deus facit horum vtrumque nulla metûs causa subest, humilitatis subest maxima. Quocirca alibi Apostolus verbum φοβεῖσθαι *metuere* τῷ ὑψηλοφρονεῖν opposuit. μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. Rom. 11.20. Atqui caussa nulla est cur metus propriè dictus superbiæ opponatur, cùm diabolo (quo nihil est superbius) & impiis, & sceleratis nihil sit magis meticulosum. Itaque eo loco φοβεῖσθαι planè ταπεινοφρονεῖν est, *demissè de se sentire.*

Duplex metus in piis laudabilis
1.

Atque hic, vt ad rem veniamus, vnus est metus quo corripiuntur Christiani, cùm de periculis, quibus se obsessos & circundatos vidét, sunt solliciti: diffidunt sibi, & ad Deum confugiunt: quomodo, qui matris vlnis gestatur infans in præcipiti loco, tantò arctius matrem amplectitur & stringit quantò casus magis est metuendus, itaque sibi diffisus matri fidit & firmiter adhærescit, certus se casurum ni adhærescat. Nam

2.

& alter metus est quo pij non corripiuntur, sed ducuntur, estque reuerentia Diuinæ Maiestatis, orta à consideratione tum bonitatis & gloriæ Dei, tum nostri peccati & miseriæ. Bonitas enim Dei (ea præsertim quæ in Christo nobis affulsit) ea est quæ Deum reddit amabilem, gloria reuerendum facit, faceret & tremendum, nisi cum bonitate quadam immensa & inexhaustâ esset coniuncta. Denique peccati & miseriæ nostræ cognitio nos cogit de nobis demissè atque humiliter sentire: quæ omnia ad veram humilitatem animis nostris ingenerandam concurrant necesse est, alioqui nihil fit.

qui non habeat eum dubitat opere, aut sui fiducia.

Itaque illi nullum gustum habent, nullo veræ humilitatis sensu afficiuntur, qui vel de Dei misericordiâ dubitát, vel viribus arbitrij quidpiam attribuunt, quorum vanitatem vnicus hic locus mirificè conuincit: Etenim ideò Apostolus salutem vult à nobis confici μετὰ φόβου (vt explicatum est) quòd omnia Deo, nobis planè nihil, debeamus: Itaque & bonitatis, & potentiæ Dei, & nostræ miseriæ nos admonet, nihiloque segniùs nos hortatur ad salutem peragendam: quod contemptoribus Diuinæ gratiæ, & Iesuitis, Nouatoribusq; Semipelagianis perridiculum videtur, Apostolo non videtur, qui nos hortatur strenuè, cùm efficaciam hortationis agnoscat non aliunde quàm à Deo proficisci, qui idem facit in nobis velle & perficere.

13. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν, καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.

13. *Deus enim is est qui efficit in vobis, & ipsum velle, & ipsum agere, pro beneuolo suo libitu.*

PROPONITVR igitur hortationis ratio his verbis, quæ nobis sigillatim explicanda sunt. Ordiemur autem à significatione vocis ἐνεργεῖν: Ea verò significat actionem coniunctam cum efficacia, & quidem summâ, quæ prohiberi nullo pacto possit, idque ex vsu Scripturæ, in qua sola rectè quæri & inueniri vocabulorum, quibus vtitur, significatio & potest & debet. Quod Hebraicè scriptum fuerat מי פעל ועשה, *Quis operatus est & fecit? vocans sæcula ab initio, ego Dominus,* &c. Esa.41.4. id LXX. sic verterunt τίς ἐνήργησε καὶ ἐποίησε ταῦτα; quo loco actio efficacissima, & quæ omne obstaculum perrumpat & tollat, significatur: Satis enim liquet eo loco agi de creatione & conseruatione mundi.

ἐνεργεῖν.

quid in Vet. Test.

Itaque Apostolus Paulus eâdem vtitur voce, cùm agit de executione decreti & consilij Diuini quod irritum fieri aut mutari non potest. ἐν ᾧ inquit, καὶ ἐκληρώθημεν, προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Vt vtrobique significetur efficacia quædam tanta, vt etiam obstantia & repugnantia cedant, quò res ad exitum perducatur. Similis est locutio Matth.14.2. αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ: Agitur eo loco de Christo, quem Herodis famuli, ob admirandã & inuictam in edendis miraculis vim, Iohannem Baptistam à mortuis excitatum superstitiosè crediderant. Sed & diabolus dicitur ἐνεργῶν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας Ephes.2.2. ad notandam potentiam & imperij vim, quod in reprobos obtinet. Nam cùm improbi naturâ procliues sint in peccatum, alieni autem à Deo, fieri non potest, vt accedente Satanæ æstu & tentatione, non ruant in omne scelus velut effusis habenis.

quid etiam in N signi ficet

Diabolo etiam tribuitur.

Quod ille (quantumuis callidus veterator) nequaquam obtineret, nisi ij, in quibus ἐνεργεῖ, *sponte* animi arcem proderent. Manent enim illud firmum, *nemo læditur nisi à semetipso*. In quo apparet insigne discrimen inter ἐνέργειαν Dei in iis qui vocantur ad salutem efficaciter & eam quam Satanas exercet in suis. Etsi enim tam hæc quàm illa tam efficax sit, vt euentus ita sequatur, vt non possit non sequi; Tamen diabolus nullis machinis, nisi quis assentiatur, quidpiam efficere potest. Cuius rei luculentissimum documentum Christus nobis exhibuit, qui tentatus à Satana Satanam repulit, *illisos fluctus rupes vt vasta refundit*. At Deus ἐνεργῶν efficit etiam, non impetrat modò assensum.

sed aliter quàm Deo.

Itaque cum Deus tradit Satanæ reprobos agitandos, non eo *coguntur* impij ad peccandum, verum tamen cùm Deus prauitatem ingenij humani, quam corrigere potuit, non corrigit, sed fert: Satanæque permittit, vt artibus vtatur suis, & instet dies noctesque (quod nisi permittente Deo, & quidem iustè & sapienter, non posset) id demùm *induratio* in Scriptura dicitur: non quod Deus peccati author sit, aut esse posit, (apage blasphemiam) sed quia nisi adfulserit Deus, & nos ἐνεργῶν in officio cõtinuerit, peccamus sponte quidem, sed tamen necessariò (*infallibiliter* sophistæ dicerent, quod eodem redit) quomodo terra, postquam occidit sol, prodit opacitatem & tenebras suas, cùm nemo tamen Soli tenebras adscribat, aut Solem (nisi fortè insaniat) tenebrarum authorem dicat.

Indurationis ratio.

Immo verò ne diabolus quidem in nobis malum efficit, sed procliuitatem & propensionem in malum, innatam prouitat, & excitat consopitam: cùm contrà Deus sit qui ἐνεργεῖ in suis *velle* & *perficere*. Quid enim scilicet inueniat Deus in nobis præter meras tenebras, & animi voluntatisque malignitatem quandam, donec illucescat nobis Spiritus Sanctus iubeatque (quod olim in primâ creatione fecit) vti *lux è tenebris emicet*? 2. Cor. 4.6. auferatque *cor lapideum*, detque aliud *cor carneum*. Sic explicata vis est vocis ἐνεργεῖν.

Sequuntur illa καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν: quibus verbis idipsum exprimitur, quod Apostolus hic ipse Rom 7.18. dixit, θέλειν & κατεργάζεσθαι *velle* & *perficere*; quod vel maximè facit contra semi-Pelagianos, qui volunt *velle* esse à nobis, *perficere* autem à Deo. Absurdissimè, vti postmodum apertiùs demonstrabimus, nunc enim in eo duntaxat sumus, vt verum & genuinum verborum sensum teneamus. Loquitur autem eò loci Paulus non de homine planè prophano & impio, sed de regenito, quatenus ei insunt prima regenerationis rudimenta.

θέλειν hic quid significet.

Sed redeamus ad ipsa verba τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, τὸ θέλειν καὶ τὸ κατεργάζεσθαι, quæ idem prorsus significant. Nempè duo sunt voluntatis motus, quorum prior inchoatus est tantùm: eum, barbarè quidem sed significanter tamen, in scholis *Velleitatem* vocant, non est enim voluntas certa & constans, sed tantùm inclinatio quædam, & leuis atque euanida animi commotio, qualis eorum est qui *virtutem vident, intabescuntque relictæ*: qui *vident meliora probantque, sequuntur verò deteriora*, qui vellent, vt dictitant, esse viri boni, nolunt esse tamen reuera viri boni; cùm *in pietatis negotio tantum vnusquisque possit, quantum seriò & vehementer vult.*

Duplex voluntatis motus.

1. quædam Velleitas.

Alter autem ille animi motus qui solis inest vere piis, neque iis tamen proh dolor! inest semper, ob reliquias carnis & peccati, quibus, quamdiu hic viuimus in terris, conflictamur: alter, inquam, ille animi motus est plena & constans atque immota voluntas vel in bono, vel in bonum. Et hic ἐνεργεῖν, & 7.cap.ad Rom. κατεργάζεσθαι dicitur. Itaque agit hoc loco Paulus de Dei efficacia in piis, iis scilicet qui non modò afficiuntur perfunctoriè pietatis studio, sed *ducuntur* etiam & *rapiuntur*. Iam verò, cùm nec animo cogitari possit tertius motus, Deus autem vtrumque istum efficiat, & quidem ἐνεργεῖν, sequitur nil inesse in humana voluntate boni, quod authori Deo non sit referendum in solidum.

2. constans certa voluntas.

quæ ἐνεργεῖν seu κατεργάζεσθαι dicitur.

Superest illud ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας: quem locum interpres Syrus & Arabicus, impudentes quidem illi, sed tamen corruperunt: Sic enim ille reddidit *Deus est qui efficit in vobis velle & perficere illud quod vos vultis*. Arabs autem sic, *quoniam Deus est qui inspirat vobis studium* (*seu efficaciam*) *vt velitis & faciatis id quod vultis seu desideratis*. Volunt nempe hìc intelligi humanam non diuinam εὐδοκίαν, quę manifesta est corruptela. Nam in iis quibus iam inest εὐδοκία quid opus est efficere *velle & perficere*? Etenim nihil opus est in illis qui iam volunt, efficere τὸ *velle*.

εὐδοκία hìc non hominis.

Tum εὐδοκία κατ᾽ ἐξοχὴν in Scriptura nihil aliud est quàm quod in scholis vocatur *Dei beneplacitum*, quodque Paulus alibi vocat εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ Ephes.1.5. Hæc est eadem illa εὐδοκία cuius meminit Christus, ναὶ, inquit, ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Matth. 11. 25. Vnde liquet nullam aliam esse causam cur Deus in his efficiat *velle & perficere* (quod in aliis non facit) præter Dei εὐδοκίαν. Itaq; & Apostolus ca.9. Epist.ad Rom.℣.15. dum studet causam reddere, cur alij indurentur, emolliantur alij, soli Dei voluntati totum id assignat. *Itaque*, (inquit) *cuius vult miseretur, quem autem vult indurat*. Huc etiam pertinet quod scriptum est Epist.ad Philip.1.29. ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη, *Vobis gratis datum est in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati*. Et certè quæ tandem alia causa reddi possit? cùm simus omnes naturâ pares, annon est necesse, vt quicquid

sed Dei intelligitur.

quicquid nobis inest discriminis (quod ab vlla bonitate animi proficiscatur) totum hoc à Deo sit? *quid* enim *habes*, inquit, *quod non accepisti?* 1.Cor. 4.7. Est-ne qui ausit respondere se habere, quod non acceperit, summum bonum, *velle quod est bonum & perficere*, aut verò alterutrum horum? Profectò, qui hîc contra cœlum oculos audeat tendere nemo est.

ὑπὲρ hîc pro κατά.

Non est autem quod quis miretur insolentiam particulæ ὑπὲρ, quæ hîc pro κατὰ posita est: Nam quod hoc loco Apostolus ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας dicit, alibi dixit κατὰ τὴν εὐδοκίαν: Ephes.1.5. sed nihil est istis præpositionum enallagis frequentius. Sic 2. Thessal. 2. 1. ἐρωτῶμεν ὑμᾶς, inquit Apostolus ὑπὲρ τῆς παρουσίας, pro διὰ τῆς παρουσίας. Sic ἐν αἵματι, pro δι' αἵματος Ephes. 2.13. & ita passim. item Joh.1.16. χάριν ἀντὶ χάριτος, vbi ἀντὶ positum est pro ἐπὶ, nam est Hebraicum חן על חן, significatur enim abundantia gratiæ Christi à Prophetis deprædicata. Nota est exclamatio illa *gratia, gratia* quæ exstat Zachar.4.7. Sic explicata est vis verborum, quibus hortationis ratio continetur.

Spiritus sanctificatis efficacia.

Iam verò rem ipsam intueamur propiùs, & accuratiùs expendamus. Eam autem duabus propositionibus complectemur, quarum priori huius efficaciæ vim & veluti τὸ πῶς definiemus, posteriori illius modum, & veluti τὸ πῶς describemus. Prima igitur propositio hæc esto, ἐνέργεια *Dei, quâ in suis efficit velle & perficere, impediri nullâ ratione potest.* Etenim si prohiberi posset, vel ideo prohiberi posset quòd illi *nolint*, vel quod cùm *velint* non *perficiant*: absurdum hoc vtrumque, quare & illud. Quomodo enim quod *velle* efficit & *perficere*, id impediatur *voluntatis culpa* quam *corrigendo tollit?*

est irresistibilis quod probatur. 1.

2. Tùm verò, est-ne credibile Deum *emolliendo* non tam potenter agere quàm *indurando*? Atqui ei indurandi nemo potest resistere Rom.9. 19. quocirca nec emollienti.

3. Iam verò quo sum & illud spectat? quò pertinet quod Apostolus huius ἐνεργείας vim tam magnificè effert, vt sibi satisfacere nequeat? Vocat enim eam non modò δύναμιν, sed μέγεθος δυνάμεως: neque id solum, sed ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως: neque hoc duntaxat, sed etiam ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τῆς κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ Ephes.1.19. Quæ nemo, cui non periit frons, negare potest significare vim, potentiam, & efficaciam qua frangitur & prosternitur voluntatis humanæ superbia, & contumacia naturæ aduersus Deum in ordinem cogitur.

4. Quamobrem etiam sicut ἐνεργείας vos mundi creationi significandæ tribuitur Ephes.1.10. sic vicissim *creationis* vox adhibetur ab Apostolo ad significandam huius ἐνεργείας vim. Ephes. 2. 10.

5. quia intellectus irresistibiliter illuminatur.

Denique fateantur necesse est, *intellectum non posse non assentiri veritati agnitæ, aut verò nondum agnitæ assentiri.* Itaque etiam fateantur necesse est, *eum qui agnouerit veritatem non posse non credere.* Iam verò ea est in mente Dei ἐνέργεια quæ efficiat vt agnoscas, imò verò & persentiscas Dei veritatem, qualis in Christo patefacta est, quam ἐνέργειαν Apostolus vocauit φωτισμὸν τῶν ὀφθαλμῶν τῆς διανοίας, εἰς τὸ εἰδέναι τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ & 2.Cor.4.6. φωτισμὸν γνώσεως &c.

Idemque Apostolus alibi totum humanum genus in duas partes diuisit, eos nempe qui seruantur, & eos qui pereunt: & horum oculos à Deo huius sæculi excæcatos, vt ne adspiciant Euangelij lucem, illorum contrà oculos, vt eandem intueantur lucem, à Deo illuminatos docet 2.Cor.4.3.4.5.6. Potest-ne, obsecro, qui mentis oculos non habet occæcatos, cuiusque adeo acies mentis luce Dei illustrata est, tantum & tam splendidum *solem* non videre, aut visum non admirari & venerari?

Voluntas autem sequitur intellectum.

Vnde sequitur neque voluntatem sic affectam posse reluctari: etenim fides sanctificat cor, *fide*, inquit Apostolus Petrus, *purificatis eorum cordibus*. Act.15.9. Non potest effici & gigni fides in mente, nisi continuò in voluntate charitas accendatur, illa charitas, inquam, *quæ morte potentior est*, nedum vt *vlla vi aquarum extingui queat*. Cant.8.6.

Et certè, *qui non diligit in tenebris versatur*, teste Apostolo Iohanne, 1.Iohan.2.11. Imò verò Paulus, tametsi multa de Christo audiuerat, multa in Christianis viderat haud dubiè quæ eum in stuporem darent, tamen non priùs agnouit Christum sibi reuelatum: (Galat.1.16.) quàm verè & sincerè Christo se totum tradidit. Quocirca testatur etiam, *ignotum fuisse Christum iis qui Christum crucifixerunt, haud crucifigendum si nouissent*. 1.Cor.2.8. Profectò, qui *retecta facie gloriam Domini velut in speculo intuentur, ij continuò transformantur in eandem imaginem*, 2.Cor.3.18.

6. Denique, vt concludatur tandem ista propositio, eodem pacto charitatem in nobis efficit Deus in hac vitâ, quo efficiet in futurâ: *charitas* enim *manebit* (1.Cor.13.13.) specie eadem etsi non gradu. Atqui, in vitâ futurâ sic efficiet vt amemus, vt fieri non possit vt non amemus. Itaque pro gratiæ modulo id ipsum in hac vita facit. Hæc est illa *inscriptio legis Dei, non in tabulis lapideis, sed cordis carneis tabulis* Ierem. 31. 33. Sic *facit Deus*, quod promisit, *vt ambulemus in statutis eius*. Ezech. 36.26.27. Reliqua è Thesibus petantur.

Voluntas flectitur persuasione.

Secunda propositio hæc esto, *Deus ista omnia facit persuadendo.* Motus hic Dei persuasio est, sed potentissima, valentissima, efficacissima, quâ voluntas *inclinatur, flectitur, ducitur, rapitur* denique. Vnde illa, *persuadeat* (aut *pelliciat*) *Dominus Iaphetum vt habitet in tentoriis Scemi.* Gen.29.27. Item, *Ecce ego persuasi ei* (*seu pellexi eam*) *& deduxi eam in deserto, & locutus sum secundùm eius cor.* Oseæ 2. 14. Præcesserant illa, *& visitabo*, &c. Item, *Persuasisti mihi Domine*, (vel, *pellexisti me*) *& pellectus sum.* Ierem.20.7. Vide autem vim persuasionis huius: *vim*, inquit continuò, *attulisti mihi, & superior euasisti.*

Quorsum & illa etiam pertinent. *A te dixit cor meum, quærite vultum meum, vultum tuum, Domine, quaram.* Psal.27.8. Et *Benedicam Domino, qui consilium mihi dat, qui facit etiam vt noctu me erudiant renes mei.* Psal.16.7. item, *manè, manè peruellit mihi aurem, vt audiam sicut qui docentur, Dominus aperuit mihi aurem, & non fui rebellis, non retrocessi* Esa. 50. 4. 5. Huc etiam illa Domini referenda sunt, *Quicumque audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, Iohan. 6.4.5.

Ac optandum quidem esset, rem tam claram clarè in Ecclesia proponi, & sine vlla verborum nouitate, quæ obscuritatem parit: sed quoniam res aliter se habet, & nobis, quid de vocabulis

Ethicus potius quam Physicus dicendus est.

(quibus hic motus in ſcholis deſignatur) ſentiamus aliquid eſt dicendum, omnium, ſi fieri poteſt, cum bona venia & pace. Hunc motum alij *Phyſicum*, alij *Ethicum* dicunt, nos magis propriè *Ethicum* quàm *Phyſicum* appellari poſſe putamus: non quod ab eorum mente, qui Phyſicum eum vocant, diſſentiamus, ſed quia eorum menti exprimendæ hæc vox non modò viſa eſt parùm commoda, ſed etiam reddere calumniæ vehementer obnoxiam. Qui enim motum Phyſicum dici audit, quid aliud ſtatim ſignificari putabit quàm *motum brutum, qualis eſt pecudum, quæ appetitu ducuntur, aut lapidum, qui feruntur deorſum impetu quodam naturæ, quæ ſui neſcia eſt*? At, qui *Ethicum motum* perſuaſionem iſtam vocabit, & anſam calumniæ præcidet, & rem appoſitè ſignificabit. Non ſumus interim neſcij nouos ſemi-Pelagianos ſuaſionem illam ſuam *motum Ethicum* vocare, ſed certè *ſuaſio*, ſi nihil aliud quàm *ſuaſio* eſt, non etiam *perſuaſio*, haud mouet; quin, *mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes.* Itaque ſuaſionem illam ſuam parum conuenienter *motum* vocarunt; illa enim ſuaſio in ſalutis cauſa, eſt nuda duntaxat rerum propoſitio (vt cùm deſcribitur Chriſtus & Chriſti beneficia) nil præterea eſt: aut ſi eſt aliquid ampliùs, inclinatio quædam animi eſt vt velit, non etiam vt perficiat. At nos perſuaſionem intelligimus, quæ efficiat *& velle & perficere*: qualis fuit illa Pauli perſuaſio, quæ tanta fuit vt profiteretur ſe συνέχεσθαι, & veluti *conſtringi amore Chriſti*. 2. Cor. 5.14. Sed homines miseri qui gratiam Dei meram ſuaſionem eſſe volunt, aliorum ſenſum ex ſuo ipſorum ingenio metiuntur; vel enim (ſi quis eorum vitam paulò attentiùs conſideret) homines ſunt omnibus coopertí probris, vel boni quidem viri, ſi eorum mores ad iuſtitiæ externæ & ciuilis normam exigantur, cæterùm vim iſtam Spiritus nec ſenſerunt vnquam, nec verò cupiunt perſentiſcere; imò verò ſubſannant & irrident eos qui ſe eam ſenſiſſe profitentur. Tu quidem ſic, ego (inquiunt) aliter ſentio. Nempe hoc illud eſt, *Si Euangelium noſtrum tectum eſt, tectum eſt iis qui pereunt*, &c. 2. Cor. 4.3.

PRÆLECTIO

PRÆLECTIO POSTERIOR HABITA XIII. AVGVSTI 1618.

CVM EIVS THEMA PRIDIE EIVS DIEI, à Reuerendis & doctissimis viris Dnn. Examinatoribus præscriptum esset.

PRAEFATIO.

Reuerendi grauissimique viri.

Deus se in creatione patefecit.

DEVS huic vniuerso, quacumque patet oculis nostris, tam illustria indidit signa potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ, eaque tam altè insculpsit, vt sine occasu atque extremo interitu naturæ deleri atque obliterari nequeant. Itaque author libri de mundo perelegantis quidem illius, sed qui tamen non minùs ineptè quàm falsò tribuitur Aristoteli, haud absurdè in hac mundi machina Deum tale quid fecisse scribit, quale Phidias in illa celebri Minerua, quæ in Athenarum arce reposita atque dedicata fuit. Phidiam namque fama est egregium inprimis sculptorem, cùm clypeatam, de more, sculpsisset Mineruam, vmboni clypei indidisse effigiem suam, eâ arte, vt in eo mutuò occurrentibus & desinentibus, tanquam fibula, membrorum statuæ commissuris, eius imago nisi soluta absolutissimi atque emendatissimi operis compage, inde non potuerit reuelli. Quod in admirando mundi opere designauit Deus, vt exstarent certissima atque illustrissima documenta & exempla sapientiæ & Diuinitatis suæ, Rom. 1. vers. 20. *vnde intelligi posset & cognosci illius numen, quod alioqui omnem sensum refugit, etiam oculorum, qui acerrimus tamen, idemq; purissimus, & ab omni materia maximè seiunctus est. Nil vt superesset, quod obtenderent impietati atque ingratitudini suæ mortales, si minus in contemplatione opificij tanti id facerent, quod in operum humanorum consideratione faciunt: solent enim, si in aliquid arte humana affabrefactum incidunt, in opificis laudes prorumpere.*

Sed multò magis, in Verbo.

Iam verò & in verbo suo id ipsum Dominus fecit, & quidem multò luculentiùs atque illustriùs. Cognitio nempe Dei, quæ ex naturæ opere petitur, obscura est & vmbratilis, præ illa sapientia quæ ex verbo hauritur: cui Deus tam expressas atque indubitatas Diuinitatis suæ indidit notas, vt (facessat modò illa prauitas & ingenij humani petulantia, quæ purissima quæque contaminare, & quæ sunt rectissima amat deprauare & intorquere) negari nullo modo possit eius sanctitas, atque authoritas planè cœlestis & Diuina.

quod ostenditur, 1.

Nam, vt taceam styli & characteris maiestatem cum summa coniunctam simplicitate, quam hominum nemo æmulari aut assequi possit, (quæ res vsque adeò Longinum, hominem à Christiana religione alienum atque abhorrentem, commouit, vt in libro quem scripsit περὶ ὕψους de sublimi genere dicendi, *non aliunde potius* τῆς τοῦ λόγου δεινότητος *exemplum, quàm ex Mosis scriptis petiuerit.)* 2. *Vt taceam item pondus rerum, grauitatem sententiarum, & altitudinem mysteriorum, quæ simul & percellit & demulcet animum legentis;* 3. *Cuiusmodi illud est & quantam obsecro vim habet ad proculcandam & obterendam impietatis sacrilegam audaciam, quod ea est librorum Veteris & Noui Testamenti, quibus totum Dei verbum consignatum est, consensio ac conspiratio, vt licet diuersissimis scripti sint temporibus, alteri tamen in alteris contineri videantur? Adeò certè vaticinia euentis, euenta vaticiniis conueniunt; adeo typi rebus, res typis quadrant, vt nullus sit, nisi quem vel impietas efferauit, vel superstitio dementauit, quin cogatur agnoscere tam hos quàm illos libros esse diuinos, cùm, quæ in illis adumbrata & prædicta fuêre in his exhibita & impleta describi videat. Cuius rei specimen illustre, locus quem præ manibus habemus, exhibebit. Exstat autem*

PSAL. LXVIII. Verſ. 19.

עלית למרום שבית שבי לקחת מתנות באדם ואף סוררים לשכן יה אלהים:

Aſcendiſti in altum, captiuos abduxiſti, accepiſti dona diſtribuenda *inter homines, etiam rebelles vt habitet* inter eos *Dominus Deus.*

Summa textus.

VBi deſcribitur multis ante ſæculis, annis ſcilicet mille, victoria, aut triumphus potius Chriſti, deuictis iam hoſtibus non ſine ſanguine & ſudore, in cœlum glorioſè aſcendentis fructus item tantę victoriæ, Chriſtiq; liberalitas & munificentia prorſus diuina. Quo in loco explicando hunc ordinem, Deo iuuante, ſequemur. 1. (more noſtro) ſingula verba & locutiones expendemus. 2. Iudaicam & Papiſticam huius loci interpretationem refellemus. 3. genuinam & veram loci ſententiam exponemus, & tum cum iis quę præcedunt, tum cum iis quæ ſequuntur (quæ regula interpretandi Scripturas facillima & tutiſsima eſt,) componemus. Denique ſi permiſerit Dominus, oſtendemus quid ſit hoc tandem, & quanti momenti, quod Propheta hîc euenturum promiſit, nos verò eueniſſe certò credimus.

ordo dicendorum.

עלית Chald. סליקת *aſcendiſti.* Compellat autem Propheta Deum, vt poſt modum liquebit. Iam verò in Scriptura Deus etſi vbique ſit (eſt enim infinitus, intra omnia, attamen non incluſus; extra omnia, nec tamē excluſus) nihilominus tamen & deſcendere dicitur, & aſcendere duobus modis. Et deſcendere quidem, quoties viſibili aliqua ſpecie obiectâ, teſtatur ſingulari quadam & certa ratione præſentiam ſuam: vt cùm ſe accingit Dominus ad exigendas à Sodomitis tot immanium ſcelerum pœnas, ארדה *deſcendam* (inquit Gen. 18. 21. hoc eſt viſibili ſpecie teſtabor præſentiam meam) *& videbo.* Et certè è tribus illis Angelis qui Abrahamo tùm apparuerunt, tertius ἐξοχικῶς יהוה dicitur verſ. 17. Sic idem ille יהוה ſe deſcēdiſſe dixit cum Moſem de rubo compellaret, in quo viſibili ſpecie, peculiari quodam modo ſe adeſſe teſtabatur. *Itaque,* inquit, *deſcendi,* וארד Exod. 3. 8. Huic autem deſcenſui opponitur aſcenſus quidam, qui tùm fit cùm Deus, poſtquam teſtatus eſt viſibili ſpecie præſentiam ſuam, eam ſubducit hominum oculis, vt cùm apparuiſſet Iacobo redeunti ex Paddan Aram, ſubiicitur eum *aſcendiſſe*, ויעל מעליו Gen. 35. 13. Nempe ſpecie diſparente.

Deus dicitur aſcendere & deſcendere.

duobus modis.

1.

2. Alter modus deſcendendi, qui Deo tribuitur in Scripturis, eſt cùm Deus hoſtium clade & interitu, ſuorum verò liberatione teſtatur Eccleſię, ſe vna cum illa in terris agere. *O ſi cœlum* (inquit Eccleſia, Eſa. 64.) *ſcindas & deſcendas.* Videtur enim Deus, quamdiu inſultat hoſtis & pij gemunt, cœlo ſe continere & feriari. Rurſus idem, cùm congreditur cum impiis, cùm eorum conatus vel eludit, vel frangit, videtur *cœlum diſcidiſſe, & deſcendiſſe* in terram. Atque huic deſcenſui oppoſitus eſt etiam Dei quidam aſcenſus, cùm deuictis & obtritis hoſtibus Eccleſia requiem naſciſcitur. Deus autem quaſi re perfecta, triumphabundus veluti, ſe recipit in cœlum arcem gloriæ & maieſtatis ſuæ, tanquam ſi nil negotij ei amplius in terris foret: ducta metaphora à principibus ſæculi, qui re bene geſta, victis & triumphatis hoſtibus, inuecti quadrigis magnâ pompâ in imperij arcem aſcendunt. Huc verò Dauid reſpexit Pſal. 7. 8. *Et cœtus populorum te circumſtet* (victorem nempe) *& huius rei gratiâ in altum reuertere* (triumphator ſcilicet.) Verſu præcedenti egerat Dauid apud Deum de auxilio impetrando aduerſus hoſtes Dei & ſuos, nunc hoc verſu ea re impetrata, quid euenturum ſit proponit, nempe (vt populus Dei Deum gratulabundus veluti circumſtet, tum verò Deus negotio confecto & peracto in altum, vnde venerat, reuertatur: quæ figura eſt non venuſta modò, ſed florida & ſplendoris atque luminis plena.

Chriſto autem vterque hic aſcendendi & deſcendendi modus propriè conuenit, nempè vtroque modo verè *deſcendit* priùs, tum *aſcendit*. Et priori quidem modo κυριώτατα, quoad eius fieri potuit: Nam cùm ſit Deus ὃ *ἐν σαρκὶ φανερωθεὶς, in carne manifeſtatus,* non ſe præbuit conſpiciendum, vt olim Patriarchis & Prophetis viſibili quidem ſpecie, verùm euanidâ & ad tempus, duntaxat aſſumptâ, ſed naturâ humanâ vnita eâ lege, vt cum natura diuina in eandem hypoſtaſin ita veluti coaleſceret, vt nullo æuo Perſona diuina eam eſſet abiectura, quin ſemper vnus idemque eſſet *Deus-homo, Homo-Deus, Immanuel, Deus nobiſcum.* Cùm verò non iam viſibilem ſpeciem, ſed naturæ humanæ veritatem, quam in Perſonæ vnionem aſſumpſerat, oculis hominum ſubduxerit & verè ſubuexerit in cœlum, eâ præditam gloriâ quam non capit mens humana, nedum vt vllis verbis tanta res explicari poſsit, certè propriè hactenus & Chriſtus dicitur deſcendiſſe de cœlo, & in cœlum aſcendiſſe: imò magis propriè quàm olim idem Filius Dei verus Deus aſcendiſſe & deſcendiſſe ſcribitur in libris Veteris Teſtamenti.

Chriſto conuenit vterque modus.

1.

Poſteriori etiam modo Chriſtus in Nouo Teſtamento deſcendiſſe de cœlo, & aſcendiſſe deinde in cœlum, magis propriè dicitur quàm in veteri (niſi vbi prædicitur eius aſcenſus, vt hoc loco) Etenim in Veteri Teſtamento deſcendiſſe dicitur congreſſurus cum hoſtibus Eccleſiæ typicis & carnalibus; at in Nouo Teſtamento deſcendit oppugnaturus & expugnaturus robur, vim, & omnem Satanę tyrannidem, mundi, peccati, & inferorum potentiam, quod fuit verè πρὸς τούτοις hoſtes veros Eccleſiæ frangere & debellare. Eodemque modo aſcendiſſe in cœlum dicitur in Nouo Teſt. tantò quàm in Veteri ſignificantiùs καὶ ἐμφατικώτερον, quantò illa victoria, & victoriam eam conſequuta pax, iucundior fuit, latiùs ſe diffudit, & maiorem cùm Chriſto, tum Chriſti populo gloriam peperit. Iſtud igitur verbum עלית vel maximè propriè Chriſto conuenit: nec ſupereſt quòd hic ogganniant Iudæi, vti poſtmodum Deo iuuante, oſtendemus luculentius. Aliorum verò pertinet quod Ioan. 3. 13. Scriptum eſt οὐδεὶς ἀναβέβηκεν, &c. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi is qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo.* Eo enim loco, vt intuenti Chriſti ſcopum ſatis liquet, *Aſcendere in cœlum* nil aliud eſt quàm *inquirere*

2.

alia ſignificatio phraſeos illius.

inquirere aut *admitti in conſcientiam Conſilij Diuini.* (Eodem ferè ſenſu eadem locutio vſurpatur ab Apoſtolo Rom.10.6. *Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cœlum,*&c.) Fortaſſe autem alluſerit Chriſtus ad factum Moſis, qui in montem aſcendebat Deum conſulturus, indidemque veluti à Deo ad Populum deſcendebat, vt hæc ſit Chriſti ſententia, *Nemo vnquam Conſcius fuit conſilij paterni, aut conſilium Patris reuelauit, aut verò eam habuit communionem cum Patre, vt tantum poßit, præter vnicum Filium*, quę prærogatiua haud dubiè tam Chriſtum eximit numero creaturarum, quàm Spiritum S. cui ea cum Chriſto communis eſt 1. Cor.2.11. oſtenditque euidenter eum eſſe verè Deum. Id verò eſt quod alibi docuit Chriſtus, *Patrem nemo vidit vnquam*,&c. Iohan.1.18. &, *Nemo nouit Patrem niſi Filius*, &c. Matth.1.27. Iam ad thema redeamus.

מרום cœlum hic ſignificat

Sequitur למרום. מרום *ſublime, excelſum*, vt plerumque in Scriptura *cœlum* ſignificat, vt Pſal.102. 20. proſpicit ממרום *de ſublimi ſanctitatis ſuæ, Dominus ex cœlo terram intuetur*, quod priùs מרום dixerat, poſteriùs apertiùs *cœlum* vocauit. Et Eſa.32.15. *donec effundatur ſuper nos ſpiritus* ממרום *de alto*, id eſt, *calitùs*. Eadem vox plurali numero idem ſignificat Pſal.148.1. *Laudate Dominum è cœlo, laudate eum* במרומים, *in excelſis* quod priori loco *cœlum*, hîc מרומים dixit. Et Iob.31.2. *Quæ portio Dei supernè erit, & quæ hæreditas optimi maximi* במרומים ἐν ὑψίςοις *è ſublimibus*, id eſt, *cœlis*. In Nouo Teſtamento redditur ὕψιςα, ὡσαννὰ ἐν ὑψίςοις Matth.21.9. δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ. Luc 2.14. hoc eſt במרומים. Idem etiam exprimitur voce ἐπουρανία ad Epheſ.1.3. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν χριςῷ במרומים. Cum ergo Propheta ait Deum, Filium Dei aſcendiſſe in altum, non quemuis altum locum ſignificauit, ſed ipſum cœlum, quod ſolum propriè & verè altum eſt, reliqua omnia non ἁπλῶς ſed comparatè alta dicuntur. Itaque coactus eſt perfidus Paraphraſtes (ſeu is ſit Ioſephus Cæcus, ſeu Aquila, nil refert) למרום interpretari לרקיעא hoc eſt *in firmamentum* ſiue *cœlum*. Hæc igitur duo conſecuti ſumus & Iudæis extorſimus, agi hîc de eo qui Deus eſt, & quidem de eius aſcenſu in cœlum, cum ſint voces שמים & מרומים ſiue מרום ταυτοδυναμοῦσαι. Sed pergamus.

etiam fatentibus Iudæis.

שבית שבי ſignificat hic

שבית שבי. Doctiſsimus Interpres vertit *captiuam duxiſti captiuitatem*, ſiue *multitudinem captiuorũ*: ſed iſta expoſitio luci huius loci tenebras offundere videtur. Quæri enim poteſt non abſurdè, quæ ſit iſta *captiuorum multitudo*: nec in promptu eſt quod poſsit appoſitè reſponderi, niſi velimus argutari. Quanquàm, ſi nil aliud eſt, valeat hæc interpretatio, habeat authoritatem ſuam: ſed aliud eſt certè quod prohibet quominus admitti poſsit, illud nempe quod hęc locutio, quoties occurrit in Scriptura, nil aliud ſignificat quàm *captiuos abducere*, vt Iud.5.12. in cantico Deboræ, *Exurge Barac* ושבה שביך *& abduc captiuos tuos, fili Abinoham.* Et Numer.21.1. *Cananæus Rex Arad pugnauit contra Iſraelem* וישב ממנו שבי, hoc eſt, *& abduxit de eos captiuos.* Et Deut.21.10. *cùm exieris ad bellum in hoſtem tuum, & dederit eum Dominus in manum tuam* ושבות שביו hoc eſt, *& captiuos abduxeris.* Et 2. Paral.28.11. *reddite* השביה אשר שבתם hoc eſt, *captiuos quos abduxiſtis.* Similis planè locutio exſtat Ezech.18.16. *qui neminem lædit, pignus non accipit*, וגזלה לא גזל *& rapinam non rapit.* Et cap.22.29.

Abduxero captiuos.

populus terræ violenter opprimit, וגזלו גזל *& rapinam rapit*: ferè vt latini dicunt *ſeruire ſeruitutem, vincere victoriam*,&c. Itaque non tam multitudo captiuorum hac repetitione deſignatur, quàm ipſa captiuorum abductio.

cepiſti dona hic ſignificat.

Sequitur לקחת מתנות quod LXX. verterunt ἔλαβες δόματα. Atque hîc græci Interpretes, Theodoretus in primis, mirificè argutantur; non enim capiunt quid ſit ἔλαβες לקחת. Itaque ſic hunc locum interpretantur, *Apoſtolus dicit* dedit, *vtraque autem acciderunt*, *quandoquidem qui* accepit *ab accedentibus fidem*, largitur *gratiam*. Quæ expoſitio frigida eſt, (vt nihil grauius dicam) & ab hoc loco aliena. Sed eò deuenire nil fuit opus, nec illi profectò, ſi vllum hebrææ linguæ vſum habuiſſent, ſic abuſi fuiſſent ingenio. Nam לקח, cùm de munere agitur, eſt dantis, non accipientis modò: ſolet enim cui animus eſt munus dare, id ſumere primum in manus, & componere atque ornare, & ita demùm compoſitum atque ornatum offerre. Itaque Gen.32.13. ויקח מן הבא בידו *& accepit de iis quæ ſibi venerunt in manum, munus ipſi Eſau fratri ſuo*: dicitur de Iacobo parante munus quod ad fratrem mitteret. Et capite 43.19. קחו מזמרת *accipite de præſtantiſſimis fructibus terræ in vaſa veſtra, & deferte viro illi munus*, inquit Iacobus filiis in Ægyptum profecturis. Deus etiam cùm exigit à populo Iſraelitico oblationem, *accipite*, inquit, Deut.12.26.) nempe mihi dandum. Itaque Paulus hunc locum citans verbum ἔδωκε poſuit pro verbo λαμβάνειν: Etſi enim fert aliquando errorem LXX. Interpretum, tamen hoc non facit ſemper, ſed certo conſilio, quoties nempe nullum adferunt cauſæ quam agit detrimentum, cuius rei exempla poſſumus afferre, ſi res eſſet noſtri inſtituti.

dediſti, diſtribuiſti.

אדם hîc ſignificat.

באדם Duobus nominibus vocantur homines in Scriptura Sacra, quorum alterum eſt איש alterum אדם, quaſi græcè diceres ἀνὴρ & ἄνθρωπος: ſed איש perinde vt ἀνὴρ linguâ græcâ ferè ſemper ſignificat virum *fortem*, vel *nobilem & clarum*: Contra אדם hominem *infirmum* aut *obſcurum*. Sic Samſon id nomen vſurpauit Iud.16.7. *Ero* כאחד אדם, *ſicut vnus è vulgo*; Et Dauid Pſal.82. verſ.7. *Attamen* כאדם hoc eſt *quaſi vnus è vulgo moriemini.* Vnde illa nomina בני איש & בני אדם quorum alterum *viros fortes* vel *magnates* ſignificat, alterum *homines infirmos & tenuioris fortunæ*. Pſal.4.3. בני איש *ô viri, quouſque gloriam meam in ignominiam* &c. Sed multò clariſsimè Pſ.49.3. *Etiam* בני אדם *etiam* בני איש *ſimul diues & pauper.* Dicitur igitur hoc loco Filius Dei, poſtquam aſcendit in altum, dona dediſſe hominibus, & quidem infirmis & abiectis, iuxta illud 1. Cor.1.26. *non eſtis multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, &c. Et, *Ago tibi gratias, ô Pater Domine cœli & terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaueris infantibus*, Matth.11.25. Quo loco non (vt cauillatus eſt nuper quidam ſemipelagianus δοκησίσοφος) notatur virtus illa ταπεινοφροσύνη, quæ non eſt aliunde quàm à Chriſti gratia, ſed ταπεινότης tantùm, & abjecta conditio eorum quos Deus eligit vt plurimùm, quibus reuelet gratiam ſuam. Itaque continuò ſubjicitur, ναὶ ὁ πατὴρ *quia ita placuit tibi.*

homine, abiectæ cõditionis

אף סוררים *Etiam rebelles* καὶ δὴ καὶ τοὺς ἀπειθοῦντας Magnam habet emphaſim particula אף, magnam item סוררים: non enim quilibet peccatores

Sorerim, hoc e. ſuperbi.

סוררים sunt, sed superbi & elati homines, tumidi & inflati inani gloriâ. Etiam ad hos gratia Christi redundat, etiam horum contumaciam retundit, & emollit, sed rarò admodum, & sunt haud frequentia istius Christi bonitatis exempla, nempe τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν quod apud homines sublime est, abominationi est in conspectu Dei Luc 16. 15. Deo namque libet ea quæ excelsa sunt in mundo dejicere, & veluti proculcare atque obterere pedibus: Contra, qui neglecti & contempti sunt, & quos mundus habet despicatui, eos euehere in dignitatem filiorum suorum. Itaque & scorta & propudia prælata sunt Pharisaico splendori & dignitati, Matt 21.31. Paulus fuit rebellis סורר tumidus, si quis alius. E gentibus nonnulli fuerunt summo loco constituti, quibus tamen lux gloriæ Christi affulsit; at huius generis exempla, vt dixi, rara sunt. Non perierunt omnes Pharisæi, euasit Nicodemus, Gamaliel, Ioseph Arimathæus: quotusquisque è tantâ multitudine? At quis numeret vel recenseat eos, quos Dominus è plebe vocauit? Tametsi enim, si cum reprobis conferantur, pauci sunt, attamen in se plurimi fuêre. Paucæ etiam è diuitibus fœminis Dominum Iesum secutæ sunt, nam, *quàm difficile est*, inquit Christus, *diuitem ingredi in regnum cœlorum* Matth. 19. 23. 26. Cùm autem subjecissent discipuli, *quis ergo potest seruari?* respondet Christus, *Apud Deum omnia sunt possibilia.* Quam ob causam etiam cœtus fidelium dicitur ἐκκλησία, non σύγκλητος: est enim ἐκκλησία vt plurimùm populi & plebis, σύγκλητος nobilium & optimatum, vt alibi monuimus.

etiam ad Christum vocantur.

sed pauci

Habitare de Spiritu Dei dicitur.

לשכון Paraphrastes Chaldæus hagiographorum, cęteroqui impudẽtissimus & ineptissimus Scripturæ deprauator, hunc locum tamen egregiè reddidit, nam istos סוררים vocat סרבניא *rebelles, qui sunt*, inquit, *proselyti, qui resipiscentia resipiscunt, habitat in illis* שכינת *Spiritus gloria Domini Dei.* Certè apud Prophetas sæpè Deus vocem *habitare* vsurpat, cùm agit de præsentiâ Spiritus sui in cordibus suorum. Itaque Rabbini Spiritum Domini vocauerunt שכינה *habitationem*, nam שכונה aliud est, *vrbis* nempe *regio* siue *vicus*. Et nihil ferè crebriùs apud Apostolum in Epistolis occurrit, quàm mentio huius habitationis, quàm expressit his vocibus οἰκεῖν, ἐνοικεῖν, κατοικεῖν, κατοικητήριον. Rom. 8. 11. διὰ τὸ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν. Et 2. Cor. 6. 16. ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς. Sic 2. Tim. 1. 14. Ephes. 3. 17. & Iacob 4. 5. ad inuidiam fertur spiritus ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν Ephes 2. 22. vocamur κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι. Imò verò ad ipsum vocis שכן & שכינה sonum aliquando alludit 2. Cor. 12. 9. ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ *vt habitet in me potentia Christi.* Sane שכן est *habitare in tentorio*, quod græce σκηνοῦν dicitur.

etiam in N. Testam.

Porro יה אלהים duo sunt è decem nominibus quibus Deus in Scripturis insignitur, quorum alterum יה videtur esse יהוה contractum, idque æternitatem diuinæ essentiæ significat: alterum verò אלהים significat relationem quandam Dei ad creaturas, designat enim dominium & potentiam Dei, authoritatem & vim quam exerit in mundo. Itaque Deus initio Geneseos, vbi de creatione agitur, non יהוה statim, sed אלהים vocatur. Vnde apparet cur nomen אלהים etiam creaturis, putà Angelis & Magistratui in Scriptura tribuitur: nempe in iis, ob ministerium eis commissum, relucet imago quædam diuinæ potentiæ & authoritatis: יה autem & יהוה creaturis nunquam tribuuntur, nisi fortè inanimatis ellipticè: Sic Arca ellipticè dicitur יהוה quomodo latinè *ad Mineruæ, ad Castoris*; supple, *ædem.* Itaque יה יהוה tum est genitiui casus, nisi mauis metonymiam esse rei significatæ ad signum ipsum significandum, cuius generis metonymiæ in Scripturis frequentissimæ sunt. Itaque hoc loco יה אלהים *æternus Deus* est, sed vim suam exercens in suis ad salutem, quâ de vi Paulus agit Ephes. 1. 19. cuiusque adeò nos meminimus Thesi 9. & seqq.

Ceterùm non est hoc loco nobis tacenda admirabilis quædam συ[illegible]ωρία. Aiunt Cabbalistæ (fides sit penes authores) יה symbolum esse illius affectus in Deo quo condonat peccata, eo quod in Psalmis frequentissimè illa occurrant הללו יה *laudate Iah*: materiam nempe amplissimã laudis diuinæ, & veluti segetem gloriæ ipsius esse misericordiam, & peccatorum remissionẽ. Tum verò etiam sic philosophantur, aiunt יה notam esse anni iubilæi, qui fuit annus restitutionis, etenim יה compositum esse ex ה notâ numeri quinarij, & י numeri denarij notâ, si igitur quinque per decem multiplicentur, seu decem per quinque exire quinquaginta, qui numerus est anni Iubilæi, vltimus ספירות בינה primus autem ספרות חכמה ad quem *exclusiuè* (vt loquuntur) peruenit Moses. Etsi autem recentiores Iudæi quid sibi hoc velit, quod Moses quinquagenarium capere non potuit, haud assequuntur, est tamen credibile veteres Iudæos eos voluisse obscurè significare imbecillitatem legis ad iustificandum: nempe posse quidem lege excitari in hominum animis remissionis desiderium, cæterùm ad remissionem consequendam aliò quàm ad legem esse confugiendum. Itaque peruenit quidem Moses vsque ad oram & limitem terræ Canaan, vlterius non est progressus: Iosue fuit, veri *Iosuæ* typus, qui populum in terram promissionis introduxit. Hæc ergo est in summa loci huius sententia. *Tu Deus, Fili Dei, ascendisti in cœlum, tu deuicisti, tu triumphasti de hostibus tuis, de hostibus tuorum, tu tuam munificentiam testatus es abjectæ & contemptæ sortis hominibus, etiam tu rebellium & superborum fastum & contumaciam deiecisti, mitigasti, emolliuisti, vt ij essent in quibus habitares potenter per Spiritum tuum.*

Dictum Cabbalisticum obseruãdum.

Sed vindicandus iam est hic locus à Iudæorum, tum etiam à Pontificiorum calumnia & iniuria, deinde vera sententia explicanda & illustrãda, quod à nobis initio propositum est. Quatuor autem sunt in primis Iudęi qui in hoc loco corrumpendo laborarunt. Primus est Chaldæus Paraphrastes, qui licet למרום interpretatus sit לרקיעא tamen Mosen vult hoc loco compellari. Atqui רקיעא *firmamentum*, nullo pacto montis (Sinai putà) verticem quãtumuis editum significare potest, nisi quis loqui velit ἀκύρως, quia mõtium iuga ad vsque mediam aëris regionem vix se erigunt: sed esto tamen, possit aliquando *firmamentum* hoc sensu intelligi, hoc loco certè non potest, neque enim toto hoc Psalmo Moses compellatur, sed Deus; tum, actum est superioribus versibus de constitutione Ecclesiæ Judaicę, ad id vsque tempus quo Hierosolymis constabilita est sedes & domicilium cultus diuini. Quod si

Vindicatur hic locus

I. contra Iudęos, nempe Chaldæum Paraphrastẽ.

Quod si quis requirat vnde factum sit, vt inde statim transitus fiat ad ascensum Christi in cœlos (nulla mentione facta exinanitionis Christi) in promptu caussa est, Psalmi huius argumentum faciunt solæ victoriæ & triumphi Christi. Itaque non satis consultò omissa sunt in editione Antuerpianâ illa verba משה נביא *Moses Propheta:* tantum enim abest (quod authores illius editionis metuebant,) vt inde vllum offerri possit scandalum, vt contrà nullus æque locus probet Judæorum pertinaciam & perfidiam ac iste, in cuius interpretatione satis impudenter profitentur inueteratum aduersus Christum odium. Illum verò locum שבית שבי *captiuam duxisti captiuitatem*, exponit, *docuisti verba legis* (nisi forte traiectio sit) quo nihil ineptius est. Secundus qui hunc locum deprauauit est R. Salomo Jarchi, qui Paraphrasten Chaldæum est sequutus, nisi quòd illa אף סוררים sic interpretatur ac si hoc vellet Propheta, *Mosis ministerium in caussa fuisse, vt Deus in tabernaculo vellet habitare inter Iudæos, qui fuerant antea rebelles, Deumque irritarant.* Itaque iisdem, quibus ille, rationibus refelli potest. Tertius est Aben Ezra, qui Dauidem hîc vult cõpellari, & למרום interpretatur מבצרים *arces & propugnacula munitissima.* Absurdissimè, nam למרום κατ' ἐξοχὴν positum, *cœlum* significat: illa verò *accepisti dona inter homines* interpretatur *seruos diuenditos:* ista autem *etiam rebelles* &c. sic enarrat, *Et ferient fœdus tecum rebelles qui proselyti erunt, & habitabunt in loco Maiestatis tuæ.* Quartus est Kimchi, qui nouum & sibi peculiare commentus est huius loci interpretamentum: Vult enim *ascensu Dei in altum* notari *subductionem auxilij diuini*, contra vsum huius locutionis in Scriptura: Et illud, *abduxisti captiuam captiuitatem* de populi Israelitici captiuitate intelligendum putat. Reliqua autem interpretatur, *Dona quæ dedisti hominibus*, nempe, *vt habitare faceres Majestatem tuam inter eos, vt quæ seruares eos ab omni malo, accepisti*, hoc est, *abstulisti illa dona* &c. Quæ absurdissima sunt, & pugnant cum Psalmi scopo, qui est ἐπινίκιον, & gratiarum actio potiùs quàm querimonia: nempe deprædicatur toto psalmo bonitas Dei in asserendo in libertatem populo suo. Itaque si hæc Kimchiana glossa admittatur, non cohærebunt ista cum iis quæ præcedunt & quæ proximè sequuntur. Sic vindicatus est hic locus à Judæorum fraude.

Salom. Iarchi.

Aben Ezram.

Dau. Kimchium.

2. aduersus Pontificios.

Pontificij supersunt redarguendi, qui ex hoc loco limbum Patrum exsculpere student. Quo argumento? Nempe, inquiunt, abduxit Christus captiuitatem captiuam, (hoc est, Patres è limbo eductos) dum in cœlum ascenderet. At, inquam, nos suprà demonstrauimus istam locutionem nunquam adhiberi in Scriptura, nisi quoties de hostibus agitur: Patres verò est ne quisquam qui dicat Dei hostes fuisse, aut fuisse ductos captiuos cum liberarentur? Itaque nihil hic locus Pontificiorum caussam iuuat. Nam quod Apostolus, loco hoc citato, Christum dicit *descendisse in inferiores partes terræ*, Ephes. 4. 9. phrasis est hebræa לתחתיות הארץ quæ propriè *quemuis locum subterraneum*, & methaphoricè *vterum* (Psal. 139. 15.) significat; Nec est quod huc adferaut quod scriptum est, fuisse Christum ἐν καρδίᾳ τῆς γῆς, Matth. 12. 40. (quibus verbis limbum volunt intelligi) cùm Tyrus etiam dicatur esse ἐν καρδίᾳ τῆς θαλάσσης, Ezech. 27. 24. cùm tamen sit insula terræ proxima. Locutiones sacræ Scripturæ sunt ex eius vsu interpretandæ. Sic dicit Dominus apud Dauidem Psal. 16. 10. *Non derelinques animam meam in inferno*, vel, *in sepulchro* (eadem enim sunt ista ex phrasi hebræâ) vbi נפש *anima* corpus hominis recens mortui significatur Num. 9. 10. *Si vllus è vobis immundus erit* לנפש, h. e. *propter cadauer*, siue *hominem mortuum*. Nam quod ad Hebræos (cap. 9. 8.) Apostolus docet *stante tabernaculo typico verum tabernaculum non fuisse restratum*, aliò spectat: Nempe Apostolus hoc vult, *nondum ingressum fuisse summum Pontificem Ecclesiæ in verum sanctuarium, quandiu velum Sanctuarij carnalis non fuit scissum*, quod non negamus; at inde non efficitur pios ante illum Christi ingressum, nullum fructum mortis Christi persensisse, quæ summa fuisset miseria. Nec ab hac mente diuersus abit Augustinus. Quin hæc est illius vox (quam frustra Bellarminus calumniari voluit & obscurare.) *Illis iustis qui in sinu Abrahæ erant, cùm ille* (Christus) *in inferna descenderet, nondum quid contulisset inueni, à quibus eum secundùm* BEATIFICAM *præsentiam suæ diuinitatis nunquam video recessisse.* August. Epist. 99. ad Euodium. Reliqua quæ Pontificij afferunt ad astruendum fictitium limbum, quia non est hîc excurrendi locus, & illa sunt leuissima, lubens prætereo.

cum aliis locis, quibus similiter abutuntur.

Agitur hic

Sequitur iam quod tertio loco disputandum proposuimus, superest enim probanda atque astruenda vera huius loci sententia. Nullus est verè Christianus qui neget hîc agi de ascensu Christi in cœlum illustri illo & glorioso; sed alij aliter. Alij, hîc primùm agi de ascensu Dei ex Ægypto in loca deserti montosa, qui ascensus typus sit, scilicet, ascensus Christi in cœlum. Alij, κατὰ τὸ ῥητὸν ista ad Dauidem, tum ad Christum (cuius Dauid typus fuit) referenda censent. Neutri, vt videtur satis appositè: Nã nec ascendere Deus in Scripturâ dicitur, nisi cùm in cœlum ascendit, (vti demonstrauimus) nec למרום, cùm de Deo agitur, vnquam aliter quàm de cœlo intelligendum; Dauid verò toto hoc psalmo non compellatur. Itaque hoc loco de Christo agitur citra typum: Id verò liquebit seu præcedentia respiciamus, seu consequentia. In præcedentibus agitur de liberatione typicâ, de triumpho Dei typico, de liberatione populi Israelitici (*Israelis*, inquam, *secundùm carnem*) ex Ægypto, de triumpho Dei, hac perfecta liberatione. Hîc agitur de liberatione spirituali *Israelis secundùm spiritum*; de triumpho Christi, qui eam liberationem consecutus est. Supra *Sionis* mentio fiebat, ad cuius radices sitæ erant Hierosolymæ, quò ascendebant adoraturi; hîc fit mentio *veri Sionis*, quò, spiritu Ecclesia in terris agens ascendit. Sequentia verò id ipsum euincunt, reliquus enim Psalmus consumitur in prædicanda insigni quadam & indelibata victoria; quam consecuta sit gentium cum populo Israelitico consociatio; quæ etsi verbis res terrenas significantibus designentur, aliò tamen haud pertinent quàm ad Christi triumphum, & gentium vocationem celebrandam. Est enim Prophetarum mos (& verò res ipsa id poscebat) vt statum regni Christi, Christo nondum exhibito, τυπικῶς & figuratâ oratione adumbrent.

non de Christi typo,

sed de Christo citra typum.

Christi Deitas.

Ventum est tandem ad eum institutæ enarrationis locum, in quo rei quæ hîc prædicitur à Propheta, grauitas & pondus est expendendum;

illud verò ante omnia, quod hîc Christus clarè Deus vocatur: id quod satis cõstat ex totius Psalmi ordine & serie orationis. Etsi autem nõ sit res huius instituti, neque verò etiam consilium nostrum, excurrere in locum communem de Christi Deitate (quam contemptores Filij Dei & admiratores sui, nefario scelere, quantum quidem in illis est, abolitum eunt) tamen cùm hic de Christo, tanquam de Mediatore, agatur, ostendemus paucis, quàm arcto vinculo Christi Mediatio cum eius Natura diuina connexa sit; vtq; sublatâ eâ Mediationem tolli continuò necesse sit. Nam etsi nonnulli sint qui in dubium ausint vocare Æternitatem Filij Dei, pauci tamen sunt qui audeant Mediatoris nomen ei adimere: nisi quod infaustus ille Faustus Socinus (monstrũ & scelus hominis) cùm vidisset non posse consistere ea quæ decessores sui in Polonia sparserant de natura & persona Christi, cum iis quæ fidem illi de Christi Officio Mediatorio docebant; cumque esset illi constitutum διαφυλάττειν τὴν θέσιν, eo insaniæ prolapsus est, vt reapse sublata mediatione nomen inane Mediatoris Christo reliquerit. Itaque ex eo quod Christus Mediator noster est, & Deum esse, & quidem Deum nostrum, non fictitium illum aut nouitium, qualem eum hæretici finxerunt, sed verum & Æternum, rationibus necessariis addicemus. Solis enim splendor tantus est, vt si quis contrà tendat oculos, magnopere sit metuendum ne penitus excæcetur; at si eius radios, quâ terram pertingit *& lumine vestit purpureo*, contemplemur, & inde suauissimam percipiemus voluptatem, & facilè intelligemus quàm sit inexhaustus lucis fons, quam purus & limpidus, vnde illi luminis riuuli ad nos vsque dimanarunt.

contra Socinum.

ex munere Christi Mediatorio probatur.

Neque tamen rem altius repetemus, quando ratio temporis id vetat: tantùm hæc dicemus, *Mediatorem* & *Seruatorem* eundem esse; Finis enim Mediationis est *salus*, ipsa Mediatio *medium ad finem*. Itaque vnius eiusdemque muneris duo nomina sunt, *Mediator* & *Seruator*, quorum alterum à *fine*, alterum à *medio* ductum est. Jam verò vt salus nostra numeris omnibus esset absoluta, non vno, non multis, sed omnibus, in quæ incurrimus mala, nos oportuit liberari. Quatuor autem malis obnoxij sumus, *ignorantiæ, reatui, prauis affectibus, & hostium fraudi atque crudelitati.* Itaque nobis opus fuit *sapientiâ*, quâ *tenebræ ignorantiæ* quibus obruti & sepulti iacemus depellerentur: Et *Sacrificio* atque *intercessione*, *iustitia* denique, qua *reatus noster* aboleretur: *& sanctitate*, qua *affectuum impuritas* elueretur, & *voluntatis prauitas* corrigeretur: & *Redemptione* denique, quâ *hostium sæuitiæ* & *astui* eriperemur. Quocirca Apostolus Christum dixit nobis constitutum à Deo *Sapientiam, Iustitiam, Sanctificationem, & Redemptionem*, 1. Corinth. 1. 30. quæ nomina, cùm in speciem res ipsas significent, tamen ex vsu linguæ Hebrææ (quem sequuti sunt scriptores θεόπνευστοι N. Test.) designant earum rerum authores, quarum nomina sunt: nam *Sapientia* is dicitur esse, qui sapientiam docet: (quomodo Christus Joh. 11. 25. se *Resurrectionem* esse dicit, hoc est, resurrectionis authorem) & *Iustitia*, qui iustificat: & *Sanctificatio*, qui sanctificat; & *Redemptio*, qui redimit. Itaque Christus eo *Mediator* noster est, quod *Doctor*, *Iustificator*, *Sanctificator*, & *Redemptor* noster est; quorum primum ad Propheticum, secundum ad sacerdotale, tertium & quartum ad eius munus Regium pertinet. Etenim Prophetæ est docere, sacerdotis iustitiam acquirere, Regis subdere imperio suo affectus nostros, & vim hostium nostrorum debilitare & frangere, consiliaque reddere irrita atque inania.

Mediator noster,

quibus malis nos liberare debeat.

Jam verò nihil horum à Mediatore perfici potest, nî idem Deus sit & homo. Etsi enim & homines docent, id tamen faciunt *foris* duntaxat, non intus; itaque incassum laborant si quando incidunt ingenium hebes & indocile. Doctrinâ quippe extrinsecùs propositâ ingenium acutum & attentum eruditur, non redditur acutum & attentum. Nostra conditio alia est, qui natura hebetes sumus, & in rebus cœlestibus talpis cæciores: Itaque nobis opus fuit summo doctore, qui cęcitatem istam mẽtis discuteret. Satis enim superque est ei qui non est captus oculis, vt videat, facem præferre; cæco ad videndum non est satis, vt vel toto sole feriatur. Quis autem Doctor noster sit in hoc genere? quis tantum posset, qui idem Deus non sit? Nam certè vt decipiamur, vt trahamur in errorem, id quidem facile est; quid enim procliuius est quàm vt cæcus, si cæcum ducem sequatur, in scrobem decidat? At verò vt ducamur rectâ in ipsam veritatis arcem, Deo duce & doctore opus est: Itaque & θεοδιδάκτους nos esse oportet, Joh. 6. 45. & Esa. 54. 11. Quocirca cùm Christum vnicum Doctorem agnoscamus, & quidem internum, necesse est & Deum esse credamus, qui legem suam tabulis non lapideis, sed carneis inscribit; vt nobis hîc cum Jobo liceat exclamare, *Quis sicut ille, Doctor est?* Job. 36. 22. Sanè mortalium nemo; sed nec Angelorum vllus etiam, qui cùm cæcitatem corporis depellere nequeant, quòd ea res vim infinitam requirat, certè nec, quod maius est & magnificentius, mentis natiuas tenebras discutere possunt.

Christus ni fuisset θεάνθρωπος non potuisset esse noster Doctor.

Verùm enimuerò, cum Christus in Scriptura *Propheta* dicatur, idem titulus & hominem esse eum reuincit: Absurdum enim, vt qui merus est Deus, is Propheta cognominetur, & hoc cognomen titulis accenseat suis. *Suscitabo* (inquit Deus per Mosem Deut. 18. 18.) *Prophetam* כמוך *sicut tu es* (Mediatorem N. Test. quemadmodum tu Veteris Testamenti es Mediator) *è fratribus eorum*; hominem igitur. Quo de loco aliàs fusius agemus. Nunc hoc obiter monemus, Mosem fuisse *literæ* non *Spiritûs* Doctorum, & *typicum*, non *verum* Mediatorem: Ideoque nefas esse, ex eo quòd Moses cum esset mediator, idem merus homo fuit, concludere nihil opus fuisse vt noui Testamenti Mediator Deus esset: non sunt enim ista paria, imò tam lõgo inter se dissita sunt interuallo, quàm distat litera à Spiritu, veritas à typo, vmbra à corpore, denique cœlum à terra. Itaque ad mediationem Mosaicam nil opus fuit facultate infinita, ad Christi Mediationem virtus infinita fuit necessaria.

seu Propheta.

Jam verò si quis causam requirat, cur Prophetam Ecclesiæ, hominem esse oportuerit, procliue est & in promptu respondere, *sic visum sapientiæ Diuinæ*. Neque enim faciliùs aut efficaciùs nobis reuelari & patefieri consilium Dei potest, quàm si illius operâ interueniat, qui idem Deus & homo est: Etenim quia Deus est, poterit id præstare: &

cuius ratio assignatur.

ſtare: & quia homo eſt, poterit id accommodatè & appoſitè facere. Dici enim non poteſt, quantopere ſola Dei mentio trepidas conſcientias terreat: quàm autem meri hominis mentio parum valeat ad conſcientiam proſtratam, & afflictam ſolo ſubleuandam (quicquid Pontificij ſibi fingant) ſatis experimur. At cùm vnus idemq; Doctor & Deus & homo ſit, nulla queat aſſequi oratio quantopere ea cogitatio animum afficiat & recreet. Sanè idem hic Dei Filius, quò Maieſtatem occultaret ſuam, & tanto ſplendori velum prætenderet, ne aciem oculorum nimiâ maieſtatis ſuæ luce præſtingueret atque hebetaret, olim dum vellet voluntatem ſuam Patriarchis edere, aſſumpſit ad tempus ſpeciem viſibilem, ſed, vt iam monuimus, euanidam: At verò cùm ad rem ipſam, ad rei caput & ſummam eſſet ventum, non iam ſpeciem euaneſcentem & temporariam, ſed ipſius naturæ humanę veritatē adſciuit in vnionem perſonæ. Id vero eſt quod Apoſtolus docet Hebr.1.1. *Deus multis vicibus, multiq; modis olim Patribus per Prophetas locutus, vltimis hiſce diebus locutus eſt nobis per Filium &c.* Itaque & *Sol* vocatur Mal. 4.2. quod ea ſit reuelationis, cuius Deus in carne manifeſtatus author eſt, ad Prophetarum reuelationem ratio, quæ eſt ſolis ad candelæ, aut (vt dicamus aliquid magnificentius) ad ſtellarum lumen. Nam & candela lucet, & ſtellæ, at præ luce ſolis quantula lux illa eſt? ſed iam pergamus.

Neque Sacerdos.

Diſcuſſâ caligine illa, quæ mentibus noſtris ineſt, nil fuiſſet promotum, niſi oculis continuò noſtris occurriſſet peccati expiatio, quæ *Iuſtitia noſtra eſt.* Vtcumque enim mortales ad tempus ſe vana ſpe lactent, & ſuauiter ſibi plaudant, tamen neceſſe eſt trepidare conſcientiam & æſtuare, ſi quando eò mens aſſurgit, vt cogitet Deum eſſe arbitrum rerum humanarum, mundi rectorem, iuris & æqui vindicem acerrimum, nullo priuato odio (quod falsò Eccleſiam credere, tartareum illud ex omni hæreſeon genere conflatum monſtrum, Socinus ſibi perſuaſit) ſed ſolo ęquitatis & iuris amore, & ſtudio tuendæ authoritatis earum legum, quas ille tuliſſet nunquam niſi æquiſſimæ atq; optimæ fuiſſent. Quæ cogitatio de Deo tam altas in humano animo radices egit, vt inde reuelli nequeat. Itaque & ſolo naturæ ſeu inſtinctu, ſeu ductu, homines peccati ſibi conſcij de ſatisfactione cogitant; quam etſi friuolam comminiſcuntur, comminiſcuntur tamen, eoque docent veram ſatisfactionem eſſe neceſſariam: nam κοιναὶ ἔννοιαι non fallunt, affectus huius aut illius decipiunt; non ſunt enim naturæ, ſed ἐκστάσεις quædam naturæ καὶ παρεκβάσεις, vt Philoſophi verbis vtar. Stat igitur illud inconcuſſum atq; immotum, *ſatisfactione opus fuit, ſatisfactio fuit neceſſaria.* Itaque & Sacerdote & ſacrificio opus fuit, & Sacerdos & ſacrificium fuit neceſſarium, proindeq; & *interceſſio*: non poſſunt enim iſta ſeiungi, *ſatisfactio pro peccato, ſacrificium, interceſſio, Sacerdos.*

Quia opus fuit Satisfactione.

Quæ eſſet ponderis infiniti.

At quæuis oblatio pro peccato, ſacerdos quiuis, cuiuſuis interceſsio ſacerdotis rem tantam haud perficere & præſtare potuit. Non enim agebatur de ſordium carnis ſanctificationē, ſed de purgatione conſcientiæ; non de typica & externa remiſsione, ſed de remiſsione interna & reali. Itaque nobis fuit opus Sacerdote, Sacrificio, interceſsione, cuius vis & gratia infinita eſſet. Porrò, quis foret is præter eum qui idem Deus eſſet? id verò eſt quod premit, vrget, & expendi etiam atque etiam iubet Apoſtolus ad Hebræos cap.9.10. Fuit enim peccati labe duplex impuritas contracta temporibus veteris Teſtamenti, quarum vna externa fuit & corporea, Apoſtolus *carnis impuritatem* vocat. Heb.9.13. (Nempe hoc reatu obſtrictis non licebat liberè cœtibus adeſſe Eccleſiaſticis, atq; ita colere communionē cum fratribus) Hæc impuritas & Sacerdote, & Sacrificio, & interceſsione hominis, pro muneris ratione ſummi Pontificis, cæterùm hominis, tolli & aboleri potuit. At eſt alia impuritas, quam peccatum animæ adflat & afficat; ea verò taurorum & hircorum ſanguine, aut buculæ cinere elui & deleri non poteſt. Itaq; Dauid Pſal. 51.18. *Hoſtiis non delectaris alioqui eas obtuliſſem, holocauſtum non vis.* Et 50.9. *Non eſt vt accipiam de domo tuâ iuuencum, nec de caulis tuis hircos.* Et ℣.13. *Num comeſurus ſum carnem taurorum, & ſanguinem hircorum bibiturus?* Et 40.7. *Victimam & libum non amas, holocauſtum & hoſtiam pro peccato non poſtulaſti.*

Qualis eſt in Christo.

Cùm autem peccatum ſit infiniti ponderis, atque illius labes, horror, & fœditas æſtimanda ſint non humano, ſed Diuino iudicio, quo conſtitutum eſt vt peccator maledictus ſit, *maledictus quicunque non perſtiterit* &c. Deuteron.27.26. non poteſt id aboleri, & penitus tolli, nî Sacerdos, nî Sacrificium, nî Interceſsio dignitatis & meriti immenſi interueniat, quod æſtimandum eſt, vel præcipuę, ex Perſonæ dignitate. Etenim ſi ideò Deus iuſtus eſt, qui ęternùm impœnitentes damnat, quia ab illis offenſus, & quidem grauiſsimè eſt, non quòd impij peccent infinitum, ſi habeatur temporis ratio, ſed quoniam qui offenditur infinitus eſt: quid eſt quod vetet quominùs ſatisfactio noſtra infinita pondere ſit, quamuis tempore finita? dummodò (quod fuit neceſſe) Mediator noſter, ſacerdos idem & ſacrificium, infinitæ virtutis, infinitæ dignitatis fuerit. Nā dum cauillantur nonnulli, *vel guttulam ſanguinis Mediatoris (ſi res ita ſe habet) id potuiſſe præſtare.* Confundunt ſatisfactionis ἔκτασιν cum ἐπιτάσει: Nam poteſt aliquid perſonæ dignitas ἐπιτάσει ſatisfactionis detrahere, ἐπιτάσει nil poteſt. Cuius rei hæc eſt ratio: Ἐπίτασις eſt ſatisfactionis eſſentialis, ἔκτασις non eſt: Nam neceſſe eſt vt ſit ſatisfactio, prius quàm infiniti ponderis ſit: Iam verò guttula ſanguinis effuſa non poteſt eſſe ἐπιτάσει ſatisfactio, ideoq; nec ſatisfactio. Sed ſit res exemplo clarior. Rex ludibundus Filio alapam impingat; ſatisfactionis locū id non poteſt habere: at idem pœnas repoſcens faciat id ipſum; obtinebit, ob Perſonæ dignitatem, ſatisfactionis vicem. *Ergo,* inquiūt, *ſanguinis guttula effuſa, modò Deo repoſcente pœnas peccati id fiat, ſatisfactio erit.* At, inquam, Deus repoſcens pœnas peccati non acquieſcit te ludicra & ſcenica, ſed *maledicto*, quod eius iuſtitia exigit neceſſariò, ſapientia autem modum ei præſcribit, tum ratione temporis, tum etiam perſonarum.

Ob perſonę dignitatem.

Ad quam ſatisfactionem neceſſe fuit Chriſtum.

Hoc igitur euicimus, ſacerdotem noſtrum, & Sacrificium, internecionemque, quæ vtrumque conſequitur, debuiſſe eſſe infiniti ponderis, ideoque Deum eſſe debuiſſe qui Sacerdos eſſet noſter, idemque ſacrificium & interceſſor. Id verò eſt quod Apoſtolus docet totâ Epiſtolâ ad Hebræos, cuius ſtatim initio probat Chriſtum eſſe Deum, tum verò vel maximè, dum vim

sacrificij à Christo oblati euehit, *obtulit semetipsum*, (inquit, Heb.9.14.) *Spiritu æterno*. Indidemque efficitur, oportuisse Christum esse hominem: neque enim vel pati potuisset, ideoque nec offerre sacrificium, neque loco nostro pati, nisi nobis arctissima quadam vnione coniunctus fuisset: quod nisi assumptâ naturâ nostrâ nequaquam fieri potuisset. Sed & idipsum necesse fuit, vt esset idoneus pro nobis apud Deum intercessor, *vt per omnia* (ait Apostolus Heb.2.17.18.) *fratribus similis factus, misericors esset & fidelis Pontifex, in iis quæ apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, cùm tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere.*

esse etiam hominem,

Sed neque id solùm, verùm etiam vt esset *homo sanctissimus*, summè fuit necessarium. Neque enim vel decebat vniri Naturæ Diuinæ, quæ à peccato penitus abhorret, naturam pecato pollutam: vel grata Deo & accepta hostia esse potuisset, aut vim & pondus satisfactionis obtinere, quæ ipsa expiatione eguisset: Vel fides nostra firma & stabilis foret, si in Christo solam mortem, non etiam vitam sanctissimè actam, intueretur. Vt anathema illis (si qui sint) qui ista diuellunt, *Christi iustitiam & Christi mortem*, meritò denunciandum sit, cùm Petrus ista coniunxerit, dum *nos pretioso sanguine Christi, vtpote Agni immaculati & incontaminati redemptos* dicit 1.Pet.1.19. Apostolus autem in Epistola ad Hebræos, non modò non separat à morte & oblatione Christi vitam sanctissimè actam, sed etam Deitatis (quam *Spiritum Aeternum* vocat) in eo sacrificio rationem vult haberi vel imprimis: *quantò magis*, inquit, cap.9.14. *sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus.*

& quidem sanctissimum:

Jam verò, quoniam & obnoxij sumus hostium fraudibus & crudelitati, Mediatorem & seruatorem nostrum eundem & Regem esse conueniebat, & quidem summâ potentiâ summâ præditum potestate: neque enim humana prudentia conatus hostium nostrorum & consilia eludit, nec vlla vi, præter Diuinam, eorum impetus frangi & debilitari potuisset. Itaque nobis opus fuit Mediatore Deo, cuius *robur* esset inuictum & insuperabile, *sapientia* imperuestigabilis, qui gerendo muneri Regio esset idoneus. Non enim haberet is infinitam potestatem, cuius potentia finita est: nec cadit in eum infinita potentia, qui ipse finitus & circumscriptus est naturæ cōditione, quicquid insaniat & furat aduersus Christū Romanus Antichristus, qui cum se non neget esse merum hominem, adeoque potentiâ præditum finitâ, potestatem sibi tamen attribuit infinitam. Cùm igitur oportuerit Seruatorē esse preditum potestate infinita, & vi præditum esse eundem atque robore infinito, necesse est, Porrò vis infinita soli Deo conuenit. Itaq; & Deum esse eundem, necesse est. Imò verò vt Rex esset, & hominem esse oportebat. Nam cùm Christo *Regia* potestas tribuitur, vt Mediatori, non intelligenda venit suprema illa authoritas, quam (vt Deus) obtinet in omnem creaturam, sed potestas *mediatoria*, quæ tota versatur in protegendis iis quos sanguine redemit: Cuius potestatis exercēdæ ius nititur merito satisfactionis, qua loco nostro defunctus est, & arctissima illa vnione quæ illi nobiscum intercedit, quarum neutra locum habere potest, nisi homo sit. Itaque *potentia, robur, efficacia*, qua potestas Christi *Regia* exercetur & sese exerit, est illa quidem in sola natura diuina, quippe quæ sola infinita est: *ipsa potestas* neque est in humana, neque etiam in diuina natura seorsum, sed in Christi persona, atque (vt in scholis loquuntur) in toto Christo, qui tantæ potestatis capax haud fuisset, ni Deus esset. Quomodo authoritas prędicandi Euangelium nemini competit qui anima & corpore non sit præditus, absurdum tamen dictu foret quempiam secundum animam, aut eundem secundùm corpus esse ministrum Euangelij.

Item, vt Christus Rex esset noster,

oportuit eum esse Deum,

& hominem,

Hinc autem facilè intelligitur quomodo *potestas infinita Christo data sit*, Matth.28.18. nempe quâ *constitutus est à Patre Rex, donec subjiciat pedibus inimicos suos.* 1.Corinth.15.24.25. Neque enim eo loco agitur de authoritate quæ Christo conuenit quà Deus est, (quam authoritatem docendi causâ *essentialem* appellamus) neque item de vlla authoritate, quæ vt ita dicam, subiectiuè inhæreat naturæ humanæ: sed tantùm de Christi *potestate mediatoria*, cui exercendæ Christus idoneus esse nequaquam potuisset, nî idem *Deus-homo, homo-Deus* fuisset. Sic ostendimus Christum Mediatorem Deum esse, idque ex muneris sponte suscepti ratione, quod tantum erat, vt à nemine, qui idem Deus non esset, obiri potuerit. *Præfuit* igitur *Dei domui, non vt seruus, sed vt Filius, hæres & Princeps*. Heb.3.56.

Veniamus iam ad ea, quæ vltimo loco proposuimus dicenda; primùm, expendamus quis sit hic Christi ascensus. 2. quàm necessarius. 3. quos adferat fructus. 4. quis sit illius finis.

Duplex Christi ascensus in cœlum.

Christus igitur ascendit in cœlum (vt huc accommodemus locutionis istius vsum) in veteri Testamento duobus modis. 1. Olim cùm subduceret speciem quâ se conspiciendum veluti præbuerat, ascendere dicebatur, vti supra explicatum est. Nunc autem ascendit subducta humanis oculis atq; subuectâ in cœlum naturâ nostrâ, quam in vnionem hypostaticam assumpserat nūquam deponendam. 2. Olim ascendere dicebatur, cùm deuictis & subiugatis hostibus Ecclesiæ, Deus velut in arcem cœli se recipere videretur, quòd non ampliùs testaretur potentiam suam in terra contra hostes suos jam debellatos & deletos; Nunc verò Satanâ, inferis, peccato, mundo, teterrimis inimicis expugnatis, verè ascendit in cœlum, *vnde & vult expectari à nobis.* Philipp.3.20. Act.1.11. Atque ut olim adorantes intendebant oculos versus Tabernaculum, quòd Christus expectaretur in terram descensurus; nunc adorantium oculi in cœlum subleuantur, quòd inde venturus sit judicaturus, non iam in terra, sed in nubibus, viuos & mortuos, Fuit porrò Christi ascensus in cœlum necessarius, seu personam seu Officium illius, seu conditionem nostram intueamur. Nam cùm Christus secundùm humanam naturam fuerit homo cœlestis, cœlo oriundus, non quidem ille quoad corporis materiam, (vt somniarunt miseri Anabaptistæ) sed tamen quoad generationis rationem & modum, (non enim more hominum genitus fuit, sed quadam cœlesti & diuina ratione conceptus ex Spiritu S.) non debuit ob hanc causam semper hærere in terris, imò perfecto opere quod susceperat faciundum, oportuit eum in natura

1.

2.

Necessarius respectu Christi 1. Personæ

natura humana ſubvehi in cœlum: Itaque propter οἰκονομίαν duntaxat debuit verſari in terra, propter *originem* aſcendere in cœlū. Vnde & noſtra (quatenus regeniti ſumus) eadem conditio eſt, ἡμῶν δ' πολίτευμα ἐν τοῖς οὐρανοῖς Philipp.3.20. *qualis eſt homo cœleſtis, tales & qui cœleſtes ſunt.* 1.Cor. 15.48. *Peregrinamur in terris, cœlum nobis patria eſt* Heb.11.14.15.16.&13.14. Etenim non ſumus ampliùs primi, ſed ſecundi Adami membra.

7. Muneris [illegible]

Quod ſi munus eius *Mediatorium* conſideremus, perinde videbitur Chriſti in cœlum aſcenſus neceſſarius. Nam vt à munere *Prophetico* ordiamur, ſi Chriſtus hæſiſſet in terra, neque *omnia*, neque *tam clarè*, neque *tam magnificè* docuiſſet. Non *omnia*, nam, inquit ille, Joan.16.12. *adhuc multa habeo quæ vobis dicam, ſed nunc poteſtis portare.* Pertinet enim vel maximè ad doctrinam Euangelij aſcenſus Chriſti in cœlum, qui prædicari, niſi aſcendiſſet eò Chriſtus, non potuiſſet. Neque *tam clarè*, nam vt ſuccederet Spiritus Sanctus Chriſto decedendum fuit: *Niſi enim abiero*, inquit, *Conſolator ille non veniet ad vos, ſi autem profectus fuero, mittam eum ad vos.* Joan.16.7. Denique Chriſti prædicatio in carne ignobilis fuit & contempta præ illa, quâ de cœlo iam fungitur per Spiritum & ſeruos ſuos Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores.

Sacerdotalis.

Munus autem Chriſti *Sacerdotale* & eius aſcenſum in cœlum requirebat pluribus de cauſis. Ob hanc primùm, quòd oblato in terra ſacrificio extra ſanctuarium, Sacerdos noſter debuit victimam in ſanctuarium inferre. Quod *typicè* factum eſt à Sacerdote typico, *verè* à vero Sacerdote debuit præſtari: is autem die feſto propitiationum hoſtiâ mactatâ & oblatâ extra Sanctum Sanctorum, ſanguinem oblatæ victimæ eò inferebat. Quocirca idipſum factum oportuit à Sacerdote noui Teſtamenti. *Nam ſi eſſet in terra, ne Sacerdos quidem eſſet, manentibus illis Sacerdotibus qui ſecundum legem offerunt dona.* Heb.8.4. vide & caput 9. à verſ. 6. ad 12. & verſ.24.25. Huc etiam accedit quod Chriſtus *Sacerdos eſt in æternum.* Heb.7.16.17. Itaque debebatur ei cœlum, quò munere illo, quod in terris cœperat obire, fungetur in æternum: idque intercedendo pro nobis, quod alibi quàm in vero ſanctuario, hoc eſt, in cœlis, fieri non debuit. Cæterùm modus huius interceſsionis vel hinc intelligi poteſt, quòd *eius ſanguis dicitur præſtantiora loqui quàm ſanguis Abel*, Hebr.12.24. Nam vt vindictam Abelis ſanguis repoſcebat, ſic Chriſti ſanguis effuſus miſericordiam nobis impetrat.

Regij.

Regium denique Chriſti munus exigebat vt in cœlum aſcenderet. Nam quandiu egit in terris, aſſumptâ ſerui formâ, in ſimilitudine carnis peccati, non exeruit, neque ſanè pati potuit illa exinanitionis ſuæ conditio vt exereret, maieſtatem illam *Regiam*. Quamuis nec eam penitus occultauit, quin vt ſol cum luna eius luminibus obſtruit, prodit tamen lucem ſuam, ſed exiliter & obſcurè: Chriſtus itidem tot editis miraculis, etiam in cruce, & mortuus denique ſecundùm carnem, effecit vt illas nubes radij gloriæ ſuæ perrumperent. Verùm enim verò vt eius Maieſtas effulgêret, ac ſplendorem ſuum, vt ſol claro meridie, diffundere longè lateque, oportuit Chriſtum aſcendere in cœlum, & ad Dei dextram glorioſè conſidêre.

3. reſpectu conditionis noſtræ, ad confirmandam n.p. 1. Fidem.

Sed & *conditio noſtra* id ipſum requirebat. Nam & confirmanda fuit *fides noſtra*, quæ nutaſſet haud dubiè, imò verò concidiſſet, ni non modò in Reſurrectione Chriſti, (plures enim reuixerunt) verùm etiam in eius illuſtri & glorioſo aſcenſu in cœlum, certiſsimum mortis deuictæ, & effractarum inferni portarum, deletique imperij Satanæ, exſtitiſſet documentum. Itaque Paulus docet *Chriſtum traditum fuiſſe propter offenſas noſtras, excitatum verò propter iuſtificationem noſtram.* Rom. 4.25. Nempe non niſi fide iuſtificamur, fides autem nulla fuiſſet niſi mortem conſecuta fuiſſet reſurrectio. Tum erigenda fuit *ſpes noſtra*, quæ fluctuaſſet itidem & iacuiſſet, ni Chriſtus & cordibus noſtris *ſui* arrhabonem indidiſſet, *Spiritum veritatis conſolationis, & ſanctitatis* (Joh. 16.7.&13.) & *noſtri* arrhabonem vicifſim, *naturam noſtram*, cælo intuliſſet. Quorſum adeò reſpexit, inquiens, Johan.14.2.3. *vado paraturus vobis locum, & cùm profectus fuero & parauero vobis locum, rurſum veniam, & aſſumam vos ad meipſum, vt vbi ſum, & vos ſitis.* Item Johan.16.7. *ſed ego dico vobis veritatem, expedit vobis vt ego abeam, niſi enim abiero, Conſolator ille non veniet ad vos; ſi autem profectus fuero eum ad vos mittam.* Tum etiam accendenda fuit atque inflammanda *charitas noſtra*, quæ non intepuiſſet modò, ſed refrixiſſet penitus, aut certè exiiſſet in amorem carnalem, ſi Dominus Jeſus in terra hæſiſſet. Argumento autem ſit affectus Petri & reliquorum Apoſtolorum, concitatiſsimus quidem ille atque acerrimus, ſed qui tamen præſentiæ carnali inhiaret atque inhæreret tam pertinaciter, vt nulla alia ratione temperari, & denique penitus reuelli poſſet, quàm diſceſſu ſecundùm carnem atque aſcenſu Chriſti in cœlum. Ita Paulus 2.Corinth.5.16. *Quod ſi etiam nouiſſemus Chriſtum ſecundùm carnem nunc tamen non ampliùs nouimus.* Imò præſentia Chriſti in terris prohibuiſſet quominùs in cœlum animum penitus attolleremus; nempe ibi eſt mens noſtra, vbi amat. Nunc autem cum Chriſtus non agat in terris in carne, ſed in cœlo, eò animus contendit, eò adſpirat, vbi ille eſt: Itaque vt affectus noſtros in cœlum ſubueheret, & à ſolo & rebus terrenis alienatos affigeret rebus cœleſtibus, in cœlum aſcendit. Quæ res vehementiſsimæ hortationis Apoſtolo præbuit argumentum. *Itaque* (inquit, Col.3.1.2.) *ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite vbi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens: ſuperna curate, non terreſtria.* Et cùm miſeriam huius vitæ deplorat, eam totam in hoc collocat quòd Chriſti beatificâ præſentiâ caremus, *ſcientes* (inquit, 2.Corinth.5.6.) *quòd cùm aduenæ ſumus in corpore, peregrè abſumus à Domino.* Et gloriam vitæ futuræ vnico verbo deſcribens, *erimus* (inquit, 1.Theſſ.4. 17.) *ſemper cum Domino.* Et rationem reddens cur cupiat diſſolui, *cupio*, inquit, *diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Philipp.1.23. Et profectò ita eſt, nulla cogitatio potentior eſt, ac maiorem vim habet ad affectus noſtros ſeiungendos à terra, & ad res cœleſtes erigendos, quàm ſi Chriſtum ad dextram Patris in cœlo ſedentem ob oculos habeamus. Itaque, vt reliquam taceamus idololatriam Pontificiorum, quæ ſumma eſt, aſtus fuit Satanæ mirabilis eam inuexiſſe in Eccleſiam, Chriſti præſentiam in terris, quæ ſacrificuli digitis, & panariis, καὶ πὺξ ζυμίταις animos hominum affigeret.

2. Spem.

3. Charitatem noſtram.

Sic explicata est necessitas ascensûs Christi in cœlum, ratione personæ & *muneris sui*, tum etiam *conditionis nostræ*, quæ omnia vt ascenderet in cœlum requirebat. Nunc superest vt exponamus *fructus* illius ascensûs admirabiles & illius *finem*, quod faciemus quàm breuissimè, quando nobis disserentibus tertia iam penè effluxit hora.

Ascensus Christi fructus 1. Hostium captiuitas.

Primus *fructus* ascensus Christi est hostium captiuitas: atque hîc nobis exponendum, qui fuerunt hi hostes, & quomodo à Christo capti. Quatuor autem hostium à Christo debellatorum Scritura meminit *peccati, diaboli, mundi, & mortis*.

np. 1. Peccati remissio, & corruptionis naturæ abolitio in morte.

Ac primùm, *peccatum* Christus aboleuit cùm nobis attulit *peccati remissionem*, tum etiam cùm *naturæ prauitatem* correxit: vtrumque perfecit tum morte sua, tum etiam resurrectione, quæ in Scriptura κατ᾽ συνεκδοχὴν etiam ascensum Christi significat. Et in cruce quidem peperit satisfactione & sacrificio *peccatorum remissionem*; Itaque tradit Apost. Col. 2. 14. *Dominum affixisse cruci, è medio sustulisse & deleuisse chirographum quod nobis erat contrarium.* Et Gal. 3. 13. *Christum factum fuisse maledictum pro nobis, vt nos ab execratione legis redimeret. Prauitatem item naturæ* in cruce correxit & sustulit: *Etenim cum eo vetus noster homo crucifixus est, vt eneruetur corpus peccati, ne posthac nos seruiamus peccato.* Rom. 6. 6. Quod enim Christus vitæ animali in cruce finem imposuit, cùm esset caput nostrum, oportuit in nos deriuari, vt nos peccato, quod nostræ animali vitæ adnatum est, moreremur. Tum etiam id fecit *exemplo* Christus crucifixus 1. Pet. 2. 21. in quo cernere est absolutissimam omnium virtutum imaginem, dilectionis, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, liberalitatis, fidei, spei, &c. Vt nō possit fieri vllo pacto, vt fidei oculos in illa imagine (quæ nullo vel ligno, vel saxo, vel ebore, vel argento, vel auro effingi potest) defigamus, quin excitentur in nobis vehementissimi motus, ardentissimumque verę pietatis studium, cum summa aduersus nosmetipsos, si quando nobis & affectibus nostris indulsimus, indignatione, odioque vitiorum coniunctum.

In resurrectione & Ascensu Christi

At resurrectioni & ascensui Christi in cœlum Scriptura & *remissionem peccati, & prauitatis naturæ correctionem* rarò quidem, sed tamen aliquando, vt hoc loco, tribuit, diuersa ratione: Nempe *remissio peccatorum* tribuitur resurrectioni & ascensui duabus de caussis, quarum prima hæc est, quod satisfactionis à Christo in cruce præstitę resurrectio apocha fuit. Cùm penderet Christus in cruce *debitum soluebat*, cùm surrexit, cùm ascēdit in cœlum *apocham adeptus est*; Itaque remissio peccatorum tribuitur cruci, *vt solutioni debiti*, resurrectioni & ascensui in cælum, *vt apochæ debiti soluti*. Sed res illustranda est exemplo. Remissio debiti vel adscribitur *pecuniæ* à fideiussore numeratæ, vel *apochæ* quam fideiussor pecuniâ solutâ in debitoris gratiam assequutus est. Pecuniæ numeratæ ascribitur, vt *caussa*, apochæ, vt *argumento pecuniæ numeratæ*. Attulit etiam nobis resurrectione & ascensu in cœlum *peccatorum remissionem*, alia ratione, (quæ caussa posterior esse potest cur resurrectioni & ascensui in cœlum remissio peccati tribuatur) nempe fide iustificamur, ea autem (vt supra diximus) nulla foret, ni Christus resurrexisset atque ascendisset.

Etiam resurrectione *naturæ prauitas* corrigitur. Etenim sicut Christus secundùm carnem resurrectione & ascensu in cœlum renouatus est, sic, cùm is sit caput nostrum, necesse est vt ista renouatio in nos propagetur, nosque vnà cum eo resurgamus & ascendamus animis in cœlum. Col. 3. 1. Et Rom. 6. 4.

2. Diaboli.

Diabolum autem Christus tum in cruce, tum in gloriosa resurrectione, & ascensu in cœlum debellauit. Et *in cruce* quidem Col. 2. 15. quatenus promeritus est apud Patrem, ne illi quadquam in nos liceat, veteremque hominem, qui nos ei reddebat obnoxios, crucifixit & interemit. *In resurrectione* autem, quatenus eam gratiam ratam esse testatus est, & nos secundùm hominem interiorem ita renouauit, vt non iam amplius Satanæ, sed Deo viuamus, Rom. 6.

3. Mundi debellatio.

Itaque & *mundi* vim tum crucifixus, tum ascendens in cœlum, simili modo fregit. Quid enim possit mundus, vel *illecebris*, vel *sæuitiâ*, vel *exemplo* in eos qui cum Christo mortui, cum Christo reuixerunt, & vnà ascenderunt in cœlum, & vnà ad dextram Dei consederunt? Eph. 2. 6.

4. Mortis abolitio.

Sed & *mortem* cruce, & resurrectione, & ascensu in cœlum aboleuit. Etenim *stimulus mortis peccatum est*, 1. Cor. 15. 16. quod quomodo cruce & resurrectione abolitum sit, iam dictum est, nec properantibus & anhelantibus ad metam huius dissertationis repetendum est. Sed hæc nobis aduersus Socini impietatem fuerant disputanda, qui, eo quòd hæc Christi victoria aliquando eius resurrectioni & ascensui in cœlum tribuitur, vim & pondus mortis Christi non eleuauit modò, sed, quantum in illo fuit, penitus sustulit: Homo execrabilis, qui nimio Christi odio ista vel non vidit, vel se non videre simulauit. Omitto quod *acquisitio* salutis morti & cruci tribuitur in Scriptura, (vitâ tamen haud exclusâ) *applicatio* ascensui in cœlum, vnde Spiritus datus, Apostoli instructi sunt, adeoque Euangelium, *quod est potentia Dei in salutem* (Rom. 1. 16.) est profectum.

Secundus fructus.

Sequitur alter fructus ascensûs Christi in cœlum. *Dedisti dona hominibus.* Totum hoc Apostolus refert ad ea charismata, quibus Deus locupletauit eos quorum operâ in Ecclesia colligenda vtitur, quorum *alij Apostolis, alij Prophetæ, alij Euangelistæ, alij Pastores & Doctores dati ab eo & constituti sunt, ad coagmentationem sanctorum, ad opus Ministerij, ad ædificationem corporis Christi.* Ephes. 4. 11. 12. Hæc autem dona pro ratione *temporum* & *locorum*, pro sapientissima, sed liberrima tamen Dei dispensatione, varia, & nunc maiora, nunc minora sunt. Quâ de re nos disputare fusiùs (ut instituerarnus) temporis ratio vetat.

Finis Ascensûs Christi

Finis porro huius Christi Triumphi vnio est nostra cum Deo, vt Deus in nobis, velut in templo atque domo, habitet, quod in hac vita inchoatur Spiritu Christi, perficiendum in vita futura, cùm *Deus erit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. 28. Cui Patri, Filio, & Spiritui Sancto sit laus omnis in sæcula sæculorum. AMEN.

ARGV-

ARGVMENTA IN DISPVTATIONE ADVERSVS PRÆCEDENTES THESES PROPOSITA, VNA CVM SOLVTIONIBVS & responsionibus, prout ista ex Disputantium & Respondentium ore excipi potuerunt.

AD THES. 4.

Ad id quod in ejus calce homo dicitur in offensis & peccatis mortuus. Ex Ephes. II. vers. 1.

OBIECTIO.

QVIBVS supersunt aliqui motus ad vitam, ij non sunt planè mortui.

Atqui omnibus hominibus supersunt aliqui motus ad vitam. Ergo,&c.

Resp. per distinct.

Duplex est regeneratio inchoata & absoluta: qui tantùm inchoatè regeniti sunt, iis insunt boni quidam motus, quales sunt ij qui à Christo dicuntur in Euangelio accipere verbum cùm gaudio, radicem tamen in seipsis non habent, itaque non perseuerant: qualis item fuit Saul cùm exclamaret, *Es-ne tu, fili mi, Dauid*, &c. Sed euanidi sunt isti motus. Alia est regeneratio absoluta, quæ regeneratio propriè in Scriptura dicitur, estque à Spiritu qui *Spiritus Christi* dicitur, quo sensu Thes. 6. is Spiritus Sancti expers dicitur, qui vinci se & captiuum duci à lege peccati patitur. Ista regeneratio non euanidos eiusmodi motus producit, sed hominem reuera liberat à lege peccati. Illi quibus obtigerunt rudimenta veluti regenerationis, possunt habere bonos motus sed euanidos, qui videntur habere aliquam cum regeneratione proportionem atque similitudinem, aliquam eius speciem atque vmbram: sed hoc, quicquid est, non est à natura, sed à modulo Spiritus & regenerationis inchoatæ, quem consequuti sunt.

Instantia.

In vita naturali nemo dicitur mortuus quamdiu habet aliquem motum ad vitam, ergo in vita spirituali nemo dicendus est mortuus cui inest aliquis bonus motus ad vitam.

Responsio.

Alia est ratio vitæ animæ, alia vitæ corporis, vita corporis qua physicè est in indiuisibili, neque corpus potest dici viuere nisi verè viuat. At vita animæ est Ethica, in habitu nimirum virtutis; iam verò aliud est habitus virtutis, aliud διάθεσις ad eam: διάθεσις nempe est rudimentum quoddam virtutis, ideoque qui præditus est διαθέσει nec planè improbus est, neque etiam præditus habitu virtutis: sunt itaq; gradus quidem in vita animæ Ethica, non in physica corporis.

Instantia.

Spiritus S. non abutitur locutionibus, sed loquitur simpliciter, prudenter tamen. Quum Scriptura hominem dicit in peccatis mortuum, abuteretur hac phrasi si non omnem excluderet vitæ spiritualis gradum. Cum itaque in illis ipsis qui dicuntur mortui in peccatis sint aliqui boni motus ad vitam (vti iam concessum est) proindeque non sint prorsus mortui, sequitur, phrasim illam & similes esse hyperbolicas, quibus significatur magna hominis indurati obstinatio, non verò excluditur in natura omnis vita spiritualis gradus, atque motus ad eam.

Responsio.

Quum sic loquitur Scriptura, non loquitur de irregenitis quatenus habent aliquos bonos motus, sed de natura hominibus loquitur, in se sub peccati statu cõsiderata, vultq; illis phrasibus Scriptura designare, quis sit naturæ corruptæ status, vt si quis bonos aliquos motus in se persentiscat, id non imputet naturæ, sed gratiæ alicui particulari Spiritus Sancti: Itaque non sunt hyperbolicæ hæ locutiones, sed metaphoricæ ad hoc adhibitæ, vt quantumquisque recedit ab illa prauitate naturæ, id non sibi & naturæ tribuat sed gratiæ: sic in formula confessionis peccatorum qua vtimur in publica liturgia dicimus *nos esse inutiles ad omne bonum*, &c. qua ratione profitemur coram Dei tribunali quales simus per naturam, non quales simus per Dei gratiam, vti loquitur Scriptura. Phrases ergo illæ conueniunt naturæ corruptæ, suntque eius descriptiones, qualis ea in se est, non quatenus est affecta à

gratia, aut aliquid ad naturam à Spiritu Dei accedit.

Instantia.

Ergo est aliquod medium inter vitam & mortem, naturam & gratiam; quod est absurdum.

Respondetur.

Dari medium non inter naturam & gratiam, sed inter naturam & vltimum gratiæ complementum. Sic inter tenebras & lucem non est medium, sed inter densas & obscuras noctis tenebras, & lucem quæ sequitur Solis ortum datur medium, natura quidem non admittit gradus sed gratia, quæ est instar lucis, admittit gradus, neque omnibus eodem sese modo communicat.

Instantia.

Christus in Euangelio Judæis exprobrat, *quæritis me & peccato vestro moriemini*, si de Christo inquirunt & de vita æterna, quomodo semper fueruut mortui?

Responsio.

Aliorsum pertinere videtur hic locus, omnes Judæi ardent studio Mesiæ, hoc est illis tam insitum atque infixum quàm Turcis Mahometana superstitio: sed frustra, quia illi quærunt carnalem Mesiam, cum itaque nullus sit carnalis Mesias, non inueniunt eum, atque illud est quod eo loco voluit Christus. Itaque sic Resp. duobus modis quæritur Christus vel secundùm Spiritum vel secundùm carnem, secundùm carnem quæri potest sine Christi Spiritu, at secundùm Spiritum quæri non potest sine Christi Spiritu. Quum Dominus noster Jesus Christus isthic agit de quærendo Mesia, Mesiam intelligit carnalem: Judæi enim non quærunt spiritualem, nam si quæsiissent, eum in Christo procul dubio inuenissent.

Ad Thes. V.

Objicitur.

Si natura voluntatis bona est, nihil obstat quominus velit & faciat bonum, quemadmodum arbor bona bonos fructus profert. At natura voluntatis bona est. Ergo, &c.

Responsio.

Bonum dicitur trifariam: est bonum *physicum*, est bonum *metaphysicum*, est bonum *Ethicum*. Actio voluntatis quatenus est ens, bona est bonitate physica vel metaphysica, sed est mala Ethicè, quia actioni adnascitur ἀταξία. Voluntatis itaque entitas bona est physicè, sed voluntas non est bona bonitate Ethica, cuius bonitatis Ethicæ respectu motionem diuinam vocauimus, *motum Ethicum*, quia motus determinatur à fine. Si argumentum valeret, pari modo concludi posset, diabolum posse velle bonum, nam naturale est voluntati velle bonum, sed ἀταξία quæ est adnata motui voluntatis, facit vt actus sit peccatum.

Instantia.

Si omnes homines sunt ita à natura comparati vt velint & finem & media ad finem (id est volunt esse beati, & volunt media ad beatitudinem tendentia) voluntatis natura non tantùm physicè sed & Ethicè bona est. Atqui prius verum est. Ergo, &c.

Respondetur.

Distinguendo *velle esse beatum*. Est quædam beatitudo quæ concipitur sub vniuersali quadam notione, iuxta quam vnusquisque sibi bene vult. Negatur appetitum huius beatitudinis esse *Ethicè* bonum, quia bonum Ethicum est quo quis dicitur vir bonus. Vel, *velle esse beatum*, est cupere esse beatum fruitione Dei, frui Deo propter Deum; hoc modo nego homines natura cupere esse beatos. Homo cupit seruari, sed non cupit seruari per Christum, amat salutem, at non quatenus ea sanctificatur homo, sed quatenus ex ea cedit ad ipsum aliqua vtilitas seu τὸ volupe, aliud ergo est appetere beatitatem sub notione vniuersali, qui appetitus naturalis est, aliud eam appetere sub notione particulari, hoc est beatitatem definitam: nam omnes Philosophi consenserunt esse beatitudinem, seu summum aliquod bonum, sed dissenserunt de finibus bonorum. Nam alii in voluptate, alii in indolentia, alij in virtute summum bonum collocarunt. Negatur itaque argumenti consequentia, voluntatem ideo esse bonam etiam Ethicè, quia appetit beatitatem sub notione tantùm vniuersali, appetitus enim iste conuenit etiam diabolis, impiis vt Balaamo qui *cupiebat mori morte iustorum*.

Instantia.

Si media conducentia ad beatitudinem, quæ efficiunt virum bonum, inueniuntur etiam in Ethnicis, & non renatis, voluntas bona est etiam Ethicè. Sed verum est prius. Ergo.

Responsio.

Negatur minor.

Instantia.

Probatur minor. Quorum mens illustrata fuit notitia Dei, rerumque diuinarum, & voluntas ita affecta est vt legi Dei obsequeretur, in illis reperiuntur media conducentia ad beatitudinem, quæ virum bonum efficiunt, atqui Ethnicorum mens illustrata fuit notitia Dei & rerum diuinarum, nàm τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ fuit illis reuelatum. Rom. 1. 19. & voluntas eorum obsequebatur legi Dei, nam quæ legis sunt faciebant & opus legis scriptum ostendebant in cordibus suis Rom. 1. 14. 15. Ergo &c.

Respondetur.

Distinguendo Maiorem. Duobus modis obsequi potest voluntas legi Dei, vel enim ei obsequitur vt rei quæ rationis iudicio bona est vel ei obsequitur propter amorem Dei qui author est legis. Concedo voluntatem humanam obsequi quadantenus legi Dei, quatenus ea congrua est & conformis humanæ rationi, vt Lucretia ex animo detestata est impudicitiam, quia fœditas impudicitiæ ei ob oculos obuersabatur, iudicabatque impudicitiam esse rem fœdam; sic Cato perfidiam & tyrannidem oderat, quia iudicabat ex recta ratione ita esse odio digna; Lucretia tamen & Cato non sunt hac in parte obsecuti legi Dei, propter Deum, seu quatenus à Deo lata est: nam qui obsequitur legi Dei propter Deum, ejus studium par est in obseruandis omnibus eius mandatis. Ethnici autem in quibus virtutes aliquæ insignes eminebant, in aliis infra vulgus sæpe subsidebant. Deinde duplex est Ethica, est enim Ethica quædam quæ dici potest

Politica,

Politica, quæ necessaria est vt stare posſit politia humana. Multi fuerunt inter Ethnicos qui in hac Ethica excelluerunt,& eius reſpectu viri boni dici potuerunt,atque adeo fuerunt, comparatè nimirum ad alios, qui improbi & impuri fuerunt. Sed est alia Ethica *ſpiritualis*,quæ ad eam quę in cœlis est πολιτείαν pertinet. Apoſtolus locis ſuprà allatis agit de iis, qui legis æquitatem quoad humanam politiam, agnoſcebant, & ſectabantur, qui non tamen eò aſſurgebant vt colerent ex ea Legislatorem. Deus Legi ſuæ tam manifeſta iuſtitiæ & æquitatis impreſsit veſtigia, quàm diuinitatis ſuæ in mundo. Itaque quemadmodum in contemplatione mundi voluit nos aſſurgere ad mundi creatorem, ita noluit nos hærere in nuda Legis contemplatione, ſed aſcendere ad Legislatoris cultum & cognitionem.

Inſtantia.

Apoſtolus Rom. 1. exertè ait, æternam Dei potentiam & Diuinitatem factam fuiſſe manifeſtam in Ethnicis. Ex quibus Apoſtoli verbis argumentum ſic conficitur. Admiranda Dei potentia & diuinitas eſt in Ethnicis facta manifeſta. Itaque in tantæ eius potentiæ & diuinitatis contemplationem, non ſemel atque iterum ſed ſubinde ita correpti ſunt admiratione, vt multa in eorum ſcriptis exſtet admirationis illius egregia documenta. Exempli gratia Galen. l. 4. de vſu partium prorumpit in admirationem tantæ diuinæ bonitatis & ſapientiæ quæ in admirabili partium humani corporis fabrica atque ſtructura conſpicua eſt. Si itaque eam agnouit admiratus & contemplatus eſt, vtique ad Deum vſque aſſurrexit.

Reſponſio.

Admiratur quis vel inuitus vel vt lubens, multi ſunt qui vel inuiti coguntur, admirari virtutem, quique (vt ait ille) *virtutem vident intabeſcuntque relicta*, item, *mens immota manet, lachryma voluuntur inanes*, laudant eos quos vident virtute præditos, ſed id faciunt tamen inuiti & illubentes, neque enim eos imitantur. Itaque admiratio iſta euanida eſt, & poſtquam auerterunt oculos redeunt ad ingenium, nec vlla ſunt reliqua in illis admirationis illius veſtigia. Sed alia eſt admiratio coniuncta cum ſtudio & amore, quæ admiratio vt permanens eſt, ſic nulli Ethnicorum obtigit, ob voluntatis peruerſitatem atque naturæ deprauationem. Et ſanè Galenus qui ſic in admirationem diuinæ ſapientiæ erupit, eſt alioqui impius & profanus ſcriptor, qui quantum poteſt dogma de immortalitate animæ vel diſsimulat, vel etiam impugnat.

AD THES. XXVIII.

Objicitur.

Si finem & quæ in finem tendunt comprehenſa ſemel atque agnita non poteſt reſpuere voluntas, quicunque nouit finem & media quæ tendunt ad finem ea amplecteretur. At contrà ſe res habet, nonnulli enim præditi ſunt illuſtri cognitione & finis & eorum quæ ad finem tendunt, neque tamen ea perſequuntur.

Reſponſio.

Duplex eſt finis & mediorum ad finem agnitio, altera nempe *Theoretica*, altera *Practica*, quam diſtinctionē docet Ariſtoteles in Ethicis. Cui in hoc genere primæ partes ſunt deferendæ: cognitione Theoretica fateor aliquando cognoſci finem & media, neque tamen voluntatem ſequi cognitionem illam, ſed cognitione *practica* (quando mens practica voluntati præſcribit quid ſit faciendum vel fugiendum) aio fieri non poſſe vt voluntas non ſequatur. Aliud, inquam, eſt cognoſcere finem & media cognitione Theoretica, quando illa facultas tantùm agit, quam Ariſtoteles vocat νοῦν θεωρητικόν: aliud verò eadem cognoſcere practicè quando νοῦς πρακτικὸς apprehendit obiectum ſuum; priorem cognitionem non ſequitur ſemper & neceſſariò voluntas, poſteriorem ſemper & neceſſariò ſequitur.

Inſtantia.

Adamus fuit præditus vtraque cognitione, Theoretica & Practica, nec tamen finem per media purſecutus eſt.

Reſponſio.

Negatur Adamum tum cùm peccauit fuiſſe præditum cognitione practica, nam credidit diabolo, qui vſus eſt apud illum argumentis quibus fidem habuit. Itaque præditus tum non fuit cognitione practica.

Inſtantia.

Præditus fuit Adamus ſumma ſapientia, quippe qui creatus ad imaginem Dei, ergo vtraque cognitione præditus fuit. Quod ſi non fuit præditus cognitione practica, id fuit vel ante peccatum, vel poſt peccatum tantùm, vel in ipſo peccato. Si ante peccatum tum peccatum fuit antequam eſſet peccatum, quod abſurdum, nam non habere cognitionem practicam finis & mediorum, peccatum eſt. Si poſt peccatum tantam cognitionem illam non habuit, inde factum eſt quòd Deus eum propter præcedens peccatum priuauerit illa cognitione: ac proinde ante peccatum & in ipſo peccato habuit illam cognitionem; ſi dum peccaret non habuit illam cognitionem, ſequitur eum dum peccare cœpit præditum fuiſſe illa cognitione.

Reſponſio.

Adamus fuit præditus cognitione practica ante peccatum, concedo: poſt peccatum & in ipſo peccato, nego: imò radix eius peccati hæc fuit, quod non cognouerit cognitione practica finem & media. Ferè omnes filij agnoſcunt (cognitione Theoretica) patrem eſſe colendum, ei eſſe obediendum, ſed plerique putant non eſſe iucundum illi, in hac vel illa actione quam præſcribit, morem gerere: Aio ergo in ipſo actu tentationis titubaſſe primum Adamum, deinde corruiſſe, & originem peccati fuiſſe incredulitatem, quæ & ipſa eſt peccatum, ſedeſque eius eſt mens practica, quæ ratione tantùm & formalitate quadam eſt à voluntate diſtincta.

Inſtantia.

Si eodem momento quo excidit Adamus, exutus eſt cognitione practica, tum priuatus eſt iſta luce antequam id eſſet peccato ſuo promeritus; At Deus neminem priuat gratia ſua immeritò. Ergo, &c.

Responsio.

Duplex est gratia *sufficiens & efficax*: Deus neminem priuat gratia sufficiente nisi peccatorem, concedo, gratia efficace, nego. Cognitio autem practica gratia est non sufficiens modò, sed etiam efficax. Intellectus practicus ille est qui versatur in singulari quadam actione, quem intellectum si Deus det fieri non potest vt homo peccet.

Instantia.

Atqui sine gratia efficaci non potuit Adamus præstare Deo obedientiam quam ab eo requirebat. Mirum autem videtur Deum non dedisse Adamo efficacem illam gratiam, nam quî potuit iustè irrogare illi pœnam ob non præstitam obedientiam, ad quam præstandam vires non habuit.

Respondetur.

Duplicem esse potentiam, duplicem esse impotentiam. Est quædam potētia quæ nihil aliud est, quàm facultas quædam exequendi ea quæ velis & cupias: vt qui cupit seruire Deo, eum necesse est Deum cognoscere, vnde fit vt animantia bruta non sint peccati rea, quia Deum non cognoscunt. Hanc potentiam habuit Adamus ante peccatum. Alia est potentia quæ magis est efficacia quàm potentia, qualis est ea quam pij petunt à Deo, non enim petunt vt possint, si velint, sed vt velint. Dico ergo Deum non exigere quicquam ab homine, quin dederit ei vires exequendi quod vult; dederat Adamo vires ea efficiendi quæ vellet, siue in bono, siue in malo. Verum dare semper voluntatem Deus non tenetur, & pugnat hoc cum Dei veritate. Deus eo quod exigit non indit voluntatem, tantùm indicat quid creatura debeat velle; dat vires cùm indit sui cognitionem, & facit vt nihil sit impedimēti præter liberam hominis voluntatem. Deus à nemine exigit quod non possit si velit, concedo; quod non possit, ita vt cùm posse, simul habeat τὸ velle conniunctum, nego. (Sic enim homo nunquam peccaret aut labi posset) hoc autem est intellectum habere practicum imbutum cognitione practica. Adamus præditus fuit hac potentia vt posset si vellet, non fuit autem semper præditus intellectu practico imbuto cognitione practica; qui reipsa nihil aliud est quàm ipsa voluntas, ratione tantùm & formalitate quadam (vti dictum est) ab ea distinguitur. Summa quidem fuit lux in eius animo, nec affectus eius eum aliò trahebant; at fuit tamen eadem ratio sanctitatis Adami quæ fuit immortalitatis, vtraque nempe fuit mutabilis. Non est ea ratio iam filiorum Dei, quia Christi (qui est secundus Adam, & cuius ipsi per fidem sunt membra) sanctitas est immutabilis; quò respexit Apostolus 1.Cor.15. *primus Adam erat è terra terrenus*, &c.

AD THES. XI.

In postrema Thesis verba, necesse est agnoscamus esse quidem in nobis liberum arbitrium quod sanctificet, *&c.*

Objectio.

SI homini datum est liberum arbitrium, tum homini data est potestas peccandi, at hoc est absurdum. Ergo, &c.

Responsio.

Data est *per se*, nego. Data est *per accidens*, concedo. At hoc non est absurdum.

Instantia.

Eodem modo data est facultas peccandi quo liberum arbitrium ipsum. At liberum arbitrium datum est *per se.* Ergo & potestas peccandi data est per se.

Responsio.

Negatur Maior.

Instantia.

Eo modo datum est liberi arbitrij proprium quod datum est liberum arbitrium ipsum. Atqui potestas peccandi est proprium liberi arbitrij. Ergo.

Responsio.

1. Negatur minor, est enim aliquod liberum arbitrium in quo nulla est peccandi potestas, vt in Deo & beatis Angelis, & vt futurum est in nobis in cœlo. 2. Distinguo verbum *datur*, cum enim in dono spectandus sit præcipuè donantis animus, quæ donans respicit, & quæ donare intendit, illa donantur *propriè* & *per se*: quæ donare non intendit, donum tamen quoquomodo consequuntur, illa non dantur *propriè* & *per se*, sed *per accidens*. Priore modo Deus dedit liberum arbitrium, potestatem peccandi posteriore tantum.

Instantia.

Qui priore modo dat antecedens, dat etiam & consequens. Ergo nulla solutio.

Responsio.

Duplex est genus consequentium, alia enim congruunt & cum proprio fine antecedentis, & cum animo donantis, alia contraria sunt & cum eis pugnant; Deus dedit liberum arbitrium & liberi arbitrij consequentia prioris generis: posterioris, qualis est potestas peccandi, haudquaquam.

Instantia.

Causa causæ est causa causati: atqui Deus est causa liberi arbitrij, liberum arbitrium causa peccati. Ergo & Deus peccati causa est.

Responsio.

Duplex est genus effectorum, seu causatorum, alia enim procedunt à causa efficiente *propriè & per se*: Alia vel posita sunt in immutatione causæ, vel ex immutatione causæ proficiscuntur, & sunt potius effecta per *accidens*. In priore genere causa causæ est causa causati, in posteriore minimè: Porrò peccatum pertinet ad posterius illud genus. Cum enim liberum arbitrium per se inclinaretur ad bonum, accidit vt mutaretur; mutatum est autem quia constitutum erat in statu naturæ, qui fluxus est & mutationis capax.

ALIVD MEDIVM.

SI datum est homini liberum arbitrium, remansit in homine liberum arbitrium, atqui non remansit. Ergo.

Responsio.

Alia sunt in liberò arbitrio essentialia, alia accidentalia tantùm, quæ sunt essentialia vt est potentia volendi & agendi liberè, illa remansere in homi-

in homine: quæ accidentalia vt est ἀδιαφορία ad bonum & ad malum; illa, immutatione facta, sublata sunt quidem, at nego ideo periisse quæ essentialia sunt.

Instantia.

Quod naturale fuit in homine illud remansit in homine, atqui liberum arbitrium est in homine naturale. Ergo.

Responsio.

Naturale duplici modo dicitur, vel enim sic appellatur id quod est essentiale, & pertinet necessariò ad naturæ constitutionem vel id quod naturam non constituit necessariò, sed exornat tantùm, quanquam natura id habeat ad ortu. Priore modo liberum arbitrium, & est quid naturale homini, & in homine remansit, at non est sic naturalis ea ἀδιαφορία: Posteriore ἀδιαφορία fuit naturalis, at nihil necesse est vt ea sublata, tollatur & liberum arbitrium ipsum. Est enim vti diximus liberi arbitrij accidens, adeoque separabile.

Instantia.

Vires liberi arbitrij post peccatum remanserunt, ergo & liberum arbitrium ipsum.

Responsio.

Eodem redit distinctio: Aliæ enim sunt vires in quibus essentia ipsa liberi arbitrij sita est, vt posse liberè agere: aliæ sunt accidentales, vt posse vel benè vel malè agere. Hæ separari possunt manente libero arbitrio, vt in beatis qui cœlo recepti sunt, qui malè agere non possunt, & in Diabolo qui bene agere nequit. Illæ neque sublatæ sunt neque tolli possunt manente subiecto. Ita cùm beati non nisi bene agere possint libere tamen agunt. Contra Diabolus cùm non possit nisi peccare, liberrimè tamen peccat, peccat enim libentissimè.

Instantia.

Si homo cooperetur cum Deo in bonis, præditus est iis liberi arbitrij viribus, quæ dicuntur accidentales, potest enim bona agere: atqui verum prius. Ergo, &c.

Responsio.

Cooperatio cum Deo duplex est, altera propria, altera verò impropria: Propria est cùm qui operatur neque producit, neque producere potest effectum sine cooperante: Impropria, quum vis quæ producit effectum est in operante solum, nullatenus in cooperante vt cum Deus vtitur homine in excitatione mortui. Priore modo nego hominem cooperari cum Deo, posteriore concedo, at non inde sequitur hominem præditum esse potestate illa agendi quæ ἀδιαφορία dicitur.

Instantia.

In ea cooperatione secundùm quàm homo dicitur cooperari cum Deo in bonis, Deus non potest producere effectum sine homine. Ergo cooperatio illa non est impropria, sed propria, & sic nulla solutio.

Responsio.

Cooperatio in qua qui operatur non potest producere effectum sine cooperante, item duplex est: altera enim est eiusmodi vt cooperans habeat rationem subiecti tantùm in quo principale agens vim suam exerit, vt ex eo aliquid proficiscatur. Altera est eiusmodi vt cooperans habeat rationem causæ sociæ quæ ex se vires confert ad effecti productionem. Priore modo homo cooperatur cum Deo, nam bonæ actiones humanæ quidem absque homine produci nequeunt, habet tamen in iis homo rationem subiecti tantùm. Jam verò nego ex eo sequi, esse in homine in statu naturæ corruptæ facultatem illam bene agendi, de qua agitur. Posteriore modo nego hominem cum Deo cooperari, ea tamen est propria cooperatio in qua cooperans habet rationem causæ sociæ.

Instantia.

Si homo concurrit ad bonas actiones vt instrumentum per quod Deus agit, concurrit vt causa socia. Atqui verum prius. Ergo.

Responsio.

Instrumentum est in duplici differentia, aliud enim est instrumentum in quo nihil planè est quod ad effecti productionem conferat, quod non accipiat à principali agente, aliud quod aliquid ex se ad effecti productionem confert. Homo in bonis actionibus est prioris generis instrumentum, at non inde sequitur hominem esse causam sociam in istiusmodi actionibus. Posterioris generis instrumentum causa socia est, at nego hominem esse in bonis istiusmodi instrumentum.

Instantia.

Fideles aliquid conferunt in bonis actionibus quod non accipiunt à principali agente nempe Deo: Ergo propriè cum Deo cooperantur, & sic nulla solutio.

Responsio.

Actiones bonæ fidelium spectari debent in duplici differentia temporis, nempe, vel in prima regeneratione quo tempore primùm fiunt fideles, vel in progressu regenerationis, quum iam facti sunt fideles. Priori illo regenerationis momento vis omnis agendi est in principali agente, nec quidquam instrumentum confert quod non accipiat ab illo. Posteriore vis est aliqua in cooperante quidem, verùm eam à principali agente ante accepit, ideóque id omne, quidquid est, principali agenti debet. Itaque sic respondeo: Instrumentum quod aliquid ad effecti productionem confert, duplex est, vel enim id quod confert debet principali agenti, vel non debet: si non debet appellari potest causa socia, quæ propriè cooperatur. At nego in homine esse tale quidquam. Si debet non est propriè causa cooperans atque socia, quæque in eo negotio de quo agitur, dici possit habere à natura vires illas liberi arbitrij quæ sitæ sunt in facultate bene agendi.

AD COROLLARIVM III.

Satisfactionem non videri necessariam.

Obiicitur.

ID solum necessarium est ad reconciliationem quod requiritur à Dei natura & voluntate. At satisfactio non exigitur à Dei natura & voluntate. Ergo.

Responsio.

Negatur minor.

Instantia.

Illud tantùm natura & voluntas Dei exigit, cuius oppositum repugnat voluntati & naturæ Dei: At oppositum satisfactionis non repugnat naturæ & voluntati Dei. Ergo.

Responsio.

Negatur minor.

Instantia.

Quod per Deum omnibus licet, id non repugnat naturæ & voluntati Dei. At per Deum omnibus licet reconciliare sibi inimicos absque satisfactione. Ergo.

Responsio.

Duplex est inimicitia, publica & priuata; priuatam Deus vult vt omnes condonent, at minimè publicam. Exempli gratia, Deus non vult vt Princeps scelerato legum publicarum violatori pœnam commeritam remittat. Jam verò in hac causa Deus non est considerandus vt priuatum, sed vt is qui publicum gerit Magistratum.

Instantia.

Si ei qui publicum gerit Magistratum licet pœnam sine satisfactione remittere, Deo etiam id licet. Sed verum est prius. Ergo & posterius.

Respondetur.

Ad minorem. Sunt quædam genera peccatorum quæ condonari possunt absque iniuria boni publici. Magistratus ius aliquod habet, & potestatem aliquid remittendi in eo genere, ita tamen vt legum authoritas maneat illibata. Alioqui non licet ei remittere. Itaque negatur minor.

Instantia.

Vnicuique licet cedere de iure suo. Ergo & Principi.

Responsio.

Distinguitur ius: est ius priuatum & est ius publicum; etiam Principes, etiam populus ius habent priuatum de quo possunt cedere. At non possunt cedere de iure publico.

Instantia.

At possunt Principes leges ipsas abolere.

Respondetur.

Distingui potentiam. Alia est tyrannica, alia legitima, Princeps non potest legitimè bonas leges abolere.

Instantia.

At condonatio peccatorum absque satisfactione potest fieri à Deo sine cuiusquam iniuria. Ergo.

Respondetur.

Non potest fieri à Deo illæsa iustitia.

Instantia.

Si verum id esset, tum iustitia puniens esset Deo essentialis, at non est Deo essentialis. Ergo.

Responsio.

Negatur minor.

Instantia.

Ira non est Deo essentialis, Iustitia puniens est ira. Ergo.

Respondetur.

Distingui iram. Ira considerari potest vel in se absolutè, vel ratione modi. In se cōsiderata, est essentialis Deo; est enim Deo essentiale punire peccata: sed modus puniendi nimirum in eo ipso qui peccatum perpetrauit, aut in alio, liber est Deo, pendet enim à præscripto rationis diuinæ, nam Deus potest transferre peccati pœnam.

Instantia.

Actio libera voluntatis in Deo non est eius proprietas essentialis. Atqui ira est actio libera voluntatis in Deo. Ergo.

Respondetur.

Est quædam libera voluntas quæ distinguitur à natura Dei, vt creatio: & est libera voluntas quæ non potest distingui à natura Dei, vt velle bonum, amare iustitiam & seipsum, sunt actiones liberæ voluntatis Dei, sed quæ ab eius natura non differunt, neque enim ei conueniunt vt creatio.

Instantia.

Deus miseretur cuius vult, & indurat quem vult, Rom. 9. Ergo ira est actio planè libera.

Responsio.

Duo sunt genera proprietatum Dei, vnum est earum quæ versantur circa obiectum constitutum. Alterum est earum quæ versantur circa constitutionem obiecti sui. Proprietates quæ versantur circa constitutionem obiecti sui sunt sapientia & potētia. Proprietates quæ versantur circa obiectum constitutum sunt iustitia & misericordia. Sapientia enim & potentia obiectum sibi faciunt, sed iustitia & misericordia Dei offendunt obiectum iam constitutum, non ipsæ faciunt. Quæ Dei proprietates obiectum sibi faciunt eæ sunt liberæ; quæ verò circa obiectum iam constitutum versantur, illæ obiecto posito non possunt non exerceri exempli gratia. Fieri non potest vt si quis seruet legem Dei, Deus ei non retribuat vitam æternam, &c.

Sunt etiam duo genera actionum Dei: quædam fluunt à proprietatibus, quæ quia non habent obiectum, sunt in Deo liberæ, aliæ verò fluunt à proprietatibus, quæ quia habent obiectum, non possunt non exerceri obiecto constituto. Qualis autem est proprietas talis est actus.

Ad locum autem Pauli quod attinet, dico illos actus miserendi & indurandi pertinere ad proprietates Dei à quibus obiectum constituitur, & quidem obiectum iræ punientis, quam posito obiecto non posse nonexerceri affirmamus. Non potest sibi temperare Deus quin odio habeat mala. Ipse Socinus fatetur fieri non posse vt Deus condonet peccatori impœnitenti.

Instantia.

Dispensatio Dei est libera.

Respondetur.

In actione potentiæ & sapientiæ, concedo: in actione institiæ & misericordiæ, nego: quum Apostolus Heb. 10. 26. vult docere vnde fiat quod sit impossibile, vt peccatum in Spiritum Sanctum remittatur, id probat, quia non est satisfactio. Tale est argumentum, pro quo non est satisfactio, id non potest remitti, sed pro peccato in Spiritum Sanctum non est satisfactio. Ergo.

Instantia.

Matthæus dicit Deum nobis remittere peccata, eo modo quo nos debemus remittere fratribus nostris. Sed nos debemus remittere sine satisfactione. Ergo.

Responsio.

Est identitas quæ per omnia conuenit, & est identitas quæ consistit in proportione, nos quidem

quidem debemus condonare sine satisfactione quia priuati. At qui publicum gerit Magistratum, non tenetur offensam publicam condonare: Quod si Rex possit inuenire rationem qua satisfiat publicæ iustitiæ, poterit etiam remittere. Pręterea eo modo quo tenemur remittere, Deus etiam nobis remittit, nempe ex mera gratia.

Instantia.

Non remittit gratis qui exigit satisfactionem.

Respondetur.

Qui exigit satisfactionem ab eo ipso cui remittit, Concedo: qui exigit à vade, Nego: Potuit Deus quemadmodum in Diabolo, sic à nobis peccati pœnam exigere. Quare fuit magna hęc gratia, quòd cùm posset à nobis ipsis pœnam peccati exigere, transtulit eam in vadem.

Instantia.

Atqui non potest pœna peccati transferri in innocentem.

Responsio.

Concedo, 1. Si cum damno innocentis & damno publico fiat illa translatio. 2. Si transferatur in innocentem qui nullam habeat naturæ communionem cum nocente. Alias nego. Jam verò nullum horum locum habuit in Christo, nam 1. Christus non succubuit pœnæ, deinde translata est in eum magno bono publico, denique ita translata est vt Deus eum considerarit tanquam caput nostrum.

Instantia.

Si potest pœna peccati tansferri à nocente in innocentem, poterit etiam pręmium ab innocente transferri in nocentem; At hoc absurdum. Ergo.

Responsio.

Alia est ratio pœnę alia præmij. Pœna non per se & propter se irrogatur, sed ne legũ authoritas & maiestas violetur. Itaque ratio puniendi quæ facit vt legum authoritas maneat illibata, bona est & legitima. Cùm ergo per translationem pœnæ in vadem fiat vt legum authoritas maneat incolumis, translatio pœnæ bona est & legitima. Non est eadem ratio translationis præmij. Nulla enim est ratio aut species boni publici in translatione præmij ab innocente in nocentem.

AD IDEM COROLLARIVM.

Satisfactionem videri superuacaneam.

Objicitur.

SI absque Christi satisfactione homines fuerunt Deo reconciliati, tum illa fuit superuacanea. At verum est prius. Ergo.

Responsio.

Negatur minor.

Prob. Minor. Si ante Christi satisfactionem homines fuerunt Deo reconciliati, tum fuerunt reconciliati absque illa satisfactione: Prius est verum. Ergo.

Resp.

Alia est prioritas temporis, alia causæ moralis. Homines fuerunt Deo reconciliati ante satisfactionẽ Christi, respectu prioritatis temporis, Concedo: fuerunt reconciliati ante Christi satisfactionem ratione prioritatis moralis causæ, Nego: Causa physica effectum suum præcedit tempore, non item causa moralis. Ex.gr. Eximitur quis è carcere quãdo vas sese stitit pro reo, & pollicitus est fore vt debitum soluat, etiam antequam actu soluerit. Sic & antequam Christus actu reapse pœnas peccati lueret, multi fideles sub V. Testamento fuerunt Deo reconciliati. At non sine consideratione futuræ satisfactionis, quam ab æterno Patri fuerat veluti pollicitus.

Instantia.

Quos Deus intensissimo amore prosecutus est ante satisfactionis considerationem, illi fuerunt ante satisfactionis considerationem Deo reconciliati; Atqui fideles Deus intensissimo amore prosecutus est ante satisfactionis considerationem. Ergo.

Responsio.

Duplex est Dei Charitas siue amor. Vna est antecedens, quæ Deum mouit vt inueniret modum satisfaciendi iustitiæ suæ, cui nisi satisfactũ fuisse, Charitas effectum sortiri aut locum habere non poterat. Hac charitate antecedente nos prosecutus est Deus non habita ratione satisfactionis, nisi vt medij præstandi. Alia est charitas consequens à qua proficiscuntur omnia beneficia in nobis. Hac nos Deus non est prosecutus nisi propter Christi satisfactionem; Simili potest illustrari duplex illa Dei charitas. Sit aliquis Pater qui idem sit Princeps: Flius eius admiserit delictum aliquod, ideoque mulctandus. Pater idem iustissimus qui nihil vult admitti quo ius legum violetur, priusquam videat filium, eique reconcilietur, curat satisfieri iustitiæ seu legibus publicis. Dico in eo considerari posse duplicem amoris gradum: Vnum quo excogitat modum satisfactionis filij; alterum quo habita ratione illius satisfactionis patitur se videri à filio, eique reconciliatur.

SATISFACTIONEM VIDERI IMPOSSIBILEM & absurdam.

Objectio.

QVod nec à creatura ψιλῇ, nec à Deo ψιλῷ, nec à θεανθρώπῳ pręstari potest, illud est impossibile. Atqui satisfactio est eiusmodi. Ergo.

Resp.

Nego minorem. Potuit enim satisfactio præstari à θεανθρώπῳ.

Instantia.

Si θεάνθρωπος satisfecit, Deus etiam satisfecit. At Deus non satisfecit. Ergo.

Responsio.

Deus merus non satisfecit, Concedo; at, qui est Deus & homo non satisfecit. Nego.

Instantia.

Si Deus satisfecit idem sibi ipsi satisfecit: At hoc absurdum maximè per solutionem pretij. Ergo.

Responsio.

Satisfactio est duplex: vna qua compensatur iniuria priuata, hoc modo Deus ipse sibi non satisfecit: altera est qua compensatur seu reparatur iniuria publica, Deum hoc modo non posse sibi satisfacere, Nego; Deus non sustinet in acci-

pienda satisfactione personam priuati hominis, sed Principis, qui ius habet administrandi, vt ita dicam, rempublicam cæli & terræ. Quum quis peccat, ista iniustitia Deus non læditur vt priuatus, sed violatur iustitia, quæ considerari debet respectu muneris quo Deus vt mundi iudex fungitur. In iustitia humana si quis incurrit in mulctam, potest Magistratus pro eo soluere mulctam vt legibus satisfiat, cum agitur de reparatione boni publici potest aliquis sibi satisfacere quà iudex est & Rex. Ira Dei nihil aliud est quàm zelus iustitiæ, non boni sui, nihil enim Deo decedit, ex peccatis nostris.

Instantia.

Id quod sapit scenam, id locum in Deo non potest habere, at de penu suo sibi ipsi soluere & satisfacere, sapit scenam. Ergo.

Respondetur.

Sibi ipsi vt priuato & vt parti offensæ soluere ad compensandū damnum illatum, vel iniuriam priuatam reparandam, id sapit scenam, Concedo. Sed nego Deum vel Christum sic sibi ipsi satisfacere. Deus enim aut Christus in hoc nogotio non consideratur vt pars offensa & priuata quæ damnum vel iniuriam acceperit, sed consideratur vt Princeps, vt Rex, cui (vt ita dicam) à natura commissum est ius administrandæ reipublicæ mundi.

Instantia.

Distinctio illa locum habet cùm ius publicum potest distingui à persona quæ ius habet, vt in Magistratibus humanis. At in Deo qui natura sua summus est iudex, ius non distinguitur ab eius persona.

Responsio.

Quia Deus natura sua est Magistratus, vti concessum & verissimum est, nec Deus potest aut debet considerari modo qui non sit cōsentaneus naturæ suæ, ideo non potest considerari vt pars læsa, Deus enim propriè non læditur peccatis nostris, nullam iniuriam, nullum damnum patitur. Quid enim Deo ex peccatis nostris decedit, aut quū illi propter peccata puniuntur quid ipsi inde accedit? Cùm itaque homines plectit, non hoc facit vt sibi de reparatione damni illati satisfaciat, sed vt stet ius ęternum iniuolabile. Si Deus damnum ex peccatis nostris pateretur, obiectio valeret, sed Deus hoc tantùm spectat vt ius fasq; vigeat, iam ius est & lex æterna & immota, vt Deus & iustitia colatur. Hoc ius si maneat immotum nec impunè liceat illud violare, consequens est inde summum bonum, nempe horror peccati. Nam fidelis cum considerat, Christo fuisse moriendum nec aliter potuisse expiari & condonari peccatum, magis inde abominatur peccatum quàm si dehisceret terra.

Instantia.

Deus eo modo accipere damnum potest quo gloriam. At gloriam accipere dicitur. Ergo.

Responsio.

Gloriam accipere dicitur, sed impropriè. Non enim vt hominibus, sic & Deo, aliquid ex gloria quam accipere dicitur accedit, quo beatior aut perfectior in se reddatur: offenditur Dei maiestas peccatis hominum, quo modo iudex legum violatione offenditur, non quod ipse eo lædatur, vel damnū aliquod accipiat, sed quia est amans iuris & æqui, & odit iniustitiam. Itaq; remittit quidē ille iniurias priuatas, at publicas punit. Deus si priuatas injurias pati posset, eas quia sūmè bonus est remittere posset, sed quia sustinet personam Regis, Principis, Magistratus, non potest illibata legum æternæ iustitiæ reuerentia & maiestate (qua bonis bene, malis malè esse decet) injurias publicas dimittere impunitas; ingenitum est à natura omnibus hoc principium, Deum esse assertorem iuris publici, iam finis infligendæ pœnę est ut omnibus constet quàm horrendum sit peccatum; quòd si Deus remisisset peccata absque satisfactione, profectò peccatum visum fuisset leue & contemnendum. Jam quia Deus nihil potest facere quod pugnet cum iustitia & natura sua, & Ecclesiam in terris voluit coligere, ideo peccati pœnam in Christum vadem transferri necesse fuit.

Instantia.

Si satisfactio eatenus tantùm esset necessaria, quatenus Deus est osor peccati, atque ut omnib. constaret quàm horrendum sit peccatum, tum satisfieri illi potuisset per pœnam aliquam magnam, non tamen infiniti pretij & valoris, quia ostendisset satis ea ratione se esse osorem peccati.

Resp.

Negatur minor. Ostendisset quidem se odisse peccatum, sed non ostendisset quantum sit illud odium, est enim infinitum quod non se exerit nisi per pœnam infinitam aut infinitæ æquipollentem.

ALIVD MEDIVM.

Objectio.

Si à θανθρώπω & ex consequenti à Deo pręstita fuisset satisfactio tum sequeretur, duas contradicentes simul esse veras. At hoc absurdum est. Ergo.

Responsio.

Negatur consequentia.

Prob. Verum esset eundem placatum esse & reconciliatum, antequam esset placatus & reconciliatus. Idem enim Deus dat & exigit atque accipit satisfactionem. Iam verò dare satisfactorem est animi placati, exigere satisfactorem est animi non placati.

Respondetur.

Eundem posse simul esse & placatum seu non iratum, & non placatum, sine contradictione, nempe non eodem sed diuerso respectu; est nempe ius & odium duplex, priuatum & publicum, & vtrumque in eundem potest competere hominem, qui publicum nimirum gerit Magistratum. Sit enim ille læsus & damno vel iniuria ab aliquo affectus, iram inde & odium poterit concipere geminum, priuatum & publicum: Priuatum quatenus damnum accepit aut iniuria affectus est; Publicum quatenus ipse est Magistratus iuris & æqui amans, cui graue est leges publicas violari, quiq; tenetur earum authoritatem sartam tectam tueri. Idem ille respectu iuris & damni priuati, si bonus est, ac mitis ingenio, non irascetur, vel si irascatur potest irā ex ingenita bonitate deponere, atque reconciliari illi à quo læsus est. Respectu autem iuris publici, & quatenus publicum gerit Magistratum, nō potest illibato legum iure dimittere eum inultū. Quid hîc facturus est vt simul

vt ſimul quâ priuatus locum det ingenitæ bonitati atque clementiæ, qua fertur ad condonandam iniuriam, & amori atque zelo iuſtitiæ, quo quatenus Magiſtratus leges publicas ſartas tectas tueri tenetur. Nempe ipſe ſoluet pro reo mulctam quo legibus ſatisfiat. Sunt nimirum duæ Principis ſeu Rectoris partes, vna neceſſaria, ne delictum patiatur abire impunè, ne ſic legum authoritas violetur; altera, pœnæ modum ſtatuere atque deſpicere, & excogitare vias & rationes quibus quidque commodè & conuenienter fieri poſsit & debeat: v. g. plures ſunt modi quibus delictum puniri poteſt, putà vel in ipſius delinquentis vel in vadis perſona; Quâ publicus eſt Magiſtratus, ſi Iuris æquiq; amans, legumque cuſtos, exiget ille (& quidem neceſſariò) ſatisfactionem ne leges impunè violentur. At quatenus eſt priuatus priuato damno vel iniuria affectus, quia eſt vir bonus & mitis dabit ipſe fideiuſſorem ſoluetque mulctam: Sic idem placatus erit ſimul & non placatus, ſed diuerſo reſpectu. Non placatus quatenus exigit mulctam & ſatisfactionem, quam exigere tenetur quà Magiſtratus; placatus autem quatenus vt priuatus fideiuſſorem dat & mulctam ſoluit.

Porrò cùm Rector ſtatuit pœnæ modum quo legibus & iuſtitiæ ſatisfiat, per vadem, eo ſatis oſtendit ſe non ferri priuato vindictæ affectu in peccato puniendo ſed amore tantùm & zelo iuſtitiæ. Itaque placatus eſt ille ſimul & non placatus. Placatus eſt quoad priuatum affectum, non placatus quatenus legum cuſtos, iuris & æqui amans & ſtudioſus. Ex. gr. filius iudicis incurrit in mulctam iudex non poteſt condonare mulctam ſalua legum authoritate, poteſt tamen excogitare modum quo mulcta ſoluatur, & filius abſoluatur. Quatenus ex priuato affectu excogitauit ſoluendi modum, & mulctam ſoluit, eo ſe oſtendit placatum, vel ſaltem non iratum; quatenus verò exigit ſolutionem, quam pro muneris ratione exigere tenetur non eſt placatus.

Cæterùm priuati affectus non pugnant cum amore iuris & æqui, quo volumus ſatisfieri pro peccato, neq; ius publicum prohibet quominus interuentu ſatisfactionis delictum expietur, legū authoritas maneat illibata, affectibuſq; priuatis locus ſic detur: prohibet tantùm eos affectus priuatos qui excludunt ſatisfactionem. Jam verò vt hæc ad rem, hoc eſt ad Chriſti ſatisfactionem, accommodentur, dico Deum nos non odiſſe eo genere odij quo homo hominem ex damno accepto, aut iniuria illata odit, Deus enim nullam à nobis priuatam accepit iniuriam, peccatis nempe hominum non læditur, aut damnum vllum pati vel accipere poteſt. Itaque cum peccatum punit non punit ſtudio & animo vindicandi, aut deſiderio damnum reparandi, ſed ideo tantùm quia vindex eſt iuris & æqui, mundiq; Rector, odiumque Dei nihil aliud eſt quam amor iuſtitiæ. Quare reſpectu iuris & damni (vt ita dicam) priuati Deus nunquam fuit hominibus iratus, hoc reſpectu fuit potiùs ſemper illis placatus, atque ex innata bonitate propitius, & propenſo erga eos affectu. Iratus tantùm fuit reſpectu iuris publici, cuius eſt aſſertor & vindex quà mundi Rector. Jam verò qui ſic offenditur quia nullo damno priuato afficitur, non ob priuatas vllas iniurias, ſed propter bonum publicum offenditur, poteſt ipſe ſatisfacere, quia quod ſatisfacit, publico ſatisfacit, non ſibi vt priuato. Cùm itaque duæ ſint Rectoris partes (vt dictum) Deus quatenus eſt mundi Rector debuit neceſſariò peccati pœnam exigere, & potuit quâ ſapiētia eſt præditus inuenire modum ſatisfaciendi, pœnamque in vadem transferendi, quem vadem ex ingenita bonitate & viſceribus miſericordiæ motus eſt vt nobis daret. Hoc pacto reſpectu iuris & damni priuati (quod nullum Deus pati poteſt) placatus fuit Deus (quia nūquam hoc reſpectu iratus fuit) ſed quia obſtabat ius publicum (cuius eſt cuſtos, cuiuſque ſolummodo reſpectu nobis iraſcitur) quominus peccatum abiret inultum, pro Sapientia & libertate ſua modum ſatisfaciendi & inuenit & cōſtituit vt ſic ſimul & iuſtitię & miſericordiæ locus eſſe poſſet. Deus nempe qui nos pro innata bonitate amabat, erga miſeros propendebat, affectu beneuolo, voluit tamen immota voluntate ex amore nimirum juſtitiæ inflexibili & immutabili, vt ſatisfieret iuri publico, quod per peccatum violatum erat. Hæc voluntas quandoquidem non habet coniunctum priuatum odium ex priuata accepta iniuria, vel illato damno, non obſtat quominus ſatisfactionem ipſe præſtiterit & fideiuſſorem dederit ſine theatrali ſcenę ſpecie, vti filij iudicis ſimili demonſtratum eſt. Sic ergo Deus ſimul & placatus fuit, quatenus modum ſoluendi per fideiuſſorem admiſit & ſubminiſtrauit, & nō placatus fuit quatenus exegit ſolutionem: At non eodem modo & reſpectu, nom placatus fuit reſpectu odij priuati, hoc eſt reuera non fuit hoc reſpectu nobis vnquam iratus, quia peccatis non læditur, non placatus autem fuit reſpectu odij publici quatenus Rector offenditur ob ius violatum.

ALIVD MEDIVM.

Chriſtum non videri ſatisfeciſſe.

Objectio.

QVi pro alio ſatisfecit is ſoluit quod ille debet. At Chriſtus non ſoluit quod nos debebamus. Ergo.

Reſpondetur

Ad Maiorem per diſtinctionem. Id ſoluit quod alius debet pondere & valore, concedo: id ſoluit ſpecie, nego: Iam verò Chriſtus id ſoluit quod nos debebamus pōdere & valore, quod ſatis eſt.

Inſtantia.

Si Chriſtus id ſoluit pondere & valore quod nos debebamus, tum paſsiones humanæ Chriſti fuerunt infiniti valoris. At hoc falſum. Ergo.

Reſpondetur. Negatur minor.

Inſtantia.

Finitum non eſt capax infiniti, atqui natura humana & paſsiones Chriſti ſunt finitæ. Ergo non ſunt infiniti valoris & dignitatis.

Reſpondetur

Ad Maiorem per diſtinctionem, Quod finitum eſt non mondò in ſe, ſed etiam reſpectu obiecti & ſubiecti, non poteſt eſſe infiniti ponderis, concedo: Quod finitum eſt in ſe, infinitum autem reſpectu ſubjecti vel objecti, non poteſt eſſe infiniti ponderis, Nego: Nam eſt aliquid finitum reſpectu ſubiecti, quod eſt infinitum reſpectu

objectis: vt furari, scortari, &c. sunt actiones finitæ respectu subiecti, sed sunt infinitæ respectu obiecti, Dei nempe qui illis offenditur, ideo merentur mortem æternam; & rursum est aliquid in se finitum quod respectu subiecti est infinitum, vt passiones Christi, quæ in se finitæ quidem sunt, sed ratione Christi qui eas pertulit, infinitæ sunt, quia Christus est infinitus vtpote Deus.

Instantia.

Si passiones Christi infinitæ fuerunt respectu Christi, tum fuerunt infinitæ respectu naturæ ipsius diuinæ. At hoc respectu non fuerunt infinitæ. Ergo.

Responsio.

Passiones Christi fuerunt infiniti valoris respectu personæ Christi, nam verbi gratia, Regia dignitas facit vt si quis intendat digitum in Regem (quamtumuis actio illa in se leuis sit) is tamen scelus admisisse censeatur ob dignitatem regiam. Ita quia humana natura in tantam dignitatem est euecta vt diuinæ naturæ sit vnionis hypostaticæ vinculo consociata, non potuit illa temerari atque violari, quin illa passio sit infiniti pretij atque dignitatis. Ideo ergo naturæ humanæ Christi passiones sunt infiniti valoris, quia qui passus est fuit θεάνθρωπος, Christus quidem passus est secundùm naturam humanam, non secundùm diuinam, quod tamen Christus passus est secundùm naturam humanam, id persona diuina passa est. Sic, si Rex ducat in vxorem ancillam, & aliquis eam iniuria aut contumelia affecerit, is non ancillam læserit aut contempserit, sed Regem ipsum in vxore offenderit. In Christo autem multo adhuc arctior est vnio naturæ humanæ cum diuina, quàm est vxoris cum marito.

Instantia.

Si hoc verum esset, tum guttula sanguinis Christi ad satisfactionem suffecisset. At hoc falsum. Ergo.

Responsio.

Negatur consequentia.

Instantia.

Passiones Christi sunt infiniti valoris (vti concessum est.) Effusio guttulæ sanguinis Christi est passio Christi. Ergo.

Responsio.

Passiones Christi sunt infiniti valoris nempe quæ habent rationem maledicti, at effusio guttulę sanguinis non habet rationem maledicti; ratio est, quia quod habet rationem maledicti id eiusmodi est vt qui patitur totus & veluti radicitus cohorrescat. Si Rex per ludum & iocum impingat filio alapam, quis dicat esse passionem, & posse id locum habere satisfactionis: Sed si ex ira & indignatione id faciat, passio fuerit & satisfactionis locum habere poterit.

Instantia.

Effusio sanguinis quæ rationem habet pœnæ, habet rationem maledicti. Atqui effusio guttulæ sanguinis in Christo habuisset rationem pœnæ. Ergo & maledicti.

Responsio.

Negatur minor; Id enim solum rationem pœnę habere potest quod infligitur à iudice legi conuenienter. Non conuenit autem legi quæ mortem denuntiat, vt ob eius violationem id infligatur tantùm ex quo guttula sanguinis manet. Porro id est legis diuinæ quæ mortem denuntiat ingenium vt leuiore sanctione contenta esse non potuerit. Quod enim Deus mortem peccato pro pœna constituit, non est ex iure positiuo, sed ex ipsa rerum natura, scilicet non potest peccatum aduersus Majestatem diuinam commissum non mereri quod extremum & ab omni parte grauissimum est. Neque vero potest iustissimus iudex quidquam aliud pro pœna statuere peccato, quàm id quod meretur.

ALIVD MEDIVM.

Objectio.

SI alio modo potuerant homines Deo reconciliari per Christum quàm per satisfactionem, tum satisfactio quæ est per mortem non fuit necessaria. Atqui prius est verum. Ergo.

Respondetur.

Negatur minor.

Instantia.

Probatur minor, Si iustitiâ vitæ & actionibus Christi possunt homines, iusti constitui, sequitur alio modo quàm per mortem potuisse homines reconciliari. At verum prius, Ergo.

Responsio.

Si potuit iustitia vitæ satisfacere totaliter nihil erat necesse vt Christus moreretur, Concedo. Sed vt esset satisfactio perfecta necesse fuit vt ad iustitiam vitæ accederet mors Christi. Quare nūquam sunt diuellenda mors & iustitia Christi. mors Christi sola nihil facit, nec iustitia sola, sed Mors Christi ornata eius iustitia. Atque hæc est rei illius ratio; Pœna seu passio Christi in se non habent, rationem satisfactionis, quia pœna illa in se finita est: summa itaque dignitas, summa excellentia, quæ in Filio est, facit vt passio seu pœna illa sit infiniti valoris, ac proinde satisfactoria: Quare vt satisfactio esset perfecta necesse fuit vt Christus simul & sanctissimus esset & mortem oppeteret. Id ipsum necesse fuit ratione nostri, nam vt conscientia nostra pacem habeat necesse est vt intueatur tum iustitiam tum mortem Christi, *Mortuus enim est iustus pro iniustis, obtulitq; seipsum immaculatum Deo.*

AD COROLLARIVM V.

Obijcitur.

FIdes nunquam est sine bonis operibus. Ergo, non potest sola iustificare.

Responsio.

Fides dici potest iustificare sine bonis operib. duobus modis, vel ita vt dicamus fidem quæ iustificat non habere coniuncta bona opera, vel vt dicamus bona opera non esse causas socias iustificationis. Fides quidem nunquam est sine bonis operibus: at non inde sequitur bona opera esse causam sociam quæ cum fide concurrat ad iustificationem, sic sol nunquam illuminat sine calore, at calor tamē non est causa socia quæ cum sole concurrat ad illuminationem. Ita fides non iustificat separata à bonis operibus, neq; tamen propterea bona opera sunt causa socia iustificationis nostra.

Instantia.

Quomodo Abraham est iustificatus, sic & nos iustifi-

iustificamur, Abrahæ filij. Atqui Abraham non est iustificatus sola fide, verum etiam operibus, teste Apostolo Iacobo 2.21.

Resp.

Iustificari quis dicitur, vel apud se & in conscientia, vel apud Deum. Abraham non est iustificatus apud se & in conscientia, sola fide, sed etiam operibus. Concedo. Non est iustificatus sola fide coram Deo. Nego. Explico. Pius aliquando solet dubitare an sit ex eorum numero qui iustificati sunt, hoc est, agnoscit quidem se iustificandum vera fide, sed dubitat an fides sua sit vera, id autem deprehendit & cognoscit ex calore fidei, nempe charitate, Jacobus non agit de ea iustificatione quæ est ad tribunal Dei, sed de ea qua iustificamur in conscientia nostra, dum nobis patefit institia nostra. Iustificamur igitur, hoc est, patefit nobis iustitia nostra non tantùm fide sed etiam bonis operibus, quatenus sunt argumenta fidei syncerae, sed non iusticamur hactenus coram Deo qui solam intuetur fidem.

Instantia.

Si Deus solam intueretur fidem non commemoraret in iudicio bona opera. At in iudicio commemorat bona opera fidelium, Ergo.

Resp.

Iudicium Dei duplex est, vnum quod peragitur secundùm legem, alterum quod peragitur secundùm Euangelium Christi. Quemadmodum est thronus duplex, nempe iuris districti & gratiæ. Si in iudicio quod est secundùm legem commemoratentur opera nostra & examinarentur, actum de nobis esset, iuxta illud *ne intres in judicium cum seruo tuo*, &c. Si commemorantur in throno gratiæ opera, nō est actum de nobis, quia est thronus gratiæ. Qui iustificantur in throno gratiæ non iustificantur ex operibus, commemorantur tamen eorum bona opera, non vt causæ sed vt media & signa veræ iustificationis, nempe fidei.

Instantia.

Atqui in judicio quo Deus iudicaturus est homines secundum Euangelium ὑπομονὴ ἔργου ἀγαθοῦ, & studium bonorum operum non tantùm vt signa, sed etiam vt antecedentia vitæ æternæ commemorabuntur, teste Apostolo Rom.2. Ergo.

Responsio.

Duplex est antecedens alterum vt causa, alterum vt ratio & argumentum, quomodo dicimus aliquid antecedere conclusionem in syllogismo, vt cum ex fumo conjicitur & colligitur ignis, fumus est antecedens non ratione consequentis sed consequentiæ. Sic si Pater compellat Filium, *quia mi fili paruisti mihi volo te esse haredem.* Ius hæreditatis non competit filio quia paruit, sed quia filius est, verùm commemoratur obedientia, quia hac obedientia Filius se demonstrauit esse Filium.

ALIVD MEDIVM.

Objectio.

SI multæ conditiones requiruntur in iustificandis, non iustificamur ex mera gratia. Sed prius est verum. Ergo.

Resp.

Distinguo conditiones, si multæ conditiones requirunt in iustificandis, quæ habeant proportionem cum iustitia Dei, Concedo. Sed si conditiones quæ requiruntur in iustificandis nullam habeant proportionem cum iustitia Dei, nego inde effici iustificationem non esse ex mera gratia, nam non excluduntur conditiones omnes, sed eæ quæ possunt habere rationem meriti,

EIVSDEM
IOHAN. CAMERONIS
AD QVÆSTIONES IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS ILLI PROPOSITAS,
RESPONSIONES.

QVÆSTIONES GENERALES.

QVÆSTIO PRIMA.

Quo pacto cognosci poßit, an Epistola ad Hebr. sit Canonica.

Cur libri sacri dicantur *Canonici*.

SCRIPTVRA sacra, quam Canonicam appellamus, ea quidem tota est fidei nostræ regula, at non tamen ideo dicitur *Canonica* quod regula sit; Canonicus enim is liber dicitur qui relatus est in Catalogum (quem veteres *Canonem* appellarunt) eorum scriptorum quæ pro diuinis habita sunt. Etenim cùm Ecclesia Christiana cœpit ab hæresibus infestari, cœperunt etiam hæretici homines quorundam librorum sacrorum authoritatem in dubium reuocare, deque iis disputare, ac si à Deo immediatè non essent profecti, & suppositìtios quosdam alios pro diuinis venditare. Vt igitur eorum fraudibus obuiam iretur, visum est necessarium vt Catalogus eorum librorum fieret qui pro sacris & diuinæ authoritatis haberentur. Atque is Catalogus *Canon*, id est, *regula*, eam ob causam appellatus est: quod ex veterum phrasibus demonstrari potest, quum dicunt, *librum aliquem esse in Canone, relatum esse in Canonem*: item, *duplicem esse Canonem*, quorum alter πρωτοκανόνων, alter verò δευτεροκανόνων dictus est.

Canon quid sit.

Librorum Canonicorum duo genera.

I. Eorum de quibus nunquam fuit dubitatum.

Libri autem qui sunt in Canone, seu qui *Canonici* dicuntur, duorum sunt generum, alij sunt de quibus nullus vnquam dubitauit an essent diuinæ authoritatis, sed tacito quodam omnium consensu factum est vt sine vlla controuersia, sine vllo Ecclesiæ seu Conciliorum publico decreto, in Catalogum seu Canonem illum referrentur; cuius generis sunt libri omnes Veteris Testamenti. Nullus enim fuit vnquam cœtus piorum qui dubitarit eos immediatè à Prophetis, quos Domini Spiritus afflauerat, esse profectos, quamobrem summam in Ecclesia Judaica, atque etiamnum in Christiana, authoritatem semper obtinuerunt; nec non libri quidam Noui Testam. quanquam non omnes eiusmodi fuerunt. Cuius discriminis hæc videtur fuisse ratio, quia nempe Christiani per totum orbem terrarum dispersi fuerũt, eandem omnes librorum sacrorum notitiam habere non potuerunt, quamobrem Apostoli, & Apostolici homines, Epistolas ad Ecclesiam quandam particularum scribere potuêre, & reuerà scripsêre, quæ ab iis habitæ sunt pro diuinis ad quos missæ fuêre, & penes quos autographum ipsum authoris remansit, minus tamen certò cognitæ fuerunt ab iis qui procul remoti erant, apud quos ideò minus etiam authoritatis habuêre. At libri Veteris Testamenti ad vnum tantùm populum pertinuêre, qui dispersus non fuit in varias regiones dissitas atq; remotas, sed iisdem finibus comprehensus vnum veluti cœtum effecit; vnde factum est vt nullus è libris sacris Judæorum ad tribum aliquam particularem missus fuerit, sed vniuerso populo æquè noti fuerint, & æqualem planè obtinuerint authoritatem. Alij verò Noui Testamenti libri eiusmodi fuerunt, vt hominem quidem à Spiritu Dei immediatè afflatum authorem habuerint, minimè tamen consequuti sunt eam authoritatem vt ab omnibus in vniuersum susciperentur sine vlla suspicione (præsertim propter Hæreticorum fraudes, qui vel eorum authoritatem oppugnauerunt, vel alios libros Ecclesiæ obtrudere voluêre quos diuinos esse asserebant) cuius generis fuit Epistola ad Hebræos, & quidam alij, ad quorum authoritatem asserendam opus fuit decreto & testimonio publico Ecclesiæ in Synodum vel vniuersalem, vel particularem conuocatæ: nempe quanquàm ij libri meriti sint vt tacitò etiam consensu pro sacris haberentur, id tamen consequi apud omnes non potuerunt, nisi accedente publico Concilij alicuius testimonio.

2. Eorum de quibus aliquando fuit dubitatum.

Rationes cur de quibusdam fuit dubitatum.

I. Authoris nomen obscurius.

Rationes autem propter quas de quibusdam libris dubitatum est, eæ sunt: Primò, quia scripti sunt ab iis quorum nomen non fuit vsque adeò celebre in Ecclesia: Libri enim qui authores eos habuerunt quorum nomen clarum fuit apud Christianos, verbi gratiâ Paulum, cuius authoritas & fama fuit in Ecclesia longè maxima, id facilè consequuti sunt vt pro diuinis haberentur, quales sunt omnes Epistolæ Pauli, & prima Catholica Petri & Johannis, de quibus an fuerint Canonicæ nunquam fuit dubitatum. At quorum scriptores non æquè clari fuerunt atque celebres, ij quibusdam Ecclesiis fuerunt suspecti, quippe quia non habuerunt pro comperto satis quis eorum author esset; si quid in iis occurrit obscurum atque difficile, aut verò hæreticorum fraudibus in speciem obnoxium, aut explosis ex Ecclesia Christiana dogmatis in speciem fauens, eos vel suspectos habuêre, vel omnino reiecêre, quanquam id ab omnibus Ecclesiis nunquam factum

2. ...orum ad ...os scri... ...ntur no... ...en ob... ...urius.

factum sit, sed à quibusdam tantùm. Secundò, quia scripti fuerunt ad eos qui minimè celebres erant, sed præ cæteris obscuri: verbi gratiâ, nunquam dubitatum est de Epistolis ad Romanos & Corinthios, non ea de causa duntaxat, quod Imperium & nomen Romanum longè maximum esset & celeberrimum, aut verò quod linguæ Græcæ vsus latissimè pateret in orbe terrarum, & Græcarum ciuitatum (qualis Corinthus fuit) celebris fama esset: sed etiam quia Ethnicorum religio à Christiana abhorrebat quàm maximè. At dubitatum est de Epistola ad Hebræos, non tantum quia Christiani illi, qui natione Hebræi erát, præ cæteris nationibus essent obscuri, sed etiam quia quum Judæorum religio à Christiana non videretur vsque adeò discrepare, Hebræi isti inter populares suos veluti delitescebant, vnde factum est vt scriptum, quod ad eos primò pertinuit, minimè Christianis omnibus innotuerit, qui (vt antea diximus) locorum interuallis erant maximè dissiti. Tertiò, quia scripti non sunt ad particularem aliquam Ecclesiam, sed ad Christianos vniuersos: Etenim scripta quæ ad vniuersam aliquam nationem mittuntur & pertinent, tam nota esse non possunt, quia certis quibusdam personis tantum traduntur, vniuersis nequaquam; sed quæ ad Ciuitatem, aut cœtum aliquem particularem mittuntur, & traduntur singulis, & cœtui ipsi vniuerso, vnde longè lateque postea peruagantur.

3.

Quo pacto Ecclesia potuerit discernere libros Canonicos.

Verùm ex eo quod ante dictum est, quosdam libros ab Ecclesia publico testimonio approbatos esse, oritur quæstio quæ nobis est definienda, nimirum, *quo pacto id factum sit, vt Ecclesia potuerit discernere, quinam libri mererentur vt haberentur pro diuinis, quinam verò id minimè meriti sint*; neque enim satis erit si respondeamus, Ecclesiam ductu Spiritus Sancti id fecisse. Vt igitur quæstionem istam expediamus, notandum est, Spiritum Sanctum, quod ad libros sacros seu scribendos seu dignoscendos attinet, duobus modis hominibus affuisse. Prior modus est per Enthusiasmos quum scilicet quis ita à Spiritu Dei afflatur vt fit merum eius organum, *merum* autem *organum* voco, quum ita mouetur homo vt ea tantum proferat quæ à Spiritu dictantur, nullo adhibito rationis & iudicij vsu, neque in excogitandâ materiâ, neque in verbis deligendis: quales fuerunt afflatus Prophetarum, qui ea tantum effati sunt quæ Spiritus intus suggerebat, vt cùm quis nuncius id narrat quod accepit in mandatis, verbis conceptis, nihil adiiciens de suo, aut verò detrahens. Tales etiam fuerunt afflatus Apostolorum die Pentecostes, & quorum operâ Spiritus S. vsus est in scribendis libris diuinis, quod ad res ipsas attinet, qui id demum argumentum tractarunt quod Spiritus suggessit, non quod ab aliis hominibus didicerant, aut quod suum ipsorum ingenium suppeditare potuit. Ecclesia, in discernendis libris sacris, à Spiritu Sancto sic afflata non fuit. Posterior modus est, quum mens quidem luce Spiritus Sancti illuminatur, sed ita tamen vt qui perfunditur ista luce adhibeat vsum rationis & iudicij sui, & industriam atque diligentiam: non ita arripitur à Spiritu vt ipse nihil agat, nihil meditetur aut commentetur, sed ita allucet ei Spiritus, vt interim ipse adhibeat naturalem ingenij dexteritaté & sagacitatem. Istiusmodi verò lux illa fuit, quæ affulsit Ecclesiæ in discernẽdis libris qui sacri essent, qui verò minimè: Atque id est quod *Spiritum discretionis* vulgò vocant. Et sic occurritur obiectioni Pontificiorum, qui sic nos vrgere solent, ac si latam portam Enthusiasmis aperiremus, quum asserimus vnumquemque fidelem eâ præditum esse mensurâ Spiritûs, vt possit scriptum diuinum ab humano discernere: nempe, non volumus vnumquemque fidelem sic afflari à Spiritu vt Prophetæ & Apostoli olim afflati sunt, sed ita tamen illuminari Spiritu illo discretionis, vt non facilè à Pseudo-Prophetis & Pseudo-Apostolis ei imponatur.

Spiritus S. adest,

vel per Enthusiasmũ,

vel per illuminationem quæ non tollit iudicij & rationis vsum.

Soluitur objectio Pontific. Enthusiasmo.

Hîc autem monendum est obiter, non esse necessarium vt quis liber habeatur pro diuino, scriptus fuerit à Propheta aut Apostolo, satis erit si scriptus sit ab homine Apostolico: *Apostolicum* autem hominem voco, cuius authoritas magna fuerit in Ecclesia, quique vixerit Apostolorum tempore, ita vt scriptum eius ab aliquo Apostolorum & videri & approbari potuerit. Ita vt si quis probauerit scriptum aliquod ab eo editum fuisse, & Ecclesiæ traditum qui temporibus Apostolorum vixerit, & ab Apostolo quodam visum fuisse atque probatum, idem etiam probauerit scriptum illud esse Canonicum. Lucas enim non fuit Apostolus, quia tamen vir fuit Apostolicus, Apostolis familiaris, eaque scripsit quæ non modò Apostolos latêre non potuerunt, sed etiam ab iis approbata sunt, scripta eius pro diuinis atque Canonicis habita sunt, neque vnquam dubitatum est an in Canonem referri deberent. Sic etiam, quamquam Epistola ad Hebræos ab Apostolo Paulo scripta non fuerit (quod euidentissimis rationibus, non leuibus coniecturis, postea ostendemus) non ideò tamen habenda est pro Apocrypha: quare diuinam authoritatem apud nos habere debet, modò eas in se habeat insitas notas; quæ à nobis impetrare debent vt aliquem librum pro Canonico suscipiamus.

Etiam vir Apostolicus potest esse author libri Canonici.

Notæ libri Canonici.

Eæ verò notæ quatuor sunt: prima est *Antiquitas*, nam quod antiquissimum est, illud etiam optimum esse necesse est; non est enim pro Canonico habendum quod à nupero quodam authore profectum est, aut verò repente exortum est, quanquam materia ipsa diuinitatem aliquam redoleat: Poterit enim doctrina ipsa esse diuina, quæ tamen, quoniam immediatè ab iis non est profecta quorum operâ Deus extra ordinem vsus est ad condendam Ecclesiam, non efficiet vt scriptum ipsum pro Canonico habeatur. Non potuit autem immediatè ab iis proficisci, nisi scriptum sit antiquissimum, quia postquam semel Deus Apostolorum ope â Ecclesiam suam constituit & edocuit, neminem excitauit qui, eodem quo ipsi modo, afflaretur à Spiritu Dei: omnes alij qui eos secuti sunt, de suo aliquid admiscuisse potuerunt.

1. *Antiquitas.*

Secunda nota est *Argumentum, & ipsa doctrina.* Debet enim argumentum esse planè diuinum, ita vt nihil sit in eo quod humanum sapiat ingenium, aut doctrinam humanam. Neque verò id satis est, ad conciliandam authoritatem diuinam libro alicui Noui Testamẽti, vt nihil sit in eo impij, nihil stulti, nihil quod nõ sit verum aut diuinum etiam, sed nihil aliud spirare debet præter quàm Christum, subinde ac præcipuè loqui de

2. *Argumentum & doctrina.*

redemptione generis humani per Christum, de vita æterna, de resurrectione, de vltimo iudicio. Etenim, si quis nobis liber pro Canonico obtruderetur, qui tractaret idem argumentum quod habetur in Prouerbiis Salomonis, & eodem modo, ille meritò rejiciatur: si quidem alia nunc est edocendæ Ecclesiæ ratio, post Euangelium à Christo allatum, ab ea qua vsus est olim Salomon, aut quisquam alius eiusmodi scriptor, quamquàm θεόπνευστος; amotum enim est velum, clarè & perspicuè, & sine vllis ambagibus, recta ad Christum & vitam eternam deducẽdi sumus. Cuius rei Epistolæ Pauli testimonium luculentissimum perhibere possunt, qui, ne in rebus quidem quæ ad Ecclesiæ politiam pertinent, sibi temperare potest quin subinde Christum appellet, ita vt ne pagina quidem vna sit, in quâ Christi nomen ter aut quater non reperiatur.

3. *Modus & Methodus differendi.* Tertia nota est *Modus & Methodus differendi.* Ea enim eiusmodi esse debet, vt viuida sit, plusquam in alio quoquam genere scripti, ita tamen vt eruditionem & artem humanam minimè sapiat; & animaduertas quidem certè artem aliquam, sed quæ ad normam artis humanæ non sit exacta, longo tamen eam superet interuallo. Vt si legas Epistolas Apostoli Pauli, videas quidem methodum aliquam in nectendis argumentis, & in disputationis filo deducendo, sed quæ minimè similis sit methodo Platonis, aut Aristotelis, aut verò cuiuspiam alius, qui citra extraordinarium afflatum, qualem sensit Apostolus, res diuinas tractarit quàm disertissimè doctissimeque: quicquid enim illud est quod est ab ingenio humano, aut eruditione sæculari, vim illam, quæ in argumentationibus Apostoli viget, nequaqum imitari potest.

4. *Character seu stylus.* Quarta denique nota est *Character atque stylus.* Nam in orationis genere apparere debet *Maiestas quadam*, non quæ sita sit in grandiloquentia, sed in vocibus atque phrasibus quæ demulcendo percellant, quæ non sint quidem tumidæ aut inflatæ, (qualis esse solet eorum stylus qui sublimem quandam grandiloquentiam affectant) sed graues & propriæ, ad argumentum accommodatæ, & quas facilè dijudices ab ingenio humano non esse, vt quæ longissimè recedant ab vsitato genere dicendi. Deinde, & inesse debet quædam *Comitas*, non quę sita sit in deiecta & humi repente ratione dicendi, sed in modesta quadam *simplicitate*, quæ magnifici tamen aliquid habeat coniunctum. Hoc pacto qui liber pro Canonico existimandus est, non simplici tantum & comi stylo conscriptus sit, quomodo fortasse scripserunt Herodotus atque Xenophon, sed comitas illa aliquid magni & generosi præ se ferat: quemadmodum cùm Angelus offert se conspiciendum humanâ specie, os quidem humanum agnoscitur, & humana membrorum conformatio, apparet tamen semper aliquid, vt ita dicam, peregrinum, quo percellaris animo, & facilè admonearis, non esse verum hominem, sed spectrum. *Simile.* Denique, sit in eiusmodi stylo nescio quid quod effari non possum, persentiscitur tamen ab iis qui legunt, quo facilè eum discernas à scriptis humanis, quemadmodum cuiusuis est in esculentis discernere sapores, quanquam rationem diuersitatis explicare haud quaquam facile sit. Hæc autem ita dicta sunto, non quasi hoc velimus, vnamquamque harum notarum seorsim sumptam ad id sufficere, vt Canonicum librum, ab eo qui minimè Canonicus est, discernere possis, nam exempli causâ, multa sunt alia scripta, præter Apostolica, quæ possint esse antiquissima: sed fieri haudquaquam posse arbitramur, vt istæ omnes notæ in eodem scripto simul reperiantur, quod idem non sit Canonicum, & à Spiritu Dei immediatè profectum. Quas omnes notas cùm Epistola ad Hebræos clarè & perspicuè prę se ferat, de illius diuinitate nobis non est ambigendum.

QVÆSTIO II.

Quis sit author huius Epistolæ, Paulus an verò alius.

Paulus non est huius Epistolæ author. MVltò facilius est dicere quis istius Epistolæ non sit author, quàm quis sit author, quod sentimus tamen liberè dicẽdum est. Ac primum quidem sic censemus, eam authorem Apostolum Paulum non habere, quod sequentibus argumentis ostenditur. *Ratio 1. Pauli nomen non præfixum.* Primò, solet Apostolus omnibus suis Epistolis nomen suum præfigere, quod cur hìc non fecerit causa satis firma nulla dari potest. *Except. 1.* Respondent viri docti id factum esse pluribus de causis, nempe, inquiunt, tacuit nomen suum quòd illud sciret Judæis esse exosum, ne lecto authoris nomine in fronte Epistolæ ab eius lectione submouerentur. *Resp.* At friuola est hæc ratio, non enim scripsit ad Judæos in Judaismo pertinaciter perseuerantes, sed ad Hebræos ad Christi fidem conuersos, quibus (vt patet ex hac ipsa Epistola) erat notissimus & verò charissimus. Quod si ad Romanos scribens, quorum Ecclesia ex Judæis & Gentibus constabat, in qua aduersus Judæos disputat, eorumq; reiectionem aperit, nomen suum Apostolus non dubitauit fronti Epistolæ pręfigere, multò minus reformidare debuit idem in ista facere, in qua non disputat contra Judæos, sed arguit tantùm eos ad quos scribit negligentiæ: quod parum in studio pietatis profecissent. *2.* Respondent secundò, Apostolum nomen suum reticuisse, ne ex nomine suo, quod sciebat esse incredulis Judæis exosum, Hebræis credentibus, ad quos scribebat, conflaret odium & inuidiam apud populares. At & hoc ipsum leue est, nam religio certè Christiana, non verò Pauli nomen, inuidiam & odium illis creabat. *3.* Denique & id aiunt, Paulum ea de causa nomen suum reticuisse, ne deprædicando dignitatem Apostolatus sui labem aliquam aspergeret dignitati Christi, vtpote qui sit Apostolus Hebræorum, cui propterea soli titulus ille debebatur. At quàm hoc sit friuolum vel hinc patet, quod Petrus qui fuit Apostolus circumcisionis, quum scribit ad Judæos dispersos non metuit id periculum, sed Apostolum in ipso limine Epistolæ disertè se prædicauit.

Ratio 2. Phrasis non est Pauli na. Secundò Phrasis & dictio huius Epistolæ non est similis dictioni Paulinarum Epistolarum, (quod rationis genus magnum pondus habere debet) id autem procliue esset infinitis penè prolatis testimoniis, sed sufficit id quibusdam tantum indicasse. Nusquam in Epistolis Paulinis vocem illam αἰῶνες eo sensu reperias quo vsurpatur in hac Epistola, apud Paulum significat *Tempora*, minimè autem *mundum*, κόσμον dicit, &

καιρὸς

Except.

κτίσιν, & τὰ πάντα. Neque vnquam Paulus illud μήποτε παραῤῥυῶμεν dixisset. Respondent quidam è nostris hominibus, hanc Epistolam Syriacè priùs conscriptam fuisse, multum autem in translatione deperditum esse de natiuo & genuino dictionis charactere. Sed hoc vanum est: primò, quia (vti infra demonstrabimus) conscripta fuit Græcè hæc Epistola, non autem Syriacè. Secundò, si Syriacè scripta fuit, periit-ne prototypon illud exemplar? Sanè periisse necesse est, nusquam enim comparet; &, si intercidit, quid superest quàm vt de auctore & diuinitate istius versionis dubitemus? Denique, sic infringitur vis argumenti illius quo apud Pontificios euincimus libros Sapientiæ (qui Salomoni tribuitur) & Ecclesiastici esse Apocryphos, quia non referunt Hebraicum idiotismum, & Salomonis stylum. Procliue est enim Pontificiis excipere, id quod viri isti docti faciunt, libros istos ex Hebræo fuisse yersos, atq; ideo stylum non parum fuisse immutatum: nam si id verum sit in Epistola ad Hebræos, quid-ni etiam in aliis quibusdam libris verum erit? Arctè igitur tenendum est (quia ita sanè se res habet, non modò ne vis argumenti nostri concidat) Epistolam ad Hebræos, quam nunc præ manibus habemus, versionem non esse, sed ipsum authoris exemplar prototypum.

Ref.

3. Ratio. Methodus non est Paulina.

Tertiò. Methodus & ratio differendi abhorret ab eo argumentandi genere quod Paulo familiare fuit. Quum enim Paulus agit aduersus Iudeos, agit quidem aliquando prolatis è Veteri Testamento testimoniis, vnde deducit argumenta, sed rarò ducit argumenta sua è typis legalibus: At author huius Epistolæ totus est in typis. Neque hîc reponendum est, Apostolum de industria immutasse disputandi rationem, quia res illi fuit cum Hebræis, non verò cum Gentibus. Nam in Epistola ad Romanos, & alibi passim, disputat etiam, & quidem accuratè, aduersus Iudæos, nec tamen vtitur (nisi rarò) eo argumentandi genere. Denique, ex ipsa scripti lectione deprehendas, id non sapere τὸ ἦθος & ingenium Paulinum. Nam (vt obiter id moneamus) quamquàm vnus & idem Spiritus omnes illos diuinos Scriptores afflauit, vnumqumque tamen sanctificat prout ingenio à natura comparatus est, sic tanta est in Epistola Iohannis, & tam mira comitas & suauitas, vt eam nemo legere possit quin continuò harioletur Apostolum illum suauissimis fuisse moribus. Quamquàm autem admirabilis illa suauitas Paulo defuerit, attamen eius scripta summam lenitatem cum grauitate coniunctam arguunt, at author Epistolæ ad Heb. lenitatem istam minimè habet, vbique incitatus est, vbique tonat atque fulgurat, & ab ipso Epistolæ exordio grande aliquid & magnificum spirat: vt facile conjicere possis erecto fuisse & elato ingenio. Nam quod quidam respondent, Apostolum quidem multis de causis ingenium suum dissimulasse & mutasse stylum, parum firmum videtur, nam nulla causa fuit (vt supra ostẽdimus) cur id hîc potius quàm alibi fieret, imò potius hîc id fieri non debuit, si Apostolo religio fuit contumaciam Iudæorum offendere. Et quamuis vlla causa fuisset, non potuisset tamen stylus sic immutari & dissimulari, quin vestigia quædam & notæ Paulini ingenij apparerent; quemadmodum quamquàm quis incitatiùs incedat, sic tamen incedit, vt gestum

Neque sapit τὸ ἦθος Pauli.

Except.

Ref.

naturalem & illum corporis habitum, quem à natura habet, penitùs non amittat.

4. Ratio. a testimonio veterum Patrum.

Quartum argumentum desumptum erit ex historia. Primus omnium qui hanc Epistolam Paulo Apostolo adscribit, fuit Clemens Alexandrinus, qui ea affert quæ supra refutata sunt, & postmodum adhuc refellentur, vixit autem paulò ante tempora Tertulliani: At cum eæ rationes, quibus impulsus fuit vt eam Paulo attribueret, vanæ & friuolæ sint, testimonium eius non debet esse magni momenti. Magnum à contrario pondus habere debet quod ante tempora Hieronymi, nemo vnquam in Ecclesia Romana affirmauit eam esse Pauli Apostoli. Sanè cùm Paulus eam in vinculis scripsisse dicatur Romæ, vbi & martyrium passus est, bis mirum est eum istius Epistolæ exemplar, quod eius nomen pręse ferret, Ecclesiæ Romanæ non reliquisse. Nam quod Hieronymus ait, si ideo non sit Pauli quia nomen Pauli non habet, itidem nullius esse, quia nullius nomen habet, cauillatiuncula est & argutum dictum, non acutum aut solidum responsum, non enim sic argumentamur, illam non habere authorem cuius nomen non gerit, nullius enim gerit, sed eam non esse Paulinam, quia nulla causa esse possit, cur morem illum præfigendi nomen suum, quem vbique diligenter seruat, hîc etiam non vsurparit. Accedat denique & illud, Apostolus solet Epistolas suas ita claudere, vt salutationes sua ipsius manu scribat, atque id vult haberi pro signo in omnibus suis Epistolis, vt ne quis fidelibus imponat, quod quamobrem hîc non fecerit ratio nulla reddi potest.

5 Ratio.

Refelluntur rationes quibus ea adstruitur Paulo.

Nunc refellendæ sunt hæ rationes propter quas eam Paulo asserunt, quod fiet breuissimè quia leuissimæ sunt. Aiunt ergo quædam reperiri in hac Epistola quæ in aliis Pauli scriptis ferè eadem habentur. Quid tum postea? sanè in duobus prioribus capitib. Epistolę Petri prioris plura reperias quæ sunt eadem cum iis quæ dixit Apostolus Paulus, quàm in tota hac Epistola? Ergone ideò Paulina etiam est? Deinde, inquiunt, facit mentionem vinculorum. At nemo-ne potuit esse in vinculis præter Apostolum Paulum, aut in vinculis per Epistolas Ecclesiam admonere, & hortari atque consolari? Nominat, inquiunt, Timotheum. Ita sanè se res habet, sed Timotheus potuit esse aliis pręter Paulum familiaris, verbi gratiâ Barnabæ, quem Paulus diu habuit comitem peregrinationum suarum. Adiecit denique salutationes, quas (vt aiunt ipsi) Paulus voluit haberi pro signo in omnibus Epistolis suis. At, inquam, Paulus non id voluit, salutationes esse signum Epistolarum suarum (nam qui potuit Apostolus prohibere quominus etiam alij Epistolas suas salutationibus clauderent? & reuerâ id fecit Petrus) sed hoc voluit, pro signo haberi quod manu suâ salutationes scriberet, vt ij ad quos scribebat, ex ductibus & lineamentis Scripturę, genuina sua scripta ab adulterinis & supposititiis discernerent, quod etiam pręter salutationes signo aliquo obsignare potuit, quo res fieret clara magis & perspicua.

Barnabæ videtur esse potius quam Pauli.

Quis ergo illius author est? Sanè quanquam id certò sciri non possit, nihil tamen ideò decedere debet de authoritate illius. Nolim hîc quicquam pro certo affirmare, libenter tamen mihi persuaserim eam Barnabæ adscribi debere. Et reuerâ

Tertullianus integrum locum ex hac Epistola citans aduersus Romanos (quem sententiæ suæ fauere falso putabat, vt Deo fauente ostendemus cùm ad eum locum ventum erit) eam citat sub nomine Barnabæ, quod nequaquam fecisset, nisi putasset Romanos in eadem sententia fuisse, quos ex ea Epistola reuincere conabatur. Quod si illi existimassent eam ab Apostolo Paulo fuisse conscriptam, quandoquidem Pauli maior fuit authoritas in Ecclesia quàm Barnabæ, ille qui summam doctrinæ suæ authoritatem conciliare voluit, eamque tueri testimonio virorum summę authoritatis, titulum Epistolæ haud immutasset. Et certè si rem propius intuearis, stylus & character istius Epistolæ cum ingenio Barnabæ, quale ex Actorum historia deprehendi potest, optimè conuenit: videtur enim paulò incitatiore animo fuisse quàm Paulus (vnde natus est ille paroxysmus qui narratur Act. 15.39.) quod graues illę increpationes redolent; & eo etiam oris habitu & specie, quam sublimitas illa styli maximè decere videatur; atque id ex eo conjicere est, quod quum Lycaones Paulum pro Mercurio acceperint, Barnabam existimarunt esse Jouem, id verò nunquam fecissent, nisi eo vultu & oris habitu fuisset qui non tantum gratiam conciliaret, sed etiam reuerentiam.

quod & stylus arguit.

Si quis autem quærat quo tempore scripta fuerit, puto scriptam fuisse tempore magnæ alicuius persecutionis, cuius nulla supersit historia, cuiusmodi multas perpessi sunt fideles, quarum ne vestigium quidem vllum in historia Ecclesiastica est, quemadmodum Paulus multarum rerum meminit in Epistolis, quas ab hostibus Euangelij passus est, quarum ne leuem quidem mentionem fecit Lucas in Actis. Atque hæc dicta sunto de authore istius Epistolæ. Nam pro vano illud haberi debet quod quidam scripsêre, eius authorem fuisse Clementem non Alexandrinum illum, sed Episcopum Romanum: nam iste Clemens (si quæ illius nomine circumferuntur eum reuerà authorem habuerunt) meminit istius Epistolæ vt scripti quod à maioribus accepisset. Neque etiam me magnoperè mouet consensus scriptorum Græcorum, qui eam Paulo tribuunt, neque enim consensus iste fuit vniuersus, nam Eusebius dubitat an sit Pauli, & in eam rem citat Clementem Alexandrinum, neque quicquam certi ea de re ex traditione habere potuerunt.

Quando scripta fuerit,

Non est Clementis.

QVÆSTIO III.

Vtrum hæc Epistola Græcè scripta fuerit, an verò Syriacè.

NOs quid ea de re sentiamus supra declarauimus, nimirum conscriptam fuisse linguâ Græcâ, non Syriacâ: Id autem quibusdam argumentis confirmandum est. Primum erit, idque maximè, vt puto, momentosum, quod omnes Noui Testamenti libri græcè scripti fuerunt: Cuius rei ea ratio est obseruatione dignissima, quod Euangelium tradendum non fuit eâ linguâ quæ peculiaris esset alicui populo, sed ferè omnibus mortalibus communis. Quandiu quidem Deus siuit nationes ambulare in viis suis, & solum populum Israeliticum habuit veluti in peculio, doctrinam cœlestem iis litteris consignauit quæ populo isti peculiares essent: at quando cœpit doctrina cœlestis ad omnes omninò gẽtes pertinere, eo fuit opus idomate quod maximè notum esset. Quàm autem latè patuerit vsus linguæ græcæ neminem latet, qui bonas litteras vel leuiter attigerit; testis Cicero est, Orat. pro Archia Poëta, *Græca leguntur in omnibus ferè gentibus: latina suis finibus, exiguis sanè continentur.* Quinetiam debuit Euangelium ea linguâ tradi, non quæ ad tempus aliquod esset duratura, qualis fuit Hebraica, sed quæ magno in pretio apud posteros futura semper esset. Lingua autem Græca id facilè obtinuit quandiu Imperium Romanum stetit, at postquam Romani Pontifices aduersus Imperatores inualuêre, & rerum summâ potiti sunt, eorum superbiâ & tyrannide factum est, vt studium litterarum græcarum in Occidente iacuerit, quod nostris hisce sæculis denuò excitatum est, atque adeò apud posteros vigebit: Retinuerunt quidem Scriptores sacri phrasim & characterem hebraicum, quia Gentes, quæ per prædicationem Euangelij cum Judæis in vnum corpus coaluerunt, antiquæ oleæ insitæ, assueuerant etiam phrasi Hebraicæ, quam LXX. Interpretes in versione sua retinuerant, vt eadem operâ Euangelium eo stylo potissimum traderetur, qui libris V. Test. (quos summo in honore Judæi semper habuerunt) maximè congrueret, iis tamen vocibus quæ Gentibus familiares essent. Retinuerunt, inquam, Hebræorum stylum & scribendi consuetudinem, quamquam græcis vocabulis vsi sunt.

Scripta fuit Græcè.

Ratio 1.

Omnes libri N.T. scribi debuerunt Græcè.

Existimo enim viros doctos iampridem probasse sufficienter, illud esse fabulosum quod à quibusdam proditum est, Euangelium secundùm Matthæum primùm conscriptum fuisse Hebraicâ linguâ. Atque id eo euincere facilè est, quod quæ citantur à Matthæo, è Veteri Testamento, desumpta sunt ex versione LXX. Interpretum. Etenim si Matthæus scripsit linguâ Hebraicâ, ea haud dubiè citauit vt exstant apud Prophetas, quæ quo iure & quâ authoritate Interpres interpolauerit, non potest satis solidè demonstrari: At quamobrem sic ea citauerit Matthæus, de eâ re verò constrat Spiritui Sancto, qui eum immediatè afflauetat, atque in eo cum cæteris Noui Testamenti scriptoribus causam communem habuit. Rationes autem, quibus veteres ferè omnes permoti in eâ sententiâ fuisse videntur, sunt vanissimæ. Inchoauit, inquiunt, Matthæus opus suum à Genealogia Christi, Hebræorum more. Quid tum postea? Nonne etiam Christi genealogiam Lucas descripsit? Ideo-ne etiam scripsit Hebraicè? quod fortassis illi assererent, nisi ex præfatione, quam operi suo Lucas præfixit, id abũdè refutaretur. Hieronymus memoriæ prodidit, se vidisse Euangelium Matthæi Hebraicè scriptum. Sanè id mirum videri non debet, conuersum enim fuit in linguam Hebraicam, vel potius Syrochaldaicam, in vsum Hebræorum, seu Judæorum Hierosolymitanorum.

Obj. de Euangelio Matthæi.

Resp.

Secundum argumentum est è phraseologia: quamuis enim sępe author Epistolæ ad Hebræos hebraïzet, sæpius tamen ἑλληνίζει quàm solet Paulus, ac, rem intuenti propiùs, stylus videbitur ad Græcorum idiotismum accedere & Metaphoræ potius Græcæ quam Hebraicæ sunt. Nã quod quidam respondent, id ab ingenio Interpretis profectum esse, qui Syriacum idiotismum idiotismo græco exprimere conatus sit, id supra refuta-

2. Ratio. Phraseologia est Græca.

refutauimus. Accedat tamen & illud, id minimè licere Interpreti sacrorum librorum, nam quanto magis Interpres adhæret phrasi exemplaris prototypi, tanto maiorem laudem laturus est. Atque eo nomine malè audiuerunt (& meo quidem iudicio iure meritoque) Castellio atque alij nonnulli, qui sacram Scripturam interpretantes longius recesserunt ab hebraicâ phrasi, quo magis accederent ad phrasim latinam aut gallicam. Quinetiam in eâ allusiones quædam sunt ad græcas voces, quas lingua Syriaca ferre non potest, vt in voce illa διαθήκη, quæ (quidquid ea de re nonnulli sentiant) nunquam Syriaca fuit, nisi postquam Nouum Testamentum καινὴ διαθήκη vocari cœpit: Certè neque Onkelos, neque Jonathan, vocem ברית vertunt διαθήκην, sed nec Targum Hierosolymitanum. At si author istius Epistolæ Syriacè scripsisset, proculdubio eâ scripsisset linguâ, quæ tum in Judæâ vsitata erat.

3. Allusiones ad voces Græcas.

4. Citat Scripturam secundùm LXX. Interpr.

Et hîc etiam valeat ea ratio quam supra attulimus, nimirum, si scripta sit Syriacè authorem, in citandis locis è Scripturâ sacrâ, haud dubiè sequuturum fuisse veritatem hebraicam, non autem versionem LXX Interpretum, quæ postea Interpres pro ingenio suo immutare non debuit: Cùm igitur ea quæ citantur totidem verbis habeantur in versione græcâ, necesse est id ita factum esse ab ipso Epistolæ authore. Cur autem potius secutus sit versionem illam græcam, quàm veritatem Heb. (cui non vsque quaque respondet) ratio est in promptu, quàm in sequentibus fusius explicabimus, cùm ad parallelismos ventum erit: nempe, quia versio illa apud omnes tunc temporis summam obtinebat authoritatem: ita vt si quid esset in Prophetis de quo dubitari posset, in eam facilè partem inclinabant in quam ista versio propendebat. Quædam fuerunt quæ author istius Epistolæ ad rem suam accommodare voluit, quæ quoniam magis fortasis vrgêt vt exstant in versione LXX. quàm vt sunt in hebręo, apud eos qui versionem istam maximi faciebant, ea sic potius produxit.

Refutâtur rationes contrariæ.

Nunc refutandum est id quod afferunt qui putant Syriacè fuisse conscriptam. Minimè decuit, inquiunt, Hebræos aliâ linguâ compellare quàm eâ quæ ipsis esset familiaris. At si ratio ista valet; quamobrem quæso Apostolus Paulus Romanos non Romanè, sed Græcè compellauit: sanè, aut par aut maior ratio fuit, cur ad eos scriberet latinè, quàm ad Hebręos Syriacè. Lingua quidam Græca nota non fuit fæci plebis Judaicæ, quemadmodum neque plebi Romanæ, nota tamen fuit Pastoribus, & iis qui præsidebant Ecclesiis, vigebat enim tum donum linguarum in iis. Cur autem græcè potius quàm alio idiomate id factum sit, suprà à nobis demonstratum est.

AD VERS. 1.

Cur hæc Epistola non sit inchoata more reliquarum, in quarum fronte meminit Apostolus sui tum muneris, tum etiam nominis.

SVpra demonstratum est hanc Epistolam non habere Paulum authorem, ideoque mirum videri non debet, si non sit eo modo inchoata quo Paulus suas inchoare consueuit. Quod autem nomen authoris non habet præfixum, neque id mirum esse debet, nam hoc planè arbitrarium est, neque enim Iohannes Epistolæ suæ nomen præposuit, quanquàm nemo vnquam dubitauit quin Iohannis esset, tam altè sunt in ea impressa vestigia Spiritûs illius quo Iohannes afflatus Euangelium suum conscripsit: Peculiarem fortasis habuit causam author iste ob quam id non fecerit, sed ea nos latet, & hoc non est magni momenti.

AD VERS. 2.

Quo sensu Christus dicatur κληρονόμος πάντων.

REspexit author Epist. ad illum Ps. 2. locum, *Postula à me & dabo gentes hæreditatem tuam*, &c. quo loco dominium Christi in omnes creaturas, quod ei traditum est à Patre, vocatur *hæreditas*, dominium, inquam, quod habet propter munus mediatorium. Etenim duplex est Christi dominium in creaturas, alterum *essentiale*, quod ab æterno habet commune cum Patre & Spiritu Sancto, nimirum quatenus est Deus; alterum verò quatenus est Mediator. De priore illo dominio vox illa κληρονόμος non est hîc intelligenda, nam quæ dicuntur de Christo quatenus est Deus, ea exprimuntur per verbum substantiuum simpliciter, aut per verbum substantiuum adiectâ præpositione quâdam, vt, *Christus est omniscius, Christus est omnipotens*, quæ per nomen adiectiuum exprimuntur; aut, *Christus est à Patre* cum adiectâ præpositione. Deinde, Imperium illud quod habet quatenus est Deus, quia naturale est, non potest dici θέσει: quis enim dicat, quia Pater essentiam suam Filio ab æterno communicauit, & cum essentiâ dominium in creaturas, ideò Patrem Filium hęredem omnium constituisse? nam & sic poterit dici à Patre constitutus Deus. Denique dominium illud *essentiale* non potest vocari *hæreditas*, nam ideò *Hæres* dicitur, quia dominium illud, quod obtinet in creaturas, id commune habet cum hæreditate, quod quemadmodum is qui hęreditatem adit in locum alterius succedit, sic, quod ad imperium illud attinet, Christus Mediator veluti succesit in locum Patris, vt sit eius Vicarius: Iam quod habet filius à Patre quatenus est Deus, id non habet vt Vicarius, & succedēs in locum alienum, sed naturali & essentiali communicatione. Huc etiam accedit, quod dominium illud essentiale non eâ tantum de causâ Christo competit, quòd Creator sit rerum omnium, sed propter ὑπεροχὴν quandam essentię diuinę, quæ tanta est, & tam excelsa supra genus omne creaturarum, vt etiamsi mundus ab eo conditus non esset (quod ne animo quidem fingi potest) ipse sit tamen rerum omnium Dominus: quod genus dominij Christus non potuit habere aliquâ θέσει.

duplex Christi dominium. 1. Essentiale qua Deus

de quo nō hîc agitur. 1.

2.

3.

4.

Dominium igitur, de quo eo loco agitur, est ius aliquod (vt ita dicam) *Vicarium*, quod pendet à munere, cuius ea ratio est, quod postquam Deus apud se decreuit Ecclesiam sibi comparare per Mediatorem, vnitâ naturâ filij diuinâ cum naturâ nostrâ humanâ, personæ, quæ existis duabus naturis constat, opus illud demādauit; munus id ei dedit coniunctum cum *hæreditate*. id est dominio vniuersi istius mundi. Atq; ita Filium suum,

2. Vicarium qua tenus Mediator.

quâ Mediator est, constituit inter se & creaturas suas peccato contaminatas, vt se non amplius iis communicet nisi mediatè per Christum; & sic remansit quidem Christus, quatenus est Deus, vna cum Patre suo, rerum omnium æternus & naturalis Dominus, at quatenus idem est Deus & homo, vna eademque persona Mediatoris, vicariam istam potestatem accepit à Patre, iuxta illud Matth. cap. vltimo. *Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terrâ.* Ideoque non tantum ipse se in victimam obtulit pro peccato, sed etiam misit Spiritum Sanctum in Apostolos, & quotidie mittit in fideles, laboranti Ecclesiæ succurrit, & quidquid est inimicum Ecclesiæ, & gloriæ Dei, prosternit ac frangit, & sceptro ferreo comminuit. Tametsi enim Deus id facere verè dicatur, id præstat tamen per filium, cui id muneris ab eo demandatum est. Christus autem id imperium non accepit vt Deus est (nam, vt supra diximus, eatenus nō potest dici rerum omnium *constitutus* hæres) neque etiam vt homo est, nam natura humana, per se sola, tantæ dignitatis atque potestatis capax non est, ut mittere possit Spiritum Sanctum & vniuersum mundum hæreditate obtinere, sed quatenus Deus est & homo in vnâ eâdemque personâ, Mediator atque Redemptor noster. Habet enim imperium illud χάριν quandam particularem ad Ecclesiam, ad cuius salutem promouendam, & peragendam redemptionem, totum comparatum est, quam χάριν æternum illud & essentiale dominium habere nequit. Nam si Christum consideres sine munere mediatorio, & vt Deus est tantùm, tantum abest vt imperium vllum habeat quod ad salutem Ecclesiæ comparatum sit, vt ne quidem Ecclesiam sit habiturus; nam absque illo munere foret, quod propter nos suscepit, nobis omnibus pereundum esset.

Dominij istius duratio. Ea autem est Imperij illius conditio atque natura, vt tamdiu duraturum sit quandiu supererit peccatum, nulla enim immediata communio intercedere potest inter Deum & creaturam, quandiu peccatum superest, opus est Mediatore qui stet medius inter vtrumque, & per quem omnia à Deo ad nos dimanent: At postquam peccatum omninò deletum & abolitum fuerit, tunc Imperium illud cessabit: deletum, inquam, non tantum imputatione iustitiæ, aut non imputatione peccati, sed etiam reuerâ, cùm nulla amplius erit in Ecclesia labes. Quod nos docuit Apostolus 1. Cor. 15. 24. *Cùm*, inquit, *tradiderit regnum Deo & Patri, &c. oportet enim illum regnare vsque quò ponat omnes inimicos, &c. Cùm autem subiecta fuerint ei omnia, tunc ipse Filius subijcietur illi qui omnia pedibus eius subjecit. Et sic*, inquit, *Deus erit omnia in omnibus*, id est, non se communicabit Deus Ecclesiæ suæ mediatè per Christum, sed immediatè per se, quoniam deleto peccato, & abolitis ac pessundatis omnibus Ecclesiæ hostibus, opere redemptionis peracto, non magnopere opus erit Mediatore, qui inter Deum & creaturam intercedat, siquidem creatura Deum rectà accedet, & immediatè gloriam & sanctitatem eius participabit. Quę res simili potest illustrari, ac veluti poni ob oculos conspicienda; finge plures esse globos ex pellucidâ materiâ, eo situ vt sint inter se paralleli, finge etiam animo alium quendam esse globum interiectum inter istos globos & corpus Solis, ita vt radij solares reliquos globos, nisi per eum solum, nequaquam pertingant, eodem planè modo Deus hominibus nunc se communicat, meditaè nempe per Christum: At finge tandem ita accidisse vt Sol omnes istos globos irradiet, non amplius per primum illum qui medius interiectus erat, sed immediatè, ita vt rectà radij Solares ad vnumquemque eorum pertingant, nullo interposito medio, sic planè futurum est aliquando vt Deus nos omnes immediatè irradiet, & impleat Spiritu suo, sine operâ Mediatoris.

Explicatur locus 1 Corint. 15. 24. de regno à Christo Patri tradendo.

Simili illustratur.

quomodo Deus erit omnia in omnibus. Atque id est quod Apostolus vult cùm ait, *Tum Deus erit omnia in omnibus.* Nempe, perfectè sancti & gloriosissimi erimus, quemadmodum Deus optimus est & gloriosissimus, nam in his duobus imago Dei consistit, totaque nostra salus, quam Christus quidem inchoat in hâc vitâ, at postquam eam perfecerit, tunc abdicabit se eo munere, quo plenè & perfectè defunctus erit: *Et sic* (inquit Apostolus) *subjicietur Christus ei qui subiecit illi omnia*, &c. Nam Christus quandiu Mediator est, si absolutè eum consideres, subiectus quidem est Patri, non quatenus, inquam, est Deus, sed quatenus est Mediator, eatenus enim est inferior Patre; at si comparetur cum Ecclesiâ suâ, habet aliquid peculiare quare subiectus non dicatur, non est enim eadem conditio Christi, quatenus est Mediator, & membrorum eius; Ipse Rex est, nos verò subditi, illi data est omnis potestas, nos verò sumus ij ad quorum salutem & redemptionem peragendam potentiâ istâ vtitur: at cùm cessabit illud munus, opere peracto & debellatis omnibus hostibus, tunc dicitur *traditurus regnum Deo & Patri*, *vt sit Deus omnia in omnibus*, & tunc etiam *fore* dicitur *Patri subjectus*, quia Christus, quatenus homo est, partem Ecclesiæ suæ constituet, (quamquam eius sit futurus caput, quemadmodum Adamus quamuis esset generis humani caput, eius pars fuit aliqua) ac propterea aget Deus immediatè in eum hactenus, quemadmodum in reliquos fideles.

quomodo Christus subjiciendus est Patri.

Simili illustratur. Quod altero simili poterit clarius euadere: Fac Regem aliquem hoc habere in animo, nimirum per Filium vnigenitum multos alios adoptare filios, non quidem simul ac semel, sed paulatim, donec tandem omnes illi adoptiui filij iure liberorum Regis plenè ac perfectè fruantur, quandiu filius ille, cui id muneris demandatum est, opere suo fungitur, prærogatiuam quandam habet præter ius antiquum & naturale filij, ita vt si absolutè eum consideres, sit quidem patri subditus, at si eum compares cum iis in quos pater ei ius dedit, vt eos adoptet & donet ius liberorum, minimè dicetur subiectus: At postquam munere suo penitus est defunctus, & opus adoptionis peractum est, cessat illa prærogatiua, ius illud imperij, quod habebat in adoptiuos tradit in manus Patris, & ipse, quemadmodum cæteri qui sunt adoptiui, dicetur Patri suo subiectus, non *absolutè* tantum sed etiam *comparatè.* Sic planè Christus nos deducit in possessionem hæreditatis paternæ, at postquam id peractum fuerit, dicetur quidem primogenitus inter multos fratres, id est, caput Ecclesiæ, sed tamen subiectus non *absolutè* duntaxat, sed etiam *comparatè*, quatenus pars Ecclesiæ.

Cur Mun-

Cur Mundus hic vocetur αἰῶνες in Plurali.

Αἰῶνες hic significat Mundum non Ecclesiam.

PRiusquam reddamus rationem cur mundus dicatur αἰῶνες in plurali, probandũ est aduersus Hæreticos, Apostolus per hanc vocem mundum significare, non verò nouam Ecclesiæ creaturam. Quod probatur tribus potissimum argumentis. 1. Primum est, quod cum Apostolus, sub initium cap. 11. huius Epistolę eandem istam vocem eo sensu vsurpet vt significet mundum, πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, neque verò vsquam alibi ea voce vsus sit, præterquàm hoc loco quem præ manibus habemus, non est verisimile alio sensu hîc eam vsurpasse, nulla adjectâ, in alterutro horum locorum, distinctionis, 2. & diuersitatis notâ aut ratione. Secundum est, quod vox ista vsitata fuit eo sensu tũc temporis, nam in Liturgia Iudæorum Deus רב העולמים, hoc est, *Dominus mundi* vocatur, faciuntque triplicem mũdum seu עולם, Primus est עולם השפל *Mundus depressus*, id est, regio ista elemẽtaris; deinde עולם התיכון. *Mundus medius*, Orbes scilicet cælestes, quos alio vocabulo vocant גלגלים. Tertius est עולם העליון. *Mundus excelsus*, id nempe quod Apostolus vocat *tertium Cœlum*. Cùm igitur ea vox ea notione tunc temporis in Ecclesia vsitata fuerit, non est verisimile authorem istius Epistolæ alio sensu eam vsurpasse quum non soleant Apostoli voces nouas confingere, aut iis nouas affingere significationes, nisi res nouæ sint: vox autem illa neque in Veteri neque in Nouo 3. Testamento Ecclesiam vnquam significat. Tertium argumentum est desumptum à particula καί: Hoc enim sibi vult Apostolus, rationi consentaneum fuisse, vt ille constitueretur omnium rerum hæres atq; Dominus, per quem omnia condita sunt, nempe, non esse eam personam quę sit imbecillis & impar tantæ dignitati, nõ est enim merus homo, qualis fuit Moses, neque mera creatura, qualis esset Angelus, sed & Deus & Homo, ille ipse qui omnia creauit. Quod si de Ecclesiâ explicetur hæc vox αἰῶνες, quonam pacto ista cohærebunt, *quem constituit hæredem omnium, per quem etiam Ecclesiam creauit*? At si sic dicas, *quem constituit Dominum omnium, qui per quem etiam omnia condiderat*, sententia plana est. Non igitur sic loquendum fuit, si αἰῶνες significat Ecclesiam, ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, sed sic potius, ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, ὅτι δι' αὐτοῦ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν.

Explicatur locus Col. 1. 15.

Atque ad illustrationem istius loci facit locus ex Epistola ad Colossenses 1. 15. vbi Christus dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα. Quum enim eo loci vox πρωτότοκος designet dominium *naturale* quod Christus in creaturas habet, *essentiale* scilicet atque *diuinum*, non verò *mediatorium*, rectè sequitur ὅτι, *Dominus rerum omnium quia per eum omnia condita fuit*, non verò *per quē etiam omnia condita sunt*; quamobrem si ad Heb. cap. 1. αἰῶνες significant Ecclesiam, res eodem modo exprimenda fuit, *quem constituit hæredem omnium, quia per eum sæcula condita sunt* id est, creata est Ecclesia. Sic autem accipiendum esse locum illum Colos. 1. ex eo patet, quod Christus dicitur esse πρωτότοκος, non verò dicitur constitutus πρωτότοκος. Neque ἡ κτίσις ibi de Ecclesia sumi potest, quia non dicit Apostolus, τῆς κτίσεως, sed πάσης κτίσεως, nullo adiecto articulo, & addito vocabulo πάσης, quod Ecclesię minimè cõuenire potest. Quinetiam Christus nõ potest dici creasse Ecclesiam, nisi idem statuatur esse Deus: Nam cùm *creare* & *condere*, hoc in argumento, significent aliquid infinitâ vi è nihilo producere, non dicetur Ecclesia creata à Christo, nisi quia, in eâ redimendâ & constituendâ, eam omnipotentiam exeruit, quæ ad creationem totius mundi necessaria fuit.

ἐν τοῖς λεγ. ...

Rationes Socinianorum refutantur.

Rationes, quibus Hæretici suam sententiam tueri volunt, friuolæ sunt. Prima hæc est, quod Apostolus cap. 2. huius Epistolæ Ecclesiam glorificatam vocat οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, quæ dicitur Christo subjecta. At primò non dixit simpliciter τὴν οἰκουμένην, sed οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, debuit ergo etiam adjicere τοὺς αἰῶνας τοὺς μέλλοντας. Deinde eo loco Christus non dicitur istam οἰκουμένην condidisse, sed eam fuisse Christo subiectam. Respicit enim Apostolus ad locum Ps. 8. *omnia subiecisti pedibus eius*, quem refert ad rem futuram. Quemadmodum & alterum illud quod citant ex cap. 6. huius Epistolæ, *qui gustauerunt* δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος, nam neque ibi simpliciter dixit αἰῶνος, sed μέλλοντος αἰῶνος, neque eo loci dixit *futurum* istud *sæculum* à Christo esse creatum. Nunc verò vno verbo respondeamus ad id quod quæsitum est, Mundus hic dicitur αἰῶνες, numero plurali, allusione facta ad id quod supra diximus de mundo sublimi, medio, & infimo; vsitatissima nempe fuit tunc temporis ea locutio, vt ex Liturgiis Iudæorum, & libris Thalmudicis ipsorum, facilè est demonstrare.

Soluitur quæstio proposita.

Vnde Apostolus habeat mundum per Christum fuisse creatum, cùm historia Geneseos id non videatur innuere.

Quę Christi ... ipso ... tradita sunt in V.T.

QVæstionem vno verbo expedire possemus, nisi res nobis esset cum Iudæis, dissimulandum enim non est, ea quæ ad Christi personam spectant multò obscurius in libris Veteris Testamenti fuisse tradita, quàm post quàm Euangelium allatum est: quod mirum videri non debet, cùm ea quæ ad Christi officium pertinent minimè clarius in iis habeantur, obscura enim illa lux fuit, præ ea quæ fulget in libris Noui Testamenti. Vt alia taceam, id inde perspicuè patet, quod nullum grauius scandalum Iudæis oblatum est quàm quod Christus crucifixus fuit; id autem iis nequaquam contigisset, si res in Veteri Testamento tam perspicuè proposita fuisset, vt à quouis potuerit intelligi: scilicet, nemo est vsq; adeo Atheus aut Barbarus, qui, lecto Nouo Testamento, facilè non agnoscat ea tribui Christo quod crucifixus fuerit, resurrexerit à mortuis, ascenderit in cœlos, &c. At in Vetere Testamento ea tam obscura fuere, vt non Athei tantum aut Barbari, sed ne Iudæi ipsi quidem, neque verò pij & religiosi homines id cernere satis clarè potuerint, Christum ad necem esse dandum: ita vt Eunuchus ille Reginæ Candaces, vir pius & religiosus, quique religionis ergò sese periculosè & longinquo itineri committere non dubitauit, lecto illo Esaiæ 53. loco, dubitarit an de se loqueretur Propheta, an verò de alio: Et ipsi Discipuli Christi, ad hanc vocem fore vt Christus pateretur, veluti improuiso nuntio perculsi fuerunt. Nemini ergo debet scrupulum iniicere, quod quæ ad Christi personam spectant obscura fuerint priscis Veter. Testam.

Sed obscurius.

temporibus, cùm eadem fuerit ratio descriptionis officij Christi.

Id quod aduersus Iudæos.

At quia, cùm nobis agendum erit cum Iudæis, responsio ista non videbitur satis idonea, aliter huic quæstioni occurrendum est. Atque, vt ne sit cum homine Judæo disputatio periculosa & dubij euentus, id priùs in genere probandum est, longè aliam fuisse doctrinæ cælestis rationem sub Vetere Testamento, quàm nunc sit post aduentum Messiæ; Neque ista probatio vlla arte instituenda est, sed, quod rei veritas postulat, ostendendum tantùm, veritatem Euangelij sub Vet. Testam. fuisse tectam veluti velo, & cerni non potuisse nisi per inuolucra. Deinde, postquam id probatum fuerit, ea proferenda loca sunt in quibus fit métio seu personæ, seu officij Christi. Id autem breuiter hîc faciemus, non licet enim ea fusiùs explicare, ne cogar digredi.

probatur

Illud ergo mihi priùs probandum est, debuisse, omnia quæ ad Christi officium & personam spectant, sub Vet. Testam. obscurè tradi, idque duabus rationibus, prima ducta erit ab authoritate Scripturæ, quoties enim Scriptura Vet. Test. loquitur de aduentu Messiæ, toties loquitur de cognitione Dei non secus ac si ante Messiæ tempora nulla fuisset Dei cognitio in terris. Inde illæ Prophetarum exclamationes, inde locutiones illæ hyperbolicæ, *cognitionem Dei terras inundaturam, quemadmodum fundum maris aquis suis, quibus tegitur*, &c. Esa. 11. Inde illud etiam mulieris Samaritanæ, *vbi Messias venerit docebit nos omnia.* Sic enim facilè homini Iudæo probabitur, omnia priscis illis temporibus obscura esse debuisse præ Euangelij luce, alioqui nulla ratio reddi potest cur tantopere lux illa Euangelica deprædicetur. Necnon ista ratione homini Christiano satisfiet, nam si æquè clarè, hæc quæ de Christo dicuntur, ab iis intellecta fuissent atque nunc à nobis intelliguntur, quid noui nobis attulisset aduentus Christi, quod ij non habuerint? Sanè eò respexit Dominus noster Iesus Christus, quum loquens de Iohanne Baptista, ait, *eum qui minimus esset in regno cœlorum maiorem esse Iohanne Baptista:* hæc enim non sunt referenda ad munus Iohannis, quod sublime imprimis fuit, & munere omnium Prophetarum maius, neque ad personam, conceptus enim fuit miraculo, & cum miraculis in lucem editus; sed ad cognitionem Personæ & Officij Christi, quam tametsi habuerit, omnibus iis qui eum præcesserant, longè maiorem & clariorem, minimè tamen hac in parte cum eo comparandus erat cui Christus innotuit post Euangelium prædicatum, vt vt sit mysteriorum Christianæ religionis præ cæteris maximè rudis.

1. authoritate Scripturæ.

2. ab œconomia Sapientiæ Dei.

Secunda ratio erit à consideratione sapientiæ Dei: decuit enim aduentum Christi gloriosum esse, qua autem in re gloria ista consistere potuit, nisi habuerit priuilegium & prærogatiuam aliquam supra Legem, & ea tempora quæ Legem datam secuta sunt? Quale-nam autem esse potuit illud priuilegium, nisi magna & extraordinaria copia lucis? Sanè, si Sol oriens hanc habet prærogatiuam, vt magnâ lucis copiâ orbem terrarum illustret super stellas omnes, & Luciferum ipsum qui nuncius auroræ est, Sol iustitiæ debuit fulgore aduentus sui lucem illá, quæ eum antecesserat, veluti præstinguere, ita vt pro nulla ferè habeatur, si cum exorto isto Sole comparetur. Et reuerâ, si volumus fateri quod res est, Sol ille est qui primus, amoto velo, nobis mysterium Trinitatis clarè ac perspicuè reuelauit, præsertim in luculento suo isto loco (cui nullus alius in tota Scriptura, quod ad hác materiam attinet, præponendus mihi videtur) *Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Resp. ad quæst.

Vt ergo nunc respondeamus ad quæstionem, quemadmodum homini Iudæo respondendum existimamus (nam vt homini Christiano satisfiat, satis esset respondere, Apostolum id habuisse ex reuelatione) Aio, Apostolum id habuisse ex V. Testam. atque iis ex locis in primis vbi Christus nobis describitur vt Deus, deinde verò ex ipsa Geneseos historia, imò verò ex primo capite Geneseos. Quorsum enim, obsecro, attinebat, vt Moses (quod nusquam alibi tota Scriptura fit) toties introduceret Deum dicentem, *istud & illud fiat*, & postea, *factum est*? Nam certè nullo tam Deus sermone vsus est, vt cùm allocutus est Prophetas. Frigidum enim est respondere, ideò id factum esse vt humano more significaretur omnia nutu suo condidisse: quis enim ea re dubitet, aut verò non certò sciat Deum, ad fabricandam mundi machinam, nullos adhibuisse vectes aut ferramenta? Deinde, si ita res habet, cur non etiam alibi Deus introducitur vtens simili sermone, cùm magnum aliquod opus aut miraculum patrauit? Nullus autem dubito quin eò respexerit Johannes, cùm Christum vocauit λόγον, quasi diceret, Christum istis formulis indicatum fuisse, *dixit & factum est*, quanquam obscurè sanè, prout tempora ista decebat; quemadmodum etiam obscurè fit mentio Spiritus sancti in eodem capite, quum dixit Moses, *& Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Nam prima quidem fronte de vento aliquo loqui videtur, atque sic eum locum exposuit Chaldæus Paraph. At quia nulla ratio reddi potest vnde sit ortus iste ventus, aut idonea causa cur volitaret super aquas, procliue est coniectari Mosem eo loco aliò respexisse. Eodem planè modo, cùm nulla ratio reddi possit satis idonea tam operosæ & anxiæ obseruationis, Deum ad singula quæque dixisse, *fiat illud* & *factum esse*, aliquid oportet subesse mysterium. Quando igitur in Nouo Testamento docemur per Christum omnia condita fuisse, aut Iudæi nobis mysterium illud proferant & explicent, aut ne se hac in parte ostendant pertinaces. Fateor equidem, absque luce Euangelij foret, futurum fuisse vt hîc cum Iudæis hæremus, at postquàm Christus vocatus est λόγος, & is dictus *per quem Deus omnia condidit*, nemini amplius dubitandi causa superest, quin id voluerit Moses sedula illa obseruatione innuere.

Ad ... rationem Parallelorum V. & N. T. Notandum. 1.

Sed vt tota res perspectior sit, hîc ostendendũ nobis est, quomodo loca Veteris Testamenti ad Christum debeant accommodari. Dico igitur, tres esse loquendi modos quibus aliquid significare possumus, quorum cùm vsus sit in vita quotidiana familiaris, nemini mirum esse debet si in Scripturâ vsurpentur. *Primus* modus est κατὰ τὴν ἁπλῆν διάνοιαν *secundùm simplicem intellectum* (nam hîc docendi causa noua verba fingenda sunt, non possumus enim id aliter exprimere) cùm nempe vnum aliquid duntaxat significatur, idque verbis vel *proprijs* vel *tropicis*; seu enim

dicam

dicam *omnia ridere*, quæ vox tropica est, seu dicam, *omnia afferre oculis voluptatem*, quæ voces propriæ sunt, vnum aliquid tantum significare volo καθ' ἁπλῶ διάνοιαν. Secundus modus est καθ' ὑπόνοιαν, idque duobus modis, vel dum instituitur narratio quidem per se fabulosa, sed eo tamen fine vt aliquid eâ fabulâ significetur, vt sunt, exépli gratiâ, Æsopi fabulæ quæ significant καθ' ὑπόνοιαν; vel dum instituitur quidem narratio rei gestæ, siue gerendæ, sed ita tamen vt aliquid aliud per eam significetur, cuiusmodi sunt in vita humana Comœdiæ & Tragœdiæ. *Tertius* modus est κατὰ πρόνοιαν, quum nempe duo significantur vnâ eâdemque sententiâ, sed alterum *directè*, alterum verò *obliquè*, duobus tamen istis tam bellè inter se conuenientibus vt alterum alterum non destruat. Qui significandi modus est valde naturalis, & eius exempla frequentissima sunt. Est & quartus quidam alius significandi modus, quum aliquid ita dicitur, vt dicti ratio nulla possit constare, nisi aliud significatur quàm quod prima fronte videtur significari, cuius generis locutionis exempla sunt, etiam in Scriptura sacra, frequentissima, atque iis accenseantur loca ista cap. 1. Geneseos. *Dixit Deus, fiat lux*, &c. Et *Spiritus Dominus ferebatur super aquas.*

2. 3. 4.

AD VERS. 3.

Quid sit ἀπαύγασμα & χαρακτὴρ ὑποστάσεως Θεοῦ, Et, quo sensu Christus sic vocetur.

IMago & gloria Dei in Scriptura ij esse dicuntur, in quibus refulget species quædam gloriæ & maiestatis Diuinæ. Id adeò verum est vt Apostolus 1. ad Co. int. cap. 11. non dubitarit maritum appellare *Imaginem & gloriam Dei.* Sed quoniam hæc verba insignē habent emphasim. ἀπαύγασμα δόξης καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως, haud dubiè aliquid multò illustrius significatur: non enim solet temerè Scriptura accumulare vocabula quæ illustrem quandam & memorabilem habent significationem, neque in sacra Scriptura vlli creaturæ tantum delatum deprehendimus, vt χαρακτὴρ ὑποστάσεως Θεοῦ καὶ ἀπαύγασμα δόξης vocetur. Sic enim non leuis quædã adumbratio, sed rei ipsius perfecta quædam delineatio videtur designari, vt ἀπαύγασμα δόξης & χαρακτὴρ ὑποστάσεως Θεοῦ significet aliquid quod creaturis commune non sit. Certè Christo hic tribuitur hęc appellatio vt peculiare Elogium, quo reliquis omnibus qui creaturæ sunt, etiam Angelis, pręponitur. Quo verò sensu (nam & id quæsitum est) hoc elogio Christus nobis commendetur, id perspici potest, si habeamus ob oculos personæ Christi excellétiam, & dignitatem muneris. Nam si naturam Christi diuinam spectemus res est iam extra omnem controuersiam, verè & propriè hactenus ἀπαύγασμα δόξης & χαρακτ. ὑποστασ. Θεοῦ dici potest: Si verò muneris habeatur, etiam & propter munus eadem elogia Christo debentur. Etenim in executione muneris sui demonstrauit quæ Iustitia esset, quæ Sapientia, quæ Potentia, quæ Misericordia Dei, nō iam adhibitis vmbris & figuris, sed iis rebus præstitis vnde manifestò apparebat tantarum rerum authorem Deum esse manifestatum in carne. Qua mente *tota Deitatis plenitudo in eo* dicitur *habitare*, idque *corporaliter*

His elogius. Significatur aliquid Christo peculiare. hæc Elogia ei conueniunt respectu. 1. Naturæ diuinæ. 2. Muneris Mediat.

hoc est (saluo multorum doctorum virorum iudicio) non *vmbratiliter*, vt ita loquar. Sed & alia ratione, haud quaquam omnino sed tamen paulò diuersâ, Christus dici posset ἀπαύγασμα δόξης &c. nempe, respectu gloriæ & Maiestatis quam tum demum adeptus est cum ascendit in cœlos, & consedit ad dextram Dei: etenim ea gloria eiusmodi est vt verè dici possit ἀπαύγασμα δόξης &c. Quanquam enim Christus (quà homo est) in eius communionem venit, tamen ea est eiusmodi & tanta, vt si Christus merus homo esset, eius haud quaquam capax esse posset. Hæc est illa gloria quam Christus petit à Patre cap. 17. Euangelij secundum Iohan. *Glorifica me Pater*, &c. Quam adeo profitetur se habuisse ante iacta mundi fundamenta apud Patrem, prædestinatione scilicet, quum ipse tamen, quod ad naturam diuinam attinet, iam tum esset; Nam prædestinatione nemo quicquam dicitur habere, qui non sit idem ipse iam *prædestinatione*, sed *actu*. Hæc item est ista gloria in qua est venturus vltimo die.

3. [illegible] ha[illegible] ex Sessione.

Sed iam disquirendum est, quum tot modis Christus dici possit ἀπαύγασμα δόξης, &c. quo tandem modo hæc Elogia hoc loco ei tribuantur. Ac mihi quidem sic videtur, cum ista verba ὢν ἀπαύγασμα, &c. iungantur istis verbis ἐκάθισεν, omninò illis notari gloriã illius sessionis, vt in illa sessione Christus appareat conspicuus & visendus non iam tanquam vulgarem in modum, sed excellenti quodam modo, gloria Dei, & viua atque expressa illius imago. Quamuis si ista referantur ad ipsum munus [illegible] gnopere repugnarim, dummodo κτήσεως (vt ita loquar) muneris, nō χρήσεως designetur: Nam sequitur continuò καθαρισμὸν ποιησάμενος, vt distinctũ quid & extra ambitum huius elogij, vt sit splendor Patris post purgata peccata. Quod verò ad Prophetici muneris functionem attinet, si hactenus dicitur ἀπαύγασμα δόξης, &c. illud ἀν explicandũ erit per præteritũ. Deinde expendendum est, annon paulò durius (ob hanc quidem causam quod filius fuit interpres voluntatis Dei) dicendus sit splendor gloriæ Dei & χαρακτὴρ &c. sequitur ergo [illegible] Regij muneris ratione [illegible] Christo tribuantur. Sed sic redit [illegible] vt [illegible]dum sit, hîc notari gloriam & excellentiam Regiæ dignitatis Christi: quæ interpretatio eadem reipsa est cum ea quæ nobis probatur. Quare, si ista verba de natura diuina Christi sunt intelligenda, videndum est an quadrent verbis quæ sequuntur, ad hunc modum, *qui cùm sit Deus, sedet ad dexteram maiestatis*, &c. nam participium iunctum verbo vel continet in se rationem rei verbo significatæ, vt cùm si dicimus, *cùm esset pater filio obsequutus est*; vel significat adiuncti conuenientiam, vt, *cùm esset amictus purpura sedit in throno.* Sed nullum horum potest hîc habere locum, non enim idcò Christus sedit ad Dei dextram quia Deus; neque [illegible] hæc sessio ad Dei dextram tribuitur Christo, vt aliquid quod mouere possit admirationem eo quod sit Deus.

His Christo tribuantur. Sessionis respectu, non verò respectu muneris Mediatoris. neque respectu Naturæ diuinæ.

Quod verò dicitur χαρακτὴρ ὑποστάσεως, &c. eo nihil aliud significatur quã quod Christus nobis ipsum Deum repræsentet ad [illegible] moru[illegible] Nempe in Angelis, in creaturis, Deus expressit imaginé potentiæ, sapientiæ, [illegible] bonitatisque, haud ita tamé, vt Deũ ipsum in iis agnoscamus, hoc est, vt sit iusta & idonea ratio vnde colligere

Character [illegible] quid significet.

debeamus eos esse Deum, cũ hæc Christi gloria tanta sit vt arguat Christum esse verè & propriè Deum. Certè ἔμφασις & ὑπόστασις non modò puriori linguâ Græcâ significant res distinctas, verumetiam naturâ pugnantes. Ergo hoc pacto Christus non præ se fert ἔμφασιν tantùm gloriæ diuinæ, sed reuerâ ea quam adiit gloria, dum sedit ad dexterâ Dei Patris, est θεοπρεπὴς digna Deo. Verumenimuerò, si quis pertendat hęc de naturâ Christi diuinâ esse accipienda, mutanda erit significatio participij ὤν, atque ita accipienda vt exprimat rationẽ, cur nemo mirari debeat quod Christus tantę gloriæ capax esse potuerit, vtpote qui naturâ sit ἀπαύγασμα δόξης καὶ χαρακτὴρ, &c. sic enim solemus loqui dum volumus significare contigisse cuiquam aliquid singulare, vt si quis dicat, *Cæsarem, cùm esset Imperator summus Gallos, indomitam gentem subegisse.* Sed, meâ quidem sententiâ, nihil necesse est eò deuenire: videtur enim hìc institui quædam antithesis inter Christi statum & dignitatem, qualis fuit in terris (dũ esset peragenda, vel etiam dum perageretur, expiatio peccatorum nostrorum) & Christi conditionem in cœlis. Etsi enim Christus in se, quod ad naturam attinet diuinam, is fuit qui Deo par esset, tamen assumptâ naturâ nostrâ, in illa œconomiâ non vsque adeò propriè hi tituli ei tribui potuerunt. Videntur enim respicere cognitionem nostram, vt sit Christus ἀπαύγασμα, &c. quia nobis ita splendet vt glorię diuinę specimen exhibeat veluti nostris oculis vsurpandum, idemque dicatur χαρακτὴρ quia Deum nobis χαρακτηρίζει. Vt vt sit, id nobis mordicus tenendum est, nefas esse creaturam, quæ eadem non sit Deus, tam splendidis, tamque illustribus titulis insigniri.

antithesis status humiliationis & glorificationis Christi.

Quo respectu, Muneris an Personæ, Christus dicatur φέρων τὰ πάντα, &c.

VNico verbo hæc quæstio definiri potest. Vim omnia ferendi habet Christus à natura diuina, at verò quod omnia ita fert vt hac suâ potentia vtatur ad conciliandum Deo populum peculiarem, eumq; tuendum, id verò iam proficiscitur à munere Christi Mediatorio: vt, si pater filium miseris & egenis præficeret tutorem, qui idem bonorum paternorum administrator esset, filius quippe, atq; is, vt tutor in pupillorum sibi commissorum vsus paternis bonis vteretur, alterum illi vt filio conueniret, alterum vt tutori. Obiter autem & id velim obseruari, participium φέρων iungi cum participio ὤν tam arctè, vt alterum sit alterius documentum.

Quodnam discrimen sit λόγου & ῥήματος.

HÆc verò quæstio non potest facilè explicari, nî priùs teneamus quâ mente Christus Dei λόγος dictus sit. Rerum agendarum duæ sunt rationes, vna quæ humanæ imbecillitatis est, nempe dum res nõn nisi admota ad opus manu peraguntur, altera, cùm solo nutu atque (vt dicitur) verbo fiunt. Vnde profectum est, vt quo quisque potentior est, eò iactet confidentiùs se vel verbo solo, hoc est imperio aut mandato, res maximas præstare: Indeque factum est, vt cùm Deus per filium omnia gesserit, tùm quæ pertinent ad opus creationis, tum etiam quę ad opus redemptionis spectant, dicatur Dei λόγος. Quod si cui mirum videtur cur hâc nomẽclaturâ Christus in libris Noui Testamenti nõ sæpè, sed rarò celebretur, is verò cogitet animo quæ fuerit Iohannis mens, dum scilicet describens maiestatem filij Dei, sine vllo respectu incarnationis, eum vocat Dei Verbum, asseritque per eum omnia fuisse facta: haud dubiè (quod & supra à nobis annotatum est) respiciens ad historiam creationis, pro eo ac à Mose instituta est.

Cur Christus sit dictus λόγος.

Sed sic inuoluta potius quàm explicata quæstio possit videri. Cur enim eadem ob causam non dictus fuerit ῥῆμα? id verò mihi videtur factum duabus de causis, quarum prior hæc est, quod λόγος etiam ad mentem & voluntatem refertur linguâ Gręca, ῥῆμα nunquam; deinde verò quod λόγος *orationem* significat, ῥῆμα *vocabulum, nomen, verbum*, proindeq; aliquid imperfecti: vno verbo, quia nomen λόγος dignius est; inde factum est vt Christo λόγου potius quàm ῥήματος nomen tributum sit. Sanè מאמר λόγος propriè est, nomen ῥῆμα: atque vbi Deus Hebraicè quicquam dicitur vel facere, vel dicere, ea loca Paraphrastes Chaldæus ita vertit ac si scriptum esset, *Deum fecisse* vel *dixisse per verbum suum.* Cuius rei illustre exstat exemplum capite 1. Oseæ, vers. 7. hęc enim verba *& seruabo eos per Iehouam Deum ipsorũ*, Chald. Interpr. vertit *& redimam eos per verbum Dei Domini sui.* Paraphrastes tamen Ruth Paltielem scribit *interposuisse gladium suum inter verbum suum* (hoc est inter se) *& Micalem:* Sed & is recentior est, atque apud eum ferè solum hæc occurrit locutio de homine vsurpata. Nam certè causa dici non potest, cui reliqui Paraphrastæ, nisi cùm de Deo agitur, hac ferè nunquam vtantur locutione pręterquàm affici loco, idque perrarò. Si cui tamen placet vt Christus Dei λόγος dicatur, vel quia promissus fuit à Patre, vel quia interpres fuit paterni consilij, vel quia noster est Aduocatus apud Deum, sententia mihi quidem non videtur incommoda. Sed tamen miror cur, si has ob causas λόγος Dei vocatur, is titulus non occurrat sæpius in lib. N. Testamenti. Vt sit finis, in Ecclesia Iudaica (vt constat ex Chald. Paraphraste) id quo Deus omnia facit & præscribit, dicitur מאמר λόγος. Et Moses mysticè sic eum descripsit, hinc factum putamus vt Christus λόγος dictus sit, cùm is sit in quo Deus dicitur omnia fecisse, cùm in primæ, tum in secundæ creationis opere.

cur non ῥῆμα.

λόγος est מימר Chaldæi Paraphrastis.

Quid sit δεξιὰ μεγαλωσύνης, & cur potius Christus dictus sit sedisse ἐν δεξιᾷ μεγαλωσύνης, quàm ἐν δεξιᾷ θεοῦ.

ΔΕξιὰ μεγαλωσύνης est δεξιὰ θεοῦ, quod verò μεγαλωσύνην pro *Deo* posuit, id videtur fecisse pro consuetudine Ecclesiæ Iudaicæ, in qua vox גבורה *potentia, robur*, Dei nomenclatura fuit. Sic apud Petrum *Spiritus gloriæ* Spiritus Dei vocatur: nam & כבוד *gloria* ipsum Deum Iudæis significabat. Potest tamen *Spiritus gloriæ* שכינת הכבוד pro *Spiritu glorioso* accipi, at non perinde commodè δεξιὰ μεγαλωσύνης pro δεξιὰ μεγάλη. Cęterùm *dextra Dei* quid sit definiri haud quaquam potest, si hęc verba sumãtur seorsim: aliud enim significat *dextera Dei* cùm dicimus *dextera Dei redemptũ esse populum Israelis*, sic enim significatur Dei potẽtia, aliud verò cum dicimus *Christum sedere ad dextram Dei:* Quis enim putet hâc locutione significari sedere Christum ad Dei potentiã? Ergo, vt teneamus vim

Dextera Dei quid sit.

quid *sedere ad dexterã.*

vim huius locutionis, integra sententia sumenda est, & ratio huius locutionis est reddenda. Nam quia homines in opere plerumque dextrâ vtuntur, hinc fit vt & *dextram* ἀνθρωποπαθῶς Deus adhibere dicatur in insigni quoque opere suo. Et rursus, quoniam qui primam post Reges obtinent dignitatem ad Regum dextram sedent in consilio, vbi de publicis Regni negotiis agitur, vt notetur suprema illa dignitas in quâ constitutus est postquam ascendit in cœlum, dicitur *sedere ad dextram Dei Patris*. Itaq; nihil frigidius, aut ineptius, dici potest illâ cauillatiunculâ, Dextra Dei est vbique; Christus sedet ad dextram Dei, Ergo Christus est vbique. Perinde enim qui sic argumentantur agunt, ac si quis contenderet hostes Christi esse vbique, hoc pacto, Pedes Christi sunt vbique; Hostes Christi sunt scabellum pedum Christi. Ergo, &c. Sanè Christus non simpliciter dicitur sedere ad dextram Dei, sed in cœlis sedere ad Dei dextram. Coloss.3.2. Ephes.2. 6. & cap.1.20.

Cauillum Vbiquitariorum.

Ad Vers. 4.

Cur author huius Epistolæ, & ferè reliqui Apostoli, non illustria maximè loca Vet. Test. sed sæpius obscuriora, ad probandam excellentiam Personæ & Muneris Christi, adhibeant.

Certum est loca quæ hîc citantur ad probandam Christi supra Angelos, & omnem adeò creaturam, dignitatem & excellentiam, non præ se ferre statim tantam lucem quanta aliis in locis, idque primo aspectu, affulget. Nam vt ne hinc abeamus longius, non ne videtur is titulus quo Christus à Propheta *Iehoua Iustitia nostra* vocatur, multò illustrior eo titulo quo, sub Dauidis persona, vocatur *Dei filius*. Id quod rem parum attentè consideranti proculdubiò possit mouere admirationem, sed mirari desinemus, si cogitemus animo, consilium Spiritus sancti fuisse, nos manu ducere ad ea V. Testam. loca, in quibus vix fieri potuisset vt, nisi eo præeunte Christum veluti latentem deprehenderemus: Nam quemadmodum faces accensæ in speculâ montis edici, etiam nemine ostendente, statim apparent, vt nihil hîc sit opus duce vel monitore: eædem in saltibus fulgent quidem, sed in recessu, vt ad eam lucem opus sit manuductore, sic planè licet obseruare in V. Testam. Christi munus Sacerdotale, Regium, Propheticum, Gentium vocationem, &c. certis quibusdam in locis multò euidentiùs descripta quàm sunt iis in locis quos Apostoli adhibuerunt, dum de iisdem rebus disputant apud fideles aduersus Judæos. Vnum afferam, exempli gratiâ, locus illustrem, quo & tempus, & causa, & fructus, & ipsum genus mortis Christi, amoto omni inuolucro, nudè, apertè, & significantissimis verbis apud Daniel cap.9. describitur: quem locum neque Christus ipse legitur citasse, nec Euangelistarum Apostolorumve quisquam. Cæterùm, hæc non sunt ita accipienda, ac si vellemus sic mitigare inuidiam, quæ videtur in argumenti veritatem, quod tractant Apostoli, ex testimoniorum obscuritate redundare, nam quum eò ventum fuerit, res ipsa indicabit quàm aptè atque accommodatè, quantaq; efficaciâ, ex illis Scripturę locis Apostoli ratiocinentur, absit modò pertinacia & libido altercandi.

Quæstio soluitur.

Simili illustratur.

Quomodo Christus dicatur Apostolo γενόμενος κρείττων τῶν ἀγγέλων: Item, *quomodo* κεκληρονόμηκεν ὄνομα υἱοῦ.

Quærendi ratio hæc est, quod Christus non videtur factis Angelis præstantior, vtpote qui etiam totius personæ ratione, non solum secundùm naturam diuinam, Angelis infinitis partib. excellentior fuerit. Deinde verò, quî *hereditasse*, hoc est, iure hæreditario consequutus esse, nomen *filij* videtur, quum id nomen sit ei naturale? Sed vtraque quæstio facilè solui potest. Nam vt illud interim taceamus, quod γίνεσθαι in Scripturis refertur ad rei quæ iam fuit manifestationem, verbi gratiâ cap.3. ad Rom. γινέσθω, inquit Apostolus, ὁ θεὸς ἀληθής, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης. Item Iacob.1. δόκιμος γενόμενος non dicitur is qui cùm antea esset ἀδόκιμος, factus est δόκιμος, quin potius is qui se δόκιμον probauit: *Beatus vir*, inquit Apostolus, *qui tolerat tentationem, quoniam cùm probatus erit* (δόκιμος γενόμενος) *accipiet coronam vitæ*. Sic Dominus Iesus, *si vos mutuò ametis eritis Discipuli mei*. Vt hoc, inquam, taceamus, haud incommodè Christus possit videri dici reuerâ hoc loco *factus præstantior Angelis*, quomodo nimirum cap.2. dicitur *gloriâ & honore coronatus, qui paulisper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpessionem*, vt sic scilicet antithesis inter Christi statum sedentis ad dextram Patris, & expiantis in cruce peccata nostra: Nempe, præcessit illud καθαρισμὸν ποιησάμενος. Tota igitur sententia huc redibit, Christus consedit gloriosus ad dextram Dei Patris, iam tandem præstantior Angelis factus, cùm antea in terris, opere redēptionis nondum peracto, Angelis esset factus ad tempus quodam modo inferior. Atqui nondum liquet, quî Christus Dei filius vllo vnquam tempore Angelis inferior fuisse dici possit. Nam ei ministrarunt, in eos ius habuit & imperium, etiam inter grauissimos animi cruciatus in horto. Sed duplex est præstantia, vna *dignitatis, potentiæ, & essentiæ*, hactenus quidem Christus Angelis semper fuit superior, verùm & altera præstantiæ species est, quam docendi causâ *præstantiam decoris*, & *speciei*, & *Emphaseos* seu χάριτος dicimus. Iuxta hanc excellentiam non est dubium quin Christus non modò Angelis, sed & hominibus plurimis fuerit inferior διὰ τὸ πάθημα τοῦ σταυροῦ, ad quod accedebat & animæ πάθημα, tantò illa perpessione grauius quanto anima corpore præstantior est; vnde & apud Prophetam Psal.22. *Vermem* se profitetur esse, non hominem: ideoque Esaias negat ei quidquam adfuisse quod eum *speciosum* redderet & *desiderabilem*.

Soluitur quæst. 1.

2.

Altera verò quæstio ita demum expediri poterit, si distinguamus rem à nomine, nam res naturâ potest inesse quæ nomen conueniens non continuò adipiscitur: *Nomen* enim hoc loco est quo res hominibus & Angeleis innotescit, nam Deus nominibus non eget ad res cognoscendas, id imbecillitatis est humanæ. Iam verò quia Propheta (vti postmodum docebimus) verbis illis *filius meus es tu, ego hodie genui te*, præconium edidit quo Christi præstantia, postquam iam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, celebrata est, ideo dicitur non quidem rem iure

Soluitur 2. quæstio.

hæreditario adiiſſe, ſed rei nomen. Quid igitur, inquiet aliquis, Annon prius hoc Chriſti nomem promulgatum eſt? Ac primùm quidem à Propheta Eſaia cap. 9. 5. *Puer nobis natus eſt, Filius nobis datus eſt.* Deinde verò, annon Pater ipſe cœlitùs edidit hanc vocem, *Hic eſt Filius meus, hunc audite.*

Obj.

Ref.

Sed Dauid, omnium Prophetarum primus, ita de Chriſto vaticinatus eſt, vt Deum teſtatus ſit Chriſtum pronunciaſſe Filium ſuum, idque tum cùm de illius reſurrectione, & triumpho, qui reſurrectionem ſequutus eſt, agit: Neque enim hoc loco quæritur authoritas Chriſto ex authoritate Noui Teſtamenti, ſed ex oraculis Prophetarum, inter quos Dauid primus eſt, apud quem hoc nomen Chriſto tribuitur. Illud omitto, quod non eſt abſurdum vt cùm Deus hoc elogio filium ſæpe ornauerit apud homines, vt hominibus eſſet commendatior, Apoſtolus eo loco, vbi agit de ſeſsione Filij ad dextram Patris, accommodarit ad inſtitutum ſuum eam nominis *filij* promulgationem quæ apud Prophetam, cùm ea dignitas Chriſto primum obtigit, dicitur facta.

Ad Vers. 5.

Quomodo, id quod de Dauide primò dictum videtur, ab Apoſtolo accommodetur ad Chriſtum.

Quatuor hic quæruntur.

QVatuor ſunt hæc loco de quibus quæri poteſt, ac primò quidem, Annon de Dauide Pſal. 2. agatur: deinde illud, ſi de Dauide eo loco agitur, annô videtur Apoſtolus ſumere pro confeſſo quod eſt maximè in controuerſia, dum quæ ad Dauidem pertinent ad Chriſtum refert. Denique & id durum videtur; vt maximè detur tum ad Dauidem, tum ad Chriſtum ea pertinere, vt, propter commune Chriſto cum Dauide elogium, ſtatuamus Chriſtum ipſis Angelis ſuperiorem. Neque enim id videtur poſſe emolliri, ſi dicamus id aliâ mente Dauidi, aliâ verò Chriſto tribui. Nempe, hoc videtur eſſe petere τὸ ἐν ἀρχῇ, & theſi vti pro argumento, id ipſum enim eſt quod quæritur. Neque verò etiam explicata quæſtio fuerit, ſi ſtatuamus Dauidem fuiſſe Angelis præſtantiorem. Primùm, quia id cogitatu difficile eſt, deinde verò magna hinc fiet acceſsio ad quæſtionis difficultatem; quantula enim eſt hæc Chriſti dignitas, quæ inde æſtimatur quod præſtantior Angelis fuit factus, vtpote qui *filij* nomen iure hæreditario conſecutus eſt, ſiquidem hactenus etiam Dauid Angelis præſtantior fuit. Huc etiam illud accedit, quod non videtur elogium *Filij Dei* Chriſto peculiare, cùm & Angeli in Scriptura dicantur *Dei Filij*, & populus Iſrael *Dei primogenitus*, & Magiſtratus *Filij Dei* vocentur, & verò *Dij*, denique hæc appellatio omnibus piis eſt communis.

1. 2. 3. 4.

Reſp. ad 1. Pſalmus 2. de Dauide non neceſſariò intelligitur.

Ad id, quod primo loco quæſitum eſt, reſponſio non eſt difficilis, etiam ad Dauidem pertinere illa, *Filius meus es tu*, quamuis ſi quis id negaret haud facilè authoritate Sacræ Scripturæ reuinci poſſet: neque enim vel quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur, niſi impropriè, ad Dauidem accommodari poſſunt, cùm Chriſto bellè conueniant. Nam quod dicitur de Gentium & Regum terræ tumultu, etſi in bello quod Philiſtæi Dauidi intulerunt, quodammodo adumbrata ſint, non quadrant tamen vſquequaque; neque enim Philiſtæi Dauidis erant ſubditi, vt illis conuenire queant verba tumultuantium illorum Regum, deinde verò, nunquam miſſus eſt Dauid in poſſeſsionem finium terræ, nec illi datum eſt Reges Gentium virgâ ferreâ contundere. Illa verò iam certè ne adumbrata quidem ſunt in Dauide, *oſculamini Filium ne iraſcatur, & pereatis in via*, &c. Item, *beati omnes qui in eum ſpem locant.* Illa verò verba, *vnxi Regem meum in Sione*, quid ni accipi poſſent tanquam dicta ἀλληγορικῶς, vt Sionem cœleſtem intelligamus: quomodo & illa proculdubio accipienda ſunt, *Quis habitabit in tabernaculo tuo Domine, & quis aſcendet in montem tuum ſanctum.* Nam τῷ ῥητῷ *ſenſui literali*, quem vocant, iis in verbis nullus eſt locus, etenim in tabernaculo carnali nefas erat habitare; deinde verò ſpatium atque ampitus illius loci, quod Tabernaculum amplectebatur, piorum multitudinem capere non potuit. Nos tamen putamus ad Dauidem etiam hæc verba quodam modo referri poſſe, & verò debere etiam referri. Illud enim obſeruandum eſt, quoties occurrit locutio allegorica, cuius tamen ſenſus literalis eſt res geſta, referri etiam locutionem ad rem geſtam; Atqui certum eſt, Dauidem conſtitutum fuiſſe propriè Regem in Sione: nam tum demum cùm veniſſet Hieroſolymam, & expuliſſet Iebuſæos ex arce, totus Iſrael eum renunciauit Regem. Itaque cùm hæc verba ſtatim ita ſequantur, vt præcedens ſententia ſine illis ſit ſuſpenſa, dubium non eſt quin ſpectent ad Dauidem. Nam quod hoc elogium videri poſsit magnificentius quàm vt Dauidi conuenire poſsit, id cuiuſmodi ſit infra diſputabimus. Hîc illud monemus, pari ratione negari poſſe ad Salomonem pertinere vllo pacto illud *Ego ero ei in Patrem*, quæ tamen dicta eſſe de Salomone Scriptura diſertè & nominatim teſtatur.

poteſt tamen etiam de eo intelligi.

Reſp. ad 2. Dauid fuit Chriſti typus.

Quod verò ſecundo loco quæſitum eſt, *quî quod ad Dauidem pertinet ad Chriſtum referri poſsit*, illud ſic diſſoluitur. Dauid Chriſti fuit typus, quod autem typo conuenit quâ typus eſt, per ſe & primò rei figuratæ conuenit, typo per accidens & ſecundariò. Iam ſi quis quærat, vnde habeamus Dauidem Chriſti fuiſſe typum, id non vno modo expediri poteſt. Primùm enim Prophetæ Meſſiam vocant *Dauidem* diſertis verbis, at nulla huius appellationis cauſa dari poteſt alia, quam quod Dauid Rex Chriſtum Regem, Dauidis regnum Chriſti regnum adumbrauit: Certè Prophetæ tum Meſſiam Dauidem vocant cùm loquuntur de Meſſiæ Regis dignitate. Deinde verò, cùm ea Dauidi tribuantur quorum vix tenuis quædam vmbra in Dauide fuit, *Scriptura verò ſolui non poſsit*, cogimur fateri ea typicῶs fuiſſe Dauidi attributa, maximè ſi ſimul ei tribuantur quæ ei nequaquam conuenire poſſunt: verbi gratiâ, Petrus probauit Pſal. 16. agi de Chriſto, at eodem Pſalmo de Dauide agitur, ſed quoniam totus Pſalmus ſimul ſumptus Dauidi conuenire non poteſt, euincit Petrus vaticinium eſſe de Chriſti reſurrectione.

Reſp. ad 3. per diſtinctionem Elogij.

Quod verò tertio loco obiectum fuit ſic diſſoluitur. Duobus modis elogium dici poteſt commune, *propriè* nimirum, vel *impropriè*: Et *propriè* iterum duobus modis, vel vt idem ſignificetur & ſpecie & gradu; vel vt idem quidem ſpecie ſignificetur, diſpari tamen gradu: verbi gratiâ, elogium *filiorum Dei* omnibus fidelibus eſt commune,

mune, nempe, eadem & specie & gradu excellentia significatur eo nomine. Rursus nomen *filiorum Dei* beatis Angelis tribuitur, & fidelibus item; hic verò eadem specie, sed dispari gradu præstantia designatur, cæterùm *speciei* nomen hic latè sumimus. Sed & elogium *impropriè* commune dici potest, cùm nec eadem specie, nec eadem gradu dignitas notatur, vt cùm creator cœli & terræ dicitur in Scriptura יהוה, & Arca fœderis eodem nomine significatur, & vrbs Ierusalem; commune certè elogium est, sed quod non modò non gradu, sed ne specie quidem idem significat: Nam de Arca dicitur vt de signo, atqui *esse* (vt loquamur Scholasticè) *Sacramentale* non est *esse reale* (nisi quis velit statuere Petram in deserto fuisse Christum realiter) sed merè σημαντικόν.

Applicatur distinctio. Sanè si priori modo, id est, si, vt propriè commune elogium, nomen *filij Dei* tribueretur Christo & Dauidi, quanquam dispari gradu; tamen nil aliud inde colligi posset quàm Dauidem superiorem Angelis fuisse, vt Christus pari ratione intelligatur & ipse Angelis fuisse superior. Si posteriori modo, id est, *impropriè* statuamus (quod res est) hoc elogium Dauidi & Christo esse commune, nimirum conuenire Dauidi vt typo, Christo autem vt rei figuratæ, (quod à nobis supra demonstratum est) omnino consequens est vt Christus inde demonstretur Angelis superior. Cuius rei hæc est ratio, quod qui titulus adeo insignis est vt creaturæ tribui non possit nisi vt typo, eum oportet esse prorsus diuinum, nam vt scitè Tertullianus, *figura non esset, nisi veritatis esset corpus*: Ergo cùm Dauid dictus sit *Filius Dei* tanquam typus Christi, oportet Christum esse verè Dei Filium, proindeque Angelis superiorem. Itaque nihil opus est eo confugere, vt statuamus Dauidem superiorem Angelis, cùm nomen *filij* Dauidi tributum sit vt typo, non autem ad significandam aliquam dignitatem absolutam (vt ita loquamur) in Dauide, sed eam solùm quæ est in respectu ad rem significatam.

Resp. ad 4. Sed hinc oritur, vt videtur, grauior difficultas, ea scilicet quæ quarto loco obiecta est. Nam esto sanè, nomen *filij* non conueniat propriè Dauidi, hoc loco tantum illi tribuatur vt typo, sed an Angelis item tribuitur vt typis, an Magistratibus, an fidelibus indiscriminatim? Responsio non est difficilis, nam vt hîc nouam adhibeamus distinctionem, Elogia duobus modis communia sunt, (Elogia sūt communia bifariam. 1.) vel ita vt iis, quibus sunt communia, singulis seorsum attribui possint, vt verbi gratia, Elogium *filij Abrahæ* toti populo Israelitico fuit commune, sed & singuli Israelitæ *filij Abrahæ* dicebantur, non iam *attributiuè* solùm, sed *subiectiuè* etiam (sic enim breuitatis causa loqui liceat) verbi gratiâ, non solùm hac formula, *Ego sum filius Abrahæ*, sed etiam istâ, *filius Abrahæ hoc fecit, hoc dixit*: (2.) vel ita Elogium est pluribus commune vt singulis seorsum sumptis non sit commune, interdum ne *attributiuè* quidem, sæpè si *attributiuè*, at non *subiectiuè*. Prioris generis exemplum hoc esto, Magistratus *Dij* dicuntur in Scriptura, seorsum tamen nemo qui Magistratum viderit profitebitur se vidisse Deum, aut qui Magistratum salutauerit, se salutasse Deum, neque, si Magistratus quidpiam fecerit, dicet aliquis, *Deus hoc vel illud fecit*. Posterioris generis exemplum esto, Panis dicitur corpus Domini, non hic aut ille, sed quiuis Eucharisticus, sed *attributiuè* tantum, verbi gratiâ cùm dicimus *Panis est corpus Domini*, vel *sumpsi hodie corpus Domini*, Elogium *corporis Christi* tribuitur pani, at propterea, si panis ille decidat in terram, nemo dixerit *corpus Domini decidit in terram*, nempe si quis loquatur ex vsu Scripturæ. Jam verò vt hæc ad (Applicatur Dist.) institutum accommodemus, nomen *Filij Dei* cùm tribuitur Angelis, cùm tribuitur Magistratibus, cùm tribuitur piis fidelibus, tribuitur iis vt *commune* nomen, at *seorsum* neque *attributiuè*, neque *subiectiuè*, nisi fortè huiusmodi hac locutione, *vidi vnum ex Dei filiis*, aut, *vnus è filiis Dei huc venit*: At verò Christus dicitur Filius Dei *attributiuè*, *subiectiuè*, & quidem *Emphaticῶς*, adiecto articulo græco ὁ υἱὸς, Hebræis autem (quod est multò ἐμφατικώτερον) sine articulo, quomodo dicunt *Adonai*, vt apud Esaiam, *Puer natus est, Filius nobis datus est*: & hoc eodem Psalmo, *osculamini Filium*; vbi non sine mysterio Chaldaicâ voce, non Hebraicâ, *filij* nomen expressum est, compellat enim Propheta Reges Christi & Ecclesiæ hostes, quales fuerunt Assyrij & Chaldæi, qui ætate demum sequenti odium suum aduersus gentem Judæorum, bello vltrò suscepto & illato, prodiderunt.

Quàm benè id, quod de Salomone dictum est, ad Christum accommodetur, Ero illi in Patrem, &c.

Ratio dubitandi. 1. HIc primùm nonnullos mouet ipsa locutio, non enim videntur hæc eadem esse, *esse alicui in patrem*, &, *esse patrem alicuius*: item nec *esse alicui in filium*, &, *esse alicuius filium*: quin *esse alicui in Patrem* nil aliud videtur significare quàm esse alicui Parentis loco, vt *esse alicui in Filium* esse filij loco: quod si verum est, nihil habet eximium hic titulus. Sed longè aliter se res habet: (Resp.) alia enim Hebraismi, alia Latinismi ratio est, nam latinè quidem loquentibus *esse in Patrem* sonat sanè esse Patris loco, Hebraicè non item: verbi gratiâ, verba fœderis Dei cum Ecclesia sunt, *ego ero illis in Deum, & illi mihi erunt in Populum*: quorum puto non est hæc mens, ego ero illis Dei loco, & illi mihi erunt loco populi, sed hæc potius, ego ero eorum Deus, & illi erunt meus populus. Ergo & hoc loco, *ego ero illi in Patrem, ille mihi erit in Filium*, sensus est, ego ero illius Pater, is erit meus filius.

2. Ratio dubitandi. Illa multò grauiora sunt, quod hæc dicuntur de Salomone, atque ita sanè dicuntur vt nullo modo ad Christum trahi posse videantur, idque duabus maximè de causis, Primum enim statim sequuntur illa verba, *quod si deliquerit castigabo illum virgâ hominis*, quod ad Christum nullo modo pertinere potest. (3.) Deinde verò, cùm Christus sit æternus Dei Filius, quo pacto ea promissio, qua Deus spondet fore vt sit Pater, cùm ea sit de futura quæ nondum est, ad Christum referri possit? Sed (Resp. ad 2.) prior illa causa non est adeo grauis ac videtur, non modò quia nihil absurdi est vt illa verba, *Ego ero illi in Patrem*, pertineant ad Christum, quatenus Ecclesiæ caput est, illa verò *quod si deliquerit*, & quæ sequuntur, ad Ecclesiam quæ corpus Christi est, *caro de carne eius & os de eius ossibus*, vt loquitur Apostolus, Christo tam arctè vnita vt Christus & Ecclesia coniunctim eodem nomine appellentur 1. Cor. 12. 12. verumetiam quoniam vaticiniorum, quibus Christus describitur sub alicuius persona, hæc est ratio, vt non sit necesse

quæcumque de persona dicuntur, quæ Christi typus est, ad Christum pertinere, imò necesse sit non pertinere; Exemplo sunto ea quæ habentur Psal.16. Nam quæ sub finem Psalmi dicuntur omnino pertinent ad Messiam, quæ initio, ad Dauidem.

Dicta Prophet. modò soli typo, modò soli Christo conueniunt.

Cæterùm res manifesta est, neque verò Judæi queant negare, multa tribui, apud Prophetas, vni eidemque personæ, quorum alia personæ conueniunt quę repræsentat, non etiam ei quem repræsentat. Cuius rei si quis rationem requirat, ea verò in promptu est, quemadmodum enim qui obscurè personam aliquam χαρακτηρίζει, instituta narratione nonnulla admiscet quæ personæ non conueniunt quam χαρακτηρίζει; ne persona manifestò teneatur quam subindicari tantum, & obliquè designari res & occasio poscit: Ita planè cùm status Ecclesiæ Judaicæ is esset vt tantum lucem ferre non posset, quantam attulisset plena reuelatio Messiæ, quæque adeo rationes consilij Dei, in Filio suo operâ Judæorum morti tradendo, conturbasset. Denique, cùm vaticiniorum ratio ea sit vt debeant esse αἰνιγματώδη *obscuriora*, sic Christum χαρακτηρίζεσθαι oportuit, vt ne omnino non designatus, nec verò planè ac plenè designatus, videretur. Atque ita se rem habere, vel hic locus vnicus facilè euincit. Nam ut illa *quod si deliquerit* ad solum pertineant Salomonem, at certè amplitudo, gloria, perennitas regni, quæ omnia Deus Salomoni promittere videtur, nec Salomoni obtigerunt vnquam, neque verò ei, vtpote mortali, obtingere potuerunt.

Tria genera eorum quæ typis Christi tribuuntur à Prophetis.

Itaque accuratè distinguenda sunt ea quæ personæ, quę typus est, tribuuntur in vaticiniis: nēpe ea sunt trium generum, vel enim *merè personaliter* tribuuntur personæ typicæ, hoc est, ita vt ne personæ quidem conueniant quatenus typus est, sed simpliciter quatenus est talis vel talis persona: Hæc liceat appellare docendi causâ, *personalia.* Secundò, vel conueniunt quidem personæ, attamen non modò personæ vt persona est, sed *vt typus* est. Tertiò, vel nullo modo personæ conueniunt, neque vt persona est, neque verò etiam vt typus est, sed tantum verbotenus tribuuntur personæ repræsentanti, figuranti, cùm reuera soli personæ representatæ conueniant. Etiam & illud obseruandum est, nemini omnium regum qui populo Israelitico præfuerunt, præter Dauidem & Salomonem, tributum elogium *Filij Dei.* Cuius rei hæc est ratio, quod illi duo soli omnium Regum typi Christi fuere. Atque in Dauide videtur Christi veluti militia adumbrata, in Salomone Christi victoria ac triumphus. Quod si Judæus vellet negare eo facilè reuinci posset, quod de nullis regibus gentis suæ quicquam exstet tam dictum splendidè, nec quicquam tam gestum magnificè, vt conferendum sit cum iis quæ de Dauide & Salomone Prophetæ vaticinati sunt, quæque à Dauide & Salomone gesta sunt & administrata.

Regum Iudæ soli Dauid & Salom. fuere Christi typi.

Resp. ad 3. 1.

Quod verò mirum videri possit illa, *ego ero illi in Patrem*, ad Christum referri ab Apostolo, cùm sit hæc promissio rei futuræ, nō verò rei iam existentis declaratio, illud facilè explicatur. Nam nec Christus Dei Filius statim ab initio incarnationis declaratus est, neque verò ante incarnationem eo, inquam, nomine palam innotuit, sed id demum factum est solenni quadam ratione postquam resurrexit à mortuis. Quæ res Apostolum adduxit ut testaretur, *Christum declaratum Dei Filium ex resurrectione mortuorum*, Rom.1.4. Quemadmodum igitur Petrus Apostolus verba illa, *Ego hodie genui te*, ad resurrectionem Christi accommodat, sic planè ista, *Ego ero illi in Patrem*, eodem referenda sunt. Id quod minimè ambiguum erit, si primùm spectemus hîc agi de Christo Dei Filio, quatenus ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *in carne manifestatus est.* Dauide verò illa verba, *ero illi in Patrem*, non significant constitutionem, sed declarationem rei quæ iam fuit, ex vsu Scripturæ & vulgata loquendi consuetudine, qua fit ut sæpè tum demum dicamus rem esse vel fore, cùm cœpit vel incipit innotescere, vt Prou.17.7. את בצרה יולד *frater nascetur in aduersitate*, hoc est, qui verè frater est, id ostendet in rebus aduersis. Neque verò sic efficitur, hinc non posse probari Christum esse æternum Dei Filium, imo illud vel maximè sic probatur, non enim ea declarantur quæ non fuerunt. Et sanè quis dubitet Christum ante resurrectionem fuisse Dei Filium, cùm tamen certum sit Petrum illa verba, *hodie genui te*, ad resurrectionem, vt iam sæpius dictum est, retulisse.

2.

Ad Vers. 6.

Quàm benè id quod à Psalte videtur dictum de falsis Gentium Diis, Psal.97.℣.7. *ab Apostolo Angelis applicetur.*

Non de Diis Gentium, sed de Angelis eo loco agitur.

Ratio dubitandi de hac re videtur hæc fuisse; in Hebræo illud solummodo habetur *& adorent eum Dij*, atque illud *Dij* videtur tam ad Gentium Deos, quàm ad Angelos posse accommodari. Sed illud primò hîc obseruandum est, quod LXX. Interpretes hanc ambiguitatem sustulerunt, nam nomen אלהים *Angelos* verterunt: Cùm igitur LXX. Interp. authoritas apud Iudæos summa esset, non erat verendum Apostolo, ne Iudæis videtur locum illum Scripturæ in alienum sensum detorsisse. Adde, quod hîc adoratio præscribitur, & quidem vt cultus voluntarius, quod Diis Gentium non conuenit, qui pleriq; omnes figmenta fuerunt cerebri humani potius quàm personæ. Denique, vel rarò vel nunquam nomē illud אלהים, cùm solum ponitur, adhibetur ad significanda Gentium idolâ, quin id fit semper cum adiectione aliqua, vt *Dij Gentium*, *Deus Moab*, &c. Cur verò potius Idola quàm Idololatras hortatus foret ad Deum adorandum? Atqui Idololatris imprecatur, eos verò haud quaquam hortatur ad hunc cultum Christo exhibendum, quod omnino fecisset si de honore, quem nolentes volentes coguntur impij Deo habere, hoc loco ageretur, ac multo potius de cultu voluntario, quem nec impij, nec Dæmones exhibent Deo. Huc etiam illud accedit, quod Gentium Dij hoc loco אלילים dicuntur. Atqui non est verisimile eos, quos אלילים contemptim vocauit Spiritus Sanctus, statim magnifico nomine אלהים vocari, eo maximè loco vbi agitur de ignominia & dedecore quo Idololatræ afficiendi sunt: videtur enim habere speciem aliquam excusationis si *Dij* potuerunt videri quos coluerunt. Adde, quod quibus verbis agit Spiritus Sanctus de idololatris & idolis, verbum adhibet futuri temporis, at cùm de adoratione facit mentionem vtitur Imperatiuo: Cuius mutationis nulla potior ratio reddi potest quàm quod illis de euen-

1. 2. 3. 4. 5. 6.

7. de euentu, hic de officio agatur. Nec illud prætermittendum est quod toto Psalmo describitur gratulatio quædam creaturarum, cœli terræ, hominumque, quidni etiam & Angelorum: soli excipiuntur ex hoc numero Idololatræ, nempe, quorum extremo interitu Christus regnaturus est. Sed illa grauior quæstio videri possit, Quo modo hæc ad Christum accommodentur potius quàm ad Deum Patrem. Id verò, Deo iuuante, expediemus, cùm ventum erit ad explicationem quæstionis, Vnde constat illa verba, *& tu Domine fundasti cœlum & terram*, ad Christum pertinere, par enim vtrobique difficultas est, pari ratione difinienda.

Nō de primo Christi aduentu eo loco agitur.

Cæterum quia in Græco sic habetur, ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, quæritur de quo Christi adventu, de primo an verò secundo agatur. Et sunt qui primum Christi aduentum potius quàm secundùm his verbis denotari volunt. Qui in ista sunt sententia trajiciunt particulam πάλιν, ac si scriptum esset πάλιν δὲ ὅταν εἰσαγάγῃ. Sed libet scire quâ necessitate instituta sit hæc trajectio, nam quin dura sit, nemo est qui possit negare: atqui trajectiones tum solummodò sunt admittendæ cùm necessariæ sunt. Illud fortasse eos mouit, quod Angeli Christum natum adorarunt. Et verò nullus dubito quin Angeli semper Christum adorent, at adstitisse Angelos Christo nato, & specie humanis sensibus obviâ Christum adorasse vt Magi, hoc verò iam probari non potest ex Scripturâ: Cecinerunt quidem illi hymnum Deo, atque ita sanè Christum adorauerint, sed hîc de solemni quadam, atque (vt vocabulo vtar Scholastico) Christo *appropriatâ* adoratione agitur. Forte an & id eos traxit in hanc sententiam, quod Christus hoc loco dicitur introducendus in mundum, atqui in secundo adventu judicabit de cœlis, nec descendet in terram. Sed hoc leuissimum est, Nam contra dixerim, Christum, cùm primùm nasceretur, non fuisse productum εἰς τὴν οἰκουμένην, quamuis tum ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, nam *introduci in mundum* est exhiberi spectandum tanquam in theatro τῇ οἰκουμένῃ, id quod Christo statim nato non contigit, continget verò in secundo aduentu, cùm veniet iudicaturus viuos & mortuos. Quartò, firmiora videntur ista quod εἰσαγάγῃ rem futuram significat. Deinde verò etiam, quod iungitur cum πάλιν. Illud verò iam refelli nullo modo potest, quod totus Psalmus; vnde locus hic desumptus est, describit Maiestatem Christi regnantis, & in hostes quidem seuerè animaduertentis, suos autem magnificè & plenè liberantis: id quod ad Christi natiuitatem, quæ abjecta & humilis fuit referri non potest.

sed de secundo.

An adoratio Angelorum sit satis firmum argumentum diuinitatis Christi, cùm respectu muneris Mediatorij possit, & debeat adorari.

Christus adorandus vt Mediator.

CErtè Christo adoratio debetur vel ob naturam diuinam, vel ob officium Mediatoris, sed ista tamen non sunt ita disiungenda, vt eorum vtrumlibet putemus seorsum posse considerari: Postquam enim Dei Filius idem homo est & Mediator noster, neque natura diuina seorsum, neque humana seorsum consideranda est, sed neque inter adorandum Christus, qui idem Deus & Homo est; exuendus est officio Mediatoris, atque ita à nobis considerandus nudè, sed vt Propheta, vt Sacerdos, vt Rex Ecclesiæ: Actus enim adorandi, vnus cum sit, ista omnia coniunctum respicit in Christo. Quòd si quis hîc quærat, *Num adoratio Christo non conueniat qua Mediator, etiamsi non sit Deus*, facilè est respondere, hanc hypothesim iam nullam esse; quia non modò eius rei est quæ non est, sed quæ omnino esse non possit, non est enim muneris Mediatorij ea ratio, vt eo quisquam fungi possit qui non sit idem Deus, propterea quod obire id munus infinitam sapientiam & potentiam requirit. Non enim Christus Mediator est vt Moses, qui seruus idem fuit, nec quicquam aliud quàm internuncius, si propriè loqui volumus, & hactenus Mediator; at Christus Mediator fuit vt *Dei Filius*, Heb. 3. Itaque non alieno, sed suo nomine, edidit miracula, quæ alij eius nomine edunt, &, quod summum est, Spiritum Sanctum mittit, & animam idem ponit ac resumit. Si tamen fieri posset (quod omninò fieri non potest) vt qui Mediator est verè & propriè, idem non esset Deus, profectò Mediator non esset adorandus, & ratio idonea est, quod hic cultus merè diuinus & religiosus est.

sed ideo quia Deus.

Adoratio qualis debeat esse.

Quod vt penitus habeamus perspectum, id primùm obseruandum est, quemadmodum Deus infinitum quantum distat à creaturis, sic etiâ cultus qui ei debetur, cùm reuera infinitus esse non possit, quippe exhibitus à creatura quæ finita est, tamen ad infinitudinem (vt ita loquamur) debet niti; atque is esse vt ne in eo acquiescamus, dum optamus semper esse maiorem: Hoc primum. Deinde verò (nam hoc vtamur exemplo) vt figura circularis nō distat à reliquis figuris quibusdam gradibus (vt reliquę figuræ inter se, verbi gratiâ, aliquid addas triangulo efficies quadrangulum, & quadrangulo si aliquid addas pentagonum efficies, &c.) sed toto genere penè dixerim, sic cultus, qui Deo debetur, eam debet habere rationem vt non modò gradu, sed specie etiam ab omni alio cultu diuersus sit. Id quod licet adumbrare exemplo illius amoris & obsequij quod vxor viro debet, id enim eiusmodi est vt non modò gradu, sed specie etiam, à cultu & amore, quem eadem parentibus debet, differat, nempe cùm sit eius generis, vt si illius vel minimam partem delibaret, & præter maritum alteri deferret, adultera hactenus foret, *pro tanto*, inquam, sic enim nobis loqui liceat, si non *pro toto*.

Cultus idololatricus cui deprehendatur.

Sed tamen, quia hoc sæculo omnia sunt plena idololatriæ, neque perinde tamen idololatræ deprehendi possunt, ac reuinci, atque adulteri (nam idololatras Scriptura vocat *adulteros*) vt hîc notas quasdâ habeamus quibus discerni queat cultus qui Deo debetur, ab eo qui sine sacrilegio exhiberi potest creaturę, hæc esto definitio diuini cultus, *adoratio religiosa est animi demissio alicui exhibita infra quàm creatura conditio ferre possit.* Id verò fit vel cùm aliquid adoramus quod creaturæ modum superat, vel cùm id putamus eiusmodi esse vt reuerâ, si opinio nostra vera foret, creaturæ modum superaret. Vnde fit vt adorantes vel rapiamur in ecstasin, quando vera & genuina est adoratio, vel certè id cupiamus, quâdo agnoscimus adorationis imperfectionem. Porrò aliquis adorare possit vt quod superat creaturę modum, duobus modis, vel si agnoscat id superare crea-

turæ modum, vel si non agnoscat id superare creaturæ modum, cùm reuera superet. Iam omnis vis infinita, etiamsi non agnoscatur pro infinita, tamen si ea tribuatur creaturæ tanquam communicata à Deo, secundumque id cultus exhibeatur creaturæ, cultum illum religiosum esse oportet, proindeque idololatricum; nempe, delatus est creaturæ eam ob rem cuius creatura capax non fuit: ratio enim adorationis est sapientia, potentia, &c. infinita, quæ si creaturæ tribuuntur, ex creatura fit Deus, factitius saltem Deus. Itaque Patres orthodoxi Arrianos habuerunt pro Idololatris, quod idem Christum Deum & factum faterentur, Deum scilicet ob ea quæ illi tribuebant supra creaturæ modum, factum verò, quod hæc à Deo communicata, ad creaturarum modum, eum habere dictitarent.

In cultu creaturæ exhibendo spectanda duo.

Ergo cùm defertur cultus creaturæ, hæc duo obseruanda sunt. Primò, An id, ob quod deferimus creaturæ cultum, sit eiusmodi vt sit effectum potentiæ infinitæ, spectandum est; atque creatura in hac specie cõsideranda est vt merum organum, vt exigatur cultus ad modum operæ quam impendit creatura, non verò pro modo operis quod Deus operâ creaturę patrauit. Deinde verò, vt ne rapiatur animus in admirationem creaturæ: Nempe ita se res habet, Et Reges, & viros magnos præditos ingenio, magnâ doctrinâ, magnâ sapientiâ admiramur & colimus, si tamen hic cultus & admiratio suis finibus continetur, non habetur raptum, aut si habet raptum, fertur is raptus rectâ in Deum: quomodo legimus in Euangelio, Iudæos non illos impios, sed pios, quibus Christus nondum planè notus, egisse Deo gratias quòd tam insignia facinora ederet hominum interuentu, cùm miraculorum à Christo editorum essent spectatores. Quemadmodum enim cùm lucerna per laternæ septum didit radios suos, rectâ animo ferimur in ipsam lucernam, in laternâ non defigimus oculos, vtpote quæ nihil ipsa contulit ad lucem, nisi quod eam non exclusit: sic planè cùm quid operâ creaturæ diuinitùs ad nos proficiscitur, quod tantum est vt creaturæ hîc nullæ sint partes, nisi feramur animis rectâ in ipsum creatorem, Idololatræ sumus. Diuersa ratio est cùm Deus natiuâ facultate creaturæ vtitur, aut donis Dei quidem illis, sed creaturæ industria quæsitis. Nam hîc quod ad opus attinet externum, etiam ipsam creaturam Deus agnosci & coli vult, sed pro modulo creaturæ.

Ad Vers. 7.

Quomodo locus Psal. 104. qui videtur de meteoris accipiendus, ad Angelos accommodetur.

Tres de hoc loco sententiæ. 1.

Conuenit inter Interpretes, Apostolum rectè ex hoc loco conclusisse Angelos esse Dei ministros, at quâ ratione id cõcluserit Apostolus, de eo iam non conuenit inter Interpretes, nam alij volunt Psaltis hanc esse mentem, Deum vti ventis & fulgetris, & fulminibus, tanquam Angelis & ministris suis, proindeque Angelos esse Dei ministros, Quorsum enim attenuisset ventos & fulmina cum Angelis componere, nisi Angeli Dei ministri forét? Qui in hac sunt sententia hac potissimum nitũtur ratione, quod in Psalmo agatur de iis Dei operibus quæ sunt infrà Lunam, vt liquet ex antecedentibus & cõsequentibus. Alij rursus sunt qui contendunt hoc loco Psaltem non iam de meteoris, sed de Angelis agere, quos scilicet volunt mysticè vocari *ventos & flammam ignis*; propter celeritatem & ardorem quo feruntur in ministerio obeundo. Qui in hac sunt opinione eo potissimum mouentur, quod alioqui hæc Apostoli ratiocinatio ex illo loco durior & coactior possit videri: fac enim Deum non habere Angelos, aut ministros alios, præter ventos & fulmina, tamen locutioni Psaltæ locus esse possit: Ergo vt ex hoc loco probari possit Angelos esse Dei ministros, extrinsecus id sumendum est & petendum ex alio loco. Illud verò maximi momenti est, quod res grammatica videtur repugnare quominus hæc verba sic accipiamus, ac si vellet Apostolus Deum vti ventis tanquam Angelis, sic enim articulus præponendus foret vocabulo πνεύματα ad hunc modum, ὁ ποιῶν ἀγγέλους τὰ πνεύματα; iam verò proponitur vocabulo ἀγγέλους, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους; deinde verò καὶ τοὺς λειτουργούς. Nobis sic videtur, vtrumq; locum habere posse, vt & de Angelis & de meteoris meminerit Psaltes loco citato: nempe non illic agitur simpliciter de Meteoris, vt in Physicis, sed vt adhibetur à Deo ad insigne aliquod opus & documentum iustitiæ suæ edendum: id quod vix vnquam fit sine Angelorum ministerio, vt appareant quidem meteora, lateat Angelus qui in meteoris tamen exerit vim suam. Cuius rei illustre habemus exemplum in historia Legis datæ. Tum enim & intonuit, & fulgurauit, nec quicquam aliud factum prodit Moses, nempe, cui satis fuit ea narrare quę in ipsos incurrebant sensus: At Apostolus tamen Paulus legem testatur datam esse per Angelos, nempe quos Deus fecerat *ventos & flammam ignis*.

2.

3. verior.

Ad Vers. 9.

Quæ sit vis horum verborum διὰ τοῦτο, quum Psaltes ait, διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς.

ID verò haud facilè potest intelligi nisi totius sententiæ vim animo teneamus. Id verò assequemur, si quod huius vnctionis subiectum, quæ hæc vnctio, denique, quæ huius vnctionis cum subiecto conuenientia, intelligamus. Est verò *subiectum* huius vnctionis persona Mediatoris, *Vnctio* verò constitutio huius personæ in officio Mediatoris; quæ iterum duobus modis intelligi potest, vel vt vnctio significet realem (vt ita loquar) constitutionem, vel huius realis constitutionis publicam & solennem declarationem. Quemadmodum Dauid dicitur vnctus fuisse in Sione, Psal. 2. quod tum demum, cùm venisset in Sionem, patuit eum Regem fuisse, tum cœpit inclarescere. Iam facilè est intelligere quid significet διὰ τοῦτο, nam si ἔχρισε referatur ad realem constitutionem Christi in munere Mediatorio, certum est διὰ τοῦτο conuenientiam notare, solus nempe is inuentus est dignus tanto munere ob personæ, secundum vtramque naturam spectatæ, sanctitatem; vtramque naturam, inquam, coniunctim non separatim, tam enim nefas est diuinam & humanam in Christo seorsim considerare postquam iam Verbum caro factum est; quàm

διὰ τοῦτο, notat conuenientiã.

quàm fas est distinguere. Quod si iam nomine *vnctionis* intelligamus solemnem declarationem istius vnctionis, quæ tum demum facta est cùm Christus consedit, ad dextram Patris (id quod Petrus significátissimè expressit his verbis, ἔπον ἐποίησεν ὁ θεὸς χεῖρσιν καὶ κύριον: En, ἐποίησε χεῖρσιν dixit, quod quid aliud sit quàm ἔχειν. cùm tamen non tum demum Dominus noster *Christus* & *Dominus* factus sit, verùm multò ante, sed quia tum demum Christus ingressus est in gloriam suam, vt loquitur Scriptura, perinde loquitur Petrus ac si tum demum Filius Dei *Christus* ac *Dominus* fuisset factus) hoc, inquam, si intelligatur, διὰ τοῦτο conuenientiam pariter significabit, æquum enim fuit, & verò iustum, vt qui obeundi muneris sui causâ tot mala, tamque indigna perpessus est, is summam gloriam adipisceretur. Nam sicuti Christi gloria, quam adiuit dum consedit ad Dei dextram in cœlo, maior est quàm vt eam capere possit mera creatura, sic etiam quæ Christus passus est in terris indigniora erant quàm vt ea pati debuerit, qui sanctissimus homo idemque Deus erat. Ergo vtrouis modo consideretur vnctio Christi, διὰ τοῦτο conuenientiam notat.

Conuenientia duplex.

Cæterum conuenientia duplex est, vel *iustitiæ*, vel *misericordiæ*. Justitię conueniens est vt qui legem seruauit idem sit beatus, scilicet vt bonum Physicum sequatur bonum Ethicum: Misericordiæ conueniens est vt qui credit in Christum, quem peccati pœnitet, veniam consequatur: vtrobique διὰ τοῦτο locum habet, sed vtrobiq; tamen non significat eandem conuenientiam, sed hîc misericordiæ, illic iustitiæ. Ergo cùm Christus dicitur vnctus διὰ τοῦτο, intelligatur prior modus conuenientiæ, qui est secundùm iustitiam, designari. Sed quærunt, *An Christus id sit meritus*. Id ne volunt, Christus dignus-ne est tanto honore? Hoc sanè sensu nemo neget Christum eum honorem esse commeritum. Quod si Christum nobis faciant sic mercenarium quendam, dicimus non minus impropriè Christum dici mereri, quàm si quis negaret Christum esse Dei filium: pugnat enim istud cum excellentia Christi personæ vt mercenarij in morem, cui scilicet nihil nisi ob præstitam operam debetur, dicatur meruisse. Cæterùm, in hac quæstione subiectum semper est habēdum ob oculos, *Christus* non iam Deus simpliciter, neque verò homo simpliciter, sed θεάνθρωπος: Cùm ergo quæritur, *An Christus quà homo commeritus sit vt assumeretur*, quæruntur accidentia non entis, non enim prius erat assumpta natura quàm fuit assumpta, & par omnino quæstio est ac si quis quæreret, *An Adamus commeritus sit vt crearetur*. Sed hæc hactenus.

An & quomodo Christus sit aliquid meritus.

Quinam à Psalmistâ dicantur Christi μέτοχοι.

IN Christo licet considerare *personam* & *officium*. In personâ duas naturas, *humanam* & *diuinam*. Ac quod ad officium attinet Christus nullos habet μετόχους, solus est Mediator, quod verò ad personam attinet, ne hactenus quidem sunt vel in cœlo, vel in terra, qui se Christi μετόχους esse ausint gloriari. Sed cùm in personâ sit natura diuina & humana, creata & increata; iuxta naturam humanam Christus μετόχους habet omnes omnino homines. Deinde verò quia natura humana in Christo condita est ad Dei imaginem, & hactenus item μετόχους habet omnes fideles, quos ideo pro fratribus agnoscit, ipse primogenitus inter multos fratres.

AD VERS. 10.

Vnde constet Psaltem Psal. 102. 26. *loqui de Filio potius quàm de Patre.*

SI nihil aliud hoc loco quæreretur quàm, quî possit homini pio, & studioso veritatis, persuaderi eò loco agi de Christo, res exdedita foret, nemo enim est qui credat in Christum verè, qui nō credat idem Christum esse Deum, proindeque & Creatorem cœli & terræ. Quod si verò cuipiam fideli veniret in mentem quærere, cùm ita se res habeat, cur hunc locum citauit potius Apostolus quàm quemlibet alium, quo creatio Deo tribuitur, & hoc etiam non foret expeditu difficile, dum causa, inquam, agitur apud fidelem, nam versibus præcedentibus in Psalmo agitur de liberatione Ecclesiæ, proindeque de Mediatore, atque idem ille Ecclesiæ liberator hic compellatur.

Homini Christiano facilè id probatur.

Sed quoniam cum Iudæis nobis res est, experiamur an non modò hunc locum ab eorum calumniâ queamus vindicare, verumetiam efficere, vt ne hic locus aliter accipi possit quàm de Messiâ. Quo in conatu etsi deficeremus, non modò nos, verum etiam omnes omnino mortales, attamen nunquam efficerent Judæi vt hic locus detortus videretur, propter eas causas quas iam attulimus, nempe, aliud est affirmare quod res est, & obiecta diluere, quæ disputatio ἀνασκευαστική vocatur, aliud verò affirmare & sententiam probare, quæ disputandi ratio κατασκευαστική appellatur: veritas enim sine altero horum disputandi generum potest constare, sine vtroque non potest. Sic igitur agamus, si ex vno aliquo loco Psalmorum, vbi agitur de liberatione Ecclesiæ probari potest, eundem esse Deum & Messiam, certè pari ratione, vbicumque agitur de liberandâ Ecclesiâ, idem erit Deus & Messias, cur enim alter vno loco quàm vbique se res habeat, causa dici non potest. At certum est Psal. 68. 19. eundem qui יהוה dicitur Messiam esse, qui locus, quia à nobis in Prælectionibus fusè explicatus est, hîc duntaxat notandus fuit. Deinde verò illud לפנים κατ' ἀρχὰς, valdè considerandum est, sic enim idem statuitur primæ & secundæ creationis author, quod omnino conueniebat. Iam certum est secundæ creationis authorem, & Dominum עולם הבא *seculi venturi* esse Messiam: quamobrem Iohannes statim initio Euangelij, ne quis crederet Deum per alium condidisse mundum, per alium verò restaurasse, vel creaturæ creaturam esse reparatricem, illa posuit planè sublimia, *in principio erat Verbum*; & initio Epistolæ prioris ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, &c.

Item & aduersus Iudæorum.

Idem debit esse primæ & secundæ creationis author.

Quod si quis miretur cur hunc locum potius Apostolus adhibuerit quàm quemuis alium, in quo quidem agitur de liberatione Ecclesiæ, verbi gratiâ, locum quem citauimus ex Psal. 68. is mirari desinet si spectet scopum Apostoli, qui voluit hoc pacto probare Christum Angelorum etiam esse Creatorem: instituit enim Christi collationem cum Angelis, qua in comparatione Christum Angelis præfert, primùm ob muneris & officij dignitatē, deinde verò iam ob personæ,

excellentiam quam neque iam à nomine probat, neque verò à gloria, sed ratione longè firmissima, à potentiæ magnitudine, quam patefecit in mundi creatione, & essentiæ perennitate.

Ad Vers. II.
Quid vox ἀπολεῖται significet.

Mundum redactum iri in nihilum.

SVnt qui existiment hoc vniuersum ita interiturum, vt eò omnia recidant vnde orta sunt, id est, in nihilū. Id quod cum sacra Scriptura ex diametro pugnat, etiam cum fidei analogia pugnare videtur. Nam Apostolus ad Rom.8. non iā ambiguè & obscurè, sed disertissimis verbis, quæ nullo interpretamento obscurari & deprauari possunt, docet mundum (quem *creaturam* vocat) innouatum iri, vtpote qui & ipse particeps futurus sit gloriæ filiorum Dei: Atqui quod in nihilum redigitur, perit quidem id funditus, non innouatur, & quod omnino non est nullo decore exornari potest. Neque verò quis eo loco *creaturæ* nomine nouam creaturam existimet denotari, nam & series disputationis Apostoli, & verba hanc interpretationem respuunt. Postquam enim Apostolus egerat de expectatione anxia & sollicita creaturæ, continuò subiungit, ἐμὸ οὐ δὲ, ἀλλὰ καὶ,&c. absurde si nihil noui affertur; non enim erit alia horum verborum mēs, quàm si Apostolus dixisset, non modò filios Dei gemere sensu miseriæ suæ, & erigi in certissimam spem liberationis suæ, verumetiam filios Dei ingemiscere & erigi in certissimam spem liberationis suæ: quæ intolerabilis ἀδολεσχία foret.

pugnat cū Scriptura.

1. Except.

2. Exceptio Socinianorum. Ref.

Est qui cùm id videret aliò confugit, vt *creaturæ* quidem nomine Ecclesiam significari contendat, eorum verò nomine *qui Spiritus primitias habent*, Apostolos. Sed nec succedit hæc interpretatio, primùm enim certum est agi v.18. promiscuè de omnibus fidelibus, adeoque toto hoc capite, quoties illud ἡμῖν aut ἡμᾶς occurrit. (1.) Deinde, nulla potest afferri ratio cur Apostolus sic locutus fuerit, *E enim expectatio creaturæ intenta est in reuelationem filiorum Dei*, si iidem vocantur *creatura*, & *Dei filij*. (2.) Tum verò etiam qui possint ista, *vanitati creatura subiecta est non sua sponte*, quadrare fidelibus? vel enim hoc iis tribuitur quatenus sunt fideles, vel quatenus homines sunt: Ad quod vanitati subiecti sunt fideles, id nō iis conuenit eo quod fideles sunt, sed eo quod peccatores sunt, hoc verò illis commune est cum reliquâ turbâ impiorum. (3.) Atqui Apostolus ex ista subiectione argumētum ducit vt probet creaturam suspirare redemptionem, quæ res arguit non hîc agi de earum creaturarum subiectione quę redemptionem non suspirant, quales sunt impij. (4.) Quartò, creatura dicitur subiecta, *non sua sponte*, hoc est, vt interpretati sumus, quod non accersiuerit in se hoc malum: atqui homines in se accersiuerunt malum, itaque sponte subiecti sunt vanitati: frigidum enim foret hæc verba ista interpretari, ac si eorum hæc mens esset, *homines ægrè ferunt subjici vanitati*, nam de eo quis dubitet? At dubitare quis possit, an reliquarum creaturarum hęc quę nunc conditio est, eadem etiam fuerit conditio primigenia, imò omnes Philosophi & Sapientes sæculi in diuersâ sententiâ fuerunt. (5.) Quintò, quorsum spectant illa verba, *sed propter eum qui subiecit?* vel enim hîc Deus intelligendus est, vel homines. Atqui vt Deus intelligatur primùm repugnat locutio, deinde res, Et locutio quidem, nam si ea mens Apostoli fuit, dicendum erat διὰ τὸ ὑποτάξαντα: deinde, cur hîc omissum est Dei nomen? Tum res ipsa hanc interpretationem non admittit, non enim cum redditur apud Christianos causa cur creatura subiecta sit vanitati, solemus ad primam statim causam confugere, suppressâ eâ causâ quæ permouit primam vt eam subiiceret vanitati: Idem hic Apostolus cap.5. ad Rom. *per vnum* (inquit) *hominem peccatum ingressum est in mundum*. (6.) Denique, cùm ὑποταγὴ significet hîc (vt loquuntur in Scholis) actionem receptam, nihil potest dici frigidius, sensus enim erit, subjicitur creatura ab aliquo, quia aliquis eam subiecit. Quod si homines intelligantur hoc loco, vt certè intelligi eos necesse est, vel omnes intelliguntur, vel vnus aliquis: At si intelliguntur omnes, sententia nulla erit; Creatura hoc est homines credentes, subiecti sunt vanitati non sponte, sed propter omnes homines qui subiecerunt eos. Si vnus aliquis intelligatur, is erit primus homo, qui certè intelligendus est: Atqui primus homo non homines subiecit inuitos vanitati, sed reliquas creaturas, quę dicuntur fuisse subiectæ non suâ sponte, eo quod earum conditio primigenia nullâ suâ culpâ, sed vitio alieno, mutata est.

ὑποτάξας non est Deus.

neque omnes ... nec...

sed Adam

(7.) Denique vers.21. *Sub spe*, inquit Apostolus, *quod & ipsa vindicabuntur*, &c. quorsum pertinet illud *quod &*? hoc enim pacto innuuntur alij esse præter eas creaturas quæ vindicabuntur, & quidem præcipuè. Iam si creaturarum nomine hîc intelligātur fideles, primùm quid opus fuit illo καὶ αὐτὴ, καὶ αὐτοὶ? illud enim non potest addi nisi cùm res dubitationē pati possit: quis enim sic loquatur, *etiam filij Dei redimentur*? nemini enim id videtur mirum. Deinde, Ecclesia est cui præcipuè conuenit redemptio, non enim Ecclesiam propter Apostolos, sed Apostoli propter Ecclesiam fuere. Nec est quod quis hîc cauilletur, nomine κτίσεως hunc aut illum fidelem esse intelligendum, nam illa locutio ἡ κτίσις notat corpus & σύστημα. (8.) Vt sit finis, Apostolus pronomine primæ personæ in numero plurali (nisi cùm aliquid dicitur quod solis conuenit Apostolis) nunquàm vtitur nisi ad fideles designandos; Iam verò ℣.23. quod adiicitur, omnibus fidelibus conuenit: primum enim, inquit, *nos qui primitias Spiritûs habemus*; soli ne habent Apostoli spiritûs primitias? deinde ver. 24. *spe seruati sumus*, hæc enim omnia cohærentia vt diuelli nequeant: deinde ver.25. *per patientiam expectamus*. An & hoc Apostolorum proprium est? (9.) Tum verò etiam repugnant Apostoli verba, etsi enim fideles vocentur κτίσις ab Apost. nunquam tamen vocantur κτίσις simpliciter, sed cum adiectione καινὴ κτίσις, *noua creatura*. (10.) Deinde & illa verba expendenda sunt, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις, quorsum enim attinuit adiecisse illud, καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις? si eo loco tantum ageretur de nouâ creaturâ, quid opus foret illo καὶ? quid illo αὐτὴ? nam quis dubitet nouam creaturam ingemiscere: &, si nihil aliud sit quod ingemiscat præter nouam creaturam, quo pertinet illud καὶ num ad impios? nunquid impij participes futuri sunt gloriæ filiorum Dei? aut verò intenti sunt in eam spem? (11.) Denique, quid significant illa verba πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει, *vnâ suspirat, vnâ parturit*? profectò nihil aliud quàm totum hoc vniuersum vnâ cum piis suspirare.

Id eos

Rationes contrariæ. I.

Id eos præcipuè qui in diuersâ sunt sententiâ mouisse videtur, quod non viderent quî spes, expectatio, gemitus, & dolor, qualis parturientium est, vel inanimatis creaturis, vel animantibus etiam, sed rationis expertibus, tribui possit. 2. Deinde, verò & illud etiam, quod quis huius innouationis esset vsus non facilè dici posse arbitrarentur, etenim cum aspectabilis hic mundus in hominis gratiam conditus sit, quando is eo vti desierit sequitur vt sit frustrà. 3. Denique & illud etiam non parum apud eos habuit momenti vt sic sentirent, quod illis videbatur per absurdum vt tot plantis, tot stirpibus quæ iam interierunt, adde tot brutis animantibus, non vita modò redderetur, sed immortalitas.

Ref.

Sed hæc omnia non sunt tanti vt Apostoli verbis vim adferre debeamus, atq; ita interpretari vt Apostolum faciamus ridiculè disputantem. 1. Nam vt ab eo, quod primo loco positum est, ordiar, nemo ferè est paulo humanior qui nesciat rebus inanimatis sensum, & expertibus rationis rationem figuratè tribui. *quomodo creaturæ Apost. illus sensum & rationem tribuit.* Quoties in Scripturâ Deus cœlos & terram compellat? etiam cœlum in Scripturâ stupere dicitur: certè quando figuratæ locutioni aliquid subest quod figuræ respondeat, tum verò oratio non modò perspicua est, verum etiam elegantiam habet & venustatem; atque ne hinc abeamus, esto huius rei exemplû quod præ manibus habemus. Certum est statum rerum esse perturbatum in Vniuerso, de hoc iam nulla est controuersia, sed & pariter certum est, omnem perturbationem statûs rerum disconuenire rebus: etiam illud certissimum est, si rebus inesset vllus sensus, vlla mens, futurum vt istam perturbationem auersarentur. Quid-ni igitur etiam figuratè dici possit id facere quod omnino facerent si vllo miseriæ sensu afficerentur. Certè locutio est è [illegible], nam qui vrbem aliquando splendidam & florentem opibus, ciuili bello deformatam videt, non absurdè vrbem lugere dicat & suspirare restaurationem. At quanto magis atque aptiùs id ipsum de vniuerso dici possit? maximè cùm insit creaturæ instinctus quidam quo fertur in conseruationem sui, contra interitum & occasum auersatur.

Ref. 2. *Cur mundus sit restituendus in integrû.*

Iam quod secundo loco negant huius mundi vllum fore vsum, quando homines eo vti desierint, in eo iam apertè pugnant cum Apostoli mente & scopo. Nam Apostolus docet mûdum, siue creaturam esse subjectam vanitati, non sua sponte hoc est, non quod ipsa in se malum hoc accersiuerit, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, *sed propter hominem qui subjecit eam vanitati*, nempe peccando: At quorsum id docet Apostolus? nempe vt ostendat abolito peccato, atque homine in integrum restituto, & restitutum iri in creaturam; ista enim connectuntur cum præcedentibus, vt quæ habet ἀιτιολογίαν. Nam si vel creatura in nihilum redigeretur, vel maneret quidem, sed fœda & deformis, superesset vestigium peccati & mortis, imò verò monumentum; nunc verò restitutâ creaturâ erigitur veluti trophæum victoriæ filiorũ Dei. Sic Principes si subditorum perduellium arces & castella diruerunt, etiamsi nihil inde rediret, tamen planè reconciliati cum subditis eas arces, ea castella sæpenumerò restaurant. Quis erit ergo creaturæ renouatæ vsus? hic nempe, vt sit argumentum peccati penitus deleti.

Ref. 3.

Denique, quod allatum est tertio loco, ne id quidem nos magnopere commouere debet. Quemadmodum enim si quis nos interroget, quis futurus sit in beatâ resurrectione status ille, & conditio gloriosa, corporum nostrorum, & à nobis exigat an singulæ corporis partes, internæ & externæ, restituendæ sint in integrum: idem deinde quærat, quis sit futurus singularum partium vsus, sic eæ curiosis, penè dixerim impia, repellenda est, vt totum hoc negotium permittamus Deo, qui probè nouit quid expediat, quid minus expediat ad conciliandam corporibus nostris, quæ nunc adeo vilia sunt & abjecta, gloriam & dignitatem, de istiusmodi illis & spinosis quæstiunculis parùm solliciti.

Mundi innouatio pugnat cũ analogia fidei.

Cum analogia fidei verò pugnare hanc sententiam, quam non probamus, vel hinc liquet, quod quibus argumentis ea nititur, iisdem argumentis euertitur dogma de resurrectione mortuorum. Deinde verò, quid fidei conuenientius est, quàm vt existimemus gloriam filiorum Dei longè maximam fore? Atqui ea non est futura longè maxima, nisi non modò in ipsis, verùm etiam in creaturâ, exstet huius gloriæ quædam imago; ad eundem scilicet modum quomodo in hâc vitâ non modò in semetipsis, verùm etiam in hâc mundi machinâ, vident argumenta miseriæ in quam delapsi sunt. Ergo hic interitus cœlorum nil aliud est quàm cœlorum mutatio, quæ qualis sit futura non est sobriæ & piæ mentis vel anxiè quærere, vel temerè definire; illud tenendum est arctè, mutationem hanc non fore in deteriorem, sed in meliorem statum.

AD VERS. 13.

Quo sensu ab Apostolo 1. Cor. 15. 84. dicatur Christus traditurus regnum Patri, cùm passim in Scriptura eius regnum celebretur eo quod nullum finem sit habiturum.

quid sit τὸ regnare Christi.

QVid de hac re statuendum sit facilius intelligemus, si perceptum habeamus quomodo Christus dicatur regnare, quomodo item traditurus regnum Patri. Ac regnare quidem Christus dicitur, quatenus vtitur potentiâ suâ ad Ecclesiam tuendam, & vim hostium Ecclesiæ repellendam. Ergo consequens est vt tum dicatur *traditurus regnum patri*, postquam hoc opus peregerit, peregerit verò tum cùm Ecclesiæ hostes eò redigentur, vt nullam vim habeant qua Ecclesiæ damnum possint inferre. *quid tradere regnum Patri. quid esse subjectum Patri.* Cæterùm idem est *tradere regnum Patri*, & *esse subjectum patri*, id quod inde facilè demonstrari potest, quod Apostolus hanc subjectionem aliquando futuram pronunciat, vnde manifestò apparet non agi hîc de vlla essentiali subjectione filij, quæ nimirum ei conueniat vel secundùm diuinam naturam, vel etiam secundùm humanam: nam iuxta illam filius Patri non est subjectus, cùm hactenus sit æqualis Patri, secundum hanc verò semper est subjectus patri, sed quoniam quandiu Christus, qui idem Deus & homo, exercet hoc imperium, non apparet quomodo, quatenus homo, patri sit subjectus, tantisper non dicitur patri subjectus:

quoniam verò, postquam hoc pacto desierit regnare, illud clarissimè apparebit, tum demum dicitur fore subjectus Patri.

Soluitur quæstio.

Ex his iam satis liquet, qua ratione ista possint conciliari quæ posita sunt in quæstione. Nam cùm Scriptura negat Christi regnum habiturum vllum finem, hoc tantum vult significare, non esse eam conditionem regni Christi quæ sit terrenarum Monarchiarum & Imperiorum, quę bello & armis euertuntur, nouis Imperiis suborientibus; nempe illa Imperia propriè finem habent, quæ vi & fraude euersa sunt: At verò illud Imperium, quod ideò dicitur habere finem quòd nulli supersunt hostes edomandi, nullus legum vsus est propter subditorum virtutem neque verò, propter omnium rerum copiam & vbertatem, subditis vllare opus est, propriè finem non habet: Etsi enim illius Imperij princeps desiit regnare, quia tamen id non contigit vllâ virium imbecillitate, sed tantummodo quia non opus est vt regnet, & regnando id iam acquisiuit quod æternum est, regnum habere æternum dici meritò potest. Ergo, quod attinet ad regnandi actum, Christus regno sese abdicaturus est, quod verò ad regnum attinet, regni huius nullus erit finis.

Cur Apostolus 1. Cor. 28. *potius dicat*, Deum futurum omnia in omnibus *quàm* Deum regnaturum.

HÆc quæstio in duas secunda est, quarum prior hæc esto, *Cur Deus post extremum illum diem non dicatur regnare*, posterior hæc esto, *cur dicatur tum fore omnia in omnibus*. Ac quod ad prius illud attinet, dicitur Deus *non regnaturus* ideo quod nulli futuri sint hostes in quos exerceat imperium, & is erit beatorũ status vt lege apud eos nil opus sit, vt supra dictum est. At *futurus omnia in omnibus* ideo Deus dicitur, quia nullius interuentu creaturæ, ne Mediatoris quidem, copiam sui facturus sit. Et alludit Apostolus ad locutiones Prophetarum, qui prædixerunt fore vt lumine tum nihil opus esset, quod Deus ipse futurus esset lumen, neque templo, &c. Immò neque cibo & potu, quia, inquit Psaltes, *deliciæ sunt ad dextram tuam*, &c.

Quo modo ex eo quod hîc dicitur Christus sedere ad dextram Patris, *&c. non videtur sequi, vt Pater regnet, Christus verò ferietur.*

QVemadmodum Dauid nõ est feriatus cùm Deus eius pedibus subjiceret hostes ipsius, ita planè Christus non feriatur in cœlis, quamuis Pater hostes eius ipsius pedibus subjiciat. Hoc tamen discrimẽ inter hæc est, quod vis illa animi & consilij, qua Dauid erat præditus, finita fuit, & eiusmodi vt eam capere posset creatura, at sapientia & potentia Christi infinita est. Quęrat igitur aliquis, qua ratione igitur Christus (qui hac vi præditus est, eamque exercet) non dicatur ipse subjicere hostes suos pedibus suis? Nec satisfit quæstioni si respondeamus, pari ratione quæri posse; Cur Dauid non dicatur subjecisse hostes pedibus suis. Nam hîc in promptu est illud excipere, Dauidem mutuatum à Deo omnem illam vim, Deo debuisse omnem illum successum quem habuit in rebus gerendis, at si idem de Christo statuatur, statuendum etiam erit Christum vi quæ à Patre fuerit profecta res tantas gessisse, id quod non conuenit, quia infinita vis solius est Dei, Deo autem nil dari potest. Neque verò res erit expeditior si dicamus, vim infinitam à Patre filio communicatam cùm essentiam Pater filio communicauit: Nam quę sic filius habet à Patre ea verò æterna sunt, at hîc cùm Pater dicitur omnia subjicere pedibus filij, notatur aliquid singulare & temporarium. Itaqꝫ illud statuendum est, Patrem dici omnia subjicere pedibus filij, quod filius tantas res gerat tanquam Patris vicarius. Quomodo autem filius sit Patris vicarius hinc intelligi potest, quod quandiu vllæ peccati reliquiæ sunt, Pater non nisi interuentu Mediatoris cum Ecclesia, & Ecclesiæ hostibus agit. Itaque οἰκονομικῶς Pater dicitur omnia sub pedibus filij subjicere, quemadmodum οἰκονομικῶς dici potest omnes redemisse per filium.

Resp. per Simile

Obj.

Resp. 1.

2.

3. verior.

QVÆSTIONES IN CAP. II.

Ad Vers. I.

Vnde desumpta sit phrasis illa, μή ποτε παραρρυῶμεν, *& quis sit eius sensus.*

ΠΑραρρυῆναι Græcè ea dicuntur quæ excidunt animo. Estque hæc locutio non modò apud prophanos Authores, qui Græcè elegantissimè scripserunt, vsitata, sed in sacris etiam libris vsurpata: Prouerb. 3. μὴ παραρρυῇς *ne excidant* vbi in Hebræo est, אל ילוו *ne deflectant à te, ne recedant*; at illi fortasse legerunt אל יזלו *ne effluant*. Sed sic hæc locutio refertur ad res Metaphorâ ductâ ab aquâ, quæ nisi quoddam conceptaculo contineatur facilè diffluit. Cæterùm in sacris litteris hæc Metaphora singularem habet venustatem, propterea quod doctrina תורה imbri & pluuiæ comparatur, & *stillare* הטיף idem *docere* est: quinetiam si res attentiùs consideretur, huius Metaphoræ clara sunt vestigia in vocabulis תורה *doctrina*, & מורה *doctor*. Iam quàm eleganter doctrina cœlestis pluuiæ, imbri, & rori comparetur facilè quiuis intelligit, seu locum vnde pluit, seu pluuiæ vim & vsum multiplicem, siue etiam euentum spectemus. Consulatur Canticum Mosis.

παραρρυῆναι.

1. dicitur de rebus.

Sed & de personis, non modò de rebus, eadem locutio venustissimè item vsurpatur: Enimuerò solent Latini Scriptores eleganter hominis animum vasi assimilare, Lucret. lib. 6. initio.

2. de Personis.

Nam cùm vidit hic ad victum quæ flagitat vsus,
Omnia iam fermè mortalibus esse parata;
Diuitiis homines, & honore & laude potentes,
Affluere, atque bonâ natorum excellere famâ,
Nec minus esse domi cuiquam, tamen anxia corda
Atque animum infestis cogi seruire querelis:
Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum,
Omniáque illius vitio corrumpier intus,
Quæ collata foris, & commoda cumque venirent:
Partim quod fluxum (h.e. παραρρυὲν) *pertusumque esse*
Vt nulla posset ratione explerier vnquam. (videbat,

Etiam

Etiam Dominus noster Iesus Christus hominis mentem vasi similem fecit, *nemo*, inquit, *infundit nouum vinum in veteres vtres, ne rumpantur, & diffluant, μὴ παραῤῥυῶσι.* Et hîc operę pretium est Metaphoræ côcinnitatem obseruare, non enim ideò confertur hominis animus cum vase quod debeat retinere visa, meditata, sed quod debeat esse instar thesauri & pyxidis, vnde audita, dicta, visa, meditata depromantur quando vsus postulat, *Homo bonus* (inquit Christus) *ex bono thesauro cordis sui*, &c. Quemadmodum igitur & liquor *diffluere* dicitur cùm non continetur, sic vasa dicuntur item *diffluere* omnibus ferè linguis, cùm non continent.

ἐκρυῆναι est aliud. Et non est prętereunda vis prępositionis παρὰ, nam ἐκρυῆναι *effluere* vas sæpè expedit, vt cùm vitiorum & earum rerum, quarum recordatio nocet magis quàm prodest, memoriam ex animo delemus, vel verò ea nobis cogitantibus vltro delentur, quod accidit bonis viris. Sed hoc nihil minus est quàm παραῤῥυῆναι *diffluere*, id quod iis tantùm contingit qui ea, quæ omni studio memoriæ semel mandata debuerunt retineri, passi sunt elabi.

AD VERS. 2.

An qui in monte Sinai allocutus est Mosem, fuerit ipse Deus, an verò Angelus.

Ratio dubitandi. RAtio dubitandi hæc est, Nam si fuit Deus quomodo eo deprimit legem Apostolus, quod sit doctrina λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων, quasi in hoc Euangelicâ doctrinâ inferior esset, quæ scilicet non fuit λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων, sed τοῦ υἱοῦ, non enim filius patre præstantior est: Sin Angelos dicamus eos qui decem illa verba Legis (quę vocantur in sacra Scriptura) protulerunt, quomodo Angelo ea oratio poterit conuenire, *Ego sum Deus tuus, qui te eduxi ex AEgypto, non habebis alium Deum coram facie mea.* Resp. communis. Nam frigidum est quod alibi nonnulli adferunt, Angelum, tanquam Dei legatum, nomen Dei vsurpare: Ref. sanè Patroni clientum personas sæpe induunt, at ne fando quidem vnquam auditum est vllum legatum, cùm Principis sui mandata proponit, aliter loqui quàm in tertia persona, *Princeps meus hoc dicit*, &c. cuius rei illustre testimonium habemus apud Prophetas, apud quos nimirum solemnis formula est, *dicit Dominus*; immò in visionibus Angeli profitentur se missos.

Alia respôsio solidior. Quid igitur statuendum est? Nempe verborum illorum, quibus concepta fuit lex, in aëre Angelorum operâ sonum fuisse efformatum, (quomodo à manuenses pingũt symbola earum notionũ quæ sunt in heri persona) id quod Angelorum vires non superat, nam certè possunt tantum quantùm Cacodæmones, qui in hoc genere tantumdem præstant. 1. Except. Nec est quod quis quærat, potuerit-ne Deus solo nutu, sine Angelorum opera, vocem illam effingere, nam omnino sanè potuit, sed libuit Deo vti in hoc genere Angelorum operâ; Potuit solo nutu Sodomam perdere, exercitum Sancheribi delere, &c. non hoc fecit tamen. Ergo quoniam tonitru & procellâ lex data est, & quidem tonitru faciente vocis verborum legis materiam, ad quam accedere necesse fuit quam vocant articulationem Angelorum operâ, propterea hîc Lex dicitur λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων *promulgata per Angelos.* Et certè quis Angelorum vsus est, quibus rebus impendunt operam, si vacant procuratione rerum huius generis? Etenim verisimile est nihil communiter fieri extra naturæ ordinem, quod quidem finita vis possit efficere, quod Angelorum vel bonorum, vel malorum, operâ non fiat.

2. Except. Sed inquiet fortasse aliquis) quid si Deus ipse iussisset hâc vocem exstare, quemadmodum initio creationis iussit oriri lucem? At, inquam, ista non sunt paria, nulla enim vis, præter diuinam, lucem producere potuit, id de quo nunc agitur finita vi effici potuit. Inst. At verò si solo Dei nutu id fuisset effectum, non visa fuisset ea vox potiùs dicenda Dei vox? Minimè verò, neq; enim Deus vtitur voce, hoc imperfectionis est, sed tamen *vox Dei* dicitur quæ extraordinariâ quadam ratione ad mentem Dei exprimendam in aëre fit; sic tonitru dicitur *vox Dei*, quanquam certum sit tonitru non proficisci à Deo immediatè. Sic Iobum dicitur Dominus allocutus è turbine, quod Angeli operâ productum tonitru, atque articulatum, mentem Dei exprimeret. Itaque lex dicitur λαληθεῖσα διὰ τῶν ἀγγέλων, quia Angelorum operâ factum est vt repræsentata fuerit quædam λαλιὰ Israelitis.

AD VERS. 3.

Quid significetur his verbis, ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου.

Quomodo ante Christum salus fuit prædicata. DVo sunt hîc quæ lectorem habere possint sollicitum, illud primùm, quod videtur author eius Epistolæ prædicationem salutis inchoare à Christi temporibus, deinde verò, quod videtur innuere inchoatam illam prædicatioñe à Christo, ab eodem Christo non fuisse absolutam. Prius illud facilè soluitur: Etsi enim Moses & Prophetę de salute & vitâ æternâ locuti sunt, tamen id fecere obscurè, & pro illorum temporũ ratione: deinde verò, Christo nondum exhibito de Messiâ, quidem in genere potuerunt sanè illi agere, de isto Messiâ speciatim agere non potuerunt. Denique, salutis prædicatio ea propriè appellanda est, quæ & partę salutis rationem explicat, & ea nunciat gesta iam esse quibus salus parta est. Non enim Euangelium dici potest nisi earum rerum quarum ἀγγελία est, atqui iam præteritarum solummodò rerum est ἀγγελία, itaque præteritarum item tantùm Euangelium est. Ergo, salus ante Christum exhibitum prædicata quidem est, sed non ita vt prædicatio illa *Euangelium* dici possit. Quomodo à Christo cœpit prędicari. A Christo verò hactenus inchoata salutis prędicatio dici possit, quatenus consideratur Christus agẽs in terris: nam si Christum spectemus etiam sedentem ad dextram Dei Patris, indeque mittentem Spiritum Sanctum, hoc pacto tum inchoata, tum etiam perfecta dici possit à Christo Euangelij prædicatio. Sed hîc mentio fit τῆς λαλιᾶς *locutionis Christi*: Itaque agitur de Christi prædicatione in terris, maximè cùm dicatur hoc loco salus cœpisse λαλεῖσθαι διὰ κυρίου. Nam quod Christus cœlitùs misit Spiritum in Apostolos, eo dicendus est non per se, sed per

Apostolos Euangelium prædicasse, sicuti Reges legatorum operâ vtuntur, quę agendi ratio adeò sublimis fuit, vt nihil suprà.

> inchoata tantum à Christo fuit Euangelij prædicatio.

Sed nondum expeditum est, Fueritne illa salutis Christi in terris prædicatio inchoata tantum, an verò etiam absoluta. Nam si inchoata fuit tantum, videtur id detrahere dignitati muneris Prophetici Christi; sin absoluta, quomodo dicitur *cœpisse initium* quod absolutum statim fuit? sed hoc postea nos, si nihil grauius subesset, nullo negotio posset dissolui. Nam quid vetat eandem prædicationem inchoatam & absolutam dici *cœpisse*, nempe, respectu continuationis. Nemo negat absolutam esse prædicationem ab Apostolis, eadem tamen respectu temporum nostrorum nullis potest cœpta ab Apostolis. Verùm aliud est nam reuera prędicatio Euangelij cœpta tantum est à Christo in terris: Cùm enim Euangelij prædicatio duabus in rebus sita sit, primùm vt res præteritæ narrentur, quî potuit Christus in terris agens mortem suam, resurrectionem, ascensum in cœlos, sessionem ad dextram Dei, vocationem Gentium &c. prædicare? Deinde cùm hæres ita debeant narrari, vt remoto velo & omni inuolucro proponantur, futurarum verò rerum in hoc genere hæc fuerit conditio, vt earum, quandiu erant futuræ, obscurior debuerit esse notitia, oportuit istas res à Christo tradi ideo obscuriùs quia non potuerunt, id est, non debuerunt (vtpote futuræ) tradi apertiùs: Et verò consequens erat, vt quæcumque ad has res ita pertinebant, vt sciri non potuerint nisi his notis, ea pariter obscurè tradi debuerint. Superest igitur, vt Christus, in terris agens, clarè & apertè debuit agere de rebus præsentibus, quæ si spectetur duntaxat materia, haud maximam partem faciunt argumenti Euangelij; reliqua verò traderet obscurius.

> 1. ratio.
>
> 2.

> Nec hoc officit dignitati muneris eius Prophetici.

Neque verò eo quicquam decedebat dignitati muneri Prophetici Christi: partim quia ea docuit Christus quæ nulli prius Angelorum, nedũ mortalium, reuelata sunt, partim etiam quia non nos metiri decet dignitatem muneris Prophetici Christi ex illius externa prędicatione in terris, sed ex eo potissimùm quod in terris agẽs multorum hominum corda flexit in obsequium veritatis. Ergo, cùm dicimus cœptum prædicari Euangelium à Christo in terris, volumus ne scilicet Christum ea omnia tradidisse quę Apostoli prædicarunt? Omninò, sed obscuriùs, atque ita vt illi ea vel parum, vel haudquaquam perciperent. Id quod facilè apparebit si quis expendat omnes Christi conciones, in quibus de morte, de resurrectione sua, de ascẽsu in cœlum, de missione spiritus Sancti, de vocatione Gentium disputat, verùm (vt diximus) ita vt non intelligeretur, adeò erat occupatus Discipulorum animus cogitatione de statu diuerso Messiæ: cùm interim non dubitarent de peccatorum remissione gratuitâ, de salute, &c. Itaque cùm monet Discipulos, multa se habere dicẽda quæ illi nondũ ferre possent, intelligendũ ita est ac si dixisset, se multa habere dicenda clarè & apertè, quæ ideo nondum sic diceret, quod illi ea sic dicta nequirent ferre. Huc etiam pertinet quod monuit, non esse committendum nouum vinum veteribus vtribus: Hinc factum est vt multarum rerum post resurrectionem Discipuli dicantur meminisse, quasi iam pridem dictarum à Christo, sed quas illi tum demum percepissent: eodemq; referendum est, quod Emaunte iis dicitur aperuisse corda vt intelligerent Scripturas, eas scilicet quibus de eius morte & resurrectione (quarum alterâ grauiter offendebantur, alteram vt crederent vix adduci potuerunt) agebatur.

> docuit nẽpe omnia quæ Apostoli, sed obscurius.

AD VERS. 4.

Quodnam discrimen sit statuendum inter σημεῖα, τέρατα, &c.

> σημεῖα, τέρατα, δυνάμεις.

MErισμοὶ πνεύματος (de quibus infra nobis erit agendum) haud dubiè aliud sunt quàm σημεῖα, τέρατα & δυνάμεις, vt tum demonstrabitur vbi quid sint hi μερισμοὶ πνεύματος fuerit explicandum. At certè σημεῖα, אותת τέρατα מופתים, δυνάμεις הגבורות vnum idemque sunt: quemadmodum capite 2. prioris ad Timoth. δεήσεις, προσευχαί, ἐντεύξεις, vnam eandemque rem diuersis nominibus significant. Neque verò hæc vocabulorum eandẽ rem significantium accumulatio pro ταυτολογία est habẽda, etsi enim idem significatur, tamen non eodem modo significatur, id quod ad constituendam rationem ταυτολογίας necessariò requitur. Cæterùm idem bis significatur sine tautologia duobus modis, vel cùm proprio vocabulo figuratum adjungitur, vel cùm plura vocabula iunguntur, siue propria siue figurata. Id quod rursus fit duobus modis, vel enim notius vocabulum iungitur obscuriori, vel in significandi modo diuersitas quę [illegible] est: vt verbi gratia, preces Paulo dicuntur δεήσεις quia precibus testamur apud Deum egestatem nostram (nam δέεσθαι *indigere* est) eædem preces προσευχαὶ dicuntur, quia precibus animi nostri vota Deo aperimus: eædem dicuntur ἐντεύξεις, propterea quod non timidè & diffidenter, sed penè familiariter Deus adiri se ab orantibus patitur. Hîc verò miracula eadem dicũtur σημεῖα quia signa sunt præsentiæ diuinæ, atque eorum proprius vsus est vt confirmetur fides nostra; τέρατα verò מופתים, quod homines dent in stuporem, non modò rapiant in admirationem, terrorẽ enim incutiunt (nam τέρας dicitur quasi τέρας, ἀπὸ τοῦ τρεῖν quod est *tremere*, *pauere*) δυνάμεις verò quia in eis elucet Dei potentia; vt certè vera miracula sine vi infinita patrari nequeunt. Sunt verò μερισμοὶ πνεύματος varia illa dona Spiritus Sancti, quę & χαρίσματα vocantur, de quibus Apostolus fusè cap. 12. 1. ad Cor. Et μερισμοὶ quidem, quod nemini vni indulgebantur omnia, sed vnicuique suum peculiare donum: deinde verò, quod eadem dona non eâdem copiâ singulis tribuebantur: μερισμοὶ verò πνεύματος quod (vt docet Apostolus eodem illo 12. cap. prioris ad Cor.) Spiritus hęc dona pro arbitrio impertiebatur: χαρίσματα autem quod etsi non nisi in credentes & resipiscẽtes conferebantur, tamen non pro meritis hominum, sed pro gratuitâ benignitate, Spiritus ea largiebatur.

> sine Tautologia tamen.

> quia secũdum variorum respectus sic dicuntur.

> μερισμοὶ πνεύματος quid sint.

AD VERS. 5.

Cur Ecclesiæ Christianæ status dicatur οἰκουμένη μέλλουσα.

HIc duo quæri possunt, primùm cur status Ecclesię dicatur οἰκουμένη, deinde cur dicatur

cur οἰκουμένη. οἰκουμένη μέλλουσα. Et οἰκουμένη quidem vocatur propterea quod verba Psalmi, quæ interpretatur Apostolus, ab Aduersariis potuerunt intelligi de mundo hoc, quatenus habitabilis est & cultus, quomodo Hebræi תבל dicunt, idque opponunt τῷ מדבר *deserto*, quasi οἰκουμένην ἐρήμῳ opponeres: hinc factum est vt οἰκουμένης nomē Apostolus retinuerit. Nam vocabulum αἰὼν & αἰῶνες significat potius *temporum vices*, quàm *vrbem terrarum* quatenus speciem habet & pulchritudinem, itaque eo nō possit vsque adeò propriè designari id quod in speciem Psalmista videtur describere: οἰκουμένη cur μέλλουσα verò μέλλουσα vocatur, nempe non agit hoc loco Apostolus de statu Ecclesiæ qualis est in hâc vitâ, nam hactenus ne οἰκουμένη quidem est, nam mundus Ecclesiæ desertum est, οἰκουμένη Ecclesiæ est in cœlo, sicuti Israelitarum in terra Chanaan.

Quo sensu dixerit Apostolus, mundum futurum non esse subjectum Angelis.

MVndus scilicet futurus huic mundo hîc opponitur qui Angelis tū bonis tum malis (quamuis diuersissima ratione, his vt tortoribus, grassatoribus, prædatoribus, illis vt Dei ministris) subjectus est, at futurus mundus soli Christo, quem hoc nomine Angelus præponit. Etenim instituitur comparatio inter Euangelium & Legem, atque eo Euangelium Legi præponitur quòd Lex Angelorum, Euangelium Christi θεανθρώπου operâ fuerit promulgatum.

AD VERS. 6.

An versu 6. ἄνθρωπος, & υἱὸς ἀνθρώπου designet naturam humanam in genere, an verò personam Christi.

NAturam in genere designant, sed cum χέσει tamen ad personam, quod quid sit exemplo clarum erit: si dixero Deum hominem miris animi dotibus exornasse, vt qui mente sua cœlum, terram, maria, quicquid supra, quicquid infra est complectatur, sanè neque singulos homines noto, neque item certas personas, sed naturam humanam, quatenus in certis quibusdam personis talis reperitur. Neque verò id nos mouere debet quod pronomen αὐτὸς videtur certam personam designare, nam pronominum hæc est ratio vt nominum loco sint: Itaque quod nomen significat, hoc ipsum significat pronomen? si igitur ἄνθρωπος & υἱὸς ἀνθρώπου significant naturam humanam, pronomen αὐτὸς idem significabit, ponitur enim loco horum nominum.

An Psaltes Psalm. 8. primò locutus videatur de hominis prima creatione.

Psalmus 8. nō est omnino de hominis creatione.

MVlta sunt quæ obstant quominus hic Psalmus referri possit ad primam creationem. Illud primum quod continet gratiarum actionem, atqui non est verisimile Ecclesiam Dei gratias agere Deo ob creationem, tacito redemptionis opere. Deinde, quibus beneficiis pij exciderunt, ea quoties commemorant cum gratiarum actione, toties agnoscunt miseriam in quam suâ culpâ delapsi sunt, simul etiam petunt vt in locum vnde deiecti sunt restituantur: quorum nihil hoc Psalmo fit. Huc & illud accedit, quod Deus dicitur hoc Psalmo propagasse vsquequaque totâ terrâ gloriam nominis sui, id quod haud dubiè nonnisi ad Ecclesiam Iudæorum & Gentium pertinet: nam primâ creatione gloria, nominis Dei non latius patuit, quàm Paradisus; nondum enim erant alibi qui nominis Dei laudem celebrarent. Adde, quod non quadrant primæ creationi illa verba *ex ore infantium & lactentium*, &c. hæc verò multò minus. *propter eos qui tibi aduersantur, ad compescendum hostem*, &c. Sed & la ותחסרהו ἠλάττωσας αὐτὸν *fecisti illum deficere*, ad primam creationem nequeunt referri, notant enim (si eorum propriam vim æstimemus) conditionis mutationem in peius. Vnde & apparet quàm rectè LXX. Interpret. מעט verterint βραχύ τι, & מאלהים παρ᾽ ἀγγέλους, illud, quoniam מעט ad tempus etiam refertur, Hos. 1. ℣. 4. hoc verò, quia tota sententia frigida foret & inepta si אלהים *Deum* significaret; quis enim putet Prophetam voluisse hominem, vel in prima creatione, fuisse summo Deo paulò inferiorem. Deinde manifesta est antithesis quæ huc redit, ad exiguum tempus eum Angelis reddidisti defectiorem, at postea gloriâ & magnificentiâ coronasti eum. Reliqua petantur è Prælectionibus Tom. 2. pag. 161. & seqq. Nam illud non est magni momenti quod nonnulli hîc aiunt, hominis dignitatem sic describi vt illi subjiciantur boues & oues: Etenim si ageretur hîc de primâ creatione minima foret hæc pars tantæ dignitatis, sed sic solent Prophetæ gloriam Regni Mesiæ describere vt vtantur verbis res terrenas (quales naturæ quodam instinctu appetimus) significantibus, vt Psalmo 72. 16. *Frumentum edet fragorem in vertice montium*, &c.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Obj.

Ref.

AD VERS. 9.

Quo sensu dicatur Christus mortuus pro omnibus, Et, quomodo id non iuuet causam Pelagianorum.

SCriptura eadem ait & negat Christum mortuum esse pro omnibus, haud dubiè verbotenus duntaxat, neque enim ipsa sibi repugnat: Ergo vtrumque verum est, sed aliter atque aliter acceptum. Nam Christus ideo pro omnib. mortuus dicitur, quòd omnibus datus est redēptor, ea lege tamen vt omnes in Christum credant, nempe iuxta illud, *sic Deus dilexit mundum vt dederit filium suum, vt quicumque credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ergo Christi mors, sub fidei conditione, ex æquo ad omnes omninò homines pertinet, verumtamen cùm omnes omnino homines non præstent hanc conditionem, & Christus se tantummodo det cum omnibus suis beneficiis fruendum iis qui credunt, hinc fit vt Christus pro certo quodam hominum genere, nempe pro Ecclesiâ, pro fidelibus, mortuus dicatur in Scripturâ. Vno verbo, Christus (vt ita loquamur) pro fidelibus mortuus est *absolutè*, pro omnibus (vt ita loquar) *conditionatè*. Neque verò hoc causam Pelagianorum iuuat, non enim si Christus pro omnibus mortuus est, ideò virtutis est humanæ, non autem efficaciæ

quo sensu affirmetur.

quo item negetur.

Pelagianorum causa nil inde iuuatur.

Spiritus Dei, si quis ad Christum veniat. Sanè si quis doceret esse omnium hominum promiscuè & indiscriminatim, fidem (facultatem, inquam, credendi) is profectò non faueret modo Pelagianis, sed omninò Pelagianus foret: sed quemadmodum aliud est quærere, *an ad omnes pertineat promissio fœderis gratuiti, modò præstent omnes conditionem*, aliud, *an detur indiscriminatim omnibus credere promissioni*, sic aliud est affirmare, *Christum mortuum esse pro omnibus modò credant*, quod nullo modo Pelagianum est, aliud verò affirmare, *omnibus, quod attinet ad Dei partes, datum esse vt credant*, quod solum & vnum Pelagianum est in hoc argumento

Ad Vers. 10.

An præter necessitatem satisfactionis pro peccato innuatur ab Apostolo, voce πάθημα, aliqua alia conuenientia inter Christo passiones & gloriam filiorum Dei, & qua sit illa conuenientia.

Non ad iustificationẽ modo.

Oportuisse pati Christum id verò cùm tota docet Scriptura, tum disertè affirmat haud semel, cur autem id necesse fuerit pariter eadem Scriptura docet. Nam cùm duo nobis essent ad salutem necessaria, quorum alterum est positum in peccatorum remissione, alterum in nostri sanctificatione, quam veteris hominis mortificationem Apostolus vocat: sine sanguinis effusione nulla est remissio, sine afflictione nulla hominis veteris mortificatio; consequens igitur fuit, vt Christus passus pro peccatis nostris eorum remissionem nobis impetraret, nosque operâ quidem Spiritus Sancti, sed tamen afflictionum interuentu sanctificaremur. Itaque quotquot filij Dei sunt afflictionibus obnoxij sunt; quocirca etiam Deus eorum Principem, primogenitum illum inter plures fratres, afflictionibus veluti perfici voluit: nempe hoc requirebatur vt is nobis, nos illi similes essemus. Ergo præter necessitatem satisfactionis, propter Christi nostrique conjunctionem, conueniebat Christum pati.

sed ad sanctificationem nostram oportuit Christum pati.

Notandum autem est quod Apostolus pluralinumero παθήματα dixit, quod duobus modis accipi potest: nempe cùm instituitur comparatio inter vnum & plura, enũciatur vnum ac si essent plura, sic Apostolus hâc eâdem Epistolâ Christi sacrificium θυσίας vocat cap. 9.23. non θυσίαν, quia scilicet Christi sacrificium, quod vnum erat, cum Leuiticis confert Ergo pari ratione, cùm Apostolus hìc agat de coniunctione filiorum Dei & Christi respectu afflictionum, passionem Filij Dei παθήματα vocat. Nam supra cap. 2.9. vbi nullam instituit cõparationem, in singulari numero πάθημα τοῦ θανάτου simpliciter dixit, non autem παθήματα. Vel id etiam dici potest, quod hic Apostolus non respicit simpliciter ad crucis passionem, sed ad omnes vitę Christi passiones, quę eo à passione Christi differunt, quod non fuerunt coniunctæ cum sensu illo acerrimo iræ Dei, qui Christo sanguinem sudorem expressit, atque illa verba *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me.* Atq; vt verè dici potest, Christum ideo mortuum esse vt efficeret ne filiorum Dei afflictiones conjunctæ essent cum sensu iræ Dei, quam necessariò secuta fuisset, in iis quidem certè, desperatio, pariter item affirmari potest, mortuum esse Christum, totâque vitâ passum, vt illi admonerentur non aliter confici negotium salutis nostræ quàm per afflictiones. Vnde etiam intelligitur quæ sit cõuenientia inter afflictiones Christi & nostras, quę itidem differentia: nam afflictionum Christi quædam fuere (vt diximus) sine sensu iræ Dei, at illa quæ κατ' ἐξοχὴν passio dicitur, diuersa à reliquis fuit, quòd ea vel præcipuè fuit in doloribus animę eiusmodi vt mens humana quę fuerit eorum conditio & ratio capere non possit. Conuenit inter nostras afflictiones & Christi, quatenus simpliciter afflictiones sunt, non in eo conuenit quòd non sunt coniunctæ (Christi hoc beneficium est) cum pauoribus conscientiæ, & sensu iræ Dei: id quod si quando piis contingit, id potius (vt loquuntur) de facto iis contingit, quàm de iure: nempe propter fidei imbecillitatem, quæ quo valentior est, eo minùs terretur conscientia.

cur Christi παθήματα in plurali dixit Apostolus.

Discrimen & conuenientia nostrarum & Christi passionũ.

Ad Vers. 11.

Qui per ἐξ ἑνὸς Apostolus significet.

Meo qualicunque Iudicio ἑνὸς nec Deum Patrem, nec Adamum, neque verò etiam naturam humanam significat. Nam si vel ad Deum, vel ad Adamum referretur, ratio conformitatis nostri cum Christo non esset manifesta, nam etiam Angeli sunt ex Deo, & impij homines ex Adamo: Atqui iam certum est Apostolum rationem reddere, cur Christum nobis, nos Christo conformes esse oporteat, idque iuxta eam conformitatis rationem quæ Angelorum cum Christo conformitati non competit. Cæterùm inter impios & Christum nulla conformitas est, nam hìc Christus non vt homo considerandus est (iuxta quàm rationem cùm humanæ naturæ particeps esse voluerit, cognatos, affines, & propinquos habuit secundùm carnem, verùm hìc vsurpandum est illud Pauli, *Etsi Christum nouissemus secundùm carnem, attamen Christum nunc non nouimus secundùm carnem*, quam ob causam etiam non legitur vnquam Dominus beatam Virginem *matris* nomen compellasse, & Paulus Christum tradit simpliciter natum ex muliere) sed considerandus est Christus vt caput corporis sui mystici, illius quod Ecclesia est. Vnde sequitur illud ἑνὸς ad naturam humanam referri non posse, nedum ad Adamum.

ἑνὸς nec Deum nec Adamum,

nec naturam humanam.

Quid igitur statuendum est? nempe videtur Apostolus hâc locutione designare paritatem conditionis, spiritualis, inquam, quasi iuxta nostrum considerandi modum, Deus mente concepisset Ecclesiæ suæ, ideam quandã, quę in vno aliquo esset per omnia sibi similis, deinde verò voluerit caput & sanctificatorem Ecclesiæ eiusdem esse conditionis cuius est Ecclesia tota. Fortasse etiam alluserit ad id quod iure Leuitico factitari solitum est, quo iure delibatæ ex aceruo primitiæ aceruum sanctificabant, cùm essent primitiæ & aceruus ἐξ ἑνὸς *ex eâdem massâ.* Quod si quis quærat, quid sit id tandem, respondebimus id esse quod Paulus vocat *imaginem Dei*, item καινὴν κτίσιν *nouam creaturam*, quod 2. Epistolâ Petri cap. 1.4. dicitur θεία φύσις; pręterea verò conditio quæ Dei imaginem sequitur, nẽpe afflictionum commu-

sed conditionis spiritualis paritatem significat.

vnde hæc phrasis.

communio. Vno verbo ἐξ ἑνὸς est *eiusdem naturæ & conditionis spiritualis.*

AD VERS. 13.

Quid faciat ad Apostoli propositum locus Esaiæ 8.v.18. ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ᾽ αὐτῷ.

NEmpe docuerat Apostolus Christum sanctificatorem & fideles sanctificatos eiusdem esse conditionis & naturæ (vt supra ostendimus) spiritualis: id verò inde probat, quod & Christus in diebus (vt loquitur hic idem Apostolus) carnis suæ in Deo spem suam collocauit, id quod non est Dei, sed nec illius creaturę etiam quæ non angitur & conflictatur rebus aduersis: ex quo patet eò quod etiam Christus Deo confidit, vtrumque Christo conuenisse vt homo esset (sed qui Dei spiritu ageretur, sine quo nulla in Deo confidentia est) idemque homo ærumnosus, non enim Angelis, neque beatis spiritibus (quorum hi exempti sunt omni miseriâ perfuncti laboribus huius vitæ, illi immunes sunt ab omni miseriâ, confirmati in illo statu gloriæ) istiusmodi, inquam, personis non conuenit illud, *Ego confidam in ipso*, cuius rei hæc ratio est, quod hęc confidentia spem habet, & expectationem, cui nullus locus esse potest postquam datum est frui summo bono. Itaque in Sacrâ Scripturâ etsi piis hæc oratio tribuitur, attamen iis nunquam tribuitur nisi tum cùm in maximis animi angoribus versantur.

Cur posit illa verba ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς, &c. *Apostolus interserat ista* καὶ πάλιν, *cum sequentia nempe* ἰδοὺ ἐγὼ, &c. *immediatè sequantur.*

Resp. 1. CRediderim diuersum esse quod instituit probare. Itaque illud καὶ πάλιν non respicit verba quæ profert ex Propheta, sed scopum disputationis. Nam duo erant Apostolo probanda authoritate Scripturæ, primùm conditionem Christi eandem debuisse esse quæ nostra, hoc iam probauit ex illo loco ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ᾽ αὐτῷ. Deinde verò conformitatem naturæ spiritualis Christi nobiscum, id etiam iam probauit, sed obscuriùs, itaque id ipsum instituit apertè, & (vt ita dicam) directè probare istis verbis, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti.* Potest etiam & illa afferri ratio, quod verba illa, ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ᾽ αὐτῷ pars versiculi sunt, & quidem vltima; vnde factum sit vt cùm Hebræorum more sequens versus distermìnatus sit à priori per *soph passuc* quem vocant, eum versum Apostolus citarit ac si noua esset sententia, & longo distaret interuallo; quomodo (verbi gratia) qui prudenter distinctionem librorum sacrorum in certa quædam capita, quia vsu iam recepta est, obseruant, etiamsi cohæreat initium capitis cum fine versus capitis præcedentis, attamen in citationibus non continuò vtrumque versum iungunt.

Quomodo Christi παιδία *dici videamur à Propheta, cùm fratres eius simus.*

Resp. 2. NIhil necesse est vt sic verba Prophetæ accipiamus ac si diceremur παιδία Christi, nam verborum sensus constabit si dicamur liberi respectu Dei, sed quos Deus eos liberos suos fecit quod nos Christo tradidit, iuxta illud *nemo venit ad me nisi pater trahat illum*; & illud etiam *quos dedisti mihi ego custodiui*, &c. sed & illud παιδία ita licet interpretari, vt etiam Christi respectu παιδία dicamur, sed quomodo Prophetę loquuntur. Nam apud Esaiam Christus dicitur *Pater æternitatis*, cap. 9.5. & posteritas illi tribuitur cap. 53.10. imò verò dubium non est quin apud eundem Prophetam *generationem eius quis enarrabit*, cap. 53.8. eodem spectet. Et Psalmo 110. *ros iuuentutis tuæ* haud dubiè ponitur pro multitudine ילדים παιδίων tanta quanta est guttarum roris; simul etiam notatur iucunditas conspectûs tantæ multitudinis, nulla enim species oculis maiorem affert voluptatem quàm roris matutini exoriente primulùm sole. 2.

Quo iure, quæ Propheta Esaias de se videtur prædicasse, Apostolus ad Christum retulerit.

DE eo statuere non est difficile, dummodò id teneamus quod verissimum, & verò indubitatum æque apud Iudæos ac Christianos esse debet, nempe quicquid vel in Regibus, vel in Prophetis, vel etiam in Sacerdotibus, quos Deus ante Messię tempora in Israele esse voluit, singulare fuit, seu id pertineat ad excellentiam, seu etiam ad abjectam & ærumnosam ipsorum conditionem, id in Christo oportuisse eminere, vtpote qui singulari quodam modo idem summus, Propheta, Sacerdos, & Rex Ecclesię erat futurus. Deinde verò & illud constituendum est, quotiescunque (id quod sæpe accidit) ita de se loquuntur Prophetæ, Sacerdotes, Reges spiritu Dei afflati, vt quę de se prędicant Christo aptius quàm ipsis conueniant, de Christo agi præcipuè existimemus: verbi gratiâ *Psal. 2. Quare* (inquit de se Dauid) *fremuerunt gentes?* quoniam tamen si ad Christum hæc referantur, omnia erunt multo magis apposita & expressa, ne Iudæi quidem ipsi (nisi pertinaces sint) negarent præter hostes Dauidis intelligendos esse Christi hostes, cuius nimirum & regni ipsius Dauid, eiusque regnum, typus fuere.

Obseruandum. 1. Prophetas fuisse Christi typus.

2. eorũ dicta de Christo esse præcipuè intelligenda.

Ergo cùm Esaias præcipuus fuerit Prophetarum, vt nomen eius non caruisse mysterio possit videri, quod hîc contemptus & reiectus à Iudęis tantâ pertinaciâ, & tam inhumaniter exceptus testatur se in his ærumnis confidere in Deum, illud in Messiâ etiam locum habere debuit, deinde verò illa exclamatio, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus.* Nam horum dictorum alterum, *Ego confidam in eum*, magnificentius est quàm vt quisquam id possit vsurpare, qui non ipse fuerit singulari quâdam excellentiâ præditus: non enim vt Dauid in Psalmis de se loquitur in primâ personâ, etiam tum cùm iis de rebus agit quæ sibi cum reliquâ piorum turbâ communes sunt, sic Prophetę de seipso loqui licet. Quemadmodum enim non esset ferendus qui pro concione quasi sese segregans à plebe (id quod ne Apostoli quidem faciunt) testaretur se sperare in Deum, quasi hoc illi soli conueniret: sic nec Prophetæ de se temerè sustinuerunt loqui, nisi tum cùm suscipiunt in se personam quæ Christi personam repræsentet, Prophetæ scilicet. Deinde verò, quo

Esaias Christi typus singularis fuit,

eius duo dicta ad Christum præcipuè referenda.

1. Ego cõfidam in eum.

calamitates magis ferendæ sunt eo confidentia & spes in Deum minus solet deprædicari, nempe animi magnitudine & robore sustineri possunt, sed cùm eò deuentum est vt grauitas mali superet vires humanas, hîc verò præcipuè locus est spei quâ in Deum recumbitur. Quocirca cùm Messiæ ærumnæ (id quod ex cap.53. Esaiæ facilè possit probari) eiusmodi fuerint, omnino non modò ob dignitatem personę, verùm etiam ob magnitudinem calamitatis, præter cæteros mortales ei conueniebat illud, ἐγὼ ἔσομαι πεποιθώς ἐπ' αὐτῷ.

2. *Ecce ego.* Alterum verò dictum Esaiæ gloriosius item est (quod ad locutionem attinet) quàm vt vlli propriè conuenire possit præter Christum. Primùm enim illud *Ecce ego*, clarius est & sublimius aliquid notat quàm quod ad Prophetam pertinebat: quæ res eundem hunc Apostolum commouit, vt quæ Dauid de se ipso dixisse videtur, *Ecce ego venio vt faciam voluntatem tuam* ad Christum retulerit. Deinde verò, *& pueri quos dedit mihi, Deus,* (*& pueri quos dedit mihi Deus.*) dicuntur & hęc magnificentius, seu *puerorum* nomine Esaiæ filios intelligamus, seu etiam eos quos Deus vocat paulo superiùs, *Discipulos suos*, quod mihi videtur vero propius. Nam si Esaiæ filios intelligamus, quid? voluerit-ne Esaias neminem fuisse in populo Israelitico pium & constantem præter se & filios suos? sin verò *puerorum* nomine Dei Discipulos, quos scilicet Deus Esaię operâ docuerat, intelligere necesse sit (id quod postulare videtur series Propheticæ concionis) profectò isti pueri, si propriè loqui volumus, non sunt Esaię dati, nec vspiam in Scriptura occurrit hæc locutio, nisi cùm agitur vel de liberis naturalibus, vel de iis qui liberi sunt & dicuntur, sed Dei, eò quòd Spiritu Dei agantur: hi quoniam non gignuntur ab hominibus, nec hominibus dantur, seu isti Apostoli sint suæ Prophetæ, at à Deo Christo dantur, quòd Christus eius generationis principium sit, summa huc redit, quæ singularia singularem in modum de se Prophetæ prædicant, ea Prophetis impropriè & imperfectè, Christo propriè & perfectè conueniunt; vt in rerum naturâ, quæ insunt rebus (vt loquuntur) per participationem, in eo quod est primum & summum, perfectissimè debent inesse.

Quomodo apud Esaiam παιδία *designare possint* credentes, *cùm illa* παιδία *dicantur* signa *&* prodigia.

NE id quidem difficile est. Nam cùm signis & prodigiis duo conueniant, quorum alterum est vt sint rara, alterum vt hominum oculos in se conuertãt, propterea quod iis insit aliquid singulare & extraordinarium, eas ob res quę rara sunt & extraordinaria, eadem *signa* & *prodigia* dicuntur, non iam ob significandi vim, sed ob hãc quam diximus raritatem, atque vt ita loquamur singularitatem. Sic Dominus noster Iesus Christus dicitur σημεῖον ἀντιλεγόμενον, & Psalmo 72. *Prodigium*, & Paulus 1.Cor.4. *facti sumus* (inquit) θέατρον *hominibus & Angelis*. Nempe in theatro edebãtur spectacula, in iis feræ & belluæ peregrinâ specie ostentabantur. Quoniam igitur eorum Iudæorum numerus, qui verè credituri erant in Christum, minimus erat futurus, imò verò & Gentium, præ reliquâ turbâ hypocritarum & profanorum hominum ij denique habendi despicatui & hominum ludibriis exponendi, rectè dici possunt more Scripturæ *signa* & *prodigia*.

AD VERS. 14.

Cur Apostolus dixit παραπλησίως, *cùm in omnibus Christus factus sit nobis similis, excepto peccato.*

ΠΑραπλήσιος, ὅμοιος, τὸ αὐτὸν τρόπον eadem sunt apud bonos authores. Nempe vsurpantur aliquando de rebus numero diuersis, at specie iisdem: Fortè etiam Apostolus eò spectauit, vt notaret differentiam simul & conuenientiam humanę naturæ in Christo & in nobis, quę multiplex est. Primùm enim in nobis humana natura non modò est σὰρξ καὶ αἷμα, verum etiam ἐκ σαρκὸς καὶ αἵματος, at in Christo est quidem illa, quod ad substantiam attinet, σὰρξ καὶ αἷμα, sed ἐκ πνεύματος ἁγίου: vnde & eius caro de cœlo descendisse dicitur Iohan.6. nempe eum ad modum ad quem Iacobus ait, *omne donum descendere à Patre luminum & ἄνωθεν εἶναι*. Deinde verò, quod etiam in dotibus animi naturalibus, quas vocant, Christus infinitis partibus nobis antecelluit. Tertiò, quod omnes eius affectus prauis & vitiosis perturbationibus vacarent. Denique quod natura humana non sola seorsim in eo existebat, quod *subsistere* vocant, sed conjuncta cum natura Diuina.

(Conuenientia & discrimen naturæ Christi humanæ & nostræ. 1. 2. 3. 4.)

Quo sensu Diabolus dicatur habere imperium mortis.

HAud quidem eo quod vindex iuris diuini mortem infligat sic enim & Angeli dici possunt habere mortis Imperium, nam vt Deus sępenumerò in piis exercendis, & verò (dum eos vel castigat, vel probat, vel in iis dat specimen virtutis suæ) eruciandis, operâ Diaboli vtitur, sic dũ animaduertit in impios, & Angelorum adhibet operam, cuius rei passim occurrunt exempla in Scripturis. Verùm longè aliud est, nam hîc *Imperium mortis* est peccati Imperium, quod scilicet mortem æternam secum affert, hæc enim coniunguntur in Scripturâ. Sic Paulus dixit *corpus peccati & mortis*, & *legem peccati & mortis*, & *peccatum stimulus mortis*, 1.Cor.15. appellatur. Nec aliam ob causam *Homicida* dicitur Diabolus quàm quod ab eius instinctu ortum est peccatum. Sic dicitur *agere efficaciter* (Ephes.1. *in filiis contumaciæ*.

(non quia mortem infligit. sed quia author peccati.)

Postquam in morte Christi Diabolus καταργήτη, *quomodo dicitur mors vltimus hostis debellandus Christi in resurrectione.*

FAcilè soluitur: Nam *Ethicè* (vt ita loquar) in cruce id factum est, hoc est, Christus promeritus est vt id fieret, *Physicè* id fiet in resurrectione, hoc est, eueniet reapse quod Christus vt eueniret promeritus est.

AD VERS. 16.

An ἐπιλαμβάνεται *sit pro* ἐπιλαμβάνεται *positum.*

ITa esse videri possit. Quemadmodum enim dura nimis locutio foret, *Filius Dei assumpsit homines*, dum id volumus tantùm significare, *Filius*

(Affirmatur. Ratio 1.)

Filius Dei assumpsit naturam humanam, ad eundem modum & hæc itidem locutio, *Filius Dei assumsit Angelos*, ad significandum Filium Dei assumpsisse naturam Angelicam, pariter dura videri possit. 2. Deinde, vix dicimus Filium Dei *assumpsit hominem*, quamquàm hominem factum tradat Scriptura, qui ergo Angelicam negatur assumpsisse naturam, cur non negatur potius *factus Angelus* 3. quàm *Angelos assumpsisse*? Denique, omnino Apostolus ostendit vers.17. Christum oportuisse per omnia nobis esse similem, hac ratione *quod non assumpsit Angelos, sed semē Abrahæ*: atque si ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος ἀβραάμ, est *assumere naturam humanam*, idem videbitur probasse per idem: Nam *fieri similem per omnia nobis*, & *assumere naturam nostram* non videntur re, sed verbis tantum differre. Quod si ἐπιλαμβάνεται pro ἀντιλαμβάνεται ponitur, omnia quadrant, vt hæc sit mens Apostoli, Christus non venit redempturus Angelos, sed homines, itaque oportuit Christum hominibus esse similem, fratribus nimirum suis. Iam si quis quærat cur σπέρματος ἀβραάμ nomine eos quos Christus redemit designet, id expedit Paulus, qui duplex statuit Abrahami σπέρμα; in quorum altero etiam Gentes censentur, nempe qui ex Gentibus credunt. Atque hac locutione eo lubentiùs vsus est huius Epistolæ author, quod ad Hebræos scribit, qui se Abrahami filios gloriabantur. Pertinet nimirum ad laudem Abrahami quod *pater* dicitur *omnium credentium*, siue Iudæi sint, siue Gentiles.

Semen Abrahæ sunt credentes.

Aliorum de hoc loco sententia.

Verum enimuerò locus hic plerisque omnibus aliorsum videtur spectare. Nam verbum ἐπιλαμβάνεσθαι ad naturæ assumptionem in personæ vnitatem retulerunt, his (vt videtur) adducti rationibus, quas hîc bona cum eorum veniâ, & pace omnium expedemus. 1. Primùm igitur id videtur eos mouisse quod ἐπιλαμβάνεσθαι propriè non significat *opitulari*: Quod quidem verum est, at nec *assumere in personæ vnionem* propriè significat: quin ἐπιλαμβάνεσθαι propriè est *apprehendere*, *saisir*, linguâ Gallicâ: vnde factum est vt etiam *opitulari* significet, Syracides cap.4.12. Καὶ ἐπιλαμβάνεται (sapientia nimirum) τῶν ζητούντων αὐτήν, *opitulatur quærentibus ipsam*: nam qui in summo discrimine versantur, vel qui se iam vltrò in perniciem coniecerunt, eos si fieri potest injectâ manu asserimus. Ergo non sine quâdam elegantiâ traductum est hoc verbum ad id significandum quod sub finem versus præcedentis ἐπαναζαι vocauit. Et certè Paulus verbo καταλαμβάνειν non magis propriè vsus est, *Persequor* (inquit) *vt apprehendam, cuius etiam rei causâ* κατελήφθην *apprehensus sum à Christo*: Et verbo προσλαμβάνεσθαι cap.14. Epistolæ ad Rom. *eum verò qui fide infirmus est* προσλαμβάνεσθε *assumite*: quorum neutrum opitulationem ἐμφατικώτερον significat quàm ἐπιλαμβάνεται.

Ref. 1.

2. Deinde verò assumptionis naturæ humanæ in vnitatem personæ actio momentanea, non continua fuit, itaque eam Apostolus paulò superiùs verbo præteriti temporis μετέσχε significauit, cuius hæc est vis vt duarum naturarum vnionem aptè designet; non enim merus homo μετέχειν naturæ humanæ propriè dici possit, (itaque Apostolus dum meminit τῶν παιδίων non dixit eo μετέχειν, sed κοινωνεῖν αἵματος καὶ σαρκός) at opitulandi actio Christi continua est. Cæterum actio continua nullo tempore conuenientiùs quàm præsenti repræsentari potest, Nam sicuti in linea fingunt puncti productionem, sic in temporis continuatione fingimus promotionem quandam præsentis, quod quale sit præter id quod νῦν vocant, animo capi non potest. Hæc igitur causa est cur ἐπιλαμβάνεται dixerit Apostolus, non verò ἐπελάβετο. Nam quod doctissimus Interpres, dum id refert ad assumptionem naturæ humanæ, mentem ait Apostoli fuisse hoc pacto rem veluti præsentem nobis ob oculos sistere, videtur paulò coactiùs, non est enim is Apostolorum mos; neque enim docent vspiam Christum nasci, sed natum esse, Christum pati, sed passum esse, Christum resurgere, sed resurrexisse, (& suprà Apostolus non dicit Christum μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος in præsenti, sed μετέσχεν in Aoristo) At cùm de fructu mortis Christi agitur, quod is sit continuus, & perpetuus, omnino nil est quod eos iure prohibere potuit quominus verbo præsentis temporis vterentur.

Except. Resp.

2 Ratio. Alterum quod eos in hanc adduxit sententiam, id videri possit, quod non dicit Apostolus Christum ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν ἀγγέλων, sed ἀγγέλων, vt mens ipsius fuerit negare Christum aliquid Angelicum assumpsisse: Sanè Syrus Interpres hæc verba interpretatus est נסב מן מלאכא *sumpsit de Angelis*. Sed hæc ratio parum est firma, nam & supra Christus dictus est *factus minor Angelis*, παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένος: & vers.5. cap.1. *Non enim Angelis est dictum*, ἀγγέλοις scriptum est, non τοῖς ἀγγέλοις, cùm tamen vtrobique personæ, non natura significentur. Syrus verò Interpres more suo locum ambiguæ interpretationis ambiguè vertit: certè eius interpretatio tam huic quam attulimus, quàm diuersæ fauet: nempe huc redit, Christum neminem assumpsisse ex Angelis, sed Abrahæ semine.

Ref.

3. Ratio. Tertiò negant opus fuisse vt Apostolus nos moneret Christum non opitulatū fuisse Angelis, quis enim eâ de re dubitet? Sed pari ratione regeri potest, quid opus fuit vt moneremur Christum non assumpsisse naturam Angelicam? nam & id quis ponat in dubio? Nec est quod quis hîc excipiat dubitatum aliquādo de naturâ Christi quam assumpserat. Nam vt id omittam quod nemo vnquam exstitit qui alterā naturam Angeli naturam dixerit; pariter dubitatum est an Redemptio Christi non pertinuerit ad Angelos: cùm alij docuerint Christum Angelis acquisiuisse beneficium confirmationis, alij Christi redemptionem etiam ad Diabolos & damnatos pertinere voluerint. Sed hîc multis verbis non est opus, sic enim loquimur, *sanis non est opus medico, sed ægris*, quisquam ne est qui hîc quærat quorsum attinuerit monuisse sano non opus Medico, quasi verò id dubium cuiquam esse possit. Alij sunt qui contendunt Christum opitulatum esse Angelis, itaque fore vt Apostolus negarit quod res est, si ἐπιλαμβάνεσθαι significat opitulari. Hîc iam non disputamus quomodo Christus Angelis opitulatus sit, an quâ Deus est, an quâ Mediator, absit enim vt vlla creatura quantùuis eximia sit, sine Christo ope vel quâ Deus est, vel quâ Mediator, existimetur vel ad punctū temporis posse stare, sed quemadmodum non omne Christi beneficium dicitur *salus*, sed *salus* ea demum est quę perditis obtingit, sic non quæuis opitulatio verbo ἐπιλαμβάνεσθαι designatur, sed ea tantummodo

Ref.

An & quomodo Christus sit opitulatus Angelis.

quæ fit iniecta manu, qualem Iudas describit, *alios verò* (inquit) *seruate, ex flamma rapientes*, qui sic opitulatur ἐπιλαμβάνεται. Vno verbo, ἐπιλαμβάνεσθαι ad eos pertinet qui crediderunt, & qui manu prensi erigendi sunt ex lapsu.

4 Ratio. Quartò, fortasse eos & id mouit quod versu sequenti colligit Apostolus debuisse Christum similem fieri fratribus, non enim ista videntur conuenire, Christus opitulatus est semini Abraham, ergo debuit esse similis fratribus suis. Imò verò hæc bellissimè quadrant, nam vt iam à nobis explicatum est *semen Abraham* sunt credentes.

Ref. Porrò soli credentes sunt Christi fratres (vt annotauimus cùm versum vndecimū interpretaremur) in quo docet Apostolus *sanctificatorem & sanctificatos esse ex vno*. Christus fratres suos seruat, ergo debuit esse illis similis, nè vel vt sit *misericors*, &c. Sic supra collegit, quoniā igitur παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, ipse similiter particeps est factus. Ergo παιδία, ἀδελφοί, σπέρμα ἀβραάμ, ἁγιαζόμενοι, iidem sunt *credentes*, qui παιδία dicuntur quia à Deo geniti sunt, ἀδελφοί non ob eam naturæ communionem quæ Christo cum impiis communis fuit, sed ob communionem naturę spiritualis, quæ cuiusmodi sit supra declaratum est: & σπέρμα ἀβραάμ, quod Abrahamus omnium credentium typus fuit & exemplar: Et denique ἁγιαζόμενοι, cùm Christus ἅγιος sit & ἁγιάζων, quod hæc sanctitas ad eorum naturam corruptam iam & deprauatam accessit aliunde. Hæc autem à nobis ita dicuntur, non vt eamus de industria vsu receptam celeberrimi viri interpretationem euersum, ea tantum quæ vtrinque dici possunt in medium afferimus, vt perpensis rationum momentis, sequatur quisque quod loco videbitur conuenientius, omnium iudicia libera sunto.

AD VERS. 18.

Quo sensu tentatio in Christum cadat, eique hoc loco tribuatur.

Tentatio Christi respectu. TEntatio cùm dicatur multis modis, hoc loco tamen intelligenda est ita vt nihil aliud significet quàm luctam animæ Christi aduersus omnis generis dolores & ærumnas: quæ lucta *tentatio* dicitur vel respectu Dei, (Dei.) quò referenda sunt illa Dauidis toties repetita, *proba me & proba sti me*, sunt enim magnificentiora quàm vt vlli mortalium propriè conueniant: vel respectu *Diaboli*, (Diaboli.) qui Christo studuit omnibus modis esse molestus, quo illud pertinet, *Princeps huius mundi venit, sed nihil inuenit in me*, Iohan. 14. 30. Ergo cùm dicit Apostolus πέπονθε, notat (vt loquuntur) *materiale* (materiale.) tentationum Christi, quod fuit dolor animi & corporis, non inordinatus ille qui est à peccato diffidentiæ, vehementissimus tamen: *formale* (formale.) verò notatur illo πειρασθείς. Nam quod perpessiones tentationes sunt, pendet id non à patiente, sed ab inferente dolorem. Atqui dolorum Christi duo erāt genera distinctissima, alterum (dolorum Christi al.) quod immediatè à Deo proficiscebatur, sine (à Deo.) vllius creaturæ interuentu, cruciatus nimirum animæ Christi; hactenus Christus à Deo tentatus fuit immediatè (Scholastici huius generis tentationem vocant *interpretatiuam*, fecit enim tum idem Deus quod homines solent facere dum tentant.) Alterum genus dolorum Christi (alii ab hominibus.) eiusmodi fuit vt à creaturis proficisci potuerit: Et hactenus item Christus à Deo tentatus dici possit, haud immediatè tamen. Cæterùm creaturæ quæ Christo molestiam attulerunt, vel spiritu Satanæ instigati, vel Angeli ipsi Satanę fuerunt. Harum tentationum respectu Christus à Diabolo, non modò à Deo, quamquam diuersissimo consilio, tentatus dici possit.

QVÆSTIONES IN CAP. III.

AD VERS. 1.

Qui mente Apostolus Christum vocet Ἀπόστολον *&* Ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν.

QVONIAM Politia Iudæorum censetur Mose & Aarone, vt 1. Samuel. 12. 6. *Dominus*, inquit, *qui fecit Mosem & Aaronem*, & Psal. 77. 21. & Psal. 99. 6. Moses autem Dei Apostolus fuit, hoc est, missus à Deo (vt ipse Exod. 3. testatur) ad liberandum populum, Aaron verò summus sacerdos ἀρχιερεὺς, & in Christianâ politia, hoc est in Ecclesia, nos oportuit vtrumque habere, Apostolum & summum Sacerdotem. (vt Moses fuit Apostolus & ἀρχιερεὺς sub Lege.) Hoc tamen discrimine quod in Politiâ Iudaicâ ista non fuerunt semper in vnâ eâdemque personâ coniuncta, sed diuisa, vt Moses propriè fuerit Apostolus, Aaron summus sacerdos, quamuis ante Legem datam vtrumque Mosi competebat; Nam Pascha primùm celebrauit tanquam sacerdos, & sanguine agni Israelitarum postes iussit aspergi, in quo vtrumq; fecit, quod erat ἀποστόλου, & quod erat ἀρχιερέως. (sic Christus sub Euang.) Nam *Apostoli* nomen generale est, neque hîc putet Christum vocari Apostolum ob officium Propheticum simpliciter: Sanè Christus est missus ad liberandum populum suum, *quemadmodum*, inquit, *misit me Pater, sic ego vos mitto*. En se Apostolum vocat. Quod verò dicitur *Apostolus* καὶ ἀρχιερεὺς, *nostræ confeßionis*, eo nihil aliud significatur quàm Christum eum esse ἀπόστολον & ἀρχιερέα quem nos confitemur, nos, inquam, qui in Deum per eum credimus, vt loquitur Petrus cap. 1. primæ Epistolæ, vt sit tacita antithesis inter ἀπόστολον & ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας τῆς ἐκ τοῦ νόμου, *eorum qui sunt ex Lege*, & ἀπόστολον & ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας τῆς ἐκ τῆς πίστεως, *eorum qui sunt ex fide.*

AD VERS. 2.

Quomodo Deus dicatur ποιῆσαι *Christum.*

FAcere משה linguâ Hebraicâ est etiam *ornare*, quoniam verò munus dignitatem affert & ornamentum, hinc fit vt *vocare ad munus* sit etiam משה, sic infra cap. 5. ꝟ. 4. 5. (Facere est vocare ad munus.) *Neque sibi ipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron, ita & Christus non sibi hunc honorem tribuit vt fieret Pontifex, sed is qui dixerat ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sic Deus dicitur *fecisse Mosem & Aaronem.* Atque ne res dubia sit, facit quod Act. 2. 36, ait Petrus, *Certò ergo sciat tota domus Israel hunc factum esse à Deo Dominum & Christum*, qui locus supra à nobis explicatus est. (Christo honos ex Munere accessit.) Sed quærat aliquis,

An ho-

An honos aliquis Christo accesserit cùm illi imponeretur munus Mediatoris, vt propterea עשי ornatus dici possit. Certè Apostolus notanter & exsertè sacerdotale Christi munus *honorem* vocauit: sed prompta & facilis responsio est, *honor* dicitur duobus modis vel *absolutè*, vt ea omnia honoris nomine censeantur quæ in se excellentiæ quandam rationem habent, vel considerari potest honor *relatè*, prout afficit personam, nempe illius dignitatem augêdo, atque ita quidem augendo, vt nisi tantum honoris accessisset, tanto indignior & vilior foret. Hoc secundo modo negamus Christum adeptum vllum honorē: quatenus, inquam, Deus est: priori modo facilè concedimus, quāquam quatenus homo est aliquid, imò plurimùm hactenus illi accessit. Quid igitur, inquiet aliquis, nū Christus quâ homo subiectum δεκτικόν fuit huius honoris? Minimè verò, inquam, sed tamen quia persona hoc honore prædita eadem homo fuit, imò verò & certas, quâ homo obiuit actiones ad hoc munus obeūdum necessarias, inde fit vt hinc humanæ Christi naturæ honos accesserit. Quanta autem sit muneris mediatorij dignitas vel hinc æstimari potest, quod (vt sæpè iam demonstratum est) diuinam sapientiam & potentiam requirit.

Cur Christi & Mosis instituerit Apostolus comparationem.

HIc repetenda est ab initio Apostoli disputatio. Dixerat superiori capite eo grauiori peccato contemni Euangelium quàm Legem, quod Lex ab Angelis fuerit promulgata, Euangelium ab eo qui Angelis superior sit: deinde verò quoniam contra facere videbatur Christi abiecta conditio in terris, & deniq; mors crucis ignominiosa & maledicta, id amolitus est prolato in medium vsu abjectæ illius Christi conditionis & mortis: hîc redit ad id quod instituerat. Et quia Moses Mediator Legis fuit, quemadmodum eleuauit contemptum Legis prę contemptu Euangelij dum præponit Christum Angelis, id ipsum hîc facit dum Mosem Christo postponit: neque enim expectandum est ab Apostolo vt Prophetis Christum præponat; non enim erant Mediatores quemadmodum Moses. Sanè Deuteron.18.18. *suscitabo*, inquit Dominus, *Prophetam* כמוך *sicut tu es, similem tibi*, hoc est, μεσίτην *Mediatorem*. Quomodo autem Moses Mediator fuerit quia fusè id & exactè, quoad eius à nobis fieri potuit, in Prælectionibus disputatum est, de eo nil necesse hîc agere.

An ex voce ὅλῳ *inferri possit nullum fuisse verè fidelem extra populum Israeliticum.*

CErtum est post Legem datam & cōstitutam politiam Iudaicam hâc illius populi prærogatiuam fuisse quę indicatur Psal.147.20. *Non fecit sic omni Genti*, &c. idque factum est vt in Israele secundum carnem typum haberemus Israelis secundùm spiritum. Nam quemadmodum cum solis Israelitis secundùm carnem pepigit fœdus, Deus extrinsecus in eorum solùm gratiam Legem tradidit inscriptam tabulis lapideis, sic cum iis solis qui sunt Israel in occulto (vt loquitur Apostolus) Deus intrinsecus fœdus iniuit, quod verò obsignat in eorum cordibus Spiritu suo, tanquam in tabulis carneis Legem suam inscribens. Haud negarim tamen fieri potuisse extraordinariâ quâdam ratione, vt Deus extra populum Israelis, Spiritu tamen & verbo suo, quosdam paucos (vocationis Gentium veluti in prę-ludium) vocarit ad fidem & pœnitentiam, sed illi pauci οἶκον tamen non potuerunt constituere qualis hîc describitur, in quâ certæ sunt leges, certi ritus. Vt in hanc propendeamus sententiam facit Cornelij exemplum, cui Spiritus Sanctus pij & religiosi animi testimonium perhibet, cùm tamen constet eum neque genere Israelitam, neque verò proselytum, quales fuēre qui professione Iudaicæ Religionis, & sacrorum Iudaicorum susceptione adoptiui veluti Iudæi fiebant. Nam si proselytus fuisset, quid opus fuisset vt ei Euangelium annunciaretur tanto molimine, vt Petrus id facere cœlitus fuerit iubendus.

AD VERS. 3.

Qua ratione Christus dicatur κατασκευάσας τὸν οἶκον.

ECclesia eadem domus est Dei & Christi, Deus enim Christi operâ eam condidit: quemadmodum mundus idem Dei & Christi opificium est, quandoquidem Deus per Filium suum mundum condidit: cæterùm operis & opificij diuersâ ratione, nam solo Dei nutu per Filium omnia sunt creata, verùm Ecclesiæ structura maioris fuit moliminis; oportuit enim Dei Filium naturam humanam assumere, atque in eâ peccata nostra expiare, Dei volūtatem non modò extrinsecus patefacere, sed mittere Spiritum Sanctum qui intrinsecus suos erudiret. Nam nihil opus est alio quàm Mose & Prophetis ad externam prædicationem, & quicquid illius solâ vi præstari potest. Cæterùm Ecclesia *Dei & Christi domus* dicitur, quia Deus per Verbum & Spiritum suum in eâ habitat, eam regit & gubernat.

AD VERS. 13.

Quid per τὰ πάντα *hîc intelligat Apostolus, an omnes omnino creaturas, an fideles tantùm.*

TA' πάντα eadem hîc sunt quæ capite 3. ad Ephes. quo loco Apostolus Deum ait condidisse omnia per Filium, & 2.Cor.5. *Vetera præterierunt, ecce omnia noua facta sunt.* Constructio enim Ecclesię, maximè postquam Christus ascendit in cœlum, faciem orcis terrarum renouauit. Etsi autem huius operis ἀποτέλεσμα vnicum fuit, tamen quia eò peruentum est multis & maximis rebus patratis, & veluti commoto cœlo terraque, vt est apud Prophetam Agg.2.7. τὰ πάντα multa illa & magna dicuntur, vt sit hæc Apostoli mens, quicquid in constructione Ecclesiæ factum est, id eiusmodi fuit vt ab eo solo qui Deus sit proficisci potuerit: qui omnia illa magna facit Deus est, hoc est, (vt ego quidem interpretor) Deum esse necesse est.

AD VERS. 5.

Quid significent ista εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων.

EXistimarim Apostolum hâc ratione Mosis ministerium à Christi munere distinguere; Nam Moses testis erat tantum voluntatis diuinæ, non diuini operis effector & patrator, at Christus nō testis modò diuinæ voluntatis, sed etiam author redemptionis nostræ fuit. Deinde, Moses nullo vero sacrificio oblato peccata populi expiauit, tantum institutis Dei iussu externis & carnalibus sacrificiis Christi spirituale & diuinum sacrificium, quo iustitiæ Dei cumulatissimè satisfactum est, præfigurauit, eóque Christ Euangelio testimonium perhibuit.

AD VERS. 6.

Quid sit παῤῥησία, καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος.

ITa quidem mihi videtur, παῤῥησία & καύχημα ἐλπίδος est spes quæ gignit παῤῥησίαν & καύχημα; παῤῥησίαν quidem apud Deum, καύχημα aduersus ea omnia quę terrorem nobis possunt incutere. *Iustificati*, inquit Apostolus, *fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam habuimus aditum in gratiam hanc per quam stamus* (hæc est παῤῥησία *libertas*) *& gloriamur sub spe gloriæ Dei*, hoc est καύχημα illud. Vtriusque exemplum illustre habemus ad Rom. 8. *Nouimus*, inquit Apostolus, *iis qui diligunt Deum omnia simul conferre ad bonum, &c.* (en παῤῥησίαν) *quid igitur dicemus ad hæc? si Deus est pro nobis, quis contra nos? quis intentabit crimina aduersus electos Dei? quis condemnabit? quis nos separabit à charitate Christi?* (en καύχημα *gloriationem*) *nam mihi persuasum est neque mortem, neque vitam*, &c.

AD VERS. 6.

An de Christo, an de Deo accipiendum sit.

CVm Apostolus doceat Christum pręesse domui vt filium, constat Christum suæ domui præesse, quamquam Patrem agnoscat, qui nempe eum præfecit. Itaque præstat vt ad vtrumque referatur Patrem & Christum, seruata tamen τάξει quam requirit œconomia adhibita in Ecclesiæ domo hâc construendâ & constituendâ. Nam certè, *Tu es Petrus* (inquit Christus) *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ergo Ecclesia Christi ædificium est, proindeque & Christi domus appellari meritò potest.

AD VERS. 7.

Quàm aptè accommodetur locus Psal. 95. ad institutum Apostoli.

LOca Veteris Testamenti in Nouo Testamento quatuor modis adhibentur, vel vt prædictiones, vel vt in quibus agitur de typis, vel ad modum allusionis, vel vt quę continent dogmata & præcepta eiusdem generis, imò verò eadem re cum iis ad quæ confirmanda in Nouo Testamento accommodantur. Ergo quæri videtur quonam tandem horum modorum hic locus accommodetur ab Apostolo ad institutum & receptum est iam ab omnibus quod sciam, quarto modo hunc locum esse accommodatum, vt fuerit hæc mens Apostoli, quod olim Spiritus Sanctus fecit, qui quandiu tempus erat ne indurarent corda homines hortatus est, id ipsum nos hodie facimus. Quæ ratio, si nil aliud subesset, expedita & facilis foret, sed videtur Apostolus aliquid innuere altius & subtilius. Argumento sit quod cap. 4. ℣. 7. scriptum est, *rursum quendam præfinit diem*, &c. quod si *hodie* (vt vulgo accipitur) totum vitæ tempus significat, quorsum pertinent illa, *quendam præfinit diem?* Deinde, non videtur idonea reddi posse ratio, cur ex hoc loco Apostolus probare instituerit superesse nouam requiem præter terram Chanaan, si *hodie* σήμερον vitam hanc notat: hoc enim pacto æquè ex quâcunque aliâ hortatione ad fidem & pœnitentiam idem colligi potuisset. Vt verò Apostolus hæc duo collegerit ex hoc loco cùm ventum erit ad cap. 4. conabimur demonstrare.

Nostra igitur sententia est hanc esse prędictionem, *prædictio* autem nobis hoc loco est sermo de re futurâ, quocumque tandem modo enuncietur. Et voce σήμερον haud dubiè intelligendum est tempus quod vocatur à Prophetis אחרית הימים, Apostolo ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, item πλήρωμα τοῦ χρόνου, id autem Messię exhibiti tempus est, quod Iudæi vocant עולם עתיד & העולם הבא: quanquàm illa nomina ad secundum Christi aduentum etiam à Iudæis referantur, ab Apostolo autem constanter & solummodo. Ergo Psalmus 95. Propheticus est. Id quod quatuor argumentis aduersus Iudæos probari & euinci potest; quorum primùm hoc sit, Hortationes emphaticæ crebrò & sine interuallo repetitæ, quarum argumentum nullum ducitur ab vllo præcedenti Dei beneficio, sed ducuntur à Maiestate Dei, Dei bonitate, ad tempora Mesiæ pertinent propriè: nempe quia pertinēt ad omnes omnino gentes, quæ sola ratio est cur reticeantur benefacta particularia. Secundum Argumentum, Quod hîc certi temporis mentio fit, quod alibi in Veteri Testamento nunquam est factum. Tertiò, hortatur Propheta populum ne imitentur eos qui in Meriba præbuerunt sese incredulos; Cur hoc exemplo vsus est? (nam certè alibi aliis vtitur exemplis) nempe quia à simili peccato: studet homines reuocare. Paruerat Mosi (vt quidem videbatur) populus cùm egressus est ex Ægypto & desertum ingressus, sed fractus tædio & molestia itineris, & solitudinis, atque egestatis (si rem humanitùs spectemus) rerum omnium, inde cœpit obmurmurare, & grauiter ferre excessum ex Ægypto: vnde factum est vt exciderint promissione quam videbantur amplexi, neque enim aliam ob causam egresi sunt ex Ægypto. Quod dici potest peccatum huic simile, præter eorum peccatum qui excitati voce Euangelij, quâ vita æterna & regnum cœlorum credentibus promittitur, egrediuntur ex sæculo, dant nomen Christo, adjungunt sese Ecclesię, sed ærumnas, & crucem, & continentiam, atque abstinentiam earum rerum ad quas libido animi impellit haud ferentes, indignantur atque obloquuntur Deo, & planè faciunt quod fecerunt Israelitæ ad aquas Meriba. Quartò, sub finem Psalmi omnes Gentes

sententia communis de hoc loco.

Rejicitur.

alia commodior.

defenditur aduersus Iudæos.

1.

2.

3.

4.

Gentes totâ terrâ excitantur ad Deum laudandum. Ergo intelligitur Ecclesia Noui Testamenti, quæ sola ex omnibus gentibus collecta est, proindeque hæc hortatio ad illius Ecclesiæ tempora, hoc est Messiæ tempora, propriè pertinet. Vnde facile colligi potest Dei quidem Patris, sed & Christi, hanc esse vocem de quâ hîc agitur. Est enim absurdum vt Dei populus iubeatur creaturæ vocem exaudire. Neque verò in tam vehementi exhortatione tam diluto elogio verbum Dei dehonestari debuit, vt *vox creaturæ* fuerit appellanda eo quòd creaturæ operâ traditum sit: quanquam extra hortationes id possit habere locum, vt cùm dicimus, *doctrina Pauli est verbum Dei*, &c. Hinc verò sequitur Christum esse Deum. Huc referendum est illud, *hic est filius meus, hunc audite.*

AD VERS. 10.

Quid sit πλανᾶσθαι τῇ καρδίᾳ.

OMnes homines aliquid appetunt per se, id quoties non est bonum, sed malum, in eo grauiter errant, nam boni vice malum appetunt, nec alia peccati ratio est. Deinde, error omnino mentis est, sed tamen pertinet etiam ad voluntatem, cùm nempe versatur circa ea quæ vel expetenda sunt, vel fugienda. Ergo καρδία hîc *mens* est, vt alibi passim.

Quæ sunt illæ Dei viæ, *& cur Israelitæ ideò culpentur quod eas non cognouerint.*

Dei viæ bifariam accipiuntur.

DEi *via* est quem dicimus vulgò *modum agendi* quem Deus probat; & duobus modis sumitur in Scriptura, primùm pro eo agendi modo quem Deus sequitur ipse, vt cùm dicitur *viæ Domini non sunt sicut viæ vestræ*: deinde, pro eo agendi modo quem vult nos sequi, tum via Domini est quam iubet & probat: *Viæ Domini* ergo sunt hoc loco præcepta Dominica. Ignorari autem dicuntur eadem ratione qua Stoici (etiam Aristoteles) aiunt improbos ignorare ὧν δεῖ ἀπέχειν, καὶ ὧν δεῖ ποιεῖσθαι, *quæ sint appetenda, & quæ sint fugienda.* Nemo enim prudens & sciens miser esse cupit, neque verò ideo excusandi sunt, non enim peccant ignorantiâ mediorum, sed finis, quæ ignorantia, teste conscientiâ, nullam habet excusationem. Itaque omnes Philosophi eam exagitant vt αἰτίαν μοχθηρίας *causam improbitatis*, eamque detestantur, tantum abest vt excusent. Et ratio est, quia non vitio objecti sed subjecti ignoratur, planè vt si quis in scientiis ignoraret principia: nisi quod illa cæcitas aliquando est ab hebetudine mentis, quæ à corporis morbo proficisci potest; ista non potest habere locum nisi in animo maligno & peruerso, est enim æstimatio vtilitatis aut voluptatis corporeæ præ eo quod honestum & sanctum est. Nam verè vtile, verè iucundum nihil est quod non sit idem sanctum & honestum, vel per se, vt finis, vel per accidens, vt medium cuius interuentu peruenitur ad finem.

Ignorantia τῶν ὁδῶν.

non excusat.

Ratio.

AD VERS. 13.

Quid sit indurare fraudi peccati.

FRaus peccati dicitur (vt supra πονηρία τῆς ἀπιστίας) *peccatum quod decipit.* Dicitur autem decipere peccatum quod sit apparens bonum (alioqui non appeteretur) cùm reuerâ sit malum: vnde etiam ἁμαρτία dicitur *aberratio.* Ratio autem huius indurationis hæc est, Euangelium pollicetur res æternas, Dei fauorem, consolationem Spiritus, sed hæc inuisibilia sunt & futura, contra quæ in peccato sunt, præsentia sunt, & quia speciem habens vtilis & iucundi; etiam honesti, sed conuenientem prauitati iudicij, facit vt contemnamus Euangelium quemadmodum Esauus primogenituram. Hoc contemptus induratio est.

AD VERS. 14.

Quid sit fieri Christi participem. *Et an aliter quam fide Christi participes reddamur.*

ANte omnia tenendum est hæc verba ita esse hoc loco accipienda atque illa Christi, *Si vosmet inuicem amaueritis mei discipuli eritis*, vt loquuntur in Scholis non *formaliter*, sed *interpretatiuè*, seu *declaratiuè*, hoc est, vt non intelligatur tum demũ fore vt Christi compotes reddamur postquam perseuerauerimus, sed id tum demum ipsâ experientiâ & factis comprobatum iri. Nam cùm sine Christo nihil possimus, & multo maximum sit, proindeque & difficillimum, opus perseuerare, absurdum foret putare à quoquam id præstari posse qui Christo non fuerit prius insitus, palmes scilicet veræ viti. Cæterùm quod quæritur quid sit *Christi esse participem*, &, an sola fide id perficiatur, vnica responsione explicari potest, Christi enim participatio duabus potissimum in rebus sita est, vt ius veluti in Christum habeamus, deinde, vt fruamur Christo, quorum prius fide obtinetur, posterius communicatione naturæ Christi: *naturam* voco ingenium veluti Christi, quod sit renouatâ nost. â naturâ per Spiritum Sanctum. Deinde etiam *naturam Christi* voco beatam & gloriosam immortalitatem, quæ per eundem spiritum in nobis habitantem vobis obtingit, teste Apostolo cap. 8. ad Rom. Ergo cùm nomine *participationis* intelligitur ius quod habemus in Christum, quærentibus quomodo participes reddamur Christi, respondendum est, fide: cùm verò *participationis* nomine intelligitur nostra Christi, vt ita dicam, fruitio quærentibus quę sit ratio huius participationis, respondendum est, communio eiusdem spiritus, quâ fit vt (teste Apostolo 1. Cor. 6.) reddamur *vnus spiritus* cum Domino, quemadmodum vxor & maritus *vna caro.*

Christi participatio duplex.

applicatur definitio.

Faciamus igitur maritum esse qui possit vxorem per omnia sibi similem reddere, communicans cũ vxore ingenium, dotes animi, vires, speciem corporis, dixerimus vxorem mariti cõpotem factam, qua ratione? primùm fide data quâ nititur pactum coniugale, sed hæc participatio moralis est, vt ita loquar: deinde verò eo quod mariti operâ (eò quod maritus est) per omnia

Simili illustratur.

(hoc dempto quod est vxor) marito similis facta est. Hoc exemplum foret nostræ Christi participationis. Nam conjunctio corporum tum duntaxat requiritur cum vel conducit ad necessitatem (vt in naturâ, quia omnis actio est per contactum, necesse est corpora iungi, vnde fit vt vacuo non sit locus) vel conducit ad speciem, nam ex situ & coniunctione corporum oritur symmetria. Sed in nostri vnione cum Christo, neutrum horum fingi potest habere locum. Reliqua petantur ex Prælectionibus, maximè verò ex tractatu de Ecclesia, loco de vnione Ecclesiæ cum Christo.

Quid sit ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως.

Ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως dicitur quemadmodum καύχημα τῆς ἐλπίδος, & cap. 6.1. λόγος τῆς ἀρχῆς: nempe ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως est ὑπόστασις ἣν ὑπάρξατε ἔχειν, vel ἣν εἴχετε ἐν ἀρχῇ. Vno verbo *principium ὑποστάσεως*, est *ὑπόστασις quam cœperunt habere.* Johannes in Apocal. cap. 2. similem notionem aliter expressit *fac*, inquit, *prima opera*, quod nihil aliud est quàm *pergite vti cœpistis*. Ergo teneamus modò quid sit ὑπόστασις res erit liquida. Est autem ὑπόστασις vocabulum quo LXX. Interpretes reddiderunt hebraicum תוחלת quæ vox *expectationem, spem, fiduciam* significat: nam ὑφίστασθαι est subsistere, non trepidare, non commoueri, sustinere impetum & impressionem statu immoto & inconcusso: sic Latini dicunt *subsistere aprum*, ὑφίστασθαι κάπρον Græcè; & ὑφίστασθαι πλέμιον: in quo duo requiruntur, primùm intentio oculorum quod pertinet ad expectationem, deinde status firmus & immobilis, nempe vt ne ingruentia & aduersa nos occupent & dejiciant, & vt optata ne præterire sinamus, sed amplectamur auidè, illud interim dantes operam, vt ne præcipites impatientia constitutum tempus acceleremus irrito & infelici conatu, sed (vt docet Scriptura) possideamus animas nostras in patientiâ, & ad Prophetę exemplum, expectantes Dominum (vt vt in speculâ exploratores & vigiles) stemus. Hæc est ὑπόστασις fidelium.

Quid sit ὑπόστασις.

Cur non idem stadium omnibus proponatur decurrendum, cùm tamen omnium eadem sit merces.

Ratio est in promptu. Merces hæc non est propriè *merces*, sed (vt alibi docuimus) *donum*: Domino autem licet de suo facere quod ipsi libet. Itaque in parabolâ tantundem lucrati sunt qui minimum quàm qui plurimum in vineâ laborarunt.

AD VERS. 15.

Quid sit ἐν τῷ λέγεσθαι.

Puto ἐν τῷ λέγεσθαι esse quod Hebraicè diceretur באמר, hoc est, *quandoquidem dictum est*, & cohærere ista cum ℣. 13. nam illa *Christi enim facti sumus participes*, interjecta sunt & inclusa parenthesi, integra sententia hæc fuerit, *Exhortamini alij alios quotidie, quandiu appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur fraude peccati (Christi enim participes facti sumus) quandoquidem dictum est, hodie si vocem eius audieritis*, &c. Ergo & illud ἐν τῷ λέγεσθαι non referendum est ad tempus, sed simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν accipiendum; nam tempus illis verbis designatum est significanter, *quoad appellatur dies hodiernus*, nihil vt opus fuerit eiusdem rei, & quidem in proximo, tam obscura repetitione.

QVÆST. IN CAP. IV.

AD VERS. I.

Quid sit καταλειπομένης ἐπαγγελίας.

Qværendi ratio est quod dubium est, an καταλείπεσθαι hoc loco sit *deseri*, atque ad incredulos referatur & contemptores gratiæ diuinæ (quo sensu ἐπαγγελία *promissio* positum foret pro *re promissa*, quemadmodum *spes* & *fides* in Scriptura non rarò eas res significant quæ creduntur & sperantur) an verò καταλείπεσθαι hoc loco significet *superesse*, & ad Deum referatur, vt sit totius sententiæ hæc summa, *Cùm reliqua sit, cùm supersit noua quietis promissio, caueamus ne quis nostrûm eâ semetipsum frustretur, defraudet.* Atque hic posterior sensus verbis & scopo Apostoli potiùs conuenire videtur, id enim est quod instituit probare, quodque concludit adeò vers. 9. *Itaque reliquus est Sabbathismus populus Dei.* Ergo καταλειπομένης ἐπαγγελίας non videtur esse *derelectâ*, seu *desertâ promissione*, sed, *cùm reliqua sit*, *cùm supersit promissio.* Nam promissioni terræ Chanaan; & illius quietis quæ eius terræ possessionem comitabatur, nullus iam locus est reliquus. Ergo vel nulla quies superest piis, vel nouam oportet superesse promissionem.

AD VERS. 2.

Quomodo Israelitæ fuerint εὐηγγελισμένοι.

Qvemadmodum duplex est in Scriptura ἱλασμὸς *propitiatio*, sic duplex est εὐαγγελισμός. Est propitiatio *typica*, ceremonialis, & propitiatio *realis*. Illa peragitur aspersione sanguinis taurorum & hircorum, hęc aspersione sanguinis Christi. Sic duplex est Euangelium, *typicum* seu *carnale*, quod nihil aliud fuit quàm promissio terræ Chanaan, quam quotquot crediderunt non continuò necesse est crediderint ad salutem in Deum (quemadmodum neque fides miraculorum saluifica est) & est Euangelium *spirituale* seu *reale*, promissio de vita æterna. Iuxta priorem Euangelij rationem Israelitæ fuêre εὐηγγελισμένοι in Ægypto & deserto, vt esset is εὐαγγελισμὸς typus nostri εὐαγγελισμοῦ. Quemadmodum igitur contemptores istius εὐαγγελισμοῦ *typici* exciderunt iure adeundi terram Chanaan, sic contemptores *veri* & *realis* Euangelij excludũtur regno cœlesti. Hoc tamen inter hæc discrimen interest, quod contemptores Euangelij *typici* nonnulli resipuerunt, at contemptores Euangelij, quales hâc Epistolâ describuntur, non contingit resipiscere. Deinde qui *typicum* Euangelium contempsêre, etsi resipuerunt, tamen non introducti sunt in terram

Euangelium typicum, reale. applicatur distinctio. Discrimẽ.

terram Chanaan, at si posset quis contemptorum Euangelij inducere in animum vt resipisceret, dubium non est quin ei pateret regnum cœleste. Cuius rei hæc est ratio, quod Deus (vt exemplum esset illustrius) eo quod contemptores Euangelij *typici*, etiam pœnitentes, exclusi sunt ex terra Chanaan, figurari voluit quàm sit misera illorum conditio qui Euangelium, quod semel amplexi fuerunt, aspernantur. Simile habemus exemplum in Esauo, quem etsi spretæ primogenituræ pœnituit, eam tamen non est consecutus, vt extaret typus conditionis eorum qui cœlestem Patris cœlestis benedictionem aspernantur.

ratio discriminis.

Quid sit ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς.

EGo simpliciter existimem λόγον τῆς ἀκοῆς esse λόγον ὃν ἤκουσαν: neque dubito quin alluserit ad præconum consuetudinem, qui præconij initium faciunt solenne illud ἀκούετε λαός. Quod & Prophetæ solebant, vnde illa *Audi Israel*, *audiat domus Dauid*, itaque verbum Dei Hebraicè dicitur etiam שמועה: & hinc ἀκοὴ πίστεως, & λόγος πίστεως, & ῥῆμα τῆς πίστεως pro eodem sumuntur Rom. 10.

Quid sibi velint illa μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι.

COmplutensis editio habet μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι: quam lectionem eo repudiauit Doctissimus Interpres quasi nullum funderet sensum. Atqui si hæc vera lectio est sensus apertissimus est, non *profuit illis promissio terræ Chanaan quòd non essent admissi & conjuncti per eiusdem fidei communionem cum iis qui obediuerunt*, nam ἀκούειν in Scriptura non modò est *audire*, sed *obedire*, *Audi Israel*, hoc est *obedi*, *sis dicto audiens*. Hoc pacto συγκεκραμένοι hoc loco fuerint quos alibi Scriptura vocat σύσσωμοι *qui in idem corpus coaluerunt*, Ephes. 3.6. id quod fit eiusdem promissionis, eiusdemque fidei participatione. Sed recepta lectio retinenda potius videtur, pauci enim fuerunt quibus datum est promissionem quam amplexi fuerant firmiter tenere.

1. lectio. eius mens.

2. lectio præferéda.

Itaque superest quærendum, quo sensu λόγος *promissio* non dicatur fuisse συγκεκραμένος, *temperata*, *mista fide*. Cuius Metaphoræ duplex ratio reddi potest. Verbum Dei animæ cibus est, cibus autem non iuuat, immo tantum abest vt alat, vt contrà noceat, quamuis non per se & ex naturæ instituto, si corpus malè sit affectum: Ergo requiritur in corpore, vt cibus alat, facultas quædam, illa nempe quam Physici *concoctricem* vocant. Et hîc planè eodem modo se res habet, Verbum Dei non prodest nisi anima fide, veluti facultate concoctrice, prædita fuerit. Verumtamen (vt dicam ingenuè quod sentio) hæc Metaphora dura admodum videtur: Non enim cibus admiscetur facultati concoctrici, sed substantiæ corporis, neq; verò etiam verbum Dei fidei admiscetur. Ergo alia Metaphoræ ratio adhibenda est: Nisi cibus ita coquatur & condiatur vt nequeat vel respui, vel non concoqui, non conducit ad alendum, id verò fit aliquid admisceas. Ita planè nisi verbum Dei ita condiatur vt respui nequeat nullum profert fructum, fructum, conditur autem dum Deus adjungit, admiscet donum fidei. Itaque πίστις hoc loco consideratur non cum ea σχέσει quam habet ad homines, quomodo significat actum credendi ab homine profectum, sed vt Dei donum: vt sit sensus idem quem aliis verbis expressit Moses, Deuteronom. 29. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens*. Eadem notione Apostolus negat *fidem esse omnium*, 2. Thessal. 4. nempe negat Deum id omnibus indulgere vt credant. Huc etiam illud referendum est, *Paulus plantat, Apollos rigat, Deus dat incrementum*. Ergo sententia plana est, *non profuit iis sermo, eo quod non fuit conditus dono fidei*.

ratio Metaphoræ. 1. sed durior. 2. cómodior.

AD VERS. 3. 4. vsque ad 12.

Quæ sit ratio quietis septimi diei & quietis in terra Chanaan ad se inuicem, & vtriusque ad piorum quietem in cœlis.

QVies septimi diei, & quies in terra Chanaan, quietem in cœlis figurabant: Ergo eandem habent ad se inuicem rationem, quam vnius eiusdemque rei imagines ad se inuicem habere solent. Hæc est vna sabbathi & quietis in terra Chanaan inter se conuenientia. Sed est & alia, non enim duntaxat eo conueniunt quod vnam eandemque rem significant, sed præterea quadam similitudine. Nam quemadmodum perfecto sex diebus vniuersi opere Deus, veluti defunctus omni labore, septimo demum die quieuit, sic Israelitarum labor ab exitu ex Ægypto vsq; ad introitum in terram Chanaan vno & quadraginta annis demum exantlatus est, hoc est sex annorum septimanis. Nam si rectè calculum ponamus, ante iusiurandum illud Dei quo exclusi sunt possessione terræ Chanaan qui exierant ex Ægypto omnes præter Iosue & Caleb, vnus annus interfluxerat: Atqui Deus eo iureiurando denunciauit fore vt totos quadraginta annos errarent in deserto, & verò caderent computrescerentque eorum cadauera, ne mortuis quidem vlla spe relictâ vel sepulturæ in terrâ Chanaan. Quies ergo in terra Chanaan secuta est laborem quadraginta vnius annorum, hoc est sex hebdomadum. Iam satis liquet septimum diem typum esse quietis in cœlis, eo primùm quod nulla dari potest ratio cur dictum sit tam disertè, *Deum quieuisse die septimo, sanctificasse diem septimum*, cùm dies dici non præstet (docente Apostolo & reipsa comprobante) nisi quod eo mysterium aliquod significatur. Quod etiam à Judæis obseruatum est, nam & illi docent quietem septimi diei typum esse quietis sæculi futuri.

ratio ad se inuicem. 1. 2. septimus dies typus quietis cœlestis.

Quod si quis requirat, quæ sit horum vtriusque typorum conuenientia cum re figuratâ, non est res explicatu adeò difficilis. Nam & Deus in piis dicitur *operari salutem*, & ipsi pij *salutem suam operari* dicuntur vno eodémque Scripturæ loco, Philipp. 2. 12. 13. Quemadmodum igitur Deus vniuersum hoc fabricatus est veluti per gradus quosdam, neque statim illud perfecit atque vnico momento, eandem hodiéque sequitur in piis operis sui perficiendi rationem. Perfectionem autē operis sequitur quies & gloria, itaque Adám septimo die, siue sub finem sexti diei, trāslatus est in paradisū à Domino. Memorabile

conuenientiæ ratio.

verò est & obseruatu dignum, quod disertis verbis apud Mosen est ויניחהו quod reddi potest, *& quiescere fecit eum:* sic opus sex dierum & quies septimi significant salutis nostræ opus, & gloriam quæ illius corona est, quatenus opus Dei idem est. Sed quia & nos operamur salutem nostram, & per multas & varias ærumnas patefacimus nobis aditum ad regnum cœlorum, opus fuit nouo typo, vt & hæc operis salutis nostræ, & gloriæ conditio adumbraretur. Is verò typus est Iosuæ & Calebi labor sex hebdomadum ab exitu Ægypti donec ingressi sunt in terram Chanaan, & quies quam tandem aliquando adepti sunt. Itaque Sabbatismus, cuius meminit Apostolus ℣.9. est piorum requies in vitâ futurâ; cuius quietis tamen primitias, & veluti arrham, in hâc vitâ iam acceperunt, dum consolationem spiritûs, & tranquillitatem animi in grauissimis, & cæteris mortalibus intolerandis calamitatibus persentiscunt, quemadmodum & reliquis septimanæ diebus non continuò laboratur, sed curis interponitur sæpè otium, ne fatiscant penitus qui laborant.

terra Chanaan typus cœlestis quietis.

Hinc efficitur opera quorum Apostolus meminit vers. 10. non esse peccata (quæ Apostolus vocat *mala opera, mortua opera, opera tenebrarum, fructus carnis*, &c.) sed laboriosa illa piorum opera, quorum ea est conditio, vt eò quod iis pij exercentur, dicantur iidem *certare, luctari, currere, militare & subigere* in pugilum morem *corpus suum*; cui generi nullus in cœlo locus est, in hâc vitâ ærumnosâ locus est, imò verò hæc vita non potest aliter exigi. Huc pertinet illud quod dicuntur *beati qui moriuntur in Domino, requiescunt enim à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos.* Profectò eandem rem *laborem* dixit & *opus*; dicitur autem *piorum labor & opus eos sequi*, eò quod non fuerit frustranea eorum lucta; *nos* enim *sequi*, id dicitur, quod ipsum etsi relinquamus, tamen fructum illius reportamus.

opera hic sunt ærumnæ.

Ad Vers. 12.

Quid sit ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.

SVnt qui λόγον τοῦ θεοῦ Christum interpretentur, nam primum appellatio ipsa cõuenire videtur, Christus enim dicitur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ antonomasticῶs, quibus de causis non est huius loci disputare, & alibi, quoad eius fieri potuit, à nobis explicatum est: deinde verò quod dicitur ver. 13. nulla res creata occulta in conspectu ipsius, quia ad personam propriè pertinet, efficere videtur omnino vt ὁ λόγος τοῦ θεοῦ hoc loco persona sit, proindeque & Dei filius Christus. Rursus altera ex parte nusquam dicitur in Scriptura Christus λόγος τοῦ θεοῦ nisi in scriptis Iohannis Apostoli, idque perrarò. Non sic Paulus, non sic reliqui loquuntur Apostoli: deinde, cur Epistolę huius scriptor, qui Christum, qui Dei filium exsertè nominat passim, hoc loco vocet λόγον θεοῦ? Denique, non videtur personæ conuenire vt dicatur *efficax, penetrantior quouis gladio ancipiti, pertingere ad diuisionem animæ & spiritûs*: quæ si personæ maximè tribui possent, tribuerentur tamen respectu alicuius actionis, atqui in hoc genere actio diuina est interna verbi prædicatio, primò igitur & proximè ista verbo Dei conueniunt.

videtur esse Christus.

sed potius est prædicatio verbi.

Hæc cùm ita se habeant quæstioni locus est, quid sit hic ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Quæ vt definiatur expendenda vis est coniunctionis γὰρ *enim*; notat haud dubiè rationem subjectam iis quæ præcesserunt, atqui præcessit dehortatio à contemptu Euangelij, cuius hæc ratio inter multas affertur ab Apostolo, quod qui Euangelium contemnunt quod semel fuerant amplexi (nam de huius generis contemptu hoc loco agitur) torqueri solent & angi conscientiâ, nempe spreuerunt agnitam veritatem: Etsi verò videantur ad tempus quiescere, quies illa stupor potius quàm quies æstimanda est, qualis est obrutorum vino & somno. Vulgatum autem est in Scriptura Verbo Dei iudicium tribuere, non enim ad nos pertingit sensus iudicij diuini nisi interuentu Verbi. Quod verò vers. 13. res omnes creatæ dicuntur manifestæ in conspectu ipsius, illud *ipsius* referendum est ad id quod sequitur in eodem versu, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, hoc pacto, *verbum Dei efficax est*, &c. *& is de quo nobis sermo est, Christus nempe, omnium rerum conscius est, etiam arcanorum animi.*

quod probatur.

solutio Obj.

Quid sit μερισμὸς ψυχῆς καὶ πνεύματος.

QVia Verbum Dei gladio comparauit, & gladij est secare & diuidere in partes, consequens erat cùm omnis verbi vis in anima exeratur, vt animam sectilem faceret: Et cùm partes animæ sint (etiam Aristoteles sic loquitur) mens & affectus *mentem* (quam Philosophi νοῦν vocant) πνεῦμα appellat, ψυχὴν verò *affectus*. Ergo verbum Dei in in mentem, in affectus agit potentissimè, & hæc actio ideò dicitur *sectio*, primùm quia sectione quæ clausa fuerunt & inuoluta aperiuntur & explicantur, deinde dolor infertur. Sed interim tenendum est sectionem vel medelę, vel etiam vindictæ causâ adhiberi, quorum vtrumque conuenit Dei verbo; nam apud humiles & qui sunt animo dejecto sectio hęc Verbi medela est, at apud contumaces & præfracto animo homines vitio est & vindicta.

Ad Vers. 13.

Quæ sit ratio Metaphoræ τετραχηλισμένα.

CRediderim Metaphoram esse petitam à re palæstrica: nam luctatores tum demum aduersarium dicuntur τραχηλίζειν, cùm obstricto collo ita versant vt objiciant spectatorum oculis nudum conspiciendum & retectum vndiquaque, id quod tum demum maximè fit, cùm eius ceruicibus inequitant. Certè apud Hesychium principem Grammaticorum τετραχηλισμένα exponitur γυμνά. Nam altera significatio τραχηλίζειν *demetere ceruicem* non conuenit huic loco.

QVÆSTIONES IN CAP. V.

Ad Vers. I.

Quid sit μετριοπαθεῖν.

MΕτριοπαθεῖν duo in se complectitur, quorum prius significatur voce μέτριος, nempe

quomodo ἐπιείκεια. ἐπιείκεια,

ἀπαθείας, & ἀγνωμοσύνης vnde oritur vel excusatio, ... si res poscat, purgatio; quæ virtus plerumque inde proficiscitur quod meminimus & nos homines esse, vnde fit vt de aliis non duriùs quàm de nobismetipsis statuamus: Alterum verò est συμπαθείας, cùm sensu alienæ miseriæ afficimur. Ergo vnico verbo ἐμφατικώτατα causa & effectum significantur, quid est igitur μετριοπαθεῖν? ὑπὸ ἀσθενείας τινὶ συμπάσχειν (nam ἀσθενὴς idem μέτριος est) alterius malis affici eo quod non rigidè & seuerè, sed humaniter & placidè, de aliis iudices, tanquam si tua ipsius res ageretur, vt qui te putes eadem conditione. Hoc verò est (vt loquitur Psaltes) השכל אל דל Psal. 41.1 Ergo inter Pontificem summum & Christum hoc interest, quod cùm agitur de nostris peccatis Christus συμπάσχει quidem nobis, at non μετριοπαθεῖ, quippe qui ipse peccato neque sit, neque fuerit vnquam, obnoxius, at in calamitatibus & ærumnis, & rebus aduersis, quibuscum nobis res est, hìc verò non modò συμπάσχει, sed μετριοπαθεῖ etiam Christus, vt pote qui tentatus per omnia fuerit, absque peccato tamen.

2.

Quid sit ἀσθένεια, &, quo sensu tam legali & typico quàm vero sacerdoti Christi tribuatur.

Ἀσθένεια hoc loco est procliuitas naturæ ad peccandum, quę Christo nullo modo conuenire potest. Itaque hactenus typus Christi summus Pontifex non fuit. Quod vt obseruaremus Apostolus monuit his verbis, πᾶς ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, nam Apostolus hìc tacitè opponit sacerdotem qui est ἐξ ἀνθρώπων sacerdoti qui est κατὰ τάξιν Μελχισεδὲκ Dei filius, nempe sacerdotem κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς sacerdoti κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, qui scilicet semetipsum per spiritum æternum obtulit. Etsi enim & is περίκειται ἀσθένειαν, attamen non est hæc ἀσθένεια vnde oritur ignorantia & aberratio, id est, peccatum: & quamuis afficiatur sensu alienę miserię, attamen hoc non eo facit quod & ipse obnoxius sit culpæ, cuius miseria pœna est: & quamuis sacrificium offerat, non tamen id eo facit quod sit peccator ipse. In quâ comparatione facile est videre in quibus conueniat, in quibus item disconueniat sacerdoti cœlesti cum terreno. Itaque Apostolus in redditione non quæcumque in protasi fuerunt Christo accommodat, vt liquet. Quod verò etiam ἀσθένειαν Christo tribuit, attamen id facit, & quidem disertis verbis, ita vt ἀσθενείας nomine nil aliud intelligi possit quàm naturæ infirmitas quam σαρκὸς nomine designauit (pura ab omni peccati labe.

AD VERS. 5.

An illa Patris voce filius meus es tu *Christus constitutus sit summus Pontifex.*

Minimè verò, sed tamen perhibitum est sacerdotio Christi hac voce testimonium; quemadmodum enim Christi resurrectione demonstrata est personæ Christi excellentia, vnde & *delaratus Dei filius* dicitur *ex resurrectione & iustificatus in spiritu*, sic etiam eadem ratione omnibus patuit Christum nullam partem muneris sui sibi assumpsisse. Quamuis si nihil aliud esset, hæc designatio personę Patris foret in hanc sententiam, *Christus non sibi sumpsit hunc honorem, sed Pater eum eo ornauit, is nempe qui ei dixit, filius meus es tu: quemadmodum & alio in loco dixit, tu es sacerdos*, quibus verbis Christus non constituitur sacerdos, dictum enim vtrumque pertinet ad Christi glorificationem, nempe quo refertur Psalm. 110. & Psal. 2. vnde hæc dicta sunt desumpta. Certè temerè inuadenti sacerdotium non dixerit Pater *filius meus es tu*; multò minùs, *tu es sacerdos*, &c.

AD VERS. 7.

Quid sit εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας.

Quid sit εἰσακουσθῆναι.

Εἰσακούειν apud LXX. Interpreres adhibetur ad interpretandam vim verbi הושיע *seruare* Psal. 55.18. Et certè hoc loco σώζειν & εἰσακούειν pro iisdem ponuntur; verba Apostoli sunt, *obtulit preces & supplicationes ad eum qui poterat ipsum seruare*, & paulò post, *& exauditus fuit:* quid aliud hoc sit quàm *& seruatus fuit*? iam *seruari ex metu* si non dicitur duriusculè, nec *exaudiri ex metu* duriùs dici videri debet, siquidem in Scripturâ pro iisdem vsurpatur vtrumque verbum. At verò *exaudiri ex reuerentiâ* pro *exaudiri pro reuerentiâ*, illud verò adeo durum dictu est vt nullum eius generis locutionis exstet exemplum. Nam quæ adferunt viri docti, aliena sunt, vt illa *non potuerunt loqui* ἀπὸ χαρᾶς, &c. nam ἀπὸ eo loco est *præ*, & notat causam veluti physicam, itaque nomen & verbum significant alterum causam, alterum effectum illius causę in eâdem personâ, non aliunde, sed intrinsecus, idque ad modum effecti physici, & consequentis vi naturæ: hìc diuersa ratio est, nam qui exaudiuntur propter reuerentiam, alienâ, nempe Dei, ope exaudiuntur, atqui inter reuerentiam & exauditionem aliquid intercedit, nempe Dei voluntas, beneuolentia, sapientia, vnde exauditio seu liberatio est propriè tanquam à causâ effectum.

Quid εὐλαβεῖσθαι.

Deinde, omnino conuenit scopo Apostoli vt εὐλάβειαν (quomodo sæpissimè sumitur etiã apud prophanos scriptores) *metum* interpretemur; nam præcesserunt illa, *obtulit preces & supplicationes* μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς; Certè qui nihil metuunt neque precantur, neque verò inter precandum exclamant, vociferantur. Sed quis fuit iste metus: nempe hortor futuri mali, quomodo Chirurgi manum exhorrescit ictum intentantis etiam is qui de exitu nil dubitat. Quomodo ergo exauditus fuit Christus? nimirum factus confirmatior; cuius rei historia exstat luculenta apud Euangelistas: Christus enim inquit, *tristis est anima mea vsque ad mortem*; item, ἤρξατο ἀδημονεῖν *cœpit inquietari, animo angi*; item sudauit, idque non vulgarem in modum, sed vt guttatim instar grumorum sanguinis sudor in terram deciderit. Deinde, Patrem rogauit vt calix ille auferretur, quo consilio nisi cùm exhorruisset? vt nemo possit satis mirari, vnde cuiquam venerit in mentem, vel leuiter tincto sacris literis, dubitare an Christus metuerit, quem Euangelistæ nulla fuit religio tradere ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Jam verò ἐκθάμβησις intendit significationem τοῦ θαμβεῖσθαι: quid sit autẽ θάμβος apud prophanos authores, &

Christi metus.

isque vehementissimus.

in Nouo Testamento, non est obscurum, nempe metum cum horrore.

Vnde ille metus.

Causa igitur huius metûs fuit doloris magnitudo, quem natura refugit citra peccatum, modò id fiat sine querelâ & obmurmuratione aduersus Deum: id quod à Christo diligenter cautum est illis verbis, primùm *si possibile est*, deinde & illis, *non mea voluntas fiat, sed tua*, nam quod in cruce dixit, *quare me dereliquisti*, etsi Græcâ & Latinâ phrasi dubitantis hæc verba posśint videri, at Hebraicâ tamen vehementissimè affirmantis sunt, itaque sensus est. *Pater tu me dereliquisti*. At inquiunt, qui id fieri potuit? nempe Deus duobus modis sese (vt ita loquar) nobis communicat, primò, sanctificando quatenus sanctus est, secundò, beando quatenus beatus est: atqui Christus non queritur se desertum à Patre quatenus sanctificat, sic enim agnosceret se peccasse: quomodo populus Dei queritur apud Esaiam cap. 63. 17. *quare fecisti errare nos*, &c. sed quod res est, queritur Christus auertisse Patrem radios gloriæ suæ, & nubem veluti interposuisse, quominus ea in Christo refulgeret.

Quid dere-lictio Christi.

Ad Vers. 8.

Quid sit μαθεῖν ὑπακοὴν, &, quomodo hoc possit Christo conuenire.

DVobus modis aliquid discitur διανοίᾳ & πείρᾳ, *mentis agitatione & experientiâ*: multa vero tenemus percepta & cõprehensa animo, quæ experiundo non didicimus, quam ad cognitionem cùm accessit sensus & experientia non intenditur cognitionis modus, sed noua species seu modus cognoscendi adjicitur priori; verbi gratiâ, mens piâ nouit optimè quid sit esse martyrem, & verò non detrectat martyrium, sed quùm martyrio fungitur tamen, discit obedientiam; nempe vt dixi πείρᾳ *experientiâ*, non quasi antea ignara fuerit officij. Vnde satis liquet vt Christo non conuenit didicisse obedientiam, nimirum διανοίᾳ (qui discendi modus à peccato est & ignorantia) cùm tamen Christo optimè conueniat obedientiam didicisse experiundo: qui modus discendi, neque peccatum, neque ignorantiam vllam (vt loquuntur) præsupponit.

Ad Vers. 13.

Quid sit λόγος δικαιοσύνης.

1. Ratio huius phraseos.

QVærendi ratio hæc est, quomodo dicantur ἄπειροι λόγου δικαιοσύνης qui tenent στοιχεῖα τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ. Posset vnico verbo responderi στοιχεῖα τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ dici *rudimenta religionis Christianæ*, quæ στοιχεῖα dicuntur ductâ Metaphorâ à re Grammatica, in qua initium fit ἀπὸ τῶν στοιχείων *ab elementis*, sunt autem elementa litteræ & syllabę, & voces singulares in quæ λόγος resoluitur; nempe primùm in voces, deinde in syllabas, denique in litteras. Consequens igitur fuit vt perseuerãs in Metaphorâ absolutiorem doctrinam λόγον, hoc est, *orationem* vocaret. Sed quoniam hæc non dicuntur continuò, nil necesse est huc deuenire, vere enim Apost. sunt, *qui lactis particeps est*, *est* ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης, vbi λόγος δικαιοσύνης eodem modo dictum videtur atque alibi *gladius*

2. aptior.

spiritûs: nam lactentes non vtuntur ratione: at ne quis illud interpretaretur seciùs, cùm idem sint adulti, adjiciendum erat *institue*, hac mente, *Quemadmodum similes sunt lactentibus, eo quod rudiori doctrinâ imbuti sunt, sic item & lactentibus similes sunt: quod in percipiendis principiis Christianæ religionis non ratiocinantur*, non iam dico *carnaliter*, id enim in vitio ponendum est, sed *spiritualiter*: *Volo* (inquit Apostolus) *vos esse pueros malitia, non autem sensu*, (1. Cor. 14. 20.) &, ὡς φρονίμοις λέγω· κρίνατε, ὅ φημι. 1. Cor. 10. 15. Ergo λόγος δικαιοσύνης hîc est quam σοφίαν Apostolus vocat & γνῶσιν. Quæ duabus in rebus videtur sita esse, primùm in percipienda ratione dogmatum Christianæ Religionis, deinde in collatione Veteris & Noui Testamenti, mysteriorumque explicatione. Prius illud autem vocatur γνωρισμὸν πολυποίκιλον σοφίας Θεοῦ, Ephes. 3. 10. secundum illud διανοίγειν καὶ παρατίθεσθαι, ἐκ τῶν γραφῶν Act. 17. 3. Quorum vtrumque egregiè præstitum est ab Apostolo in hac Epistola, & deinceps præstabitur. Nec verò aliud voluit cùm diceret περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, nam quod latebat in mysterio Melchisedeci statuit eruere & proferre in lucem.

Vnde ducta metaphora.

QVÆSTIONES IN CAP. VI.

Ad Vers. 1. & 2.

An omnia Christianæ Religionis στοιχεῖα hîc ab Apostolo enumerentur. Et, quo iure illis accenseatur manuum impositio.

HAvd equidem existimarim speciatim, hoc est disertis verbis, tradi omnia στοιχεῖα Christianæ Religionis, nulla enim hîc mentio fit Mediatoris Filij Dei, & Spiritûs Sancti: sed tamen ea crediderim dogmata exfertè notari, quæ in Ecclesia omnibus seculis etiam maximè rudibus scitu fuerunt necessaria. Neque verò dubium est initium prædicationis Euangelij sumi solitum ab his dogmatis: quemadmodum enim pictores initio operis lineamenta quædam ducunt crassa in speciem & obscura, quæ imaginis absolutissimæ sunt rudimentum, ita planè Apostoli primas conciones, maximè quas habebant ad Gentes, horum principiorum ambitu concludebant. Cuius rei illustre documentum habemus in primâ concione Pauli ad Athenienses, in quâ nullum traditur aliud dogma præter ea quorum hic meminit distinctè & speciatim Apostolus, hæc verò sola eâ concione continentur. Verumtamen quia Iudæorum diuersa ratio est, non est credibile Apostolos non statim initio docendi (cùm res esset illis cum Iudæis) non tradidisse doctrinam perfectiorem, in quâ scilicet mentio fieret, tum Filij Dei, & quidem crucifixi atque excitati à mortuis, deinde verò etiam Spiritûs Sancti, quæ illa formula designantur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*: Hæc Apostolus hoc loco βαπτισμῶν διδαχῆς, & ἐπιθέσεως χειρῶν nomine complectitur.

Ad Baptismum quod attinet res non est obscura, sed ambigitur quid hîc faciat *impositio manuum*.

Impositio manuum quid sit.

manuum. Mihi sic videtur, (quamuis in re obscura nolim quicquam temerè statuere) Baptisatis imponi solebant manus, quam impositionem sequebatur insignis quędam testificatio pręsentię Spiritûs, ita vt Baptismus rectâ ad Christum, sic ἐπιθέσεις χειρῶν ad Spiritum agnoscendum ducebat. Quod verò hæc *manuum impositio* non eiusdem est necessitatis cuius est Baptismus, quamuis rejici non debeat, hoc ideo fit quia Christus eam non præcepit, sed instituti fuit Apostolici. Deinde verò, adhibebatur in Baptisatis, quemadmodum ferè in ægris, vt esset rei extraordinariæ signum visibile, quę res quoniam cessauit, inde factum est vt signum non fuerit retentum, sed tamen non hærebat illud signum in re extraordinariâ, sed interuentu rei extraordinariæ ordinariam rem significabat. Quid igitur (inquiet aliquis) sacramentum fuerit? Haud quaquam: requiritur enim in Sacramento vt Christus id instituerit. Quid igitur fuit? ritus Apostolicus. Licuerit-ne igitur Apostolis ritus instituere in Ecclesia? omnino, absit modò (quod illi diligēter cauerunt) superstitio & molestia, quam *iugum* Petrus vocat Act. 15. id quod fit vel frequentiâ, vel difficultate ritûs. In summâ διδαχὴ βαπτισμῶν & ἐπιθέσεως χειρῶν (vt mihi quidem videtur) est doctrina specialis earum rerum quæ in Baptismo & impositione manuum initiandis & consecrandis erant cognitu necessariæ.

Βαπτισμοὶ cur in plurali dicti.

Βαπτισμῶν autem plurali numero (si coniecturę locus est) dictum puto, quia inter Iudæos frequentes erant Baptismi; hinc fit vt Baptismus Christi *Baptismi* fuerit appellatus: quemadmodum idem hic author Christi sacrificium θυσίας appellat Heb. 8. 23 Neque verò consequens est vt pari de causa dicendum fuerit ἐπιθέσεων χειρῶν, nam primò id nonnisi duriter admodum dici potest; deinde verò non fuit creber vsus ἐπιθέσεως χειρῶν vt Baptismorum apud Iudæos, nam ἐπιθέσει χειρῶν (quàm illi vocant סמיכת ידים) vix vtebantur nisi in dedicatione & consecratione personæ.

Quæ sit ratio connexionis ℣. 4. cum præcedentibus.

PVto hęc cohęrere cum initio cap. 4. atque hîc Apostolum redire vnde fuerat digressus.

An illi quos Apostolus describit ℣. 4. 5. & 6. aliquando excidant Dei gratiâ,

Temporaria & vera fides conueniunt nomine.

QVemadmodum titulus & elogium *credentium* tam iis tribuitur quibus obtigit fides temporaria, quam quibus datum est toto animo credere in Christum, propterea quod fides temporaria gradum quendam habet veræ fidei: sic qui temporariâ fide Christo adhæserunt tam dicuntur fuisse *illuminati, gustasse Dei Verbum, & virtutes futuri sæculi*, quàm qui reuerâ regeniti sunt. Atque hinc fit vt vtrumque verè dici possit, *qui illuminati sunt, &c. excidunt aliquando gratiâ*, & contra, *qui illuminati sunt nunquam excidunt gratia*, pro diuersitate graduum illuminationis. Neque verò hinc efficitur veram fidem non aliter differre à fide temporariâ quàm duratione, immo verò contrarium efficitur, nam quæ duratione solâ differunt, ea certè gradibus differre nihil necesse est; etenim albedo vnius horæ tot potest habere albedinis gradus, quot haberet si multos annos perdurasset. Præcipua difficultas est in assignāda

differunt duratione gradibus

diuersitate graduum: quâ in re nobis Christus præiuit, nam in Parabolâ sementis *temporarios* istos credentes similes fecit terræ, quæ superficiaria duntaxat est, vnde fit vt non habeat semen quò radices agat: Ergo credunt quidem temporarij isti πρόσκαιροι, sed leuiter & perfunctoriè. Id quod duobus argumentis probo, eo primùm quod securi sunt, neque sibi cauent, quemadmodum ij qui (vt ita loquar) animitùs crediderunt; deinde verò quod in precibus, in gratiarum actione, & officiis erga proximum admodum sunt remissi & languidi, itaque magnum discrimen est inter hunc fidei gradum, & eam quę dicitur verę fidei imbecillitatem: fides enim imbecilla est quæ sollicita est, quæ credentem non sinit esse animo elato, itaque excitat studium precum, & quidem anxium & intentum, id quod πρόσκαιροις, vel nunquam contingit, vel contingit rarissimè; vt hîc prouerbio locus sit, *vna hirundo non facit ver.* Vno verbo, quemadmodum Philosophi aiunt dispositionem & habitum differre, planè sic differt fides temporaria à verâ fide.

πρόσκαιροι nec sunt regeniti nec prorsus irregeniti.

Sed quærat aliquis, cui hominum generi isti temporarij accensendi sint, regenitis-ne, an verò irregenitis? non enim videtur dari posse tertium genus. Atqui responsio facilis est, neque regeniti sunt isti, neque etiam irregeniti; neq; verò consequens est tertium genus dari: quemadmodum qui ὁδὸν habet ad virtutem, neque inter virtute præditos, neque inter vitiosos collocādus est, neque verò (si propriè loqui volumus) tertium genus constituunt: Nam vt in Physicis *forma* species constituunt, in Ethicis *habitus* id ipsum faciunt: atqui non ferremus in Physicis sic disputantem, Embryon neque homo est, neque bestia, ergo datur tertium genus. Certè inchoata & imperfecta nullam speciem constituunt.

cur Apostolus fideles sic cōpellat, cum nunquam excidant.

Sed non videtur satis expeditum, cur Apostolus his verbis fideles compellat, siquidem iis nunquam cōtingit excidere. Hîc verò nos oportet meminisse quis sit Apostolorum in Epistolis mos, nempe vt communiter nullâ adhibitâ distinctione, vniuersos & singulos, tanquam eiusdem essent conditionis, compellare: verbi gratia, dum scribit Apostolus ad Corinth. ad Galatas, eò increpat promiscuè, cùm tamen non essent omnes promiscuè digni reprehēsione. Omnino ita hîc se res habet, quia inter Hebręos erāt non pauci qui ad hunc tantùm fidei gradum peruenerant, quò qui peruenerunt nōdum adepti sunt id fidei comolementum, quod qui assequuntur perseuerant, perinde agit ac si res illi esset cum omnibus Hebræis indiscriminatim. (Illud verò hîc obiter notandum est, πρόσκαιρους, & qui tandem ad veram fidem perueniunt, differre exitu & euentu, itaque promouendi sunt hortationibus ne sint πρόσκαιροι, quemadmodum fœtus qui ab ortu extinctus est differt exitu tātum ab eo fœtu qui ad perfectum statum animalis perducitur, cùm tamen non sit adeptus speciem & formam iam perducti fœtûs ad perfectum statum animalis) verbi gratia, *Examinate* (inquit Paulus) *vosmetipsos an sitis in fide vos ipsos probate:* omnes indiscriminatim Corinthios alloquitur. Quid? putabimus-ne Apostolum existimasse istam hortationem pertinuisse ad omnes Corinthios promiscuè? Minimè verò, sed erant omnes

tamen excitandi in eorum gratiam quibus excitari necessarium fuit.

ex verbis Apostoli non efficitur fideles posse excidere.

Atque hęc à nobis disputantur, non quod existimemus ex his Apostoli verbis colligi posse, actu excidere eos qui tales sunt quales, hîc describit, nam si verba vrgeantur nihil aliud colligi potest, quàm si exciderent quos tot donis locupletauit Dominus, ita demum fore vt nunquam resipiscant. Neque verò hæc denunciatio supervacanea, proindeque absurda videri debet. Sunt enim duo rerum genera quas Deus conseruat, vnum genus earum est quas conseruat interuentu cuiusdam instinctûs, vel naturæ, vel sensûs & appetitûs, sed bruti & rationis expertis: hîc certè hortationum nullus vsus est, sed tamen interuenit aliquid quod hortationum obtinet vicem, nempe vel absterrentur à nocituris, vel ad profutura suauiter alliciuntur objectu rerum fugiendarum & expetendarum. Alterum genus rerum quas conseruat Deus, est earum quæ ratione & voluntate prędite sunt, quas personas vocamus: & væ quidem rursus in duo genera diuidi possunt, vel enim constitutæ sunt non modò extra malum, verumetiam extra periculũ, propter lucis copiam, & tentationes remotas atq; è medio sublatas: Hic item denunciationes frustraneæ sunt, nullum habent vsum: cur enim horrêris vt sibi caueat à periculo qui illud iam nouit, cuiq; adeo nullum imminet periculum. Sed & personę sunt prędite mente, quibus non adest continuò tanta lucis copia, quique in mediis versantur periculis, vndique obsessi & oppugnati; has si Deus decreuit conseruare, interuentu rationis & voluntatis id facit (periculum enim est in genere morali) atqui id fieri non potest nisi subinde affusâ nouâ luce, quâ mens illustretur & voluntas dirigatur: lux autem ita est expetendi & fugiendi clara demonstratio, quæ in hoc statu non internis tantùm afflatibus, sed externis etiam hortationibus peragitur.

sed contrarium potius.

Tantùm ergò abest vt ex Deo quod Deus hortatur fideles ad perseuerantiam, iisquę exitium interminatur nî perseuerent, colligi possit aliquando euenire vt non perseuerent, vt contrarium potius inde colligi debeat: ideo enim non sunt perituri quia Deus iis subinde autem vellicat, neque finit indormiscere peccato. Hæc quidem ita se habent, sed non videtur Apostolus huc spectasse hoc loco, nam ex eo quod ait, Deum injustum fore atque veluti obliuiosum, si exciderêt qui inter Hebręos vera charitate præditi, veræ charitatis opera ediderunt, omnino consequens est (nisi volumus Deum pro iniusto haberi & immemore promissorum suorum) vt qui semel verâ fide verâque charitate præditi fuerunt, non *excidant*, παραπέσωσιν. Quibus in verbis (vt paucis in transitu ea explicemus) dum sunt obseruanda, primùm, esse iustitiam quandam Euangelicam in Deo, ea verò est Dei veracitas in pręstandis promissis Euangelicis, quando conditio promissorum exhibita est; *Si* (inquit Johannes) *fatemur peccata nostra fidelis est & iustus Deus, vt nobis ea condonet*, atqui condonare misericordiæ est: hęc igitur iustitia est Euangelica, non Legalis, proindéque nil iuuat hic locus causam Pontificiorum. Deinde quod non prolabimur totum illud pendêre à Dei gratiâ, quod verò nonnulli prolabuntur esse à negligentiâ & supinitate, quàm adhibent in credendo. Nam profectò quotquot sunt fide præditi temporariâ, etsi Christo delectantur, vehementiùs tamen delectantur mundo & sæculo: Itaque non faciunt quod qui Christum reliquis omnibus prætulerunt, quamuis subinde vacillent & nutent, non profitentur se credere apud Deum, ita vt illud adjiciant ex animo, *subueni incredulitati meæ*, qui verè, tametsi exilem in modum, credentium character est & nota, nempe auaris similes sunt & auidis, nunquam sibi satisfaciunt, cùm temporarij in maximâ fidei inopiâ securè sibi indulgeant & glorientur.

iustitia in Deo Euangelica.

perseuerâtia tota est à Deo.

AD VERS. 4.

Quo sensu dicatur impossibile vt qui exciderunt renouentur.

impossibile dicitur quadrifariam.

IMpossibile, primùm dicitur vel cùm termini (vt loquuntur in Scholis) directè inter se pugnant, vt si quis dicat *bonum esse malum*, *non ens esse ens*: vel, etsi termini non pugnent inter se directè, attamen quod sequitur constat terminis inter se directè pugnantibus, vt, *Diabolus est bonus*, vt hæc propositio sit vera fieri non potest; sequeretur enim malum esse bonum, quæ propositio constat ex terminis directè pugnantibus. Vel impossibile est id quod si verum sit sequeretur propositio constans terminis è diametro oppositis, sed tamen oportet, vt hoc fiat, aliquod assumi medium extrinsecus, vt verbi gratiâ, si quis manibus pedibusque ita constrictus sit vt ipse non possit vincula soluere, dixerimus impossibile esse vt soluatur, verumtamen adscito aliunde medio, nempe si nemo sit qui velit eum soluere: sic multa in Scriptura dicuntur impossibilia quod ipsa nullas vires habeant, neque hi qui velit eas administrare, Deo nempe nolente. Etiam impossibile dicitur quod pugnat cum Dei naturâ, vt fiat, vt, impossibile est impœnitentem seruari, qui gradus impossibilitatis aliquid addit priori, nam in priori non repugnat ratio vt Deus velit, tantùm ideo res impossibilis est quia Deus eam non vult, non ideo eam non vult, quia impossibile est vt eam velit, verbi gratia, vt aliquis iniustus resipiscat (vt Socrates) impossibile fuit, nullæ enim illi ad hoc inerant vires, & Deus eas illi noluit sufficere: attamen non erat impossibile vt Deus illi eas vellet sufficere, hoc est, non pugnabat cum Dei naturâ. At in superiori isto omnino ἀδύνατον est vt Deus velit, repugnante scilicet eius naturâ. Superest aliud impossibilitatis genus, cùm rei quidem vires insunt idoneæ, non sequitur tamen actus prohibente Deo, sic impossibile dicimus fuisse vt ignis in fornace Babylonicâ absumeret Sydrachum, Misachum, Abednegonem, vnum id volentes significare, impossibile esse ignem vrere Deo prohibente.

1.

2.

3.

4.

soluitur quæstio.

Jam disquiramus, ad quem horum modorum pertineat hæc impossibilitas, cuius Apostolus hoc loco meminit. Nobis quidem ita videtur, non modò hoc esse impossibile vt renouentur isti (de quibus agitur) ad pœnitentiam, quia nullas habeant vires ad resipiscendum, sese recolligendum (id enim illis commune est cum contemptoribus Euangelij, quorum tamen multi Dei indulgentiâ resipuerunt) sed quia pugnat

cum Dei

cum Dei iustitiâ vt renouentur. Nam ideo statuere id impossibile quia non contingit, sidque Deo decernente vt non contingat (quem modum impossibilitatis postremo loco descripsimus) frigidum id foret, sic enim quæcumque non eueniunt impossibilia sunt.

Quomodo pugnet cũ iustitia Dei Apostasia seruetur.

Sed iam videamus quî hoc pugnet cum Dei iustitiâ. Hîc verò cõsulamus ipsum Apostolum, qui cap. 10. huius Epistolæ, de illis iisdem agens de quibus hoc loco, nullam aliam reddit rationem exitij in quod incurrerunt, præter hanc, quod nulla præterea supersit oblatio. Etiam hoc loco id ipsum innuere videtur, *crucifigunt*, inquit, *sibi denuo Dei Filium*, &c. hoc est, in eum se statum conjecerunt vt si renouentur opus sit nouo sacrificio: atqui iam pugnat hoc cum Dei sapientiâ, etiam iustitiâ, vt Filius Dei bis crucifigatur. Ergo, inquiet aliquis, Christus pro omnibus fuerit mortuus eâ lege vt vocentur ad pœnitentiam, præter eos qui postquam eam gratiam degustarunt, eadem superbè contempserunt; Vnde fit ergo vt omnes non resipiscant, siquidem mors Christi cassa & irrita esse non potest? Respondeo, mors Christi duobus modis dici potest causa pœnitētiæ, vel vt causa *sint quâ non*, vel vt causa *meritoria*: vt causa *sine qua non* respectu eorum qui nondum vocati sunt (nam nisi Christus mortuus esset pro resipiscentibus, neminem Deus vocaret ad resipiscentiam (vt causa *meritoria* respectu eorum qui crediderunt Christo, atque illi per veram fidē insiti sunt, nam quod illi se recolligunt, totum id debent Christo, & merito mortis eius. Jam si mors Christi vt causa meritoria non esset efficax, profectò cassa & irrita foret, at cùm consideratur eo respectu quo diximus, vt causa *sint qua non*, etiamsi non sequatur pœnitentia non sequitur eam esse cassam & irritam; immò verò causæ *sint qua non* hæc conditio est, vt sit quidem necessaria ad effectum producendum, non sit tamen efficax; hactenus, inquam, quatenus est causa sine qua non.

Obj.

Res.

Exemplo illustratur.

Sed sit res exemplo illustris: Paulus ait se misericordiam consecutum propterea quod peccant ex ignorantiâ, inde ne sequitur (obsecro) eos omnes, qui id peccati genus in se admittunt quod Paulus, consequi misericordiam? tantum id sequitur, hanc conditionem necessariò requiri. Sic Deo liberum est quemlibet vocare ad pœnitentiam, est enim qui eos seruet Mediator merito sacrificij: tamen hinc non sequitur Deum obstringi ad singulos vocandos, tantum hoc sequitur, si deesset Seruator frustra institui vocationem. Sic Diaboli non vocantur ad Christi communionem, quia nullum est sacrificium pro peccato Diaboli. Ergo Christus neque materialiter, neque formaliter, vt loquuntur, pro Apostatis (quos hoc loco describit Apostolus) mortuus est. Atq; hîc mihi videtur illud in primis cõsiderandum, quod Christi instauratio iis applicari potest qui in Adamo peccauerunt, at verò qui perfusi gratiâ Christi Christo exciderunt, ad eos Christi gratia pertinere non potest. Quemadmodum inseri potest oleæ oleaster, at si tam negligenter inseratur vt postquam effloruit statim exarescat, nullius iam vsus est quàm vt vratur.

Christus pro Apostatis nullo modo est mortuus.

Atqui pij Christo insiti nonne peccant, & quidem grauissimè? Omnino, sed ita tamen vt ne peccatum eorum habeat contemptum, neque extinguat penitus vim spiritus Christi, & succũ illum vitalem absumat. Id quod vt notum fiat tenendum est, tres esse gradus abnegationis Christi, primus est cùm eum abnegamus metu territi amittendæ rei ad hanc vitam aut planè, aut pænè necessariæ, nempe vitæ, fortunarum, & dignitatis: Hæc abnegatio, quia angorem habet & dolorem animi conjunctum, non est eiusmodi vt hactenus quidem penitus peccatorem separet à Christo: quanquam sequitur vt plerumque callus & stupor, qui Apostasiam postmodum gignit totalem. Secundus gradus abnegationis est, cùm nullo iam metu rei necessariæ, vel pænè necessariæ, amittendæ impulsi homines Christum abnegant, sed spe melioris fortunæ, vt loquuntur, quod si faciunt cum animi quodam dolore, satis eo indicant Christum non penitus sese rejecisse: sed hoc genus hominum rarò dolore afficitur, &, si quando id contingit, euanidus est dolor: quod si grauior sit (id quod accidit nonnunquã) redeunt ad sanam mentem, satis hoc argumento probantes se nunquam penitus excidisse Christo. Tertius abnegationis gradus est conjunctus cum contemptu & indignatione, non iam præcipiti, sed quæ ex imo pectore profecta est, siue accedat metus amittendæ rei necessariæ, siue etiam spes melioris cõditionis: quomodo Esauus contemptum aspernatus est ius primogenituræ, *quò mihi*, inquit, *primogenitura cùm ego fame peream*? non erat is animi dolor, sed contemptus & indignatio. Atqui hæc est illa de qua παράπτωσις de qua Apostolus agit hoc loco, & cap. 10. & cap. 12. v. 16.

Apostasiæ gradus tres.

1.

2.

3.

Quid sit δωρεὰ ἐπουράνιος.

ARbitror intelligi idipsum hoc elogio quod Christus *donum Dei* vocat cap. 4. Iohan. vers. 10. *si scires*, inquit, *illud donum Dei*: & cap. 5. Epistolæ ad Rom. vers. 15. vocatur δωρεὰ simpliciter deinde vers. 17. δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, nempe Dei gratia in Christo offerentis remissionem peccatorum, lætitiam spiritualem, sanctitatem, & spem beatæ immortalitatis, denique veram fœlicitatem: quam (quanquam secus atque oportuit) apprehendunt etiam σκληροί, vti supra explicatum est, soli electi verè & ad salutem amplectuntur. Cur autem hæc Dei gratia *donum* dicatur, & quidem cœleste, non est obscurum: Nam & gratuitum est, & nobis exhibitum interuentu illius panis viui qui de cœlo descendit, quique veluti materia & substantia est, cui tanquam succus inhæret. Denique cœlo nos inserit, quotquot id oblatum non negligenter, sed auidè accipimus.

quid δωρεά.

cur ἐπουράνιος.

AD VERS. 5.

Quænam sint virtutes futuri sæculi.

VIrtutes *futuri sæculi* sunt, meo quidem iudicio, quæ Act. 2. vers. 11. vocantur μεγαλεῖα Θεοῦ, *magnifica Dei*: illa nempe, quæ Deus ante iacta mundi fundamenta præparauit suis per Christum exhibenda; Psaltes vocat נכבדות *gloriosa*. Psal. 87. Sed quæ nomenclaturæ ratio? Nimirum δυνάμεις הגבורות (vt alibi est explicatum) *miracula* dicuntur; quoniam verò quæ rapiunt in admirationem ea pro miraculis habentur, Hebræi נפלאות θαύματα quæ sunt eiusmodi vocant. Hinc

quæ ratio nomenclaturæ.

fit vt δυνάμεις Apostolus vocarit admiranda illa, quæ elucent in opere redemptionis nostræ, mysterium incarnationis, mortis, resurrectionis, ascensionis in cœlum, conjunctionis Christi cum Ecclesia, &c. dicuntur autem ista vitæ futuræ δυνάμεις, quia pertinent ad vitam futuram, & de iis quicquid in hac percipi potest futuræ vitæ arrha quædam est, Ephes. 1. vers. 9. & seqq. vsque ad 15.

AD VERS. 11.

Quæ sit ratio hujus locutionis πληροφορία τῆς ἐλπίδος.

ΠΛηροφορία τῆς ἐλπίδος dicitur vt supra καύχημα τῆς ἐλπίδος, spes quæ habet πληροφορίαν, nam quæ nititur spes promissionibus humanis, ea certa esse nequit, quæ diuinâ nititur promissione ea debet esse certissima, & verò ni sit, in eo peccatur & quidem grauissimè. Cęterùm πληροφορεῖσθαι eodem modo dicitur quo ἐμφορεῖσθαι, est autem ἐμφορεῖσθαι *satiari*: quia verò fides & spes Euangelica, si dubitationem habeant admistam, anxietatem afferunt, donec exempta sit dubitatio animus veluti fame laborat, atque (vt quæ sunt vacua) appetit repleri, id quod obtingit cùm fides & spes est certa, nam tum demum animus πληροφορεῖσθαι dicitur, & hęc affectio animi πληροφορία est.

AD VERS. 12.

Cur dixerit Apostolus ἐπαγγελίας in plurali numero.

OBseruandum est promissionem gratię nunquam dici *promissiones* in plurali numero, nisi respectu Patrum qui ante Christi tempora vixerunt, sic cap. 3. 16. ad Galat. *Abrahamo dictæ sunt promissiones.* At respectu populi Noui Testamenti *promissio* in singulari numero dicitur id ipsum quod plurali numero *promissiones* respectu veteris populi. Cuius rei hanc suspicor esse causam, quod promissio gratiæ πολυμερῶς & πολυτρόπως olim proposita est *per gradus & certis temporum interuallis*: Ergo non respectu materiæ, sed externæ formæ vnicam promissionem *promissiones* vocat Apostolus, nempe cùm de iis agit quibus tam variè, tamque multipliciter promulgata fuit promissio; sed quoniam exhibito iam Christo tota promissio re exhibita fuit, tota perfectissimè promulgata, hinc fit vt quod antea *promissiones* id postea *promissio* appellatum.

AD VERS. 17.

Quid sit ἐν ᾧ.

EN ᾧ positum est pro ἐφ' ᾧ, *quam ad rem*, hac mente, homines per eum iurât qui maior est, vt sit controuersiæ finis; eundemque in finem Deus iusiurádum interposuit, dum vellet ostendere hæredibus immutabilitatem consilij sui.

Quid sit hîc μεσιτεύειν ὅρκῳ.

MΕσιτεύειν est interponendo aliquid agere, verbi gratiâ, cùm non adhibetur fides verbis, μεσιτεύειν δι' ὅρκου, id Deus hoc dicitur fecisse.

AD VERS. 18.

Quid sit καταφυγόντες.

KΑταφυγόντες hoc loco est החוסים, nam, חסה quod Lexica exponunt *sperare, confidere*, propriè significat καταφεύγειν *confugere aliquò*; Argumento est quod מחסה significat *perfugium*, καταφυγήν. Et reuerâ splendidissima Metaphora est, & quæ significantissimè demonstrat affectum animi eorum qui in rebus aduersis constituti, postquam se vident oppugnati, vndequaque & frustra circumferunt oculos, vel expectantes, vel requirentes humanum auxilium, ad Deum tandem tanquam ad vnicum perfugium sese recipiunt.

Quid sit ἐλπὶς προκειμένη.

[Margin: cur προκειμένη.]

NEmpe spes ad quam inuitamur in Euangelio, quæ dicitur προκειμένη quod ad eam omnibus pateat aditus, nisi qui obduruerunt, hi verò sui sibi exitij authores sunt, culpa Dei nulla est, sed beneficentia potius: Si qui verò parent Euangelio, ideoque sperant quod sperare iubentur, iis profectò non caro & sanguis, non voluntatis in vtramuis partem propensio, sed Dei Spiritus tanti boni fuit author: eodem sensu κοινὴ σωτηρία dicitur *communis salus*, salus veluti in medio posita, Epist. Iudæ. vers. 3. Non est ergo hîc *spes* res sperata, sed ipsa virtus quæ in rem speratam, tanquam in objectum, fertur. Neque verò est quod quisquam miretur eam dici προκειμένην, cùm ius sperandi beatam immortalitatem Christi sanguine partum, quibusdam creaturis, puta malis Angelis, non sit nobiscum commune, immo verò multi sunt etiam homines, & quidem ij non prorsus profani, qui delusi Satanæ artibus, & infra quàm decet animo deiecti vi tantationis, & imbecillitate fidei, dubitant sint-ne ex eorum numero quibus licet sperare vitam æternam. Ergo Apostolus, vt hinc prophanis hominibus cauillantibus ad se non pertinere vt sperent in Deum, os obstruat, inde verò dubitantes confirmet, hanc dicit προκειμένην.

[Margin: quid ἐλπίς.]

QVÆST IN CAP. VII.

QVAESTIONES GENERALES.

QVÆSTIO I.

Qui possit probari aduersus Iudæos & hodiernos Photinianos Psal. 110. non de alio quàm de Christo intelligendum.

DVo sunt hominum genera qui Psalmum 110. vnde Apostolus desumpsit disputationis suæ præcipuum argumentum deprauare atq; in alienum sensum detorquere omni ope nixi sunt, Iudęi & hodierni Photiniani, quanquam consilio paululum diuerso: Nam in hoc quidem certè conueniunt, quod existimant si Psalmus Dauidi potest conuenire, effectum iri vt nullâ necessitate hinc colligi potest Christum esse verè Deum. Cæterùm Iudęi non modò id conantur, verùm etiam vt ne Messiæ excellentia & dignitas, quanta est, hinc possit demonstrari. Quæ eorum fraus initium videtur cepisse postquam Christus iis os obstruxisset propositâ quæstione, quî fieri possit vt Messias

Messias Dauidis filius sit, cùm sit idem Dauidis Dominus; nam si tum habuissent meditata animo quæ postea commenti sunt, negassent haud dubiè (quod hodie faciunt) eo Psalmo agi de Messiâ. Nam veteres Iudæos aliter sensisse (vt taceamus iam Christi factum cuius authoritas apud Iudæos nulla est) inde constat quod hodieque in contaminatissimâ Paraphrasi quæ authorem habuit Christi iuratum hostem, tamen exstant prisci sententiæ vestigia. Nam illa verba אתה כהן לי לעולם reddidit רב עלמא דאתה *princeps futuri sæculi,* qui titulus præter Messiam nulli conuenit.

Probatur aduersus vtrosque.

Sed iam disputemus & aduersus quidem vtrosque in hunc modum. Nulla causa est cur ad Dauidam debeat accommodari hic Psal. ac Judæi quidem nullam proferunt, neque verò etiam Samosateniani. Videamus igitur sint-ne idoneę rationes quæ prohibeant quominus de alio quàm de Christo Psalmus accipiendus sit. Prima ratio hæc est, agitur hoc Psalmo de eo quem Dauid *Dominus suum vocat*, at is nullus esse potest præter Messiam verum Deum. Nam quod excipiunt primo, Psalmum hunc non habere authorem Dauidem, deinde Abrahamum intelligendum hîc esse qui Dauidis pater fuerit, ideoque & Dominus, multis modis refelli potest. Primùm enim titulus Psalmi habet לדויד; neque verò id interpretandum *ad Dauidem*, nam & præcedentis Psal. titulus est לדויד, quem certissimum est Dauidem habere authorem. Et certè si sic liceret cauillari, omnino nullum Psalmum certò Dauidi possemus adscribere. Sed & est altera ratio, si Psalmus Dauidem habuit pro argumento, omnino eo fine compositus est vt à populo caneretur: Atqui populus Dauidem, cùm de eo loquitur, in tertia persona, in publicis cœtibus, non *Dominum*, sed *Regem* vocat, *Da Regi iudicia tua*, in Psalmo quem à populo decantandum Psaltes Salomo composuit Psalm. 72. & Psal. 21. *Domine in robore tuo gaudebit Rex.* Deinde certè *Domino nostro* dictum oportuit, non *Domino meo.*

1. ratio.

Christi Deitas ex Domini appellatione ostenditur 1.

Quærat hîc aliquis è Photinianorum grege, etiam è Iudæorum fortassè, quî possit inde probari necessariò agi in Psalm. de Messîa qui idem Deus sit, vt detur maximè Messiam Dominum esse Dauidis. Non est res ardua respondere, nam si Messias Rex est temporalis, omninò Dauidis, qui item rex fuit, Dominus esse non potuit: nam qui Dominum habet, profectò ille rex nullo iure dici potest, Regis enim hoc peculiare est vt nullius sit seruus præter Deum: quod si quando accidit iure, regiam amittit dignitatem; si, inquam, iure id accidat, nam de facto nulla iam hîc quæstio est, nam sat scimus eam fuisse Monarcharum vanitatem, vt Regibus quos exuerāt regiâ potestate inane Regis nomē relinquerent, vel etiam Reges liberos ita opprimerēt vt de facto Reges non essent, quanquam ius dignitatis regiæ ad eos pertineret. Deinde si Messias Rex fuit temporalis, quî potuit Dauidis dominus dici, cùm ad eum ista dignitas non pertinuisset alio iure quàm quod Dauidis soboles esset? (quod Christi argumentum fuit) neque enim Dauid dicitur sedere in solio Messię, sed Messias in Dauidis solio, illius nempe successor, siquidem temporalis Rex fuit: Et illud *sedere in solio Dauidis* κατὰ τὸ ῥητὸν foret intelligendum, quod omnino futurum esset si Rex esset temporalis. Fortasse cauillabuntur temporibus Messię mortuos esse resurrecturos, in iis Dauidem, atque ita fore vt Dauid subditus sit Messiæ. At, inquam, hoc pacto qui dicetur Messias sessurus in solio Dauidis? aut quę erunt in illo Messiæ regno Dauidis partes? sin Messias habendus est pro spirituali Rege, certè Dauidis Dominus est, idemque Deus: Et illud *sedere in solio Dauidis* typicè erit accipiendum, hoc est, sedebit in eo solio quod Dauidis solio significabatur. Denique si Messias Rex temporalis erat futurus, vnde fit vt tādiu ante quàm nasceretur, Dauid eum vocarit Dominum suum? An quod Regni Messiæ iam tum esset ciuis, an verò futurus? Atqui neutrum fieri potuit, si Messiæ Regnum à Dauidis regno non alia ratione quàm amplitudine & gloriâ terrenâ differebat.

2.

3.

2. ratio.

Secunda ratio, Dauid propriè non sedit ad Dei dextram, neque, si propriè loqui volumus, hostes Dauidis in seruitutem à Dauide redacti sunt. Nam sedere ad Dei dextram magnificentius est quàm vt mortali vlli conueniat: & Dauid vim quidem hostium suorum repulit, non fuit tamen Monarcha, non euertit vicina regna. Deinde & illa verba magnam habent emphasim מטה עזך ישלח *roboris tui virgam mittet*: nam primùm illud *roboris tui* grandius aliquid sonat quàm quod creaturæ conuenit, non enim solet Deus cùm alloquitur creaturam *robur tuum*, sed *robur meum* dicere. Atque hîc obiter refellendi sunt Hæretici, qui Christum docent feriari in cœlo, eo quod scriptum sit, Deum esse qui subjiciat hostes Christi pedibus eius: si ita se res habet quî fit vt Christo tribuatur virga, sceptrum, & quidem sceptrum roboris. Tum & illud ישלח notat regnum quod longè latéque patebit, iuxta illud למרבה המשרה Esa. 9. 6. Atqui Dauidis regnum finibus terræ promissionis angustissimis continebatur. Deinde רדה בקרב איביך, ne illud quidem ad Dauidem pertinet, repulit quidem Dauid hostes suos, non dominatus est in medio hostium suorum. Illa verò בהדרי קדש certè non nisi spiritualiter intelligi possunt, proindeque demonstrāt hîc agi de rege spirituali: nam si carnaliter accipiantur quę sunt illa quęso הדרי קדש, num sancta sanctorum? num Templum? At sensus orationis repugnat. Jam verò illa *iurauit Dominus & non pœnitebit*, certè rem maximam significant: nec verò hîc proferant pactum initum cum Dauide, quod iureiurando firmatum est: nam & illud pactum ad Messiam referendum est, nam Dauidis sanè posteri interciderunt. Deinde eodem versu, *Tu es Sacerdos in æternum*: Neutrum Dauidi conuenire potest, ne typicè quidem, neque enim Dauid fuit Sacerdos typicè, neque typicè vixit in æternum. Non prius illud Dauidi conuenit vt esset Sacerdos, non enim in Israele duo erant Sacerdotia, & Deus ita tribum Leui Sacerdotio ornarat vt hanc dignitatem ei propriam esse constituerit; non posterius, nam & natiuitatis & mortis Dauidis, & sepulchri Scriptura meminit.

3.

4.

5.

6.

7.

Dauid nō fuit Sacerdos, quod probatur, 1. aduersus Socinianos, quorū refelluntur rationes. 1.

Photiniani cauillantur Dauidem fuisse Sacerdotem. In quo nemo possit satis hominum impudentiam demirari, Scriptura apertè reclamante: Nempe cauillantur primùm Dauidem obtulisse sacrificia: Omnino, quasi & populus & singuli è populo non dicantur in Scripturâ offerre

sacrificium, quoties eorum voluntate & rogatu Sacerdotes immolant victimas. Deinde, quod Dauid indutus linea veste, quam Scriptura vocat *Ephod*, saltauerit cum deduceretur Arca Domini. At nulla lege interdictum est, nequis extra ordinem & rei diuinæ causâ Ephod vteretur præter Sacerdotes Leuiticos: Nam quod ad summi Pontificis Ephod pertinet, id verò adeò sacrum fuit, vt ne Pontifici quidem, nisi certis temporibus, eo liceret vti. Denique, aiunt Dauidem deduxisse arcam Domini, quod nisi Sacerdotibus nemini licebat. Atqui totus populus legitur in historiâ deduxisse arcam; nimirum aliud est arcam Domini deducere, aliud ferme humeris; illud omnibus conueniat ex officio, hoc solis Sacerdotibus. Postremò, filij, inquiunt, Dauidis erant Sacerdotes כהנים, 2.Sam.8. Ergo Dauid erat Sacerdos. Sed qui כהנים eo loco dicuntur, iidem & quidem eâdem mente, 1. Paralipomen.8. dicuntur ראשונים ליד המלך & 2.Sam.20. Hirad Iairites dicitur כהן Dauidis; num & is fuerit Sacerdos?

2. 3. 4. (margin numbers)

2. aduersus Iudæos.

Iudæi verò aliter cauillantur (non sunt enim adeo effrontes ac Photiniani) aiunt כהן esse *principem*. Illud quidem verè, modò reddidissent rationem cur כהן *princeps* sit: quam vt teneamus obseruandum est duas esse respectu nostri supremas potestates, altera diuina est, quæ residet in ipso Deo, altera humana quæ in Rege. Iam qui diuinæ potestati proximè seruiunt illi כהנים dicuntur (iidem verò Principes olim fuère, sed cùm vtraq; potestas, Politica & Sacra, eidem inesset personæ, *Rex Anius, Rex idem hominum Phœbiq; Sacerdos*) qui verò Regibus proximè ministrant illi כהנים itidem dicuntur (nempè cùm hæc dignitas esset tenta vt in neminem nisi in principem virum caderet) argumento est quod filij Dauidis Patris sui כהנים fuere, hoc est, ראשונים ליד המלך אביהם, vt eam nomenclaturam Spiritus Sanctus interpretatus est loco supra citato.

Iam ergo si Dauid fuit כהן, vel erat כהן respectu Dei (atque in Sacerdos fuerit, quod negant Iudæi quibuscum nobis iam res est, & nos paulò ante confutauimus) vel כהן dicitur respectu Regis, at ipse Rex fuit: Ergo Dauid nullo modo erat כהן. Sed nec illud לעולם Dauidi tribui potest: nam לעולם in Scriptura vel significat totum vitæ tempus, vt sit sensus, *eris mihi Sacerdos in æternũ*, hoc est, nunquam abdicabere; vel significat statum tempus, cuius periodus solemnis est, nempe Iubilæum, aut tempus Veteris Testam. aut aliquid huius generis, vel significat eam quæ propriè dicitur æternitatem. Prima significatione si sumatur tota oratio frigida fuerit, *Dominus iurauit neque pœnitebit eum, fore vt tu quandiu vixeris futurus sis Rex*. Quid enim hîc magni aut noui, aut non vulgatissimi dicitur? rari enim Reges sunt qui exuti regno vitam priuatam vixère. Nulla verò solemnis temporum periodus intelligi potest, nam ideo successum est Dauidi in regno, quia is è vita decessit, non habiturus successorem si diutius vixisset: sequitur ergo vt *in æternum* propriè sumatur, idque duobus modis, vel quatenus id habere potest locum in typo (qua de re infra disputabimus) nam verbis illis על דברתי מלכיארך apertè instituitur comparatio cum Melchisedeco: nam vel ipsi Iudæi subaudiunt caph similitudinis (quanquam meâ quidem sententiâ nihil opus est) sed tamen eo satis indicant conuenire verbis Prophetæ eam interpretationem quæ Melchisedecum statuit esse typum. Ex his facile intelligi potest, vt quæ sequuntur in Psalmo ad Christum aptissimè, ad Dauidem non nisi ineptè accommodari queant, quod vel ex ipsis verbis, modò quis intendat animum, perspici nullo negotio potest.

לעולם quid significet.

Qvæstio II.

Quid sit κατὰ τάξιν Μελχισεδὲκ, & quàm benè respondeat Hebræo על דלבתי.

TAξις Μελχισεδὲκ quid sit facilè intelligi potest ex eo quod vers. 11. opponitur τάξει ἀαρών. Nam τάξις ἀαρὼν est conditio Sacerdoti Aaronici lege præscripta, vnde colligitur quæ illius ratio, quæque (vt ita dicam) natura fuerit: id quod deprehendi potest ex vers. 16. Nam quod dixerat κατὰ τὴν τάξιν ἀαρών, id interpretatur κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς: quod verò dixerat, *secundùm ordinem Melchisedec*, id exponit κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Hinc liquet quæ sit conuenientia hebrææ vocis דברת & grecæ τάξεως, vtque altera alteri respondeat; nempe דברה siue דבר est rei conditio, vt Ecclesiastis cap. 3. vers. 18. על דברת בני אדם *de conditione rerum humanarum*: sic Matth 19. vers. 10. εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικός, οὐ συμφέρει γαμῆσαι, omnino phrasis est hebræa, nam דבר, & דברה αἰτίαν illis significant. Quoniam verò דברה *conditionem* significat & *statum*, hinc factum est vt αἰτία eodem significatu vsurpatum sit, sed tamen non quæuis conditio דברה τάξις debet vocari, sed ea duntaxat quæ præscripta est, vt דברה sit hîc veluti *idea*. Nam rerum formæ, vt sunt in materia, si *idea* dicuntur, ideo sic appellantur, quod habeant σχέσιν ad eam formam quæ est in mente artificis; nec aliunde factum est vt דבר, quę vox propriè *verbum* significat, rem ipsam notet.

Qvæstio III.

Quis fuerit Melchisedec.

QVis Melchisedec fuerit quærere, id verò quęrere est quod Deus sciri noluit: immò si hoc notum perspectumque foret, typo non esset locus, cuius omnis vis hinc pendet, quod Deus non frustra, neque sine causa, tanti viri & genus, & natiuitatem, & exitum noluerit describi, cùm tamen hoc ornetur elogio *Sacerdos Dei Altissimi*: solet enim Scriptura cùm Sacerdotum aut Prophetarum meminit, eorum patriam aut genus designare, maximè dum narratur res maximi momenti, cur id hîc non fuerit factum, certè nulla alia causa reddi potest, quàm quod Deus singularis cuiusdam rei, quam eiusmodi descriptio posset vtcumque adumbrare, typum & figuram exstare voluit.

Qvæstio IV.

Quo iure benedixerit Abrahamo.

EOdem iure quo summus Sacerdos potuisset Mariæ Virgini benedicere, quanquam ex ea Christus esset nasciturus: Nempe quia primum Sacerdos

Sacerdos fuit extra ordinem constitutus à Deo, cùm Abraham Sacerdos esset ordinarius: deinde, quia Rex idem fuit, non Sacerdos modò, & quidem Rex typicus, nam quod aiunt Semo tam eximium Sacerdotium conuenisse potius quàm vlli alij, non meminerunt in extraordinariis Deum minimè respicere personam. Id quod vel Abrahami exemplo liquet, quem Deus natum idololatris parentibus tantâ exornauit dignitate, vt illi seminique eius factæ sint promissiones, cùm illius ætate piorum parentum piis filiis id non fuerit indultum.

QVÆSTIO V.

Quibus in rebus Melchisedec Christi typus fuerit. Et, quo sensu dictus ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος.

nouum Sacerdotium Leuitico præstatius debuit oriri in Ecclesia.

DVrum videbatur Iudæis, etiam iis qui à Christo nō fuerunt alieni, vt vel aboleretur sacerdotium Leuiticum, vel nouum in Ecclesiâ Sacerdotium institueretur. Hic scrupulus eximendus fuit adhibitâ authoritate sacræ Scripturæ: atque hoc est quod facit Apostolus, idque hâc viâ, vt ostendat nouum debuisse oriri sacerdotem Aarone præstantiorem. Id verò iam fieri nequit nisi antiquato Aaronis Sacerdotio, nam res poscit deterius præstantiori cedat, nempe præstantius in se deterioris vim omnem continet. Deinde verò Politia Iudaica Sacerdotium habuit conjunctum, quemadmodum in omnibus politiis Religio sibi locum vendicat. Cùm igitur nouus Sacerdos esset oriturus, necessario tota politia debuit immutari, vt cuius nulla pars sanctior esset Sacerdotio: Itaque nouâ lege opus fuit. Atque hoc illud est quod Apostolus vrget versu 12. *mutato igitur Sacerdotio, necesse est vt legis quoque mutatio fiat.* Ergo in hanc partem tota disputationis moles incumbit, vt euincat Apostolus nouum debuisse oriri Sacerdotem; id, inquam, euincat ex sacra Scriptura. Hîc verò sic ingreditur disputatoinem, vt sumat pro confesso Messiam esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec: Sic igitur colligit, Sacerdos secundum ordinem Melchisedec debuit oriri, ergo præstantior Sacerdos Aarone, vnde sequitur quod voluit, Aaronicum Sacerdotem ei decedere debuisse. Antecedens ex verbis Psaltæ elucet, consequentia clara est.

Melchisedec Aarone antecelluit.

1.

Nam Melchisec multis modis Aaroni antecellebat, atque eo primùm, quod Rex idem & Sacerdos erat, & quidem Rex in mysterium à Deo constitutus, vt cui nomen inditum sit *Rex Iustitia*, cuius regnum fuerit *Salem*, hoc est, *Pax*. Nam Aaron, quanquàm esset summus Sacerdos, subditus tamen fuit Magistratui, tantum abest vt Rex fuerit. Ergo qui Sacerdos est iuxta ordinem Melchisedec, Rex idem est, & quidem *iustitiæ Rex*: & Rex idem *Salem*, hoc est *Pacis*, non iam typicus, sed reipsâ. Hæc est prima conuenientia Melchisedeci cum Christo, atque in hoc primùm cernitur ὑπεροχὴ Sacerdotij Christi supra Aaronicum Sacerdotium. Secundò, Aaron

2.

non fuit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, habuit initium dierum, habuit finem vitæ, nempe notum est vnde ortus, quo pacto consecratus in Sacerdotem, quando mortuus decesserit successori: At de Melchisedeco nihil tale proditum est, immo certo Dei consilio suppressum illud est, vt qui velint quærere quis fuerit Melchisedec, si id inuenerint, videri possint frustrati Dei consilium. In quo cernitur secunda Christi & Melchisedeci conuenientia, ideo enim Scriptura Melchisedecum facit ἀπάτορα, ἀμήτορα, καὶ ἀγενεαλόγητον, vt ne requiramus in Christo genealogiam carnalem vt pro sacerdote habeatur. Deinde, describitur Melchisedec ac si nunquam mortuus fuisset, id quod illi non magis reuerà contigit quàm vt esset reuerà ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, sed tamen scriptura mortis Melchisedeci non meminit, vt, quatenus fieri potuit, in eo adumbraretur vita æterna Christi Sacerdotis. Denique Aaron in Abrahæ lumbis soluit decimas Melchisedeco; Item Melchisedecus ei benedixit, minor igitur fuit Aaron Melchisedeco. In quo tertia apparet conuenientia Melchisedeci & Christi. Nam Abraham omnium credentium, tam è Iudæis quàm è Gentibus, pater fuit, Christus porrò est qui solus credentium Sacerdos est, cui benedictionem debent acceptam, atq; adeò sacrificium gratiarum actionis & gratitudinis (quod decimarum solutione adumbratum fuit) maximè debellatis hostibus, Satanâ & Mundo.

3.

AD VERS. 1.

An sub Nouo Testamento munus Ecclesiasticum & Politicum ab eodem obiri possint, & cur ista sub Lege fuerint discreta.

possunt coniungi.

MVnus politicum & Ecclesiasticum ab eodem possunt obiri in Nouo Testamento, si quando fieri possit vt sine Reipublicæ & Ecclesiæ damno vnus idemque possit vtrique vacare; tantum enim vnusquisque debet præstare Ecclesiæ & Reipublicæ, quantum potest, tantum verò potest in hanc rem impendere, quantum à Deo accepit: Veruntamen habenda est ratio maximè necessarij, atque eo contendendum quo commodum Ecclesiæ & Reipublicæ nos vocat, à quo nihil magis alienum est quàm perturbatio & confusio, quæ proculdubiò euenit cùm munia non sunt distincta; neque verò distingui possunt, si indiscriminatim quælibet à quibuslibet obeantur. Atque huc spectat quod Apostolus docet; *nemo qui militat implicatur negotiis huius saculi*: vbi diligenter notanda est vis illius vocis *implicatur*, nam & militem, si necessitas cogit, oportet negotiis sæculi manum admouere, hactenus tamen vt ne iis sese inuoluat.

sed sæpe non expedit.

cur sub Lege fuerint discreta.

Jam si quis requirat, cur hæc munera in Veteri Testamento fuerint distincta, respondendum id primùm videtur, non fuisse omninò distincta, personarum ratione inquam (nam inter se quidem & fuere semper, & sunt reuera distincta) nemo enim dubitat quin Synedrium consessus politicus fuerit, neque verò dubium est, quin summus Sacerdos, & alij generis Leuitici in Synedrium fuerint allecti; immò verò Deuteron. 17. vers. 9. & ℣. 12. Judici adjunguntur Sacerdos summus primùm, deinde reliqui Sacerdotes: id tamen interim etiam iis temporibus obseruatum fuit, vt hactenus vacarent rebus politicis

vt ne auocarentur à muneris Sacerdotalis functionibus, semper enim cauenda fuit illa Apostoli εὐπρόσεδρον. Iam vt aliud respondeamus, omnino constat non perinde licuisse politico Magistratui quæ Sacerdotis erant agere; sed huius rei hæc fuit causa, quia Sacerdotium non sine mysterio certæ cuidam tribui erat peculiariter attributum, nempe vt adumbraretur Christi Ecclesia, cuius hæc est conditio vt non censeatur dignitate politicâ, nec quisquam ad eam ideo pertineat quod Magistratus sit aut Rex, quin quatenus Ecclesiæ, hoc est Christi, membrum est. hactenus quidem certè eadem conditione est quâ contemptissimus quisque, sunt enim veri Leuitæ omnes iidem primogeniti.

Ad Vers. 2.

An Decimæ ab Abrahamo sint Melchisedeco datæ, iure et debitæ an verò tanquam munus spontaneum.

QVandoquidem Melchisedecus Abrahamo benedixit vt Christi typus Ecclesiæ benedicens (nam meminerimus Abrahamum *patrem* dici *credentium*) dubium non est quin Abrahamus, vt Ecclesiæ typus, debuerit decimas (typum sacrificij Ecclesiæ) Melchisedeco persoluere, nullâ lege præter eam quæ extraordinario Melchisedeci illo facto nitebatur. Atqui in hâc historiâ quoties versamur, toties id nobis debet occurrere nihil hîc vulgare esse, nihil fortuitum, sed vtrinque hinc à Melchisedeco, inde ab Abrahamo, rem gestam spiritûs Dei extraordinario afflatu. Id quod si Iudæus aliquis pertinaciter negaret, reuinci primum posset ex illis verbis historiæ, והוא כהן עליון *ipse autem Sacerdos erat Altißimi*, quibus redditur rei gestæ ratio, cur enim ista addita sunt? nisi primum vt sciamus nihil hîc fecisse Melchisedecum humano more, nihil temerè, sed pro muneris sui ratione: deinde Melchisedecum Abrahamo benedixisse vt Sacerdotem fungentem officio, denique id ipsum euincitur ex Psalm. 110.

Ad Vers. 5. & 6.

Cur præter Sacerdotem Leuiticum alio opus fuit Sacerdote, qui Christi typus foret.

NImirum vt exstaret typus excellentię sacerdotij Christi, quæ sacerdotio leuitico non potuit commodè adumbrari, propterea quod morte Leuitici Sacerdotes interciperentur: deinde verò quod iidem reges non fuere. Cur autem ad regiam dignitatem noluerit Deus illis patêre aditum, multæ possunt causæ afferri, quarum prima hæc est, Munus sacerdotale Leuiticum iis legibus circumscriptum fuit, vt muneri regio obeundo vacare summus Sacerdos nequiuerit, cuius nimirum opera debuit esse assidua in procurandâ Templi & Tabernaculi religione. Deinde, voluit Deus Christum nasci ex tribu Iuda, itaque illius tribûs dignitatem regiam propriam esse voluit. Tertiò, Sacerdotium leuiticum etiam Ecclesiam repræsentat, cuius hæc conditio est vt pareat, quatenus Ecclesia (inquam) est, non imperet.

Ad Vers. 9. & 10.

Cur non tam dici possit Christus in lumbis Abrahami decimatus quàm ipse Leui.

AD hanc quæstionem respondit olim B. Augustinus, discriminis rationem esse, quod Leui fuit in Abrahami lumbis aliter quàm Dominus noster Iesus Christus: nempe Christus nasciturus erat conditione supernaturali, Leui non item. Pari de causa Christus non dicitur peccasse in Adam, quod eius nascendi conditio non fuit naturalis: sed tamen quoniam Apostolus ℣. 14. huius capitis, Christum docet exortum esse ex Iuda, non autem ex Leui, videtur omnino agnoscere Christum fuisse in lumbis Abrahę: & Petrus disertis verbis Actor. 2. 30. tradit Christum fuisse orturum ex fructu lumborum Dauid; Videamus an aliter occurri quæstioni possit, non quod damnemus Beati Augustini solutionem, potest enim illud *fructus lumborum Dauidis* de Mariâ virgine accipi; & cùm dicitur Christus ἐκ σπέρματος Δαβίδ, σπέρμα Dauidis pariter dici possit virgo Maria: & certè Christus per miraculum, non naturæ vllâ vi, natus est.

Resp. Augustini.

Sed tamen vt dixi videamus num aliâ ratione solui quæstio possit. Profectò Abrahamus vtraque præditus erat dignitate, Principis & Sacerdotis: Atqui hæ duæ dignitates, quę in vnâ personâ coniunctæ fuerunt in Abrahamo, in posteris Abrahami diuisę fuerunt, datâ lege. Ergo successerunt Abrahamo, quâ Princeps, illi quibus obtigit Principatus, quâ Sacerdos, Leui cui obtigit Sacerdotium. Hoc primum. Deinde benedixit Melchisedec Abrahamo, non vt princeps Principi, neque enim principis est benedicere, quâ princeps (inquam) est, sed vt Sacerdos Sacerdoti. Abraham vicissim decimas soluit Melchisedeco, non vt princeps principi, sed vt sacerdos sacerdoti. Atqui Abraham, vt Sacerdos, tantum est pater Leui, Iudę & reliquarum tribuum, vt Princeps: Ergo Leui decimatus fuit in lumbis Abrahæ, non Iuda. Sed sit res exemplo explicatior, esto Princeps qui in duabus ditionibus principatum obtineat, alterius respectu sit Rex, alterius respectu Dux: Atque in ditione cuius respectu Rex est, succedat ei filius natu maximus, in ditione, cuius respectu Dux est, succedat filius natus minor: sit verò Ducatus feudalis, (vt loquuntur (& Dominus feudi exigat quod hodie *Homagium* vocant à filio natu maximo, & hanc adferat rationem, quod illius pater idem præstiterit Iusiurandum, respondebit se hactenus non prestitisse iusiurandum in lumbis patris, quia patri non quâ Dux, sed quâ Rex successit.

2. aptior.

Simili illustratur.

Ad Vers. 11.

Quid sit νενομοθέτηται ἐπὶ τῇ ἱερωσύνῃ.

VNo verbo est accepisse à Deo politiam cuius pars esset ἱερωσύνη: nam politiæ Iudaicæ duæ partes erant, altera iudicia & res ciuiles spectabat, altera ritus religiosos: cætera nobis cum illis communia fuère. Ergo νενομοθέτηται ἐπὶ ἱερωσύνῃ est νομοθεσία, quæ habeat ἱερωσύνην, subjici. Sed quorsum ita spectant? nempe vt ostendat Apostolus

Apostolus ἱερωσύνῃ καὶ νομοθεσίᾳ non posse diuelli, vt si illa mutaretur, νομοθεσίαν mutari necesse sit, non enim aliter eius ratio constare posſit: vt si præcipuam partem ædium (vtpote quâ nititur earum compages) diruas, & totas ædes diruas, vt à fundamento instaurari eas necesse sit.

Ad Vers. 16.

Quid sit ἐντολὴ σαρκικὴ, &, Quid sit illa δύναμις ἀκαταλύτου ζωῆς illi opposita.

Ἐντολὴ σαρκικὴ est præceptum offerendi sacrificium, cuius tota vis sita est in expiatione carnali, tota vis, inquam, effectrix, vt idem hic Apostolus interpretatur cap. 9. ℣. 13. δύναμις autem ἀκαταλύτου ζωῆς est vis illa profecta à diuinitate Christi, quâ effectum est vt Christus non modò ipse viuat in æternum, sed & vitam in nos deriuet. Et hoc item Apostolus interpretatus est cap. 9. vers. 14. Certè δύναμις ἀκαταλύτου ζωῆς quæ in Christo est, profecta est à Spiritu æterno, per quem sese obtulit Patri.

Ad Vers. 18.

Quo sensu dicatur lex Dei ἀσθενὴς καὶ ἀνωφελής.

Nempe eo sensu quem explicat fusè idem hic Apostolus cap. 10. huius Epistolæ: Et Apostolus Paulus initio cap. 8. Epistolæ ad Rom. Item cap. 7. eiusdem Epistolæ, & passim. Nam nec lex moralis sanctificare, nec expiare cæremonialis valet.

Ad Vers. 19.

Quid sit ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος.

Nimirum ἐπεισαγωγὴ κρείττονος θυσίας, κρείττονος ἱερωσύνης, quæ ἐλπὶς dicitur respectu Veterum, qui præstantius Sacerdotium expectabant, atque illa spe seruati sunt. Neque enim Apostoli scopus hîc est ostendere quæ sint legis vires, vt referri istud possit ad ipsam legem, sed id tantum instituit docere, quàm lex sit ἀνωφελής, vt quæ nihil potuit præstare, ne in eorum quidem gratiam qui eam seruare maximè studuerunt: quorum siqui seruati fuerint, id omne debuerunt promissionibus quæ respiciebant Christi sacerdotium, quarum promissionum respectu Christi sacerdotium dicitur κρείττων ἐλπίς. Præterea manifesta hîc antithesis est inter legem & Euangelium, Leui & Christum.

Ad Vers. 20.

Quomodo concludatur ex iureiurando adhibito Sacerdotij Christi excellentia.

Sacerdotij institutio quo magis est solemnis, eo excellentius esse sacerdotium euincit. Itaque cùm Leui sacerdotium nullo interposito Dei iureiurando fuerit institutum, haud dubiè non est conferendum cum Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedeci; nam quæ Deus iureiurando confirmat, eadem irreuocabilia esse necesse est: Itaque in iureiurando verba illa *iurauit Dominus* coniuncta sunt cum illis *& non pœnitebit eum*, ideo nempe quia iurauit. Iam quæ Deus mutat à se semel instituta, eorum Scriptura nil dubitat dicere Deum pœnituisse, nempe quia tale quid fecit quale faciunt ij quos consilij pœnitet. Atque hâc de causâ sacerdotium secundum ordinem Melchisedeci ἀπαράβατον est, nempe cuius Deum non pœnitet, hoc est, quod non patitur Deus mutari. At contra ὁ παρὰ χωρὶς ὁρκωμοσίας παρέβη *non permansit sed transijt* sacerdotium Leuiticum; quod futurum omnino non fuisset, si Deus illius institutionem hâc formulâ confirmasset, *juraui & non pœnitebit me*. Et reuerâ Scriptura nunquam facit Deum iurantem nisi cùm agitur de re æternâ & immutabili.

Ad Vers. 25.

Quid sit εἰς τὸ παντελὲς, an idem quod εἰς τὸ διηνεκές.

Εἰς τὸ παντελὲς, & εἰς τὸ διηνεκὲς differunt ἐμφάσει subjectâ materiâ non differunt nam διηνεκὲς propriè perpetuitatem temporis significat, παντελὲς non hanc solùm, verùm etiam omnimodam perfectionem.

Ad Vers. 26.

An ποῖος vers. 26. respectu Melchisedeci dictum sit.

Qui velit statuere respectu Melchisedeci dictum, eum necesse est fateri Melchisedecum ἄκακον fuisse & ἀμίαντον, id quod duobus modis fingi potest; vel si dicamus Melchisedecum non fuisset ex Adami stirpe, sed conditum à Deo immediatè, proindeque verè ἀπάτωρ, verè ἀμήτωρ, verè ἄκακον & ἀμίαντον, proindeque & ἀθάνατον immortalem, quod commentum eorum delirio tolerabilius est, quorum alij Melchisedecum Angelum, alij ipsum Dei Filium, alij Spiritum Sanctum statuerunt. Sed non est credibile quemquam exstitisse hominem qui Adamo non fuerit oriundus. Vel fingi aliter id potest, si statuamus Melchisedecum fuisse eodem pacto ἄκακον quomodo fuit ἀπάτωρ, & ἀμήτωρ; nempe quoniam Scriptura non eum facit, vt Sacerdotem Leuiticum, offerentem pro peccatis suis. Sed ne illud quidem stare potest; quæcunque enim typicè Melchisedeco inerant, ea Apostolus exsertè tribuit Melchisedeco; Cur verò potius Melchisedecũ dixerit ἀπάτορα, ἀμήτορα, &c. quàm ἄκακον & ἀμίαντον, profectò nulla alia ratio reddi potest præter hanc solam, quod Melchisedeco hactenus Christi typus non fuit, nec quicquam, præter agnum immaculatum, hâc in parte Christum potuit adumbrare. Ergo τοιοῦτος dictum est emphaticè, vt initio cap. sequentis. Sed quorsum pertinet illud γὰρ? Nempè si Christus peccator fuisset, nec ipse potuisset adiisse vitam æternam, nec cum aliis eam communicare: proindeque nec Sacerdos ille esset quem Scriptura designauit secundùm ordinem Melchisedeci æternum fore Sacerdotem.

secundum quosdam videtur 1.

2.

Res.

QVÆST. IN CAP. VIII

Explicatio versiculi quarti.

Quomodo Christus non fuisset sacerdos si remansisset in terra.

QVANDIU verus Sacerdos agebat in terris, tamdiu nefas erat Sacerdotem typicum non ingredi stato & solenni tempore sancta sanctorum, proindeq; victimas immolare, & offerre sacrificia pariter necessarium fuit. Ergo si Chr. remansisset in terrâ, & victimæ offerrentur, & summus Sacerdos fuisset ingressus in sanctuarium. Et ratio est, quoniam oportuit hoc pacto significari verum Sacerdotem nondum introiisse in verum sanctuarium, nempe cælum. Atqui duo sacerdotia non possunt de iure simul obtinere: Ergo si Christus mansisset in terrâ, quoniam sic obtinuisset sacerdotium Leuiticum, Christus ipse ne sacerdos quidem fuisset. Iam verò ingressus est in cœlum; itaque vmbræ euanuerunt: Nam actio sacerdotis immolantis extra sanctuarium, & ingredientis in sanctuarium, vna eademque actio fuit, itaque altera sine alterâ iure esse non potuit. Quemadmodum in sacrâ Cœnâ, edere panem Eucharistię & vinum bibere non sunt duę actiones, sed vna eademque actio duabus constans partibus. Atque ita se rem habere hinc euinci potest, quod non alio consilio sacerdos offerebat extra sacrarium, quàm vt ingrederetur in Sacrarium; nec expiatio illa in alium finem instituta fuit, neque aliâ Lege, quàm vt ingressus in sanctuarium sisteret se, peracto sacrificio, coram Domino: Jam id tantisper fieri oportuit, quantisper verus Sacerdos non intulit in sanctuarium verum sacrificium.

Actio Christi se offerentis in cruce, & ingredientis cœlum, est eadem totalis actio.

Neque verò hinc sequitur verum Sacerdotem non obtulisse in terrâ, tantum sequitur, actionem veri sacerdotis non adeptam fuisse complementum in terrâ, quemadmodum ex eo quod oportuit Sacerdotem typicum ingredi in sancta sanctorum, non sequitur sacerdotem typicum non obtulisse sacrificium extra sanctuarium. Porrò cùm dicimus actionem Christi, quâ sacerdos est, non habuisse complementum in terrâ, totam intelligimus actionem, nam oblatio peracta in terrâ perfectissima fuit, sed perfectione partis, non autem perfectione totius. Iam hæc est ratio τῦ τύπυ & τῦ τυπωθέντος *rei figuratæ & figuræ*, vt figura non cedat veritati per partes, sed per se totam, hoc est, stat tota figura donec in eius locum veniat tota veritas: Ergo cum vna actio summi sacerdotis fuerit constans duabus partibus, *immolare sacrificium extra sanctum sanctorum*, & *ingredi in sanctum sanctorum*, non cessit per partes actioni Christi offerentis sese in terrâ, & sistentis se in cœlo (alioqui sequeretur potuisse sacerdotem ingredi in sancta sanctorum nullo oblato sacrificio, quod cesserat nimirum Christi sacrificio) sed tota sacerdotis actio toti Christi actioni decessit. Itaque tum demum sublatum est sacerdotium Leuiticum, postquam Christus ingressus est in cœlum.

Quomodo Christus fuerit Sacerdos in terra, stantibus Leuiticis.

Jam si aliquis requirat, cùm expiatio peccatorum nostrorum pendeat à sacrificio Christi in terrâ, quorsum opus fuerit vt cœlum ingrederetur. Primùm hęc quæstio impia est, æquum-ne enim sit qui peccata nostra expiauit in terrâ, is non adeat in beatitudinem quam nobis peperit? Deinde verò, quod Christus in terrâ fuit, id euenit quòd opus erat illi peragendum in terrâ, alioqui certè cœli & terræ Dominus terram habet pro scabello pedum. Taceo multas alias causas. Iam quia hoc oportuit fieri, & præfigurari oportuit, & figura tamdiu obtinere quamdiu res ipsa non fuit exhibita. Atque hoc est quod nos docet Apostolus cap. 9. huius Epist. vers. 8. vbi docet apertè stetisse prius tabernaculum quandiu verus Sacerdos non ingressus est in Sancta Sanctorum. Iam stante tabernaculo stat & λατρεία עבודה: Ergo Christo remanente in terrâ stetisset tabernaculum, proindeque & λατρεία, atque illa stante Christus sacerdos esse non potuit.

Cur oportuerit eum cœlum ingredi.

Nihilominus vere se obtulit in terra.

Sed aiunt, non potuisse fieri vt offerret in terrâ. At illud facilè diluitur, primùm, quia inchoari potest functio veri sacerdotij stante typico sacerdotio, at perfecta esse non potest illo stante; deinde aliud est offerre in terrâ, aliud peractâ oblatione manere in terrâ: Atqui Apostolus non dicit, si Christus obtulisset in terra non fuisset sacerdos, sed (vt constat ex initio capitis) hoc tantùm vult Apostolus, si Christus mansisset in terrâ, si non consedisset ad dextram Patris (hoc enim est εἰ γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς) ne sacerdos quidem fuisset, non est enim sacerdos qui cœpit, non absoluit actionem sacerdotalem. Quemadmodum igitur si summus sacerdos non fuisset ingressus in sancta sanctorum, ne sacerdos quidem fuisset, summus, inquam; Ita si Christus non consedisset ad dextram Patris, pari ratione ne Sacerdos quidem fuisset, functione, inquam. Et quia in Christo qui sanctus est sanctorum, non potest officium à legitimâ functione officij distingui, ex eo quod non fungere officio, rectè inferri posset ne officium quidem ei competere. Obseruandum porrò est præcedentem versum includendum esse parenthesi.

AD VERS. 5.

Quomodo ex Dei ad Mosen dicto concludatur caremonias fuisse typos & vmbras.

DEVS non verbis, vt Noacho, designauit Arcam, sed exemplari, idque in Montis iugo: Id non factum fuit frustra, sed vt monerentur Israelitæ Arcam illam non rem ipsam fuisse, sed rei typum. Porro quæ sit illa res præter cœlum? à quâ sententiâ ne Iudęi quidem abhorrent. Hęc est vis argumenti Apostoli, quæ non nititur illis verbis, *ne quid addas*, &c. verùm illis, κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι.

AD VERS. 6.

Quo sensu dicantur Euangelij promissiones præstantiores legalibus.

Quia tripliciter respectu.

QVia conditio legis est, *hoc fac & viues*. Id quod simpliciter impossibile est, quando lex nos inuenit peccatores, nec vllú relinquit locum pœnitentiæ, quod facit Euangelium. Deinde verò promissiones Euangelij habent comitem efficaciam

1.

2.

ciam Spiritûs Sancti apud electos, promissiones legales apud neminem. Tertiò, promissio Euangelij complectitur donum Perseuerantiæ, promissio legis minimè. Quartò, promissiones legis sunt obscuræ; Euangelij sole meridiano clariores: Atqui promissio non solatur nisi quatenus nota est. Ergo, etiam cæteris paribus, promissio Euangelij præstantior est promissione legis. Quintò, promissiones legis (nam hîc Apostolus notat legem scriptam) pertinent ad solos Iudæos, promissiones Euangelij indiscriminatim ad omnes.

3. 4. 5.

Ad Vers. 9.

An non tam videatur violari à multis conditio fœderis Euangelici quàm legalis. Et qui alterum aliter hac in parte præstet.

TAm violatur à multis, sed non violatur à tam multis; nam conditio fœderis legalis ab omnibus violata est, immò verò præstitu impossibilis est, etiam resipiscentibus: At conditio fœderis Euangelici diuersa est. Sed de hâc re supra. Neque verò est quod quisquam cauilletur, Prophetam induci adferentem causam instituti noui fœderis violationem prioris, cùm tamen posterius etiam violetur. Nam non affertur simpliciter à Prophetâ violatio pro argumento, sed violatio generalis, vniuersalis, cuius omnes rei fuere. Nam certum est legem fuisse scriptam tabulis lapideis, & à nemine mortalium fuisse seruatam. Ergo opus fuit nouo fœdere, nisi generi humano pereundum sit, & nouum fœdus dissimile oportuit esse veteri, alioqui fœderatorum æquè misera conditio foret. Cæterùm hoc fœdus diuersum esse à priori, tribus argumentis, quæ ex verbis Prophetæ facilè est eruere, probari potest; primum argumentum est quod Propheta dicit, *Non iuxta illud fœdus, non enim illud seruauistis*, vbi notatur fœderis natura, nempe quod eiusmodi est vt piorum nemo id vnquam seruarit: Certè nemo seruatur nisi fœdere seruato. Ergo fœdus quo seruantur homines diuersum est ab eo quo à nemine obseruato nemo seruatur. Secunda ratio, fœdus nouum diuersum est à veteri, nam vbi conditio & promissiones eædem sunt, nouum fœdus esse non potest. Ergo vbi nouum fœdus est, conditiones & promissiones diuersæ sunt, &, si diuersæ diuersum fœdus est. Tertia ratio, causam promissionum noui fœderis præstitarum Apostolus adfert remissionem peccatorum, idque in antithesi: Ergo prius fœdus non habebat remissionem peccatorum; Atqui fœdera quæ nituntur diuersis fundamentis diuersa sunt.

Ad Vers. 10.

An hac verba δώσω νόμους αὐτοῖς εἰς Θεόν, &c. *designent iustificationem nostram.*

ETsi iis verbis designaretur iustificatio nostra, non sequeretur tamen iustificationem nostram posteriorem esse inscriptione legis in corda nostra: nam sæpenumerò in promissionibus quod posteriori loco positum est prioris causa est. Oseæ cap. 2. sub finem, *Desponsabo*, inquit, *te mihi*, atqui certum est hoc esse omnium primum. Imò verò, etsi quod priori loco hîc positum est causa esset posterioris, & posterius iustificationem nostram significaret, ne sic quidem obtinerent quod volunt Pontificij, necessariò: nam inscriptio legis corde nihil aliud est quàm efficax Vocatio, quæ iustificationem præcedit; nam continuatio & perseuerantia in fide & sanctitate, quæ sequitur iustificationem, non dicitur propriè *Inscriptio legis in corde*, sed primus ille actus Dei hoc pacto propriè notatur. Sed aliter se res habet, nam *Ero illis in Deum, &c.* non significat iustificationem, nam iustificatio nostra illis verbis notatur, *quia propitius ero iniquitatibus ipsorum.* Ergo, vt res tota plenius intelligatur, tenendum est tria esse veluti momenta amoris Dei erga nos, primum est quod vocamur; Sic Deus fit noster vt nos vocet: deinde quo iustificamur postquam credidimus; atque tum Deus sic Deus fit noster vt nos iustificet. Denique, vt ita vitam instituamus vt appareat legem Dei in cordibus nostris esse scriptam, atque ita Deus fit noster vt delectetur imagine suâ in nobis, ille vicissim nostrum sit vnicum oblectamentum. Atque hoc (vt ego existimo) est momentum illud amoris Dei quod hoc loco expressit Propheta.

Ad Vers. 11.

Quomodo hæc verba οὐ μὴ διδάξωσι, &c. *non pugnent cum verbi ministerio.*

PRomissiones noui fœderis inchoantur in hâc vitâ, implentur autem in vitâ futurâ. Certè quo liberaliùs Deus indulget spiritum eo minus opus est externâ prædicatione Euangelij; de charitate fraternâ, inquit Apostolus, *nihil opus est vt scribam vobis ipsi enim estis docti à Deo*, respiciebat illum Ieremiæ locum. Et Ioannes, *vnctio vos docet omnia.* Ergo cùm spiritus non indulgeatur plenè in hâc vitâ, opus est prædicatione Euangelij, etiam externâ. Deinde, hæc sunt intelligenda vt dicta comparatè & hyperbolicè. Vno verbo eodem modo accipienda vt *inscriptio legis in corde*, quæ denunciatur vt futura, quanquam & olim piorum cordibus Deus inscripserit legem, sed hoc tam fuit exile præ eo quod Christus attulit, vt Propheta eius nullam habuerit rationem.

QVÆST. IN Cap. IX.

Ad Vers. I.

An primo versu particula καὶ *redundet.*

DOctissimvs interpres eò propendet vt expungatur, retinuit tamen, sed ea lege vt iungeretur cum δικαιώματα, quod eodem videtur redire acsi iungeretur (vt reuera iungendum est) cum πρώτη, vix enim percipi potest quomodo differant ista, *Habuit prius fœdus etiam constitutos religionis ritus*, & , *Habuit etiam prius fœdus constitutus religionis ritus*: Nam quod ait, vetus illud pactum non

Quibusdã videtur redundare.

sed malè.

fuisse merè spirituale, alienum videtur ab Apostolo, [illegible], qui vetus illud pactum, quatenus [illegible] fuit) vult abolitum esse, proindeque hactenus (præter significationem quæ non abolevit) fuisse carnale. Certè ϰ non videtur redundare, nam etiam in Nouo Testamento δικαιώματα sunt, & λατρεία, & etiam ἅγιον, quanquam minimè κοσμικόν, sed in Vet. Test. δικαιώματα, λατρεῖαι, ἅγιον vmbræ fuere, in N.T. res ipsa, quanquam nulla [illegible] cogit vt eò recurramus, nam sæpè ϰ in Scriptura [illegible] est, vt Phil.2.9. [illegible] &c. idem enim dictum est, ac si dictum fuisset, [illegible], nisi quod illud ϰ [illegible] emphaticum est, proindeque non redundat. Quod si cui placeat prius, vt hic instituatur comparatio inter Vetus & Nouum Testamentum (quod ego quidem arbitror non spectasse Spiritum Sanctum hoc loco, nam cęteroqui pręcedente disputatione satis clarum est, consilium Spiritus Sancti esse duo fœdera inter se conferre) superflua fuerit particula ϰ. Nam quia dubitari non potuit quin Vetus Testam. habuerit δικαιώματα [illegible] κοσμικόν, contra verò dubitari id potius potuit, an Nouum Testamentum hęc habuerit, ideò crediderim non esse mentem Apostoli [illegible] Spiritus Sancti potius, in hac imparium compositione ponere in minori: quod est in controuersia, in maiori quod est extra controuersiam, repugnat enim lex comparationis imparium: verbi gratiâ nemo dixerit, *non modò arbores arbores viuunt, sed & homines*, quia hoc est extra controuersiam illud non item. Atque eodem pacto, quia procul ambiguo est Vetus Testamentum habuisse δικαιώματα, non æquè procul ambiguo est an Nouum habuerit, non est verisimile Apostolum hoc voluisse statim initio ponere, *non modò Nouum Testamentum sed & Vetus habuit* δικαιώματα.

An subaudiendum sit σκηνή quum πρώτη dicitur.

NEc apud Syrum, nec apud vulgatum Interpretem, expressa est vox σκηνή: sed nec subintelligenda est, primùm quia haud dubiè πρώτη eadem hîc res est, quæ versu vltimo præcedentis capitis, cum quo iste versus cohęret: Atqui patet πρώτην præcedenti versu appellari διαθήκην, hic igitur πρώτη [illegible] pariter est. Deinde, statim versu [illegible] σκηνή dicitur tanquam interpretamentum illius quod dixerat ἅγιον κοσμικόν: atqui σκηνή non habet σκηνήν. Denique, vix propriè dicitur *Tabernaculum habuit* δικαιώματα, cùm de fœdere *hoc fac & viues* rectissimè dici possit, vt cui addita sint δικαιώματα cuiusque adeò illæ partes dici possint haud absurdè; qui verò conueniat illis δικαιώμασι cum ipso pacto legali *hoc fac & viues* id arbitramur iam à nobis alibi explicatum. (nimirum in Thesibus de triplici fœdere.)

Quid per δικαιώματα hic significetur.

SÆpè monuimus in Scripturâ vnam eandemque rem diuersis nominibus vocari, propterea quod vna eademque res diuersas actiones & proprietates habet. Id nihil iam opus est exemplis demonstrare, quando habemus in promptu, nam certum est Dei præcepta Hebraicè vocari מצות,חקים,משפטים,פקדים,דוכי יהוה,דברי,אמרי פי יהוה. Iam מצוה *imperium* notat & *ius præcipientis*, חקים præcepti *constantiam* & *durationem* (nam חקק est insculpere seu incidere lapidi, ligno vel metallo (משפט notat adjunctam præcepto vel *mercedis promissionem*, vel *pœnæ denunciatione*; פקודים verò eò refertur vt admoneamur reddendâ aliquando esse obseruati vel neglecti pręcepti rationem, id enim vox Hebræa innuit: voce דרכים admonemur nos fore hoc pacto Dei imitatores, atque eo duce nos itineri commissuros, si non nostro arbitrio, sed illius viuamus: quum autem eadem præcepta vocantur דבריאו אמרי פי יהוה id significatur, quoties ea vel legimus vel audimus vt constituamus nobis præsentem Deum, eoque loco ea habeamus ac si is cœlitus vocē emitteret auribus nostris insonantem. Itaque non est hîc quęrenda anxiè differentia, quasi res diuersę diuersis vocabulis significarentur: non enim LXX. Interpretes pari varietate vsi sunt, etenim מצוה & חק &c. vertunt δικαίωμα indiscriminatim. Porrò δικαίωμα illis est quicquid ἐδικαίωσεν ὁ Θεός, *quodcumque Deus iustum esse & rectum pronunciauit*, quod Deus IVS esse voluit. Vnde factum est vt peculiari quâdam ratione adhibitum fuerit vocabulum δικαιώματα ad ea Legis præcepta significanda quæ non pertinent ad ius naturæ, nec aliter, nec aliam ob causam, iusta sunt quàm quia Deus iussit: vt hâc nomenclaturâ contineantur homines in officio, neue quęrant pręcepti rationem quòd Deus ἐδικαίωσε. Hoc igitur locus Apostolus δικαιωμάτων nomine non præcepta, quæ vocantur Legis moralis, sed cæremonialis intellexit: Et certè quum dicat fœdus habere δικαιώματα, absurdum est vt nomine δικαιωμάτων intelligamus Legem moralem, quis enim dubitet in omni fœdere Dei cum hominibus esse præcepta, sed intelligenda sunt ea quæ pertinent ad ritus & cæremonias, ob hanc causam quem iam diximus.

An vox δικαιώματα iungenda sit cum λατρείας.

HAud facilè adducor vt sic statuam, nam illud, τό τε ἅγιον κοσμικόν notat præcessisse ἀσυνδέτως: Ergo λατρείας non fuit genitiui sed accusatiui casus, alioqui dicendum fuisset & τὸ ἅγιον. Sed & Apostolus, hoc eodem capite duo hæc distinctè proponit & explicat, nam τῶν λατρειῶν meminit vers. 6. τῶν δικαιωμάτων vers. 10. & quemadmodum ignobiliori speciei nomen generis tribuitur vt quum bestiam animal dicimus quamuis & homo animal sit, sic δικαιώματα dicuntur ab Apostolo illi ritus qui non erant λατρεῖαι, quamuis omnis λατρεία δικαίωμα sit: quemadmodum etsi homo animal sit, tamen animalis nomine simpliciter sumpto non intelligimus hominem, saltem vt vulgò loquimur. Hoc igitur discrimen erit inter δικαίωμα & λατρεία, quod λατρεία sit δικαίωμα quod Dei cultum respicit, & positum est totum in sacrificiis & oblationibus, δικαιώματα verò simpliciter (quemadmodum Apostolus ipse explicat ℣.10.) ea sunt quę nos respiciunt, vt ablutiones, aspersiones, abstinentia à certo quodam genere ciborum, ieiunium die propitiationum, &c.

An λατρεία specialiter significet cultum Dei, & quem cultum.

CErtum est LXX. Interpretes in Veteri Testamento hanc vocem, & verbum adeò vnde oritur,

præcepta D. [illegible] nomina

δικαιώματα.

sunt præcepta Cæremon.

negatur. 1.

2.

2.

quid λατρεία.

quid δικαιώματα.

cultum diuinum.

oritur, ad Dei cultum accommodasse, idque de industria. Hoc facile inde potest deprehendi quod cùm verbum עבר & inde deriuatum עבדה, indiscriminatim ad Deum hominesque referantur, illi tamen verbo δουλεύειν, quum de Deo agitur, rarò vel nunquam vtuntur, λατρεύειν ferè semper, id quod nullâ aliâ de causa factum videtur, quàm quod vellent Dei cultum hâc appellatione minùs vsitatâ σεμνύνειν *venerabilem facere.* Nam certè, quicquid infimæ ætatis Grammatici, minorum scilicet gentium, dictitent, λατρεύειν & δουλεύειν, apud bonos & priscos authores, eadem sunt, hoc solo discrimine quod λατρεύειν videtur quasi antiquatum. Cæterùm λατρεύειν *cultum externum* propriè significat LXX. Interpret. quemadmodum & עבודה Heb. Nam amorem Dei & proximi neque λατρείαν, neque עבודה quis dixerit, sed nec illum cultum quo beati Spiritus in cœlo Deum prosequuntur, qui vellet cum LXX. loqui, λατρείαν dixerit, neque עבודה, si cum Prophetis loqui volumus. Itaque in Nouo Testamento non dicitur simpliciter λατρεία cultus Noui Testamenti, sed λογικὴ λατρεία, quemadmodum & λογικὴ θυσία dici posßit, & λατρεύειν ἐν πνεύματι, id quod plurimum facit ad huius loci illustrationem, in quo Apostolus λατρείας nomine cultum illum Aaronicum externum & carnalem, sed typicum, notat.

[sed externum.]

[non internum significat.]

Cur tabernaculum vocetur ἅγιον κοσμικόν.

NOtandum est omnia typica dici *mundana*, verbi gratiâ terra Chanaan dicitur *Mundus* Rom. 4. 13. *Non enim per legem promißio cesßit Abrahæ, vt esset hæres mundi, sed per iustitiam fidei:* Omnino intelligitur terra Chanaan, quatenus typus erat regni cœlestis. Sic Apostolus vocat *Elementa mundi* typica illa rudimenta Ecclesiæ nondum adultæ. Appellationis ratio hæc est, quia illa, quod ad substantiam attinet, & separata à suâ significatione, sunt aliquid terrenum. Dicat aliquis, hoc pacto posse etiam dici nostra Sacramenta κοσμικά. Sed non est par ratio, nam præter significationem nostra Sacramenta nullum habent vsum, at typi, etiam ex Dei instituto, aliquem habebant vsum præter significationem, qui vsus materia erat idonea quæ significationis capax esset, itaque mundano quodam more erat id quod significabat, verbi gratiâ, terra Chanaan erat populi Dei hæreditas mundana, nempe comparata cum cœlesti hæreditate quam significabat.

[typica omnia sic dicuntur.]

[ratio.]

LECTORI.

DVVM hæc in Epistolam hanc dictaret Camero , subitò Lutetiam accitus graui de caussa, coactus est inchoata in hoc caput dictata hìc abrumpere. Statim autem atque Lutetiâ rediit, Montalbanum vocatus vt illic S. Theologiam eò profectus est. Porrò & hoc te volumus hìc monitum. Cùm post explicatum celebrem illum Matthæi locum Tu es Petrus, *Camero videret impositum esse sibi à Senatu Academico hoc oneris, vt illustriora Noui Testamenti loca explanaret, proindeq; copiam sibi non esse factam locos, quos* Communes *vocant, tractandi, interim autem percuperet controuersiam* de Verbo Dei, *quam hactenus non satis plenè à Theologis explicatam esse censebat, accuratè tractare, quod sine Ordinis illius à Sen. Acad. constituti dispendio fieri posse putauit, id proposuit facere, communicato prius cum Collegis consilio, vt nempe post ferias (quas* Vacationes *vocant) vernas & autumnales, initio singulorum Semestrium, quum instaurantur Prælectionum publica exercitia, ipse ante præscriptam sibi locorum Noui Testam. tractationem, Prælectiones aliquot extra ordinem haberet de argumento quod ipsi maximè adlubesceret. Itaque initio prioris Semestris anni Academici* M. DC. XIX. *paucas habuit* de Necessitate Verbi Dei *Prælectiones, verum quia nihil dum dictabat, sed continuâ, eâq; properanti oratione vtebatur, excipi non potuerunt quæ de illo argumento disseruit, aut si quæ fortè excepta sunt, ea ita perplexa, confusa, adeoque & manca fuere, vt nihil inde confici potuerit quod esset authore sub dignum. Verum ea paulo inferiùs habes ab eo postea reposita initio Disputationis quam* de Verbo Dei *Glascuæ habuit, vt nihil eorum quæ tum hìc dixit iure desiderare possis. Istam* de Necessitate Verbi Dei *diatribam secuta est hæc altera, quam hìc subiectam habes,* de Notis Verbi Dei in genere, *quam initio alterius eiusdem anni Semestris habuit. Eam denique secuta est tertia,* de Notis Verbi Dei in specie, *quæ isti coniuncta est, quamque ipse etiam habuit initio duorum sequentium Semestrium anni* M. DC. XX. *sed eam non potuit absoluere, quia ortus anno* M. DC. XXI. *turbis ciuilibus, excedens Galliâ in patriam Scotiam se recepit.*

EIVSDEM

EIUSDEM

IOHAN. CAMERONIS

PRÆLECTIONES VARIÆ DE VERBO DEI,

AC PRIMUM,

De Notis Verbi Dei in genere.

Quibus dignoscitur an Verbum aliquod (quodcumque tandem illud sit) sit Diuinum.

DUM Philosophi in scriptis suis, tam Physicis quàm Ethicis, nullam esse Verbi Dei necessitatem contendunt, eo vtuntur potissimum argumento, quòd scilicet homines naturaliter eâ instructi sint cognitione quæ satis est ad vitam rectè instituendam. Contra quos tenenda est ratio Verbi Dei. Est postquàm hactenus disputatum est de necessitate Verbi Dei, sunt iam nobis obseruandæ quædam Notæ, quibus vera Religio à superstitione, & Verbum Dei ab alio quocumque secerni possit. Notarum itaque Verbi Dei duplex est genus. Primum eas complectitur notas, quę petitę sunt vel ab ipsâ naturâ & essentiâ Verbi Dei, vel quæ illius naturam & essentiam consequuntur. Secundum verò genus eas sub se continet notas, quæ ab iis, quæ accidunt extrinsecus Verbo Dei, petitæ sunt.

Notarum duo genera.

Primi autem generis tres sunt ordines. Primus ordo ea continet argumenta & signa, quæ & si ab ipsâ Verbi Dei essentiâ profluunt, profluunt tamen remotè. Huius autem primi Ordinis quatuor sunt Notæ. Prima hæc est, quod Dei Verbum ea reuelet, quæ ratio humana aut non satis assequitur, aut omninò non assequitur. Secunda Nota hæc est, quod quæ reuelantur in Verbo Dei, ea non modò animum demulcent & oblectant, sed etiam in sui admirationem rapiunt, vt necesse sit fateri, id tale esse vt ab hominibus excogitari nequiuerit. Tertia hæc est, quod cum omne mendacium inconstans sit, & à se ipso discrepet, Verbum Dei sit eiusmodi, vt sibi ipsi perpetuò constet, sibi congruat, nihilque habeat repugnans. Quarta denique, Verbum Dei eiusmodi esse vt etiamsi superet captum & vires humani ingenij & rationis, attamen non destruit rectam rationem, & non exstinguit lucis illius primigeniæ reliquias.

Primi generis ordines tres.

Ordinis primi Notæ. 1. 2. 3. 4.

Secundus Ordo primi generis ea continet notas, quæ accedunt propiùs ad essentiam Verbi Dei. Huius ordinis tres sunt Notæ. Prima, quod Dei Verbum informat ita mentem humanam, vt inexpleta illa auiditas discendi, quæ illi à naturâ insita est, conquiescat (facessat modò humani ingenij malignitas, & peruicacia) idq; non patefactione earum rerum quæ leues sunt, quales sunt res naturales, Physicæ, & Mathematicæ, seu patefactione summi boni. Secunda, quod Verbum Dei, quodcunque tandem sit, eiusmodi esse oportet, vt sedet animi motum, illiusque æstum & mœrorem componat, quod sapientiâ humanâ nemo mortalium vnquam neque potuit, neque poterit, assequi. Tertia denique secundi ordinis Nota hæc est, quod Verbum Dei tradit præcepta vitæ rectè instituendæ hominibus, & addit argumenta quibus, si fidem adhibeant, in obsequium redigantur.

Ordinis secundi Notæ. 1. 2. 3.

Tertius denique ordo primi generis eas habet Notas, quæ tamen Notæ propriè dici non possunt, quia in ipsi Verbi Dei essentiâ constitutæ sunt. Quæ notæ se produnt in sensu remissionis peccatorum, & mortificatione peccati. Cùm enim certæ quædam notiones homini à naturâ concessæ sint, quę quidem hominem eò adigunt, vt sciat aliquid sibi deesse, quod tamen non patefaciunt, Verbum Dei ea omnia suppeditat quę animus humanus desiderat. Duo autem desiderat animus humanus. Primum hoc est, nempe vt sit tranquillus, quietus, & pace conscientię fruatur, quæ non aliunde oritur quàm ex sensu gratuitæ remissionis peccatorum in sanguine Iesu Christi. Alterum quod animus humanus appetit, est quod qui seriò cupiunt sibi remitti peccata, student vincere affectus animi: quorum vtrunque in solo Dei Verbo reperire est. Quod duobus verbis expressit Propheta Ieremias, cap. 31. vers. 31. & 32. nempe quod *Lex Dei in cordibus nostræ inscribitur, & nobis remittuntur peccata.*

Ordinis tertij. Notæ 1. 2.

Sequitur secundum genus Notarum Verbi Dei, quæ sunt quidem eiusmodi, quæ si animus humanus comprehendit, colligit id (quodcunque tandem sit) cui hæ notæ inditę sunt, rem esse diuinam, licet eam comprehēdere non possit.

Genus secundum Notarum, extrinsecarū scilicet.

Cuius prima Nota est Antiquitas.

Huius autem generis prima Nota est ANTIQVITAS, id enim necesse est esse diuinum quod idem antiquissimum est: Itaque Sapientiam antiquissimam eandem à Deo profectam esse necesse est. Si ergo vlla sit doctrina antiquissima, eadem cœlestis est. Huius rei ratio hæc est, quia vnumquodque sapit authorem suum: Itaque cùm Deus author sit Verbi Diuini, is autem sit (si ita de Deo loqui fas sit) antiquissimus (æternus enim est) idem de Verbo Dei dicendum est. Et verò res ipsa idipsum testatur, non enim vitium prius est virtute, vt neque morbus aut dolor sanitatem præcedunt, sed sequuntur; atque (vt Physici docuerunt) quod est pręter naturam posterius est eo quod est secundum naturam. Itaque necesse est Verbum Dei esse antiquissimum, si antiquissimum, cui hæc nota indita est, Verbum Dei est.

2. Perennitas.

Secunda secundi generis Nota est *Perennitas Verbi*: Nam si vlla doctrina perennis sit, eandem diuinam esse necesse est. Perennitatem autem definio, non quidem perennitatem veritatis in se, sed eam quę respicit cognitionem humanam: id est, si vlla sit doctrina cuius notitia semper obtinuit eam necesse est esse diuinam. Ratio huius rei hęc est, quod omne mendacium varium est & multiplex, & ea planè conditio est humanarũ opinionum, quę foliorum arborum, quę nascuntur & denascuntur. Itaque Verbum illud necesse est esse diuinum planè, quòd nullâ sæculorum iniuriâ potuit immutari, multò minùs deleri.

3. Authoritas.

Tertia secundi generis Nota est *Authoritas*: Verbum enim Dei, quodcunque tandem illud sit, comitem habet authoritatem quandam: authoritatem, inquam, in modo docendi. Nam quę humano ingenio inuenta sunt, ea etiam, vt se commendent, fucum & quendam lepôrem adhibent, sed quę se solâ authoritate tuentur, eadem diuina esse necesse est. Itaque si quę est doctrina, quæ agat de rebus magnis & admirandis, quæ compellet homines pro imperio, & solâ sui auctoritate vtatur, dum se commendat, eam diuinam esse necesse est. Et vt in vita humanâ impudentia affectat, non assequitur tamen, authoritatem, & contra grauitas auctoritatem nullam affectat, sed habet characterem quo distinguitur ab impudentiâ & effronti audaciâ, ita planè auctoritas Verbi Dei eiusmodi est, vt non sapiat supercilium humanum, sed habet maiestatem quandam sibi insitam, quâ dignoscitur à fucatis hominum commentis.

4. Humilitas.

Quarta secundi generis nota est, *Humilitas*: Authoritas enim Verbi Dei comitem habet humilitatem quandam. Humilitatem, inquam, sed qualis est humilitas Regum: Reges enim, cùm se præbent humiles, non celant maiestatem suam: Rex nempe aliter se humilem præbet quàm seruus, est enim grauitas eius, authoritas, maiestas suauitate quâdam temperata. Itaque, neque in Rege maiestas facit vt Regis aspectum defugiamus, nec humilitas item vt maiestatem despiciamus: neque pariter Deus demittit se in verbo suo sordidè, neque agit in eo omnino & planè pro imperio.

Quinta Nota est, *Conditio eorum per quos Verbum Dei traditur*. Etenim Sapientes sæculi omnes ingenio valuerunt & eloquentiâ, nil vt mirari debeamus, si ea quæ ab illis tradita sunt sapiant ingenium humanum. Si is adsit iis qui non ingenio valuerunt, si verba eorum continent res admirandas, quæ faciant vt nos quæramus vnde tam miranda, sanè necesse est eiusmodi homines locutos esse instinctu Dei: Nam certè homines ignari corripiuntur aliquando Spiritu vertiginis, sed tamen quæ proficiscuntur ab iis (si sunt prodigiosa) non sunt admiranda.

6.

Sexta huc accedit, *Consilium eorum per quos verbum hoc (quodcunque tandem illud sit) traditum est*. Nam si fuissent viri magni nominis, qui studuissent hac ratione nominis famam sibi comparare, opes accumulare, & regna consequi, potuissent videri suspecti, quemadmodum Lycurgus, Numa Pompilius, & reliqui magni nominis legislatores. Sed si eiusmodi fuerint, vt illis (vt dicitur prouerbio) neque meteretur, neque feretetur, sed contra illis illinc redibant ærumnæ, necesse est eos non accessisse ad rem tantam humano consilio. Neque item potuerunt illud excogitasse vt demulcerent animum, quia quæcumque hoc consilio fiunt, non ita fiunt vt redeant in perniciem authoris, si modò id illi fuerit prospectum. Itaque si quod sit Verbum, quod profectum est ab eo qui eiusmodi sit, idem diuinum esse necesse est.

7. Miracula.

Septima huc & accedit, quòd si sit Doctrina quædam, quæ obsignata est miraculis, id est, signis (vt loquitur Scriptura) quæ omnem naturę vim superant, & quę talia sunt vt à solo Deo patrari queant, eam necesse est esse Diuinam. Illa autem miranda Deus patrat vel immediatè, nullo vsus instrumento, vel mediatè, dum vtitur operâ hominum, per quos interdum extraordinariè operatur.

8.

Deinde & hoc est magni momenti, Quod est genus quoddam doctrinæ quod se vltrò commendat, accommodatum ad ingenium humanum; sed si est doctrinæ quoddam genus ita comparatum, vt oppugnet ingenium humanum, & eiusmodi vt vires hominum opprimere studeat, & ea illis inculcare à quibus abhorrent, quod idem tamen sibi gradum facit per momenta ad summum, id diuinum esse necesse est. Itaque superstitione humanum ingenium delectatur: vera Religio conciliat hominum odia, vnde orta sunt tot Martyria, cruces, rogi & id genus supplicia.

9. Propagationis ratio.

Adjiciam, quod Nota sit doctrinæ, *Propagationis ratio*: nam superstitio inualuit vel authoritate Principium commendata, vel vi & armis propagata: at doctrina quæ nullis eorum pręsidiis freta est, nulla nititur authoritate humanâ, sed patientia sua vim suam testatur, & seipsam commendat, eandem diuinam esse necesse est. Non me fugit multos superstitiosos grauissima quæque perpeti vt se probent hominibus; sed quàm rarum id est, cùm abundent Martyres. Alius deinde habitus Martyris, alius verò habitus illius qui καρτερία quadam impulsus moritur: nihil in Martyre elatum, omnia in illo præfidentiam animi arguunt & supercilium, simulata est humilitas & modestia. Vt autem ea quæ fucata sunt mentiuntur colorem genuinum, si ea eminus intuearis, quæ tamen proniùs inspecta se produnt, sic vera animi demissio nullo pacto potest ita effingi, vt si non vera sit, fraus non illuceat.

Itaque

Itaque vt colligam hæc omnia in vnum,& ita redeam ad institutum meum: Si vlla sit doctrina, cui omnes hæ notæ conueniunt, quis adeò impudens est & præfractæ frontis, vt neget illam esse diuinam: ita vt nihil nobis agẽdum supersit, quàm vt probemus eiusmodi esse vnicam illam quam habemus Dei beneficio libris Veteris & Noui Testamenti scripto consignatam. Quod si assecuti fuerimus (quidni autem assequemur) magnum operæpretium fecerimus: Non erit nobis acquiescendum illis, qui quærunt vnde nonimus eam esse Scripturam, neque erit confugiendum nobis ad authoritatem Ecclesiæ, quæ corruet si authoritas Scripturæ non stet firma.

Sed priusquam hûc veniam, ratio institutæ disputationis requirit, vt amoliar illa quę aduersus ea, quæ à nobis dicta sunt, objiciuntur, quæ leuia sunt. Ac primò illud posset objici, quod est grauissimum; Nempe, quod non videtur conuenire iustitiæ Dei,& bonitati Dei, vt miseros homines puniat ob ea quæ credere nequiuerunt: nemo enim potest credere id quod non intelligit; fuit autem prima hæc Nota primi ordinis Verbi Dei: nempe vt Verbum Dei sit eiusmodi, vt contineat ea quæ superant humanæ mentis captum. Et certè id Verbi Dei natura poscit, alioquin esset Philosophia, non autem Verbum Dei.

1. Obj.

Vt hæc objectio soluatur, non est recurrendum ab absolutam potentiam Dei in creaturas: Nam si damnantur ideo homines quod non admittant veram religionem, id non fit absoluto Dei iure, sed iure Dei iustitiâ & æquitate temperato. Deus enim Judicis partes agit; ij autem Iudices sunt, qui iudicant ad pręscriptum Legis & iustitiæ, ita vt qui iustitiam hanc voluerit detrahere Deo, neget Deum Judicem esse; quòd pugnat cum illâ notitiâ, quam Deus inseuit hominum mentibus, de summâ suâ iustitiâ. Non est igitur quæstio hæc contemnenda.

Resp. ...ius fit ...rejici...

Cæterùm, res non erit vsque adeo difficilis, absit modò studium contentionis (quod omnes Christianos dedecet, præsertim verò Theologos, licet tamen etiamnum hodie nimis vigeat, vnde solemne prouerbium, *Odium Theologorum*) si habeamus ob oculos quibus,& quot modis aliquid imposſibile dicitur.

Est enim ex imposſibilium generẽ quoddam, quod fieri nõ potest vt Deus exigat à creaturâ, est enim Deus Sapientissimus, Optimus, Iustissimus;& est item aliud imposſibilium genus, quod Deus meritò exigit à creaturâ. Non licet hîc nobis ea adferre exempla, quæ traduntur nobis in religione Christianâ, quandoquidem eò nondum ventum est: non enim sumimus pro confesso, Christianam religionem veram esse, verùm id est quod probare conamur: Itaque exemplum à religione Christianâ petitum alienum foret. Quò ergo confugiemus? nimirum vt consulamus lucem illam rationis, quæ nobis post peccatum reliqua facta est, lucem illam quæ in tenebris lucet, sed tamen quam tenebræ non comprehenderunt. Jam verò lux rationis suadet quoddam esse imposſibilium genus, quod eiusmodi sit vt posſit meritò exigi ab homine.

...a affer...

...possibi... ...m duo ...nera.

Sed hæc dicta in genere, dicuntur à nobis confusè, sine exemplis & rationibus: Hoc igitur nunc agimus. Ac primò quidam, certum est ea quę ita sunt imposſibilia, vt cur sint imposſibilia, causa sit extra hominem, non autem in homine, illa huiusmodi sunt vt Sapientiam Dei, Bonitatem Dei, Justitiam Dei non posſit decere vt ea exigat ab hominibus; vt verbi gratiâ, si Deus ab infante bimulo exigeret, vt loqueretur Hebraicè, aut si Deus exigeret à cœco vt Solem intueretur, aut verò exigeret à claudo vt incedat rectus. Certè illa omnia sunt eiusmodi, vt, quòd sint imposſibilia, non aliunde proficiscitur, quàm quòd eorum causa extra hominem est. Id autem extra hominem est, quod non pendet à voluntate & intellectu *practico* hominis, (detur venia verbo, sic enim Aristoteles loquitur) est autem intellectus *practicus*, intellectus qui iudicat de rebus agundis vel non agundis. Quæ igitur sunt eiusmodi vt quod fieri non posſunt ab hominibus non aliunde oriatur, quàm quòd causam habeant extra hominem, illa (inquam) Deus non exigit ab hominibus, neque verò exigere potest. Vt res explicetur clariùs, non exigit Deus à paupere, vt eroget eleemosynam, alienum id est à suprema illius iustitiâ, neque item exigit Deus ab ægro vt sit corpore firmo & valido, etenim hoc non est constitutum in intellectu, in mente, in iudicio, in voluntate ęgri: fingamus enim ęgrum iudicare sanitatem rem esse optimam & conducibilem,& secundum hoc iudicium eam appetere, attamen non erit positum in illo iudicio & appetitu ægri vt consequatur sanitatem. Quæ sunt eiusmodi, Deus non exegit.

1. ...rũ quo... ...m causa extra ...minem.

Alterum genus eorum quæ imposſibilia sunt id est, quod cùm cui præscribitur vt quod bonum, iustum,& æquum est, faciat, causa cur non obsequatur non alia statui potest, quàm quia ita est deprauato, præfracto, & perdito ingenio, vt non posſit à se impetrare, vt quod iustum est faciat: Huius rei exempla non affero (vt dixi suprà) ex Scriptura, in vita enim obuia sunt; Et certè huius generis exempla deprehendunt aliquando patres in liberis, maritus in vxore, Rex in subditis. Nam sæpenumerò euenit vt pater exigat à liberis, quod liberi non posſunt præstare,& tamen pater, si bonus fuerit, nihil exigat à filio quod non sit iustum, nihilominus tamen filius id non pręstat, neque verò præstare potest. Quid ita? nimirum ob prauitatem & malignitatem ingenij. Item sæpenumerò euenit, vt maritus exigat ab vxore suâ, quę vxor pręstare nequit, nempe vt ne scortetur, & (vt loquitur Scriptura) *ne ardescat in alienum*, vt amet, colat,& honoret virum suum. At illa hoc existimat multò difficilius quàm totum cælum emetiri. Vnde hoc fit? nempe propter perditum ingenium, & deploratam animi malignitatem. Denique, huius generis exempla obuia sunt in Rebuspublicis, in quibus multos inuenias, quos iusta, minax, terrifica, & grauisſima legum pœna non reprimit, & rigidum legis frænum non cohibet, sed multi sunt ex leges, à quibus frustrà exigas vt obtemperent legi, non enim posſunt: Attamen iure & meritò obsequium legis iustum ab iis exigitur. quid ita? quia si non præstant quæ lex præcipit, ideò non præstant quòd mali sunt.

2. Eorũ quorum causa est in hominis voluntate.

Exempla sunt in vita obuia.

1.

2.

3.

Hoc constituto, iam rectâ ad argumentum. Dico ergò, quod mysteria religionis superant captum humanæ mentis (modò superent) hoc inde esse quia mens humana nequam est: non

Soluitur objectio proposita.

impedierit hoc tamen quominus ea religio vera sit; continet enim illud quod dicitur ab Apostolo *mysterium pietatis*: & *mysterium* quidem à quo natura abhorret, quia ducit ad pietatem. Quod est vnicè obseruandum; multę enim sunt causę quibus adducuntur homines ad contemnendam religionem: Itaque qui de religione malè sentiunt, inter se dissentiunt, vt Turcæ & Iudæi; Turcæ enim de religione malè sentiunt, Iudæi etiam malè sentiunt, sed tamen non eodem modo vtrique, Turci aliter, aliter Iudæi. Sed plurimùm interest scire, quâ de causâ ista dissentio nascatur. Nam, qui de religione ideò diuersum sentiunt quod hęc propiùs accedit ad pietatem, hęc verò longiùs a pietate recedat, ij non dissentiunt frustrà, sed iustâ de causâ: Sed plerunque euenit, vt studium patrum nostrorum, & quod magis receptum est, quodque facit ad libidinem, faciant vt faueamus huic aut illi religioni. Dicimus ergo eam esse veram religionem, quæ exigit, ab iis qui eam profitentur, qui superant quidem captum humani ingenij, sed eiusmodi tamen sunt vt quod superant humani ingenij captum, non aliunde proficiscatur quàm à nequitia humani ingenij. Neque tamen hoc volumus, posse fieri vt animus humanus ea excogitet: eò enim non potest assurgere mês humana, quantumuis pura foret: At tamen volumus, vt ea à solo Deo excogitata & sibi proposita agnoscat, pro diuinis, abiit modò peccatum, & facessat humani ingenij malignitas. Id est de quo nos admonet Christus Ioan 7.17. *Si*, inquit, *quis voluerit eius* (id est Patris) *voluntatem exequi, cognoscet de Doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Quo loco Christus hoc tantum voluit (alloquitur autem Iudæos) significare, quod Euangelium contemnerent, id non aliunde oriri quàm à peruersitate auditorum, eorum nempe: lex enim Dei sancta est, cor verò hominis prauum. Interim tamen obseruandum est, legem non esse Deo præscriptam, sed ipsum Dei velle naturâ suâ lex est: legem enim neque agnoscit Deus, cùm non habeat superiorem, sed ipse sibi lex est, quippe qui naturâ suâ sit sapientissimus, optimus, iustissimus; vt enim ignis non potest refrigerare, ita Deus non pugnat cum suâ natura; quod non est impotentia, sed summa potentia, nihil enim posse iniusti summa in Deo potentia est.

Quomodo Mysteria religionis superant captum humanũ.

Sic soluta esto objectio hæc. Vèrumtamen quia versamur eo sæculo, in quo est vel magna calumniatorum frequentia, vel etiam infirmorum multitudo, explicandum est quod suprà dictum est à nobis, antequam vlteriùs progrediamur. Nam hæc sunt eiusmodi, quæ posśint fortasse videri tribuere aliquid Pelagianismo, aut verò Semi-Pelagianismo. Non enim vox latet quàm pugnatum sit acriter circa locum illum Ioh.7. à nobis allatum: non vos fugit quàm diuersę, & pugnantes, afferantur à multis huius loci interpretationes, quas referre nunc temporis nihil est necesse. Locus est quidem illustrissimus, sed eius lux multos offendit; neque id mirum, semper enim solis lux lippi oculis sit noxia, non sua, sed oculi culpa. Vt autem perspiciatur loci sensus vnum velim vos esse monitos, vt teneatis arctè, aliud esse, *iudicare quid posśit animus humanus seposita malitia*, aliud verò, *quid posśit adjunctâ peruersitate & malitia*; non est enim mali bona facere,

Vindicatur & explicatur locus Ioan. 7.17.

bona enim arbor producit fructus bonos, putris autem malos fructus fert. Itaque certè, quod quis non agnoscit Verbum Dei, hoc fit quia adhæret naturæ malitia; vt iis quibus res est cum febre, gustant quidem cibos, sed quia imbutum est palatum eorum humore acri, omnia amara illis videntur. Ita planè se res habet cùm agitur de religione; est enim imbuta mens prauâ, qualitate, peccato scilicet, quod facit vt non placeat doctrina.

Neque metuendum est id quod verentur nonnulli: Sic enim disputant, si priusquam fecerimus voluntatem Patris non possumus de doctrina iudicare, hoc est iudicare de Doctrinâ priusquam iudicemus de doctrinâ. Sic illi disputant, & acutè quidem: nemo enim quid facit qui non idem iudicet, & tum demum aliquid rectè fit cùm fit iudicio, quod autem rectè fit necesse est id fiat Dei iussu, in quo animus acquiescit: quod autem fit Dei iussu, cum iudicio fieri necesse est. Hoc ita certum est, vt etiam agnitum fuerit à Cicerone ipso, homine prophano, nihil enim voluit rectè fieri, nisi quod fit rectâ conscientiâ. Itaque non vult virum bonum, cùm illi aliquid agundum est, dubitare; vt idem hâc in parte velit, quod dicit Apostolus, *Quicquid fit sine fide peccatum est*, quod enim sine fide facimus dubitantes & cespitantes facimus. Cùm ergo nemo posśit facere voluntatem Dei quam non agnouerit, vnde Christus dixit, *Si quis voluerit eius voluntatem exequi, iudicabit de Doctrinâ?* vult enim (vt videtur) antecedere id quod naturâ suâ sequitur, nempe vult antecedere *exequi voluntatem*, sequi autem *iudicare de Doctrina*: At contra se res habet, necesse est enim præcedere iudicium, voluntatem autem sequi.

Obj. Nouatorum ex loco illo.

Sed quæstio hæc non est difficilis, si absit pertinacia. Res enim ita se habet: Sunt reuelationis diuinæ gradus quidam, quorum primus gradus est ad secundum, secundus autem ad tertium, & sic deinceps. Sed quinam sunt isti gradus reuelationis diuinæ? nempe nulla gens est tam effera, tam barbara, quam Deus celauerit bonitatem suam: nam solem suum oriri facit super iustos & iniustos; & ea sufficit hominibus vnde colligere posśint certissima bonitatis suę argumenta: Certos autem dignatur beneficio multò magnificentiori, quales ij sunt quos voluit Ecclesiæ suæ membra facere. Atque in iis immane quantum est discrimen, aliis enim fusiùs, aliis parciùs annuntiatur verbum Dei. Cæterùm nemo est qui ausit cum Deo contendere, quin causâ cadat, licet Deus non vtatur absoluto suo iure, sed eo tantùm quod est iustitiâ & æquitate temperatum. Itaque hoc voluit Christus hoc loco, *Si*, inquit, *perceptam habuissetis doctrinam Mosis, non quidem mente Theoretica, sed mente Practica, quæ excitat ad opus, iudicaretis de doctrina*, id est, *qui luce illa, quæ sibi indulta est, rectè vtitur, agnoscit nouum augmentum lucis*: Vt qui occlusit oculos ad occidentem Solem, profectò & ille ad orientem Solem oculos occlusit, quippe deprehendetur à Sole oriente oculis occlusis: At contrà, quem sol oriens apertis oculis deprehendit, tanta eum circunfulget luce, vt eum rapiat in admirationem, & efficiat vt prior lux ei tenebrarum sit instar. Ergo quæstionis solutio facillima est, nempe gradus sunt in reuelatione, aliter enim exhibuit se Gentibus, aliter

Resp. ad Object.

Varij reuelationis Diuinæ gradus.

Explicatur locus suprà allatus.

alite. Judæis sub veteri Testamento, aliter sub Euangelio, sed hi gradus reuelationis fuerunt ad vltimam reuelationem gradus.

Inst. Ref. Sed, inquiet aliquis, si ita se res habet, Pelagianismo lata aperitur porta. Minimè verò: Nemo enim est mortalium, sine Spiritu Christi, qui hâc luce rectè vsus sit; vnde fit vt omnes mortales hâc ratione fiant inexcusabiles, quia quod non agnouerunt hanc lucem, hoc non aliunde profectum est quàm ab eorum nequitiâ; contra qui eam agnouerunt nihil habent in quo glorientur, id enim omne, quodcunque tandem sit, ortum est à vi spiritus Christi, qui edomuit pertinaciam intellectûs & voluntatis.

2. Object. Secundo loco obijci potest, aduersus ea quæ diximus, scilicet multa esse miraculosa in falsâ religione, multa admiranda, multa quę in admirationem rapiunt: Meministis enim hanc fuisse secundam Notam primi ordinis Notarum Verbi Dei, vt religio non modò tradat quæ superant mentem humanam, sed quæ rapiant homines in admirationem. Sed hîc opus est distinctione, quâ tandem? Admiranda dici possunt vel *Miracula*, vel *Dogmata*. Et superstitiones quidem hanc miraculorum laudem sibi arrogare, id verò non est mirandum: nos autem non agimus, & loquimur, de miraculis, sed de dogmatis: quanquam falsa religio falsa etiam miracula sibi vendicat. Falsa, inquam, miracula; Verum enim miraculum id est, in quo vel in re quæ fit, vel in modo faciendi, apparet aliquid fieri ex nihilo. Jam autem vt aliquid fiat ex nihilo opus est omnipotentiâ; nulla autem est omnipotentia nisi in Deo. Itaque à solo Deo miracula fieri necesse est. Quod si in superstitione miracula esse iactent superstitiosi, miracula sunt in speciem, non reapse. Itaque Idolum hoc, quod celebratur in viciniâ nostrâ, non excitat mortuos. Vera miracula dicenda sunt quæ conficta esse nequiuerunt, quorum probatio apud posteros, non aliunde desumatur quàm ab ipsâ doctrinâ: Non enim est credibile eum qui ingenuè præscribit quod est faciendum, eundem id ipsum confirmare falsis miraculis, iam qui vera docendo probatur se nolle mentiri, ficta profectò non ediderit miracula. Verum hoc est quidem, quemadmodum qui monetam cudunt adulterinam, solent huic admiscere aliquid auri aut argenti, vt commendatior sit, & faciliùs simplices decipiantur; Ita nulla est doctrina quæ se profiteatur esse Verbum Dei, quæ non sibi vendicet quædam miracula, vt se commendet: in verâ autem religione omnia miracula vera sunt, præter quæ ratio suadet: atque illa sunt quæ referuntur ad Dogmata.

[margin: De Miraculis falsæ religionis.]

[margin: Ref.]

3. Object. Tertiò obijci potest, Quod non conuenit soli Dei verbo, vt nihil in eo dissidens sit, nihil discrepans, cùm id ipsum cernatur in scientiis humanis, quæ nullę sunt si vlla iis inest repugnantia, quæ cum veritate stare non potest: Etenim (vt dictum est suprà) falsum à falso sæpè discrepat, at verum à vero dissentire non potest, vt sit hæc eadem veri ratio quæ est linearum rectarum; fieri enim non potest vt linea recta non quadret lineæ rectæ. Et pariter eadem erit omninò ratio falsitatis, quæ est linearum obliquarum, quæ neque inter se quadrant, neque cum lineâ rectâ.

[margin: συμφ... in scientiis humanis.]

Ref. 1. Sed hæc objectio futilis est & nulla, multis de causis. Prior, quia quę non prosunt singula, multa iuuant. Nolumus hanc solam esse notam Verbi Dei, sed esse vnam ex multis: non enim ex separatim, sed coniunctim cum iis quæ præcedunt, intelliguntur. Diximus autem primo loco, reuelationem diuinam esse eiusmodi vt superet captum humani ingenij, deinde verò tertio loco diximus, eam reuelationem eiusmodi esse debere, vt omnia in illa cohæreant, nihilque habeat repugnans, nihil discrepans. Hæc est prior responsio.

2. Altera ratio, quæ facit vt objectio hæc sit futilis, multo grauior est: nã nulla est humana scientia, cui hęc nota conueniat. Quod vt intelligatur animaduertendum est. Scientiam aliter considerari pro eo ac est in semetipsâ, aliter verò considerari pro eo ac traditur: nam Scientia, pro eo ac est in semetipsâ, necesse est vt non contineat falsum in se: sed tamen pro eo ac traditur, non ex se, sed propter infirmitatem & imbecillitatem humani ingenij, in eâ multa traduntur falsa; nullum vt sit genus scientiæ, quin contineat aliquid falsi, solâ fortasse exceptâ Mathematicâ. Cuius rei ratio hæc est, quod Mathematicæ demonstrationes referuntur ad principium quod cadit sub sensum: Itaque in Mathematica fortasse nullus est error. Hæc ratio adduxit Aristotelem vt illi attribueret ἀκρίβειαν, nempe quia conclusiones Mathematicæ reducuntur ad principia quę ipsis sensibus comprobantur, vnde factum vt *demonstrationis* nomen Mathematicæ proprium fuerit, propter conclusionum euidentiam. Reliquæ enim scientiæ, quo longiùs constitutæ sunt à sensibus, eò obscuriores sunt, vt verbi gratiâ, Physica & Metaphysica omnium à sensu remotissima. Itaque coacti sunt Physici hîc agnoscere caliginem humani ingenij. Verùm non est ea ratio Verbi Dei, nam est eiusmodi, vt non tradatur à ratione, quæ fallitur & fallit, sed ab ipso Spiritu Dei, ipso Dei instinctu, qui non potest fallere, neque decipere, vt ipse neque fallitur, nec decipitur, nec verò falli aut decipi potest.

[margin: Scientiæ considerantur vel *in se* vel *vi docentur*.]

[margin: Sola Mathematica nihil tradit falsi.]

Inst. 1. At sunt quędam tamen, dicet aliquis, etiam in Verbo Dei, quæ sunt ἐναντιοφανῆ, id est, quæ speciem habent repugnantiæ. Non est leue argumentum, etiamsi primâ fronte videtur res expeditu facillima, vt nempe dicamus aliud esse *repugnantiam*, aliud autem *speciem repugnantiæ*: & verbo Dei inesse quidem speciem repugnantiæ largiamur, negemus inesse repugnantiam. Hoc pacto res videtur confecta: Sed tamen non ita se res habet; Nam quod iudicio mentis nostræ videtur pugnare, eiusdem modi est, quod ad nos [...] reuerâ pugnaret: Itaque si id quod [...] pugnare refertur ad iudicium nostrum [...] *deri pugnare* & *reuerâ pugnare*: Vt verbi [...] aliquid iudicio oculorum videtur es[se] album, quod est flauum, profectò oculus iudicat de iis rebus quæ flauæ sunt, ac si essent albæ. Itaque non tollitur omnis difficultas, si distinguamus inter speciem repugnantiæ, & repugnantiam: nam etiam qui profitentur falsam religionem, dicerent repugnantiam illam, quæ est in illa religione, non esse reuerâ repugnantiam, sed in speciem tantùm.

[margin: Resp. minus solida.]

Inst. 2. Deinde huc accedit illud, boni viri inter se dissentiunt, etiam in religione; videmus discrepantes eorum hominum, qui eandem profitentur

religionem, & quidem de ipsâ religione, sententias. Vnde igitur illa discrepantia? vnde hoc dissidium, nisi ex repugnantiâ dogmatum? nempe quædam communia sunt principia in verâ religione, vnde diuersæ conclusiones deducuntur. Inde sententia illa quæ obtinet locum Prouerbij, *licet bonis inter se dissentire, saluâ veritate.*

Resp. vera ad 1 Obj.

Respondeo, ac primò quidem, hæc differentia est repugnantię *in speciem* & *vera* repugnantię, quod quæ in speciem tantùm repugnant; repugnant collata inter se, non repugnant collata cum suo principio. Exemplum, est principium in Physicâ, *Omnem quantitatem esse diuisibilem in infinitum*: & item est principium in Physicâ, *Omnem quantitatem esse finitam.* Hinc oritur ἐναντιοφανὴς, nempe si ista conferantur inter se, vt quod finitum est dicatur diuidi posse in infinitum, & contrà, quod est diuisibile in infinitum, dicatur esse finitum. At non sunt ista contraria cùm conferuntur cum principiis suis: nam hoc est principium, *Omnem quantitatem ex quantitate constare*, corpus fit ex corpore, superficies ex superficie, linea ex lineolâ, ex terminis enim & indiuiduis nulla fit quantitas. Itaque *omnem quantitatem esse diuiduam in infinitum*, ita verum est vt etiam se probet menti. Item, & *omnem quantitatem finitam esse* principium est, est enim omnis quantitas vel discreta, vel continua: Si continua, est vna; si vna, certis limitibus continetur; si certis limitibus continetur, habet figuram; si habet figuram, vel est quadrangularis, vel triangularis, aut vna ex aliis figuris, quæ finitæ sunt. Itaque, quantitatem finitam esse oportet. Itaque animus probè affectus agnoscit ἐναντιοφανὴς, non putat tamen inesse contrarietatem: videt enim illa cohærere cum principio, dubitat tantùm quomodo conciliandæ sint. Vnde factum est vt imperiti Physici putarint, *Quantitatem esse diuisibilem in infinitum* esse rem planè ridiculam: & assecuti sunt speciem veritatis, hæc enim partitio non fieri potest nisi mente. Sed hoc vt exemplum attulimus, itaque non licet illud nobis fusiùs persequi. Vt igitur nulla inter hæc est repugnantia, si conferantur cum suis principiis, ita etiam planè omnino se res habet cùm agitur de Verbo Dei; fieri quidem potest vt sit species contradictionis inter dogmata, quum inter se conferuntur; sed si conferantur cum suis principiis, nulla prorsus inuenitur repugnãtia. Itaque animus humanus vtrumque dogma verum esse agnoscit, non potest tamen illa dogmata inter se conciliare; in quo elucet acumen ingenij, quo enim quis acutiori ingenio præditus est eo rectiùs ea conciliauerit. Id ipsum euenit in Sophismatis, faciunt enim Sophismata vt appareat, seu videatur inesse contrarietas, non faciunt tamen vt discedatur à principio, agnoscit enim quis Sophisma, qui tamen illud soluere non nouit.

Repugnãtia contra... exemplum e Physica.

Applicatio exempli & distinctionis.

Alterum verò illud quod allatum est à nobis, nempe, quod viri boni etiam de verâ religione inter se dissentiunt, videtur esse multò grauius; cęterùm nihil facit ad rem. Quid ita? quia etiam videre est in scientiis humanis. Duo erunt viri doctissimi, peritissimi Physicæ & Metaphysicæ, & tamen non erunt in eâdem sententiâ. Id præterea videre est in omnibus scientiis. Attamen viri illi in eo conueniunt quod præcipuum est in scientiâ, nempe in principiis. Sunt quædam conclusiones remotæ, quæ longè deducuntur à principiis, in iis viros bonos dissidere non est mirandum. Neque tamen ea res quippiam detrahit veritati Verbi Dei, tantùm arguit humanæ mentis imperfectionem & imbecillitatem; quæ eodem modo se habet ad Verbum Dei, vt se habet oculus ad solem; admittit enim oculus solem pro oculi modo: sic pro modulo spiritûs mens percipit Dei Verbum. Itaque vt vt sapientes inter se dissentiant tamen aliter dissentiunt, quàm stulti & sapientes: stulti enim dissentiunt à sapientibus cùm agitur de summâ rei; Sapientes non item, sed tantùm cùm agitur de iis quæ abstrusiora & reconditiora sunt, proindeq; minus necessaria ad humanam vitam. Itaque videtis quò spectent qui hæc dicunt, nimirum eò spectant, vt omninò tollatur Verbum Dei. Nos igitur meminerimus aliud esse, considerare Verbum Dei pro eo ac traditum est, aliud verò, considerare idem Dei Verbum, pro eo ac percipitur ab auditore.

Vnde fit quod etiam viri boni inter se dissentiant.

Obj. 4.

Ne disputatio hæc vlterius quàm par est protendatur, non afferemus ea quæ facerent ad illustrationem eorum quæ dicta sunt à nobis, sed tantùm ea quæ pertinent necessariò ad intelligentiam illius argumenti quod iam tractamus. Inter hæc autem illud primum potest obtinere locum, quod affertur aduersus id quod dixi, *Verbum Dei, etsi sit supra rationem, tamen non esse eiusmodi vt rectæ rationi repugnet*, videntur enim non cohærere: Nam si Verbum Dei non repugnat rectæ rationi, videtur etiam non esse positum supra rationem, si verò positum est supra rationem, videtur etiam repugnare. Quod verò allatum est à nobis exemplum, ad hanc rem illustrandam, non videtur vsque quaque quadrare: Diximus enim quædam percipi à ratione, quæ non possunt à sensu percipi, cùm tamen ratio non pugnet cum sensu; hoc, inquam, exemplum non videtur vsquequaque quadrare, quia sensus nullo modo iudicat de iis quæ ratione percipiuntur, sed continet se suis finibus: At contrà ratio iudicat de iis quæ pertinent ad fidem, nam alioquin quomodo posset iudicare, quænam illa sunt quæ pugnant cum ratione, aut quæ non pugnant.

Vera religio si superat rationem, videtur omnino cum ea pugnare.

Hic nodus nobis soluendus est. Non potest autem solui nisi definiamus, *Quid sit esse suprà rationem.* Quod vt percipiamus illud teneamus necesse est, nempe, tres esse gradus cognitionis humanæ: (non omnes recito humanæ cognitionis gradus, sed eos tantùm quorum descriptio facit ad rem quam nunc agimus.) Primus gradus est, vt sciamus rem esse possibilem, non enim potest semper ratio percipere, rem esse, atamen potest percipere ratio rem posse esse: vt verbi gratiâ, memoriâ patrum nostrorum visa est stella in Asterismo Cassiopeæ, nulla ratio potuit percipere eam stellam visum iri, attamen recta ratio potuisset concludere, id esse possibile: Ita manifestum est aliud esse *iudicare quid sit possibile*, & omnino aliud esse, *iudicare quid sit*, aut verò, *quid futurum sit.* Iam verò ea omnia possibilia sunt quæ non implicant contradictionem, (vt loquuntur in scholis) quę non ita inter se pugnant, vt se inuicem euertant. Hoc illud est quod potest ratio in dogmatis fidei; Quanquam non possit percipere ea dogmata, quę traduntur in religione, ita se

tres cognitionis gradus.

1. *Rem esse possibilem.*

ita se habere, attamen potest percipere, rem posse ita se habere, & nihil habere repugnantię cum principiis. Hanc non repugnantiam recta ratio percipit, sensus non item, sensus enim est vis bruta quæ agit absque iudicio. Itaque, non est visus qui iudicat de mollitie; mollities enim non est objectum visûs, sed tactûs. Itaque bestiæ non ratiocinantur, sed homo.

2. *Cognitio confusa.* Secundus gradus cognitionis humanę est cognitio illa quam (docendi causâ) *confusam* appellabimus: Cùm nempe aliquid confusè scimus, quod nescimus distinctè. Confusè autem aliquid scimus, cùm scimus principia, conclusionem autem, quę elicitur ex principiis, nisi à peritiori eliciatur, nondum percipimus, sed tamen postquam prolata est in lucem, & ex principiis deducta, tunc eam perspicimus. Vt verbi gratia, qui accedunt ad discēdam aliquam disciplinam, frustrà accedunt ad eam addiscendam, nisi teneant confusè præcepta illius disciplinæ, quàm student addiscere: Idipsum enim illis eueniet, quod euenit sciscitātibus viam quâ eundum est Lutetiam, si illi prorsus locorum sint imperiti: nunquam enim quærendi finis illis esse poterit, sed si quis agricola dixerit illis, pergendū esse ad vicum quendam, rursus quęrent quâ viâ, & ita in infinitum. *aliud simile.* Hoc est confusè aliquid scire, quæ cognitio omninò ad distinctam necessaria est: nam, quemadmodum nisi qui mouet quiescat non potest mouere (si enim mouetur non mouet, & si mouet non mouetur, mouetur autem quatenus mouet, nisi quiescat: Itaque Archimedes, fabricato sibi instrumento quo moueret quemuis molem, postulauit sibi dari locum in quo quiesceret, dixitque fore vt terram ipsam loco moueret) ita planè nisi sit aliquod principium cognitionis, in quo mens humana acquiescat, nihil potest vnquam addiscere. Hoc sensu possunt dici dogmata religionis constituta supra rationem humanam, nempe principia vniuersaliora religionis pόssunt quidem confusè cognosci à rectâ ratione, sed tamen non distinctè. *Exemplū à Religione sumptum.* Secundum exemplum adferam de religione, sed in quo omnes consentiunt. Nulla est religio quæ non putet opus esse vt Deum placemus, itaque in omni religione, quantumuis barbarâ, quædam sunt placamenta Dei. Quid est ergo hîc positum supra rationem? Quod nempe ratio nunquam potuit deprehendere verum Dei placamentum: habet quidem illius confusam quandam notitiam, itaque postquam verum, germanum, & genuinum Dei placamentum illi propositum est, acquiesceret ratio nisi esset peccati labe corrupta & inquinata: non enim acquiescit recta ratio in hoc genere placamentorum, quæ posita sunt in hisce rebus terrenis & fluxis, teste Poëta,

Ah! nimiùm faciles, qui tristia funera cædis
Tolli flumineâ posse putatis aquâ.

Itaque dogmata veræ religionis dicuntur esse constituta supra rationem, quia ratio habet tantùm confusam eorum notitiam.

3. *gradus cognitionis, quum cognoscimus τὸ ὅτι rei.* Tertius gradus cognitionis humanæ, qui facit ad rem nostram, hic est, cùm tenemus certò rem ita se habere, attamen non constat ratio, dum dispicimus, vnde sit vt res ita se habeat: huius rei multa sunt exempla in Physicâ, ex quibus vnum proferam notissimum; Scimus aliquando rem ita se habere, neq; tamen tenemus à priori rationem cur res ita se habeat, vt; verbi gratiâ, in demonstratione ὅτι rem ita se habere intelligimus, quomodo autem res ita se habeat non intelligimus, nisi per demonstrationem διότι. Ita in religione multa sunt quæ percipit humana ratio, & nouit ita se habere, *at non διότι.* sed Verbum Dei est quod reddit rationem, cur ita se habeant; verbi gratia, ratio deprehendit magnam esse perturbationem animi humani, atque eiusmodi perturbationem qualis nulla sit in belluis, neque in vllâ parte naturæ, si solum hominem excipias, vt nempe *virtutem quis videat intabescatque relictâ, vt homines mortem exhorrescant frustrà* (nam naturâ exhorrescimus illa quæ natura nos docuit esse eiusmodi vt ea possimus euitare, itaque non exhorrescunt belluæ mortem.) At nulla ratio potuit percipere, aut verò poterit vnquam, vnde orta sit hæc perturbatio animi humani, postquam autem prolata est causa & ratio huius perturbationis ex Scripturâ, tum demum mens humana intelligit, illam causam quæ exponitur in Verbo Dei, eiusmodi esse vt ratio non possit aliorsum illam referre. Itaque idem iis euenit qui profitentur veram religionem, dum huius perturbationis causam quærunt in scriptis Philosophorum, quod scripsit Poëta,

Suaue, mari magno pulsantibus æquora ventis,
E terrâ alterius magnum spectare laborem.

Nam nos instituti verbo Dei multarum rerum, quas ipsi Philosophi ignorarunt, causa tenemus. Jam quantum temporis & argumenti ratio patitur, explicaui, vt puto, quomodo ea quæ posita sunt supra rationem non repugnent rectę rationi.

Obj. 5. Præterea, & hoc scrupulum potest injicere, quod cùm ad secundi ordinis verbi Dei Notas ventum esset, diximus, hanc esse verbi Dei rationem, vt tradere debeat de Deo, de ratione vniuersi, quæ expleant animum; Nam multa huius generis tradita sunt à Poëtis & Philosophis, diuina planè: occurrit enim passim in eorum scriptis clara Dei mentio, miseriæ humanæ descriptio, rationis Vniuersi, atque iudicij Dei, tum etiam prædicantur beati qui Deo curæ sunt, & traduntur pręcepta vitæ rectè instituendæ egregia prorsus.

Ref. Sed quantum sit hoc expendimus aliàs, cùm diximus de necessitate Verbi Dei, ita vt nihil sit necesse illa iam repetere. Sunt quidem, in scriptis veterum Philosophorum & Poëtarum, obscura quædam & incerta veræ religionis vestigia, vt qui legunt codicem vetustum, in quo omnes litterę vel præ carie, vel præ nimia vetustate, exiliores redditæ sunt quam vt possint percipi, vnde nascuntur plures & grauissimi errores inter legendum: Ita in ratione humanâ sunt quædam notæ diuinitatis, & diuinæ lucis vestigia, sed quæ non vetustas temporum, at vetustas illa, quam Apostolus *veterem hominem* appellat, obliterauit, & penè deleuit, ita vt opus sit authore libri, qui describat codicem, & addat commentarium.

Obj. 6. In tertio ordine primi generis Notarum Verbi Dei collocaui illas notas, quæ ad ipsam Verbi Dei essentiam pertinent, quæ duæ sunt, Remissio peccatorū & Sanctificatio. *Ref.* Omnis Superstitio has notas sibi vindicat, sed vera religio ea

demum est quæ tradit rationem remissionis peccatorum, & sanctificationis. Hæc autem ratio non est eadem in omnibus superstitionibus, itaque, quæ religio rationem tradit quæ quadrat cum verâ remissione peccatorum & sanctitate, ea demum vera est religio. Non immoror diu in illis, sed illa breuiter perstringo, quia meum consilium est hâc horâ, si Deus dederit, imponere finem prolixæ huic disputationi.

Obj 7. aduersus Antiquitatem.

Altero genere Notarum Verbi Dei complexi sumus ea quæ illi accedunt extrinsecus, in istis autem Notis recensuimus *Antiquitatem* primo loco, *Perennitatem* secundo; iam verò multæ sunt superstitiones antiquissimæ. Sed hoc leue est, nam aliquid nouum dicitur vel respectu *cognitionis nostræ*, vel respectu *cognitionis simpliciter*. Respectu cognitionis nostræ ea sunt noua quæ hodie primùm didicimus, quamuis iam olim aliis ea fuerint nota. Respectu cognitionis simpliciter ea dicuntur noua, quæ à nemine mortalium vnquam anteà cognita fuerunt. Itaque distinguenda est cognitio κατά τι, cognitio huius aut illius, à cognitione ἁπλῶς. Fatemur ergo multas superstitiones antiquiores esse verâ religione, si æstimentur ex cognitione huius aut illius, vt verbi gratiâ, Ethnicismus, respectu Ethnici conuersi ad Christum, antiquior erit quàm Christianismus: Attamen in se Christianismus antiquior est Ethnicismo, etiam respectu cognitionis simpliciter. Itaque videtis quid respondendum sit iis qui se venditant titulo Antiquitatis.

Ref. Nouum bifariam dicitur.

Obj. 8. aduersus Perennitatem.

Diximus etiam, Notam veræ religionis esse *Perennitatem*, quam descripsimus non perennitatem religionis occultæ in Deo, sed patefactę hominibus, nullum vt fuerit sæculum in quo Deus se reliquerit ἀμάρτυρον *sine testimonio*, vt loquitur Apost. Hic locus requireret amplissimam disputationem, sed eam differemus in id tempus, quo, Deo iuuante, dicemus eas Notas conuenire Dei Verbo quod exstat in scriptis Veteris & Noui Testamenti consignatum. Sed interim eximendus est hîc scrupulus: videmus multa mutari in religione Christianâ, non enim semper fuit Christi Euangelium. Itaque Apostolus cap. 1. 2. Rom. ait, *Euangelium fuisse promissum antè Patribus*, quo pacto ergo poterit dici religio perennis, quæ fuit aliquando in promissione? Hic scrupulus leuissimus est, nam quemadmodum vera cognitio suos habet gradus, ita vera religio suos habet gradus, neque nuper inuentum dici debet, quod cohęsit cum iis quæ iam olim cognita fuerunt, vt verbi gratiâ, nihil docuit Paulus extra legem & Prophetas, hoc est, quod non posit elici ex lege & Prophetis vt conclusio ex principiis.

Ref.

Obj. 9.

Etiam & hoc posset alicui negotium facessere; quod diximus hoc esse ingenium veræ religionis vt in se conflet hominum odia, cum superstitio idipsum faciat. Hoc obiter antea explicatum est à nobis, iam verò idipsum, & fortasse clariùs, repetemus. Plurimum enim interest scire, quâ causâ impellantur homines ad odium religionis. Aguntur enim interdum studio inanis gloriæ, sæpe enim fit vt qui alioqui de religione benè sentiunt, non tam amore veritatis quàm studio nominis sui, excitent odia aduersus homines doctrinam aliquam proponentes quam illi putant à veritate abhorrere, vnde oriuntur Schismata in Ecclesiâ; Non enim satis est veritatem tueri, sed solo eius studio tuenda est. Deinde, etiam iis qui proponunt doctrinam aliquam quæ respectu nostri videtur noua, conciliatur odium, quia impugnat patrios ritus, quorum animus tenacissimus est: Nam prout quisque patriam diligit, si modò ingenuus fuerit, eo fit vt inflammetur odio aduersus eos qui hanc doctrinam proponunt, nullo veritatis amore, sed patriæ. Denique, & ij hominum odium in se concitant, qui doctrinam proponunt vitia ingenij humani detegentem & oppugnantem, etenim odiosum est omnibus peccati conuinci, & dulce est carnis libidinibus indulgere. Itaque vt respondeam huic argumento. Odium, quod concipi dicitur aduersus Verbum Dei, vel est iustum vel iniustum. Iustum odium est quod concipitur aduersus doctrinam nouam, eo quod alienet homines à pietate. Hoc odium non experiuntur qui proponunt Verbum Dei, illud enim nunquam alienat à pietate; Eiusmodi odium in se sola superstitio in piis concitat, & concitare debet. Iniustum verò odium & carnale itidem duplex est; vel enim quis excitatur odio aduersus nouam doctrinam, quia vitia oppugnat & suaue est obdormiscere in peccato. quile odium superstitio non parit, Verbum Dei in se cônstat, vel quis excitatur odio aduersus nouam doctrinam, adductus ratione sui commodi, inanis gloriæ, aut patriæ amore; quod genus odij tam qui superstitionem quàm qui Verbum Dei proponunt, experiri possunt. Et reuerâ quidem iniustum est si religionem impetit, si verò superstitionem, ideo tantummodò iniustum dicetur, quia superstitio odio haberi debet, non ob proprium commodum, aut inanem gloriam, aut patriæ amorem, sed quod homines alienet à Deo & verâ pietate.

Resp.

Obj. 10.

Vnum addam. Aduersus ea omnia quæ dixi potest & hoc objici, si hæ Notæ sunt veræ religionis, ergo his notis adducuntur homines ad eam amplectendam; At hoc est falsum, nam rusticus, qui idem erit pius, non potuisset eas notas habuisse perspectas, illis enim cognoscendis opus est saltem mediocri ingenio. Ergo non debent dici Notæ. Dissoluam hoc argumentum similitudinem conjunctâ cum ratione. Dico ergo, idipsum hic accidere menti humanæ quod accidit ei qui imaginem egregiè pictam intuetur, statim enim rapitur in admirationem: sed postea opus est primùm attentione, deinde ingenio, vt causas admirationis suę quis possit reddere quas deprehendit in imagine. Inde ne quis concluserit illas rationes, quibus ille raptus fuit in admirationem, non fuisse in imagine, quia non potuit eas explicare? nullus planè nisi stultus. Sic in Musicâ, omnes in admirationem harmoniæ rapiuntur, sed non est cuiusuis reddere rationem, vnde orta sit hæc harmonia, necesse est enim valeat ingenio, aut si Musicus. Ita est planè in Verbo Dei, nemo non dicet rationes illas & Notas, quæ rapiunt rusticum in admirationem, non ipsi necesse, quia rusticus non possit causam admirationis suæ reddere. Nullomodo, siquidem religio prędita est Notis quibusdam, quibus facit vt homines assentiantur iis quæ in eâ deprehendunt: etiamsi id non sit ingenium Notarum veræ religionis, vt eas homines quilibet, & obnij quique, posint obseruare, proponere, atque explicare.

Ref.

Simili.

DE

DE NOTIS,

QVIBVS VERBVM DEI IN SPECIE DIGNOSCITVR,

hoc est,

Doctrinam libris Veteris & Noui Testamenti traditam esse diuinam.

MEMINI me disputasse *de Notis Verbi Dei in genere*, ea verò disputatio priorem alteram *de Necessitate Verbi Dei*, fuerat secuta, quemadmodum institueram, ac vt ferebat temporis angustia, compendiosè admodum disserui. Visus sum autem mihi duo effecisse, primum, ne quisquam putet satis esse præsidij, ad benè beatéque viuendum, in humanâ sapientiâ, quàm Philosophiam vocant, sed opus esse, adeoque necessarium, vt ad eam accedat quædam lux accensa cœlitùs, quæ nobis præluceat in his humanis tenebris. Secundum, adumbraui doctrinam cœlestem prolatis quibusdam Notis, vnde deprehendi posit quænam illa sit, nam negari non potest, nullam esse gentem adeò feram & barbaram, quæ non testetur opus quâdam cognitione quæ ducat ad vitam meliorem, vnde factum vt vnaquæque gens pro ingenio sibi finxerit varias religiones & cæremonias, siue placandi Dei, & expiandorum peccatorum modos & rationes: ita vt necessarium sit, in hac multitudine & varietate opinionum, tenere Notas quasdam & characteres, quibus distingui posit verum Dei Verbum ab eo quod Verbi Dei nomen ementitur.

Ἀνακεφαλαίωσις præcedentium.

Sed vtraque hæc disputatio, cùm ea quæ instituta est de Verbi diuini necessitate, tum etiam illa quę hanc disputationem de Notis Verbi Dei secuta est, mutila videri poterit, nisi vtramque sequatur tertia Disputio, quę tota in hoc versetur, vt teneamus animo quænam sit illa doctrina quæ habeat Notas illas, & quibus libris contineatur. Atque illa à nobis disputatâ sunt non eâ diligentiâ, quâ solemus vti in Prælectionibus (de his enim disputatum est à nobis præfationis loco) sed eâ tamen diligentiâ quam Præfationis ratio requirit, quæ eiusmodi est vt requirat à nobis perspicuitatem cum breuitate, & breuitatem cum perspicuitate.

Argumentum sequentium.

Memineritis igitur, Auditores, me Notas illas, quibus vtrumque adumbraui Verbum Dei, in duas classes distinxisse, quarum prior eas continebat quę ducuntur ab ipsâ Verbi Dei essentiâ, quas ideo *insitas* liceat appellare, quod non positæ sint in iis quæ extrinsecus ad Verbum accedunt, sed in iis quę penitissimè Verbo Dei adhęrent: Altera eas continebat Notas quæ non sunt Verbo Dei essentiales, sed veluti externa quædam quæ accedunt ad Verbum Dei, quæ tamen Notæ eiusmodi sunt, vt nulli vnquam humanæ doctrinæ simul acciderint, neque verò accidere possint. Atque hoc Notarum genus memini me tradidisse secundo loco, fortasse quia res ipsa id poscebat, & meritò, nam Disputatio instituta fuerat de Notis Verbi Dei in genere: In hâc verò disputatione diuersum iam ordinem sequemur, atque à Notis illis incipiemus quæ maximè obuiæ sunt, & maximè sensibus expositæ.

Duo genera Notarum Verbi Dei. 1. Insitæ. 2. Externæ.

Diximus igitur earum Notarum, quæ extrinsecus Dei Verbo accedunt, primam esse ANTIQVITATEM, Nam illud Tertulliani (quod iam ipso vsu tritum & vulgatum est) semper iure obtinuit, *Primum quodque verissimum.* Itaque quæ doctrina antiquissima est, eandem esse verissimam oportet, neque fieri potest, vt antiquitas, à veritate seiungatur. Antiqua quæ sunt eadem esse vera oportet, & vice versâ, quæ vera sunt ea esse antiqua necesse est. Tacitus animi consensus, & conscientiæ sensus facilè id euincit, nam quæ antiqua sunt, ea semper in summo honore fuerunt, & impetrant nullo negotio reuerentiam sui, vnde apud sapientes sæculi ista occurrunt, ἀρχαῖος λόγος ἐστι, & Latinè, *vetus verbum est.* Item, *Prisci mores*, &c. quæ hoc clamant, quæ propiora sunt antiquitati, ea demum esse verissima & optima. Quod si hoc inualuit, nescio quâ prauitate ingenij humani, vt etiam *Antiquitatis* nomine abusi sint homines ad fatuam simplicitatem significandam, id factum est ideò quod morum simplicitas, candor, & ingenuitas, vafris ac versipellibus ingeniis fatua esse videtur. Hinc εὐήθεις & ἀγαθοὺς vocant quos fatuos putant, ferè vt hodie Itali, quem fatuum dicere volunt, vocant *bonum Christianum.* Sed tamen apud viros graues nomen *Nouitatis* displicuit, placuit *Antiquitatis.* Itaque Christus, quum vult instaurare ea quæ prauo vsu labefactata erant, solet prouocare ad priscam illam Antiquitatem, *non fuit sic ab initio*; nempe gnarus quantum ponderis habitura esset, apud humanam rationem, illa ratio. Nam certè noua placent quidem, attamen non pariunt venerationem, sed id valet tantùm apud ingenia desultoriâ leuitate insignia. Deus ipse audire vult in Scripturâ, *Antiquus dierum*, & necesse est mendacium sequi, non præcedere, veritatem, & adulteratum quodcumque est, id necesse est fuisse prius integrum & purum: Itaque non est dubitandum, quin Verbum Dei idem sit antiquissimum, atque ita verissimum.

Externarũ prima est Antiquitas.

Optimum & verum est quod antiquissimum.

ostenditur 1. 2. 3.

Verbum autem Dei, sacris libris Veteris & Noui Testamenti comprehensum, esse antiquissimum vel hinc liquet, quòd ea gens, apud quam exstiterunt tabulæ huius Doctrinæ, omnium est antiquissima, quod facilè demonstrari potest. Nam nulla est gens, hac vnicâ exceptâ, quæ posit sui originem demonstrare; legite Latinos & Græcos libros, quando ad eum locum ventum est, vt indicetur quibus primùm parentibus vnaquæque gens sit orta, splendidè delirant omnes, & fabulosis commentis, omnes ad vnum, rem inuoluunt, ideò vt planè ignoretur earum origo. Neque enim putandum est, Sapientes ea credidisse quæ de singularum gentium primâ origine traduntur.

Gens Iudaica omnium est antiquissima.

Probatur 1.

Huc etiam accedit, quod reliquæ gentes, in describenda sua origine, hærent in viâ vt plurimùm, neque vlteriùs ascendunt, paucas admodum excipias, quæ iactitant se esse αὐτόχθονας, sed illi omnibus meritò ludibrium debuerunt. Illud

2.

3. etiam gentis illius Iudaicæ antiquitatem arguit, quòd ferè nomina regionibus imposita non aliunde peti possint, quàm ab eâ gente, si huius rei veritas exigenda sit non ad ea nomina quæ hodie obtinent, sed si exigatur ad ea quę antiquitùs obtinebant, fateor enim pleraq; iam nomina mutata esse, imò ferè omnia, neq; enim amplius antiquis & priscis illis, sed recentibus designantur pleráque loca nominibus, manent tamen adhuc vestigia quædam, obscura licet, priscorum nominum. Huc accedit quod libri, quibus descriptum est hoc Dei Verbum, omnium librorum haud dubiè sunt antiquissimi. Nam inter Græcos Homerus antiquissimus est, qui vixit diu *post capta funera Troia*, nam id argumentum delegit poëmatis sui. Jam autem ingeniosi Poëtæ (qualis ille fuit) non fuisset, rem nuper gestam fabulosè carmine enarrare. Id quidem Lucanus fecit libris de Bello Ciuili, sed idem eo nomine à veteribus notatus fuit. Iam verò illa Troiæ tempora recentia sunt, præ antiquis illis temporibus, quibus descriptam habemus S. Scripturam.

Libri sacri Vet. Testamenti sunt omnium antiquissimi

Obs. Nam quod Iudaicæ & Christianæ Religionis hostes capitales soliti sunt objicere, obscuram aut penè nullam fieri in suis libris Judæorum mentionem,

Res. hoc iam pridem à Iosepho refutatum est, in libris quos scripsit aduersus Appionem Grammaticum, quo in opere ostendit variis argumentis, insani esse hominis illud argumentum: Nam, inquit, pari ratione possunt Hebræi negare antiquitatem multarum Gentium, quod in eorum libris nulla fiat illarum mentio. Tum etiam negat id mirum debere videri, nam ne quidem Romanorum, nisi postquam cœperunt rerum esse domini, in Græcorum libris vlla fit mentio, cùm tamen Italia iuncta fuerit Siciliæ, quam Græci incolebant. Judæa autem à Græciâ mari fuit sejuncta. Fit autem mentio illius gentis in Græcis libris, non qui à Græcis, sed qui linguâ Græcâ scripti sunt.

Librorum Noui Testamenti antiquitas.

Jam quod quis objicere posset, libros Noui Testamenti esse recentiores, id nihili est, nolumus enim libros Noui Testamenti habere vllum pondus, nisi libris Veteris Testamenti confirmentur. Itaque eadem est antiquitas librorum Noui Testamenti quæ est librorum Veteris Testamenti.

qualis sit.

Nam librorum antiquitas non ea modò est, quæ in libris inest qui antiquitùs scripti sunt, sed ea etiam quæ priscam refert antiquitatem. Eâdem ratione Tertullianus dixit, multas sui temporis Ecclesias esse Apostolicas, non quod ab ipsis Apostolis fundatæ & exstructę essent, sed quod doctrinam illam amplecterentur quam docuerunt Apostoli, ea enim Ecclesia verè est Apostolica, quæ retinet doctrinam quam docuerunt Apostoli. Nec arbitretur quisquam Noui Testamenti libros sic esse dictos, quod nouæ cujusdam ac priùs inauditæ doctrinæ essent conceptacula: non enim *noua* dicta est doctrina illa, quòd nuper excogitata fuerit, sed *noua* quomodo Nouitas non Antiquitati, sed Vetustati opponitur; *Antiquum* autem est quod ante fuit, *Vetus* autem quod inueterascit, ac consenescit. Deinde, est quædam nouitas quę est rei ipsi insita, quædam verò quæ non est rei ipsi insita, sed ita dicta, quia nuper deprehenditur, nec fuit ante doctrina illa apertè cognita. Et quidem non negandum est, in Nouo Testamento multa esse quæ, cùm producta sunt in lucem, cœperunt innotescere, non fuerunt tamen in se noua, quia libris Veteris Testamenti implicitè, etsi non explicatè fuerunt tradita. Et certè si cum Judæo nobis res esset, occurrendum illi foret hac responsione, demonstrandúmque esset, quicquid libris Noui Testamenti comprehenditur, id ipsum haberi libris Veteris Testamenti. Et certè Paulus apud Agrippam testatur, se nihil docere extra ea quæ Moses & Prophetæ futura prædixerunt, Act. 26.21.

Antiquitatis quanta sit authoritas.

Eam autem obtinet apud homines authoritatem Antiquitas, vt si quis velit nouam & nuper excogitatam religionem illis commendare, necesse sit illi eam commendare Antiquitatis nomine, quod videas facere omnes Hæreticos: neque enim credibile est quemquam esse vsq; adeò insanum, vt velit dogmata sua commendare nouitatis nomine, non velit potius ea velare prætextu Antiquitatis, hoc sciens, scilicet, Antiquitatem esse veritatis documentum. Cùm ergo Verbum Dei, libris Vet. & Noui Testamenti consignatum, documentum sui habeat Antiquitatem, necesse est illud nobis probari. Quum legimus Philosophorum scripta, Oratores, Poëtas, si quid forte in illis scriptis occurrit & continetur, quod specie quâdam veritatis se commendat (vt non pauca sunt eiusmodi) illud omne multo illustrius in Scripturâ cõtinetur. Non dico autem illa quæ pertinent ad humanas scientias, non enim hoc fuit Dei consilium ea in Scripturâ tradere, sed ea dico quæ ad mores, & animi tranquillitatem, spectant. Quæ omnia cùm sint in Scripturâ antiquissima, necesse est etiam Verbum Dei, Scripturâ comprehensum, esse verissimum. *Veritate nihil antiquius, Antiquitate nihil verius.*

II. Nota extrinseca Perennitas.

Secunda Nota verbi Dei, petita ab iis quæ extrinsecus ei accedunt, est PERENNITAS, siue *Duratio perpetua & non interrupta* ab initio mundi ad vsque tempora nostra, omnium sæculorum serie continuata, & verò producenda vsque ad finem sæculorum.

nam diuina sunt perennia,

Profectò si vlla sit doctrina, vlla disciplina, quæ eiusmodi sit vt non modò antiquissima fuerit; sed etiam obtinuerit, adeóque obtineat, per omnia sæcula, omninò necesse est vt sit doctrina diuinitùs profecta: nam humanarum opinionum ea est conditio, vt subinde crebris mutationibus sint obnoxiæ, nempe hîc valet quod de vocabulis dixit Horatius,

humana contra fluxa.

Vt sylua foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas. Item.
Debemur morti nos nostráque. &,
mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos & gratia viuax.
Multa renascentur quæ iam cecidere, cadéntque
Quæ nunc sunt in honore vocabula.

Vbi *mortale* id est quod à mortalibus profectum est, neque enim illud *mortalia facta peribunt*, eo loco accipiendum est ita ac si doctissimus Poëta *mortalia*, hoc est, quę peritura sunt, peritura diceret, esset enim ridicula locutio. Jam verò quæ est verborum, eadem est opinionum ratio, nam vt loquendi homini inest naturalis quædam facultas, quæ, vbi se prodit in apertum, deducit se in varios ramos, h.e. in varias dialectos, cum

radix

radix tamen vna sit. Sic planè, quæ à nobis insita est à natura intelligendi facultas, nisi aliunde regatur, ea deducitur in varios opinionum Euripos.

Nihil autem est quod possit istam inconstantiam sistere, nisi illa habenam diuinam habeat pro normâ, quod ipsa res, quod venit in disquisitionem, exposcere videtur. Et quidem duabus de causis. Prima, Quod opiniones humanę de rebus diuinis si primùm placent, placét nouitate quâdam, ita vt hîc idipsum illis contingat quod in adulterato numismate, quod primùm placet ob fucum & colorem, at postquam procedente tempore detritus est color, displicet quod placuerat. Sic habet omnis nouitas quandam gratiam & fucum, qui ad tempus afficit oculos & oblectat, sed nisi veritas ipsa sese prodat natiuo colore, qui nullâ temporis vetustate tolli potest, necesse est vt quam gratiam habet nouitas opinionum, vetustate amittat. Idipsum vsu venit in iis quæ Græci vocant ϖεσπερίσματα, in quibus quædam sunt quę ad tempus mirificè delectant eos qui iis vescuntur, quia sapida & palato gratissima sunt, attamen horum ϖεσπερισμάτων creber vsus tandem tædium gignit. Differunt autem ista ϖεσπερίσματα à cibis ordinariis, quod cibi nunquam displicent, nunquam pariunt tædium, nisi sit morbus, ϖεσπερίσματα, verò etiamsi adsit bona valetudo, tamen displicent tandem. Itaque, quę hominum opiniones cum nouitate conjunctæ placent, mirum videri non debet si accedente vetustate displicent. Secunda ratio hæc est, quæ à Deo proficiscuntur, quęque verè sibi arrogant titulum veritatis, ideò quia Deum habent authorem, ea non nituntur ingenio humano, sed rerum ipsarum veritate sese commendant? Itaque, quando ea est rerum illarum natura, vt eæ mutari non possint, oportet etiam scientiam de rebus illis certam esse & constantem. At opiniones hominum (nisi accedant ad normam illam veritatis quæ est in Deo) eiusmodi sunt vt facilè mutari possint, nam prout diuersa sunt hominum ingenia, diuersæ sunt eorum opiniones.

Cuiu. discrimi is du, ex est ratio.

1.

2.

Vnde verò ortas putamus inter Philosophos contentiones tam vehementes, tam acres, vt nullâ ratione conciliari possint? nempe à varietate ingenij humani. Nam qui fuerunt ingenio seuero, rigido, & moroso, querulo, & arroganti, ij Stoicismum sunt amplexi: qui verò ingenio fuerunt molli, & studiosi trãquillitatis & otij, ij fuerunt Epicurei: qui denique fuerunt ingenio ciuili, modesto, & liberali, ij Peripateticorum doctrinam sunt secuti. Itaque, pro ingeniorum diuersitate natę sunt diuersę opiniones hominum, quia enim fuerunt ingenio amplectentis accommodatæ, impetrarunt fidem. Quare cùm varia sint & infinita hominum ingenia, mirandum non est si subinde varię opiniones fuerint, atque enatæ sint. Quod & Aristoteles animaduertit; cùm enim agit de summo Bono, acutè & verè hoc monet, vnumquemque, prout animo affectus est, ita de summo Bono iudicare, atque inde oriri quod alij summum Bonum collocant in diuitiis, alij in honoribus, alij in voluptate. Idem Philosophus monet necesse esse easdem opiniones sæpè, adeoque infinitis vicibus, recurrere, quid ita? Quia, perspectâ ingenij humani leuitate & inconstantiâ ingenitâ, deprehendit ex eâ fore mutationem opinionum, &, cùm peruerso & falso mentis errore mundum æternum crediderit, ne sic cogeretur dare numerum opinionum esse actu infinitum, statuit fore vt eædem opiniones subinde recurrant. Sed veritatem Dei oportet esse æternam & perennem, adeoque eiusmodi, vt licet cœlum & terra ruinam minentur, ea tamen maneat constanter, & quæ nullo dolo, nullo conatu (siue is sit fraudulentus, siue sit cum feritate conjunctus,) extingui possit. Et verò quod nullis humanis calamitatibus obnoxium est, illud oportet naturâ suâ esse æternum.

Vnde diuersæ Philosophorũ sectæ.

Itaque, si euincamus doctrinam Veteris & Noui Testamenti libris comprehensam eiusmodi esse vt non modò antiquissima, sed & perennis fuerit, assecuti fuerimus eam esse purum putum Dei Verbum. Jam verò demonstrare hoc procliue est ex ipsâ temporum serie: Nam doctrina Veteris & Noui Testamenti libris comprehensa ex ipsis libris deprehẽditur, iam ab ipso initio quasi per manus tradita ad ipsum vsque Christi tempus. Itaque, quibus argumentis librorum illorum veritas & antiquitas, atque authoritas comprobatur, iisdem argumẽtis doctrinę in iis comprehensæ Antiquitas & Perennitas probabitur. Nam vbinam terrarum, quibus in Bibliothecis, in quâ rerum gestarũ commemoratione, seriem rerum quæ vsque adeò perennis sit, vnquam deprehendas, nisi in libris Veteris & Noui Testamenti. Nam euoluantur libri Chaldęorum, Ægyptiorum, Phœnicum, Arabum, Græcorum, Romanorum, neque vola, neque vestigium huius perennitatis occurrit. Nam Ægyptiorũ & Chaldæorum libri, qui fuerunt, interciderunt, nullâ illorum librorum memoriâ superstite, Græcorum verò & Romanorum libri apertè testantur religionem illam non fuisse æternam, profitentur enim authores eius, & tempore simul. Cùm igitur ita se res habeat, necesse est eam solam doctrinam veram esse, quæ Veteris & Noui Testamenti libris comprehenditur.

Doctrina libris V. & N. T. tradita est perennis.

Verùm enim verò (inquiet aliquis) contra istam doctrinæ diuinæ perennitatem objici potest, insignes accidisse mutationes in doctrinâ quæ traditur in libris Veteris & Noui Testamenti, neque verò id negari potest. Hoc primum, Tum & illud objici potest, Maximâ in parte orbis terrarum doctrinam hanc, quę Veteris & Noui Testamenti libris traditur, fuisse vel penitus exstinctam, vel ita obscuratam vt exstincta videatur. Atque hîc si responderimus, nihil hâc ratione detractum de Perennitate doctrinę, quandoquidem hæc doctrina semper certa fuit in authore suo Deo, fortè non visi fuerimus respondisse candidè & prudenter: Non candidè, quia quęstio iam non est instituta nisi de Antiquitate quę documentis quibusdam potest demonstrari: Non prudenter autem, nam primò, quid prohibet quominus authores falsi dogmatis idipsum iactitent? nempe Doctrinam suam non fuisse Deo occultam, itaque non ideo se habendos esse pro doctrinæ nouæ fautoribus. Secundò, quia & sic dederimus iisdem ansam iure nobiscum experiundi, atque exposcendi à nobis probationem illius quod à nobis affirmatur.

Obj. 1.

2.

Resp. minus solida.

Ref.

Itaque quamquam hoc verum sit, neque quisquam possit hoc verè affirmare, qui profiteatur veritatem, respondemus tamen aliter. Duo sunt

Alia responsio solidior.

in doctrinâ mutationum genera, vnum est quod *mutatio* dicitur non ob ipsam doctrinę summam, siue non ob ipsum doctrinæ caput, quasi in doctrinæ summâ & capite, vlla esset mutatio: sed est mutatio quædam quæ *mutatio* dicitur, propterea quòd in iis, quæ ad doctrinam accedunt extrinsecus, facta quædam mutatio est. Sic quum qui puer fuit, fit homo, haud dubiè mutatio quędam fit, non quidem in rei ipsius substantiâ, sed in iis quæ ad rei essentiam accedunt. Sic si homini detrahatur vestis, accessit quædam mutatio, non quidem in ipso homine, sed in veste detractâ. Et verò fatemur libenter in doctrinâ cœlesti huius generis interuenisse mutationem, sed tamen ita interuenisse, vt, nisi per calumniam, objici & exprobrari non possit, quia prædicta est à Prophetis vsque adeò clarè, vt nisi interuenisset illa mutatio, iam mutatio in ipsâ rei essentiâ accidisset. Etenim, si tempore Noui Testamenti non decessissent vmbræ veritati locum daturæ, & signa rei significatæ, veritas ipsa nunquam comparuisset, res ipsa nunquam foret exhibita, vmbrę nullius corporis vmbrę fuissent, & signa illa nihil significassent. Tum etiam Prophetarum vaticinia quem habuissent exitum, nisi quod prædictum fuit verbo, reapse completum fuisset? Itaque, quod per calumniam objici nobis solet, id nos arripimus, atque in eo contendimus cerni Perennitatem Verbi Dei.

Duo mutationum genera.

Cuius generis mutationis fuerit cæremoniarum abolitio.

Sanè, vt distincta fuerunt tempora Ecclesiæ, omninò etiam decebat diuinam sapientiam (cuius est omnia facere lege quâdam quæ sapiat authorem suum) diuersis temporibus, siue diuersis ætatibus Ecclesiæ, diuersi modè etiam cum Ecclesiâ agere. Πολυμερῶς, & πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν, &c. inquit Apostolus Heb. 1. 1. Latinè reddi possunt hæc verba, πολυμερῶς, quasi diceret *multis partibus*, h.e. per gradus & momenta, non simul ac semel, τὸ πολυμερὲς nihil aliud istic est quàm diuersitas graduum intensionis & remissionis in reuelatione. Πολυτρόπως verò est *variis modis*: nam vt aliud est μέλος, aliud verò τρόπος, sic & aliud est πολυμερὲς, aliud πολύτροπον, Deus enim modò nudè & apertè, veluti veste detractâ, veritatem suam proponit intuendam; modò verò eam veluti veste adoperit, neque perspicuam exhibet nisi per inuolucrum; hinc est illud Apostoli πολυτρόπως. Tum etiam Deus modò per Angelos, interdum afflatu quodam spiritus sui, interdum per somnia, modò per visiones sese reuelat, ac voluntatem suam patefacit, hoc etiam pertinet ad illud πολύτροπον.

Locus Heb. 1. 1. explicatus.

Iam discrimen temporum, siue ætatis Ecclesiæ, id requirebat: nam cùm certis de causis non visum esset Deo statim mittere Filium suum, necesse fuit vt pedetentim & paulatim) donec iste sol iustitiæ oriens tenebras noctis prorsus depelleret) lux affulgeret Ecclesiæ. Quod non dissimulauit Apostolus initio cap. 4. ad Galatas, vbi perfamiliarem simul & egregiam affert huius rei adumbrationem quandam, nam, inquit, non solet pater cum filio puero aliter agere, quàm si puer seruus esset, licet sit filius & hęres, non aperit ei animum suum, neque enim ætas illa capax est significationis tam nudæ & apertę mentis paternę, sed vbi filius peruenit ad ætatem adultam, pater solet cum eo agere familiariùs, ac primùm incipit exuere seueritatem illam paterni vultus, & cum filio mentis suæ arcana communicare: sic planè se res habet, inquit Apostolus, in illâ Dei œconomia. Nam certè quod in hâc vita Deus componat se ad mores & ingenium nostrum, quoad eius fieri potest, mirum videri non debet, nam hęc est rerum humanarum ratio. Imò huius rei exemplum, sanè luculentum, exhibet nobis Deus in ipsâ mundi creatione, vt quæ fiant, quæque eueniunt perfecta atque omnibus numeris absoluta, ea non fiant, neque eueniant, statim simul & semel: hæc est doctrinæ cœlestis, hæc est vitæ quæ humana est, ratio & conditio. Et certè earum rerum, quę vt nascuntur citò, sic intereunt subitò, & punctum temporis florent atque vigent, hæc est conditio, vt habeantur pro rebus nihili: Contrà (in hâc vitâ inquam) quæcunque diu vigent & obtinent, quæcunque se tuentur, neque iniuriam temporis reformidant, ea sunt huiusmodi vt adepta sint veluti per gradus illam perfectionem. Itaque earum Rerumpublic. quæ diutissimè floruerunt, quæque se tutatæ sunt aduersus omnem externi hostis impetum, quantumuis vehementem & validum, hæc fuit conditio, vt ab exiguis initiis eò prouectę sint. Quis igitur miretur si Deus in Ecclesiâ eandem legem secutus est? Et sanè secutus est: Nam si legamus non oscitanter, sed qua decet diligentiâ & attentione libros Veteris & Noui Testamenti, deprehendemus, primùm paucis admodum hominibus hoc esse datum vt essent verę Ecclesiæ membra, tum pluribus hoc concessum, denique plurimis. Nam in Abele videri possit exstincta Ecclesia: sanè post non contemnendum interuallum temporis, nempe Sethi tempore, cœptum est inuocari nomen Domini, non quod antè nulla esset Ecclesia, aut cœlestis doctrina, sed quia latebat exstincto Abele. Tum ad Noachi vsque tempora quę fuit doctrinę ratio? eadem prorsus quæ prius. Et à Noachi temporibus vsque ad Abrahamum idipsum obseruare licet, & ab Abrahamo vsque ad Mosis tempora, & à Mosis tempora vsque ad tempora Prophetarum, & à Prophetis vsque ad Christi tempora: Christi, inquam, qui secum attulit omnia. Atque in his temporum momentis decet expendere doctrinæ rationem quæ fuerit, eam nempe vt paulatim innotuerit. Nam quanta lux est quam Moses attulit, præ ea quæ illuxit populo Dei ante Mosis aduentum? Quanta lux est quam Prophetæ attulerunt, seu disputent de Christo, deque Christi muneribus, deque illis beneficiis quæ Christus nobis peperit, quanta (inquam) est præ ea luce quæ fulget in Mosis libris.

Cur Deus aliter sub V. aliter sub N. T. cum Ecclesia egerit.

Variis incrementis res perficiuntur in ipsa natura.

In Rebusp.

Itaque, vt tandem hoc concludamus caput, Dicimus doctrinam fuisse perennem, sed eo modo quo eam perennem esse decuit, nempe hæc est summa doctrinę cœlestis, vt ne mortales peccati rei, & vere sibi conscij, desperent, neue etiam in se subsidium salutis collocent, aut quærant, sed omnem [illegible] reponant in misericordiâ Dei, atque hinc prouocentur ad pœnitentiam seriò agendam. [illegible] quoniam sine Mediatore nulla est misericordia, hinc fit item vt opus fuerit doctrinâ de Mediatore. Sed hæc doctrina non fuit omnibus sæculis æquè manifesta, neque etiam necesse fuit. Nam si infantes merito & intercessione Mediatoris seruantur, etiamsi Mediatorem non habeant cognitum, quid vetet seruari adultos per

Doctrina salutis fuit perennis.

tas per eundem Mediatorem, etiamsi illum minus habeant cognitum? Nam conscientia tacito quodam sensu eo adigitur, vt licet confusè, hoc faciat tamen, agnoscat nempe Mediatorem; vsque adeò vt etiam qui non sunt verâ de Mediatore cognitione imbuti, tamen cogantur facere Deum Intercessorem apud se.

Obj. 1. Sed & illud objici potest, quod in Gentibus nullum penitus fuerit vestigium huius doctrinę cœlestis, neque reddi facilè potest ratio, cur quod perenne dicitur non obtinuerit, inter plerosque, contrà, cur non perenne potius dicendum sit quod inter plerosque obtinuit. Respondeo, Sed

Ref. quod obtinuit inter plerosque, vt hinc ordiar, illud eiusmodi fuit vt vnum non fuerit, sed multiplex, vagum & incertum, itaque perenne dici non debet; nam quod perenne est id vnum est; varium & multiplex, quia idem leue & inconstans est, vnum dici non potest, proinde nec perenne. At, inquiunt, doctrina cœlestis non obtinuit inter multos. Respondeo, si non obtinuit, non aliunde id obtigit, quàm hominum vitio. Hoc primum. Quid enim vetet, cùm simus omnes naturâ praui, secutum esse in multis cõtemptum huius doctrinæ, & doctrinæ contemptum iustam Dei vindictam, auferentis (vt in Apocal. dicitur) candelabrum suum? Non debet ergo illud quod hominum vitio adscribendum est, quidquam detraherere de perennitate Doctrinę: quàuis nec hominum vitium prohibuerit, quominus in tenebris micaret ista diuina lux, quanquam hominum vitio factum sit vt euenerit illud, *Tenebræ non comprehenderunt lucem* (Iohan.1.5.) Quod & Scripturæ authoritate, & experientiâ, facilè demonstrari potest, & Scripturæ quidem authoritate, negat enim Paulus (Act. 14.17.) *Deum vnquam sese reliquisse ἀμάρτυρον*, & verò idem affirmat ibidem, *Deum sese exhibuisse veluti palpandum hominibus*, hoc est, argumentis ipsos sensus ferientibus docuisse homines bonitatem suam; quo fine idem Apostolus docet, nempe vt quærerent & inuenirent Deum. Sed & res ipsa id docet, nam cùm in religione & Verbo Dei duo sint præcipuè quæ Verbum Dei constituunt, nempe doctrina de satisfactione pro peccato, & de hominis officio erga Deum, vtriusque doctrinæ etiam in crassis illis superstitionibus, fugientia quidem, sed tamen vestigia quædam deprehendas; quorsum enim spectabant lustra illa & sacrificia, quàm vt testaretur quisque opus sibi esse purgatione, seu expiatione quâdam? Deinde, illa præcepta de colendo Deo, déque honorandis parentibus, quid aliud sunt quàm admonitiones quædam de puritate doctrinæ, quę in solâ traditur Ecclesiâ, conseruandâ.

Obiect. ... Paucitas ... Resp.

Quædam veræ doctrinæ vestigia inter Gentes.

Verum quidem, id est, hæc omnia non modò cessisse incassum, sed etiam fuisse argumentum malitiæ & prauitatis humanæ quæ his veluti communibus notionibus non potuit emolliri, aut flecti ad verum Deo cultum exhibendum, quem hæ requirunt notiones. Id quod Paulus nos docet luculentissimè Rom.1. Nam, inquit, *quod de Deo cognoscibile est* (hoc est, citra eum reuelationis modum, quæ est in solâ Dei Ecclesiâ) *hoc illis Deus reuelauit*, cuius rei euentus hic est, *vt sint omnes inexcusabiles*, quorum nemo potuit iure & legitimè simplicem illam ignorantiam, quæ sola nos excusat, culpæ suæ & rebellioni prætexere.

quibus homines reddebantur ἀναπολόγητοι.

Inde non sequitur tamen, vllum esse, aut fuisse vnquam, qui solius naturę viribus instructus, potuerit hujus reuelationis modulo ad veram Christi & Dei cognitionem peruenire, tantum hoc sequitur, hoc eorum hominum *non posse* profectum esse ab ingenitâ & insolitâ malitiâ, quæ tanta est, támque peruicax, vt solâ Spiritus Sancti potentiâ, & efficaciâ possit edomari.

Obj. locus Ps.147. In tradenda Perennitate posset nonnullis injicere scrupulum non leuem, quod à nobis dictum est, doctrinam Veteris Testamenti non fuisse gentibus penitus occultam: Nam id primùm repugnare videtur loco qui exstat Psalm. 147. quo loco Propheta, dum beneuolentiam Dei non vulgarem erga Ecclesiam deprędicat, eo nomine eam commendat, quod *statuta sua dederit Iacob*, &c. tum continuò subjicit, *Deum non fuisse sic omnibus Gentibus* (hoc est, vlli nationi è Gentibus, ne quis hic argutetur, Deum non fecisse quidem sic omnibus, fecisse tamen quibusdam) *& non nouerunt ea*. Sed hic locus non tam cum nostrâ sententiâ conciliandus est quàm cum Pauli doctrinâ, nam (vt suprà audiuistis) Paulus docet, non quidem iam obscurè, sed clarè, Deum nunquam sese reliquisse ἀμάρτυρον, item, *Deum sese Gentibus reuelasse quantum cognosci potuit*, citra modum illum reuelationis qui peculiaris est Ecclesiæ. Itaque sic ille locus explicandus est vt non videatur repugnare cum doctrinâ Pauli. Sed nec operosum est conciliare hunc locum cum Pauli doctrinâ, quod tamen illi operosum reddidêre, qui illud *non fecit sic* non de re, sed de rei modo explicant. Sic nonnulli superioribus annis, cùm hic locus illis objiceretur, responderunt, *Propheta verba sunt fecit, quidem, at non fecit sic*. Sed hæc responsio arguta nimis est, & eiusmodi quam locutio Prophetæ non potest admittere; Nam *sic* non notat hîc similitudinem, imò verò *non sic* mera est negatio. Sic Psalm.1. *Non sic impij*, non est modi rei negatio, sed rei ipsius. Et Christus, *Vos autem non sic*, est negatio rei ipsius. Denique nullus occurrit locus in totâ Scripturâ, in quo hęc locutio significet modum rei, non rem ipsam.

Qui vindicatur aduersus Nouatores.

Explicatur. Hæc igitur est sententia Prophetæ, *non sic fecit*, hoc est, non reuelauit illis. Imò verò Paulus sic hunc locum interpretatur, initio cap.3. epist. ad Roman. Nam, inquit, *Quid igitur? num præferendi sunt Iudæi Gentibus? Omninò. Atque in eo primùm, quòd τὰ λόγια τοῦ θεοῦ ipsis sint commendata*, siue concredita: id verò est quod Psal. *sic* dixit, *Non fecit sic omni nationi*; non enim commisit illis, non cõcredidit, oracula & iudicia sua. Quomodo igitur conciliari poterit hic locus Psaltis cum loco Pauli? facillimè & nullo negotio. Nam duplex est reuelatio; vna est quæ oritur à sensu conscientiæ, & earum rerum objectione in naturâ quæ istum sensum conscientię possunt excitare: sed hic reuelationis modus non est is qui dici possit *Oraculum*, חקים & משפטים, multò minus τὰ λόγια, sed quæ Deus per Angelum, per Patriarchas, per Prophetas reuelat, ea demum sunt quæ τὰ λόγια vocantur, tametsi in ipsa (vt ita loquar) doctrinę substantia nihil sit, quod non sit consonum ad conscientiam sopitam excitandam, etiam iis argumentis quę Deus adhibet non solùm in natura, sed etiam in effectis prouidentiæ suæ, vt cùm Paulus docet Deum sese non reliquisse ἀμάρτυρον, docet quomodo id factum sit, primum in illa

Conciliatur cum Paulo.

ἐκτιπὰ nationum, vnde natæ sunt Respubl. & Politiæ, tum quòd bonitatis suæ erga genus humanum ediderit argumenta, mittendo pluuias tempestiuas, &c. tum quòd erexerit veluti tribunal in vniuscuiusque conscientiâ. Itaque non pugnat Psaltes cum Paulo, tametsi illud *non sic* non sit negatio duntaxat modi, sed etiam rei.

An Deus Gentibus fuerit cognitus

Alterum est eo loco quod possit etiam mouere nobis admirationem, quod subjungit Psaltes, *Et non cognouerunt ea.* Nam videtur Propheta significare qui fuerit exitus huius rei, nempe, quod Deus cùm non dederit statuta & iudicia, non cognouerunt eum. Neque verò quispiam cauilletur *non cognouerunt ea*, hoc est, ea iudicia, ea statuta, attamen non continuò sequi, non fuisse è Gentibus qui solo illo reuelationis modo instructi Deum cognouerint, nam non ait Propheta, *non cognouerunt Deum*, sed *illa statuta.* Nam hæc cauillatiuncula facillimè diluitur, cùm Propheta alibi (nempe Psal. 76.1.) testetur, clarè *Dei nomen in Israele notum*, hoc est, nullibi terrarum notum fuisse quàm in Israele. Itaque non sic tuebimur sententiam nostram, vt velimus asserere, beneficio illius reuelationis vllum è Gentibus adductum esse ad cognitionem salutis. Quid ergo respondebimus? nempe istud, aliud esse *cognoscere Deum* aut verò *eum agnoscere*, aliud autem *habere argumenta cognoscendi & agnoscendi Deum.* Nam certè Paulus testatur, Deum sese nunquam reliquisse ἀμάρτυρον, & hoc ab eo factum vt eum veluti palpando inuenirent; atque idem Paulus docet, Deum siuisse Gentes ambulare in viis suis, hoc est, non dedisse illis vim Spiritûs, quæ sola potest cæcitatem & duritiem cordis dispellere. Sed tamen res est tradenda illustriùs & luculentiùs.

Deus ad salutem non cognoscitur nisi per reuelationem.

Deus qui sapientissimus est, vbicunque decreuit colligere Ecclesiam (non enim decreuit apud se vbique colligere Ecclesiam) vt ne glorietur caro adhibet rationem quandam reuelandi sui, quæ sit cœlestis & diuina planè. Itaque non putat Deus satis esse modo quodam ordinario (& qui, nisi nequissimi essemus, ipsâ ratione deprehendi posset) voluntatem suam manifestare, sed vel misso Angelo, vel misso Filio, vel denique misso cœlitùs Spiritu Sancto. Itaque, vbicunque non exstat ille reuelationis modus, certò colligi potest ibi nullam esse Ecclesiam. Iam cùm Gentibus Deus non se hoc modo reuelarit, colligere est inde, Deum in Gentibus non fuisse notum: quamquam non sequitur, vbicunque se reuelat Deus in verbo suo, omnes seruari, attamen hoc sequitur, Verbum Domini nunquam esse inane, aut incassum proferri. Itaque, cùm Deus decreuisset multos Corinthi seruare, Paulum misit Corinthum, quia decretum Dei, de quibusdam seruandis est vt hoc modo seruet, quę obseruanda sunt vt discamus quantum sit nasci in Ecclesia Dei, & quæ sit misera eorum conditio, qui in illis regionibus nascuntur vbi nulla est Ecclesia. Sed hæc omnia ἐκ περιουσίας, à nobis disputata sunt. Nam, fac Deum & doctrinam illam cœlestem nullomodo fuisse reuelatam Gentibus, propterea non desinet esse perennis, quandoquidem alicubi terrarum fuit, nempe apud Judæos.

3. Nota extrinseca.

Tertium γνώρισμα, siue tertia Nota, quâ internoscitur Verbum Dei ab eâ doctrinâ quæ exstat vel in libris Philosophorum, vel in eorum libris qui religionem quoquo modo æmulari & ementiri voluerunt, est CHARACTER librorum quibus verbum illud conscriptum est, seu genus dicendi aut stylus. Neque quisquam arbitretur, nos *Characteris* nomine, & *dicendi genere*, intelligere phrases & locutiones Scripturæ (quæ tamen nonnullorum sententia est) Nam certissimum est Phrases & Locutiones Scripturæ esse idiotismos linguę Hebraicę; si quid in illis Phrasibus occurrat insolens, imputandum est genio linguæ (sic Hebræi, quum primum legunt Græcos libros, deprehendunt aliquid insolens & nouum) Itaque hîc *Characterem* non dixerim phrases & locutiones, sed genus dicendi. Primùm autem hîc tenendum est quod in Rhetoricâ didicimus, in lingua Latina, Græca, Hebræa, &c. esse quendam Characterem, qui iis, qui dicunt copiosè & accuratè quacunque tandem lingua, communis sit, cuius vna est tantum regula, & licet phrases atque locutiones diuersæ sint, vnus tamen est *Character*, verbi gratia, sublime dicendi genus, temperatum, humile, tenue, Character est orationis, atque eadem est ratio, idem Canon, in omnibus linguis, huius Characteris sublimis, temperati, humilis, aut tenuis; solum discrimen positam est in locutionibus & phrasibus. Itaque, agnoscas in Epico poëmate Gallicè conscripto Characterem Virgilianum, etiamsi locutiones diuersissimæ sint. Characteris autem Scripturæ hic esto veluti Canon, vt ipsa oratio referat maiestatem quandam, sed conjunctam cum comitate. Ita duæ fuerint Notæ, quibus doctrina cœlestis, quæ habetur libris Veteris & Noui Testamenti, quasi insignitur, vt nempe habeat maiestatem cum lenitate conjunctam. Primò itaque de Majestate.

Character dicendi.

Quid sit.

Sermonis Scripturæ.

Maiestas.

Quæcunque libris Veteris & Noui Testamenti comprehenduntur, vel sunt Narrationes, vel sunt Hortationes, vel sunt Minæ, vel sunt Promissiones, vel denique sunt Controuersiæ quæ disputantur. Aio in his omnibus elucere *Majestatem* authoris Scripturæ, atque ita vt nullum sit opus scriptum ab vllo mortali, in quo tanta eluceat Maiestas. At hoc dicere futile est, nisi simul probaueris rem ita se habere. Ordiar itaque à Narrationibus. Narratio, quæ institui solet ab homine de rebus magnis, quæque vix fidem impetrant propter ipsarum rerum magnitudinem, solet esse meticulosa & timida, quia dum scriptor veretur ne sibi minus adhibeatur fides, vel à venustate stili studet conciliare orationi suę authoritatem, vel totus est in iis diluendis, quę cōtra objici possunt, neque potest sibi temperare quin interdum exclamet, quę res testatur authorem scripti conscium esse sibi imbecillitatis. At in Narrationibus Veteris & Noui Testamenti nihil tale reperias, quia Deus est qui loquitur. Et certè, memini me legere apud Aristotelem, Characterem esse hominis μεγαλοψύχου simpliciter & nudè narrare quæ ipse gessit. Hoc quidem mirum videri possit, at rei tamen natura postulat vt mirum non sit. Nam qui non diffidit sibi (qualis est omnis μεγαλόψυχος) non metuit ne habeatur pro mendace, quin putat si talis ab aliquo habeatur, illius qui eum pro tali habet, esse vitium, non suum. At nullus talis μεγαλόψυχος est in rerum naturâ, sed in libris tantum Aristotelis reperitur.

1. In Narrationibus.

In narra-

ette ipſo ongino thnico.

In narrationibus autem Scripturæ omnia ſunt recta & ſimplicia. Itaque Longinus, licet infenſiſsimus religionis Chriſtianæ hoſtis, coactus eſt in Rhetoricâ vbi περὶ ὕψους ſiue *de ſublimi genere dicendi diſertè & copiosè agit*, Moſem hoc nomine commendare, *Quemadmodum*, inquit, *Legislator Hebræorum, dixit & facta ſunt.* Et in Nouo Teſtam. Mattheus & Lucas, cùm ſcripſerint diuerſis temporibus, tam fuerunt ſibi conſcij bonę mentis, vt non anxiè laborarint in conciliandâ iſtâ διαφορίᾳ, quæ videtur eſſe in Chriſti genealogiâ quam proponunt, quia potuit à lectore, qui non fuerit inſanus aut deploratæ ſpei, conciliari.

2. In Hortationibus.

In Hortationibus deprehendatis Scripturæ grauitatem quandam. Legite Philoſophorum ſcripta, & eorum qui Parænefes ſcripſerunt, etiam tum quum tradunt vitæ inſtituendę præcepta, vel ſunt hirſuti & barbari, & vſque adeò agreſtes, vt videantur abigere à ſe miſeros mortales, vel dum ſe ſtudent accommodare ad captum ingenij humani, & aliquid detrahere de agreſti illa ruſticitate, fiunt molles & effœminati. Maieſtas, illa conjuncta cum ſummâ ſimplicitate, in ſolis libris Veteris & Noui Teſtamenti deprehenditur. Fateor tale aliquid deprehendi poſſe in libris Apocryphis, ſed id iis in locis occurrit, qui nihil aliud ſunt quàm Centones librorum Canonicorum, itaque vbi Centones illi locum non habent, deprehendas notas ingenij humani, vt in prooemiis & præfationibus librorum illorum.

3. In Minis.

Jam in Promiſsionibus & Minis id ipſum videre eſt. Nam Minæ ſunt terrificæ, ſed ita tamen vt verba ſubſidant infra rei ipſius grauitatem, quod non ſolet facere ingenium humanum, nam in illis ita ſibi indulgent homines vt crepare interdum videantur. Monachos in deſcribendis inferis ſudare videmus, atque ita quidem vt Tragœdi videantur; idem deprehendas cùm deſcribunt Chriſti dolores & cruciatus, At ſi quis Apoſtolos, aut Euangeliſtas, audiat deſcribentes illos cruciatus, nihil tale deprehendet, ſed omnia ſedata & compoſita ad grauitatem. Idem

Et Promiſſionibus.

cernere eſt in Promiſſionibus, Nam licet promiſſiones ſint rerum maximarum, idem tamen temperamentum ſequitur Spiritus Sanctus, eſt enim grauis, ſed ſuauis etiam & vehemens, quiq; plus occultat quàm oſtendit, hoc eſt, qui non ſit oſtentator; quandoquidem illa occultatio eiuſmodi eſt vt excitet rei deſiderium magis magiſque cognoſcendæ, vt quæ inuoluta cernuntur, ſi nonniſi per inuolucrum viſa amabilia ſunt, ea ſui videndi ſpe multò vehementiſsimè animum afficiunt. Itaque non ſolet Spiritus Sanctus vitam illam beatam deſcribere curioſiùs, tantum exhibet eam nobis intuendam eo pacto, vt (quod res eſt) credamus aliquid ſubeſſe maius quàm quod animus noſter capere poſsit.

4. In Controuerſiis ſeu diſputationibus. Pauli, teſte Hieron.

Iam verò in Controuerſiis, contentionibus & diſputationibus hic eſt character, vt diſputatio nunquam ſit anxia & ſollicita, ſed candidè & liberè decurrat; quod obſeruatum eſt ab Hieron. ſed perperam. Nam de Paulo ſic loquitur, Apolog. ad Pammach. *Videntur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis ac ruſticani, & qui nec declinare, nec ſciat facere inſidias, quocunque tamen reſpexeris fulmina ſunt & tonitrua.* Locus hic Hieronymi etiam atque etiam nobis eſt iam expendendus; Nam ille quidem dicit quod res eſt, at non eo fine, neque eâ mente, quo fine & quâ mente hic locus à nobis adductus eſt. Verum quidem eſt Paulum non diſputare Philoſophorum more, ſi reſpiciamus characterem & diſputandi genus, etenim diſputat quomodo decet diſputare hominem innocentem, & cui res eſt etiam cum hominibus plebeis. Hactenus igitur Hieronymus dixit quod res eſt. Cæterùm alioſſum ſpectauit.

Cuius dictum expenditur.

Scripſerat aduerſus Iouinianum duos libros, in his autem libris, quia eorum argumentum erat prærogatiua virginitatis præ eorum conditione qui conjuges ſunt, multa dixit aduerſus legitimas nuptias, vnde factum eſt vt inciderit in odium, & reprehenſionem etiam Cleri Romani, quę res in causâ fuit cur ſcriberet Apologiam ad Pammachium nobilem virum, cuius nomen Romæ clariſſimum erat, & maximę authoritatis. Sic autem in eâ Apologiâ ſe tuetur, vt dicat, intereſſe multũ an diſputatio dogmaticῶs, an verò gymnaſticῶs inſtituatur. Nam, inquit, in diſputandi genere dogmatico oportet diſputantem dicere quę ſentit, at cùm gymnaſticῶs inſtituitur diſputatio, non debet id exigi à diſputante: idque probat, primò exemplis Philoſophorum, tum eorũ qui de Chriſtianâ Religione ſcripſerunt aduerſus Gentes, vt inter Gręcos Origenes, Apollinarit, &c. inter Latinos Lactantius, &c. qui inter diſputandum, inquit, vtuntur *argumentis & Problematibus* (vt ipſe loquitur) *lubricis, quibus Diaboli ſpiritu contexta diſſoluunt, & quia interdum coguntur loquĩ nõ quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicunt aduerſus ea quæ dicunt Gentiles.* Nempe iis propoſitum erat refellere quicquid Gentiles dixerint, etſi verùm illud ſit. *Sed*, inquit, *ne videar potius alios accuſaſſe quàm me defendiſſe proferam Paulum, quem quotieſcunque lego non verba mihi videor audire, ſed tonitrua. Legite eius Epiſtolas, & videbitis in teſtimoniis, quæ ſumit de Veteri Teſtamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm diſsimulator ſit illius quod agit. Videntur quidem ſimplicia verba, & quaſi innocentis hominis & ruſticani, &c. Calumniemur igitur illum, atque dicamus ei, teſtimonia quibus contra Iudæos vel cæteras hæreſes vſus es, aliter in ſuis locis, aliter in Epiſtolis tuis, ſonant: Videmus exempla captiua, ſeruierunt tibi ad victoriam quæ ſuis in voluminibus non dimicant.* Nempe hoc vult Hieronymus, etiamſi nuptias damnauerim, non damnaui quod ſic ſentiam, ſed vt negotium faceſſerem Jouiniano, quomodo Paulus & alij, cùm diſputant, non ea ſemper dicunt quæ ipſi ſentiunt, ſed quibus os obſtruere queant aduerſariis. Hęc autem omnia hîc notamus, vt ſciamus quo cum iudicio, & quâ cum cautione, legenda ſint Patrum ſcripta, nam quando Hieronymus apertè profitetur ſibi probari, & ab omnibus laudatum eſſe, hoc diſputandi genus, in quo non quod ſentimus, ſed quod aduerſarium premit atque vrget, à nobis adfertur, cautè legenda ſunt Patrum ſcripta, & diſpiciendum, an quod dicunt dogmaticῶs, an verò gymnaſticῶs ab iis dicatur.

Quod vt intelligatur ſciendum eſt, Ariſtotelem tradidiſſe triplicem diſputationum finem, nam, inquit, vel diſputatur ἀγῶνος χάριν, hoc eſt, γυμναστικῶς, vt exerceatur ingenium, huius diſputationis finis eſt victoria; vel diſputatur πείρας χάριν, nempe vt tentemus quantum poſsit aduerſarius; vel denique σκέψεως χάριν, vt teneamus

Et redarguitur.

rei veritatem, siue quid sit sentiendum. Sed mirum est prius illud disputandi genus à Patribus, & Hieronymo ipso, tum laudatum, tum vsurpatum, etiam cùm res seriò agitur: Tum etiam quæ fuit hæc Hieronymi audacia (ausim dicere *sacrilega audacia*) Paulum ipsum affinem facere huic culpæ? Nam hoc vult Hieronymus, Paulum testimonia Veteris Testamenti adhibere mente alienâ à Prophetarum mente, quod profectò paulò minus est quàm Sophistam agere. Cæterùm, si quàm fuit Hieronymus vir doctus, tam fuisset peritus sacrarum litterarum (imò confidentiùs dicam, si tam fuisset religiosus quantum exigebat tanti nominis authoritas in Ecclesiâ) nunquam eò deuenisset, nam non est is Dei Spiritus qui mentitur, qui dissimulator sit, qui torquet in alienum & contrarium sensum Scripturas, sed est spiritus humanus, imò diabolicus, si id fiat per dissimulationem. Cæterum, vt concludam hunc locum, Grauitas & Maiestas in disputatione ea demum est, à quâ abest omnis ars, & quæ præ se non fert vllam sollicitudinem aut anxietatem. Atq; is est Character Apostolicarum disputationum. Possemus nos id ostendere, prolatis omnibus locis Veteris Testamenti quibus Apostolus vtitur, atque hanc Hieronymi calumniam refellere, sed non est iam eò digrediendi locus, neque animus.

Sermonis Scripturæ Comitas.

Veniamus ad alterum sacræ Scripturæ Characterem, nempe *Comitatem*, siue *Mediocritatem*, Nam (quod & alibi monuimus) in Regibus ea demum vera est Maiestas quæ comitate temperata est; Barbarorum est, dum volunt retinere Maiestatem, nullum locum relinquere comitati; Eorum itidem est qui nesciunt regnare, dum student Comitati, negligere Maiestatem, sed Regum, qui verè Reges sunt, hoc est proprium, vt quicquid dicant faciantve, in eo vtraque virtus eluceat, Maiestas nempe & Comitas. Jam verò in sacra Scriptura vtramque hanc virtutem deprehendimus, Grauitatem nempe conjunctam cum Comitate, idque non vnico argumento potest probari.

cum grauitate coniuncta,

Ostenditur. 1.

Atque inde primùm, quod cùm S. Scriptura iis de rebus tractet quę maximè sublimes sunt, atque positæ supra captum ingenij humani, tamen eas ita tractat, vt in orationis simplicitate nemo sit qui quidquam desideret; si quid sit obscurum aut inuolutum, id non est tribuendum orationi, sed rei, nam oratio simplex est, & nuda atque aperta.

2.

Deinde est in Charactere, seu genere dicendi aut stilo Scripturę quędam συγκατάβασις, hoc est, Scripturæ author eò vsque se demittit, vt iis locutionibus vtatur quę non sint longè petitæ, sed è proximo sumptæ.

Quam nonnulli nolunt agnoscere.

Vt nequeamus satis mirari eorum ineptam diligentiam, qui in singulis Scripturæ locutionibus quærunt abdita quædam mysteria, non modò enim labor ille inutilis est, sed & magno Ecclesiæ damnò ab iis suscipitur.

Duplici de causa. 1.

Cuius rei duplex potest reddi ratio, quarum prima hæc est, Quod sic comparatum sit ingenium humanum, vt, quoties de rebus magnis atque arduis instituit sermonem, eò propè leat vt nolit de iis simpliciter, candidè, & apertè loqui, quod videre est in omnium Philosophorum scriptis, vsque adeò vt legenti ea scripta non modò aliquando obrepat tædium, & fastidium, verumetiam subeat indignatio. Cùm igitur hoc sit ingenium humanum, atque hoc ingenio instructi accedamus ad legendas Scripturas, non est mirum si, dum volumus videri acuti, nihil cernamus in Scripturâ.

2.

Altera ratio hæc est, quod Diabolus, quantum in se est, fouet hanc malitiam ingenij humani, & omni studio atque arte persuadet miseris hominibus rem ita se habere. Hoc quidem ille fecit in eâ doctrinâ quam tradidit olim Gétibus, omnia inuoluit; quid ita? quæ tradebat ista crassa fuere, vt si sine inuolucro tradita fuissent, sine dubio fuissent contempta. Idipsum conatus est omni æuo, & quidem tum præcipuè cum agitur de Scripturâ, vt in Pontificiis videre est, qui Scripturam non recipiunt nisi commendatam ab ingenio & testimonio humano, quia persuasum habent, Deum non se præbuisse affabilem in Scripturâ. Qui autem talis est, necesse est eum pendere à testimonio humano, hærebit enim semper dubius & suspensus, sit-ne ea verborum mens quam præ se ferunt, persuadet enim Diabolus multis Deum occultasse in Scripturâ mentem & consilium suum miseris hominibus, quod impudentissimum est mendacium, fœdissimáque calumnia.

eadem Comitas ostenditur.

Sed & alio argumento hæc Dei *Comitas* in Scripturâ demonstrari potest.

3.

Legite exempla & argumenta quibus Deus vtitur in Scripturâ, non videatis esse exempla petita longiùs, sed obuia & veluti ex ipso triuio: nec sunt argumenta quę non possint percipi nisi à doctis, sed ea sunt vt vel à rusticano possint percipi.

4.

Deinde & hoc deprehendimus, argumenta esse ejusmodi quæ cor & conscientiam potius feriant, quàm afficiant intellectum, sunt enim ducta omnia à sensu conscientiæ. Itaque nullum est scriptum quod ingenuitate conferendum sit cum Scripturâ.

5. Comparatione cum profanis Scriptis.

Atque, vt vtar hîc hâc comparatione (quæ tamen primâ fronte videtur esse aliena) vt in iis scriptis quæ ab ingenio proficiscuntur humano, ea demū maximè admiramur in quibus ista ingenuitas elucet, contra ea scripta in quibus plus inest artis, eo nomine damnamus: verbi gratiâ, si quis conferat Virgilium cum Lucano, aut Homerum cum Virgilio, profectò eum oportet idipsum pronuntiare quod nos, sordebit enim illi Lucanus prę Virgilio, & Virgilius item prę Homero. Miretur aliquis hortos Cæsaris, & miretur ideò quod videat in his mundi machinam ingeniosissimè veluti effictam, ipsum veluti mare, montes, syluas, &c. At postquam inde deductus est Baias, definit illos hortos mirari, licet Baiis omnia sint rusticana, Baiis ipsam naturam & naturæ amœnitatem mirabitur, quamuis in illâ naturæ amœnitate omnia sint veluti syluestria. Atque ita se rem habere hinc deprehendetis, quod si quis ad vnguem teneat Homerica carmina, potest ea in omni sermone adhibere, ita vt rei cuilibet, de quâ sermo instituitur, aptè quadrent; quod & de Virgilio dici potest, at non pari causâ & ratione: Iam verò vnde hoc nisi ab ingenuitate horum Poëtarum? Quod si ad Sacram Scripturam accedamus istud deprehendetur multò luculentiùs, nam vnde orta aut nata est seges illa copiosissima iocorum & facetiarum, imò blasphemiarum, quibus impuri & profani homines conspurcant aures auditorum, dum se putant facetos & acutos, quum Scripturæ dictis ad iocos & dicteria sua turpissimè abutuntur; vnde, inquam,

in quam, nisi à Comitate & ingenuitate stili Scripturæ?

1. Obijciuntur Commentarij.

Verùm cum illâ Scripturæ Comitate, de quâ hactenus dictum est, pugnare videtur multitudo Commentariorum, quibus S. Scriptura illustratur. Comitatis enim est imprimis, vt ne oratio sit suspensa & obscura, sed aperta & clara, nam qui vel punctim & concisim respondent, vel recondunt altiùs animi sui sensa, eos iudicamus superbos & arrogantes. Si ergo ea est Scripturę Comitas quam diximus, quorsum attinuit tot edere Commentaria in Scripturam? Deinde, Character Scripturæ is (vt videtur) est, vt deprehendi non posit nisi illius linguæ peritis, in quâ primum scripta est. Itaque, dum à nobis traduntur Notæ Verbi Dei, quas agnoscere est omnium, videtur hoc alienum, cùm non sint omnes, qui in Ecclesiâ sunt, periti linguæ Hebraïcæ, aut verò Græcæ. Hæc duo amolienda mihi sunt, alioqui non conclusero Comitatem hanc, quam tantopere vrgeo esse in Scripturâ.

2. Phrasium Hebræ-rum. ἀκοινωνησία.

Resp. ad 1. Commentariorum necessitas

Commentariorum necessitas vel orta est ex phraseωs insolentiâ, vel ex eâ obscuritate quam mens humana inuexit in Scripturam, vel deniq; ex hominum supinâ negligentiâ. Quod si orta est ex insolentiâ phraseωs Scripturæ, nihil inde decedit comitati Scripturæ, nam quæ locutio in hâc linguâ, quâ vtimur vernaculâ, insolens est, ea in Hebræo tantum ab est vt sit insolens, vt contrà sit vsitatissima. Atque hoc est quod profani homines caussantur & criminantur, quod Deus nempe voluerit Verbum suum exstare eâ linguâ, cuius locutiones omnes insolentes sint & inusitatæ: Sed iniuriâ hoc criminantur, quia etsi phrases illæ sint paulò insolentiores, tamen vsu Sacræ Scripturæ iam veluti tritæ nobis redduntur familiares, quod experiēti facile iudicare est. Deinde, oportuit Verbum Dei tradi aliquâ linguâ, non enim potuit omnibus linguis tradi, quia hæc est omnium linguarum natura, vt intereant veteres, & subnascantur nouæ, vtque fit hîc vicissitudo quædam: verbi gratia, lingua Gallica quæ hodie nobis vernacula est, iis temporibus quibus Deus voluit Verbum suum prodi literis, nulla planè fuit, non erat omnino in rerum naturâ, nulla fuit gens quæ eâ vteretur. Idipsum licet obs[illegible]re de reliquis linguis. Sed tamen voluit De[illegible] summâ sapientiâ, Verbum suum consignari eâ quæ linguâ omnium mater est, cumque vellet colligere Ecclesiam in Oriente, voluit eâ linguâ tradi Verbum suum, quæ Orientalibus esset vsitatissima: Tertiò Phraseωn illarum insolentia (absit modò libido calumniandi) suam habet venustatem & gratiam, nam ausim hoc confidenter dicere, nullam esse linguam in quâ priscę antiquitatis exstēt expressa altiùs vestigia quàm in lingua Hebraïca, adeò locutiones illæ accommodatæ sunt ad indolem animi simplicis, & qui inter loquendum ipsam naturam ducem sequitur. Itaque Metaphoræ, tropi qui occurrunt in illâ lingua, omnes sunt pleni luminis, redolēt simplicem illam & veluti rusticanam, sed antiquam ingenuitatem.

1. Ob Phrasean insolentiam in Vet. Test.

In Nouo Testam.

Sed hîc mirum videri posit, quo consilio id ipsum obtineat in Nouo Testamento, quod Deus scribi linguâ Græcâ voluit, quia (vt monet Cicero pro Archia Poëta) lingua Græca latissimè patebat, & quidem multò latiùs quàm lingua Latina, Euangelium autem erat propagandum inter Gentes, quæ penè omnes Grçcâ linguâ vtebantur, etiam ipsi Romani: obseruat enim Plinius, nullum fuisse honesto loco Romæ natum; cui turpe non esset nescire Græcas litteras, adeóque etiam in ipsâ Galliâ, quæ tum Romanorum erat, & moribus vtebatur Romanis. Jam negari non potest, Nouum Testamentum non esse exactum ad amussim & norman linguæ Græcæ, sed potius linguæ Hebraïcæ; hoc, inquam, alicui mirum videri posit. Atque temperare mihi non possum, quin hoc loco commemorem quod memini me legere in quâdam Epistolâ Basilij ad Libanium, in quâ excusat dicendi inopiam, quod res illi esset cum scriptoribus barbaris, intelligit autem LXX. Interpretes, quorum locutiones videntur sanè viris doctis (qualis erat Libanius) barbaræ. Respondet Libanius, verum esse quod dixerat, rem illi esse cum Sctiptoribus barbaris, tu tamen, inquit, disertus es, quod debes nostris hominibus. Atque hîc obiter est notandum, Basilium fuisse omnium Patrum grçcorum scriptorem sine controuersiâ eloquentissimum: nam in eius eloquentiâ hoc est obseruare, quod, quantùm per sæculum licuit, studuit grauitati, cùm plerique omnes illo sæculo luxurient, nam si quę delibat de Philosophiâ, aut ex litteris humanis, ea eiusmodi sunt, vt testentur reconditam eruditionem, sed cui ostentandæ noluit operam dare.

phrasibus Hebraicis scripto.

Hîc igitur miretur aliquis, quo consilio Deus voluerit N. Testam. scribi phrasi prorsus Hebraicâ: Sed desinet mirari, quicunque tandem ille sit, si cogitarit hoc primùm, N. Test. ita scriptum phrasi Hebræâ, vt à Græcis facilè intelligi posit, tum etiam in N. T. intermixtas esse phrases & locutiones Græcas, quæ testentur Seriptorem potuisse (si libuisset modò) Atticè scribere; sed de industriâ factum quod eo genere, quod mixtum liceat appellare, vti voluerit Spiritus Sanctus in libris Noui Testamenti, idque hanc ob causam præcipuè, quod iis temporibus Ecclesia Gentium inserenda fuit, tanquam oleaster, oleæ Ecclesiæ Judaïcæ; & reuera ita se res habet, nulla omnino fuit Ecclesia, in quâ illis temporibus non essent Judæi. Itaque, cùm Ecclesia Gentium appendix veluti esset Ecclesiæ Judaïcæ, voluit Deus hac Gentes hoc veluti vinculo colligare inter se. Deinde Biblia Græca terenda erant manibus Gentium, quæ vocibus quidem Græcis, sed phrasi Hebraicâ scripta sunt, itaque libri Noui Testam. qui partem Bibliorum faciunt, non debuerunt ita scribi, vt locutiones essent omninò diuersę, sed ita vt ex locutionibus deprehenderetur harmonia vtriusq; Scripturæ. Vt ergo respondeam ad obiectionem de necessitate Commentariorum, quatenus oritur ex insolentiâ Phraseologiæ, aio legitimum eorum esse vsum, vt admoneatur lector, nam sæpè fit vt qui à teneris assueti sunt linguæ Latinæ aut vernaculæ, afferant ad lectionem sacræ Scripturæ animum iam imbutum Phraseologiâ vel vernaculâ, vel Latinâ, vel Græcâ, vnde fit vt hallucinentur exigētes omnia ad amussim linguæ vernaculæ, Latinæ, aut Græcæ, non vitio Scripturæ Propheticæ aut Apostolicæ, sed suo, nempe, dum non animaduertūnt Biblia fuisse primitùs scripta linguâ non Latinâ, aut vernaculâ, sed Hebraicâ.

2. Propter [illegible] ab ingenio humano obscuritatem.

Diximus secundo loco, necessitatem Commentariorum ortam esse ab obscuritate, quam ingenium humanum inuexit in Scripturam. Interpres Scripturę grauis, & qui sēsus habet exercitatos, nō laborat sæpè in eruendo sensu genuino Scripturę, sed in vindicando potius ab hominum commentis, nam nescio quâ malignitate & cœcitate fit vt obuius Scripturæ sensu nobis displiceat, laboratur itaque sæpius in vindicando genuino Scripturæ sensu, quàm in tradēdo. Nam dum volumus nimis acutè intueri sententiam Spiritus sancti, sępe fit vt oculos distorqueamus, eamque minus videamus. Hæc est illa obscuritas quam ingenij humani peruersitas inuexit in Scripturam. Hoc videre est in omnibus controuersiis, & disputationibus cum Pontificiis, aut quibuslibet Hæreticis, præsertim verò in illâ de cœnâ Domini, quantis hîc opus fuit Commentariis ad explicationem horum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, quamuis, si absit altercandi pruritus sint manifestissima, *Dominus*, inquit Euangelista, *sumpsit manibus panem, benedixit, fregit, & dixit Discipulis, Hoc est corpus meum:* nempe, solet hoc fieri in vitâ & sermone communi, vt cùm signum fidei & amicitiæ nostræ alicui damus, dicamus, *hæc est fides mea, hoc est cor meum.* Item, quantis tenebris inuoluit impietas ista Christi verba, *Pater maior me est:* Arriani illicò inde commenti sunt, Christum non esse Patri suo æqualem, cùm hoc tantum voluerit Christus, iam qui sim latet, sunt enim dies carnis meæ, nōdum aduenit tempus quo manifestabit Pater qui sim hoc est, (vt loquitur Paulus) nondum est filius Dei declaratus in spiritu. Jam verò obscuritas illa, à peruersitate hominum in Scripturam inuecta, nihil detrahit de comitate Scripturæ, tantùm argumentum est humanæ curiositatis. Nam est genus quoddam hominum quibus nihil facile est & obuium, similes illis qui vellent sibi probari solem lucere, quo genere hominum nihil est molestius, nam quicquid dixeris obscurius est eo quod postulant sibi probari, itaq; nullus est cum illis contendendi finis. Atque ita sumus omnes à naturâ in religione & salutis negotio, comparati. Hoc possit vel inde deprehendi, quòd in legendis prophanis scriptis omnes eò conferunt ingenij sui vires, vt expendant rationem elegantiæ, verbi gratiâ, in Horatij scriptis Græcismos exosculabuntur viri docti, in Ausonio laudabunt Critici Archaïsmos, cùm ventum est ad Scripturam, irrident illi quod in aliis laudant, & non suscipiunt modò, sed suspiciunt etiam; quasi verò potius liceat Romano viro vti Græcismis, quàm Paulo Judeo vti Hebraïsmis.

quam videre est in locis controuersiis.

Quę peruersitas ingenij humani exagitatur.

3. ob hominum negligentiam.

Diximus tertio loco, necessitatem Commentariorum oriri à negligentiâ, quod vsque adeò verùm est, vt videas etiam Commentaria in Disticha Catonis, & Catethismos, quibus nihil esse possit facilius. Vnde verò istud nisi propter legentium oscitantiam, supinam negligentiam? Itaque nullus est locus tam clarus & perspicuus in Scripturâ, qui non sit illustratus Commentariis, nempe quia ingerenda est oculis dormitantis lectoris fax.

Obij 3. Prophetici sermonis grandiloquentia.

Posset & illud objici, quod penè me præteriérat, nempe, in scriptis Prophetarum Veteris Testamenti videri desiderari comitatem istam, & lenitatem atque mediocritatem, quæ in Noui Testamēti libris occurrit. Prophetæ enim quoddam dicendi genus secuti sunt quod planè est sublime & grādiloquum, vnde fit vt vulgus scriptis Propheticis magis afficiatur quàm Epistolis Paulinis, ita enim comparati sumus vt verba sonantia nos magis afficiant. Hoc est ἀσυμφέρον illi Verbi Dei Comitati, quam prædicamus. Verùm illa grāndiloquentia nequaquam cum istâ Comitate pugnat, sed est genus quoddam dicendi accommodatum illis Ecclesię temporibus, & verò eiusmodi, vt si Prophetæ hoc genere dicendi non fuissent vsi, ne Prophetę quidem fuissent. Aio igitur primùm, hoc dicendi genus fuisse illis temporibus Ecclesiæ accommodatum, quia illis temporibus Ecclesia erat veluti sub Pædagogo, atque (vt Paulus de Corinthiis dicit) fideles erant carnales, hoc est, rudes. Quia ergo Ecclesiæ tempora tum rudia fuere, oportuit etiam dicendi genus esse ad temporum ruditatem accommodatum, nam quæ generosa videntur esse ingenia, reuera rudia sunt, vt quæ non commoueantur nisi ponantur ob oculos quæ mouent phantasiam, qualis est illa Prophetarum grandiloquentia. Atque hæc dicta sunto de iis quæ Prophetica sunt, nam in narrationibus quæ sunt in V. Testam. in præceptis etiam, omnia deprehendas esse simplicia, & quidem eiusmodi simplicitatis quæ est in Nouo Testamento, quid enim simplicius est Pentateucho Mosis? Deinde, si Prophetæ hoc dicendi genere vsi non fuissent, ne Prophetæ quidem fuissent: quod sic demonstratur. Duplex est omninò dicendi genus in Ecclesiâ, vnum est quo vtuntur ij qui non modò afflati sunt Spiritu Dei, sed ita sunt afflati vt rapiantur extra se in ecstasin, alterum verò quod proficiscitur ab afflatu Spiritûs Dei, sed non eo qui gignit ecstasin, Prophetæ non modò fuerunt afflati Spiritu Dei, sed ita fuerunt afflati vt veluti ipsi sibi eriperentur, & extra se constituerentur, adeò fuit vehemens Spiritus ille, & eorum motus desinebat in ecstasin. Itaque oportuit genus dicendi, quo vsi sunt, exprimere motum animi, & cùm motus ille fuerit ecstaticus, oportuit etiam dicendi genus esse ecstaticum.

Resp. eiusque gemina [illegible] ratio.

At temporibus Noui Testamenti non fuisset accommodatum hoc dicendi genus, [illegible]ia tum alia fuerunt Ecclesiæ tempora. Vol[illegible] nempe Deus cum Ecclesiâ agere quasi cum adultâ. Itaque in Apostolorum scriptis non est dicendi genus ecstaticum, sed omnia sunt sedata & composita, Apostoli sic loquuntur vt res ipsæ loquātur. Deinde, afflatus Apostolorum non erat similis afflatui Prophetarum, non enim erat ecstaticus, sed compositus & sedatus. Die quidem Pentecostes Apostoli afflati fuerunt Spiritu Dei, & quidē ecstatico, sed hoc fuit extra ordinem, non enim sic corripiebantur ordinariè. Quorsum istud? quia inaugurandi fuerunt Apostoli, & quidem veluti signo cœlitùs dato, quod eiusmodi esset vt expugnaret omnem cōtradicendi proteruiam & pertinaciam, idque videntibus Judæis, qui conuenerāt Hierosolymā acciti religionis causâ è regionibus in quibus viuebant. Sic etiam in Ecclesiâ nascente Deus voluit exstare miracula, sic voluit quasdam esse mulieres quæ isto spiritu ecstatico correptæ mira loquerentur, & quidem mirum in modum, at id non fuit ordinarium, neque

quarum vtraque sub N. Testam. locum non habet.

neque verò debuit esse. Itaque illi (vt quidem mihi videtur) magnoperè errant, qui lectis Prophetarum scriptis putant idem sibi licere, quod illis licuit, & eâdem libertate vti se posse quâ Prophetæ olim, siue conciones habeant, siue Principes alloquantur. Nam cùm Prophetæ rapiebantur in ecstasim, non modò res suggerebat spiritus, sed & ipsa verba, adeò vt etiam malus Propheta ea proferre cogeretur quæ proferre noluisset, tanta erat vis spiritûs illius. Vnde etiam factum, vt ex tyrannis nullus, nisi qui mente captus esset, sæuiret in Prophetas, quid ita? quia cum vaticinabantur Prophetę ita corripiebantur à spiritu, vt manifestum esset eos afflari spiritu, cogerentúrque homines fateri, *hic est digitus Dei.* Neque etiam semper, quotiescunque volebant, prophetabant, sed tum tantùm quùm in eos irruebat spiritus, vt ait Ezechiel.

[...]orum qui Prophetas imitantur.

Amosus,

Etiam non mihi videntur satis diligenter hoc obseruasse, qui Esaiæ ideò tribuunt grandiloquentiam, quòd esset è stirpe regiâ, Amoso verò humile dicendi genus, quòd esset Pastor; non obseruarunt, inquam, Prophetis spiritum non modò res ipsas, sed & verba dictasse. Sanè, cùm leni illo Spiritus afflatu aliquis afficitur, spiritu res ipsas reuelante, fateor genus dicendi varium esse pro varietate ingeniorum, sed in Prophetis id negandum est, quia Prophetæ non modò res ipsas, sed & ipsa verba à Spiritu edocebantur. Fuit quidem Amosus pastor, non fuit tamen seruus aut mercenarius, erat enim Thecuanus, atque omnes Thecuanorum diuitiæ erant in pecore. Sed esto, fuerit mercenarius, non tamen (vt volunt nonnulli) deprehendetur id ex stylo, & dicendi genere, nam hoc ausim affirmare, nihil posse dici Prophetiâ Amosi magnificentius, ita vt non possim satis mirari quomodo tam absurda cogitatio mentem Hieronymi subierit, dum ait genus dicendi ita esse apud Amosum humile, vt facilè appareat eum fuisse pastorem & rusticanum hominem, contra verò Esaiæ genus dicendi ita esse sublime, vt notam faciat omnibus regiam originem. At, inquam, nec ipse Esaias semper sibi similis est, siquidem interdum genere dicēdi vtitur tenui atque humili, & veluti fracto, interdum verò assurgit, & circumducitur? At idipsum facit Amosus, nempe id fit pro argumenti diuersitate. Sanè in illo dicendi genere, quo vtitur Amosus, nihil est quod non superet eloquentiam Demonsthenis, est enim in sermone elegans & disertus, nihil est quod non sit plenum venustatis, & luminis item; ita vt inde nemo colligere possit eum fuisse Pastorem, aut rusticanum hominem. Quod nonnulli tamen colligere se posse autumant inde, quod Metaphoris vtatur è re pecuariâ ductis, exempli gratiâ, cùm salutē, quam Deus erat exhibiturus populo suo, comparat ei qui eriperet lupo ouem, aut extremum calcaneum, vel auris particulam, quasi verò non vtatur eadem similitudine Esaias? nemo tamen Esaiam inde contemnit, aut accusat humilitatis in dicendi gènere. Ergo, vt hoc caput tandem concludam, in præceptis tradendis, in narrationibus, vbiq; ea elucet Comitas quam diximus: in scriptis Prophetarum non semper ita elucet, ob eas rationes quas modò diximus. Quanquam & aliter occurrere possumus, nam cùm temporibus Prophetarum instituendis esset sermo de rebus magnis, quæ nondum euenerant, omninò decebat Sapientiam Dei, vt cùm nondum datum esset res ipsas intueri, saltem animi hominum excitarentur verborum magnificentiâ, at vbi res ipsa exhibita est, nihil opus fuit his verborum phaleris.

[...]on est in [...]icendo [...]usticus.

[...]ed facun[...]us & di[...]citus.

Obj. 4.

Characterem istum non elucere in translationibus.

Cum iis item quæ diximus de Comitate pugnare videtur, quòd si Comitas illa sit Verbi Dei Character, Character tantùm sit quatenus scriptum est linguâ Hebraicâ aut Græcâ, at non posse esse Characterem Verbi, quatenus scriptum est linguâ Latinâ aut vernaculâ; quid ita? quia translatio mutat verba & locutiones, itaque non erat hoc adferendum, inquiet aliquis, pro Charactere, nam hic Character non est Character nisi linguæ Hebraïcæ & Græcæ peritis. Sed hoc nullo negotio solui potest, etenim Character eiusmodi est vt non possit vllâ versione, quæ genuina est, immutari aut obscurari. Afferam huius rei exemplum satis crassum, legimus Auerrhoïs præfationes redditas Latinè satis barbarè, sed cordatus lector facilè inde deprehendet Auerrhoem fuisse virum longè disertissimum, manent enim figurę, tropi, Metaphoræ, πάϑη. Hinc fit, vt qui etiam versati non sunt in lectione Scripturæ, tamen cùm audiunt concionatorem afferentem Scripturæ verba, mouentur vehementer, non quod phrases sonent aliquid Gallicum, sed quia eloquentiam redolent, manentque altiùs impressa Comitatis vestigia, quanquam erunt illustriora si adeantur ipsi fontes. Itaque mihi videtur in translationibus idem euenire, quod in imaginibus quæ solo atramento depinguntur, agnoscas sanè lineamenta & pulchritudinem ipsius rei quæ depingitur, at colores non agnoscas; Sic versiones referunt quidem Maiestatem illam & Comitatem Scripturæ, vt satis appareat eum qui vertit non potuisse esse authorem illius Scripturæ. Itaque, Character & genus dicendi, quatenus refert Maiestatem coniunctam cum Lenitate seu Comitate, eiusmodi est vt eluceat etiam in translatione.

Ref. Imo manet & elucet.

4. Nota externa. Conditio eorum qui [...] Dei Verbum.

Sequitur quarta Nota externa Verbi Dei, quæ est, *Eorum conditio quorum operâ Deus est vsus in tradendo verbo.* Nam si fuerunt homines rudes & imperiti rerum, si non fuerunt summo loco nati, si nullis humanis instructi præsidiis hanc rem aggressi sunt, profectò oportet doctrinā ab iis profectam esse diuinam planè Fateor imperitos homines nonnulla dicere peritè, at id sæpè non fit; satis etiam scio atrâ bile correptos ita nonnunquam loqui, vt rapiant auditorem in admirationem, satis item scio afflatos à Cacodæmone nonnulla dicere etiā excelsa, sed illa eiusmodi sunt, vt prodant morbum mentis, deinde vbi ad se redicre, eorum pœnitet quæ dixere, vel certè ea non agnoscunt: At non fuit eiusmodi conditio eorum quibus Deus vsus est in Verbo tradendo, erant enim viri animo sedato & composito, quæ dixere eiusmodi sunt vt non sint argumenta animi parùm constantis, adeò sublimia sunt & admiranda vt ab homine mortali fingi non potuerint. Sunt quædam hominum commenta venusta & lepida, quæ delectant auditorem, sed quæ homines isti humile & plebeij scripserunt rapiunt auditorem in admirationem, qui cùm fuerint idiotæ, rudes, & imperiti præ reliquâ turbâ supra populum, omnino necesse est

fateri eos fuisse Spiritu Dei afflatos. Fateor tamen hîc agnosci magnum discrimen, Nam primis illis Veteris Testamenti temporibus Deus vsus est summorum virorum operâ in propagandâ Ecclesiâ, qui Patriarchæ dicti sunt quia illustrium familiarum patres fuerunt & authores. Deinde, cùm ab eo Lex traderetur vsus est Mosis operâ, Mosis, inquam, qui etsi genere fuit nobilis, conditione tamen fuit ignobilis, non enim natus Patriarcharum temporibus, quibus Ecclesia Dei erat populus liber, sed illis est natus quibus Ecclesia Dei erat populus seruus, nam præter electionem Dei nihil tum erat illustre in Israelitico populo; educatus tamen fuit Moses in aulâ Pharaonis, nempe vt vel inde conciliaretur ei aliqua authoritas, minor tamen quàm Patriarcharum. Quum ventum est ad Prophetarum tempora, Deus indiscriminatim Prophetas elegit aliquando ex hâc, aliquando verò ex illâ familiâ. Atque hic est tertius gradus. At quum ad Christi tempora ventum est, ad propagandum Euangelium noluit Deus vti operâ vllius, cuius dignitas aut authoritas tanta esset, vt vlla inde conciliari potuerit doctrinæ authoritas. Vsus est quidem, sed præter ordinem, viris nonnullis claris atque illustribus, Josepho putà Arimathæo, & Nicodemo, ij scilicet fuerunt qui ausi sunt deposcere à Pilato corpus Christi, at vix vnus aut alter eiusmodi fuere. Paulum etiam vocauit, sed (vt ipse dicit) ὡς ἐπιδεύτερον ἢ ἔκτρωμα. Constitutâ Ecclesiâ aliter se res habet, promiscuè enim Deus eligit hos & illos. Jam si quis à me requirat rationem huius diuersitatis, dicam eam esse sumendam à ratione temporum Ecclesiæ, nam prout Deus voluit rem à nobis considerari, nullis extrinsecus assumptis argumentis, pro eâ ratione voluit Ecclesiam suam institui, itaque in dicendi genere idipsum liceat animaduertere.

quæ varia fuit.

pro varietate temporum.

Quod & videtur adumbratū in visione Eliæ, 1.Reg.19. Nam Elias constitutus in antro audiisse dicitur ventum cuius impetus erat vsque adeò vehemens vt dissiparet montes, at Deus non erat tum cum vento illo; deinde, profitetur se audiuisse fragorem seu terræmotum, at Deus non fuit in illo fragore; tum narrat se vidisse ignem, at Deus non fuit in illo igne, tum demum audiuit vocem silentij, siue tenuem, & Deus fuit in illâ voce. Iam allegoricè possumus interpretari ista de quatuor præcipuis temporibus Ecclesiæ Dei, in quibus fuit constituta à creatione mundi ad Christum vsque, nempe de Mose, de Prophetis, de Joanne Baptistâ, & de Christo quanquam hîc nolim temerè quicquam affirmare, tamen hîc Elias, qui post Mosem Prophetarum omnium fuit excellentissimus, videtur distinxisse quæ distinxerat Deus. Nam postquam Ecclesia constituta est, quatuor fuerunt reuelationis modi, secundùm quos Deus sese diuersis temporibus Ecclesiæ suæ patefecit, per ministerium seruorum suorum, atque tandem filij sui vnigeniti. Nam primò Moses fuit, qui Legem dedit populo, quam acceperat à Deo in monte Sinâ: secundò fuere Prophetæ, tertiò Johannes Baptista, tum Christus & Apostoli. In Lege, in quâ exhibendâ audita sunt tonitrua, visa fulgura, &c. Deus non erat, hoc est, non exhibuit se in Lege plenè cognoscendum, neque item in Prophetis, neq; in Johanne Baptistâ, nondū enim erat exhibitus Christus, postquam autem est in cœlum euectus, tum plenè est exhibitus.

Quod adumbratum est in visione Eliæ.

quæ allegoricè exponitur.

Græcorum exprobratio est, Iudæos rudes fuisse & ferè imperitos bonarū artium, attamen hoc cedit potius in laudem religionis quam professi sunt Iudæi, quàm in vituperium: Etenim oportet illam doctrinam esse diuinam, cuius laudem ingenium humanum non potest sibi arrogare. Sanè Iudæorum operâ non est vsus Deus in tradendis disciplinis humanis, sed Græcorum & Chaldæorum, quòd sapientiam eam quâ censeri voluit populum suum, noluit esse humanam, sed diuinam. Itaque non est nobis magnopere laborandum, vt probemus Iudæos fuisse doctissimos & peritissimos rerum, quanquam ratio suadet Mosen institutum fuisse in omni scientiâ, omnibusq; disciplinis Ægyptiorum, at ille huius scientiæ suæ nulla in scriptis suis reliquit vestigia, nihil enim est in Pentateucho quod sapiat sæcularem eruditionem, quin sunt omnia composita ad ingignendam hominum animis veram pietatem. Atque idipsum de Paulo sentiendum est, quem non modò fama accepimus sed didicimus etiam ex ipsius scriptis, fuisse disciplinis sæcularibus instructum atque imbutum, attamen ille in Epistolis suis mittit nuncium sæcularibus disciplinis, negat se velle vti persuasoriis humanæ sapientiæ sermonibus, ne euacuaretur crux Christi. Paulus quidem versum citat ex Arato, Epimenide, Menandro, sed quàm parcè, quàm (vt ita dicam) contemptim, non enim solet istis immorari, & totas paginas eiusmodi citationibus implere, quod fortasse potuit; hæc fuit consuetudo & cura, eorum qui, longè post tempora Pauli, dederunt nomen Christo. Nam cùm optimè instituti & imbuti bonarum artium disciplinâ accessissent ad Christum, in refellendis erroribus, vel potius prodigiosis figmentis, quibus referta fuit idololatria Ethnica, vsi sunt eo genere argumentorum: sed eo ipso docuerunt se non esse authores illius doctrinæ, neque afflatos immediatè à spiritu sancto. Nam neque Prophetæ, neque Apostoli, neque Moses, neque Patriarchæ, sic factitarunt: diuersa conditio est eorum, qui amplexi sunt doctrinam traditam à Prophetis & Apostolis, nam Apostolos & Prophetas sic oportet agere quomodo decet eos qui Dei internuncij sunt, à Deo missi immediatè. Quamobrē etiam alibi dictum est à nobis (quod etiam atq; etiam obseruandum est) conditionem hanc necessariam fuisse in Apostolo, vt viderit Christum, quomodo Paulus asserens Apostolatum suum, *Non sum* (inquit) *ego Apostolus, non vidi Dominum Iesum?* vidit autem in visione propheticâ.

Iudæi artium sæcularium imperiti.

Moses

& Paulus etsi periti eas tamen non ostentant.

Nota quinta externa est, *Consilium eorum quorum operâ vsus est Deus in tradendâ Doctrinâ cœlesti.* Dicat aliquis fortasse, stultum esse afferre consilium pro Notâ, nam consilium mentis est quæ autem sunt mentis illa latent, quæ autem latent non possunt esse Nota, nam omnis Nota patère debet, omnis Notæ hæc est conditio, vt notior esse debeat eo cuius est nota. Sed consilium tamen colligi potest certò ex iis quæ externa sunt, vt in hoc argumento, certum est consilium Prophetarum & Apostolorum non fuisse decipere, itaque eo ipso probari potest eos fuisse viros bonos. Non fuit autem eorum consilium decipere, nam quorum ea mens est, ij vel lucri causâ, vel dignitatis

5. Nota externa. Consilium eorum qui tradiderunt Dei Verbum.

[illegible]

tatis adipiscendæ gratiâ, vel etiam voluptatis alicuius sensu, eò impelluntur vt velint decipere. Iam nisi quis velit splendidè insanire, non iam dico perfricare frontem, non potest hoc Apostolis aut Prophetis affingere, Nam fuerunt omnes miserrimi (si spectemus ea quæ ingenio humano grata sunt & accepta) conditione abjectâ & contemptâ, & penè omnes martyres fuere. Ac ne quis putet eos incidisse per incogitantiam in has ærumnas (quod Pseudoprophetis & Hæresiarchis aliquando accidit) non modò præscij fuere harum calamitatum, sed vltrò sese exercendos & cruciandos tot malis tradiderunt; eo lubentiùs vxor hac voce *tradiderunt*, quia vox est vsitatissima in Ecclesiâ Judaicâ. Deinde, docuerunt Prophetæ & Apostoli ista esse contemnenda, & quidem exegerunt hoc tam seuerâ lege, vt qui nolit hanc subire conditionem excludatur spe potiundæ beatitudinis. Itaque, non est credibile aliunde profectam doctrinam illam, quam eiusmodi homines annuntiarunt, quàm à Deo. Neque vllam veritatis speciem habet Græcorum calumnia, homines illos studuisse decipere alios homines. Certè authores superstitionis inter Gentes ferè Principes fuere & Magnates, atque ij omnes sibi & suis conciliarunt dignitatem. Iam res est planè stupenda & admiranda, quod Moses, cùm pro carnali statu Ecclesiæ tunc temporis idem dux esset, & Princeps, & Doctor, tamen noluit vllum habere è posteris suis pro Principe & Rege. Neque verò semetipsum in Regem creauit, quod res ipsa & euentus clamat; quî enim procliuius fuisset quàm regiam dignitatem tribuisse sibi & suis? Scriptum enim est, *obediuisse populum Deo & Mosi*. Imò principatum tribuit tribui Judæ, nempe Dei afflatu, vnde nasciturus erat Messias, hoc est, voluit tribum Judæ principatum obtinere, non tamen semper aliquem ex illâ tribu, sed tribum ipsam supra reliquas principem esse. Itaque, nomen mysticè tributum fuit huic tribui, nam Judæ nomen est *Confessor*, nempe, ij qui Deo confitentur laudémque tribuunt, ij demum principes sunt. Huc accedit etiam, quòd diuini illi Scriptores etiam semetipsos notant, inurunt sibi notas indelebiles, notas, inquam, imbecillitatis humanæ, non diffitentur vitia sua, non dissimulant tenuitatem conditionis suæ, non sunt laudum suarum buccinatores, &, si quid sit in ipsis in quo deprehendi possit ingenium & industria, hoc in solidum acceptum ferunt Deo,

Mosis exemplo.

Except.

Sed, inquiet aliquis, esto, noluerint decipere, attamen decepti deceperunt, non fuit fortassis eorum consilium decipere, sed quia in magno errore versabantur, reliquis authores fuere huius erroris. Resp. Isto loco ista cauillatiuncula nullum habet locum. Nam est duplex docendi genus, vnum est quo quis se profitetur authorem doctrinæ quam tradit, & est aliud docendi genus, quo quis non profitetur se esse authorem doctrinæ quam tradit, profitetur tamen in genere vnde didicerit. Magna est inter ista duo differentia, nam qui profitetur se authorem doctrinæ quam tradit, oportet studuisse mentiri, si modò mentitur, at qui ab alio deceptus est & inductus in errorem, longe aliter se res in eo habet; vnde fit vt Heresiarchas non feramus, feramus tamen deceptos ab hæresiarchis. Jam Apostoli profitentur se esse authores, nempe extrinsecus authores, doctrinæ quam tradunt, itaque hîc (si modò viri boni sunt) nullus est deceptioni locus.

Ref.

alia Except.

Sed, inquiet aliquis, errarunt fortasse, nempe animus humanus ita est comparatus à naturâ, vt in iis quæ excogitauit plerumque erret. Ita est. Verùm si neget quod excogitauit se excogitauisse, eum oporteret esset virum malum. Atqui Apostoli & Prophetæ aiunt se hæc non excogitasse, sed instinctu diuino hæc dixisse, atque accepisse ista reuelata diuinitùs. Probandum itaque est, Apostolos & Prophetas fuisse viros bonos, ita res confecta fuerit. Deinde, duplex est, pro ratione huius argumenti, doctrinæ genus. Vnum est earum rerum quas quis profitetur se vidisse, alterum earum quas quis non quidem profitetur se vsurpasse oculis, sed accepisse, aut verò animi agitatione collegisse. Iam verò quæ tradidit Moses, quæque Apostoli & Prophetæ tradiderunt, ea sunt eiusmodi vt ea omnia, aut maximam eorum partem, viderint, putà legem datam in monte Sinaï, aut Christum in terris viuentem, docentem, morientem &c. Vnde Johannes 1. Epist. Cath. 1. *Quæ vidimus oculis nostris, quæ spectauimus, quæque manus contrectarunt nostra, de sermone vitæ, id annuntiamus vobis.* Certè, non modò mali & impij, sed omninò insani hominis esset hæc tradere atque affirmare, si vera non essent, sed ab iis conficta, & quidem hæc tradere nullo consilio, nullâ spe, præter eam quæ reposita est in cœlo. Atque hoc est genus eorum qui Scripturas sacras tradiderunt, in quibus nemo reperiat argumenta motæ mentis, quin omnia contra composita sunt & sedata. Hæc est nota quinta externa Verbi Dei, nempe, *Consilium eorum qui illud tradidere:* quod consilium locum non habet in Mahomete, nam ille hoc suo commento imperium sui arrogauit, & suis.

Ref.

6. Nota externa, Miracula.

Sexta Nota externa, quâ internoscimus doctrinam illam cœlestem, petita est à *Miraculis*. Atque hîc ante omnia vos volo monitos, hanc Notam sæpenumerò objici hominum oculis, etiam in ipsis Apostolorum scriptis, vt argumentum internoscendæ illius veritatis quam Apostoli prædicabant, nam doctrina illa confirmata fuit signis & miraculis, itaque non negligenda fuit à nobis hæc Nota. Vt verò quantam vim habeat, ad conciliandam authoritatem huic doctrinæ, perspectum habeamus, duo præcipuè hîc sunt obseruanda, quorum prius quidem hoc est, vt compertum atque exploratum sit vera esse ea miracula quibus doctrina hæc confirmata est. Diabolus, quem quidam scitè & eleganter *Simiam Dei* appellarunt, solet falsis miraculis miseris hominibus illudere. Hæc autem est veri miraculi conditio, vt vel in re ipsâ quæ fit, vel in ipsâ agendi ratione, manifestum sit aliquid factum esse è nihilo, hoc est, nullam superfuisse vim in eo causarum genere, quas secūdas vocant, cuius interuentu res tanta potuerit perfici vt in excitatione mortuorum, in cœco verè cœco, qui nō laborat scotomate, sed qui verè cœcus est, si ei restituatur visus: item si quis laboret febri, nec intercesserit vlla causa secunda, miraculum est si sanetur, quia, ex lege naturali, nihil fit sine causâ secundâ, postquam peruentum est ad causam primam, sine causâ secundâ, miraculum est. In ipsâ re id fit, cùm res est eiusmodi, vt nullius

quid sit verè Miraculum.

causæ secundæ vi potuerit effici, in ratione autem agendi, quâ res producta est, id fit, cùm nulla secunda causa interuenit, potuit tamen interuenire. Vt si excitetur mortuus, res est eiusmodi vt nullius causæ secundæ interuentu potuerit effici, at si curetur febris, res non est eiusmodi vt non potuerit effici à causâ secundâ, itaque vt sit miraculum, oportet eam curationem fuisse eiusmodi vt nulla causa secunda interuenerit, diximus enim in genere rerum naturalium nihil sine causis secundis posse fieri, quæ si non interueniant, oportet rem factam esse è nihilo.

Qui falsum Miraculum à vero dignoscatur.

Sed vnum hic oboritur, quod posfit rem minùs attentè consideranti negotium facessere, quærat enim aliquis, in modo rei agendæ quî possit internosci verum miraculum à falso, nam quod ab eâdem causâ semper proficiscitur, id eiusmodi est vt ex eo semper sciri & colligi possit causa necessariò & certò, at cùm effectum aliquod potest adscribi pluribus causis, non potest vera causa certò colligi: verbi gratiâ, curata est febris, quid si curata fuerit interuentu causæ secundę, non fuerit miraculum; at vnde hoc deprehendetur? nam præstigiæ vsque adeò conjunctæ sunt cum arte, vt prope videantur miracula. Sed hîc ratio patrandi miraculi, & miraculi euentus, quæstionem facilè definiunt.

dignoscitur.

1\. Ratio patrandi miraculi, putà si nulla accedat superstitio, nullus ritus superstitiosus, sed fiant omnia candidè & apertè, quanquàm & Diabolus id potest imitari, sed ita vt diluceat fraus atque fucus.

2\. Sed istud præcipuè fit in euentu miraculi, nam si derepente curetur febris, fueritque curata interuentu causæ secundæ, æger quidem conualescet, sed non valebit statim, poterit quidem causa secunda nobis ignota tollere febrim, at non ita vt non hæreant adhuc in ægroto quædam morbi vestigia, sed si non modò derepente morbus pulsus fuerit, sed pristinam quoque sanitatem & vires recuperârit æger, miraculum est. Hoc posterius liquidum est, nec eget probatione aut explicatione, sed neque illud prius de ritibus superstitiosis, atque quod dixi, præstigiosa miracula rarò fieri apertè, & in hominum luce, sed clam atque veluti oppanso velo, quod faciunt circulatores & agyrtæ. Verùm, quod vix refelli potest, in istis curationibus, quæ miraculi speciem habent, tametsi momentaneæ sint, id obseruare est, quod non fiunt sine insigni aliquâ mutatione corporis, quæ gignit aliquem sensum. Vnicum exemplum mihi sufficit. Scripsit Lipsius duos libros, alterum de diuâ Virgine Hallensi, alterum de Diuâ Virgine Aspricolli, in illis libris operosè atque accuratè, summâ adhibitâ diligentiâ, notat personas, morbos, tempus quo ægri leuati fuerunt suis morbis. Attamen hoc obseruaueris in his miraculis, nullum esse prioris generis miraculum, etiamsi quid vetuerit hominem vel superstitiosum, vel minus Christianum, hæc finxisse. Sed tamen esto, non finxerit, sint vera quæ dixit. non erunt tamen illa veris accensenda miraculis, quia einsmodi sunt vt non pertineant ad prius genus miraculorum, neque enim vlla fit mentio vllius excitati à mortuis. Neque etiam miracula illa pertinere possunt ad secundum miraculorum genus, quia imprudens quidem ille, sed tamen haud dubiè Deo huius mentem atque calamum ita regente, notauit in omnibus illis miraculis sensum aliquem doloris, vt si cui pes fuerit contractior, aut tibia, vel coxa luxata, notat ægrum sensisse vim præsentem numinis Deæ, sed non sine acerrimo dolore, itaque interuenerit causa secunda necesse est. Et certè in curationibus magicis idipsum animaduertere licet, nam sunt qui arte illâ magicâ mira faciant in humano corpore, sed ita tamen illa faciunt vt sentiatur aliquis dolor & motus in corpore, at vera miracula, quæ sunt posterioris generis, non sunt eiusmodi, nam fiunt citra vllum sensum aut mutationem, pręter eam quæ apparet in euentu.

Et ipsi Ethnici habuerunt falsa sua Miracula.

Atque hæc à nobis disputata sunt de Miraculis, vt internoscantur vera miracula, quibus vera doctrina confirmata est, à falsis quibus confirmatur falsa doctrina. Certè illi ostentant in Idoliis suis, in tabellis depicta multa miracula, sed hoc nemini debet mouere admirationem, nam memoriâ patrum nostrorum in Insulâ Tyberis, vbi olim fuit Æsculapij templum, erutæ sunt tabelę æneæ & marmoreæ, quibus in tabellis habebantur insculpta vota, & votorum euentus. eorum qui ad Æsculapium confugiebant. Et qui voluerit legere libros doctissimi Medici Hieronymi Mercurialis, deprehendet in illis exempla illorum votorum, nec votorum modò, sed & euentûs votorum, vt ne cuiquam mirum videatur, aut insolens, quod nos videmus hodiè in Idoliis fieri idipsum quod olim ab Ethnicis vsurpatum est.

Miraculum ex doctrina præcipuè dignoscendum est.

Sed tamen res nondum sic videtur confecta; nam demonstrandum est omne miraculum debere esse eiusmodi quale à nobis descriptum est. Id verò facilè demonstrari potest, nam cùm miracula adhibeantur ad confirmationem doctrinæ cœlestis oportet ea esse eiusmodi vt nequeant fallere, non erunt autem eiusmodi, si talia sint quæ possint ab vllâ creaturâ proficisci, nam omnis homo mendax, sed debent proficisci à solo Deo, qui non potest mentiri. Itaque oportet miraculum esse signum rei certæ, nam cæteroqui Scriptura nos monet, falsos Prophetas miracula edituros. Et Donatistæ objiciebant Orthodoxis miracula, sed Augustinus respondet illis, Deum nos fecisse cautos aduersus eiusmodi miracularios, siue mirabiliarios potius, quippe qui nos monuerit fore aliquando eiusmodi præstigiatores.

Quando Deus Miracula adhibeat.

Alterum quod obseruandum diximus in miraculis, est *Tempus*, neque enim quouis tempore solet Deus vti miraculis ordinariè, hoc est, crebrò & frequenter. Sed hoc fit vel quando Deo libuit ratione quâdam extraordinariâ docere eos per quos ei placuit docere Ecclesiam, vel quoties voluit eos, per quos Ecclesiam docuit, ea facere quæ non conueniunt ordinariis doctoribus Ecclesiæ, vel cùm docet Ecclesiam per certos quosdam homines, quorum veritas non potest facilè perspici nisi accedant miracula, vel (quod videtur eôdem recidere, etsi res videatur aliter se habere) cùm Deus Ecclesiam renouat, & statum Ecclesiæ mutat.

Nempe 1.

Sunt qui iactant se esse Prophetas, atque afflatos Dei Spiritu, non modò afflatu qui fit per Dei verbum iam in Ecclesia traditum, seu scripto, vt à Mosis temporibus vsque ad nostra tempora, seu viuâ voce, vt primis illis temporibus, Profectò oportet eos facere miracula, si volunt probare se eos esse quos esse se profitētur,

quia

quia quod eſt extraordinarium nonniſi extraordinariâ ratione probari poteſt. Itaque, vel omnes Prophetæ miracula ediderunt, vel in illis aliquid inerat miraculi ſimile. Deinde, ſi quis ſit Doctor qui non modò verbo Eccleſiam reformet, ſed faciat quod videtur eſſe Magiſtratûs, verbi gratiâ Elias qui Bahalis Sacerdotes occidit, & Moſes, qui cùm eſſet priuatus ſe geſsit pro Magiſtratu, quia cùm actio extraordinaria eſt oportet probationem eſſe extraordinariam, itaque opus eſt miraculis quæ à ſolo Deo proficiſci poſsint. Objiciat aliquis, Magi Ægyptij effinxerunt quod Moſes verè fecit. At id in pediculis facere non potuerunt, quod tamen minus fuit operoſum. Elias impetrauit cœlitus ignem, & Magi ſæpenumerò hoc faciunt præſtigiis ſuis, attamen prouocatus Diabolus hoc non potuit, cùm veluti depoſito pignore Elias certaret cum Pſeudoprophetis. Sic ſortilegij reis omnis vis perit, cùm retinentur carcere concluſi, quia tum veluti prouocantur.

2\. Vel fiunt miracula tum cùm ea docentur, quibus ſine miraculo credi vix poteſt, vt cum prædicitur ſingularis euentus nondum anteà reuelatus, oportet interuenire miraculum, hoc eſt, tum id videtur conuenire. Jam hîc ſingulares euentus à promiſsionibus diuinis de vitâ æternâ diſtinguendi ſunt, quia iſtæ cognoſci poſſunt ex naturâ omnis religionis, quæ non eſt religio niſi nos erigat in ſpem vitæ melioris, cùm prædictiones ſint certarum rerum quæ Eccleſiæ, aut perſecutoribus Eccleſiæ, euenturæ ſunt, quia deſignant gentes, tempus, locum, hîc opus eſt miraculis, quia homines eo ſunt ingenio vt quod metuunt, vel optant, id ſibi perſuadeant euenturum: Ideoque viſum eſt prouidentiæ diuinæ, vt internoſcerētur, vel indere ſeruis ſuis quæ eſſent miraculi inſtar, aut facere per eorum manus miracula.

3\. Tum etiam miraculis opus eſt cùm ſtatus Eccleſiæ innouatur. Innouari autem dicitur, non cùm ea mutantur quæ hominum ignorantiâ & peruerſitate introducta fuerant, nam tunc dicitur Eccleſiæ morbus curari, itaque neceſſaria tunc non ſunt miracula. Sed nobis hîc ſtatus Eccleſiæ dicitur innouari, cùm ſtatus à Deo inſtitutus, & qui debuit obtinere ad certum tempus, mutatur & ſuccedit ei ratio Eccleſiæ gubernandæ, quam voluit Deus ſuccedere, quâ in re nulla eſt in Deo inconſtantia, quando obtinuit ad certum tempus quod voluit Deus obtinere, ſed tamen illud, quantum quantum eſt (eſt autem maximum) conueniens fuit vt miraculo obſignaretur.

ἀνακεφαλαίωσις ſu-periorum.

Ventum eſt iam ad eam diſputationis partem de Miraculis, quæ poſtulat vt quæ generatim de Miraculis hactenus dicta ſunt, ea ſpeciatim accommodentur ad inſtitutum noſtrum. Hîc autem colligenda ſunt, veluti in ſummam, omnia quæ hactenus dicta ſunt de Miraculis.

e Miraculorum ſempe eſſentia,

Summa autem hæc eſto, Miraculum eſt quo fit aliquid ex nihilo, idque tribus modis accidit, vel vbi nulla operi materia ſubſtrata eſt, vel ſi ſubſtrata eſt operi materia, in materiâ nihil ineſt eiuſmodi vt ſit, id quod dicunt Scholaſtici, *potentia paſsiua*, quæ potentia naturalis eſt, & materiam aptam reddit vt formam admittat, ſeu accidentalis ſit hæc forma, ſiue eſſentialis: vel ineſt quidem materiæ potentia paſsiua, ſed deeſt agens naturale, vis nempe actiua, qualem oportet eſſe in cauſis ſecundis, ita vt cauſarum ſecundarum locum obtineat Dei nutus.

Tempore quo fiunt.

Deinde, dictum eſt miracula ordinariè non patrari, ſed certis quibuſdam temporibus, non quod extra illa tempora nullum edatur miraculum, ſed quod id fiat rariùs. Tempus autem quo fiunt miracula definitur tribus circunſtantiis. Primò, Quum doctores Eccleſiæ eiuſmodi ſunt vt profiteantur Ecſtaſin & ſpiritum Propheticum; vt hinc internoſcantur Prophetici Enthuſiaſmi ab iis Enthuſiaſmis qui ſunt è ſedibus infernis, Deus voluit vel in perſonis Prophetarum, vel à Prophetis edi miracula; Vel, cùm quæ proponuntur à Prophetis ſunt eiuſmodi vt ordinariâ reuelatione colligi nequeant, cùm ſint certorum euentuum prædictiones, & hîc opportunum eſt vt miraculum patretur vt vaticinio concilietur fides, cùm ſit de futuro, & multi ſint Pſeudoprophetæ: Vel cùm doctores Eccleſiæ ea aggrediuntur, quæ videntur non pertinere ad officia Doctorum, cuiuſmodi fuit factum illud Eliæ, nam Magiſtratûs eſt vti gladio, non Doctoris, aut Prophetæ, itaque oportuit interceſsiſſe miracula. Denique tempus Miraculorum idoneum eſt cùm innouatur ſtatus Eccleſiæ, innouatur autem, cùm qui Eccleſiæ ſtatus à Deo præſcriptus eſt & inſtitutus, is antiquatur vt ſuccedat nouus ſtatus.

Doctrina Chriſtiana confirmata fuit Miraculis Primi generis.

Jam iſta facilè accommodantur ad inſtitutum noſtrum. Nam doctrina Chriſtiana confirmata fuit miraculis primi generis, in quibus patrandis nulla materia ſubſtrata fuit, vt in quinque panibus quibus pauit Chriſtus infinitam penè multitudinem, aliquid creatum fuit ex nihilo: vnde refelluntur illi qui ementiri nomen Chriſtianum, audent tamen affirmare mundum non eſſe creatum ex nihilo, aut verò non poſſe id probari ex Scripturâ.

Secundi.

Deinde, & miraculis ſecundi generis Chriſtiana doctrina confirmata eſt, in quibus materia eſt ſubſtrata, ſed cui nulla inerat potentia paſsiua: verbi gratiâ, excitati ſunt mortui, cœcis à natura data eſt videndi facultas, inerat quidem materiæ potentia (quam Scholaſtici vocant) *Obedientialis*, ſed eiuſmodi potentia non eſt reuera & propriè dicta potentia, ſed tantùm eiuſmodi aliquid quod rectiùs dici poſsit *non implicatio contradictionis*: nam potentia illa obedientialis nihil aliud eſt quàm non repugnantia in ſubjecto, quatenus refertur ad potentiam diuinam præſupponit tamen repugnantiam quatenus ſubjectum conſideratur in ſe, & iuxta eam σχέσιν quam habet ad cauſas ſecundas.

Tertij.

Et miraculis tertij generis confirmata eſt doctrina cœleſtis, nam morbi curati ſunt tum ab Apoſtolis, tum à Chriſto. Fuit quidem aliquando in ſubjecto potentia paſsiua, potuit aliquando morbus à Chriſto curatus curari pharmacis, vt febris, attamen miraculum fuit, eſt enim aliquid ex nihilo aliquatenus factum, quia in cauſis ſecundis nulla fuit potentia actiua, quia nullæ fuerunt cauſæ ſecundæ. Certè omni potentiæ paſsiuæ reſpondet potentia actiua in naturâ, quoties ergo actiuum non adhibetur, & tamen id fit quod fieret ſi adhiberetur, miraculum eſt.

Quare Chriſto & Apoſtolis opus fuit Miraculis.

Sed eſt aliud conſiderandum in miraculis, quod accommodandum eſt ad inſtitutum. Nam Chriſtus & Apoſtoli non profitebantur ſe eſſe vulgares homines, & ordinarios Doctores, ſed Chriſtus, qui videbatur eſſe tantùm homo,

profitebatur idem ſe eſſe Deum; Apoſtoli negant ſe eſſe miſſos ab hominibus, ſed profitentur ſe miſſos à Deo, & ratione extraordinariâ. Itaque opus hîc fuit miraculis. Jam miracula edita ſunt à Chriſto & Apoſtolis in huius rei confirmationem, *Opera*, inquit Chriſtus, *teſtantur de me*, &c, *Credite operibus quæ ego facio, ſi mihi non vultis credere.* Certè, qui primitùs in Chriſtum crediderunt, tali argumento moti ſunt ferè omnes ad eum amplectendum, *Nemo facit opera ſicut tu*, inquiunt Apoſtoli ad Chriſtum. Et profectò hoc argumentum magnum habet pondus, non ſolet enim Deus perhibere teſtimonium mendacio. Itaque, ſi Chriſtus fecit ea quæ non potuerunt fieri niſi à Deo, neceſſe eſt Chriſtum fuiſſe illum Meſsiam quem in Prophetis promiſſum & deſcriptum habemus, nam Herodes cœlitùs ab Angelo fuit percuſſus quod gloriam Deo non tribuerit, cùm non eſt abominatus illam populi vocem, *Vox Dei non hominis.* Quare Deus non dediſſet vim patrandorum miraculorum Chriſto, qui ſe profitebatur Dei Filium, adeoque Deum, niſi reuera talis eſſet. Deinde, Chriſtus certos quoſdam euentus prædixit, de quibus non potuit certum fieri iudicium ab hominibus non afflatis ſpiritu Prophetico, niſi acceſsiſſent miracula, verbi gratiâ, prædixit fore vt templum Hieroſolymitanum breui æquaretur ſolo, & euenit quod prædixerat. Cùm Chriſtus eſſet potens miraculis, & teſtatus fuiſſet operibus non modò præſentiam Spiritûs, ſed aliquid ſublimius, non caruit illud vaticinium fide apud auditores, cariturum fortaſſe ſi aliquis ex Doctorum turbâ id denunciaſſet. Sic Apoſtolorum temporibus Prophetæ fuere, verbi gratiâ Agabus, vnde conciliata eſt illis fides atque authoritas? quia illi Prophetæ loquebantur linguis, aut in illorum perſonâ aliquid erat miraculi ſimile. Deinde, Chriſtus & Apoſtoli multa fecêre quæ pertinebant ad Magiſtratum, nam Chriſtus flagello ex funibus confecto eiecit è templo trapezitas, ſiue nummularios & mercatores: In ipſo facto erat miraculum, quod res geſta ſit tantâ authoritate, vt obſtupuerint omnes, neque quiſquam repertus ſit qui auſus ſit contra hiſcere. Sed multò maius eſt quòd Chriſtus ſtatum Eccleſiæ immutauit, Apoſtolique qui Chriſtum ſecuti ſunt, ſtatum, inquam, Eccleſiæ, qui a Deo conſtitutus erat, ſed conſtitutum ad tempus.

hodie vero nobis nihil opus ſit

Jam verò, me tacente, poſsitis reſpondere iis qui poſcunt à nobis miracula, nempe, neminem eſſe noſtrûm qui ſe profiteatur Prophetam, hoc eſt, afflatum ſpiritu Prophetico, qui profiteatur ſe ἐκστατικῶς rapi, non ſumus Enthuſiaſtæ. Itaque injuriâ à nobis petuntur miracula, profitemur nos docere quomodo ſolet Spiritus Sanctus docere ſuos ordinariè, nihil profitemur [illegible] narium, non debent igitur à nobis [illegible] cula quando non id profitemur [illegible] re miracula. Vnuſquiſque ſi quod profeſsionis eſt ſuæ faciat, ſatisfecerit officio. Deinde, nec profitemur nos prædicere certos quoſdam euentus nunquam antea reuelatos, ſed nec euentus, qui reuelati ſunt, aliter prædicimus euenturos, quàm quomodo decet facere denunciantes, quorum eſt prædicere quod prædictum eſt anteà: nihil ergo opus hic eſt miraculis. Neque ea nobis tribuimus quæ non conueniunt Chriſtianis & Doctoribus in Eccleſiâ, neque ſtatum Eccleſiæ à Domino conſtitutum innouamus, tantùm ea ſtudemus ex Eccleſiâ eliminare & exterminare, quæ hominum vel ignorantiâ, vel fraus, inuexit in Eccleſiam: & quoties huius noſtri facti reddenda ratio eſt, proferimus Veteris & Noui Teſtamenti libros, veluti tabulis obſignatis agentes. At verò exigere ab iis qui tabulas proferunt obſignatas, miracula, eſt hominis aut nequiſsimi, aut verò furioſi, tum enim miraculis opus eſt cùm deſunt, aut obſcuræ ſunt, tabulæ, at cùm tabulæ præſtò ſunt & luculentæ, adeò vt non ſint obſcuræ, quorſum deceret Maieſtatem diuinam vt ederentur miracula?

Object.

Sed nondum exemptus eſt omnis ſcrupulus, poſsit enim quis reſponſare, fruſtrà adduci miracula pro noſtrâ doctrinâ, quando non ſumus inſpectores miraculorum, nec ipſi viderimus ea patrari, fando quidem accepimus doctrinam miraculis confirmatam, cæterùm quæ fando quis accepit, ea nouit famâ, non certò: ſic videtur periiſſe omnis huius Notæ vis. At nos huic objectamento duo opponimus, quorum prius hoc eſt, quod nos non iam tradidimus Notas quæ omnibus omnino hominibus notæ ſunt, ſed eiuſmodi quæ ſaltem quibuſdam hominibus, cuiuſdam ſæculi, notæ fuerunt: Sed ne videamur hîc tergiuerſari, neque rectâ occurrere. Reſpondeo, eſſe quandam famam, quæ tanti eſſe debet, tantæ, inquam, authoritatis, ac ſi rem ipſam oculis vſurpaſſemus.

Reſ. 1.

2.

Diſputationem de Miraculis, quatenus Notæ ſunt doctrinæ cœleſtis, eò perduximus vnde cœptum eſt quæri, quo pacto, ſi nobis inſpectantibus miracula edantur, miracula Notæ eſſe poſſint, nam quæ fando accepimus ea fidem vix impetrant, aut incertam & obſcuram impetrant, nam fama eſt *tam ficti prauique tenax quàm nuncia veri.* Hanc difficultatem vt amoliamur, conſtituimus diſputare de famâ: Etenim ſi omnis fama eiuſmodi eſt vt ſit eadem fallax & vana, nullâ ratione conſtare nobis poterit de Miraculis ante nos, primis illis ſæculis, patratis, at ſi quædam eſt fama cui fides ſine impudentiâ non poteſt detrahi, etiamſi illis temporibus nati non fuerimus, tamen ſi famâ iſtâ miracula ad nos peruenerunt, tantum valebit fama quantum ipſe aſpectus oculorum. Famam autem eiuſmodi vt ei fides ſine impudentiâ non poſsit detrahi, definimus tribus conditionibus, quarum prima hæc eſt, vt ſit priſca & conſtans: Nam ij Scriptores, qui vixerunt diu poſt ea tempora quorum Hiſtoriam profitentur ſe deſcribere, minus credendi ſunt quàm ij qui vixerunt iiſdem temporibus, nam oportet eos multa addidiſſe de ſuo. Et hæc doctrina multum habet vſum in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, nempe ne temerè fides adhibeatur ſcriptoribus. Deinde, oportet famam eſſe conſtantem, nam ſi fama excitauit magnos aduerſarios, & verò confutata fuit, etiamſi priſca fuit, attamen quia ad hanc antiquitatem non acceſsit conſtantia, non poteſt iure meritoque exigere à nobis fidem: Veritas enim rerum geſtarum cùm clara eſt, tanta eſt, tantam diffundit ſui lucem, vt nemo ſit qui contra hiſcere poſsit, niſi tum cùm memoria rei cœpit conſeneſcere. Quàm multa ſunt in Poetarum ſcriptis fabuloſa, quæ fama commendauit, ſed huic

Non omnis fama eſt fallax & incerta,

ſed quædam eſt certa, cuius tres ſunt conditiones.

1. vt ſit priſca,

& conſtans,

quales non ſunt fabulæ Poetarû.

huic generi famæ hæc conditio antiquitatis & constantiæ nequaquã conuenit: Nam Poëtę noui sunt omnes, quæ narrant prisca sunt & antiqua, non profitentur se ea vidisse quæ fabulantur & fingunt, tum omnibus sæculis à viris sapientibus, qui Poëtas interpretati sunt, confutata est vanitas, & conuicta sunt mendacia eorum. Hic longè aliter se res habet, nam & fama prisca est, & profecta primùm ab αὐτόπταις, tum confirmata eorum omnium consensu, qui ab iis temporibus ad hæc vsque tempora vixerunt. Dicet aliquis, at apud Ethnicos non obtinuit fidem hæc fama: Nempe Gentis fuerunt hostes infensissimi huius doctrinæ, ne quis miretur si apud eos minùs credita sunt miracula. Certè nobis satis superque debet persuadere famam hanc esse veram, cùm sit prisca, cùm sit constans, cùm à nemine confutata sit, sed ne allatrata quidem. Etenim Cæsaris & Scipionis, & Hannibalis res gestas & admiramur, &, quantum in hoc genere fieri potest, magno assensu comprobamus, quia videtur esse inhumanum prorsus, atque adeò animi efferati & barbari, fidem detrahere rerum gestarum à præclaris illis viris, sine vllo certo argumento.

2. Conditio. Sed huc accedit & illud quod multò firmius est, erit autem hæc secunda conditio famæ cui adhiberi debeat fides, quod huius famæ authores, qui hæc nobis prodiderunt, sic ea prodiderint, vt, si mentiti sunt, necesse est haberi eos non pro impiis modo, sed stolidis & mente captis, Jam verò non posse eos haberi pro impiis supra demonstratum est, neque verò pro stultis, & imperitis planè rerum humanarum habendi sunt, neq; enim vel infensissimi Religionis Christianæ hostes hoc dixerint, nam appellant testes miraculorum eos ad quos scribunt: imò in Epistolis Paulinis nihil occurit crebriùs, quàm eorum miraculorum mentio quæ apud eos & ab iis patrata sunt ad quos scribit, non fuisset hoc impudentiæ modò sed insaniæ, si Paulus mentitus esset, non enim adfert argumenta remota ab eorum hominum sensibus, ad quos scribit, sed ea adfert miracula quorum patrandorum ij ad quos scribit erant organa, imò prouocat ad miracula, atque inde fidem facit Apostolatus sui. Nemo est impostor, præsertim si eius authoritas vocatur in ius, qui ausit sic agere, conscius sibi imposturæ. Dicimus igitur quod res est, eam famam meritò obtinere fidem, cuius authores sic quæ famâ nunciata sunt commendarunt posteris, vt ab iis qui tempore ipsorum vixerant redargui possent. Certè in Alcorano nulla, aut infrequens, fit mentio miraculorum, aut si quæ fiat, sunt illa monstrosa, & hac nota inusta, vt non modò pro ingenio conficta, sed barbarè quoque excogitata videantur, tum non audet vllius miraculi testes appellare, non enim sunt talia vt author Alcorani palam ausit asserere patrata.

Prouocant Scriptores sacri ad eos à quibus redargui poterant.

Tertia conditio famæ cui non est detrahenda fides, hæc est, vt sit eiusmodi quæ extorserit assensum etiam Aduersariorum, eósque eò adegerit vt conati sint non quidem eam refellere, sed tamen obtrectare, & obtrectando aliquid ei detrahere. Nam certè Judæi, veteres præsertim, non negant, imò affirmant, Christum edidisse miracula, neque vulgaria illa, sed maxima, Christum aiunt excitasse mortuos, sed hoc factum contendunt (vt loquuntur) על ידי הנחשים, hoc est, *arte magica*. Sed nos modò cum egimus de miraculis, ostendimus quæ sint illa quæ nullâ arte fieri possunt: Alij insani hostes quoque Christi, concedunt quidem Christum fuisse insignium miraculorum patratorem, sed id Christo obtigisse quod illi notum esset שם המפורש, hoc est, *nomen Iehoua explicatum*, quod illi vocant *Adonai*, negantes se scire quomodo esset efferendum, Christum autem tenuisse vim illius nominis, atque ita edidisse miracula, & Mosen item edidisse miracula vi illius nominis, cuspidi enim illius baculi fuisse inscriptum, quo baculo deinde diffidit mare, aperuit petran ex quâ aquæ fluxere. Itaque, cùm Judæi non negent miracula edita fuisse à Christo, sed illudant nescio quâ strophâ, oportet vt fama hìc commendarit Christum edidisse miracula. Cùm etiam huc & accedat illud, quod Gentiles vsque adeò hâc famâ permoti sunt, vt nobis nescio cuius Apollonij Thyanęi vitam descripserint, nempe vt haberent quem opponerent Christo, commento planè ridiculo, nam Thyanæi huius, & eius miraculorum, nulla penè fit mentio nisi apud Philostratum: tum sunt monstrosa, oportet autem miraculum esse tale vt nihil habeat indignum Deo. Cùm igitur fama hæc sit prisca, sit constans & eiusmodi quæ consentientes habeat aduersarios, oportet eam famam esse veram, & procaces eos qui contra ire audeant ne causa.

Obij. Christi miracula ab Ethnicis Scriptorib. non commemorati. Resp. 1.

Sed dicat aliquis, posse id mirum videri, cùm hæc miracula à Christo edita sint palàm, cur scriptores eius ætatis, præter Euangelistas Apostolos, eorum miraculorum non meminerint. Non afferemus Josephum horum miraculorum expressam & exsertam fecisse mentionem, hoc tantum Resp. Non debere cuiquam mirum videri quod in scriptorum illius ætatis libris nulla fiat mentio miraculorum Christi, præter Euangelistas & Apostolos, primò, quia qui eâ ætate scripserunt, homines fuere qui in Syriâ non sunt versati, sed quod multò grauius est, homines fuere vsque adeò rerum Syricarum ignari atque imperiti, vt fœdè & turpiter hallucinati sint, etiam in iis scribendis quę nemo neget fuisse gesta, verbi gratiâ *Iudæos*, (inquit Suetonius in Claudio) *impulsore Christo assiduè tumultuantes ciuitate expulit*. Author est summæ authoritatis Suetonius, sed adeò imperitus vt putarit Christum vixisse Claudij tempore, & iis temporibus Judęos tumultuatos, quibus vix licuit Romę loqui, *Christianos*, (inquit idem Suetonius in Nerone) *genus hominum malefica superstitionis, supplicio affixit*: Summa fuit imperitia religionis Christianæ quæ hanc vocem illi extorsit. Jam, si quæ oculis vltrò se ingerebant tam crassè ignorarunt, cur mirum videatur si ignorarunt miracula à Christo edita. Tacitus ait, *Christianos comprehensos & supplicio affectos, non tam quòd essent affines illi sceleri quo Roma incensa est, quàm odij humani generis commotos*; facit Christianos genus hominum mire odisse genus humanum. Tum, cùm belli illi Scriptores agunt de rebus Judaïcis, dicas eos splendidè & consultò delirare & nugari. Nam vt eorum nomina taceam quorum scripta ad non peruenerunt, quanquam eorum meminit Josephus in libris contra Appionem, Tacitus prodidit litteris, *Caput asini adoratum*

à Iud is summâ religione. Hæc verò fuit asinina ignorantia in magno viro, & de Mose prodidit ridicula planè, Trogus Pompeius (cuius operum epitomen tantùm habemus à Iustino collectam) lib. 30. Historiarum mira tradit de rebus Iudaïcis. *Abrahamum tertium fuisse Regem Iudæorum Israelem quartum, Iosephum quintum, Mosen (quem dicit omnium mortalium pulcherrimum) sextum. Tum Iudæos expulsos Aegypto, quod retulisset Deus nullum aliud esse remedium pestilentiæ, quæ tum in Aegypto grassabatur, quàm si gens malefica & superstitiosa totâ Aegypto exterminaretur. Regem autem Aegypti, dum Iudæos humanâ inconstantiâ insequitur, repentè obortâ tempestate coactum retrocedere.* Nam & Appionis & Apollonij Molonis nugas, confutatas à Ioseph, necesse non est attingere. Hoc tantùm monemus, cùm tanta fuerit rerum notissimarum, támque crassa ignorantia Scriptorum sæculi, meritò eam tribui debere odio religionis veræ, hoc est, Iudaicæ & Christianæ. Dicas enim omnes Scriptores, veluti de compacto, coniurasse in Iudæos & Christianos. Sed & hoc non est tacendum, quòd Christi miracula edita quidem fuere in propatulo, sed tamen ita edita vt plerumque inspectante duntaxat plebe; refugit enim Christus in edendis miraculis Magnatum, & eorum qui in sæculo magnum nomen erant consecuti, conspectum, vt desinamus mirari non fuisse ea miracula famosa in Cæsarum aulâ. Itaque ludibrio habitus est Christus, cum proscéretur vt diuinaret, aut vt ederet insigne aliquod miraculum, & magnâ tum constantiâ tacuit.

2.

ἀνακεφαλαίωσις superiorum Notarum.

Hactenus recensuimus, & quantâ fieri potuit breuitate & perspicuitate explicauimus, sex Notas quibus internosci potest Verbum Dei à Sapientiâ humanâ, & superstitiosis commentis. Harum Notarum prima fuit Antiquitas, secunda, Perennitas doctrinæ, tertia, Character & stylus, quem Rhetores Græci solent vocare ἦθος τῦ λόγου, oratio enim est animi expressa imago; quarta fuit conditio Scriptorum, quinta, eorum consilium, sexta comprehendebat Miracula, quibus confirmata est hæc doctrina. Atque nos eò deduxit de Miraculis disputatio, vt primò disputatum sit, quæ sint vera Miracula, deinde ostensum sit quæ sit conditio Miraculorum, tertiò, quia haud absurdè quæri possit, quomodo miracula Christi nobis nota esse potuerint, hanc quęstionem definiuimus, nimirum ostendimus, esse quandam famam cui, sine impudentiâ & proiectâ audaciâ, fides detrahi non potest, nec debet sine scelere manifesto, & quæ sit hæc fama ostendimus, primùm traditis conditionibus instius famæ, nempe, quod sit prisca, constans, ab iis profecta qui nec mentiri potuerunt, nec voluerunt, quod sit tanta, tam clara, vt extorserit etiam ab aduersariis confessionem. Idipsum conati sumus asserere à calumniâ, quòd aduersariorum audacia (etiam capitalium) vsque adeò fuerit compressa, vt nihil habuerint quod opponerent, aut contradicerent, saltem aliquâ cum specie veritatis. Primò ostendimus, argumentis luce meridianâ clarioribus supinam Scriptorum clarissimorum vecordiam & insaniam, cùm de rebus toto orbe notissimis (saltem quæ notæ toto orbe esse debuerant) ita scribant vt planè nugari, & de industriâ mentiri videantur. Id quod probauimus tum scriptis quæ non exstant, sed quorum fragmenta duntaxat habemus in libris Iosephi, tum etiam prolatis testimoniis eorum hominum, qui inter Romanos magni nominis fuere, vt Trogi Pompeij, Taciti, Suetonij Tranquilli, qui omnes tam ineptè de rebus Iudaïcis & Christianis scripserunt, vt videantur esse stupidi.

7. Nota externa. Rationes duæ quæ impetrant assensum doctrinæ alicui.

Sequitur septima Nota, ducta ab iis quæ extrinsecus accedunt huic doctrinæ, est autem *ratio, seu vis illa quâ factum est vt hæc doctrina cœlestis authoritatem obtinuerit.* Sunt verò duæ omnino rationes quibus impetrari potest vt doctrina admittatur. Prima ratio (cuius vis est longè maxima) hæc est, si componatur doctrina ad mores & ingenium eorum quibuscum nobis res est. Certè tota Rhetorica in hoc versatur vt teneamus quis sint mores, quæ ingenia hominum apud quos nobis est agendum, quod si vllâ arte assequi possumus, possumus itidem scire quid accommodatum sit illorum moribus & ingenio. Altera ratio, quæ maximam habet vim, attamen non tantam quantam prior, hæc est, si quod suadetur eiusmodi est vt nisi admittatur graue est & præsens, vel quod ingenio humano graue videtur, periculum, vt cùm accedunt Principum iussa, quorum opes, & copiæ, vis denique summa est, metuendi sunt cruciatus, exilia eiectiones, carceres, denique quicquid humano ingenio videtur maximè & supra omnia euitandum. Quùm adhibentur hæ rationes, non debet videri mirum si propagetur doctrina, quia propagatur iis rationibus quæ accommodatæ sunt ingenio humano. Itaque, non debet videri mirum si quædam Philosophorum sectæ apud quosdam, omnes apud aliquos obtinuerint: etenim nihil illâ doctrinâ continebatur, quod non arrideret ingenio humano, si minus omnium, at eorum saltem ingenio qui sectæ nomen dabant. Tum & accessit ad illa dogmata Rhetorica, omnes enim Philosophi iidem fuere viri longè disertissimi. Vnus est Epicurus cui detrahunt eloquentiæ laudem, exstant tamen fragmenta Scriptorum eius, vnde colligere licet fuisse eum eloquentissimum, sed eo eloquentiæ genere quod conueniebat maximè illius dogmati, nempe, secutus est dicendi genus lene, simplex, compositum, & accommodatum ad vulgi aures & captum. Tale erat eius dogma, erat enim eius sententia, *Voluptatem esse summum bonum.* Variant hîc de stylo & Charactere Epicuri veterum sententiæ, qui profectò hâc in causâ, si nihil aliud esset, à nobis agnoscendi sunt meritò pro iudicibus. Nam Diogenes Laertius, Lucretius, & quicumque Epicuri dogmati sunt addicti, tribuunt Epicuro laudem dicendi copiosè & eleganter, ita tamen vt non sit cum reliquis eloquentiâ conferendus. Itaque mirum videri non debet si obtinuit Philosophia, & eâdem de causâ mirum etiam videri non debet si inualuerunt aliquando superstitiones, præsertim cùm eiusmodi fuerint quæ arriserint iudicio, vel ingenio humano; iudicio, inquam, cùm visæ sunt aptæ ad continendos impetus feros & barbaros naturæ nostræ: vel ingenio, atque hoc nomine semper gratæ fuere plebi superstitiones, quòd stultis aniles fabulæ sint gratissimæ, plebs autem nihil aliud est quàm colluuies quædam stultorum, si enim vulgò saperet plebs nihil opus esset Magistratu, aut Ducibus.

1.

2.

quæ locum habent in Philosophorum sectis.

Vnde factum vt obtinuerint apud homines.

Contra se

In religione Christianâ aliter se res habet. Nam quæcun-

quæcunque traduntur iis amplectenda qui religionem Christianam sequuntur, ea vel pertinent ad dogmata, vel ad mores; quæ ad dogmata pertinent, superant captum ingenij humani, quæ ad Mores pertinent, oppugnant indolem & ingenium humanum: denique, ea commendantur oratione quæ non est ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις *in persuasoriis humanæ sapientiæ sermonibus*: quod verò hâc in parte summum est, nonnisi per grauissimos cruciatus initiabantur qui primùm hanc doctrinam amplexi sunt Ecclesia Christiana, etiam tum cùm totos 300. annos esset florentissima, tamen eo temporis spatio vix à persecutione ei fuit datum interspirare, nec fuit vlla ratio iis temporibus magis idonea propagandi Ecclesiam, quàm Martyrium, & Passio eorum qui hanc doctrinam amplexi sunt, itaque hoc fuit opus Spiritûs Dei, non ingenij humani. Iam vt ad id quod secundo loco dixi veniam, doctrina aliquando propagatur, commendata vel obtrusa vi & authoritate eorum penes quos summa rerum est, vel bi gratiâ, doctrina Mahometis sic propagata est, vt constat etiam ex ipsorum libris: quî mirum ergo videatur si homines, qui otio naturaliter delectantur, eam doctrinam amplectantur, præsertim si fucata sit, quam nisi amplectantur, pereundum ipsis erit, nam ferè id accidit quod Sathanam de Jobo dixisse legimus, homini nihil carius esse vitâ, & secundùm vitam dignitatibus & fortunis. At doctrina Christiana tantùm abest vt Principum authoritatem habuerit suffragantem, vt contra conspirarint reges terræ (cæteroqui mutuis odiis flagrantes) vt de terrâ Christi nomen deleretur, obtinuit tamen Christi doctrina non armis, sed solâ patientiâ, quis igitur neget (nisi fortè perfrictæ frontis sit) oportere hîc interuenisse vim quandam quæ humana non sit, proindéque fateri necesse est, hanc doctrinam verè esse diuinam.

8. Nota externa. Hominum odium.

Nota octaua est, *hominum odium*, nam cùm sit (quod docet ipsa experientia) humanum ingenium auersum à Deo, impium & profanum, argumentum est doctrinæ cœlestis non vulgare, neque contemnendum, si sapientum sæculi excitet in se odium & contemptum. Et certè mirum videri possit, neque iniuriâ, nullam esse aut fuisse vnquam superstitionem, quam homines professi se colere societatem cum genere humano, non vel admiserint, vel tolerarint, præter vnicam hanc doctrinam, quę libris Veteris & Noui Testamenti continetur. Nam Judæi toti terrarum orbi inuisi & exosi fuere, hoc nulli genti præter Judaicam contigit, quo nomine? nam erat certè Respublica Judæorum eiusmodi, vt nihil cerneretur in eâ barbarum, aut inhumanum. Et cùm temporibus Christianæ Religionis tanta varietas opinionum de Religione esset, superstitiosi sese inuicem vt muli mulos scabebant, & sibi inuicem adblandiebantur. Nemini vnquam lis mota est de Religione qui non fuerit Christianus, vnde potuit istud proficisci? nempe sola Religio Christiana diuina est, & quæ diuina sunt ea nequeunt ingenio humano placere, at perditorum hominum quamuis studia diuersa sint, tamen est communio quædam & consensio, boni verò omnibus impiis sunt æquè inuisi, nempe malum varium est & multiplex, bonum verò vnum & simplex. Igitur nihil impedit malorum studia esse diuersa, & tamen eos inter se consentire, exemplum habemus in Herode & Pilato, qui quamuis inuicem inuisi, tamen inter se conuenêre, cùm crucifigendus esset Christus.

9. Nota externa. Martyrum constantia.

Nota nona est *Martyrum constantia & patientia*, quæ Nota vel obscura, vel incerta videri possit, nam illud non minus vulgatum quàm verum esse videtur, *causa est quæ Martyrem facit, non supplicium*. Itaque Martyrium non videtur idoneum bonæ causæ argumentum, sed neque debet esse præiudicium bonæ causæ. Huc & illud accedit, quòd magna videmus exempla patientiæ, primùm in hominibus sceleratissimis, deinde in hominibus planè barbaris, & omnis Religionis planè expertibus, denique in iis magnum nomen, ob singularem animi virtutem, consecuti sunt, cùm essent tamen alieni à verâ Religione; vt qui dicat Martyrium esse notam veræ doctrinæ, videatur discessisse à veritate, & notas tradens rei alicuius eam reddidisse incertam & obscuram. Hæc ratio tanti est momenti, vt exigat à nobis accuratam considerationem earum causarum, quæ excitare possint homines ad patientiam, vt agnoscamus quæ vera sit patientia, & quæ adulterina, est enim quædam patientia quæ *constantiæ* rationem non meretur, sed pertinaciæ potius.

Variæ causæ quæ ad καρτερίαν homines inducunt.

1. Animi morbus.

Prima autem causa, quæ possit inducere homines ad patientiam, est animi morbus, nam sunt multi eo ingenio vt dura omnia iis placeant, quicquid molle est & lene illis displicet, nempe, quę reliquis mortalibus mollia sunt, huic hominum generi dura & aspera sunt; Itaque, multos videamus sese vltrò præcipites dare, & consciscere sibi necem, ita vt possint dici ἑαυτοὶ ἁμαρτάνοντες, qualis fuit ille qui *ipse suum cor edens hominum vestigia vitauit*: sed hoc genus in reliquâ vitâ insignes edit notas motæ mentis, oritur enim hic morbus ab atrâ bile, quâ qui perciti sunt furunt, nisi quod prætexitur furori quædam patientia, quam admiramur, & quidem iure:

Ab atra bile.

2. Consuetudo.

deinde etiam ad patientiam istam plurimum conducit consuetudo quædam barbara, porrò consuetudo altera natura est, in quâ, & ad quam quicumque sunt nati & educati, præsertim si barbaro sunt ingenio, eadem à vitâ ciuili, & ab eo cultu & vitæ elegantiâ, quam exigit humana ratio, vsque adeò alieni, vt brutorum vitam potius quàm hominum agere videantur. Profectò in iis reperias eiusmodi exempla, quæ tamen non numeranda sunt in veræ patientiæ exemplis, quis enim miretur Toupinambaultios & Indos, qui non tantùm patiuntur se rotis imponi, sed se viuos pręcipitant ad modulamina tibiarum, nempe, ea est barbaries, vt totam gentem peruagata sit;

3. Animi ferocia, & gloriæ cupido.

deinde etiam ferociâ quâdam animi & superbiâ, & vel odio contemptûs, quem præsentem metuunt, vel spe gloriæ, qua cœco naturæ instinctu omnes incendimur, miros perferunt cruciatus magnâ, vt videtur, constantiâ.

Quarum nulla in Martyribus locum habet. Non prima.

Sed huius generis non fuit Martyrum patientia, nam vt à primo ordiar, non fuere Martyres atrâ bile agitati, cùm eorum vitæ institutum fuerit vsque adeò sedatum & compositum, quod eorum scripta testantur. Nam si homines sunt censendi ex peritiâ rerum humanarum, præsertim verò ex earum rerum peritiâ, sine quibus nullus cœtus stare potest, quo virtutis genere præcipuè censentur homines; certè ea virtus in

illis illuxit imprimis, eò enim coacti sunt capitales huius doctrinæ hostes, vt nihil in iis culpauerint præter constantiam in asserendâ veritate. Deinde, multi pueri & puellæ in ætate illâ tenerâ, quæ non solet atrâ bile tentari, non reluctantes & inuiti, sed vltrò & sponte, quando res poscebat, etsi naturæ quodam instinctu refugiebant, attamen vocati à Deo & inuitati non detrectarunt, hâc in parto, Deo obsequi vocanti & inuitanti. Nec potest illa patientia imputari barbaræ cuidam consuetudini, nostri enim martyres nati sunt & educati iis parentibus, in eâ domo & Republicâ, in quâ nihil fuit barbarum prēter solam Religionem. Itaque alia Toupinambaultiorum & Indorum, alia Romanorum, & qui Romanæ consuetudini erant assueti, conditio. Tum multum interest an quis æquo animo grauissimos cruciatus ferat ob ritus patrios, nam ipsâ naturâ eò inclinante, nullâ re vnquam afficimur megis quàm sensu & amore patriæ consuetudinis, vsque adeò vt etiamsi mala sit, eam contemni non patiamur. Sed doctrina Christiana non fuit Martyribus nostris vllâ consuetudine commendata, quin illis nouitia fuit, quasi aduena, proindéque & hoc nomine exosa. Ergo, nisi quis insanire velit, non poterit Martyrum nostrorum patientiam tribuere vlli consuetudini. Sed nec ferociæ & arrogantiæ, quam diximus tertio loco esse patientiæ causam, etenim qui tormentis immoriuntur, quique vel irrident, vel conspuunt etiam tortores, in eo ipso produnt animi quandam perturbationem, odium aliorum, amorem sui: sed qui totâ vitâ ediderunt pietatis, studij generis humani, modestiæ & mansuetudinis exemplum tam verum, vt ne quidem in atrocissimis suppliciis desierint sibi esse similes, profectò nefas est cogitare eos arrogantiâ & ferociâ eò esse adductos, præsertim cùm spectamus Martyrum multitudinem, & suppliciorum grauitatem. Nam esto, vnus & alter possit Martyrem æmulari, & ementiri, non potest huius generis mendacium esse vulgatum, non potest esse multis commune. Jam frequentissima sunt exempla Martyrum nostrorum, adeoque frequentia vt citiùs torquendo carnifices, quàm patiendo Martyres defessi fuerint, priùs tortores piguit tam immanium suppliciorum, quàm Martyres pœnituit patientiæ suæ. Profectò, cùm inter primos illos Christianos martyrium tralatitium fuerit & vulgare, patientia ita coniuncta summâ cum animi demissione, magnum est argumentum præsentiæ Spiritûs Dei, cuius sola vis vim tantam potest effectam dare. Possumus & hoc hîc adjicere, quod cùm versemur iam in tradendis externis Verbi Dei Notis, consilium nostrum non est vt singulę seorsim expendantur, quanquam ne hoc quidem defugimus, sed vt simul in vnum collatæ constituantur ob oculos. Certè, fieri non potest vt tam illustres Notæ, & tanti ponderis concurrant in eâ re, quæ ab hominibus potius quàm à Deo profecta sit.

Non secunda.

Non tertia.

Decima Nota externa est, *ira Dei aduersus iuratos & capitales hostes huius doctrinæ.* Ita Dei, inquam, cuius indicia & notas Deus ita inussit orbi terrarum, vt nequeant deleri: cuius generis, reliquis prætermissis, duas tantùm afferemus, quæ omnium erunt instar. Ac prima quidem hæc sit, Respublica Judæorum, quæ tandiu stetit quamdiu Christus non fuit crucifixus, quandiu non eiecerat ac repulerat doctrinam Christianam, tum cecidit & occubuit postquam testata est palàm prefractam illam contumaciam, cuius exemplum nullo sæculo illustrius ediderunt, quàm eo quo Christus & eius doctrina contempta est. Non legimus in historiis exemplum eiusmodi euersionis & occasûs cuiusmodi fuit ille quo occubuit Respublica Judaïca; nam omnes ad vnum redacti sunt in seruitutem, hoc verò maximum, quod coacti sunt omnes exulare, hoc est, mutare sedes. Huc etiam & illud accedat, quod omnium etiam exterorum Scriptorum testimonio commendatur vbertas terrę quam Judæi incolebant. Tacitus enim non leuiter, sed cum elogio vbertatem Palæstinæ nobis commendat. At hęc regio tota hodie iacet inculta & horrida, nam etiam fertile solum nisi colatur videtur horridum, attamen non squallidum videtur, sunt in inculto solo notæ fertilis & fœlicis agri, at in eâ regione nullam deprehendas fertilitatis Notam, terra arenosa & salebrosa est, terra quæ profitetur se esse obnoxiam ardoribus, denique, quæ hodie nihil ferè progignit quod testetur pristinam illam fertilitatem. Sanè non est hoc leue iræ Dei argumentum. Deinde, postquam Imperatores Romani cœperunt de industriâ Christianos atrocitate suppliciorum absterrere à Christo, nunquam illis benè fuit, aut pauci eorum, aut nullus ferè, siccâ morte descendit ad generum Cereris: quin Imperatorum vita prodigiosa, & plærumque morti quàm vitæ similior fuit, idque iis temporibus obseruare licet, quibus Ecclesia sese tuebatur solâ patientiâ nullis prętereà armis instructa: postquam autem res deuoluta est ad principes Christianos, inualescente sensim superstitione, atque crescente paribus gradibus authoritate Pontificis Romani, dissipatum est sanè Imperium, & scissum in partes, non exstant tamen tam dicta exempla iræ Dei aduersus Principes Christianos.

10 Nota. Iudicium Dei in doctrinæ Christianæ hostes. & primo quidem loco Iudæos,

eorúmque terram.

Secundo vero loco, in Romanum Imperium.

Quatuor Notæ supersunt, nempe prima, *Euentus Doctrinæ,* secunda, *Conditio eorum qui amplexi sunt doctrinam illam,* tertia, τὸ ἀνύποπτον, quarta, τὸ παῤῥησιαστικὸ doctrinæ. Euentus doctrinæ hic est, sola Christiana doctrina est quæ exturbauit Idololatriam, vel (ipsâ ratione iudice) superstitiosos cultus & fatuos, postquam ea (cùm esset contenta anteà Judææ finibus) cœpit nullâ vi (præterquam eâ quæ ab ipsâ veritate proficiscitur) idola deturbare, atque euellere ex hominum animis idolomaniam. Non fecerat hoc Philosophia, quantumuis sagax & ingeniosa, sola tantum perfecit opus Christiana doctrina.

11 Nota. Euentus doctrinæ.

Duodecima Nota est, *Conditio & status animi eorum qui hanc doctrinam amplexi sunt*, nam qui seriò eam sunt amplexi nacti sunt in eâ tranquillitatem & quietem animi; item, nacti sunt in eâ vitæ sanctitatem & innocentiam, quod præcepta Philosophiæ non præstiterunt. Nam Philosophia quidem aliquid potuit apud magna ingenia, doctrina Christiana vi suâ quælibet ingenia perdomuit, etiam puerorum & muliercularum ingenia.

12. Nota.

Nota decimatertia est τὸ ἀνύποπτον, hoc est, quòd hęc doctrina eiusmodi est vt non possit iure in suspicionem vocari, quia infensissimos sui aduersarios habet Tabelliones, in quorum tabulario

13. Nota. τὸ ἀνύποπτον.

tabulario exſtant tabulæ quibus confirmatur. Nam ſanè oderunt Ethnici doctrinam Chriſtianam, attamen multum abfuit vt eam odio habuerint ita vt eam oderunt Iudæi. Atqui nos veluti è tabulis Veteris Teſtamenti proferimus grauiſsima teſtimonia doctrinæ noſtræ. Huc & illud addatur, quod huius doctrinæ τὸ αὐτόπιστον in eo elucet, quod non antiquat tabulas Veteris Teſtamenti, quod author Alcorani fecit.

Nota. παρρησια-στικόν.

Nota decimaquarta eſt τὸ παρρησιαστικὸν doctrinæ, hoc eſt, libertas quædam. Nam Judæi ſua habent myſteria quæ celant, & Turcæ item, & Gentes item; At religio Chriſtiana tam ingenua eſt, tam liberè copiam ſui facit, vt etiam paruulos non admittat modò ad ſui cognitionem, ſed exigat vt imbuantur cognitione ſui pro modulo ætatis, quod non facit mendacium. Itaque, argumentum eſt adulterati Chriſtianiſmi, quod Chriſtianum nomen nonnulli profitentes, negant tamen Chriſtianæ plebis eſſe noſſe quæ pertinent ad religionem Chriſtianam.

LECTORI.

Cum huc vſque hanc, de Notis Verbi Dei in ſpecie, diſputationem perduxiſſet Camero, initio Semeſtris verni anni M. DC. XXI. *& alterius partis, quæ eſt* de Notis Verbi Dei intrinſecis, *tractationem reieciſſet in initium ſequentis Semeſtris, ortis interim turbis ciuilibus, propterea que hinc dilapſis huc & illuc S. Theologiæ Studioſis penè omnibus, Galliâ relictâ patriam ipſe petiuit, atque ita coactus eſt diſputationem hanc imperfectam, & magna ſui parte mutilam relinquere. Verum Glaſcuenſi Collegio in Scotiâ à Rege M. Britanniæ mox præpoſitus, controuerſiam iſtam, de Verbo Dei, de integro ſuſcepit pleniùs, adverſus Atheos & Pontificios, tractandam, prout ea hîc tibi, Lector, exhibetur.*

Pp

CONTROVERSIA
INTER REFORMATOS ET PONTIFICIOS AGITATA,
DE VERBO DEI.
IOHAN. CAMERONIS PRÆLECTIONIBVS explicata.

Glascuæ in Scotiâ, Idibus Nouembris, M. DC. XXII.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis Controuersiarum Ecclesiæ Reformatæ cum Ecclesiâ Romanâ.

Controuersiarum inter nos & Pontif. classes duæ.

CVM multa sint in quibus Ecclesia purior à Romanâ dissentit, ea (ne diuagetur animus) reuocanda sunt ad certa capita, atque ita colligenda vt vno obtutu, vno oculorum coniectu, cerni possint, id verò cùm multis modis, tum etiam hâc ratione commodissimè fieri potest, si omnes has controuersias, quæ multæ & momentosæ sunt, in duas classes tribuamus. 1. Quarum prior eas quæ aliunde natæ sunt contineat, (quas docendi causâ, controuersias *per accidens* appellemus, non enim inde lis primùm, sed aliunde orta est. Vt inter litigandum lis de lite seri solet, sic planè in Controuersiis & causâ Religionis nostro tempore euênit, vt quæ fuêre præcipua & grauissima (quia iis maximè premi videbatur Ecclesia Romana) præbuerint occasionem nouæ litis, dum refugit disceptationem de rei summâ, sed exceptione vtitur, contestari litem non patiens, quod solent litigantes malè sibi conscij. 2. Altera verò classis eas continebit Controuersias quæ sunt de rei summâ, hoc est de iis causis quæ nobis secedendi ab Ecclesiâ Romanâ occasionem iustam dederunt, atque hæ non aliunde, vt priores, profectæ sunt, sed sibi ipsæ debent originem.

prioris classis tres controuersiæ.

Prioris classis controuersiæ (vt summatim rem comprehendamus) de tribus sunt capitibus, de Verbo Dei, de Ecclesiâ, de Politici Magistratus authoritate in procurandâ re Ecclesiasticâ. 1. Ac Controuersiæ de Verbo Dei causam dedit, quod R[illegible]æ Ecclesiæ Doctores, cùm satis præsidij sibi esse non putarent in sacrâ Scripturâ, ad exceptiones contra sacram Scripturam recurrerunt. 2. Controuersiæ verò de Ecclesiâ inde nata est occasio, quod cùm essent (vti videri volunt) priscæ illius & purioris Ecclesiæ successores, diffisi causæ bonitati tutissimum perfugium esse putarunt latêre veluti sub clypeo tantę authoritatis, atque inde aduersarios, tanquàm à sacro limine, majestate loci submouere. Tum verò etiam, cùm sit multò certissimum Ecclesiam Dei in terris nunquam intercidisse, speciosissimum imprimis videbatur eos, qui puriorem doctrinam profitebantur, criminari tanquam Nouatores. 3. Denique quod potestas politici Magistratus in disquisitionem vocata est, inde accidit, quod Ecclesię quę patrum nostrorum memoriâ facta est reformatio, & instituta est & peracta ductu & auspicis politici Magistratus in Germaniâ, Daniâ, Sueciâ, Angliâ, &c. (nempe ad exemplum Regum Iudæ) id visum est Doctoribus Pontificiis factum vitio, non ritè, non legitimè, non ex vocatione, non ex decoro. Itaque ista nostra secessio (si illis credimus) est Schisma; neque enim quæ bona sunt facere, nisi benè ea possis facere, licet.

vsus huius distinctionis.

Atque hæc Controuersiarum distinctio imprimis obseruanda est: etenim vsuvenit vt dum non tenetur, atque habetur ab oculos, origo & occasio controuersiæ, vel nos necesse sit errare & labi in constituendo Controuersiæ statu, **quo ad 1. Controuersiam.** vel in nostris tuendis, refellendisque Adversariorum rationibus: verbi gratiâ, nisi quis quæri existimet, non iam, *An verbum Dei sit perfectum, an sit fide dignum*, sed, *An Scriptura*, hoc est, *Verbum Dei quatenus scriptum est hâc præditum sit virtute*,

hanc

hanc habeat authoritatem, discedet à quæstione; Enimuerò Maiores nostri ad Verbum Dei, sed ad Scripturam prouocarunt. Deinde verò in Controuersiâ de Ecclesiâ, si quis putet quæri, *Ecclesia ne vllam habeat authoritatem præter eam quæ veritate doctrinæ quam tradit Ecclesia, nititur tota*, aberrabit fortè à scopo, non enim hoc dedit occasionem Controuersiæ, sed illud potius quod Aduersarij tantam Ecclesiæ authoritatem tribuerent, vt eâ teneretur conscientia absolutè, nullus vt inde prouocandi locus esset reliquus. Et haud dispari ratione in quæstione de Ecclesiæ conspicuitate seu visibilitate, ante omnia constituendum est quid dederit causam Controuersiæ, alioqui obrepet imprudentibus hæc cogitatio, quæri, *Fuerit-ne semper Ecclesia Christiana visibilis*, id quod fortasse concedi potest sine vllo causæ detrimento. At verò dum se offert menti Controuersiæ occasio, nempe quod trahebamur ad Ecclesiæ, tanquam ad Judicis, tribunal obtentu specioso, quod Ecclesia spiritu Dei regatur, statim apparet non iam quæri, *sit-ne Ecclesia conspicua*, sed, *sit-ne conspicua vt possimus discernere qui spiritu Dei regantur, qui minus*. Etenim si constet id refugere humanæ mentis cognitionem, frustra ad Ecclesiam instituitur prouocatio, quando superat ingenij humani, etiam Angelorum captum, certò statuere qui spiritu Dei regantur, qui minus. Atqui omnes promissiones illæ tam splendidæ, tam magnificæ, ad hoc hominum genus tantum pertinent quos Deus sibi in Christo separauit tanquam peculium, quos in hoc sæculo spiritu fidei & sanctitatis donat, in futuro, beatâ immortalitate. Deinde etiam illud causam liti præbuit, quod cœptum est quæri, *cùm illa sit Ecclesiæ Dei veluti indoles & natura vt non deficiat, vbi-nam gentium tot sæculorum spatio vel exularit, vel latuerit Ecclesia*, id quod si teneatur, statim apparebit non quæri simpliciter, *An possit indicari Ecclesia, sed an distinctè & facilè*. Nemo dubitat Deum Ecclesiam habuisse in terris & quidem inter Christianos, non inter Turcas, quamuis non potuerit velut digito ostendi, vnde efficitur non iam queri, An Ecclesia semper fuerit conspicua, sed quomodo & quatenus fuerit conspicua; Itaque non vocatur in controuersiam tota conspicuitas, sed (vt sic loquar) tanta quantam volunt Aduersarij.

Quod ad 2.

Quod ad 3.

Consimili ratione quum quæritur de politici Magistratus authoritate, non inde lis orta est quod quisquam esset nostrûm qui politica cum Ecclesiasticis confunderet, quæ duo inter se certis quibusdam limitibus distincta & separata sunt, sed quæsitum est, *Liceatne Magistratui præcipere & imperare vt qui præsunt Ecclesiæ officium faciant, & minus dicto audientes castigare & submouere etiam loco, cum illi sit vtriusque tabulæ custodia commissa*; Nihil vt verendum sit, ne sic aperiatur fenestra ad omnem licentiam: Nam (quod non sine gemitu cogitari vel dici potest) etiam Ecclesiasticæ authoritatis suæ sunt corruptelæ, & quidem grauissimæ, nec tyrannis Imperatorum tantum damni dedit Ecclesiæ, quantum Cleri ambitio vel socordia. Sed hîc de vocatione quæritur & ratione muneris.

Posterioris classis controuersiæ.

At controuersiarum secundi generis diuersa ratio est: istas enim vt ex se ipsæ oriuntur, ita facile est & expeditum ad certum quendam statum redigere, vt sit promptum dijudicare quid sit in controuersia positum, ipsâ rei de quâ quæritur naturâ admonente. Itaque has controuersias docendi causâ controuersias *per se* appellemus sanè, vt priores illas *per accidens* vocauimus. Eæ verò omnes ad hæc capita possunt reuocari; vel enim de hominis miseriâ sunt, vel de Gratiâ Dei, hoc est, de Christo (vbi de Antichristo erit agendum) vel de vocatione nostri ad fidem & resipiscentiam, beatamque cum Christo communionem, de nostri Justificatione, de Perseuerantiâ in fide & nouâ vitâ, de statu animæ fidelium post hanc vitam, de Glorificatione, de Prædestinatione (ad quam demum ex harum rerum consideratione patet aditus) de Sacramentis, vel de Cultu religioso, hoc est, de Sacrificio, de votis inuocatione, de veneratione seu cultu imaginum, de rerum, temporum & locorum sanctimoniâ. Hæc est controuersiarum Synopsis & summa.

quotuplices sint.

Cap. II.

Apparatus ad disceptationem Controuersiæ de Verbo Dei.

Ordo dicendorum.

Verùm enim verò de prioris generis controuersiis acerrimè contenditur, dum qui puriorem religionem sese amplexos sunt professi student, atque nituntur omni ope, ipsam veluti causæ arcem inuadere, & ad rei caput statim rectâ deuenire. Aduersarij verò, cauti homines & periti litigandi, contra pugnant interpositis exceptionibus, quibus veluti telis eminus iactis, veritatis ipsius studiosos depellere & arcere satagunt. Et certè nunquam disputant speciosiùs & plausibiliùs, quàm quum nobis præscribunt quomodo agendum sit. Itaque inde, vnde illis nos submouent, initium ducendum est. Ac quia Verbum Dei hanc obtinuit apud omnes omnino homines, maximè verò Christianos authoritatem, vt contradicere & stultum & nefas habeatur, de Verbo Dei omni, aut certè præcipua, contentio est, de quo priusquàm dicamus quod est in controuersiâ, cum res maximi momenti sit, operæpretium est vt aliquid præfemur.

In Præfatione.

Ac primùm quidem explicandum est, quid sit quod omnium cõsensu nomine Verbi Dei significatur, hæc est quam dicunt in Scholis *nominis* definitio, λόγος ὀνοματώδης; deinde, An sit tale quicquam quale illud est quod omnes tam Turcæ quàm Judæi & Christiani nomine Verbi Dei designant. Nam his duabus quæstionibus definitis munitur via ad [illegible] imendas quæstiones quæ nobis sunt motæ, & quotidie mouentur ab hominibus atheis, impiis, & contemptoribus omnis religionis. deinde verò etiam ad definiendas controuersias quæ nobis sunt cum Ecclesiâ Romanâ. Tum tradenda est definitio Verbi Dei non iam ὀνοματώδης, quæ pertinet ad nominis significationem, sed οὐσιώδης *Essentialis*, quæ ipsam explicet Verbi Dei essentiam: quâ in quæst. definiendâ nulla nobis erit cum Christianis Controuersia, quæ non possit expediri paucis, sed ne cum Judæis quidem, imò verò nec cum Turcis, adeò si detur esse Dei Verbum, manifestum erit quod sit illud Dei Verbum, proferantur modò in lucem ea, quæ homines suopte ingenio inuenire non possunt, cœlestis huius doctrinæ dogmata. Atque hactenus præfati fuerimus.

In rei ipsius tractatione.

Controuersia de Verbo Dei.

Inde verò progrediendum erit vlteriùs ad nostras cum Ecclesiâ Rom. controuersias, quarum ordine prima (saluo doctiorum iudicio) ista videtur. Cùm omnes pænè Gentes profiteantur penes se esse Dei Verbum, *quibus notis dignosci possit genuinum Dei Verbum ab adulterino*, hoc est, *Vnde Verbum Dei obtineat authoritatem præcipuam apud nos*; nam quin sit in se dignum authoritate, mortalium nemo est qui ausit negare: Etenim hoc constituto, *esse Dei Verbum*, omnes fatentur assensum, & quidem summâ cum reuerentiâ, esse illi perhibendum, quis enim Deum audeat mendacij accusare? Sed tota controuersia hoc vno in cardine versatur, *Quî possimus scire quod dicitur Dei Verbum esse à Deo profectum.* Hanc quæstionem altera sequetur *quo pacto*, siue, *quâ ratione Deus certo consilio Verbum suum tradi voluerit, viuâne tantum voce, an scripto etiam*, & quidem ita scripto, vt esset scriptura non nata veluti fortuitò, ac, vt loquuntur, pro re natâ, sed instituta vt *Norma*, ad quam exigenda est doctrina viuâ voce tradita. Hanc tertia quæstio sequetur, *Si scripto Deus verbum suum tradi voluit, quo tandem, quibus libris?* Hanc deinde sequetur quarta, *Sit ne in libris perfectè traditum?* Quæ quæstio rursus secabitur in duas, nempe, Tradaturne doctrina (quæcumque tandem illa sit) perfectè, hoc est, vel, *sic plenè vt nihil desit*, vel *sic perspicue vt ab iis possit facilè percipi ad quos pertinet.* Deinque, *qua lingua*, vel *quibus linguis, Deus voluit Verbum suum tradi*, vel potius, *Sit ne prout hodie tis linguis traditum est, corruptum, vt opus habeat ad fui* (nam ita sanè loquamur) *instaurationem, vllius authoritate translationis.* Atque hæc capita sunt summa controuersiæ de Dei Verbo, quæ (vt videre est) ita sunt inter se apta, & connexa, ut aliud ex alio pendeat, ac primæ controuersiæ explicatio gradum faciat ad explicationem secundæ, & ita deinceps.

2. 3. 4. 5.

Cap. III.

Definitio Verbi Dei quam Nominis vocant.

Igitur vt, quod instituimus priùs, à definitione Verbi Dei, quam *nominis* dicunt, initium sumamus, Verbum Dei si dicatur omnes intelligunt significari doctrinam de Deo, deque hominis miseriâ, & beatitudine, de cultu Dei, deque vitæ officiis quæ temperantiâ & iustitiâ continentur: quamquàm hæc contractius dici possunt, vt sit Verbum Dei *doctrina de cultu Dei*, huc enim omnia referuntur, cognitio Dei, miseriæ, beatitudinis nostræ notitia, vitæ verò officia hinc pendent, quibus scilicet nemo ritè defungi potest qui non sit idem Dei timens. Sed tamen hîc illud adjiciendum est, vt sit hæc doctrina diuinitus reuelata, non percepta ratione; ideo enim Dei Verbum dicitur, quia à Deo singulari quâdam ratione, non iam humanę rationis, sed spiritus sui interuentu nobis traditum est.

Verbi Dei nomine vulgò intelligitur,

doctrina de Dei cultu.

à Deo profecta,

Etenim ratiocinando multa de Deo, de miseriâ, de felicitate humanâ, de Dei cultu, deque vitæ officiis non vsquequaque & planè absurda legi possunt in scriptis Philosophorum, sed iis consentanea potius quę verbo suo Deus Ecclesię patefecit. Itaque acutissimi homines & Deum esse, & quod consequens est, curam gerere rerum humanarum, & sapientem, & iustum, potentem, etiam benignum esse collegerunt. Id quod nos, etsi nulla in sæcularis sapientiæ libris eius rei mentio foret (vt certè facta est) Apostolus doceret ad Rom. 1. quo loco testatur disertis verbis, Deum Gentibus suis agnoscēdi argumenta exhibuisse in ipso mundi opificio. Et Act. 14. negat idem Apostolus *Deum semetipsum vnquam dereliquisse* ἀμάρτυρον *sine testimonio*: illud autem testimonium vnico verbo indicat, ἀγαθοποιῶν. Item, eiusdem libri cap. 17. clarè docet quæ sit Dei prouidentia, atque vt eam mortales, nisi obstet ingenij prauitas, possint habere exploratam & compertam, & quidem certo fine, vt Deum quærant. Ad quæ duo respexit Apostolus Heb. 11. vbi de fide agens, (ad quam omnibus omnino hominibus aditus patebat, absuisset modò malignitas ingenij, quam Deus non aliter quàm per Euangelium & Spiritus sui efficaciam curari voluit,) eam duabus in rebus collocat, nempe vt Deum credamus esse, deinde, esse arbitrum rerum humanarum, remuneratorem puta, vel iuxta legem iustitiæ suæ, vel iuxta legem misericordiæ, quæ est Euangelium. Sed tamen ista Dei cognitio non dicetur (si propriè loqui velimus) profecta à Dei verbo, quamquam non sit diuersa specie, sed gradu tantum, ab eâ Dei cognitione quæ petitur ex Verbo Dei facilè multò & expeditè, vt ait Augustinus, *Nihil inuenitur alibi quod hîc non inueniatur plenissimè.*

etsi multa præclarè dixerint homines.

1. de Deo.

Pari ratione de miseriâ humanâ disputarunt acriter, etiam nullo Dei verbo instituti, viri sapientes, atque ita disputarunt vt negari nō possit quin multa dixerint egregiè, etsi non vsque adeò luculenter atque res tanta dici debuit, verbi gratiâ (nam vitam hanc esse calamitosam nihil opus fuit profiteri, res ipsa loquitur) Aristoteles sub finem vltimi cap. libri 1. Ethicorum agnoscit esse in nobis aliquid φυσικὸς αἰτιεζόμενον τῷ λόγῳ *natura insitum quod repugnat rectæ rationi*, nam eo loco λόγος non est mens tantum sed recta ratio, quantulum hoc distat à peccato originis, & membrorum lege quæ pugnat cum lege mentis? *opus autem Legis* eo loco est vis conscientiæ in vtramque partem, seu accuset, seu excuset. Sed & eodem capite idem Apostolus planissimè docet, Gentes etiam iustitiæ Diuinæ notitiam habuisse, *Qui cùm*, inquit, *scient ius Dei, quod qui talia perpetrant digni sunt morte.* Vnde illa, εὗρε Ζεὺς τὸν ἄλιτρον, *Iuppiter inuenit scelestum*, &c, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, & illud,

2. de miseria humana.

> *Hos-ne euasisse putes quos diri conscia facti*
> *Mens habet attonitos, & cæco verbere cædit,*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Atque hæc illi patiuntur quibus à Magistratu nihil est metuendum, cum ipsi sint Magistratus summi: quò pertinet & illud Persij,

3. de Beatitudine.

> *Magne pater Diuûm sæuos punire Tyrannos*
> *Haud alia ratione velis* &c.

Sed & de immortalitate multa sine Dei verbo non absurdè dixere sæculi sapientes,

> *Sunt aliquid Manes, lethum non omnia finit,*
> *Lucidaque euictos effugit vmbra rogos*, hoc est,

non interit vnâ cum corpore anima. Sed hæc tamen doctrina *Verbum Dei* dici nequit.

De cultu verò Diuini numinis vel vnius Platonis Dialogus περὶ εὐχῆς, *de Oratione*, fidem facit vt non senserint ineptè, si hanc cognitionem ad vitæ vsum traduxissent. Itaque virtutem ante

4. de Cultu Dei.

ante omnia à Deo petendam putant. Vnde votum illud, *Mens bona, fama, fides*, & illæ formulæ *Deo iuuante, si Deus dederit.* Sanè dialogus est, & quidem peruetustus, qui quamquam pro adulterino habetur tamen Platonis Dialogis accensetur, cuius argumentum est εἰ ἀρετὴ διδακτόν: Verba Dialogi hæc sunt, *Quo pacto igitur Socrates tibi videntur fieri boni viri, si neque natura, neque disciplina fiunt, quo tandem pacto fient?* Socrates, *Equidem non existimem id posse dici perspicuè & facilè, coniicio tamen* (vt hanc Etimologiam agnoscas sub luce malignâ rationis rem clarissimam intuentem) *rem esse vel maximè diuinam, fierique viros bonos quemadmodum diuini Vatis, & qui edunt oracula, neque enim tales euadunt vel natura vel arte, sed quodam diuinitus profecto afflatu.* Disputarat supra Socrates neque nasci, neque verò vita humanâ informatione reddi posse viros bonos, ergo eò res deducta est vt id diuinitus proficisci statuat. Eadem penè extat sententia apud Ciceronem suo finem lib.2. de Natura Deorum. Iam verò tot præcepta de Pietate, de Officiis, etiam spe suffulta immortalitatis & corroborata, satis ostendunt lucem in tenebris emicuisse (quam tenebræ non comprehenderunt tamen) etiam citra Dei Verbum, cuius participes esse voluit Deus non indiscriminatim omnes Gentes, sed singulari priuilegio populum quem sibi peculiarem segregarat a reliquâ multitudine, quod est Israelis elogium, *Non sic fecit* (inquit Propheta) *Deus omni nationi*, &, *in Israele notum est Dei nomen*, idemque elogium bonitatis diuinæ erga Israelem.

Et certè, etsi multa sibi tribuant homines, tamen in diuini cultus & humanæ salutis negotio omnes Gentes, dum religioni quam profitentur conciliant authoritatem, non iam ad rationem humanam, sed ad diuinum testimonium confugiunt, dum vnaquæque Gens Deum vendicat, aut diuinos homines religionis quam profitentur authores. Itaque vt hoc caput concludamus, *omnium consensu Dei verbum id est quod non est ratione, sed diuinâ reuelatione, ad nos peruenit.*

tamen etiam Dei agnoscunt.

Cap. IV.

De necessitate Verbi Dei, seu, An Verbum Dei sit necessarium.

Verbi Dei necessitas.

Etsi verò ita se res habeat, attamen omnibus ferè sæculis exstiterunt nonnulli qui senserunt, satis esse præsidij in humanâ ratione ad benè beatèque viuendum *quatenus id ferre potest humana conditio.* Itaque omnem reuelationem cœlitus profectam non modò superuacaneam, sed etiam ridiculam existimant, *Quidni enim* (inquiunt) *natura homini, æque ac reliquis animantibus, prospexerit?* Hi sunt qui negant planè esse quod definitione Verbi Dei quam nominis dicunt, significatur. Aduersus hoc hominum genus hîc, priusquam vlteriùs progrediamur, nobis est disputandum. Ac primò quidem eo possunt reuinci, quod omnium Gentium, etiam barbararum, consensu receptum est vt homini bene sit, præter eam rationem, quam nimis magnifico & superbo titulo *vitæ ducem* vocant, requiri cælestem quandam sapientiam: Inde nata est religio, ritus, Cærimoniæ, quæ solâ sanctitate se commendant.

Probatur. Omnium Gentium consensu.

Obj. 1. Resp.

Neque verò est quod quisquam hîc respondeat, hæc vel esse ingeniosa hominum commenta, ad populum in officio continendum, vel esse quosdam apud quos ista non valeant. Nam nisi esset ingenitus animo humano sensus aliquis inopiæ suæ, vnde fieri potest vt adeò opportunus esset impolturæ in hoc genere, neque verò agyrtis & circulatoribus se decipi temere patiuntur, qui non sunt morbi, & quidem grauissimi, sibi conscij. Itaque hæc responsatio, etsi possit aliquid facere ad injiciendum animo scrupulum de Religionis quam profitetur quisque, certâ & indubitatâ veritate, tamen nihil facit contra Religionis, & quidem Verbi Dei necessitatem, imò verò eam adstruit potius. Etenim vt esurientibus, & penè confectis fame, quiuis cibus auidè appetitur, sæpè qui maximè noxius est, sic laborantibus inopiâ subsidij ad consequendam salutem, quam omnes natura appetunt, cùm idem, sanè non omnino dispar, insit appetitus, mirū videri non debet vnde sit quod tantum religio possit. Nam quod praua est plerumque ea quæ arridet maximè, ideo hinc accidit, quod quemadmodum ægri etsi medicinam appetunt, tamen eam vehementissimè appetunt, non quæ morbo depellendo re verâ maximè idonea est, sed cuius seu amaritie seu acerbitate minime offenduntur: Sic planè miserrimi & ægerrimi mortales, etsi ducantur ferè omnes sensu religionis quodam attamen in tantâ varietate eam potissimum, quisque deligunt, quæ ingenio, indoli, moribus petitis, vitæ rationi, atque vno verbo, quę prauitati naturæ maximè congrua est.

Simile.

Obj. 2.

Nam quod aiunt, non videri hanc cœlestem sapientiam omnibus necessariam, multi cùm sint qui eam non appetant, aut verò oblatā respuant, in eo non disputant, vt profitentur, acutè. Sæpè enim fit vt desperatio inueniendi, ipsam vel extinguat, vel certè imminuat valde, discendi cupiditatem. Deinde etiam, illa quæ tantoperè probatur humana sapientia à paucis admodum, penè etiam nullis, appetitur, qua de re extiterunt omnibus sæculis sapientissimorum hominum querelæ. Denique, siqui in solâ ratione omnes spes opesque suas collocant, ij vel homines sunt barbari & feri, vel etsi doctioribus politis, vitâ tamen dissolutâ atque abhorrenti ab omni negotio, quales fuere Epicuræi omnes, quorum hoc erat dogma, λάθε βιώσας, vnde profectum est illud, *crede mihi benè qui latuit, bene vixit.* Inter Gentes autem hoc obseruare est; nullam esse quæ patrio instituto abhorreat à religione quæ non sit eadem belluina, & vitam ferinam agat, non humanam, quamquam ne apud eos quidem religio prorsus exulet, sed obtinet potius, & quidem specioso Diuinæ reuelationis titulo venditata. Adeò quod diximus verum est. Quòd verò diuina illa sapientia, etiam tum, quum se ingerit hominum oculis, non admittitur tamen, id verò ei authoritatem minimè debet eleuare, nam & ægri oblata repudiant pharmaca, & prudentum consilia vt plerumque contemnuntur.

Resp. 1. 2. 3. 4.

Igitur vt ad id redeamus quod statim initio huius capitis, tanquam ab impiis omnis religionis contemptoribus obiectum, posuimus, videtur esse paulo minus leue: Negant enim esse verisimile prouidentem naturam in humani generis curâ defecisse, vel se sui exhibuisse dissimilē,

Object. 3.

cuius nempe hoc est ingenium, vt rebus maximè necessariis, maximéque momenti, diligentissimè prospiciat, id quod cernere est in vniuersali fab. ricâ, & eius epitome naturâ humanâ. Sed dum isti sic disputant, videntur cum ratione insanire, quis enim neget naturam humanam esse confusam & perturbatam? Atqui omnis confusio est præter naturam: itaque quærenda potius fuit tanti mali causa. Nam negare malum esse cuius nos latêret caussa, cùm res adeò euidentibus, & in sensus ipsos incurrentibus, documentis se probet, id verò, pænè dixerim, furere fuit. Hanc verò naturæ humanæ perturbationem vel inde facilè possunt etiam ij colligere, quibus nullus inest humanitatis sensus, quod in ipsâ animâ pugna est & lucta inferiorum animę facultatum cum superioribus, id quod cum lege naturæ pugnat, cuius hæc est ratio, vt quæ ita sunt inter se colligata, vt eorum alterum alteri subijciatur conditione naturæ, ea verò consentiant inter se, dum suum vnumquodque munus tuetur & exsequitur, id quod, exceptâ solâ naturâ humanâ, in toto vniuerso apparet. Ergo dum isti naturam venditant in prouidam (nam *Natura* nomine Deum non intelligunt quem scilicet negant esse, aut si dicunt esse, negant curam gerere rerum humanarum) perinde disputant ac si integra esset natura. Itaque exsecratione potius quam refutatione digna est hæc sententia.

Resp.

Necessitas Verbi Dei demonstratur.

Ratione.

Sic à nobis demonstratum est, quantum valeat, ad asserendam diuinæ reuelationis necessitatem, omnium Gentium consensus est; idq; vindicatum est iam ab eorum cauillis & calumniis qui huius rationis pondus eleuare conantur. Sed & ratio ipsa hoc euincit, nihil vt necesse sit ad authoritatem sensus generis humani hîc confugere. Etenim vt cæci naturâ, tametsi nullam lucis habent notitiam, attamen dum subinde cespitant, & verò ruunt, & ruentes allidantur solo semper ferè acri cum doloris sensu, nonnunquam etiam vitæ periculo, facilè deprehendunt aliquid sibi deesse, quod reliquis mortalibus (quos non audiunt quiritantes, aut molestè hoc quicquid & quantum est ferentes) est indultum, ita planissimè hic se res habet. Nullam habent miseri mortales, aut si habent vllam, exilem habent & euanidam diuinæ illius lucis cognitionem, attamen in tam acri pugnâ & vehementi affectuum animi, inter tot vitæ non iam dicimus ærumnas, sed cruciatus, maximè verò dum seriò suscipiunt cogitationem de morte, deque hominis statu vitâ hâc perfuncti, iactantur & vexantur veluti æstu quodam, vt ita loquar. In his fluctibus cogitationum sentiunt (vt qui procelloso mari cui nox atra incubuit, *turbantibus æquora ventis*, agitantur) deesse sibi lucem quandam, quam humana ratio suppeditare non potest: vtcunque benè pasti, & benè poti, atque ebrij fœdus huius vitæ delitiis (quas sordes æquius erat appellare, quales sunt porcorum delitiæ) sibi interdum suauiter blandiantur.

Cap. V.

Specialis consideratio Necessitatis Verbi Dei.

Anxia sciendi cupiditas.

Verùm enimuerò hæc vniuersim & strictim disputata, si proteruis ingeniis minus vrgere ac premere videntur, Age rem ab initio repetentes pressiùs, sed explicatiùs, tractemus.

Tribus potissimum in rebus laborat & æstuat mens humana. Nam vt inde ordiamur, animo humano insita est quædam cupiditas inexplebilis cognoscendi, quæ res satis indicat esse aliquid quod eam possit explere & exsatiare cupiditatem, neq; enim appetitus naturales frustra sunt, tametsi sæpenumerò sint infructuosi, intercedente nimirum aliquâ causâ. Atqui non potuit vis rationis eò assurgere vt possit id intueri ac complecti, quo viso ista mentis anxia meditatio acquiescit, sed conata & enisa eò peruenire defecit veluti in viâ. Id quod facile erit deprehendere intuenti propius quò potuerit peruenire mens humana, repertâ veteri memoriâ sapientiæ illius sæcularis quam Philosophiam dixere. Enim verò & esse Deum inuenit mens humana, & Diuinam prouidentiam, & (quod consequens est) Diuinum iudicium. Et agnouit hoc vniuersum, quâ patet, à Deo pendêre, maximè verò genus hominum, cuius hoc elogium semper fuit, quod ei indita est *Diuinæ particula auræ*, vnde illud natum est vetus sanè & magnæ dictum authoritatis, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, nempe *Dei sumus genus & propago quadam.* Sed ista omnia vel obscurè vidit, vel tenuit parùm constanter animus humanus.

nonnisi Verbo Dei expleri potest.

Quod quintuplici inductione demonstratur.

Nam vt ad primum illud reuertamur, Deum quidem esse agnouit, sed ita tamen vt non perceperit quanta esset naturæ Diuinæ excellentia. Nam omnes omnino Philosophi in hoc consentiunt, finitam eam esse, neque excedere eam magnitudinem quam exhibet illius opus, hoc Vniuersum: Itaque nolunt Deum potuisse amplius quàm præstitit, ne scilicet (id enim prætexunt nefario dogmati) Deus pro inuido habeatur, qui noluerit aperire omnes sapientiæ & bonitatis suæ thesauros. Inepti homines & ridiculi, non profani modò, nam quod infinitum est quî potest explicari vel verbis, vel operibus. Profectò huic querelæ semper erit locus, si infinitum tum demum habendum erit pro infinito quum opus ediderit infinitum, nam certis circunscribi limitibus creaturæ ita proprium est, vt ab eo nequeat disiungi. Porrò quod creatura est, eâdem lege id produci necesse est, vicissimque quod producitur id oportet esse creaturam. Ergo, ab infinito non nisi finitum potest produci. Id quod admoniti iam Verbo Dei, etiam Philosophi verum esse facilè intelligunt, nempe (vt postmodum accuratiùs disputabimus) perspexerunt magnum esse, & immane quoddam, discrimen inter opus ipsum productum & vim ad illud producendum necessariam, nihil enim prohibet opus vndiquaque finitum, imò verò asserunt omnia non potuisse nisi ab infinitâ vi produci, infinitâ, inquam vi, non ratione durationis tantùm, quàm infinitudinis conditionem agnouit & profitetur Arist. vlt. cap. lib. 8. Physic. Nempe, cum statuisset perennem esse motum, & ante & post æternum, collegit inde æternum fuisse motorem, proindeque hactenus infinitum, sed (detur venia verbo) infinitudo hæc *extensionis*, non *intensionis* fuit, *durationis*, non *naturæ*: quo vno argumento is potuit refelli facilè. Nam *infinitum* eiusmodi est vt sit vndiquaque infinitum: itaque cuius tantæ fuere vires vt perenni potuerint sufficere

1. inductio, Cognitionis de Dei essentia & potentia.

de qua Philosophorū sententia refellitur.

sufficere motui, eas profectò tantas esse æquum est statuere, vt extra & vltra Vniuersum se potuerint extendere, accessisset voluntas modò infinitæ potentiæ moderatrix. Atque hanc ob causam Apostolus (Hebr.11.1.) inter eas animi opiniones veras quæ nonnisi Verbo Dei constabiliri possunt, ac certæ & liquidæ ex obscuris & inconstantibus reddi, hanc posuit non iam opinionem, sed sententiam, postquam accessit Dei Verbum, qua certò statuimus esse Deum.

2. [illegible] de prouidentia Diuina, circa [illegible] duplex error.

Iam verò de prouidentiâ Diuinâ multa illi, qui Verbi Dei præsidio destituti sunt, disputauere, sed tamen quia eos latuit Diuinæ prouidentiæ ratio, quæ non aliunde potuit perspici quàm ex consilij Diuini explicatione, quæ nusquam nisi in Dei Verbo patet, oportuit eos huc illuc incertos impelli, & denique ad necessitatem quandam, cui nullum opponi posset remedium, confugere, quæ animorum quædam carnificina est.

1. [illegible] de Fato.

Dum scilicet homines se necessitate quâdam vinciri & intricari sentiunt, cuius nec initium nec exitum vident: quæ res adeò multorum, etiam sapientum, animum ita perturbauit vt (quod miremur sanè nec iniuriâ) fassi Deum esse, negarint tamen iidem genere curam rerum humanarum. Nam nescio quo pacto, sed tamen ita accidit, vt sententia hæc quæ Deum esse statuit, nō poruerit vnquam penitus ex animis hominum euelli. Itaque nec Epicurus Deum esse negauit, quin etiam testes sunt Cicero & Diog. Laertius [vt iam Lucretium taceamus] Epicurum scripsisse libros περὶ ὁσιότητος, adeò prophanorum hominum mentem quædam Diuini numinis religio occupauit. Etiam Lucretio, eo loco in quo Diuinam prouidentiam omni ope oppugnat, excidit imprudenti hæc vox, lib.5.

2. Epicurei prouidentiam negantis.

Vsque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros fasces sæuasque secures
Proculcare, & ludibrio sibi habere videtur.

Planè Dei prouidentiam negans vim abditam agnoscit, quæ quid aliud sit quàm Diuina prouidentia, occultè, sed potentissimè tamen & sapientissimè, rebus humanis sese insinuans, atque omnia peruadens.

3. Inductio de iudicio Diuino.

Jam verò, vt pro instituti nostri ratione quæ proposita sunt ordine persequamur, Prouidentiæ agnitionem sequitur necessariò expectatio iudicij Diuini, indidemque (de quo, loco magis idoneo disputabitur) metus & trepidatio mentis malè sibi consciæ. Nam quæso, quî potest locus Prouidentiæ sit si sceleratos nulla manet pœna, innocentes verò ouium instar mactantur impunè? Nam certè his in rebus ordo est atque ratio vt bonis benè esse conueniat, malis autem malè; id quod cùm Deus esse consentaneum vsque adeo probauerit, animo humano vt hæc notio insita sit, vnde natæ sunt Leges, & secundùm Leges iudicia, absurdum planè est, non impium modò, statuere à Deo esse alienum. Indeque profectum est quod non à Poëtis modò (quamquàm Poëtæ omnis secularis sapientiæ habiti sunt semper authores) verùm etiam & à Philosophis (vnus Plato omnium instar erit) celebratæ sint post hanc vitam noxiorum pœnæ, tum verò etiam iustorum præmia, quamquàm horum alterum maiori cum animi æstu metuebatur, alterum minori lætitia, incertiori spe, percipiebatur,

cuius obscura apud Ethnicos fuit notitia.

nempe, quamquàm alij magis, alij minus grauiter peccarunt, attamen in eo omnibus inter se mortalibus conuenit, vt rei sint, proindeque in metum proni, in spem languidi. Sed tamen, nisi postquam accessit Dei Verbum, hæc omnia velut incertis rumoribus ferebantur. Nam Apostoli illud sapientissimè & diuinitus planè dictum est, *Sine lege peccatum mortuum est, &c. sine lege peccatum non imputatur*, quod quamquam aliò spectare videri possit, tamen & huc pertinet, vt significetur, languidas esse & pænè demortuas animæ vires, donec accedente Dei verbo excitentur, etiam in iis ad quæ potuissent peruenire, nisi innatâ atque insolitâ quâdam prauitate fuissent præditæ.

4. inductio, de Creatione Mundi.

Sed Prouidentiæ, & secundùm prouidentiam diuini iudicij ratio nulla potuit constare, nî fuisset agnitum aspectabilem hunc mundum à Deo conditum, à Deo pendere, maximè verò genus humanum, vt pote in cuius gratiam omnia condita sint, vt fuerit hoc vniuersum theatrum, in quo constituti homines contemplentur ipso opere & factis testatam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam; quas res omnes solâ instructi ratione vident, non peruident. Agnouerunt siquidem à Deo mundum conditum esse, mundum regi, hominē præcipuè, sed primùm negauere è nihilo exstitisse quicquid exstar, itaque apud eos decantatissima sententia est, *fieri, E nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti*. Ergo omnes in hoc consensere, vt semper, *præter Deum ab omni æternitate aliquid fuisse*; In hoc diuersi abierunt, quod eorum alij materiam quandam rudem, sed quæ fuerit ab æterno, Deo opifici, in quâ artem exerceret suam, subiecere. Alij, quibus id absurdum videbatur materiam fuisse Deo coæternam, à Deo tamen ab æterno mundum manasse statuerunt: Nempe non potuerunt capere quod Verbo Dei admoniti percepimus, Deum tantâ esse potentiâ, vt quæ non fuere omnino ea esse iubeat, & verò vt sint efficiat, id quod si rei quæ fit habeatur ratio, planè nullo modo fieri possit, at si efficientis vim & facultatem spectes, res est eiusmodi fieri vt facilè possit. Et certè si reputemus animo quàm vel absurdum sit exstitisse semper ab omni æuo molem quandam nullâ suffultam vi extrinsecus, ne diuina quidem, sed suis sub nixam viribus, vel vniuersum hoc quale nunc est nominis omnibus absolutum Deo esse coæuum, nil videbitur dici potuisse aut cogitari absurdius.

Philosophorum de eâ errores tres.

Refelluntur.

1.

Nam si statuant (non autem sic statuunt) molem illam fuisse à Deo, vnde fuit nisi à Dei potentiâ? nam certè moles non fiet ex nihilo, ne detur in infinitum progressus, aut regressus potius. Sin autem vi quâdam suâ affirmant eam fuisse nixam, neque vllis causæ debuisse originem, sequetur (neque verò id poterit negari) molem illam, quam illi omni specie vacuam, hoc est, rem imperfectissimam esse volunt, perfectam fuisse: Certè cuicquid alienæ opis non est indignum id perfectum esse necesse est. Et verò quid addiderit ei species? nam quæ æterna sunt, eadem sunt immutabilia, atque omnino (vt ab Aristotele demonstratum est) aliter se habere nequeunt. Vt interim illud taceamus, quod quæcunque sunt, ea vi formarum suarum sunt, nihil igitur informe potuit existere, nedum vt potuerit ab æterno existere.

2. Sed nec diuersa sententia, quæ fuit eorum inter quos familiam ducit Aristoteles, multo minus absurda est. Illi enim etsi negant materiam fuisse ab æterno, at mundum tamen, hoc est, Vniuersum (quo nihil dici potest speciosius) ab æterno exstitisse contendunt. Vel enim ita exstiterit vt Deum non habuerit opificem (nam ita sanè loquamur) atque ita Deus nullam habuerit cum mundo communionem, ne causæ quidem, causæ, inquam, vt causæ cum effectu, quod illi negant; vel ab æterno Deus mundi causa fuerit, vt Sol radiorum, id quod nullo pacto esse potest. Nam quæ causæ effectum ita producunt, eæ sunt eiusmodi vt effectum habeant homogeneum; nempe effecta vel sunt eiusmodi vt fiant per essentiæ quandam communicationem, vel ij qui in Scholis vocantur effectus ab ipsâ rei formâ promanantes, quales sunt proprietates, ad quorum neutrum Mundi ratio ad Deum, Dei vicissim ad mundum, referri potest.

3. At si (vt reuera sic sensit Aristoteles) hactenus mundus à Deo est quatenus à motu vniuersi ordo pendet, tam superiorum quàm inferiorum in vniuerso, eodem relabemur, & quæ aduersus materiam disputata sunt, eadem adversus motûs subiectum disputari queunt, nempe. Non quæretur vnde sit iste motus adeò constans ac perennis, sed vnde sit illa materia in quam motus hic vim exerit suam. Atque ea vel ex nihilo est, vel ex essentiæ communione, vel proprietas Diuinæ est naturæ. Posterius vtrumque absurdum. Etenim mundus non est ex essentiâ diuinâ, neque verò proprietas est; foret enim in genere accidentis. Superest igitur vt è nihilo factus fuerit, aut verò, quod recta ratio negat, non alteri quàm sibi debeat originem. Itaque, vt hæc ad eum referamus finem quem initio proposuimus; Etsi potuit humana mens, suis instructa viribus, Deum conjicere authorem vniuersi, tamen in eo magnopere hallucinata est, atque grauiter errauit, in definiendâ origine vniuersi, solo Dei Verbo & potuit admoneri, & fuit admonita, quid de re tantâ statuendum esset. Itaque Apostolus non humanæ sapientiæ, sed fidei acceptum fert (Heb. 11.) quod intelligimus sæcula Verbo Dei esse aptata, vt homini sacras literas docto soli id meritò elogium tribui possit,

Ergo viuida vis animi peruicit, & extra
Processit longè flammantia mœnia Mundi,
Atque omne immensum peragrauit mente animoque

5. *Inductio, de animæ immortalitate.* Denique, multa quidem homines, solius præsidio rationis fieri, ausi sunt disputare de generis humani præstantiâ, vt cùm Mundus Deum authorem habeat, gens humana ad Deum præcipuo quodam iure pertineat, vtpote quam voluerit præditam esse ratione, atque (vt ille loquitur) *capacem alta mentis animæ immortalis*. Atqui tamen & hîc vel nutant & vacillant, vel pugnantia dicunt. *de qua Platonis.* Nam certè apud Platonem, in Phædone præsertim prædicatur animæ immortalitas, sed ite tamen vt non affirmetur. Socrates enim tum etiam quum disputat acerrimè, suum illud ὡς αὐτὸ διϊσχυρίζομαι *nihil affirmarim*, inculcat, &, εἰ τι καὶ ἄλλο τῶν τοιούτων διϊσχυρισαίμην, *si quid huius generis affirmarim*, quæ verba sunt animi dubitantis, sed ita tamen dubitantis, vt non sit obscurum quorsum propendeat, nempe in meliorem partem, vt quod res est statuat, animam esse immortalem.

& Aristotelis sententia incerta. Aristotelis verò sententia vsque adeò incerta & perplexa est, vt multi & quidem celeberrimi Peripatetici negarint, Præceptorem in eâ esse sententiâ quæ statueret animam esse immortalem, *illa Auerroïs est erronea.* alij verò Mentem quidem concesserint ex Aristotelis sententiâ immortalem esse, sed vnam, quæ ad modum earum mentium quibus circumagitantur, cœlestes Orbes, gentem agitaret humanam, quam ideo sphæram humani generis dixere. Vsque adeò verum est, etiam in iis rebus quas solius naturæ viribus instructa mens cernit, mentem (nisi præferatur veluti fax Verbi Dei) nil liquidò cernere.

aduersus quos omnes Animæ immortalis. Quamquam animam esse immortalem ipsa potuit admonere ratio, non iam incertis & fallacibus argumentis, sed multò certissimis & indubitatis. Nam cuiusmodi, quæso, illud est, quod ex omni animantium genere vnus homo Deum agnoscit? quæ facultas animo insita frustranea foret, si iisdem, quibus hæc vita, terminis hæc cognitio contineretur. *Probatur.* Certè res æterna non nisi à re æternum duraturâ cognosci potest: neque credibile est tantæ rei sensum ad tempus inditum fuisse, vt (nam liceat nobis sic loqui) accidens subiecto infinitis partibus fuerit multò nobilius. Certè cui conuenit immortale, vt dicam planiùs, quem decet immortalitas, eam rem immortalem esse necesse est. Huc verò etiam illud accedit, quod incredibili immortalitatis amore ducitur animus humanus, id quod brutis animantibus non inest. Itaque etsi dolorem, mortem tamen non refugiunt, nec eorum phantasia vltra huius vitæ breuissimos terminos sese porrigit, atqui certum est appetitus naturales non esse frustraneos: Sed tamen vtcumque ita se res habeat, vnicum est Dei Verbum quod nos hâc in parte reddidit sapientes.

Solum Dei Verbum sciendi desiderium explet. Sic igitur (vt arbitramur) non obscurè demonstratum est, irrequietum illum humanæ mentis motum, quo ad cognoscendum fertur, solo Dei verbo regi & sisti posse. Neque verò id repugnat, quod quascunque quæstiones, aut cruces potius homines sibi figunt, eas statim non dissoluit Dei Verbum. Etenim, vt est quædam fames quæ morbus eadem est, quam Medici nolunt exsatiari, sed tolli, consimili planè ratione quædam animi curiositas est quæ indulgendo non venit curanda, est enim morbus, sed sananda est potiùs præceptis, id quod humana sapientia cùm non fecerit, egregiè præstitit diuina, quæ mentis nostræ agitationem certis quibusdam finibus, vltrà quos excurrere nefas sit, circumscripsit Dei Verbo; satisfactum curiositati rata, quod res est, si in necessariis subueniretur. At reuera ita se res habet, necessaria naturæ rectæ, non deprauatæ auiditatem explent, reliqua superuacanea sunt: quamquàm tam liberaliter nobiscum agit Deus, ea nobis vt verbo suo reuelarit, quorum cognitio facit vt aliarum rerum ignorationem æquo animo feramus. Vt qui in maximi pretij gazam inciderunt, animos vsque adeò vehementer defixos habent in illius boni cogitatione, vt reliqua facilè contemnant.

Cap. VI.

Explanatio eorum quæ initio præcedentis capitis proposita sint.

Sed &

Vigoris animi humani tres causæ.

SEd & aliud est quod exercitum & sollicitum habet animum humanum: angitur nempe sæpenumerò & æstuat; huius autem angoris & æstus (ni accedat Verbi Dei subsidium) inexplicabilis tres sunt omnino causæ, quarum prima est miseria huius vitæ, quam comitatur incertitudo quædam, quæ animi perturbationem mirum in modum auget. Deinde, metus mortis, nam quo præstantius est genus humanum eo vehementiori incenditur cupiditate immortalitatis, nec quicquam est, secundùm æternos cruciatus, quod natura humana magis refugiat quàm vt æternum esse desinat, contra nihil est quod animum magis reficiat quàm certa spes beatæ immortalitatis. Denique, peccati conscientia, quæ in omnibus sane, etsi in aliis magis, in aliis minùs se prodit, nempe ad modum imbecillitatis huius corporis, à quâ cùm nemo sit immunis, alij tamen aliis videntur esse valentiores, cùm tamen omnes sint imbecilles.

Aduersus 1. Philosophorum consolationes vanæ.

Istis malis, quæ certè grauissima sunt, dici non potest quantopere laborarit mens seu ratio subuenire, sed, nisi postquam accessit Dei Verbum, frustra. Certè aduersus humanæ vitæ miseriam triplex omnino consolandi ratio adhibita fuit, vt facile est intelligere ex Philosophorum scriptis.

1\. Et prima quidem ducta est à necessitate, ferendam enim vitæ mortalis calamitatem contendebant quod esset ineluctabilis, & dolendo nihil promoueretur, quæ consolandi ratio hominibus sanæ mentis desperandi potius argumentum esse videatur. Enimuerò res expedita est si patet exitus, aut vlla exitus spes superest, at quando vndique obsessi, pressi & vincti tenemur, nullus consolationi locus est reliquus.

2\. Secundò & hanc tanquam machinam adhibent, & fulcrum ruenti naturæ, quod in acerbissimarum rerum, & grauissimorum dolorum tolerantiâ se proderet virtus humana. Atqui miserè cum virtute agitur si postquam diu exercita & conflictata est, hic tandem exitus est vt intereat vna cum virtute vir bonus: vt illud interim taceamus, quod etsi mediocribus malis ferendis ista tam speciosè, tam magnificè deprædicata virtus humana vtcumque sufficit, attamen si quando grauior incumbat tempestas, & ipsa expauescit, & cadit, affligitur solo, & iacet; Testis illa Bruti vox quam extremam emisit, ὦ τλῆμον ἀρετὴ, ὡς σὺ οὐδὲν ἦσθ᾽ εἰ μὴ λόγος, *O misera virtus quid tu aliud es quàm merum nomen.*

3\. Denique huc confugerunt, mortem esse vt statuerent extremam lineam rerum. Atqui hæc consolatio mihi videtur non hominum, sed eorum qui torquentur in equuleo postmodum producendi ad supplicium. Egregia verò consolatio, maximè verò nullâ cum re vehementius angatur mens humana, quàm dum seriò suscipit cogitationem de conditione & statu suo post hanc vitam: vnde profecta est vox illa magni viri & summi Imperatoris iam morituri.

Animula vagula, blandula,
Hospes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, frigidula, nudula?
Nec, vt soles, dabis iocos.

Item aduersus 2. nempe mortis formidinem.

Neque verò feliciori successu tentauit ratio humano generi mortis formidinem eximere. Nam hîc certè, vt ferè semper, hæsitauit, dum nec potuit statuere certò, eodem exitu dispungi vitam humanam quo bellnina expungitur neque verò item certò affirmare animam esse corpori superstitem. Nam vt reuiuiscat corpus, id verò fando videntur accepisse homines, tametsi non obtinuerit fidem, testes sunto versus illi Phocylidis.

οὐ καλὸν ἁρμονίην ἀναλυέμεν ἀνθρώποιο,
καὶ τάχα δ᾽ ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
λείψαν᾽ ἀποιχομένων.

Item aduersus 3. peccati nempe conscientiam.

Illud verò quod tertio loco posuimus, multò vehementissimè instar, & premit, & viget, & torquet animam, quod peccatum sequitur peccati conscientia quæ peccatorem renitentem, & reluctantem, obtorto veluti collo trahit ad Dei iudicis tribunal. Vnde nata est fabula Eumenidum, ἐρινύων, seu Furiarum, quæ faces subinde intentant, sceleratis vbique occursantes. Ac tantę tamque graui & præsenti miseriæ ratio sola nullâ ratione potuit subvenire, quamquàm id seriò, & omni opere conata est, quâ victimis, quâ lauacris, hæc enim duo fuere apud Gentes expiationum genera.

Vnde Expiationum origo apud Ethnicos.

Id verò etsi verum vsque adeo est vt ipsa veritas per se loquatur, attamen quæri potest quo consilio ad tam friuola tam metuendi morbi remedia recurrerint. Hoc verò iam inde profectum est, quod humanæ menti Deus voluit insitam esse notitiam quandam iustitiæ suæ, cuius hæc est lex, vt ne qui peccat, peccet impunè, sed peccatum pœna sequatur seu propria, seu vicaria. (Sed hæc omnia planè comparata fuerunt exemplum, quamquàm eos exemplum latuit, primi parentis, qui cùm pro comperto iam haberet peccati sibi conscius, opus esse integumento, quo pudenda nuditas peccato inuecta velaretur, ficulneis foliis studuit obtegere nuditatem, quæ & aspera sunt tacta, & superficie haud continuâ sed intercisâ, vnde fit, vt & molestum sit, & parum decorum nuditatis integumentum.) Id quod & ipsi (Gentes intelligo) deprehenderunt, notum enim illud est vel pueris ab Ethnico homine editum velut oraculum,

Cùm sis ipse nocens moritur cur victima pro te?

Et illud Ouidij.

Ah! nimium faciles qui tristia funera cædis
Telli fluminea posse putatis aliqua.

At verò huic pauori & consternationi deiectæ conscientiæ, Dei Verbum vnicum & idoneum protulit consolationis argumentum, exhibitâ notitiâ victimæ tam præstantis, vt in cogitatione de re tantâ animus humanus cogatur fatiscere, & se profiteri imparem rei tantæ comprehendendæ, cùm quoquo & quaqua versum sese intendat acies mentis humanæ semper aliquid videat vltra; quod iis contingit qui in planitie nullius objectu montis impeditâ, sed solo cœlo, quod immensum est, definitâ & circumscriptâ, aciem oculi quantopere possunt intendunt.

Circa Dei cultum.

Superest vltimo loco quod animus humanus (si modò non exuit ipsius etiam sensum humanitatis) aliquo afficitur primùm sensu religionis, deinde humanitatis (nàm Athei etiam tum quum Deum esse negant, id quod supra demonstrauimus, hæsitant & vacillant, & quasi nefandi dogmatis pœniteret, reuocant sententiam) at quum ventum est ad Religionis quę Deo debentur officia, & humanitatis quę hominibus exhibenda, hîc verò se prodit maligna imbecillitas

humanæ mentis, vt est ab Apostolo egregiè demonstratum Rom. 1. Vel enim vnum fingit Deum mens humana, sed corporeum & verò demerendum, quomodo homines inter se, se mutuò demerentur. Vnde natæ sunt imagines, & ab hominibus profectæ satisfactiones, quasi Deus eiusmodi scitamentis delectaretur. Vel, quod grauius multo est, plures Deos confinxere, sed inter quos tamen principatum teneret Jupiter, scilicet Opt. Max. reliqui medioxumi, & infimi essent, & minorum gentium Dij. Vel si quisquam sese ex illo genere altius erexit, in hoc tamen defecit, quod vel Deum sibi finxit, haud quaquam iustum, sed misericordem, imò verò nec illud modò sed & indulgentem. Certè maximi Philosophi dictum est, *Deum non esse orandum quòd sponte largiatur bona, nam malos, inquit, non exaudit etsi orent, bonos etiam inuocatus audit*: quasi verò Deus ipse cùm si bonus non delectetur bonitate, atqui bonitatis humanæ pars est non contemnenda humilitatis, vnde oritur supplicatio.

Ethnicorum errores.

vt & circa virtutem,

In officiis autem humanitatis errarunt quotquot sunt omnes, qui Verbi Dei, veluti monitoris, sapientiâ destituti fuerunt. Nam vt inde ordiar, illius virtutis (quæ vt inter solos Christianos locum habet ita solis Christianis *humilitas* vocatur) altum apud illos est silentium. Enimuerò hæc virtus ab illis habetur in argumentis animi deiecti ac pusilli. Deinde verò, virtutem quidem illi adamarunt, non potest hoc negari, sed tamen multum interest quo nomine virtutem adames; neque verò ego iam dixerim, quod vulgo dici solet, virtutem ab illis adamatum solius gloriæ spe, nam sunt qui virtutem amarunt ob speciem virtutis visendam planè, cæteroquin auræ popularis planè contemptores, quâ nemo vehementer tangitur qui non sit animo abjecto & pusillo, scilicet verum illud est,

sæpe inter pocula quærunt
Romulidæ saturi quid Dia poëmata narrent.

Sed tamen virtutem amarunt ob id quod sibi ipsi viderentur, etiam remotis arbitris, virtutis nomine esse aliquid; qui non est genuinus virtutis amor, is enim demum virtutis amor est verus & genuinus, qui ab amore Dei nos sui sensu afficiente proficiscitur, vt opacorum corporum nulla vera lux est quæ à cœlestis Solis radiis non fuerit prouecta.

Cap. VII.

Inuestigatur, & traditur definitio, quam vocant, essentialis, *Verbi Dei.*

ἀνακεφαλαίωσις superiorum.

HActenus quid sit illud quod Verbum Dei, apud eos omnes qui profitentur modò vllam religionem, dicitur, hoc est (vti instituetamus) definitionem Verbi Dei quam *Nominis* vocant, siue τί ἐστι τὸ λεγόμενον tradidimus, quæ quæstio in huius generis disputatione meritò primum obtinet locum: deinde verò & demonstratum est, quàm sit Verbum Dei necessarium in hâc inopiâ & imbecillitate rationis humanæ, inde ductis argumentis quod (vt in duobus superioribus capitibus fusè disputatum est) sine Dei Verbo neque mentis dum ad cognitionem fertur, agitatio, neque affectuum, dum angitur animus, perturbatio ratione humanâ potest compo-ni: denique verò, quod religionis sensus atque humanitatis nullis Philosophiæ præceptis neque regi, neque verò opere sese potest exerere, nisi affulgeat cœlitus lux Diuina quam præfert Verbum Dei. Id quod satis luculenter ostendit cur Spiritus Sanctus idem *veritatis consolationis, & sanctitatis Spiritus* meritò, vt est, dicatur: nempe, quia is solus mentis irrequietum motum, quo fertur ad cognitionem, sistit, & iubet angores animi tanquam procellam ponere, cœlitus luce suâ tenebras (unde oritur desperatio, & propensio ad desperationem) dispellens: denique vnicus est Spiritus qui monet & quid sit officij nostri, & qui nos impellit, vel adducit potius suauiter, ad officium faciendum. Sequitur igitur vt iam inuestigemus quid sit tandem Dei Verbum, & quæramus, non iam vt initio, nomenclaturæ huius vim & significationem, sed rem ipsam quæ sit, maximè in hâc turbâ Verbum & Dei Spiritum iactantium.

Ante omnia constituendum est quod nemo nisi mentis inops neget (quando ostendimus iam satis superque Verbum Dei esse necessarium) præcipuum eius argumentum illud esse debere, *felicitatem humanam*, deinde verò (vt loquuntur vulgò) *media ad eam felicitatem consequendam*. Itaque generatim rem consideranti iusta videbitur & idonea Verbi Dei definitio, si dicatur *doctrina à Deo profecta, quâ homines imbuuntur cognitione veri & summi boni, eorumque omnium quorum cognitio facit ad verum illud & summum bonum consequendum*. Certè hæc definitio eiusmodi est vt nisi à contemptoribus omnis Religionis non possit non admitti. Sed fortasse eo displicebit quod generalis est, adeoque communis, vt videri possit talis qualem omnes sectæ Verbi Dei quod profitentur descriptionem esse contendant. Itaque rem propiùs intueamur, & verò viâ & ordine. Primùm vt consideremus, quod sit verum illud & summum hominis bonum, deinde verò, quâ demum ratione tanti boni compotes reddantur miseri mortales; quibus duobus explicatis res non modò expedita erit, & facilis, sed confecta.

generalis & communis Verbi Dei definitio.

Ac summum quidem hominis bonum (in quo definiendo frustra desudarunt Sapientes sæculi) est animæ & corporis, adeoque totius hominis, status perfectus atque omnibus numeris absolutus, nihil vt vltra requiri vel debeat, vel possit amplius. Hic verò status & conditio est Dei imago, quod Philosophus, Socrates inquam, sed, vt omnia, tanquam per objectam nubem, videtur animadvertisse, nam apud Platonem in Theæteto, felicitatem humanam collocat *in fuga* (libet enim eius vti verbis) *miseriæ humanæ*, hanc verò in eo sitam esse dicit, vt quàm simillimi euadamus Deo. Etenim omnis fuga, nisi temeraria sit, etiam profectio est, nam attonitorum est ita fugere, vt de perfugio non constet. Cæterùm Dei imago in duobus sita est, in sanctitate, & quæ sanctitatem sequitur beatâ immortalitate, quorum altera Dei bonitatem, altera maiestatem & gloriam refert. Et certè nemo est qui id non videat conuenire, is demum vt pro beato habeatur, cuius animo & corpori bene sit, vnde illud votum,

Summum hominis bonum situm est.

in Dei imagine,

hæc in perfecta animæ sanctitate.

Optandum est vt sit mens sana in corpore sano.

Sed ea fuit calamitas generis humani vt de harū

alterâ dubitarint, de alterâ non dubitarint modò, ſed omnino deſperarint, nempe non eò vſque ſe erexit animus humanus vt ſtatuerit (quod tamen ſtatuiſſe oportuit) Deum eſſe humani generis patrem, ni ingratitudine & contemptu tanta bonitas ludibrio habeatur. Itaque non alteram tantùm hominis panem, ſed vtramque paternâ beneuolentiâ proſequitur: neque enim Deus belluarum Deus eſt, ſed hominum, itaque hominibus aliter, belluis aliter proſpicit, vtriſque pro modulo certâ ratione; vnius ſcilicet hominis priuilegium eſt vt Dei agnoſcendi & cognoſcendi gratiâ conditus ſit. Quæ res facit vt certò nobis conſtet quanta fuerit iſtius rationis vis, quâ Sadducæos preſsit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, *Deus*, inquit, *non eſt mortuorum, ſed viuentium Deus*: Illud ſcilicet voluit (ſic enim loqui nobis fas ſit) Deum cuius eſt Deus, eiuſdem non eſſe imperfectè Deum, vt animæ gerat curam, corporis nullam omnino gerat, ſed id ſinat temerè conflictari maximis cum doloribus, & interire denique nullâ cum ſpe, dum animæ interim (quæ tamen immortalitatis ſemen eſt) vtcunque proſpiciat. Profectò ſi animæ duntaxat in hâc vitâ cauetur, eâ lege vt ne corpori ſit ſuperſtes, non omnino præclarè cùm animâ miſellâ agitur, nam omnis animæ felicitas in victoriâ eſt ſita, quæ in hac vitâ non obtingit, in qua videlicet luctatur, &, ſi datur aliquando reſpirare, eâ lege id datur vt ad luctam continuò redeundum ſit.

ipſius [...]rpora [...]ata im[...]ortalit[...]

Neque verò pugnant iſta cum eorum ſententiâ qui beatitudinem humanam (vt loquuntur ipſi) in Dei fruitione collocant, neque enim frui Deo aliud quicquam eſt quàm potentiæ, ſapientiæ, bonitatis diuinæ fructum percipere, quem creaturæ modus & ratio ferre poteſt: Id verò ſanctitas ea animæ eſt quam diximus, & corporis illa glorioſa immortalitas. Sed neque diuerſum eſt quod Scriptura docet, in Dei viſione noſtram fœlicitatem eſſe ſitam, nam videtur Deus experiundo quis ſit (1. Johan. cap. 3.) & qualem ſe erga nos præſtet, cæterùm (quicquid dictitent Scholaſtici homines acuti quidem, ſed in hoc argumento nimis acuti) inuiſibilis eſt vel Angelis, quibus ad Dei conſpectum nulla peccati labes, ſola naturæ imbecillitas (creaturæ enim ſunt) aditum interclusit. Neque verò continuò (ſicuti autumant) hoc pacto illa animo humano inſita cognoſcendi cupiditas laborat fruſtra: nam illi ipſi quibuſcum iam nobis controuerſia eſt, fatentur vltrò, cupiditatem omnem naturæ, niſi deprauata ſit natura, certis quibuſdam limitibus eſſe circumſcriptam, alioqui quando libet inſanire hominibus, alas etiam ſibi exoptant quibus volent. Et certè (vt ne longiùs abeamus) ſi natiua cognoſcendi cupido ex ſtolidâ & vanâ hominum curioſitate metienda eſt, hominis felicitas ſita erit in perfectâ eſſentiæ diuinæ contemplatione, nam & hominum vnuſquiſque ſe Deum eſſe vellet, ſi quando natiuo animi furori pluſculum indulget.

non in ip[ſ]ius eſſentia Diuinæ viſione.

Ergo hoc iam pro conſtituto habeamus, illud eſſe Dei Verbum quod homini veluti metam & ſcopum proponit perfectam ſanctitatem animæ, & corporis beatam immortalitatem, vt iam demonſtrauimus. Sed hoc tamen eâ lege à nobis dictum accipiatur, vt non ſit habendum pro Dei Verbo, quod non tradat idem quâ ratione, quâ viâ, ad tantam felicitatem perueniatur. Itaque (id quod obiter initio monuimus) ad ingenium Verbi Dei percipiendum neceſſe eſt quæramus, *Num quæ doctrina tantam ſpondet felicitatem, eadem illius conſequendæ rationem expediat.* Ea verò omnis ſita eſt in Dei noſtrique verâ cognitione, vt fiat nempe illud, *Perditio tua ex te Iſrael, ſalus autem tua ex me.* Et naturæ quidem ordine cognitio Dei prior eſt, ſed tamen ſi cognitiones noſtræ habeatur ratio, noſtri notitia præcedit. Nam & Deus, dum vult hominum mentes excitare ad ſui contemplationem, eis objicit argumenta quæ ſenſerunt ipſi vel in ſeipſis, vel in cæteris Dei operibus, vnde ad Dei ipſius conſiderationem aſſurgant. Itaque prima de Deo naturalis notio eſt, *Vniuerſum hoc à Deo conditum, & quidem in hominis gratiam, hominemq́; adeò ipſum*: Vnde colligitur neceſſariò Deum eſſe potentiſsimum, ſapientiſsimum, optimum, & verò (ſi fas ſit ita loqui) ſollicitum de genere humano. Alterâ verò ex parte inuadit animum cogitatio de perturbatione rerum omnium, præſertim verò affectuum animi, quibus reluctante conſcientiâ præceps agitur, &, quicquid obluctetur & obnitatur, angitur. Denique ſuccurrit illud, *Deum omnis boni & ordinis, nullius mali & confuſionis eſſe authorem*; Itaque, initio & hoc Vniuerſum ita conditum eſſe vt dignum eſſet hoſpite ſuo homine, atque hominem ita conditum, dignus vt eſſet tanto domicilio. Ergo illud erit Dei Verbum quod inuectæ calamitatis & miſeriæ fontes nobis aperit.

Verbum Dei tradere debet homini,

1. veram ſui ipſius,

Sequitur deinde Dei cognitio, atque illa quidem quæ primò nobis exhibeat Deum cognoſcendum qualis eſt in ſe, quatenus ferre poteſt mens humana: nempe ſine vllo modo potentem, ſapientem, iuſtum, miſericordem, bonum, proindeque & ſimplicem, & æternum, & infinitum: deinde verò, etſi vnum eſſentiâ, tamen vnum ita, vt ſit eſſentiæ vnitas tribus (nempe propter infinitudinem) non inter ſe diſtantis, ſed diſtinctis tamen, communis. Hinc deinde & illa cognitio ſequetur, quâ Deum percipimus prout erga nos affectus eſt. Ac hîc quidem illud occurrit ſtatim primo loco, vt velit ſubuenire miſeriæ humanæ, id quod omnibus ſæculis, omnibus Gentibus (tametſi aliâ atque aliâ ratione, atque his luculentiùs quàm illis, Judæis verbo, Gentibus operibus) patefecit. Denique, reuera ſubuenerit in Filio & Spiritu Sancto, nempe exhibito filio qui defunctus ſatisfactione (quâ diuina iuſtitia acquieſceret, hominum peccatis prouocata ad vindictam) miſericordiæ viam muniret. Ad quam tamen iis ſolis pateret aditus qui ad eam confugerint, hinc pertæſi conditionis ſuæ, inde allecti ſenſu Diuinæ bonitatis, idque Spiritus Sancti interuentu, qui ſolus malignam naturę prauitatem vel vi ſuâ frangere, vel ineffabili ſuauitate emollire poteſt. Non quidem eâ ratione vt nullius externæ rei vtatur operâ, ſed vt adhibeat interim creaturarum apud creaturas miniſterium; ſigna item quibus animum afficiat vehementiùs.

tum Dei qualis in ſe eſt,

dein, qualis erga nos eſt, cognitionem.

Erit igitur vtcunque iuſta & idonea Verbi Dei definitio, ſi id ſtatuamus eſſe, *Doctrinam quæ diuinitus profecta homini ob oculos conſtituat eum neque ſibi ſui ipſius, neque bonorum quæ percipit eſſe authorem, ſed Deum ſolum vniuerſi conditorem, hominis præcipuè, cuius in gratiam vniuerſum hoc conditum ſit*; *Malorum*

Verbi Dei plena definitio.

verò seu culpæ, seu pœnæ (quæ vocant) non alium esse quàm hominem sibi principem & authorem. Sed tamen Deum Patrem Filium misisse qui redimeret genus humanum victimâ, & Spiritum Sanctum qui in hominum animis gigneret ea (fidem nempe & pœnitentiam, studium bonorum operum) quibus reddantur mortales idonei, nullo suo merito qui veræ beatitudinis (qui illius victimæ fructus est) compotes fiant: cùm reliqui mortales, quorum animum non subiit eâ viâ ad felicitatem niti ac contendere æternùm pereant nullâ Dei, sed suâ ipsorum culpa. Id verò effectum dari Verbi ministerio, & adhibitis signis, quæ Sacramenta vocant, quoties sit efficaciter: vnde nascitur historia Ecclesiæ nata, educata, adulta & prouecta, semper verò conseruata.

CAP. VIII.

Quæ sit ratio internoscendi Verbum Dei tradita à Pontificiis, & à nostris indagata, atque ita status Controuersiæ proponitur.

CVm iam definitum sit quid vulgò significet Dei Verbum, tum verò etiam quàm sit id necessarium, deinde quæ sit illius veluti natura & ratio, sequitur vt quarto loco definiamus quibus notis internoscatur. Nam (vt supra admonuimus) omnes Gentes quæ religionem profitentur, Verbum Dei eâdem operâ profitentur, hæc enim omnium animis religio insedit, nemo vt putet de Deo, deque semetipso, posse quempiam nisi diuinitus doceri: Ea porrò doctrina Dei Verbum est. Hîc verò initium erit nostrarum cum Ecclesiæ Romanæ, quam vocant, Doctoribus controuersiarum.

Verbum Dei.

Etenim si constet Verbum Dei habere Sapientiæ Diuinæ vestigia tam altè, tamque claè impressa, vt nec ea Doctrina ab humanâ ratione, nec à mentis delirio, neque verò à Diaboli instinctu proficisci quiuerit (nam hæc sunt tria principia omnium dogmatum, & totidem sunt hominum genera qui perturbant Ecclesiam, Phanatici, Impostores, Athæi) consequens est (& quidem necessariò consequens) vt sit à Deo cœlitus orta. Itaque & *Sapientia Dei* vocatur ab Apostolo, quia Deum refert & renunciat authorem. Quemadmodum enim in hâc vniuersi fabricâ Deus exstare voluit certissimas notas potentiæ, sapientiæ, bonitatis denique suæ, vt si quis ad tantam lucem cæcutiret, illud argumentum esset prauitatis humanæ mentis, illius nempe quam Apostolus significantissimè vocauit ἔχθραν τῆς διανοίας, *mentis hostilem aduersus Deum affectum.* Sic etiam in Dei Verbo elucent veluti (sic enim loquamur) viuis coloribus depicta arcanæ illius & reconditæ in Deo sapientiæ lineamenta, quatenus eorum aspectum ferre potest in hâc quidem vitâ acies animi humani. Sicuti igitur ex tanti operis magnificentiâ, quantum est hoc quâ patet Vniuersum, ni obstent à deprauatione naturæ inductæ tenebræ, licet colligere opus hoc quantum quantum est, (est verò multò maximum) esse à Deo; consimili ratione, ni obstet natiua mentis humanæ cæcitas, ex ipsâ sapientiâ Diuinâ, quæ Verbo Dei traditur, facile intelligi potest tam admirabilem, tamque Diuinam sapientiam, non alium habere potius quàm Deum authorem.

Diuinitatis suæ insitas habet notas.

Verum quidem illud est, ni adsit Spiritus Sancti lux nihil promoueri: Sed & ni adsit eadem Spiritus Sancti lux in consideratione fabricæ Mundi, quicquam ad salutem promouetur. Sed multum tamen interest (id quod ipsi agnoscunt Pontificij) vtrum disputetur, *Sitne Spiritus Sancti lux necessaria*, an verò cùm necessaria sit, *quid intuendum menti proponat, quove argumento veritatem nobis suadeat, externone atque adscito & assumpto extrinsecus an verò ipsa veritatis luce*, sicuti redditâ oculis videndi vis renunciat menti obiectorum corporum pulchritudinem, nullo iam testimonio, cuius scilicet apud videntes nullus est locus, sed ipsam rerum τῶν ὁρατῶν & speciem commendans. Et certè nisi huc deueniatur mentis agitatio componi non potest.

Etenim si aliorsum confugiamus, illud semper occursabit animo quod in communi vitâ obuium est, inconstantia & varietas humani iudicij, etiam in iis qui se Prophetas esse, & diuinitus afflatos gloriantur. Itaque Apostolus, *Si Angelus è cœlo, vel ego ipse, aliter annunciauerit*, ἀνάθεμα *sit.* Omnem Angelis hoc dicto, omnem sibi ademit authoritatem, vt in Verbi Dei excellentiam auditorum animos defigeret. Et ipse Propheta Dauid, *Lucerna*, inquit, *pedibus meis Verbum tuum, Domine.* Profectò Dei Verbum lucerna non esset si ea authoritate extrinsecus assumptâ, non sua sibi luce, mortalibus commendat.

quod ostenditur ratione.

Hinc verò incipit liquere, quis sit tandem status controuersiæ quæ nobis est, hâc quidem in parte, cum Ecclesia Romanâ; nempe (si illius Ecclesiæ fides ex suorum Doctorum scriptis æstimanda est) hactenus inter nos conuenit, quod testimonium Spiritus Sancti necessarium est ad diiudicandum Dei Verbum. Itaque Stapletonus lib. de authoritate Verbi Dei (quem edidit aduersus Whitakerum doctissimum virum, & sanctissimæ in Ecclesia memoriæ) c. 1. *Quanquam*, inquit, *hoc arcanum testimonium* (loquitur autem de testimonio Spiritus) *prorsus est necessarium.* At verò hîc dissensio est immanis, quanta, quod Ecclesiæ testimonium volunt obiectum esse (vt loquamur Scholasticè) præcipuum testimonij Spiritus S. Vt rem clariùs eloquamur, volunt illi quidem *testimonium Spiritus esse necessarium, & verò prorsus necessarium* (verba enim illorum sunt) *vt quis Ecclesiæ testimonio ac iudicio credat.* Quibus in verbis illa duo distinguenda sunt, *testimonium, & iudicium*, nam vtrumque tribuunt Ecclesiæ, *testis* vt sit, & *Iudex*: nempe, *quam*, inquiunt, *potestatem habet is Christus Ecclesiæ tribuit. Christus porrò testis erat & iudex.*

Pontificiorum sententia de hac controuersia.

Ergo quæstio erit, non, *Quâ facultate diiudicatur Dei Verbum*, nam discernendi facultas omnis est à Spiritu, sed, *quo argumento præcipue Spiritus Sanctus vtatur ad conciliandam Dei Verbo apud nos fidem.* Itaque nec agitur iam, *vnde mereatur fidem Dei Verbum*, illi enim rotundè fatentur id habere Verbum ab authore Deo, sed, *vnde apud nos obtineat tantam authoritatem.* Certè, distinctæ sunt quæstiones, *vnde leges authoritatem habeant*, &, *vnde obtineant*: Nam omnis lex authoritatem à se habet (idoneum modò habeat legislatorem, & sit eâ de re quæ nullâ Dei lege interdicta est) non obtinet tamen continuò. Hîc ergo teneatur arctè Controuersiæ status. *Num authoritas Ecclesiæ* (vt loquuntur) *quoad nos, sit illud præcipuum & certissimum argumentum, quo vtitur Spiritus vt nos certos iam reddat de Verbi Dei veritate.*

quid non sit Controuersum.

Sed

Quid Ecclesiæ nomine intelligant Pontificij.

Sed ne sic quidem liquet quid sit controuersum, ni teneamus quid Ecclesiæ nomine intelligant Pontificij. Etenim Ecclesia vel numerus est fidelium, vel qui Ecclesiæ prę sunt. Et illi quidem hos, non illos, *Ecclesiæ* nomine, hoc certè loco, volunt significari. At ne sic quidem constitutus est dum controuersiæ status. Quæri nempe potest, quos (vt ipsi loquuntur) Ecclesiæ Præpositos intelligant, num Mosem & Prophetas, num Christum & Apostolos, an verò etiam eos qui Mosis & Prophetarum, Christi & Apostolorum tempora secuti sunt, an denique omnium ab initio eorum qui Ecclesiæ pręfuerunt consensum. Et illi quidem non Mosis & Prophetarum, non Christi & Apostolorum, sed præsentis Ecclesiæ authoritatem intelligunt, quippe qui putent eandem esse omnium sæculorum omnium Ecclesiæ Præpositorum authoritatem, certè, nisi velint discedere à quæstione, necesse est intelligant.

Id verò duplici ratione ostendi potest, ac istâ quidem primò, quod non est inde nata Controuersia, quod vocaretur in disquisitionem Mosis & Prophetarum, Christi & Apostolorum ius & authoritas, sed Doctorum Ecclesiæ Romanæ, qui omnem veram reformationem rejiciebant obtentu specioso authoritatis Ecclesiæ. Enimuerò (vt pænè statim initio diximus) hæc controuersia non est ex earum numero que *per se Controuersiæ* dicendæ sunt, sed *per accidens*; inde scilicet orta, quod nostri sic premerentur vt exigeretur ab iis ratio cur potius Ecclesiæ quædam commendanti (nempe Scripturam, &, quod negari non potest, omnia religionis Christianæ fundamenta, Symbolum nimirum Apostolorum) quàm cætera illa multa promiscuè & indiscriminatim, crederent, cùm pari authoritate Ecclesia tam hæc quàm illa commendet.

Idem & aliâ ratione facilè potest intelligi. Quęrunt enim inter disputandum, vnde sciamus Mosem fuisse, fuisse Prophetas, Christum fuisse, fuisse Apostolos, aut si fuisse constet, vnde constet eos fuisse diuinitus missos & afflatos? Non quod ista negent, sed vt eò nos adigant vt agnoscamus Ecclesiæ authoritatem, vt certissimum & præcipuum religionis argumentum. Vnde nullo negotio colligi potest de Mosis, de Prophetarum, de Christi, de Apostolorum authoritate non quæri, (quippe quæ ex eorum sententiâ aliunde nobis demonstrata sit, nempe ex authoritate Ecclesiæ) sed de illius Ecclesiæ, quæ illis testimonium perhibet, iure & potestate, ea verò posteriorum temporum Ecclesia est. Vno verbo igitur (vt summatim omnia colligamus) hic erit controuersiæ status, *An fidelibus singulorum sæculorum Spiritus sanctus probet Dei Verbum esse Dei Verbum, præcipuè ex testimonio Ecclesiæ sæculi cuius sunt, non autem insito argumento.*

Status Controuersiæ.

Cap. IX.

Proponitur, & refellitur prima ratio quam pro suâ sententiâ adferunt Pontificij.

I. Pontificiorum ratio.

Sic constituto Controuersiæ statu, Pontificij suam tuentur sententiam hâc primùm ratione, *Quod Fidei hoc sit ingenium vt testimonio nitatur, non vt nitatur argumentis: cæterum Ecclesiæ testimonium externum vnicum est, nam de interno nulla scilicet Controuersia est. Vnde contendunt effici, Ecclesiæ testimonium præcipuum esse argumentum quo vtatur Spiritus arcanum illud testimonium vt nos ad credendum adducat. Neque verò hoc pacto iniuriam vllam aiunt fieri Spiritui sancto, non magis quàm quum Christi miracula assumpta sunt pro argumento, quo Spiritus vteretur apud hominum animos ad ingenerandam fidem.*

Ref. Fides quomodo testimonio.

At verò iam quod fidem aiunt niti testimonio, id ambiguè dicitur, nam vel testimonium est res ipsa testata, vel testâtis authoritas, inter quę magnum sanè discrimen est. Nam earum rerum quæ nec vllo sensu corporis, nec animi mente ipsi percipimus, fidem oportet esse penes testem: Attamen si res testata eiusmodi est vt nisi testis eam prodidisset, ea quidem nos latuisset, prodita tamen tam habet & præ se fert illustres & cōspicuas innatæ veritatis notas, vt non tam ei testes quàm illa testi conciliet authoritatem, diuersa planè ratio est. Atqui Ecclesiæ testimonium eiusmodi testimonium est. Itaque fides nostra nitatur sanè testimonio Ecclesiæ, sed hactenus nitatur vt documentis veritatis ipsius, non authoritate Ecclesiæ, præcipuè nitatur.

Quomodo argumentis etiam nitatur.

Nam quod aiunt fidem non niti argumentis, ne id quidem verum est, nisi fortè ea intelligant argumenta quæ mens humana Verbo Dei nec informata, nec adjuta, suopte ingenio ratiocinādo colligit. Cæteroqui certè fides nititur argumentis, *Noui*, inquit Paulus, *cui credidi, & scio quod fidelis est qui mihi reddat depositum,* &c. Et cùm Abrahami (cuius elogium est vt sit *pater credentium*) fides collaudatur, inde collaudatur quod nullam imbecillitatis suæ habuerit rationem, sed animi oculos defixerit in Diuinę potentiæ contemplationem. Verum quidem illud est, fides illa salutaris promissione nititur, non iam quatenus ab Ecclesiâ profecta est; sed quatenus Deum habet authorem. Itaque Ecclesia dum commendat promissionis veritatem, non eam confirmat ductis ab authoritate suâ argumentis, sed verò describendo ob hominum oculos Christum crucifixum, atque in eo aperiendo vt oculis humanis conspicui sint thesauri misericordiæ diuinæ, qui cernuntur, appetuntur auidissimè (neque verò id solùm, sed obtinentur etiam ipsi) non iam Ecclesię testimonio, sed suâ magnificentiâ, opulentiâ, splendore, pulchritudine, supra quàm dici potest, admirabiles, non autem cernuntur (nam hîc consensus est) nisi arcani Spiritus sancti testimonij luce; quod si non cernantur, profectò nulla est authoritas externa quę tam illustri veritati fidem possit conciliare. Vnde necesse est oriri hinc securitatem & contemptum diuinæ gratiæ, inde metum, trepidationem, angorem animi, & desperationem denique.

Obj. de Ecclesię testimonio.

Quid igitur (inquiet aliquis) *quorsum attinuit Ecclesiam testem vocare? Certè testis alia, Doctoris alia sunt partes, nam hic rationibus vtitur, iste solam fidem interponit, cuius vis omnis pendet ab authoritate, quæ vel est à fidei commisso* (nam ita sanè loquamur, vt quum testis exhibet litteras quas Stapletonus vocat *literas credentiæ*, barbarè quidem, significanter, tamen) *vel à notâ & compertâ testis integritate & grauitate, quorum vtrumque videtur conuenire Ecclesiæ, cùm illi primùm commissa sit cura docendi, idque diuinitus, deinde verò etiam nemini debeat esse, ob probitatem,*

suspecta. At Ecclesia, si volumus dicere quod res est, nusquam in Scriptura *testis* vocatur: Nam Apostolis hoc quidem elogium tributum est, nempe oculis vsurparunt ea quæ ad historiam vitæ, mortis, resurrectionis Christi, ascensionis in cœlum, missionis Spiritus Sancti, &c. pertinent. Etiam Paulus qui hæc non vidit, Christum tamen vidit, atque Euangelium (vt tanquam Apostolus prædicaret) neque per homines, neque ab hominibus, sed à Domino nostro Jesu Christo accepit: Gal.1.1. itaque & is testis fuit. At Doctorum Ecclesiæ sequentium sæculorum diuersa ratio est, Doctores illi fuere, testes non fuere. Itaque Apostolus Ephes.4. *Dedit Ecclesiæ alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores.*

Apostoli quomodo testes fuerint.

Sed fortasse Apostolorum temporibus subnixa fuerit fidelium fides testimonio Ecclesię, nempe Apostolorum, cùm ij testes fuerint. Et certè negari neque potest, neque verò debet, authoritatem testimonij Apostolici magni fuisse momenti: primùm, quia dici non potest quâ spe, quo consilio, (cùm certissima esset & huius vitæ, & vitæ, quæ sequuntur, commodorum iactura) homines rudes & simplices rem adeò admirabilem, etsi creditu difficilem ob ingenij humani imbecillitatem, confingerent, atque obtruderent credendam, deinde verò & accedebat admiratio tot donorum, quorum fulgore etiam incredulorum animi aciem perstringebant. Sed tamen ne tum quidem maximi momenti, ad fidem conciliandam, illa Apostolorum authoritas fuit. Id quod inde facilè demonstrari potest, quod Apostolorum Authoritas sæpè ipsa in disquisitionem vocata, ac veluti in ius pertracta est: in quo statu Controuersiæ authoritas Apostolica ipsa sibi succurrere non potest, vt pote de quâ iam quæratur. vt idem per idem (sicuti loquuntur) probandum sit, si authoritas à se ipsa commendetur, etenim authoritas est de quâ lis est, penes quem nempe ea sit.

& testimonij eorum authoritas,

at non summa tamen,

maior enim fuit authoritas excellentiæ Ministerij ipsorum.

Hîc verò Apostoli confugiunt ad Ministerij sui excellentiam & efficaciam, vt facilè est colligere ex 2.Corinth.cap.3. *Incipimus ne*, inquit, *iterum nos commendare, aut nobis opus est, quemadmodum nonnullis, Epistolis commendatoriis?* vos inquit, *testis nostra Epistola.* Hæc est ad Ministerij efficaciam prouocatio. Et Ephes.3.1. *Cuius gratiâ*, inquit, *ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis, siquidem audistis dispositionem gratiæ Dei quæ mihi data est erga vos, nempe quod per reuelationem manifestauit mihi mysterium, quemadmodum paucis antea scripsi, id quod legentes potestis intelligere quæ sit mea cognitio in mysterio Christi.* Manifestè ex sapientiæ, quam tradiderat, excellentiâ comprobat Apostolatus sui authoritatem. Ac reuera ita se res habet, vt loco magis idoneo fusiùs & apertiùs demonstrabimus. Quæ potuit esse Apostolorum, vt potest ignotorum, apud ignotos, nullis adhibitis miraculis (quomodo initio vt plerumque prædicarunt) authoritas, alia quàm quæ ex ipsâ luce veritatis ad eos redibat, non ab iis proficiscebatur ad veritatem commendandam.

Inst. 1. de [illegible] ... resp.

Attamen initio Epistolarum Paulus Apostolum sese vocat, reliqui item Apostoli, quo fine? num alio quàm vt his titulis doctrinæ concilient authoritatem? Sed hîc primùm illud obseruandum est, quod hoc faciunt non iam apud credituros, sed apud credentes, qui ipsâ experientiâ iam didicerant Apostolos haud quaquam fuisse mendaces. Atq; apud istos sanè Apostolicæ authoritatis mentio magnam habet vim: vt, qui Magistratûs nomẽ audiunt, si agnouerunt iam ante Magistratum, magnopere commouentur; si non cognouerint, non commouentur. Deinde verò & illud obseruatione dignum est, quod ipsa muneris mentio, si res sequatur, opportuna est & magnam habet vim, nullam si res ipsa non sequatur. Vt si quis se Medicum profiteatur (nam obuium est exemplum) excitat id quidem hominum animos in spem quandam, & quia id in vitâ euenit, conuenit vt qui verè Medicus est is se Medicum profiteatur: Sed inde tamen non conciliatur statim illa authoritas Medico præcipua, sed ex scientiæ & experientiæ in re medicâ documentis. Sic B Paulus 1.Cor.15. inde colligit resurrectionem fore, quod si ea non foret, Apostolorum prædicatio vana esset, nempe efficacia Euangelij in hâc vitâ, atque illius excellentia nota iam ac perspecta, arguebat facilè non esse mendacium quod Euangelij titulo commendabatur, itaque nec Apostolos esse impostores, vnde consequens erat, Apostolicam de resurrectione doctrinam non esse imposturam. Vt verbi gratiâ, (nam exemplo sanè res nota fit) dicitur Socrates, lecto Heracliti libro, cùm interrogaretur quid de eo sentiret, respondisse excellentissima esse quæ intelligeret, vnde facilè adduceretur vt crederet eximia etiam esse quæ non intellexisset. Ergo nota muneris Apostolici efficacia in nonnullis, conciliabat Apostolis in reliquis authoritatem, quamquàm rem intuenti propiùs Apostolus videri possit non hîc agere authoritate, sed rei veritate. Etenim omnis Apostolica doctrina huc spectat, vt Deus habeatur animæ corporisque sospitator, quorum alterum ab altero diuelli certè non potest. Cùm ergo nulla esset inter Corinthios dubitatio de doctrinæ Euangelicæ, quod attinet ad animam, veritate, admonet eos Apostolus vana ea omnia fore nisi corporis resurrectio sequatur: nempe, sic commendari animæ salutem vt partis, cuius nulla potest esse fœlicitas nisi sociæ parti iuncta sit, non enim (vt ita loquamur) partes, sed integrum in solidum felicitatis capax est, quæ vt ipsa perfecta est perfectum requirit (vt in Scholis loquuntur) subiectum, non enim perfectum in imperfecto locum habere potest.

2.

Inst. 2 Testimonium Christi quid sit 2.Tim. 1.8. Resp.

At verò Euangelium testimonium *dicitur* 2.*Tim.* 1.8 *Ne te pudeat*, inquit Apostolus, *testimonij Dei nostri* (Staplet.cap.4.lib.de auth.Verbi Dei, aduersus Whitak.) Atqui testimonium illud est Christi testimonium, non est Ecclesiæ testimonium hoc est, non est de Christo, sed à Christo profectum, siue, non dicitur hoc testimonium *Christi* tanquam de Christo, quamuis de Christo est, sed tanquam à Christo profectum, vt sit (nam detur [illegible] verbis venia) testimonium illud, si [illegible] rario habeatur, *materiale*, si Christi *formale*: hoc est, quod testimonium est, illud debet Christo, res verò testata etiam ab Ecclesia traditur, vt in foro recitantur testimonia etiam ab iis qui non sunt testes, sed quæ tamen à testibus profecta sunt. Certè (quandoquidem cogimur grammaticari) genitiuus casus non magis effecti subjectum, quàm efficientem causam notat. Atq; ita se rem habere hoc loco inde satis liquet,

liquet, quod idem Apostolus ad eundem scribens Timoth. prioris Epistolæ cap. 6. *Apprehende*, inquit, *vitam æternam, ad quam vocatus es*, deinde paulò post, *denuncio tibi coram Deo qui omnia viuificat, & Domino Iesu, qui testatus est, coram Iudice Pontio Pilato, præclaram confessionem*, nempe se esse Filium Dei, quibus verbis summa continetur Euangelij. Ergo si Christum respiciamus Euangelium *testimonium* est, si Ecclesiam præsentis sæculi cuiusque, non iam testimonium, sed documentum est. Neque verò quicquam contra facit quod Apocal. 2. 13. Antipas μάρτυς Christi fidelis dicitur, & cap. 11. vers. 3. eiusdem libri, *Dabo*, inquit, *duobus meis testibus, & prophetabunt*, &c. Nam exceptio (vt loquuntur) regulam confirmat. Cur enim Antipas *testis* dicatur, cur isti duo *testes* vocentur, si Ecclesia in communi testis est? contra potius statuendum est, cùm hoc sit nonnullorum peculiare elogium, nòn esse toti in vniuersum Ecclesiæ commune. Ergo testimonium Ecclesiæ hoc pacto primùm stabit paucissimorum authoritate, deinde verò eorum qui singulis sæculis vel non fuere, vel non fuere noti. Atqui argumentum quo homines adducuntur ad fidem, quando fides semper & omni loco necessaria est, semper & omni loco debet esse in promptu, apud eos certè qui adducuntur ad fidem.

Inst. 3.

Resp.

Sed tamen id quæri potest, nec absurdè sanè, quorsum attinuerit quibusdam certis hominibus *Testium* nomen tribui: Nam dubitandi ratio est idonea, quod veritas Dei vel ipsa per se efficax est, suâ sibi luce prælucens, atque hoc pacto quid opus est testimonio? vel non est tanta tamque efficax eius lux & claritas, & si ita se res habet quid superest quàm vt vicerint Pontif. Dei veritatem nonnisi authoritate testimonij, præcipuè hominum, animis innotescere? Neque verò obiectionis inuidia mitigatur eò quod vulgò dici solet, indignum esse vt veritatis diuinæ authoritas à testimonio pendeat humano: Respondebunt enim (& verò id respondet Stapl. lib. 3. de author. Scripturæ cap. 8.) testimonium hoc etsi hominum sit, non esse tamen humanum, non est enim hominum quâ homines sunt, sed quâ diuinitus instructi sunt: Sic Prophetarum testimonium hominum quidem est, non est tamen humanum, & Apostolorum item; certè homines credimus, at non credimus tamen quâ homines sumus, non enim caro & sanguis est qui hæc reuelat, sed spiritus, vnde θεόπνευστοι qui homines sunt vocantur, & θεοδίδακτοι, Doctores quidem θεόπνευστοι, Discipuli θεοδίδακτοι.

Cur in rebus Diuinis quidam Testes vocantur.

Atqui nihil est absurdi vt quod suâ sibi luce conciliat authoritatem, comitem idem habeat authoritatem testimonij, eâ tamen lege vt ne testimonij præcipuè, sed natiuæ & ingenitæ lucis in comprobando partes sint, vt è triuio petatur exemplum, Adamas suopte splendore se commendat, non respuit continuò tamen gemmularij testimonium. Sed præstat hærere in causâ, nam & Joannes Baptista testimonium Christo perhibuit, cùm tamen ipse Christus insitâ luce præluxerit, vt exstat luculenter scriptum Joan. 1. quo loco dicitur Christus fuisse *vera mundi lux*, & ibidem Joannes testatur de illâ luce. Cuius rei hæc causa, vel certè occasio est, quod in rebus percipiendis, propter humanæ mentis imbecilitatem, hoc est, ob hallucinationem, quæ ad cæcitatem gradus quidam est, testimonio magnopere adiuuamur, cuius nimirum (vt liquebit clariùs infra) hæc vis est & conditio, vt subsidio sit iis qui rem ipsam non viderunt, nam iis qui rei interfuere testimoniis nihil opus est. Ergo, cùm hâc in parte laboret mens humana Deus testimonio voluit succurrere, attamen quia Dei lucem & ipsi in hâc vitâ aspicimus, testimonij authoritate non nitimur præcipuè. Ne longiùs hinc abeamus, quibuscum nobis res est commendant Ecclesiæ authoritatem à miraculis, quamquàm si miracula abessent, solam existimant Ecclesiæ authoritatem idoneam; sed miracula volunt accedere ex quâdam (vt loquuntur in foro) iuris abundantiâ. Non est igitur verum, vbi veritas ipsa sibi prælucet, nihil opus esse testimonio, enimuerò quo bonum maius eo melius est. Illud tamen verissimum est, non esse Ecclesiæ cuiusuis sæculi testimonium perhibere veritati, id quod facilè demonstrari potest inde quod Petrus Act. 10. 40. *Hunc*, inquit, *Deus excitauit tertio die, & voluit apparere non toti populo, sed testibus qui ab eo ante electi fuere, nobis nempe, qui vna cum eo edimus & bibimus, postquam resurrexit à mortuis*.

Resp. Simili illustratur.

Exemplo confirmatur.

ipsis Aduersariorum facto comprobatur.

Sed quoniam disputatio nos deduxit in hunc locū, age veò de testibus & de testimonio quam vim, quamque habeant authoritatem in rebus Diuinis disputemus. Ante omnia tenendum est quis *testis*, quis *doctor*, quid pro *doctrinâ*, quid pro *testimonio* sit habendum. Est verò *Testis*, qui rem dicit, affirmat, nequaquam verò probat argumentis, quod si faciat fit sanè testis, hactenus tamen certè non habetur testis. Habetur autem testis duobus modis, vel *actiuè* vel *passiuè*: (quid ni enim barbarè, modò significanter tamen loquamur) *Actiuè* testis est qui se testem profitetur, ac rem dicit eo fine vt testimonium dixisse videatur. *Passiuè* testis est qui rem dixit quidem, sed non animo dicendi testimonium, cùm tamen hominis dictum pro testimonio adhibeatur, vt cùm dicimus *testimonium Augustini, testimonium Arist.* nam horum vterque Doctor fuit, neuter se testem profitetur, nisi fortè tum, cùm agitur de rebus gestis suâ ætate, quarum scilicet rerum vel oculati, vel auriti testes fuere, vt loquuntur. Portò seu quis *actiuè* (vt docendi causâ diximus) seu *passiuè* testis sit, quatenus testis est subesse oportet authoritatem quandam, quæ si nulla sit testis idoneus esse nequit. Cæterum hæc authoritas duplicem habet rationem, *vt sit*, atque *vt agnoscatur*, fit enim sæpenumerò vt qui testis authoritatem habet rejiciatur tamen, contra admittatur sæpè qui nullam habet authoritatem: In hâc verò controuersiâ illud subinde repetendum est, non agi de authoritate quatenus est, sed quatenus, cùm sit, agnoscitur. nempe non mouet animum authoritas quatenus est, sed quatenus agnoscitur. Authoritas porrò quæ agnoscitur, eam esse priùs oportet, non enim facit, sed sequitur, agnitio authoritatem, vt cognitio non efficit veritatem, sed veritatem intuetur. Ea verò oritur vel ex noto Testis iudicio & probitate, vel ex notâ authoritate quæ Testi, ab eo qui Teste maior est, tributa est, vel ex aliquo signo quod eiusmodi sit vt si testis mentiretur adesse non possit,

Testis quis sit.

Testis authoritas.

Vnde oriatur.

aut certè vix posſit adeſſe, vel ex ipſius rei teſtatæ veritate.

Eccleſia teſtis eſſe non poteſt. 1 neque ob probitatem & grauitatem eius.

Jam verò nota probitas & grauitas Eccleſiæ cuiuſque ſæculi non poteſt fidem facere, non enim teſtatur de facto, ſed de iure Eccleſia, non teſtatur ſe vidiſſe Chriſtum, reſurrectionem, &c. Atqui nota grauitas & probitas fidem tantùm facit in quæſtione de facto, in quæſtione de iure diuerſa ratio eſt, nam peritiam oportet accedere; porrò peritia Doctoris eſt, Doctor autem quâ Doctor non eſt teſtis. Sed neque Maioris teſtimonio commendari poteſt teſtimonium Eccleſiæ, hodiernæ inquam & cuiuſuis ſæculi, quia etſi legamus in Scripturâ inſignia elogia tributa Eccleſiæ in genere, attamen quæ ſit illa Eccleſia in indiuiduo non docet Scriptura. Itaque hoc tantum colligi poteſt ex Scripturâ, Eccleſiam eſſe audiendam, quæcunque tandem illa ſit, quæ verò illa ſit Eccleſia, id verò Scriptura docet tantùm in genere, adhibitâ deſcriptione, quæ nō priùs accommodari poteſt ad veram Eccleſiam (liceat enim nobis ſic loqui) in indiuiduo, quàm teneamus doctrinam: non enim Scriptura Eccleſiam deſcribit ex rebus externis, ſed vel maximè ex internis Eccleſiæ conditionibus, & petitis ab Eccleſiæ naturâ, quæ conditiones ſi innotuerint, innotuerit continuò tota doctrina Chriſtiana: nam Eccleſia ſine Chriſto non poteſt noſci, ne in genere quidem, in indiuiduo autem niſi agnoſcatur genus, indiuiduum ipſum agnoſci non poteſt.

2. neque ob Dei de ea teſtimonium.

3. neque ob Miracula.

Verùm neque ſigno etiam agnoſci poſſit teſtimonium Eccleſiæ, nam ſi vllo poſſet ſeſe Eccleſia commendare ſigno, certè vel miraculis, vel Martyrio, vel ſucceſsione perpetuâ ab iis qui miraculis & Martyrio claruerunt commendaretur. Horum nihil hîc poteſt habere locum, nam neque eduntur eiuſmodi miracula quæ fidem in re tanti momenti mereantur, non enim excitantur mortui, nō reſtituitur, quam natura negauit, audiendi, videndi, loquendi facultas, &, ſi tale quid fiat (non fit autem) rarò tamen id fit, atqui nos hîc quærimus argumentum obuium, commune, quo pij adducantur ad fidem.

4. neque ob Martyrium.

Sed neque Martyrium idoneus eſt, & qualem quærimus, ad aſſerendam fidem teſtis, nam nec omni æuo Martyres ſunt, neque locis omnibus, cùm ea authoritas, quâ adducuntur ad fidem amplectendam miſeri mortales, ſiqua ſit, ſemper & vbique debeat eſſe expoſita. Imò verò etſi Martyria eſſent vulgaria, tamen non ſuâ vi, ſed doctrinæ quam obſignant, conciliarent Martyri authoritatem, nam notum illud eſt & omnium ore iactatum, *Non pœna, ſed cauſa, Martyrem facit.* Verum quidem illud eſt, Tolerantia & patientia ſanctorum in grauiſsimis cruciatibus, illa, inquam, quæ non eſt coniuncta cum animi quâdam ferociâ, atque (vt ita dicam) tumore, qualis eſt ſuperbiſsimorum nebulonum contumacia potius quàm conſtantia, excitat, & quidem meritò, in ſpectatorum animis admirationem, non continuò gignit fidem, nempe *fides eſt ex auditu, auditus porrò eſt ex Dei verbo*, ſed quemadmodum Philoſophi aiunt, *ſcientiam eſſe admirationis filiam*, non quòd admiratio gignat per ſe ſcientiam, ſed quia in nobis exitat, & acuit, & extimulat ſciendi innatam cupiditatem, ſic planè mitis illa Martyrum patientia haud dubiè conuertit in ſe hominum oculos, & animos rapit in admirationem ſui, hactenus tamen duntaxat vt faciat cautè & ſapienter curioſos; ſic enim fit vt inquirant diligentiùs in Martyrij cauſam, quâ perſpectâ & cognitâ fidem non iam ſubnixam authoritate Martyris, ſed ipsâ rei veritate, concipiunt.

Martyrij efficacia quæ ſit.

5. neque ob Succeſſionem.

Neque verò idoneum magis eſt argumentum conciliandi fidem teſti, *ſucceſsio*, ſi ea non ſit nota, iam verò hîc nota eſſe non poteſt, non enim hoc in loco agitur de perſonarum, ſed de teſtimonij ſucceſsione: quis enim vſq; adeo ineptus ſit vt dubitet an perſonæ perſonis ſucceſſerint? Itaque Chriſtum non legimus litem mouiſſe falſis Eccleſię ſui temporis Doctoribus de ſucceſsione quam *Perſonalem* vocant. Omnis Controuerſia eſt *An* (vt loquitur Apoſtolus) *depoſitum ſeruarint conſtanter, tot annorum ſerie, integrum & illibatum.* Ergo priùs teſtimonium ſciri oportet quàm poſſimus de teſtium fide ex ſucceſsione ferre iudicium. Alioqui, quid obſtitiſſet quominus ſub Veteri Teſtamento Sacerdotes & Leuitæ primùm Prophetas hâc exceptione depellerent, quod nimirum ſucceſsiſſent iis quos Deus immediatè fuerat allocutus? Deinde verò, annon etiam Chriſtum & Apoſtolos Judęorum Doctores ſic conuenire potuiſſent? Quid ſupereſt igitur quàm vt concludamus, Eccleſiam cuiuſque ſæculi non poſſe eam ſibi *Teſtis* arrogare authoritatem quæ petitur à ſigno. At verò omnium maximè propriè Chriſto, Prophetis, & Apoſtolis *Teſtis* nomen conuenit, nam eorum, cum teſtimonium dicerent de rebus à ſe viſis, grauitas & probitas hominibus ſui ſæculi nota erat, tum verò fides illis conciliata eſt vel teſtimonio cœlitus hominum auribus inſonante, vel miraculis, nam ſucceſsione certè, quamquam id potuerunt, non ſunt nixi.

6. ne quidem ob doctrinæ, quam tradit, per ſe lucentem veritatem.

Sanè prodita rei veritas, & conſtituta in luce atque oculis hominum, haud dubiè teſtem probat eſſe veracem, cuius generis teſtimonium *indictum* dicitur, ſed ita demum ad ipſam veritatem prouocatur, quam teſtis non authoritate ſuâ, ſed ipsâ veritatis luce poſtulat & iubet, & admitti, & probari. Ac ne ſic quidem (ſi propriè loqui velimus) Eccleſia teſtis eſt, non enim teſtatur ea quæ vidit, ſed quæ credidit, etſi enim Dei Spiritus teſtimonium vnicuique noſtrûm perhibet, non facit hoc tamen vt Eccleſia *teſtis* poſsit dici doctrinæ, tantùm facit vt (quod ſingulis fidelibus commune eſt) teſtis ſit efficaciæ doctrinæ. Atqui in hâc Controuerſiâ non agitur de experientia fidelium, non eſt enim ea quæ homines adducit ad fidem, ſed quæ homines confirmat in fide, ſed de ipſius doctrinæ (vnde hæc naſcitur experientia) veritate. Certè qui teſtatur quæ ſit doctrinæ efficacia vt teſtis, hiſtoriam narrat rei apud ſe geſtæ, non docet; qui efficaciam doctrinæ in genere docet, is non teſtatur, ſed docet; etenim teſtimonium non verſatur circa vniuerſale, ſed circa ſingulare. Atque ita occurritur præcipuo, & in quo illi collocant cauſæ firmamentum, argumento. Negamus Eccleſiam eſſe *Teſtem*, &, ſi id concederemus maximè (vt ſtrictim iam dicamus ea quæ fusè ſupra à nobis explicata ſunt) Eccleſiam eſſe teſtem, attamen non continuò conſequens eſt, vt res teſtata non ſe præcipuè ſuâ luce, ſed teſtis authoritate, probet.

CAP.

CAP. XI.

Proponitur secunda ratio Pontificiorum, & refellitur.

triplex in ecclesia iudicium. 1. commune omnium iudicium.

SED & aliter probant sententiam suam, nempe, non negant (Stapl. lib.1. de authoritate Scripturæ c.5.) toti Ecclesiæ, adeóque singulis fidelibus, qui scilic. Ecclesiæ veræ membra sunt, conuenire vt iudicent quid in negotio religionis sit falsum, quid verum, neque enim negant, imò affirmant potius, omnibus promiscuè qui credunt indultum esse Spiritum sanctum; agnoscũt scilicet verum id esse quod ab Apostolo traditum est, *Si quis Spiritum Christi non habet is verò non est eius*. Sed & illud item amplectuntur (neque enim id potuit negari) *commune fidei iudicium conuenire omnibus indiscriminatim in Ecclesia* (Stapl. ibid.) Vt sic sentiant eos commouit insignis (1.Cor.10.) locus *vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico*. Sed & agnoscunt etiam, præter hoc commune iudicium, iudicium peculiare, quod etsi denegẽt omnibus (si omnes indiscriminatim sumantur) quibusdam tamen concedunt in Ecclesiâ, vt scilicet non modò assentiantur, sed habeant exploratas & compertas assentiendi rationes, quales sunt, inquiunt, qui *perfecti* dicuntur. Vnde putant se effecisse tertium quoddam esse in Ecclesiâ iudicij genus. Sic enim colligunt, iudicium Ecclesiæ haud dubiè differt à singulorum iudicio, alioqui quorsum attinuerit adhibuisse Pastores? quorsum attinuerit cogi Concilia? denique, quo spectat in Ecclesiâ ordo, qui inter æquales nullus esse potest? Atqui nullum erit discrimen præter id quod pendet ex authoritate; Est verò (vt passim testatur Scriptura) magnum discrimen, nam oues subjiciuntur Pastoribus, & verò Pastores in Scripturâ vocantur προεστῶτες *præfecti*. ἡγούμενοι *duces*.

2. singulare, perfectorum.

3. Ecclesiæ iudicium.

Ref. 1. & 2.

Sed vt inde primùm ordiamur, quod priuatorum hominum in Ecclesiâ duplex iudicium, aliud commune, aliud quibusdam peculiare, dixerunt, in eo vehementissimè errarunt: Nam quod non est omnium idem iudicium, hoc non ideo fit quod Deus sic constituerit, sed hominum culpâ; etenim in vitio ponitur quod sunt in Ecclesiâ qui sensus parùm habent exercitatos, Heb. 5.ỹ.12.13.14. & 1.Corint.14.20. Ergo, etsi de facto non sit idem & vniforme totius Ecclesiæ iudicium, de iure tamen idem est, quandoquidem Apostolus *segnitiem* vocat quod non sit idem iudicium; item hortatur *vt simus pueri non mente sed malitiâ*. Attamen illud superest dignoscendum, quo pacto à priuatorum iudicio in causâ fidei distinguatur iudicium Ecclesiæ, quæ quæstio huc redit. *Sit-ne eadem Pauli authoritas quæ singulorum è grege Pauli? eadem* (vt ad tempora nostra deueniamus) *Ministri Euangelij & singulorum è plebe*. Quæ disputatio etsi propriè pertinet ad locum de Ecclesiâ, attamen ne hîc quidem negligenda est, nunquam enim disputant Aduersarij speciosiùs & plausibiliùs, quàm cùm de authoritate disputant.

3.

Authoritas duplex, 1. Rei, veritas scilicet,

Igitur vt à definitione Authoritatis ordiamur, *Authoritas est facultas apta nata ad conuincendum, cum eorum qui conuincuntur demptione animi*. Ea verò vel *rebus* tribuitur, vel *personis*. Res autem vna est cui tribuitur authoritas, veritas scilicet, quæ (id quod ab omnibus iam vsurpatur) *fortis est & praualet*, nempe vel volentes adducit sponte, vel renitentes conuincit & frangit, vnde oritur dolor & mala conscientia. Certè hæc est Verbi Dei authoritas, siquidem verum est quod docet Apostolus. Hebr.4.12. *Viuus*, inquit, *est Dei sermo & efficax, & omni gladio* &c. Certè hæc authoritas præcipua est, est enim eadem Dei authoritas, qui vt operibus, ita etiam verbo suo, & quidem multò illustriùs adhuc, hanc Maiestatis suæ notam indidit & impressit. Personæ verò quæ conuenit authoritas non habet (vt Philosophi loquuntur) unam eandémque ideam. Sanè omnis authoritas est à quâdam excellentiâ, est enim honor & existimatio; Cæterum honor & existimatio excellentiam sequitur: Ergo, quotuplex excellentia est, tam erit multiplex authoritas. Excellentia verò vel est in copiâ & vbertate doctrinæ, vnde nascitur *Doctrinæ* authoritas (quam sic nominamus docendi causa) vel in vitæ probitate & integritate, vnde nascitur *Testimonij* authoritas. Porrò (vt monuimus supra) *Testimonium* & *Doctrina* differunt, nempe *Testimonium* de facto, *Doctrina* de iure est. Vel excellentia in *Munere* est, quod vel ad *Iudicium*, vel ad *Imperium*, vel ad *Consilium*, vel ad aliquid (quale est quod infra describemus) ex imperio & consilio mistum, pertinet.

quæ præcipua est.

2. Personæ, est multiplex.

Priusquam hæc singula percurramus, & accommodemus ad institutum, necesse est id præfemur, (quod etiam à Iurisconsultis obseruatum est) Duplicem scilicet esse authoritatem, quod ad eius vim commouendi attinet, *necessaria* nempe, & *probabilis* authoritas est. *Necessaria* verò est à quâ non licet prouocare, quæ tanta nimirum est vt quicquid inde promanat nefas sit vocare in disquisitionem. *Probabilis* verò ea authoritas est quæ affert præiudicium, vt potè quæ vim habet inhibendi, & suspendendi mentis motum & assensum, donec aliunde veritas probetur.

His ita constitutis videamus iam, *Vlla-ne Ecclesiæ authoritas tribuenda sit*, &, si tribuenda vlla sit Ecclesiæ authoritas, *quænam demum & qualis illa sit, Sit-ne ea nimirum eiusmodi vt sit præcipuum argumentum quo perducimur ad cognitionem veritatis*. Diximus verò authoritatem rebus tribui. De hâc authoritate nulla hîc quæstio est, neque enim Ecclesia veritas est, quæ sola *Rei* habet authoritatem, sed veridica tamen vera Ecclesia est, id quod personæ, non rei conuenire. Ergo quæritur *quo iure Ecclesiæ, vt personæ, authoritas conueniat, an vt Doctori?* Nulla iam hic controuersia est, sed Doctoris authoritas probabilis est, non necessaria, cuius nempe authoritatis vis tanta est, vt moueat, non item tanta vt permoueat, nisi accedat lux veritatis auditorum mentibus sine nube objecta. Id quod Dominus Noster, qui sapientissimus fuit, diuinitus & sapienter obseruauit, nam ne Pharisæos quidem voluit prorsus contemni, *Sedent*, inquit, *in Cathedrâ Mosis, quæ dicunt facite*, neminem vnquam discendæ veræ pietatis causâ ad homines merè priuatos relegauit: Idem tamen monuit *cauendum esse à fermento Scribarum & Pharisæorum*. Noluit ipsum munus contemni, quod scilicet à Deo est, Muneri tamen *necessariam* illam, quam diximus, authoritatem

Ecclesiæ authoritas in diuinis est.

qualis Doctoris est.

denegauit. Sic patri Deus vult à liberis singularem deferri honorem, etiam in iis quæ ad pietatem pertinent, hactenus tamen vt moueantur duntaxat, quod si fit nonnisi necessaria & graui de causâ à patrum præceptis discedent, nempe præterquam quod id verebuntur (quod scelus est si caueri potest) ne patri ægrè faciant, agnoscent insuper in patre repræsentantem Diuinæ Maiestatis. Eadem planè ratio Ecclesiæ docentis est: Etsi non permouet, mouet tamen, vsque adeò vt non temerè, neque nisi seriò susceptâ cogitatione, ab eâ doctrinâ discedendum sit: At inde tamen haud quaquam efficitur, vt authoritas illa fidei sit præcipuum argumentum.

non verò qualis *Iudicis*.

At verò illius Authoritatis quæ *Iudicis* propria est (nam vt non conueniat Ecclesiæ cuiusuis sæculi esse testi, supra demonstratum est) diuersa ratio est. Etenim illa, quia ius facit, præcipua est, non enim sit-ne iusta vel iniusta, in rebus humanis, iudicis sententia debet expendi, ne oriantur in Regno vel Rep. tumultus & seditiones. Itaque Judicis sententia (nam detur quæso venia verbis) *effectiua* potius est quàm *declaratiua*: At in rebus quæ pertinent ad veram pietatem diuersa ratio est. Hominum enim (quicunque tandem sint) de iis sententia, non facit, sed declarat, quod ius fasque est. *Vnus enim* (ait Apostolus) *legislator est*, Deus nempe. Ergo non conuenit Ecclesiæ propriè Judici esse, in iis, inquam, quæ verè & naturâ suâ pertinent ad Religionem. Si quis discriminis rationem requirat, cur nimirum Judicum etiam iniquę sententiæ iure exigant obsequium, Ecclesiæ non item, ratio in promptu est. Si contemnatur lata à Judice temerè & contra ius sententia, vnius fortasse bono illud cedet, at cedet idem maximo totius Reip. malo. Ergo grauius erit malum in quod incurritur non seruatâ Judicis sententiâ, quàm erit bonum quod obtinetur eâ spretâ. Vnde fit vt etiam Ecclesia hoc habeat ius, nempe in eo genere (non iam dico specie, nam Ecclesiæ nil cum Politiâ commune) in quo Judici politico id conuenit, nempe quum iis de rebus agitur quæ nos facere Deus neque iussit, neque vetuit. Certè non tam latè patet Ecclesiastica quàm ciuilis Iurisdictio, nam quę ad dignitatem & ad facultates pertinent, multò verò magis quæ ad vitam, ea verò non sunt Ecclesiastici iuris, Politici iuris sunt. Nihil tamen prohibet quin ea facere posit Ecclesia vnde sequitur quod Politico iure fieri posset, vt verbi gratiâ si Ecclesiastico iure parricida segregetur, consequens item est vt incurrat in pœnam legibus politicis denunciatam, vt contra siquis politicâ lege peractum est reus vllius criminis, seu contra primam legis tabulam seu contra secundam, admissi, consequens est vt incurrat in pœnam Ecclesiasticam.

Imperij authoritas.

Imperij item auhoritas ius facit, itaque imperium legitimum non iam probabilem, sed necessariam habet authoritatem: Cæterum omne imperium Deo subditum est, itaque quod Deus vetuit pręstari, illud nemini licet obtentu obedientiæ re & factis præstare, sed neque ea dicere, vel facere, quibus dictis vel factis id præstitisse videatur. Verumtamen multum interest inter ea quæ nefas est præscribi, & ea quæ nefas est præstare, sæpenumerò enim accidit vt præter ius & fas præscribantur quæ tamen, si detrectentur, præter fas & ius detrectantur verbi gratiâ, pati iniuriam tantum abest vt sit nefas, vt contra iustum sit & sanctum, at iniuriam inferre tantùm abest vt iustum & sanctum sit, vt contra sit nefas: attamen in hoc genere authoritas Imperij ius facit, quod ad nos, inquam, attinet, non quod ad imperantem, qui scilicet imperij sui rationem Deo redditurus est. Jam verò videamus, an hæc *Imperij* authoritas, quæ ius facit quod ad nos, Ecclesiæ conueniat. Profectò in iis quæ Deus vel iussit vel vetuit, soli Deo hæc prærogatiua veluti peculiaris & propria est, nec Imperatori, neque Regibus, neque mortalium vlli tribuenda, nempe conscientia est veluti Dei sponsa, cæterum inter maritum & sponsam non interuenit vicarius. Ergo conscientia præter Diuinam legem necesse est omni aliâ lege esse solutam.

Ecclesiæ non competit in diuinis.

At verò si descendamus earum in rerum considerationem quæ non propriè ad conscientiam pertinent (nisi quatenus Maioribus obtemperare conscientiæ est, & quidem secundùm ea quæ priori legis tabulâ pręscripta imprimis & potissimum conscientiæ sunt, obseruante B. Paulo primum præceptum 2. tab. *Honora patrem & matrem* esse cum promissione coniunctum) quæri non absurdè potest primùm, quænam ista sint, deinde verò, sit-ne in hoc genere, vt Magistratûs, sic Cleri etiam (nam sic loquamur) ius *Imperij*. Ac alia quidem certè quæ non pertinent ad conscientiam tutiùs nequeunt definiri, quàm si ea dicamus esse quæ per se neque bona neque mala sunt, quæ nullâ lege Deus neque vetuit, neque item iussit, cuiusmodi sunt illa omnia quæ neque ad fidem, neque ad charitatem pertinent (vt loquuntur in Scholis) essentialiter. neque verò ad istas virtutes media sunt à Deo præscripta: Nam sunt Media quædam ab ipso Deo præscripta, vt verbi gratia, *audire verbum, & Sacramentis Baptismo & S. Cœnâ vel initiari, vel confirmari*; Baptismus enim initiationis, S. Cœna confirmationis Sacramentum est. Porrò initiationis Sacramentum oportet esse eiusmodi quod idem & progressum & complementum designet nam initium cùm sit (vt in Scholis vsurpatur, & dicitur) in genere Relatorum, necessariò consequentia profitetur: Confirmatio non item, respicit enim tantùm præteritum, &c, si futurum respicit, quia futurum illud aliquando præteritum erit, sese repeti non detrectat: Quæ ratio est, cur Baptismus (ut hoc obiter moneamus) semel tantùm adhibeatur, cùm Sacra Cœna subinde, identidem, sæpè, pro Ecclesiarum consuetudine, repetatur, nam in aliis atque aliis Ecclesiis sæpius aut minus sæpè repetitur: porrò quod repetitur iuris Diuini est, quod toties repetitur iuris Ecclesiastici est. Atque eadem est ratio prædicationis Verbi Dei publicè.

in Adiaphoris.

Ergo quæritur, sit-ne Magistratûs & Ecclesiæ idem ius in iis quæ neque iussit Deus præstari, neque vetuit, ius, inquam, quod ad nos attinet, nam de hoc iure propriè quęstio est. Hîc verò adhibenda quædam distinctio est, ne quæ finibus distincta sunt ea non iam coniungamus, (nam fas illud est) sed confundamus, quod nefas est. Etenim duo sunt rerum genera, duplex item authoritas eas res imperandi. Sunt enim quædam res quæ

in quibusdam nulla etiam est.

res quę ad dignitatem, quę ad vitam, ad fortunas & facultates pertinent, his de rebus non licet Ecclesiæ pro imperio quicquam præscribere, etsi, quando id poscit Dei gloria, liceat Ecclesiæ hortari vt his omnibus renunciemus; At Magistratui sine controuersiâ licet non hortari modò, sed etiam pro Imperio id præscribere, licet, inquam, quoad nos, nam si iure suo abutatur Magistratus, Deo, non homini, obnoxius est. Atque ita satis videtur euidenter demonstratum, quibus finibus potestas Ecclesiastica, quibus politica circunscribatur. Sed tamen & illud superest designandum, liceat-ne Ecclesiæ etiam vt hortatrici in hoc genere versari. Responsio verò facilis est, nam vel Ecclesia dici possit versari in hortando circa pœnam, vel circa officium. Sub ratione pœnæ non licet Ecclesiæ harum rerum præscribere atque imponere damnum, seu iacturam, nam Ecclesiæ non licet irrogare mulctas, at sub ratione officij profectò licet, nam sæpè accidit vt vel Christus vel ista amittenda sint, quâ in specie Ecclesia etiam circa temporalia versatur, non imperando, sed hortando, non infligendo pœnam, sed monendo quod officij est.

In aliis verò nonnullis est illi authoritas quædam.

At in diuerso genere diuersa ratio est, nempe quum iis de rebus agitur quæ spectant ad ritus & ad ordinem in Ecclesiâ. Ritus verò & ordinem appello non rem, atque (vt loquuntur) substantiam, sed rei (quam substantiam vocant) externam procurationem. Nam hîc Ecclesiæ præceptum (certè illud repeti volumus & retineri) si res indelibata & integra sit, apud nos ius facit, alio tamen iure quàm Magistratûs præscriptum in eodem genere. Nam cùm præpositi Ecclesiæ non sint Ecclesiæ Domini, quod Præpositis Ecclesiæ obedimus iure Imperij (ius autem Imperij est cùm non inquiritur in consilium Imperantis) id contingit ideo quia oportet vnumquemque studere paci; at verò quum Magistratui in hoc genere defertur obsequium, diuersa ratio est, prorsus inquam diuersa; Non iam enim hîc obtendi debet pacis studium duntaxat, sed officium insuper quod debetur iure Magistratui, quamquam & quum cedimus Ecclesiæ, officij ratio quædam interuenit, etenim & illa authoritatem quandam habet, & argumentum est spretæ authoritatis, si quum authoritas illa in nugis & rebus nihili excedit, spernitur continuò: verbi gratiâ, Pædagogus non est alumni dominus, non est enim pater, itaque non debet alumnus pædagogo obsequium, quale debet Domino aut patri, at verò tamen si pędagogum leuia; quamquàm molesta & inutilia, præcipientem contemnat, parum habebitur modestus.

Concilij authoritas Ecclesiæ competit.

Verùm enim verò de Concilij authoritate (nam, vt supra monuimus, Concilij authoritas est quædam) nulla nobis cum Aduersariis nec est, nec esse debet controuersia. Certè Paulus 1. Cor. 7 25. *De virginibus*, inquit, *Præceptum Domini non habeo, consilium tamen do*, γνώμην δὲ δίδωμι. Nam quod doctissimus interp. hoc loco nomen *Consilij* refugit, id fecit quia verebatur ne Pontificiorum (quæ vocant) consiliis Euangelicis aperiretur fenestra; cæterum id de quo agit Apostolus planè consilium est. Id quod non vnâ ratione demonstrari potest. Ac primum quidem istâ, quod *Mandatum* Apostolus opponit γνώμῃ, *Non habeo Mandatum Domini*, inquit *sed* γνώμην δίδωμι, apertum ponit discrimen inter *Mandatum* ἐπιταγὴν & γνώμην *Consilium*. At, inquit doctissimus Interpres γνώμη *sententia* est, non est *Consilium*. Certè qui sententiam edit rogatus consilium dat; itaque hominis rogati sententiam dicere sententia consilium est, alioqui certè non est consilium, sed sententia. Sed quæsat aliquis, *Cur non igitur Apostolus* δίδωμι βουλὴν *dixerit*. Hîc verò primum illud respondere est, quod *sententiam dare* & *consilium dare* idem sunt: deinde verò illud, quod Apostolus (qui sanctus idem & prudens fuit) ciuiliter locutus est, itaque cum potuisset dixisse, *consilium do*, quia tamen ea de re nil cauerat Dominus Christus, *Mandatum Christi non habeo*, inquit, *sententiam meam edo*. Itaque sequitur continuò νομίζω *existimo*, quæ verba nimis sunt diluta si præceptum significant. Deinde etiam Interpres Syrus (cuius authoritas non est contemnenda) γνώμην hoc loco vertit מלכא, iam verò מלכא Syriacè *consilium* est. Illud verò multo maximè momentosum est & graue, quod ℣. 35. profitetur se in eo hoc vnum spectare quod eorum commodo fiat quibus edit consultus sententiam: nam apertè profitetur se nolle ipsis laqueum injicere. Itaque si maior incumbit necessitas, eos vult consilij sui lege solutos, quænam autem ea sit necessitas, aut possit esse, statim exponit, quæ exceptio in præceptis Dominicis nullum habet locum, ea enim vti sunt constantia, constans requirunt obsequium, *Nam cœlum* (inquit Christus) *& terra transibunt, at ne vel Iota vnicum legis peribit*.

Locus 1. Cor. 7. 25. de Consilus explicatus.

Sed hæc Consilij authoritas non cogit sed suadet tantùm.

At ista consilij authoritas probabilis tantum est, non est necessaria, mouet, non permouet nisi luce consilij; sed enim nos agimus de authoritate personæ, non de rei authoritate (nam penes eam volumus esse præcipuam authoritatem) atque in eo à nobis dissentiunt Aduersarij vel præcipuè. Ergo vt Ecclesiæ *Consilij* authoritatem tribuimus in rebus adiaphoris, in quibus nempe duntaxat consilio locus est, sic affirmamus secundùm Apostolum authoritatem istam respectu personæ, quatenus (vt ita loquamur) consiliaria est, esse probabilem duntaxat, necessariam verò tum demum si (quod definiri non potest ab vllo nisi generatim) res ipsa, rei circunstantię (quę non habent certam ideam) aliter agendum esse demonstrent, id quod iam mandati, non consilij est. Itaque Christiano consilio mandatum semper excipitur, cauetur scilicet nequid fiat quod pugnet cum mandato. Vnde factum est vt B. Paulus sub finem capitis adiecerit, *Videor autem mihi Spiritum Dei habere*, nempe in eo quod suadet profitetur se loqui quantum potest humanâ ratione iudicare, non intercedente Spiritus (vt ita loquamur) contradictamine.

Authoritas ex Consilio & Imperio mixta.

Est etiam (nam & hoc monuimus) quædam authoritas ex Imperij & Concilij authoritate conflata, quæ nempe eiusmodi est vt neque tanta sit quanta meri Imperij authoritas, neque item tam exigua vt consilij authoritas est, qualis fenum est déque Rep. & Ecclesiâ optimè meritorum, cùm hominibus priuatis & se minoribus pręscribunt officium. Quâ authoritate Paulus vsus est, quamquam Apostolus esset, in Epistolâ ad Philem. *Quare*, inquit, *cùm magnam habeam libertatem imperandi tibi quod officij tui est, amore tamen potius te hortor, cum sim talis, nempe Paulus senex,*

nunc autem & vinctus I.Chr. Assumit apertè sibi mediam istam authoritatem, quam etiam Episcopi nascente Ecclesiâ Confessoribus & Martyribus deferebant, vt cùm sederent ipsi ad Ecclesiæ gubernacula, tamen in iis quæ pertinebant ad Ecclesiæ disciplinam, Martyrum & Confessorum consilio, tanquam Imperio, se regi paterentur, (vnde natæ sunt primùm Indulgentiæ, quæ doctrinæ puritate contaminatâ, inualescente superstitione, in fœdam nundinationem animarum postea degenerarunt) haud dubiè Apostoli hoc dictum in animo habentes. Sed & hæc authoritas (quam Ecclesiæ non negamus conuenire) non ea est de quâ iam nobis lis est, quæ si personam respicias, probabilis tantum est, si rem, necessaria, quando res ipsa necessaria, vt pote diuinitus præscripta. Sed hæc rei authoritas est, quæ non venit iam in disceptationem, nam ad amplectendum Dei Verbum personæ probabili authoritate vtamur certè pro conditione suâ, rei duntaxat necessariâ nitamur authoritate.

etiam Ecclesiæ competit.

Obj. 1. Sed enim verò ad versus ista quæ tam fusè disputauimus illud primum pugnare videtur, quod Præpositis Ecclesiæ tribuitur ius pronunciandi sententiam Judicum in morem, nempe Act.15. Jacobi vox est in Concilio sententiam dicentis, *Quapropter ego iudico.* 2. Deinde verò monet Paulus Titum cap.2. *vt arguat cum omnis imperio* μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Nihil videtur dici posse significantius. 3. Denique locutio est B. Paulo solemnis, dum hortatur, vti *præcipiendi* vocabulo. Atqui Judicij & Imperij authoritas ius facit potius quàm declarat. Resp. ad 1. Sed Resp. non est difficilis, nam vt ab eo quod primo loco posuimus ordiamur, iudicandi potestas etiam priuatis hominibus in Ecclesiâ tribuitur, vt 1.Cor.10.15. *Vt prudentibus*, inquit Apostolus, *loquor, vos ipsi iudicate*, quo de loco supra egimus: & cap.11.℣.13. eiusdem Epistolæ, *Inter vos ipsos*, inquit, *iudicate*. Ergo non penes quoscunque est iudicandi potestas penes eosdem continuò authoritas est, nedum Judicij authoritas, quatenus, inquam, ius facit, proindéque necessaria est. Quamuis Præpositis Ecclesiæ certum est conuenire Iudicij authoritatem, sed quæ tamen in iis quæ ad salutem necessaria sunt, non efficiat, sed declaret, quod ius fasque est: id quod supra fusiùs à nobis explicatum est. Quod verò Tito author est Apostolus vt *arguat omni cum imperio*, deinde verò quod occurrit crebrò *præcipiendi* verbum, inde facilè soluitur, quod præpositi Ecclesiæ iidem Pręcones sunt, quibus duo ex officio incumbunt, primùm vt imperent non suâ quâdam, sed eorum authoritate à quibus missi sunt, (itaque & illorum nomen obtendunt, & quidem prolatis litteris & sigillo, quod ni fecerint, nihil fecerint, vtcunque constet eos esse præcones) alterum vt denuntiēt, quod ad eos propriè pertinet. Ergo, si quandoque imperant præpositi Ecclesiæ, id ad Deum referunt, quod verò ad eos attinet hoc Imperium mera denunciatio est, quamquàm multum interest quibus vtantur, & apud quos verbis. Illud enim semper ob oculos habendum est quod Timotheo præscripsit Apostolus, initio cap.5. prioris ad Timoth. *Seniorem ne objurges, sed hortare vt Patrem.* Viden' vt ἐπιταγὴ *imperium* non sit apud omnes promiscuè adhibendum, manifestè Apostolus vult haberi personarum rationem.

ad 2. & 3.

Ergò vt summatim ista multa colligamus, etiamsi Ecclesia dum Verbum Dei internoscit, nō hoc facit authoritate, suâ, sed peritiâ quâdam rerum Diuinarum quæ illi cum piis quibus pręest (istâ præsertim præeunte) communis est, non continuò sequitur nullam eam habere authoritatem. Neque verò etiam ex eo quod authoritatem habet, sequitur eam tantam esse vt necessaria sit, tantum sequitur probabilem esse hanc quam habet authoritatem. Cæterum quod probabile duntaxat est, fidei fundamentum esse non potest, vt pote cuius hæc natura & ratio est, vt debeat esse certa & indubitata.

Conclusio cum Controuersiæ definitione.

Cap. XI.

Proponitur tertia ratio Pontificiorum, & refellitur.

Sed illi tum maximè triumphare sibi videntur; & nobis adeò tanquam victis & prostratis insultant, quum exigunt (id quod exhiberi consentaneum est) vt Ecclesiæ authoritate certius vllum afferamus argumentum quo Dei Verbo fides apud nos concilietur: Neque enim negant Verbum Dei fidem mereri, tantùm quærunt vnde fiat vt quam meretur eam impetret fidem. Atque illi hîc sic instant, & nos vrgent, & premunt, vt negent id ex ipso Dei Verbo posse constare, negent item posse id ex Spiritus Dei testimonio liquere; vnde necesse illis videtur vt eò adigamur vt agnoscamus recurrendum esse ad Ecclesiæ authoritatem, nam quartum dici non potest. Neque enim humana ratio, & optimarum quas vocant, artium disciplina, quâ excolitur insita vis rationis, hîc subsidio esse possit. Certè Verbo Dei per Dei Verbum accrescere apud nos authoritatem non posse inde putant se demonstrasse, quod neque pars Verbi Dei sociæ parti possit fidem adstruere, neque verò totum Dei Verbum sibi toti. Non prius quidem (vt aiunt) nam quum in disquisitionem vocatur Verbi Dei authoritas, illius scilicet totius pariter authoritas disquisitionem vocatur, itaque omnes Verbi Dei partes in hâc causâ pariter suspectę sunt. Sed neque posterius, inquiunt, licet respondere, vt enim totum Dei Verbum toti Dei Verbo authoritatem conciliet quî pote? Etenim (quod pueri nouerunt) idem seipso notius esse nequit, cæterùm quo fit ut fides concilietur id notius esse necesse est, ne fiat illud iactatum in Scholis, *obscurum per obscurius*, vel certè per æquè obscurum: Vt illud interim taceamus, quod idem testis & reus esse non potest, nec afferri pro argumento quod est vel maximè in controuersia positum. Profectò quum de Dei Verbo disputatur, quodcumque adferas tanquam Dei Verbum pro argumento, idipsum erit vel illius ipsius pars de quo disputatur, vel illud ipsum totum.

Fides à Verbo non conciliatur iuxta Pontificios,

neq; ab ipso Dei Verbo.

Sed nec ex Spiritus testimonio effici potest (vt aiunt) vt adducamur ad fidem Dei Verbo habendam. Vel enim testimonium id Spiritûs publicum est, vel priuatum. Si publicum intelligamus contendunt se vicisse, siquidem publicum Spiritus testimonium, testimonium Ecclesiæ est, quæ scilicet Dei Spiritu regitur, cuiusque adeò vox Spiritûs Dei vox eadem est, juxta illud, *Qui vos audit, me audit.* Sin priuatum testimonium Spiritus, hoc est, quod vnusquisque apud se & in se

neque à Sp. S. testimonio.

in se audit & persentiscit, intelligamus, in eo aiunt induci primum Enthusiasmum, tùm verò æquari gregem Pastoribus, cùm scilicet Spiritûs testantis eadem sit authoritas, vt pote qui sit idem in Ecclesia & Ecclesiæ membris. Denique, contendunt hoc quidem pacto omnia reddi incerta, nam quî possit certò constare te duci Dei Spiritu? Nam ex Dei Verbo, at quî possit constare hoc esse Dei Verbum? Nam ex Spiritu? at sic efficietur vt Spiritus ex Dei Verbo, Dei Verbum ex Spititu dignoscatur, quæ demonstrandi ratio bella non videtur, nempe sic reditur in circulum, à Spiritu Dei ad Dei Verbum, à Dei Verbo ad Spiritum Dei recurritur, tanquam ab eodem puncto in idem punctum sit regressus vnde progressum fuerat.

Retorquetur aduersus eos hæc ratio.

1. Hæc verò ratio quàm est speciosa tantam sanè vim habeat, si minus Pontificiorum causam, qui eâ vtuntur, quàm nostram reddit obnoxiam calumniæ impiorum hominum, atque omnis iuxta religionis contemptorum. Quod si eorum æquè ac nostra interesse constiterit hanc seu rationem, seu sophisma, diluere, hinc fiet vt, tanquam in causâ communi, consentire & conspirare pro veritate, (si religio Christiana cordi est) cogamur vtrique, quo nos deuenire necesse est. Nam quod aiunt nec ex ipsius Dei verbi authoritate, neque verò ex Spiritus S. testimonio, constare nobis posse quod sit tandem Dei Verbum, quidni & idipsum pari iure dici possit de Ecclesię authoritate. Vndenam scilicet ea sese nobis probare possit, si & ipsa, proinde ac Dei Verbum, trahitur in ius & cogitur causam dicere. Nùm (quod illi aduersus Dei Verbum dixerunt) pars Ecclesiæ parti Ecclesiæ testimonium perhibebit? Atqui totius Ecclesiæ authoritas pariter suspecta est. quidni enim nobis hoc liceat reponere, nobis quidem certè, dum Verbi Dei causam agimus, quæ Ecclesiæ causâ multo dignior est, quod illis Ecclesiæ causam agentibus, quæ Dei Verbo inferior est, libido fuit objicere? Siquidem obtinet illud Pauli, *Si de cœlo Angelus, aut ego ipse aliud Euangelizem, anathema sit.* Deinde verò, neque tota toti Ecclesiæ poterit conciliare authoritatem, si totum Dei Verbum sibi toti non possit fidem adstruere, par enim ratio est: Vno Verbo, quicquid illi aduersus Verbi Dei apud nos authoritatem disputant, idipsum disputari possit aduersus Ecclesiæ authoritatem. Itaque hâc quidem in parte non minus nos intra illorum, quàm illi intra nostros fines bellum gerunt.

2. Huc etiam illud accedit, quod quæri pari ratione possit, vndenam Ecclesiæ constet de Dei Verbi authoritate, vnde agnoscat Ecclesia Dei Verbum? Num ex parte quâdam Verbi Diuini agnouit reliquam partem? At, illi inquiunt, hîc pariter omnia sunt suspecta; An veò potius ex toto Dei Verbo totum agnouerunt? At, inquiunt, idem seipso notius esse nequit, ergo non potuit ex toto Dei Verbo totum Dei Verbum Ecclesia dignoscere. Aut si potuit Ecclesia vel ex parte Verbi Dei partem alteram, vel ex toto totum internoscere, poterit Verbi Dei pars ex parte, totum ex toto intelligi, id quod illis absurdum videbatur dum nostram vrgerent & premerent sententiam.

3. Sed non magis illis quàm nobis, si quis eos sic vrgeat & premat, ad testimonium Spiritûs licet confugere, nisi (vt sunt reuera) fateantur esse inanes & vanas eas omnes rationes quibus authoritamen Spiritûs Dei eleuare conantur. Nam vt inde ordiamur, Ecclesia vel testimonio publico Spiritûs (sic enim illi nos vrgent) agnouit Dei Verbum, vel priuato. Non publico, nam publicum testimonium Spiritûs est Ecclesiæ docentis, non est discentis Ecclesiæ, nam priuatim discitur, docetur publicè, nempe Ecclesia dum dijudicat discit ipsa, quum docet non dijudicat, sed iudicium significat suum, quamquàm id facit veritate potius quàm authoritate subnixa. Non est itidem priuatum testimonium, sic enim omnia redderentur incerta, siquam vim eorum ratio habet, sic inueherentur Enthusiasmi. Denique, quum sic vrgetur ac premitur Ecclesia vt iubeatur reddere rationem vnde agnouerit Verbum Dei, non licebit Ecclesiæ recurrere ad Spiritum Dei. Neque verò hîc locus est, ex eorum sententiâ, confugiendi ad Verbum Dei, nam sicuti illi nos premebant, vnde constat hoc esse Dei Verbum, sic & premi possit à profanis hominibus Ecclesia, quâ ratione deprehenderit hoc esse Dei Verbum quod pro Dei Verbo habetur. Numquid hîc ad Spiritum redibitur? At motus erit circularis, siquidem illi vera dictitent, à Spiritu ad Verbum, & rursus à Verbo ad Spiritum. Itaque pari illi atque nos vrserunt ipsi, vrgentur incommodo. Quid superest ergo quàm vt hæc Pontificiorum ratio eodem loco sit quo esse debent cauillatione profanorum hominum aduersus omnem religionem: Soluenda tamen si religioni Christianæ suam volumus constare authoritatem.

Resp. ad rationem.

Sic igitur rem aggredimur, quod aiunt partem Verbi Diuini sociæ parti non posse conciliare authoritatem apud nos, eo quod quoties agitur de Verbi Diuini authoritate toties de totius Verbi Diuini authoritate agatur. In eo primùm errant, quod habent pro constituto omnes Verbi Dei partes pariter esse apud omnes suspectas. Certè si altera Verbi Dei pars nota est, altera minus nota, nihil prohibet partem Dei Verbi minus notam accersere à magis notâ parte authoritatem. Itaque D.N.I.C. Sadducæis ex Dei Verbo respondit quærentibus de resurrectione, neque verò Danielis vsus est testimonio, cuius authoritatem, vt pote Prophetæ, Sadducæi Prophetarum contemptores fuissent aspernati, sed tamen quia Sadducæi Pentateuchum, Legem admittebant, Verbo Dei fœdere inito cum Abrahamo nixus dogma de resurrectione, quod Verbi Dei præcipua pars est, probauit. Ergo contra quàm illi statuêre, non quandocunque Verbi Dei pars indubium vocatur, statim de totius Verbi Dei authoritate quæritur. Sic B. Paulus, sic Apostoli religioni Christianæ conciliant authoritatem, vt illius authoritatis argumenta accersant ex libris Veteris Testamenti: Absurdè, si vna Verbi Dei pars alteri non potest conciliare authoritatem. Certè de toto non dubitat is continuò qui de totius parte dubitat. Sed quemadmodum notior veritas minus notæ perhibet testimonium, alioqui periret de rebus humanis ratiocinatio, quidni etiam notius Dei Verbum minus noto conciliet authoritatem? Sic laudantur Berœenses quod Euangelium à Paulo prædicatum exigerent ad normam Scripturæ V. Testam. Quî pote, si altera

& quidem ad 1. eius membrum.

nunc autem & vinctus I.Chr. Assumit apertè sibi mediam istam authoritatem, quam etiam Episcopi nascente Ecclesiâ Confessoribus & Martyribus deferebant, vt cùm sederent ipsi ad Ecclesiæ gubernacula, tamen in iis quæ pertinebant ad Ecclesiæ disciplinam, Martyrum & Confessorum consilio, tanquam Imperio, se regi paterentur, (vnde natæ sunt primùm Indulgentiæ, quæ doctrinæ puritate contaminatâ, inualescente superstitione, in fœdam nundinationem animarum postea degenerarunt) haud dubiè Apostoli hoc dictum in animo habentes. Sed & hæc authoritas (quam Ecclesiæ non negamus conuenire) non ea est de quâ iam nobis lis est, quæ si personam respicias, probabilis tantum est, si rem, necessaria, quando res ipsa necessaria, vt pote diuinitus præscripta. Sed hæc rei authoritas est, quæ non venit iam in disceptationem, nam ad amplectendum Dei Verbum personæ probabili authoritate vtamur certè pro conditione suâ, rei duntaxat necessariâ nitamur authoritate.

etiam Ecclesiæ competit.

Obj. 1. Sed enim verò ad versus ista quæ tam fusè disputauimus illud primum pugnare videtur, quod Præpositis Ecclesiæ tribuitur ius pronunciandi sententiam Judicum in morem, nempe Act.15. Jacobi vox est in Concilio sententiam dicentis, *Quapropter ego iudico.* 2. Deinde verò monet Paulus Titum cap.2. *vt arguat cum omnis imperio* μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Nihil videtur dici posse significantius. 3. Denique locutio est B. Paulo solemnis, dum hortatur, vti *præcipiendi* vocabulo. Atqui Judicij & Imperij authoritas ius facit potius quàm declarat. Resp. ad 1. Sed Resp. non est difficilis, nam vt ab eo quod primo loco posuimus ordiamur, iudicandi potestas etiam priuatis hominibus in Ecclesiâ tribuitur, vt 1.Cor.10.15. *Vt, prudentibus*, inquit Apostolus, *loquor, vos ipsi iudicate*, quo de loco supra egimus: & cap.11.ỳ.13. eiusdem Epistolæ, *Inter vos ipsos*, inquit, *iudicate.* Ergo non penes quoscunque est iudicandi potestas penes eosdem continuò authoritas est, nedum Judicij authoritas, quatenus, inquam, ius facit, proindéque necessaria est. Quamuis Præpositis Ecclesiæ certum est conuenire Iudicij authoritatem, sed quæ tamen in iis quæ ad salutem necessaria sunt, non efficiat, sed declaret, quod ius fasque est: id quod supra fusiùs à nobis explicatum est. ad 2. & 3. Quod verò Tito author est Apostolus vt *arguat omni cum imperio*, deinde verò quod occurrit crebrò *præcipiendi* verbum, inde facilè soluitur, quod præpositi Ecclesiæ iidem Præcones sunt, quibus duo ex officio incumbunt, primùm vt imperent non suâ quâdam, sed eorum authoritate à quibus missi sunt, (itaque & illorum nomen obtendunt, & quidem prolatis litteris & sigillo, quod ni fecerint, nihil fecerint, vtcunque constet eos esse præcones) alterum vt denuntiet, quod ad eos propriè pertinet. Ergo, si quandoque imperant præpositi Ecclesiæ, id ad Deum referunt, quod verò ad eos attinet hoc Imperium mera denunciatio est, quamquàm multum interest quibus vtantur, & apud quos verbis. Illud enim semper ob oculos habendum est quod Timotheo præscripsit Apostolus, initio cap.5. prioris ad Timoth. *Seniorem ne objurges, sed hortare vt Patrem.* Viden' vt ἐπιταγῆ *imperium* non sit apud omnes promiscuè adhibendum, manifestè Apostolus vult haberi personarum rationem.

Ergò vt summatim ista multa colligamus, etiamsi Ecclesia dum Verbum Dei internoscit, nō hoc facit authoritate, suâ, sed peritiâ quâdam rerum Diuinarum quæ illi cum piis quibus præest (istâ præsertim præeunte) communis est, non continuò sequitur nullam eam habere authoritatem. Neque verò etiam ex eo quod authoritatem habet, sequitur eam tantam esse vt necessaria sit, tantum sequitur probabilem esse hanc quam habet authoritatem. Cæterum quod probabile duntaxat est, fidei fundamentum esse non potest, vt pote cuius hæc natura & ratio est, vt debeat esse certa & indubitata.

Conclusio cum Controuersiæ definitione.

CAP. XI.

Proponitur tertia ratio Pontificiorum, & refellitur.

Fides à Verbo non conciliatur iuxta Pontificios.

SEd illi tum maximè triumphare sibi videntur; & nobis adeò tanquam victis & prostratis insultant, quum exigunt (id quod exhiberi consentaneum est) vt Ecclesiæ authoritate certius vllum afferamus argumentum quo Dei Verbo fides apud nos concilietur: Neque enim negant Verbum Dei fidem mereri, tantùm quærunt vnde fiat vt quam meretur eam impetret fidem. Atque illi hîc sic instant, & nos vrgent, & premunt, vt negent id ex ipso Dei Verbo posse constare, negent item posse id ex Spiritus Dei testimonio liquere; vnde necesse illis videtur vt eò adigamur vt agnoscamus recurrendum esse ad Ecclesiæ authoritatem, nam quartum dici non potest. Neque enim humana ratio, & optimarum quas vocant, artium disciplina, quâ excolitur insita vis rationis, hîc subsidio esse possit. Certè Verbo Dei per Dei Verbum accrescere apud nos authoritatem non posse inde putant se demonstrasse, quod neque pars Verbi Dei sociæ parti possit fidem adstruere, neque verò totum Dei Verbum sibi toti. Non prius quidem (vt aiunt) nam quum in disquisitionem vocatur Verbi Dei authoritas, illius scilicet totius pariter authoritas disquisitionem vocatur, itaque omnes Verbi Dei partes in hâc causâ pariter suspectę sunt. Sed neque posterius, inquiunt, licet respondere, vt enim totum Dei Verbum toti Dei Verbo authoritatem conciliet quî pote? Etenim (quod pueri nouerunt) idem seipso notius esse nequit, cæterùm quo fit ut fides concilietur id notius esse necesse est, ne fiat illud iactatum in Scholis, *obscurum per obscurius*, vel certè per æquè obscurum: Vt illud interim taceamus, quod idem testis & reus esse non potest, nec afferri pro argumento quod est vel maximè in controuersia positum. Profectò quum de Dei Verbo disputatur, quodcumque adferas tanquam Dei Verbum pro argumento, idipsum erit vel illius ipsius pars de quo disputatur, vel illud ipsum totum.

neq; ab ipso Dei Verbo.

Sed nec ex Spiritus testimonio effici potest (vt aiunt) vt adducamur ad fidem Dei Verbo habendam. Vel enim testimonium id Spiritûs publicum est, vel priuatum. Si publicum intelligamus contendunt se vicisse, siquidem publicum Spiritus testimonium, testimonium Ecclesiæ est, quæ scilicet Dei Spiritu regitur, cuiusque adeò vox Spiritûs Dei vox eadem est, juxta illud, *Qui vos audit, me audit.* Sin priuatum testimonium Spiritus, hoc est, quod vnusquisque apud se & in se

neque à Sp. S. testimonio.

in se audit & persentiscit, intelligamus, in eo aiunt induci primum Enthusiasmum, tùm verò æquari gregem Pastoribus, cùm scilicet Spiritûs testantis eadem sit authoritas, vt pote qui sit idem in Ecclesia & Ecclesiæ membris. Denique, contendunt hoc quidem pacto omnia reddi incerta, nam quî possit certò constare te duci Dei Spiritu? Num ex Dei Verbo, at quî possit constare hoc esse Dei Verbum? Nam ex Spiritu? at sic efficietur vt Spiritus ex Dei Verbo, Dei Verbum ex Spiritu dignoscatur, quæ demonstrandi ratio bella non videtur, nempe sic reditur in circulum, à Spiritu Dei ad Dei Verbum, à Dei Verbo ad Spiritum Dei recurritur, tanquam ab eodem puncto in idem punctum sit regressus vnde progressum fuerat.

Retorquetur aduersus eos hæc ratio.

1.

Hæc verò ratio quàm est speciosa tantam sanè vim habeat, si minus Pontificiorum causam, qui eâ vtuntur, quàm nostram reddit obnoxiam calumniæ impiorum hominum, atque omnis iuxta religionis contemptorum. Quod si eorum æquè ac nostra interesse constiterit hanc seu rationem, seu sophisma, diluere, hinc fiet vt, tanquam in causâ communi, consentire & conspirare pro veritate, (si religio Christiana cordi est) cogamur vtrique, quo nos deuenire necesse est. Nam quod aiunt nec ex ipsius Dei verbi authoritate, neque verò ex Spiritus S. testimonio, constare nobis posse quod sit tandem Dei Verbum, quidni & idipsum pari iure dici possit de Ecclesię authoritate. Vndenam scilicet ea sese nobis probare possit, si & ipsa, proinde ac Dei Verbum, trahitur in ius & cogitur causam dicere. Nùm (quod illi aduersus Dei Verbum dixerunt) pars Ecclesiæ parti Ecclesiæ testimonium perhibebit? Atqui totius Ecclesiæ authoritas pariter suspecta est. quidni enim nobis hoc liceat reponere, nobis quidem certè, dum Verbi Dei causam agimus, quæ Ecclesiæ causâ multo dignior est, quod illis Ecclesiæ causam agentibus, quæ Dei Verbo inferior est, libido fuit objicere? Siquidem obtinet illud Pauli, *Si de cœlo Angelus, aut ego ipse aliud Euangelizem, anathema sit.* Deinde verò, neque tota toti Ecclesiæ poterit conciliare authoritatem, si totum Dei Verbum sibi toti non possit fidem adstruere, par enim ratio est: Vno Verbo, quicquid illi aduersus Verbi Dei apud nos authoritatem disputant, idipsum disputari possit aduersus Ecclesiæ authoritatem. Itaque hâc quidem in parte non minus nos intra illorum, quàm illi intra nostros fines bellum gerunt.

2.

Huc etiam illud accedit, quod quæri pari ratione possit, vndenam Ecclesiæ constet de Dei Verbi authoritate, vnde agnoscat Ecclesia Dei Verbum? Num ex parte quâdam Verbi Diuini agnouit reliquam partem? At, illi inquiunt, hîc pariter omnia sunt suspecta; An veò potius ex toto Dei Verbo totum agnouerunt? At, inquiunt, idem seipso notius esse nequit, ergo non potuit ex toto Dei Verbo totum Dei Verbum Ecclesia dignoscere. Aut si potuit Ecclesia vel ex parte Verbi Dei partem alteram, vel ex toto totum internoscere, poterit Verbi Dei pars ex parte, totum ex toto intelligi, id quod illis absurdum videbatur dum nostram vrgerent & premerent sententiam.

3.

Sed non magis illis quàm nobis, si quis eos sic vrgeat & premat, ad testimonium Spiritûs licet confugere, nisi (vt sunt reuera) fateantur esse inanes & vanas eas omnes rationes quibus authoritamen Spiritûs Dei eleuare conantur. Nam vt inde ordiamur, Ecclesia vel testimonio publico Spiritûs (sic enim illi nos vrgent) agnouit Dei Verbum, vel priuato. Non publico, nam publicum testimonium Spiritûs est Ecclesiæ docentis, non est discentis Ecclesiæ, nam priuatim discitur, docetur publicè, nempe Ecclesia dum dijudicat discit ipsa, quum docet non dijudicat, sed iudicium significat suum, quamquàm id facit veritate potius quàm authoritate subnixa. Non est itidem priuatum testimonium, sic enim omnia redderentur incerta, siquam vim eorum ratio habet, sic inueherentur Enthusiasmi. Denique, quum sic vrgetur ac premitur Ecclesia vt iubeatur reddere rationem vnde agnouerit Verbum Dei, non licebit Ecclesiæ recurrere ad Spiritum Dei. Neque verò hîc locus est, ex eorum sententiâ, confugiendi ad Verbum Dei, nam sicuti illi nos premebant, vnde constat hoc esse Dei Verbum, sic & premi possit à profanis hominibus Ecclesia, quâ ratione deprehenderit hoc esse Dei Verbum quod pro Dei Verbo habetur. Numquid hîc ad Spiritum redibitur? At motus erit circularis, siquidem illi vera dictitent, à Spiritu ad Verbum, & rursus à Verbo ad Spiritum. Itaque pari illi atque nos vrserunt ipsi, vrgentur incommodo. Quid superest ergo quàm vt hæc Pontificiorum ratio eodem loco sit quo esse debent cauillatione profanorum hominum aduersus omnem religionem: Soluenda tamen si religioni Christianæ suam volumus constare authoritatem.

Resp. ad rationem.

Sic igitur rem aggredimur, quod aiunt partem Verbi Diuini sociæ parti non posse conciliare authoritatem apud nos, eo quod quoties agitur de Verbi Diuini authoritate toties de totius Verbi Diuini authoritate agatur. In eo primùm errant, quod habent pro constituto omnes Verbi Dei partes pariter esse apud omnes suspectas. Certè si altera Verbi Dei pars nota est, altera minus nota, nihil prohibet partem Dei Verbi minus notam accersere à magis notâ parte authoritatem. Itaque D.N.I.C. Sadducæis ex Dei Verbo respondit quærentibus de resurrectione, neque verò Danielis vsus est testimonio, cuius authoritatem, vt pote Prophetæ, Sadducæi Prophetarum contemptores fuissent aspernati, sed tamen quia Sadducæi Pentateuchum, Legem admittebant, Verbo Dei fœdere inito cum Abrahamo nixus dogma de resurrectione, quod Verbi Dei præcipua pars est, probauit. Ergo contra quàm illi statuêre, non quandocunque Verbi Dei pars indubium vocatur, statim de totius Verbi Dei authoritate quæritur. Sic B. Paulus, sic Apostoli religioni Christianæ conciliant authoritatem, vt illius authoritatis argumenta accersant ex libris Veteris Testamenti: Absurdè, si vna Verbi Dei pars alteri non potest conciliare authoritatem. Certè de toto non dubitat is continuò qui de totius parte dubitat. Sed quemadmodum notior veritas minus notæ perhibet testimonium, alioqui periret de rebus humanis ratiocinatio, quidni etiam notius Dei Verbum minus noto conciliet authoritatem? Sic laudantur Berœenses quod Euangelium à Paulo prædicatum exigerent ad normam Scripturæ V. Testam. Quî pote, si altera

& quidem ad 1. eius membrum.

Verbi Dei pars alteri testimonium non perhibere possit? Quinetiam passim videre est in Epistolis B. Pauli ratiocinationes à notiori Dei Verbo, tanquam principio, ad minus notum Dei Verbum tanquam conclusionem. Nam, vt iam taceamus crebras illas argumentationes ex notissimis & celeberrimis locis Vet. Test. ductas, quæ subinde occurrunt, sæpè ex vno religionis Christianæ dogmate alterum colligit, nempe sic ex vnâ parte Verbi Dei alteri parti authoritatem conciliat. Cuius disputãdi rationis vnicum instar omnium esto exemplum cap. 15. prioris ad Corinth. quo etiam pertinet quod Heb. 11. primi prisci illius æui Patres introducuntur ratiocinantes, & Dei Verbi authoritatem ex Dei Verbi veritate colligentes, nempe minus noti ex magis noti veritate.

ostenditur ipsa praxi Aduersariorum.

Quid? quod & illi ipsi hoc coguntur, velint nolint, fateri, seu cum Judæis, seu etiam cum Turcis, seu cum hæreticis instituant disputationem, nempe Judæos certè student redarguere authoritate Veteris Testamenti, Turcas inde deductis argumentis quod in Alcorano sunt non pauca quæ eadem consona sunt libris Vet. & Noui Testamenti, proindéque Dei Verbum (nã vt in adulterato numismate argenti quicquid est, argentum est, quamquam numisma adulterinum sit, ita quæcunque in Alcorano traduntur, corrogata ex libris V. & N. T. ad fucum faciendum simplicibus, illa sanè quamquàm furto sublata, tamen ad Verbum Dei pertinent tanquam ad Dominum. Si verò cum Hæreticis sit agendum, quod est in Controuersiâ dogma hæreticum est, Vnde verò reuincantur? Num Ecclesiæ statim authoritate? At illi nullam agnoscunt Ecclesiam præter eam quam venditant, tanquam si penes seipsos esset, qui in sententiâ diuersâ sunt eos verò Hæretici non iam pro Ecclesiâ, sed pro Synagogâ habent. Quibus igitur hîc vtendum est argumentis? Certè non aliis potius quàm iis quæ petuntur ex eâ Verbi Dei parte quam illi agnouere, neque enim hæresis vlla est tam tetra, tamque immanis, vt totum Dei Verbum auersetur & respuat, non enim ea iam hæresis foret, sed Ethnicismus, vt ne iam Judaismum aut Turcismum dicamus.

pars parti potest conciliare authoritatem.

Ergo id euicimus, vt ne absurdum sit quod illi absurdum statuerunt, Verbi Dei magis noti & illustrioris partem Verbo Dei minus noto conciliare authoritatem, quod vnum respondisse satis homini æquo posit videri, quãdo inter nos & illos nulla de toto, tantùm de quibusdam Verbi Dei capitibus controuersia est. Quæ disputandi ratio noua non est. Neq; enim vel Christus, qui id vnus omnium optimo iure facere potuisset, neque verò Apostoli aliter disputarunt. Certè etiam isti quidem, quum aduersus Gentes disputant (tanta illis religio fuit authoritatem suam obtendere) Gentes vrgent Dei Verbo, sed pro captu Gentium, vt Act. 14. & 17. Quidni igitur nobis liceat ita vel conuenire, vel conueniri iure, vt ex agnito vtrimque Dei Verbo nostras Controuersias dirimi postulemus. Nam certè omnis ratiocinatio à notioribus ad minus nota methodus est.

Quomodo Dei V. sibi ipsi conciliet authoritatem.

At, inquiunt, quid si totum Dei Verbum sit suspectum, vnde id agnoscatur. Nunquid idem erit reus & testis? sic enim disputant. Minimè verò, inquam, sed fieri tamen potest vt testimonij veritas rebus ipsis comperta testi adstruat authoritatem, nam Vniuersi species Deum esse testatur, atque adeò testis est (sic enim Paulus loquitur Act. 14.) Diuinæ prouidentiæ. Neque verò fas erit hîc quisquam vt quærat, vnde sibi hanc authoritatem vindicet Vniuersi ratio vt testis sit; nam respondere est in promptu (vt est Psalmô 19.) ipsum Vniuersi ordinem (vt in opificio) elegantiam, concinnitatem, vtilitatem testari, sapientiam item, potentiam, bonitatemque summi illius opificis, Et Verbi Diuini eadem ratio est: in eo enim diuinæ bonitatis, sapientiæ, potentię, thesauri aperiuntur certè multò clarius conspiciendi quàm in mundi fabricâ. Quidni igitur æquè euidenter Dei Verbum, ac Vniuersum hoc, testetur authorem suum Deum.

Inst. Ref.

Nam quod cauilari quis posset, esse qui contemnant Dei Verbum. Sunt etiam qui Deum in hoc naturæ opificio contemnant, nempe ita natura est vastum & immane humanum ingenium. Et verò sunt qui ius fasque contemnant ac pro ludibrio habent. Quid tum postea? Certè nec pro imperio Deus ipse in Verbo suo, quanquam id posset, agit, sed prolatis rationibus redarguit & conuincit hominum conscientias, nec aliam potius ob causam *iudicium* fidelibus tribuitur, contra impij pro stultis habentur in S. Scripturâ, quàm quod hi non agnoscunt argumenta sapientiæ, potentiæ, & bonitatis diuinæ Verbo Dei altè & perspicuè insculpta, illi verò ea agnoscunt. Profectò extra Dei Verbum, in negotio religionis nihil inuenias quod non sit non modò superstitiosum, sed fatuum etiam & insulsum.

alia Inst. Ref.

Neque verò continuò illud efficitur, vt si Verbum Dei ipsum sibi conciliat authoritatem, sicut illi dictitant, idem seipso notius sit, tantùm sequitur idem sibi conciliare authoritatem. Sed ne hæc vitilitigatio videatur, congrediamur propiùs, negemus sanè abhorrere à ratione vt idem seipso notius sit, nimirum diuersâ ratione, sic vir doctus seipso notior est cùm editis ingenij & doctrinæ documentis probauit qui esset, & ignotorum & obscurorum hominum consilia expensa atq; attentius considerata cùm authoribus, tùm sibi etiam conciliant authoritatem. Certè imaginis species priùs cernitur quàm veniat in mentẽ cogitare de pictore, déque illius peritiâ, nec quisquam Aristotelem priùs admiratus est quàm Aristotelis doctrinam. Vno verbo, priusquam agnoscamus quod dicitur Verbum Dei esse à Deo, agnoscimus id eiusmodi esse vt nec ab homine, nec ab vllâ creaturâ primitus proficisci potuerit, nempe ob illius sapiẽtiæ, quæ in illo elucet, diuinam excellentiam. Itaque vt lux sibi ipsa, sic Verbum Dei sibi prælucet, atque vt radij Solares satis testantur se neque titioni accenso, neque candelæ debere originem, sed Soli, nempe propter luminis non modò copiam, sed gratiam etiam & venustatem, sic planè hîc se res habet. Sic Christus ipse sibi impetrauit authoritatem, nempe qui ad eum capiendum missi erant, reuersi re infectâ, professi sunt se quâdam religione prohibitos, negabant enim quemquam se vnquam audisse eâ vi dicentem quam in Christo senserant. Joan. 7.

Sanè diuersæ sunt quæstiones, *Sitne quæ traditur* ex V. Dei *doctrina*

præstantia colligitur Dei eius esse authoris.

doctrinæ veræ sapientiæ magistra, &, Sit-ne eadem doctrina à Deo profecta, non quod ista seiungi queant, sed quia hæc una alterum ex altero innotescit, nam quæ doctrina sapientiæ magistra est, eadem Deum authorem habeat necesse est. Ergo ex sapientiæ dignitate & luce, quæ in doctrinâ refulgent, statim agnoscitur Deus author doctrinæ. Insita nimirum est humanæ menti conscientia hâc in parte cæcitatis suæ, itaque nisi effera sit, doctorem vltro requirit, sed, si à Deo discedatur, frustra. Atque cum omnes sectæ Deum iactent authorem, vnica in hâc iudiciorum varietate sese expediendi ratio occurit, si datur agnoscere ipsam doctrinæ veritatem, vnde statim colligitur Deum illius fuisse authorem. Locus est apud Apostolum insignis, 1.Cor.14.24. qui facit ad hanc rem imprimis. *Si verò, inquit, omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis aut idiota, iudicatur ab omnibus, atque ita occulta cordis ipsius fiunt manifesta itaque procidens in os adorabit Deum, & profitebitur verè Deum esse inter vos.* Scilicet, ex doctrinæ veritate, quam sensit, ad Deum doctrinæ authorem assurgit. Ergo non quum ex argumento Verbi Dei colligimus Deum illius Verbi authorem esse, idem, vt illi calumniantur probatur per idem, sed ex effecti excellentiâ causæ præstantia agnoscitur, & deprædicatur.

Duplex argumentandi genus.

Sed eos id videtur fugisse quod hîc non modò obseruandum, sed ante oculos constituendum fuit, quod adeò à sæcularis doctrinæ Magistris traditum est. Duplex nimirum esse argumentandi genus, vnum ex assumptis extrinsecus, alterum ductum ab insitis rei de quâ agitur argumentis, quæ ad posterius hoc disputandi genus pertinent argumenta, ea nil necesse est aliunde peti quàm à re ipsâ, imo verò necesse est vt ne aliunde petantur. Itaque vocantur *Artificialia*, nempe cum rei insint, ingenio & arte inueniuntur, & adhibentur. Quæ verò ad prius illud disputandi genus propriè pertinent, ea iam extra rem petenda sunt, neque verò nisi ridiculè ex reipsâ deduci possunt: Itaque *Inartificialia* dicuntur. Sed appositione exemplorum hæc erunt clariora. Quum conciliatur libro authoritas eo quod liber se ipso profiteatur opus esse vt magni, ridiculè id fit. Sic faciebant absurdè Manichæi, qui doctrinæ suæ authoritatem inde conciliabant quod, Manichæum scilicet Christi Apostolum haberet authorem.

V. Dei diuinitas insito.

At si ex insitis doctrinæ suæ Notis, atque, vt ita loquamur, ad intimâ rei naturâ peritis rationibus demonstrassent quod instituerant, id quod non potuêre, rem haud dubiè, & quidem iure, confecissent. Alterâ verò ex parte, dum Apostoli id student sibi & doctrinæ suæ vt concilient authoritatem, ad ipsius quam tradunt doctrinæ excellentiam prouocant, vnde scilicet agnoscatur esse non ab hominibus, sed à Deo. *Non me pudet*, inquit Apost. *Euangelij Christi vis enim Dei est in salutem omni credenti.* Et 1.Cor.2. *vt fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in potentiâ Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam non huius sæculi, neque principum huius sæculi, quæ aboletur, sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quam nemo principum huius sæculi nouit, si enim nouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent.* Scilicet nota sapientia facit vt Euangelium (id quod res est) credamus à Deo profectum, minus nota facit vt idem aspernemur. Atque hoc pacto non absurdè disputatur. Non enim ideò volumus D.V. esse Dei Verbum quod scriptum hoc sit, (quomodo illi nos faciunt ratiocinantes; quæri enim posset iterum, qui constet hoc esse D.V. quod scriptum est, sic enim, aiunt, posset conciliari Alcorano authoritas, nam & in Alcorano subinde idem occurrit) sed potius ex illius sapientiæ, quæ in Dei Verbo elucet admiratione deuenimus ad agnoscendum Deum tantæ lucis & sapientiæ authorem.

non assumpto & inartificiali argumento se probat.

Resp. argumento per distinctionem.

Ergò, vt recta occurramus, concedamus sanè, quum Verbum Dei ad Verbi Dei fidem asserendam tanquam inartificiale argumentum affertur, ridiculum id esse, non modò absurdum, tanquam si quis velit testem probare veracem esse eo quod se veracem esse profiteatur. At negemus tamen iidem vel ridiculum esse, vel abhorrere à ratione, vt Dei Verbum tanquam (vtamur enim vocabulis vsitatis) artificiale argumentum afferatur, quum id agitur vt probemus esse Dei Verbum quod reuera Verbum Dei est. Nam sapientiæ ea vis & ratio est vt non aliunde sese commẽdet quàm à seipsâ, sicuti rerum species & pulchitudo, & verò lux, quæ ipsa vt videatur suâ quâdam vi facit, modò non desit videndi facultas. *Si verò*, inquit Apostolus, *etiam est occultum nostrum Euangelium, iis qui pereunt occultum est, quorum Deus huius sæculi mentes occæcauit*, nimirum incredulorum, vsque adeò vt ne illos splendore collustraret illuminatio Euangelij gloriæ Christi. Enimuerò si quis quærat quâ luce lux videatur ridiculus sit. Sic etiam quum quæ sit humanæ sapientiæ ratio quæritur, postquam iam ad rem ipsam ventum est, abhorrere planè videtur à ratione, rationis quærere subinde rationem.

nihil necesse est hîc ad Spiritus testimonium recurrere.

Itaque nihil hîc opus est vt ad Spiritus testimonium adigamur, non magis quàm illis qui sapiunt opus est vt, dum ab ipsis exigitur ratio conscientiæ sapientię suæ (non enim sapit qui dubitat an sit stultus, quemadmodum non videt qui dubitat an sit cæcus, mentis modò compos sit) rationem hanc reddant, quod putent se sapere, ne id quidem, si sic vrgeantur, adferre liceat, quod aliorum iudicio sapiant, nempe hîc procliue foret excipere: Ergo si te alij omnes stultum iudicarent, etiam (quantumuis sapias) tu te stultum iudicabis; id quod maximè abhorret à sapientis ingenio, vt se quærat extra se, nisi tum quum se ipse quærit & inuenit in Deo, quæsiturus se profectò & verò inuenturus alibi, sed miserrimum extra Deum, qui Deus non habetur nisi cognoscendo. porrò cognitio mentis *visus* est: Ergo quemadmodum illi cæci sunt qui se negant scire an sol luceat necne, ni testes adsint, ita prorsus qui se negant ita instructos à Spiritu vt solem illum cœlestem & videre potuerint, & verò viderint, atque illam admiserint mente animóque lucem, reuerâ cæci sunt atque alieni à Deo, nempe illud Apostoli verissimum est, 2.Cor.3. 18. *Nos verò omnes facie discoopertâ gloriam Domini contemplamur tanquam in speculo, in eandem transformati imaginem à gloriâ in gloriam, vt pote à Spiritu Domini.*

Distinctio publici & priuati Spiritûs iudicij excutitur.

Verumtamen si in eas conjiceremur angustias, vt vnicum nobis superesset Spiritus Sancti testimonium, quo possimus reddi certiores de Verbi Dei veritate, ne sic quidem hæreret nobis aqua. Nam quod aiunt, Testimonium Spiritus vel est

publicum vel priuatum, non est ista *Rei*, sed (quam vocant in Scholis) *Modi* distinctio: Etenim Spiritus testimonium publicum idem priuatum Spiritus testimonium est, sed publicum dicitur quatenus scilicet vel omnibus, vel certè iis qui præsunt Ecclesiæ inest. Nimirum, Spiritus vnus idemque est qui totum corpus, & qui singulas corporis partes mouet & regit. Sic testimonium *Rationis* pari iure distingui posset in *publicum* & *priuatum*, vt *publicum* Rationis testimonium vel vniuersorum sit, vel eorum quorum sapientia celeberrima est, *priuatum* singulorum, etiam eorum qui latent in obscuro. Sed enim eadem ratio est vbique, nec publicum rationis testimonium rectum est si à priuato diuersum sit, neque verò etiam priuatum Rationis testimonium rectum dici queat si publico rationis testimonio repugnat; Etenim eadem recta ratio est, quæ scilicet nil aliud est quàm bona mens, quæ nisi publicè priuatimque sit eadem, bona scilicet mens, eadem esse haud possit. Atqui, in iis quæ rectâ ratione percipiũtur, percipiendi ratio publicè priuatimque eadem est, nisi quod publicè præitum est, vt plerumque, & veluti prælata lux, priuatim verò singuli eam lucem viderunt & secuti sunt. Ergo vt inepta foret illa distinctio quâ testimonium oculorum publicum à priuato secerneretur, pariter inepta videri debet illa distinctio quâ testimonium Spiritus publicum à priuato secernitur. Certè qui ostendunt quod ipsi priores viderunt, videntur illi dicere quasi publicum publicè testimonium, qui verò quod ostenditur suis vident oculis, non alienis, illi demum priuato oculorum testimonio nituntur. Itaque, si quæras vnde ad eos rei visæ peruenerit notitia, recurrent quidem ad publicum illud testimonium denunciantis, sed tamen vt ad *occasionem*, non vt ad *Argumentum*.

applicatur huic quæstioni.

Atqui hîc prorsus ita se res habet. Testimonium Ecclesiæ loquentis instinctu Spiritus S. illius est scilicet quę testatur quod ipsa prior vidit; est ergo hoc testimonium occasio cur credatur, eorum verò qui credunt hęc conditio est, vt non aliter crediderint quàm quod ipsi viderint id quod testata est Ecclesia. Itaque Ecclesiæ hoc testimonium (vt supra fusiùs disputatum est) *doctrina* potius & *admonitio* quàm *testimonium* fuit; nempe illud verum est quod nos Christus docuit, Ioan. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum, quicumque igitur audierit & didicerit à Patre veniet ad me.* Præcessit scilicet ratio, *Scriptum est in Prophetis & erunt omnes docti à Deo.* Ergo quemadmodum vniuscuiusque ratio seorsim, iudicat quod verum est, vt ne iam assensus authoritate, sed rei ipsius perspectâ nitatur veritate, & facultas videndi (si qua sit) non alieno testimonio, sed luce, quâ quod visum est perfusum fuit, acquiescit, sic fideles singuli cùm sint θεοδίδακτοι. cùm sint *filij lucis*, cum eorum mentes Euangelij luce illustratæ sint, non quærunt certitudinem earum rerum, quas credunt, extra se: Sed tamen quemadmodum qui rectè sentiunt confirmantur aliorum iudicio, & quamuis non patiantur sibi eripi veram sententiam, etiam omnibus pęnè contra sentientibus, perturbantur tamen nonnihil, sed ea perturbatio tandem facit vt tanto euadant firmiores, nempe, hoc pacto fit vt de re totâ magis seriò & accuratiùs suscipiant cogitationem. Iam verò id veritatis ingeniũ est, vt quo diutius sepositis affectibus, & pensiculatiùs examinatur, tanto vehementiùs sese probet. Itaque Apostolus 1. Cor. 11. *Oportet,* inquit, *etiam inter vos hæreses esse, vt qui probi sunt, manifesti fiant inter vos.* Ita scilicet nobis à naturâ comparatum est, vt innatâ quâdam vecordiâ & segnitie *Verum* ex hominum consensu & authoritate metiamur, perturbemur autem si quando vel viros, magnum consecutos nomen, inter se dissentiẽtes, vel etiam multitudinem, videre contingat. Atqui apud verè pios sic tantùm efficitur vt veritas, remotis præiudiciis, ab hominum authoritate & consensu profectis, ipsa suâ specie & luce insignis & illustris sola conspiciatur, quæ fidei & veræ Dei cognitionis in terris extrema linea, vel potius apex est.

Spiritus testimonium non est Enthusiasmus.

Neque verò, quod illi subinde objiciunt terriculamenti vice, verendum est, ne si concedamus priuatis hominibus, instructis nimirum Spiritu Sancto facultatem iudicandi de doctrinâ, & verò certò iudicandi, locus sit *Enthusiasmis* quos vocant, quales sunt scilicet vel à Dei Spiritu, vel aliunde, raptus, & impetus, & exstasis animi, quorum alterius generis exempla sunt in Patriarchis & Prophetis, alterius in iis quotidie occurrunt, qui quàm falsò, tam confidenter arrogant sibi Spiritus Sancti authoritatem, cuius generis sunt Anabaptistæ, Schismatici, & reliqui id genus, qui verbo Dei destituti audacter Spiritum venditant. Etenim *Enthusiasmus* verus, non adulterinus, is demum est qui est à Deo immediatè, quum Deus videlicet sese hominum mentibus reuelat haud quâquam ratione ordinariâ, neque ita vt illud fiat, *fides est ex auditu, auditus autem ex Dei Verbo,* sed potius vt nullius interuentu qui præierit didicerint, quomodo Prophetæ & Apostoli didicerunt, & ante eos Patriarchæ & Moses. Deinde etiam & illud requiritur in Enthusiasmo, vt scilicet animi motus vehementissimus sit, quique ipsum afficiat corpus, qualis haud dubiè fuit status & conditio Apostolorum, quum primum in eos celeberrimo die Pentecostes irruit Spiritus. Nam neque fideles à Deo aliter docentur quàm hominum operâ, seu Patriarchæ, seu Prophetæ, seu Apostoli sint, seu inferioris ordinis ministri Euangelij, seu scripto, seu viuâ voce doceant. Itaque in illâ insigni parabolâ (Lucæ cap. 16.) author Abraham est, vt Epulonis illius fratres Mosen & Prophetas audiant, addamus iam nos Apostolos & qui quæ vocantur *Euangelia* scripserunt, nempe quemadmodum Mosen & Prophetas Abraham audiri voluit: nam nobis Moses & Prophetæ sunt Christus & Apostoli.

ostenditur 1.

2.

Deinde verò, etsi fideles mirificè afficiuntur Spiritu, attamen non vsque adeò vehementer afficiuntur vt corpus conturbetur (quod solet contingere Enthusiastis) neque verò vt rapiantur extra se, sed lenis & suauis est in illis motus Spiritus, & cui prorsus similis sit motus à recta ratione profectus, nisi quod multò vehementior est, eo quod vel malum quod fugiendum est, vel bonum quod expetẽdum est, non modò veriùs, sed etiam clariùs & euidentiùs demonstrat. Nam ratio certè vel id omnino non facit, vel si conatur id efficere non assequitur quod conata est, vt sit hîc eadem vis rationis quæ naturæ infractæ & debilitatæ, quæ dum nititur aliquid efficere deficit, vnde monstra oriuntur, quibus nil non modò turpius,

turpius, sed magis abominandum est: & certè vt monstra ad nullam propriè speciem pertinent cùm tamen iis aliquid insit quod speciem referat, sic Religio omnis, quę rationem habet pro principe & authore, aliquid præ se fert veræ religioni simile, sed, vt monstra, deforme.

Verbum Dei agnitum fuit ante Synodos Oecumenicas.

Nempe ita se res habet, vt si quæratur ab Ecclesiâ quam vocant, quo pacto Ecclesia, hoc est, præpositi Ecclesiæ, internoscant Dei Verbum, respondebunt illi scilicet id Ecclesiam facere beneficio Enthusiasmi? Nam certè concedunt Ecclesiam internoscere Dei Verbum, cæterùm abhorrent ab Enthusiasmis. Ecclesia verò vel ea est quam omnes (nimirum in præpositis Ecclesiæ) faciunt Ecclesiæ, vel quam singuli faciunt in singulis: Profectò sic loquuntur quibuscum nobis res est, vt Ecclesiam quam intelligunt *repræsentatiuam* vocent. At prius illud locum habere non potest, neq; verò & posterius. Non enim semper licet (vt à priori ordiamur) toti Ecclesiæ conuenire in vnum, eo videlicet fine vt vnâ scilicet cõiunctim de re totâ ferat sententiam, cuius quidem periculum fecit, at rem tamen non est experta Ecclesia, 300. annos totos, qui nempe ab eo tempore quo primùm Synodus Hierosolymitana (cuius mentio fit Act.15.) habita est, ad vsque tempora Nicænæ Synodi, quę anno demum Domini 325. celebrata est, interfluxere. Sed enim Synodis quæ (loquamur sanè eorum more) Ecclesias particulares repræsentant nulla fides, quę quidem ab *authoritate* proficiscatur, tribuenda est, quid enim illis iuris? Certè (nam ita res se habet) nefas est membro in corpus arrogare sibi ius, nisi fortè caput sit, aut verò (seruetur enim analogia) quod cum capite rationem habeat, tantúmq; sibi assumere, vt quod pars est eodem sit iure quo totum, aut totius caput. Ergo huc res rediit, vt nobis quærere liceat, num Ecclesia ante tempora Concilij Nicęni Enthusiastica fuerit, liquet enim ab Apostolorum temporibus ad ea vsque tempora nullam fuisse celebratam Synodum cuius authoritas dici posit Ecclesiæ authoritas. Itaq; non magis nos hâc ætate laboramus, quum hâc vrgemur quæstione, quàm Ecclesia ante Nicænam Synodum. Atqui illa sanè habuit suum κανόνα Verbi Dei, hoc est, (vt latine dicamus) *Normam* Verbi Dei, citra Ecclesiæ authoritatem, nempe ipsam verbo Deo innitam lucem.

Nec quidem ne Enthusiasmo.

Nec qui constituunt Synodos.

Sed id quod non est faciamus tamen, facile esse & obuium, & verò tralatitium, celebrare Synodos Oecumenicas, quorum scilicet authoritas sit eadem Ecclesiæ authoritas, quî potuerint ij qui Synodo interfuerint agnoscere verbum Dei? nam certè electionem & sententiam præcedit deliberatio, quæ non peragitur Synodi authoritate, non enim præiuit authoritas sentẽtiam, sed vel sequuta est, vel certè comitata, vt absurdum sit affirmare Synodum Synodi authoritate commotam vt sic statueret. Neque verò efficitur continuò vt Synodus enthusiastica fuerit, cùm tamen agnita prius fuerit in Synodo veritas quàm definita. Ergo non omnis cognitio veritatis est ab Enthusiasmo. Illud sanè obseruandum est, quod in Synodis Oecumenicis, non modò in *particularibus*, quas vocant res agitatur primùm, tum deinde concluditur: Itaque ratiocinatio ea est quæ in Synodis præcipuas agit partes. Atqui Enthusiasmus à ratiocinatione vel maximè abhorret. Vnde sequitur, ne in Synodis quidem Enthusiasmis vllum esse debere locum, in iis verò quibus præsunt Synodi multò minus, qualia sunt singula Ecclesiæ membra. Quid igitur est? Nempe, vt in Synodis dispicitur quid sit verum, idque primùm, tum deinde munere Spiritus sancti perspicitur sine Enthusiasmo, sic pariter ij qui subsunt Synodis (vt verbo Apostoli vtatur) δοκιμάζειν *probant* τὰ διαφέροντα (Philipp.1.10.) nullius Enthusiasmi interuentu, sed tamen authore Spiritu Christi, cuius compotes facti sunt verbo Dei iam ante reuelato. Itaque præceptum est ab Apostolo, vt probemus spiritus sint-ne à Deo, 1. Johan.4. Sed enim *impetus* qualis est ab Enthusiasmo, & *probatio* non conueniunt. Ergo *probantur Enthusiasmi, non probant.* Quæ ratio Apostolum commouit (2.Cor.3. & 4.) vt prouocarit ad doctrinam, & quæ vel tantam excellentiam doctrinæ comitata sunt, vel secuta argumenta, dum se studet vindicare à calumniâ, adeò noluit auditores esse Enthusiastas, quos idem tamen voluit probare spiritus. *Omnia,* inquit, *probate, quod bonum est retinete,* 1. Thessal.5.

nec qui Synodis subsunt, Enthusiastæ sunt.

Inst. de priuatorum iudicij leuitate.

Quod verò parùm tutum arbitrantur vt singulis in Ecclesiâ tribuatur facultas iudicandi de Dei verbo, eo primum quod iudicium humanum varium sit & inconstans, tum verò etiam quod maximo præditi homines iudicio, etiam in rebus diuinis, magnopere hallucinẽtur, ne id quidem, si accuratè expendatur, magnam habet vim ad id efficiendum, quod illi tamen vel maximè volunt, vt scilicet ab authoritate Ecclesiæ pendeamus. Nam certè quod tantopere exagitant mentis humanæ in iudicando leuitatem, id verò eo faciunt consilio, vt liqueat eam regi & veluti manu duci oportet vt perueniat ad veritatem, id quod nos vltrò concedimus, nempe in rebus terrenis caligamus, in diuinis verò cæci sumus naturâ, *Homo animalis,* inquit Apostolus, *non percipit ea quæ sunt Dei.* Ergo regi nos oportet, at à quo tandem rectore? Certè à Spiritu sancto, quod nec illi negant. Etenim hinc volunt proficisci quod Ecclesia (quamvis constet ex hominibus) non errat tamen, neque verò posit errare, cùm non suopte ingenio, sed Spiritu sancto agatur. Jam verò *si quis Spiritum Christi non habet is verò Christi non est*, proindéque nec Christianus; Et rursus *quotquot Spiritu Dei aguntur filij Dei sunt,* Rom.8.14. Quod si non iam disputant, *sit-ne Rectore opus,* sed *qua regula opus sit*, atque ex eo quod iudicium humanum fallax sit contendunt nullam superesse regulam, ad quam posit exigi & componi præter Ecclesiæ authoritatem, in eo vehementer errant, nam in Ecclesiâ vox illa Prophetæ celeberrima semper fuit, *Lucerna pedibus meis Verbum tuum Domine*, Psalm.119.

Si verò quæstionem quæstioni nectentes quęrunt iam, quæ sit regula illius regulæ internoscendæ, ridiculi eo iam sunt, non impij modò, quod regulę regulam quærũt, ea enim si daretur, de eâdem ipsâ vicissim regulâ quæri posset, quâ regulâ potuerit internosci, atque ita nullus quęrendi foret finis. Sed præstat rem exemplis illustrare: Enimuerò, quî possit, aut quâ regulâ cerni veritas illa quam percipit ratio (nam de facultate nulla inter nos & Pontificios controuersia est,

certè, quum agitur de religione & de Dei cultu agnoſcunt Spiritus Sancti lucem eſſe neceſſariam, omnis controuerſia eſt de regulâ (Eſt-ne vlla percipiendæ veritatis regula præter ipſam veritatem? in rebus, inquam, humanis, aut verò quum ea veritas humanitùs percipitur, vlla alia facultas quàm innata rationis lux? Atqui planiſſimè ita ſe res habet, vnica mentis noſtræ regula Dei Verbum eſt, vnica facultas eo vtendi à Spiritu Sancto, quorum vtrumque Apoſtolus ſignificauit Epheſ.1.17.& 2.Cor.4.2.3.4,

Retorquetur.

Jam verò ſi pertendant, & ſint peruicaces, quæremus & nos viciſsim, quâ tandem regulâ iudicari poſsit eam eſſe Eccleſiæ authoritatem quam illi Eccleſiæ adſcribunt. Etenim, cùm ſit (vt illi aiunt) inconſtans & fallax iudicium humanum, vnde conſtabit hìc demum non falli? Noe enim puto iam ad Dei Verbum confugient, ſic enim fiet quod illi omnium minimè velint, vt id ſolum pro regulâ, in quâ acquieſcendum ſit, habeatur, quod regula regulæ eſt, quæ vera demum & ſola regula exiſtimari debet. Sed & eadem contra ſenſus ipſos diſputari poſſent, quorum tamen iudicij authoritatem nemo vnquam ſatis ſanus, niſi animi gratiâ, eleuauit. Et certè quid poſsit haberi pro comperto & explorato, vel in Religionis negotio, vel in rebus quæ pertinent ad hanc vitam, ſi ſingulis hominibus eripitur iudicandi omni vis & facultas?

An nihil certò ſciri poſſit,

Atque hinc oritur nobiliſsima quæſtio, Poſsitne æſtimari (vt loquuntur in Scholis) ex parte ſubiecti ipſius obiecti certitudo, hoc eſt, (vt rem explicatiùs enunciemus) ſit-ne par aſſensûs firmitas in mendacio, ac in perſpectâ & agnita veritate? Quamquam verò nobis in hâc causâ nihil opus eſt eò deuenire, non enim nos ij ſumus qui contendimus æſtimandam eſſe veritatem ex illius aſſenſu qui eam percipit, quippe qui (vt ſunt ingenia humana) ſemper imbecillior eſt obiecto; tantùm iam in eo ſumus vt *quo argumento* ſeſe nobis probet veritas, non *qua facultate* percipiatur, inueniamus. Dici tamen illud poteſt fortaſſe neque falsò, neque abſurdè (nam in re tam difficili & obcurâ nihil auſimus affirmare) idipſum hìc euenire quod in ipſorum iudicio ſenſuum, nempe ſomniantes & delirantes multa ſibi videntur cernere, & ſpectris atque inanibus illis viſis aſſentiuntur, nemo tamen neget magnum eſſe diſcrimen inter vel ſomniantium, vel inſanorum hominum φαντασίας *imaginationes*, & eorum cogitationes & ſenſus qui mentis compotes, vigilantes & videntes oculis vſurpant ea quæ ſibi videre videntur, idque non modò ſi ad obiectarum ſpecierum veritatem reſpiciamus, verùm etiam dum habetur ratio perceptionis, quique perceptionem ſequitur aſſensûs. Itaque Academici peruerſam quandam diſputandi rationem inierunt, quum ex ſpecie quâdam paritatis in aſſenſu qui præbetur veris & falſis viſis, omnia ſtatuerunt eſſe incerta, atque vbique cohibendum eſſe aſſenſum (id quod illi dicere ſolebant ἐπέχειν τὴν συγκατάθεσιν, contenderunt.

aduerſus Academicos.

Sed ne vel moroſis, vel arrogantibus ingeniis videamur defugiſſe potius quæſtionem quàm ei rectâ iuiſſe obuiam, conemur omnem præcidere dubitandi anſam hâc in parte. Quo in loco dum verſamur, ante omnia illud conſtituendum eſt, veritatem non vno modo percipi, vel enim obſcurè & veluti ſub malignâ luce cernitur, vel comprehenditur quidem, vt videri poteſt, exactiſsimè & arctiſsimè, attamen omnis illa comprehenſio non ipsâ nititur veritate, ſed (nil enim vetat quominus id eueniat) ſæpenumerò mendacio; vnde natæ ſunt opiniones de Religione Chriſtianâ ortæ à piis, quas vocant, fraudibus. Et certè ſic veritas obtinuit authoritatem, ſed labili & fluxo nixam fundaméto, mendacio nimirum. Atque hoc pacto tenetur veritas, at non tenetur verè, ſed ad mendacij inſtar, itaque nec ipſa tenetur, non enim ea exiſtimanda eſt veritatis comprehenſio, quæ non ipsâ & ſolâ nitatur veritate; nimirum is non vidit Solem qui luce Solis Solem non aſpexit. Jam verò nos hìc non diſputamus de eo aſſenſu qui vel timidè, vel cunctanter, vel etiam de eo aſſenſu qu confidenter quidem, ſed tamen temerè perhibetur veritati, qualis eorum hominum aſſenſus eſt qui perinde colunt Religionem Chriſtianam (nam ſit hoc exemplo) quomodo Turcæ Turciam, aut Indi Indicam, commoti ſcilicet authoritate Maiorum & amore ſui, ſumus enim naturâ amoris patriæ tenaciſsimi. Itaque vt patriam naturæ quodam inſtinctu diligimus, pari prorſus ratione patriam religionem affectu quodam, qui naturæ eſt, proſequitur. At verò quum ipſa veritas poſitis veluti phaleris, & omni mangonio & fuco extrinſecus adſcito, ſeſe præbet intuendam veluti nudam, certè tam pluchra ſpecies, tamque viſenda, ita animum afficit, vt quemadmodum inter caſtę coniugis amorem & ſcorti, etiam & parte ſubiecti (nam vtamur hìc verbis Scholaſticis) non modo ex parte obiecti, plurimum intereſt, omnino in hoc negotio par ratio eſt: Enimverò (nam illud repetamus) vxoris caſtę amor non eo differt à ſcorti amore, tantummodò quod vxor virum, ſcortum diligit adulterum (quomodo differentiæ ratio penderet à ſolâ obiectorum differentiâ) ſed etiam in hoc, quod in ipſo amore tantum ſit diſcrimen quantum inter honeſtum & turpe.

aſſenſus qui veritati præbetur dignoſcitur.

In hoc verò argumento, in quo iam verſamur, duobus modis deprehendi poſsit diſcrimen aſſenſus noſtri quem præbemus veritati *verè* agnitæ, & mendacio, etiam tum quum videtur par vehementia in aſſenſu. Nam primùm in aſſenſu quem veritati præbemus id experiundo deprehendimus, ſepoſitis affectibus & perturbationibus animi, quæ oriuntur plerumque à causâ quæ extra veritatem eſt, multò clariſsimè cerni veritatem; at contra *in hoc genere*, qui mendacium amplectuntur abripiuntur æſtu quodam animi. Itaque D.N.I.C. Joan.7.17 *Si quis*, inquit, *volet voluntatem eius facere*, nempe Patris, *is iudicabit de doctrinâ*. Ergo quum reuocatur aſſenſus ad examen, inde deprehenditur quàm non ſit fallax, ſi comitem habeat ſolius ſtudium veritatis. Id vltrò fatemur locum non habere æquè in reliquis atque in iis quæ ſpectant ad pietatem, ſed tamen etiam in reliquis habet locum, non enim temerè viri pij & modeſti conſtituunt ſe perſpectam habere veritatem, ſed Pauli potiùs imitantur exemplum, qui 1.Cor.7. accuratè inter ea diſtinguit quæ Domini ſunt, hoc eſt, quæ habuit pro certis & exploratis, & inter ea quæ ipſe iudicabat conſultum vt fierent, *Reliquis*, inquit, *ego dico non Dominus*, ỳ.11. Et ſub finem capitis, *Beatior eſt ſi ſic manſerit*,

manserit, iuxta meam sententiam, videor autem & ego Spiritum Domini habere, modestè. Itaque eorum Spiritus suspectus nobis esse debet qui omnia se putant comprehendisse pariter. Certè idipsum faciunt quos sapiētes reddidit Dei Spiritus, hâc in parte, quod ij faciunt qui verè sapiunt solius beneficio rationis, Multa affirmant, alia affirmant, sed timidiùs, de multis dubitant: itaque in nonnullis tam sunt parati ad discendum, quàm in alijs ad docendum sunt parati, vnde fit vt nihil æquè appetant ac mutua colloquia. Nempe parati sunt reddere (quod officium à nobis exigit Apostolus Petrus) rationem fidei & spei suæ. Etsi enim agnoscunt ingenio se posse vinci, vt plerumque, vt conscientia tamen agnitæ veritatis vincatur, de eo verò non dubitant. Ergo, quo diutius defigunt animi oculos in ipsâ veritate, & attentiùs, tanto clariùs eam cernunt.

2. ab effectu. Alterum porrò discrimen in hoc situm est, quod percepta veritas vitę mores componit, quę ratio Apostolum adduxit (cap. 1. Epistolæ ad Titum) vt religionem Christianam indigitaret *agnitionem veritatis quæ est iuxta pietatem.* Et 1. Tim. 3. *Sine controuersia*, inquit, *magnum est mysterium pietatis*, Certè mendacium quia cum veritate pugnat, pugnat itidem cum vitæ & morum eâ regulâ quam probat ipsa lux naturæ; quæ res in causâ fuit cur veteres Christiani, dum disputant aduersus Philosophos, huc prouocarint. Nam cùm Dei verbi (hoc est veritatis) duæ sint partes quarum δογματικὴ ad dogmata pertinet, altera ἠθικὴ pertinet ad mores, de Ethicâ nulla controuersia est, nusquam enim exstant sanctiora, & ad vitæ vsum accommodatiora præcepta, quàm in sacris litteris; de dogmate omnis quæstio est. Sed enim si volumus integrè & imperturbatè iudicare, tanta dogmati cum morum regulâ cognatio est, vt ab hominibus impetrari nequeat vitam vt velint componere ad morum regulam, nî dogma prius amplectantur, vt pote quod vnicum sit humani animi incentiuum, admittatur modò. Itaque hæc fuit Christianę veritatis laus, eadémque probatio, quod sola potuit humanos affectus in ordinem cogere, id verò est de quo Apostolus multoties gloriatur.

Inst. Verùm enimverò vsuuenit vt maximi viri hallucinentur, etiam in rebus magnis (nam vt supra monuimus, & illud dictitant) quis igitur sibi tantum ausit arrogare vt quicquam certò possit comprehendere? Ref. At verò, inquam, qui in magnis rebus hallucinantur non sunt viri magni, pręsertim si in eo in quo hallucinantur pręsidentes sint, & si res est eiusmodi quę pertineat ad pietatem, cuius Deus hanc voluit esse rationem, vt ab humani ingenij acumine non penderet eius comprehensio, sed à Spiritu quem largitur suis, qui *Vnctio est quæ nos docet omnia, vt est* 1. Joan. 3. 17. Nec quisquam est qui sic ferret disputantem aduersus humanam rationem, vt ideò contendat nullius eam esse authoritatis in rebus humanis, nec quicquam eius munere posse certò comprehendi, quod viri sapientes in multis humanitus errent.

Vt verò hoc pacto non æquetur priuatorum hominum authoritas vel Prophetarum, vel Apostolorum, vel Pastorum etiam & Doctorum in Ecclesiâ authoritati, id verò supra à nobis copiosè explicatum est.

Sed illud fortasse possit imperitos commouere, quod aiunt, quærenti qui Verbum Dei internosci possit, solemne nobis esse respondere ita vt confugiamus ad Spiritus testimonium, & vicissim, quærenti quî Spiritus motum agnoscamus, vice versa ita respōdeamus vt recurramus ad Verbum. Verùm hic certè nobiscum agunt parum candidè, vt nequid dicamus grauius; non enim vtimur Spiritus testimonio vt argumento, sed id tamen proferimus dum profitemur cæcitatem nostram, & cui debeamus acceptum quod agnouimus veritatem: quemadmodum si quæras a sapienti viro rationem consilij, sententiæ, assensus sui, non proferet is quidem, tanquam argumentum, motus animi sui, sed insita veritati agnitæ argumenta. At si ab eodem quæras quî ea deprehēderit, aut verò potuerit deprehendere, respondebit id omne profectum à mentis luce, cuius, si impius omnino non est, profitebitur authorem Deum. Et certè in hoc negotio ita planè se res habet. *Et fuit*, inquit Apostolus, *sermo meus, & prædicatio mea, non in verbis humanæ sapientiæ ad persuadendum accomodatis, sed in Spiritus demonstratione & potentiâ.* Apertè Apostolus alludit ad eam disputandi rationem quam sęcularis sapientiæ Magistri *Apodicticam* vocant, quamque distinguunt à Rhetoricâ & Dialecticâ ratiocinatione. Et sub finem capitis, *Non* inquit, *accepimus Spiritum huius mundi, sed spiritum Dei, vt sciamus ea quæ Deus nobis largitus est.* Atque hæc est facultas & vis illa quâ veritas percipitur. At verò si quærant iam, quî agnoscamus Verbum Dei esse veritatem, quibus tandem argumentis, iam verò non confugimus ad spiritum, sed ad impressas ab ipso Deo, authore veritatis, veritati notas. Quâ in re Apostolum Paulum habemus authorem, qui, licet Apostolus esset, proindéque secundum Christum summæ in Ecclesiâ authoritatis, sic tamen ministerium suum comprobauit, *Commendantes*, inquit, *nos ipsos omni conscientiæ hominum coram Deo, manifestatione veritatis.* At, inquiunt, veritas obscura est. At verò, subijcit Paulus, *Si verò etiam occultum est Euangelium nostrum, occultum est in quæ pereunt, in quibus Deus huius sæculi occæcauit mentem, incredulis* nempe, *ne eos illustret illuminatio Euangelij gloriæ Christi.*

Circulus Reformatis falsò à Pontif. hic objicitur.

Nullus igitur hîc, vt illi calumniantur, circulus est, siquidem Spiritum agnoscimus authorem lucis quâ agnouimus veritatem, veritatem autem ipsâ veritate commendamus. Sic facultas videndi est facultas quâ lux, & lucis beneficio colores & figuræ cernuntur, at ipsa lucis, & colorum, & figurę species non aliunde commendantur quàm à se ipsâ. Quod si cum impiis hominibus nobis res est, non est quod eorum cōtemptu terreamur, nempe, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei*, inquit Apostolus. Illud tamen certum est, si expetenda est homini felicitas summa, si vlla eius consequendæ spes, si vitæ societas colenda est, si puritas, castitas, & ea quæ hominem à belluis distinguunt, ea demum veritas est quę ad res tantas viam nobis munit. Atque hîc cogor subsistere reuocatus in Galliam, reliqua exsequuturus vbi quando dederit Dominus.

Hæc quæ sequuntur Camero Montalbani, anno Domini M. DC. X X I V. & initio anni M. DC. X X V. illuc Salmurio accitus, dictauit publicè.

Cap. XII.

Proponitur quarta ratio Pontificiorum, & refellitur.

4. ratio Pontif.

SEquitur iam quarta ratio quam adducunt Pontificij in eandem sententiam. Ea verò (vt quæ illi multa dicunt paucis complectamur) sic habet, Non aliunde, inquiunt, deprehenditur quænam tandem doctrinam pro Dei Verbo sit habenda, quàm vnde internoscuntur libri qui vocantur Canonici sacræ Scripturæ ab iis qui Apocryphi in Ecclesiâ vocantur, Atqui hoc posterius non tenemus vllo alio argumento quàm solâ Ecclesiæ authoritate, cuius nempe munus & officium est Scripturæ Canonem conficere, hoc est, catalogum eorum librorum qui authores siue scriptores habuerunt olim Prophetas, Euangelistas, Apostolos, omnes θεοπνεύστους *diuinitus afflatos*, vnde necessariò efficitur, vt de Verbo Dei pari ratione non possit nobis certò ac liquidò constare nisi à testante atque approbante Ecclesiâ. Cuius consequentiæ necessitas inde apparet, quod quorum iudicio innotuit *qui libri conscripti sunt à viris Dei spiritu instructis immediatè*, eorundem iudicio innotuerit necesse sit *quod sit Dei Verbum:* Nam eôdem ista recidunt, *definire cujus libri author fuerit* θεόπνευστος, &, *qui liber contineat Dei Verbum*, nimirum hæc duo tantâ necessitudine inter se coniuncta sunt, vt à se inuicem nequeant seiungi, vt qui liber spiritum Dei habet authorem, eodem libro tradatur doctrina diuinitus profecta, idque interuentu, non iam dicimus, humanæ rationis, sed Spiritus sancti, quatenus is quidem sic agit vt nullo secundarum, quas vocant, causarum interuentu peragat opus suum, sed vi quâdam omnem naturæ modum excedente. Nam & in inueniendis & tradendis bonarum artium disciplinis dubium nihil est quin & Spiritus sanctus facultatem exerat suam, verumtamen, quia id non facit Spiritus vllâ vi quæ naturæ vires exsuperet, non habentur authores, nec qui authorum sententiam sequuntur earum disciplinarum doctores, pro iis quos Spiritu suo afflauit Deus, ne tum quidem quum ea tradunt quæ verissima sunt, & rationi per omnia consentanea.

à Canone Scripturæ ducta.

Ref. I. de Canone dubitare potest is.

Sed hæc ratio, speciosa quidem illa, non vno tamen modo fallax eadem est, & quidem in hoc primùm, quod statuit nō aliunde dignosci quod sit Dei Verbum quàm vnde dignoscitur quis liber sacræ Scripturæ sit Canonicus, quis minus. Nam vsuuenit sæpenumerò vt qui dubitat qui libri referendi sint in Scripturæ Canonem, non idem dubitet, continuò quodnam tandem sit Dei Verbum cui rei fidem facit quod primis, aut certè iis Ecclesiæ temporib. quæ primis Ecclesiæ temporibus proxima fuere, de nonnullis S. Scripturę libris, Canonici ne fuerint quęsitū est, neq; verò quęsitum tantum sed negatum prorsus, non modò à viris magnâ, ob vitę sanctitatē & doctrinæ copiam & præstantiam, authoritate prędit is, verumetiam (quod multò grauissimū est) à totis Ecclesiis. (Nam à totâ Ecclesiâ de nullo vnquam libro verè Canonico dubitatum est, *totam* autem *Ecclesiam* dicimus omnes coniunctim Ecclesias.) Atqui iam durum id, & verò nefas, foret vel viros sanctos & graues, quanto magis totas Ecclesias (veras, inquam, Ecclesias, quæq; hâc de causâ neque damnatæ sunt, neque verò vt damnarentur commeritæ) statuere non agnouisse Dei Verbum, sine cuius agnitione nullus cœtus *Ecclesiæ* nomen sibi potest iure vindicare. Quin etiam idipsum euincit, quòd (authoribus Pontificiis quidem certè) non statim consignatus est sacrę Scripturæ Canon, quod illi factum contendunt, interiecto certo quodam temporis interuallo, Conciliis Oecumenicis ad hanc rem interponentibus authoritatem suam: Atqui ante illud tempus quo consignatus Canon est, tenuit certè Ecclesia quod esset Dei Verbum, nempe sponsa Christi vocem sponsi semper agnouit. Ergo aliunde haberi potest quod sit Dei Verbum, quàm vnde habetur quis sit Canon librorum Scripturæ legitimus.

qui de doctrina tamen non dubitat.

Simili illustratur.

Sed hæc obscuriùs à nobis disputata fortasse egent exemplorum appositione, vt res tota euadat liquida & manifesta. Quemadmodum igitur aliud est quærere, *ex quo fonte aqua limpida & salubris primùm dimanarit*, aliud verò, *hausta-ne sit ex ipso fonte*, nempe vnde purius aquæ bibuntur, *an verò ex riuulo* qui tamē ipse illimis è fonte promanauit, sic planè hîc se res habet; diuersæ sunt & distinctæ quæstiones, *Qui liber sit* θεόπνευστος, &, *quæ doctrina Verbum Dei meritò dici possit.* Neque enim Verbi Dei ingenium, vt ita loquar, mutatur, non certè magis quàm aquę seu ex ipso fonte hauriatur, siue per tubulos & canales ad nos demum deriuata: Vt qui homines Scripturarum rudes vel ob linguarum imperitiam, vel ob id etiam quod nesciant litteras, docēt, vel eos etiam qui audito Scripturæ nomine docentem auersantur, non proferunt statim testimonia Scripturæ, si sapiunt, sed ipsam doctrinæ veritatem, quā postquam conscientię hominum probarunt, tum demū vnde ea doctrina hausta sit monent: nempe, res eiusmodi est vt si quis febricitanti aquam præbeat cuius potu recreatus sit æger, eadem operâ iniecerit ægri animo cupiditatem quandam & studium cognoscendi ex quo tandem fonte ea aqua sit petita: Haud dissimili ratione, agnitâ doctrinæ veritate incessit statim animum cupido cognoscendi quorum operâ, quibus libris habeatur ea doctrina, quæ ipsa admirabilis in se tam mirificè mentem, voluntatem, omnésque adeò animi affectus commouet: Ergo prius scitur *quod sit Dei Verbum*, quàm certò statuamus *à quibus scriptoribus quibus libris id proditum fuerit primò.* Quamuis verò sæpè contingat vt simul vtrumque accidat, quod iis contingit qui non audito Dei Verbo, neque ex scriptis eorum qui sacræ Scripturæ Interpretes sunt, sed ex ipsius statim Scripturæ lectione eum doctrinæ cœlestis gustum perceperunt, vt & doctrinam & scriptionem pariter agnouerint profectam esse à Deo immediatè, attamē horum alterum altero naturâ prius est. Vt in operum diuinorum consideratione, naturâ prius est vt operis magnificentiam agnoscamus quàm vt id statuamus habere (immediatè inquam) pro authore Deum, quamquàm nil vetat simul vtrumque euenire. Verumtamen, vt sine vllâ circuitione huic rationi rectâ occurramus, non sunt eiusdem necessitatis ista, vt teneamus *quanam doctrina Deum habeat authorem immediatè*, &, *quale, quomodo comparatum, quā instructum ratione organum fuerit, cuius operâ doctrina cœlestis ad nos*

Experientia comprobatur.

ad nos transmissa est, fuerit ne Apostolus puta, an discipulus Apostoli, ad summam rei nihil interest, dummodo exploratum & compertum habeamus doctrinam esse à Deo immediatè.

Obj. At, inquiet fortasse aliquis, non videntur ista cohærere, si enim doctrina immediatè à Deo est, certè organum fuit immediatè à Deo afflatum.

Res. Verùm enimuerò hoc posterius non sequitur continuò illud prius, nam cùm certum sit cœlestem veritatem non disputando, ratiocinando, sed diuinâ reuelatione hominibus innotuisse, iuxta illud, *Beatus es Simon, fili Iona, Caro enim & sanguis ista tibi non reuelarunt, sed Pater meus qui est in cœlo*, teneamus modò doctrinam esse diuinam, tenuerimus eodem pacto esse à Deo, & quidem immediatè; At verò consequens non est, eos omnes qui hanc doctrinam tradunt seu scripto, seu viuâ voce, eam accepisse immediatè à Deo; Nempe aliud est, *proponere doctrinam quæ primitus tradita fuerit reuelatione quâdam extraordinariâ* (hoc enim faciunt quotidie veri Ecclesiæ Pastores) aliud verò *accepisse hanc doctrinam immediatè à Deo*: verbi gratiâ, Aurum immediatè est ex aurifodinâ, traditur tamen per manus idem aurum olim effossum, non verò semper à primis fossoribus, mortales quippe fuere. Esto igitur Verbum Dei aurum, primi fossores Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, aurifodina Dei sapientia, aio diuersas esse quæstiones, *An omne aurum ex aurifodinâ immediatè sit effossum*, &, *Primi-ne fossores fuerint, qui tradiderunt aurum, an verò qui à primis fossoribus aurum sibi quâdam sæculorum successione per manus traditum, aliis & ipsi tradiderint*. Ad diuitias & opes, modò aurum possideas, idque certò scias, minimum id refert scire, sed refert scire aurum esse, & quidem non fictitium, sed ex purissimâ venâ primitus effossum. *(margin: Simile.)*

Jam apponatur exemplum ad rem ipsam: Nil facit, aut certè pænè nihil, ad salutis certitudinem, scire qui liber scriptus sit à Prophetâ vel ab Apostolo (quod idiotæ sanctissimi homines & fideles, nempe qui litteras nesciunt, non vsque adeò exploratum possunt habere) modò agnouerimus Verbum Dei esse: Satis enim inde constabit primitùs idem fuisse à Deo reuelatū, quandoquidem omnes agnoscunt (id quod etiam supra à nobis disputatum est) hoc esse Philosophiæ, seu humanæ sapientiæ, & Verbi Dei discrimen, quod vi rationis parta est omnis doctrina & sapientia sæcularis, vnum Dei verbum à Deo, extra omnem naturæ ordinem, cœlitùs humanis animis insinuatum est. Sic, vt filius patri obediat non est magnopere opus vt laboret, & sit sollicitus, cuius operâ voluntatem patris agnouerit, modò ei certò constet quæ sit Patris voluntas. In quo obseruare est insigne imprimis discrimen, nam humani patris voluntas non habet insitas sibi notas, insitam lucem quâ se dignoscendam præbeat, & commendet filio; itaque sæpenumerò probum filium oportet acquiescere authoritate legati, vel ministri patris: Dei verbi diuersa ratio est, nam sepositâ Ministri authoritate vt habet, sic etiam obtinet, pondus suum & authoritatem, nempe apud eos *qui ex Deo sunt*, vt loquitur Scriptura: *Qui ex Deo est nos audit*, inquit Iohan. 1. Cath. 4. 6. nam reliqua turba ad tantam lucem cæcutit, non caligat modò, *Qui non est ex Deo nos non audit*, inquit idem Apostolus. *(margin: applicatur. — aliud simile. — sed dissimile.)*

Cuius rei illustre documentum exstat in parabolâ de diuite Epulone & inopi atque vlceroso Lazaro, inducitur nempe persona diuitis Epulonis petentis ab Abrahamo obnixè vt liceat Lazaro redire in vitam, & fratribus nunciare quæ tandem eos maneat pœna qui vitam agunt flagitiosè & scelerate, Abraham verò sic inducitur respondens, vt neget fore vt qui Mosis & Prophetarum vocem contemnant, vel illius monitu qui reuixerit excitatus à mortuis, possint ad sanam mentem reduci. Vnde facile est colligere, non docentis authoritate sed insitâ vi veritatis, (seu qui eam docuerit ipse immediatè doctus fuerit à Deo, siue non fuerit) permoueri hominum animos, & perduci ad agnitionem veritatis, eos verò qui verbo Dei vel non mouentur, vel non permouentur, sic affici non ob personæ contemptum, sed ipsius odio veritatis. Nam & ipse Dominus Iesus, proculdubiò omni exceptione maior, quamuis & vitæ sanctitate (in quâ nihil vel ab improbissimis obtrectatoribus desiderari potuit) vel tot editis miraculis (& quidem interpositâ authoritate suâ, quod Prophetæ & Apostoli ipsi, tot patratis miraculis celebres, non fecerunt) authoritatem sibi summam conciliauit, attamen non potuit tanta authoritas auditorum animos permouere, quin illi obiectum sit quod fabri filius esset, vnde nata est occasio illius dicti, *Nemo venit ad me nisi Pater trahat eum*, cuius huc redit sententia, frustra laborari vel in adhibendâ personæ authoritate, vel in edendis miraculis (quæ tamen non sæculis omnibus, sed certis quibusdam temporibus eduntur) vt cœlestis doctrinæ authoritas animum permoueat humanum, sed præterea necesse est vt accedat occulta illa vis Dei quam exerit indito cordi Spiritu sancto, cuius ea lux est vt Verbum Dei auditum statim commendet & probet. *Si cui* (inquit Apostolus) *Euangelium nostrum tectum est, tectum est iis qui pereunt, quorum scilicet Deus huius sæculi oculos occæcauit*. Ergo non ex authoritate docentis, sed ex ipsa vi veritatis commendatur conscientiæ Dei Verbum. *(margin: Verbum Dei ex se, non autem à Ministri persona, authoritatem apud nos habet.)*

Vnde illud sequitur, vt non sit eadem ratio agnitionis verbi Dei, & personæ cuius ministerio traditum est. Nam de personâ, fuerit-ne extra ordinem diuinitus afflata, sine vllo salutis dispēdio (absit modò petulantia & peruicacia) dubitari potest; de doctrinâ, de verbo Dei, non itidem. Et ratio est in promptu: Nam vt Dei verbum Deum habeat pro authore, id verò iam (vt loquuntur in Scholis) Dei verbo essentiale est, at vt peruenerit ad nos proximè à Prophetâ, ab Euangelistâ, ab Apostolo, hoc verò iam certè non est essentiale, sed accidentarium. Itaque, quum quæritur, *quis liber sit Canonicus*, modò iam teneatur eo libro contineri verbum Dei, (id quod ipsa doctrinæ lux notum facit) quæstio est non de essentiâ (vt loquuntur) sed de accidente: Nam certè Dei verbum priùs viuâ voce promulgatum fuit, quàm libris consignatum. Vno verbo igitur negamus, vnde verbum Dei agnoscitur, indidem agnosci fuerit-ne is, cuius operâ ad nos peruenit, extra ordinem Dei spiritûs peculiari, & Prophetis, Euangelistis, Apostolis proprio, instinctu impulsus vt id traderet scripto, hoc est, quis liber quem habuerit θεόπνευστον scriptorem aliunde agnosci quàm vnde agnoscimus quod *(margin: aliunde agnoscitur Verbum Dei quàm vnde agnoscuntur libri Canonici.)*

fuit Dei Verbum. Itaque falsum est quod posuerunt, *non aliunde dignosci Verbum Dei, quam vnde dignoscimus qui libri scripti sunt θεοπνεύστως*, id est, *extraordinario Spiritus afflatu.* Itaque maior propositio huius syllogismi falsa est.

Ipsi.

Nam quod quærunt, Sint-ne, etiam nobis assentientibus, libri sacræ Scripturæ qui *Canonici* vocantur fidei certissima regula, deinde verò exigunt vt fateamur, prius de regulâ debere constare quàm nobis liqueat de rei, quæ ad regulam exigitur, conuenientiâ, vnde illud volunt effici, vt (ex nostrâ quidem sententiâ) omnium primò constet habeanturque pro certo, quę sit verè sacra Scriptura appellanda, in eo frustra sunt, nam alia *conscientiæ* regula est, alia *disputandi* cum Aduersario. Nam conscientiæ regula sola & pura veritas est, cuiuscúmque tandem ministerio tradatur, quocunque modo, ab Apostolo, à Prophetâ, ab Euangelistâ, seu scripto seu viuâ voce. Argumento est quod Scripturæ authoritas non sit vltimum (loquamur iam more Scholastico) principium in quod resoluitur fides, superest enim quęstio, *An Scriptura sit à Deo*, quæ iam authoritate Scripturæ definiri non potest, siquidem hoc pacto Scripturæ authoritas in dubium vocatur. Tum verò & apud Turcas, & Judæos, ipsa veritas seclusâ authoritate (quatenus nimirum authoritas argumentum est inartificiale) proferenda est, & eius vi vrgendus Aduersarius, vt si quis neget mundum à Deo conditum, non poterit id quod negat ei alter probare quàm ductis argumentis à tanti opificij naturâ & conditione. Atque vt ad institutum ista accommodemus, si quis de Scripturæ authoritate dubitet, dubitat autem is qui quærit *an ea sit à Deo*, conuincendus est non prolatis testimoniis Scripturæ, quæ aspernabitur haud dubiè, sed ipsâ luce veritatis quæ traditur in Scripturâ. Atqui quemadmodum in Mathematicis, seu quis libros legerit Euclidis vel Archimedis, sed eadem fortasse legerit methodo diuersâ, aliis verbis, dummodò quod ad rem eadem legerit, veritas principiorum & conclusionum quæ deducuntur ex principiis, manet eadem: sic planè se res hîc habet, proferatur Euangelium doctrina cœlestis, non sit ad manum codex Veteris & Noui Testamenti, fiat id apud Gentes barbaras (vt ne dicam modò Turcas & Judæos) omnino permouebit Euangelium siquidem auditor Spiritu Dei sit instructus, cuius vis si desit multo minus prolato codice Veteris & Noui Testamenti eum permoueas. Hic canon conscientiæ est igitur vnicus, veritas.

Res duplex Canon.

1. Conscientiæ, nempe veritas sola.

2. Disputationis,

Sed disputandi Canon diuersus est, nempe omnis disputationis hæc est ratio vt nitatur certis hypothesibus, quæ hypotheses apud omnes non sunt eædem. Nam, verbi gratiâ, si aduersus Stoicum, Academicum, aut Epicureum instituenda disputatio est, frustra profertur in medium locus ex Ethicis Aristotelis, quatenus in quam solâ authoritate commendatur, adhibeturque testimonij vice, at quum res est cum Peripatetico, qui certò constitutum apud se habet Aristotelem non discessisse à vero, sola testimonij Aristotelis authoritas maximum habet pondus: Tum verò ea ratio non potest aliter eludi quàm adhibitis glossematis, & cauillationibus, quibus Aristotelis verba in alienum sensum detorquentur, vnde sequitur labor ostendendi primùm ex Aristotelis principiis, deinde verò ex disputationis serie, quæ fuerit Aristotelis mens, quod consilium. Haud secus in disputationibus, quæ instituuntur de religione, se res habet, non sunt eædem nimirum apud omnes hypotheses: Nam si cum Atheis nobis res est, non hoc vtimur argumento, quod Paulus sic docuit, ne deridiculo simus. Eadem ratio est disputandi aduersus Judæos & Turcas, nam apud hos neque Veteris, neque Noui Testamenti authoritate vtimur, apud illos verò non adhibemus Noui Testaméti authoritatem, at verò apud Christianos, qui Veteris & Noui Testamenti authoritatem pariter agnoscunt, certè quando argumenta quæ petuntur ex authoritate promptu facillima sunt, id genus argumentorum adhibemus, nempe ea eiusmodi sunt vt nitantur hypothesi quæ est in confesso. Ergo apud conscientiam intrinsecus, atque in vniuersum, sola veritas vim obtinet insitâ sibi quâdam facultate, quam à Doctore non est mutuata, quin potius authoritatem Doctori conciliauit, sed inter dîsputandum, dum captatur compendium, argumentum ducitur è proximo, proximum autem est agnita & confessa authoritas.

nempe Scriptura, apud Christianos.

Itaque hâc ἐνστάσει nihil aliud promotum est quàm vt fateamur id quod res est, aliam esse rationem veritatis, quatenus reuincit conscientiã (nam id fit solius veritatis vi, à quocumque tandem ea tradita sit) aliam rationem authoritatis quæ veritati coniuncta est: Nam hactenus deuincit quidem illa aduersarios, at non peruincit tamen neque flectit in obsequium. Jam verò si non Scripturę authoritas, sed ipsa veritatis vis est quę conscientiam redarguit, omnino consequens est vt aliunde dignoscatur Scriptura quàm ex suâ ipsius authoritate, id verò fieri aliter non potest quàm si certum prius habeamus, quod sit Dei Verbum. Ergo, *Scriptura hæc Verbum Dei est*, conclusio est, non est principium, apud conscientiam, inquam, nam apud aduersarium qui id fatetur, principium sanè est: Vnde efficitur non esse ista paria, *Agnoscere quod sit Dei Verbum*, &, *Agnoscere quæ sit Scriptura*, quando Dei Verbum tradi potest aliis libris quàm iis quos *Scripturam* vocamus.

Summa huc redit, Vndecumque agnoscitur Scriptura, inde pariter agnoscitur quod sit Dei Verbum, At non continuò hinc efficitur, vt vndecumque agnoscitur Dei Verbum indidem agnoscatur Scriptura, hoc est, quis liber fuerit scriptus à viris extra ordinem Spiritu Sancto ad eam rem afflatis. Apostolus 1. Cor. 14. author est, omnis veræ Dei cognitionis homines rudes temerè in cœtum Christianorum ingressos agnoscere sæpenumerò (eò adactos vi conscientiæ) Deum esse qui cœtui præsit, idque ex ipsâ veritatis luce, quæ mentis aciem tam vehementer ferit, vt conscientia coniuncta dederit veluti manus. Atqui isti profectò cùm superuenerint non legenti Scripturam, sed docenti viuâ voce, nondum habuere perspectum qui libri Canonici, qui minus essent, eò tamen demum peruenerunt. Id quod à nobis quî fiat supra demonstratum est, adducto supra in medium exemplo febricitantis, qui aquæ salutaris potu recreatus incenditur studio cognoscendi vnde ea aqua hausta fuerit. Nam vt illud inculcemus atque repetamus, plurimum

Summa responsionis.

rimum

rimum inter se distant, scire *quod sit Dei Verbum*, &, *quibus personis id reuelatum primùm, quibus ve libris consignatum fuerit primùm*, nam horum alterum ad salutem simpliciter & absolutè necessarium est, alterum duntaxat ex hypothesi, nempe dum proferuntur argumenta quibus iam non id agitur vt probetur doctrinam esse Dei Verbum, sed illud potius, Scriptorem libri non fuisse ex ordine eorum qui à Deo quidem, sed tamen aut dato ab aliis negotio, aut proprio instinctu atque impulsu voluntatis appulerunt animum ad scribendum. Nam in hâc causâ, sola lasciuia & ingenij proteruia crimen facit, alioqui actum foret de salute grauissimorum & sanctissimorum virorum, qui de quorumdam, qui recepti sunt in Canonem, librorum (verbi gratiâ Epistolæ ad Hebræos) authoritate dubitarunt.

Instant. de Spiritu Enthusiast.

Neque verò quisquam hîc cauilletur, nostram hanc esse sententiam, *Non aliunde disci Verbum Dei quàm à Dei Spiritu*, proindéque id sequi, vt quicúmque docet Dei Verbum (neque enim quisquam docet quod priùs ipse discendo non perceperit, seu experientiâ, seu doctrinâ, seu relatu) pariter afflatus fuerit Spiritu Dei, proindéque (id quod phanaticis placet) omnes Ecclesiæ doctores esse θεοπνεύστους, atque æquè instructos à Spiritu ac Euangelistæ, Prophetæ, & Apostoli.

Ref.

Nam etsi quicquid de Deo tenetur, quod ad salutem conferat & vitam æternam consequendam, id omne menti humanæ se probat, & expetendum videtur omni operâ, illius interuentu lucis quâ humani cordis natiuæ tenebræ operâ Spiritus Sancti depelluntur, tamen id non semper fit vnâ eâdemque ratione, sed aliter atque aliter: nempe aliquando id fit (sed rarò admodum, idque tum duntaxat quum iacienda erant Ecclesiæ Christianæ fundamenta, nondum verò iacta fuere, vt temporibus Veteris Testamenti, atque adeò initio temporum Noui Testamenti) extraordinariò, atque sine externâ prædicatione hominum, solâ reuelatione internâ, vel adhibito Angeli ministerio, vel, eo non adhibito, solâ vi spiritus Prophetici (hæc conditio Prophetarum, Euangelistarum & Apostolorum fuit) vel id fit adhibitâ verbi prædicatione, vel operâ Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, vel eorum qui doctrinam à Prophetis, Euangelistis, Apostolis traditam veluti per manus acceperunt ipsi, deinde verò & aliis iidem tradiderunt: hæc verò conditio est ordinariorum, quos vocant, Doctorum Ecclesiæ, qui quidem Dei Verbum purè, integrè, & sine vllo fuco & mangonio docent.

per distinctionem actionis spiritus, quæ vel est extraordinaria, vel ordinaria.

Ergo, etsi non percipitur Verbum Dei nisi Spiritus afflatu, tamen non consequens est, parem esse conditionem eorum qui nullius aduenientis extrinsecus hominis operâ Verbum Dei didicerunt, & eorum qui id ipsum Dei Verbum didicerunt adhibitâ operâ humanâ.

Attamen id videbuntur euicisse, *ex authoritate Ecclesiæ saltem agnosci qui libri Canonici sint, qui non sint Canonici.* Sed de hoc postmodum videbimus, nunc agamus id quod instat. Nam esto sanè (quod nos illis nequaquam concedimus, quo iure id illis denegemus id verò iam infra disputabimus) non dignoscatur aliunde qui libri sint Canonici, attamen cùm id non sit ad salutem cognitu necessarium, teneatur modò quod sit Dei Verbum, ad summam rei nihil aut parùm interest.

libri Canonici non agnoscuntur sola Ecclesiæ authoritate.

Non est igitur verum quod aiunt, *Non aliunde internosci libros Canonicos ab Apocryphis, quàm vnde internoscimus Verbum Dei à doctrinâ humanâ.* Sed & æquè illud falsum est, quod affirmant *sola authoritate Ecclesiæ constare nobis posse, qui libri Canonici sint, qui Apocryphi.* Nam quin authoritas Ecclesiæ plurimùm ad hanc rem faciat dubium non est, omnis controuersia in hoc duntaxat sita est, *An huius causæ præcipuum momentum ab authoritate Ecclesiæ pendeat*: Id quod tum demum definiri facilè possit si teneamus quid sit Ecclesia, quæ eius authoritas, vnde libri S. Scripturę Canonici vocentur. Sed tota hæc disputatio in eum locum conferenda est quo disputandum nobis erit, *Quibus libris Verbum Dei primùm traditum fuerit.* Nunc id solum est agendum (quod locus in quo versamur necessariò requirit) vt ostendamus (quoad eius fieri potest paucissimis) discrimen librorum Canonicorum & Apocryphorum, quod ad notitiam & assensum attinet nostrum, non pendêre ex sola Ecclesiæ authoritate, ne primò quidem & præcipuè inde pendêre.

Id quod vel hinc liquet, quod cùm sit positum extra omnem controuersiam, Ecclesiam agnouisse eos libros, atque internouisse qui libri verè sint Canonici, necesse est quibusdam ex notis illud obseruarit atque deprehenderit. Ergo primò ac pręcipuè agnoscuntur, & internoscuntur libri Canonici ab Apocryphis non authoritate sed notis insitis, absurdum enim foret statuere Ecclesiam authoritate suâ ipsius permotam sic statuisse. Nam authoritas Ecclesiæ, imò verò omnis authoritas, quum de doctrinâ agitur, præstruit in eo qui authoritate præditus est, famam sapientię; duci merâ authoritate imperitorum est: Atqui Ecclesia non est imperita, id verò fatentur Aduersarij, & verò odiosè sæpenumerò exclamant. Ergo Ecclesia, pro sapientiâ quâ pollet, agnouit libros Canonicos & distinxit ab Apocryphis. Atqui sapiens nil facit impetu, sed iudicio facit quod facit, Ecclesia ergo (vt potè sapiens) examinauit primùm, tum deinde dijudicauit libros Canonicos ab Apocryphis. Atqui tum iudicium sit, rectum (inquam) iudicium, postquam perspecta veritas est.

quod ostenditur exemplo Ecclesiæ ipsius.

Priùs ergo Ecclesia agnouit libros quosdam esse Canonicos quàm id pronunciauit, & authoritate suâ commendauit. Id verò Ecclesia non est assecuta authoritate suâ, sed quibusdam notis. Eę verò eiusmodi sunt vt etsi eas deprehendere non sit cuiusvis, eas tamē deprehēsas, atq; adductas in medium facilè quis possit, pro Notarum conditione, agnoscere. Ergo, si hę Notę ab Ecclesiâ obseruatæ obijciantur piorum hominum animis agnosci (pro Notarum ratione) æquè facilè possent atque deprehensæ sunt & obseruatæ ab Ecclesiâ. Porrò Ecclesiæ est eas Notas in medium afferre, neque enim præest Ecclesia singulis qui Christi membra sunt pro imperio, sed pro muneris sui ratione, atqui ratio muneris Ecclesiæ vt Ecclesia doceat: vnde continuò sequitur vt iisdem notis, quibus Ecclesia internouit libros Canonicos ab Apocryphis probet fidelibus qui libri Canonici sint, qui minus. Quæ verò sint hæ notæ non est huius loci definire, pertinet enim id propriè ad eam quæstionem quæ est de discrimine librorum Canonicorum ab Apocryphis, quæ quæstio illius loci propria est, ad quem vbi

quæ libros Canonicos agnouit insitis quibusdam Notis.

fuerit peruetum, disputandum erit quâ primum ratione, quibus libris primùm proditum fuerit Dei Verbum: quâ de quæstione infra, nempe suo loco, nobis erit disputandum.

non sola authoritate sua,

Nam negari non potest Ecclesiam distinxisse Canonicos libros ab Apocryphis adhibito iudicio, proindéque deprehensis notis quibus hi libri à se inuicem secernuntur, vti supra disputatum est. Si enim authoritate suâ Ecclesia adducta fuerit vt sic constituerit, omnino necesse est id primum, vt idem seipso superius sit, nam authoritas superioris est. Atque Ecclesia non est seipsâ superior, nempe superius & inferius re differunt, Ecclesia autem ab Ecclesiâ non differt. Deinde, si ita se res habet, vt Ecclesia suâ sibi authoritate permota fuerit vt definiret hos libros esse Canonicos, illos minus, omnino & id sequetur, vt Ecclesia statuerit hos libros esse Canonicos, alios Apocryphos eo quod sic statuit, quæ ratio exhibet inanem & putidam nugationem, hos libros definiuit Ecclesia esse Canonicos, quare? quia sic definiuit. Absurdum & ridiculum.

neque per Enthusiasmum,

Vnum hîc illis superest effugium, vt confugiant ad Enthusiasmos, atque rem ita constituant, cœlitùs reuelatum Ecclesiæ hos esse Canonicos libros, illos Apocryphos nullis adhibitis Notis. Id quod multis modis refelli potest, atque eo primùm, quod Aduersarij sentiunt (quâ in sententiâ nos non sumus) Synodis Oecumenicis solummodò ius hoc competere vt potuerint definire tantam quęstionem. Sed enim Synodorum etiam Oecumenicarum hæc est ratio, nihil vt definiant nisi causâ cognitâ, atque in omnes partes agitatâ, nam ita demum causa cognoscitur. Ergo non eo Spiritus afflatu quem dicimus Enthusiasmum (cuius ratio quæ sit supra à nobis explicatum est) verùm adhibitâ ratiocinatione (non iam eâ modò quæ est à natiuâ ratiocinandi facultate, sed à Spiritu Sancto) collegit Ecclesia, qui sint libri Canonici, qui Apocryphi. Adde quod Synodorum Oecumenicarum hæc conditio est, vt sint admodum raræ; multis de causis quas, ad eam quam agimus causam, nihil attinet commemorare. Itaque ab Apostolorum temporibus ad vsque Constantini tempora, hoc est totos 300. annos & quod excurrit, caruit Ecclesia synodis Oecumenicis, vtque ob temporum calamitatem. Iam verò fatentibus Aduersariis, quod sanè res est, nondum fuerat, vt est hodie, consignatus (sic enim loquuntur) Canon S. Scripturæ, nam à quibusdam Ecclesiis de quibusdam libris Canonicis, eo temporis interuallo, non modò dubitatum est, sed (quod superius paulò iam notauimus) constitutum est eos non esse Canonicos. Attamen quidam certè libri, maxima Scripturæ pars ab omnibus agnita est pro Canonicâ, nullâ authoritate Ecclesiæ, sed quia veritas manifesta ipsa sola per se hominum non proteruorum, sed simplicis & candidi pectoris (quale pectus Christianum decet) animo permoebat.

quod ostenditur. 1.

2.

Omnium librorum Canonicorum non sunt æquè manifestæ impressæ Notæ.

Etsi enim omnibus libris Canonicis Deus impresserit quasdam Notas, quibus secerni possint ab humanis scriptionibus, non modò ob argumenti diuinam & supremam dignitatem, verùm etiam ob ipsum tractandi genus, hoc est, ob stylum & disputandi methodum (de quibus vbi locus id postularit, fusiùs nobis erit agendum) attamen hæ Notæ aliis in libris clariùs in aliis minùs elucent clarè: quemadmodum in Dei operibus quædam sunt tam admiranda vt non modò detineant animum, sed defigant etiam in admiratione tantæ magnificentiæ (eam magnificentiam intelligimus quę in ipsâ operis specie & veluti structurâ effulget) cætera quamuis Dei opera sint, referunt tamen haud æquè splendidè Maiestatem, bonitatem, &c. Dei, vnde fit vt dum spectantur non æquè moueant hominum animos, atque adducant eò vt fateantur opus esse immediatè diuinum. Consimili ferè ratione quidam sunt libri S. Scripturæ qui non modò argumenti sublimi ac cœlesti dignitate ita se commendant ac probant, vt repertus sit nullus vllo sæculo qui eos libros ausus sit negare esse Canonicos (fanaticos excipio, qui suam doctrinam extraordinariis reuelationibus, non verò Verbo Dei tradito, aliunde acceptam ferunt) alij verò libri Canonici quidem illi sunt, sed tamen quoniam Canonicorum librorum notæ in iis non sunt adeò claræ & manifestæ, & possint statim deprehendi atque agnosci, factum hinc est vt prioribus Ecclesiæ sæculis iis de libris controuersia inter Ecclesias fuerit, citra vllum Christianæ fidei & concordiæ dispendium; Nempe res eiusmodi est, quædam verè miracula quibusdam eo non videntur miracula, quod res patrari potuit (nempe in se considerata) ope causarum, quas vocamus, secundarum, vt quum Dominus Iesus Petri socrum febri leuauit, res potuit confici arte medicâ, neque enim Scriptura testis est, eam febrim fuisse lethalem, verumtamen quod subitò hoc est factum, quod nullo adhibito pharmaco, nullâ chirurgi operâ, solo Christus nutu id effecit, id verè miraculum fuit quod Petri socrus febri leuata est. At verò quod Christus mortuos excitauit, puta Lazarum quatriduanum, & verò iam olidum cadauer id verò eiusmodi est vt rapiat animum in stuporem, cogatque eò mentem humanam, vt eo in opere agnoscat Dei solius manum.

Simili illustratur.

Atque in totâ hâc disputatione, ea, inquam, quæ hoc capite continetur, id ob oculos mentis est habendum perpetuò, non iam, *Vnde agnoscatur Verbum Dei*, sed, *vnde agnoscantur ij*, hoc est (vt vulgo loquimur) *personæ quarum operâ Verbum Dei nobis innotuit*, sint ne illi quibus primùm Deus Verbum suum reuelauit, an verò qui Verbum Dei semel reuelatum diuinitus, proditúmque litteris cæteris commendarunt, eâ conditione vt quod ipsi acceperant depositum (παρακαταθήκην Apostolus vocat) non cognoscatur pro Dei Verbo aliunde, quàm si certò habeamus vnde primùm traditum sit.

De Ecclesiæ consensu certò constare nobis semper non potest.

Nam Aduersarios (si modò sibi volunt constare) necesse est eò adigi, vt fateantur illud non posse aliunde constare quàm ex Ecclesiæ consensu: quò de consensu nobis liquere non potest, quod hîc requiritur notitia historiæ Ecclesiasticæ, quæ etsi doctis & eruditis hominibus patere potest: attamen plebi Christianorum non potest ęquè patere, nempe harum rerum rudibus & imperitis. Et enim ante celebratas Synodos Oecumenicas, quod ad materiam attinet, constitit quod esset Dei Verbum, nulla hîc coitio expectanda fuit. Atqui Ecclesiarum consensus hoc pacto re quidem vnus fuit, sed iti in Concilium non po-

non potuit nisi cœtu coacto, qui cœtus omnibus sęculis cogi nō potest, vel calamitate temporum, vel hominum iniquitate (nam hæc sunt inter se distincta, nam *calamitatem temporum* eam intelligimus quæ oritur ex grauissima totius Ecclesiæ persecutione, *iniquitatem* verò quæ proficiscitur ab improbitate hominum sibi studentium, cùm nulla extrinsecus totius Ecclesiæ persecutio incumbit) quorum vtrumque prohibet cœtum vniuersalem, proindéque Concilium. Atqui consensus aliter percipi certò non potest, etiam ex aduersariorum sententiâ, idque non vnâ de causâ. Nam primùm, quî possit exquiri, aut haberi compertum, quæ sit singularum Ecclesiarum de libris Canonicis & Apocryphis sententia: verbi gratiâ, Ecclesiæ dispersæ sunt, aliæ aliis Regibus subditæ, Regibus verò (neque autem iniuriâ) suspecta est subditorum cum alienis communio, &, si non esset suspecta, res difficilis foret, præsertim hoc statu orbis Christiani. Deinde, Aduersariorum hęc sententia est. Spiritum Sanctum non præesse cum authoritate singulis Ecclesiis, sed coactis in Concilium. Atqui, vt membra corporis oportet omnia esse animata, sic singulas Ecclesias oportet duci Christi Spiritu, alioqui sequeretur grauissimum incommodum, idque omnino metuendum, neminem posse Solem à se visum certò affirmare (nam Dominus noster Jesus Christus à Prophetâ Malachiâ vocatur *Sol iustitiæ*) nisi adhibitâ consultatione. Et sanè in conciliis legitimis audiuntur argumenta, res mittitur in consilium. Itaque obtinemus (quod vnum velle æquum fuit) inditas esse certas quasdam Notas Scripturæ Canonicæ, quarum interuentu distinguatur ab Apocryphâ, quandoquidem vel perculsis animis scriptoris Maiestate agnoscuntur, vel in medium allatæ, ab earum rerum peritis, suâ luce feriunt tantâ efficaciâ mentem vt assentiatur. Sed illud hoc loco inculcandum est, lucem hanc cerni non posse citra Spiritus Sancti efficacem operationem, perinde atque quum Dominus noster Jesus Christus cæcis oculos aperuit, quo factum est vt ea viderentur atque oculis vsurparentur quæ naturâ suâ (abfuerat modò cæcitas) videri potuerunt.

Cap. XIII.

Adjicitur confirmatio superioris argumenti Pontificiorum, & refellitur.

Object. Pontif.

At verò quicquid sit, negari non potest (inquiunt) quosdam libros à Scriproribus θεοπνεύστοις, editos nō continuò eo ab Ecclesiâ relatos in Canonem, quosdam verò libros eiusdem dignitatis & conditionis, qui primitus in Canonem non fuerant relati, hanc authoritatem, quæ Scripturæ Canonicæ propria est, ex Ecclesiæ approbatione obtinuisse. Atque hîc in eo plurimum laborant, vt ostendant quosdam libros in V. Testamento scriptos à Prophetis hodie non exstare, id quod illi volunt accidisse non aliam ob causam, quàm quod eos Ecclesia non retulerit in Canonem, hoc est (vt diximus iam non semel) in catalogum siue Indicem librorum Sacræ Scripturæ: cuius generis sunt ij libri qui citantur in Veteri Testamento, in Chronicis & historicis libris, vt *Liber recti* &c. Nam non videtur fas esse vt Scriptor afflatus Dei Spiritu, dum reddit rationem breuitatis, eam inde accersat quod à Scriptore prophano ea fusiùs tradita sint: nam quorsum attinuit vt Spiritus Sanctus ea traderet breuiter, quæ æquè verè, multò copiosiùs, ab aliis tradita sunt? Sanè videtur hoc alienum esse à Spiritus Sancti ingenio & consuetudine. Sed & libri quidam sunt scripti ab Apostolis, proindéque diuini, qui & ipsi non relati sunt in Canonem statim, sed procedente demum tempore hoc consecuti sunt, vt habiti fuerint pro Canonicis, nempe postquam Ecclesia interposuit iudicium suum. Ergo non aliunde de eorum authoritate librorum nobis constat quàm ex Ecclesiæ authoritate. Neque verò arbitrantur hîc deesse exempla, nam verbi gratiâ, Epistola ad Hebræos olim dubiæ fuit authoritatis, Epistola Jacobi, Epistola Petri secundâ, Epistola Johannis secunda & tertia, Epistola Judæ, ipsa denique Apocalysis, qui tamen omnes libri hodie pro Canonicis habentur, Vnde id nisi ex authoritate Ecclesiæ.

1.

2.

Verumtamen ne sic quidem stabiliri potest quod iecerunt fundamentum, instabile naturâ suâ, illud enim certissimum est, *verum sensum de rebus diuinis à nullâ aliâ vi proficisci quàm Spiritu Sancto*, (quam vim illi ipsi, quibuscum nobis res est, *lucem gratiæ* solent appellare, neque alio argumento Spiritum Sanctum se probare mentibus humanis quàm ipsâ veritate, argumento est quod conscientia cum religione arctissimam habet coniunctionem. Cæterùm conscientia nulla est vbi nulla est scientia, neque verò scientia vlla esse potest vbi veritas testimonio tantum, non suâ ipsius luce, hominum mentibus sese insinuauit. Nam quod aiunt, quosdam Sacræ Scripturæ libros non fuisse relatos in Canonem, primùm id negari potest. Nam (si volumus rem ipsam considerare) idem author, siue Scriptor potius libri, consignator libri est, hoc est, is est qui iubet librum suum referri in Canonem, nempe hoc iam in confesso est librum esse scriptum à viro θεοπνεύστω, Ergo eo ipso quod librum scripsit, & eum voluit referri in Canonem. Itaque si is liber in Canonem non est relatus, Ecclesia contumax fuit & rebellis Deo, quæ libros eos quos nouerat à Prophetis scriptos noluerit in Canonem referri. Nullus hîc effugio locus patet, nam quid respondebunt? Eos libros non fuisse scriptos authore Spiritu Sancto? Ergo iure reiecti fuerint, non sola id effecerit authoritas Ecclesię, sed libri conditio, quem si Ecclesia pro Canonico agnouisset, ea in re vel errasset turpiter vel nefariè. At verò si iam Ecclesia eos libros agnouerit habere immediatè authorem Spiritum S. neque verò continuò admisit tamen, hæc verò iam manifesta est in Deum rebellio. Porrò vera Ecclesia non est rebellis Deo.

Resp. ad primum de libris quibusdam Vet. Test. in Canonem non admissis.

Dixerint fortasse, eos libros vtiles adeóque necessarios fuisse tum cùm scriberentur, itaque non admissos fuisse ab Ecclesiâ tum demùm cùm vtiles esse desierunt. At verò vel id Propheta, libri scriptor, monuit, vel reticuit. Si monuit, non solâ authoritate Ecclesiæ non fuere admissi, sed ipsius monitu Prophetæ. Quod si Propheta id reticuit, nimiæ fuerit audaciæ quos libros Propheta scripsit, Prophetâ non monente, non admisisse: quamquàm difficile est statuere, quo

Except. Ref. 1.

pacto qui quondam libri vtiles Ecclesiæ fuere, cœperint postea esse inutiles. Nam cùm sit eorum quæ scribuntur duplex vsus, nempe (vt docendi gratiâ sic loquamur) *practicus* & *historicus*, etsi quidam libri Prophetici practicum nullum vsum haberent, retinerent tamen historicum. Cæterum *practicum* vsum eum dicimus, qui ad earum rerum praxim spectat quæ libro, cui *practicum* vsum tribuimus, continentur: Verbi gratiâ, Multa sunt in Leuitico quæ hodie practicum vsum nullum habent, nam victimas hostias cruentas, quales Deus iis temporibus exegit, Christianis hodie nefas est exhibere, at hæc tamen scire vsum habet historicum, sic enim fit vt notum habeamus quæ fuerit differentia cultus diuini sub Vet. & N.T. item hoc pacto tenemus ea quæ Nouo Testamento reuelantur, veteri fuisse adumbrata, id quod maximam habet vim ad demonstrandam Dei Sapientiam, asserendámque religionis Christianæ veritatem. Quod si ideo quòd liber aliquis à prophetâ scriptus practicum vsum nullum habet nostris temporibus, iusta hæc & idonea ratio haberi debet, quid vetuerit si minus totum Pentateuchum, at certè maximam Pentateuchi partem non admitti ab Ecclesiâ, quo nil dici potest magis absurdum & impium, si quidem obtinet illud Pauli ad Rom. cap. 15. *Quæcumque ante scripta sunt scripta sunt in salutem nostram.* Deinde, vel exstant hi libri, vel non exstant, si exstant, proferantur in medium, testabuntur haud dubiè rerum maiestate, ac styli quâdam diuinitate summam sibi factam iniuriam ab eâ Ecclesiâ quæ eos reiecit, & factum adeo temerè conuincent, & redarguent. Quod si nulli exstant, mera hæc ariolatio est, & coniectura fallax admodum, nam quî posſit fieri iudicium iis de libris qui exstant nulli?

An ij libri desierint esse vtiles.

2.

Attamen (inquiunt) interciderunt hi libri, neque vero credibile est Ecclesiæ negligentiâ id factum, nam Ecclesiæ studiosè conseruat eos libros qui verè Canonici sunt. Sed enim vnde factum est, vt quos Ecclesia libros non retulit in Canonem eos passa sit intercidere? Si negligentiâ id factum est, Ecclesia negligens fuerit hâc in parte, id quod illi euitatum volunt. Sin deditâ operâ, haud dubiè continuerunt hi libri aliquid quod Ecclesia iudicauit esse noxium & perniciosum. Atqui hoc vel cogitatu impium foret, vllos libros qui Deum habuerunt authorem, scriptorémque diuinitus immediatè afflatum, quidquam continere quod non sit ad salutem conducibile, tantum abest quidquam vt contineant quod noceat.

Inst.

Ref.

Verùm enimverò interciderunt quidam libri quorum sit libris Veteris Testamenti mentio. At, inquam, non si Propheta librum scripsit (vt hoc iis demus omnes eos libros scriptos à Prophetis, nam ex iis scriptos quosdam fuisse nullum dubium est) sequitur protinus scriptum à Prophetâ librum quatenus Propheta est. Multa enim vt priuati homines dixisse & fecisse potuerunt, non secus ac regius Legatus, alia dicit & scribit quatenus Legatus est, nempe Principis iussu extraordinario, cætera agit tanquam priuatus: verbi gratiâ, Si Legatus historiam scribat cuius commentarium non acceperit à Principe, vel eo quod earum rerum quas scribit testis fuerit ipse. Neque verò id refelli eo posſit quod à Prophetis hi libri citantur, nam & D. Paulus Menandri, Epimenidis, & Arati scripta citauit; & res ipsa clamat necessaria scitu, & maximè opportuna, notata fuisse, dum citantur horum hominum scripta. Si verò quis requirat, quo consilio ea citarint viri diuinitus afflati atque impulsi ad scribendum, in promptu ratio est, ne Spiritus S. vllà obliuione laborasse videretur, quemadmodum sæpenumerò euenit vt in Scholis Rhetores, dum ea tradunt quæ Rhetorices propria sunt, de Grammaticis aliquid intermiscentes, quod ad cætera attinet lectorem, siue auditorem, amandant in Grammaticorum scholas; Neque verò eo testantur se pendêre à Grammaticis, tantum id faciunt vt ne professionis suæ fines veluti excesſisse videantur. Sed nihil opus est tam operosè respondere, vno verbo res expediri poterit, si dicamus intercidisse hos libros nullâ intercedête Ecclesiæ authoritate, quasi eos non admisisset, sed quâdam temporum iniuriâ & calamitate, occultâ Dei prouidentiâ: Id quod nunquam euenisset, si illis libris quidquam fuisset proditum ad salutem scitu necessarium, quod ipsum non exstet proditum iis in libris qui in Ecclesiâ ad omnem vsque ætatem conseruantur.

An libri aliqui Canonici V. T. interciderint.

Resp. 1.

Inst.

Ref.

Resp. 2.

Vnde efficitur leue esse & falsum quod contendunt, *Hoc pacto si vlli libri scripti à Prophetis interciderint, Scripturæ Canonem esse imperfectum.* Nam perfectio Canonis Scripturæ pendet à perfectione rerum quæ Canone continentur, quæ si eadem aliis libris traditæ fuerint, qui quidem non peruenerint in nostras manus, fraudi id nobis esse nequit, si earumdem rerum notitia iis ex libris quos habemus peti potest: quemadmodum (vt exemplum apponamus) si Aristoteles aut Hippocrates de Philosophiâ & re medicâ pari ingenio, pari doctrinâ, eodem rerum vsu multos libros scripsissent, atque ex iis, ij soli exstarent ex quibus Peripateticum dogma & medica ars disci posſit, haberemus (vt ita loquar) Philosophiæ Peripateticæ & Medicinæ Hippocraticæ Canonem perfectum, quod ad rem ipsam attinet. Atqui iis libris quos habemus continetur Lex & Euangelium, quibus summa vtique doctrinæ ad salutem necessariæ comprehenditur. Id quod ex Domini nostri & Apostolorum commendatione S. Scripturæ clarum redditur. Nam notisſimum illud est, *Habent Mosem & Prophetas*, nempe vnde discant quicquid scitu ad salutem necessarium est. Nam si Mose & Prophetis, hoc est Pentateucho, quinque libris Mosis & Propheticis scriptis, omnia non fuissent abundè contenta & comprehensa, quorum notitia miseros potuisset ad salutem perducere, sed adiungendæ forent traditiones non scriptæ, mutila fuerit & optimâ sui parte scilicet detruncata Abrahami admonitio. Deinde verò docuit Apostolus, *Scriptura posse reddere hominem sapientem ad salutem.* Quid diximus, hominem? Imò verò *hominem Dei*, inquit Apostolus, h.e. ex phrasi Scripturę *Dei ministrum*, Nam par est locutio, *homines Saülis, homo Dei*, hoc est Ministri Saülis, Minister Dei. Cùm igitur rem ipsam teneamus libris qui exstant comprehensam, non est quod angamur animo supra modum, tanquam si in Scripturæ Canone quidquam desideraretur quod scitu necessarium sit, si maximè (quod tamen non concedimus, eas ob rationes quas attulimus supra) quidam

Inst. de Canone imperfecto. Ref.

Simili illustratur.

quidam libris scripti à viris θεοπνεύστοις interiissét.

Sed enim (vt iam veniamus ad alteram argumenti partem) quidam libri non admissi aliquando ab Ecclesia tandem id obtinuerunt vt admitterentur: Ergo solâ authoritate Ecclesiæ fit vt libri qui merentur vt Canonici sint, pro Canonicis habeantur. Omnino id inconsequens est. Nam vt hoc primum dicamus, vel Ecclesia libris qui merebantur vt in Canonem referrentur eum honorem non habuit quem hi libri merebantur, vel eos semper admisit. Prius illud Aduersarij nolint, negant quippe Ecclesiam posse errare. Atqui grauis error est libros qui ob dignitatem poscunt vt in Canonem referantur, non referre in Canonem, sed dubitare an quod diuinum est pro diuino

Resp ad 2. libris quandiu ... ectis, sed postea admissis in Canonem.

Nam quod aiunt, *Ecclesiam eos libros nunquam quidem reiecisse, sed non admisisse tamen*, id verò iam nugari est, velle (quod aiunt) cornicum oculos configere. Nam cùm rerum diuinarum duplex sit ratio, vel enim earum intercidit planè memoria, vel earum adhuc cõseruatur memoria: verbi gratiâ. Multa patrauit Christus miracula, quorum nulla ad nos notitia peruenit, ea miracula neque nos admittimus, ignota nimirum (nil autem nisi notum admitti potest) sed nec ea contemnimus aut rejicimus, nam pari ratione ignotum contemni & rejici non potest. Sed diuersa ratio est rerum diuinarum, quæ nobis ob oculos constituuntur scilicet, & quibus adeò inuitamur ad Dei cognitionem; eæ si minus admittuntur, neque traducuntur ad vitæ vsum salutarem, respuuntur fanè eo ipso quod non admittuntur: quemadmodum donum oblatum videndi tibi ac vigilanti, si non admiseris, respueris eâdem operâ. Sic concidit vis omnis cauillatiunculæ quâ vtuntur, dum negant quidem Ecclesiam reiecisse vllo vnquam tempore librum Canonicum, at verò aiunt Ecclesiam ex iis libris quosdam aliquando non admisisse. Eòdem enim res recidit. Ergo si nolunt Ecclesiam errare, sed nec errare posse, eò adigantur necesse est, vt fateantur eos libros ab initio semper fuisse admissos ab Ecclesiâ, qui vt admitterentur hoc verò erant meriti; non est enim æquum vt Dei Verbum à Dei filiis non admittatur.

Except. Ref.

Neque verò hîc responderint (quod tamen res est) *Hos libros admissos quidem fuisse semper à quibusdam Ecclesiis, non fuisse pariter admissos ab omnibus Ecclesiis, nisi tum demum quum vnanimi consensu ab Ecclesiâ tota Scriptura Canon totus consignatus est.* Etenim si id dixerint, quæstioni locus est, An à maiore, an à minori parte Ecclesiæ libri illi fuerint admissi. Si à maiore, ergo ab initio admissi fuerũt ab Ecclesiâ, res enim à maximâ sui parte sumit denominationem. Si à minore, Ergo minor Ecclesiæ pars eadem sanior fuit, & maior Ecclesiæ pars grauissimè errauit. Id quod illi pariter negant posse vnquam euenire. Deinde & hîc subit quærere, vndenam illa sanior Ecclesiæ pars agnouerit eos libros esse Canonicos, ea, inquam, pars quæ eos admisit libros, nam ex authoritate Ecclesiæ obtineri id non potuit, nempe Ecclesiæ authoritas pendet ab Ecclesiæ consensu. Atqui hîc dissensum est, aliis eosdem libros, admittentibus, aliis hæsitantibus saltem, & cohibentibus assensum.

Alia Except. Ref. 1. 2.

Sed ad rem. Certè de nonnullis Canonicis libris dubitatum est, non quidem ab vniuersâ Ecclesiâ, sed tamen à certis quibusdam Ecclesiis, id quod humanæ imbecillitati tribuendum est in vniuersum, (nam quæ speciatim causæ huius dubitationis fuerint, eas loco magis idoneo, Deo iuuante, exponemus) At quod tandem admissi fuerint, atque pro merito in Canonem relati profectò id effectum est effulgente toti Ecclesiæ maiori Spiritus Sancti luce, à quo solo proficiscitur quod verum à falso, bonum à malo discernimus. Atqui (vt sæpius iam diximus) Spiritus S. dum mentis aperit oculos, id ipsum facit quod euenit dum cæco videndi facultas restituitur, nempe ea videt quæ antea non vidit, & visa certis notis internoscit, ac distinguit. Id ipsum hîc contigit, Ecclesia tandem vniuersa instinctu atque ductu Spiritus Sancti, quos libros authore Spiritu Sancto scriptos non admisit aliquando, eos vt admitteret adducta est.

3. Vnde factum vt quidam libri non fuerint admissi.

Neque verò eo existimanda est vel tota Ecclesia, vel Ecclesiæ veræ pars vlla Dei Verbum contempsisse, sed errasse tamen certè existimanda est. Nam (vt etiam non semel monuimus) malum interest inter ignorationem veræ doctrinæ, & scriptoris seu Doctoris, quomodo is instructus sit atque affectus qui doctrinam litteris prodidit, fuerit-ne (vt loquuntur) immediatè actus à Deo vt scriberet, an verò eam habuerit aliunde traditam, quam ipse postea tradiderit. Nam illud ad salutem necessarium est absolutè, hoc non æquè. Deinde, & inter ista plurimùm interest, *librum aliquem verè Canonicum rejicere, quod eo putes contineri doctrinam contrariam Dei Verbo* (quâ ratione ducti sanctissimi alioqui & grauissimi viri Epistolam ad Hebr. non modò non admisêre, verùm etiam reiecêre, quod eâ putarent semel lapsis omnem veniæ spem esse præcisam, nam istud sanè repugnat cum totâ Scripturâ) &, *librum aliquem, seu Prophetico seu Apostolico Spiritum scriptum, ideò non admittere quod dogma contineat Dei Verbo consentaneum.* Sic enim Hæretici, ij maximè qui primis Ecclesiæ temporibus exorti sunt, libros quosdam Canonicos repudiarunt, verbi gratiâ, Manichæi totum Vetus Testamentum &c. Sic Sadducæi omnes Veteris Testamenti libros, præter Pentateuchum, vt Apocryphos reiecerunt, nempe quod iis libris ipsorum errores (vt iis quidem videbatur) multò clariùs & validiùs refellerentur quàm libris Mosaïcis. Id quod nos in rejiciendis Apocryphis (quos vocant) libris consilium non possumus videri secuti, nil enim iis libris habetur quod cum nostrâ de religione sententiâ potius pugnet quàm cum Aduersarium opinione, quod, si res esset huius loci, facilè posset demonstrari. Itaque nonnisi per atrocem calumniam traducimur, tanquàm ij qui hâc in re priscorum Hæreticorum artes nobis imitandas proposuerimus.

In quo Ecclesia errauit, sed humano errore.

Cur Hæretici libros quosdam non admittant 1.

CAP. XIV.

Proponitur quinta ratio Pontificiorum, & refellitur.

QVintò sic nos vrgent. Extiterint sanè Prophetæ, fuerint Apostoli, vnde nobis id constat nisi ex Ecclesiæ authoritate? Deinde, tradiderint illi, scripserint multa, vnde fiet iudicium, an eorum scripta ad nostras manus integra atque intacta peruenerint? Deinde verò, qui ab impe-

Pontificiorum Obj. 1. 2. 3.

ritis earum linguarum, quibus illi Dei mentem nobis aperuerunt, discerni posſit & intelligi, an malè vel benè à Propheticâ & Apoſt. linguâ (vt ita loquamur) in noſtram vernaculam tam ſublimia myſteria tranſlata ſunt? Denique, cùm ſint multi in Eccleſiâ qui litteras planè neſciant, quid illis fiet, annon eos neceſſe eſt acquieſcere legentis vel recitantis authoritate, quanto magis authoritate Eccleſiæ? Sed ad hæc ſingula ordine, neque verò operosè, reſpondemus. Nam quod quærunt, *Vnde nobis conſtet fuiſſe Prophetas & Apoſtolos*, id verò facile eſt expedire, nobis id conſtat ex conſenſu orbis terrarum, etiam eorum hominum qui Prophetarum & Apoſtolorum doctrinę maximè ſunt infenſi: Nam ne Athei quidem id negant, tantum dictitant Prophetas & Apoſtolos fuiſſe impoſtores. Atqui iam verò huius generis conſenſus fallax eſſe non poteſt, ſed neque vocari in fallaciæ ſuſpicionem, non eſt enim teſtis domeſticus qui hîc teſtimonium dicat, quando grauiſsimi & capitales veritatis hoſtes eò vi veritatis adiguntur vt fateantur exſtitiſſe quondam Prophetas & Apoſtolos. Neque verò id negare minus eſſet vaſti & immanis ingenij quàm ſiquis negaret aliquando exſtitiſſe conſules Romæ, nam pari certè impudentiâ vtrumque negatur. At Eccleſiæ teſtimonium, niſi ab Eccleſiæ filiis, à nemine admittitur. Itaque prius credimus Dei Verbo (quâ fide efficitur vt Eccleſiæ membra ſimus) quàm Eccleſiam agnoſcamus pro matre.

Verumtamen ſi porrò pergant, ſeque profiteantur agnoſcere quidem (etiam ſepoſitâ Eccleſiæ authoritate) ſciri facilè poſſe fuiſſe Prophetas & Apoſtolos, at non poſſe ſciri fuerintne impoſtores. Id æquè facilè diſſolui poteſt, primùm iis rationibus quæ ex iis, quas Rhetores *circunſtantias* vocant, petuntur, deinde multò maximè illis argumētis quę res ipſa abundè ſuppeditat. Nam impoſtores vel voluptatis, vel honorum, & dignitatis alicuius conſequendę causâ ſtudent imponere imperitioribus. Nullius horum in Scriptores ſacrarum litterarum Prophetas & Apoſtolos ſuſpicio poteſt cadere, nam & eorum vita grauiſsimis ærumnis conflictata fuit, & rerum terrenarum comtemptus, etiam honorum (quorûm cupiditate animus humanus maximè afficitur) non modò in eorum ſcriptis, ſed etiam in totius vitæ inſtituto & ratione clariſsimè effulſit. Quin & hæc dogmatis ipſorum profeſsio eſt, vt per crucem & grauiſsima quæque, per egeſtatem atque ignominiam ad vitam cœleſtem, tanquam ad metam, contendamus: quâ in re ipſi Prophetæ & Apoſtoli nobis exemplo præiêrunt. Ergo nil opus eſt vt hîc confugiamus ad authoritatem Eccleſiæ tanquam ad anchoram, quod aiunt, ſacram, quando hoc quidem pacto Athei reuinci non poſſunt, illo facilimè. Atqui quum agitur de ratione internoſcendi Dei Verbum, ea ratio quærenda eſt quâ fit vt ex Atheis (quales ſumus omnes naturâ) euadamus in eos qui Deum verè norunt & colunt: quæ ratio non poteſt eſſe certè authoritas Eccleſiæ, quam tum demum agnoſcimus quum facti ſumus Chriſtiani.

Sed & res ipſa id ipſum probat, Nam ſcripta Apoſtolorum & Prophetarum tantam præ ſe ferunt rerum & ſententiarum Maieſtatem, vt fieri non poſsit vt aliunde profecta ſint quàm à Deo. Nam cùm quicquid dicant aut ſcribant homines, id faciant vel ductu rationis, vel ab affectibus & perturbationibus animi acti trāſverſum, vel mente moti (id quod à corporis morbo eſt & intemperie) vel Dæmonum impulſu, vel Dei quodam inſtinctu; priorum trium dici non poteſt quicquam vnde libri tam ſapienter ſcripti potuerint proficiſci, non eſt enim humanæ rationis opus, multò minus affectuum, aut morbi, aut impulſus Diabolici ea tradere tam magnificè, tam diuinum in modum, quæ ſpectant ad veram & ſolidam animi humani conſolationem, ad Dei cultum & pietatem, ad omnem virtutem, ad ingenerandam in hominum animis ſpem beatæ immortalitatis; perturbationum autem animi multò minus, proindeque & delirij, fuerit tantam rem præſtare. Nam Sathanæ regnum profectò totis iis libris conuellitur & labefactatur.

Sed enim, *Vnde liquebit eos libros ad nos integros, atque incontaminatos, ad ætatem vſque noſtram permanſiſſe?* Nam optimi cuiuſque libri fatum hoc eſt, vt ſi non procedente tempore intercidat, at certè vetuſtate corrumpatur & deprauetur, Ergo ſi res ſic æſtimetur magna inceſſet animum dubitatio, *An communi fato omnium librorum libri Apoſtolici & Prophetici non fuerint obnoxij?* Vnde oriri neceſſe eſt animi æſtum quendam, qui non poteſt aliter (vt videtur) explicari atque expediri, quàm ſi in authoritate Eccleſiæ dubius & anceps animus habeat in quo conſiſtat. Nam illud non ſatisfacit ad ſiſtendum animi motum, quod affirmari verè poteſt, ſingularem hâc in parte adhibitam fuiſſe à Deo curam & diligentiam, ne vel hominum inſcitiâ, vel incuriâ, vel malignitate iis libris quicquam vel adjiceretur vel detraheretur: Hęc enim ratio ſumit pro conceſſo quod in controuerſiâ eſt, *Fuerint-ne hi libri conſeruati puri ac integri*: deinde, dici non poteſt verè, nihil in libris etiam Apoſtolicis & Propheticis eſſe immutatum, nam id teſtantur variæ Lectiones codicum tum Veteris tum etiam Noui Teſtamenti, quanquàm in Veteri Teſtamento propter illud quod vocant קרי & כתיב (hoc eſt, verbum verbo *lectio & ſcriptio*, quum aliud legitur aliud ſcribitur, id quod ſolet in libris Biblicis notari circulo ſupra כתיב, & in margine adſcripta voce quæ legi debet) vel nunquam vel rarò contingit. At in Nouo Teſtamento huius varietatis multa ſunt exempla, quæ viri docti collegerunt; omnium verò accuratiſsimè piæ & beatæ memoriæ Robertus Stephanus Henrici pater. Atque huius varietatis multa prętereà attulit exempla Dominus Beza in doctiſsimo opere, Annotationibus in Nouum Teſtamentum. Sed & æquè verè dici poteſt, quoſdam libros adiectos eſſe ſæculi & temporum iniuriâ libris verè Propheticis & Apoſtolicis, verbi gratiâ libri Apocryphi, de quibus vtrimque tam acriter diſputari ſolet.

Itaque vt agamus candidè & ſimpliciter (quod veritatis ſectatores decet imprimis, quo in numero nos eſſe profitemur) aliter ſanè reſpondeamus, nempe illud primum, Varietas lectionis non neque vllo ſæculo vnquam fuit, ante Concilium Tridentinum, ab Eccleſia excuſſa & definita, ſed Eccleſiæ ſuis vtebantur exemplaribus citra vllum veritatis aut pietatis præiudicium. Ergo nil erat neceſſe hîc vocare in ſubſidiū Eccleſiæ

4. | Reſp. ad primam. | Vnde ſcimus fuiſſe Prophetas, Apoſtolos. | & eos non fuiſſe Impoſtores 1. quod oſtenditur 1. ab externis circunſtantiis. | 2. ab intrinſeca Scriptorum ipſorum excellentia. | Reſp. 1. ad 2. Vnde ſciamus libros Canonicos non eſſe corruptos. | Reſp. minus firma. | rejicitur. | alia reſp. ſolidior. | De varietate lectionis Scripturæ.

Ecclesiæ authoritatem, quandoquidem Ecclesia, tot sæculis ab Apostolorum vsque temporibus ad nostra, sine vllâ definitione quæ lectio cui lectioni præponenda sit, stetit. Deinde, quî potuerit Ecclesia hanc quæstionem definire, quæ hodiéque varietatem hanc non damnat. Nam Ecclesia Romana verbo quidem id fecit, atque in speciem, reapse nihil minus: Etenim Concilium Tridentinum iussit quidem haberi pro authēticâ Vulg. editionem, sed cùm in Vulgatâ editione maxima sit varietas, eam varietatem interposito decreto Concilium Tridentinum non sustulit vnde fit vt tot hodie exstent variæ Vulgatæ editionis, quam vocant, editiones. Sed & in illâ nobili editione Bibliorū quæ typis Christ. Plantini, auspiciis Regis Hispaniç Antuerpiç prodiit, nil veritus est magnus vir proculdubiò Arias Montanus adjicere varias lectiones. Exempli gratiâ, in vulgatæ editionis aliis exemplaribus scriptum est Genes. 3. *ipsum conteret caput serpentis*, in aliis, *ipsa*. Atqui si Ecclesia vtra lectio vera esset definiisset, altera non pro diuersâ lectione, sed pro corruptâ foret habenda, nam *lectiones variæ*, quæ vocantur, eæ sunt quorum vtraque ferri potest, nam mendosa lectio certè ferri non potest, neque debet, vt pote quæ pugnet cum mente & consilio præcipuo authoris. Ergo nil opus est confugere ad Ecclesiæ authoritatem, ad quam scilicet frustra confugeremus, vt pote quam Ecclesia nullam hîc interponit, ne Romana quidem. At verò perturbat hęc varietas animum vehementer. Sed nos iam quærimus, an Ecclesiæ authoritate hæ turbę componantur, id quod esse falsum iam abundè demonstratum est, non quærimus quâ tandem ratione componantur.

quarum duo sunt genera.

Quoniam verò huc deducta disputatio est, ne quis animi pendeat, & hoc, quicquid est, expediendum est duplex omninò varietas lectionis in libris occurrere potest: 1. Est quædam varietas momentosa, quæ cernitur earum rerum significatione quæ maximi sunt momenti, eius generis varietas in verbis nonnulla est in Scriptura, in rebus nulla; nulla, inquam, in Hebraicâ & Græcâ quam vocant veritate: 2. Alterum genus varietatis est illius quæ nullius est momenti, quod attinet ad rem ipsam, quum scilicet siue sic legas, siue aliter, res eodem reapse redit, quamuis voces vel phrases significationis in speciem contrariæ sint, vel nonnihil diuersæ: verbi gratiâ, initio capitis 12. Epist. ab Heb. in receptissimâ græcâ editione peccatum dicitur εὐπερίστατον, at in Complutensi ἀπερίστατον: voces sunt prorsus contrariæ, at significationis tamen non sunt contrariæ, nam εὐπερίστατον vertunt, *quod nos adeò facilè circumsistit*, ἀπερίστατον verò *quod euitari non potest* περίστασθαι Apostolo est *euitare*. Res vtrobique pænè eadem est. Et capite vltimo Apoc. in editione græcâ, ea quæ receptissima est, exstat scriptum, *Qui iustus est iustificetur adhuc*, hoc est, probet operibus se esse iustum, quomodo B. Iacobus docet nos iustificari ex operibus; at in Complutensi editione scriptum est, *iustitiam faciat adhuc*, eâdem (vt videre est) sententiâ. Ergo nulla est in libris Apostolicis varietas quæ cuiusquam animum meritò possit offendere, vt nihil hîc opus sit Ecclesiæ authoritatem implorare.

Vnde error reuinci

Quod si verò in re graui vlla esset in sacris litteris varietas, id quod ne vnquā eueniret singulari Dei prouidentiâ cautum est, quæ vt eos libros, quamuis summa conquisitos diligentiâ à tyrannorum satellitibus & emissariis, tamen conseruauit, sic etiam inuigilauit vt ne vlla iis accideret insignis mutatio; Verumtamen si id accidisset non authoritate Ecclesiæ, sed ex ipsâ Scripturâ sacrâ dignosci id potuit: quemadmodum enim errores qui librariorum vitio in libros Aristotelis irrepserunt, si vllius sint momenti, facilè ex toto genere doctrinæ Aristotelicæ deprehenduntur. Sic etiam in S. Scripturâ si vllo in loco erratum fuisset in ipso dogmate fidei, ex aliis locis potuisset facilè error emendari: neque enim contingit vt in libris maximâ curâ adseruatis atque descriptis passim erretur. Nihil igitur hîc opus fuisset Ecclesiæ authoritate.

posset si irrepsisset in libros sacros.

Verum enimuerò libri Prophetici scripti sunt linguâ Hebraâ & Græcâ primùm, deinde versi in vernaculam. Qui possit de Versionum fide imperitus iudicare? Et, potestne negari magnam esse Versionum varietatem? Id eodem pacto dissoluitur quo ea quæ allata sunt ad conuellendam certitudinem integritatis scriptorum Apostolicorum & Propheticorum. Nam quemadmodum fides versionis Elementorum Euclidis linguam gallicam inde præcipuè dignoscitur, quod versionis author non fuit eo ingenio vt potuerit res tam præclaras ipse commentari & excogitare, vnde sequitur in Versione non esse erratum, atque in eâ nihil exstare quod sit Translatoris, præter verba. Sic planè rerum magnitudo tanta vt author versionis Bibliorum eas non potuerit ipse inuenire, satis apertè ostendit & probat Versionis fidem.

Resp. ad ss de translationibus sacrorum librorum.

Quod verò ad Versionis varietatem attinet, eadem quæ supra distinctio locum habet, nam si in leuiculâ inter interpretes dissensio est, de eo non est quod laboremus. Sin de re graui, ipsa fidei (vt loquuntur) analogia prauitatem versionis redarguet, nullâ intercedente necessariò Ecclesiæ authoritate. Paucis, errari potest in Versione duobus modis, vel si pugnet Versio cum mente Spiritus Sancti absolutè, hoc est, si Versio reddat sententiam pugnantem cum ipso dogmate, vel erratur non quidem iam aduersus mentem Spiritus Sancti absolutè, sed tamen aduersus mentem Spiritus Sancti hoc aut illo loco. Solum prius genus erroris perniciosum est, ac meâ quidem sententiâ, in nullâ quæ hodie exstat Versione occurrit, nisi fortè in Vulg. Vers. duobus hisce (exempli gratiâ) in locis, *Talibus enim hostiis promeretur Deus*, Heb. 13.16. Sed is error fortean excusari potest, nam *demereri aliquem* Latinè non est aliquem deuincire semper, sed sibi conciliare, atque ita dictum erit quemadmodum illud, *Redime peccata tua iustitiâ*: verba sunt Danielis ad Nabuc. Alter verò: *Adorauit fastigium baculi sui*. Gen. 47. 1. Nam perinde dictum videri possit atque, *Adorate scabellum pedum eius*, hoc est, ad scabellum.

& eorum varietate atq; discrepantia.

Quod si quis pertendat, non posse quosdam errores versionū excusari, imò ne eos quidem deprehendi posse: facilis responsio est, nō esse Ecclesiæ authoritatem, sed erroris repugnantiam cum cæteris locis sacræ Scripturæ, quæ litē hanc dirimat. Sed vt res magis sit perspicua, adhibeamus notissimum, exēplum vsus est Thomas Aquinas versione scriptorū Aristotelis barbarâ & mendosâ, attamen propterea quod in eâ versione passim

Vnde earum errores deprehendi possint.

effulgent Peripateticæ Philosophiæ dogmata, ex dissonantiâ versionis cum dogmate Thomas, linguæ græcæ planè rudis, vel errorem versionis obseruat, vel ita versionem interpretatur, quâ parte aberrat à Græco, vt eius interpretatio etsi non quadret si conferatur cum versione, conueniat tamen græco appositissimè, tanquam si Thomas græcum codicem inspexisset ipse, quem nunquam fortasse viderat, aut certè si vidit, non intellexit. Haud dissimili ratione, si in versione Bibliorum tam grauiter erratur vt versionis sententia ipsum dogma euertat, qui dogmatis non est rudis, quamuis nullam habeat linguæ Græcæ vel Hebraicæ notitiam, errorem nullo negotio deprehendit.

Resp ad 4. *At qui possit qui nescit litteras scire an legantur sacræ Scripturæ fideliter, an ex iis testimonia citentur integra & intacta, neque enim ipsum codicem iis licet per imperitiam consulere.* Sed hoc facilè solui potest, nempe ex consensu legentium, qui cùm non possint vocari in suspicionem syncretismi, dissiti quippe locis & tot numero, vt in commune consultaturi conuenire non potuerint. Verumtamen etsi vnus tantum legeret, vnus recitaret, maiestas rerum & sententiarum verborúmque tanta est vt legentis aut recitantis ingenio non possit adscribi, vnde fit vt facilè possit intelligi legentem & recitantem legere & recitare aliena. Ea verò rerum magnitudo non cernitur nisi interuentu lucis Spiritus sancti, iuxta illud Pauli, 1. Cor. 2. 14. *Homo animalis non percipit ea quæ sunt Dei, neque verò ea potest percipere, sunt enim ei stultitia, spiritualis verò dijudicat omnia, cum ipse à nullo iudicetur,* quod intelligendum est de iure, (vt loquuntur) non de facto, hoc est, non pendet homo spiritualis in rerum diiudicatione ab vllius iudicij authoritate, quemadmodum in rebus cernendis oculi non pendent ab alieno iudicio.

Cap. XV.

Proponitur sexta ratio Pontificorum & refellitur.

6. Pontif. ratio, de Scripturæ interpretatione.

SExta ratio, quâ contendunt effici authoritatem Verbi Dei pendêre, quod ad nos attinet, ab Ecclesiæ authoritate, ducitur à varietate Interpretationum sacræ Scripturæ. Nam cùm Verbum Dei non sit iam *littera* (quam vocant) *Scriptura*, sed id quod ea, quam vocant *litteram*, significat, si de sensu controuersia est & de mente spiritus Sancti, quænam demum ea fuerit, certissimum est de Verbo Dei pariter controuersiam esse. Atqui in hâc diuersitate iudiciorum negant quidpiam certè posse statui & definiri, nisi accedat iudicis, qui litem dirimat, sententia. Quis verò potius hîc iudex sit quàm Ecclesia? Id quod illi nituntur probare prolatis primùm testimoniis ex Veteri Testamento, tum deinde ex Nouo Testamento. Sed præstat hâc in parte eos ipsos audire disputantes. *Primùm* (inquiunt) *testimonium habetur* Exod. 18. *Ibi enim legimus quod cùm cœpisset populus Dei redigi ad quandam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ, sedebat Moses tanquam Princeps & caput illius Ecclesiæ, & ad omnia dubia circa legem Dei exorta respondebat, nec homines remittebat ad spiritum aliquem reuelantem. Ibidem cùm constituisset, iuxta consilium soceri sui, minores magistratus qui populum iudicarent, semper tamen sibi reseruabat dubia circa religionem. Bellarm. libro 3. de Interpret. verbi Dei cap. 4.*

Resp. ad locum Exodi. 1.

In quo illud primùm offendit, quod videantur negare vllam ante exstitisse formam Ecclesiasticæ Reipublicæ, deinde (quod consequens est) vllum iudicem antea exstitisse qui controuersias in religionis negotio definiret, quorum vtrumque dictu perabsurdum, & pænè impium est. Neque enim Ecclesia temporibus iis quæ Mosis tempora præcesserunt, caruit suâ formâ. Deinde, nefas est statuere pios ante Mosis tempora hæsisse dubios atque suspensos, quoties agebatur de controuersiâ in causâ religionis, quod omninò consequens est, si tum primùm iudicium illud Ecclesiasticum constitutum est, vnde nempe volunt illi pendêre definitionem controuersiarum. Nam si nullum antea fuit iudicium illius generis & conditionis, fideles verò nihilominus habuerunt quod statuerent in controuersiis de religione, necesse est vt certitudo atque firmitas assensûs fidei aliunde pendeat quàm ab Ecclesiâ: nam fidei ingenium (vt ita loquamur) & natura omnibus sæculis vna est, siquidem fides vna est. Nam illud, *nec homines remittebat ad spiritum aliquem reuelantem*, calumniosè dicitur, vel impiè, si enim *spiritus reuelantis* nomine fanaticos Enthusiasmos intelligant, putida calumnia est quâ nos petunt, ac si ij essemus quibus probantur Enthusiasmi, tanquàm si ea spiritus vis in animabus fidelibus sese exereret ordinariè. Quod si verò iam *spiritus reuelantis* nomine intelligi volunt spiritum Sanctum, qui in Scripturâ idem spiritus veritatis & reuelationis dicitur, impia planè sententia est, quam ne illi ipsi qui eam protulere, si sibi modò volunt constare, queant probare, nam non negant, imò verò profitentur vltrò, Spiritum sanctum necessarium esse ad religionis dogmata percipienda.

3.

Illa verò, *cùm constituisset iuxta consilium soceri sui minores Magistratus qui populum iudicarent, semper tamen sibi reseruauit dubia circa religionem: nimirum vt intelligeremus vnum esse debere commune tribunal à quo omnes petant Diuinæ legis interpretationem, vt cui omnes simpliciter acquiescant*, sine vllâ authoritate Scripturæ dicuntur, nempe conficta studio causæ. Neque enim credibile est, Jethronem Mosis socerum præscripsisse Mosi, Prophetarum principi, quid facto opus foret ad dirimẽdas controuersias circa religionem & Dei cultum, aut Mosem adeò sibi defuisse & muneri suo, vt Deo non consulto, monitu hominis priuati, quidquam voluerit hâc in parte præter Dei mandatum mutare. Itaque illud rectissimum & simplicissimum est, vt statuamus eo in loco agi de controuersijs politicis ac ciuilibus, quas nos vltrò fatemur non posse aliter definiri, atque (vt loquuntur) terminari nisi accedat iudicis authoritas: nempe in quibus id quæritur vt ne rerum possessiones sint incertæ, vel potentiorum vis imbecilliores premat, non quæritur id potissimum vt conscientia ratione victa acquiescat. Argumento est quod litigantibus Iudices decretorum suorum rationem non reddant, itaq; non persuadent, sed cogunt, neque docent, sed imperant, cùm controuersiarum de religione diuersissima ratio sit, nam fides persuadetur vtique non imperatur, ab hominibus, inquam. Itaque ne Apostoli quidem hoc sibi vendicant vt dominentur in fidem.

eo loco agitur de controuersiis ciuilibus.

Sed

Sed id ipsum locus ipse quem citant clarè loquitur: *Et vidit socer Mosis omnia quæ ipse faciebat populo, & dixit, Quid est hoc quod tu facis populo? cur tu sedes solus, & omnis populus stat iuxta te à manè vsque ad vesperam? dixitque Moses socero suo, quia venit ad me populus ad inquirendum Deum, cùm fuerit eis causa veniunt, & iudico inter vtrumque, & notifico statuta Dei ejus leges. Et dixit socer Mosis ad eum, non est bonum verbum quod tu facis, cadendo cades, tu & populus iste qui tecum est, quia supra vires tuas est res, non poteris eam facere tu solus. Nunc audi vocem meam, & consulam tibi, & Deus erit tecum, & adduces tu eius causas ad Deum, & monebis eos, & statuta & leges notificabis eis, &c. Et tu considera ex omni populo vires fortes timentes Deum, viros veridicos, & pones super eos Tribunos, Centuriones, quinquagenarios, decanos, & iudicabunt populum in omni tempore & omnem rem magnam referent ad te, & omnem rem paruam iudicabunt ipsi. Si verbum hoc feceris, & quæ præcipit Deus, stare poteris, & omnis etiam populus super locum suum ibit pacificè, & obediuit Moses voci soceri sui.*

quod ostenditur. 1. Quibus ex verbis illud primum facilè est intelligere, hunc ordinem in iudiciis non fuisse à socero Mosis præscriptum eo quod alioqui iudicia forent incerta, sed vt Moses & populus subleuaretur molestiâ; nam nec vnus tot litibus dirimendis sine graui labore vacare posset, nec maturè priuatorum hominum lites componi possent, si earum omnium iudicium ad vnum deferatur. Atqui si ageretur de causâ religionis, & iudicij certitudo ab vnius authoritate hominis pendêret, nulla molestiæ, sed conscientiæ præcipuè hâc in parte ratio habenda fuit. 2. Deinde & illud etiam obseruandum est, quod hîc mentio fit caussarum, *cum fuerit eis caussa*; At controuersiæ de religione *caussæ* non dicuntur, sed quas vocamus lites. Denique & illud non est prætereundum, quod ab inferioribus iudicibus in causis minoribus ad Mosem non dabatur prouocatio. Vnde sequitur in controuersiis de dogmate religionis inferiores iudices non posse errare, id quod ipsi negant Aduersarij.

3. Illud etiam diligenter est notandum, quod nullam veri speciem habet; Mosem de Thesi (vt loquuntur) dubitasse, hoc est, quid in genere fas esset, quid nefas, sed de Hypothesi: Atqui omnes de religione controuersiæ sunt controuersiæ de Thesi. Porrò de iis rebus de quibus Moses iudicabat, priusquam diceret sententiam Deum consulebat, vt constat ex Mosis ad Jethronem verbis. Ergo non agebatur de causis religionis. Verùm esto, fuerit istud iudicium de controuersiis circa religionem, non continuò sequitur tamen iudicij authoritatem ab authoritate Mosis pependisse. Nam Prouerb. 6. commendatur liberis parentum lex, iubentur ab eorum ore pendêre, attamen non sequitur, nullâ se authoritate commendare patris pij præcepta præter patris authoritatem. Itaque Jethro prudenter, *Esto tu pro populo coram Deo, & adduces tu eius causas ad Deum, & monebis eos*: & Moses ipse, *& notifico statuta Dei, & eius leges.* Huc etiam illud accedit quod Mosis authoritas tot signis & miraculis comprobata in exemplum trahi non debet, vtpote cuius munus extraordinarium fuit.

secundus. Secundus locus Veteris Testamenti, cuius authoritate nituntur, vt probent diiudicationem controuersiarum circa religionem pendêre ab authoritate Ecclesiæ, exstat Deuteron. 17. (Scripturæ locus.) locus sic habet, *Si difficile atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam & causam, lepram & lepram, & Iudicum intra portas tuas videbis verba variare, Surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus, veniésque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit eo tempore, quærésque ab eis &c. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino tuo, ex decreto Iudicis moriatur.* Sed nec hic locus quidquam facit ad causam, (1. non facit ad causam.) non enim (vt supra demonstrauimus) ex eo quod iudicia constituta sunt à Domino continuò sequitur, ex iudicum authoritate, tanquam præcipuo argumento, pendêre fidei certitudinem, non magis certè quàm ex eo quod Deus vult in omnibus causis ordinem quendam iudicij seruari, effici potest, Judices non posse errare: Nam in hoc genere illud semper (vt ita loquimur) præsupponitur, iudicum sententiam consonam esse legi & æquitati, nam illud semper valet, *obediendum potius esse Deo quàm hominibus.*

Neque verò excipi contra potest, Deum hîc præscribere *cæcam*, quam vocant, *obedientiam*: nam haud dubiè Synedrium si quicquam definiuisset contra Dei legem, eius definitionis authoritate soluti erant etiam priuati homines, quo minus eâ tenerentur, (2. Synedriũ potuit errare,) cuius rei luculentum documentum eo habetur, quod synedrium illud iudicum, de quo agitur eo loco, sæpè tam grauiter errauit, vt plebs, si sententiam iudicis secuta fuisset graui scelere sese obstrinxisset. (& errauit de facto.) Cuius rei in Veteri Testamento multa exstant exempla, testes sunt Prophetæ quorum in scriptis passim exstant grauissimæ querelæ aduersus omnes omnino ordines populi Israelitici. Et verò si nullum exstaret eiusmodi exemplum temporibus Veteris Testamenti, attamen exstat eiusmodi exemplum in Nouo Testamento tam clarum atque illustre, vt nullo ingenio, nullâ arte possit obscurari, nimirum Synedrij sententiâ Christus Dominus damnatus est, eaque doctrina, quæ eum profitebatur filium Dei, tanquam hæresis reiecta & damnata. Deinde verò iudicium hoc non Ecclesiasticum, sed politicum fuit.

Non id iam agimus vt probemus eo iudicio actum de rebus politicis, (3. fuit Politicum,) politicum enim iudicium dicitur (vt loquuntur in Scholis) non quod de rebus politicis tantum habetur, sed cuius forma & ratio politica est, qualia sunt iudicia de religione quorum exitus est pœna merè politica, (sic enim loquamur) vt mulcta & pœna corporalis, quarum neutram licet iudici Ecclesiastico infligere, vt potè cuius iurisdictio merè spiritualis est. Argumento est quod Josaphatus hoc iudicium instaurauit iniquitate téporum collapsum, 2. Chron. cap. 19. Id quod illi non animaduerterunt, vt qui nil minus velint quàm pendêre à Regum authoritate iudiciorum Ecclesiasticorum vel constitutionem, vel etiam restaurationem. In quo etsi illi longè abeunt à vero, (id quod suo loco demonstrabimus) attamen quando Regum in eo consilium est, vt nequis impunè ferat violatam religionem, satis apertè ea res ostendit iudicium, quod ad formam attinet, politicum esse: nam iudicia merè Ecclesiastica

à solo Deo pendent, quæ nimirum & institui & haberi possint, si Reges impij sunt & alieni à religione, Regibus inuitis & repugnantibus.

4. In eo agebatur de facto non de iure.

Hic verò non repetimus (neque enim necesse est) quod supra diximus, his in iudiciis quæsitum esse de facto potius quàm de iure, quod omne cùm lege Dei definitum fuerit in Veteri Testamento, tam clarè vt nulla superfuerit ambiguitas, de lege nullus quæstioni locus reliquus esse potuit, de certo quodam facto, fuerit ne legi consonum an diuersum, quæri potuit. Itaque huius generis controuersia significanter ריב id est *lis* vocata est, quâ nomenclaturâ controuersiæ de religione nusquam designantur. Neq; verò repugnat quod 2. Chron. 19. disertis verbis scriptum est, *Inter legem & præceptum, inter statuta & iudicia*, Nam *legis, præcepti, statutorum* & *iudicij* nomine facta significantur, de quibus quæritur an iuxta legem, iuxta iudicium, iuxta præceptũ, iuxta statutum facta sint, id quod non nisi ex facti circumstantiis definiri potest. Sanè in lege משפט, מצוה, חק, תורה, lex, statutum, præceptum, iudicium, sic vocantur, vt תורה significet rei ordinem & dispositionem, vt quum dicitur תורת הנזיר *lex Nazaræi*, תורת המצורע *lex leprosi*. Imò verò etiam 2. Sam. 7. 19 תורת בני האדם dicitur *modus & agendi ratio quam homines sequuntur*. מצוה præceptum est simplex & vnum, in cuius executione nullus ordo requiritur, vt quum interdicitur populo, *ne boui trituranti obliget*. משפטים & חקים *statuta & iudicia* ita distinguuntur, vt eorum alterum ad Cæremonialem legem, alterum verò ad res ciuiles pertineat. vt תורה & מצוה designent formam, משפטים & חקים *materiam*: nisi fortè hæc aliter distingui queant, nihil enim affirmamus, hâc, inquam, in parte.

Obj.

Ref.

3. locus.

Tertius locus exstat Ecclesiast. 12. 11. *Verba sapientum sunt tanquam stimuli* (sic notat Spiritus sanctus acumen sententiarum quas proferunt viri Sapientes, quod in eo cernitur quòd vehementissimè mentis aciem feriant, atque animum afficiant) *& tanquam claui plantati* (nimirum ob certitudinem fixam & inconcussam) *authores collectionum dati sunt à Pastore vno*, (*collectiones* vocat quas Græci appellant χρηστομαθείας, quæ sunt sententiæ variæ in vnum collectæ, quales libro Prouerbiorum continentur, nullo certo ordine digestæ.)

Ref.

Qui locus quid ad causam faciat intelligi non potest. Nam vt ab eo quod vltimo loco positum est ordiamur, *Pastor* hic *vnus* filius est Dei, *Sapientes* verò quibus est datus Dei Spiritus, quinam verò illi sint, id verò non eorum authoritate, sed dictorum acumine, & firmitate notæ & perspectę veritatis, teneri potest: nempe *stimuli* sunt hæc dicta, quia pungunt & exstimulant animum, & *claui plantati*, quod conscientia sic iis afficiatur vt sensum eorum excutere, qui hanc vim experti sunt, nullâ ratione queant, quia nempe subinde occursant animo & mentem percellunt.

4. locus.

Quartus locus exstat Aggæi cap. 2. verba loci sunt, *Hæc dicit Dominus Deus exercituum, Interroga Sacerdotes legem* &c. Sed nec hic locus eorum causam iuuat: Nam & Paulus iubet vxorem domi maritum interrogare, etiam iis de rebus quæ ad religionem spectant, neque verò hoc præcepto voluit Paulus vxoris fidem à mariti authoritate pendêre. Illud enim obseruandum est in hoc genere præceptorum, illud semper tenendum esse, dummodò faciat maritus quod mariti est, dummodo faciat Sacerdos quod Sacerdotis est. Nam mariti est & Sacerdotis minoribus se quid facto opus sit scire & præscribere, id quod sæpenumero ignorant, aut verò si sciant, affectibus acti transuersùm diuersum præscribunt. In summâ, ordo seruandus est quamdiu seruari potest, seruari autem tandiu potest quamdiu qui cum authoritate præsunt munere suo funguntur; in causâ, inquam, conscientiæ & religionis: quod si minus faciant, ordinis authoritate non tenetur constricta cuiusquam conscientia.

5. locus Res.

Vltimus locus è Veteri Testamẽto est Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Quo loco *Sacerdotis* nomine Sacerdotes quilibet intelliguntur, phrasi hebraicâ, adeóque græcâ & latinâ, vt superiore loco, *interroga Sacerdotes* habetur, non *interroga Sacerdotem*. Atqui ignorat nemo iniquum esse vt à cuiuslibet Sacerdotis authoritate dependeat fides nostra. Itaque eodem loco, *Pactum meum*, inquit Dominus, *fuit cum Leui*, non dixit *cum summo Sacerdote*, sed *cum Leui*, hoc est, cum tribu Leuiticâ. Atqui huius pacti conditio fuit vt Deum timerent, promissio, vita & pax: Conditionem autem violatam fuisse verbis statim sequentibus Dominus conqueritur. Quid igitur, violato à Sacerdotibus Dei pacto standum nihilominus erat authoritate Sacerdotum? Itaque illud *labia custodiunt* non est accipiendum tanquam dictum modo (vt loquuntur Gramm.) indicatiuo, sed modo imperatiuo, quemadmodum Malach. 1. *Filius honorabit Patrem*, hoc est, Filius debet honorare Patrem. Et in lege Dei, *non furaberis*, &c.

Cap. XVI.

Adjiciuntur & expenduntur loci quos citant Pontificij in eandem sententiam ex libris Noui Testamenti.

Loci ex Nouo Testam. 1.

Primus ac præcipuus locus, quem adducunt Pontificij ad confirmandum dogma suum de Verbi Dei authoritate quod ad nos attinet, est Matth. 18. *Si autem peccauerit in te frater tuus, &c. Dic Ecclesiæ, &c.* Vnde sic colligunt. Quorum iudicio standum est quum agitur de conscientiâ, eorum authoritas est ea quâ habetur certa veri notitia: Iubentur autem hic à Christo homines acquiescere iudicio Ecclesiæ, Quid igitur superest quam vt conscientia authoritate Ecclesiæ nitatur? Sed hîc dici non potest quantopere à scopo aberrent, neque enim hoc loco agitur de Ecclesiâ vniuersali, quæ in priuatorum hominum iniuriis consuli non potest: agi autem de iniuriis priuatorum hominum inde liquet, quod non dixit Dominus, *si peccauerit frater tuus*, sed *si peccauerit in te*, hoc est, si læserit famam, corpus, &c. si quicquam tibi detraxerit de fortunis tuis, vel etiam tuorum. Atqui authoritas, vnde volunt illi pendêre hominum conscientias, authoritas Ecclesiæ vniuersalis est, & quidem in Synodo Oecumenicâ in vnum coactæ. Id quod rarò admodum contingit, testis sit à Christo nato ad nostra vsque tempora Conciliorum Oecumenicorum infrequentia & raritas, &, si haberi faciliè posset, tamen tot querelis audiendis, tot dirimẽdis litib⁹, quales inter fratres oriri solẽt, vacare minimè posset

Ref. nempe non agitur eo loco de iudicio Synodi Oecumenicæ.

posset. Et profectò agitur hîc de iudicio singularũ Ecclesiarum, & quidem tali iudicio vt ab eo non detur ad sublimius in terris iudiciũ prouocatio, tres enim hîc constituuntur gradus, quorum tertius cũ secundo immediatè cohæret, cùm sit ipse gradus summus, *vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*, hic primus gradus est. *Si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum vnum vel duos*, hic secundus gradus est, quem excipit statim tertius & summus, *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ*, nullum aliud in terris superest iudicium, sequitur enim illud cõtinuò, *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti Ethnicus & Publicanus*. Jam verò extra omnem controuersiam est, à singularum Ecclesiarum iudicio non esse pendendum in causâ religionis, vtpote quæ singulæ seorsum possint errare.

sed de iudicio singularum Ecclesiarum.

Quomodo iubemur stare Ecclesiæ iudicio.

Sed tamen nondum est expeditum quod Christus hoc loco commendare videtur, vt stemus Ecclesiæ authoritate in iis quæ pertinent ad conscientiam, quamuis enim non agat Christus de ratione definiendarum controuersiarum in causâ religionis, certum tamen est eâ de re Christum agere quæ pertinet ad conscientiam, æquè autem absurdum est vt conscientia vlla ex parte pendeat ab authoritate Ecclesiæ, quàm vt ab authoritate Ecclesiæ ex toto pendeat, quod enim hoc prohibet, & illud pariter prohibet; nempe summum Dei imperium ac ius, quo sibi hominum conscientias reseruauit, quod æquè vetat ne in vllo, quàm vetat ne in omnibus ab vllâ authoritate, præter suam, pendeamus. Itaque non est illis id concedendum quod sumunt, non enim quo iudicio tenemur stare, eius iudicij authoritas continuò (quatenus, inquam, conscientiam conuincit) à iudicis authoritate pendet, id quod vel hic locus satis apertè ostendit. Nam reus culpæ in fratrem tenebatur haud dubiè stare iudicio fratris in quem peccauit, nihil quicquam ab eo postulantis quàm vt resipisceret (neque enim hic Christus dat pręcepta œconomica) deinde & multo magis tenebatur stare iudicio duorum aut trium, neque verò quisquam idcircò (qui modò mentis compos sit) arbitretur reum, id si fecisset, in eo pependisse à fratris, quem offenderat, vel duorum aut trium testium authoritate. Sic Scriptura commendat obedientiam quæ debetur iis qui præsunt Ecclesiæ, singulis nimirum, neque tamen voluit eo (etiam fatentibus Aduersariis) singulos Ecclesiæ præpositos non posse errare: Huius generis enim hortationes requirũt conditionem, vt hoc loco, *si in te peccauerit*, nam alioqui temerè delatus innocens frater, temerè damnatus, adulterij puta, non tenetur eo se adulterum fateri. Sanè illi ipsi, quibuscum nobis iam res est, fatentur in quæstione de facto Papam ipsum posse errare (atqui hîc agitur de quęstione de facto) itaque solemnis formula inter eos est, *non errante claue*, quæ nimirum si erret, nec absolutio prodest, neque excommunicatio nocet. Ergo quum iubemur stare Ecclesiæ iudicio, illud semper intelligendum est, dummodo Ecclesia faciat quod Ecclesiæ est. Nam & Christus iubet adiri atque audit Pharisæos *sedent enim*, inquit, *in cathedrâ Mosis*, quâ adjectâ ratione indicauit non absolutè, sed certâ quâdam ratione eos esse audiendos, nimirum quatenus & quamdiu verè Mosis partes agunt, verè docent quæ tradidit Moses, id enim est *sedere in cathedrâ Mosis*.

nempe non absolute, sed si officium fecerit.

Inst. Quod igitur (inquiet aliquis) pondus addet iudicium Ecclesiæ iudicio priuatorum hominum, nisi authoritate suâ, non solâ veritate, commendet iudicium suum? Sed neq; nos id volumus, iudicium Ecclesiæ solâ se veritate commendare, nam ad hanc accedit monentis authoritas, quæ etsi non habeat tantam vim quantam habet veritas, vim tamen suam quandam habet, vt supra disputauimus, quâ excitatur attentio, certè debet excitari. Dein si contemnatur peccatum eo grauius fit, quàm si veritas ab homine priuato profecta contempta fuisset. Nam quod veritas contempta est vtrobique, seu eam proponant homines priuati, seu qui præsunt cum authoritate, in eo sanè vtrobique par peccatum est, at quod priuatus, vel qui præest cum authoritate rejicitur, hactenus, inquam, non peccatur pariter, multum enim interest an frater fratri admonenti se morosum præbeat, an verò patri, quamuis eadem monenti, atqui sanè vt in familiâ fratrum offensæ, ipsis fratribus adhibitis arbitris, componi debent, sin inter illos nulla iniri ratio concordiæ potest, totius rei iudicium deferendum est ad patrem, quem nisi audiat frater, à fratribus habendus est pro extraneo; sic in Ecclesiâ componendę sunt offensæ & simultates priuatim primùm, si fieri possit, quod si hoc pacto res non succedat, deueniendum est ad Ecclesiæ tribunal, cuius iudicio si quis non stet, habendus erit pro Ethnico & Publicano, id quid sit non est huius loci explicare. Quisquam-ne dixerit hoc pacto stabiliri vel in familiâ, vel in Ecclesiâ, summam quandam authoritatem, quâ teneantur hominum conscientiæ obstrictæ potius quàm ipsâ vi veritatis?

Ref. quo modo afferat Ecclesiæ authoritas à priuatorum authoritate.

2. Locus ex N. Testam.

Sequitur locus secundus qui exstat 1. Cor. 14. 32. *Et spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est*. Est autem, inquiunt Verbum Dei quod tradit spiritus Prophetarum: Ergo subiectum est Prophetarum examini, & quidem eâ lege, vt eorum propriè sit de re totâ statuere. Sed hic locus ab iis detortus est in sensum alienum à consilio Apostoli: Hîc enim non agitur de eo vt nouerimus penes quos sit examen ac iudicium de doctrinâ, sed quo ordine Prophetæ debeant in Ecclesiâ prophetare: nempe inualuerat apud Corinthios praua quædam consuetudo, vt qui spiritu prophetico præditi erant (quales primis Ecclesiæ temporibus multi fuere etiam è plebe, vt constat ex hâc eâdem Epistolâ, adeoque ex hoc ipso capite vnde locum hunc citant) simul omnes prophetarent, dum singuli nefas esse putant vt sibi mutuò cedant, vnde oriebatur tumultus & confusio, dum vno eodemque tempore diuersis linguis Dei eloquia (vt loquitur Apostolus) diuersa, quamuis minimè dissentanea, sed tamen diuersi argumenti, traderentur. Atque hanc esse Apostoli mentem liquidò ostendit subjecta ab Apostolo dicti ratio, *Non enim*, inquit, *ἀκαταστασίας*, hoc est, *turbæ & confusionis sed pacis Deus author est*. Hoc pacto ℣. 31. *potestis enim omnes prophetare per singulos, vt omnes discant, & omnes percipiant exhortationem* siue *consolationem*, includendus est parenthesi, atque ita cohærebit ℣. 32. cum 30.

Ref. 1.

3. Quamquam vt maximè locus accipi posset de subjectione quæ debetur examini & iudicio, tamen nihil aliud hinc efficere possint, quàm Prophetarũ esse iudicare de doctrinâ Prophetarum.

Et quis iam adeo sacrarum litterarum & Verbi Dei rudis est, vt ausit negare etiam priuatorum hominum esse *probare spiritus, an & Deo sint*, & nostrum esse *omnia probare, quod bonum est retinere?* 1.Joh 4.1. *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an sint ex Deo, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Et 1.Thessal.5.20.& 21. *Prophetias nolite despicere, omnia autem probate, quod bonum est retinete.* Nemo tamen quisquam est, qui putet hoc pacto deferri priuatis hominibus vt ab eorum indicij authoritate pendeat conscientia aliena. Etsi verò Prophetis deferatur iudicium de doctrinâ, vtpote qui authoritate prædicti sunt, quæ penes plebem nulla est, attamen non eo statim efficitur vt iudicium hoc summum sit, vnde scilicet nefas sit ad Deum prouocare, aut eo niti debeat potissimùm conscientia, dum certò constituendum est quodnam sit Dei Verbum, quod minùs. Hæc etsi verè dicuntur, tamen quia illud ὑποτάσσεσθαι *subjici* magnam habet emphasim, neque verò nisi admodum duriter dici possit Propheta, qui quidem verè Propheta sit, subjici vllius iudicio, cùm ne homo quidem spirituales teste Apostolo, à quoquam iudicetur, tamen non videntur æquè conuenire scopo & verbis Apostoli, neque enim vera sententia eadem continuò est vera loci interpretatio.

3. locus ex N. Testam.

Tertius locus exstat 1. Cor.12.8.9.& 10. *Alij qui per spiritum datur sermo sapientiæ, & alij operatio virtutum, alij discretio spiritum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum.* Atque hinc, si superis placet, concludunt (haud bellè sanè) pendêre iudicium de verâ interpretatione Scripturæ ab authoritate iudicij Ecclesiæ. Absurdè profectò, vt mollissimè dicamus. Nam primùm (id quod dicitur) sole meridiano clarius est Apostolum hîc Corinthios compellare, inter quos etiam hominibus priuatis, id quod ea tempora requirebant, Deus indulserat dona extraordinaria, quæ hodie aut nulla sunt, aut perrara. Nos autem iam quærimus, quo fundamento niti debeat & stabiliri fides electorum omnium ætatum & sæculorum: certè (id quod sæpe repetendum est) meminerimus in hâc disputatione *iudicium Ecclesiæ* dici non singulorum, qui Ecclesiæ membra sunt, iudicium, sed (vt ex Adae: fartus alij sentiunt) iudicium Præpositorum Ecclesiæ, idque in Concilio dicentium sententiam, vel vt alij, Pontificis Romani. Atqui Apostolus neque hîc de Concilio neque de Pontifice Romano disputat. Itaque & hic locus est alienus à causa.

Ref.

4. locus ex N. Testam.

Quartus locus exstat Act.15.28. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Quorsum enim attinuit (sic disputant) adjecisse illud *& nobis*, si sola Spiritûs authoritas valet? Profectò, inquiunt causa dici non potest præter hanc vnam, quod de spiritus testimonio fidelibus non potest constare nisi accedat Ecclesiæ item testimonium. Et certè inter eos non nemo eò audaciæ erupit tandem, transuersùm actus studio causæ, vt rem planè similem esse diceret, ac quum Reges ipsi nolunt Edicta sua obtinere authoritatem nisi accedat consensus atque approbatio, atque (vt loquuntur Jurisconsulti) Ratihabitio eorum quæ vocant Parlamentorum. In quo in eo errant pænè dixerim impiè, quod res diuersissimas tanquam similes inter se comparatur. Nam quod Reges sic agunt id proficiscitur ab imbecillitate humanâ, nam sæpe cudunt Edicta nullâ maleuolentiâ, sed tamen noxia & perniciosa Reipublicæ, cuius statum ne penitus habeant perspectum multa sunt quæ prohibent, nam & alienis oculis videre & auribus audire coguntur, nempe homines sunt qui non possunt vbique, & semper, & omnibus interesse rebus. Itaque ne vel improborum, vel hominum qui rerum imperiti sunt fraude & consiliis circumueniantur, cauerunt vt penes inferiora iudicia esset ipsos monere, si quid habeat Edictum quod sit detrimentosum regno, quo facto si Rex diuersum iudicat, coguntur & iudicia inferiora authoritate Regis Edictum comprobare. At Deus qui Verbum suum tanquam Edictum proposuit, cùm idem potentissimus & sapientissimus sit, non exspectat donec de Edicti æquitate vel iniquitate, commodo vel incommodo, à miseris hominibus admoneatur. Præterea Edicta Regia non habent impressas notas regiæ authoritatis, vnde ab iis qui Regis consilio non interfuerunt, possint cognosci, itaque accedat huc necesse est veluti testimonium inferiorum iudiciorum: At verò Edicti Patris cœlestis dissimilis ratio & conditio est, *Lucerna* (inquit Propheta) *pedibus meis Verbum tuum Domine:* & Apostolus, *Si Euangelium nostrum tectum est, tectum est iis qui pereunt.*

Ref. 1.

2.

Obj. Ref.

Verumtamen quorsum attinuit adjecisse illud *& nobis*? Hic verò nodus nullo negotio soluitur, quorsum enim attinet vt Pater cum filiis, Rex cum subditis sic agat, vt Diuinæ primùm, tum suæ meminerit authoritatis, *Deus*, inquiet pius pater, *hoc præcipit, & ego ipsum tibi præcipio.* Et Regi pariter licet agere. An ex hoc effici contendent, nullam esse apud nos diuini verbi authoritatem præter eam quæ Regis & Patris authoritate pendet? nam certè eadem ferè locutio est. Nimirum ita se res habet, duo sunt monentium genera, vnum eorum est qui monent nullâ cum authoritate, in quo genere omnes priuati homines, seu cum iis agant qui & ipsi priuati sunt, seu cum iis qui præsunt cum authoritate; alterum eorum qui monent cum authoritate. Illorum est illud *& nobis* reticere, solius Dei meminisse, horum verò meminisse etiam authoritatis suæ, sed quam præcedat veritas, non sequatur, nam sine authoritate veritas valere & potest & debet, sine veritate authoritas in causâ religionis & conscientiæ nulla valet, neque verò, nisi sit idem amens vel impius, quisquam id potest negare. Quorsum autem attineat authoritatis meminisse humanæ postquam diuinæ mentio facta est, hîc repetere (cùm supra fuerit demonstratum) superuacaneum foret.

5. locus ex N. Test.

Vltimus locus est 2.Pet.1.20. *Hoc primùm scientes, quod omnis prophetia Scriptura propriâ explicatione non fit.* Illud *propriâ explicatione* eò referunt, ac si dictum foret ad distinguendam Ecclesiæ interpretationem à priuatorum hominum interpretatione sacræ Scripturæ: Id quod neque verbis Apostoli, neque verò eius consilio, conuenit. Nam illud ἐπιλύσεως *explicatio*, siue *interpretatio*, non pertinet ad totam Scripturam (si quidem referatur ad eorum interpretationem qui ipsi non fuêre Prophetæ) non enim tota Scriptura interpretationem requirit, verbi gratiâ, cum Scriptura præscribit bona opera, cùm quænam illa sint indicat, nihil opus hîc interpretatione est, res clara est &

Ref. 1.

est & manifesta, *Non adulterandum, non est furandum*, &c. iam hîc agitur de interpretatione quæ toti conuenit Scripturæ. Deinde, illud οὐ γίνεται nullâ mente, nullo, nisi absurdo & inepto, sensu dicitur, si hæc *interpretatio*, cuius Apostolus meminit, auditorum est vel lectorum sacræ Scripturæ: nam Scriptura non dicitur fieri interpretatione, siquis eam interpretetur, nimirum interpretatio non facit vt Scriptura sit prophetica. Neque verò consilium Apostoli hoc loco est agere de interpretatione Scripturæ, seu ea sit Doctorum, seu priuatorum hominum, seu totius Ecclesiæ, nam præcedente versu Scripturam propheticam ornarat elogio, nempe eam comparauit candelæ siue lucernæ lucenti in loco caliginoso, quod elogium necessitatem interpretationis respuit, asserit verò lucem & claritatem Scripturæ.

2.

3. Atque hæc à nobis disputantur, non eo quod, si illi assecuti forent agi hîc de interpretatione quæ Scripturam sequitur, res esset confecta, nam *propria interpretatio Scripturæ* ea est quæ pro ingenio conficta est, non est ea quæ proficiscitur vel à Doctoribus, vel à priuatis hominibus, dummodo non pugnet cum mente Spiritus sancti: quemadmodum siquis negaret Aristotelis scripta esse propriæ interpretationis, nil aliud vellet quàm interpretationem scriptorum Aristotelis non debere niti propriâ sententiâ, sed eâ quæ Peripatetica est. Nam alioqui quid vis posset affingi Aristoteli pro ingenij lasciuiam & petulantiam, quoties libet ludere in verbis, eaque, pro libidine huc illuc flectere, torquere, ac deprauare denique.

explicatur locus ille.

Quorsum igitur pertinet ἐπίλυσις? Nos quidem arbitramur, Id quod adeo res est, ἐπίλυσιν seu *interpretationem* ad ipsos Prophetas referendum. Scriptura igitur Prophetica dicitur οὐ γίνεσθαι *non fieri propria interpretatione*, quod Prophetæ Interpretes diuinæ voluntatis non adhibuerint hîc consilium & mentem suam. Id quod versus statim sequens probat & confirmat, non enim (inquit Apostolus) *voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Nam qui cogitata mentis suæ proferunt in medium, ij id faciunt voluntatis suę impulsu, Prophetarum diuersa conditio fuit, nam diuinitùs afflati & rapti extra se prophetabant. Sed requiret aliquis fortasse, quæ ratio sit cur hic prophetandi impetus, hæc vis, ἐπίλυσις dicatur. Quo in loco primùm monemus, non absurdè ἐπίλυσιν *missionem* dici posse, nam qui in stadio cursu certabant solutis repagulis, quæ *carceres* dicebantur, erumpebant ad cursum, Prophetæ autem currere dicebantur, tanquam tabellarij cursores diuinitus missi. Itaque statim illud sequitur, *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia*, vt Apostolus hic commendet reuerentiam quæ ab iis debetur qui in prophetarum scriptis versari volunt, eos in primis & ante omnia illud oportet tenere, Prophetarum oracula non esse commenta ingenij humani, sed diuina mandata. Si cui tamen id duriùs videtur dictum, & ἐπίλυσιν potius iudicet accipiendum pro *interpretatione*, nos quidem minimè habebit repugnantes, nam certè Prophetæ quid aliud sunt quàm voluntatis diuinæ interpretes? vnde & מליצים vocantur in Scripturâ, hoc est *interpretes.* Et Chald. Paraphr. Cantic. 1. vbi dici potuit, Esaiam vaticinatum, dicit Esaiam explicasse, *sicut scriptum est*, inquit, *& explicatum* (ἐπιλελυμένον) *per manus Prophetæ Esaiæ*, & statim locum citat. Ergo hæc diuinæ voluntatis prophetica reuelatio haud incommodè *explicatio* dici possit.

ἐπίλυσις quid sit.

Cap. XVII.

Adducitur vltimum Pontificiorum argumentum, & refellitur.

Exorti sunt nuper Sophistæ tenebriones (nam eorum nomen inter doctos & bonos viros certè vel obscurum est, vel contemptum) qui nouam quandam inierunt rationem, (depulsi nimirum & reiecti authoritate Scripturæ) quâ se sperant assecuturos vt omne Verbi Dei ius, quod ad nos quidem attinet, suspensum faciant ab Ecclesiæ authoritate. Nimirum sic ratiocinantur, Aiunt primùm id quod res est, non contineri sigillatim omnia Dei Verbo, Scripturâ videlicet, vnde necesse est vt si ex Scripturâ velimus aliquid colligere, necesse sit id diuersum esse à Verbo Dei siue Scripturâ, neque enim (vt illi autumant) id quod (vt in Scholis loquimur) concluditur idem est cum eo vnde deducta conclusio est. Argumento est, quod Syllogismus est oratio, vnde, per ea quæ posita & constituta fuerunt, aliud quid infertur. Deinde, cùm sit tanta humani ingenij imbecillitas, vt sæpenumerò hallucinentur homines in colligendo & ratiocinando, quærunt (vt sibi ipsis non absurdè quidem videtur) vnde nam constare nobis possit de necessitate sequelæ, quam ἀκολουθίαν Græci vocant. Et denique, vt id maximè possit obtineri, certa vt sit ratio sequelæ, quærunt quæ sit illius certitudinis conditio, fidei ne an rationis? porrò de consequentiâ non est fidei iudicare, sed rationis, nam συλλογισμὸς Græcè *collectionem* significat à ratione profectam, itaque συλλογισμὸν latinè *ratiocinationem* appellamus. Quod iam totum hoc pendet à ratione, non autem merè à fide, sequitur omninò (vt videtur illis quidem certè) in controuersiis religionis, etiam iis ad quas definiendas adhibetur Scriptura, rationem principem locum obtinere. Quæ omnia cùm sint (vt illi volunt) perabsurda, omninò sequitur, vt nobis constet quod sit Dei Verbum, confugiendum esse ad authoritatem quandam diuersam ab eâ quæ Verbo Dei non accessit extrinsecus, sed insita est naturâ. Cæterùm authoritas diuersa ab eâ quæ ipsi Verbo Dei inest, vtpotè quæ sit lux quæ nullâ nisi apud cæcos eget commendatione, nulla dari potest magis idonea quàm sit Ecclesiæ authoritas.

ratiocinantur Pontif.

1.

2.

3.

Hæc omnia eodem ordine quo instituta sunt persequemur, nempe inde primum ordiemur, quod negant *esse Verbum Dei quod ex Dei Verbo quadam sequela necessitate deducitur*, nam hîc primùm pes est figendus. Certè si quicquid ex Verbo Dei deducitur idipsum Dei Verbum est; cùm singula sigillatim Verbo Dei non contineantur disertis verbis, illud assequemur, importunos esse & meritò odiosos Sophistas qui exclamant, non esse de Scripturâ quod Scriptura verbum de verbo non continet. Hîc verò res expedita & facilis est, nisi illi nos iubeant primùm omnem tollere è medio rationis vsum, deinde verò nos eâ sponsione

Resp. ad 1.

1. V.D. est id quod ex V. Dei deducitur.

conueniant, quam in causâ pari, nempe suâ, hâc in parte illi ipsi putant esse iniquam, vt reuerâ iniquissima est: denique, nos, si iis hâc in parte accedamus, discedere necesse est à Dei consilio & instituto. Nam insanire quidem iam illud est, si quis putet diuersum esse id quod concluditur ab eo vnde conclusio deducta est, id quod inde primum liquet, quod omnis conclusionis ratio ab hoc pendet principio, quod ea quæ sunt vni tertio æqualia, eadem hactenus inter se æqualia sunt, quæ ratio est syllogismorum quos vocant ex omnibus affirmantibus, in quibus nimirum medium conuenit vtrique extremo, hoc est, subiecto & attributo conclusionis, vnde necesse est subjectum & attributum conclusionis inter se conuenire. Itaque si quod sit (vt ita loquamur) Verbum Dei quod doceat medium eiusmodi vt conueniat vtrique subiecto & prædicato conclusionis, necesse est id ipsum Verbum docuisse conclusionem esse veram: verbi gratiâ, Esto Scriptura non dixerit *quatuor*, dixerit eadem tamen *bina & bina*, nempe inde exstruetur hic syllogismus, Vbi sunt bina & bina ibi sunt quatuor (videte vt bina & bina conueniant optimè τῷ *quatuor*) hîc autem sunt bina & bina (videte iam vt bina & bina conueniant τῷ *hîc*) Ergo hîc sunt quatuor. Videte iam sequelam, nam quia quatuor & *bina & bina* conueniunt, bina autem & bina conueniunt τῷ hîc, propter in eodem tertio conuenientiam, vel potius eidem tertio æqualitatem, sequitur necessariò hîc esse quatuor. In negantibus autem quos vocant syllogismis, nempe quorum conclusio negans est, sequelę ratio pendet ex eo quod quorum alterum eidem æquale est, alterum inæquale, ea sunt inter se inæqualia (id quod æquè sensus & ratio arguit atque prius illud, quæ eidem tertio æqualia sunt, inter se sunt æqualia) nam in eo syllogismorum genere ponitur (vt loquuntur) medium quod conuenit quidem subiecto conclusionis, sed dissidet ab attributo, vnde sequitur attributum non conuenire subiecto, vt verbi gratiâ, Nullus homo est lapis, Omnis adamas est lapis; Ergo nullus adamas est homo. Vel, ponitur medium quod conuenit attributo conclusionis, dissidet verò à subiecto, vt, omis adamas est lapis, nullum animal est lapis; Ergo nullum animal est adamas. Vnde exurgit negantium syllogismorum duplex ratio, nempe alij sunt in quibus medium conuenit subjecto, cum dissideat ab attributo, alij in quibus conuenit attributo cum subjecto dissideat.

conclusio idem reuera est cum præmissis.

in syllogismis affirmantibus.

vt & in negantibus.

Obj.

Sed tamen (inquiet aliquis) fieri potest vt quæ in vno conueniunt ea inter se non conueniant, vt, verbi gratiâ, sensus & homini & bruto conuenit, cùm non sit idem homo quod brutum animal. Ne hoc possit objici id verò iam cautum est, quum monuimus principium esse, quæ in vno aliquo conueniunt ea hactenus inter se conuenire. Quod si tamen quis requirat etiam æqualitatis & conuenientæ rationem, facilè est respondere, eam demum esse terminorum, quos vocant inter se conuenientiam, quum medium ita potest subiici vt potest attribui; nempe id fit duobus modis, vel enim hoc contingit ita, vt quemadmodum vniuersaliter subjicitur sic vniuersaliter potest attribui (quod non habet locum nisi in iis syllogismis in quibus omne propositiones sunt reciprocæ,) vel vt res hæc omnis æstimetur ex ratione conuersionis propositionum. Nam etsi propositio vniuersalis affirmans latius pateat quàm propositio particularis affirmans, temen cùm mutandæ sunt terminorum sedes, non aliter conuertitur vniuersalis affirmans: quedadmodum enim hæc propositio *omnis homo est animal*, si sedibus suis migrent termini, non potest aliter esse vera quàm si dicamus, *quoddā animal est homo*, sic in hâc propositione *quoddam corporeum est animal*, si termini moueantur loco, eadem erit conuersionis ratio, nempe *quoddam animal corporeum.*

Ref.

Sed ista iam propius admouenda sunt ad institutum nostrum, ad hunc modum scilicet. Quæcumque adferuntur argumenta ex Dei Verbo, ea vel faciunt syllogismos affirmantes, vel negantes. Affirmantes porrò faciunt, quum argumentum eodem modo conuerti potest cum subiecto atque cum attributo; Quod si aliter cum subiecto, vel etiam attributo, conuertatur, illud iam spectandum est atque arbitrandum ex conuersionum regulâ, quæ naturalis est, neque enim fas est, nisi materia id exigat, vt quod affirmatur vniuersaliter id continuò reciprocè affirmetur vniuersaliter, quandoquidem natura ipsa docet vniuersale de particulari affirmari; porrò vniuersale particulari latius patet, vnde sequitur, conuersionem hîc fieri dum attributum subjicitur ad modum particularem. Sed tamen id constat, quod Verbum Dei docuit conuenire vniuersaliter subiecto, de eo ipso subiectum posse saltem particulariter (vt loquuntur in Scholis) prædicari: Vnde efficietur continuò, Verbum Dei id ipsum docuisse, quandoquidem hæc illius ratio est, vt rationem, quatenus est praua, corrigat illa quidem, at non aboleat tamen. In S. verò Scripturâ duo sunt genera propositionum, in quorum altero continentur eæ propositiones, quarum vtrumque tam subiectum quàm attributum ab homine vi rationis percipi non potest, quæ propositiones eiusmodi sunt vt ex principiis extra Scripturam de iis disputare nefas sit. At verò & propositiones sunt in Scripturâ, quarum etsi conuenientia attributi cum subiecto nobis sit ignota (siquidem consulamus rationem vel sensum) attamen postquam vi fidei constitit de attributionis & subiecti veritate, possumus statuere, etiam vis rationis quid sequatur: verbi gratiâ, *Verbum cara factum est*, an sit hæc propositio vera sola fides potest iudicare. At istius tamen propositionis veritate compertâ facilè est statuere, eam naturam quam Christus assumpsit non fuisse spectrum, nam docet ipsa ratio quod sit caro id non esse spectrum. Deinde, docet Scriptura Christum ingemuisse; Ergo docet Scriptura non esse merè Deum: sequentiæ ratio necessaria est, propterea quod nequeat Deus ingemiscere, id quod etsi Scriptura taceret, ratio tamen proclamaret.

accommodantur ista ad quæstionem, de Scriptura.

duo genera propositionum in Scriptura.

Sed & ipsum quod volumus regula quam vocant *de Omni & de Nullo*, facilè demonstrat & probat, omnis enim conclusio est vel particularis vel vniuersalis, vel affirmans vel contra negans. At verò iam de particulari nil affirmari potest nisi vi propositionis vniuersalis, neque verò multo minus de vniuersali quicquam possit affirmari ad modum conclusionis, nisi quod nitatur veritate vniuersali.

idem ex regula de omni & de nullo ostenditur.

vniuersali. Neque verò de particulari negari potest quicquam quod non posſit negari de vniuersali quodam, multo minus negari posſit quicquam de vniuersali (ad modum, inquam, conclusionis) quod de vniuersali aliquo notiori non debeat negari. Itaque rectè docuit Aristoteles omnium syllogismorum normam esse eam quam dixit primam figuram, in quâ nimirum Medij & terminorum maioris & minoris extremi, subiecti & attributi conclusionis ea est conuenientia, vt facilè appareat vis istius regulæ, *quod de omni dicitur de singulis dicitur, quod de nullo dicitur nulli è singulis conuenit.* Ergo nisi velimus, (vt dicitur) cum ratione insanire, Si ex Scripturâ aliquid deducitur, consequentia verò necessaria sit, necesse est vt id quod ex Scripturâ deductum est id ipsum sit quod Scriptura nos voluit docere: At verò iam quod Scriptura nos voluit docere id ipsum est Dei Verbum.

Object. Verumtamen sæpenumerò accidit (nam quis sic posset cauillari) vt in syllogismo propositionum altera petenda sit extra Scripturam, verbi gratiâ, omne corpus circumscriptum est, Christi corpus est verè corpus, Ergo Christi corpus circumscriptum est. Conclusio huius syllogismi non habetur totidem verbis in Scripturâ. Minor propositio habetur, At maior propositio, *omne corpus circumscriptum est*, ea verò certè iam non habetur in Scripturâ. Itaque non videtur deducta conclusio ex Scripturâ. Sed hæc importuna cauillatio est. Nam postquam Scriptura admonuit aliquid esse eiusmodi vt de cætero rationis sit & sensûs iudicare, omnino nos iubet de cætero ex sensu & ratione iudicare: vt quum docet Scriptura Christum esse mortuum, certè eadem nos docet credere Christi corpus in sepulchro exanime fuisse. Nam, an Christus mortuus fuerit id iam nouimus ex Scripturâ, an qui mortuus sit idem sit exanimis, id verò nil opus est vt Scriptura doceat, res demonstrat, & quidem rationi, vt ne dicam ipsi sensui: Vnde sequitur, Scripturam docuisse Christum mortuum fuisse exanimum. Pariter, quum Scriptura docet Christum habuisse corpus, eâdem operâ docet habuisse quæ corporis sunt, neque verò tamen ea explicat cùm sint eiusmodi vt sensu & ratione facilè percipi posſint. Atqui circumscripto sensûs iudicio, non modò rationis, conuenit corpori, docet ergo Scriptura corpus Christi esse circumscriptum.

Ref.

2. Sed & ipsi sibi ipsis, dum sic disputant, vehementissimè repugnant. Nam quid aliud disputando conantur, quàm vt homines traducant & pertrahant in suam sententiam, quam illi vocant *Catholicam fidem.* Id quod non potest aliter confici quàm colligendo ex notiori id quod minus notum fuit. Cæterum illud notius necesse est sit Verbum Dei, non enim nisi Dei Verbo homines conuertuntur ad fidem. Quid? Voluerint-ne conclusionem, hoc est, fidei Catholicæ dogma, non esse Dei Verbum eo quod ex notiori Dei Verbo deductum sit. Sic Paulus vbique in Actis dicitur ex Dei Verbo redarguisse Judæos, an arbitramur non fuisse, quod docebat Paulus de Christo, Dei Verbum, eo quod fidem doctrinæ suæ conciliauit adhibitâ authoritate Veteris Testamenti?

Pugnant [illegible] Pontificij. 1.

2. Quin etiam fatentur illi quidem, nullam esse admittendam doctrinam quæ non sit eadem Ecclesiæ doctrina, nec vllam esse doctrinam respuendam quam Ecclesia non respuerit. Atqui Ecclesia nec sigillatim omnio potest docere, cùm singula sint infinita, neque sigillatim omnes Errores rejicere, cum Errorum varietas & numerus sit infinitus. Sed quoniam ex Thesi, quam definiuit Ecclesia, facilè quæcumque sub Thesi continentur intelliguntur, & pugnantia internoscuntur, quicquid Thesi continetur, æquè ac ipsa Thesis, ab iis pro Ecclesiæ doctrinâ habetur, quicquid thesi repugnat, pro hæresi vel errore, quamuis disertè, totidemque verbis (quod aliter fieri nullâ ratione potest) hæc omnia non sint thesi comprehensa. Atqui par hîc ratio est. Nam Verbo Dei scripto thesis continetur, proindeque singula thesi comprehensa; eodemque, quæ cum thesi non possunt consistere, rejiciuntur. Quod si id non sit statuendum in nostrâ cum illis hâc in parte controuersiâ, æquè nec illis hoc erit statuendum quum disputant aduersus nos, atque pugnant pro authoritate Ecclesiæ: verbi gratiâ, Concilio Tridentino omnes controuersiæ non sunt definitæ, ne eæ quidem quæ (si rem sigillatim spectemus) pertinent ad eas controuersias quas disertis verbis Concilium Tridentinum definiuit. At habendus est tamen pro hæretico, & conuincendus authoritate Concilij, qui non credit sigillatim quicquid ex Concilij verbis colligi facilè posſit. Vnde efficitur mentem Concilij fuisse seu probare, seu damnare singula, quæ plurima vnicâ definitione vniuersali comprehensa sunt.

3. Denique repugnat consilio Dei & menti Spiritus Sancti quòd aiunt, *Id quod ex Verbo Dei colligitur non esse idem Dei Verbum.* Nam sicuti homines sapientes paucis multa dicunt, sic planè Spiritus Sanctus paucissimis verbis in Scripturâ multa intelligi voluit. Neque enim Deus nos vult in thesi subsistere, sed ad ea quæ thesi continentur mentis oculos penetrare: vt verbi gratiâ, *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam*, eo consilio hoc dicitur vt vnusquisque statuat, vnusquisque credentium, inquam, se compotem fore vitæ æternæ, alioqui frustra id dictum fuisset, *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* Nil autem credendum est (etiam illis fatentibus) sine Dei Verbo. Ergo etiam illud Dei Verbum est, quo quisque suæ fidei sibi conscius statuit se compotem fore vitæ æternæ. Nam qui tradit axioma vniuersale, tradit eâdem operâ axiomata particularia quæ vniuersali comprehenduntur. Et quemadmodum ad Philosophiam pertinent omnes conclusiones quæ ex principiis Philosophiæ deducuntur, habenturque, vt ita dicam, pro Philosophicis, sic planè quæcumque conclusiones ex Dei Verbo deducuntur, eædem pro Dei Verbo habendæ sunt, adeóque pro diuinis.

quomodo conclusio differat à præmissis. Verumtamen (inquiunt) diuersum est quod colligitur ab eo vnde collectum est. Certè, sed diuersum vt quod continetur ab eo quod continet diuersum est, atqui in genere propositionum vniuersalis affirmans affirmat item particulare: Itaque hæc diuersitas est potiùs diuersitas in modo proponendi, quàm ipsius rei. Itaque quo quisque caleriores habet animi motus eo apud eum minus opus est syllogismo, quia in vniuersali videt statim omnia particularia. Id quod non fit

aliam ob rationem quàm quia vniuersale omnia particularia comprehendi, sed iudicio eorum qui minus acuti sunt confusè, cùm deducta conclusio rem distinctè proponat. Deinde esto, conclusio diuersa sit à Dei Verbo, diuersa erit à Dei Verbo vt pars vna ab alterâ parte est diuersa, nempe Verbum Dei vnde aliquid conclusum est pars erit hoc pacto Dei Verbi, sed notior, minimeque posita in controuersiâ, atque ideò κατ' ἐξοχὴν Verbum Dei appellatur, quia nimirum Aduersarius de eo non dubitat. At conclusio tamen & ipsa Dei Verbum fuerit, nempe pars Dei Verbi sed minus nota. Cuius rei exemplum illustre supra attulimus, quum Paulum adduximus in medium, probantem Christi Euangelium Dei Verbo, tanquam conclusionem quam deducit ex iis quæ exstant scripta libris Veteris Testamenti, cùm tamen Euangelium vel maximè Verbum Dei sit. Sic demonstratum est, *esse Dei Verbum quicquid ex Dei Verbo colligi potest.*

CAP. XVIII.

Exsequutio eorum de quibus agere initio præcedentis capitis institueramus.

AT verò, inquiunt, *sæpenumerò labuntur homines in colligendo, vnde efficitur hîc nil posse pro certo statui.* Id vero est illud de quo secundo loco agere instituerámus. Sed enim si hoc pacto consequentiæ necessitas in dubio ponenda est, omnia hoc pacto sanè reddentur incerta, nam & ipsi sensus sæpenumerò fallunt, quorum tamen iudicium nemo nisi vel mentis inops, vel impudens, ausit defugere, quum iis de rebus agitur quorum iudicium ad sensus propriè pertinet. Et cùm fides sit ex auditu, auditus tamen puta in surdastris, & ipse decipiatur nonnunquam, fidem ex re fallaci obtingere pari iure quis possit contendere. Id quod statuere quàm sit iniquum pariter & absurdum facilè iudicare ij possunt qui non prorsus insaniunt.

[Resp. ad 2, 1. in genere]

Sed res propiùs iam inspicienda est. Est enim conclusionum erga principia duplex affectio, vel enim proximè deducuntur ex principiis, vel è longinquo: Et consequentiæ conclusionum, quæ proximè ad principia accedunt, apud sanos quidem homines diiudicatio facilis & liquida est, quemadmodum ea nullo negotio claré cernuntur quæ in proximo & veluti ante pedes posita sunt, nisi fortè vel sint omnino cæci, vel certè cæcutiant. At earum conclusionum quę à principiis magis sunt remotæ diuersa sanè ratio est, nam in his sequelæ necessitas non vsque adeò liquidò appatet, quin hîc opus est acri quâdam & vehementi contentione mentis. Idcircò prospexit hîc Dei benignitas humanæ imbecillitati, cauitque ne quæ hîc accidere solet, hallucinatio, absit modò stulta arrogantia, cuiquam fraudi sit. Neque enim ea absolutè creditu necessaria sunt, quæ ita obscurè atque inuolutè in Dei Verbo proponuntur, vt quid sequatur haud possit continuò perspectum haberi. Cautum nimirum est à B. Paulo vt in hoc genere, saluâ fide & charitate Christianâ, liceat dissentire, nisi tum demum quùm res ita claré proponitur vt summæ sit pertinaciæ repugnare. Id quod fit quum statim ex principio non deducitur conclusio, sed proximè ex eo vnde sequitur proximè, deinde iterum si id ex quo proximè sequitur dubium sit, illud rursus demonstretur, atque ita deinceps donec ad ipsum principium deueniatur, cuius rei exemplum exhibent demonstrationes Mathematicæ, in quibus conclusio à principiis remotissima demonstratur, ascendendo veluti per syllogismos tanquàm per gradus ad primum vsque principium. Sed in Theologiâ non est hîc magnopere laborandum, nam in quibus demonstrandis tantopere desudandum est, ea certè non sunt creditu ad salutem necessaria. Itaque in hoc genere qui sunt illâ, quæ in homine verè Christiano requiritur, præditi moderatione animi, facilè ferunt dissentientes.

[2. pressiùs. duo genera conclusionum ex principiis deductarum. 1. 2.]

In summâ, diiudicatio necessitatis conclusionum ex principiis proximè deductarum expedita est & minimè fallax, absit modo perturbatio animi, quæ pertinaciam gignit, profecta quidem illa vel à caussæ nimio studio, vel ab odio & inuidiâ, vel denique ab aliquâ aliâ animi malignitate, quæ præiudicium non debet afferre, quod tantum valeat vt apud æquos & veritatis studiosos reddere debeat suspectam sequelæ necessitatem, quæ tam illustris & clara est vt etsi dissentientem non redigat ad silentium, (est enim quoddam hominum genus adeò mentis peruersæ, vt à piscibus faciliùs impetres vt loquantur quàm ab iis vt taceant, vel testimonium perhibeant veritati) at conuincat tamen atque eò compellat, vt vel absurdissima reponat, vel maximè aliena à causâ. Nam ipsanorum & furiosorum, vt pote qui fidei non sunt capaces (gratia enim naturam præstruit) nulla hîc habenda ratio est. Nam ij sanè ne authoritatem quidem Ecclesiæ agnoscunt, nequidem quid significet nomen Ecclesiæ percipere possunt.

[necessitas conclusionis nota & certa est.]

Sed tamen quoniam sæpenumèrò accidit vt quod ex principio proximè deducitur non æquè facilè percipiatur, videri possit id efficere vt ne sit perpetuò verum quod diximus de perspicuitate conclusionis proximè è principio deductę. Attamen res multò aliter se habet. Nos enim principium intelligimus id cuius, vt loquuntur termini noti sunt, quatenus, inquam, sunt noti: Nam si principij termini ignoti sunt, ne ipsum quidem principium notum est, itaque nulla ex eo conclusio deduci potest. Noti autem sunt principij termini vel prorsus, vel ex parte. Si prorsus noti sunt, dubium non est quin conclusionis deductæ necessitas pariter nota sit, ex parte tantum noti termini sunt, certè eius duntaxat conclusionis necessitas nota erit quæ deducitur ex eâ parte quâ termini noti sunt.

[Objecť. Ref.]

Hactenus ostendimus esse Verbum Dei quod ex Dei Verbo colligitur, diiudicationem consequentiæ facilem esse & expeditam, modò ne desit ratio, absit verò animi perturbatio. Sequitur iam vt demonstremus ex eo non inde effici quod illi volunt, *vt fides pendeat à ratione.* Id quod in promptu erit intelligere, dummodo *instrumenta* quibus gignitur fides ab *argumentis* fidei distinguamus. Id quod nos facere vt maximè nollemus, res tamen ipsa cogeret, nam Apostoli dictum est, *Fides est ex auditu*, neque verò continuò est fides suspensa à sensu aurium. Sic igitur se res habet. Qui discunt eos necesse est audire primùm ea quæ docentur, itaque *Auditores* vocantur (neque

[Resp. ad 3. Fides propterea non pendet à ratione.]

neque enim aliter res ad animum perueniunt quàm per ea verba quibus significantur, vt pote quæ symbola notionum animi sint) deinde ex vno aliud colligere, neque enim paucis verbis omnia possunt doceri, nam sigillatim cuncta persequi & superuacanei & immensi laboris est, singula enim infinita sunt, & vno probè intellecto cætera facilè intelliguntur.

[Margin: Ratio non est instrumentum, non argumentum fidei.]

Duo ergo sunt discendi instrumenta, *sensus* & *ratio*, quorum neutrum tamen discendi argumentum est. Quemadmodum igitur nulla est inuidia affirmare fidem esse ex auditu, quamuis impium sit affirmare sensum vllum esse fidei argumentum, sic durum videri non debet si quis fidem dicat esse ex ratione, dummodo id non sic dictum intelligatur ac si ratio fidei argumentum esset, sed vt ex auditu fides, sic ex ratione, nimirum tanquam instrumento, pendêre dicatur. Nempe ita se res habet, Argumentum fidei est id propter quod credimus, quod aliter fundamentum quo nititur fides haud incommodè dici potest, instrumentum verò fidei hoc pacto dicetur ratio, sed fide iam instructa, quia colligit, & colligendo inædificat fundamento vi illâ sibi insitâ, quam Spiritus neque hebescere neque aboleri sinit, quin acuit potiùs eam & intendit. Breuiter non est hîc ratio merè quæ concludit & statuit, sed ratio notiori Dei Verbo illustrata. Itaque multi instructi ratione, quique adeò sequelæ necessitatem habent perspectam, non assentiuntur tamen conclusioni nimirum quia non assentiuntur principio vnde conclusio deducta est, quod si facerent & conclusioni pariter assensum essent præbituri: verbi gratiâ, Nemo est qui non videat (ne Turca quidem) si detur solum Christum esse summum Prophetam Ecclesiæ, necessarium esse Mahometem esse Pseudo-prophetam, sed quia non assentitur Turca principio, nec assentitur etiam conclusioni. Itaque accuratè & diligenter perpendenda est differentia notitiæ *consequentiæ* & *consequentis*, nam de consequentia statuere rationis certè opus est (eadem scilicet Logica est vt in Mathematicis, Physicis, Metaphysicis, sic etiam in S. Theologiâ) at verò de consequente statuere certè fidei solius est. *Ratio* vt *auditus* hac in parte fidei instrumentum fuit, non fuit eadem fidei argumentum. Quâ in sententiâ eos ipsos esse necesse est quibuscum nobis res est, Nam illis fidei principium est authoritas Ecclesiæ, cætera omnia igitur ex hoc principio deducenda sunt; Atqui ratio est quæ colligit, nunquid ideò volent quicquid ex isto principio deducitur niti ratione, non verò fide? Deinde, huc etiam & illud accedit, quod disputant, quod nos conuincere atque in suam sententiam pertrahere argumentando, ratiocinando, omni studio conantur. Frustra, siquidem ita se res habet vt illi dictitant. Esto enim victi pondere argumentorum demus illis manus, non eo erimus fideles, sed sapientes sæculi, nempe qui ratione adducti fuerimus ad fidem, neque enim illi puto ad fidem nos perduxerint aliter, hoc quidem pacto, quàm ex agnito vtrinque principio aliquid concludendo, id nempe de quo prius erat controuersia.

[Margin: quod ipsi Pontif. coguntur agnoscere.]

[Margin: & contra eos probatur primò praxi Apost.]

Nam illud interim omittimus quod tamen summum est, sic perire prorsus eam docendi rationem quam Prophetæ quam Apostoli, quam Christus secuti sunt, & aboleri vim illâ ἐλέγχειν Scripturæ quam Beatus Paulus attribuit, etiam ἐπανόρθωσιν correctricem & παράκλησιν consolatricem, imò verò & sic efficietur, vt Scriptura inutilis sit ad docendum: quæ tamen omnia inesse Scripturæ, Paulus idem testis est (2. Timot. 3.) quanto minus poterit Scriptura σοφίζειν *sapientem reddere* ad salutem. Nam si nil concludi potest ex Scripturâ quod idem tenendum sit, quî poterit Scriptura ἐλέγχειν *redarguere*, si Scriptura ad singularia non est accommodanda, quî poterit ἐπανορθῶσαι? Atqui non nisi per consequentiam quandam ad singula accommodari potest &c. Sanè Rom. 15. *Quæcumque*, inquit, *antea scripta sunt, scripta sunt ad nostram consolationem, vt per patientiam & Scripturarum consolationem, spem habeamus.* Quî pote, si ea tantum ex Scripturâ fide tenenda disci possunt, quæ non iam vllius consequentiæ vi ex Scripturâ sunt deductâ, sed totidem verbis exstant in Scripturâ? Quin etiam idem Apostolus eiusdem Epistolæ cap. 4. *Non est autem tantum scriptum propter ipsum, quod reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus futurum est vt imputetur credentibus in Dominum Iesum.* Atqui nostrûm iam credentium nulla mentio disertis verbis in Scripturâ fit, tantum id vi sequelæ colligi potest. Ea porrò fides non ideò (credo) iam nititur ratione, quod eius certitudinem necessitate consequentiæ Scriptura stabiliuerit.

[Margin: & ipsius Christi.]

Sed & Dn. Jesus Matth. 22. resurrectionem mortuorum ex Scripturâ non aliâ ratione, quàm illâ consequentiæ necessitate, tam clarè aduersus Sadducæos demonstrauit, vt & turbam, non doctos modò, in admirationem rapuerit, & Sadducæis os obstruxerit, vt eo loco habetur disertim. Et Act. 17. Paulus traditur disseruisse aduersus Judæos ex Scripturis, indéque ostendisse Christum oportuisse pati & resurgere è mortuis, & hunc esse Jesum Christum quem annuntiabat, id quod certè non potuit aliter præstare quàm ratiocinando & colligendo: id quod ibidem significantissimè dicitur διανοίγειν aperire & παρατιθέναι *iuxtaponere*, nam conclusio in principio latet, & testimonium, quum adhibetur ad aliquid probandum, vt fiat syllogismus, veluti iuxta ponitur. Itaque eodem capite laudantur Berœenses quod verbum susceperint magno studio v. 11. At videte iam quâ ratione verbum susceperint, *quotidie seruantes Scripturas* (vel vt est in greco, ἀνακρίνοντες) *an ita se res haberet.* Ratiocinando demum ingenita est iis fides.

[Margin: Except.]

Etenim quod aiunt, diuersam esse conditionem Prophetarum, Apostolorum, & Christi à nostrâ, qui præ illis vilissimi sumus homunciones; nimirum eorum authoritas tanta est, vt quod ratiocinando colligunt ex Dei Verbo pro certo sit habendum, non tam vi consequentiæ quàm authoritatis iure, in eo ridiculi sunt. Primùm enim dum sic disputant Christus, Apostoli, Prophetæ, non vtuntur authoritate suâ, quorsum enim ratiocinetur cuius authoritas vim legis habet. Deinde res illis est cum Aduersariis, qui eorum summam nimirum authoritatem habebant despicatui, nonnisi ratiocinatione conuincendi. Id quod illa Christi aduersus Sadducæos, audientibus turbis suscepta & peracta disputatio manifestum facit. Nam cauillentur illi sanè (quod audent facere tam impiè quàm impudenter) non posse ex eo loco Scripturæ quem

[Margin: Ref. 1.]

[Margin: Inst.]

Christus ad probandam resurrectionem adhibuit, sepositâ Christi authoritate, tanta res probari, atque addici tanquam rebus necessariis. Primùm hoc pacto Christum ipsum reprehendunt, qui negatę resurrectionis caussam adscribit ignorantiæ Scripturarum, iniuriâ si ex illo Scripturæ loco colligi id non potuisset, & verò debuisset.

Ref. 1.

2. Deinde, quo pertinet illa obiurgatio, *Annon legistis*, inquit Dominus, Atqui verò iam eum locum Sadducæi legerant, quem tamen ideò non legisse perhibentur quod ex eo loco non collegerint resurrectionem. Sed & ipsa consequentiæ vis, si rem ipsam spectemus, demonstrat clarè intelligenti illum locum, tenentique, vt supra disserebamus, quæ sit terminorum significatio, necessariò statuendum esse resurrectionem mortuorum. Nam cùm Deus, cuius Deus est, illius non ex parte, sed ex toto sit seruator, omninò consequens est vt Deus, cùm non dimidiati Abrahami Deus sit, sed Abrahami hominis, totum Abrahamum seruet, hoc est hominem seruet, proindéque animal constans animâ & corpore.

deinde Scripturæ authoritate.

Quid? quod Scriptura nos hortatur vt ex Scripturis ratiocinemur, colligamúsque quod fide credendum est. Nam certè non aliò pertinet quod Psal.1. prædicantur beati qui noctu diúque meditantur in lege Domini, Atqui sine ratiocinatione nulla meditatio peragi potest. Deinde, 1. Tim.4. Timotheo author est Paulus vt attendat lectioni. Et 2.Petr.1. fideles excitantur vt attendant ad sermonem propheticum: atqui sine ratiocinante collectione nulla potest esse legitima attentio, quæ scilicet non præstatur sine examine atque obseruatione, quam B. Lucas Act.15. elegantissimè significantissiméque διάκρισιν vocauit. διακρίνοντες, inquit καὶ χαρᾶς. Neque verò sanè aliò spectauit Deus, dum in Lege ex quadrupedum genere ea sola animalia pro mundis & puris haberi voluit, quibus natura dedit facultatem ruminandi, & vngulam supra infraque pariter diffissam, quorum altero meditatio, altero secuta meditationem inde affirmatio, hinc negatio in mente, vt in voluntate hinc persecutio, inde fuga: quod Beatus Paulus vocat vno verbo δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, Rom. 12.18. Nam cùm duo sint rerum genera, quorum altero expetenda, altero fugienda continentur, mentis affirmationem sequi oportet expetendorum persecutionem, negationem verò fugiendorum auersationem. Nimirùm verè ab Aristotele dictum est in genere Ethico, quod est in mentis agnitione διάνοια *affirmatio* & *negatio*, id in voluntate est *persecutio* & *fuga*.

Quæ cùm ita se habeant, facilè iam videre est, non esse tanquam perceptum ratione, sed fide tenendum quicquid ex Verbo Dei iustâ & legitimâ consequentiâ colligitur. Nam facultatem Spiritus Sancti, (quæ requiritur, etiam testibus Aduersariis, vt aliquid fide teneatur) ratiocinatio non excludit, Spiritus enim est qui in hâc specie ratiocinandi facultatem dirigit, quomodo Christus in itinere illo Emaüntico dicitur oculos aperuisse Discipulis vt intelligerent Scripturas. Deinde, de eo iam constat, argumentum adhibitum ad definiendam quæstionem esse Verbum Dei, dum ex Dei Verbo aliquid concluditur, vnde sequitur fide illud tenendum esse. Vbi enim interuenit Spiritus & argumentum veritatis, de quâ statuimus, Verbum Dei est, certè & id ipsum quod statuitur ratione quidem statuitur, sed authore Spiritu Sancto, atque ex Dei Verbo petito argumento.

Cap. XIX.

Adducitur prima ratio, quâ euincitur authoritatem Verbi Dei, eam quæ est & valet apud nos, non pendere ex Ecclesiæ authoritate.

HActenus fuimus in expendendis refellendísque Pontificiorum argumentis, sequitur iam vt nostra proferamus, &, si opus est, muniamus & confirmemus: in quo eundem seruabimus mobum quem supra tenuimus: neque enim omnes Pontificiorum rationes in medium adduximus, sed ea tantum quæ pondus aliquod habere videntur, & quibus adeò confutatis cætera facilè confutantur, nec verò omnia nostra argumenta proponemus, sed ea tantum quæ nobis esse maximè illustria videntur, idque hoc ordine. Primò docebimus Verbi Dei authoritatem, quam habet apud nos, non pendêre ab Ecclesiæ authoritate. Deinde, vnde Verbi Dei authoritas illa quam apud nos obtinet, proficiscatur ac dependeat ostendemus.

1. Ratio.

Ac prius quidem illud, *Verbi Dei authoritas, quod ad nos, non pendet ab Ecclesiæ authoritate*, inde facilè demonstratur, quod authoritas Verbi Dei apud nos & prior & maior est quàm sit Ecclesię authoritas. Nam priusquàm pro certo habeamus Ecclesiam habere authoritatem, necesse est nos assentiri Dei Verbo: nimirum nos oportet certò scire, An sit Ecclesia, quid sit Ecclesia, vbi sit Ecclesia, quæ omnia cùm neque sensu, neque ratione deprehendi possint, sequitur vt omnis hęc notitia sit à Dei Verbo, quod tradit esse Ecclesiam, quod Ecclesiam definit, ac describit tam claris notis vt non aliunde haberi possit vbi sit Ecclesia. Deinde verò, vnde obtineri atque impetrari possit ab humanâ mente vt statuat de Ecclesiæ authoritate id ipsum quod Pontificij, nempe *cum Ecclesia non possit errare à solius Ecclesiæ authoritate suspendendam esse fidem.* Numquid id existimemus effici Ecclesiæ authoritate? Atqui iam non absurdum modò, sed ridiculum est, vt propter Ecclesiæ authoritatem credamus Ecclesiam habere authoritatem. Neque ratio vel sensus id probat, neque verò communis hæc notio est, quandoquidem eâ de re tam acriter disputatur. Sequitur ergo vt id ex Verbo Dei perspectum habeamus. Ergo prius obtinuit apud nos authoritatem Verbum Dei quàm agnoscamus authoritatem Ecclesiæ. Atqui iam articulorum fidei, quos vocant, credendorum eadem ratio est, hoc est, quo nititur fides in vnius dogmatis Religionis Christianæ comprehensione atque assensu, eodem nititur in reliquis, siquidem (vt loquuntur in Scholis) credendi eadem formalis ratio est, quodcunque tandem fide percipiatur. Ergo cùm ad fidem pertineat tribuere Ecclesiæ authoritatem, eiúsque authoritatis modum definire, oportet nos credere Ecclesiam hanc habere authoritatem, adductos iam in hanc sententiam authoritate Verbi Dei, proindéque cùm sit eadem cæterorum quæ creduntur ratio, & nihil erit credendum quod se nobis authoritate Verbi

Verbum Dei prius cognoscitur quàm Ecclesia.

Ref.

Dei non probarit, ac commendarit prius.

Maior est verbi Dei quàm Ecclesiæ authoritas.

Sed & potior & maior est authoritas verbi Dei quàm authoritas Ecclesiæ. Id verò iam non vnâ ratione ostendi potest: Ac primùm eo quod de authoritate verbi Dei apud omnes constat, qui modò Christianam Religionem profitentur non dubitant quæ quantaq; illa sit, at de authoritate Ecclesiæ summa inter Christianos contentio est, dum alij certis quibusdam veluti cancellis hanc authoritatem Ecclesiæ circumscribunt, alij nullum in eâ modum agnoscunt, sed eam esse contendunt omni exceptione maiorem. Deinde, testatur ipse conscientiæ sensus multò firmiori assensu nos amplecti fidem de Christo, de mundi redemptione, déque illius creatione, quàm Ecclesiæ immanem illam authoritatem. Et sanè perabsurdum foret (vt ne iam dicam impium & blasphemum) statuere animo, haud aliam ob causam credendum esse Deum creasse cœlum & terram, Christum venisse, passum esse, resurrexisse, ascendisse in cœlum, sedisse ad dextram patris, indéque venturum qui iudicet viuos & mortuos, esse Spiritum sanctum, fidémque & spem nostram in eo collocare, esse societatem quandam hominum quos Deus redemit sanguine filij sui, quosque spiritu suo sancto erudit, docet, corroborat, ac consolatur, sanctificat denique, traducitque à studio sui ipsius & rerum terrenarum in amorem Dei, & cupiditate quâdam potiundarum rerum cœlestium incendit atque inflammat, quàm quia sic Ecclesiæ placuit.

Quod nos haud ita tamen arbitramur exagitandum, ac si propter hominem statueretur hoc pacto credendum esse Deo. Nam vt verum fateamur, de eo magnus inter nos consensus est, si iam constat quod si Dei verbum, nullam superesse dubitandi rationem, cur ei statim, nullo extrinsecus petito atq; accersito argumento, fides adhibenda sit. Sed quia dubitamus cuius verbi, hoc est doctrinæ, Deus sit author, id verò ideò demõstrandum est, quod illi solâ Ecclesiæ authoritate præcipuè demonstrari posse existimant: Vt filius negat cuiusquã authoritate se compelli vt patris mandatis, obtemperet, sed tamen sæpenumerò accidit vt dum statuit de mandatis patris, non habeat aliunde statuendi argumẽtum quàm ex authoritate matris, quæ fidem potest facere, atq; ei significare quæ patris mandata sunt, quæ minus. Sed quoniam diuersa est ratio doctrinæ cœlestis & mandatorum terreni patris, nempe de his non potest semper constare, quod non possint se commendare, ac probare vllo charactere, vllâ luce insitâ quæ mentem, animumq; atque affectus omnes ita afficiat, vt in iis paternæ virtutis & sapiẽtiæ imago, ac vis illa authoritatis quam habent patres in liberos eluceat. At verò mandata Patris cœlestis peculiarem quandam ac veluti innatam vim habent, exhibitâ summæ sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ, & potentiæ specie, vnde fit vt impetrent assensum qualem supra iam ostendimus. Vno verbo, absurdum est, omnem adimere lucem insitam Dei legi, insitam Euangelio, quæ non possit efficere vt ex ipsius doctrinæ ingenio, ac conditione, & efficaciâ denique, certò statuamus de doctrinæ authore. Certè cæcorum est pro certo habere ideò lucere Solem, non quod ipsi solem aspexerint, sed quod ita se rem habere fando acceperunt.

Simile quod à Pontif. affertur est dissimile.

Vt verò, inquient fortasse, *Priorem esse Ecclesiæ authoritatem, cum sit Ecclesia ea quæ nos instituit ac docet, deinde verò apud nos quidem maiorem, cum sit eâ notior & perspectior.* Sed, inquam, prius illud leuissimum est. Neque enim qui docet, authoritate docet, sed veritatis ipsâ vi, quamquàm docet idem cum authoritate, quæ cùm sint re distincta, accuratè à nobis distinguenda sunt. Nam & in Scholis qui Mathematicas docent disciplinas, docent ij quidem cum authoritate, sunt enim Doctores qui præsunt iuuentuti cum imperio, attamen non vtuntur, tanquam argumento, authoritate suâ inter docendum, sed nituntur principiorum veritate, vnde certas quasdam deducunt conclusiones tam apertâ atque euidenti sequelæ ratione, vt rem suâ sibi luce probent, atque ita demum ingenerent animo notitiam, impetrentque assensum, si res ipsa fuerint demonstrata.

Obj. 2. Resp. ad primam. 1.

Quid? quod si volumus loqui propriè, atque ita vt rei & caussæ de quâ agitur conuenit, Ecclesia rarò docet, Nam Ecclesia, in hâc controuersiâ, non significat singulos Ecclesiæ præpositos, sed vel Ecclesiam vniuersalem, quæ nonnisi Concilio Oecumenico repræsentatur (ea verò iam rarò docet) vel Pontificem Romanum, is verò paucos docet, non modò docet rarò. Neque verò illud hîc respondere est, exstare Conciliorum acta, cum ad ea paucis admodum pateat aditus, & quibus patet, in iis (si ea excipias Concilia quæ dubiæ sunt authoritatis, eo quod in iis vel indicendis, vel habendis, non sunt seruatæ leges legitimorum Conciliorum cogendorum & habendorum, quibus de rebus maximæ sunt & impeditissimæ controuersiæ) non occurrunt definitiones omnium controuersiarum.

Resp. ad 2. & refellitur. 1.

Hoc verò posterius quod aiunt, *perspectiorem esse Ecclesiam quàm Dei verbum*, neque verum est, neque si verum esset id efficeret quod illi imprimis volunt. Nam & Johannis authoritas perspectior fuit & notior Christi authoritate, & Samaritana Samaritanis Christo notior fuit, neque tamen concesserint eo maiorem fuisse Johannis Baptistæ, maiorem Samaritanæ, quod ad nos, authoritatem Christi authoritate, neque enim quod perspectius & notius est, id continuò ad probandum maiorem habet vim. Nam signa (quæ græci σημεῖα vocant) notiora sæpè sunt argumentis ductis à rei ipsius veritate, sensui nimirum vel rationi notiora, cùm argumenta quæ rem ipsam ab ipsâ rei naturâ ducta demonstrant, neque sensu neque ratione, solâ verò fide percipi possint.

2.

Nam si aliter se res haberet, qui posset (quod sæpè contigit) eorum, qui nullâ præditi sunt in Ecclesiâ authoritate, operâ quisquam possit adduci vt agnoscat Euangelij veritatem? Cuius rei exempla multa exstant tum in historiâ Ecclesiasticâ, tum etiam in vitâ communi. Nam & ad Persas Euangelium mulierculæ captiuæ interuentu peruenit, quibus haud dubiè Ecclesiæ authoritas perspectior haud quâquam esse potuit verbi Dei authoritate. Et Gregorius Nazianzenus, Gregorij Nazianzeni pater, Nonnæ coniugis vitæ sanctitate & monitis, ipse à fide alienus cùm esset (erat enim homo illius Sectæ quam ὑψισταρίων vocabant, quæ ex Hellenismo &

Judaismo erat conflata) adductus est eò vt errorem agnosceret, & fidem veram in Christum amplecti vellet. Jam verò nil solet accidere frequentiùs, quàm vt in priuatis congressibus priuati priuatorum operâ, qui nullam scilicet obtinent authoritatem, ipsâ vi veritatis conuicti agnoscant veritatem, proindeque & Dei Verbum, veritas enim & Dei verbum (dum de religione agitur & salutis nostræ negotio) idem planè sunt.

3. Sed & illud hîc obseruandum est diligenter, quod etsi homines, qui Ecclesiam constituunt, Verbo Dei nobis sunt notiores, attamen quatenus Ecclesiam constituunt, iuxta hanc conditionem & rationem, non sunt nobis Verbo Dei notiores, vnde solummodò ea disci possunt quę suprà à nobis tradita sunt, illa quidem prorsus necessaria vt quæ sit Ecclesiæ authoritas, quantumque ea valeat, exploratum compertumque habeamus. Vnde sequitur, neque verum hîc ab illis dici, neque si verum dicerent, quicquam promouere quod faciat ad caussam.

Cap. XX.

Adducitur secunda ratio & confirmatur.

probatur sententia orthodoxa praxi fidelium.

ILlud verò euidenter probat Verbi Dei authoritatem eam de quâ hîc agitur, quæ vulgo *quoad nos* vocatur, non pendere ab Ecclesiæ authoritate: Nempe si ita se res haberet, haud dubiè omnibus omnino sæculis fidelium ea notitia veritatis doctrinæ cœlestis, quam fides requirit, omnis nixa fuisset Ecclesiæ authoritate: id verò nullo vnquam sæculo contigit, nam si repetamus ab initio historiam Ecclesię, deprehendemus primis illis temporibus quę Legem datam præcesserunt, nullâ Ecclesiæ authoritate commendatum fuisse Dei Verbum. Vnde enim agnouit Adamus, Sethus, Enochus, Abrahamus doctrinam cœlestem? nunquid hîc intercessit Ecclesiæ authoritas? Neque verò hoc ita eludi potest, quasi dispar ratio esset eorum quos illi docebant, qui scilicet Dei verbum agnouerint solâ Patriarcharum commoti authoritate. Nam & isti Patriarchæ errori obnoxij fuere, nempe exempli gratiâ, licitam putarunt polygamiam, & Abrahamus author Saræ est, vitæ quidem suæ conseruandæ causâ, sed tamen ei author est, vt dissimulatâ coniugis conditione pudicitiam prodat. Atqui si Saræ fides, & diuinę voluntatis notitia, pendebat omnis ex Abrahami authoritate, cùm Abraham hîc tam fœdè lapsus sit, eius fidem vacillare in cæteris, quæ acceperat ab Abrahamo, necesse fuit, nam si solâ authoritate Abrahami commota fuit ad credendum, cur in his potius quàm in illis sequenda fuerit Abrahami authoritas nulla potest dari idonea ratio. Si enim rem ipsam debuit expendere atque diiudicare, certè non cæcâ quâdam obedientiâ, quæ sola habet pro argumento authoritatem, sed rerum ipsarum certâ cognitione impelli debuit ad credendum.

ante Legem.

post Legem.

Jam verò si ad ea tempora veniamus quæ Legem datam sunt secuta, par ratio est, deprehendemus enim sæpenumerò contigisse vt præpositi Ecclesiæ, Prophetæ, Sacerdotes, Reges, omnes simul errauerint. Ergo firmandæ fidei argumentum diuersum illis temporibus esse oportuit ab Ecclesię authoritate. Id verò iam adeò clarum est vt probationem non requirat, nimirum fatentur ipsi Aduersarij, manifestâ veritate conuicti, potuisse Ecclesiam Judaicam errare, docent enim priuilegium esse Ecclesiæ Noui Testamenti vt ne possit errare. Ergo Veteris Testamenti temporibus non potuit suspendi fides ab Ecclesiæ authoritate. Atqui iam constat notitiam eorum quę ad salutem pertinent, hoc est Verbi Dei, illis temporibus fuisse multo obscuriorem eâ notitiâ quæ fidelibus, postquam iam Christus exhibitus est, indulta est.

Christi temporε.

Quod si verò iam ad Noui Testamenti tempora descêdamus, illud ipsum æquè liquido sese præbet conspiciendum. Nam vt à Christi temporibus ordiamur. *Ego,* inquit Christus, *testimonium ab homine non accipio.* Johan. 5. Id quod non potest ita refelli vt statuamus *hominum* nomine Christum designare non Ecclesiam, sed homines nullâ docendi in Ecclesiâ præditos authoritate. Nam in eodem capite testatur Dominus se majus habere testimonium Johannis Baptistæ testimonio. Et cap. 7. *Qui volet,* inquit, *voluntatem Patris mei facere is iudicabit de doctrinâ,* Qui locus iterum nobis adhibendus erit, & fusius explicandus, quum eò ventum fuerit vbi disputandum erit, vnde pendeat Verbi Dei authoritas illa quoad nos, iam enim in eo tantum sumus vt ostendamus eam non pendere ab Ecclesiæ authoritate.

Apostolorum tempore.

Christi tempora secuta sunt Apostolica illa, quibus sanè non agnitum fuit verbum ex Ecclesiæ authoritate, id quod multis modis demonstrari potest, acprimum quidem si rem ipsam spectemus ac intueamur propius. Nam quo pacto potuerunt homines ignoti commendare authoritatem suam? haud alio certè quàm magnitudine, grauitate, & excellentiâ doctrinæ. Nam Judæis fratribus quanto notiores erant, tanto fuere contemptiores, nempe ad Christi exemplum, *Nonne hic est filius Ioseph, cuius pater & mater & fratres nobis noti sunt?* Quod conuicium vt Christus depellat. *Nemo,* inquit, *venit ad me nisi pater trahat illum,* &, *Scriptum enim est in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo.* Deinde, si animaduertamus quæ fuerit concionum Apostolicarum ratio, quæ œconomia, (id quod facilè deprehendi potest ex Actis Apostolorum.) Nam si cum Judæis illis res est, non iam ad Ecclesiæ, neque ad suam, authoritatem confugiunt (quod certè fuisset factu perridiculum, quandoquidem eorum authoritas apud Judæos nulla fuit, vt pote cùm illis essent vel suspecti, vel inuisi) sed prolatis è libris Veteris Testamenti testimoniis doctrinam Euangelij confirmant.

LEC-

LECTORI.

CVm huc vsque dictando in hâc controuersiâ peruenisset Camero, ortæ sunt turbæ ciuiles Anno Dn. M. DC. XXV. *quæ vrbem illam in quâ docebat totam concusserunt, quibus cùm ille pro virili, sed nequicquam, obniteretur, coactus per tumultum & seditionem popularem vrbe excedere, mox dum in eo esset vt familiam inde educeret suam, in vehementem ex animi ægritudine febrim incidit, quâ paulo post in verbe illâ, omnium bonorum magno cum luctu, exstinctus est.*

DISTINCTIONES ALIQVOT IN DISPVTATIONIBVS PVBLICIS ET PRIVATIS EX ORE CAMERONIS exceptæ.

1. POENA peccati alia est *Iudiciaria* à iudice scelera vindicante, ex ordine & rigore Justitiæ inflicta. Alia est *Paterna*, Patris filium ob contumaciam & officium neglectum castigantis. Remissâ à Deo culpâ, simul remittitur pœna *Iudiciaria*, non etiam statim remittitur pœna *Paterna*.

2. Iudicium aliud est *Forense* ex præscripto Legum publicarum à Judice in reos & facinorosos latum. Aliud *domesticum* patrisfamilias liberos ad ipsorum institutionem corripientis. Deus quum pios castigat, iudicat eos vt Pater iudicio *domestico*, non vt Prætor *forensi* iudicio.

3. Ira alia est cum *Amore*, alia cum *odio* coniuncta. Pœna paterna à Deo piis inflicta est quidem ab ira, sed cum *Amore*, non cum *odio* coniuncta.

4. Misericordiæ actus alius est *in se* talis. Alius respectu *sensus nostri*. Exempli gratiâ liberare pium à morbo est actus Dei misericordiæ respectu *sensus nostri*, quia sensus liberationem illam appetit. Non liberare à morbo in alio erit actus misericordiæ *in se*, quia morbi continuatio est ipsi conducibilior ad animæ eius salutem: atq; hoc pacto actiones inter se contradictoriè oppositæ, quantùm ad actionis substantiam, possunt tamen esse eiusdem proprietatis Diuinæ putà misericordiæ actus: sicut contrà vna eadémq; actio quoad substantiam actionis potest esse & à Iustitia vindicante, & à Misericordia, vt Deus ditabit impium in eius perniciem, & pium in pietatis eius mercedem: sic olim sanguinis missio erat pœna Castrensis apud Romanos, eadem tamen & à medicina valetudinis causa præscribitur.

5. Mors piis castigatio & *emendatio* est respectu *temporis non consequentis*, sed *antecedentis* mortem. Itaque non sequitur,

Post mortem non est emendationi locus. Ergo mors non castigatio, sed pœna satisfactoria iustitiæ Diuinæ: nam licèt non valeat ad emendationem quæ nulla est post mortem, valet tamen ad eam quæ antecedit mortem.

6. Peccata sub Lege contra Legem Moralem, maximè contra Ceremonialem admissa, geminam inducebant impuritatem, *Typicam* seu Legalem & *Realem* [illegible] in conscientia.

Typica illa impuritas non spectanda est in sordibus corporis quę aqua abluūtur: alioquin sanguinis aspersione non sublata fuisset illa impuritas, sed potiùs aucta: sanguine enim nihil immūdius, sed eiusmodi erat legalis impuritas, vt qui ea esset impurus interdiceretur illi ad tempus à consortio cæterorum hominum, (vt illi necesse esset separatum viuere) & ab aditu templi. *Realis* autem impuritas est peccati macula, animæ seu conscientiæ inhærens vnà cum reatu

Similiter duplex erat Maledictio, Typica seu Legalis, de qua dicitur *Maledictus omnis qui pendet de ligno*, quæ spectanda est in horrore quodam quo homines tacti abhorrebant summopere à suspēsi cadauere, quomodo olim abhorrebant Ethnici à corporib. fulmine tactis, & in ignominia quadam ciuili, quæ maior erat in eiusmodi genere supplicij, quàm in quouis alio. Alia maledictio *Realis* [illegible] est ira Dei in peccatum accensa.

Iam quomodo peccati erat impuritas duplex & Maledictio duplex, *Realis* & *Typica*: sic etiam sacrificium est duplex, *Legale* seu Typicum & *Reale*, seu [illegible], & purificatio item duplex *Typica* & *Realis*. Sacrificium Reale & [illegible] vnicum est, Christi nempe mors & sacrificium. At sacrificia legalia & typica erant multiplicia ob Christi sacrificij excellentiam, quæ vnico Legali sacrificio non poterat satis plenè adumbrari. Sacrificiis & purificationibus Legalibus tollebatur impuritas Legalis seu Typica. Vero & Reali Christi sacrificio tollitur impuritas & Maledictio Realis, vti docet Apostolus Heb. 9. & 10 vbi appellat βαπτισμοὺς & δικαιώματα σαρκὸς sacrificia Legalia seu Typica, quæ carnem duntaxat purificare poterant, quib. opponit Christi τελειοτέραν, καὶ μείζονα σκηνὴν οὐ χειροποίητον, & ἴδιον αἷμα, & ℣. 13 14. vocat ἁγιασμοὺς ἐς καθαρότητα τῆς σαρκός. Legalem seu Typicam purificationē, oppositā impuritati carnali seu Typicæ. Cui purificationi Legali opponit sanctificationem nostram spiritualem à Christo ℣. 15. καθαριεῖ

τὴν συνείδησιν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων. Pariter sacrificiis Legalibus tollebatur maledictio Legalis seu typica; Christi verò sacrificio reali tollitur vera & realis maledictio, ira nempe Dei.

Jam ex hac distinctione liquet Judæorum fidelium sub Veteri Testamento non alia ratione, nec alio sacrificio expiata fuisse olim peccata quàm hodie expiantur sub Nouo Testamento, Christi nempe vero & vnico sacrificio. Alia quidem habuerunt sacrificia quàm nos habemus, sed typica & Legalia (non verò τυπωθέντα & vera quibus reatus & maledictio typica tollebatur.

7. Infidelitas seu cordis durities (nam hæc duo pro vno & eodem in Scriptura accipiuntur) est duplex. Prima tollit omnem Spiritus Sancti sensum & motum, vt est pertinax rebellio aduersus veritatem prædicatam. Secunda non tollit omnem Spiritus sensum, & motum, sed cum multis Spiritus Sancti bonis motibus, & sensu aliquo potest consistere, qualis erat infidelitas Agrippæ quum Paulo dicebat, *propemodum persuades mihi vt sim Christianus.* Similiter gemina quoque fides duplici illi infidelitati est opposita. Prima est διάθεσις seu dispositio quædam aut præparatio ad veram fidem. Secunda ipsa vera fides iustificans.

Infidelitas priore modo sumpta excludit fidem priore modo sumptam (homo qui διάθεσιν illam habet fidei, potest ab ea deficere & in infidelitatem illam prolabi) at non excludit fidem posteriore modo sumptam, quia qui verâ fide iustificante est donatus, ab ea nunquam prorsus deficit, ita vt in illam infidelitatem priore modo sumptam prolabatur; quare infidelitas adueniẽs non excludit fidem illam, siquidem fides illa nunquam præcedit in vllo infidelitatem illam.

Infidelitas quâ Judæis Apostolus tribuit Rom. 11.20. ob quam rami natiui defracti sunt, est infidelitas priore modo sumpta, quæ in iis eiecit fidem priore modo sumptam, hoc est διάθεσιν ad fidem, at non eiecit veram fidem iustificantem, hæc enim in ipsis nunquam fuerat, hoc enim vel maximè nomine Judæos arguit Paulus totâ illâ Epistolâ, quòd fide in Christum iustificari renuebant, iustitiam quæ est ex Lege sectantes, vti liquet, Rom. 10.31.32.

8. Promissionum Diuinarum de salute, aliæ sunt *conditionata, alia absoluta: Conditionata*, vt est illa quâ salutem hominibus proponit, & pollicetur sub conditione fidei & perseuerantiâ in verâ fide ad finem vsque: *Absoluta*, vt est illa promissio, quâ electis suis pollicetur se daturum veram fidem & perseuerantiam.

Quum sunt portandi & excitandi homines ad officium faciendum, ad fidem, pœnitentiam, perseuerantiam, &c. proponenda est illis promissio conditionata, *Crede & seruaberis & quicunque perseuerauit ad finem vsque, ille seruabitur.*

Quum autem erigendi sunt in tentatione, ne animus fatiscat, ne animo concidant, proponenda est illis altera illa promissio absoluta de dandâ fide, & perseuerantiâ, vti facit Apostolus, 1. Ioh. 2. ℣. 25.26. 27.19.20. καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ἔχετε, &c. vbi καὶ est pro ἀλλὰ & est ἀντιθετικόν. Et Paulus in secunda ad Timoth. 2. 19. *fundamentum Dei manet firmum, &c.* Et Philipp. 2. 13. *Deus est qui in vobis operatur & velle, & perficere.* Si verè fideles deficerent à verâ fide, Deus fidelis quidem maneret, respectu promissionis suæ conditionatæ de danda salute fidelibus perseuerantibus: at non maneret fidelis respectu promissionis absolutæ de dandâ fide & perseuerantiâ. Itaque impossibile est verè fideles & electos Dei excidere à verâ fide & salute, sic enim Deus fidelis non maneret in eâ promissione, quâ pollicetur se daturum fidem & perseuerantiam ad finem vsque. Quum Paulus 2. Tim. 2. 13. dicit εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει, id dicit respectu promissionis *conditionata*, non respectu *absoluta*, quod liquet, quia eò loci hortatur fideles ad officium, quod non fit propositâ promissione absolutâ, sed conditionatâ.

9. Authoritas alia est πειστική, alia βιαστική; authoritas πειστική est illa quæ animum excitat ad rem considerandam, verf. 9. cùm filium familias Pater, Præceptor & seruus monent de re eadem, & ad eam sigillatim cohortantur iisdem argumentis, certè Patris & Præceptoris authoritas, apud eum maior est quàm serui ad eum persuadendum, & authoritas illa est πειστική duntaxat quæ filium illum excitat magis ad considerandum id de quo monetur, aut ad quod excitatur, quàm si à seruo moneatur & excitetur, at non est illa βιαστική, nam βιαστική illa est quæ rationum momentis atque pondere nititur, quæ potest eadem esse in Patre, Præceptore & seruo. Conciliorum authoritas in rebus quæ ad fidem pertinent, in iisque determinandis est πειστική. Excitatur enim mens singulorum fidelium, vt expendat ea quæ definita sunt, quum vident ea definita à tali hominum cœtu: priuatorum autem auctoritas, quum rationibus & sacræ Scripturæ testimoniis dogma definiunt, si bene probant, authoritas est βιαστική Nec propterea minor est Conciliorum authoritas quàm priuatorum, imò verò maior est: nam præter πειστικὴν, habent & Concilia (aut habere debent) βιαστικὴν authoritatem rationum pondere subnixam, & rarò videas vt vnus singularísque priuatus homo fidelis, firmiores habeat rationes suæ sententiæ quàm habeat cœtus eorum qui in Concilio conueniunt, si quidem tales sunt quales esse debent.

Argumentum. Si discedendum est ab Ecclesia Romana, ab ea discedendum vel propter quemlibet eius errorem, vel saltem propter errores qui pugnant aduersus fundamẽtum. Non est propter errorem quemlibet ab ea discedendum, sic enim nulla communio cum vlla Ecclesia haberi posset: Vix enim inuenias vllam in qua non sit aliquis error: sed neque propter fundamentales errores ab ea est discedendum. Sunt enim errores contra fundamentum propter quos non licet discedere ab aliqua Ecclesia. Exemplo sit Ecclesia Galatarum & Corinthiorum, in quibus erant errores fundamentales, nempe iustificatio per legem, & negatio Resurrectionis. 6. Dec.

10. *Respond.* Error fundamentalis bifariam considerari potest, *absolutè* vel *comparatè*: absolutè cùm non consideratur quid ex quo sequatur, & quomodo fundamentũ ex eo errore euertatur, sed error *simpliter* & *absolutè* docetur, & propugnatur non perspectis, consequentiis. *Comparatè* cùm instituitur cõparatio erroris illius, cum fidei capitibus & fundamento, cúmque perspecto quid ex quo sequatur, certum est tamen tueri errorem & conse-

consequentias admittere quæ fundamentum euertunt, potiùs quàm Thesim erroneam deserere. Applicatio distinctionis, Non est deserenda Ecclesia propter errorem fundamentalem, *absolutè* consideratum hoc est, Non est discedendum à communione illius Ecclesiæ, in quâ recipitur error fundamentalis, cùm nondum perspectum est ab eâ quid ex eo sequatur, sed discedendum est ab Ecclesiâ illa in quâ error fundamentalis *comparatè* consideratus recipitur & propugnatur. In Ecclesia Corinth. & Galat. errores fundamentales illi quos arguit Paulus, erant *absolutè* considerati, non verò *comparatè*; nondum enim viderant, nec erat illis demonstratum quid ex illis sequeretur, propterea non fuit ab illis Ecclesiis discedendum. In Ecclesiâ Papisticâ errores sunt fundamentales, non *absolutè* modò, sed & comparatè, putà doctrina de Iustificatione per meritum bonorum operum, ita in eâ docetur & defenditur, vt malint quiduis gratiæ, & merito Christi, detrahi, quàm vt errori illi de iustificatione per bona opera aliquid eant imminutum. Ergo non est par Ecclesiæ Corinthiacæ vel Galatarum & Ecclesiæ Papisticæ ratio. Nec, si non licuit ab Ecclesiâ Corinthiacâ & Galatarum discedere ptopter illos errores fundamentales, sequitur non licère hodie ab Ecclesiâ Romanâ discedere propter errores illos fundamentales qui in eâ docentur.

Instant. Si longè maxima pars Ecclesiæ est eorum qui errorem fundamentalem tuentur *absolutè* consideratum, sequitur ex concessis ab eâ Ecclesiâ non esse discedendum. At in Ecclesiâ Romanâ maxima pars est eorum qui errores fundamentales amplectuntur *absolutè* consideratos, plebs nempe, quæ non videt quid ex quo sequitur. Minima, verò pars eorum est qui errores illos *comparatè* consideratos propugnant, Doctores nempe, Monachi & Præpositi: Ergo non est ab eâ discedendum.

Respondeo 1. ad Minorem. Eo statu quo iam hodie res sunt in Ecclesiâ Romanâ, non posse facilè probari illam minorem. 2. Ad Maiorem respondeo per distinctionem.

Discessio alia est *Externa* ab *Externâ* communione seu ritibus & Politiâ atque regimine, alia *interna* ab internâ Spiritus & charitatis communione. Quum Ecclesiæ Præpositi atque Pastores errant in fundamento non *absolutè* modo, sed & *comparatè*, discedendum est ab illâ Ecclesiâ discessione externâ, quæ externam communionem spectat: non est discedendum ab eâ discessione internâ, quæ communionem internam Spiritus spectat, cuius respectu oportet nos manère coniunctos maximæ illius parti, quæ non errat in fundamento *comparatè*: Sic in Politeia si Ciuitatis alicuius Præpositi & Magistratus aduersus Regem sint coniurati, licèt ij minima sint illius Ciuitatis pars, & longè maxima eius Ciuitatis pars illis in hac coniuratione, eorúmq; consiliis non adhæreat, fideli Regis subdito discedendum est ab illâ Ciuitate quoad externam communionem, at non quoad internam qua ciues mutuo amoris & Charitatis vinculo inter se sunt erga Regem deuincti. Ergo ab Ecclesia Romana discedendum est quoad externam communionem, licèt non quoad internam, respectu eorum qui in ea non errant *comparatè*, sed tantùm *absolutè*, quibuscum nos oportet charitatis vinculo esse coniunctos.

Instant. Ecclesia Judaica Christi tempore errabat in fundamento, & quidem *comparatè*, nam eius Præpositi & Doctores docebant ea quæ euertunt fundamentum, & ita quidem, vt à Christo moniti nihilominus tamen in errore persisterent. Et tamen Christus nemini author fuit, nemini suasit aut iussit vt ab eius externâ communione se separaret: Ergo neque iam discedendum est ab externa Ecclesiæ Romanæ communione propter errores fundamentales *comparatè* consideratos, qui in eâ propugnantur ab eius Præfectis & Doctoribus.

Resp. Non est eadem ratio Ecclesiæ Judaicæ Christi tempore & Papisticæ hodiernæ. Tum enim peculiaris erat ratio, cur non discederent tam citò fideles à communione Ecclesiæ Judaicæ, licèt corruptæ, nempe ritus & Ceremoniæ à Deo institutæ, quæ, cùm essent vmbræ & typi Christi, obtinère debuerunt ad plenam Christi manifestationem, quæ plena Christi manifestatio propriè non fuit, nisi post immissum Spiritum Sanctum die Pentecostes, adeoque Petro Gentium vocatio fuit manifestata per visionem Lintei ad eum cœlitus demissi. Act. 10. Itaque ad id vsque tempus Ceremoniæ & ritus Mosaici obtinère debuerant, nec propterea debuerunt fideles ab Ecclesiæ Judaicę communione externâ se seiungere. At iam nulla est hodie peculiaris ratio eiusmodi quæ nos tenère debeat in externâ Ecclesiæ Romanæ communione.

Instantia. Atqui Apostoli etiam post illud tempus passim in Synagogis Judæorum versabantur & cum Iudæis communionem colebant.

Ergo & hodie idem licet nobis facere in Ecclesiâ Romanâ.

Respond. Apostoli versabantur in Synagogis Judæorum, non vt Religionis communionem colerent, sed quia occasionem prędicandi Euangelium captabant, & vt Iudæos erroris conuincerent & redarguerent. Et idem hodie in Ecclesiâ Romanâ licèret, si quidem is rerum status esset, & id sine tumultu & seditione fieri posset, vt id aliquando quibusdam in locis factum est initio reformationis, vt post Monachum Romanum Euengelij Minister eundem conscenderet suggestum populum edocendi causâ, atque errores Pontificiorum conuincendi gratiâ: at vbi id sine tumultu & seditione fieri non potest, non licet id facere, & separari debent fideles quoad communionem externam ab Ecclesiis Romanensibus, quomodo Paulus, Judæis eum non ampliùs ferentibus, sed blasphemantibus, & tumultum excitantibus, discipulos; hoc est, fideles ab iis separauit, Act. 19. 9.

IN D. CAMERONIS THESES de triplici Dei cum homine fœdere explicationes aliquot ex ore ipsius dictantis exceptæ.

AD THES. 8. & 46

QVomodo Fœdus Naturæ sit immutabile & æternum.

Resp. Non potest Creatura non debere Deo pietatem, nec potest Deus vel non fauêre pietati, vel non odisse peccatum: his autem duobus fundamentis nititur Naturæ fœdus, quæ, cùm sint immota & inconcussa, ipsum Naturæ fœdus immutabile esse necesse est. Non obstat verò quòd conditio illius fœderis à nemine præstatur, ideóque nec impletur promissio: nam, vt fœdus sit immobile, sufficit vt Creatura non possit eximi conditione fœderis, Deus autem non possit non amare præstantem conditionem, vel non irasci conditionis contemptori, quæ in illo fœdere Naturæ locum habent, vt liquet.

Neque tamen malè concluserit Apostolus fœdus subseruiens esse mutabile, ex eo quòd illius conditio non est impleta (Hebr.8.9.) quia fœdus illud initum est cum homine lapso, de cuius salute Deus aperuerat consilium suum ante illius promulgationem: Vnde consequens erat, postquàm fœderis illius conditionem nemo neque impleuerat, neque impleturus erat, aliud fuisse fœdus, cuius interuentu Deus erat quod se constituisse iam antè significauerat. Sed nec efficitur fœdus subseruiens esse immutabile, ex eo quòd fœderis immutabilitas inde pendet, quòd conditione præstitâ non potest non impleri promissio: hoc enim illi fœderi, non per se sed per accidens, nempe quatenus idem est cum fœdere Naturæ, non autem quia subseruiens est & œconomicum: Etenim quâ œconomicum est, & cœpit & desiit, vt, quod ad Dei institutum, nemo mortalium sit hodie sub Lege, quatenus hæc loquutio fœdus œconomicum notat.

AD THES. 9.

Quomodo Redemptio hominis per Christum dicatur fundamentum fœderis Gratiæ.

Resp. Redemptio hominis significat totam œconomiam salutis nostræ, quam Christus incarnatione, vitâ, morte, resurrectione perfecit, quæ dicitur fundamentum fœderis gratiæ, quia alioqui fuisset conflictus inter Dei iustitiam & eius misericordiam.

Cur dicitur in fœdere Gratiæ exigi sola fides, cùm exigantur etiam bona opera?

Resp. Fidem solam non ideò statui conditionem fœderis gratiæ, quasi vita obtineretur per fœdus gratiæ sine pœnitentiâ & bonis operibus: sed quia solâ fide apprehenditur promissio Dei in fœdere gratiæ.

AD THES. 10.

Quomodo iustitia dicatur præsupponere fidem in Adamo.

Resp. Dei amorem esse geminum, *antecedentem* & *consequentem.* Adam amabat Deum (amor autem ille est iustitiæ ipsius veluti summa) quia sciebat & videbat se à Deo amatum amore antecedente, quo motus Deus tot tantaque in se contulerat beneficia.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

OBIECTIONES IN DISPVTATIONE IOHAN. CAMERONI PROPOSITÆ.

illiúsque ad eas responsiones & solutiones.

Rogatus quænam esset ipsius sententia de potestate Ecclesiæ in condendis legibus, ad hunc modum respondit.

MIhi quidem ita videtur. 1. Duplex est potestas condendi leges, vna est coniuncta cum authoritate summâ, quæ nullam reddit rationem cur ita sanxerit, vel secus. Altera habet quidem coniunctam authoritatem aliquam, at minimè summam illam tamen, qualis est ferè authoritas paterna, quæ legum à se positarum æquitatem demonstrat, probat atque persuadet. Illam vnus Deus sibi vendicare potest, hac Ecclesia gaudet. Deinde duo sunt genera legum in Ecclesiâ, aliæ enim versantur circa præceptionem aut prohibitionem rerum naturâ suâ bonarum vel malarum, quarum rerum est regula quædam immota & immutabilis. Aliæ vero versantur circa res quarum τὸ καλὸν & τὸ αἰσχρὸν pendet ex quibusdam circumstantiis quæ aliter atque aliter se habere possunt: vt in Galliâ nonnulla turpia videntur quæ inter Heluetios & Germanos nullam planè habent turpitudinem. Prioris generis leges Ecclesia nullas condit, conditas à Deo promulgat tantùm, nam quæ ad fidem & bonos mores spectant, ea sunt in Scripturâ Sacrâ tradita. Posterioris generis leges Ecclesia ferre potest cum αὐθεντίᾳ aliqua, illius enim est dispicere quid circumstantiæ postulent, aut vetent, aut patiantur; Ita tamen vt populo Christiano reddat rationem decretorum suorum, & eorum æquitatem illi persuadeat.

Aduersus hanc sententiam aliquis sic argumentatus est.

Cui potestas data est ligandi & soluendi, ei data est potestas ferendarum legum prioris generis, At Ecclesię data est potestas ligandi & soluendi. Ergo.

Resp. Verborum *soluere & ligare* duplex est signifi-

significatio, *propria* scilicet & *Ecclesiastica*. Propriâ significatione *ligare & soluere* statuere est ex naturâ ipsâ rerum pro imperio, quomodo vni Deo *ligare* & *soluere* conuenit. Significatione Ecclesiasticâ nihil aliud est quam declarare quid de vnaquâque re à Deo constitutum sit, quomodo Ecclesia ligat & soluit. Porro significationis istius Ecclesiasticae ratio petenda est ex vsu Ecclesiae Judaicae. Quod enim illius Ecclesiae Doctores lege vel prohibitum vel permissum significare voluerunt id soliti sunt dicere ligatum vel solutum esse.

Inst. Matth. 23. 4. *Ligare* est condere leges de rerum naturâ non declarare quid sit de iis à Deo constitutum. E. nulla solutio.

Resp. Negatur antecedens, nihil enim Pharisaei & reliqui Legisdoctores de quibus eo loco agitur, ligatum aut vetitum esse voluerunt, nisi de quo sic statutum esset in lege diuina; Ceterum legem diuinam sibi duobus modis traditam esse contendebant, scripto & verbali traditione quam Cabbalam appellarunt. In iis quae scripta erant nitebantur authoritate Scripturae, in aliis Maiorum authoritatem praetendebant quidem, At in eâ non consistebant tamen, sed à Majoribus ad Mosem, à Mose ad Deum vsque progressi, inde legibus suis authoritatem conciliabant, neque aliter earum obseruationem vrgebant. Quâ in re Pontifex Romanus multo plus audet quam Pharisaei, ligat enim atque soluit pro imperio, nec vllam aliam Dei legem allegat, quod si faceret ad illam legem prouocandum esset.

Si ea sit significatio verbi *ligare*, tum *ligare* & *retinere* sunt vnum & idem. Atqui differunt, retinere enim nihil aliud est quam conseruare rem in eo statu in quo est, ligare autem est aliquid amplius. Ergo.

Resp. Negatur minor. Ligare enim idem est quod retinere, siquidem τῷ *retinere* opponitur τὸ *remittere seu dimittere*: dimittere autem *soluere* est. Cum itaque ligare opponatur τῷ *soluere*, itidem necesse est vt cum *retinere* significatione consentiat: nam quae vni tertio opponuntur, inter se consentanea sunt. Certe si retentio sit conseruatio rei in statu in quo est conseruatio rei ligatae in eo statu, est continuatio quaedam ligationis, quare & retinere ligare est.

Inst. Qui missi sunt à Deo quemadmodum Christus missus est à Patre, habuerunt authoritatem condendarum legum prioris generis cum authoritate summa. Atqui Apostoli ita missi sunt. Joh. 20. 21. Ergo.

Resp. Verbi *quemadmodum* duplex est significatio, vel enim denotat realem (vt ita loquar) identitatem missionis, vel analogiam atque proportionem aliquam in missione. Priore modo negatur minor, posteriore conceditur minor, negatur maior. Consistebat enim illa analogia duobus in rebus. 1. Quod quemadmodum Christus quamdiu fuit in terris fuit supremus Ecclesię pastor visibilis qui nullum socium in eo munere admisit, sic Christo in coelum recepto Apostoli fuerunt Pastores Ecclesiae visibilis summi itidem. Nam authoritas muneris Apostolici cum nemine communicari potuit. 2. Quemadmodum Christus in praedicanda doctrina coelesti errare minime potuit, sic Apostoli fuerunt praediti Spiritu ἀναμαρτησίας in prędicando Euangelio. Quamuis enim Spiritum pari cum Christo mensurâ non acceperint, eâ tamen mensurâ acceperunt, quae illos ab omni errore & defendere potuit, & reuera defendit, eorum verò neutrum conuenit Ecclesiae Pastoribus post Apostolos.

Inst. Qui Apostolis tantum tribuit vt iis auditis ipse auditus esse dici debeat, parem secum Apostolis auctoritatem tribuit. Atqui Christus Apostolis tantum tribuit, vt iis auditis ipse auditus esse dici debeat, *qui vos audit me audit*, Luc. 10. 16. Ergo.

Resp. Negatur Maior. ratio cur negetur ea est, quod phrasis ista vsurpari potest in communicatione potestatis bifariam, vel enim illius qui sic loquitur ea mens est vt declaret, cum ipse pręscripserit, quid credendum, faciendumve sit, nolit tamen ipse quae praescripsit promulgare, sed aliorum vti ministerio, fraudi non esse futurum iis qui praescriptis obtemperaturi sunt, quod illa non ex ipsius ore sed ministrorum manibus acceperint, & simul ne de praescriptorum authoritate quidquam ex ministrorum conditione decedat. Vt si quis traditâ seruo regulâ gubernandae familiae, caeteris edicat vt illi pareant haud secus ac si ipse paterfamilias loqueretur. Vel ea mens est vt cum ipse nihil praescripserit, liberam tamen faciat potestatem quiduis prohibendi imperandíue. Posteriore hoc modo Christus discipulos non est alloquutus, non enim iis licuit leges de fide & sanctimoniâ pro arbitrio figere vel refigere in Ecclesiâ. Egerunt omnia ex Domini praescripto. Priore modo phrasim illam vsurpauit; caeterum id ad Ecclesię consolationem pertinet, cum enim cupiamus Christum praesentem habere atque audire loquentem, negat id esse necessarium, quod eius ministros solos audimus, id saluti nostrae minimè fore detrimento pronuntiat.

EIVSDEM

IOHAN. CAMERONIS
MISCELLANEA QVÆDAM
Opuſcula.

PRIMA CONCIO HORTATORIA,

Ad præparationem celebrationis Cœnæ Dominicæ, habita Salmurij in auditorio Theologico, 4. Idus Ianuarij, Anno Domini 1620. cuius argumentum exſtat,

1. Corinth. cap. 11. verſ. 23. 24. 25.

23. *Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο ἔλαβεν ἄρτον.*

24. *Καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ εἶπε, λάβετε, φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.*

25. *Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον, μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ Διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.*

A rei pondere & magnitudine.

DILECTISSIMI, Chariſsimi in Chriſto fratres, Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro eo ac idem potentiſsimus, ſapientiſſimus, & optimus eſt, vbiuis locorum, quouis tempore, ſemper & indiſcriminatim copiam ſui facit ſuis: Verumtamen quando in cœtu fidelium ferit aures noſtras vox Euangelii, quando vſurpamus oculis, & contrectamus manibus, quando afficiunt ſenſus noſtros ſymbola & ſigilla ſacra gratiæ ſuæ, præſertim verò in Cœna Domini, in qua proponit nobis panem quidem, & vinum in ſpecie: ſed panem & vinum, quæ ſunt ſymbola corporis ſui ſanctiſsimi fracti pro peccatis noſtris, & præterea ſanguinis ſui effuſi, & quidem in cruce, quæ mors fuit acerba, ignominoſa, maledicta denique, ſingulari quâdam & præcipuâ ratione teſtatur præſentiam ſuam, quò magis decet nos incumbere in hanc cogitationem, vt ne incuriâ & negligentiâ, rem tantam aſpernari videamur, aſpernari, inquam, teſte Deo, conſcientiâ noſtrâ, & hominibus: nam quo maius eſt beneficium, eò contemptores maiori ſcelere ſe obſtringunt. Quid autem maius dici aut cogitari poteſt animo, quàm vt nos non modò in Verbo Dei, ſed etiam ſigillis huic verbo additis habeamus certa pignora amoris, quo Deus in Chriſto, quo Chriſtus ipſe nos eſt proſecutus? Et quidem ſigilla quæ Chriſtum nobis ſiſtunt præſentem, non qualis eſt ſimpliciter Deus, aut Deus & Homo, ſed Deus & homo crucifixus pro peccatis noſtris. Itaque quando hoc conſilio huc conuenimus, vt ea meditaremur ſeriò, vt ita comparari poſsit animus ad tantum beneficium percipiendum, animo quidem, ſi nos ipſos intueamur, proiecto, ſed ſi Chriſtum ſpectemus, erecto. Obteſtor, & obſecro vos (fratres) per Jeſum Chriſtum, per ſpem vitæ æternæ, & vim mortis illius, vt qui adeſtis hîc corpore, iidem animo adſitis: nam ego quidem pro modulo gratiæ mihi indultæ, & muneris demandati ratione, explicaturus ſum vobis quæ ſit ratio cœnæ illius à Domino inſtitutæ, idque præeunte Paulo, quem in hoc argumento ſequi conſtituimus.

Paratur attentio.

Apoſtolus vtitur præfatione.

Is autem narraturus hiſtoriam rei tantæ præfatur primò, tum rem ipſam narrat: Ac quod præfatione vtitur non facit hoc temerè, agitur enim res magna: neque (quod vobis debet eſſe notum) ſolet Paulus interrumpere filum orationis, quâ vtitur, præfationibus, niſi res (& quidem magna) id poſcat. *Ego*, inquit, *accepi quod & tradidi vobis*, neque id dicit ſimpliciter, *Ego enim*, inquit, *quod accepi à Domino tradidi vobis, Dominum noſtrum videlicet, ea nocte quâ proditus eſt, accepiſſe panem*, &c. nempe apud Corinthios (ad quos hæc ſcripta ſunt, tametſi euenit ſingulari prouidentiâ Dei quod ad hunc vſque diem hæc verba legantur in Eccleſia, hoc factum eſt in vſum Eccleſiæ, itaque eadem etiam pertinent ad nos) cœperant gliſcere contentiones etiam in celebrandâ Cœnâ Dominicâ. Itaque Apoſtolus dum eos vult reuocare à contentionibus ad pacem, teſtatur ſe nihil illis tradidiſſe, quod pertineret ad celebrationem Cœnæ Dominicæ, præter id quod acceperat à Domino, *Ego*, inquit, *tradidi vobis quod accepi à Domino.*

cuius exponuntur verba.

Accepi.

Verba ipſa primùm exponemus, neque tamen diu immorabimur. Vtraque locutio eſt Hebraïca, & quod dicit *quod accepi à Domino*, & quod dicit, *tradidi vobis*: Nam Latinè quidem dicimus *ea accipere* quæ audimus; ſed quando ſermo eſt de

rebus

rebus gestis: At in linguâ Hebraïcâ (Hebraïcam linguam iam intelligo Chaldaïcam, vt eam appellat Lucas in Actis capite 26.14) *Accipere* audire est ita vt discas, &, si res spectat ad actionem, efficias quod audisti: Itaque quoties Prophetæ hortantur Israelitas vt *audiant Verbum Dei*, hoc Chaldaicè est vt *accipiant*. Itaque quod Paulus dicit se accepisse à Domino, id nihil aliud est quàm quod didicerat, & sibi præscriptum fuerat faciendum Christo docente.

Tradidi. *Et tradidi vobis*] Locutio est etiam vsurpata in Ecclesia Iudaïca, quæ significat *docere*. Quod ego (inquit Apostolus) didici Christo docente, id vos docui. Vnde verba illa quæ iam detorta sunt in vsum alienum קבלה & תסורת: nempe קבלה est *acceptio* מסורת *traditio*. Hoc ergo Paulus vult, quod præscripsi vobis faciendum, hoc non confinxi pro ingenio, sed vt accepi & didici à Domino, eadem animi puritate id vos docui. Vbi (vt hoc obiter dicam) hoc occurrit imprimis obseruandum, quod hac locutione Paulus se profitetur fuisse Apostolum: hæc est enim nota authoritatis Apostolicæ, quâ distinguitur ab authoritate reliquorum Doctorum in Ecclesia, quod Apostoli quicquid docuerunt, id didicerant à Christo immediatè, ἀμέσως. Vnde & illa Apostoli verba quæ exstant cap. 9. huius Epistolæ ℣. 1. *Nonne sum Apostolus? Nonne Dominum Iesum vidi?* Et quod testatur toties, *se non didicisse Euangelium ab hominibus, sed per reuelationem Iesu Christi*. Gal. 1. 12. Itaque videtur Apostolus duo præstare, primùm reuocat Corinthiis in memoriam institutionem sacræ Cœnæ non esse ab ingenio humano, sed à Christo. Deinde, quod ipse, qui illis princeps fuit & author huius institutionis, Apostolus fuit, qui eam didicerit à Christo ἀμέσως reuelante.

Διδαχ. Sed quorsum hæc pertinent? neque enim animus oblectandus est inani speculatione rerum, sed speculatio illa referri debet ad commouendos animi affectus, alioqui nulla erit pietas, & religionis pars, nullius vtilitatis erit ista cognitio, nisi meditemur quorsum spectet, nempe vt in re tantâ non commoueamur authoritate hominum. Nam Apostolus non est vsus authoritate sua, non objecit Corinthiis Ecclesiæ authoritatem, sed dum voluit eos reprehendere, & afficere eorum animos, confugit ad Christum, *Quod*, inquit, *tradidi vobis id accepi à Domino*, non iubet Corinthios stare sua authoritate, imò verò agnoscit se famulum, ministrum, internuntium; nam certè viros magnos solet percellere Ecclesiæ authoritas, quam illi Antiquitatem vocant; at non sic agit Paulus, sed vt permoueat Corinthios, *Ego*, inquit, *vos docui quod didici à Domino*, vt moderatis ingeniis res posit videri facillima expeditu. Nam quæ ratio conciliandi tot sententias, tot disputationes quæ obortæ sunt de Cœnâ Domini, promptior quàm hæc est, nempe vt seriò habeamus constitutam ob oculos institutionem Cœnæ Dominicæ, nihil vt admittamus præter id quod Christus præscripserit, vt cætera omnia resecentur quæ addita sunt, & ea quæ dempta sunt restituantur, & quæ commutata, denique ea reponantur eo loco quo fuerunt ab initio. Certè (quod fusiùs docebimus infrà) Paulus profitetur se nihil tradidisse, nisi id quod acceperat à Domino: Ergo in Cœna Domini faciendum nobis est quod præscripsit Paulus, non est faciendum quod non præscripsit. Iam cùm dico, non esse faciendum quod non præscripserit Paulus, nolim hoc sic intelligi, quasi nihil agendum sit nisi quod hîc præscriptum fuerit, sed nihil agendum quod non faciat ad illa quæ præscripta sunt à Paulo. Non enim Paulus ait, Christum habuisse concionem ante celebrationem Cœnæ Dominicæ, non ait Paulus lectas fuisse sacras litteras. Minimè verò; sed tamen quia hæc omnia ad rem faciunt, ideò facienda sunt, Ritus verò illi & ceremoniæ quibus adimitur aliquid essentiæ Dominicæ Cœnæ, quibus additur aliquid; vel quibus immutantur illa accidentia, quæ sequuntur essentiam Cœnæ Dominicæ, ea debent aboleri. Vt verbi gratiâ, in Papatu hoc accessit ad essentiam Cœnæ Dominicæ, quod instituitur sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum: profectò, qui hoc faciunt non possunt affirmare cum Apostolo se tradere quod acceperunt à Domino, quia Dominus non obtulit in Cœna sacrificium, sed in cruce. Itaque hoc est, aliquid adjicere. Et item, adimunt aliquid Cœnæ Dominicæ qui vsum interdicunt calicis: Nam vsus calicis est quid essentiale Cœnæ Dominicæ: quid ita? nempe Apostolus hoc præscripsit, cùm profiteretur se verè id tradere quod acceperat à Domino. Deinde, tota res in Papatu immutata est (immutata, inquam, in iis quæ *accidentia* vocantur, & quæ debent essentiam Cœnæ Dominicæ comitari) nam cùm nihil debeat esse simplicius Cœnâ Dominicâ, tot additæ sunt à Pontificiis histrionicæ gesticulationes, quibus illi vim magnam tribuunt, vt vix apud eos ne minimum quidem Cœnæ Dominicæ lineamentum deprehendi posit. Et (quod est caput mali) omnia illa impia additamenta trahuntur in mysterium: si Sacerdos sese inclinauerit mysterium est: si circumiuerit altare mysterium est: omnia illa sunt mysteria quæ non intelligit plebs, sed quę tamen attonita prorsus spectat, ac si ageretur fabula. Nostra ergo hæc sit gloria, & felicitas nostri sæcui, quod nos (quæ maxima Dei benignitas est) in Ecclesia illa versamur, in quâ, nisi solem lucere pleno meridie voluerimus negare, Cœna Domini celebratur eo pacto quo celebrata fuit à Domino. Itaque, nos primùm eo nomine debemus gratias agere Deo, quòd nos voluerit nasci in ea Ecclesia, in quâ licet nobis frui Cœnâ vti celebrata est à Domino: quæ gloria maxima est, & felicitas item sæculi nostri; nam olim non ita fuit, olim, inquam, tempore auorum & proauorum nostrorum. Sed non satis est cogitare quanta sit gloria nostra, & felicitas sæculi nostri, quod ea sint nostra tempora, in quibus profiteri possumus inter nos verè esse Cœnam Domini; nam omnia ista reddent nos Deo magis exosos, nisi statuamus apud nos, cùm Deus nos tantis beneficiis locupletauerit, ne nos præbeamus ingratos. Ne inuideamus ergo Pontificiis pompas illas & gesticulationes histrionicas, sed caueamus serio ne frustrà credita sit nobis gratia Dei.

Sequitur iam Narratio institutionis & celebrationis Cœnæ à Christo, in qua hæc veniunt imprimis consideranda. Primò, quod notat Apostolus Authorem Cœnæ. Secundò, quod notat Tempus, quo author Cœnæ Cœnam instituit. Tertiò, quod notat Apostolus quid egerit aut

Marginalia: non hominum, siue Ecclesiæ. — sed Dei, seu Christi, authoritate standum. — quod non est factum in papatu. — sit autem in nostra Ecclesia. — tria hîc consideranda.

dixerit author Cœnæ Christus, dum institueret Cœnam. Hęc ergo omnia, quàm potero breuiter, explicabo. Ac primò quidem, Apostolus Dominum nostrum Jesum Christum authorem Cœnę duobus titulis insigniuit, nempe *Dominum* vocat, vocat & *Iesum*. Prior titulus argumentum est Potentiæ & Sapientiæ, nam vt quia iure Dominus sit, necesse est potens sit & sapiens; quod enim ista in terrenis Dominis seiunguntur, vel etiam neutrum eorum occurrit, hoc fit imbecillitate vel vitio naturæ humanæ: At cùm Paulus Christum DOMINVM vocat, Potentiam & Sapientiam illi tribuit. Quod verò Apostolus Christum IESVM vocat, notat summam Bonitatem, & Bonitatem quidem, in quâ elucet Potentia & Sapientia Christi: nam non est cuiusuis seruare, sed eum qui seruat oportet Potentem & Sapientem esse, oportet item Bonum esse. Et Christus quidem DOMINVS dicitur, hoc est, Potens & Sapiens, non quidem quâ talis est in se, nam Dominium (vt vos scitis) notat aliquid quod non est absolutum, Dominus enim est serui Dominus. Itaque dum Christus dicitur DOMINVS, notatur illius Sapientia & Potentia, quâ fuit fundamentum istius tituli qui Relatum est. Iam Christus Potentiam, Sapientiam & Bonitatem suam testatus est, vel in mundi creatione, (quomodo *Dominus mundi* etiam dici potest, nam mundi Creator est,) vel in eius redemtione. Atque vt hîc obiter refellam argutiolam hęretici hominis, initio Epist. ad Heb. cap. 1. 2. dicitur Christus *constitutus hæres omnium à Patre, per quem etiam sæcula condidit.* [Sic enim argutatur, Dicitur (inquit) Christus constitutus à Patre *hæres omnium*, quia sæcula condidit. Iam verò si nomine *Sæculi* intelligamus mundum hunc aspectabilem, Christus verò hunc mundum aspectabilem condidit, quomodo (inquit) potest dici constitutus à Patre *hæres*, *& Dominus omnium* quia sæcula condidit, nam eo ipso quod omnia cōdidit omnium Dominus est?] Sed est hæc vana argutiola, nam non dicitur simpliciter Christus constitutus hæres omnium à Patre, *per quem sæcula condidit*, sed *per quem etiam sæcula condidit*, quasi diceret Apostolus, Hic quē Deus hæredem omnium constituit, is ipse est per quem sæcula condidit, alioqui non dixisset *per quem etiam*. Possem hoc glossema aliter refellere, nam *αἰῶνες* in plurali simpliciter positum in Scriptura nunquam aliud significat quàm mundum, Heb. 11. 3. sed id neque est huius loci neque temporis. Itaque sufficiat monuisse cap. 1. 15. 16. Epist. ad Coloss. Apostolum dum reddit rationem, cur Christus *primogenitus*, & *hæres*, hoc est *Dominus* dicatur, non sic loqui, tantùm dixisse, *quia omnia per eum facta sunt*, non addere *etiam*. Hoc est ergo primum Dominium, quod tribuitur Christo in creaturas, nempe Dominus est quâ Creator est. Attamen cùm Christus dicitur *Dominus noster* in Scripturâ, alterum genus Dominij tribuitur Christo, nempe ratione redemptionis: Redemptio enim est altera Creatio. Cùm ergo hoc loco Christus dicitur Dominus, id non tantum iure creationis, sed etiam iure redemptionis intelligendum est, vt sit idem Christi, per quem omnia creata sunt, &c, vt ita dicam, recreata: nempe si legamus non oscitanter Scripturas, videbimus Deum ab vtroque opere petere argumenta Potentiæ & Sapientię suæ: neque Prophetę minoribus laudibus efferunt opus Redemptionis quàm opus Creationis. Itaque habeant illi quidem Deum fictitium, & qui non fuerit Deus antequam conceptus fuerit, & natus è virgine, nos eum habeamus Dominum qui idem Deus est: nam vt loquitur Propheta (Esai. 54. 5.) *Dominus tuus est Redemptor tuus*, id est, Deus & Creator tuus, nempe non potuit viribus humanis mundus redimi, alioqui Angelus id præstitisset. Itaque per quem omnia condidit Deus, per eundem etiam omnia redemit.

> 1. Christus author Cœnæ.
> qui *Dominus* dicitur.
> quia Creator
> & quia Redemptor.

Et Christus Dominus IESVS dicitur, vt ostendatur ratio dominatûs: nempe est dominatus qui eò spectat, vt qui Dominus est puniat & perdat denique, quomodo Christus, etiam quà Mediator est, hostium suorum Dominus est: nam vt est apud Prophetam Psal. 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sed est etiam dominatus quidam, qui eò spectat, vt qui Dominus est seruet & protegat eos quorum Dominus est, sic Christus nón simpliciter Dominus est Ecclesiæ suæ, sed *Dominus Iesus*, Dominus Seruator.

> *Iesus* cur dicatur.

Quorsum spectat hoc? nempe vt admoneamur cum celebratur Cœna Dominica, non celebrari rem ieiunam & frigidam: nam res quidem planè frigida est in se, nihil enim est in Cœnâ Domini magnum & eximium si seiungatur ab authore suo: nempe panis est & vinum. Itaque altiùs attollendi sunt oculi, oculi, inquam, mentis, & diligenter defigendi in contemplationem Sapientiæ, Potentiæ, & Bonitatis illius qui cœnam instituit. Nam inter superstitiosos sunt ritus qui, si exigantur ad normam iudicij sensûs, multò vehementiùs afficiunt: Et hæc est nota veræ Ecclesiæ, quòd in ea Euangelium simplicissimum sit, & quo Euangelium simplicius est, eo Ecclesia purior est: Et contra, quo crassiora sunt dogmata de religione, eo crassior & impurior est superstitio; est enim coniuncta cum pompa & apparatu. Itaque nos debemus æstimare Cœnam Dómini & Seruatoris nostri ex Potentiâ, Sapientiâ, & Bonitate Domini & Seruatoris nostri, non debemus contra iudicare de Potentiâ, Sapientiâ, & Bonitate Domini nostri Iesu Christi ex Cœnâ quam instituit.

> Διδαχ.

Et quanquam ista dantur hominibus qui sensibus sunt addicti; ratio tamen non iudicat aliter (*rationem* intelligo reliquias illas lucis primogeniæ, quæ remanserunt in homine post peccatum) nam hæc debet esse ratio omnium signorum, vt ne vehementiùs afficiant sensus quàm oportet vt mens rem significatam percipiat: nam si sit aliquid egregium in signis quod non pertineat ad rem significandam, non erunt signa; quod demonstrabo familiari exemplo. Qui profitentur artem pingendarum litterarum, adeò illi sæpè indulgent ingenio, vt dum student pingere litteras, vix possit percipi quæ littera sit, adeò illam incrustant, & pigmentis obducunt: At contrà, qui ita pingunt litteras, vt consulant lectori, solent illi characterem nudum pingere, nullum adhibent cultum præter eum qui efficit vt character, vt ita dicam, significantior sit. Ita planè quando Christi cōsilium fuit animos nostros à signis terrenis euocare, & erigere ad rem ipsam, Christi sapientiam decuit præscribere signa simplicissima. Quod si fuisset obseruatum, non foret tantopere laboran-

> signa Sacramentorum debēt esse simplicissima.
> quod non est obseruatum in Papatu.

laborandum hodie: nam (vt fateamur quod res est) visa est hominibus pronis in superstitionem illa Cœnæ Dominicæ institutio, vt à Christo præscripta est, nimium rustica, & simplex: itaque illi voluerunt rem cumulare & obtinere nescio quibus ornatis. Vnde factum est, vt progressu temporis quisque, prout valebat ingenio, aliquid excogitarit, idque illi addiderit, Cœna Dominica in monstrum Transsubstantiationis venerit. Nam homines omnes crassi sunt, & superstitiosi, itaque omnia volunt præsentia (præsentia, inquam, sensibus, non menti) non putant se Deum videre, nisi videant pictum in tabula, aut sculptum in marmore. Vnde Judæi dixerunt olim (Exo. 32. 1.) *faciamus nobis Deos*, postquam Moses recessit illis ab eorum conspectu, quod tamen non dixerant quandiu Moses illis adfuit, nempe, quando Moses aderat putabant se videre Deum. Itaque nihil potest superstitioso homini gratius accidere, quam imaguncula, quæcunque tandem illa sit, si modo consecrata fuerit à Papâ. Quid ita? hoc est ingenium humanum, quod tamen alienum est à cœlo. Quare nos, quando Christum authorem Cœnæ habemus, ne eò accedamus, vt à multis fieri solet, ac si esset ritus & ceremonia instituta ab hominibus: nam ipsa simplicitas satis indicat Deum esse qui eam instituit. Quòd si eo animo accedamus, non est quod hæreamus in signis, sed à signis ad rem ipsam ascendamus, eamque hauriamus & vsurpemus animi oculis, & amplectamur brachiis & manibus, sed brachiis & manibus animæ: nam quando Cœna tantum habet authorem res magna est.

2. tempus quo instituta est S. Cœna.

Tum, inquit, *Ea nocte quâ proditus est*] Describit Apostolus tempus, quo author Cœnæ Dominus Iesus Cœnam instituit. Hic obiter monendi estis hæc verba, *Traditus est*, quibus vtitur Apostolus, non habere illam significationem hoc loco, quam videntur habere in linguâ Gallicâ: Nam *Tradere* in linguâ Hebraicâ est, *Tradere ad mactandum*. Itaque cum notatur hoc loco Tempus, quorsum hoc obseruauit Paulus? An vt nos nocte celebremus Cœnam? minimè: Sed respexit Corinthios, qui, dum esset celebranda Cœna Dominica, contendebant inter se. Quid, (inquit Apostolus) vos non meministis illius noctis qua traditus est? Hoccine est illam Cœnam celebrare quam Christus instituit, cùm esset iamiam sese traditurus morti ob peccata vestra? Vos enim contenditis ac si agerentur res ludicra, nec cogitatis quanta sit, nec vos subit memoria noctis illius qua traditus est? Eadem cogitatio nos debet vehementer commouere, atque eò magis quod ea res indicat primò, Summum amorem Christi: secundò Constantiam. Nam sunt miseri homines qui putant agonem & Passionem Christi nihil aliud fuisse, quàm argumentum infirmitatis in Christo. Jam si illi id omne vocant infirmitatem, cuius capax est natura humana, non errant à vero: nam certè si Christus non homo fuisset, non potuisset pati. Sed hoc nolunt. Jam verò quî fieri posset vt Christus tantâ alacritate Cœnam celebrarit, hymnum cecinerit, & nullum exhibuerit argumentum animi abiecti & prostrati: Quî, inquam, fieri hoc potuisset, si passio Christi ab infirmitate fuisset profecta? nam sapientissimus & potentissimus fuit, & prospexit quod erat futurum. Eadem igitur infirmitas quæ eum reddidit imbecillem in Agone (si fuisset merè humana) debuisset in eo esse etiam in Cœnâ: non fuit tamen, nempe illi angores irruerunt in eum in Agone impetu quodam, & quasi facto agmine. Itaque hæc obseruanda sunt diligenter, non modò vt habeamus argumentum amoris Christi erga nos, quem abundè testatus est, cùm iamiam passurus instituit tamen celebrationem suæ Cœnæ in nostri gratiam, tum vt sciamus in Christo esse aliquid homine maius, vt potuerit affectus coercere & frænare ne metueret, & laxare etiam habenas timori. Itaque passionem Christi & infirmitatem fuisse Oeconomiam Dei infligentis Christo pœnam pro peccatis nostris certo quodam modò, & certâ quadam ratione: nam ille quidem totâ vitâ quid egit aliud quàm vt perficeret salutem nostram, seu ageret seu pateretur, sed in Agone tamen fuit aliquid maius. Itaque tempus hoc & nox hæc altiùs infigenda sunt animo nostro, vt abuersetur nobis ob oculos, in Cœna Domini, horror noctis quâ traditus est.

cur notetur ab Apost.

3. Institutio ipsa Cœnæ.

Venio iam ad celebrationem ipsius Cœnæ Dominicæ, in quâ Paulus, primò, obseruat quid Christus fecerit: secundò, quid dixerit. Primò, docet Christum sumpsisse Panem & Vinum. Vbi duo nobis obseruanda sunt. Primò, Vt consideremus obiectum actionum Christi, tum ipsas Christi actiones. Obiectum actionum Christi est Panis, & Vinum: nam sumpsit Panem & Vinum, sumpsit enim poculum post Cœnam. Hic autem duo sunt obseruanda. Primò illud, quod in obiecto huius Sacramenti elucet summa Sapientia Christi. Secundò, quod in obiecto huius Sacramenti elucet [illegible], & Christi moderatio, εὐτέλεια. At Sapientia quidem, quia in Veteri Testamento offerebantur Agni, effundebatur sanguis taurorum & hircorum: Illa autem omnia crassa fuerunt, & tamen videbantur clariùs significare mortem Christi, quàm Symbola nostra sub Nouo Testamento, quæ sunt Panis & Vinum. Sed meminerimus populum Noui Testamenti esse spiritualem, populum verò Veteris Testamenti carnalem fuisse (cùm dico, populum Veteris Testamenti fuisse carnalem, populum autem Noui esse spiritualem, non oppono carnalem spirituali simpliciter & absolutè, sed κατά τι, secundùm magis & minus.) Itaque multò castiora & puriora sunt Sacramenta Noui Testamenti, quàm Veteris, (cùm dico castiora & puriora, non dico illa fuisse impura, sed tamen magis crassa & terrena pro œconomiâ Ecclesiæ) vt verbi gratiâ, nos abluimur aquâ in Baptismo, illi circumcidebantur; nos sumus participes Panis & Vini, illis offerendæ erant victimæ, & effundendus taurorum & hircorum sanguis. Tum, in Veteri Testamento signa illa non significabant efficaciam, vim, & pondus mortis Christi directè, sed in Nouo Testamento alia ratio est: nam Panis & Vinum (quibus symbolis, etiam qui non sunt instituti in Ecclesia Dei, solent omnia quæ ad hanc vitam pertinent significare) ostendunt nobis data esse omnia in Christo, quæ necessaria sunt. Tum Panis fractus, & Vinum effusum indicant rationem qua sumus participes Christi corporis & sanguinis: non enim sumus participes absolutè corporis & sanguinis Christi, sed

Insignorū electione elucet Christi.

1. sapientia.

corporis fracti pro peccatis nostris, & sanguinis Christi effusi in peccatorum nostrorum remissionem.

2. Ἐπιείκεια. Tum etiam ἐπιείκεια Christi in obiecto huius Sacramenti elucet duobus modis: Primò, Quia non sunt semper ad manum hirci & tauri, sed in Ecclesia Dei semper est Panis & Vinum (*semper hîc sumite largè: nam scio quidem Ecclesiam Dei aliquando redactam fuisse ad incitas, sed tamen hoc raro euenit.*) Itaque Bonitas Christi in hoc elucet, quod ea elegit signa quæ in promptu sunt. Itaque exhibuit nobis non tantùm signa casta & pura, sed etiam signa quæ sunt in promptu: Deinde & Christi ἐπιείκεια elucet in obiecto huius Sacramenti, quod non excogitauit noua signa, ne rei insolentiâ terreret discipulos: nam in Ecclesia Judaica, celebratâ Cœnâ Paschæ, solebat solemni quodam ritu porrigi à Patre familias panis & vinum, idque non sine benedictione. Nam sic solebat benedicere Paterfamilias, *Benedictus Dominus qui nos confirmauit, & viuificauit, & effecit vt ad hoc vsque tempus peruenerimus:* hæc fuit solemnis Benedictio panis inter Judæos. Item & illis erat poculum quod vocabant *poculum Benedictionis*, quod dum porrigebant pariter benedicebant Deo, *Benedictus sis Domine*, dicebant illi, *qui creasti fructum vitis*. Vnde in Euangelio legimus, *fructum vitis* (Matth.26.29. Marc.14.25. Luc.22.18.) Videtis ergo in vno eodemque argumento elucere Sapientiam Christi & Bonitatem: Et Sapientiam quidem, quod signa dedit casta & pura. Bonitatem item, quòd illa signa in promptu fuerint & vsitata. Id ipsum obseruandum est in Baptismo: nam Baptismus, quod notum est, frequens erat apud Judæos: sed præcipuè dum admittebantur ad nouum fœdus qui ab eo erant alieni. Itaque præceptum est vetus apud Judæos, neminem fieri proselytum nisi in his tribus, in Circumcisione, in Baptismo, & Oblatione. Itaque, qui peregrini olim admittebantur in communionem Ecclesiæ, baptizabantur item: hoc quidem apud Judæos sine Dei authoritate fiebat, sed tamen Christus quia hoc erat admissum non respuit, sed quod non habebat authoritatem, illi authoritatem conciliauit. Itaque vt hæc omnia reuocemus ad vsum nostrum, necesse est cogitemus quanta sit Sapientia & Bonitas Christi Seruatoris nostri, vt omnia nos vehementer afficiant. Atque hæc de obiecto.

Christus *sum sit* panem. Sequuntur *Actiones Christi* circa obiectum huius Sacramenti. Ac primò quidem illa Actio, *Sumpsit* (inquit Apostolus) *Panem & Poculum:* Solet Scriptura aliquando sic loqui, *Aperuit os suum*. Matt.5.2. Hæc autem locutio non occurrit nisi cùm significatur res grauis vel in se, vel opinione dicentis: Qui enim loquitur de re graui, non solet præcipitanter & abruptè hoc agere, sed ex vultu deprehendit auditor signa rei, & quidem magnæ, de quâ locuturus est. Itaque non est otiosum quod Apostolus dixit, Christum panem & vinum sumpsisse, sed notauit Christum hoc fecisse, vt notaret rem agi magnam. Quod etiam à Judæis fuit vsurpatum olim, sed cum superstitione; non enim sumebant panem & poculum simpliciter, sed adhibitis ceremoniis & gesticulationibus, at Christus hoc non fecit, sed simpliciter his ademptis superstiosis ritibus, sumpsit in manus panem & poculum. Sunt qui dicunt latêre hîc mysteria, & quòd Christus panem & poculum in manus sumpserit, id significare assumptionem naturæ humanæ: Sed nihil opus est hûc confugere, tenendum est tantùm hoc pacto Christum erigere Discipulorum animos. Itaque & nos eodem planè animo debemus ad sacram Domini Cœnam accedere, nos, inquam, tum qui administramus Sacramenta, tum qui ea accipimus, vt cogitemus agi rem magnam, & ne id agamus perturbatè, & perfunctoriè, quod faciunt multi; vnde oritur graue scandalum, & præripitur vera fidelium consolatio. Itaque assumptio ista panis & poculi notat pondus, & grauitatem actionis.

Benedixit. Deinde *Benedixit*] Non immorabor in expositione huius actionis, quia non ita pridem quæcunque in hanc rem dici poterant fusè vobis exposita fuerunt: tantum monebo panem istum non esse simpliciter panem, sed panem super quo Dominus Deus benedictus est, vt loquar phrasi Scripturæ. Itaque, vt qui porrigit panem benedicit, ita & qui accipit benedicat; vt ne porrigatur temerè, sed cum affectu cordis; & ne item sine discretione accipiatur, sed cum Benedictione, tanquam signum & sigillum corporis Christi fracti pro peccatis nostris, sanguinis effusi in remissionem peccatorum. *Et fregit.* Hæc est tertia actio: nam non modò Christus sumpsit, non modò benedixit, sed fregit: Et sanè fuit hæc consuetudo vsitatissima inter Judæos priscos, & est etiamnum hodie inter illos, si seruant ritus patrios, nempe Pater familias frangebat panem, & deinde distribuebat. Sed hîc latet aliquid altius, argumento sit illud Christi, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Vt ego crediderim singulari quadam prouidentiâ Dei accidisse, quòd cùm esset instituta Cœna à Domino, omnia essent parata: nam ritus nullus inuentus est Domino, tantum ritus, qui non erant superstitiosi, ipse sanctificauit, & ritibus quibus nulla fuit authoritas, ipse authoritatem conciliauit.

Fregit.

Non obtulit in sacrificium. Atque hæc sunt quæ Christus fecit, non obtulit panem in sacrificium, sed panem quem accepit cum benedictione fregit. Hoc est maximè obseruandum. Nam vt dicam ingenuè quod res est, vetustius est in Ecclesia hoc dogma de Sacrificio, quàm dogma de Transubstantiatione: Priùs cœptum est offerri panem in sacrificium, quàm cœptum est credi panem illum transubstantiari, hoc est, mutari in corpus Christi: & prior mos posterioris fortasse fuit occasio. Vnde hoc factum? (videmus enim in Ritualibus Judæorum disertè distingui oblationem, & participationẽ) vnde hoc, inquam, factum est? nempe, quia isti non obseruarunt quod instituit Christus: nam sumpsit panem, deinde dedit discipulis: hoc docet Paulus quando dicit Dominum Jesum ea nocte, qua traditus fuit, accepisse panem, & gratiis actis fregisse, & dixisse, *Accipite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Hoc autem visum est illis nimis simplex & rusticum, ideoque voluerunt aliquid adjicere, quod illis non successit. Itaque panem obtulerunt in sacrificium, neque tum putarunt se offerre corpus Christi Deo, sed vt in Veteri Testamento prisci Judæi agnum immolabant, quem tamen non putabant esse Christum, sic qui primi panem in Cœnâ obtulerunt, panem hunc corpus Christi fuisse non existimarunt, Nos

Vnde cœperit opinio de Sacrificio.

runt. Nos tamen in hoc exultemus, quod restituta est inter nos vera Cœnæ Christi institutio: nam panis sumitur in Ecclesia nostra, gratiæ aguntur, frangitur, benedicitur. Ergo fit quicquid à Christo institutum est. Quod si occinant hoc factum fuisse olim aliter, nos succinamus item, sic tamen fuisse factum à Christo, vnde vera demum Antiquitatis & Veritatis ratio petenda est.

Applicatio per adhortationem.

Sed audita est hora. Itaque cogor abrumpere filum orationis meæ. Tantùm superest vt vos rogem & horter, vt quando Deus vos nasci voluit eo sæculo quo sustulit facem Euangelij sui, neque hoc tantùm, sed etiam quando Deus voluit vos nasci in Ecclesia ea, in qua eam collocauit: Et quando voluit vos imbui non modò cognitione bonarum litterarum, quod beneficium est non vulgare, sed etiam cognitione filij sui Jesu Christi, quod beneficium summum est, vt quo maioribus beneficiis aucti estis tanto ardentiùs illum ametis, & in eo spem vestram reponatis & confidatis. Quando iam se offert occasio fidei vestræ testādæ, comparate vos ad rem tantam, reputetis animo vitam ante actam, putetis non esse hominis bonarum litterarum cognitione imbuti, ne dicam Christiani, indulgere genio, laxare habenas vitio & libidini, & insolescere belluarum more, quæ tamen (proh dolor!) solemnes sunt iuuentuti Scholæ. Sed vnusquisque repetat animo delicta sua, & constituat sibi ob oculos misericordiam Dei; sed misericordiam Dei in Christo, ad quem nemini patet aditus nisi contrito cordi, & misericordi erga fratres. Meminerimus nos dilectos fuisse à Deo, antequam diligeremus Deum, nam ille, vt ait Apostolus, *amauit nos prior*, vt discamus ipsos hostes nostros, nedum fratres nostros, diligere: qua in re Christus ipse exemplo nobis præiuit, vnde factum est vt toties vocet omnes omninò homines ad se in Euangelio. Denique, Fratres, hæc tria habere ob oculos, fidem, spem, & charitatem, quæ sunt symbola fidei, & characteres animi Christiani: habebimus autem, si non cum isto mundo statuamus: Ergo amo Christum & spero in Christum, interim tamen vt dissoluti nepotes viuamus, aut verò malitiam nostram hypocriticā laruâ, hominibus quidem, quod Deo non possumus, personemus. Itaque probet se vnusquisque syncerè & ex animo, vt hortatur Paulus, & si sit quisquam qui sentiat fidem languidam, sciat medicinam sibi parari in Cœnâ Domini: Si quisquam non afficiatur sensu peccati sui vt par est, sciat ideò institui Cœnam à Deo; vt sensus peccati ingrauescat: Et si quis videat se pronum in iram, cogitet apud se mansuetudinem Christi crucifixi. Hoc demum habeat vnusquisque nostrum pro comperto, vt etsi omnia in nobis tenuia sint, confidat tamen certò, fore vt Dominus illa adaugeat, vt qui non solet tenuia conculcare, sed erigere, & confracta refringere, sed constabilire. Is enim vtetur sua bonitate erga nos, ad eum accedamus non hypocriticè, sed syncerè, & ex animo per Jesum Christum, Faxit Dei per Spiritum Sanctum.

ad pietatem & veram sanctitatem.

Cui Patri, Filio, & Spiritui Sancto sit honos, laus, & gloria in æterna sæcula.
Amen.

Precatio qua ante Prælectiones vti solebat Camero.

OMnipotens, Æterne Deus, Clementissime Pater, qui fons es inexhaustus omnis Sapiētiæ & Bonitatis: Tu habitas lucem inaccessam, nos autē iacemus obuoluti & sepulti tenebris ignorantiæ: Tu sanctus es, nos miseri peccatores. Cæterùm, quiqui simus, opus manuum tuarum sumus, & oues miseræ quidem naturâ, sed redemptæ tamen pretioso sanguine Filij tui. Itaq; respice nos oculis propitiis, affulgeat nobis lux verbi tui, lux Spiritus tui, fac vt in illa luce te verum lumen intueamur, agnoscamus, amemus, admiremur, & seriò colamus, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium. Amen.

Precatio qua post Prælectiones vtebatur.

AGimus tibi gratias, Pater Cœlestis, quod pro singulari tuâ Bonitate nobis adesse dignatus sis: velis hoc beneficium nobis esse perpetuum: neq; mentes solùm nostras, sed multò vehementius animos nostros afficere sensu veritatis & Bonitatis tuæ, vt ita affecti studeamus supra omnia promouendæ gloriæ tuæ, Ecclesiæ tuæ ædificandæ, nos nostraque omnia tibi credamus, à te solo pendeamus, te vnum seriò & constanter amemus, colamus, & veneremur, per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum. Amen.

CONCIO SECVNDA.

Habita 6. Idus Julij, Anno Domini 1620.

In 1. Corinth. 11. 24.

Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον.

CHARISSIMI fratres in Domino nostro Jesu Christo, summi fuit, ac (non iam dico propemodum, sed omnino) immensi cuiusdam amoris documentum luculētissimum, & omni cognitione maius, quod filius Dei Dominus noster Jesus Christus, nō modò particeps esse voluit naturæ nostræ, sed in ea etiam grauissimas ærumnas pati, & mori denique, non quidem eo mortis genere quod vulgatum fuit, sed eo demum quod idem acerbissimum & contumeliosum, nefandum denique & execrabile fuit. Nam, vt ait Apostolus, *demisit se vsq; ad mortem, mortem autem crucis*, hoc est, vsque adeò vt ne quidē mori detrectarit: nam illud *vsq;* ἐπιτατικὸν est, demonstrat enim magnitudinem rei, & quoniam nō oppetiit mortē suam (vt loquuntur Iurisconsulti) neque item communem & vulgarem mortem, adiectum illud est *mortem autem crucis*: nempe Dominus noster hæc fecit (nam quæ passus est, eadem fecit, nemo enim patitur nisi agendo, siquidem se offert in sacrificium) nulla necessitate impulsus, sed gratuitā suā misericordiā, amore & studio nostri, qui eramus non modò vilissimi homunciones, sed desperatæ spei, & perditi planè. In quo elucet eius summa bonitas; nam hic est summus bonitatis gradus, altiùs ascendi non potest, quàm vt si quis vtatur bonitate sua non modò erga miserum, sed eum

Christi in nos charitas summa.

qui meritò miſer eſt. Itaque quod erat proximum, eiuſdem bonitatis fuit curare vt ne tantum beneficium obliuione obrueretur, ne eius memoria iaceret ſepulta, in quo non conſuluit ſibi Deus, ſed nobis: noſtrâ enim intereſt vt fides noſtra confirmetur & ſtabiliatur; nam fide ſtamus, nec vlla eſt ſolida, & cuius fieri poſſet periculum, conſtantia, præter eam quæ à fide proficiſcitur. Porrò fides nulla eſt quæ non nitatur Deo; nam fiducia rerum humanarum fallax eſt, euanida & mendax: Tum etiam accendendus erat in animis noſtris amor erga Chriſtum, nam ea demum vera vnio eſt quæ amore coaleſcit, nihil enim potentiùs, nihil efficaciùs vnit quàm amor, quod adeò deprehendere eſt vel in ipſis rebus quæ naturæ cæco impetu ducuntur, ſi quod amatur abeſt, appetitur vnio, ſi adeſt eo fruuntur & gaudent. Jam verò cum homines, etſi peccatores, ſimus, tamen non ſumus bruta animantia, multo minus eiuſmodi vt ducamur cæco impetu naturæ, neque enim animalis impetus cæcus dici debet: nam oritur à cognitione, quæ cognitio proficiſcitur à ſenſibus, & à ſenſibus ad phantaſiam ſubuehitur. Sic planè animus humanus conſideratione, h.e. intellectu, præditus non concipit temerè amorem & deſiderium rei, neque fruitur re amata temerè, ſed concipit deſiderium ex notitia quam habet rei qua nondum fruitur, ſed quam tamen expetit auidiſsimè. Tum poſtquàm ventum eſt ad ipſam fruitionem, quod ea affert ſummam delectationem, non aliunde oritur quàm ex boni cognitione, quo datum eſt frui; nam quo bonum eſt excellentius, ſi notum eſt tanto auidiùs expetitur: & quo idem exellentius eſſe notum eſt, ſi eo fruimur, voluptas maior eſt; ſi excellentiſsimum ſumma. Nam quemadmodum auarus non exiſtimat ſe habere ea quæ habet, quia non nouit vſum eorum, & non ſatiatur eius animus, tùm etiam pueri & furioſi habent vnde lætari poſsint, non lętantur tamen; Ita etiamſi teneremus ad manum ſummum bonum, nemo tamen eo delectaretur niſi cognoſceret. Sed benè habet quod hoc fieri non poteſt; nam non datur cuiquam eo frui, qui idem non cognouerit quid ſit, & in eo ſtatu miſeriæ, in quo conſtituti ſumus, nemini indulgetur frui bono, cui non ſit indultum & id bonum agnoſcere & appetere.

grata mente nobis ſeſt recolenda; vt noſter in eum amor accendatur, qui eſt à cognitione.

Cùm igitur ita ſe res habeat, fuit bonitatis & ſapientiæ Chriſti inſtituere in Eccleſia eos ritus, quorum celebratione mens excitari potuit ad conſeruationem amoris ſui erga nos, vnde naſcitur amor mutuus. Jam verò hi ritus ſunt quos Sacramenta appellamus; in quibus primum cauit Dominus noſter Jeſus Chriſtus ne Sacramenta nobis ſint idola & imagines; nam imagines & idola aliena ſunt à vera religione, Deus enim neque pingi, neque fingi, neque ſculpi, ſed nec animi cogitatione vult comprehendi, atque tam inſanum eſt Deum fingere mente quàm de marmore ſculpere. Itaque Dominus noſter ſic inſtituit Sacramenta iſta vt voluerit notas eſſe rerum, non autem perſonæ ſuæ, hoc eſt, noluit aquam in Baptiſmo eſſe imaginem ſanguinis ſui; abſurdum enim eſt vt aqua ſit imago ſanguinis: Neque item voluit panem in Cœna eſſe imaginem corporis ſui, abſurdum enim eſt vt panis ſit corporis humani imago. Sed voluit tamen in Baptiſmo aquam eſſe imaginem rei, imaginem (inquam) propter ſimilitudinem, hoc eſt, voluit aquam ſignificare quantam vim habeat eius ſanguis ad eluenda peccata, noluit ſanguinem aquâ ſignificari, ſed vim ſanguinis. Atque itidem in Cœna noluit Chriſtus panem eſſe ſignum corporis ſui, quatenus corpus eſt, eam ob cauſam quam iam attulimus, ſed voluit panem fractum figuram eſſe mortis ſuæ, eoque ſpectare vt excitetur atque incitetur animus noſter ad cogitationem non ſupinam, ſed ſeriam mortis ſuæ, eoque magis ſeriam quod Deus ita inſtituerit hæc Sacramenta, vt non obſcurum ſit quodnam fuerit Dei conſilium; Nempe ſunt iſta Sacramenta in ſe (hoc eſt, vt loquuntur in ſcholis, ſi materiæ ratio habeatur) vilia & contempta, vt ne animus illis inhiet aut inhæreat, ſed totus defigatur in rerum contemplatione quæ ſignificantur his ſacramentis. Quod non abhorret ab ingenio humano; nam (non vtar hîc impio, ſed tamen prophano exemplo) in ludis Olympicis coronæ neque aureæ neque gemmatæ fuerunt, ſed textæ re vilisſima & vulgata, quæ & præ oculis & in manibus erat, tamen quia coronæ illę naturâ viles, ſignificatione nobiles fuere & illuſtres, non erant conferendæ cum coronis argenteis aut aureis, aut, vt magis propriè dicam, coronæ aureæ vel argenteæ non erant comparandæ cum corollis illis. Quid ita? quia corollæ illæ erant argumenta ſummi honoris & gloriæ apud Græcos. Hæc dico ne detur locus cauillandi menti humanæ, quę eſt admodum ingenioſa, & nihil non facit vt Verbum Dei videatur vanum & ridiculum.

Huius amoris fouendi gratiâ inſtituta ſunt à Chriſto Sacramenta. maximè verò ſacra Cœna.

Jam verò, Auditores chariſsimi, in eo ſumus vt vobis deprædicemus, pro modulo gratiæ nobis indultæ, primùm ſapientiam Chriſti in inſtituendo ſacramento mortis ſuæ, quod vocauit Apoſtolus *ſacram Cœnam*. Idque, Deo volente, faciemus non iam repetitis iis quæ iam pridem à nobis dicta ſunt; nam ſi meminiſtis probè, præter verba quibus Chriſtus vſus eſt in ſancta Cœna, reliqua explicata ſunt. Verba autem illa non ſunt vnius generis; Nam vel Chriſtus affirmat aliquid, vel aliquid imperat. Porrò inter iſta magnum eſt diſcrimen, nam Chriſti affirmatio docet quid agatur; Chriſti mandatum quid debeat fieri in poſterum. Itemque, cùm Chriſtus imperat, vnâ eâdemque operâ iis verbis iubet vt quod ipſe egit id agatur in poſterum, ſimul etiam notatur finis & conſilium rei agundæ; nam certè niſi Chriſtus egerit aliquid, fruſtra nobis commendatur Chriſti imitatio.

In cuius inſtitutione expenduntur hîc iſta verba,

Verba autem Chriſti hæc ſunt, vnde quidem iam ordior, *Hoc eſt corpus meum, quod fractum eſt pro vobis*. Etſi autem horum verborum ſententia clara ſit & aperta, vſque adeo vt fruſtra quis conetur tantæ luci offundere tenebras; tamen in horum verborum interpretatione adeo variatum eſt, vt ſeptem exſtent horum verborum interpretationes. Stupetis ad hæc, Auditores, ſed deſinetis mirari ſi habeatis ob oculos futilitatem & ineptias ingenij humani, cum videtur ſibi acutum intueri & ſapere. Nam eſt genus quoddam ſtultorum, qui ſibi videntur ſapere, dum in ſcirpo nodum quærunt. Quod videre eſt in vita humana, vt nihil ſit quod nos poſsit offendere, ſi id videamus contingere id Dei Verbo; nam ſi hæc eſt leuitas ingenij humani cùm agitur de rebus quæ ſenſu percipiuntur, nihil eſt quod moueat admira-

Hoc eſt corpus meum. quorum ſeptem diuerſæ interpretationes hîc examinantur.

admirationem, si id fieri videmus in Dei Verbo.

1. Prima interpretatio eorum est, qui aiunt Christum notasse digito corpus suum cùm diceret *hoc est corpus meum*, non notasse panem quem porrigebat. Quæ interpretatio primùm ridicula est eo, quod facit Christum loquentem frigidè & inepte: Nam si Christus erat traditurus corpus suum, quid opus erat id significare ea locutione *hoc est corpus meum quod tradam*, dicendum erat potius *tradam hoc corpus*, nam hæc sententia videtur tacitè innuere plura esse Christi corpora. Tum quorsum (siquidem ita se res habet vt Christus non notauerit panem quem porrigebat) panem Christus in manu sumpsisset. Denique sic tollitur omnis Sacramenti vsus. *rejicitur.*

2. Secunda interpretatio eorum est, qui aiunt Christum tantùm hoc voluisse significare, corpus suum esse panem, cùm dixit *hoc est corpus meum*. Itaque aiunt esse inuersionem, hoc est, eiusmodi figuram quam Hebræi מקרא מסורס vocant, cum attributum est loco subiecti & subiectum loco attributi, cuius locutionis exemplum exstat Johan. 1. 1. quo loco dicitur *& Deus erat Verbum*, hoc est, Verbum erat Deus: sic isti dicunt τῶτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, hoc est, *corpus meum est hoc*. Quæ interpretatio ridicula planè est hoc quidem loco, nam sic dicendum fuisset, *tale quid est corpus meum* (non autem porrecto pane dicendum erat, *hoc est corpus meum*) quemadmodum solet Deus loqui in Euangelio, *simile est regnum cœlorum*. Et, si quando vtitur similitudine, haud dubiè addit indiuiduum vagum, vt cùm dicit, *quidam egressus est vt seminaret*, sed non addit indiuiduum certum demonstratiuè, nam non fit id nisi cum indiuiduum significat aliquid certum, vt cùm Iosephus exponens somnium Pharaonis dicit, *septem spicas esse septem annos*, nulla est inuersio, sed enunciatio & interpretatio est recta. *respuitur.*

3. *Consubstantiatorum.* Tertia interpretatio eorum est, qui dicunt hæc verba Christi, *hoc est corpus meum* id ipsum significare quod significatum foret si Christus dixisset, *hoc pane continetur corpus meum*. Atque vt ne videantur interpretari insolenter verba Christi, emolliunt duritiem interpretationis adducto exemplo vulgatissimo, nam, inquiunt, qui cantharum manu tenet solet dicere, *hoc est vinum*, quanquam hoc velit significare, *hoc cantharo continetur vinum*. Sed inepta est hæc interpretatio, nam cùm quis cantharum manu tenens, ait, *hoc est vinum*, illud *hoc* illic significat id quod cantharo continetur, non significat cantharum vllo modo. Itaque nec hîc *hoc* significabit panem (quod illi volunt tamen) sed quod pane continetur. Atqui hoc est petere quod est in principio, non enim constat an pane contineatur corpus Christi.

4. *veterum Patrum nonnullorum.* Quarta interpretatio eorum est, qui hæc verba sic interpretantur vt concedant quidem panem esse corpus Christi, sed corpus Christi vi & efficaciâ, volunt enim illam viuificam, quæ est in Christi corpore, transfundi vi ineffabili in panem: vnde fit vt natura panis commutetur, fiatque corpus Christi non quoad materiam & accidentia, sed tamen quoad efficientiam. Nam panem corpus Christi ideò esse dictitant, quod tantandem præstet panis quantum præstaret corpus Christi, vt sit ille panis quodammodo aliquid eiusmodi cuiusmodi est quod vocant Medici ἀντιβαλλόμενον, hoc discrimine tamen quod ἀντιβαλλόμενω vis est congenita, pani autem vis ista non sit congenita; sed ascita aliunde, transfusa scilicet ex corpore Christi in panem, vnde fit (vt illi loquuntur) vt panis sit corpus Christi, & quidem reuera, quando non consideratur secundùm delineationem extrinsecam, aut Physicam structuram, sed vim viuificam. Quæ sententia planè est absurda: Et quidem in eo primùm quod fingit inesse carni Christi, quatenus est caro, vim quandam viuificandi, & quidem viuificandi ad modum causæ Physicæ, quemadmodum herbis, aut potius succo herbarum inest vis curandi morbos. Quam vim tamen (ne quidpiam videamur illis affingere) aiunt esse à diuinitate, parùm memores diuinitatem sic agere in naturam humanam Christi, vt non communicet proprietates suas aliter quàm (vt hoc vtamur exemplo) anima communicat corpori suas proprietates. Jam vim istâ viuificatricem nulla creatura finita capere potest; itaque nec transfundi potest in creaturam finitam, infinitum finito capi non potest. Deinde, nec hoc videntur mihi satis attentè considerasse, vim viuificatricem, quæ inest carni Christi, esse vim quandam Ethicam, atque, vt ita dicamus, meritoriam, nam ideo caro Christi dicitur esse *panis vitæ*, quia oblatio corporis Christi ius adeundæ vitæ nobis consecuta est. Hoc verò obtinuit hæc oblatio, quia caro Christi eadem caro & sanguis Dei fuit propter vnionem. Denique, nullo exemplo demonstrari potest in Scriptura, hanc locutionem, *hoc est corpus meum*, significare posse *hoc habet vim & efficaciam corporis mei*. *refellitur.*

5. *quorumdam Conciliatorũ.* Quinta sententia est eorum qui dicunt agnoscendum esse panem esse corpus Christi, cæterùm non esse quærendum quo modo panis sit corpus Christi. Nempe sic videntur diligenter cauisse ne rixæ & discordiæ oriãtur in Ecclesia, aut foueantur ortæ. Sic enim agunt, credamus sanè panem esse corpus Christi, ne quæramus quomodo sit corpus Christi. Atqui isti homines mihi videntur in eo aberrare à scopo, quod putant fieri posse vt aliquis cogitet panem esse corpus Christi, dum interim sibi temperat quominus definiat quomodo sit corpus Christi, quod fieri non potest, nisi eorum ea mens sit vt velint inducere Scepticam dubitationem, vt animus ita sit affectus ne neget, aut verò ausit negare, panem transubstantiari in corpus Christi. Vnde sequitur posse dubitari an sit corpus Christi, siquidem dubitatur de transubstantiatione, maximè cùm illud *est*, etsi non eiusmodi vocula sit quæ faciat vt animus statuat modum rei, facit tamen vt animus statuat quæ sit affectio subiecti erga attributum: vt verbi gratiâ, cùm dicimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse Deum, agnoscimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum reuera Deum esse, non tamen ita superbimus vt velimus definire certò modum quo id fit. Atque sic Pontificij negant se scire quomodo panis transsubstantietur in corpus Christi (agunt enim magis quàm isti ingenuè) tamen dicunt esse corpus Christi, & desinere panem esse. *refutatur.*

6. *Pontif.* Sexta interpretatio eorum est qui rotundè, sine fuco aut fallacia, aiunt apertè & exertè, *hoc est corpus meum* significare *hoc est essentialiter & reuera corpus meum*. Quæ sententia vt abhorreat à Christi consilio iam demonstrabimus.

7. Orthodox.

Septima eorum est (quæ etiam nostra est sententia) qui aiunt verba Christi non esse torquenda, hunc verò esse genuinum horum verborum, *hoc est corpus meum*, & simplicem sensum, *Hoc*, id est, *quem manibus teneo panis, corpus meum est quod fractum est pro vobis*. Cuius sententiæ veritatem vt adstruamus, tria sigillatim nobis expendenda sunt, primum, quid significet illud *Hoc*, secundò quid significet illud *est*, tertiò denique, quid significent hæc verba simul, *Hoc est corpus meum quod fractum est pro vobis*.

Tria hic expendenda.

1. Hoc non significat indiuiduum vagum,

Et *Hoc* quidem quid significet etiam quærunt Transsubstantiatores; nam vt ne videantur dicere pugnantia eò rediguntur vt dicant, *Hoc* significare quidem aliquod singulare, quod incertum est tamen, vt nempe *Hoc* significet *Hoc ens*, quæ est designatio quidem singularis rei sed incertissimæ, quia scitur agi quidem de singulari, nescitur de cuius specie singularis agatur; vt si dicatur *hic homo* designatur quidem singulare, sed ea tamen designatio magis sistet mentis motum quàm si dicans *Hoc ens*, quia ventum iam est ad indiuiduum incertum quidem, sed cuius tamen species tibi nota est. Sed hæc interpretatio nullo modo quadrat, quia cùm indiuiduum designatur à certis circunstantiis quæ soli illi indiuiduo conueniunt, non demonstratur indiuiduum vagum, quia hæc designatio sistit mentis motum. Atque hîc ita se res habet, nam qui porrecto pane dicit *Hoc*, significat aliquid cuius notitia ita afficit mentem vt ne vagetur. Itaque *Hoc* non est hîc descriptio rei incertæ.

Inst.

Verùm aiunt τὸ esse eiusmodi *hoc*, vt non possit conuenire pani, nempe propter generis disconuenientiam. Sed & in hoc se præbent ridiculos, quia *Hoc* rem significat quatenus incertum fuit quæ tandem res sit. Vt verbi gratiâ, qui librum (quod ignotum erat) affirmat esse donum amici sui, sic aget sanè, *Hoc est amici mei donum*. Quid ita? quia non eo notat formam libri qua liber est, sed notat formam libri quatenus res est capax huius formæ vt sit donum. Sic locutus est ille qui cùm ageret de baculo Diogenis, τοῦτο (inquit) αὐτοῦ σκίπων. Deinde huius locutionis infinita sunt exempla in Scriptura, *Hoc est digitus Dei*, id est hæc res, sic dicimus, *Hoc demum amare est*, cùm tamen agatur de re quæ fortasse fœminini, aut verò masculini generis est.

Res.

Sed panem.

At nos dicimus quod res est, *Hoc* id ipsum designare quod Christus manibus tenebat, tenebat autem manibus panem: Ergo *Hoc* panem designat. Sed hîc non opus est verbis, nam Paulus hanc controuersiam definiuit, *Panis* (inquit) *quem frangimus, nonne communio corporis Christi est*. Audiamus Paulum si non audimus Euangelistam, *Panis* (inquit) *quem frangimus est communio corporis Christi*: Ergo, inquam, *Hoc* panis est, non est corpus Christi; corpus enim Christi non frangitur. Nec verò *Hoc* indiuiduum vagum est, nam indiuiduum vagum rationem habet vniuersalis: vniuersale autem non potest admittere certam actionem, qualis est fractio; nẽpe certa actio, nonnisi in singulari indiuiduo recipitur. Itaq; *hoc* panis est, non est indiuiduum vagum, nõ est corpus Christi. Huc & illud accedit, quod vbi Apostolus commemorat celebrationem sacræ Cœnæ (qua in celebratione magnificis verbis res efferenda erat, hoc enim faciebat vel maximè ad rem, vt res magna existimaretur) tamen panis constanter meminit, non meminit corporis Christi, cum hortatur ad Sacramenti participationem, tantum adiicit articulum *Hunc*, vers. 26. *Quotiescumque ederitis panem hunc*, & 27. *Quisquis ederit panem hunc*, &c. vt ne putemus esse vulgarem panem & tralatitium, sed panem destinatum ad certum vsum. Hæc sunt adeò clara vt nos deceat contemnere argutias quæ contra afferuntur; nam vt aranearum telæ nullo negotio rumpuntur, sic eorum argutiæ facilè perfringuntur.

2. EST.

Venio iam ad secundam voculam *Est*. Jam verò illud *Est* omnino colligat partes enunciationis *Hoc est corpus meum*, & quidem affirmatiuè. Cæterum memineritis (Auditores) ea omnia quæ σχέσιν habent inter se, σχέσιν quidẽ conuenientiæ, posse coniungi affirmatiuè, vt verbi gratiâ, si paterfamilias constituerit Vicarium, *Ego sum* (inquiet vicarius) *Paterfamilias*, si res est illi cum sycophanta & debitore, qui neget debitum soluendum quod non adsit paterfamilias. Cæterùm Vicarius Dei non est in hoc genere qui idem non sit Deus. Itaque concedendum est quidem *Est* significare conuenientiam, quærendũ tamen quęnam sit illa conuenientia. Nam est conuenientia *causæ cum effecto*. Itaque Christus dicitur resurrectio & vita, quia Christus est causa resurrectionis & vitæ. Et conuenientia item est *effecti cum causa*. Itaque effectum sæpenumerò causæ nomine enunciatur, vt cùm Israel dicitur *sanctitas Dei* quia sanctificatur à Deo. Et *simile* item *cum simili* conuenientiam habet, vnde & Christus se *vitem* dixit. Itaque verba Christi significent sane σχέσιν Christi, habitudinem, conuenientiam, attamen non hanc aut illam significabunt continuò, nam & *Petra erat Christus* enunciatio est in qua significatur conuenientia subiecti cum attributo, *modus* tamen non designatur, quid dixi, modus non designatur? imo verò designatur, nam cùm notum sit, quid sit *petra*, quid sit *Christus*, nisi quis insaniat sponte, non poterit colligere petram fuisse realiter Christum, ob repugnantiam terminorum, quia si petra est Christus, non est realiter Christus: &, si Christus est petra, non est realiter petra; vt non sit magnopere laborandum de ratione conuenientiæ attributi & subiecti, dummodo constet quæ sit vis subiecti, & quæ sit vis attributi, nam ita constabit de σχέσει. Atqui de *hoc* hîc constat; nam iam demonstratum est *hoc* esse panem; & de attributo constat quod sit corpus Christi. Itaque & constat item quæ sit conuenientia subiecti cum attributo affirmatiuè, nempe esse similitudinem.

significare quidem conuenientiam.

sed qualem habet simile cum simili.

quod ostenditur.

Iam id ipsum ostendi potest ex scriptura, ex consuetudine Ecclesiæ Judaicæ, ex vsu communi, &, (si placet vti hoc argumento) ex authoritate Patrum. Ex Scriptura, nam euoluantur, excutiantur, perlegantur, & quidem diligentiâ anxiâ, omnes libri Veteris & Noui Testamenti, perpetuus est hic tenor, vt quæ significant ea dicantur esse quę significantur, non iam vtar exemplis, quia hoc solemne est. Quid igitur miremur, tanquam rem nouam & insolentem, quod Christus dixerit, *hoc est corpus meum*, cùm ea sit consuetudo Scripturæ, vt ea quæ significant dicantur esse ea quæ significantur.

1. ex Scriptura.

2. ex consue-

Deinde cõsuetudo Ecclesiæ Judaicę id probat: Nam

Nam erat hoc apud Judæos solemne vt peracto Paschate paterfamilias in manu panem sumeret & actis gratiis frangeret, eumque singulis qui mensæ accumbebant distribueret: simul addebat hæc verba concepta, *hic est panis afflictionis quem Patres nostri comederunt in terra Aegypti.* Putatis-ne vllum fuisse ex Judæis, vel infantem quidem (nam infantes etsi non loquantur, percipiunt tamen vim verborum) qui putarit panem illum, quem illi comedebant, esse eundem panē quem patres sui comederant in Ægypto; non est credibile, & sanè panis ille fuisse admodum mucidus. Imò Judæi solebant occultare panem, vt filij quærerent quid significaret panis ille, solebant, inquam, occultare, sed ritu fortasse superstitioso. Itaque cum hæc locutio vsitata sit in Ecclesię Iudaicæ historia, & etiamnum hodie apud Judæos vsurpetur, si tamen illi patrum suorum seruant ritus, Christus autem eodem tempore instituerit sacram Cœnam, eodem genere dicendi vsus sit, vtpote recepto apud Judæos, est-ne cuius quem posit animum subire cogitatio de Transsubstantiatione?

(marg.: ...ine Ec-/...siæ Iu-/...icæ.)

3. ex vsu communi omnium ling(u)arum.

Præterea natura ipsa & Gentium consuetudo id suadet, nam etsi magna in linguis dissonantia, & magna in formulis diuersitas, tamen omnes in hac formula consentiunt. Nam quia nihil homini magis est ingenitum si ingenuus est, quàm vt exprimat ingenuè affectus animi sui (si verò non est ingenuus, haud ingenuè) hinc factum est vt omnes linguæ in eo consenserint, vt si quis symbolum porrigat amoris & amet, velit autem amorem suum testari, semper eum ita testetur, vt dicat tesseram esse rem: Vt si quis fidem suam velit obstringere, manu porrecta dicet, *hæc est fides mea, fidem meam tibi do*; nemo tamen credo putarit, manum esse fidem. Minimè sed fidei signum. Item, si quis librum amico suo det, si ingenuus est, hæc dicet amico, interim dum illi librum porrigit, *Ne putes amice mi hunc librum esse librum, sed cor meum quod tibi do.* Quid si Christus ita locutus esset (& tamen si ita locutus esset nihil dixisset præter morem) quas tragœdias excitassent Pontificij? Iam videtis, fratres, quàm suauem & dulcem cogitationem hæc verba habeant, *Hoc est corpus meum.*

4. ex August.

Hucaccedit & illud, quod ista obseruatio non est nobitia, recens à nobis inuenta, sed iam pridem obtinuit. Nam memini hoc obseruatum fuisse ab Augustino, *est* significare id ipsum quod *significat*, lib. 1. Locut. de Gen. in hæc verba Gen. 40.13. *Tres palmites tres dies sunt.* Verba eius sunt hæc, *Non dixit*, tres dies significant. *Et multum hæc locutio notanda est: vti aliqua significantia earum rerum quas significant nomine appellantur. Inde est quod ait Apostolus* Petra autem erat Christus, *non ait*, Petra significabat Christum. Hæc Augustinus qui videtur fuisse præsagus earum contentionum quæ in Ecclesia orituræ erant, itaque adjecit *multum hæc locutio notanda est*, quorsum enim illud adiecisset?

(marg.: 1. locus.)

(marg.: 2. locus.)

Sed idem Augustinus libro aduersus Adimantum, cap. 13. quoniam Adimantus eum vrserat hoc loco Deut. 12.23. *sanguis est anima*, vnde colligebat idem esse sanguinem & animam. Respondet Augustinus, *Id in signo esse positum; non enim Dominus dubitauit dicere*, Hoc est corpus meum, *cùm daret signum corporis sui.* Atque hîc Aduersarij omnino æstuant, & vix quid respondere debeant habent. Nam quod dicunt nullam esse inuidiam vt sanguis dicatur anima, quia anima continetur sanguine, hoc primùm ineptè dicitur; tum & sic inducitur dogma Consubstantiationis, tollitur Transsubstantiationis dogma. Sed quod est palmarium, & quod nullâ pertinaciâ possit expugnari (nos enim in eo non tam sumus vt disputemus an Christi corpus contineatur pane, sed quid significet *est*; iam verò si Aduersarij dent *est* nihil aliud significare quàm *significat*, euicimus quod voluimus, & hoc illi etiam atque etiam vrgendi sunt à nobis) Esto, corpus Christi contineatur in pane (quod tamen non damus, sed iam demus illud sanè) miser Augustinus sic perierit, Adimantus illi obstruxerit os, si ita respondit, *est* hoc Scripturæ loco non aliud significat quàm *continetur.* Sed vt id maximè verū sit (quod tamen non est verum) quandoquidem Christus dixit *hoc est corpus meum*, illud *hoc* non fuerit reuera corpus Christi. Jam verò non est hæc sententia Pontificiorum vt *est* significet *continetur*: Ergo neque Augustini. Sed si Augustinus eadem sensit cum Pontificiis, *hoc* reuera est corpus Christi, corpus Christi non continetur *hoc*, quod tamen Pontificij hîc sic explicant. Atque ita quoquò se vertant capti sunt; nam aut Augustinus optimè respondit Adimanto (atque ita *est* nihil aliud est quàm *significat*;) aut verò non benè respondit (quod tamen Pontificij non dicent) atque ita *est* significarit *continetur* (quod illi volunt) ac proinde panis non erit reuera corpus Christi, sed tantùm pane continebitur, quæ non est sententia Pontificiorum. Itaque Augustini sententia non fuerit ea quæ est Pontificiorum, aut si eadem fuit, *est* non est Augustino *continetur*, vt illi volunt.

(marg.: Except. Pontif.)

(marg.: refellitur.)

(marg.: 3. locus Augustini.)

Sed quid *est* sit Augustino eo loci, ipse explicat sub finem illius capitis, quum ait, *Illud quod Lex dicit*, fundendum esse sanguinem, nec in escam assumendum, quia sanguis est anima, *esse positum dicimus sicut alia multa, & penè omnia Scripturarum illarum Sacramenta signis & figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ iam per Dominum nostrum Iesum Christum declarata est. Sic enim sanguis est anima, quomodo petra erat Christus, sicut dicit Apostolus*, Bibebant enim de spirituali sequente eos petra, Petra autem erat Christus. *Notum est autem filios Israel petrâ percussâ bibisse aquam in eremo, de quibus loquebatur Apostolus cùm hæc diceret, nec tamen ait*, petra significabat Christum, *sed ait*, petra erat Christus. Hinc luce clarius est, Augustino *est* idem esse quod *significat* tam loco Deuter. 12. *sanguis est anima*, quàm Matth. 26. *hoc est corpus meum*, & 1. Cor. 10. *Petra erat* Christus. Itaque eodem modo Augustino sanguis est anima quomodo petra Christus. Porrò quod in eodem corpore sanguis est anima, illud facit per accidens vt sanguis anima dicatur, propria & vera ratio cur sanguis dicatur anima, est ratio significandi, quę ratio diuersa est. Nam ratio significandi petitur vel à similitudine & conuenientia, vel ab instituto, vel à coniunctione physica rei & signi: Porrò coniunctio rei & signi vel est effecti cum causa, vel coeffectorum inter se, vel causæ cum effecto. Sed cùm agitur de Cœna Domini, quæ sacramentum est, hæc physica coniunctio locum habere non potest.

(marg.: 5.)

Sed etiam & illud obseruandum est, quod

ostenditur ratione.

omnis affirmatio, quæcumque tandem sit, si sit in voce, symbolum est conceptus mentis, si in mente sit symbolum est rei. Iam verò si *Hoc* est corpus Christi, iam tum cùm Christus hoc dixit, imo priùs quàm Christus hoc dixerit, *Hoc* fuit corpus Christi. Quod Aduersarij non concedent, volunt enim ista verba, *Hoc est corpus meum*, quandam vim habere vnde oriatur transsubstantiatio. At nostra sententia quadrat egregiè, etenim priùs Christus distinauit panem in hunc vsum, tum id enuntiauit. Sic, si porrigo amico pignus amoris & dico, accipe quæso hoc amoris mei pignus, prius hoc animo constitutum habuit quàm ore enunciauerim. Et certè si vera est Aduersariorum sententia, perinde loquendum fuisset Christo atque Deus inducitur loquens in libro Geneseos, *fiat lux*, vel vt Christus in Euangelio, *surge & ambula*. Nec proferri potest vllum exemplum ex Scriptura, quod rem constituendam affirmatiuè designet ita ac si esset res constituta.

Quorsidam Pont. exceptio.

Itaque non possum satis mirari Aduersariorum stuporem, nam faciliùs se expediissent si dixissent præcessisse transubstantiationem (quod non dicunt tamen) consuluissentque sibi, nisi planè stupidi fuissent, si confugissent ad vocem εὐλογήσας dixissentque Christum non solitum adhibere benedictionem, nisi cùm miraculum editurus erat: Et verò id dixit quidam inter eos satis acutus. Sed hæc obseruatio tamen est vana. Nam Christus cùm conuenisset Discipulos proficiscentes Emauntem, & cum iis discubuisset, benedixit & fregit panem, & agnitus est à Discipulis suis: non puto tamen dicent ea benedictione panem versum in corpus Christi. Nam (quod sciunt qui vel minimùm versati sunt in libris Iudæorum) primus dignitate inter Judæos frangebat panem actis gratiis, Christum verò ritus apud Judæos receptos obseruasse notius est quàm vt probatione indigeat, dempta tamen, si quæ erat, superstitione. Deinde, est ne credibile Christum non egisse gratias, nisi patrato miraculo, aut verò miraculum patraturus? Certè hoc asserere, est asserere lucem pleno meridie non lucere. Scriptura enim passim meminit gratiarum à Christo actarum. Sed cur hoc à Christo obseruatum est? possem dicere id fuisse factum quia non erat cœna vulgaris; sed nihil opus est eò confugere, nam si quis fateatur quod res est, Christus secutus est morem solemnem Judæorum, dempta tamen superstitione, vt fuit sapiens.

refellitur.

3. corpus meum

Jam venio ad id quod postremo loco dicitur, *Hoc est corpus meum quod frangitur pro vobis.* In quo non diu immorandum est nobis breuitate temporis exclusis, iam pridem enim hora audita est. Tantùm monendi sumus etiam atque etiam, vt meminerimus cuius corporis panis symbolum sit, hoc est, Christi corporis, ne simus affines culpæ eorum qui non discernunt corpus Christi. Nam etiam in vita communi is dicitur non discernere rem qui contemni rei signum, vt siquis amico annulum det quem iaciat in profluentem, aut habeat negligentiùs, aut verò nihili faciat, profectò illi non fuit cura discernere amicum. Itaque tam est ingratus & affinis culpæ quam si deiecisset amicum in fluuium. Itaque cum personat hæc vox, *Hoc est corpus meum*, habere ob oculos cuius sit corpus, vt discernatis corpus Christi. Nam etiam isti qui verbum Dei contemnunt, dicuntur conculcare pedibus sanguinem fœderis: sic qui contemnunt patris verba (verborum, inquam, non sonum, sed virtutem) patrem contemnunt: sic qui præceptorem despiciunt, nō præceptoris vocem & verba, sed Deum contemnunt. Quod cauendum est sedulò ne nobis accidat. Nam primum secundæ tabulæ Legis præceptum obedientiam parentum commendat, parentum, inquam, non tantùm corporis, sed animi: cui precepto gratię promissio adnexa eius transgressionē facit longè grauissimam, quamquàm alioqui quodlibet peccatum quod Deum respicit (respicit autem Deum peccatum omne) per se sit grauissimum.

Deinde, considerandum corpus illud fuisse *fractum*: In cuius consideratione non possum diu immorari, tantùm velim hoc vobis inculcari, &, si posset fieri, animo defixum hærere, vt quoties de Christi carnis manducatione cogitamus, toties inducamus Christum ob oculos (oculos, inquam, animi) fractum pro peccatis nostris, gementem & suspirantem sub pondere iræ Dei, quam nos sumus promeriti: qui non sic cogitat, fingit sibi Christum non Christum. Itaque Paulus sic dixit; *Nihil proposui scire inter vos nisi Christum crucifixum.* Miseri igitur homines sunt & alieni à vera pietate, qui vim illam viuificandi quærunt in ipsa Christi substantia crassè sumpta, sed semper habendum est ob oculos cibum animarum nostrarum non esse Christum simpliciter, sed Christum crucifixum. Itaque Christus dixit, *Hoc est corpus meum quod fractum est pro vobis.* Nam corpus Christi in se materialiter consideratum & physicè, non est cibus animarum nostrarum, sed corpus Christi fractum.

fractum.

hoc est, non viuum,

Tum considerandum diligenter illud *Fractum*, nam ossa Christi, non fuerunt fracta, attamen corpus fractum dicitur. Caput Christi spinis fuit compunctum, extrema corporis Christi quæ sunt acutissimi sensus propter neruorum concursum, fuerunt clauis transfixa, latus verò transfossum. Sed meminerimus agi hîc de fractione Christi in cruce. Iam audite igitur attentè, & descēdat altiùs in pectora vestra hæc vox, Christum supplicio fuisse affectum & maledictum fuisse, vt pateret nobis aditus ad illum, & per illum ad Patrem, atque ita factum fuisse maledictum in cruce pro nobis. Porrò nulla maledictio in solo corpore est, sed vel maximè etiam in anima. Putatisne Christum fuisse deiectiori animo quàm nos sumus, maximè verò Martyres, qui dolorem summum perpessi sunt summa cum alacritate, quia dum corpus extremo supplicio cruciaretur, anima extremâ lætitiâ perfundebatur. Certè Christi non fuit ea conditio, nam sola mortis huius præsensione (postquàm Deus voluit Christum non iam cognitione tantùm, sed ipsâ experientiâ degustare primitias mortis huius) sudauit in horto, & quidem instar grumorum sanguinis, qui sudor oritur à summa animi anxietate (cuius exempla vidimus in quibusdam) nam ἀδημονία gignit huiusmodi sudorem propter sympathiam animi & corporis. Itaque Christus maledictus fuit pro nobis & corpore & animâ. Quapropter cùm audimus Christi corpus fractum in cruce, quis sit Christus seriò cogitan-

sed mortuum

& quidem morte maledicta.

cogitandum est, quæ sit item illa confractio, vt habeatur animo corpus hoc fractum fuisse pro nobis.

Applicatio et exhortationem

Jam si hæc seriò animo cogitauerimus, fieri non potest quin cogitemus de natiua miseria, qua iacemus obruti & sepulti: simul etiam & non habeamus ob oculos immane pondus iræ Dei, quod nemo potuit in se transferre præter vnicum Dei Filium. Ad hanc cogitationem & illa accedat, vt cogitemus quàm fuerit amor filij erga nos ardens & feruens. Et sanè hic est amor qui tantopere nobis deprædicatur in Scriptura, *Deus nempè ita amauit mundum vt dederit Filium suum, vt quicumque crediderit in eum, habeat vitam æternam*: *Nec item pepercit Filio, & quidem vnigenito, quin eum morti tradidit pro nobis.* De his rebus suscipiamus seriam cogitationem, quod si fecerimus, haud dubiè primum tædebit nos nostri, & reuerà, ausim dicere confidenter, nihil est quod tantopere foueat existimationem sui in homine, quàm quod animus humanus non possit capere tantum amorem Dei. *Hoc est* (inquit Apostolus de Euangelio loquens) *Iudæis scandalum, & Gentibus stultitia, Dei tamen sapientia & potentia ad salutem omni credenti.* Ita fiet vt seriò pœniteat nos peccatorum nostrorum, ita fiet vt auidè expetamus Christum, confugiamus ad Christum, in Christo conquiescamus, Christo nos totos dedamus, & rapiamur in admirationem tantæ miseriæ nostræ, tantæ Dei bonitatis; nam priusquàm quis norit Christum necesse est nesciat se esse miserum, postquàm autem cognouit quàm sit miser, tum demum nouit quis sit Christus. Atque illi qui ita affecti sunt seriò resipiscunt, & sentiunt veram consolationem, hos non deserit Deus, sed potenti dextra sustentat, & per multa discrimina in beatam requiem deducit: cuius arrhabonem nos iam iam sumus accepturi in Cœna Dominica, ad quam vocamur, si ad eam cum sensu miseriæ nostræ, & desiderio gratiæ Christi accedamus. Nam si extrinsecus tantum voluerimus sacrorum signorum participes fieri, repellet nos à Cœna manus Dei inuisibilis: contra verò si sensu miseriæ nostræ afflicti donum Christi auidè expetamus, & Christum pro nobis crucifixum amplectamur, sigillum remissionis peccatorum nostrorum accipiemus, & arrham vitæ æternæ; ad quam velit nos perducere Dominus Deus noster, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honos, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ad cognoscendum Christi amorem,

& miseriã nostram.

quam cognitionem sequitur certa consolatio.

TERTIA CONCIO PARAENETICA AD SACRAM COENAM.

In 1. Corinth. 11.24.

τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Procemiũ à copia & amplitudine argumenti tractandi.

DILECTISSIMI in Christo fratres; & sæpè & multa ante hæc (vobis audientibus) ex hoc loco de sacra Domini Cœna, deque studio comparandi nostri ad eam celebrandam, diximus, & verò temporum ratio exigebat vt sæpè de hoc argumento diceremus, sæpius enim nobis fuit ad sacram illam mensam accedendum, & vt multa diceremus res ipsa poscebat: nam tam nobilis, tamq; diuini argumenti ea est copia, tam latè diffusa, tam exuberans & exundans, vt nullo ingenio, nulla oratione exhauriri aut consumi possit, nedum tractari & exornari pro dignitate: quanquam de rebus diuinis eadem dicere, & verò repetere, atque identidem inculcare & vtile est, ob imbecillitatem ingenij humani, & necessarium, ob insitam animis nostris prauitatem, addo etiam & iucundum, ob genuinam & sinceram voluptatem quę inde oritur. Attamen non contigit nobis hactenus eadem de eodem dicere, nam se semper obtulit noua materia, noua, vt ita loquar, seges: nam & hodieque si liberet immorari in explicatione eorum verborum quæ præcedunt ista quæ legimus, profectò ea diceremus quæ nondum à nobis dicta sunt, sed argumentum, materia, res horum verborum, quæ iam legimus, nos reuocat & retinet. Quibus verbis Dominus duo nobis commendat imprimis, quorum prius illud est, vt *hoc*, inquit, *faciamus*, alterum est vt quod iubet fieri, ne temerè nullo consilio faciamus, sed faciamus *in sui memoriam*. Itaque in his duobus nostra oratio versabitur.

Quod iubet Dominus hic à nobis fieri, id est quod suprà commendauit discipulis suis, *Accipite*, inquit, *edite, hoc est corpus meum*, nempe panem symbolum corporis sui in manus sumpsit, & de more (qui mos à nobis iam antea explicatus est) gratias egit Deo, tum panem fregit, ac porrexit discipulis suis, simul iussit accipi atque edi, adjecto elogio, *hoc est corpus meum*, id verò est quod fieri vult, nempe vt panis, super quo gratiæ actæ sunt Deo, sumatur & edatur, vtque panis ille habeatur non pro pane vulgari, sed pro eo pane qui idem corpus Christi sit, hoc est, figura corporis Dominici, sicuti etiam illa verba Tertullianus explicauit, *acceptum panem benedicendo corpus suum fecit, dum diceret, hoc est corpus meum, id est figura corporis mei*: tum etiam Paulus ipse hæc verba sic explicauit, *Quotiescunque*, inquit, *ederitis hunc panem, & biberetis hoc poculum, annunciabitis mortem Domini donec veniat.* Quod ergo præscripsit Christus, quod iubet hoc loco fieri, idipsum est quod ipse fecit Christus, quod fecerunt iussu Christi ipsius discipuli.

Quid Christus hic nos iubeat facere.

Verumtamen cùm sit tam insolens, tam effrænis, tam impudens Aduersariorum audacia, vt audeant affirmare verbis istis commendari Ecclesiæ sacrificium, quicquid id est, & quantum est à nobis est refellendum. Etenim si sacrificium hìc præscribitur, summum est ac nefandum sacrilegium si sacrificio isto abstineat Ecclesia. Quod si his verbis nullum omnino præscribitur sacrificium, summum itidem est ac nefandum sacrilegium inuexisse in Ecclesiam sacrificium quod à Deo non est institutum: Hîc ergo versatur cardo controuersiæ, *An dominus his e verbis commendarit sacrificium an verò iusserit tantum gratiis actis accipi panem illum atque edi.*

nempe, nõ sacrificare, quod volunt tamen Pontificij.

Qui diuersum à nobis sentiunt, hoc imprimis atque adeo vnico nituntur argumento, quod sit verbi *facere* hic vsus in Scriptura, vt עשה *facere* nihil aliud sit quàm *sacrificare*, idem vsus sit istius verbi in lingua Latina, nam & *facere* in Latina lingua *sacrificare* est, etiam in Græca lingua ῥέζειν quod *facere* significat, *sacrificare* est; enim apud

quorum argumentum hinc ductum.

Poëtas Græcos illud vulgare & tralatitium ῥέζειν ἑκατόμβας, & alia eiuſmodi ſexcenta. Cùm igitur (inquiunt) vox iſta *facere*, hanc habeat ſignificationem Hebraicè, Græcè, & Latinè, quid eſt quod prohibeat quominus Chriſtus hîc ſacrificium commendarit?

Refellitur. 1. Sed neque dicunt quod res eſt, neque ſi dicerent, rectè colligunt quod inſtituunt colligere. Non dicunt quod res eſt, etſi enim *facere* in lingua Latina, adeoque in lingua Græca ῥέζειν, ſignificent *ſacrificare*, attamen neque in lingua Græca, neque in lingua Latina ea verba hanc vim habent cùm pronomini iunguntur, tantum hanc vim habent cùm rei iunguntur, quæ iam ſacra eſt, atque hunc in vſum deſtinata vt ſacrificetur. In lingua autem Hebraica, עשה ſignificat *offerre & ſacrificare*, ſed tum demum ea vox id ſignificat cùm agitur de eo ſacrificio quod paratu opus habet. Huius hæc eſt ratio quod עשה non dicitur propriè de ſacrificio, neque primò, ſed de iis rebus quæ coquendæ ſunt, etenim eæ ſunt eiuſmodi vt paratu opus ſit. Itaque non temerè in quouis ſacrificij genere vſurpatur hoc verbum עשה, ſed in certo quodam genere in quo requiritur paratus quidam, nam עשה in hoc genere propriè *parare* ſignificat, vt cum Geneſ. 18. dicitur Abraham, non iam lentis paſsibus, ſed celeriter, cucurriſſe ad armentum, inde arripuiſſe vitulum, tradidiſſe illum ſeruo *vt faceret*; quid hoc eſt *vt faceret*? nempe vt pararet. Itaque in ſacra Scriptura ſanè verbum עשה ſignificet *ſacrificare*, ſignificabit id tantùm per accidens & ſecundariò, non per ſe & primariò. Itaque cùm hoc loco agatur de ſacrificio, vt illi volunt, in quo nullo opus eſt paratu, paratu, inquam, eo qui poſsit ſignificari hoc verbo, certo certius eſt verbi *facere* ſignificationem peculiarem perperam ab illis huc detorqueri.

עשה quid ſignificet.

2. Sed neque colligunt quod inſtituerant. Eſto enim verbum hoc *facere* aliquando id ſignificet, non continuò hinc efficitur hoc verbum hoc loco id ſignificare, res eſt vel ipſis pueris clara & manifeſta: Aliquando verbum *facere* hoc ſignificat, Ergo hoc loco idipſum eo verbo ſignificatur: profectò non ſequitur. Sed tamen hîc non eſt ſubſiſtendum, ſed demonſtrandum hunc locum hanc ſignificationem prorſus reſpuere, neque poſſe admitti huius verbi hoc loco hanc notionem.

Sacrificium hic non præſcribi oſtenditur.

1. *ab exemplo Chriſti.* Atque id poteſt tribus rationibus demonſtrari, quarum prima hæc eſto. Hoc non iubet Chriſtus facere, quod ipſe non fecit, atqui ipſe Chriſtus in Cœna non obtulit ſacrificium, ergo neque iuſsit Chriſtus ſacrificium offerri. Non iubet, inquam, Chriſtus nos facere quod ipſe non fecit, in eo genere quod ſi à nobis fieri debet Chriſtum facere oportuit. Atqui ſacrificium hoc eiuſmodi eſt, vt ſi offerri in Eccleſiâ debuit, Chriſtus ipſe debuit eſſe primus author illius ſacrificij, debuit præire nobis exemplo ſuo (hoc Aduerſarij ipſi fatentur, volunt enim Chriſtum eſſe illius ſacrificij authorem, conſentiunt omnes in hoc, cætera diſcordes) & ſanè niſi Chriſtus ſemetipſum obtulerit in ſacra illa Cœna, nihil eſt quod vllus in ſacra illa Cœna, aut verò in Eccleſia, Chriſtum offerat, nam cæteroqui Chriſtus multa præcepit fieri quæ ipſe non fecit. Atqui ipſe Chriſtus ſeſe non obtulit in illa Cœnâ, nam quæcunque fecit Chriſtus in illa Cœnâ, quæ quidem ad rem pertinent, ea nobis ab Euangeliſtis ſumma fide prodita ſunt: Chriſtus ſumpſit in manus panem, Deo gratias egit, fregit panem, benedixit, diſtribuit diſcipulis ſuis, hæc ſunt quæ fecit Chriſtus, nullum obtulit ſacrificium: Itaque non iuſsit offerri ſacrificium in Eccleſia.

3. *à temporis circunſtantia.* Tum id ipſum liquebit, ſi habeamus ob oculos quando Chriſtus iuſſerit id fieri quod fieri iubet, nempe poſtquam gratiis Deo actis porrexit panem, poſtquam iuſsit edi panem adiecto hoc elogio, *Hoc eſt corpus meum*; Quæ ratio eſt cur panem iuſſerit accipi, cur iuſſerit comedi? quod nempe panis ille non ſit panis vulgaris, ſed corpus Chriſti. Atqui panis, poſtquam editur, non poteſt offerri in ſacrificium. Itaque ipſa temporis ratio ſatis hunc coarguit errorem, quo ſtatuitur Chriſtus præſcripſiſſe Eccleſiæ ſuæ ſacrificium. Denique etiam & id ipſum liquebit, ſi ſpectemus qui ſint quibus Chriſtus hoc præſcribit;

2. *à perſonis quibus mandatur vt hoc faciant.* Sunt ſanè Diſcipuli, ſed Diſcipuli non quatenus Doctores ſunt & Paſtores Eccleſiæ, abſurdum enim vt præſente Chriſto quiſquam ſe Doctorem & Paſtorem profiteatur, nam præſente & docente Chriſto omnes ſunt Diſcipuli. Itaque quicquid Chriſtus hîc fecit erga Diſcipulos, hoc fecit vt Doctor & Paſtor; Diſcipuli qui hoc nomine cenſentur, cenſentur in grege; alioqui quo iure poſsit accipi à nobis hic panis & comedi? nos enim Diſcipuli ſumus. Quemadmodum ergo iuſsit Diſcipulos accipere & comedere, itidem iuſsit Diſcipulos hoc facere in memoriam ſui; nempe quid facere? accipere & comedere illum panem.

4. Huc accedit quod iubentur hoc facere *in ſui memoriam*, hoc eſt, vt ne exiſtiment inſtitui actionem quæ temporaria ſit, ſed actionem quæ ad finem vſque ſæculi ſit continuanda. Nam præſente Chriſto (& quidem morte Chriſti, etſi iam erat in proximo, tamen nondum peractâ) non potuit hoc præſcribi Diſcipulis vt panem illum ſumerent, pane illo veſcerentur in commemorationem Chriſti. Sed ſpectat hoc præceptum ad officium poſterorum, à quibus Chriſtus hoc exigit vt ſumpto pane, gratiis actis, panem illum ſymbolum corporis Dominici accipiant & edant; ſpectat ad ipſos Diſcipulos, quibus repetenda hæc actio fuit. Et vt hoc caput concludamus,

5. Paulus ipſe (id quod initio diximus) *Hoc facite* ſic interpretatus eſt: & verò Chriſtus ipſe, nam, inquit, cùm de poculo loquitur (eadem porrò poculi quæ panis ratio eſt) *quotieſcunque hoc feceritis, bibetis in recordationem mei*: ecce vt explicauit *hoc feceritis*, nempe per *hoc bibetis*. Cæterùm quod offertur Deo in ſacrificium (vt iſti dictitant) in Miſſa, illud non bibitur, non bibitur, inquam, à plebe, nec verò debet.

6. *à rei ipſius natura.* Sed res ipſa prohibet ne ſic ſentiamus. Non modò ſeries verborum Chriſti, ſed eorum argumentum obſtat ne putemus commendari hîc nobis vllum ſacrificium; Nam ſi ſacrificium hîc commendatur, id vel neceſſe eſt vt *typicum* ſit, vel *reale* ſacrificium, detur verbo venia, ſic enim oportet nos loqui. Atqui *typicum* non eſt, vel ipſis Aduerſariis fatentibus, nam Chriſti vero ſacrificio typica ſacrificia deceſſerunt. Fuit aliquando in Eccleſia locus typis & figuris, quam figurarum & typorum hæc eſt ratio vt rem futuram denun-

denuncient & demonstrent, at postquam ipsa res exhibita est iam non est locus typis & figuris. *Reale* vero sacrificium nullum potest esse in Ecclesia præter id quod Christus obtulit in cruce; quod multis argumentis demonstrari potest, nos autem, quia properamus, iis tantùm vtemur, quæ & animum vehementiùs feriunt, non iam doctorum, sed etiam eorum qui rudes sunt è plebe, deinde, quę nullomodo refelli possunt ab Aduersariis, imò quæ eiusmodi sunt vt ne quidem calumniæ & cauillationi sint obnoxia. Hæc verò argumenta in duas classes distribuemus, quarum prior ea continebit, quæ ducta sunt à conditione illius cuius est offerre sacrificium. Altera classis ea continebit argumenta quæ ducta sunt à ratione & conditione sacrificij.

quæ argumenta duûm sunt generum.

primę classis argumentum. 1.

Illius qui offert sacrificium hæc est conditio, vt sit sacrificio quod offert multò præstantior: Hoc nos docet Paulus Heb 7. *Is* (inquit) *qui benedicit, multò præstantior est eo cui benedicitur*, atque inde probat Melchisedecum Sacerdotem Abrahamo Sacerdote fuisse infinitis partibus præstantiorem. Jam verò nullius est offerre sacrificium cuius non sit benedicere & consecrare sacrificium, neque enim offertur sacrificium sine precibus: Vnde illud efficitur, si Christus hodie non offert sacrificium Deo Patri, si non agit hodie in terris, hoc, inquam, fungens munere, nemini mortalium licere tantam rem aggredi. Quid ita? quia necesse foret Sacerdotem consecrare sacrificium, atque nefas est Christum ab vllo mortalium consecrari. Cùm ergo nullus sit in terris idoneus Sacerdos, nullus qui possit rem tantam vel aggredi vel effectam dare, profectò nefas est rem tantam vel tentari. Hoc esto primum argumentum, cuius robur & pondus si nihil aliud esset vel inde probatur, quod Apostolus vbi agit de Christi sacrificio, vbi demonstrat quæ sit istius sacrificij vis & gratia apud Deum, docet *Christum semet obtulisse Deo per Spiritum æternum*, Heb. 9.14. Quorsum pertinent ista verba? nempe sacrificium Christi (si volumus loqui propriè & significanter) nihil aliud fuit quàm dolores illi & cruciatus quos Christus pertulit, tum in corpore, tum in anima, pro peccatis nostris, quorum dolorum extrema linea fuit mors, nam certè prout Deus est, nihil passus est: Quid verò hos dolores reddidit adeò commendatos? nempe quia per Spiritum æternum sese obtulit Deo Patri, vsque adeò, verum est, quod Sacerdos sacrificio maior est, vt etiam in Christo locum habeat; nam Christi sacrificium primò & per se est sacrificium corporis sui, porrò *corpus* humanam naturam designat. Iam verò nullus est qui hoc sibi audeat arrogare, vt offerat Christum per Spiritum æternum Deo.

Sacerdotem huius sacrificij oportet esse Deum.

2. oportet esse æternū.

Secundum argumentum primæ Classis inde ductum est, quod Christus Sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech. Atqui Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec Sacerdos æternus est. Si hoc tantùm dicimus nihil dixerimus, addamus ergo quod addit Apostolus Heb. 7. *Reliqui Sacerdotes, quod morte prohibebantur, admittebant successores*, & verò requirebant, *at iste*, (inquit) *quia manet in æternùm vnicus Sacerdos est*; Non enim Christus quà Sacerdos mortuus est, sed quà homo, nam quà Sacerdos debuit ingredi in Sancta Sanctorum, & quidem cum sanguine: Ergo quà Sacerdos viuit in æternum, nam mortem istam vita consecuta est. Atqui hic dicat aliquis, quî fuerit Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, hoc est, æternus, nunquid Melchisedec Sacerdos æternus est? Quòd Melchisedec non fuit Sacerdos æternus, certè non videtur conuenire vt Christus dicatur Sacerdos æternus secundùm ordinem Melchisedec. Sed responsio in promptu est, nam Melchisedec dicitur Sacerdos ἀγενεαλόγητος, quid ita? nempe non successit patri Sacerdoti, neque filium habuit Sacerdotem: Non erat ex genere Leuitico, quorum Sacerdotum ea conditio fuit, vt nati sint parentibus Sacerdotibus, vel filios habuerint Sacerdotes; At Melchisedec neque patrem habuit Sacerdotem cui successerit, neque filium Sacerdotem cui decesserit. Itaque, quatenus in homine mortali potuit id præfigurari, præfiguratum est in Melchisedecho; quid hoc tandem? nempe æternitas Christi Sacerdotis. Nullum habet Christus cui decedat, nam qui decedit mortuus est, qui autem mortuus est non potest ingredi in Sanctuarium, sed *Christus*, (inquit Apostolus) *viuit*. Hebr. 7.8.

3.

Huc & illud accedit, quod quandiu summus Sacerdos est in Sanctis Sanctorum, in adyto templi non licet offerre foris sacrificium, hoc ipsâ lege prohibitum est. Atqui Christus, Sacerdos noster secundùm ordinem Melchisedec, iam est in adyto templi, in Sancta Sanctorum semel est ingressus. Itaque non licet amplius offerre sacrificium in terra. Deinde & hæc ratio hîc valet, quod is, cui fas est offerre sacrificium, eiusmodi debet esse, vt ad id vocatus sit & constitutus à Deo. Atqui nos legis in libris Noui Testamenti descriptionem omnium Ecclesiasticorum munerum, at nulla est huius muneris descriptio, nulla planè; huius, inquam, muneris, vt quis sit Sacerdos. Si quando hic titulus occurrit in Nouo Testamento, non occurrit vt titulus peculiaris, sed vt communis toti Ecclesiæ, & singulis Ecclesiæ membris, *nos enim Christus fecit*, quotquot sumus *Reges & Sacerdotes Deo Patri*. Hoc argumentum pondus habet maximum, nam etsi in iis quæ spectant ad ordinem Ecclesiæ, Spiritus Sanctus dum studet libertati Christianæ, multa posuit in Ecclesiæ arbitrio, attamen si quæ sunt (vt ita loquar) essentialia, sine quibus Ecclesia stare non potest, ea verò Deus voluit claris & significantibus verbis tradi in Scriptura. Atqui huius muneris Sacerdotalis, quo Christus offertur, nulla fit in Scriptura mentio, nulla apud Euangel. nulla in actis Apostolicis, nulla in Epistolis Pauli & aliorum. Ergo nullum hoc munus fuit. Quid? cùm Paulus instituit Doctores & Presbyteros, cùm instituit eos qui præsunt Ecclesiæ, quòd huius muneris & dignitatis nunquam meminit? Quare? quia nempe Christus Sacerdos est in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Ergo à nullo potest offerri sacrificium illud.

4. nullus ad hoc institutus est à Deo Sacerdos.

Obj.

Sed, inquiet aliquis, Ecclesia sacrificio non potest carere, nec tamen Christus iam offert sacrificium. Sed ista sunt eiusmodi vt penè pigeat ea refutare. Profectò Ecclesia non caret sacrificio, quo sublato tolleretur simul omnis religio, etenim vbi peccatum est, aut nulla religio est, aut sacrificium est: At sacrificium nostrum est Christus

Ref.

APOCAL. 18. 4.

Καὶ ἤκουσα ἄλλην φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσαν, ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς. καὶ ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς ἵνα μὴ λάβητε.

Consilium Authoris

CONSLIVM meum est (si indulserit Dominus) disputare de discessione ab Ecclesia Romana, quæ auorum nostrorum memoria in Ecclesia Latina facta est, sit-ne ea legitime, an verò contra ius fasque, instituta & promota: & iure ne, an verò iniuriâ, durari ad hunc vsque diem, an verò iusta & idonea ratio sit cur authores & fautores pœnitere illius debeat. Quæ controuersia grauissima est & latissimè patet, & denique calamitosis hisce temporibus nô perutilis modò, sed pernecessaria est quæ definiatur: sunt enim non pauci, neque verò contemnendæ authoritatis, qui (vt quidem profitentur) tyrannidem Pontificis Romani, fœdos errores, crassam idololatriam, & superstitionem, quæ in Papatu vigent & fouentur, execrantur, nos tamen reprehendunt ideo quod nos (vt illis sanè videtur) ægrum corpus maluerimus deserere quàm curare. Et hæc quæstio ambitu suo complectitur omnes eas controuersias quibus hodie Christiani in studia contraria scinduntur; non potest enim definiri nî demonstretur ratio qua Deus Ecclesiam suam, ab Apostolorum temporibus ad ea vsque tempora quibus hæc in Religionis causa dissidia gliscere cœperunt, conseruarit, probeturque iustam fuisse & idoneam causam inuocati status Ecclesiæ. Denique, in ea demum tempora deuenimus quibus id ipsum accidit Christianis quod Judæis olim in deserto: vixerant olim captiui in Ægypto, liberi iam in deserto Ægyptum requirebant & suspirabant; vrgent nempe & circumstant atque imminent Amalecitæ, & serpentes, fames, sitis, &c. Itaque multis saliuam mouet memoria deliciarum Ægyptiacarum.

in explicatione huius loci.

Ad hanc rem delegimus explicandum locum nobilem & celebrem in primis, qui exstat Apocal. 18. 4. καὶ ἤκουσα &c. Nam cum à Patribus celebrata sit & commendata communio, non interna modò, sed externa & visibilis omnium Ecclesiarum, tantæ authoritatis obtentu nobis audent scribere dicam Schismatis, quod non colamus communionem cum ea quam non negamus esse Dei Ecclesiam. Nec quisquam est qui aduersus nos hoc argumentum persecutus sit acriùs & calidiùs Cardinale Perronio, qui vir ingenio excitato & astuto *Catholici* nomen negauit, & verò studuit eripere etiam iis qui eandem cum prisca Ecclesia fidem amplecti profitentur, quod *Catholici* nomen communionem externam, non eandem modò de Religione sententiam significet, neque eius iudicio ij videri possint cum prisca Ecclesia communionem colere, qui Ecclesiam eam quæ serie perpetuâ, successione continuâ, ad nos vsque peruenit, deseruere. Id quod certè speciosum est, vnde enim tanta mutatio quę contigit? Sed hoc offendiculum Dominus ipse amolitus est hoc loco, hortatur enim populum vt *excedit Babylone* &c. quî pote si nulla fuerit Babylon, nam certè Patrum temporibus populus Dei non latuit Babylone, sed segregatus ab impiorum consortio, atque constitutus in edito & aperto loco. Etenim ista vox non audita est cœlitus Ecclesiâ Christianâ statim natâ, sed cùm esset adulta & prouectæ iam ætatis, cùm aucta & locupletata bonis sæcularibus multum ei decessisset de vera & pristina dignitate. Sed cùm sit hoc vaticinium, & omnis vaticinij hæc sit ratio vt verbis edatur figuratis, magna lis est de vaticinij genuina sententia, quam nos vt dirimamus constituimus ante omnia ipsa vaticinij verba interpretari, deinde verò Rhetorica Analysi vaticinium resoluemus. Denique ipsam rem, quoad eius à nobis fieri poterit, accuratè expendemus.

vbi pri... mùm ve... ba ipsa ... ponunt...

Explicatio verborum Grammatica.

Auditus. auditus prophe... eius dup... 1.

Καὶ ἤκουσα] Auditu prophetico. Ceterùm propheticis auditus est duplex, vel qui oritur ab externa specie, à specie extrinsecus obiectâ, sed quæ tamen causam nullam habet Physicam: sic Samuel iam tum eùm puer esset excitatus est, & is auditus qui fuit ab eo sono quem Hebræi vocant בת קול propheticus fuit, ortus quidem ille à specie sensili & externa, sed quæ tamen non proficisceretur à natura. Sed & est *auditus propheticus* qui non est à specie extrinsecus obiecta, qualis haud dubiè hic auditus fuit, sed ab affectu quodam aurium præter naturam. Nam si ita res habet vt in grauioribus morbis sic organa sensuum afficiantur, vt eos videamur audire sonos qui extrinsecus nulli sunt, inter prophetandum quid prohibeat id ipsum euenire? hoc tamen discrimine, quod ille affectus aurium in Prophetis non est à morbo, sed diuinitùs profectus. Itaque & valentibus contingit, & nullo morbo tentatis. Jam inter hasce duas veluti species auditûs prophetici hoc discrimen est, quod quoties Prophetæ aures *externa son specie* feriuntur, si qui adsunt alij, auribus eundem vt plurimum audiunt sonum, at quoties *immediatè*, vt ita loquar, non iam extrinsecus, sed intrinsecus afficitur aditûs instrumentum solus audit Propheta. Eadem est ratio visionis propheticæ, neque enim semper oritur à causa externa. Itaque & noctu vident, & interdiu, ita vt soli videant quæ vident, Act. 23. *Nocte assistens ei Dominus ait confide Paule.* Visio prophetica fuit haudquaquam ab externa specie. Itaque exsertè Lucas notauit noctu hoc quicquid est contigisse, non vt Dominum moneat deserto cœlo in terra sui copiam fecisse Paulo, nequaquam verò certè, sed vt significet ita Paulum noctu fuisse affectum, vt Dominum veluti oculis præsentem cerneret. Sic Stephanus oculis in cœlum intentis vidit gloriam Dei, Act. 7. Et vidit Christum stantem à dextra Dei. Certè idem Stephanus erat in synedrio cùm frueretur hoc spectaculo, itaque non potuit ipsum videre cœlum apertum, aut Dominus Jesus in cœlo constitutus oculis eius patere. Sic Elizæus vidit insessos montes turmis Angelorum, & quidem qui quadrigis veherentur, quod eius seruus non vidit, & quod fieri haudquaquam potuisset si illa visio fuisset ab vlla externa specie.

2.

Discrime... inter vtr... que.

sic visio propheti... duplex.

Itaque quod Johannes testatur se audiuisse voeem

vocem è cœlo, cautè legendum est, ne quis putet hanc vocem delatam cœlitùs, iungenda igitur sunt ista *vocem ex cœlo*, eodemque sensu id accipiendum est ac illud Christi quærentis, *numquid Iohannis Baptisma esset è cœlo*, non enim quæsiuit an Iohannis baptisma esset è cœlo delapsum, sed an authorem habuerit cœlestem. Atque hoc loco pariter *vox è cœlo* vox est quæ causam habet haudquaquam naturalem, sed diuinam. Sic 1. Cor. 15. *primus*, inquit, *homo est è terra terrenus, secundus, Dominus è cœlo*. Notat haud dubiè originem Christi hominis, qui è cœlo dicitur esse non quod homo, è cœlo ad nos descenderit, sed quod Spiritus Sancti vi humana natura coagmentata sit & coaptata diuinæ naturæ. Atque in hoc genere solet Deus vti Angelorum operâ: Itaque obseruare est in scriptis Prophetarum ferè Angelos ...., vt in Daniele, &c. indeque fit vt iisdem locis tum Angelus tum Deus apparuisse dicatur; Et Angelus quidem, quod Deus eius operâ vsus sit in effingenda specie quam voluit suæ præsentiæ esse symbolum, Deus verò, quod is sit cuius præsentia fuerit significata. Itaque non est quod miremur quod nos docuit Paulus, *legem fuisse traditam per Angelos*, tonitru enim & coruscatio & caligo, & fumus, & terræmotus, & fragor qui populum Israeliticum dedit in stuporem, ab Angelorum opera proficiscebantur. Et Stephanus Act. 7. 30. eandem ob causam Angelum vocat id ipsum quod Deum vocat Moses: & Apostolus ad Hebræos 13. 1. Abrahamum & Lotum Angelos excepisse hospitio author est, Dei non meminit, quamuis certissimum sit Deum Loto & Abrahamo apparuisse, vti constat ex historia, nam ex tribus illis hominibus, qui in speciem apparuerunt, vnus est qui .... יהוה vocatur, atque hoc videbatur imprimis facere ad causam Apostoli vt Deum moneret fuisse exceptum hospitio. Sed responsio facilis est, Deus non se mouet loco, itaque nec excludi, nec admitti potest, hospitio inquam, sed Angeli tamen qui symbola præsentiæ diuinæ effingunt veluti & pingunt, ij demum & admitti & excludi possunt, non enim omnem occupant locum, sed certis locis continentur, vnde & accedunt & recedunt pro arbitrio.

Quod superest, ne miremur Angelorum operâ vti Deum in hoc genere, qui scilicet (quanquam ratione quidem *quadam* & dispari) & Dæmonum operâ vti solet consimiliter, quoties nempe, dum vel probat suos, vel vlciscitur contemptum veritatis suæ, sinit eos vti artibus suis, illudere oculis ac menti humanæ.

Exer. Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς.] Egressus in Scriptura animo, non modò corpori, tribuitur, 2. Corinth. 6. 17. Hebr. 13. 13. 1. Ioh. 2. 19. id quod fit tribus de causis potissimum: Etenim magna intercedit cognatio & similitudo sensûs & motûs corporis cum animi sensu & motu, id quod experiundo quilibet facilè potest perspicere; nam vt est corporis auersio, sic animi quædam auersatio est, quæ adeò se prodit sæpenumerò in ipso corporis habitu extrinsecus. Deinde, maximè in pietatis negotio, quæ animus auersatur & rejicit, ab eorum conspectu & sensu ipsum corpus subducit & subtrahit, (nisi fortè coniunctum sit aliquid, & veluti agnatum, quod animum teneat, vt cùm Filius patrem idololatram colit & reueretur non animo tantum, sed & externis obsequiis quæ filij præsentiam requirunt, certè quibus rebus haud inuiti intersumus iis animum aut oportet delectari, vel certè minimè angi. Denique, vsque adeò in Scriptura imbecillitati nostræ consultum voluit Deus, vt typis motuum corporeorum, & rerum in ipsos sensus incurrentium, significarit esse quandoque fugiendum, quandoq; etiam appetendum, & quid fugiendum, quid appetendum sit. Atqui in his typis est *excessus è Babylone* (vt ita dicam) *corporea & materiali*, typus scilicet excessus nostri spiritualis è Babylonia spirituali & mystica, quam mentis oculis præcipuè cernimus. Porrò typorum huiusmodi hæc est ratio, vt quæ typis tribuuntur propriè & reuerâ, dem vt plurimum figuratè, & secundùm quendam modum, ipsi rei typo significatæ pariter tribuantur. Sic Apostolus Hebr. 13. 13. quoniam Christi egressus ex Hierosolymis coniunctus ille summa cum animi demissione & constantia, quanquam ad supplicium duceretur, typus erat nostræ illius spontaneæ renuntiationis, qua, perspectâ & agnitâ iam Christi bonitate & excellentiâ, nosmetipsos & sæculum abnegamus & eiuramus, perque contemptum, perque cruciatus, & omnis generis ærumnas, contendimus in cœlum, hunc animi motum Apostolus *Egressum* vocauit.

Ex eâ. ἐξ αὐτῆς] Pronomen loco nominis, quod non videtur conuenire; non enim adhibentur pronomina loco nominum nisi, in eadem oratione præcesserit nomen: sed perinde se res habet ac si eadem oratio esset, cùm plures orationes ita tempore iunctæ sunt vt alia aliam statim sequatur. Id quod hoc loco contigit; hæc enim vox statim audita est, postquàm Iohannes Angelum audiuerat clamantem, *Cecidit Babylon*; consequens enim fuit, vt imminente tam atroci supplicio populus Dei meditaretur e vestigio exitum è Babylone. Atque illa supplicij maturatio præteriti temporis verbo designata est, loquendi formulâ petitâ à consuetudine humana; etenim dum significare volumus tam *certò & quam primùm* futuram, loco futuri temporis vtimur præterito, iuxta illam formulam *Dictum, factum*.

Popule mi. Ὁ λαός μου] *Populus Dei* dicitur eodem planè significatu quo Reges gentes sibi subditas *populum suum* vocant. Neque verò pertinet hæc appellatio ad quosuis homines indiscriminatim, quamuis sint pariter omnes ij in quos Deus ius habet & imperium, sed peculiari & certa quadam ratione is demum *populus Dei* dicitur, cum quo Deus fœdus contraxit, quique vicissim in verba fœderis iurauit Deo stipulante, populo verò accipiente conditionem. Id quod fit duob. modis;

Populus Dei. dupliciter dicitur.

1\. vel enim initur fœdus extrinsecus, Deo sensibili quodam modo populum compellante, & pari ratione populo accipiente conditionem: sic verò efficitur quædam externo consociatio Dei & populi.

2\. Vel initur fœdus ratione quadam inuisibili, interuentu Spiritûs, & quidem tantâ efficacia vt inuisibili ratione pariter accipiatur fœderis conditio: Hæc dicitur *inscriptio Legis in corde, in tabulis carnis*. Atqui is Dei populus, qui hanc ob caussam *populus Dei* vocatur, dicitur *iudæus in occulto*, quem scilicet certò & distinctè solus nouit Deus; Alter verò ille populus Dei, ἰουδαῖος ὁ ἐν τῷ φανερῷ *Iudæus in aperto*; etenim omnia habet externa

atque obuia, nihil, quod quidem ad huius appellationis rationem pertineat, in recessu. Quorsum respexit Paulus Rom. 2.28. Illud verò notatu dignum est, quod huius appellationis vsus in Nouo Testamento atque in Veteri diuersus est: nam in libris Veteris Testamenti animaduertere est populum Dei eum vocari quî cum Deus extrinsecus contraxit fœdus, cùm esset alioqui intrinsecus impius & prophanus: Itaque & audire est passim Deum querentem per Prophetas, se à populo suo neglectum & desertum, atqui eam ob caussam grauissima & extrema interminantem, populi sui reiectionem & abdicationem. Cuius rei exemplum exstitit primùm in captiuitate decem tribuum, post verò Christi tempore in seruitute & exilio totius Gentis Iudaicæ. Quarum minarum nullum exstat exemplum in Nouo Testamento; nam etsi certis quibusdam hominibus qui profitentur veram Religionem Deus interminetur, nusquam tamen id facit erga *Populum suum*. Cuius rei hæc est ratio, quod Veteris Testamenti temporibus Ecclesiæ status non erat *merè spiritualis*, sed magnam partem *carnalis* & *typicus*, at in populo Noui Testamento Deus omnia voluit esse *spiritualia* & *realia*: Itaque in Nouo Testamento nusquam nomen *populi Dei* tribuitur prophanis & impiis hominibus, vtcumque extrinsecus nomen Christo dederint. Consulatur noni capitis Epist. ad Roman. vers. 24. & qui sequuntur. Neque verò obstat quod Dominus Act. 18.10. populum professus est Paulo se habere Corinthi, etiam tum cùm nondum illa hominum multitudo credidisset; ea enim appellatio est κατὰ πρόληψιν, *anticipationem* dicunt, quomodo *oues suas* Christus etiam eos appellauit quos ad sui cognitionem nondum vocauerat, Iohan. 10.16. nam quî *oues Christi* dici possint *verè* & *propriè*, qui Christi vocem non audiuerunt, qui nondum exuerunt ingenium, & mansuescere didicerunt? Sed obseruandum est diligenter quomodo intercedat quædam relatio inter Deum & populum: Nam populo quidem cum Rege, Regique vicissim cum populo, vt sit affinitas & mutua quædam necessitudo nemini obscurum est, & verò ob eam caussam Deus in Scripturis & se vocat Regem, & vult à nobis eo nomine celebrari. Quæri igitur potest non absurdè, cur in contrahendo fœdere hac potius formula, *Ego ero Deus tuus* quàm ista *Ego ero Rex tuus* vti voluerit. Sed responsio facilis est, etenim ipsum hoc *Dei* nomen emphasin quandam habet, quæ non in hoc modò sita est quod notat infinitam quandam essentiam, potentiam, sapientiam, verum etiam beneficentiam, prouidentiam, curam. Itaque *Deus* non magnificentiæ magis quàm beneficentiæ titulus est & elogium. Itaque *populus Dei* dicitur non is in quo Deus exercet ius & imperium suum, sed qui Dei bonitatem peculiari quodam modo experitur, cui Deus prouidet: Itaque & aliâ nomenclaturâ, eadem tamen notione, *Pater noster* dicitur, nam Pater amorem, curam, beneficentiam, vel præcipuè notat. Itaque Christus diuinitùs planè collegit Abrahamum, Isaacum & Iacobum reuicturos, quòd Deus eorum esset Deus, hoc est εὐεργέτης *benefactor*: nam cùm sit idem potentissimus oportet eius beneficentiam *ratam* esse & *plenam*. Itaque vtrumque Christus coniunxit, *Erratis*, inquit, *nescientes Scripturas & potentiam Dei*, nisi enim exstet Dei promissio, beneficentia non potest esse *fixa* & *rata*: nisi verò adsit potentia non potest esse *plena*: Et *plena* certè quî sit, si vel omnino, vel quod ad alteram sui partem attinet, populus Dei perit. Sic locus ille vindicatus est à calumnia Cardinalis Perronij.

huius appellationis alia in Veteri, alia in N. Test. ratio.

ratio huius discriminis.

mutua inter Deum & populum eius relatio.

Cur Deus potius quã Rex noster dicatur.

ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, κ, &c.] Disquirendum, *an vnum idemque vtraque hac locutione, an verò alterâ aliud, aliud alterâ significetur*. Quærendi ratio est, quod Scriptura solet vnam eandemque rem diuersis verbis continuò significare: neque verò hæc Battologia est, sed potius venustatem habet & lucem, cùm significandi ratio sit diuersa. Hæc tamen regula tenenda est, id nequaquam locum habere in attributionibus cum subiectum (vt loquuntur) *formaliter* & *præcisè* nihil aliud significat quàm attributum, quanquam nomina sint diuersa, vt si quis dicat, *qui diligit Deum amat Deum*, aut *gladius est ensis*, verba quidem diuersa sunt, quia tamen res verbis significata eadem est, manifesta committitur ἀδολεσχία: At verò in oratione coniuncta nihil prohibet res easdem *formaliter*, diuersis verbis significari. Cuius rei hæc est ratio, quod etsi nulla sit in re diuersitas, tam elucet in verbis diuersitas *modi* (vt loquuntur) *considerandi*: vt si quis dicat, *Christum pro nobis factum esse peccatum & maledictum*, idem certè dicitur formaliter, sed significandi modus & considerandi diuersus est; nam cùm Christus dicitur factus esse pro nobis peccatum, notatur relatio & σχέσις pœnæ ad culpam, cùm verò dicitur maledictum, notatur pœna simpliciter. Atque hinc æstimatur synonymorum delectus. Sed iam videamus idem-ne sit hoc loco, *participem esse peccati & pœnæ*: Certè peccatum in Scriptura pœnam peccati significat. Sic Caïnus queritur *grauius esse peccatum suum quàm vt ferat*, & Christus dicitur factus *peccatum*, quoniam & *maledictum* factus dicitur, & Apostolus Heb. 10. negat sacrificiis legalibus *tolli potuisse peccata*, & Christus in cruce dicitur *baiulasse peccata nostra*. 1. Pet. 2.24. nam ἀναφέρειν est *inclinato corpore, subiectis dorso & humeris onus suscipere*, tum verò sese quoad eius fieri potest erigere, vt non iam feratur, sed auferatur onus, Hebr. סבל vnde סבלן Magistri *Baiulum* vocant. Verumtamen hæc peccati significatio locũ hîc non potest habere, duabus de causis, nam primò deterret hic Deus populum suum ne *communicet*, qui voluntatis actus est: atqui non est cur quisquam à subeunda pœnâ deterreatur, tanquam ab actu spontaneo & voluntario. Deinde, cùm pœna quam denuntiat hîc Deus sit grauissima & extrema, non erat verendum ne eâ populus Dei inuolueretur, qui etsi scilicet per mixtus impiis eadem calamitate extrinsecus implicitus sit & inuolutus, intrinsecus tamen immunis est. Sanè συγκοινωνεῖν *communicare* hîc perinde vsurpatur vt Eph. 5.11. quo loco Apostolus pios hortatur, non iam vt ne effusis habenis obsequantur carnis libidini, sed potius vt ne vel per ostentationem (dum nolunt videri seueri & parùm ciuiles & vrbani) vel per metum conniueat, aut verò etiam præsentiâ suâ faueant studiis prophanorum hominum. Itaque illud adiecit *sed potiùs redarguite*. Quæ huius verbi significatio huic loco vnicè conuenit; non enim iam Deus populum suum hortatur ne Idololatrarum more furat & insaniat,

Ne communicetis eius peccatis.

Scriptura sæpe idem verbis diuersis significat.

peccatum & pœna idem hîc non sunt.

insaniat, sed ne præsentiâ suâ cohonestent veluti idololatriam, rem non modò impiam, sed turpem & indignam præstantiâ naturæ humanæ; nam certè συγκοινωνεῖν *communicare* verbum est dilutius, quàm vt possit rem tam horrendam significare. Itaque Esa.1. חברי גנבים κοινωνοὶ κλεπτῶν *socij furum*, est Litote, cùm minus dicitur, amplius significatur, nam certè minus est esse socium furis quàm furem.

Et

Καὶ ἐκ τῶν] Καὶ non modò hîc coniunctiuum est, sed vel præcipuè sequelam notat, nam Dei sic est ingenium, vt non prius de pœnâ irrogandâ quàm de peccato cogitet: Est igitur καὶ hoc loco illatiuum, vt Psalm.45.12. *Quoniam est Dominus tuus & adora eum*, hoc est, ideò adora illum, καὶ ἵνα μὴ λάβητε est *ideoque*. Nec multò aliter accipiendum est illud, *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*, notatur sequela; neque enim peccatori Deus indulget vitam nisi præcesserit conuersio. ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς ἵνα μὴ λάβητε.] Phrasis est Hebr. פן תקחו מנגעיה. Cæterum πληγὴ est Hebræorum נגע, quæ vox non qualemcumque, sed grauem & intolerabilem pœnam significat. Itaque Isai.53. sic habetur in Hebræo, vers.8. מפשע עמי נגע למו *propter præuaricationem populi mei plaga illi.* Quod verò quæri possit, cur Deus populum suum moneat ne communionem habeat cum Babyloniis, cùm id non videatur esse metuendum, siquidem Deus populi sui curam gerit; hæc verò quæstio in Analysi Rhetorica postmodùm explicabitur.

e plagis eius e accipiatis.

Analysis textûs Rhetorica.

Adhuc fuit duabus Lectionibus horum verborum explicatio Grammatica, sequitur (id quod constitueramus secundo loco) instituenda eorumdem Analysis Rhetor. quam sic aggredimur. Narratio est rei gestæ generatim primò, tum speciatim instituta: & verò generatim, vt sit apparatus ad specialem rei declarationem, id quod fieri debuit: quoties enim agitur de re magni momenti non est statim veniendum ad rem ipsam, sed sensim auditoris animus afficiendus est, vt sit ad percipiendum id quod rei caput est, attentior. Testatur igitur Apostolus primùm *se audiuisse vocem ex cœlo*, hæc generalis quędam & confusa narratio est, in qua tamen tria sunt obseruanda sigillatim: Ac illud quidem primò quod *se audisse* ait, nempe alia est Propheticę doctrinæ, alia est (quas vocant) scientiarum ratio; nam hæ quidem ratiocinando colligunt, illa est à reuelatione, & quidem proxima: nam & est quædam reuelatio iis omnibus communis qui habent cùm Deo per Christum communionem, qui ob hanc causam *audire* dicuntur, *Qui audiuit à Patre* (inquit Christus Iohan.6.) *& didicit, venit ad me.* Sed hæc reuelatio, hic auditus non est semper proximus, hîc enim adhibentur Prophetæ, Apostoli, & secundùm hos Doctores, *Paulus enim plantat, Apollos rigat, Deus est qui dat incrementum.* Sed & est *auditus* Prophetis peculiaris, atque vt docendi gratiâ diximus, *proximus*, citra humanæ mentis interuentum: itaque passim legere est apud Prophetas hanc formulam, *factum fuit Verbum Domini*, & item eam, *Dixit Dominus. Quis* (inquit Esaias) *credidit auditui nostro, & cui reuelatum est brachium Domini? Auditum* Prophetiam vocat, idque duabus de causis,

Narratio primum generalis.

vbi tria obseruanda sunt.

1. Audire.

quod est duplex.

quarum prior hæc esse potest, quod quæ patefecit Esaias ea audierat, acceperat à Deo, tum verò etiam quod ea patefecerat aliis ab aliis audienda. Vtramque significationem Anglica versio vnico vocabulo complexa est doctissimè, *Report*; id enim eiusmodi est quod non excogitatum fuit tanquam te ipso authore, sed quod habes ex relatione aliorum, tu aliis item renuncias. Gallica versio habet *predication*: id quod exprimit alteram significationem vocis שמועה, non sine graui authore, is verò est B.Paulus Rom.10.17. *At non omnes obediuerunt Euangelio*, &c. Animaduerte est *auditum* esse discipulorum, non Prophetæ; teste igitur Paulo Esaias prædicationem suam *auditum* dixit, eadem mente & ad eundem significandi modum quo παράδοσις *traditio* Hebraicè dicitur קבלה, non iam tradentium, sed accipientium respectu, קבלה enim *acceptio* est. Nulla igitur doctrina prophetica est quæ non sit à Deo proximè, aut verò consona doctrinæ quæ à Deo proximè est, vt sit Prophetica doctrina omnis doctrinæ norma. Itaque B.Paulus 2.Timoth.3.16. omnem Scripturam dixit esse θεόπνευστον, & Petrus 2.Cath. cap.1. omnem Prophetiam Scripturæ negauit esse ἰδίας ἐπιλύσεως.

Vterque locus nobis obiter explicandus est. Ac primùm illud ante omnia nobis obseruandum est, Apostolum adhibere nomen γραφῆς visitatum in Ecclesia Iudaica (nam vt hodie in Papatu & verò anterioribus Ecclesiæ temporibus, discrimen est inter Traditiones vel Verbum non scriptum, & Scripturam, id ipsum obtinuit in Ecclesia Iudaica, nam Iudaicæ & Christianæ Ecclesiæ iidem morbi sunt) sed Paulus dum γραφὴν θεόπνευστον vocat, hoc elogio voluit esse distinctam à traditionibus, quæ homines non Deum authorem habent. Nam si in traditionibus Iudaicis, in illo Verbo quod vocant שבעל פה fuisset quiddam ὑγιὲς *sani*, haud dubiè Timotheum suum Paulus non relegasset ita ad Scripturam, vt eam discriminis causâ nobilitaret elogio tam insigni θεοπνεύστῳ.

locus 2.Timoth.3.16. explicatus.

Venio iam ad locum Petri, sunt qui aiunt Petrum negare Scripturam esse ἰδίας ἐπιλύσεως, hoc est (vt illi loquuntur) *priuatæ interpretationis*. At hoc interpretamentum neque Petri scopo, neq; verò verbis conuenit; nam Petri scopus hic est, vt plebem hortetur ad lectionem Scripturæ Veteris Testamenti: Hortandi ratio hæc est, quòd sit candela. Atqui pugnat cum huius nomenclaturæ significatione obscuritas: quin potius Petrus argumentatur (vt loquuntur Rhetores) à facili & vtili, Verbum propheticum est candela lucens in loco obscuro, itaque consulendum est. Deinde, subiecta ratio id ipsum satis ostendit non agi de Scripturæ interpretatione, *Non enim* (inquit) *voluntate hominum allata est Prophetia, sed acti Dei homines à spiritu S. locuti sunt.* Ratio hæc est cur Scriptura non sit ἰδίας ἐπιλύσεως. Certè (vt est obseruatum à viris doctis) ἐπήλυσις est *illapsus Spiritus in Prophetam*. Sed quia nobis religio est sollicitare verbi Scripturæ, non sit ἐπιλύσεως pro ἐπηλύσεως, ἐπίλυσις tamen non erit *interpretatio*, nisi fortè quis Scripturam velit esse ænigmaticam, id quod Petri consilio repugnare iam diximus: quid igitur est ἐπίλυσις? Certè nihil aliud est quàm Dei demissio Prophetarum ad prophetandum, tantisper enim desinent Prophetæ, muti sunt, non

locus 2. Petr.1.20. explicatus.

se mouent loco, donec Deus illis veluti carceres ad currendum aperiat, itaque *currere* dicuntur in Scriptura *Cucurrerunt* (inquit) *& non misi eos*, ἔτρεχον, inquit, καὶ ἐγὼ αὐτοῖς οὐκ ἀπέστειλα. Ier.23.21. Ezec.13. 6.7. Hæc igitur est mens Petri, Prophetæ non cucurrerunt à se missi, sed à Deo.

2. *Vox.* Secundo loco Apostolus testatur se audiuisse φωνήν: significanter φωνὴ dicitur non quælibet vox, sed vehemens & quæ percellit, vt Iohan.8. 28. *Venit vox è cœlo*, sequitur statim, *Turba* igitur *dixit, tonitru factum est:* vocis vehementia symbolum est ponderis & magnitudinis rei de qua agitur. Itaque Apostolus non ait se audiuisse *dicentem*, aut *verbum*, sed *vocem dicentem*. 3. *è Cœlo.* Tertio loco testatur Apostolus se audiuisse hanc vocem *ex cœlo*; quemadmodum enim etsi Deus vbique sit, tamen certis quibusdam locis obseruamus peculiarem Dei præsentiam, sic planè etiamsi quicquid pertinet ad hominis salutem id omne cœlitus ad nos peruenerit, tamen quæ sunt singularia & præcipua, & grauissimi momenti, ea singularem in modum orta ex cœlo dicimus. Itaque non modò arcana & interna reuelatione voluit Dominus hoc patefacere Apostolo, de quo nunc agitur, sed voce cœlitus ortâ, vt à nobis explicatum est, vt ne quis sibi indulgeat, aut huius præcepti contemptum se impune laturum speret. Itaque ad eum modum argumentatur Apostolus Hebr 12.25.

Narratio specialis, in qua considerandum. Hactenus fuit narratio generalis, specialis sequitur. *Audiui* (inquit) &c. In qua tria veniunt consideranda, primùm qui sint ad quos pertineat hæc hortatio, secundum quæ sit hæc hortatio, denique quibus subnixa rationibus. Hæc hortatio pertinet ad Dei populum, id quod fortasse mirum videri possit cùm ea de re agatur *qui nā sint quos hic hortatur Apostolus.* quæ sit omnibus omnino hominibus communis, interest enim omnium excedere Babylone quorsum ergo attinuit compellasse ex vniuerso hominum genere certos quosdam homines? Neque verò nouum hoc est; nam Psal.34. Propheta sanctos hortatur vt Deum timeant, quasi verò non sit omnium omnino hominum timere Deum, & Christus ad se vocat sitientes Iohan.7. & Matth.11. gementes sub onere, quasi verò non *nempe pii & fideles tribus de causis.* pertineat ad quoslibet venire ad Christum. Sed tum id fit tribus de causis potissimum: quarum 1. prima hæc est, quod etsi Deus omnium indiscriminatim hominum curam gerat, quædam tamen pars est humani generis de cuius salute maximè sollicitus est. Id adeo docet Apostolus 1.Tim.4. 10. *In hoc enim & laboramus & probris afficimur quia speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maximè verò fidelium.* Qui locus non est obseruandus oscitanter, nempe reddit Apostolus hac sententia rationem cur studium pietatis, de quo egerat versu præcedenti, non sit inane, Deus nimirum qui omnium hominum curam gerit, omnibus omnino hominibus vult prospectum, certè de piis singularem suscipit cogitationem, vnde facile est colligere amoris diuini esse quosdam gradus, alios communes, alios minimè communes, alios minùs communes. Cùm hoc iam pro constituto habeatur, neminem esse quem Deus non possit, si contemnatur, ingrati-2. tudinis reum peragere. Secundò, sunt quædam hortationes quæ (nam ita sanè loquamur) requirunt præcedaneam pietatem, verbi gratiâ hortationes ad perseuerantiam, vel ad singularem quendam veræ pietatis actum, vt ad martyrium, aut agnitæ veritatis publicam professionem, hæ hortationes eiusmodi sunt (vt statim liquet inspicienti rem ipsam) vt non possint pertinere ad quosuis. Ac eiusmodi est hæc hortatio, nam (vt postmodum dicemus) aliud est grauite ferre captiuitatem Babylonicam, aliud est, iugum illud excutere, excedere Babylone, nā certè hoc posterius quia summum est nec omni tēpore, nec omni loco fuit necessarium, & requirit omnino præcedaneam pietatem, & verò cuiusmodi sit speciatim declarabimus, quum ventum erit ad disputationem de re ipsa. Tertiò solent (quæ est inge- 3. nij humani hypocrisis) plerique sibi blandiri in negotio pietatis, & se iactare vanis titulis, qui vt extrahantur è suis latebris, hortandi sunt vt id faciant quod titulus quem sibi arrogarunt, spondet. Atque hoc fit vt crebrò in Scripturis Deus in hortationibus prouocet vel ad professionem, vel ad nomen quod quisque sibi assumpsit, quæ compellatio vehemens est imprimis. Sic in bello duces in *allocutionibus* quas vocant, non tantum militum nomine, sed fortissimorum virorum milites compellant, vt si quis sit minus dicto audiens eo nomine testetur ignauiam. Atque hoc obseruare est in Epistolis quanquam ea de quibus agunt pertineant ad quoslibet promiscuè, tamen eorum nomen Epistolæ præscribitur non modò qui profitentur religionem, sed qui reuerâ fideles sunt, etenim sic larua detrahitur hypocritis, & habet vnusquisque vnde possit æstimare, an sit pius, & quousque pius sit.

Quod verò hîc exigit est *excessus è Babylone:* 2. *ad quid eos hortetur.* Quæ sit hæc Babylon non est iam huius temporis dicere, vnum hoc manemus Babylonem hanc typicam esse, nam (id quod suo loco rationibus addicemus necessariis) quemadmodum Israel secundum carnem typus fuit Israelis secundum spiritum, sic captiuitas Israelis secundum carnem in Babylone fuit typus captiuitatis Israelis secundum spiritum in Babylone spirituali. Atque hic excessus non est animi tantum excessus nam is est internus, & huiusmodi cuius solus Deus conscius sit, & vero vbique & semper necessarius, vt nimirum abhorreamus ab idololatria Babylonica. Sed & externus est hic excessus, segregatio in ipsos sensus incurrens à Babylone, quæ nec vbique, nec omni tempore necessaria fuit. Etenim non statim natâ Ecclesia editum est hoc oraculum, neque verò statim initio tyrannidis Babylonicæ, sed postquam hæc tyrannis diu durauit, nam reuelationem Apocalypseos quædam series est ad temporum seriem accommodata. Et certè vt tacendi quædam tempora sunt, quædam itidem tempora loquendi cùm tamen nullum mentiendi tempus sit: sic planè hîc se res habet, quoddam fuit tempus in Ecclesia gemendi, latendi, nulla tamen fuerunt in Ecclesia tempora simulandi; sed de hoc infrà fusiùs.

3. *rationes quibus hortatio nititur.* Sequuntur demum rationes quibus hæc hortatio nititur, hæc enim est omnis hortationis vis si adhibitis rationibus corroboretur; nam voluntatis ratio est vt mota mente ipsa permoueatur. Rationes autem hortationum vel peti solent ab hortantis iure & authoritate, quæ sæpenumerò summa ratio, æquum enim est vt sapienti & qui in

qui in nos ius habet pareamus, etiamsi nulla alia ratio supersit; vel petuntur ab ipsa re, cùm quod petitur eiusmodi est vt habeat impressas & verò conspicuas notas boni, vt lux non aliunde mutuatur argumentum laudis suæ quam habet in semetipsa: Vel *ab iis quæ rem sequuntur* vt hoc loco. Hîc verò obiter, sed attentè tamen obseruandum est in Nouo Testamento rarò, & infrequentius, quàm in Veteri Testamento (quanquam id iure potuit fieri) duci rationem ab authoritate dicentis, merè, inquam, id quod factum est quod hæc hortandi ratio cogat potiùs quàm persuadeat, id quod non vsquequaque conuenit conditioni Noui Testamenti quod ministerium spiritus est, & suaue ac leue iugum. Itaque hortationes Noui Testamenti sunt παρακλήσεις non sunt ἐντάλματα: sunt διδασκαλίαι, non sunt δόγματα: id est, *sunt hortationes, non sunt imperata*; *sunt doctrina, non sunt decreta:* nam hæc quidem pertinent ad statum Veteris Testamenti, ideoque Apostolus Coloss. 2. 14. vbi agit de Veteri Testamento ἐνταλμάτων & δογμάτων meminit: Deus nimirum tum cùm id Testamentum pepigit, egit pro iure suo proque imperio. At in Nouo multò aliter se res habet, etenim Deus remisit veluti de iure suo hac noua œconomiâ.

à re ipsa petita.

Locus insignis est in hanc sententiam 2. Cor. 5. 19. Neque verò hinc efficitur vt si contemnatur Euangelium agatur mollius cum contemptoribus quàm si Veteris Testamenti contempti forent rei, nam quò Maiestas suprema magis se demittit dum studet ea quæ sunt infirma & abiecta subleuare, tanto grauiori scelere insuper habetur.

quæ duæ sunt.

Cæterùm duæ rationes quæ hîc adhibentur eam habent inter se cognationem, vt altera alteram consequatur vi (vt ita dicam) naturæ, *vt ne* (inquit) *participes sitis peccatorum eius*, hæc est prior ratio, *& vt ne de plagis*, &c. hæc est posterior priori iuncta necessitate naturæ, nam cùm sit duplex bonorum genus, quorum alterũ honestum, alterum vtile dici possit, hæc est eorum ad se inuicem ratio, vt vtile bonum quidem sit, sed quod habeat minimi momenti instar si cum honesto comparetur, hoc primùm. Deinde alterum alterius sequela est, non enim honestum est vtilis sequela, attamen certè vtile honestum sequitur. Horum bonorum docendi causa alterum liceat *Ethicum*, alterum verò *Physicum* appellare. Et malorum eadem prorsus ratio est, nam malum est quicquid est in vitio, & malum itidem est quod pertinet ad cruciatum & dolorem. Et hæc duo mala consimiliter congenerem habent naturam, proinde vti bona quibus opponuntur. Vtile porrò nobis est hoc loco non quod conducit ad finem simpliciter, sed quod ipsum finis est, quamuis haud quaquam præcipuus, nam illa omnia finis rationem habent, quæ per se expetenda sunt, tantùm verò fugienda per accidens, cùm nimirum haberi non possunt sine rei præstantioris iactura. Itaque Deus qui populo suo optimè vult (est enim Pater, & quidem Opt. Maximus) vtrumq; bonum vult populo suo, &, quod consequens est, vtrumque malum depellit à populo suo, sed pro bonorum & malorum ratione alterum prius altero nempe honestum bonum vt præcipuum, vtile vt παρέργημα *appendicem* honesti, honestum priori loco, vtile posteriori. Atque hinc factum est priùs vt meminerit mali culpæ (vt loquuntur in Scholis) posterius verò mali pœnæ, nam quale Dei ingenium est talem suis affectum ingenerat verbo & spiritu. Itaque prius nobis vult cautum à culpa & vitio, quàm à pœna & calamitate, & nos vult minoris facere pœnam quàm vitium.

ab honesto & vtili ducta.

Hoc ita explicato & constituto facile est illud soluere, cur in hortationibus in Scriptura præmij & pœnæ mentio fit sic enim videtur gigni in hominum animis vel præmij spem vel pœnæ metum seruilem, cùm virtus ipsa per se expetenda sit. Hîc verò tenendum est Christianismum non esse Stoïcismum, nam Stoïcis nihil visum est vtile quod non foret honestum, neque item honestum quod non foret vtile. Itaque Socratem apud Platonem legimus execratum eos qui primi vtile ab honesto seiunxere, quod præclarè & honestè dictum foret, hoc sensu, vt nihil habeatur pro vtili quod pugnet cum honesto, at verò vt nil vtile sit quod idem non sit honestum (vt loquuntur in Scholis) formaliter, hoc verò iam pugnat cum natura, nam certè aliud est virtus, aliud virtutis præmium, aliud actio virtutis, aliud quod ei conuenit vt ornamentum. Iam verò cùm simul proponitur expetenda virtus & virtutis ornamentum, non irritatur præter rationem appetitus dummodò vtrique suus in appetitu locus assignetur vt quod prius est & præcipuum præcipuè, & quod posterius est & minus præcipuum posterius & minus præcipuè expetatur: vt si auro adiungas æs nullum dubium est quin fiat aliqua auctio, & tanto vehementius debeat expeti aurum quanto ære adiecto auctius est. Sic patres tametsi nil illis minus cordi sit quàm filios habere seruili corde & metu, attamen dum filios hortantur spem iniiciunt hæreditatis, & verò terrorem hæreditatis amittendæ, nam omne bonum vt appetendum est naturâ, sic malum omne naturâ fugiendum est: neque verò in eo peccatur, quod naturæ consentaneum est, ac persecutionis modus vel fugæ, qui ex boni & mali naturæ metiendus est, est inprimis seruandus, non conuenit scilicet ordini naturæ vt honesto vtile præferatur.

cur hoc posteriore genere vtatur Scriptura.

Sed illud multò grauius est & minus expeditum, quod tum ex hoc loco tum aliis Scripturæ locis colligi videtur piorum statum esse in lubrico & in ancipiti, cur enim metuant quos oportet esse salutis potiundæ certos? Deinde, qui sibi caueant, quibus nulla est idonea metuendi causa? certè omnis cautio oritur ex periculi metu; Itaque in vita æterna nemo sibi cauet. Hîc verò animaduertendum est duplicem esse certitudinem, alteram *absolutam*, alteram *ex hypothesi*: & *absoluta* quidem certitudo ea est quæ (vt ita dicam) nihil præsupponit quod non iam habeas, in cuius possessionem non fueris missus, hæc non est piorum in hac vita certitudo; altera verò certitudo est *ex hypothesi* nimirum cùm potiundi certus es, sed tamen vt potiare multa sunt cauenda: Neque verò sic suspenditur certitudo, quia cauendi certus es; Neque verò quisquam cauendi certus est, qui malum, à quo sibi, cauendum ducit, non refugit, nec refugit quisquam quod non metuit, nam metus fugæ principium est. Attamen immane quantum discrimen est

Piorum certitudo cuiusmodi sit.

eorum qui fugiunt, & metuunt incerto metus & fugæ exitu, quique fugiunt & metuunt certissimo & lætissimo metus & fugæ euentu. Exempli gratiâ Christum legimus metuisse Hebr.5. & metu adductum vt oraret; & quidem fidentissimè, vt Filium Dei decebat: sic Paulum legimus eundem certum de salute, suggillasse tamen corpus suum ne dum aliis prædicat Euangelium, ipse esset ἀδόκιμος. Sed eiusmodi res est vt possit petitis è triuio exemplis illustrari, fingamus enim verbi gratiâ alicui rem esse cum morbo, & quidem, nî Medicus succurrat, lethali, adsit verò Medicus, & quidem eiusmodi cui ob notam & perspectam fidem & peritiam confidat: à morbo idem sibi cauebit, hactenus tamen vt ne de Medici ope desperet, contrà potius dum Medicum intuetur se sustentet certa spe salutis. Fateor quidem in hoc genere nihil posse esse satis certi, quòd qui Medicus est idem homo sit, At in isto de quo nunc agimus longè aliter se res habet.

quid sit προσωποληψίαν.

Vt sit finis etiam & illud obseruandum est, quod eidem culpæ affines, eâdem tenentur pœnâ, non enim titulus aut prærogatiua, sed causa venit in iudicium apud Deum, imò verò quo vberior gratia fuit, tanto grauius metetur supplicium contemptus, Deus enim non est (vt loquitur Scriptura) *Acceptor personarum*, Act. 10.34. Sed quoniam iam in hunc locum incidimus obiter nobis explicandum est quid sit *accipere personam*, nam Scriptura Nouo Testamento passim negat Deum discrimen facere vt videtur personarum, & Scriptura eadem (si rem intueamur propiùs) docet Deum inter personas magnum facere discrimen, neque enim omnibus vel eadem, vel paria indulget: quæ agendi ratio nonnullis videtur redolere προσωποληψίαν. Itaq; considerandum est quid sit *personam accipere*, vnde facilè intelligi poterit quid sit *non accipere personam*. At sunt nonnulli qui personæ acceptionem sic definiunt, vt eam velint in hoc esse sitam, vt paribus imparia tribuantur vel imparibus paria: quorum vtrumque cùm Deus faciat omnino consequens est vt errarint grauiter in definienda personarum acceptione: nam paribus Deus imparia tribuit, dum verbi gratiâ Israelitas prætulit reliquis gentibus, nulla (vt testatur) adductus ratione præter amorem & beneuolentiam qua gentem & genti illius patres prosecutus est. Et imparibus paria tribuit, Esauum enim maiorem natu voluit seruire Iacob natu minori. Quid igitur est personarum acceptio? Nempe *cùm ob rationem quandam qua personæ inest aliquid tribuitur præter ius & fas, vel etiam, cùm etsi id quod tribuitur personæ non sit tributum præter ius & fas, tamen habita est ipsius personæ ob peculiarem quandam conditionem, ratio minimè congrua rei quæ tribuitur.*

vnde deducta hæc phrasis.

Quod vt facilius percipiatur necesse est primùm teneamus vnde sit orta hæc nomenclatura *acceptio personarum*. Est verò προσωποληψία dicta ἀπὸ τῆ λαμβάνειν τὸ πρόσωπον: Porrò λαμβάνειν τὸ πρόσωπον est Hebr. נשא פנים illud enim verbi significat *leuare faciem, accipere faciem*, nam priscis illis temporibus hic fuit salutantium gestus vt facie pronâ in terram peragereturSalutatio, quod & hodieque fit in Oriente: qui verò salutabatur, is salutantem subleuabat, hoc est נשא פנים *leuabat eius faciem*: sic legimus Dauidem Saulem salutasse pronâ in terram facie, quod si accideret vt salutatio respueretur aut verò insuper haberetur tum demum nulla erat faciei leuatio, aut personę acceptio. Id ipsum alia locutione dicitur in Scriptura *agnoscere faciem* vt Deuteronom.1. *Non agnoscetis faciem personæ*, atque à salutantium gestu hoc traductum est ad rem ipsam significandam, nempe ij dicuntur *accipere personam* quibus persona non commendatur propter causam, sed contrà causa propter personam, & verò est quod linguâ Gallicâ dicitur *fauetur*. Scriptura igitur detrahit Deo προσωποληψίαν duplici ratione, primùm in iudicio, Deus enim iudicat iuxta Legem, neque cuiquam tribuit quod nefas est tribui Rom. 2.11. deinde cùm personæ aliquid tribuitur ob conditionem quandam personarum quod non conuenit ei conditioni, sic detrahitur Deo προσωποληψία, Gal.2.6.

quo sensu aliquando Deo tribuatur.

Cæterùm in Scriptura Deus dicitur aliquando *accipere personam* seu *leuare faciem*: sic Lotum compellat Deus: *In hoc accepi* inquit, *personam tuam*. Ergo προσωποληψία aliter in Nouo, aliter in Veteri ponitur, nam in Nouo semper in vitio ponitur, in Veteri non item. Vno verbo προσωποληψία est præpostera beneuolentia & iuris peruersio. Itaque non pertinet ad negotium prædestinationis, nam in danda vita æterna nulla est προσωποληψία etsi enim detur nonnullis vita æterna, denegetur aliis, id fit idonea de causa, nempe crediderunt Euangelio, quod iis cum reliqua turba non conuenit. Rursus, etsi non donentur omnes tanta cognitione vt inde oriatur fides, hoc verò fit certis quibusdam hominibus donum peculiare, tamen quia id non fit ob certam quandam & singularem rationem inhærentem personæ non est προσωποληψίας, sed œconomiæ liberæ & solutæ omni lege, nempe Deo licet de suo facere quod ei libet.

Rei ipsius seu controuersiæ tractatio.

status quæstionis.

Sed iam pernoscenda est res tota & accuratiùs scrutanda (vti constitueramus) cum Cardinale Perronio. Quæritur non quidem (vt fingit odiose Cardinalis) *liceátne discedere à communione visibilis Ecclesiæ, sed an certo quodam cœtu, externam successionem Ecclesiæ venditante, nullo vnquam tempore liceat discedere:*

de secessione.

Nos id licere, Cardinalis contrà nefas esse contendit. Ac nostram quidem sententiam inde confirmamus, quod Dei populo edictum atque imperatum legimus vt excedat è Babylone: Vnde liquet duo effici, illud primùm quod aliquando Dei populus hæsit Babylone, deinde etiam istud, non debuisse hanc coniunctionem esse perpetuam. Hic verò obseruandum obiter est (quod quorsum pertineat postmodùm apparebit) populi Dei non iam tectè, sed apertè & disertis verbis mentionem fieri: At verò cœtus ille cui Dei populus aliquando permistus fuit, figuratè designatur.

an ex Allegoria argumentari liceat. negat Perronius. I eius ratio.

At Cardinalis negat ex eo quod in allegoria positum quidquam posse colligi certi: Cur id neget verò complures adducit rationes. Quarum prima petita est ex nomenclatura Græca & Hebraica Allegoriæ, nam Græcè quidem ὑπόνοια olim appellata est, quæ postea *allegoria* cœpit dici. Atqui ὑπόνοια Interprete Cardinale nihil aliud est quàm vel *sensus reconditus*; vel quod etiam illi magis placet, *suspicio*. Atqui posterius istud

Ref. quid sit ὑπόνοια.

iſtud interpretamentum, Allegoriæ non poteſt conuenire;etſi enim ὑπόνοια *ſuſpicio* eſt aliquando non ſemper tamen(vt ipſe Cardinalis agnoſcit) pro ſuſpicione ponitur. Certè qui allegoria vtitur, qui ἀλληγορεῖ non *ſuſpicatur*, conſcius eſt enim mentis ſuæ: nec qui allegoriam interpretatur *ſuſpicari* dicendus eſt, id enim non eſt interpretari: etſi maximè allegoriæ interpretatio *ſuſpicio* dici poſſet, ipſa tamen allegoria cur *ſuſpicio* dicatur? At prior huius notionis ratio, ea verò neque vocabulo, neque rei vocabuli diſconuenit, nam ὑπονοεῖν ſi verbum verbo reddere velimus eſt *ſubintelligere* eâ notione qua hoc verbi accipitur à Grammaticis quo modo ferè & *ſubaudire* vſurpatur, vt cùm dicunt *ſubaudiendum eſt*. Eſt igitur hoc pacto ὑπόνοια *aliud* (vt hoc dicamus barbarè) *ſub alio intelligere*, quemadmodum ἀλληγορεῖν *aliud ſub alio ſignificare*. Certè ὑπόνοια latius patet quàm ἀλληγορία ſi vocabulorum ratio habeatur, nam allegoria in verbis, ὑπόνοια in verbis & rebus ipſis poteſt habere locum. Sed de hac re iterum & fuſius cùm ad eum fuerit locum peruentum, in quo nobis de allegoria conſtituimus diſputandum. Sed ad rem: Non qui aliud ſub alio intelligit, ὑπονοεῖ, (ſic enim nos res ipſa loqui cogit) eius mens obſcura eſt & incerta, verbi gratia: Dominus Ieſus Matth.21.ſub finem capitis vſus eſt allegoriâ ὑπονοίᾳ manifeſtiſſimè, attamen obſeruatum eſt ab Euangeliſta principes Sacerdotum & Phariſæos ὑπονοίᾳ allegoriam, quam Chriſtus adhibuit, non modò intellexiſſe, verùm etiam inde actos in furorem, adeò ſe non iam pungi, ſed vulnerari grauiter ſenſerunt. Fruſtrà igitur Cardinalis eſt qui ex ὑπονοίας nomine colligit omnem ſalutem allegoricum eſſe incertum.

Allegoria cordicatur דבר גדול

Iam verò quod autumat allegoriæ interpretationem Hebræis eſſe דבר גדול quod ille interpretatur *la grande parole*, in eo bis lapſus eſt, primùm quidem quod putat דבר eo loco aliud eſſe quàm rem allegoriâ ſignificatam: Tum quod גדול *magnum* interpretantur non quod eſt magni ponderis, ſed vt ipſe loquitur, *quod in infinitum multiplicari poteſt pro ingenio & arbitrio*, quaſi verò interpretatio res eſſet arbitraria ac non potius tota ad dicentis mentem accommodanda. Sanè Hebræi ſenſum Scripturæ Grammaticum דבר קטן vocant, quod ſit facilis & obuius, facile enim eſt vt plurimum verba Scripturæ intelligere, etiam ſæpè vbi obſcuriſsima eſt? At ſenſum aperire clauſum & tectum, ſeu verborum ſeu rerum inuolucris, id verò דבר גדול *res magna* iure dici poteſt. Præterea verò quia res ipſæ in Scriptura ſæpe ſignificant, tenere quid ſit res ſignificans leuius videtur, aſſequi verò quæ ſit res ſignificata, id demum maximi eſt momenti. Sed hæc exemplis adhibitis erunt clariora: Multa ſunt in Apocalypſi quæ intelligere non eſt cuiuſuis, cùm verba tamen notiſsimæ ſint ſignificationis, etiam pueris: & cùm Deus pollicetur populo ſuo terram Chanaan, quis fuerit is populus, quæ terra Chanaan ſcire non intereſt tantopere noſtra; ſcilicet, id eſt דבר קטן. At Iſraelem ſecundùm carnem, ſignificare Iſraelem ſecundùm ſpiritum, id iam דבר גדול eſt. Itaque ne ex nomenclaturâ quidem Hebraica, Cardinalis effecit ſenſum allegoricum eſſe incertum.

2. ratio Perronij.

Altera Cardinalis ratio ducitur ab authoritate: Decantatiſsimum eſt in Scholis dictum *Theologia allegorica non eſt argumentatiua*, hoc primùm. Deinde Auguſtinus negat habendam eſſe rationem interpretationis allegoricæ, quæ clarioribus Scripturæ locis non poſsit confirmari. Denique negat idem Auguſtinus habere vim vllam eius allegoriæ interpretationem, quæ aliter poſsit accipi. Sed hæc omnia vel ſunt leuiſsima, vel nihil omnino faciunt ad Cardinalis cauſam; nam vt ordiamur à primo, quod in Scholis dicitur Theologiam allegoricam non eſſe argumentatiuam, eò dictum pertinet vt coerceatur ingeniorum laſciuia, alioqui æquè verè dici poſsit Theologiam litteralem non eſſe argumentatiuam, quis enim dubitet pari errandi periculo, ſenſum Scripturæ litteralem vrgeri ſi diſcedamus à Scripturæ mente atque in allegoria? verbi gratia. Nicodemus verba Chriſti ſic intellexit vt ne latum quidem vnguem diſcederet à ſenſu litterali, haudquaquam verò erraſſet ſi ea dicta allegoricè intellexiſſet: quo nomine à Chriſto grauiter increpitus eſt. Et certè quid aliud Apoſtoli in Iudæis reprehenderunt, quàm quod legem non referrent ad Chriſtum, hoc eſt (vt ita dicam) quod non vterentur Theologiâ allegoricâ. Iam verò quod B. Auguſtinus exigit vt allegorica interpretatio aliunde confirmetur argumentis è Scripturâ petitis, mirum eſt Cardinalem non animaduertiſſe ſic conſtitui ab Auguſtino Scripturam arbitram interpretationis ſui. Cæterum ad rem, diſcedit Cardinalis à quæſtione, non enim iam inter nos agitur de iis Allegoriarum interpretationibus quæ non poſſunt aliunde confirmari, nec alia nituntur ratione præter arbitrium interpretis, ſed de iis tantum Allegoriis quę partim ex ipſa Scriptura, partim etiam ex euentu intelliguntur. Id quod vt planum fiat, tenendum eſt quædam in Scriptura poni allegoricè, quæ pertinent ad fidem & mores; alia verò quæ ſpectant ad euentum deſignandum: Harum Allegoriarum alterum genus *iuris* allegoriam, alterum *facti* docendi cauſa licet appellare. Quoniam verò Scriptura non continet (nam quî pote) omnia facta, hinc fit vt nihil neceſſe ſit allegoriæ facti ex Scriptura quærere interpretationem. Nam factum ipſum allegoriæ interpretatio luculenta eſt, ſic Apoſtoli multa allegoricè dicta in Veteri Teſtamento, ad Chriſtum accommodarũt. Quod verò Auguſtinus quandam allegoriam interpretationem non admiſit, quod aliter ea exponi poſſit, hoc ipſum poteſt habere locum in expoſitione litterali, ſæpenumero enim accidit vt Aduerſarius qui ſenſum oſtendit litteralem, ſic repellatur, ſi poſsit haberi ſentẽtia diuerſa, & quidem (quæ ipſa litteralis ſit) interpretatio afferri. Hoc pacto igitur tam ſenſus litteralis quàm allegoricus incertus foret, id quod ipſi Cardinali haud dubiè videretur abſurdum. Verum enimverò vt propiùs accedamus ad cauſam, vt eſt quidam litteralis ſenſus adeò certus vt alius adfingi non poſsit ſine vi & manifeſta deprauatione: ſic etiam quidam eſt ſenſus allegoricus adeò concinnus & genuinus vt omnem diuerſum ſenſum excludat. Huiuſmodi eſſe huius loci in quo nunc verſamur ſententiam poſtmodùm patebit.

Ref.

ab allegoria licet argumẽtari.

Sed iam nobis demonſtrandum eſt, ſenſum allegoricum certum eſſe æque ac litteralem, atque poſtquam iam prolatus eſt, æquè illuſtrem, inde

probatur 1. primùm quod Apocalypseos 1.3. *Beati prædicantur qui legunt quique audiunt verba prophetiæ huius & seruant ea quæ in ea scripta sunt.* Quibus in verbis obiter notandum est quid sit ἀκούειν, nempe mentis & intellectus hic auditus est. Sic vsurpatur eadem vox Matth.13.18. *Vos igitur* (inquit Christus) *audite parabolam sementis.* Atqui antea hanc parabolam narrarat. Tum verò eam enarrare instituit. Sic Dominus noster Iesus Christus Iohan.6. *Quicumque audiuit & didicit à Patre.* Nempe qui non didicit is non audiuit. Nec aliter illud Christi accipiendum est, *propterea in parabolis loquor eis quoniam videntes non vident, & audientes non audiunt,* Matth.13.13. sequitur enim *neque intelligunt* : quod adjectum est per epexegesin. Sed vt redeamus ad rem, Beati prædicantur qui intelligunt & seruant ea quæ scripta sunt in Apocalypsi. Ergo illa & intelligi & seruari possunt: At verò iam fatente ipso Cardinale & re ipsa clamante, pleraque illa omnia quæ hoc libro continentur scripta sunt allegoricè. Ergo quæ allegoricè scripta sunt & possunt & debent intelligi, atque ita quidem intelligi vt seruentur, vt traducantur ad vitæ vsum: quorum neutrum fieri potest si eorum notitia vel nulla est, vel incerta hæc prima ratio sit.

2. Deinde Apostolus sæpenumero argumentatur à sensu allegorico & quidem Gal.4. ex professo ἅτινα (inquit) ἐστὶν ἀλληγορούμενα *hæc in allegoria posita sunt.* Neque verò quisquam hîc cauilletur Apostolo id licuisse ab authoritatem, non enim inter disputandum Apostolus authoritate suâ, sed pondere & vi rationum vtitur. Tota verò Epistola ad Hebræos in qua Apostolus vsque adeò cauet ne suam obtenderet authoritatem, vt ne meminerit quidem nominis sui, plena est allegoricis interpretationibus ac argumentationibus inde deductis, tam aptis tamque firmis vt contradicere vel summæ sit pertinaciæ, vel stoliditatis summæ. Et certè si Apostoli authoritate sua vti voluissent, nil opus fuisset tam accuratis tamque prolixis disputationibus. Sic Paulum legimus Act. vltimo cap. v.23. regnum spirituale Christi Iudæis probasse ex scriptis Propheticis, quanquam quæ de hoc argumento apud Prophetas exstant posita sunt in allegoria. Itaque hoc probandi genus διανοίγειν & παρατίθεσθαι *aperire* & *iuxta ponere* elegantissimè & significantissimè dicitur Act.17.3. verba sunt καὶ ἐπὶ σάββατα τρία διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, διανοίγων καὶ παρατιθέμενος. *disputabat aduersus eos ex Scripturis*, en nobis rem, διανοίγων καὶ παρατιθέμενος hîc verò iam rei modus est. Certè hæc παράθεσις *iuxta positio* nihil aliud est quam allegoriæ ad ἀλληγορούμενον *ad rem allegoriâ significatam accommodatio.* Tertia ratio hæc est, quod omnis allegoria refertur ad aliquem finem, is verò est vt aliquid significetur, tacitè quidem & latenter, sed tamen ita vt posit intelligi ab iis quorum id scire præcipuè interest, id quod diuinæ allegoriæ præcipuè conuenit: etsi enim (vti legimus Matth.13.) improbi homines allegoria veluti velo arceantur à conspectu rerum diuinarum quas habent despicatui & ludibrio, attamen Domini consilium est suos hac ratione docere atque erudire. Certè ipsa ὑπονοίας & allegoriæ nomina, & quod sensus allegoricus dicitur דבר גדול id ipsum euincit, teneatur modò harum appellationum, quam supra attulimus, vera ratio. 3.

LECTORI.

CVM ex Scotia Galliam repeteret Camero Anno Domini M. DC XXIII. *incidit illi Londini cum Thomâ Rhædo, tum temporis Magnæ Britanniæ Regis à manu, viro docto familiaris quædam de argumento Theologico epistolica disceptatio, quæ quia est de non contemnenda quæstione, libuit hîc mutuas ab iis de argumento illo scriptas Epistolas tibi proponere, vt de re ipsa, pro rationum pondere & momento, statuas quod visum fuerit veritati ipsi maximè consentaneum.*

CLARIS-

CLARISS. ET ERVD. VIRO
IOHANNI CAMERONI,
THOMAS RHÆDVS,
S. D. P.

An ex Theologorum sententia, de Concursu Dei in actionibus humanis, sequatur Deum esse authorem peccati.

QVVM heri audiente mecum auidè nostro Gallouæo multa de Prouidentia Diuina grauiter & acute dissereres, Clarissime Camero, Deumque omnibus omnium actionibus misceres, sic tamen vt à peccato absolueres, renouata est mihi, quæ me sæpe multùm torsit, quæstionis memoria, quomodo cùm eadem *actio*, eaque tota, à duabus causis immediatè proficiscatur, nempe primâ & secundâ, prauitas tamen actionis (quæ *malitia* eius non incommodè hîc dici solet) tota oriatur ab altera causarum, nempe secundâ. Responsa tua, ne memoriæ vel ingenij vitio aberrem, tibi qui meliùs & doctiùs id potes, relinquam repetenda, quod te pro tua humanitate haud grauatè facturum confido, & vt Gallouæo mihique rem gratam facias, & vt veritatem (quæ tibi cæteris rebus charior est) vindices ab erroris nube. Ipse argumenta, quæ me habent sollicitum, pugno Zenonis contracta, & Logicis ferè inclusa formulis, expediam, vt primo statim intuitu nodus appareat soluendus, & Dialogi lege ad parem (quantum potest) sermonis mensuram responsa coerceas, qua conditione meipsum quoque, vt par est, quoties tuis aliquid repono, obstrictum intelligo. Communis tibi cum multis opinio est, Vir Clarissime, hominum actiones esse a Deo per immediatum concursum simul operante, imò quicquid nomen entis meretur eum habere immediatum authorem, cùm alij contra sentiant (è quorum numero me quoque profiteor) multa fieri & esse quæ à Deo neque fiant, neque conseruentur, nisi mediatè, hoc est, interuentu causarum creatarum, quibus vires & facultates dedit ad agendum idoneas, & in seipsis ad hoc sufficientes, abstracta eius vlteriore actione. Quæ opinio, cùm nihil adferat incommodi, præferenda vtique est vestro dogmati, vnde absurda sequuntur penè innumera, quorum gustum aliquem in paucis hisce proponam, ea lege vt in eodem genere monetæ debitum exsoluas, & rationes, si potest, & Philosophicè diluas quæ rationi & Philosophiæ vim omnem acceptam ferunt. Sequitur primò ex eo dogmate, *Deum esse authorem peccati, & toties peccare quoties homines peccant*, quod sic euinco. Peccat quisquis sciens volensque id agit quod pugnat cum recta ratione, sed innumeræ sunt hominum actiones quæ pugnant cum recta ratione. Ergo quisquis eas agit, peccat. Sed Deus secundùm illud dogma, eas omnes agit. Ergo etiam in omnibus iis peccat. Sequitur secundò, vitiosos animi habitus, qui virtutibus opponuntur contrariè, non fieri, aut esse in hominibus, nisi faciente eos Deo & constanter conseruante. Nam omne ens à Deo fieri & conseruari est dogmate vestro est. At vitia omnia virtutibus opposita, entia sunt, nempe qualitates & habitus: Ergo vitia omnia à Deo fiunt & conseruantur in hominibus. Vnde efficitur, res per se & interna ratione malas, vt libidinem, auaritiam, superbiam, immanitatem habere authorem & conseruatorem Deum, quo an quid magis absonum sit, non video.

CLARISS. DOCTISS. VIRO
THOMÆ RHÆDO,
Regi Magn. Brit. à manu,
IOHANNES CAMERO
S. P. D.

ETsi mallem tecum de re tanta coram agere, Doctissime Rhæde, tamen quia tibi aliter est visum, morem tibi geram & hac in parte tuo potius quàm meo animo obsequar, nempe id debeo vel doctrinæ, vel humanitati, vel etiam dignitati tuæ. Si igitur habe. Quæ sit mea sententia de concursu Dei in humanis actionibus, neque ego explicaui, neque verò id in illa tumultuaria dissertatione, vel velitatione potius, fueram agressus. Sed cùm tu mihi cum Theologis paulo durius agere viderere, conatus sum (si qua possem) eorum sententiam a tua reprehensione vindicare. Deinde, cùm in hortum secessissemus, cœpisti tu quærere, quî fieri possit vt peccatum, cum authoribus Theologis sit nihil, adeò grauem in miseros homines pœnam accersat. Hîc ego respondi, peccatum esse priuationem, quæ actionem cui inesset prauam redderet, proindeque non esse eodem loco ac si nihil esset habendum. Hîc tu iterum rogabas, te videre posse, qui actio, quæ per se mala sit, priuatio esse possit. Ego verò subjeci, actionem ab actionis malitia à Theologis distingui, ac actionem quidem cui accidit malitia, ens esse, malitiam vero adnatam, priuationem: Illos facilè concessuros quicquid in mala actione boni est, à Deo proficisci, quicquid verò mali est, ab eo totum esse, qui malè facit, idque dixi eos docere adducto in medium exemplo tibiæ distortæ, cuius motus esset à voluntate, quatenus motus est, neque verò idem sit à voluntate, quatenus claudicatio est. Hæc verò nolui ita à me dicta accipi, quasi hæc mea sententia esset, quam nondum edidi, sed vt ne causam tot grauissimorum virorum authoritate suffultam ad primum ingenij tui impetum delere visse viderer. Itaque vti cœpi pergam. Ad primum. Quod ais, Deum agere id quod pugnat cum recta ratione, esse ipsorum dogma, id illi pernegabunt, id enim causæ tribuunt secundæ vitio, quæ vires à prima inditas causa vitiat & corrumpit, vt si quis citharam aut lyram concinnè quidem & modulatè pulsaret, haud ederet tamen idem suauem concentum, propter fidium discordiam, id verò negarent citharœdi imperitiæ, sed vitio organi, adscribendum. Ad secundum. Iam verò quod tibi absurdum videtur, vitia à Deo foueri, & id ipsum ipsis videri contendunt, sibique iniuriam fieri querentur si quis secus de ipsis sentiat. Non negabunt tamen illud ens (quicquid est) quod, vt oculum cæcitas, sic

peccati seu vitij τὸ formale occupauit, à Deo esse, cum eam nihilominus execrentur sententiam, vt blasphemam, quæ labem illam Deo aspergit. Hæc sunt quæ mihi visum est, pro recepta ab omnibus ferè Theologis de concursu Dei in peccato opinione, aduersus argumenta tua afferre. Quæ si tibi minus probabuntur, probabis tamen (vti confido) pro singulari humanitate tua animum meum, meque (vt facis) perges amare.

CLARISS. ET ERVD. VIRO

IOHANNI CAMERONI,

THOMAS RHÆDVS.

EXosculor in te (Clarissime Camero) ingenuũ animum & amantem veri. Iam enim agnoscis duabus meis demonstrationibus perlectis, displicere tibi illam *Theologorum* (vt loqueris) *ferè omnium*, sententiam, quam eo tempore tam seriò defendebas, *Omne ens à Deo esse tanquam à causa efficiente immediata.* Eorum enim ais sententiam illam, non tuam, quam vtique si veram agnosceres, tibi ipsi fores iniurius nisi agnosceres tuam. Et contextâ colloquij nostri historiâ (in qua sanè meas partes vellem mihi ipsi reliquisses narrandas) videri sanè vis, non veritatis studio propositionem eam tum defendisse, sed eò tantum ne grauissimos viros deseruisse videris. Et nunc quoque leui admodum eius patrocinio defungeris, vt qui nullâ eam ratione munias tuâ, sed ad meas, quibus eam euerto, tralatitiè respondeas. Prius ex argumentis meis constabat syllogismo duplici. Tu vtriusque partes omnes reliquisti intactas, tantum, ne nihil diceres, facis in iis esse quod non est, & id postea refutatas vt meum. Neque enim mihi vnquam in mentem venit, Theologorum dogma esse, *Deum id agere quod pugnat cum recta ratione*, quod eorum nemo (quod ego sciam) vllibi asseruit, ideoque quæ postea adducis, vt ab hac illos calumnia vindices, nihil ad me possunt attinere. Sed & ex illis ipsis pronum est quam tueris opinionem destruere.

Nam si vera est tua similitudo, primæ potius caussæ imputanda est actionis vitiositas. Nam cùm Citharœdi sit non solum fidibus canere, sed etiam chordas ante concordes facere, quis non videt ipsius vitium esse, non chordæ, si hoc neglexerit? Sed & aliâ ratione similitudo inepta est. Non enim vti actiones hominum à duabus proficiscuntur causis immediatis, Deo & creaturâ, sic chordarum soni à Citharœdo & chordis, nam pulsat Citharœdus solùm, non etiam sonat; quod si ipse etiam immediatè sonos illos ederet, id est, sonaret, (& hoc nisi dicatur non constat similitudo) idem etiam haud dubiè dissonantiæ author habendus foret, quum inde sit dissonantia vnde immediatè est sonus, aliàs ne quidem à chordis foret. Iam (vt applices exemplum quæstioni) actiones omnes sunt à Deo immediatè. Ergo etiam ab eodem est earum vitiositas. Pari modo claudicat supra à te allata distortæ tibiæ similitudo: Est enim ingressus (cui adest claudicationis vitium) immediatè quidem à facultate motrice tantùm, non etiam à voluntate, nam si esset, fieri nequiret quin eadem voluntas claudicationis esset rea. Vides ergo non esse similia ista quæ pro similibus adducis, aut si sunt, facilè ex iis euinci quod tu tantopere abominaris, Deum esse authorem peccati.

Secundum meum argumentum erat, omne Ens à Deo immediatè fieri & conseruari, vitiosos autem animi habitus, qui virtutibus opponuntur contrariè, esse entia, & per consequens à Deo fieri & conseruari. Quid tu hîc, eruditissime Camero? Respondes nimirum, *Iniuriam fieri Theologis, si quis iis hoc absurdum affingat, à Deo vitia foueri. Vitia foueri* Metaphora est à te allata, qua argumentum ex se clarissimum obscuraretur. Et Theologorum apud me mentio nulla, nedum vt eis iniuriam hanc fecerim: Nec egent illi (si me consulis) nostro alterutrius patrocinio: Et in vtroque Thrasonicum nimis foret vel omnes Theologos accusare, vel omnes defendere. Præstat, me iudice, iis missis, propositionem benè & laudabiliter tueri. Nam quod postea ait, *Peccati seu vitij* (sic tibi visum est confundere quæ ego habebam pro distinctissimis) *formale esse priuationem, qua à Deo non sit, à quo tamen sit illius materiale, vt pote Ens*, hæc distinctio aut nulli parti meæ argumentationis, aut conclusioni tantum applicari potest; quod respondendi genus nouum mihi atque insolens videtur. Sed ne de modo sollicitus sim, res ipsa procul à vero est. Nam si vitij vel vitiosi habitus formale esset priuatio, tum vitium opponeretur virtuti priuatiuè. At hoc falsissimum: opponuntur enim ista, (vt ego disertis verbis, ne negligeres, in argumento posui) vt qualitates contrariæ, & postea ex me, si te contra sentire intellexero, latiùs cognoscet. Manet ergo, Vitia omni ratione esse Entia, tam formali quam materiali, & quod hinc sequitur, fieri ea & conseruari à Deo.

Ex his satis liqueat, doctissime Camero, nihil à te allatum quod mea argumenta non minuat potius quàm euertat, aliaque longè paranda esse subsidia quibus eam propositionem fulcias ruentem. Si videtur vera, assere constanter vt tuam; sin falsa, nihil opus erit amplius periclitari an ego argumentari didicerim. Mihi sanè iucundum erit in vera opinione te socium habere, qui confirmes, vel in falsa aduersarium, qui me dedoceas.

CLARISS. DOCTISS. VIRO

THOMÆ RHÆDO,

Regi Magn. Brit. à manu,

IOHANNES CAMERO

S. P. D.

ITane verò, doctissime Rhæde, ego duabus tuis (vt loqueris) demonstrationibus perlectis illam Theologorum ferè omnium sententiam, quam tam seriò paulo ante defenderam, *Omne ens esse à Deo tanquam à causa efficiente immediatâ*, agnosco iam mihi displicere? Seriò tu hæc scripsisti, an potius ludens animi caussâ? Nam cui fiat verisimile me tam impium, tamque ab omni ratione alienum dogma vel defensisse seriò, vel tot sanctissimis, sapientissimisque viris tribuisse? Absit ea labes ab ingenio, absit à moribus meis? Tenent illi quidem, non nego, accurateque defendunt, *Deum influere* (ita loquuntur *in omne Ens*, haud tamen

tamen continuò, *vt cauſſam eius efficientem immediatam.* Nolunt ſcilicet inhiatam è rebus pulcherrimam illam ſeriem cauſſarum ſecundarum, vnde effecta prout originem proximè & immedatè ducunt, ſic ſpeciem quoque ſuam, iuxtaque hanc denominationem ſortiuntur. Id quod ego poſſem exemplorum appoſitione facilè demonſtrare, ſed apud te virum doctum & acutum nihil opus eſt eò deuenire. Nil verò, inquies, aſſerunt prætereà? Pluſculum ſanè. Quod ſi requiras, vnde hinc id diſpliceat? reſpondebo, idque ingenuè, me id, quidquid eſt, non capere, neque verò tantum mihi tribuo, vt quæ aſſequi nequeo, ea nil dubitem improbare. Sic ſentio, loquor, teque rogo, humaniſsime Rhæde, ne tu me poſt hac facias adeò præfidentem, vt agnoſcam, vel perlectis demonſtrationibus tuis, diſplicere mihi omnium ferè Theologorum ſententiam.

At verò volo, inquis, videri non veritatis ſtudio eam propoſitionem defendiſſe, ſed eo tantum ne grauiſsimos viros viderer deſeruiſſe. Bona verba quæſo. Non ſic ſcripſi, non ſic ſenſi. Relege, amabo te, & expende verba mea, ea verò ſic habent, *ne cauſſam tot grauiſsimorum virorum authoritate ſeſſultam, aut primum ingenij tui impetum deſeruiſſe viderer.* Viden vt ego de cauſſa quidem certè, de viris autem haudquaquam ſim ſollicitus, quorum ingenium, doctrina, nominiſque claritas tanta vit, vt opem meam non modò non requirant, verum etiam facilè contemnant. Peruicaciam ſanè & typhum & vaniloquentiam odi ex animo & deteſtor. Tu de me ſi aliter ſentis, qui ſis [illegible] quam habes exploratum. Et verò quorſum attinebat optare, me tibi Colloquij tuas partes reliquiſſe narrandas? Num vt diſertiùs ſic etiam fideliùs narrares? Non puto, qui alteram illam laudem tibi concedo, alteram non retineo quidem, ſed tamen vt ne tibi ea quoque propria ſit, id verò poſtulo, &, vel te iudice, facilè me conſecuturum confido. Iam verò quod ais, me leui admodum cauſſæ huius patrocinio defungi, vt qui Theologorum ſententiam nulla ratione muniam meâ, ſed ad tuas tralatitiè reſpondeam. Quid ſi ego reſponderem, accuſationem tuam eſſe leuem, eſſe tralatitiam? rationes illas tuas, (quas tu *Demonſtrationum* magnifico ſanè elogio exornaſti) non eſſe tuas, ſed iactatas iam pridem & protritas in Scholis? id quod tu homo doctus non potes ignorare. Nam poſſes, ſi ſic agerem de mea queri acerbitate, qui me prior tam duriter, tamque aſperè excepiſti & habuiſti? Verùmtamen non exiſtimo mihi tantum licere tecum, vt ſic agam, neque verò id mihi libet: habebo tui potius, habebo mei rationem, in eoque præſtabo quod tibi debetur, quodque me decet. Itaque ſequor reſponſionis tuæ filum.

Priùs, inquis, ex argumentis tuis conſtabat ſyllogiſmo duplici, ego verò vtriuſque partes omnes reliqui intactas, tantum ne nihil dicerem, feci eſſe in iis quod non eſt, & id poſtea refuto, ſcilicet, vt tuum (Non eras, mi Rhæde) iratus tu quidem, cùm ita ſcriberes, nulla enim ſuberat cauſſa, ſcripſiſti tamen eundem ad modum ad quem ij ſolent ſcribere qui seriò iraſcuntur, id quod tu ipſe, tua vbi recognoueris verba, facilè agnoſces. Sed ad rem: An ego tuos ſyllogiſmos reliquerim intactos? qui Proſyllogiſmi negaui aſſumptionem (id quod fuit reuera in cauſſæ arcem inuadere) ſimul etiam oſtendi (certè conatus ſum oſtendere) haud temerè iſtud à me factum. Id verò, doctiſsime Rhæde, reliquiſti intactum. Tu enim aſſumpſeras, *Deum agere humanas actiones quæ pugnant cum recta ratione,* Ego id negaui eſſe ſecundum dogma Theologorum, quod tu ſecundum dogma Theologorum affirmaras eſſe. Neq; tu mihi objicias, à me negatum, *illud eſſe dogma Theologorum,* quod tu non poſueras, non negatum, *eſſe id ſecundùm dogma Theologorum,* quod tu poſueras vnum: Valet enim ratio negatæ aſſumptionis tuæ à me allata, vtralibet aſſumptionis mens fuerit. Eam verò rationem tu ne attingis quidem. Quia à me tamen ſyllogiſmorum tuorum ais omnes partes relictas fuiſſe intactas, recole quæſo verba mea, *Id enim cauſſæ ſecundæ tribuunt vitio, quæ vires, à prima inditas cauſſa, vitiat & corrumpit.* Animaduertis negatæ aſſumptionis tuæ rationem, & agnoſcis verba mea, ſimul vides ſyllogiſmos tuos haudquaquam fuiſſe neglectos. Nam ſimilitudo à me adducta, quam tu vnam & ſolam reprehendis, rationis vicem ne habeat ſanè. Sed nec ea iure à te reprehenditur, vt mihi quidem videtur. Non enim (vt tu autumas) Citharœdi vitium eſt, ſi citharam quam pulſat minus aptè temperat, dummodò nec incuriâ, nec inſcitiâ, ſed id faciat certo ſapientique conſilio, fortaſſe vt citharæ vitium latens & abditum proferat in lucem, vel vt harmoniæ ſuauitatem diſſonantiæ faſtidio commendet, vel vt auditoris inſolentiam & muſices contemtum caſtiget. Quæ, vt in ſummo illo Rectore locum habeant citra vllam culpæ ſuſpicionem, facilè intelligis. Neque verò id metuo, ne vt citharœdi vitium eſt ſi chordas ſinat corrumpi & diſſolui lyræ compagem, cum id poſsit nullo negotio ſolo nutu prohibere, tu pariter exiſtimes Deo crimini dandum, ſi hominum animos in vitia ſinat prolabi.

Sed & alia, inquis, *ratione ſimilitudo inepta eſt.* Clementer, mi Rhæde, verùm tamen cedò quam ob rem hæc ſimilitudo inepta tibi videatur. Non enim, ais, vt actiones hominum à duabus cauſſis immediatis. Deo & creatura proficiſcuntur, ſic chordarum ſonus à Citharœdo & chordis. At nemo eſt, quod ſciam, qui doceat humanas actiones proficiſci à Deo *immediatè*, quin docent omnes vt citharœdus pulſat, non ſonat vtique, ita Deum non continuò agere quod agunt homines, quanquam eos creat, vt citharœdus diſcordes pulſat fides, neque tamen in cauſa eſt cur cithara non edat iucundum ſonum. Pari, deinde ais, modo claudicat diſtortæ tibiæ à me ſupra allata ſimilitudo. *Eſt enim,* inquis, *ingreſſus, cui adeſt claudicationis vitium à facultate motrice tantùm immediatè, non etiam à voluntate.* Benè habet. Ergo, inquam, ipſo te fatente, quæ cauſa eſt motûs illius qui claudicatio idem eſt, non ſtatim eadem cauſa claudicationis eſt. Non enim qui vis à facultate motrice motum eſſe immediatè, idem voles à facultate motrice eſſe claudicationem. Pari ratione, intelligendi & volendi Deus, ſic agendo vti agit, hominum cauſa eſſe poſsit, etſi malè intelligendi & volendi minimè cauſa ſit. Quemadmodum (vt illud repetam atque inculcem) in inceſſu motrix facultas motûs quidem, at non claudicationis tamen, quæ motui adhæret, cauſa eſt exiſtimanda.

Sic ais porrò, Secundum tuum argumentum erat, *Omne ens à Deo fieri & conseruari, vitiosos animi habitus esse entia, & per consequens à Deo conseruari*, me verò respondere, *Iniuriam fieri si quis iis hoc absurdum affingat, Deum vitia fouere*. Hîc verò tu quereris vsum me metaphorâ *foueri*. Adeo nulla de causa tibi sum suspectus, *fouere* enim & *conseruare* vocis sono plurimum, significatione vel parum vel nihil omnino differunt. At Theologorum nulla apud te mentio. Quos igitur petit disputatio tua? quorsum spectant demonstrationes illæ tuæ? Sed enim non egent illi (si te consulo) nostro alterutrius patrocinio, & in vtroque Thrasonicum nimis foret vel omnes Theologos accusare, vel omnes defendere. Agnosco Rhetoricum Schema. Sed verò (doctissime Rhæde) tibine licebit eos accusare sine vlla arrogantiæ suspicione, mihi quicumque quidem, sed tamen citra Thrasonicam vanitatem, non licebit eos defendere? An à te illud vitæ tuæ & instituti ratio potius exigit, quàm hoc à me postulat officium & conditio mea? Sed pergamus. Ais, me *peccati seu vitij* (quæ tu cum haberes distinctissima ego confuderim scilicet) *formale facere priuationem, quæ à Deo non fit, à quo tamen sit eius materiale, vtpote ens*. Qua in responsione mea tu *modum* primo (sic loqueris) deinde *rem ipsam* reprehendis. At modum quidem, quod peccatum cum vitio confuderim. Atqui apud Theologos, in quæstione *de concursu Dei in malo*, ista nomine diuersa sunt, re eadem; deinde verò, quod adhibuerim distinctionem quæ aut nulli parti argumentationis tuæ, aut soli conclusioni possit applicari. Atqui illa mea distinctio pertinet ad syllogismi tui minorem propositionem, *Vitiosus habitus est ens*, nempe quod ad eius materiale. Vnde illud tantum sequitur, quatenus ens est & habet materiam, eatenus esse à Deo, non autem quatenus vitium est. Sed in te peccaui. Nam si vitij vel vitiosi habitus forma esset priuatio (malui illam dixisse *disconuenientia*) vitium virtuti opponeretur priuatiue. At hoc falsissimum (vt tu disertis verbis posuisti, ne ego negligerem) opponuntur nempe vt qualitates contrariæ. Nimis es vehemens, (mi Rhæde) nam negligentia & ingratitudo contrariis virtutibus, vitia cùm sint, priuatiuè opponuntur. Sunt præterea quidam animi habitus eo solum vitiosi quod iis aliquid desit, vt est ea φιλαυθρωπία quæ est sine vllo Dei respectu. Si quæ verò vitia videntur esse contrariæ qualitates, id verò vel ideò contingit quod ea quæ in iis materiæ rationem habent, inter se contraria sunt, vel quod eorum obiecta & fines diuersi sint. Atqui in hoc genere non ipsa materia, ens scilicet, sed illius ἀταξία quæ vel priuatio est, vel habet rationem priuationis) vitij τὸ formale constituit. Id quod erat vindicandum, sine vlla periclitatione an tu scias argumentari. Quis enim id nesciat cui modo notum sit nomen tuum.

Hæc habui quæ ad aculeatam illam Epistolam tuam responderem, in quibus si fui prolixior, tu, mi Rhæde, fuisti in causa; qui me passim aculeato stylo tuo compungis, haud crediderim animo maleuolo, neque enim ego te læsi vnquam, sed tamen tu id facis, quo consilio tu tibi conscius es, ego non possum statuere. Quod si tibi animus est ad hæc rescribere, adhibeas, vt spero, non tam in scribendo eloquentiam & acumen, quàm moderationem animi, & verò humanitatem, quæ virtutes prioribus illis haud paulò præstantiores sunt. Sic tibi Dominus benedicat.

CLARISSIMO VIRO

IACOBO GALLOVÆO,

APVD SERENISSIMVM, Magn. Brit. Regem supplicum libellorum Magistro.

IOHANNES CAMERO S. P. D.

DVo sunt, Gallouæe doctissime, quæ amicus noster, lectâ posteriori responsione meâ, mihi (vt audio) præcipuè objicit, ἀσυγκρισία & inconstantia. Ac ἀσυγκρισίαν quidem, in eo primum quod negem Theologorum esse dogma, *Omne ens est à Deo tanquam à causa efficiente immediata*; deinde verò etiam, quod eas rationes, quas ille voluit haberi pro demonstrationibus, & quidem suis, dixerim fuisse iampridem iactatas, & protritas in Scholis. Inconstantiam verò, quòd quam prius testatus sum esse Theologorum ferè omnium sententiam, eam nouissimè negarim iis placuisse. Tu specta iam, & arbitrare vt objecta diluam. Proferat authorem vllius nominis qui in ea fuerit opinione. Nam Deum (vt loquuntur) concurrere cum causis secundis, idque immediatè, certè Theologorum (excepto Durando) omnium constans sententia est. At verò qui omnes Ens esse à Deo tanquam à caussa efficiente immediata docuerit, nemo quod sciam sanæ mentis exstitit vnquam. Atqui ista inter se dissitissima sunt. Si enim Deus omnium rerum caussa est efficiens immediata, quis locus concursui reliquus esse potest? Quò caussarum ille ordo ita aptarum, & connexarum, cohærentiamque ita inter se, vt inferiores à superioribus dependeant iuxta situm & posituram quæque suam, vnde omnis Vniuersi ordo & species exurgit & constat. Aliud igitur ergo est quod aiunt, *Deum adesse causis, caussarumque effectiu immediatè*, aliud verò quod negant, *Deum omne ens, tanquam causam immediatam, producere*: illud enim caussam secundam præstruit, hoc omnem caussam tollit præter primam; etiam hanc, siquidem vbi nil secundum est, neque primum quidem esse possit. Illud probant Theologi, hoc respuunt. Neminem autem arbitror in Scholis esse adeò peregrinum, quin agnoscat illas siue rationes, siue demonstrationes, *iactatas esse iam pridem & protritas in Scholis*. Siquis id tamen in dubio ponit, consulat Thomam, consulat Scotum, consulat nouitios Fonsecam, Suaresium. Iam verò non possum diuinare quamobrem in me constantiam requirat. Num ego id agnoui vnquam pro dogmate Theologorum, qui id dogma in priori responsione negaui exsertè illis placere. Nam respondi sanè ad eius argumenta, sed ita vt ostenderem ab eo peccatum περὶ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν, vt genuinam Theologorum sententiam, quatenus & ea ab eo impetita possit videri, in tuto collocarem. Quod ego quo consilio studuerim efficere, tu vnus omnium optimè nosti. Si verò nihil aliud fuissem consecutus, at hic tamen

vberrimus

vberrimus huius disputationis fructus videri debet, quod qui sanctissimum sine controuersia, & doctissimum virum, beatæ memoriæ Caluinum suggillant, eos eò adegi vt eum fateantur neque sensisse, neque locutum esse duriùs quàm ij quorum nomen in Ecclesia Romana summum est. Vale doctissime & humanissime Gallouæe, meque tui & obseruantem & amantem, quod facis, ama.

DE ORDINE DECRETORVM DEI, in negotio salutis humanæ,

IOHAN. CAMERONIS Sententia.

ITA mihi quidem videtur. Duo sunt in Deo genera Proprietatum (loquor autem secundùm nostrum considerandi modum) à quibus totidem actionum genera promanant. Sunt enim proprietates quædam, quarum actiones requirunt non modò obiectum & materiam, in qua se exerant, sed certas etiam qualitates, vt Iustitia & Misericordia. Nam iustitia seu *vindex* seu *remuneratrix*, non simpliciter in persona, sed in persona certo quodam modo affecta occupatur; *Vindex* nempe in peccatore, *Remuneratrix* secundùm Legem in eo qui immunis est à peccato. Misericordia quæ condonat peccata, item requirit in eo qui eam experitur Fidem & Pœnitentiam. Sunt item proprietates quædam Dei, quarum actiones aut nullum requirunt obiectum, aut si vllum requirunt, nullam in eo desiderant & postulant conditionem, vt Potentia & Sapientia Dei, quæ sese prodidit in creatione Mundi, nullum obiectum (nihil enim erat) requirebat, sed constituebat potius: Et in mundi restauratione, etsi proprietates illæ obiectum habeant, (nempe hominem in peccatis mortuum) aut potius actiones ab iis profectæ, puta Vocatio, attamen nullam poscunt in obiecto conditionem, sed faciunt potius, nempe fidem & pœnitentiam. Vnde sequitur, huius generis actiones merè & omni modo liberas esse, quando nullam poscunt conditionem in eo qui earum vim persentiscit. Itaque iis vti potest Deus aut non vti. At prioris generis actiones liberæ quidem sunt, non ita tamen vt Deus iis possit non vti. Potuit scilicet Deus creare mundum, aut non creare, potuit itidem mundum restaurare, aut verò non restaurare. At iustitiâ vti, aut non vti misericordiâ, præstitâ conditione quam requirunt, fieri haud potest vt Deus solutum existimet.

Porrò totidem sunt genera Decretorum, vnum eorum quæ conditionem requirunt, alterum quæ nullam requirunt. Id *conditionatam*, hoc verò *absolutum* licet appellare. A priori illo pendet Iustificatio, vnde & ipsa conditionem requirit, Fidem & Pœnitentiam. A posteriori isto Vocatio, vnde fit vt nullam requirat conditionem. Cæterum Proprietates, Actiones & Decreta secundi generis subseruiunt veluti proprietatibus actionibus & decretis primi generis, præparant enim & constituunt obiectum. Prioris verò generis proprietates actiones & decreta versantur circa objectum iam constitutum & præparatum.

Primum decretum est de restauranda imagine Dei in creatura, saluâ tamen Dei iustitia. Secundum est de mittendo Filio, qui seruet omnes & singulos qui in eum credunt, hoc est, qui eius membra sunt. Tertium est de reddendis hominibus idoneis ad credendum. Quartum de seruandis credentibus. Priora duo Decreta generalia sunt, posteriora duo specialia. Porrò secundùm modum considerandi nostrum, præcipua minus præcipuis, & generalia specialibus priora sunt. Cum igitur restauratio imaginis Dei saluâ iustitiâ præcipua sit, primum obtinebit locum. Et cùm ea duobus modis considerari possit, generaliter sine vlla modi consideratione, vt siquis dicat, *Deus voluit salua iustitia restaurare genus humanum*, rem enunciat, modum verò rei non declarat, vel specialiter, vt siquis dicat, *Deus voluit per Filium suum crucifixum & excitatum à mortuis restaurare genus humanum*, non modò rem significat, sed modum rei: sed quia sic res specialiter designatur, secundo loco in Deo consideranda venit. Tertium verò & vltimum decretum sunt non modò specialia, sed respiciunt etiam indiuidua & singulas personas, non sine ordine tamen. Nam priùs Deus considerat hominem vt credentem quàm consideret vt seruandum; Itaq; in decreto prior est fides quàm salus. Tertium igitur decretum, de reddendis hominibus idoneis ad credendum, præcessit quartum. Atque hæc omnia intelligenda sunt de Deo dicta accommodatè ad infirmitatem ingenij humani.

LECTORI.

CVm Anno Domini M. DC. X. XI. *&* XII. *Camero Burdigalæ ageret, atque illic Ecclesiæ Reformatæ vnà cum Primrosio Pastor esset, intercedebat illi magna cum quodam S. Ministerij tum temporis candidato amicitia & familiaritas, à quo cùm per Epistolam de nonnullis Theologicis quæstionibus interpellaretur, paucas hasce ad eum dedit litteras, quibus ad illius quæstiones & obiectiones satisfaceret. Spero eas tibi non improbatum iri, vt potè quæ viri illius vbique redoleant ingenium & doctrinam.*

IOH. CAMERO, L.C.S. IN D. IESV.

Burdig. Mense Decemb. 1610.

De Christi Satisfactione, an fuerit necessaria, & pro quibus sit ab ipso præstita.

LITERÆ tuæ, mi L. summam mihi voluptatem cum pari molestia attulerunt, nam & gratissimum erat in summo animi tui angore, quem non obscurè significas, vnum me à te delectum, à quo secundùm Deum ægritudinis tuæ leuamen petas, & in re certè maximi momenti angi te & perturbari animo vehementiùs, molestissimum accidit. Non frustrabor igitur (quantum in me situm est) expectationem tuam, nec deero meo desiderio, qui nihil ardentiùs cupio quàm te in pristinæ tranquillitatis statum, vnde te deiectum video, restituere. Dominus Iesus Seruator meus & Redemptor ita me Spiritu suo regat, vt nec ego te docere, neque tu quidpiam à me discere possis, quod vel à nominis sui gloriâ, vel à sacrarum litterarum consensu, vel à piæ conscientiæ sensu, vel ab animæ salute sit alienum. Neque tamen animus est accuratiùs de quæstione à te propositâ, nunc quidem, disputare, nec verò etiam requirunt litteræ tuæ, tantum petunt depulsionem illarum ratiuncularum, quibus illa sententia, quę Deo naturalem tribuit propensionem ad pœnam peccatori, si nulla interuenerit satisfactio, infligendam, videtur labefactari. Eæ autem omnes vel ab authoritate summi Theologi, vel à palinodia viri pij, vel à natura Dei, vel à ratione imputationis iustitiæ Christi, petitæ sunt. Ac priores quidem duæ rationes hactenus me commouent, vt vehementissimè doleam duobus viris (quorum alter magnum in Ecclesia nomen merito suo consecutus est alter in magna pietatis existimatione apud te est) illud probari quod ij, qui vel negant satisfecisse Christum, aut μιμικῶς duntaxat satisfecisse affirmant, caussæ suę fundamentum ponunt. Quod si constitutum sit, non modò illi quod volunt sibi videbuntur assecuti, sed imminui sensum iræ Dei, totumq; illum horrorem quem peccatum conscientiæ singulari lumine Spiritûs perfusæ solet incutere, euanescere paulatim necesse est.

Deum non necessario punire peccatum.

Venio ad posteriores rationes. Aiunt *nihil à Deo amari quia bonum sit, sed ideò bonum esse vnumquodque quia à Deo ametur.* Ergo nec seipsum amabit quia bonus sit, sed ideo bonus existimandus est, quia seipsum amat. Quod si hoc illis absurdum videatur, idem valere in Dei imagine necesse est: Si enim Deus naturali atque immutabili propensione in amorem sui inclinat, consimili prorsus affectu imaginem sui complectetur: si seipsum amat, quia talis est, affectu naturali, & imaginem suam, quia talis est, affectu naturali prosequetur. Sed tu hoc ipse & solidè & acutè demonstrasti. Tantum monendus eras quædam esse in quibus imago Dei elucet quâ Deus est, nulla tamen cernitur in iis similitudo quâ iustus est: Et hæc certè eiusmodi sunt vt à Deo, si personæ sunt, vel probari vel improbari, si actiones vel imperari vel prohiberi nullo discrimine queant. At neque Deus innocentem damnare, neque sontem absoluere, nec amorem sui prohibere, neque odium sui commendare aut imperare hominibus potest. Hoc mordicus tene, nec vllis technis aut sophismatis eripi tibi sinas: in hoc omnes animi tui sensus, defige, si vis habere perspectum quàm horrenda vastitas, ac desolatio, humanum genus, per huius imaginis obliterationem, peruaserit.

ratio 1. Res esse bonas quia Deus eas vult, non contra. Ref.

Deinde, *Deum esse liberum contendunt, licere ei de suo facere quod libet.* Etiam-ne semet ipsum negare? Quid enim tàm est Dei quàm Deus ipse? Etiam-ne nihil commeritum æternis pœnis afficere? At hoc, inquient, ei non libet. Immo verò (inquam) nec potest libère, pugnat enim cum illius natura. Ergo libertas Dei vel à natura, vel à sapientia occulta ipsius dependet, cuius ratio sæpenumerò nos fugit. Hæc cernitur in iis rebus quæ cum natura Diuina non pugnant, vt sunt creare mundum, aut non creare, conseruare aut non conseruare, permittere peccatum aut impedire: harum actionum moderatrix est occulta sapientia, cuius ratio illi constat optimè, cùm à nobis homunculis plerumque ignoretur, nisi quatenus obscuris coniecturis, vt μυωπάζοντες in sole, eam indagamus. Sic quod Deus hominem peccato corruptum facit aut non facit membrum Christi, est arcanæ Sapientiæ, at quod peccatorem extra Christum punit, id verò iustitiæ est, cuius ratio reddi potest; quemadmodum quod Christo insitum absoluit, tum Misericordiæ, tum Justitiæ est, at efficere ut aliquis fit iustitiæ compēsantis obiectum, aut permittere vt non sit, merè voluntarium est. At cùm non sis obiectum iustitiæ compensantis, habere tamen te eodem loco ac si id esses, per naturam non potest, nisi priùs impedimentum tollatur. Vis ostendam exemplo. Obiectum iustitiæ compensantis est iustus, Deus ergo priùs iustum facit quàm compenset, Efficere iustum merè voluntarium est, at iustum compensare non item, pugnat enim cum natura Dei vt iustum non amet, & si amat, omnino compensabit. Sic obiectum iustitiæ punientis est peccator, obstare vel non obstare quo minus quis peccet in Deo est liberum, at peccatorem non punire (nisi tollatur peccatum) Deo libère non potest, non enim mentiri potest Deus; vt in promissionibus sic in minis constans est. Hinc emergit cognitio illius libertatis quæ à Dei natura definitur. Tollere ergo, aut non tollere impedimentum, liberum est, at impedimento nō sublato ea facere quæ fierent illo sublato, id nego perinde liberum esse. Neq; tamē Deum vllis aliis legibus adstringo quàm Naturæ suæ, à qua neq; vult, neque potest discedere. Tu, aut vllus hominum existimet, Deum sententiam damnatoriam reuocare nî tollatur damnationis caussa, aut tolli damnationis caussam posse nisi interuentu satisfactionis? Jam verò illa sententia damnatoria ab æterno decreta est in peccatorem, promulgata Adamo in tempore. Maneat ergo fixa & firma necesse est donec eius caussa tollatur. Potes-ne jam percipere quàm sit friuolum quod dicunt, *Eum qui potest impedimentum per satisfactionem tollere, aut non tollere, posse etiam, manente impedimento, citra vllam satisfactionem, idem præstare quod vt præstaret impedi-*

2. Deo de suo facere licet quod ei libet. Ref.

impedimentum sustulit? Vnum addam priusquàm ad secundum sophisma transeo. Actionum Dei duo sunt genera: Aliæ sunt quarum nulla est caussa extra Deum, in his Dei libertas à Sapientia definitur. Aliæ sunt quarum caussa est extra Deum, in his Dei libertas à Natura Dei definitur: verbi gratiâ *τὸ punire peccatum* caussa est extra Deum, sequitur ergo esse actionem non à mera Dei voluntate, sed à natura ipsius proficiscentem.

3. Deus pro arbitrio imputat cui libet Christi iustitiam. Ref.

Denique falsum est quod aiunt, *imputationem iustitiæ Christi esse merè voluntariam*; neque enim potest per naturam Deus iustitiam Christi ei non imputare pro quo Christus satisfecit. Si ego pecuniam tibi debitam, debitoris nomine tibi persoluam, annon ipso facto facta est imputatio? Quid enim est debitoris nomine pecuniam accipere quàm pecuniam acceptam debitori imputare? Implicant ergo (vt loquuntur) contradictionem ista, *Christus satisfecit pro omnibus, Deus tamen illam satisfactionem non imputat omnibus.* Quomodo ergo Scriptura dicit pro omnibus satisfecisse? Nempe sicut omnibus certantibus præmium propositum est & destinatum, quod tamen nemini confertur nisi ei qui vicerit. Monui te, si benè memini, duplicem esse in Deo misericordiam, vnam *Antecedentem*, à qua donum fidei promanat, de qua Paulus Rom.9. (huius dispensationem liberam esse dico) aliam *consequentem*, quâ fit vt Deus fide donatum iustificet, quæ respectu Christi iustitia est, tametsi respectu nostri misericordia est: hanc negaui esse merè voluntariam in Deo. Siquis ergo propriè loqui velit, dicet Christum pro solis credentibus satisfecisse, ij enim soli membra illius sunt. Sicuti ergo Adam suos tantum peccato infecit, ita Christus peccatum in suis tantum oboleuit: Christi verò membrum non est vllus qui in Christum non credit. Audi quid dicam, Fides te facit Christi membrum, at Fides illa te non seruasset nisi Christus pro te satisfecisset. Sunt igitur actus duo distincti, *insitio in Christum per Fidem*, & *imputatio iustitiæ Christi.* Primum merè voluntarium est, secundum non item. Quid ergo (inquies) non donor fide propter Christi meritum? Sanè vt fias particeps meriti Christi. Mors itaque Christi fidei caussa finalis est propriè. Vnde igitur fides? Nempe vnde factum est vt Deus genus humanum sanguine Christi redimeret, absque quo, aut alia satisfactione, quam animus meus capere non potest, mundo fuisset pereundum, ex mero scilicet Dei beneplacito.

quomodo pro omnib. orandum, omniumque Deus velit salutem.

Quæ diputas ex priore Epist. ad Timot.2.4. sic refello. Quæ preces pro aliorum salute concipiuntur, eæ vel sunt *absolutæ*, vt quum Ecclesiæ iuratos hostes deuouemus, aut Ecclesiam Electosve Deo commendamus; aut sunt *hypotheticæ*, vt quum de huius aut illius cõuersione ad fidem, conseruatione in fide, Deum interpellamus. Sic igitur disputo, quomodo pro singulis est orandum eodem modo singulorum salutẽ vult Deus, At pro singulis est orandum cum conditione, ergo cùm conditione singulorum salutem vult Deus. Nam profectò erras vehementer, si putas te posse cum fide pro singulis orare *absolutè*, cum de singulorum salute non sit vlla in Scripturis promissio, fides autẽ sine promissione nulla est. Quin & si putas Deum sine vlla conditione omnium pariter salutem velle, ineptissimus es, vt nequid dicam grauius. An enim existimas Deum quod *absolutè* vult, aut non velle (quod ἀσύστατον est) aut non posse (quod blasphemum est) efficere? Si vult ergo Deus omnium salutem absolutè, si vult omnes εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν absolutè, omnino hoc effectum dabit. Sed ita se res habet. Ita describit nobis Scriptura Dei amorem *antecedentem*, vt in eo gradus quosdam inesse doceat, quorum primus hic est, quod Christus tum Gentibus tum Judæis (hoc enim Scriptura *omnis creaturæ, omnis carnis, Mundi* nomine intelligit πρὸς ἀντιδιαστολὴν Ecclesiæ Judaicæ, quæ non erat καθολική, sed populum duntaxat Judaïcum complectebatur) datus, sed hac cum conditione si in illum credant. Hic gradus describitur celebri illo loco, *Sic Deus amauit Mundum &c.* Joh.3. Simili loquendi formula quâ dici posset, sic Regem Lutetianos amasse vt petentibus veniam immunitatem concesserit: hìc Lutetianorum nomine omnes Lutetianos intelligo, quanquàm immunitatem nulli Lutetianorum proponi asseuero absolutè, sed cum conditione, si supplices veniam petant. Huius gradûs respectu, Deus dicitur *dedisse Christum pro vitâ Mundi, velle omnium salutem*, quatenus nimirum vocat omnes ad pœnitentiam, alios lege naturæ, hos lege scriptâ, hos Euangelij prædicatione. Ergo Deus qua vocans omnes dicitur velle ad cognitionem veritatis venire, sed quia eos inuitat, sic vult omnes piè viuere quatenus hoc imperat. A secundo gradu *antecedentis* Amoris est quod Deus fidem dat: hoc ostenditur loco non minus celebri, *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum.* Respectu huius posterioris Christus dicitur datus pro Electis tantum, eosque tantum velle seruare. Infinitas (vt ita loquar) Dei facit vt quæ nobis videntur pugnantia, in Deo non pugnent, nos enim homunculi qui, quia quæ Dei sunt capere non possumus, sub earum rerum figura studemus comprehendere quæ nobis cognitæ sunt, ea verò quoniam finita est, particulas tantum Diuinæ naturæ repræsentat, idque obscurè, atque inde illud ἐναντιοφανὲς in Deo. Vt si humani corporis partes duntaxat oculis tuis paterent obscuriùs, omnis illa harmonia tibi videretur ἀνάρμοστος, conscius tamen imbecillitatis oculorum tuorum, apud te statueres ita quidem videri, cæterum non esse.

IOHANNES CAMERO

L.C.S.P. IN CHRISTO IESV.

Burdig. prid. Idus Octob. 611.

Dici non potest (mi L.) quantopere me delectet amor erga me tuus, & eruditio singularis, quorum alterum Ecclesiæ gratulor, alterum mihi gaudeo vehementer. Diatriba tua non modò mihi placuit, sed perplacuit tota! Quàm vellem censores illi tui argumentorum tuorum pondus expendissent, sed profectò ita est, non est qui tantam vim sustineat. Hinc illæ iræ, quas tu non contemnes quidem (quod est Stoici) sed tamen vt Christianum decet feres constanter. Nos in ea tempora incidimus quibus ne in

doctrinæ quidem methodo ἀπὸ τῶν δικαιώματων τῶν ἐγνωσμένων fas eſt diſcedere. Itaque te non minus prudentem quàm candidum eſſe oportet, niſi tibi velis aditum ad ſumma obſtruere. Periit magno meo cum dolore ſemel duntaxat lecta illa Diatriba, digna profectò meliori fato, hinc eſt quod tuarum quæſtionum minùs memini, niſi quod te videtur admodum torſiſſe locus ille Eſaię decantatiſsimus c.5.4. *Quid potui facere vineæ meæ*, &c. Quo loco Dominus populo ſuo ἀνθρωποπαθῶς beneficia ſua exprobrat, quòd eos eduxerit ex Ægypto, quod Legem iis dederit, & in terra Chanaan quietas ſedes, quod eos per Prophetas ſuos ſæpè monuerit, denique ea omnia adhibuerit, quæ ſi illi non fuiſſent ferrei planè, eos commouere potuiſſent. Itaque tantum abeſt vt hic locus pro αὐτεξουσίῳ quidquam faciat, vt contra nullum eſſe exiſtimem in tota Scriptura qui euidentiùs hominum indomitam malitiam oſtendat & traducat. Qui hominum amicitiam ſibi ſtudent conciliare, ij mouent quidem affectus, ſed (quatenus fieri poteſt) beneficiis, precibus, hortationibus, ſignificatione amoris, quibus ſi nihil promouetur, pænes eos eſt culpa qui ſe flecti noluerunt. Certè qui hæc omnia adhibuit & extra culpam eſt, & partibus ſuis ita defunctus eſt, vt nihil omiſiſſe cenſeatur; Deus igitur, hominum more, cum hominibus & agit & loquitur; ſed fruſtrà, niſi mẽtes noſtras ſingulari luce perfundat, quam qui vel omnibus, vel quibuſdam impiis cum piis volunt eſſe communem, næ illi naturam vocationis noſtræ parùm attentè conſideraſſe videntur. Nolim de alienâ conſcientiâ temerè iudicare. Ego certè quoties ſententiam illam ſtudeo probare (nam eſt rationi noſtræ valde plauſibilis) toties horreſco, preſertim quùm Deum cogito, & cæcitatem atque nequitiam natiuam animi humani. Redeo vnde digreſſus ſum. Qui locum Iſaiæ accipiunt aliter, quicquid cauillentur, profectò vel Omnipotentiæ Diuinæ faciunt iniuriam, qui non potuerit populi ſui animum mutare, vel Deum mendacii arguunt exclamantem, *Quid potui facere*? Eſt igitur dictum ἀνθρωποπαθῶς.

Locus Eſa. 5. 4. explicatur.

Obſeruaui nuper figuram in Scripturis vſitatiſsimam, cuius ignoratio doctrinæ de Prædeſtinatione maximas tenebras offudit, ſed illa huic loco non conuenit, eam nouo nomine libuit inſignire, *Antecedens pro conſequente*; vt verbi gratiâ, quoties agitur de delendo nomine noſtro de libro vitæ, non ſignificatur deletio, ſed deletionis conſequens (ſic enim loqui mihi liceat) nempe damnatio. Finge enim apud Deum eſſe librum vitæ, certè ſi inde nomina noſtra eraderet Deus nobis eſſet pereundum, Deus igitur quoties minabitur mortem, pro morte id quod mortem ſecum trahit, mortemque antecedit, intentabit. Sic quum dicit, *ſuper Moab viſcera ſua commota eſſe*, vult ſignificare id quod viſcerum commotionem antecedit, ſummam nempe cladem; hæc alia eſt figura quæ *conſequens pro antecedente* appellatur. Poſſem in ſexcentis Scripturæ locis has figuras oſtendere, qui illis indicatis ſtatim clariſsimi fiunt ex obſcuriſsimis, verùm hoc iudicio & acumini tuo relinquo. Venio ad Eraſtum. Quæ ſit illius ſententia de Excommunicatione planè me fugit, nec mihi viſus eſt illius liber, tantum fando accepi ad illius librum à Beza eſſe reſponſum, de reipſa quid ſentiam accipe. In Eccleſia duo ſunt, Verbum & Sacramenta, illud inſtitutum eſt non modò ad fouendam, verùm etiam ad gignendam fidem. Itaque nemo excludendus eſt ab eorum conſortio qui verbum audiunt, modò velit ſe illis adiungere. Sacramentorum alia eſt ratio, requirunt enim profeſsionem fidei & pœnitentiæ, ſiue illa fiat verbo, ſiue etiam aliis ſignis. Itaque qui negant ſe fidem habere, qui pertinaciter in peccato perſeuerant, atque ita vt ne pœnitere quidem eos peccati profiteantur, iis cenſeo Sacramentorum vſu interdicendum eſſe. Atque hæc vna eſt Excommunicatio legitima, quam ſic definio, *Excommunicatio eſt ſententia peccatori impœnitentiam profitenti vel reipſa, vel etiam verbo, denuntians peccata eius non eſſe remiſſa, proindeque abſtinendum eſſe illi Sacramentorum vſu, quæ ſigilla ſunt Remiſſonis peccatorum.* Vale.

De Excommunicatione.

Propria ſententia.

IOHANNES CAMERO,

L.C.S. IN CHRISTO IESV.

Burdig. Nonis Decemb. 1611.

ERAT animus ad Epiſtolam tuam tàm diligenter ſcriptam pari diligentia reſpondere: Sed inciderunt multa quæ me cogunt neceſsitati potius quæ mihi à te imponitur quàm voluntati meæ ſatisfacere. Itaque breuiter agam, nec obſcurè tamen, tecum enim mihi res eſt, cui mei ſenſus omnes ita ſunt perſpecti, vt vel ex nutu meo facilè poſsis diuinare quid velim. Ad rem igitur vt veniam, de fide tibi aſſentior, & fuit ſemper eadem mihi mens, tametſi paulò aliter rem explicabã. Sol iſte qui lucet omnibus, dormienti aut ſponte oculos claudenti certè non lucet, nullo tamen ſolis vitio id accidit, ſed illius qui ſolis beneficio non vtitur: Ita Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ſed eos demum illa mors facit beatos qui vera fide eam complectuntur. A Chriſto enim ſatisfactio exigi non potuit nî Deus eum conſideraſſet vt eorum caput pro quibus ſatisfecit, fructus ergo ſatisfactionis ad eos ſolos potuit redire qui membra forent huius capitis; Ii autem ſunt ſoli Fideles; credo igitur Chriſtum pro me ſatisfeciſſe, quia verè ſatisfecit, ſed ſatisfactionẽ illam ideò noui mihi eſſe ſalutiferam, quia mihi fidei meæ ſum conſcius. Neque tamen fructum ſatisfactionis ab ipſa ſatisfactione diuello, Chriſtus enim pro te ſatisfecit, ſed eâ lege ſi tu id factum credas, vt ſi captiuum redimerem pretio numerato; ita tamen vt nî ille ſe redemptum agnoſcat meo beneficio, habeatur pro non redempto.

Quomodo Chriſtus pro omnibus ſit mortuus.

Quod ad afflictiones attinet, ſic ſentio. Pœna omnis vel ab odio, vel ab amore proficiſcitur, illa ad exitium, hæc ad ſalutem comparata eſt; illa à Judice, hæc à Patre proficiſcitur. Chriſtus morte ſuâ ſatisfecit Judici, atque ita Deum ex Judice Patrem nobis effecit, pœnas ergo paternas nõ ſuſtulit morte ſua, ſed ſeueras illas & rigidas quas Judex erat irrogaturus. Itaque meo iudicio, nihil opus videtur in hoc argumento meminiſſe totius & partis; Nam hæ voces, præterquàm quod inuiſæ ſunt, non carent periculo, ſed pœnarum genera confuſa, cogitatione diſtinguenda ſunt.

Afflictiones fideliũ non ſunt ſatisfactoriæ.

Non

Nulla vis in Deo est resistibilis.

Non me latebant nugæ sophisticæ de potentia resistibili & irresistibili. O miseram caussam quæ causidicum huc compellit. Sed ego nullam in Deo potentiam resistibilem agnosco, nihil enim conatur quod non possit, aut si id non potest, siue quia est ἀσύστατον, siue quia est ἄδικον, non id molitur etiam. An dicent esse Deo ἁπλῶς ἀδύνατον auferre cor lapideum, dare cor carneum, ita inducere hominum animos in sui amorem vt non possit ab iis non amari? Hæc est noua Theologia, & quam ausim cum quouis Socinianismo contendere.

Simile de theriaca refutatum.

Quæ illorum verbis de theriaca attulisti, sunt (vt ne quid dicam grauius) ineptissima: theriaca enim omnem morbum sanat cui sanando idoneas habet vires, nec vllum alium morbum potest sanare. Itaque quicumque morbus theriacâ non est curatus, is profectò theriacâ non potuit curari. Esto igitur Spiritus Christi theriaca, omnem sanabit animi morbum cui sanãdo idoneus est, nullus autem animi morbus tantus est quem hæc cœlestis medicina non possit depellere; quid superest igitur nisi vt omnem morbum adhibita depellat. Quod si vis morbi tanta fuit vt medicinam superauerit, fuerit alias potens, fuerit valida medicina, in morbo à quo victa est neque potens fuit, neque valida. Et certè omne pharmacum dicitur habere vires, sed in id solum in quod agit, non in id in quod non agit. Si Gratia ergo sufficiens est, (vt isti loquuntur) aut similis pharmaco non est, aut sufficiens est in eo duntaxat in quo efficax est remedia enim, quæ malis quibus curandis adhibita sunt infirmiora fuerunt, sufficientia, cùm non fuerint efficacia, nemo dixerit sanus. Profectò si cor nostrum non esset peruersum, & supra quàm cogitari potest peruicax, fateor vel minimam scintillam gratiæ Diuinæ posse in eo magnam flammam accendere. Sed hoc non quæritur, quæ gratia sit sufficiens animo pio & bono, sed quæ sufficiat impio, vt ex impio pius euadat. Sic puluis sulphureus etiam ex scintilla flammam concipit, & αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος, at ligna virentia vix ac ne vix quidem in incendio ignescunt.

Quid igitur? Deus mentitur (sic isti τραγῳδοῦσι) quùm dicit, *quid potui facere vineæ meæ?* Minimè, Deus enim personam hominis eo loco induit, quasi sic ageret, Ego nihil eorum omisi quibus humanum ingenium (modò præfractum non sit) commoueri possit; vult enim Deus Judæorum pertinaciam exagitare. Vide quæ ad te scripsi in hanc sententiam. Memini mihi sæpius ab hoc hominum genere (quorum ingenia & mores ego non damno, sed doleo deesse illis verum illum sensum & gustum Christi) exemplum Solis obiectum esse. Quid? inquiebant, lux Solis non tibi videtur sufficere? Cuinam, inquam, rei? an vt cæcus lucem illam aspiciat? Nihil mentior, obmutescebant. Absurdum dogma & impium nulla ratione magis traducitur quàm si ad se cohonestandum, aduocet similitudinem aut exemplum.

Simile Solis refellitur.

Intellectum sequitur voluntas.

Quæ de prouidentia Dei, & voluntatis humanæ natura attigisti, mihi placent mirificè, & huius prodigiosæ doctrinæ fundamenta penitus conuellunt, sed quod negas placere Philosophis τὴν ἀδιαφορίαν voluntatis qui illius scilicet τὸ ἰσόῤῥοπον εἰς ἑκάτερον ἔτι ἔχειν tueantur, tibi nõ assentior: Sophistarũ hoc dogma est, & eorum qui ab iis se decipi sustinuerunt, ἀλλ' οὐ τῶν οὕτως ἐχόντων, τῶν ἀληθῶς φιλοσοφούντων μηδεὶς μηδέποτε, εἰ μὴ τῆς μνήμης πάνυ διαμαρτάνω, ὁ ἰσχυρίσατ' ἄν, τῷ ἐνδόξως σκοπεῖ, τὸ τέλους πᾶς τις οὕτως ἐφίεται, ὥστε καὶ τῷ τέλει προσαπιστεῖν δύναται, οὐκ ἄρα οὐδὲ καὶ τῶν πρὸς τὸ τέλος, ἢ ἐναντία: ἀδύνατον γὰρ τὸν ἐφιέμενον τοῦ τέλους διαχωρίσαντα τὰ πρὸς τὸ τέλος συντείνοντα, μὴ καὶ τούτων αὐτῶν ἐφίεσθαι ὡσαύτως τοῦ τέλους τι ἕνεκα. Itaque planè tecum sentio, τὸ ἀδιάφορον voluntatis nostræ, nisi in iis quæ pariter bona aut pariter mala esse iudicantur, merum esse figmentum in quo tamen illi causæ suæ firmamentum ponunt. De Socinianismo quæ narras, etsi mihi non fuerunt ignota, tamen reuocarunt dolorem meum. Est illa hæresis quidem prodigiosa, sed pauci admodum sunt qui eius fundamenta labefactent, quod nisi fiat, parum fit.

IOH. CAMERO L. C. S.
A DOMINO IESV
Burdig. 16. Maij 1612.

Quomodo Christus pro omnibus hominibus satisfecerit.

1. PIetas tua, mi L. & eruditio apud me tantum valent, vt quod litteræ meæ vel tibi non probantur, vel à te minùs capiuntur, totum hoc partim infantiæ, partim etiam negligentiæ meæ adscribam: Nam & scribendo tædium me facit negligentiorem, & orationis inopia, si quãdo animum intendo, cogit esse obscurum. Id quod ingenuè agnosco, & mihi in argumento tam diuino accidisse vehementer doleo, præsertim quum cogito quàm grauiter id offendere potuerit animum tuum. Quid superest igitur nisi vt quantum in me situm est, tibi satisfaciam, vt offensam illam omnem (si qua est) studeam delere. Quod si à Domino impetraro, amplissimum laboris mei fructum videbor consecutus, nihil enim mihi carius esse potest amore erga me, & iudicio de me tuo. Sed rem ipsam aggrediar.

2. Tibi non probatur quod scripsi, *Christum pro omnibus esse mortuum.* At hæc Spiritus sancti vox est, hæc est totius Ecclesiæ confessio, *Sic Deus* (inquit Dominus) *mundum dilexit, vt dederit filium vnigenitum vt quicunque*, nostri cætera. Tu istis verbis hunc sensum affingis *sic Deus dilexit credentes.* Vbi est acumen tuum? Donum hîc commune proponitur, efficacia doni adiecta fidei conditione ad paucos restringitur. Non est hoc obuium? non hoc vides? Ecclesia verò Christum non alio magis quam *Saluatoris mundi* titulo condecorat. Nec sanè Theologi repugnant, tantùm distinctiunculâ, rem (quia nimis dura videbatur) emolliunt, docent enim Christum pro omnibus *sufficienter*, pro fidelibus duntaxat *efficaciter* esse mortuum: quod nec ego dissimulaui, scripsi enim illos demum illius mortis fructum percipere, qui in illa vnicaque salutis suæ causa vera fide conquiescunt. Hactenus vt puto tibi satisfeci.

3. Sed durum tibi & hæresi Lutheranæ proximum videtur si quis dicat, *mundi Saluatorem perinde pro Iuda proditore atque Petro mortuum*: At ego hoc neque dixi, neque scripsi, sed nec cogitaui

vnquam, quod meminerim. Nam pro impiis Christum esse mortuum, & verò eos redemisse ipsa docet Scriptura, 2. Pet. 2. 1. & nequis cauillationi locus sit, ipsum iis exprobrat ad eos summi sceleris reuincendos, quod tantum beneficium, tanti beneficij authorem vltrò aspernati sint. Cæterùm quod tu de tuo assuisti, *perinde pro impiis atque piis Christum esse mortuum*, neque Spiritus Sanctus vnquam docuit, nec ego (qui me Spiritûs discipulum profiteor) vnquam asserui, nec assertum à me volo.

4. Quæris deinde (libet enim per tua te sequi vestigia) *Quo pacto fieri poßit vt satisfactionis fructus ab ipsa satisfactione non diuellatur, si Christus etiam pro iis satisfecit qui nullum tanti beneficij fructum perceperunt?* Illud nempe est quod dixi, pro nemine Christum ἁπλῶς satisfecisse, verùm hac lege addita, vt qui naturâ sumus e mundo, mundo exempti verâ fide Christo inseramur. Sic ad Petrum in peccatis mortuum non magis pertinet Christi mors quàm ad alium quemuis. At postquàm Petro datum est credere, est discrimen sanè magnum. Solis similitudo quam adhibui, tùm demùm huic rei conuenit, si statuatur Christus ipse (Sol iustitiæ) similis soli, illius satisfactio luci solis quę vsquequaq; diffunditur, satisfactionis fructus vtilitati & voluptati quam lux illa secum affert, sensui autem oculorum fides nostra compararetur. Finge iam animo solem sensu & ratione præditum, qui omnibus luceat, an qui occludit sponte oculos caussabitur, ideo se in tenebris versari quod sol ipsi non illuxerit? aut qui oculos aperuit, quia tum primùm aspexit solem, idcirco etiam tum primùm Solem sibi esse exortum existimabit? audiam tamen libenter prædicantem tum demùm solem sibi illuxisse quum ille eâ luce vti frui cœpit. Profectò solis piis de satisfactione Christi gloriari licet, non quod omnino Christus pro cæteris non satisfecerit, sed quod illi sunt ad quos præcipuus illius satisfactionis fructus & efficacia peruenit. Tu hoc exemplum solis, animo quidem minimè malo, sed tamen aliorsum detorsisti, quod secius accepissem nisi mihi nota esset integritas animi tui. Sed pergam.

5. Etsi autem impij eximium & vnicum Christi mortis beneficium, vitam æternam, minimè percipiant (quis enim hoc dixerit vel ioco nisi ἄπορ, vel seriò nisi amens) negari tamen non potest non esse illud singulare, *neminem à Lege damnari posse nisi idem incredulus sit*; Id ad omnes communiter pertinet, & morti Christi acceptum ferendum est, qui Legis maledictione hactenus omnes liberauit, vt nemo in illam incurrat nisi qui Christum pro se mortuum esse non crediderit. Ideoque Apostoli verè, & seriò, & grauiter in illorum improbitatem inuehuntur qui tantam salutem negligunt, eos æternis addicunt pœnis, vel hoc vnico præcipuè nomine, *quod sanguinem fœderis conculcarunt, quo fuerant sanctificati*, Heb. 10. 29. Quod *Dominum abnegarint qui eos redemerit* 2. Pet. 2. 1. Quod *Deum mendacij accusarint*, 1. Johan. 5. 10. quod *Dominum sibi denuò crucifigant*. Heb. 6. 6. Sed dicuntur ista ex iudicio charitatis, ô Carneadeum acumen! Apostoli inuehuntur in capitales Christi hostes, pertinaces Euangelij contemptores, & loquuntur ex iudicio charitatis? exagitant illorum ingratitudinem & incredulitatem, & iudicant esse pios, fideles? nam pro solis piis & fidelibus (si istis creditur) Christus est mortuus. An est vt hinc possint elabi? Aut Apostoli statuerunt ex iudicio charitatis Christum esse mortuum pro Apostatis, iidemque (quod consequens est) statuerunt Apostatas esse membra corporis Christi, verâ fide Christo capiti insita (saltem ex iudicio charitatis) & temerè fecerunt qui quos iudicarunt esse credentes, iis mortem æternam absque vllâ remissionis spe denuntiarunt. Aut Apostoli nouerant certò, quod res est, obstinatos Christi contemptores non credere, nunquàm crediturос, imò ob eam caussam perituros, & iniquissimè faciunt, qui beneficium, quod in illos nunquam collatum sit, exprobrent.

6. Rectiùs faciunt qui Christum pro impiis *sufficienter* (vt loquuntur) satisfecisse docent (quæ mea sententia est) *efficaciter* autem pro solis piis: quamquàm *sufficientiæ* vocabulum mihi amplius quiddam videtur in hoc argumento significare quàm nonnulli arbitrantur. Nam & Regis Magnæ Britanniæ gaza mihi ditando sufficit, etiamsi tamen eam esse crediderо Regis liberalitatem, vt nisi ego illam aspernet totam illam Gazam meam esse velit, non tamen (opinor) erit mea. Vidésne, mî L. quò spectem. Si loquor obscurè, da veniam minus diserto, & (quod non solent quibus cum balbutientibus res est) ne syllabas captes, sed ipse mecum intende animum, & connitere vt assequaris quid velim. Meministi in Euangelio instructum conuiuium, id conuiuium ego arbitror esse Christum crucifixum, ad id conuiuium multi fuerunt inuitati quorum nemo accessit. Negabis in eorum gratiam conuiuium fuisse instructum.

7. Sed ais, in omni satisfactione tria tantùm requiri, 1. vt numeretur summa quæ contractum æs exæquet, 2. vt numeretur creditori, 3. vt numeretur eius nomine qui eam debebat. Id quidem verum est, quotiens debitor creditorve non id præcipuè spectat in satisfactione, vt cuius nomine satisfactum est, is beneficium agnoscat. Cæterùm quando præcipuus satisfactionis finis hic est, vt Debitor agnitâ Sponsoris munificentiâ in illius amorem rapiatur, aio debitum quidem solutum esse debitoris nomine, sed solutionem tum demum ratam fore quum Debitor beneficium agnouerit, quam ad rem facit maximè quod de captiuis adduxi, idque velim diligentiùs recognoscas. Captiuos redemit quidam nihil minus cogitantes, pretium numerauit, addidit hanc legem, si eorum quispiam libertatem libertatisve authorem aspernatus fuerit pertinaciter, animo obfirmato, eodem loco esto ac si λύτρον pro eo non foret persolutum. Finge iam animo tibi rem esse cum aliquo ex hoc genere perditorum hominum qui libertatem respuerit, vindicem conspuerit, non exprobrabis Redemptionis beneficium? Quod si cauilletur, se minimè redemptum qui carcere & compedibus detineatur, non respondebis id proficisci non ex eo quod non fuerit redemptus, sed quod redemptionem cum Redemptore superbè contemnat? Ouum ouo similius non est quàm hoc exemplum rei de qua agitur. Mortales omnes naturâ sunt captiui, Christus λύτρον pro omnibus soluit, lex adita est, vt ea solutio iis demùm prosit qui in Christum credunt;

credunt; Plerique omnes non credunt, hærent in cœno vitiorum, postmodum in Tartarum præcipitandi, idque ob id præcipuè quod Redemptorem contempserint. Cauillantur ista pugnare, vt quos æterna manent supplicia ij fuerint redempti.

8. Sed age, Hortandus tibi sit aliquis ad fidem, an sic ages, *Crede & Christus erit pro te mortuus*: an verò sic potius, *Etiam pro te Christus est mortuus, tu quidem Dei beneficiis destitutus fide sine Deo, cæterum dilectio Dei tanta fuit erga te vt Filium dederit pro te, id factum crede & viues.* Expende fœderis concepta verba *Crede Christum esse pro te mortuum, & Viues*: Videsne mortem Christi promissione non contineri, sed mortis efficaciam, vt sit hæc sententia, Jesus Christus est pro te mortuus, sed nisi credideris nihil inde ad te redibit, immò accedet cumulus sceleri tuo, 2. Crede igitur. 3. & viues. Sic ruit quicquid verbis Fœderis superstruxisti. Non ignoro Christum apud Patrem pro solis credentibus intercedere, verùm id pertinet ad efficaciam mortis Christi, quam ego propriam fidelium esse libenter agnosco, est enim fides quæ mortem Christi reddit efficacem, non vllâ quæ ei insit dignitate aut meritò, sed quia Deus voluit nos inseri per eam Christo capiti

9. Quærunt, *vnde sit quod Christus non offertur omnibus, siquidem pro omnibus mortuus est.* At ego vicissim quæro, cur non offertur solis credituris, siquidem pro iis solis est mortuus? Hoc est verè εἰς ἄλλο γένος μεταβαίνειν. Nos agimus de patefacta Dei voluntate in Euangelio, illi confugiunt ad æternum Dei consilium. Aliquid dicerent nisi hominum culpâ id accideret quod Euangelium non prædicatur, tametsi hominum dignitate non fiat quod aliquando, quod alicubi prædicatur. Non minus profectò Dominus commendauit Euangelij prædicationem quàm erogationem Eleemosynæ, & reliqua pietatis officia. Quid, quod Adamo, Noacho, parentibus humani generis, verbum illud vitæ commisit, quod si à posteris neglectum est posteri id viderint.

10. Multa mihi occurrunt quæ nec animus, nec temporis ratio, chartæ committi patitur, tùm etiam tibi consulendum est. Non sunt enim puto litteræ meæ eodem loco apud te quo fuerunt apud Ciceronem orationes Demosthenis: itaque finem disputandi hîc faciam, quæ enim sequuntur aperta sunt. Quæris quid mihi sit *Exigere satisfactionem à Christo.* Non video cur hoc quæras, verba enim sunt clarissima: A Christo non potuit Deus per Justitiam (quæ in illo summa est) pœnam peccati exigere, erat enim ab omni labe peccati purissimus, sed postquàm ille se Vadem nostrum coram Patre stitisset, aio Patrem id potuisse. Erat clementiæ quod Deus Filium suum constituit sponsorem nostrum, quod sponte Filius illam personam suscepit, sed postquàm ille sponsor constitutus est, erat Iustitiæ ab illo pœnam nobis debitam reposcere. Id mihi est *Exigere satisfactionem.*

11. Non possum satis mirari quæ te ratio cogere posSit, Pontificiis hoc concedere, Nos partialiter ἐκ μέρους (sic enim scripsisti) Deo satisfacere, nos, inquam, qui credimus. Sentis tu quidem piè, sed hic loquendi modus mihi non probatur. Castigatio filiorum Dei neque est ex lege, neque ex iustitia: Nam Legis maledictio prorsus abolita est, & pij in afflictionibus Deum intuentur non vt Iudicem, sed vt Patrem; non sedet in throno Iustitiæ quoties nobiscum agit, neque enim nobis irascitur vt Iudex, sed vt Pater. Falleris si putas iustitiam punientem (vt loquuntur) aliud esse in Deo quàm odium iustissimum in peccatorem, quod Hebræi non צדקה, sed קנאה vocabulo designant, nam צדקה אמת חסד ישועה eodem ferè ab iis referuntur. Sed pœnæ certè sunt, inquis, quis negat? & quidem pœnæ peccati, quid tùm postea? sunt igitur à lege quæ gignit iram. At pij non sunt sub Lege. Vnde igitur proficiscuntur? Ab Euangelio. Vide huius veritatis vmbram & figuram apertam illam certè & illustrem 2. Sam. 7. 14. ad quam haud dubiè allusit Apostolus 1. Cor. 10. Collatio vtriusque loci rem facit euidentem. Sic sentis, obsecro te, velis sic etiam loqui.

12. Sophisticem blasphemam Pelagianorum ego pernoui & contemno, Dei gratiâ, idque puto me tibi significasse. Socini horrenda deliria refelli solâ Scripturæ authoritate, & animi pij sensu, facilè possunt. Sed nihil opus est Scripturâ, sola ratio adhibenda est. Mundum etiam negat ex nihilo creatum. Sed iste Socinus Vorstio multò versutior, nullo quod sciam edito libro prodidit, tradidit tamen discipulis suis, vt à quodam ex illo grege accepi. Et certè non potuit aliter Dogma suum de finitate (vt ita loquar) essentiæ Diuinæ tueri, quàm si negaret eum esse infinitę potentiæ, cui rei quoniam videbatur obstare quod Scriptura docet, quod ratio suadet, *Mundum ex nihilo conditum*, id negare visum est scelératissimo nebulonum omnium qui sunt, aut fuerunt, aut erunt vnquam: quod te scire volui, ne Vorstius tibi tam exsecrandi Dogmatis author esse videatur. Iam qui de Deo sic sentit, quid consentaneum est eum sentire de Christo? Impudentissimi homines, qui blasphemias suas audeant sacræ Scripturæ authoritate tueri, modestiùs fecissent si Mahometis exemplo nouum Alcoranum procudissent, & ille Socinus in Faustus, vel Lælius potius eius patruus, se quartum Prophetam cœlo demissum fuisset professus. Cætera coram, si dederis Dominus.

LECTORI.

Qum Camero A.Dn. M. DC. VIII. *sacro Verbi Dei Ministerio inaugurandus Examini de more subjiceretur, datus est illi ab Examinatoribus pro argumento Concionis (quam Propositionem vocant) gallicæ, coram Ecclesia Burdigalensi, cui Pastor dabatur, habendæ, locus qui est* Rom. 8.15. Non enim accepistis spiritum seruitutis &c. *Quem cum totum vnâ concione explicare non potuisset, tribus aliis sequentibus (quas, ex disciplinæ Ecclesiasticæ præscripto, post examen ante χειροθεσίαν habuit) locum illum absoluit explicare. Harum quatuor Concionum gallicarum cum duæ posteriores alicuius furto, & mala fide, surreptæ authori essent, duæ priores quæ bono fato furaces illas manus effugerant, postea ab amico quodam latinæ factæ nunc tibi hîc, benigne lector, exhibentur: iis gratus fruere, illi minus æquus qui reliquas duas fraude abstulit & publico inuidit. Quin & magna pars Proæmij prioris concionis desideratur, quod cùm æquo prolixius esset, magna sui parte certo consilio non tam truncatum, quàm contractum fuit.*

IOHANNIS CAMERONIS CONCIONES DVÆ IN locum illum qui est Rom. 8. vers. 15.

Non enim accepistis spiritum seruitutis, rursus ad metum.

CONCIO PRIMA.

Scopus Apostoli.

Hoc vnum fermè sibi proponit totâ hac Epistolâ Paulus, vt animam Dei iudicium extimescentem erigat, animumque illis addat qui contra carnis suæ corruptionem luctantur. Potissimùm hoc in capite in id incumbit, vbi inter cætera quæ adfert argumenta, hoc est quasi palmarium, *Nos videlicet esse Dei Filios*, atque istud plusquàm Achillæo euincit argumento, ducto à Spiritûs quem accepimus naturâ, *Non accepistis spiritum seruitutis, &c.* Hic porrò quatuor nobis veniunt excutienda atque ventilanda. Primum, quinam illi sint qui Spiritum seruitutis non acceperunt. Secundum, quis sit ille seruitutis spiritus. Tertium quænam sint eius effecta. Quartum, quando cœperit, quando etiam desierit dari spiritus ille seruitutis.

diuisio textus in quatuor membra.

1. Quinam Spiritum seruitutis non acceperint.

Ad primum autem quod attinet. Non hîc Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Doctores compellat Apostolus, non huius sæculi proceres, sed Dei Ecclesiam tùm temporis Romæ agentem, atque in eâ vniuersam Ecclesiam per totum terrarum orbem sparsam, singulaque eius membra, cuiuscumque tandem sint vel gradus, vel dignitatis, siue ij Judæi, siue Græci, siue Barbari, Docti vel ignari, serui vel liberi fuerint, eorum omnium peculiare est hoc eximium priuilegium, vt nempe à Spiritu seruitutis eximantur: immo & in nobis omnibus (quibus in hac mundi senectâ, inter tot tantasque perturbationis rerum omnium procellas, Deus benignè hanc largitus est gratiam, vt filij sui Euangelium nobis sit prædicatum, si verâ fide sumus illud amplexi, si nosmetipsos ei morigeros præstitimus) cessare fecit Spiritus illius vsum atque officium, nosque in libertatem filiorum suorum liberali manu asseruit. Quare vnusquisque nostrûm ita apud se reputet, se his verbis cōpellari, si modò ipse sibi sit conscius Euangelij prędicationē non fuisse apud se inanem quendā verborum strepitum, qui corporis aures duntaxat percusserit, sed fuisse diuinam vocem in corde suo grauiter sonantem, & conscientiæ suæ fundamenta validè quatientem. At si cuipiam Euangelij prædicatio fuit duntaxat instar suauis cuiusdam & amatoriæ cantilenæ, quæ aurem gratâ quadam prurigine molliter scalpserit, & cor eius leuiculo & euanido gaudio pupugerit, atque titillauerit, ipse interim ad clangorem spiritualis illius tubæ, atque classici, veternum non excusserit, nec à lethargo vitiorum suorum excitatus fuerit, ad ineundam cruentam, duram, periculosamque aduersus carnem, mundum, atque Satanam pugnam, si, inquam, maneat cor eius obduratum, conscientia alto torpore obruta atque sepulta, mentis oculi occæcati, ipse autem mortis & peccati vinculis stertat irretitus, illum necesse est priuari hac singulari consolatione, non est ipsi in eâ pars, aut sors vlla.

fideles nēpe omnes à spiritu regeniti.

non autem Euangelij auditores obliuiosi.

2. quis sit Spiritus seruitutis.

Ad secundum iam delapsi sumus caput. Quisnam nimirum sit ille Spiritus, à quo Apostolus fideles pronuntiat liberos atque exemptos, *is Spiritus est seruitutis.* Facilius autem nobis erit assequi cuiusmodi sit ille seruitus, si prius teneamus quot spiritualis seruitutis species in Scriptura occurrant. Tres autem potissimùm sunt illius species, seruitus nimirum *Peccati*, *Legis*, *Gratiæ*. Harum alicui necesse est omnem hominem subjici. Seruituti *Peccati* subiecti sunt illi qui prauæ obsequentes propensioni naturali, excussis rationis habenis, toto impetu ad implenda carnis corruptæ desideria proni feruntur, ruuntque præcipites. Statum conscientiæ illorum hominum Scriptura appositissimo simili, *cordis* nimirum *lapidei* appellatione, expressit. Nam vt in rerum naturâ, lapide nihil est durius, nihil omni sensu vacuum magis aut expers, ita nihil est in malo magis obfirma-

Seruitutis spiritualis species tres.

1. Peccati in non regenitis.

obfirmatum,nihil ab omni bono magis alienum conscientiâ illâ quam captiuam tenet Satan; Persuadet illa homini eum esse felicissimum, cum tamen vas sit omni miseriarum genere refertissimum,persuadet ei eum esse liberum, cùm tamen peccati & mortis vile sit mancipium,immo verò cum putridum ac putidum sit sterquilinium, atque vitiorum omnis generis cloaca fœtidissima, & immundorum spirituum lustrum atque stabulum. Is quum à Deo benignitate allicitur, eâ ad carnis licentiam abutitur, quùm autem seueritate coercetur,vel aduersus stimulum calcitrat, vel duram atque præfractam ceruicem per contemptum & ludibrium iactat.Seruitus illa eo luctuosior atque miserior est quo occultior, quoque minus ab eo agnoscitur qui eâ tenetur illigatus. Non enim incusso terrore, sed affectu & desiderio,nos ea sibi subjicit,nullâ vi cogit aut torquet voluntatem nostram,sed gratâ quadam suauitate eam pellicit. Voluntaria prorsus est hæc seruitus,non absimilis Diaboli seruituti,qui non potest non peccare, spontaneo tamen motu peccat.Spiritus autem ille, qui primus in nobis fuit huius seruitutis author, non eam in nobis fouet imposito in ceruices nostras Legis vllius iugo, quæ à nobis rigidè per vim extorqueat ea quæ ipsa nobis præcipit, sed in nobis inuenit spontaneam illam propensionem, peccatum nimirum originis, quo sponte ad malum propendemus, quæ propensio idcirco à Paulo vocatur *lex membrorum, lex peccati*,quòd videlicet in nobis gignat peccatum, & per peccatum mortem. Quare hîc videre est *Spiritum* aliquem, sed illum qui efficaciter in cordibus incredulorum & contumaciam operatur: *Legem* etiam videre licet,at quæ nobis non est data aut imposita,sed quæ in nobis hæret atque inuenitur: *Seruitutem* etiam, at non coactam, sed eiusmodi vt qui ei subiacet nolit ab ea liberari.*Fructus* autem huius seruitutis sunt *Peccatum* & *Mors*.Non huiusmodi intelligit hoc in loco seruitutem Apostolus. De ea sub finem capitis sexti disseruit Paulus ꝟ.15. *Sicuti stitistis membra vestra vt seruirent impuritati*,&c.

(que voluntaria est plane, non coacta.)

2. (Gratiæ in regenitis.) Huic ex aduerso opponitur seruitus *Gratiæ*, quæ cum superiore illa hac saltem in parte congruit, quod est voluntaria, cæterùm ipsi tàm aduersa atque repugnans quàm Christus τῷ Belial, quàm lux tenebris. Est & illi seruituti sunt *Spiritus*,sua *Lex*,sunt & sua *Opera*, sui *Fructus*,quasi grata & iucunda quædam laboris sui merces, sed contrario planè modo atque ratione quàm in priore illa seruitute. Nã qui eam gignit spiritus, nec immundus est,nec huius mundi spiritus,sed est sanctificationis vitæ, Dei viui,Dominique Jesu spiritus,quem mundus non nouit, nec ab vllo cognosci potest nisi ab eo quem sanctificauit Spiritus ille.Hic est ille Spiritus qui mentem innouat, voluntatem refingit, cohibet, vel extinguit, (succisis saltem neruis elumbat) cupiditates carnales,odiumque peccati ingenerat.Hic est ille Spiritus quem Dauid obnixè postulat à se non auferri,qui vitæ nostrę vita est,& animæ nostræ veluti anima.*Lex* ipsius,est ipsa Dei viui Lex, Dei digito non in tabulis lapideis, sed in cordis tabulis carneis insculta, vt illa nobis non sit *littera* quædam *mortua*, quæ nos occidat, sed viuus Spiritus qui nos viuificet:vnde etiam à Paulo capitis huius initio *Lex spiritus vitæ* dicitur, quæ *liberat nos à Lege peccati & mortis*. Optatissimæ huius seruitutis *Opera* sunt Fides, Charitas, Justitia, Mansuetudo, Benignitas, Temperantia, & reliquæ Christianæ virtutes omne. *Fructus* eius sunt lętitia spiritualis,gaudium ineffabile,ac plenissima de vita æterna persuasio,quæ nobis sanguine immaculati Agni parta est,*vt ei absque timore seruiamus in iustitia & veritate, omnibus diebus vitæ nostræ*. Luc.1.74.Ad hanc seruitutem hortatur nos Paulus Rom.6.20.vbi eam opponit seruituti peccati, *Quum serui essetis peccati, liberi eratis quoad iustitiam,nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, fructum habetis vestrum in sanctificatione.* Hinc promptum esset euertere quicquid profligata hominis audacia,proiectaque temeritas, de viribus liberi sui arbitrij somniauit, in hoc certè duntaxat liberi, quod Dei nimirum iustitiæ non se subiicit, nec patitur se subiici, nec potest esse illi subiectum, Rom.8.7. Satis nobis iam sit monuisse, Apostolum hoc in loco de hac non loqui seruitute.

(seruitutis huius — Spiritus. — Lex. — Opera. — Fructus. — optanda est hæc seruitus.)

3. (seruitus, Legis.) Sequitur tèrtia seruitutis species, quæ vtriusque naturam participare & aliquatenus referre videtur, eam diximus esse *Legis* seruitutem. Vt autem certò sciamus quâ in re potissimum sita sit seruitutis illius vis, notandum est Diuinæ legis duplicem esse quasi χέσιν seu respectum, prior quatenus illa auribus nostris insonat, quum vero ac genuino dilectionis erga nos Dei (certissimè spondentis se futurum nobis benignum patrem) sensu expertes adhuc sumus: posterior, quatenus lex illa nobis prædicatur quum iam actu persentiscimus in corde nostro à Deo condonata nobis esse omnia peccata nostra, nosque Deo Patri per Christi sanguinem esse reconciliatos.Priore respectu vel nullus est in nobis Legis effectus, vel siquis est eius vsus, hoc vnum præstat lex, cohibet nimirum coactè hominem externum, ne malitia ipsius foras prorumpat,atque sese extrinsecus diffundat,ne instar immanis aquarum ex frequentibus imbribus collectarum eluuionis,aggere perrupto longè lateque in subiectos campos effundat se, cùm intereà nullatenus in melius innouetur homo ille interior, sed contra eo reddatur impurior. Per vulgatum illud est,*Nitimur in vetitum semper cupimusque negata*, Inde fit vt impuritatis, quæ in nobis ardet, æstus eò magis ferueat atque accendatur interiùs, ita vt hac ratione fiat ἡ ἁμαρτία καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλός. Rom.7.13.Immò verò tantus est hominis illius furor vt Deo litem mouere, atque conqueri de Legis ipsius iustitiâ seu æquitate non vereatur, adeoque eò vsque prouehitur impietatis,vt sæpè apud se,nonnunquàm etiam propalam, non sine horrendâ blasphemiâ cum Deo expostulet, cur ea quæ peccata sunt in offensarum veluti catalogo ab eo numerentur ac censeantur? cur rei tam leuiculæ, tam nullius (vti ipsi quidem videtur) momenti, hominique tàm naturali, tàm graue tamque acerbum decreuerit supplicium? Sæpenumerò etiam nequidem intra hos cancellos coerceri potest, sed vbi pro virili conatus est hunc Dei iudiciorum sensum in se consopire (iuxta illud Dauidis Psal.14.*Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, &c.) in ipsum tandem effectum prorumpit, atque cum Dei proiectissimo contemptui, elata veluti manu diuinam temerat legem.

(Effecta legis in non regenitis. — Ingenium irregeniti quum à lege vrgetur.)

Cohibetur nempe à ſpiritu ſeruiliter reprimentis.

Gignitur eiuſmodi coacta coercitio, in animo hominis omni ſenſu gratiæ Diuinæ planè vacui, à Spiritu Sancto intellectum eius colluſtrante cognitione quadam Legis Diuinæ, & diuinorũ iudiciorum (quæ certiſsimè in impios exſequenda & reuelanda ſunt aliquando indubitatâ certitudine) quæ impetum improbitatis ipſius aliquantum cohibet, ſed ita tamen, vti feroci atque animoſo equo ſolet vſuvenire, quum impetus eius chamo & lupato repreſſus, ipſe interim æſtuat, frænaque ſpumantia mandit, ſuperbus ille ſonipes, indignans ſe cohiberi, ne illi, quo naturaliter agitur ferturque, furori indulgeat. Et hoc eſt genuinum Satanæ ingenium, qui à malo temperat vel quia nequit, vel quia non audet illud exequi. Nouit proculdubiò diabolus quænam ſit bona Dei voluntas, nouit eam eſſe optimam & æquiſsimam, eoſque eſſe æterno ſupplicio digniſsimos qui illi ſunt immorigeri, nihilominus in nequitiâ & improbitate obduratus pertinaciter perſeuerat. Non abſimili modo ſe res habet in iſtis. Edocentur enim per Legis doctrinam de Dei voluntate, conſcientiæ terroribus, ſæuiſsimiſque cruciatibus, quaſi totidem diris atque furiis exagitati, certiſsimi de grauiſsimo Dei iudicio (quod iamiam eorum imminet capiti) redduntur, vnde fit vt aliquantulum improbitatis eorum impetus coerceatur. Quare, quòd à Spiritu reprimuntur improbi illi homines, non poteſt non eſſe bonum, at quod ſeruiliter & coactè reprimuntur, eorum fit vitio: niſi enim naturaliter ita in malum propenderent, præcepta Dei forent ipſis iucundiſsima, & factu etiam facillima, nec formidabilior eis eſſet Dei lex, quàm ſunt formidabiles iis qui à natura ſunt abſtemij, Leges politicæ quæ in ebrioſos & οἰνόφλυγας ſunt latæ. Hic Spiritus eſt quem Deus in eorum etiam (quos in æternum abdicauit) corda mittit, ne in tantâ rerum omnium perturbatione, & horrendâ hominum corruptione (quæ ſine Spiritus illius ſubſidio totum terrarum orbem inuideret) omnia ſuſque deque ferantur. Niſi enim Deus hunc quaſi hamum atque vncum impiorum naribus infixiſſet, omnia in præceps ruerent, nec Dei Eccleſia, vel ad temporis momentum, in ſæculi huius Sodomâ ſtare poſſet.

nullo tamen ſpiritus vitio.

Cur ſic à ſpiritu ſeruiliter reprimatur.

Lex duplex eſt.

ἄγραφος & ἔγγραφος.

At quâ ratione id fiat, iam indagemus. Quotquot Spiritu illo aguntur vel externam legis prædicationem nunquàm audiuerunt, vel à Deo per eam ſunt vocati, illi à Paulo ἄνευ νόμου, iſti ὑπὸ νόμον, eſſe dicuntur. Rom.2. Mirum alicui fortè videatur quod quiſpiam ἄνευ νόμου eſſe poſsit, cùm omnes ſint peccatores, peccatum autem nullum ſit, aut eſſe poſsit, niſi contra legem: Verùm ibidem huius nodi ſolutionem videre eſt; Omnes nempe in vniuerſum homines aliquâ cognitionis Legis menſurâ ſunt inſtructi, at non omnes & ſingulos Deus tanto dignatus eſt honore, viuâ voce Legem ſuam prædicari illis voluerit, & in ea peculiare cum ipſis contrahere fœdus, ſicuti ab ipſo factum eſt per Moſem cum populo Iſraelitico. Nihilominus tamen Ethnici, qui ſunt ἄνευ νόμου, τὰ τοῦ νόμου faciunt naturaliter, νόμου ſcilicet ἐγγράφου Legis ſcripturæ, quæ per Moſem data eſt. An igitur (quærat aliquis) Ethnici legem impleuerunt? Minimè verò, ſcriptum eſt enim, *Neminem per legis opera iuſtificatum iri*, Gal.2. 16. & Rom.3.20. Quid ergo eſt? quænam ſunt illa τὰ τοῦ νόμου quæ Apoſtolus dicit à Gentibus fieri atque præſtari? Certè nihil aliud eſſe poſſunt, niſi coacta (de qua nos modò egimus) à malo abſtinentia, cohibitio à craſsioribus ſceleribus, à ſeruitutis ſpiritu in iis operante profecta, in illis, inquam, qui ſunt ſine lege ſcriptâ Moſis, per naturæ legem, in illis verò qui in lege ſcriptâ ſunt inſtituti, per illam ipſam legem ſcriptam. Legis enim cordi naturaliter inſcriptæ, abſque adoptionis ſpiritu (qui ſolus eſt ſanctificans atque innouans ſpiritus) nullus eſt vſus, quoad animæ regimen, niſi vt det cognitionem peccati. Atque hic eſt primus ſpiritûs ſeruitutis quaſi gradus.

locus Roman.2.14. explicatus. quomodo Ethnici τὰ τοῦ νόμου faciant.

Legis effecta in regenitis.

Diximus modò Legem ſecundò conſiderandam eſſe quatenus prędicatur animæ quę ſpiritu adoptionis ducitur, cuius mens innouata eſt, voluntas inſtaurata & quaſi refecta, affectus denique & deſideria ſanctificata. Et quandoquidem Spiritus ille nemini in hac vita plenâ conceditur menſurâ, hinc eſt quod & in regeneratis vſum ſuum habet, & effecta producit ſua ſpiritus ſeruitutis, & hoc diuerſimodè, pro modo nempe ſeu menſurâ quâ conceditur ſpiritus υἱοθεσίας, ſi exiguus eſt ſpiritus illius modulus plurimum in nobis viget ſpiritus ſeruitutis, ſi magna eſt ſpiritûs adoptionis menſura infirmus eſt debiliſque ſeruitutis ſpiritus, quod ſi plena concederetur ſpiritûs adoptionis menſura, nullus tum eſſet ſpiritui ſeruitutis locus. Modo autem planè diuerſo in regenitis operatur ſpiritus ſeruitutis quàm in non regenitis, hi enim terrentur duntaxat, ſoluſque vindictæ diuinæ pauor eos à ſceleribus coercet, illi autem metu quidem etiam cohibentur, at metus ille non pœnam duntaxat, ſed potiſsimum Dei offenſam reſpicit, hoc eſt, quum adoptionis ſpiritus per legem in homine regenito operatur, vt eum à malo coerceat, non modò formidinem ex pœna in lege denunciata incutit, ſed & reuerentiam atque authoritatem Legiſlatoris adhibet; regenitus puta abſtinet à malo non ideo tantùm quòd pœnam peccato debitam reformidet, ſed etiam quòd conſcientia ipſi ſuggerat, Deum iſtud prohibuiſſe, interim vellet malum illud non eſſe malum, vellet impunè ſibi liceret id facere quod à Deo interdictum eſt. Id teſtantur voces quas quandoque piis excidere quotidiana comprobat atq; adſtruit experientia, *O, cur iſtud mihi non licet ſine Dei offenſâ! O, quàm vellem hoc vel illud non eſſet peccatum!* Hîc prodit ſe manifeſta quædam coactio, quatenus indignatur quodam modo, & ægrè fert, homo quod ſine Dei offenſâ non licet ipſi peccare. Coactio illa non eſt merè ſeruilis, ſed quaſi ſeruilis, cuius illi ſoli ſunt capaces qui in Chriſto Ieſu ſunt Dei filij, verùm primâ adhuc & quaſi puerili ætate, vt opus illis ſit Pædagogo, atque aſperiore ſeu ſeueriore patris vultu, quo in officio contineantur. At qui maturiore & grandiore ſunt ætate, non eſt eis neceſſaria illa paterni vultus ſeueritas, vt potè qui ſpontaneo motu propendeant, atque inclinent, ad ea exequenda quæ ſunt ſui officij, quæque ſunt ipſis mandata atque præcepta.

Spiritus ſeruitutis aliter operatur in nõ regenitis,

aliter in regenitis.

vtrobique eſt coactio, ſed diuerſa.

vnde hoc diſcrimen.

Coactionem iſtarum diſcrimen non eſt propriè à Lege, neque etiam à ſeruitutis ſpiritu, qui Lege tanquam inſtrumento vtitur ad hanc vel illam coactionem nobis ingenerandam, ſed hinc oritur quòd Lex ſcilicet in illis inueniat carnis

cupidi-

cupiditates feruidas, viribusq; adhuc integris, in istis verò easdem inueniat lãguidiores atq; elumbes, & à spiritu sanctificationis (qui nõ Legis, sed Euangelij est effectum) aliquantum debilitatas.

Spiritus adoptionis non coactè reprimit.

Quum autem Spiritus adoptionis nos reprimit, id alio prorsus modo in nobis efficit, ingenerat enim peccati odium, non metu supplicij, neque propter Legislatoris authoritatem, sed propter ipsius peccati deformem fœditatem, quâ nobis demonstratâ, & à nobis conceptâ, fit vt ab eo exhorrescamus.

exemplo ostenditur.

Dauidem vide in spelunca (1. Sam. 24.) cum Saule, horret anima eius vel extremo digito eum lædere: eundem vide à Semei probris & conuitiis lacessitum, prouocatum, iis non mouetur, nullam inde bilem aut vindictæ cupidinem concipit, sed agniculo mansuetior contumelias illas perfert patientissimè, pax enim Dei, quæ omnem hominis intellectum longissimè superat, eum non coactè aut violenter, sed molliter, placidè & benignè cohibeat.

Quatuor hominum genera,

Hinc quatuor hominum genera animaduertere licet. Primum eorum est qui in hoc sæculo viuunt sine Deo, hoc est, quorum conscientia nullo Dei sensu afficitur, aut leuissimè tangitur. Secundum, eorum quos Dei terror coercet à patrando scelere, quia interiùs ita pauidę conscientiæ stimulis agitantur atque excarnificantur, vt in apertum scelus prorumpere non audeant. Tertium est eorum qui temperant sibi à malo, & in bonum feruntur, coactè quidem & cum aliqua carnis repugnantia, at non merè seruiliter, sed quasi seruiliter, non enim Deum solummodò extimescunt, ob seueriorem eius iustitiam, sed & reuerentur propter eius authoritatem, sublimemque Maiestatem atque ὑπεροχήν. Quartum eorum est qui à malo temperant & in bonum feruntur absque vlla coactione, immò magna cum voluptate, quoniam *Dei charitas in eorum cordibus diffusa est.*

1. conferuntur cum quadruplici puerorũ indole.

Priores illi nõ sunt absimiles profligatissimis, penitusque conclamatis, & deprauatæ indolis pueris, qui nec blandioribus verbis ad bonum flecti, nec minis vllis, aut verò pœnis, à nequitia sibi insita absterreri aut abduci possunt.

2.

Secundum genus hominum simile est contumacibus pueris, qui nonnisi grauioribus interminationibus, & ostentatâ ferulâ ad officium faciendum impelli possunt.

3.

Tertium illis non est absimile qui parentibus obsequuntur animo non valdè lubenti, neque alacri & prompto, sed quasi inuito, non tamen tam ferulæ metu quàm patris reuerentiâ moti, quibus interim ægrè est quod hoc à patre imperatum, illud verò ab eò sit ipsis interdictum. Vide abecedarios puerulos, libentissimè ludum litterarium non ingrederentur, si nihilominus bonæ sunt & liberalis indolis, non tam ferulæ metu quàm ne offendatur pater Scholam frequentant.

4.

Quartum genus hominum liberis illis est conferendum, qui ad maturiorem prouecti ætatem, ipsimet de rebus, quæ sui sunt officij, per se iudicant, & in eas spontè feruntur, ita vt paternum præceptum sit illis Canonis duntaxat seu normæ instar, ad quam vitam suam componant atque instituant, vel saltem lori quo suauiter ducantur, potius quàm stimuli quo pungantur & excitentur, vel lupati quo frænentur, aut capistri quo cohibeantur. In priore hominum genere ne quidem obscurum vestigium Dei spiritûs animaduertere licet. Secundum genus à spiritu seruitutis agitur. Tertium genus eodem spiritu ducitur, sed diuersa ratione, vti explicatum est. In quarto hominum genere viget & regnat adoptionis spiritus.

4. istud genus reliquis præstat.

Mirum autem est, & meritò mirum videri debet, qui fit vt postremum istud genus (cùm cæteris sit longè præcellentius, vulgò tamen minus commendetur & laudetur. Vide hominem opinione & iudicio omnium fortem atque animosum, nonnisi minas spirantem, necemque illi à quo offensus est interminantem, atque adeò tantum non intentantem, si cohibeat animum, manumque & ictum inhibeat (quacunque tandem de caussa interna motus id faciat) coacta illa (vt sic dicam) temperantia, vno omnium astantium ore commendabitur, & in cœlum laudibus eueheretur. Contrà, si quis ex ingenita mansuetudine, meraque benignitate, & animo ab omni felle & bile puro sibi temperauerit, nullatenusque commotus iniuriâ sibi illatâ fuerit, omnes illud vertent ipsi vitio, licet constaret eum nullo metu aut ignauiâ id fecisse. Ratio autem huius praui iudicij hæc videtur esse, quia, quod laboriosissimum est id videtur nobis maximè commendandum.

Applicatio antecedentium. ad primum genus hominum.

Jam vt hæc vobis, Auditores, applicemus. Cogitet vnusquisque vestrûm cuinam horum quatuor Ordinum velit adscribi. Si quis sit in priore ordine, certè status eius atque conditio (hoc saltem respectu) deterior est Diaboli ipsius conditione, qui Deum vnum esse credit, atque inde contremiscit, verùm alio etiam respectu melior est conditio eius conditione Diaboli, quatenus Deus Diabolum non vocat ad pœnitentiam, verùm te, ô dementate homo quisquis es, ad se vocet, nec irrita aut frustranea est eius vocatio, si tu obfirmato corde, & obseratis per impœnitentiam atque incredulitatem animæ tuæ veluti foribus, teipsum non excludis ab illa, ad quam vocaris beatitudine. Hoc itaque cogita, te hodie à Deo vocari, tempus esse breue atque contractum, dies sæculi huius iniquiores, vocemque Dei non perpetuò auribus tuis insonaturam, quod si supino torpore fractus non attendas ipsius vocationi, quum tempestiuum est, fiet vt tu postmodum de ea tùm cogites quum non erit amplius tempestiuum; *Tum clamabunt ad Deum* (inquit Dauid Psal. 18.) *nec exaudiantur.* Idem cogitandum est hominibus qui in secundo sunt ordine.

ad secundum & tertium.

At eorum status qui in tertia sunt classe, longè præstantior est, Spiritum enim sanctificationis, licet exiguo modulo & breuiore mensurâ, acceperunt, cuius motus in lucta aduersus carnem & peccatum ita sunt debiles & languidi, vt in iis emineat vigeatque spiritus seruitutis, vnde fit vt quandoque in illa pugna vires eos deficiant, ipsique animo cadant, ac nonnunquàm labantur. Verùm an propterea animum prorsus despondere, aut desperationi totos se tradere oportet? Minimè verò. Immo vires instaurare, animosiusque resurgere eos decet. Fideles enim est, sibique constans, ille qui dixit, *Venite ad me quotquot laboratis* &c. Matth. 11. 28. Non præbet se nobis immitem & asperiorem iudicem, sed potius fratrem aut patrem beneuolum. Vbi eum benignissimum erga nos agnouerimus, quum hinc in miseriam & tenuitatem nostram, inde in gratiæ ipsius opes abundantissimas oculos mentis nostræ coniece-

rimus (quas opes ipse non in alium finem possidet, quàm vt earum participes nos faciat, siquidem ipse tradidit se in mortem pro nobis) cùm verò tantus erit à spiritu illo in nobis lætitiæ & charitatis (vt ita dicam) influxus, vt seruitutis spiritus, proprio atque sibi peculiari vsu abiecto, nobis sit futurus deinceps adoptionis spiritus. Vnus enim est idemque perpetuò spiritus, sed tum *seruitutis* dicitur *spiritus*, quum conscientiam regit, eamque (vt ita dicam) quodammodo innouat atque regenerat per Legis asperitatem. Hoc autem nobis est imprimis notandum, atque firmissimè tenendum, quum à Satanâ ad peccandum allicimur, quum carnis tentationibus obsistendum est, non esse tùm solam Legem sollicitationi illi opponendam, sed in Christo de cruce pendente intuendam nobis esse peccati fœditatem, quatenus non aliter expiari potuit quàm per Filij Dei mortem, spectaculum enim illud efficiet vt peccatum nobis videatur execrandum atque abominandum, non ideò tantum quia vetitum, sed quia in se fœdum, turpe atque deforme: isthic etiam Patris erga nos charitatem, qui Filium τὸν ἴδιον Filij dilectionem, qui seipsum pro nobis tradidit, fixis oculis contueamur. Dubio enim procul feruentissimus ille ᾗ καθ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ ἐκ φθάνου vehemens Patris amor erga nos vilissimos, in terræ huius luto atque cœno repentantes vermiculos, hostes ipsius atque in peccatis nostris planè mortuos, rapiet nos, accendetque in nobis mutuum erga ipsum amorem, efficietque vt peccatum, quod prius blandâ quadam specie nos fallebat, & iucundâ suauissimaque quasi promulside prolectabat, tum turpissimum, amarissimum, totumque felle quasi delibutum, nobis videatur. Tum poterimus audacter gloriari atque iactare, nos non *seruitutis*, sed *adoptionis* accepisse spiritum.

Qui autem sunt in quartâ classe constituti, in quibus adoptionis spiritus supra seruitutis spiritum (à quo nemo hominum, dum mortalem hanc viuit vitam, terreumque hoc circumgestat tabernaculum, planè liber immunisque est) eminet, illos in medio stadio subsistere non oportet, sed illis cum Paulo (Phili.3. 11.) totis viribus connitendum est, vt *ad mortuorum resurrectionem perueniant, Christumque comprehendant pro vt ab ipso apprehensi sumus*, hoc est, vt tam sincero, quàm ab eo dilecti sumus, amore eum mutuò redamemus. Nec propterea putandum est nos iam metam contigisse, aut perfectos nos esse, *Fratres*, inquit ille, *nondum puto me comprehendisse, sed hoc ago, ea nempe quæ à tergo sunt oblitus, ad ea quæ coram sunt contendens, scopum versus feror, ad palmam scilicet supernæ vocationis Christo Iesu*, quumque nos eo erimus animo, dubium nobis nullum esse debet, quin Deus breui sub pedibus nostris Satanam sit contriturus. In hunc itaque finem *flectenda nobis sunt*, cum eodem Apostolo, (Eph.3.14.) *cordis nostri genua coram cœlesti Christi Iesu Domini nostri Patre vt secundùm excellentissimas gloriæ suæ opes atque diuitias det nobis vt in virtute corroboremur per spiritum ipsius in interiori homine, vt Christus in cordibus nostris habitet per fidem, vtque in charitate radicati & fundati assequi possimus cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo altitudo & profunditas abyssi inexhaustæ illius charitatis quæ omnem humanum captum atque intellectum longè longè superat, vt perficiamur in omni plenitudine Dei. Ei autem qui infinita cum redundantiâ potest facere supra ea quæ vel petimus vel mente concipimus, secundùm virtutem eius quæ in nobis operatur, illi*, inquam, *gloria sit per Iesum Christum in sæcula sæculorum.* Amen.

ad quartū genus hominum.

ALTERA CONCIO IN EVNDEM TEXTVM.

Stupendum est planè & miraculo proximum, hominem (qui initio omnium animalium longè felicissimum fuit, nunc verò omnium est calamitosissimum) omni miseriarum genere obrutum (dum à Christo manet separatus) ne posse quidem miseriam suam persentiscere, nedum de ea verè & seriò ingemiscere. quin potius in ea iacet alto somno quasi sepultus, & mortifero veterno oppressus, non absimilis sonti scelerato qui vel crapulâ obrutus stertit, vel phrenitide correptus insanit, dùm suffragia in eius caput feruntur, dùm damnatoria sententia ei prælegitur, dùm carnifex ad parandum supplicium accingitur. Hic tamen est omnium hominum status, hoc eorum est ingenium priusquàm à Deo in Legis notitiâ illuminentur. Ad illuminationis illius momentum vsque, solet homo (vt ipse de se Paulus testatur Rom.7.9.) quietè, pacatè, tranquillè viuere. At vbi à Lege pulsatur eius conscientia (siue vt eâ ad officium excitetur, siue vt per eam arguatur reusque constituatur) statim moritur, hoc est, mirè exagitatur ac percellitur, siue applicet se bono (quod nunquàm appetiuisset nisi per præceptum id iussus fuisset, vnde etiam est quòd nonnisi inuitus ille se applicat) siue à malo temperet, quod à naturâ mirè illi adlubescit, id nonnisi mœstus præstat, siue oculos coniiciat in maledictionem quam contumacibus Lex interminatur, quamque scit se effugere non posse, nisi Deus aliquâ ratione & viâ, qua in ipse non videt, succurrat, eam non sine horrore & terrifico metu animo concipit.

Hominis status antequam à Lege excitetur.

postquàm à Lege excitatus est.

Collustratio illa non est à mentis humanæ perspicacitate, sed à Spiritu Sancto, qui hoc loco *Seruitutis spiritus* ideo dicitur quia homo in quo sic operatur Spiritus, nonnisi seruus aut quasi seruus, ob carnis imbecilitatem, esse potest: *Seruus* quidem simpliciter, si sola illuminatio in Legis notitiâ illi adsit, *quasi seruus* autem, si præter illuminationem aliquam habeat Spiritûs adoptionis mensuram. Primarius eius effectus est *Metus*; miserabilis certè effectus, nullo tamen Spiritûs (à quo illuminamur) vitio, sed quoniam hoc pacto in apertum producitur corruptio nostra. Viro probo (cui nec voluntas, nec facultas deest æs alienum quod ipse contraxit dissoluendi) non ægrè est, nec eum piget libellum rationum euoluere, singula quæ nomina quibus tenetur obstrictus oculo & mente notare; at verò hoc molestissimè habet eum qui non est soluendo, lubentissimè enim videret tùm librum rationum, tùm etiam syngraphas, omnia flammis voracibus absumpta, de his cogitare, oculos in illa coniicere, non minus est illi durum quàm de propinqua morte cogitare. Non absimili ratione, siquis esset qui Legem implere, hocque debitum tàm legitimum Deo posset exsoluere, Lex foret illi iucundissima; in eâ, tanquàm in speculo, pulchritudinem

Spiritus cur dicatur Seruitutis spiritus.

Effectus eius est seruilis metus.

tudinem, perfectionem, atque præcellentiam primigeniæ Dei in homine imaginis, in Lege effulgentis, intueri posset. Quæ in eâ à Deo nobis sunt promissæ benedictiones allicerent eum, demulcerentque, & magnâ cum voluptate in Legis obsequio continerent; Legis autem interminationes non magis eum terrerent, quàm insontem virumque probum terrent supplicia legibus ciuilibus in reos & facinorosos decreta.

Lex videtur nobis dura.

Verùm in hac naturæ nostræ corruptione Lex videtur nobis esse immitis sæuusque Exactor, in hoc peccati statu, si id impunè liceret, diceremus eam Pharaoni simillimam, qui Israelitas ad coquendum lateres cogebat, paleas interim vetabat ipsis subministrari. Iubet enim illa, imperat, instat, interminatur, at non flectit cor, non permouet, quid faciendum sit præscribit, at vires ad illud perficiendum non subministrat, non confert. Hinc est, quòd licet in se sit bona, nobis tamen vertatur in mortem, nobisque fiat odor mortis ad mortem, sicut à Sole ea corpora quæ sana atque integra sunt, fouentur atque conseruantur, at quæ iam sunt putrida, aut ad putrefactionem vergunt, in dies magis magisque ab eo putrefiunt. Quare ex quo natura humana peccato infecta est, Lex non nisi perpetuos terrores & conscientiæ pauores in nobis excitat: Et hi sunt Spiritus seruitutis proprij ac genuini effectus, qui Lege Dei vtitur vt duntaxat imperet officium, cohibeatque à sceleribus, non autem vt hominem per eam ad genuinum Legis obsequium flectat.

non suo vitio, sed nostro.

Quatuor seruilis metus effecta.

Seruilis huius metus quatuor sunt præcipua effecta, cogit enim hominem hærere dubium: primò, num opera ipsius Deo sint grata: secundò, an ipse Deo sit gratus & acceptus: tertiò, an constanter in fide & obsequio sit perseueraturus: quartò, consequenter hominem cogit expauescere & reformidare horrendam Dei iram, mortemque æternam. 1. Lex, inquam, cogit te hærere dubium num tu Deo sis acceptus, quoniam Lex non te priùs iubet esse certum de Dei amore quàm sis iustus, quare cùm tu tibi ex Legis accusatione sis conscius de iniustitia, non modò cogeris grauissimè dubitare num tu sis Deo acceptus, sed & compelleris ad credendum, atque apud te 2. statuendum, te omninò esse illi exosum. Eâdem de causâ cogit illa te dubitare, num opera tua illi placeant, sintque accepta, neque enim pollicetur mercedem vllam nisi operi perfectissimo, atque omni ex parte absoluto, contrà damnat atque repudiat ea opera in quibus est aliquid vitij. At tu ipse tibi conscius es, ô homo, omnia opera tua grauissimis defectibus laborare, immo vniuersam iustitiam tuam esse instar panni menstruatæ mulieris; vnde fit, vt Lex non modò te iubeat dubitare de operis tui merito, sed cogat etiam certissimè apud te statuere illud esse reie-3. ctaneum. Idem ille seruitutis spiritus in hominis animo excitat metum vehementem ne in cultu Dei non perpetuò perseueremus: Lex enim (quę Spiritus illius est quoddam quasi organum) exigit quidem à te vt constanter perseueres, atque in obsequio ad finem vsque perstes, at non con-4. fert tibi perseuerantiæ donum: Itaque animam miserè excruciat terrore futuri horrendi atque ineuitabilis supplicij.

Ad πληροφορίαν de salute.

Hinc colligimus, primùm, Quùm volumus certiores esse num Deo simus accepti, num opera, quæ nos animo ipsum colendi præstamus, sint ei accepta, si certi de perseuerantia in Dei cultu esse volumus, si de vita æterna πληροφορίαν expetimus, non Legi innitendum esse, à qua nil nisi metus, pauor, & desperatio, illa enim est *littera occidens*, *mortisque ministerium*, 2. Corint. 3. 7. *intolerandum iugum*, Act. 15. 10. durus atque asper *pædagogus*, Galat. 3. 24. quo fit vt *filius vix à seruo differat*; cap. 4. 1. *mater quæ gignit liberos ad seruitutem*, vers. 24. 25. quæ *facit vt à gratiâ excidant quotquot per eam volunt iustificari*, cap. 5. 4. quæ *nullam in homine gignit iustitiam nisi eam quæ stercoris instar est habenda*, Philipp. 3. 8. *quæ nihil ἐτελείωσε.* Hebr. 7. 19. *quæ à Dei iustitia excludit quotquot per eam cupiunt assequi iustitiam.* Rom. 9. 31. *eosque subiicit maledictioni*, Galat. 3. 10. *In se quidem bona est, iusta, sancta, sed talis cùm sit vertitur nobis in exitium.* Rom. 7. 10. quia scilicet, cùm *in carne infirma sit* Rom. 8. 3. hoc est, cùm à carne impleri non possit, animam nec iustificare nec sanctificare potest, contrà cùm eam erigere atque consolari deberet, terret potiùs, horroremque ei incutit vehementem.

non est innitendum Legi.

præsertim in terroribus conscientiæ.

Illud quod monuimus de non intuenda Lege quum de gratiâ volumus esse certi, tùm imprimis obseruandum est, quum à Spiritu mente nostra per Legis cognitionem collustratâ (ita vt inde terror animo nostro conceptus hæreat) Satan totis viribus in hoc nititur vt Legi nos affigat, sententiamque aduersus nos ex ea dicat. Tùm enim regerendum est illi intrepidè, conscientiam nostram non esse ex Lege iudicandam, hoc vnum esse Legis quoad nos officium atque vsum, vt nimirum nos deiiciat, fractis veluti lumbis, viribusque attritis affigat nos humi: vel vt sit instar nouaculæ ad incidendum putridum vulnus nostrum. Quare Legis vsum vltrà metum illum vrgere velle, est instituti Dei fines hac in parte transcendere. Lex est nobis alia ex quâ iudicandi sumus, Euangelium nempe gratiæ, quo certi de peccatorum in Christi sanguine remissione reddimur, quodque nihil aliud à nobis postulat nisi vt illud fide amplectamur, idq; facit non iubendo aut imperando, neque minis vllis, sed rogando, hortando, atque persuadendo.

Praxis huius rei difficillima.

Nihil autem facilius est quàm de istis suauiter disserere, quum ventis turgent vela secundis, nec verberatur aut pulsatur conscientia nostra peccati sensu, sed difficillima est horum praxis quum grauiter nos vrget peccatorum nostrorum sensus atque conscientia. Tùm enim Satan temporum momenta & occasiones captat, sese que flectit ac contorquet, agitque ipse in nobis prout videt nos modò in hanc, modò in illam inclinari partem. Quum obuersatur peccati nostri memoria & sensus, quum fœditas eius sese oculis nostris obijcit, Psal. 51. 5. quum inde Dei iudicium expauescimus, argumentum est nos à Deo per miseriæ nostræ sensum quasi subigi ac præparari ad Dei gratiam in Christo amplectendam. Quare quomodo Satan, quum prius nos ad peccatum sollicitabat vehementiùs, in hoc totus incumbebat, vt quàm longissimè de Lege cogitationem submoueret, ita vbi iam videt Legem nobis esse conspicuam, hoc vel maximè studet vt gratiam nobis abscondat,

ne eà agnitâ illam fidei amplectamur, sicque ipsi de arce præsidioque cordis nostri dejiciatur.

Pontificiorum hæsitatio de salute sua.

Secundò, ex terrore qui à Lege & spiritu seruitutis proficiscitur, agnoscere licet miseram seruitutem sub qua conclusæ tenentur in Romana Ecclesia hominum conscientiæ, vbi Lex & Euangelium permiscentur, confunduntur; vbi iustificatio quæ est ex operibus probatur, inculcatur, illa verò quæ est ex fide & gratia improbatur, rejicitur. Isthic necesse est terrorem & seruitutis spiritum regnare. Quin istud tam certum est apud ipsos, vt totidem verbis δογματίζω doceant *Homini Christiano semper esse dubitandum de Dei in se amore.* Causam huius dubitationis atque diffidentiæ ipsi assignant, nimirùm quòd nemo certò scire possit, an Deo sit acceptus, an opera sua sint illi accepta, hoc est (vt ingenuè fatentur quod res est) nesciunt nùm Dei an verò Satanæ sint filij, neque enim separari hæc duo possunt, *Dei Filium esse & ab eodem amari.* Eadem diffidentia atque hæsitatio prodit se & manifestè conspicua est in singulis ipsorum operibus: Nesciunt (vti eos fateri necesse est) an Deo sint accepta necne: Meritum nihilominus illis affingunt. Verùm quæro annon de operis merito sit pari ratione dubitandum, nam vt quis apud Deum mereatur necesse est eum Deo priùs esse acceptum, quare qui dubitat an Deo sit acceptus, cogitur etiam dubitare, an aliquid à Deo mereatur. Qua fronte itaque inniti possunt operibus suis in iustificatione? Si vir probus & spectatæ fidei ambigit nùm subærati sint, vel παράχαρακτοι, aut non satis probi & ἀκίβδηλοι nummi sui, eos nunquam creditori numerabit. At hi qui clamant, qui profitentur se nescire an opera sua, eorumque merita, futura sint Deo accepta, non verentur ea ipsi obtrudere quasi proba atque integra.

Huic dubitationi ex Lege opponenda est πληροφορία.

Huic terrori qui à Lege est, opponenda est quæ ab Euangelio proficiscitur πληροφορία, Jesum Christum nimirùm nos ab eo terrore sanguine suo liberasse, nosque *per eundem adeptos esse plenam libertatem loca sancta ingrediendi, per viam quam dedicauit nobis recentem, per velum, hoc est, per carnem suam,* Sacerdotem enim seu *Pontificem habemus maximum præpositum domui Dei, itaque accedamus cum vero corde in πληροφορίᾳ πίστεως, confessionem fidei non vacillantem tenentes, fidelis enim est ille qui promisit.* Hebr.10.19. Si fidelis est qui promisit, an me decet ambigere de promissi veritate? Annon potius cum Dauide (Psalm.42.) animæ meæ dicam, *Quare tristis es anima mea? quare tota in me cohorrescis? spera in Deum, anima mea, & ad pristinam tuam quietem regredere, Deus enim tibi benefecit. Si peccata nostra confiteamur, Christus fidelis est qui ea nobis condonabit.* 1.Johan.1.9. Immò cum Apostolo licet exclamare, *Vbi est, ô mors, aculeus tuus? vbi ô sepulchrum, victoria tua?* 1.Corint.15.55. Non itaque cum Pontificiis perpetuò est ambigendum aut vacillandum, nam *qui ambigit, similis est maris fluctui* ἀνεμιζομένῳ καὶ ῥιπιζομένῳ. Jac.1.6.

An timendum & quatenus.

An igitur (objiciat aliquis) nunquam timendum est? certè timendum est, sed ita timendum vt ex eiusmodi metu maiorem concipias fiduciam, sive potius vt timor ille impellat nos ad certam fiduciam. Simili illustratur istud, Qui in summo vertice turris profundæ voragini præruptæque vndique rupi imminentis constitutus obambulat, quum ventorum quibus turris illa percellitur effrænem vim cogitat, quum subjectæ voraginis immensam intuetur altitudinem, non potest non totus cohorrescere, verùm quum videt se muri propugnaculis innixum, seque validis cancellis vndique circumseptum, ponit metum, & terror ex periculo imminente conceptus compellit eum vt firmissimè propugnaculo, quo cingitur, adhæreat, qui si omnino non metueret, fortè incogitantiâ aut temeritate suâ præceps rueret. Non absimili ratione, nos omnes qui Spiritûs primitias accepimus, quum oculos in peccatorum nostrorum numerum innumerum coniicimus, quum carnis nostræ infirmitatem cogitamus, horremus tum, & reuerâ oportet nos cohorrescere metu æternæ mortis, metuendum est tùm ne excidamus; at quum Dei promissionem intuemur, quum Deum fidelem cogitamus, qui non patietur nos tentari supra vires nostras, sed vnâ cum tentatione optatum daturus est exitum, certam inde concipimus fiduciam, fore vt qui opus suum in nobis cœpit, illud ad Christi diem vsque perficiat.

Objectio.

Objiciet hîc Pontificius. Certus sum Deum esse fidelem, sibique constare, verùm an conditionem promissioni annexam habeam necne, non noui, hinc mihi illa dubitatio, & dubitandi iusta caussa.

Responsio.

Vt huic satisfiat obiectioni, notandum est, duo esse Promissionum Diuinarum genera, aliæ enim sunt Legis, aliæ Euangelij promissiones. Quum promissiones Legis intuemur non dubitandi modò, sed prorsus desperandi iusta est caussa, non est enim in nobis conditio perfectæ obedientiæ illis annexa, at quum Euangelicas respicimus promissiones, quæ nihil à nobis postulant nisi vt eas recipiamus, amplissima est consolationis materia.

Instantia de Resipiscentiæ imperfectione.

Instabis, non noui an tanta sit pœnitentia mea quanta esse debet. Respondeo, ita nos debere esse animatos, ita sentire, Pœnitentiam nostram nunquàm esse tantam quanta esse debet, verùm inde non sequitur te non posse certum esse de salute tuâ; Primò, quia vel nulla est pœnitentia tua, vel genuina est & sincera, hæc enim est pœnitentiæ natura vt sit imperfecta, nostra enim in hoc peccati statu perfectio est vt nos imperfectos agnoscamus. Secundò, solemne est Pontificiis Legem cum Euangelio confundere, Lex exigit summam & omnibus numeris absolutam perfectionem, per Euangelium autem confertur omnium peccatorum remissio, ac proinde eorum omnium quæ quomodocunque in nobis desunt atque deficiunt. Non pœnitentiæ nostræ dignitas, aut fidei nostræ præcellentia, sed Christi satisfactio nos dignos atque ἱκανοὺς reddit. Quare Satanæ accusanti & vrgenti hæc regeramus, Quum Christi tribunali sumus sistendi non esse animæ nostræ oculos retorquendos in seipsam, vt videamus quid ipsa mereatur vel non mereatur, sed hoc semel nobis ratum esse debet, nos operibus nostris salutem æternam nequaquàm assequi posse, sed totam iustitiam nostram, in Christi sanguine esse positam.

Conclusio.

Finem faciam vbi priùs omnes & singulos monuero, vt dum in Scripturæ lectione versantur atque occupantur, seccuratè inter minarum & promissio-

promiſsionum Euangelicarum obiectum diſtinguant. Minarum Euangelicarum obiectum eſt homo ſecuritate carnali conſopitus. Promiſsionum verò, contritum,cor, ſenſuque peccati perculſum. Si ſentis te veternoſum, certò apud te ſtatuito interminationes illas in te eſſe dictas,tibique nullam eſſe in promiſsionibus ſortem, ſeu partem, quandiu tu ita ſtertis. Contrà,ſi anima tua ſit acri peccati ſenſu perculſa atque exterrita, crede firmiſsimè tuas eſſe promiſsiomes Euangelicas, te ſub Chriſti præſidio à Legis maledictione (quæ in illum incubuit) tectum ac ſecurum eſſe, cùm ille ſolus Redemptionis noſtræ myſterium peregerit. Ei vnâ cum Patre & Spiritu ſancto ſit honos & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

LECTORI.

CVm Anno Dn. M. DC. VIII. *Camero Heidelbergæ (florente tum Academia) S. Theologiæ daret operam, & Verbi Dei Miniſterij candidatus iſthic ageret, paulo ante quàm ab Eccleſia Burdigalenſi ad S. Verbi Dei Miniſterium capeſſendum vocatus inde diſcederet, rogatus à nonnullis, qui eum familiariùs iſthic nouerant, Sanctæ Theologiæ ſtudioſis, Theſes haſce de triplici Dei cum homine Fœdere ſcripſit, quas tibi, Lector, propono, quòd non modò mihi, ſed viris multò grauiſſimis & doctiſſimis, quibus ille familiaris fuit tum quum primùm ſcriptæ ſunt, & poſtea etiam pluribus aliis, quibus illæ communicatæ ſunt, viſæ ſint quàm accuratiſſimæ. Eas opto à te eo animi candore & ſimplici affectu excipi, qui in authore olim fuit, & quo tibi à me exhibentur.*

EIVSDEM IOHAN. CAMERONIS DE TRIPLICI DEI CVM HOMINE FOEDERE THESES.

THESIS PRIMA.

Fœdus duplex. *Absolutum.*

FOEDVS in Scriptura interdum significat promissionem Dei absolutam, sine vlla restipulatione, quale Fœdus erat quod Deus cum *a* Noacho statim à diluuio iniit, vltro pollicitus nunquam fore vt in homines & animalia aquarum inundatione animaduerteret. Huius generis Fœdus est quo promittit Deus sese *b* Electis suis fidem & perseuerantiam daturum, cui promissioni nulla vel animo concipi potest annexa conditio quæ ipsa promissione non comprehendatur.

a *Gen.* 9. 11. b *Heb.* 8. 10.

II.

Hypotheticum.

Sed occurrit sæpius in sacris litteris *Fœderis* nomen ita vsurpatum vt planum sit eo significari grauitam quidem Dei promissionem, cum restipulatione tamen sed officij, quod alioqui, etiam nulla tanta intercedente promissione, & à Deo exigi potuisset, & à creatura (siquidem sic vellet Deus) præstari debuisset.

III.

Amor Dei duplex *Antecedens Consequens.*

Pendet ista Fœderis distinctio à distinctione amoris Dei, est quippe amor Dei erga creaturam vnde quicquid est in creatura boni totum promanauit, & est amor Dei acquiescens in creatura, idque ob ea quæ non quidem ipsa à se, sed à Deo, quatenus primo illo amore amata fuit, accepit: illum *Primarium* siue *Antecedentem*, hunc *Secundarium* siuè *Consequentem*, docendi causâ, appellamus. Ab illo absoluti fœderis tam pactionem quàm impletionem, ab isto impletionem quidem illius Fœderis cui annexa est restipulatio, pactionem non item, sed à primatorio amore pendêre dicimus.

IV.

Non in absoluto Fœdere nihil est in creatura quod Deum impellat vel ad promittendum, vel ad præstandum quod promisit, at in eo Fœdere cui annexa est restipulatio, Deus implet quod promisit quia creatura exhibuit quod exigebatur, tametsi quòd Deus eiusmodi Fœdus iniit, hoc est, talia præstanti promisit tanta, totum proficiscitur ab amore Dei antecedente.

V.

Tanta, inquam, quia *a* modum præscribere compensationi est liberrimæ voluntatis, non naturæ Dei actio, cùm tamen *b* aliquid retribuere in remunerationem debiti à creatura officij, & idipsum polliceri, omnino pertineat ad amorem consequentem Dei, qui non modo voluntarius, sed etiam naturalis est proprietas in Deo, qui suapte natura ad boni compensationem inclinat, sicuti ad pœnam mali, cùm amor antecedens sit prorsus voluntarius.

a *Matth.* 20. 15. b *Heb.* 6. 10.

VI.

De hoc Fœdere cui annexa est restipulatio hîc agemus, idque quoniam non vnum est & simplex, distribuemus in sua genera, & quid cuique generi conueniat, & quo pacto inter se discrepent, diligentiùs expendemus.

VII.

Fœdus hypotheticum triplex.

Dicimus ergo Fœdus aliud esse *Naturæ*, aliud *Gratiæ*, aliud Fœderi gratiæ *subseruiens* (quod in Scriptura *a* *Fœdus vetus* appellatur) ideoque de eo vltimo loco agemus, primum locum Fœderi Naturæ & Gratiæ tribuentes, quia præcipua sunt, quippe quæ aliò non referantur; etsi non negemus fœdus naturæ, in hac corruptione naturæ nostræ, fœderi Gratiæ subseruire, quatenus hominum animos eius desiderio inflammat, quod tamen facit per accidens, cùm non sit hic fœderis illius scopus, qua de re *b* infra copiosiùs agemus.

a *Heb.* 8. 13. b *Thes.* 48. *& seqq.*

VIII.

Fœderis Naturæ & Gratiæ conuenientia.

Conueniunt Fœdus Naturæ & Fœdus Gratiæ. Primùm fine generali, quod vtriusque finis sit Dei gloria. Secundò, Personis contrahentibus, quæ sunt *Deus* & *Homo*. Tertiò, Formâ extrinsecâ, quod vtrique fœderi annexa est restipulatio. Quartò, Naturâ, quod vtrumque est immutabile.

IX.

Discrimen

Differunt, primò, Fine speciali, nam finis Fœderis Naturæ est declaratio Iustitiæ Dei, at finis Fœderis Gratiæ est declaratio Misericordiæ. Secundò, Fundamento, nam fundamentum Fœderis Naturæ est creatio hominis, & humanæ naturæ integritas, at fundamentum Fœderis Gratiæ est Redemptio hominis per Christum. Tertiò, Qualitate & σχέσει personarum contrahentium, nam in Fœdere Naturæ Deus creator exigit ius suum ab homine puro & integro, at in Fœdere Gratiæ Deus vt misericors pater offert se peccatori conscientiâ peccati perculso. Quartò, Stipulatione, in Fœdere Naturæ exigitur iustitia naturæ

naturalis, at in Fœdere Gratiæ exigitur tantum Fides. Quintò, Promissione, in Fœdere Naturæ promittitur vita quidem æterna & beatissima, sed a tamen animalis in Paradiso degenda, at in Fœdere Gratiæ promittitur vita cœlestis & spiritualis. Sextò, Forma sanctionis, In Fœdere Naturæ nullus fuit Mediator, deinde Fœdus Naturæ non priùs promissum quàm promulgatum fuit, at Fœdus Gratiæ priùs promissum, dein multò post promulgatum & sancitum est in sanguine Filij Dei.

a Gen. 2. 8. 9

X.

Iustitia & Fidei discrimen.

Iustitia autem & *Fides* differunt vt *Dare* & *Accipere*, nam Iustitia Deo dat, Fides accipit, Iustitia sita est in mutuo amore Dei, Fides in persuasione de amore Dei. Attamen ista indiuiduo nexu coniuncta sunt, sed ita tamē vt Fides præcedat, amor sequatur, Fides sit caussa, amor effectum, Fides rudis & inchoata gignat amorem minùs ardentem, perfecta & numeris omnibus absoluta ardentissimum. Ergo, Iustitia præsupponit (vt loquuntur) Fidem, contra Fides necessariò ponit amorem vt consequentem.

XI.

Vnde triplex oritur quæstio nec inutilis, nec difficilis explicatu. Prima, cur in Fœdere Naturę Deus non stipuletur disertis verbis Fidem, sed obedientiam & amorem. Secunda, quo iure in Fœdere Gratiæ Fides & Justitia opponantur, siquidem non possunt diuelli. Tertia, an & quomodo differat Fides illa quam præsupponit Iustitia exacta in Fœdere Naturæ, ab eâ Fide quam stipulatur Deus in Fœdere Gratiæ.

XII.

Cur Deus ab Adamo non stipulatus sit Fidem,

Ad primam quæst. Respondemus. Deum non stipulatum esse ab homine Fidem nisi ex consequenti. Primò, quia nulla, ne probabilis quidem, suberat homini caussa vel tantillùm dubitandi de amori Dei, peccatum enim nondum introierat in mundum, contra quàm vsu venit in Fœdere Gratiæ, quod initur cum conscientiâ territâ peccati sensu, & quæ se non potest aliter erigere quàm si audiat nihil à se aliud exigi quàm Fidem, hoc est, vt persuadeat sibi se caram esse atque acceptam Dei. Secundò, in Fœdere Naturæ spectatur quid homo debeat Deo, idque κατ' ὧ ἀκειβέστερον exigitur (debet autem Iustitiam & sanctitatem) at in Fœdere Gratiæ, quid Deus in Filio reconciliatus homini velit offerre, idque benignè offertur.

à nobis autem eam exigat.

XIII.

quomodo Fides & Iustitia opponantur in iustificatione.

Ad secundam quæst. Respondemus, in Fœdere Gratiæ fidem non ideò opponi iustitiæ hominis quod olim non potuerit simul consistere, vel quod simul esse nequeant (immo verò se mutuò ponunt & tolluntt, vt dictum est) sed quod in vno eodemque foro (vt ita loquar) ad hominis iustificationem seu absolutionem nequeant concurrere, nam in Iustitiæ foro, in quo ius dicitur ex Fœdere Naturæ, vel iustus absoluitur vel iniustus condemnatur, nec quæritur directè *an credideris te Deo fuisse carum*, sed, *an amaris Deum.* At in foro Misericordiæ non quæritur primò & propriè *an amaris Deum*, sed *an credideris*, & absolueris si credidisti, si minùs, ad forum iustitiæ relegaris.

XIV.

Fidei Adæ & nostra conuenientia,

Ad tertiam quæstionem Resp. Fidem, quam præsupponit Iustitia hominis exacta in Fœdere Naturæ, in hoc conuenire cùm Fide quæ postulatur in Fœdere Gratiæ, quod vtraque sit à Deo, vtraque sit persuasio de amore Dei, vtraq; gignat in homine mutuum Dei amorem, quia abundante Fide abundat, relanguescēte relanguescit, extinctâ penitus extinguitur. Sed differunt primò, fundamento, Fides enim, quam præsupponit iustitia naturæ, nititur titulo integræ creaturæ, ideoque post lapsum Adæ nullum habet locum, etsi enim creaturam in se amat Deus, odit tamen peccato corruptam: Nemo igitur potest sibi persuadere se à Deo amari titulo creaturæ (omnes enim peccauerunt) proinde nec amare Deum. At fides, cuius fit mentio in Fœdere Gratiæ, nititur promissione factâ in Christo. Secundò, Cùm vtraque sit à Deo, Fides tamen quam præsupponit iustitia exacta in Fœdere Naturę est à Deo (vt loquuntur in Scholis) *per modum naturæ*, At fides quæ requiritur in Fœdere Gratiæ à Deo est, sed *per modum gratiæ supernaturalis*. Tertiò, Iustitia quam gignit Fides naturę erat mutabilis, quia Fides, vt de illa promanabat, pendebat à principio naturæ mutabili, At Sanctitas, quam gignit fides Fœderis Gratiæ, æterna est & immutabilis, quippe ab æterno immutabilique principio, spiritu gratiæ. Quartò, Iustitia quam gignit fides naturalis, tametsi in suo genere erat perfecta, nobilitate tamen & excellentiâ subsidebat infra eam sanctitatem quæ nascitur ex fide Christi. Eam quod etiam sanctissimi in hac vita ab illâ originali iustitiâ quàm longissimè absunt, euenit hoc ex inopiâ fidei, sed nos hîc fidem in eminentissimo gradu intelligimus, qualis erit in vitâ futurâ.

discrimen.

XV.

Hîc iterum duo quæri possunt. Primum, Si sanctitas & fides Adami fuit mutabilis, quî potuit esse securus? Deinde, Quo pacto sanctitas sit effectum fidei ita coniunctum vt à fide non possit separari, cùm in vitâ futurâ fidei nullus sit locus, in qua tamen sanctitas summa est?

XVI.

Ad primam quæst. Respondemus. Non potuisse in Adami animum, qui totus erat in sensu atque admiratione Diuinæ bonitatis defixus, vllas eiusmodi cogitationes obrepere.

XVII.

Ad secundam quæstionem, Respondemus. Persuasionem de amore Dei (quam hîc Fidem dicimus) vel niti Promissione, sed nondum impletâ, vel niti sensu impletæ promissionis: Hæc locum habet præcipuè in vitâ futurâ, illa etiam in hac vitâ, quam Apostolus ideò a ὑπόστασιν *rerum quæ sperantur*, & ἔλεγχον *eorum quæ non videntur*, appellauit, proprioque nomine *Fides* appellatur, éstque ea quæ requiritur in Iustificatione.

a Heb. 11. 1

XVIII.

De promissionis Fœderi Naturæ & Fœderi Gratiæ annexę differentiâ quod diximus, tametsi verum est, tamen propter obscuritatem opus habet explicatione.

XIX.

Vitam igitur cœlestem definimus eam quam

Vitæ animalis & cœlestis differentia.

nunc Christus viuit in cœlis, cuius quoniam *a* promus author est *cœlestis homo*, appellatur *cœlestis*: Vitam verò animalem eam dicimus quam Adam viuebat in Paradiso ante lapsum, non intensione, sed extensione solâ & duratione ab eâ vitâ differentem quæ eius obedientiam perpetuam perpetuò fuisse consecuta, adeoque in omnes eius posteros redundasset, sicuti vita illa cœlestis, cuius possessionem iniuit Christus, ad nos omnes qui in Christum credimus adoptionis iure pertinet.

a 1. *Cor.* 15.47.48.

XX.

Fœdus Gratiæ dupliciter consideratur.

Fœdus Gratiæ vel consideratur vt *Promissum*, vel vt *Promulgatum & sancitum*. Promissum est Patribus, *a* primùm Adamo, dein *b* Patriarchis, denique populo Israelitico: Promulgatum verò postquam venisset iam plenitudo illa temporum. Gal.4.4. 1.Pet.1.20.

a *Gen.* 3.15. b *Gen.* 12. & 15.

XXI.

quomodo Christus Mediator fuerit sub V. T.

Quod sic explicamus, Fœderis Gratiæ fundamentum & Mediator est Dominus noster Jesus Christus, sed vel incarnandus, crucifigendus, & excitandus à mortuis, vel incarnatus, crucifixus, & verè iam à mortuis excitatus: *a* Nulli enim vnquam remissa sunt peccata nisi in eo solo, qui est *b* heri, hodie & in æternum. Jesu Christo vero Deo veroque homine. Itaque tametsi ante incarnationem fuit tantum Deus, non erat tamen hactenus Mediator, sed qua Deus assumpturus carnem nostram, & in eâ omne mysterium redemptionis nostræ peracturus, ideoque *Agnus Dei* dicitur *mactatus ante mundi iacta fundamenta*, & Patres eius gratia seruati sunt sicut & nos.

a *Act.* 4.12. b *Heb.* 13.8

XXII.

Mediationis Christi sub Vet. & sub Nou. Test. differentia.

Quamuis autem Filius Dei antequam se in carne patefecit, apud Deum (cui futura sunt præsentia) fuit Mediator ideò quia futurus, & idcircò verè propter eum remittebantur peccata, eius spiritu docebant & discebant homines, Ecclesia per eum verè regebatur, tamen primò, Mediationis illius modus & ratio proponebatur obscuriùs: secundò, Vis & efficacia minor fuit: tertiò, & ad pauciores redibat.

XXIII.

eius ratio sub Veteri Test. fuit obscurior.

De his sigillatim agemus. Fuisse propositam rationem huius Mediationis obscuriùs ante primum aduentum Christi, constat ex lectione librorum sacri Codicis qui Vetus Testamentum appellatur, in quibus de persona, de ratione executionis officij Mediatoris, adeoque de ipso Mediatoris officio & beneficiis agitur.

XXIV.

nam obscurè describitur eius persona.

Obscurè describitur eius persona, quia tametsi clarè significatum est fore verum hominem, esse etiam verum Deum, tamen coniunctio harum duarum naturarum in Personæ vnitatem, & specialis illius ex circunstantiis designatio, non ita apertè proponitur, vt procliue fuerit fidelibus eam Christi cognitionem inde assequi, quam adipiscimur quotquot nouo Fœdere iam promulgato, & sancito morte & resurrectione Christi, viuimus. Huc accedit quod typis & figuris eius Persona sæpè adumbratur, & nonnisi per inuolucrum intuenda proponitur.

XXV.

ratio Mediationis.

Consimili modo ratio Mediationis interdum generalibus tantum verbis proponitur, rarò specialiùs describitur, sæpenumerò typis & figuris duntaxat adumbratur.

XXVI.

officia & beneficia.

Eandem rationem, in beneficiis & officio eius describendis, secutus est Spiritus sanctus, sæpè verbis significantur, sed obscuriùs, sæpè præfigurantur typis.

XXVII.

Typi quibus describitur Persona Christi sunt homines vel res, quibus verò describitur ratio Mediationis sunt Sacrificia; Beneficia verò terrenis beneficiis designantur, liberatione ex seruitute Ægyptiaca, introitu in terram Chanaan &c. Prophetæ verò vmbris terrenarum benedictionum omnia significabant, immo verò ipse Dominus noster Jesus Christus concionibus sui miracula adiecit, non tantùm ad confirmationem doctrinæ suæ, *a* sed etiam ad ea figuranda in curatione corporis quæ in animæ salute procurandâ erat exhibiturus.

a *Matth.* 8.17.

XXVIII.

In illa obscuritate varij gradus.

Sed in ista obscuritate licet gradus quosdam obseruare. Ante Legem datam per Mosem obscurior erat promissio, Lege data, vsque ad Prophetarum tempora, minùs clara, Prophetarum temporibus vsque ad Joh. Baptistam clarior, post Johannis prædicationem aperta, clarissima cùm successisset Johanni Dn. noster Jesus Christus, qui consilium Patris de Ecclesia restauranda & executus est, & promulgauit; dum exequeretur, minus apertè, postquam erat executus, apertissimè, Apostolis post resurrectionem primùm, deinde postquam ascendit in cœlum solemni missione S. Spiritus, de quâ *a* suo loco

a *vide infra, Th.* 36. & *seqq.*

XXIX.

Hîc verò quæritur. Primò, Cur obscuriùs ista proponebantur. Secundò, Cur quo tempora à Christi aduentu longiùs abfuerunt eo obscuriùs. Tertiò, Quo pacto Patrum fides fuerit saluifica, siquidem ignotior erat illis Christus quàm nobis.

XXX.

Cur obscurè proponebatur Mediatio.

Ad primum Resp. fuisse obscuriùs proposita. Primò, quoniam futura erant, & vaticinia ante complementum debent esse obscuriora, saltem quoad complementi rationem, præsertim quum apud eos agitur per quos implenda sunt. Secundò, *a* Ecclesia fuit tum in infantiâ & rudis, nondum peruenerat ad maturam ætatem, Deo ita rem pro suâ Sapientiâ dispensante. Tertiò, quia æquum erat apertam huius mysterij declarationem Christo summo Prophetæ reseruare. Quartò, *b* quia detinendi fuerunt animi in Christi expectatione; iam verò *c spes quæ videtur non est spes*: Haud multò dissimili ratione status noster in vitâ futurâ hîc proponitur obscuriùs.

a *Gal.* 4.3. b *Gal.* 3.23. c *Rom.* 8.24.

XXXI.

Cur obscuriùs quo longiùs à complemento remota.

Ad secundum Resp. Hoc mysterium eò obscuriùs esse propositum quo tempora ab aduentu Christi longiùs abfuerunt. Primò, quia quo

propiùs

propius instabat aduentus Christi eo acrius excitari debuerunt hominum animi in eius expectatione. Secundò, quia quo tempora illa longiùs abfuerunt à Christi aduentu, eo Deus aliis rationibus sese clariùs patefaciebat hominibus, compellabat eos de cœlo, alloquebatur per Angelos &c. quo verò tempora propius ad Mesiæ aduentum accedebant, eo illis quidem rationibus minùs claré sese patefaciebat hominibus, proindeque alia ratione subueniendum erat huic (vt ita loquar) defectui. Tertiò, Ecclesia quo propior initiis suis eo rudior fuit, proindeque eo rudiori forma fuit instituenda. Quartò, Ante Legem datam sensus peccati non fuit tàm acer, Lege data acrior quidem, vt tamen acerrimus fuerit tum demum quum à Prophetis Lex exponeretur, & veritas minarum Legi annexarum euidentiùs ipsa experientiâ, tot calamitatibus comprobaretur. Quintò, quia ante Legem datam iugum Legis (quod quid sit infra Thes.60. & seqq. dicemus) nondum subierat populus, cùm lege data subiisset, Fœdere recenter inito nondum senserat eius onus, donec progressu temporis experientiâ edocti, & Prophetarum concionibus commonefacti, seriò tandem deprehenderunt eius grauitatem. Vnde concludimus, doctrinam de Redemptionis nostræ mysterio, quod ad perspicuitatem attinet, minùs fuisse necessariam ante Legem datam quàm Lege datâ, & minùs Lege datâ quàm Prophetarum temporibus, minùsque Prophetarum temporibus quàm tempore Johannis Baptistæ. Sextò, quia consentaneum fuit vt tempora quo longiùs ab exortu Solis iustitiæ apparuerunt, eò obscuriora essent.

XXXII.

Ad tertium Resp. Fidei mensuram esse Verbum Dei, fidem ergo veram & saluificam eam esse quæ ea omnia credit quæ reuelata sunt, & eo modo quo sunt reuelata, proindeque Patrum fidem fuisse salutarem, quippe quæ crediderit ea omnia quæ tum Deus reuelari voluit, & eo quidem modo crediderit quo à Deo fuerunt ipsis reuelata. Immò sacrilegam esse audaciam contendimus supra Dei Verbum velle sapere, & quæ Deus consultò obscuriùs & tectiùs proposuit, ea retegere curiosiùs conari.

XXXIII.

Minor efficacia promissi quàm exhibiti Christi.

Minor fuit efficacia promissi quàm exhibiti Christi multis modis. Primò, Remissio peccatorum tametsi fuit certa apud Deum, minùs tamen sentiebatur propter obiectam nubem Legis. Secundò, percepta minorem adferebat consolationem propter minorem sensum peccati (quem necesse est iis inesse quibus non vsque adeò liquet illius expiandi per mortem Filij Dei necessitas) & obscuriorem notitiam illius gloriæ & vitę quæ remissionem peccatorum consequitur. Tertiò, Spiritus minori copiâ effundebatur in fideles, quia reseruandum erat hoc beneficium Christi temporibus, quem *a* par erat istam immensam copiam Spiritûs in humana sua natura primùm percipere, *b* atque inde in nos omnes deriuare. Deinde, cùm Christi beneficium minùs esset illis tum notum, eò minùs amore Dei & Christi inflammari potuerunt. Quartò, *c* Vigebat Spiritus seruitutis quia nondum erat sublatum iugum Legis. Quintò, non fuerunt rectâ ad peccatorum remissionem ducti, vt patet ex formâ Fœderis initi primùm in monte Sina, deinde concionibus Prophetarum sæpius repetiti. Sextò, obscurior erat sensus vitæ futuræ, vt liquet ex illius obscuriori mentione in Veteri Testamento, & horrore mortis qui videtur in iis viguisse qui antè sanctionem noui Fœderis in sanguine Christi vixerunt. Septimò, videntur Patres non adiisse eundem gloriæ gradum quem nunc adimus qui morimur in Christo. (Primò, quia *d* decebat Christum primum eam ingredi. Secundò, quia *e* stante priori tabernaculo secundum hoc non fuit reseratum. Tertiò, quia proportio quædam & ratio debet esse inter sensum vitæ futuræ in hac vitâ in adultis, & fruitionem eiusdem in vitâ futurâ, sensus autem ille in illis minor fuit & obscurior quàm est hodie sub Nouo Testamento. Quartò, *f* Non erant perficiendi sine nobis, sicuti neque nos perficiemur ante beatum illum diem secundi aduentus Christi, quo *corpus Christi*, hoc est, Ecclesia, omnibus numeris erit absolutum.) Quamquàm Patres liberatos hoc carcere corporis beatæ vitæ fuisse participes constanter affirmamus, sed eam tamen contendimus *g* minùs excellentem eâ cuius primus particeps fuit Dominus noster Iesus Christus.

a *Ioh.*3.34. b *Ioh.* 16. c *Rom.*8.15. d *Heb.*10.20. e *Heb.*9.8. f *Heb.*11.39.40. g *Heb.*8.6.

XXXIV.

Pauciores Christi participes sub Vet. quàm sub Nou. Testamento, & Cur.

Ad pauciores perueniebat efficacia Mediationis Christi, restricta primùm & conclusa in familiâ Patriarcharum, deinde illâ crescente, in populo Iudaico. Id factum multis de caussis putamus, primò, quod aduentus Christi illustrior & luculentior appareret Gentium vocatione. Secundò, vt omnium misereretur Deus, *a conclusit enim omnes sub peccatum vt omnium misereretur.* Tertiò, vt exstaret illustrissimus typus Electionis in Iudæis, & reiectionis in Gentibus, hoc est, Ecclesiæ Dei & Satanæ.

a *Rom.*11 32.

XXXV.

Sed tamen vt Dominus noster Iesus Christus assumptâ ad tempus humanâ formâ Patribus apparere voluit, vt hoc pacto veluti præluderet futuræ Incarnationi, ita pauci ex Gentibus etiam ante aduentum Christi asciti sunt in Ecclesiam Dei, vt ita exstaret præludium futuræ Gentium vocationis.

XXXVI.

Quando promulgatum sit Fœdus Gratiæ.

Hactenus de Fœdere promisso. Initium promulgati Fœderis petendum est ab eo tempore quo Christus omnia quæ de se vel Lege adumbrata, vel in Prophetis prædicta erant, adimpleuit, hoc est, postquam in cœlos subuectus corpus suum cœlo intulit, & Spiritum paracletum visibili linguarum ignearum figurâ, solemni die Pentecostes, in Apostolorum corda missum declarauit.

XXXVII.

Id liquidò constabit intuenti materiam & formam promulgationis.

XXXVIII.

ostenditur 1.

Nam cùm summa Euangelij seu noui Fœderis hæc sit, cessasse omnem τομοθεσίαν Mosaicam cæremoniarum, adeóque Legis vsum (cuius *a custodia coercebamur vsque ad fidem reuelandam*) abolitum: Christo iam crucifixo, mortuo, sepulto,

denique in cœlum recepto: primò, Remissionem peccatorum in eius sanguine clarè, apertè proponi, offerri, dari omnibus verâ fide credentibus hunc esse Christum Dominum & Seruatorem: secundò, Spiritum adoptionis in eorum corda mitti qui in hoc Redemptore firmâ animi fiduciâ acquiscunt, nihil vt illis opus sit pædagogiâ legali, cùm sint θεοδίδακτοι: Certè Euangelium dici propriè non potuit illa de fide in Christum doctrina, quæ vigente cultu Mosaico, & quidem approbante Christo, iisque nondum impletis quæ Euangelio annunciantur, obtinuit.

XXXIX.

Ex formâ promulgationis id ipsum liquet. Sicut enim Vetus illud Fœdus (de quo mox) *a* non sine magnâ pompâ in monte Sina, audiente & inspectante populo Israelitico, *b* atque in illud iurante, promulgatum est, conueniebat etiam nouum hoc Fœdus stato solemni die, in conuentu omnium ferè nationum, magno cum splendore promulgari, vt factum est festo die Pentecostes. Act. 2.

a *Exo.* 19. & 20. b *Exo.* 19. 8.

XL.

Et certè ante illum diem doctrina de fide fuit eiusmodi, vt potius ad futurum Dei regnum homines vocari viderentur, quàm iuberi præsenti rerum statui acquiescere: Vt ne altiùs ascendamus (res enim extra omnem controuersiam est posita) *a* Johan. Baptista auditores suos ad Christum relegat, *b* Christus ad regnum cœlorum (hoc est, Euangelicum Ecclesiæ regimen) vt futurum iam tantum & instans, sed tamen nondum præsens, homines inuitat. Immo verò cùm à mortuis iam esset excitatus, etsi Apostolis profiteatur apertè *c sibi datam esse potestatem tùm in cœlo, tùm in terra, imperetque vt Euangelium prædicent omni creaturæ*, ita tamen hoc mandat *d* vt eos iubeat Hierosolymis expectare complementum promissionis de solemni missione Spiritus Sancti, quasi iam designati, tùm demùm inaugurandi, extraordinariisque signis, multis audientibus atque inspectantibus, palam approbandi.

a *Iohan.* 1. 26. 27. *Luc.* 3. 16. *Marc.* 1. 7. 8. *Matth.* 3. 11. 12.
b *Matth* 4. 17. *Marc.* 1. 15. c *Matth.* 28. 18. d *Luc.* 24. 49.

XLI.

Hic locus esset de huius fœderis excellentia fusiùs differere, sed cùm res alioqui per se non sit obscura, & nos in illius cum Fœdere Naturæ collatione multa attigimus quæ huc pertinent, rem eò vsque differemus donec eius cum Fœdere Veteri (quod Subseruiens appellamus) comparationem instituerimus, de quo nunc dicendum.

XLII.

Fœdus Vetus quodnam sit.

Vetus fœdus, siue Fœdus *subseruiens*, illud appellamus quod iniit Deus cum populo Israelitico in monte Sina, ad eos præparandos ad fidem, atque inflammandos desiderio Promissionis, & Fœderis Euangelici (quod alioqui in eorum animis oblanguisset) eosque simul velut iniecto fræno à sceleribus reprimendos, ad illud vsque tempus quo Spiritum adoptionis missurus erat in suorum corda, ~~atque~~ eos lege libertatis gubernaturus.

XLIII.

Cur subseruiens dicatur.

Hinc putamus non esse obscurum cur illud Fœdus *subseruiens* à nobis appellatum sit, pænè eodem sensu quo à Spiritu Sancto *Vetus* appellatur, non quia prius (vt nonnulli hariolantur) sed quia *a* inueterascere, & succedenti præstantiori fœderi decedere, denique aboleri debuit.

a *Heb.* 8. 3.

XLIV.

Huius Fœderis natura & conditio non potest inuestigari certiùs, aut faciliùs inueniri, quàm si cum fœdere Naturæ primùm, deinde etiam cum Fœdere Gratiæ, contendatur, fiet enim vt in hac contentione, expensis iis omnibus quibus illi cum reliquis illis fœderibus conuenit, omnes eius proprietates in lucem proferantur.

XLV.

Fœderis Subseruientis & Naturæ conuenientia.

Cum fœdere Naturæ conuenit. Primò, quod in vtroque altera pars contrahens est Deus, altera est homo. Secundò, quod vtrumque annexam habet stipulationem. Tertiò, quod stipulatio eadem est quoad Legem moralem. Quartò, quod promissio eadem est genere. Quintò, quod vtrumque adducit ad Christum.

XLVI.

Discrimen.

Sed differunt. Primò, quod fœdus Naturæ cum omnibus omnino hominibus contractum est, hoc cum solis Israelitis. Secundò, quod fœdus Naturæ statim cum creato homine initum est, nullaque habuit præludia, Fœdus Vetus longè post, quodque multa habuit præludia. Tertiò, quod fœdus Naturę tantum ad obedientiam debitam lege Naturæ, fœdus Vetus etiam obligat ad cæremonias. Quartò, quum vtroque fœdere promittatur vita, hîc fruitione terræ Chanaan, illic Paradisi designatur. Quintò, quum vtrumq; fœdus adducat ad Christum, fœdus Naturæ non facit hoc per se, sed per accidens, fœdus Vetus hoc facit per se, est enim eius verus & proprius scopus: Nam Deus non iniit fœdus Naturæ cum hominibus vt eius grauitate pressi ad Christum suspirarent, sed vltimus & præcipuus eius finis hic fuit, vt Deo quod suum est ab homine redderetur; At in fœdere subseruiente Deus ius suum non alio fine exigit, quàm vt homines conuicti imbecillitatis suæ ad Christum confugiant. Sextò, fœdus Naturæ nititur creatione, & generali conseruatione, Fœdus subseruiens electione populi Israelitici, eius denique liberatione ex Ægypto, & conseruatione in terra Chanaan. Septimò, fœdus Naturæ initum est vt eo suauiter ducerentur homines, erat enim inscriptum cordibus at Fœdus subseruiens vt vi cogerentur homines, *a* gignebat enim ad seruitutem. Octauò, fœdus Naturæ est æternum, fœdus Vetus temporarium. Nonò, fœdus Naturæ non spectabat ad cohibitionem externorum scelerum, nec quoad scopum principalem, nec quoad scopum minùs principalem, *b* fœdus Vetus quoad scopum eius minùs principalem huc spectabat. Decimò, fœdus Naturæ inscriptum erat cordi, fœdus Vetus tabulis lapideis. Vndecimò, fœdus Naturæ pactum fuit in Paradiso. Fœdus subseruiens in monte Sina. Duodecimò Fœderis naturæ nullus erat Mediator, Fœdus subseruiens habuit Mediatorem, nempe Mosem. Decimo tertio, fœdus naturę initum est cum homine integro, Fœdus subseruiens cum parte quadam generis humani lapsi.

a *Gal.* 4. 24. b. *Exod.* 20. 20.

XLVII.

XLVII.

Hîc quæri poteſt, Primò, *quomodo per accidens fœdere Naturæ ad Chriſtum adducamur*, nam ad hunc præcipuè finem non fuiſſe inſtitutum iam diximus. Secundò, *quomodo fœdus naturæ ducat ſuauiter, cùm cogat potius?* Tertiò, tùm ſi cogit, *quo pacto, hac quidem in parte, à fœdere ſubſeruiente diſtinguatur.*

XLVIII.

Fœdus Naturæ adducit ad Chriſtum.

Ad primum reſpondeo, Fœdus Naturæ per accidens homines ad Chriſtum adducit, quatenus oſtendit quid homo debeat Deo, & quæ non ſoluentem debitum maneat pœna, vnde ad Mediatorem cogit reſpicere, cùm homo nec ſoluendo debito, nec ferendæ pœnæ videat ſe eſſe parem.

XLIX.

Diuerſimodè hoc præſtat.

Verumtamen hoc non pariter in omnibus facit, nam in iis qui ſola naturæ luce ducuntur, propter humanæ menti inſitam ignorantiam, leuiùs hoc præſtat, eas verò qui in Verbo Dei hoc ius naturæ legunt, vel audiunt deſcriptum, vehementiùs viget, omnium verò vehementiſsimè quorum mentes ſingulari luce perfundit, vt clarè videant & quantum debeant, & quantum non ſoluerint, & quàm grauem pœnam eo nomine ſint commeriti.

L.

Fœdere Naturæ homines cohibentur à peccato,

Fœderis tamen huius non fuit hic finis, attamen quod eius cognitio ex hominis lapſi mente non ſit penitus obliterata, factum eſt à Deo in hunc finem, vt eo eſſet quo homines cohiberentur, & ad Chriſtum adducerentur.

LI.

Atque etiam iſta quæ per accidens facit Fœdus Naturæ, aliter tamen facit quàm Fœdus ſubſeruiens.

LII.

& Fœdere ſubſeruiēte.

Nam primò, quod Fœdus Naturæ cohibet homines ab externis vitiis, id non facit propter inopiam Spiritus effundendi ſub Nouo Teſtamento (quò reſpiciebat cohibitio profecta à Fœdere ſubſeruiente) ſed ante illam temporum plenitudinem faciebat hoc propter inopiam Spiritûs quem illa tempora ferebant, & poſt promulgatum Euangelium idem facit propter inopiam Spiritûs qui nouo Fœdere promiſſus eſt. At quod fœdus ſubſeruiens cohibebat, id faciebat quia nondum aduenerat tempus illud quod Deus in fidelium ſuorum corda miſit Spiritum adoptionis.

LIII.

Sicut enim ſub Nouo Teſtamento alius eſt modus Spiritûs in hac vita, alius in vita futura, ſic ſub Veteri Teſtamento alius erat modus Spiritûs, alius ſub Nouo. Et ſicuti in eo modo Spiritûs qui datur ſub Nouo Teſtamento, quoniam in hac vita non datur perfectus, opus eſt fræno quo cohibeatur caro, quod eſt Foedus Naturę, ſic ille modus qui in Veteri Fœdere concedi potuit, quia nunquam concedebatur perfectus, opus erat tùm pari fræno.

LIV.

Ergo Judæis tum Fœdere naturæ, ſicut & nos tum Fœdere ſubſeruiente, aliter quàm nos, à peccatis externis cohibebantur.

LV.

aliter Fœdere naturæ, aliter ſubſeruiēte homines ad Chriſtum adducuntur.

Sic etiam aliter Fœdus Naturæ adducit ad Chriſtum, aliter Fœdus ſubſeruiens. Nam Fœdus Naturæ excitat in homine ſitim, quæ Chriſto applicato, vel in Promiſsione, vel in Euangelio, reſtinguitur, at ſitis quam excitabat Fœdus ſubſeruiens non potuit ſedari niſi aduentu Chriſti in carne.

LVI.

Itaque homines, quatenus Fœdere Naturæ preſsi anguntur deſiderio Mediatoris, cupiunt ſibi tantùm applicari Chriſtum promiſſum, quādo non erat exhibitus, exhibitum poſtquam eſt exhibitus: At fœdus ſubſeruiens non patiebatur homines acquieſcere in Chriſto quatenus eſt promiſſus, ſed deſiderio aduentûs eius in carne inflammabat. Haud aliter ſub Euangelio, Fœdus Gratiæ non modò iniicit appetitum illius modi Jeſu Chriſti qui in hac vita concedi poteſt, ſed etiam excitat in piorum animis mirabile deſiderium diſſolutionis huius corporis, & ſecundi aduentus Chriſti.

LVII.

Ergo & Judæi aliter Fœdere Naturæ ducebantur ad Chriſtum, aliter Fœdere ſubſeruiente.

LVIII.

vnde eſt quod Fœdus Naturæ cogit,

Ad ſecundum reſpondeo, nos Fœdus Naturæ conſiderare ſecundùm primam ſuam inſtitutionem quando inſtitutum eſt cum homine non corrupto, non autem ſecundùm eius vſum accidentarium, hominis naturâ iam corruptâ & deprauatâ.

LIX.

Ad tertium iam reſpondimus (ſupra, Theſ. 52, 53.) quum explicaremus quomodo aliter Fœdere Naturæ, aliter Fœdere ſubſeruiente homines cohiberentur à peccato.

LX.

Sed quia iam de coactione profecta tum à Fœdere Naturæ, tum à Fœdere ſubſeruiente verba fecimus, operæpretium fortaſsis erit exponere quid ſit, & quotuplex, illa coactio.

LXI.

coactio quid ſit.

Coactionem hîc non intelligimus eam qua hominis membra vi adiguntur ad ea facienda quæ omnino nollet fieri, ſed eam in qua interuenit conſenſus aliquis voluntatis, non abſolutus ille quidem & perfectus, ſed tamen non coactus, ſiquidem aſſentiri & cogi pugnant.

LXII.

Id fit quum quod in ſe odimus, volumus tamen vt vitemus aliquid quod magis odimus, vel vt aliquid conſequamur cuius amor nos acriùs inflammat, quàm illius odium quod iſtius conſequendi causâ volumus.

LXIII.

alia in piis, alia eſt in impiis.

Huius generis coactionem ſentiunt quotquot Fœdere Naturę aut ſubſeruientis ab externis ſceleribus cohibentur, ſed alij aliter. Nam impij quidem tantum metu pœnæ in Fœdere denunciatæ à malo abſterrentur, pij verò etiam amore Dei contrahentis Fœdus, licet ad malum per ſe inclinent: Illam *ſeruilem*, hanc *filialem* coactionem quilibet poteſt appellare.

LXIV.

vnde illa diuerſitas,

Diuerſitas autem iſtius coactionis non pendet ab ipſo Fœdere ſiue Naturæ, ſiue ſubſeruientis, ſed à conditione perſonarum quæ Fœdere aguntur.

LXV.

Ipsum enim Fœdus per se cogit in hac Naturæ corruptione, sed *seruili* coactione in iis qui fide destituti, *filiali* verò in iis qui fide præditi sunt.

LXVI.

Fœderis Subs. & Gratiæ.

Reliquum est vt Fœdus subseruiens (quod est Vetus Testamentum) cum Fœdere Gratiæ comparemus.

LXVII.

conuenientia.

Conueniunt: Primò, quod vtriusque author est Deus. Secundò, quod vtrumque contrahitur cum homine peccatore. Tertiò, quod vtrumque ostendit peccatum. Quartò, quod vtrumque cohibet à peccato. Quintò, quod vtrumque ducit ad Christum. Sextò, quod vtrumque est symbolum Ecclesiæ Dei. Septimò, quod vtrumque pactum est per Mediatorem. Octauò, quod in vtroque promittitur vita.

LXVIII.

Discrimē.

Sed differunt: Primò, τῇ φύσει Authoris, nam in Fœdere subseruiente Deus consideratur vt peccatum coarguens, & solam iustitiam probans, at in Fœdere Gratiæ vt peccatum condonans, & nouam iustitiam in homine renouans. Secundò, stipulatione, nam Fœderis Veteris stipulatio hæc est *a Hoc fac & viues*, noui *b Crede & non venies in iudicium*. Tertiò, Antiquitate, nam Fœdus subseruiens *c* additum est promissionibus Gratiæ quæ præcesserunt. Quartò, Modo ostendendi peccatum, nam Fœdus subseruiens non ostendit peccatum primariò, *d* sed experientiâ imbecilitatis humanæ in seruando isto pacto. At Fœdus Gratiæ hoc facit primariò, *e* docet enim διαῤῥήδην hominem esse peccatorem, *f* eiusque felicitatem sitam esse in remissione peccatorum. Quintò, Fœdus subseruiens cohibet à peccato *g* sed cum coactione, *h* Fœdus Gratiæ cum spontanea animorum inclinatione. Sextò, Cùm vtrumque ducat ad Christum, Fœdus Gratiæ hoc facit directè, Fœdus subseruiens indirectè. Septimò cùm vtrumque sit symbolum Ecclesiæ, Fœdus Vetus est symbolum Ecclesiæ Judaicæ carnale, at Fœdus Gratiæ est symbolum Ecclesiæ tàm Gentium quàm Judæorum spirituale. Octauò, cùm vtrumque Fœdus pactum sit per Mediatorem, Mediator Veteris Fœderis est homo Moses, Mediator noui non ψιλὸς ἄνθρωπος, sed θεάνθρωπος Christus. Nonò *k* Fœdere Vetere datur Spiritus seruitutis, *l* at Fœdere Gratiæ Spiritus adoptionis. Decimò, Fœdus Vetus medium erat ad finem, Fœdus Gratiæ finis. Vndecimò, Fœdus Vetus terrebat conscientias, Nouum consolatur. Duodecimò, Obiectum Veteris Fœderis est homo peccato consopitus, Noui conscientia peccato territa. Decimotertio, Fœdus Vetus ostendebat rationem Dei colendi, non autem præstabat, Fœdus Nouum vtrumque facit. Decimoquartò, Fœdus Vetus est *m* συγγραφὴ aduersus nos, Nouum verò *n* ἀποχὴ. Decimoquintò, Vetus Fœdus est *o* à monte Sina tremendo, nouum à *p* Sione cœlesti amabili & amœno. Decimosextò, Fœdus Vetus Gentes excludit, Nouum admittit. Vltimò, & hoc à nonnullis additur discrimen, quod cùm in vtroque promittatur vita, illic vita in terra Chanaan, hîc in cœlis degenda promitti videtur.

a *Gal.* 3.12. b *Iohan.* 3.18. c *Gal.* 3.16.17.19. d *Rom.* 7 *per totum*. e *Rom.* 3.9 *& seqq. & vers.* 23. f *Rom.* 4.6. *& seqq.* g *Rom.* 7.22.23.24 h *Rom.* 6. k *Gal.* 4.24.25. l *Rom.* 8 15. m *Coloss.* 2.14. n *Matth* 11. 28. o *Heb.* 12.18. *vsque ad* 24. p *Psal.* 2.6.

LXIX.

Fœdus Vetus est medium ad Nouum.

Erat autem Vetus Fœdus medium ad Christum, vel quatenus homines redarguebat peccati, vel quatenus cohibebat à peccato, vel vt typus & similitudo noui fœderis, priora duo iam sunt explicata, superest tertium.

LXX.

Lebis Moralis & Cæremonialis vsus.

Veteris Fœderis duæ sunt partes, Lex Moralis & Cæremoniæ, quibus addi potest πολιτεία. Hæ si in se considerentur redarguebant hominem peccati, & Lex quidem Moralis, quatenus per imbecillitatem carnis impossibilis est, ostendit hominem non esse spiritualem, cohibetque eundem à sceleribus externis interuentu Spiritûs seruitutis, *a* Cæremoniæ verò impuritatem peccato contractam profitebantur: Cæterùm, si vt Typi considerentur, Lex Moralis exemplar erat Sanctitatis nostræ, Sacrificia alia mortem Christi expiatoriam significabant, alia sacrificium *b* λογικὸν corporis animique nostri cuius (respectu *c* Sacerdotes vocamur) figurabant, reliquæ verò purgationes designabant realem animarum nostrarum sanctificationem in sanguine & Spiritu Christi.

a *Heb.* 10.3. b *Rom.* 12. 1. c *Apocal.* 1.6. *&* 5. 10. *&* 10. *c.*

LXXI.

Hîc duo quæruntur. Primò, quomodo Moses illius Fœderis potuerit esse Mediator, cùm comprehensus fuerit altera parte contrahente. Secundo, quomodo Sacrificia, Sacramenta & Cæremoniæ Veteris Fœderis *a carnalia* appellentur, Sacramenta Noui Fœderis non item, siquidem tàm illis quàm his repræsentabatur Christi, aut illius beneficia.

a *Heb.* 9.10.

LXXII.

Quomodo Moses Mediator esse potuit.

Ad primum respondeo. Non esse absurdum vt vnus idemque diuersa ratione & Mediator sit, & altera parte contrahente comprehendatur. Nam in Nouo Fœdere Christus cùm sit Mediator, tamen qua Deus, est etiam altera pars contrahens. Sic in Veteri Fœdere Moses Israelita cum esset, & pars illius populi cum quo Deus fœdus inibat, postquàm impositum à Deo Mediatoris officium suscepisset, non iam Israelita simpliciter, sed Mediator est, intercedens inter Deum & populum Israelem, idque factum putamus vt esset illustrior Christi typus.

LXXIII.

Sed hinc grauior difficultas videtur oriri, cùm Deus sit infinitus, quærat aliquis non absurdè, *quo pacto Moses potuerit esse Mediator inter Deum & hominem, ipse homo cùm esset.* Ad hoc Respondemus. Duplicem esse Mediationem, aliam cuius beneficio homines verè & efficaciter vniuntur Deo, & hanc Mediationem fatemur non cadere nisi in Personam infinitâ virtute & potentiâ præditam, ideoque Nouum Fœdus non potuisse vllam admittere Mediatorem, qui Deus idem non esset, constanter affirmamus. Aliam verò esse Mediationem dicimus cuius his duntaxat est vsus, vt

ostendat

ostendat quæ sit ratio Dei colendi, non item illius sequendæ vim & rationem inspiret, nec reconciliet homines Deo, sed ea solummodò proponit ex quibus facilè appareat opus esse reconciliatione; Hæc est Mediatio Veteris Fœderis. Idcircò negamus eius Mediatorem esse debuisse infinitæ virtutis, cùm hæc non sint infinitæ, sed finitæ, qualisque in creaturam cadere potest, potentiæ.

LXXIV.

cur carnalia dicantur Veterum Sacramenta.

Ad secundum Resp. Sacrificia & Sacramenta Veteris Testamenti meritò dici *carnalia*, Noui Fœderis non item, quia licet tam hæc quàm illa quoad materiam carnalia, quoad significationem Spiritualia dici possint, duplex tamen interuenit discrimen quo inter se distinguuntur.

LXXV.

1. duplex discrimen inter Veterum & nostra Sacramenta.

Primum discrimen hoc est, quod Sacrificia, Sacramenta, Cæremoniæ veterum carnalem habebant vsum, preter spiritualem significationem, at Sacramenta Noui Fœderis nullum nunc, ex instituto Dei, vsum carnalem habent, sed merè spiritualem.

LXXVI.

Non negamus tamen ex instituto & consuetudine humana etiam Sacramenta Noui Fœderis carnalem vsum habere, sed nullo Dei verbo præscriptum.

LXXVII.

2. Secundum discrimen in hoc est positum, quod Sacramenta, Sacrificia, Cæremoniæ Veteris Testamenti non primariò, sed secundariò Christum repræsentabat, & Christi beneficia, idque obscurè, At Sacramenta Noui Fœderis Christum primariò significant, idque apertè.

LXXVIII.

Sic Circumcisio primariò Abrahæ semen à reliquis Gentibus separabat, promissionem terrenam obsignabat, secundariò sanctificationem significabat. Sic Pascha primariò transitum Angeli destructoris, secundariò Christum notabat. Sic Sacrificia, purgationes primariò sanctitatem quandam carnalem præstabant, secundariò Christum & Noui Fœderis beneficia figurabant.

LXXIX.

Definitio

Libet hîc attexere, coronidis loco, trium istorum fœderum, de quibus hanc instituimus disputationem, definitiones.

LXXX.

Fœderis Naturæ.

Fœdus Naturæ est quo Deus iure creationis ab vniuerso genere humano perfectam obedientiam postulat, & præstantibus vitam beatissimam pollicetur in Paradiso degendam, detrectantibus autem mortem æternam denunciat, idque eo fine vt appareat quanto amore virtutem, quanto odio vitium prosequatur.

LXXXI.

Fœdus Vetus est quo Deus à populo Israelitico obedientiam legis Moralis, Cæremonialis, & Politicæ postulat, & præstantibus omnimodas benedictiones in possessione terræ Chanaan promittit, contra detrectantibus maledictiones & mortem seuerissimè, denunciat, idque eo fine vt eos ad venturum Messiam adduceret.

LXXXII.

Fœdus Gratiæ est illud quo Deus proposita conditione fidei in Christum, remissionem peccatorum in eius sanguine, & vitam cœlestem pollicetur, idque eo fine vt ostendat diuitias Misericordiæ suæ. Atque hæc de Fœdere.

Gloria tibi Domine IESV.

Heidelbergæ, pridie Nonas April. Anno 1608.

TRACTATVS IN QVO ECCLESIÆ ROMANÆ ASSECLARVM ADVERSVS Religionem reformatam præiudicia examinantur.

IOHANNES CAMERO ECCLESIÆ BVRDEGALENSIS FIDELIBVS.

H*VNC ego, Viri fratres, librum vobis offero, argumentum si spectetis iuris quidem publici, omnibusque communem, si vero vestra in me merita, peculiari iure vestrum. Hic superstitionis consilia reteguntur, quibus veræ Religionis examini atque adeo indagationi obsistitur, quod omnium veritatis amantium magni interest, misero præsertim hocce sæculo, quo mendacium cladium tum antiquarum, tum nouissimæ memor, collatis signis cum veritate congredi non amplius sustinet, sed timidum ac tremens fossam & vallum objicit: verùm fossam cumulare, vallum subruere ac rescindere animus fuit, victoriæ certo si manum conserere hostis cogeretur. Quomodo enim tenebræ coram veritate subsistere, vel imbecillitas & vanitas soliditati & virtuti resistere, vel mendacium veritatem vincere & superare possent? An scopum hunc assequutus fuerim, conscientiam vestram, conscientiam omnium illorum quos cæcus traditionum πατροπαραδότων amor & Zelus absque notitia transuersos non abripit, iudicem capio. Dicam ac verè dicam me illuc collineasse, & omni ostentatione, fuco ac passione procul, summoque animi candore, omnia quæ ad veritatem tendentibus opponi solent obstacula & impedimenta remouere conatum esse: quo facto in spem diuinæ benedictionis erga opus hocce meum vobis ad Dei honorem & gloriam peculiariter à me dicatum, consecratumque adducor. Ac sane quicquid à me prodire potest vestrum est, quum ipsemet tot nominibus vester sim, vt quem olim innumeris beneficiis præoccupaueritis & deuinxeritis, nunc verò honoribus vestris decoratus inter Pastores vestros locum obtineam. Fauentes itaque excipite hoc opusculum, non tam operis & artificij quod rude & simplex est & ab omni illicio alienum, quàm singularis mei erga vos affectus nomine, & excellentis à me suscepti argumenti gratiâ, quæ mihi non paruam fauoris vestri in consilio meo approbando, & veritate quam intricatam extricare, & in lucem proferre volui honestandâ expectationem dant. Interim precibus à Deo petere pergam, vt vobis amoris sui sensum porro dare & in dies augere dignetur.*

TRACTATVS IN QVO ECCLESIAE ROMANAE ASSECLARVM ADVERSVS RELIGIONEM REFORMATAM praeiudicia examinantur.

CAPVT I.

Prauam animi affectionem hominis iudicium excæcare & à veritate sequendâ auertere.

MIRVM sane, non solum plebeculam, sed & eos qui præ cæteris eminent, adeo facile mendacij lenociniis ac fuco capi vt bellum veritati indicant. Veritati, quam tamen hominis animus quo magis excellit, eo magis cognoscere appetit, eadē naturæ propensione ignorantiam odio prosequens, sed ante omnia se decipi indignissime ferens, ita vt ipsimet adulatores in illius offensionem inciderent, nedum vt gratiam inirent, illos sibi adulari si suspicaretur. Vt cōtra veritati quātumuis molestæ & amarę cederet, si illam probe ac plene agnosceret. Difficile adeo est quin mendacij idea nobis non sit inuisa & ingrata, vt cōtra veritatis gratissima. Sed morbi nostri causa est prauus animi affectus & malitia, quæ sæpe ita animū nostrum incendunt, vt veluti atro & spisso quem excitant fumo, vel iudicium nostrum perturbent, vel animæ nostræ aciem penitus exstinguāt. Nō tamē ea ratione atque vapores illi acres qui corporis oculos excæcantes, illos sic afficiūt, vt homo excæcatus, nec quicquam amplius videns, falsa visus specie decipi non soleat. Ast vbi animus affectibus præditus obfuscauit, imo extinxit lumen intellectus, nō propterea superbâ & confidēti illâ perspicacitatis & veritatis accurate percipiendæ facultatis persuasione illum liberat. Ideo quāuis homo in tenebris versetur, se tamē in clarissimo sole ambulare, & quāuis mendaciū amplexus sit, veritatē assequutū esse credit.

Morbus hic vniuersus est, & praua hæc affectio generali humorum omniū in corpore corruptioni similis, omnes vitę humanæ partes peruasit. Vt verbo dicam, animorum nostrorū morbus est epidemicus, qui facit vt facillimè verum esse credamus quod verum esse cupimus, vt pote moribus nostris magis consonum, desideriorum nostrorum assequutioni magis idoneum & consiliorum exequutioni magis commodum. Tunc vanas species nobis fingimus, & lubentes eas admittimus quæ sese offerunt, vt res nobis eas esse persuadeamus quas animi affect⁹ imaginationi nostræ proponit, vt contra eâdē nobis ipsis plaudendi & adulandi naturali propensione, id falsum reuera nobis esse persuademus vel ab alio persuaderi nobis facile patimur, quod falsum esse cuperemus, vtpote animorum nostrorū propensioni repugnans, moribus nostris contrarium, cœpta nostra interturbans & variis impedimentis refertum.

Prima huiusce corruptionis scintilla in ipsa infantiâ emicat. Pueruli lætantur si fabellam sibi gratam quis veram esse asseruit, atque facile fidem adhibent: quāuis alioqui incredibilis & fabulosa illis esse videatur. Contra vero ægre ferūt si animi causa res ficta esse dicatur, & vix id illis persuaderi potest, tātæ tamq; naturales sunt affectuū vires in obscurādo & excęcādo intellectu.

Ita quisquis perdite amat veri similē credet esse orationem rē sibi amatam laudantis. Et quemadmodum rem amatam laude dignam esse cupit, illā hâc nube obiectâ & interpositâ intuens, sub aliâ formâ ac colore quā naturali cōspicit. Patres sæpe vim licet sibi faciant & ne mutuę couersationis decori repugnare videātur sese cohibeāt, taciti apud se mendacij insimulant eos qui ipsis filiorum vitia libere referunt; quū enim filiorū nequā patres esse ægerrime feramus difficillimè id quoq; credimus, quādiu nobis vel minimum rei aliter sese habētis indicium vel vmbra tantū superest. Qui litigādi animo ducitur, rabulę alicuius caussam suam approbantis, consilium magni faciet, contra in sapientâ Iurisconsultum indignabitur, & solida ac euidētissima illius argumenta quibus bona fide & ex veræ rationis pręscripto illum dissuadere nitetur, caussamque improbabit & à lite subeundâ deducere tentabit, flocci faciet. Idque illo affectu pręditus qui intellectum eius perturbat & intricat, & quomin⁹ vanas rerum imagines pressius intueatur, easque cum veritate cōferat, impedit. Sic morbo pudēdo correptus reliquis omnibus medicis eū præferet, qui ægrum quidem at non pudēdo morbo pronuntiauerit, falsam hanc sententiam intellectui sub veritatis titulo ex voto imprimens: nūquam enim sese nobis mendacium quam sub contrariæ veritatis larua commendat. Imo praua animi nostri affectio mendacium fuco illinit, vel saltem obstat quominus laruam illi detrahamus, ne proprius illud intuentes horrenda nobis appareat eius turpitudo ac deformitas.

CAP. II.

Hunc iudicij defectum à prauâ animi affectione promanantem in Religionis negotio præcipue detegi.

NOn adeo forsan in vitâ humanâ, vbi de temporali rerum statu ad summum tantummodo agitur, perniciosa est hęc excæcatio aut voluntaria conniuentia, verum in religionis causâ longe aliter sese res habet: hic enim horrendum est periculum & iactura irrecuperabilis; quando omnia illuc feruntur, omnia abripiuntur, corpus inquam & anima; non, vt non sint amplius (quod miseræ saltem alicuius felicitatis species esset) sed vt ęternis torqueantur miseriis, qui omnis infelicitatis cumulus est.

punienda foret, si ad reatum suspicio sufficeret.

Quin addo ex abundanti falsi suspicionem ordinariam esse veritatis calamitatem, sub deformi larua pulcherrima latere potest forma. An ideo adamas inuictam duritiem perdiderit, aut viuidi & fulgentis splendoris sui fontem, si interdum ita extrinsecus obductus & obscuratus fuerit vt primo aspectu vix possit agnosci. In forensibus curiis amplius inquirendum esse decernitur. Id condemnare non est, suspicionem nihilominus præsupponit, licet ergo præiudicatas opiniones & prætextus ad religionem aliquam suspectam reddendum afferre, modo sola suspicione ducti illam nō cōdemnemus, intra suspicionis limites consistendum est, vt à suspicione ad vlteriorem inquisitionem & accuratius examen trāsire possimus, Accuratissimam inquisitionem & seuerissimam probationem instituere licet. Si sincerus adamas, qui adulterini suspicione laboraret, sensu præditus esset, conferri & probari gestiret. Sic veritas quæ in suspicionem cecidit, gaudet, lætatur & veluti victrix triumphat si iudicis sententia examini & extremę probationi subiiciatur, secundum veritatem est hæc sententia, nec ignominiæ nota m i'li aspergit, quin potius ad eam eluendam, v iam aperit, estque transitus & aditus ad gloriam. Hoc exposcit illa & efflagitat, se in suspicionem adduci dolet quidem, sed non conqueritur, nec illud est querelarum eius argumētum. Consuetudine malum hoc lenius illi & tolerabilius redditur, id vero dolet & conqueritur se suspicionibus damnari, nec sibi causę suę penetralia in quibus totius defensionis vires sitæ sunt exponendi copiam fieri. Nam alioqui si in ipsius causæ appendicib⁹, circumstantiis, veri similitudinibus & coniecturis subsisteretur, causa sæpe caderet, mendacium vero superius foret; Vt plurimū enim corrupto hocce sęculo his rationibus ius ex iniuria fieri solet, quam egregie igitur & diuine inquiebat Tertull. Apol. 1. *Nihil veritatem de causâ suâ deprecari, quia nec de conditione miratur. Scit enim se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos inuenire. Cæterum genus, sedē, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere. Vnum gestit interdum, ne ignorata damnetur. Quid hic deperit legibus in suo regno dominā tibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam auditam damnabunt veritatem? Cæterum inauditam si damnent præter inuidiā iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possint.*

Capvt VI.

Religionis reformatæ professorum causam non excussam solis præiudiciis ab Ecclesia Romanâ damnatam fuisse.

HAnc suspicionem meriti sunt Pontificij, religionem reformatam ignoratā & non excussam condemnantes. Conciones nostras audire & libros nostros legere reformidant. Scripturam quoque sacram neque legunt, neque meditantur. Summa illa opinio quam de Doctorum suorum captu & fidelitate conceperunt fecit vt eos, reos licet & grauissimorum criminum accusatos, sacrilegij nēpe, & impietatis, vt qui Israeli ἀποςασίας authores fuerint, in propria causa iudices constituerint. Si falsa & iniqua sit hæc criminatio hęc erat, illius depellendæ via facillima & summopere efficax omniū scilicet oculis, debilitatem & ineptiam rationum eius exponere. Cur ab auditu verbi Dei adeo sibi metuunt? Cur meditatio adeo seria & pia sacrilegiū apud illos habetur? Cur sola illius audiendi cogitatio confessione expianda est? quis hasce leges tulit? quis disciplinam adeo exactam constituit? Cui bono? quidve sibi proposuerunt? quem inde fructum sperarunt? si pontifex culpa vacat, cur hoc prohibuit: Vtrum innocentia an mala conscientia postulat ne accusatio audiatur? An hâc agendæ ratione crimen obiectum purgare an potius iudicium subterfugere quæritur? Hoc est sane aperte metum prodere. Si nos ita gerere instituissemus, in meritam non bonæ, sed malæ fidei suspicionem traheremur.

Verum est eos de suggestu & in scriptis suis accusationem nostram interdum proferre, sed eo magis suspecti habēdi sunt. Qui enim accusatorem non vult audiri, sed ipsemet illius accusationem proferre, tacitam accusationis adulteratæ & dissimulatæ quo facilius eludi possit, de se suspicionem excitat.

Hæc est quotidiana & continua protestantium querela, accusationem suam numquā nisi adulteratam & in alium sensum detortam proferri. Fidem suam ab aduersariis deturpatam & sub alia quam genuina forma exhiberi. Cum pōtificiis disputare, nihil aliud esse quam cum larvis, non cum aduersariis luctari. Ductus quosdam & lineamenta doctrinæ nostræ exprimi, sed non in vera sua symmetria & proportione. Veluti quædam specula quæ vultum quidem deformatum repræsentant, Aliquid nihilominus de colore & lineamentis retinent: Sic quum deformitatem nostram, vti inquiunt, depingere aggressi sint, nolunt tamen faciem nostram ab vllo conspici.

Quid de peritia & fidelitate pictoris iudicaretur qui de tabula sua ad archetypum non collata iudicium ferri postularet? Citant & legūt libros nostros in Cathedra, vt Christi calumniatores verba eius sophistice & cauillatorie citabāt, semperque in contrarium sensum. Sed si verum dicant, cur illorum per otium attentius inspiciendorum & meditandorum facultatem concedere recusant. Cur sola curiositas nos audiendi & libros nostros legendi, peccatum esse censetur? Quænam hæc est contradictio & horrenda confusio libros nostros citare & illorum lectionem prohibere? Verùm, homini ingenita pigritia excusatione hoc dignum, imò & plausibile reddit. Confidentiam illam seu potius audaciam qua à doctorib. suis ad libros nostros remittūtur bonę cōscientiæ indicium esse existimant, sed illorum postea interdictione molesto hoc labore leuātur

Libros nostros citari gaudent, ne inauditi ab illis damnari videamur, sed & illorum quoque examē sibi interdici, vt ab hoc labore eximātur. Sic mercator piger in serui, imperitus Senator in scribę sui curâ & fiue aquiescit, dum alter rationibus putandis, alter causæ alicuius cōmentario conficiendo, sed perperam vacat, & vterque, Ille de institore, hic de scribâ suo, ait, fideles eos esse & gnauos. in Domini sui rem & commoda natos. Hoc sibi scilicet persuadent vt secure & in vtramque aurem dormire possint.

Cap.

CAP. VII.

Quibus præiudiciis damnati fuerimus in Ecclesia Romana.

FAcilè id à nobis probabitur, si per singula Religionis reformatæ Capita iuerimus, & colorem quem vt suspectam illam & exosam redderent inducere quæsiuerunt ob oculos proposuerimus, sed prætextus quibus argumenta illa ac rationes quæ errorum emendationem necessariam reddiderunt eleuare conati sunt & adhuc conantur examinare statui.

Ante omnia Dei in Scripturâ loquentis iudicium defugiunt. Et quemadmodum judex iniquus & gratiæ obnoxius sub spetiosis obcuritatis & imperfectionis prætextibus legum auctoritatem à se pendere vult, vt sibi ad quiduis pateat licentia, legumque loco voluntatem suam & affectus substituat. Sic mali Pastores in Ecclesiâ quum neque Scripturam falsi insimulare, neque auctoritatem eius defugere possent, varias iudicij illius euitandi rationes commenti sunt, omnes illi defectus & imperfectiones quæ in scriptum purè putè humanum cadere possunt objicientes; efficaciam eius & maiestatem negantes quum ab illis *a* litera mortua *b* album & nigrum appellatur. Perspicuitatem eius & simplicitatem quum *a* obscuritas, *b* & ambiguitatis illam accusant. Eius sufficientiam, quum *c* insufficientiæ audent arcessere. Eius auctoritatem nostri respectu quum docent illam absque Ecclesiæ auctoritate, non plus auctoritatis apud nos obtinere posse quàm *d* fabellæ Æsopicæ & Mahometis Alcoranus.

a Coster. Iesuit. Enchir. controu. c. 1. *b* Bordes Iesuit. des abus de la Messe. *a* Cens. Colon. p. 9. Andrad. explic. orthod. lib. 2. p. 69. Eckius in Enchir. prop. 4. p. 69. *b* Petrus à Soto in defens. de vno præf. Iud. Eccles. pag. 108. col. 2. Pighius de Hierarch. Eccles. 1. c. 4. *c* Le Cardinal du Perron en son traicté de l'insuffisance de l'Escriture. Pistotius contr. disp. Mentzeri fol. 27. *d* Hermann. laudatus à Card. Host. l. 3. de Author. script. *e* Bellarm. l. 4. de verbo Dei c. 4.

Sed nos Dei gratia hasce calumnias, seu potius blasphemias abundè alibi falsi conuicisse credimus, ita saltem vt veritatis hostes nihil hactenus habuerint quod responderent, nisi quod indignatione, desperatione, rabie & furore perciti quod perniciosæ suæ sophistices vanitatem, fraudem, ac impietatem omnium oculis exponi & palam examinari viderint, summum suum dolorem dissimulare non potuerint, sed iniuriis, contumeliis, verbis factisque immoderatis, illorum quidem dignis, & causam adeò desperatam, Deo & hominibus inuisam decentibus, sed homine Christiano *e* imò Christianorum doctore indignissimis, & veritatis grauitatem, lenitatem & gratiam minimè decentibus.

Hic euentus atque hæc agendi ratio, tristis per se, nos tamen lætitia effecit, quum iterum ac modò, summam in hoc exemplo veritatis vim perspexerimus, quæ quamuis non persuadeat tamen conuincit, & si non flectat proculcat tamen & vulnerat aduersarios adeò acriter, vt quamuis non succumbant, tamen conscientiæ suæ vlcus & vulnus verbis impudentibus & contumeliosis qualia esse solent mulieris in adulterio deprehensæ palam facere cogantur.

Hæc tamen lætitia animos quoque nobis ad pergendum addidit, vt detegamus quo artificio impediunt quominus examinetur conformitas Religionis ad fidei regulam, vt Tertullianus vocat de præscr. adu. hæreti. c. 13. & alibi, dum Deus nobis largiatur facultatem ostendendi quomodò impossibilem reddiderint nudæ & simplicis Religionis considerationem, alienum illi colorem inducentes, eamque tam deformem & à seipsâ dissimilem exhibentes, vt, quemadmodum ab illis vt plurimum exprimitur, prodigiosâ sit deformitate insignis.

Vt autem religionem ita suspectam redderent vt nullus attentè considerare dignaretur concordiam eius & harmoniam cum principiis quæ ab omni tempore, atque etiamnum, extra omnem controuersiam inter Christianos fuere, nullum Christianum veritatem per Spiritum Dei in se habitantem discernere posse pronuntiarunt. Et quum sibi semel hunc Ecclesiæ tot elogiis nobilitatæ, tot promissis auctæ, vt nullus auctoritatem eius in dubium reuocare queat, quin se vnâ eâdemque operâ, Iudæum, Turcam vel Ethnicum profiteatur. titulum vendicârint, facile illis fuit doctrinam erroribus suis contrariam extra omnem considerationis dignitatem ponere. Sed quum viderent satis non esse titulum sibi magnificum vindicare ac vsurpare, nisi quàm verè illud fiat ostensum fuerit, contra verò tam audacem & temerariam agendi rationem posse omnium in se Christianorum odium & exsecrationem concitare; huic vsurpationi tegendæ & dissimulandæ spetiosos (vti quidem arbitrantur) prætextus quæsiuerunt & inuenerunt.

Omnes hi prætextus ad decem capita reuocari possunt, quibus ostentant nobis & proferunt.

1. Ecclesiæ suæ magnificentiam, cui abiectam illorum qui errorum emendationem postulant sortem opponunt.

2. Illius vnionem, & concordiam; contrariarum verò discidium.

3. Illius antiquitatem: & reformatæ nouitatem.

4. Instant vt confiteamur, se olim fuisse veram Ecclesiam; si confiteamur, exclamant, se igitur eos adhuc hodie esse, quandoquidem Ecclesia non perit: vt certè perire nequit, imò nec mutari in essentialibus.

5. Instant de æra temporum, de locis de personis, quando, vbi, per quem hæc mutatio inuecta fuerit, apostasia hæc cœperit, hæc ruina consequuta fuerit.

6. Vbinam gentium tamdiu Ecclesia nostra latuerit, quam in vrbem, quam in vallem vel solitudinem sese illa receperit.

7. Demandatam reformationis auctoribus prouinciam falsi arcessunt.

8. Successionem suam sine interruptione continuatam ambitiosius ostentant.

9. Iactant penes se esse Christianismi substantiam, quam vel nobis confitentibus apud se residere arbitrantur.

10. Denique ingenti Clericorum multitudine quos mundo nuntium remisisse, pedibus delitias, opes ac gloriam sæculi calcasse, vt ad cœlestem gloriam aspirent & perueniant ambitiosa ostentatione plebeculæ oculos præstringunt.

Inde postea concludunt, ibi Ecclesiam esse, vbi fuerint illæ notæ; vbi non fuerint Ecclesiam esse non posse. Atque ita dum arbitrantur se notas illas iure posse sibi vindicare, nihilque in illis nobis esse iuris; quamuis recepta apud nos veritas clarissima luce vel maximè factiosos & animi impotentes circumfundat hisce nihilominus præiudiciis abrepti nos semper condemnant.

CAP. VIII.

Consideratio externæ gloriæ Ecclesiæ Romanæ, contrà verò paupertatis veræ Ecclesiæ.

FAc autem ex hisce considerationibus dubitari posse an simus vera Ecclesia. Attamen non ideo condemnari debemus. *x* Dominus Iesus Nazarenus vocabatur, hoc agnominis Nathanaelem dubitare fecit an ille reuerà Messias esset; *A Nazareth*, inquit ille Philippo, *potest aliquid boni esse?* sed quamprimùm Philippus respondit, *Veni & vide*, abiit & vidit. Quid nobis decedet si propius inspexerimus, an speciosis hisce argumentis nihil insit fallaciæ? Quamlibet accurata inquisitio non facit vt si vera fuerint pro falsis habeantur, sed contra illorum veritatem quo exploratiorem eo illustriorem reddet, at si falsa fuerint, quis falsitatem retegi & in apertum proferri nolit?

Atque id studemus; quoniam verò, amplissimum est argumentum, ne longiùs quàm par est diuagemur, eundem in speciosis hisce argumentis examinandis, atque in proponendis sequuti sumus, ordinem sequemur, & à primo exorsi reliqua deinceps ordine suo sigillatim persequemur. Hîc Ecclesiæ Romanæ maiestas omnium prima populi oculos præstringit, tribus hisce circumstantiis conspicua. 1. Gloriâ externâ. 2. Ceremoniis 3. Politeia & ordine. At quid fiet, si hæ circumstantiæ suspectam illam potius, Ecclesiam verò contrariam maiore commendatione, ideo quòd illis careat, dignam reddiderint. Ac sanè 1. Ecclesiæ natura. 2. Conditio. 3. Periculosa incommoda quæ ex hisce præiudiciis consequuntur, non permittunt eas pro veræ Ecclesiæ notis haberi. Gloria enim & splendor Ecclesię externus non est, corporeus aut visibilis, sed internus, spiritualis & inuisibilis *y* omnis gloria eius ab intus, *z* est sicut tabernacula Cedar, modò puluere obsita & sole decolorata, modo ventis & tempestatibus agitata: cæterùm intus splendore & magnificentia tota coruscans: in hoc similis *a* capiti suo D.N.I. Christo, vt quam Deus *b* prædestinauerit conformem fieri imaginis Filij sui, in quo dum in terris versabatur *c* neque species erat, neque decor, *d* despectus & sui & *e* discipulorum & *f* omnium qui sequebantur illum respectu, externè considerantium iudicio. Quis illum hac de causa Tiberio, Pilato, vel Caiaphæ summo Pontifici contulisset? *g* Natum in præsepi, non verò in palatio, *h* in oppidulo, non autem Hierosolymis aut Romæ. *i* Stirpe quidem regia, sed cuius gloria cum populi Israelitici ignominia commutata erat, *k* quinimo in seruitutem redactum; è virgine, *l* sed adeò paupere vt *m* fabro desponsata fuerit; in natiuitate quidem sua à *n* pastorum multitudine adoratum, *o* sed à paucis tantummodo sapientibus: Herodis *p* persecutione *q* impetitum, *r* latentem & ita abditum *s* vsque ad Baptismi sui tempus, vt vel ipsi Iohanni ignotus esset. Inde à Spiritu *t* in desertum ducitur, *u* à Diabolo tentatur, *x* ab illo assumptus & statutus super pinnaculum templi, exinde *y* quum cœpisset prædicare, *z* continuis persequutionibus ad mortem vsque agitatus fuit: verùm à quibus? Sanè *a* à sæculi principibus, à Magistratibus, ab illis ipsis qui Ecclesiæ titulum, qui missionem, successionem & Mosis Cathedram iactitabant; eiusmodi semper præiudiciis grauatum *b* *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex Pharisæis?* En quò Iesu Christi pompa & magnificentia redigatur, ad ignominiam scilicet & paupertatem. At illum interim intrinsecus intuere. *c* *In illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* *d* *In illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* *e* Author & princeps est vitæ, *f* Dominus gloriæ: *g* Filius Dei: *h* Filius eius vnigenitus, *i* *qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit.*

An deceret igitur Ecclesiam *k* quæ est opus manuum eius, *l* & lutum quod digiti eius finxerunt, *m* serua quam sanguine suo redemit, *n* sponsa quam Spiritu suo sanctificauit, aliam quam Domini sui tesseram gestare, delicatè tractari, atque alio modo ac ipse? Imò an fieri posset vt corpus capiti suo conforme non esset, vt quum capitis gloria sit inuisibilis, corporis gloria visibilis esset? quum capitis magnificentia spiritualis sit & cœlestis, Ecclesiæ seu corporis mystici corporea esset & terrena? Quin hæc est eius conditio *o* vt compatiatur vt & conglorificetur: Magnificentię itaque & pompę pręiudicio lęditur potius quàm iuuatur pudicitia, quę vt plurimum conditione pauper est & semper cultu adeò modesto ac si pauper esset.

Pompa illa quę allicit, quę detinet, quę denique pręstringit oculos corporis, merè carnalis est, & quandoquidem carni tantopere placet, non debet inter virtutis insignia referri, quum superbię potius nota sit. *p* Diues induebatur purpurâ & bysso & epulabatur quotidie splendidè, Lazarus contrà pauper & vlceribus scatens, cœli iniuriis & hominum contemptui expositus, à canibus adiutus, à suis verò, ab homine sibi simili repulsus. Hic tamen Ecclesię, ille huiusce mundi figura erat. Annon quoque Dominus suos monuit *q* se illos sicut oues in medium luporum mittere, *r* illos exosos fore omnibus hominibus propter nomen suum *s* & quemadmodum mundus ipsum priorem odio habuit, ita & illos habiturum *t* & extra synagogas, quarum certè erat successio, & quę antiquitatem prętendebant, eiectum iri. *u* Ad magistratus pertrahendos esse, *x* horam venturam vt omnis qui interficeret eos arbitraretur obsequium se pręstare Deo, vt verbo dicam *y* discipulum non esse super magistrum nec se aliter excipiendos atque ipse exceptus fuisset sperarent, *z* *Videtis vocationem vestram*, inquit Apostolus, *quia non multi sapientes secundùm carnem estis, non multi potentes, non multi nobiles, sed ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Idque iuxta gratiarum actionem D. N. I. Christi, *a* *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti paruulis*, atque adeò illius hortationem, *b* *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

Ac sanè si magnificentia externa, verę Ecclesię; contrarium verò, falsę nota esset; vera Ecclesia per spatium trecentorum & ampliùs annorum, durantibus persequutionibus falsa dicenda fuisset. Et postea quum Arrianismus longè latéque serperet, *c* & orbis vniuersus Arrianum se esse miratus est & ingemuit: Quum Imperator *d* Constan-

x Ioan. 1. 46. 47.
y Ps. 45. 14.
z Cant. 1. 5.
a Eph. 1. 21. & 4. 15. & 5. 23. Coloss. 1. 18.
b Rom. 8. 29.
c Esai. 53. 3.
d Philip. 2. 7.
e Act. 4. 13.
f Ioan. 7. 49.
g Luc. 2. 7.
h Matth. 2. 5
i Matth. 1. Luc. 3
k Luc. 2. 1. 2 3
l Matt. 1. 18. 23.
m Matt. 13. 55 Marc 6. 3
n Luc 2. 8
o p q Matth. 2. 12. 13
r 14. 15.
s Ioan. 1. 31. 33
t Matth. 4. 1
u Matt. 4. 3
x Matth. 4. 5
y Matt. 4. 17
z Luc 9. 58
a 1. Cor. 2. 8
b Ioan. 7. 49
c Coloss. 2. 3.
d Coloss. 2. 9
e Act. 3. 15 & 5. 31
f Apoc. 19 16
g Matt. 3. 17
h Thess. 1. 14. 8. & 3. 18
i Phil. 2. 6. 7
k Eph. 2. 10
l Esai. 64. 8
m 1. Pet. 1. 19
n Ephes. 5. 17
o Rom. 8. 17. 2. Tim. 2. 11
p Luc. 16. 19
q Matt. 10. 16
r Luc. 21. 17
s Ioan. 15. 17. 19
t Ioan. 6. 6
u Luc. 12. 12
x Ioan. 16. 2
y Matth. 10. 24. 25
z 1. Cor. 1. 26
a Matt. 11. 25
b Luc. 12. 32
c Hieron. contra Lucif.

d Constantius Liberium Episcopum Romanum contumeliosè interrogaret quantam ipse orbis partem constitueret vt solus ita cum scelerato staret (Beatus enim Athanasius eo apud illum erat in numero & loco) vt terrarum pacem conturbaret. Quum Liberius se reuera solum esse confiteri coactus est , sed tamen nihil hoc de verbo fidei diminuere ; quum tres solos olim fuisse opponeret qui Nebuchadnetzaris idololatriæ obstitissent. *e* Qum ille ipsemet Liberius aliorum exemplo abreptus Arrianismo subscripsit. Quum *f* Gregorius Nazianzenus Ecclesiam multitudine censeri indignabatur , & quum de Arrianis agens aiebat, stat cum illis plebs, nobiscum verò fides: Aurum habent & argentum , nos verò doctrinam. An vera Ecclesia tunc temporis magnificentiâ præcellebat ? An à potentioribus stabat? An recesserat à loco vnde gloria & magnificentia exulabat, vt illuc vbi vigebat illa se côferret? Memores simus moniti Hilarij ad contemporaneos sanè suos , sed quod ad nostra quoque tempora extenditur. Vnum moneo , cauete Antichristum, malè enim vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est (mirum sanè verbum !) in his Antichristum esse sessurum ? Montes mihi , & syluæ & lacus, & carceres & voragines sunt tutiores. In his enim Prophetæ aut manentes aut demersi , Dei Spiritu prophetabant. Externa igitur hæc gloria cùm veræ Ecclesiæ natura subsistere nequit , nec inter eius notas haberi potest , contra illius defectus Ecclesiæ naturæ magis congruit eamque magis illustrem & conspicuam reddit.

d Theodoretus hist. Eccl. lib. 2. c. 16.
e Athanas. in epistola ad eos qui vitam solitariam degunt Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorũ in Fortunatiano.
f Gregorius Naziãzenus in oratione côtra Arriũ.
g Hilarius in lib. cont. Arrian. & Aux.

CAP. IX.

Quænam sit vera quies Ecclesiæ? quomodo reges sint nutricij eius? Et reges non esse nutricios Ecclesiæ Romanæ.

NVlla ne igitur vnquam quiete Ecclesia fruetur ? An vana erunt quæ Deus promisit *h reges nutritios illius fore*, vultu in terra demisso illam adoraturos & puluerem pedum illius lincturos? Absit, Deus Ecclesiæ suæ reuerâ *i* quietem concedit , sed quietem illam *k* quæ exuperat omnem sensum. Pacem illam *l* ad Deum qua *m* gloriatur in tribulationibus , *n* tribulationem patitur sed non angustiatur , apotiatur sed non destituitur , persecutionem patitur , sed non derelinquitur , hmiliatur sed non confunditur , deiicitur , sed non perit. Atque hæc promissa , *reges fore illius nutritios & puluerem pedum illius lincturos* , similia sunt aliis id genus promissis , *o sucturam lac gentium* , *p reges post illam ambulaturos & vinctos manicis perrecturos*, at quas gentes , quos reges ? gentes inimicas , reges inimicos. Promissa ergo rerum terrenarum hæc fuerunt , ad cœlestia figuranda, promissa bonorum fluxorum & caducorum ad bona æterna & semper duratura designanda. *q* Hoc modo Deus promisit se illam in carbunculis & sappphiris fundaturum , nullum ampliùs tumultum , nullam confracturam in portis eius fore pronuntians.

h Esa. 49. 7. 23.
i Ioan. 14. 27 & 16. 33.
k Philip. 4. 7
l Rom. 5. 1
m Rom. 5. 2. 3
n 2. Cor. 4. 8.
o Esa. 60. 16
p Esai. 45. 14
q Esa. 54. 11

Quia tunc temporis hæc à Iudæis summopere expetebantur , Spiritus Sanctus illis vsus est ad fœlicem sed spiritualem Ecclesiæ statum designandum *r*. Eadem quoque ratione pollicetur, quum transierit per aquas Ecclesia, flumina non operitura illam ; quum ambulauerit in igne non comburendam esse , & flammam non arsuram in illa ; Promissa, si literam spectes, figurata ; si sensum, mystica & realia.

Verum quidem est Deum Ecclesiæ suæ quoque *s* externam quietem concedere , sed *t* moderatam nec quæ æternum *u* durare debeat. Nec sanè decet illam plena pace in terris frui , quia hîc *x* peregrina & *y* hospes est , *z* extra patriam suam , cœlum nempe *a* vnicum pacis suæ & solidæ quietis locum constituta. *b* Pax ordinaria & continua cum eius natura subsistere nequit , illam immutat & tandem aliquando perdere & corrumpere posset. Non secus ac calor externus aëris , sine vlla moderatione continuatus caloris naturalis & interni vigorem primum debilitat, ac tandem penitus suffocat & extinguit.

Aliquando quoque reuerâ reges sunt *c* nutricij Ecclesiæ sed rarò. Çyrus nutritius fuit Ecclesiæ Iudaicæ nec tamen illius ciuis. Sic multi Imperatores Ethnici passi sunt Christianos in ditionibus suis sedes sibi figere. Tunc Ecclesia lac gentium suxit; Tunc , si vnquam aliàs, oraculum quo reges Ecclesiæ nutritios fore ferebatur, ad literam impletum fuit.

Non ideo tamen dicimus Deum in Ecclesia sua principes nunquam suscitare ; At quum illi principes dum sese Ecclesiæ nutritios præstare student superfluis illam ornârunt priuilegiis , exitium illi, non promotionem procurârunt.

Non solùm poëtæ , superbia & fastus Ecclesiæ Romanæ has voces extorsit , *d Ne redeat amplius Constantinus*. Sed ipse B. Hieronymus suo tempore (vide quæso lector iam à quo tempore) obseruat Ecclesiam in persecutionibus adultam fuisse , sed postquam in principes Christianos incidisset reuerâ creuisse diuitiis & potentia , sed virtutibus imminutam fuisse. Quid ille verò , si hodie viueret ? In Ecclesia igitur nimia magnificentia ab initio futuræ mutationis omen est , sed temporis progressu mutationis in deterius factæ nota certissima.

Sed rerum præsentium status in longè aliam extremitatem incidit. Nullus hodie princeps est qui Ecclesiam Romanam reuerâ sustineat : Sustinet illa potius eos à quibus se sustineri gloriatur. Iure itaque nutritij illius dici nequeunt. In ipsis quoque temporalibus illis dominatur : Auctoritatem ac ditionem illorum à nutu & voluntate sua pendere vult , nec tantùm illos excommunicandi ius sibi vindicat , sed & illos principatibus suis spoliare audet : Vbi libitum est, sceptrum illis eripit & coronas illorum pedibus calcat , adeò vt (ô miram mutationem) nutritius coram alumno suo trepidet ; protector ab illis quos protegit sibi metuat, non eo metu quem Deus sæpe hostibus suis incutit , quique ab occulta causa procedit vt quum vel maximè barbarorum cordibus hanc vocem insonat , *e Nolite tangere Christos meos*; sed conspirationum , cultrorum , cuniculorum puluere pyrio refertorum , ditionum suarum exitij & populorum defectionis metu. O inhumanum , crudelem & barbarum alumnum ! O perditos & miseros nutritios ! An igitur illa Ecclesia , quæ hanc sibi auctoritatem vindicat , quæ hanc crudelitatem exercet , erit vera Ecclesia?

r Esai. 43. 2.
s Psal. 125. 3.
t Prou. 30. 8.
& 1. Tim. 4. 8. & 6. 6.
u Act. 14. 22
x 2. Cor. 5. 6.
y Heb. 11. 13
z Hebr. 11. 14. 15. 16.
a Heb. 13. 14
Apoc. 14. 13.
b Prou. 30. 9.
c 2. Chron. 36. 22. 23. Esdr. 1. 11. Esai. 49. 28. & 45. 1.
d Petrarcha in epigram. *Fontana.*
e Hieronym in vita Malchi monachi.
e Psal. 105. 15.

Scitè profectò dixit qui primus dixit, Pietatem diuitias peperisse, sed matrem à filia deuoratam.

Partus is sinè fuit prodigiosus, vt à pietate monstrum adeò ἄστοργον & matris suæ conditioni repugnans ortum sit. Sed nihil hîc præter Dei consilium factum est, prædixerat enim illos *f* regnum suum bestiæ daturos & iugum eius subituros.

f Apoc.17.17.

I nunc, Ecclesia Romana & gloriare; hanc tuam maiestatem iacta, hæc enim est bestiæ maiestas. I nunc & nobis paupertatem nostram & miseriam obiice; quum ea sit Ecclesiæ conditio.

CAP. X.

Ecclesiam Romanam ceremoniarum suarum præiudicio damnari non iuuari.

SEd age videamus an ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ multitudo eum illi titulum afferere possit, quem gloria externa non potuit, & an illarum defectus, quod de paupertate & miseria nostra dici non potuit causæ nostræ quicquam præiudicet; certè, nihilo magis; vtriusque nostrûm causa, hic quoque, in iisdem stat terminis. Gloria illorum illis est dedecori, & ignominia nostra nobis decori. Multiplices illorum ceremoniæ superstitiosos illos reddunt, simplicitas verò nostra veræ quam profitemur religioni testimonium perhibebit.

Hoc manifestè patebit, si consideremus *g* reuerà tempus fuisse quo ceremoniæ & rudimenta mundi obtinebant & in Ecclesia Dei, *h* qui tunc sub vmbris & figuris manifestum se faciebat, vsurpabantur, sed *i* tempus illud non durauit, nisi quandiu Ecclesia infans fuit, quandiu hæres paruulus erat, instar paruuli regendus erat, quum plenæ libertatis & perfectioris institutionis ætas eius capax nondum esset, *k* Oriens ex alto, *l* Sol iustitiæ nondum ortus erat *m* corpus vmbrarum, *n* veritas figurarum nondum tunc temporis exhibita fuerant. *o* At vbi venit plenitudo temporis, vbi Ecclesia ex pueritia excessit, & hæres ad perfectam ætatem peruenit, Sol iustitiæ ortus est, *p* corpus & veritas nobis exhibita fuere, *q* elementa mundi cessarunt, vmbræ euanuerunt, *r* figura veritati, *s* pædagogia carnalis libertati spirituali, *t* obscuritas & imperfectio luci & perfectioni cesserunt. Ideo Apostolus dicebat, *u* Nemo nos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quia nempe hæc fuerunt *x* vmbra futurorum, sed vt subiungit Apostolus, Corpus est Christi. Imò vlterius pergit, & *y* omnes cæremonias quæ institutione humana introductæ sunt abrogat, *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes mundo decernitis? Ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris, quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundùm præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.*

g Gal.3.23. *h* Col.2.17. *i* Gal.4.1.2.3.4.5. *k* Luc.1.7.8. *l* Malach.4.2. *m* Col.2.17. *n* Ioan.1.7. *o* Gal.4.1.2.3.4.5.6. *p* Col.2.17. Hebr.10. *q* Gal.4.3. *r* *s* Gal.3.25.26. *t* Hebr.7.19. *u* Coloss.2.16. *x* Ibid.17. *y* Coloss.2.20.21.22.23.

Quid solidius dici potuit ad ceremonias ab Ecclesia exterminandas? hac enim ratione videmus illas neutiquam in Ecclesia, ea conditione qua nunc sub Euangelio est subsistere posse. 1. Ecclesia mortua est cum Christo, sed vt viuat spiritualiter. 2. Hæc statuta nihil aliud sunt quàm onus, sed Dominus illam hoc onere leuauit. 3. Cæremoniæ fluxæ sunt & caducæ, at vera pietas solida est. 4. Doctrinæ sunt hominum, at doctrina de cultu Dei diuina est & à cœlo promanans. 5. Rationem quidem aliquam habent sapientiæ, speciem aliquam humilitatis, sed reapse nihil aliud sunt quàm ἐθελοθρησκεία. Frustrà ergo hîc obtenduntur bonæ intentionis prætextus, hoc nihil aliud est quàm folia ficus consuere & sibi perizomata facere. Principum est cultus sui leges præscribere, non verò subditorum sibi ipsis præfigere. Reus est qui id aggressus fuerit; quanto igitur magis damnanda est audacia & detestandum sacrilegium illorum *z* qui introducunt vel retinent in Ecclesia, cultum Dei solo hominum mandato institutum; quo plus cæremoniarum, eo plus audaciæ & sacrilegij. Iam verò túne audaciam & sacrilegium inter veræ Ecclesiæ notas collocaueris?

z Matth. 15.6.7.8.9.

Consideremus quæso primitiuam illam Ecclesiam, quæ Apostolorum tempore si vnquam alias floruit, qui summam illius in rebus omnibus, sed præsertim in cæremoniis simplicitatem non mirabitur? Nam præter Baptismi celebrationem per lauacrum *a* aquæ, & sacram *b* Cœnam, vt à Domino instituta fuit, pane & calice acceptis & post gratiarum actionem distributis: Item, impositionem manuum iis quibus S. Spiritus extraordinariè conferebatur siue in *c* vocatione generali siue *d* in particulari ad munus aliquod in Ecclesia & *e* vnctionem ad miraculosam ægrorum sanationem, primis illis temporibus, quæ fuit summa illorum simplicitas, nullæ aliæ cæremoniæ reperientur? sed ab illo tempore numerus in immensum non diuina sed humana institutione creuit.

a Act.8.36.37.38.39.& 10.47. 1.Ioan.5.9. *b* 1.Cor.11.23. *c* Hebr.6.2. *d* 1.Tim.4.& 5.22. *e* Marc.6.13 Iacob.5.14

Augustinus *f* de cæremoniis ad Ianuarium agens, eleganter ait, Dominum leui iugo nos *subdidisse & sarcinæ leui, vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur, exceptis iis quæ seruitutem populi veteris onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur*. *g* quàmuis autem subiungat, *illa quæ non scripta sed tradita custodimus quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur*, *dari intelligi vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Conciliis, commendata atque statuta retineri*, ad paucissimum festorum numerum *passionis* nempe *Domini, resurrectionis & ascensionis in cœlum & aduentus de cœlo Spiritus Sancti*, omnia illa restringit; imò & eo quod sententiam suam hisce verbis claudit, *& si quid aliud tale occurrerit quod seruatur ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia*, satis apertè innuit paucas admodum superfuisse cæremonias præter eas quas commemorat, easque parui valde momenti. Formula illa dubitandi, *& si quid aliud*, hoc necessariò infert. Ac sanè si cæremoniæ sint onus graue propter numerum & illarum obseruandarum difficultatem, si significationis obscuritate cæremonias Iudaicas æquent, si ex cæremoniis legalibus desumptæ sint, vt reuera desumptæ sunt, iis exceptis quas à Paganismo mutuati sunt, sibi ipsi Augustinus contradiceret si existimaret vel Apostolos voluisse vel Concilia potuisse, illas Ecclesiæ iniungere. Dixerat Dominum nostrum Eccle-

f Augustin. epist.118. ad Ianuarium. *g* August. ibid.

strum *Ecclesiam suam leni iugo subdidisse & sarcina levi*, an postea diceret Apostolos & Concilia iugũ hoc & sarcinam hanc aggrauare voluisse?

b August. ep.119.c.19

b Alibi conqueritur de ingenti numero & intolerabili multitudine ceremoniarum in Ecclesiis particularibus receptarum & tolerabiliorem ait esse conditionem Iudæorum, quam Ecclesiæ Christianæ tot seruilibus oneribus suo tempore pressæ: quamuis ingens ille numerus non tam sit intolerabilis propter seruitutem & onus, quam perniciosus propter superstitionem quam parit.

a August. ibid.

a Ac certè hoc est illud venenum quod in inuentionibus hisce homanis latet; vbi sub larua & fuco alicuius splendoris, sub specie aliqua pietatis, in verum Dei cultum facile admissæ sunt, illum postea suffocant & locum illius occupant. Hoc Dominus noster obseruauit, quũ discipulos suos accusatos quod transgrederētur traditiones seniorum, non solum absoluit, sed & accusatores illorum condēnauit quod transgrederentur mādatum Dei propter traditionem suam. Quis adeo hodie cæcutit qui non viderit, qui non quotidie videat mandata, quæ falso mandatorum Ecclesiæ nomine obtruduntur religiosius obseruari & sanctius custodiri quam mandata illa, quę omnes Dei mandata esse confitentur. Quamuis enim innumerabilia sint & tam varia, omnibus omnino vel maxime stupidis & agrestibus nota sunt & ab illis obseruantur. Spiritualis interim Dei cultus & vera illius ratio ignorantur, pręcepta quibus ille præscribitur maximæ hominum parti incognita sunt: Evidens profecto argumentum corruptionis & hypocriseos naturæ humanæ, quæ rebus carnalibus & externis gaudet, internas vero & spirituales spernit ac negligit; hoc grauem illam Prophetæ nomine Dei querelam extorsit, *b Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

b Esai.29.13 *c* Ioan.4.21. 24

Homo absque religionis exercitio, non facile vlla quiete frui potest, ideo pietatis aliquã speciem semper affectat. Verum in eo ab illo peccatur quod corporeus externis & corporeis, carnalis carnalibus tantum delectetur; quo magis igitur religio externa est & corporea, eo magis illi arridet; quo magis interna & spiritualis, eo minus arridet. Hâc de caussa sub ipso quoque Nouo Testamento & sub gratia eo tempore quo Dominus Ecclesiam suam ad statum, conditionémque purè spiritualem extulit, illi nihilominus ceremonias aliquot propter illius infirmitatem, sed numero paucissimas & omni pōpá vacuas, cum verbi prædicatione periculi caussa coniunctas, Sacramēta nempe Baptismi & Cœnæ reliquit, volebat enim corda nostra *d* sursum attollere, nósque in eo quod præcipuum est defixos à rebus sensibilibus & visibilibus ad inuisibilia & spiritualia abducere.

d Coloss.3.2

Propterea ceremoniarum apud nos paucitatem & defectum non inficiamur, imo laudi nobis ducimus, quia eadem hic est nostrum atque Beatorum *e* Apostolorum ratio, Idem nobis atque illis interdictum est, eadem estquoque accusatorum nostrorum condemnatio; eo quod ceremoniis suis veri cultus simplicitatem & sinceritatem suffocarint. Hanc traditionum multitudinem, Iudaicam, Turcicam, vel Ethnicam superstitionem, vbi hęc omnia olim atque etiamnum hodie vigent, potius decere asserimus, Religio Christiana illas tolerare nequit, nec possunt cum Ecclesiæ statu spirituali & paupertina conditione subsistere, superstitio ceremoniarum mater sumtuosa est. Id scilicet spiritualis scortatio, cum scortatione corporea cōmune habet; vtrique fuco, ornamentis, & illicijs opus est, quæ sine sumtu comparari nequeunt; Ecclesia illis non sufficit, ita est occupata in subleuandis viuis Christi imaginibus, vt de ligneis imaginibus cogitare illi non vacet, adeo pauper est, vt nihil illi altaribus inaurandis, sumtuosis & superbis ędificiis extruendis, parietibus tapetibus obducendis, plateis cum pompa & triumphali apparatu peterrandis supersit.

e Matth.15.1 &c.

Capvt XI.

Ordinem qui in Politia Ecclesiæ Romanæ obseruatur, illi quoque præiudicare.

Hactenus vidimus neque pompam, neque ceremonias Ecclesiæ Romanæ quicquam aliud præstare, quàm quod illam quo magis illis gloriatur, eo magis suspectam reddant, non secus ac pompa, luxus, & plus æquo affectata in vultu venustas ac in mutua cōuersatione comitas mulieris pudicitiam dubiam reddunt. At forsitan politia, ordo & auctoritas quam vsurpat, quum habeat corpus visibile, sedens in throno plusquã imperatorio, in ipsa vrbe Roma, orbis olim capite, nunc vero per vsurpationem maiore quã vnquam, quum Imperio Romano successerit, illúdque in hac ipsa successione maiestatis quam sibi tribuit amplitudine superarit vt quæ imperium suum in animam & corpus exerceat, in hoc mundo & extra illius ambitum, nullis rationibus reddendis obnoxia, omniáque sibi subiiciat, non hominem solum externum, sed & internum, conscientiam ipsam. Fortassis, inquam, hæc consideratio hanc Ecclesiam commendabilem, admirabilem & venerabilem reddere possit. Oculis certè carnalibus, id nullus dubitat, at spiritus longe aliud, imo planè contrarium fert iudicium, quum in memoriam reuocatur Christi denunciatio, *f* regnum suum non esse de hoc mundo, illius ad Apostolos hortatio, ne sint sicut *g* principes gentium. Exemplum proprium, qui quum fuerit Dominus Dominorum, Rex Regum, humilitatis suæ tempore se principis, imo tyranni ac terreni vsurpatoris tributarium sponte reddidit: mandatum, qui quæ sunt Cæsaris Cęsari, & quæ sunt Dei Deo reddere iussit, mandati huius praxis in Apostolis, *k* qui se potestatibus sublimioribus non solum subditos agnouerunt. Sed & illis omnem animam *l* monitis & hortationibus suis subiecerunt, quum se *m* fidelium seruos propter Christum esse professi sunt, *n* se fidei illorum non dominari. Hæc accuratius perpēsa turpe sanè ac aspectu horridum, oculis spiritus id reddet, quod oculis carnalibus placebat prędsertim *o* quum eminentem illam potentiam & dignitatem transcendentem, notam & tesseram Antichristi & veram regni illius Antichristiani Domini nostri Jesu Christi regno prorsus contrarij qualitatem esse considerabimus.

f Ioan.18.36 *g* Matt.20.25 *h* Matt.18.26 *i* Matt.22.21 *k* Act.23.10 *l* Rom.13.1 1.Pet.2.13.14 *m* 2.Cor.2.5 *n* 2.Cor.1.24 *o* 2.Thess.2.4 *p* 1.Ioan.2.18.

Vtique *p* quum multi semper fuerint, sint, &

futuri sint Antichristi & falsi doctores qui sese Christo opponũt, vnus tamẽ est *q* cui hic titulus præ cęteris & debetur & tribuitur: ideo quia pręter abominandam doctrinæ impuritatem quam cum aliis communem habet, in auctoritatem Christi inuadit, eamque sibi vindicat, sese super Angelos ipsos ac proinde super *r* omne quod dicitur Deus extollens (Angeli enim illi sunt quibus hoc nominis in Scriptura tribuitur) & hominum conscientiis dominandi facultatem sibi tribuens & summum in omnes Christianos imperium sibi arrogans, imperium inquam religiosum, imperium spirituale, ac proinde in templo Dei sedet ostendens se tanquam sit Deus, hominum conscientias ligandi & soluendi, peccatum pronuntiandi quod Deus peccatum non pronuntiat, ab obseruatione legum eximendi quos Deus exemtos non vult; bona opera æstimandi & pretium pro re nata vel augendi vel minuendi potestatem sibi tribuens. Quum maximorum regum conscientias terret *s* hoc illis alte in animum affectatum suorum operâ imprimens, vt vt serio pœniteant, nullâ posse illos nec corporeâ nec spirituali quiete frui, nisi ipsius absolutio interuenerit, quum pollutũ reddit vsum Creaturarum Dei, quas Deus Verbo suo sanctificauit, non quidem ieiunium commendans, sed à certis cibis contra expressum Dei Verbum, à quo hæc doctrina dæmoniorum vocatur, abstinentiam præcipiens: *t* quum illegitimum pronuntiat matrimonium quod Deus honorabile in õnibus appellat & tori immaculati nomine dignatur, quum *u* voti Deo nuncupati reos, voti sui religione liberat, *x* quum tanquam legitima connubia illa commendat, quę Dei Verbo incestus condemnantur. Quum indulgentiis suis declarat preces in loco quem designauit cõcep as, maioris esse pretij, quam si loc i in illis c nonecẽdis non assignasset; has autem ordinationes ideo exercet vt rerum spiritualium animarum & conscientiarum pretio thesauros suos repleat, quos vt omnibus palam est in Christianis principibus bello lacessendis propinquis ac consanguineis ditandis, aulæ suæ superbæ voluptuosę ac profanæ voluptatibus, luxu, & dissolutionibus fouendis profundit. Quid pręterea? quum cœlestis basilicæ portas pro arbitrio claudere ac referare aggreditur, & mortuorum dolores vel producere vel contrahere. Quum hanc sibi potentiam tribuens, in illa exercenda tam sit iniquus personarum acceptor, imò tam sordidus & auarus, imo tam inhumanus & crudelis, vt eos tantum quos libitum est seruet, quum omnes seruare possit. Annon hoc est potentiam Deo soli propriam & peculiarem sibi vindicare? sed potentiam quæ in Deo qui omnium Dominus est, nullatenus est tyrannica. In homine contra qui in alterius gratiã omnes vires suas intendere & proximum suum sicut seipsum diligere tenetur, plusquam tyrannica. Denique quum imperiosè Angelos iussa sua capessere & exequi iubet *y* annon sibi authoritatem plusquam humanam, imo planè diuinam arrogat? Attamen hæc potestas, hę autoritas, neruus est illius politię quæ ingentem illum Ecclesiæ Romanæ colossum sustinet, neruus inquam qui à capite originem ducens, per totum corpus descendit æquali proportione distributus pro vniuscuiusque membri vsu, haud secus ac in imperiis mundanis monarchę penes se summi sui imperij fontem velut, ac solem asseruant, fontis attamẽ huius riuos & solis radios ministris suis, quo officij cuiusque ratione communicant.

q Ibib. & 2. Thess. 2. 4

r 2. Thess. 2, 4

s Vide Neuersij de legatione sua Romanum narrationem.

t nempe Ecclesiasticorum.

u vota monastica.

x e. gr. regis Poloniæ qui vxoris sororem duxit connubium.

y Clement. 5. in bulla Indulgent.

CAP. XII.

Quamuis prædictum fuerit, Antichristum in templo Dei sessurum, Ecclesiam tamen quæ ab illo stat, veram Ecclesiam esse non posse.

VErum scrupulus adhuc superest, Ecclesiam nempe quæ hâc politiâ quamlibet tyrannicâ & Antichristianâ regitur non minus propterea veram Ecclesiam videri; quin potius, siquidem Antichristus in templo Dei sessurus est, huius potestatis ac dignitatis consideratione, Ecclesiam Romanam verè Dei templum esse, iure pręsumi posse.

Illum hic scrupulus non morabitur, qui perpenderit an hæc potestas ab Ecclesia vel contra Ecclesiam exerceri, ab illa approbari vel improbari debeat; qui considerauerit Antichristi asseclas, quocunque tandem tempore, vel nunc si iam aduenerit, vt certissimè aduenit, vel olim, si nondum aduenerit, vt Pontificij arbitrantur, posse Ecclesiam hoc eodem argumento impetere, se nimirum veram Ecclesiam esse, siquidem Antichristus in ipsorum medio sedet. Propterea quidam *z* non veritus est hæc verba *in templo Dei sedere*, interpretari, *Contra Dei templum sedere*, eo quod Græcè scriba tur εἰς τ ναὸν, quę oppositione m æquè & contrarietatem inferunt ac habitatione . Sed etiam eo sensu quo Antichristus in Ecclesia Dei sedere dicitur, nunquam tamen cõtingere vt Ecclesia quæ illum agnoscit, illi obtemperat, illum colit & adorat, aliud quicquam Ecclesiæ quam nomen obtineat. In Ecclesia igitur esse conceditur, sed tanquam carcinoma in corpore, tanquam tyrannum in Republica. Ac sanè ipsâ Apostolus voce *templi*, non autem *Ecclesiæ* dedita opera vsus videtur, vt allusione ad templum Hierosolymitanum *templum Dei κατ' ἐξοχὴν* appellatum, mysterium iniquitatis nobis exprimeret: Innuens quemadmodum templum illud Dei olim locus fuerat à Deo externo cultus sui exercitio cõsecratus, sed ab hominibus postea in latronum speluncam conuersus, qui tamen antiquũ semper Templi Dei nomen obtinebat, pristinæ institutionis & veri vsus habitâ ratione, sic Ecclesiam Romanam vocari templum Dei, vt quæ primitus illius manu plantata & culta fuerit, Deo & Domino N. I. Christo per Baptismum & Christianæ fidei professionem cõsecrata, nomenetiam hodie adhuc externâ professione, quamuis ab origine sua degenerarint & abominationibus & operibus suis cõsecrationem suam polluerint & professionem suam abnegarint. Rebellibus similes qui rebellione suâ non obstante, regiorum subditorum nomen retinent, & qui conspirationis auctor & caput est, quique à factiosis colitur & agnoscitur, sedere & regiis subditis Dominari dicitur. Sic adultera vxoris nomen semper retinet: ac proinde ea ratione templum illud quod factum est speluncalatronum, in quo non Antiochus sed Antichristus abominationem

z Beatus August. de Ciuit. Dei, l. 10. c. 59.

natione desolationis plantauit, *templum Dei* vocari potest.

Sed age concedamus illis, templum illud Dei in quo sedere debet Antichristus esse verã Ecclesiam, non inde tamẽ sequetur, Ecclesiam Romanam esse veram illam Ecclesiam, sed tãtùm, templum illud Dei esse fideles, qui olim in Ecclesiâ Romana inuenti sunt atque etiamnum hodie implicati inueniuntur, vt Antiquitus Iudęi Babylone & totus Israel in Ægypto: illis antiquitus Pôtifex præsidebat & hodie adhuc præsidet; atque hoc sensu in templo Dei sedet, stricto significatu.

Illi tamen nunquam fuerunt, neque sunt de Ecclesiâ Romanâ, verùm in Ecclesiâ Romana, vt granum est in paleâ, nec tamen de paleâ, vt aliquot æqui iudices in iudicum iniquorum & gratiæ obnoxiorum consessu sedere possunt, pauci sani in medio multorum pestilentiâ laborantium sed qui tamen corpus vnum cum illis non constituunt.

Denique vt omnis tergiuersatio precidatur, dicimus Papã in Ecclesiâ Dei sedere habita ratione iuris quod sibi in omnes Christianos vindicat, imo in eos qui secessionem, ab illis à quibus agnoscitur, fecerunt, tanquam illorum iudex tyrannicarum cẽsurarum suarum notam illis inurens & principes ad illos persequendos cogẽs. Fixum itaque & ratum hoc esto, hanc Ecclesiæ Romanę politiam, quum eiusdem cum Ecclesiæ Antichristianæ politiâ naturæ sit, turpem esse & probrosam corruptionis illius & defectionis notam.

At si ex aduerso Ecclesiarum reformatarum ordo cõsideretur, nulla in illis suprema iurisdictio animaduertetur, sed eiusmodi tantum auctoritas, quę se semper Verbi Diuini regulę & disciplinæ canonibus subjicit, vbi singuli non vni⁹ sed plurimorum, qui nullius tamen, auctoritate suâ, oblegandi ius sibi tribuũt, sed sola decretorum suorum æquitate ac iustitiâ, se alienę censurę subiicientes, imò & eam admittentes si ratione nitatur, iudicio stant. Ecclesia vtique in tantam latitudinem, longitudinemque porrigitur, vt ab vno regi nequeat tã nobilis est prolapiæ vt nullus leges ei præscribere. in iis quæ ad cõscientiam pertinent. Deo solo excepto possit: cæteri omnes qui cum illâ agũt tanquam serui, non tanquam Domini agere debent, nihil præscribentes, sed præscriptis testimonium perhibentes, non extollens se supra reges, sed sese illis submittentes, non existimantes se libertate spirituali seruitutis & subiectionis corporeæ, iugo eximi, sed reddentes Cæsari ea quæ sunt Cæsaris, & Deo ea quę sũt Dei, cui honorem honorem, cui tributum tributum.

Hoc nempe est fundamentum, hæc est institutio iurisdictionis Ecclesiarum reformatarum, quæ longe alia est ac Pontificiæ iurisdictionis, Pontifex enim summum spirituale imperium in Ecclesiâ cõstituit; omnes iudicare præsumit, ipse vero à nullo iudicari vult, cæcã obedientiam requirit, nõ quę mandatorum suorum æquitatis ac iustitiæ consideratione, sed muneris sui summa â eminenti dignitate nitatur, adeo vt statuta sua ac si ab ipso Deo immediate promanarent commẽdare nõ vereatur, ac si in scrinio pectoris sui omnem infallibilis scientiæ *b* plenitudinem gestaret.

b Placina in vita Paul. 2.

CAPVT XIII.

An vnio & discordia sint nota quibus vera Ecclesia à falsa discerni debeat.

SPlendor itaque ille pomparum, cæremoniarũ, iurisdictionis ac auctoritatis, quo maiestatem suam commendare vult Ecclesia Romana, non solum magis suspectam illam facit, sed falsam esse manifestò euincit, Contra, abiectio, simplicitas, humilitas q; in verâ Ecclesiâ elucet, illam commendat & certæ coniecturæ, grauissimique præiudicij argumentum est, vt illam eam reuera quam se esse dicit *Ecclesiam reformatam* esse arbitremur. His pręcognitis, reliqua Ecclesiæ Romanæ præiudicia eiusdem cum hoc fore naturę, & plus verisimilitudinis quam veritatis, plus gratię quàm iustitiæ, coloris quàm virium habitura ominamur, quod Deo dante in huius examinis progressu videbimus.

Videamus iam suo loco qualis sit momenti vnio quam prętendit Ecclesia Romana, quamque discordiæ quę ab illa nobis adscribitur, opponit.

Dicimus autem, non esse in genere verum, vnionem semper esse veræ Ecclesiæ notam, nec semper discordiam falsæ; dicimus quoq;, vnionem quidem prætendi ab Ecclesiâ Romanâ, sed reipsa nullam esse apud illam vnionem, sed potius conspirationem, qualis fuit obsessorum *c* Hierosolymis, qui inuicem diffidentes conueniebant nihilominus contra obsidentes; intus diffidentes, extra vniti. Præterea discordiam quę nobis impingitur, nullam reuera esse, nosque nõ solum contra communem hostem, sed & inuicem concordes esse.

c Ioseph. de bello Iudaico l.6.c.4.

Vnionem non semper esse veræ Ecclesiæ notam, neque diffidium iustum falsę Ecclesiæ præiudiciũ, patet ex eo quod Apostolorum tempore, maxima erant in Ecclesiâ diffidia, & in varias scindebantur sententias. Hic cęremonias legis retinendas esse, ille verò repudiandas esse, contendebat. Atque hoc diffidium eam intulerat diuisionem & animorum auersionem in Ecclesiam vt *d* ipse Petrus coactus fuerit cedere tempori & se ad locorum & personarum rationem componere, adeo vt in grauissimam Pauli censuram inciderit, qui ei in faciem restitit & acriter obiurgauit, quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij. *Audio*, inquit idem Apostolus scribens ad Corinthios, *Scissuras esse inter vos & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis.*

d Gal.2.11

Eodem tempore *f* inter Iudeæos, Scribæ, Pharisæi & Sadducęi omnes sub vno eodemque capite, summo scilicet Pontifice in vnum conueniebant, annon igitur hoc pręiudicio vti poterant & Christianis discordiam objicere? Sadducęi reuera non consentiebant cum Pharisęis in omnibus doctrinę capitibus, sed omnes nihilominus summum Pontificem agnoscebãt; omnes eidem diuino cultui operabantur; adde quod metus Sadducęorum adeo exiguus erat aliorum habita ratione, vt iustæ recriminationi locũ dare non posset; quid si potuisset, quid inde quàm criminis mutuò impacti & equaliter vtrinque veri contumelia oriretur? Quandoquidem autem horum alteri erant vera Ecclesia, num ab

f Act.23.

illius dissidio falsam illam esse inferri possit? Nec diuisio itaque, nec vnio, vel veræ vel falsæ Ecclesiæ essentiales notæ esse possunt; sed, vt hæ notæ veræ fuerint, nũ propterea potior erit Romanæ Ecclesię conditio? quid de illâ per tam diuturni schismatis spatium indicari possit? quid caussæ prætexi? Forsitan dissidium illud non fidei & doctrinæ, sed caritatis fuisse; sed cui bono hęc schismatis in fide & schismatis in caritate distinctio, si vtrumque æquè perniciosum est, æquè cum Ecclesię natura subsistere nescium? Donatistæ ab initio non dissidebant ab Ecclesiâ Catholica in fide; nihilominus membra esse censebantur, sed abscissa: schisma illorum profectò hæresim tandem produxit, vt vulnus & vlcus inflammatum febrim caussatur. Annon idem sub nouissimo Ecclesiæ Romanæ schismate contigisse fatendum est? quum Antipapæ sese inuicem Antichristi præcursores censebant; illorum sectatores inuicem membra Antichristi? Quid hic quæso regeri potest? Dicentur fortassis, in Ecclesiâ Christianâ Apostolorum tempore & postea in Ecclesia Romanâ hæretici & schismatici non fuisse ex verâ Ecclesia, sed tantummodo Ecclesiæ immisti, vt lolium tritico, quod tamen nullam tritici partem constituit, vt seditiosi in exercitu qui exercitus pars non sunt; sed annon idem regerere solent Reformati, quum discordia illis objicitur, annon fatentur in tritico suo lolium reuera reperiri, attamen quod non sit ex tritico suo? in exercitu suo spirituali seditiosos esse, sed qui nullam exercitus sui partem faciant.

Iam vero si quamprimum Euangelium ab Apostolis publicari, Iudaismus & Paganismus Euangelij vi imperi cœperunt, exorta sunt schismata & hæreses, ceu nebulæ Oriente sole. Si tẽpore tot priuilegiis ornato, adeoque florente propter donorum & gratiarum extraordinariarum multitudinem & varietatem, Satan nihilominus conatus est regnum suum ab oppugnatione liberare & validam oppugnãtium oppressionẽ discordia immissâ irritã reddere, quis mirabitur idem in nouissimâ hâc reformatione & pari successu conatum esse? quis mirabitur illum confusam vocũ multitudinem excitasse, ne vox Christi distinctè exaudiri posset, non secus ac olim Iudæi filios suos per ignem in Molochi honorem traducentes, ne miserandis illorum eiulatibus mouerentur, sonorum & tinnituum maximorum & acutissimorum varietate lamẽtabilem illam ac miserabilem vocem extinguebant. Hoc sanè Iudæis ex voto cedebat, at Satanæ non cessit frustráque laborauit: debilis infantium vox superari poterat, sed Christi vox quanquam lenis ac remissa erga suos, non minus propterea elata ac penetrans fuit, vera religio continuo tenore durauit, omnes hęreses vel extinctæ sunt, vel paulatim & sigillatim extinguuntur, non ignium & patibulorum vi, sed gladio Spiritus, sed vi & potentia Verbi Dei, qui viuit in sæcula.

Cap. XIV.

Nullam in Ecclesia Romana veram vnionem esse, in Ecclesia vero reformata nullum dissidium quod sit alicuius momenti.

SEd vt rem propius inspiciamus, nullum est inter nos vllius momenti dissidium, nec vlla vera inter ipsos vnio, sed hostium communium perdendorum simul conspirans studium, ceu principes qui se alioqui mutuo prosequuntur odio, nihilominus fœdere aliquo aduersus hostem communem copulantur. Sic Herodes & Pilatus, aliàs dissentientes, in gratiam redierunt quum de IesuChristo Mundi Seruatore interficiendo agebatur.

Sanè sæculis prioribus, dissidium in Ecclesiâ Romana summum erat, nec negari potest. Odio sese capitali mutuo prosequebantur, vt fidem faciũt illorum schismata, vt fidem facit ingens illa opinionum varietas quæ in Doctoribus quos admittunt & in Catholicorum numerum referunt conspicitur. Qui hoc sibi probari voluerit, consulat tantum Bellarmini scripta: in illis varias, dissimiles ac repugnantes Doctorum illorum quos Catholicos vocãt opiniones, in singulis fermè religionis capitibus videbit.

At interim Papa occupatus in omnipotentia suâ Papali, & spirituali auctoritate in tẽporalibus, imo temporali auctoritate in spiritualibus & temporalibus simul stabilienda, de doctorum illorum contentionibus non valde erat sollicitus, neque illis sedandis auctoritatem suam interponere curabat: dum hi doctores subtilitatem suam in se ipsos conuertebant, nullum illi negotium facessebant, quin potius omnes simul illi adulabantur, inuicem metuentes ne alteris relictis, in alterorum partes descenderet. Hęc neutram in partem propensio disceptantibus grata erat & Papæ conducebat. Nondum vlli aderant extranei, qui domesticorum horuncce dissidiorum fœditatem propalarent, eaque in rem suam verterent, liberè itaque tunc temporis loquebantur, nec sibi inuicem veritatem reticebant; sed nunc longè immutatus est rerum status, nec in eodem amplius sunt articulo. Metuendum esset ne seruorum discordia Domini auctoritatem in discrimen adduceret: ideo illam sopire optauit, vt suorum vires coniunctas in extraneum & communem aduersarium conuerteret: cauendum erat ne extranei hâc dissensione abuterentur, & domestici offenderentur. Idque assequutus est, sed quoad eius facere potuit, hoc est tyrannicè & pudendâ prorsus ratione, non dubiorum solutione, quæstionum determinatione, solida controuersiarum decisione, sed absoluta suâ auctoritate silentium illis imponens, & morbum hoc pacto tegens & dissimulans, nõ autem radicitus euellens; exempli gratiâ, hodie adhuc veri Thomæ sectatores non concedẽt Bellarmino Doctorem suum Angelicum male intulisse, imaginem Christi & veram crucem eâdem atque Christum adoratione adorandam esse. Sorbonistæ non assentientur Iesuitis, Pontificem esse supra Concilium, posse ęquè reges deponere atque excommunicare; tyrannum, vel à priuato legitimè interfici posse; hi tamen articuli eius sunt momenti, vt, si veritas ab illis steterit contrarij cõtinuo necessario damnent, ac propugnatores reos peragant, nec id vlla ratione vitari queat; si Bellarmini g sententia de imaginum adoratione vera fuerit, sententia Thomæ pura puta sit idololatria, si Iesuitarum sententia de Pontificiis auctoritate, admittenda Sorbonistarum sententia schismatica sit & hęretica,

Quid autem hic inquient? Sententias has dubio

dubio procul indifferẽtes esse & problematicas, quãdiu Ecclesia nihil de illis decreuit; Hâc elabi solent, quum propter hanc inter illos sententiarum varietatem, cõtẽditur ab illis ne culpam quâ ipsi redarguuntur, aliis obiiciant, nec leges quas subire nolint præscribant: Verùm, vanum est hoc effugium, & os illis occluditur si sententiam Ecclesiæ non effectiuam, sed declaratiuam esse, hoc est non hęresim facere, sed declarare responderimus, non secus ac medici iudicium morbum grauiorem nõ facit, multo minus morbo dat esse. Ægroti de quibus medicus nihildum pronuntiauit, non minus propterea ægrotant, & æque moriuntur ac illi quos vero prognostico medicus morti adiudicauit, siue igitur interueniat iudicium Ecclesię, siue non interueniat, quod condemnationem meretur per se damnandum est, ac proinde certissimæ damnationis, eũ qui crediderit, reum facit.

Sed quęso an concipi potest schisma omnibus suis numeris magis absolutum, quam Ecclesiæ Gallicanæ schisma in contestatione contra Concilium Tridentinum? Verum, inquiunt, at in quibusdam duntaxat articulis: quid refert? quum Concilium systema sit quod totum admitti vel totum rejici postulet, nec se illorum iudicio quos pro imperio & potestate alloquitur subjiciat, vt conclusionum suarum quasdam seligant & admittant, quasdam vero repudient, sed simplicem & absolutam, vi auctoritatis suæ & præsidentiæ illius & ductus S. Spiritus quem prętendit, obedientiam postulet.

Post illa, quis non adhuc magis mirabitur Papam nihil de hisce cõtrouersiis definire, has difficultates non soluere, nec has quęstiones decidere, An discordiam inter suos fouere & alere gaudet? Nequaquam, nec tempora id postulant, tam arctè ab externo hoste obsidetur, tam acriter inuaditur vt mutuo suorum commercio & consensu summè opus habeat: An igitur dissidentibus omnibus æque fauet? Multo minus: Maiestatis suæ & auctoritatis nimis studiosus est, promouendæ omnipotentiæ papalis nimis cupidus, quam vt eodem amoris affectu complectatur illos qui summum illud quod sibi arrogat imperium impugnant, atque illos qui in eo propugnando ex animi illius sententiâ omnes animi vires intendunt. Ac sane quis nescit quo loco & numero primi illi habeantur? Politici vocantur, nec Catholicorum illis nomen nisi inuitò conceditur: illorum tamẽ à se abalienandorum ac proinde virium suarum imminuendarum metus Pontificem ab illis aperte condemnandis retrahit; Nouit lubrica, si nimiũ premantur elabi, arcũ intensione frangi, Memor est pertinacis animi Leonis decimi, videt quanto steterit illi, vel potius Monarchiæ pontificiæ illa acriter nimis & ad omnimodam vsque distractionem vrsisse, quæ, vt quidem autumat, tempore leniri & flecti potuissent.

Hinc videre est, conspirationem potius inter eos esse quam veram vnionem, vt contra differentiam quæ apud nos est, diuersitatem esse potius quam diuisionem, in circumstantiis potius quam in re ipsâ, in παρέργῳ potius quam in ἔργῳ, in politia potius quam in doctrinâ, in accidentibus potius quam in substantia, inter priuatos potius quam in Ecclesiarum nostrarum corpore, cuius rei confessionum & Catechismorum nostrorum consensus & harmonia luculentũ satis præbet testimonium; quæ harmonia nullo alio consilio nititur quã vt ad regnum cœlorum, ad hęreditatis cęlestis fruitionẽ, hâc solitâ atq; vnicâ viâ, veri Dei notitiâ & illius quem misit Iesũ Christum, perueniamus. Si qui vero turbulenti pacem nostram turbare conentur, nostros illos esse non arbitramur, sed *h* maculas in epulis nostris & pustulas in corpore quas spiritualis vigor erumpere coëgit.

h Iud. v. 1.

Profectò si quis nobiscum non communicet in doctrinâ & caritate, noster nõ est, quamuis nobiscũ aduersas partes impugnet, non magis quã est aduersarum partium, eo quod cum illis nos impugnet; illi non accensentur Ecclesię Romanæ, qui nobis eâdem violentiâ atq; Ecclesia Romana obsistunt; Nostri non magis censeri debẽt illi ipsi propterea quod Ecclesiam Romanã nobiscum oppugnant, quamuis longe minoribus viribus & efficaciâ, atque ideo longe magis illis ab Ecclesia Romana & ab illis vicissim Ecclesiæ Romanæ, quam nobis ab illis fauetur.

CAP. XV.

Nouitatis crimen veritati obiici solitum & quomodo de eo se semper purgauerit.

VEniamus iam ad præiudicium illud omniũ grauissimum, illam nempe quam prætendunt Antiquitatem, in odium contrà, atq; inuidiam, veritatem quam prædicamus, tãquam nouam trahẽtes; Antiquitas, inquiunt, est veneranda ac diuina, Nouitas verò damnanda ac Diabolica. Quod verũ esse vltro fatemur. Sed negamus ab illis esse eam quam iactant Antiquitatem, & nobis Nouitatis crimen iure impingi. In hoc sita est contrauersia; si se nobis antiquiores probare potuerint, caussam non dicimus quin caussam obtineãt, nec si nouitatis conuincimur quin cõdemnemur: Condemnatio quippe erit iusta, nosque primi illi subscribere parati sumus. Vnum hic rogamus, ne quis fidẽ illorũ sequutus quicquid animis præceperint, admittat; rationes nostræ perpendantur antequam nouitatis inauditi atque illis tantum accusantibus condemnemur, quamlibet veritatis speciem præ se ferat accusatio. Dum accusator loquitur, vix est quin culpa in accusatum transferatur, sed leges, sed naturæ ius, imo Deus ipse, vtramque parti & accusanti accusatæ parem attentionem & æquitatem exhiberi volunt, Alioqui quis innocens effugere posset fraudem ac violentiam calumniæ, improbæ semper, sed tunc audacis atque impudentis, præsertim quum verisimilitudinis fuco adulterata prodit.

Primùm itaq; dicimus nouum non esse veritatem nouitatis accusari, & mendacium sacram & venerandam sibi prætexere antiquitatem. Nouitatem hanc Iudæi Domino nostro Prophetæ Prophetarum, & Doctorum Doctori objiciebãt, se verò *i* Antiquitatis amatores & sectatores esse gloriabãtur Ethnici specie nouitatis primo Christianos in odium adducebat & antiquitatis *k* suæ monumenta non superbe minus, quam falso ostentabant. O nos igitur beatos si cum Christo calumniis impetimur; Gloriosa sane fuerunt

i Marc. 7, 5 Matth. 15. 2.
k Symmach. in relat. ad Valent. Theod. & Arcad.

illa stigmata quæ primis Christianis inusta sunt, Miseros contra ac infelices illos, qui id genus exprobrationibus ignominiæ labe nobis aspergunt qui antiquitatem non meliori iure ac Iudęi & Ethnici iactant, æque certe pudendam esse constat illorum nobiscum agendi rationem ac primâ fronte speciosa videbatur.

Ex exceptionum nostrarum natura exceptionibus Christi aduersus Iudæos & Christianorum aduersus Ethnicos ad iniquitatem detegendam, impetum frangendum & ferociam similis calumniæ retundendam congruentium, rem ita sese habere satis patet, *l* *Scrutamini scripturas*, inquit Dominus. *quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*; *m* *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit*. Hæc est hodie exceptio nostra. Innouationis contumeliose accusamur, respondemus, *Scrutamini scripturas*, si Mosi crederetis, si Prophetis aut Apostolis Christo quoque inter nos prædicato crederetis, nihil enim quam quod ab illis scriptum est annuntiamus, Scribę & Pharisæi Domino obji iebant, discipulos eius transgred traditiones seniorum, ille vero respondit illos *irritum n fecisse mandatum Dei propter traditionem suam*. Idem nobis hodie objicitur & Domini auctoritate nixi, ipsissimis Domini verbis criminis huius infamiam in crimin n es retorquemus: *Illos traditionibus suis verbum Dei irritum fecisse*, antiquitatem nostram, ipsam esse scripturæ, imo veritatis in scripturis contentæ, prædicatæ priusquam scriptæ, antiquitatem, probaturos nos esse profitemur, in ò reuerà probamus. Sic quum Ethnici specioso hoc sed falso nouitatis crimine, causam Christianorum, quoad eius poterant suspectam reddebant, scripturarum *o* antiquitate proposita conuincebantur, hisce rationibus adductis, religionis auctoritatem non esse tempore æstimandam, sed numine, nec colere quâ die, sed qui cœperis, conuenire intueri, *q* omnipotentem & primum Deum rem nouellam non esse nec proinde verum illius cultum nouum esse posse, cuius formam Deo melius *r* nullus præscripserit. *Cui magis*, inquiebant, *de Deo quam Deo credetur?* An homini qui seipsum ignorauit & ignorat, nisi Deo manuducente ad sui ipsius cognitionem deducatur? *ſ* non annorum canicies est laudanda sed morum, non erubescendum est *t* in ipsâ mundi senectâ conuerti *u* quia nulla ætas ad perdiscendũ sera est, erubescat potius senectus, quæ emendare se nõ potest.

l Ioan. 5.39
m Ioan. 5.46
n Matt. 15.6
o Tertull. Apol. c. 19
p Arnob. contra gent. l. 2
q Arnob. ibid.
r Ambros. ad Val. resp. ad Symmachi ep. 31
ſ Ambros. ibid.
t Ibid.
u Ibid.

Hæ fuerunt olim veterum Christianorum, & sunt etiamnum hodie nostræ exceptiones; Hæc eadẽ nostri purgandi & criminis obiecti diluendi causâ iteramus; Nouas nõ adducimus rationes; Non personarum sed doctrinæ antiquitatem cõsiderari postulamus, ad illam aduersarios prouocauimus & quotidie prouocamus, verùm illi certamen detrectant & tergiuersantur; Atrocem itaq; hanc calumniam patimur, quum religionem nostram nouam esse fateri nos, atque id quod asserimus negare nempe antiquitatem à veritate semper stare contendunt Pontificij.

Christus, in speciem, aduersariorum respectu, vt qui post illos venisset, nouus erat. Religio Christiana, si ex Ethnicorum monumentis, templis & ædificiis ęstimata fuisset, noua quoque fuisset; in speciem, inquam, noua, nam reuera Christus & doctrina eius antiquitate Pharisæos atque illorum fermentum superabat. Religio Christiana superstitione Ethnica longe antiquior erat. Atque hic vere stupidum hominis ingenium deprehenditur qui pyramides potius & templorum fastigia, quam veritatem aspicit, immemor hæc olim n n fuisse, & veritatem longo præcessisse interuallo.

Annon æquum est nos hic audiri, annon ex ęquo & vero loqui censendi sumus, quum ostendimus, vt id consideretur studiose petimus, vitium esse omnibus propemodum hominibus commune, nouum existimare & vocare quod nouum non est, nisi illorum respectu, nec vlli rei antiquitatis honorem deferre, quam quæ illorum opinione antiqua fuerit, qui Antiquitatem & nouitatem ad memoriæ suæ normam exigunt? Eadem est religionis & legum, quas huius sæculi corruptio & ignorantia obscurat, ratio, ac terrarum quæ vocantur nouarum, vbi primum deteguntur; ac tamen quis, nisi sensus communis iudiciique expers dubitauerit eas reuera æque esse antiquas ac reliquum terrarum orbem? Omnis reformatio noua est, sed quid tum? modo typus illius & exemplar sit antiquum. Etsi detectio nostra noua sit & recens, attamen terra quam deteximus antiqua est & ab omni tempore, quanquam vulgo ignorata.

Cap. XVI.

In veritatis inquisitione non recte procedi & quam illius inueniendæ rationem ineundam esse doceat B. Cyprianus.

Dicimus itaque Antiquitatem semper à veritate stare, id credimus & annuntiamus, veram antiquitatem honorantes, non eam quam nobis ex præteritorum ignorantia fingimus, sed eam quæ reapse & verè antiquitas dici meretur, Alioquin idem nobis eueniet ac iis qui vltra Oceanum & mare Atlanticum nullas esse terras existimarunt, eo quod nullus eò penetrasset quo auorum nostrorum memoriâ Christophorus Columbus. Nos à littore nostro à *temporibus* nostris ordimur, atque ita ἄνω ποταμῶν, sed cur non saltim hunc Temporis, Oceanum ad alterum vsque littus penetramus? Cur in medio cursu animum despondemus? Cur tam citò vela conuertimus? Si nobis vel animus vel media defuerint altius ascendendi, cur nihil supra affirmationem nostram esse contendimus? Cur id inueniri non posse censemus, quod non satis perquisiuimus, tum inueniendi metu, tum non inueniendi desiderio, iure ergo vituperamur quod animum remisimus & in media via vel præ lassitudine vel præ tædio substiterimus. Quum numeratur antiquitas, non ab eo quod primum est fit initium; sed à proximis & nouissimis temporibus, *ante hosce cẽtum annos*, inquiũt, *vbinam eratis*? Atque ita quum vlterius progrediendũ fuisset subsistitur, in ò via relegitur. Non tamen sic adeo male procederetur, si pes nusquam figeretur, donec ad Apostolorum tempora peruentum esset; Hâc enim viâ quot interim reperientur nouitates, longe recentiores, & à quibs

quibus iure quæri posset, *Vbi eratis antehac?* quæ proinde neque sunt eius originis quam vera antiquitas requirit, neque eodem frui possunt priuilegio, nostri tamen & temporum nostrorum respectu sunt antiquitates, sed reuerâ si ad Apostolica tempora respiciamus, nouitates.

Quod erat Apostolorum tempore, id verè antiquum est & nihil præterea antiquum est; hi sunt illi patres, illi antiqui quorum termini non sunt transferendi, illi inquam qui nobis consulendi sunt. Cæteri qui ab illo tempore exorti sunt & degenerarunt apertè nobis interdicuntur. x *In præceptis patrū vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorū custodiatis, Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea.* Non aliâ de causâ antiquitas laudatur nisi quia veritatem signat, y *id est dominicum & verum, quod est prius traditum,* inquit Tertullianus: sciendum est igitur quid fuerit prius traditum, & inde supputatio instituenda.

x Ezech. 20.

y Tertull. ad præscr. contra hæret.

Viam nobis ad id facilem atque expeditam z B. Cyprianus aperit, quamuis in applicationes nonnihil peccet, *Si canalis aquæ,* inquit, *qui copiose prius & largiter profluebat, subito deficiat nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrumne arescentibus venis in capite siccaret, an vero integra inde & plena procurrens in medio itinere destiterit? At si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est, quo minus aqua perseuerāter cōtinua ac iugiter flueret, refecto & confirmato canali ad vsum atque potū ciuitatis aqua collecta eadē vbertate atque integritate repræsentatur quā de fonte proficiscitur, quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta diuina seruantes, vt in aliquo si nutauerit & vacillauerit veritas ad originem Dominicam & Euangelicā & Apostolicā traditionē reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit;* Ne autem in dubiū reuocemus de quâ traditione loquatur, audiamus quid paulo ante a in eandē sententiā dixerit. Objiciebatur illi traditio, *Vnde est,* inquit, *ista traditio, vtrūne de dominicā & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorū mādatis atque epistolis veniēs? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur & proponit ad Iesum Naue dicens, Non recedet liber legis huius ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obserues facere omnia quæ scripta sunt. Si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorū epistolis, aut Actibus cōtinetur, vt à quâcūque hæresi venientes non baptizētur, sed tantū manus illis imponātur in pœnitentiā, obseruetur etiā & hæc sancta Traditio.* Beatus ergo Cyprianus non aliâ de causâ hæreticorū baptisma improbat, nisi quia non credit sanctam esse & diuinam traditionem? quin illud admittere paratus est, si diuinæ traditionis esse sibi probatum fuerit, & probationis huius regulam Apostolorum scripta facit. Quare diuinam & sanctam traditionem appellat, quicquid hâc ratione probari potest; de quâlibet aliâ di ratione contemptim loquitur, *Vnde est ista traditio?* Tales autem traditiones admittere quoque parati sumus, modo hoc pacto veritatis illarum origo nobis comprobetur quum quæremus, vnde est ista traditio? quando cœpit? & nobis respondeatur, est à sacrâ scripturâ & iam inde à temporibus Apostolicis.

z Cyprian. ad Pomp. cōtra Steph. epist. ep. 74. editionis Pammel.

a Cyprian. ibid.

a Tertull. cōtra Marcion. l. 4. c. 4.

CAP. XVII.

Vnicam veræ antiquitatis probandæ viam esse vt ad principia ope scripturarum recurratur.

HIc autem B. Cyprinum non citamus vt hominum auctoritate veritati auctoritatē conciliemus; sed illorum verba & rationes ad illam exprimendam mutuamur; Ne spectetur quæso, quis sed quid loquatur: Si enim hic testimonium producendum fuerit, summæ atque adeo vnicæ auctoritatis testimonium producemus Domini nempe nobis hanc præscribentis regulā, *Ab initio non erat sic,* scitè ergo, imo scitissimè inquiebat Tertullianus. *Id verius quod prius, id prius quod ab initio, ab initio quod ab Apostolis;* Addamus quod per se sequitur, quod à scripturâ est, quod à scriptis Apostolicis, id ab Apostolis est.

Antiquitatem igitur hanc quod attinet, annon summam æquitatis rationem habemus, quum quin doctrina nostra, si cum Apostolorum doctrina eadem non fuerit, reiiciatur non recusamus, Annon grauissimis & certissimis vtimur rationibus in religionis nostræ antiquitate probandâ, quum omnes è Prophetarum, Apostolorum & Euangelistarum scriptis ducuntur?

Antiquitatis illius quam tantopere iactat Ecclesia Romana probandæ ratio est, ad patres & Concilia recurrere, Quo patres illi, quo concilia antiquiora sunt, eò euidentius antiquitatem illam probant. At qui Patres, quæ concilia scripturâ antiquiora sunt? quæ antiquitas illâ antiquior? quæ antiquior auctoritas, illâ quæ eiusdem est cum scripturâ temporis? Apertæ blasphemiæ culpam effugere non potest qui patres vel concilia scripturæ æquauerit, sed vt æquentur, scriptura tamen nunquam patribus & Conciliis recentior dicetur, vel eadem patribus & conciliis antiquitas tribuetur, Nondum eo impudentiæ ventum est. Penes quem igitur est scripturæ doctrina, in antiquitatis ac proinde veritatis causâ victor abit. Hæc itaque antiquitatis controuersia eò redigitur, vt dispiciendum sit quænam doctrina scripturæ maxime consētiat? hoc capite explicato, antiquitatis controuersia dirimitur. Fieri nequit vt aliter dirimatur; quamuis enim patres & concilia adducantur, hic semper scrupulus residet an ita statuerint Apostoli? Adduci quoque nequit vniuersorum cōsensus, nec in testimonium trahi; id enim vt fieri posset singuli omnium sæculorum doctores ad Apostolos vsq; interrogandi essent; Si verò vniuersorum consensus nomine, recepta à plerisque opinio insigniatur? de hoc quoq; consensu quomodo iudicabimus? An ex Conciliis? Sed concilia particularia idoneam huiusce rei fidem non faciunt; De Generalibus, à Concilio Hierosolymitano, in scripturam sacram relato, nullum aliud habitum fuit ante Nicænum, quod celebratum fuit anno demum trecentesimo vigesimo quinto. An ex scriptis patrum qui ante illud Concilium vixerunt, b sed illorum maxima pars, imò omniū vetustissimi in eâ fuerunt sententiâ post resurrectionem felicitatem terrenam mille annorum expectandam esse, quorum spatio Dominus hic nobiscum in terris edēs ac bibens versabitur: quam doctrinam patres illi proponunt velut à totâ Ecclesiâ receptam. Patres igitur non sunt idonei testes, nec Ecclesiæ consensus satis

b Iust. Martyr. dial. cōtra Tryph. Iren. cont. hæret. l. 5. c. 33. Euseb. hist. Eccles. l. 3. c. 36. Tertull. de spe fidel. vt ab Hieronymo in 36. Ezech. citatur. Victor apud Hieron. ibid. & in Catal. script. Eccles. ad vocem Papias. Lact. diuin. Instit. l. 7. c. 25.

locuples est veræ antiquitatis testimonium *c*. Sed quid de illorum consensu, in admittendis ad Eucharistiam puerulis? An antiquam illam sententiam fuisse credemus? Antiquam vtique, sed nostri, non autem veritatis respectu, quæ quum sit vere antiqua & Apostolica, illam erroris damnauit. Nec id inficiabuntur Pontificij. Qui antiquis illis successerunt, errores hos correxerunt, tum mille annorum in terris moræ & terrenarũ post resurrectionem delitiarum, tum paruulorum ad Eucharistiam admissionis. Hæc successio veritatis antiquitati quam in pristinam auctoritatem & antiquum splendorem reduxerunt non præiudicauit; Tempus quo Patres illi præcesserunt nihil ad illorum sententiam veritate posteriorem contulit.

c August. lib. de mer. pecc. c. 20. & 24. & lib. ad Bonifac. cōtra 2. Pelag. epist. c. 22. & l. 4. c. 4. & lib. contr. Iul. Pel. c. 2. & alibi sæpe.

Nihil itaque præter ius & æquum facimus: quum religionis antiquitatem ex scripturâ probare volumus. Methodus hæc facilis est, necessaria & certa: quotusquisque enim in Antiquitate versatus est, vel versato esse licet, propter immensam tot sæculorum seriem & voluminum ideo legendorum & meditandorum numerum, eumque, si historię quam indagamus veritatem spectemus, iniquum ac deficientem: sin vero maximæ hominum partis vel otium vel captum, infinitum; Age dicant qui in hâc sunt palæstra exercitati, annon de sæculo in sæculum alterationes & mutationes agnoscant? At scriptura omnibus legenda exponitur; liber est vnicus, & in rebus ad salutem pertinentibus perspicuus, nisi præiudicatam de illius obscuritate opinionem attuleris; id alibi demonstrauimus; Hic tantum, vt argumento nostro cōsentaneum magni illius Chrysostomi testimonium proferemus, *d* ἔρχεται Ἕλλην καὶ λέγει, ὅτι βούλομαι γενέσθαι χριστιανός. ἀλλ' οὐκ οἶδα τίνι προσθῶμαι. μάχη παρ' ὑμῖν πολλὴ καὶ στάσις. πολὺς θόρυβος. ποῖον ἕλωμαι δόγμα; τί αἱρήσωμαι; ἕκαστος λέγει, ὅτι ἐγὼ ἀληθεύω. τίνι πεισθῶ, μηδὲν ὅλως εἰδὼς ἐν ταῖς γραφαῖς; κἀκεῖνοι τὸ αὐτὸ προβάλλονται. πάνυ γε τοῦτο ὑπὲρ ἡμῶν; εἰ μὲν γὰρ λογισμοῖς ἐλέγομεν πείθεσθαι, εἰκότως ἐθορυβοῦ. εἰ δὲ ταῖς γραφαῖς λέγομεν πιστεύειν: αὗται δὲ ἁπλαῖ καὶ ἀληθεῖς; εὔκολόν σοι τὸ κρινόμενον, εἴ τις ἐκείναις συμφωνεῖ οὗτος χριστιανός. εἴ τις μάχεται. οὗτος πόρρω τοῦ κανόνος τούτου. Hæc sunt ipsissima magni illius viri verba, quę in eius ore minore premētur inuidiâ & maiorem cōsequentur gratiam quã in nostro; quibus monemur ante omnia ad scripturas recurrendum esse, siue ad antiquitatis, siue ad veritatis indagationem & inuestigationem: quibus præterea testatur Ethnicum posse iudicare quis scripturæ congruenter & credat & loquatur, licet de ipsius scripturæ veritate iudicare non possit. Ac sane longe differunt de alicuius scripti veritate & de verborum aliquo cum illa scripto consensu & conuenientiâ iudicare. Ethnici non possunt de scripturæ veritate iudicare, sed secũdùm Chrysostomum diiudicare possunt quodnam dogma vel quænam opinio scripturæ magis sit consentanea. Hoc autem in hâc de antiquitate quæstione sufficit; Neutri enim in dubium reuocamus, quin Scriptura sit omnium antiquissima, id quod igitur scripturæ consentaneum erit, antiquissimum erit. Ethnici de hâc conuenientiâ inquit Chrysostomus, iudicare possunt, quanto magis ergo Christiani? Ad controuersiam ergo hanc dirimendam compendiosissima via est, scripturam consulere.

d Chrysost. hom. 33. in Acta. Venit Gentilis ac dicit, vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream, multę inter vos sunt pugnę, seditiones ac tumultus, nescio quod dogma eligam, quod pręferã, singuli dicunt: Ego verum dico. Cui credam nescio, quũ ego scripturarũ sum ignarus, & illi vtrimque idem prætexant. Sanè hoc multum pro nobis: nam si quidem diceremus rationib. nos credere, merito turbareris, sed quũ scripturas accipimus & illæ simplices sunt ac veræ, facile tibi fuerit iudicare. Si quis illis cōsentit, Christianus est: si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone.

Quum collegij alicuius vel societatis priuilegiorum antiquitatem recognoscere volumus, nõ aliò quam ad fundationis tabulas recurrimus; fundationis Ecclesiæ tabulæ sunt scriptura; Antiquitatem nostram veram esse si nos euicturos spondemus, si ex huiusce instrumenti die, veram esse euincimus, bonâ ac syncerâ fide agimus, & præcise concludimus; Desinant ergo obiicere nouam doctrinam & Apostolorum tempore incognitam à nobis introductam esse; Ne amplius antiquitatem iactent, quamdiu scripturæ antiquissimi antiquitatis monumenti censuram refugient. Malè illi antiquitatem inuestigãt certo illam annorum numero metiuntur, qui ab omni tempore id fuisse præsumunt cuius principium ignorant.

Cæterùm tutius est antiquitatem veritate, quam veritatem antiquitate probare, *e Consuetudo sine veritate*, vt benè aiebat Cyprianus, *vetustas erroris est.* Proportio, figura, ac forma, nummi alicuius, statuæ aut ædificij antiqui, antiquitate non cognoscitur, sed contra harum rerum antiquitas illis qualitatibus, vt puta verissimis notis discernitur: Ita splendor ac vsus solis de illius antiquitate non iudicatur, sed ab illius splendore & vsu facile quis coniiciat Cœlo ac terra æquè antiquum esse; certè non eadem est temporis respectu, veritatis ac nobilitatis ratio; Nobilitatis enim reuerentiam & splendorem antiquitas auget, verùm veritati tempus nihil confert. Non minus est veritas in principio suo, ac procul à principio. Res fuisse credenda est, antequàm consideremus à quo tempore fuerit.

e Cyprian. ep. ad Pomp.

Religionem veram esse probemus, & postęa de eius antiquitate dispiciemus, imò hoc pacto, antiquitatem eius euicerimus; Virtus enim vitio antiquior est, & veritas mendacio; Superstitio verò religione posterior non secus ac morbus sanitate. Sic parati sumus religionis nostræ antiquitatem ipsius veritate & veritatem, antiquitate probare, ab origine initio facto, à Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum temporibus, vt controuersia contrahatur ac statim dirimatur.

CAP. XVIII.

Non ideo bene inferri Ecclesiam Romanam esse hodie τὴν ἀληθινὴν Ecclesiam, quod olim fuerit vera.

ATque ita splendor ille antiquitatis, qui apud nos exoritur & fulget, apud illos nusquam comparet; & quum se antiquos esse prætexant nouitij reuerâ comperiuntur: nos vero qui nouitij audimus, iure prisci sumus & antiqui.

Attamen hic quærent, an possit negari, Ecclesiam Romanam olim fuisse veram Ecclesiam, siquidem extat Pauli epistola ad Romanos, *f* quorum fides laudatur vt quæ annuncietur in vniuerso mundo; Sane fatemur Ecclesiam Romanã olim fuisse nõ τὴν ἀληθινὴν ἐκκλησίαν, sed ἀληθινήν τινα ἐκκλησίαν, cuius fides ab Apostolo verè laudatur: Et si hodie eadem esset quæ olim, illi nos lubentes adiungeremus. Nihil itaque hinc illi accedit; si enim ad illam semel Apostolus literas dederit, bis ad Corinthios dedit.

f Rom. 1.8.

Si fidem

si fidem illius laudauit & toto orbe celebrē esse testatus est, iisdem elogiis Thessalonicensium fidem condecorauit: hæ laudes, illis Ecclesiis hodie in priuilegium non cesserunt. Cur ergo Ecclesię Romanæ rationibus conducerent? Ecclesia Constantinopolitana, Antiochena, Alexandrina, pietate & doctrinæ puritate olim floruerunt, sed à quo hodie non damnantur, postquam à pietate & maiorum doctrinâ degenerarunt?

Addunt, Ecclesiam Dei non posse deficere; at, ô miram peruicaciam! Ecclesiæ, quarum mentionem iniecimus Corinthiaca nempe, *g* Thessalonicensis, Alexandrina & Constātinopolitana, à quo immutatæ sunt, à quo errarunt & defecerunt, ad priuilegium illud & gratiam quam Deus maioribus contulerat, non admittuntur, si se olim veras Ecclesias fuisse contendant, non admittetur tamen si se inde veras adhuc hodie esse inferre voluerint; facile & perspicuè exponetur, imo probabitur nō esse amplius veras Ecclesias nec tamen Ecclesiam Dei inferorum portis succubuisse, imo stabilē perdurasse super petrā super quā à summo architecto Domino Iesu fundata fuit. Responderetur hodie illis Ecclesiis, illarum moiores reuerâ fuisse veram Ecclesiam, nec etiam contra maiores illarum inferorū portas præualuisse, illos tentationibus omnibus, quinimoipsa morte superiores fuisse & spulchro olim superiores futuros; eos qui successerunt, illis nomine tenus atque Ecclesiæ titulo successisse, sed non doctrinæ veritati vel vitæ sanctitati; nullam igitur eos veræ Ecclesiæ partem constituere. Ac proinde mirum non esse, si quæ Ecclesiæ Deus promisit vera sint, nec ad illas tamen spectent, quandoquidem neque sunt ἡ ἀληθινὴ ἐκκλησία neq; veræ Ecclesiæ, sed quibusdam tantummodo veris Ecclesiis successerunt. Hic bonâ fide respondeant doctores Pontificij, annon sit accommodatum hoc responsum & præcisum, litémque dirimens contra Orientales illas Ecclesias quæ à Romana secesserunt; quum maiores suos producunt, quum suos esse patres dicunt, cur idem non referrent à nobis responsum? illorum maiores veræ Ecclesiæ partem cōstituisse, inferorum portas illis non prevaluisse; sed illorum posteris nihil hunc honorem & specialem Dei gratiam conducere, nisi ostenderint se à patrum suorum doctrina non defecisse; sæpè sunt ἡρώων παῖδες λῶβαι non minus propterea tamen se promissorum fide apud Patres Deus liberat, quamuis iniquitatis suæ iustā mercedem filij referant, parentum pietas nihil aliud quam illorum condemnationem auget. Nec pius parens potest perire, nec vera Ecclesia deficere; sed quemadmodum nimis frequenter contingit bonis parentibus malos succedere filios qui, nisi resipiscant, in iniquitate suâ pereunt, sic verę Ecclesiæ, impura succedit, quę in impuritate suâ, nisi mundetur ac reformetur, perit, *Facite fructum dignum pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham*, inquiebat *h* Iohannes Baptista Iudęis, *Si i filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, dicebat illis Dominus noster quum se Abrahæ progeniem esse gloriabantur. *k* illi itaque veri sunt Abrahæ filij qui fide filij sunt; atque illi veri demum Ecclesiarum primitiuarum successores sunt, qui illis in fidei doctrinâ successerunt.

g 1. Thess. 1. 8.
h Matt. 3. 9.
i Ioan. 8. 39.
k Rom. 14. 16. & 9. 7.

Decem tribuum quæ defecerunt maiores fuerunt vera Ecclesia; an ideo post defectionem vera Ecclesia dici adhuc potuerunt, eâ de causa quod vera Ecclesia nunquam deficiat. Neutiquam sanè. Nam si decem tribus olim veram Ecclesiam fuisse proditum esset; id de piis illarum maioribus semper intelligendum fuisset, de illis vero externę solum professionis causâ & hominum de illis ante apostasiam iudicij: atque ita illorum Apostasia Ecclesiæ Apostasiam non inuehebat, sed illorum hypocrisim palam faciebat.

Contigit præterea, *l* Iudam, Beniamin & dimidiam tribum Manassis quoq; defecisse & peiore quidem defectione quam cęteri Israelitæ; ac proinde generalis fuit illa per totum Israelem defectio, nec tamen tunc temporis *m* Ecclesia Dei defecisse dici potuit, quia eorum loco qui defecerant Deus suos semper conseruabat, paruas quasdam reliquias secundum electionem gratiæ Dei *n* gementes & dolentes super cunctis abominationibus quæ fiebant in medio Ierusalem.

l Iere. 3. 11. Ezech. 16. 51. & 23. 11. 2. Reg. 16. 21.
m Esai. 5. 9.
n Ezech. 9. 4

CAP. XIX.

Veram Ecclesiam, non obstante Ecclesiæ Romanæ defectione, & Apostasia, integram perstitisse.

IDem accidit in Apostasia & discessione *o* quę in Ecclesia Christiana contingerę debebat & quam contigisse hodie videmus; si frustra Iudæi olim inclamabant *p Templum, templum*, frustra quoque hodie *Ecclesia* inclamatur. Si nihil, aliud præter templum, fuit, nomen absque re, superbum ædificium, sed latronum spelunca; si olim de templo illo gloriantibus responsum fuit, *q Nolite confidere in verbis mendacij dicentes Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*; annon idem in re eadem hodie respondere possumus? *Legem à Sacerdote non perituram, nec consilium à senioribus, nec verbum à Propheta*, gloriabantur, quia Ecclesię Deus pollicitus fuerat: idem hodie quoque à Pontificiis dicitur, sed quod olim gloriosis illis hypocritis respōsum est, *r* lex nēpe peribit à Sacerdote & consilium à senioribus, idem quoque hodie respondemus, nihilque aliud petimus, quam vt concedatur nobis sententiā nostram probare, nec iis opprimamur præiudiciis, quibus & Prophetas & ipsum Dominum Prophetarum principem, summum Ecclesiæ suæ Prophetam & Doctorem olim opprimere veritatis hostes conati sunt.

o 2. Thess. 2. 3
p Ierem. 7. 4
q Ierem. ibid.
r Ezech. 7. 26.

Quo tempore Dominus in mundo comparuit, quo Deus in carne manifestatus est, imo aliquot sęculis ante quisnam erat status & facies externa Ecclesiæ Iudaicæ? quis summus Pontifex? qui Mosis successores? qui tamen antiquitatem, successionem & ducum, pastorumque Israelis titulum sibi vindicabant. Sane sub specioso seruorum titulo, Dei hostes fuerunt; sub Doctorum specie, populi Dei seductores, legis deprauatores, toga doctorali superbientes & in interpretum Cathedra sedentes, sese populo iactitantes ac vicissim à populo sub magnifico hocce titulo celebrari. Hęc erat externa Ecclesiæ Iudaicę species, cum in synagogarum, ac vtriusque synedrij assessorib. & præsidibus, tum in populo, qui confusiones illas sequebatur, approbabat, &

amplectebatur. Adeò misera tunc erat Ecclesiæ Iudaicæ facies, quæ talis tamen semper non fuerat; sed nihilominus in tam densis tenebris Dei lumen elucebat, qui triticum in hâc palea conseruabat, exiguum beneualentium numerum, in multitudine illa pestilenti morbo correptâ, exiguum sane numerum, sed ratorum atque adeo carorum exiguus semper est numerus. Multi sūt lapides, sed pauci adamantes; multi imperiti, sed pauci docti; Pusillo gregi regnum dare Deo lubitum est. Sic igitur Ecclesia quæ successit veræ Ecclesiæ, illiúsque locum occupauit, potest errare, deficere & fieri adultera, nec tamen vera Ecclesia errat vel à Domino & sponso suo deseritur.

Absurda quoque est, nec admittenda exceptio, quæ hic datur, aliā fuisse Ecclesiæ sub Veteri Testamento conditionem, ante primum Domini nostri aduentum, quanto tempore hæres paruulus erat *t* nec Ecclesia plenâ adhuc libertate fruebatur, sed *u* à longè aspiciebat & salutabat repromissiones Messiæ actualiter exhibendi & abundantis in ipso gratiæ fidelibus conferendæ, nec eas tamen obtinebat & accipiebat. Hæc vtique vera sunt, sed an inde inferent sub Veteri Testamento Patrem cœlestem filios suos dereliquisse, quod sub Nouo non faciat? illum sponsam suam olim prostituisse, quam nunc sub serâ contineat? Minime gentium. Pater noster cœlestis nunquam fuit absque filiis, sponsus noster absque Ecclesiâ sponsâ suâ: Verum quidem est illum aliter cum illa egisse, nec tam effusè amorem suum declarasse sub Veteri ac sub Nouo Testamento, vt Scriptura docet & nos id concedimus, credimusque: sed ab illo magis sub Veteri quam sub Nouo Testamento desertam fuisse pernegamus, nam *x qui tetigerit vos*, inquit ille, *tangit pupillam oculi mei*. Ecclesia igitur quæ defecit sub Veteri Testamento & quæ defectioni illi adhęsit, Ecclesia non erat nisi nomine tenus, & quia prouentibus & dignitatibus, quibus successerat fruebatur, sub laruâ professionis verę religionis; hæc illa fuit Ecclesia quæ Deum deserens à Deo deserta est. Si vero quæpiam Ecclesia in hunc modum hodie deficiat, an maiori sub Nouo quam sub Veteri Testamento priuilegio gaudebit? imo Deus hypocrisin odit, & æquè omni tempore illam abominatur, atque quo maior est, eo magis illam abominatur; si ergo nouissimis his temporibus creuerit, ita Dei quoque aduersus illam, pro illius atrocitate creuit. Gratia quę offertur nō excusat, sed sui contemptum aggrauat; nihil itaq; est differentię inter vel perseuerantiam vel defectionem Ecclesię siue sub lege, siue sub gratia.

t Gal. 4. 1. 2. 3
u Heb. 11. 13 39
x Zach. 2. 8
y Gal. 1. & 3. 1

Hæc est sententia nostra, & de hoc articulo doctrina, nec tamen dicimus veram Ecclesiam errare, aut finaliter à Deo deficere, in rebus fundamentalibus, quamuis in quibusdam membris ad tempus deficiat, sed eos quidem qui ex maximæ hominum partis consensu Ecclesiæ titulum gerunt vel errasse, vel posse errare, & in fundamento & ad finem vsque asserimus. Ita quum Ecclesia Iudaica errasse dicitur, veram Ecclesiam Iudaicam non intelligimus, sed eam quæ in speciem Ecclesia erat, quæ Ecclesię locum occupabat, notas externas ostentabat, nec non vocatione & successione externâ gaudebat. Pariter quum Ecclesiam Christianam errare posse vel errauisse contendimus, nec fidelium, nec illorum qui in fide illis successerunt numerum intelligimus; illos nec errare nec in fundamento errare posse, omnes simul & ad finem vsque, vltro largimus, sed dicimus, Ecclesiam illam quæ errat, sponsæ Christi titulum falso prętendere, nec aliud quam mœcham reuerâ esse.

Cap. XX.

Peruersam & ridiculam esse argumentandi rationē quā Romanenses vtuntur, quum ex promissis Ecclesiæ factis, se non errauisse nec errare posse inferunt.

Frustra ergo tantopere vrgentur promissa quę Deus Ecclesiæ suæ fecit, nobisque oggeritur *a* super petram ędificatam esse & portas inferi non præualituras aduersus eam; haud satis apposite hæc priuilegia citantur, *b* illam esse columnam & firmamentum veritatis, *c* sponsam Christi, sponsam inquam *d* vnicam, illum esse *e* cum illa omnibus diebus vsque ad consūmationem sæculi, & Spiritum *f* eius deducere illam in omnem veritatem. In hoc nō vertitur controuersię nostræ cardo; qui hęc promissa vera esse negauerit, atque hæc elogia Ecclesiæ detraxerit, anathema esto, MARANATHA; instar Iudæi aut Turcæ obstinati; sed quemadmodum *non qui in manifesto, Iudæus est*, vt inquit Apostolus, ita non ea semper vera est Ecclesia quæ externè, in speciem & hominum iudicio talis est, sed *quæ in abscondito, cuius laus quoq; non ex hominibus, sed ex Deo est* *h* Spiritu eius signata *i* ab illo cognita, & agnita, ab illo solo inquam distinctè cognita, sed id demū quæritur, an illa cui hic titulus à mundo tribuitur sit vera Ecclesia.

a Matt. 16. 18
b 1. Tim. 3. 15
c Ephes. 5. 32
d Cantic. 2. 16. & 6. 3
e Matt. 28. 20
f Ioan. 16
g Rom. 2. 28. 29
h Ibid.
i 1. Cor. 1. 2 Ephes. 1. 13

Si Ecclesiam Romanam, veram illam Ecclesiam esse concederemus, dubio procul nunquam illam in fundamento errasse fateremur; illud ergo probetur & cætera sponte dabimus, nosque quū ab eius communione secessimus schismaticos fuisse ingenue fatebimur; hoc ergo præcipuè inter nos & illos cōtrouertitur an illi sint vera Ecclesia.

k 2. Tim. 2 19

Quum hæc ita sese habeant, annon absurda est, iniqua & ridicula illorum disputandi ratio, quum id de quo ambigitur & lis est, præsupponunt, nam quum se Ecclesiam esse dicunt, se nec errasse, nec errare posse inferunt; sed contrario prorsus modo illis argumentandum fuit, nempe, se non errasse, ac proinde se veram Ecclesiam esse. Si mulier quæ in adulterio deprehensa diceretur, directè non responderet, nec accusationē dilueret, sed infamiæ & opprobrij vitandi causâ nihil aliud quam se castam & pudicam esse diceret, annon iure in suspicionem vel emotæ mentis, vel impudicitiæ ac impudentiæ simul traheretur? Quid iudicij ferendum esset de medico, qui veneficij interrogatus, medicamenta ex arte præscripta & fideliter exhibita fuisse nō probaret, sed se doctum, peritum ac fidelem medicum esse tantùm exclamaret. Nos dicimus Ecclesiam Romanam (eam nempe quę sic vult indigitari) esse mœcham illam & *l* Babylonem Apocalypseos. Nos, doctores eius animarum veneficij accusamus, illa se castam esse & Christi sponsam respon-

l Apoc. 17

respondet, Doctores vero suos Apostolorum successores & Dei seruos; atque hoc solo & nudo responso innocentiam suam probari vult. Profectò si Papatum sponsam esse Christi & eius Doctores Apostolorum hæredes esse fateremur, potior esset illorum caussa; sed quis adeo rationis expers, qui non videat Ecclesiam Romanam à nobis veram esse negari, dum illam erroris & ἀποστασίας accusamus? Doctores eius veros Apostolorum successores esse, à nobis negari, dum seductores illos esse conquerimur? Quum nihil itaque aliud ad sui defensionem quam speciosos titulos afferant, id quod præcipuè in dubium vocatur, simpliciter asserunt; quæ illorum agendi ratio est, qui nihil habent quod prætexant.

Reuerâ non inique nobiscum agerent, si accusatio nostra ab affectu tantū penderet, & simpliciter ea assereremus, quæ neutiquam probaremus, simplex enim affirmatio, simplici negatione dilui potest, *Vos id dicitis, at nos negamus.* Attamen qui bene sibi conscius est, hoc suo iure non vtitur, sed quæ est illius cōfidentia innocentiam suam ex abundanti probat. At hic non agitur de simplici assertione, sed rationibus fundatâ argumentis adeo solidis & euidentibus fultâ, vt ne respondere teneantur, nullum sophistices, nullum subterfugij genus non adhibeant. Ecclesiæ Romanæ adulteria, doctorum eius veneficia detegere parati sumus; nos hanc accusationem rationibus ac argumentis euincentibus munitam proferimus. Plena sanè est iustitiæ & æquitatis nostra agendi ratio. Illi vero simplici hâc & vana, audaci tamen magnifici & venerabilis Ecclesiæ Pastorum, & Doctorum Ecclesiæ tituli iactantiâ, suspectos se potius reddunt quam purgant. Quum tamen ad extremum vsque premuntur & vrgentur, quasi ad sacram ancoram confugerent, excipiunt; Nos Doctorum Catholicorum Ecclesia sumus; ac si tituli huius veritatē in dubium non vocaremus, ac si hæc non esset accusationis nostræ summa ac substantia, illos, quos se prætendunt esse, non esse: Indoctis vtique Professoribus haud absimiles, qui à discipulis in difficultatem aliquam coniecti, quum illi soluendæ non sint, ad Cathedræ suæ auctoritatem & cornuti pilei priuilegium cofugiunt.

CAPVT XXI.

Iniquè ab illis agi quum vllam mutationem in Ecclesia accidisse negant, eo quod auctorum, temporis, & loci circumstantia nominatim designari non possunt.

PAlmam tamen nobis prǽripere sibi videntur, quum responderi volunt vbi, quando & per quem hæc mutatio in Ecclesia cœperit; Existimantes enim prǽcisè responderi non posse, arbitrantur nos vel inuitos concessuros esse ab Apostolorū tempore omnia in eo statu atq; nunc sunt perstitisse, nec considerant infelicem hanc esse sæculi conditionem & mundi consuetudinem, in peius ruere, alterare, mutare, corrumpere, an cum tempore perdere bonum illud quod tempore conseruari debuerat; non quod hæc cōtagio & infectio nocere propterea possit verę Ecclesiæ & fidelium, electorúmque numero, quos Deus semper in maximis confusionibus conseruat, ac in densissimis tenebris illuminat, vt supra ostendimus: sed quia tempus externam rerum omnium faciem senio veluti ac rugis obducit. Sub Veteri Testamento ante prædicatum annum Domini acceptum, Deus Ecclesiam, hoc est suos semper seruauit, nemo tamen negat externam Ecclesię faciem magnas mutationes passam esse, omnes id confitentur, & qui confiteri nollet, Scripturam ipsam negaret. Idem sub Nouo Testamento contigit: In essentialibus nullam vnquam Ecclesia Dei mutationem passa est, multo minus periit; sed si extrinsecus ac in eâ multitudine in qua vt granum inter paleas latet consideretur, de mutatione ambigi non potest: Hoc, si quis dubitauerit, ostensuri sumus: sed tyrannicum esse dicimus si quis nos ad personas loca & tempora, à quibus vbi & quando hæc mutatio cœperit & Apostasia consequuta sit sigillatim indicanda obligare velit; si penes receptatorem furtum deprehēdatur, iustus possessor bonum suum sibi vendicans & ius suum comprobans caussam obtinet, & receptator condemnatur, quamuis indicare nequeat vbi, à quo & quando furtum commissum fuerit: non minus de ægro iudicat medicus, nec minus remedia necessaria præscribit, quamuis morbi tempus, locum, vel occasionem ignoret.

Nugatoria sanè ac fallax est hæc conclusio rebus in omnibus, sed prǽsertim in religionis negotio, pertendere nullam ideo mutationem cōtigisse, quod mutationis locus, tempus & auctores designari nequeant: tam exacta inquisitio & notitia à præteritorum temporū historia pendet: quid tum postea si ignoretur? si nihil de illa in veterum monumentis exstet? Quot inciderunt mutationes & alterationes, quarum neque tempus, neq; primus locus, neque primi auctores dici possunt? Et quis innouatorum solitas fraudes ignorat? quis nescit illos solere auertere & perdere auctoritates & documenta quæ cōtra se aliquando produci possent? Quot libri sub veterum ac celebrium scriptorum nomine falsò circumferuntur, quorum tanquam monstrorum illos puduisset. Hoc in omnibus scientiis, Medicina, Iurisprudentia atque adeo ipsâ Theologiâ vsuuenit. Iniquum igitur est omnino & iniustum, eos qui de innouatione litem mouent, velle vti auctoritatibus ab aduersariis de industria suppositis, si liquidiores alias, maiorisque fidei producere possint.

Qui Iudæos antiquæ patrum religionis adulteratę vel potius puritatis in doctrinâ à Malachi temporibus abolitæ cōuincere aggrederetur, ne ille frustra desudaret in locis, tempore ac auctoribus tam portentosæ, mutationis & enormis adeo deprauationis designandis & specificandis: attamen extra dubium est & luce ipsa clarius hanc mutationem & corruptionem in Iudaicam religionem inuectam fuisse: Sed vnde indubitata hæc veritas nobis innotuit? Certe ex Scriptura, ex qua veteris Ecclesiæ Iudaicæ religionem agnoscimus. Huius archetypi & exemplaris collatio, cum religione Iudaica qualis erat temporibus Iesu Christi satis detegit ingens inter nouam superstitionem & antiquam Religionem discrimen, ac proinde mutationem contigisse satis indicat, quamuis illius circumstantias non designet.

Ac sane quum Dominus noster olim Scribas, Pharisæos, Doctores ac Interpretes legis redarguebat, & antiquę ac primigenię puritatis innouatæ ac immutatæ conuincebat, non vtiq; monumenta, instrumenta, loca à quibus & quando hæc innouatio cœpisset illis indicabat; Scripturis tantummodo ac doctrinâ vtebatur, quanquam nemo illo melius id præstare potuisset, illo inquam qui vel minima temporum momenta in numerato habuit, qui absolutissimâ & Chronologiæ & historiæ notitiam habuit. Sed nos suo exemplo docere voluit, quam methodum in detegendis ac reformandis erroribus insistere debeamus, nempe nos ad scrupulosam omnium harum circumstantiarum quæ nihil ad rem faciunt designationem non teneri.

CAP. XXII.

Mutationes quasdam esse quæ paulatim formentur, & difficillimum esse imo impossibile tempora locos & auctores alicuius mutationis semper denotare.

FAtendum est itaque experientiam quotidie docere, mutationes quasdam paulatim formari, nec id percipi posse, ita vt præcisè ac in vero suo articulo, singuli, huius progressus, vt ita dicam, insensibilis, gradus obseruari queant. Quis vnquam obseruasse potuit, quando, à quo & quibus gradibus lingua Gallica immutata fuerit? Ille tamen mentis non esset compos, qui ab hâc difficultate, imò impossibilitate, nullam in illâ mutationem factam esse contenderet. Quis senum momentum, horam, mensem, annum quo senescere, colorem immutare & viriũ diminutionem pati cœpit, præcisè notare possit? mente tamen captum esse illum oportet qui tam apertam mutationem in senectute vel negaret vel non agnosceret.

Et vt hanc considerationem ad Ecclesię Christianæ statum referamus, quis nescit in primitiuâ Ecclesiâ *m* millenariorum errorem viguisse? quis tamen designare posset, à quo, vbi & quando cœperit? quis præcisè notare possit quando cessarit, vbi & à quo primùm condemnatus fuerit? quis inde tamen inferre ausit, hunc errorem semper viguisse, ac etiamnum hodie in Ecclesiâ vigere, vel errorem non esse, sed doctrinam Apostolicam? Error quoque fuit olim in Ecclesiâ receptus & probatus, nec vllus ea de re dubitat, Cœnæ Sacramentum *n* infantibus administrandum esse. Quis primùm erroris illius auctorem nobis indicabit? aut vbi vel quando introductus fuerit? quis acta publica quib. erroris huius oppositio consignata est proferre possit: imò quando & quo in Concilio hæc doctrina condemnata fuerit? Nemo sanè; nec ideò tamen hæc doctrina Apostolorum esse dicenda est.

Ecclesiæ primitiuæ Doctorũ error fuit, *o* ipsas Sanctorum animas immediatè ab excessu paradisum non intrare: Tertullianus animas martyrum tantùm excipit. At quis opinionis tam paradoxæ, auctorem, tempus vel natiuitatis locum edere possit? quando, vbi & à quo primùm condemnata fuerit; Ac tamen certissimum est erroneam hanc opinionem principium suum, progressum, ac finem habuisse. Ecclesiæ veteris error fuit, Deum pro patriarchis, Prophetis, integro iustorum functorum cœtu, ac ipsis martyribus orare, quis adeò in antiquitatis notitiâ versatus est vt distinctè tempus notare, locum proferre, auctorem indicare absonæ huius pietatis possit? An ex difficultate & impossibilitate harum minutiarum exactè explicandarum hanc pietatem semper in Ecclesiâ fuisse & hodie adhuc esse sufficienter probabimus? Quodam tempore *q* immediatè à Baptismo, lac ac mel baptizatis degustanda præbebantur, corpus *r* illis integrum oleo inungebatur, *s* totâ hebdomade à lauando abstinebant, certâ quâdam *t* anni die oblationes pro natiuitate hoc est in memoriam passionis martyrum offerebant, *u* impium existimabant die Dominicâ ieiunare, *x* à Paschate ad Pentecosten ieiunare, *y* genibus flexis adorare, *z* nunquam nisi Orientem versus precabantur Quando hæc cœperunt? vel si ab Apostolis fuerunt, vt tum, quum vigebant, credebatur, quomodo ab illo tempore immutata sunt? quando mutatio cœpta est, à quo, quove in loco? si iis satisfacere nequeamus qui hæc omnia à nobis quærerent, an ideò absque ratione, illorum mutationem pertinaciter negabimus? Et qnandoquidem hæc iure mutata sunt, annon Apostolicæ hoc est diuinæ institutionis illa non fuisse, fatendum est?

a Constitutio fuit Apostolica, sed quæ tamdiu duntaxat durare debuit, quamdiu illius constituendæ occasio; vt abstinerent se fideles à contaminationibus simulachrorum, & suffocatis & sanguine. Hanc constitutionem obseruari desiisse videmus, nec tamen asserere possumus quando desierit, vel quâ in Synodo abrogata fuerit; an ideo illam adhuc durare dicemus? Interim æquè absurdum est originem negare, eo quod auctor, tempus & locus ignorentur, ac cessationem & finem, eo quod à quo, vbi & quando res vel cessare vel definere cœperit, indicari non possit. Vt qui illum unquam extitisse negaret, cuius natiuitatis nec mensem nec annum, imo fortassis etiam sæculum designare non posset, vel, vt qui mortuum illum negaret, cuius, obitus annum vel sæculum ignoraret.

Ridicula est igitur cauillatio, instare vt, quo pateat nullam in Ecclesia contigisse mutationem, tempus designemus, locum noremus atq; auctores mutationis proferamus, Sed nos æquos præbemus, quum experientiâ ipsâ mutationem inuectam fuisse probamus, quum Apostolorum doctrinam cum posterorum doctrinâ conferimus & ingens inter vtramque discrimẽ & repugnantiam ostendimus; quum Ecclesiæ Romanæ statum cum primævæ Ecclesiæ statu componimus, & vtriusque differentiam prodimus, quamuis id genus probationi, vt quæ linguarum peritiam in lectoribus exigat insistere nolimus.

Et vt illâ destitueremur, nec tamen destituimur, non est tamen vel exceptionib. vel præscriptionibus aduersus Scripturam locus. Quod sequioribus temporibus exortum est, quanquam nostri antiquum, illius tamen respectu nouum est. At hic non agitur de personarum antiquitate. Imò hoc amplius addimus vt aliquid æquè antiquum ac Scriptura extet, si Scripturę non congruat, quo magis antiquitate commendatur, eo magis à falsitate condemnatur: malum enim quo vetustius, eo perniciosius.

m vide supr. c. 17.

n vide ibid.

o Instit. verit. Christ. Irenæus cõtra hæres. c. 31. Tertull. de anima cap. 5. Ambros. de bono mortis c. 10. August. in Enchir. ad Laur. c. 109.

p Epiphan. hæresi 75. contra Arrium l. 3. 4. 1 Cyprian. epist. 34. edit. Pamel.

q Tertull. de corona mil. c. 4.

r Dion. Areop. de Hierarch. Eccles. c. 2 Clem. const. Apost. l. 4. c. 41. & 44.

s Tertull. ibid.

t u x y Tertull. ibid.

z Basil. libro de S. Spiritu c. 27.

a Act. 15. 29

Cap. XXIII.

Non bona fide nobiscum agi quum importunè à nobis contenditur vt respondeamus vbinam gentium vel locorum esset nostra Ecclesia & quosnam Doctores ante reformationem habuerit.

CAptiosos autem hosce litigatores pudere deberet, & ab eiusmodi argutiis & cauillationibus illis absistendum esset: sed vt fœcundum est vitilitigatorum ingenium diuerticulis excogitandis, scrupulum hic nobis mouent; Deus, inquiunt, Ecclesiam in terris semper habuit, quod fatemur; & hæc Ecclesia omni tempore Pastores suos habuit, id quoque concedimus: sed hinc inferunt, Vbinam igitur erat Ecclesia vestra ante Lutherum? quos Pastores & Doctores habebat? Atque ita rursus ab hominis ignorantia rem non fuisse concludunt, arbitrantes nos huic quęstioni satisfacere non posse, ac sibi persuadentes nos ignorare vbinam fuerit Ecclesia nostra, & à quo recta fuerit, nostram Ecclesiam nusquam fuisse pro certo habent. Veteratorum sane in morem: fac enim, quod tamen falsum esse mox ostendemus, nos nescisse vbinam esset Ecclesia nostra, & qui Pastores eius fuerint, à mutatione & apostasia quæ Ecclesiæ contingit an bonâ fide ex ignorantia nostra inferes rem non fuisse? An hęc illatio esset legitima, *Res illa te latet proinde nunquam fuit*? Ita tamen argumentantur, Vos latet, inquiunt, vbinam fuerit vestra Ecclesia, & quinam fuerint eius Pastores, nullam igitur habebatis Ecclesiam.

Atque ita in nos inuehuntur & veluti re bene gestâ triumphant, ac si respondentes nos nescire vbinam esset nostra Ecclesia, nec quos Doctores haberet eâdem operâ fateremur, illam non fuisse, vel si fuerit, absque Pastoribus fuisse. Eiusmodi illatio Eliæ olim fucum fecit, quum nesciret vbinam esset Ecclesia decem tribuum, nec qui essent eius Doctores, *b Dereliquerunt*, inquit *pactum Domini, filij Israel; altaria tua destruxerūt, & Prophetas tuos occiderunt gladio; & derelictus sum ego solus & quærunt animā meam vt auferant eam.* Se solū esse arbitrabatur, quia cæteri ipsi erant incogniti: sed Dominus vitiosam esse hanc illationē illum docuit, respondens, *c reliquisse sibi septem millia virorum qui non curuauerant genua ante Baal.* Si igitur Ecclesia Israelis ita latere potuit, vt Elias & locum & Pastores eius ignoraret, quis maiorum nostrorum tempore idem contigisse mirabitur? quum terra veluti tenebris obducta esset, Deum Ecclesiam habuisse cuius neque locum designare, neque Pastores edere possimus. Nec est regerendum, Deum præterea tunc temporis illustrem in Iudâ Ecclesiam habuisse. Quoniam sępe contigit vt Ecclesia Iudæa corruptione æquauerit, imò superauerit *d* Ecclesiam Israelis siue decem tribuum; adeo vt si quis externam Ecclesiæ faciem qualem sese hominum oculis conspiciendam exhibebat intueretur, nihil aliud dicere posset nisi omnia ad summam vastitatem & solitudinem esse redacta. Sed quamuis deploranda hæc mutatio vniuersum Israelē & Iudam non peruasisset argumētum tamen ab Ecclesiæ Israeliticæ statu ductum vim suam semper haberet, nam si tanta Ecclesiæ pars incognita subsistere potuit, cur cæteræ quoque partes & reliquæ omnes Ecclesiæ particulares incognitæ subsistere non poterunt?

b c 1. Reg. 19. 10. Rom. 11. 4.

d Hoc supra verum esse ostendimus.

Sane necessaria est hęc conclusio, id quod obstat quominus tota Ecclesia lateat, obstare quoque debere quominus singulæ eius partes lateant; & eandem potentiam quæ Ecclesiæ partes i. Ecclesias particulares vel in maximarum confusionum ac turbarum medio sustinet ac conseruat, Ecclesiam quoque vniuersam pariter conseruaturam. Si Ecclesia ideo semper visibilis esse dicenda est, & quæ digito indicari possit, quia Dominus litium componendarum viam præscribens, dixit, *e Dic Ecclesiæ*; quandoquidem Ecclesiæ particulares hac de causâ adeundæ sunt, hæc augmentatio Ecclesias particulares quoque semper visibiles esse probabit. Si vero non obstet quominus suo respectu sint inuisibiles, vt est in confesso, nihilo magis obstabit quominus Ecclesia tota interdum sit inuisibilis. Si Ecclesia *f semper sita sit in vertice montium & eleuata super colles*, ac proinde sēper visibilis, Ecclesiæ quoque particulares semper visibiles erunt, quandoquidem illa nec videri nec agnosci, nisi in illis & per illas, potest; & si non semper conspicua sit & visibilis in partibus suis, nihilo magis in toto suo cōspicua & visibilis erit. Si denique arbitrantur Ecclesiam semper visibilem esse debere, semper hominum oculis expositam, quia Pastores eius sunt *g* lux mundi & comparantur *h* lucernis quæ non ponuntur sub modio, sed super candelabrum, cum illa sit & esse debeat Pastorum Ecclesiarum particularium qualitas, Ecclesiæ particulares in quibus eiusmodi Pastores extiterint hoc pacto hominis carnalis oculis semper visibiles erunt, quod tamen, vt manifestò apparet, verum non est. Sed profecto Deus non promisit Ecclesiam suam semper insessuram iuga montium: insessuram quidem promisit, nec dubitamus quin subinde ac identidem Deus promissis suis steterit; at nunquam promisit semper insessuram, quod nec etiam contigit: imò contra *i* Deus Ecclesiæ suæ alas promisit, vt volaret in desertum in locum suum à facie draconis persequentis. Et quum Dominus querelas de fratribus in Ecclesiæ sinum effundere nos iussit, vbi priuatæ & secrete reconciliationi non est locus, mandatum hoc hanc conditionem subintellectam habet, *dummodo id fieri possit*: Dominus ad sui temporis consuetudinem respiciebat; & legem præscripsit quam obseruare debemus, sed possibilitate semper præsuppositâ, eodemque Ecclesiæ statu ac illius tempore cuius politia, hoc saltem respectu nondum erat corrupta. Hoc mandatum igitur non præsupponit Ecclesiam hominum oculis semper expositam fore, sed quando exponitur, pręcipit vt illam hac de causa adeamus. Doctores autem *Ecclesiæ lumina* vocantur, non semper effectû, sed officij habitâ ratione, vt quoque hac de causâ *sal k terræ* appellantur, quia in hunc finem constituti sunt, atque hoc muneris est ipsorum & officij. Sed quum reapse lux sunt, lux illa est spiritualis, quæ non nisi oculis animæ ac spiritus à spiritualibus cernitur, ab iis, inquam, qui *l* in domo sunt, vt ipse Dominus obseruat: adeò vt harum considerationum nulla continuam visibilitatem externam Ecclesiæ nec in toto, nec in partibus sufficiēter probare possit.

e Matt. 18. 17.

f Esai. 2. 2.

g Matt. 5. 14

h Matt. 5. 15

i Apoc. 12. 4

k Matt. 5. 13.

l Ibid. 15.

Cap. XXIV.

Ecclesiam Dei fuisse ante hanc nouissimam reformationem & vbinā fuerit & qui eius Pastores fuerint.

SEd si adhuc instetur, & quæratur vbinam esset Ecclesia nostra immediatè ante sucessionem nostram, respondemus fuisse Babylone captiuam sub Antichristi regno, m *exite Babylone populus meus*, vt scribitur in Apocalypsi, populus itaque Dei erat Babylone, quamuis Diis Babylonis non seruiret, quinimò eius Doctores erant ipsius Babylonis Doctores: quod si cui mirum hoc videatur, statum Ecclesiæ Iudaicæ ante quam Dominus prædicare cœpisset, in memoriam sibi reuocet. Annon tunc quæri poterat vbinā antea esset Ecclesia Dei & quinam eius essent Doctores? quid huic quæstioni responderi potuisset? Scribasne & Pharisæos quique illis adhærebant, maximam scilicet populi partem esse Ecclesiam? quin potius hostes Christi ac Ecclesiæ erant, nedum vt ipsi Ecclesia essent: vt verè ergo responderetur, paruus iustorum numerus qui sub tyrannidis huius spiritualis iugo gemebant, qui vastitatem quæ ex doctrinâ & antiquâ disciplinâ corrupta oborta fuerat deflebant, hoc Ecclesiæ titulo tunc insignitus fuisset? Pharisæos vero de quibus Dominus dicebat *illos sedere in Cathedra Mosis*, Ecclesiæ Doctores esse quoque respondissent. Idem & nos dicimus, Deum ante reformationem cœptam, Patrum nostrorum tempore Ecclesiam in medio Babylonis habuisse, in medio Ecclesiæ Papisticæ & Antichristianæ, nec tamen hanc Ecclesiam multitudinem esse illorum *qui bestiæ* n *charactere acceperant, eamque adorabāt*; sed o exiguum numerum illorum qui tyrannidem & corruptionem Romanam improbabant, quorum quidam subinde detecti modo in exilium acti, modo crudeliter morti dati sunt, idque sub horrendorum & atrocium criminum prætextu, vt inuisi populo redderentur & eorum memoriā posteritas execraretur, nisi Deus prouidentiā suā, inuitā calumniæ fraude ac violentiā monumenta fidei ac pietatis illorum in hunc vsque diem reseruasset, cuiusmodi miseri Valdenses fuerunt huc illuc errare coacti, ipsique Albigenses euersi ac penitus excisi.

m Apoc. 18. 4.
n Apoc. 14. 9.
o Apoc. 20. 4.

Quod insuper quæritur, quinam adeo cōfuso & perturbato tempore quo Babel regnabat Ecclesiæ Doctores fuerint? Respondemus certè Spiritum Sanctum p internè semper Ecclesiam suam docuisse, externè verò, illos ipsos qui publicè docebant, Doctores nempe Ecclesiæ Romanæ: verùm aliquis obiiciet, hos igitur Doctores, veros Doctores fuisse. Veros Doctores aliquando fuisse inficias non imus, nempe quemadmodùm Scribæ & Pharisæi veri Doctores simul & q seductores erant: veri Doctores q quum sedentes in Cathedrâ Mosis, ac illius doctrinam docentes, populus Dei illorum ministerio veram doctrinam excipiebat: seductores quum in suâ ipsorum Cathedrâ sedentes, suas traditiones ac sua commenta docentes, r pereuntes & quos Deus s non elegerat, venenum ab illis præparatum hauriebant. Sic se res habebant in Ecclesiâ Iudaicâ, antequam Dominus sese mundo manifestare cœpisset, alioqui Deus nullam habuisset Ecclesiam; hæc vera quum sint, si de illorum veritate constituerit, necesse non est de responsione ad id quod quæritur, quomodo? vlterius sollicitos nos esse.

p Ioan. 16. 13.
q Matt. 23. 2.
r 1. Cor. 1. 18. 2. Cor. 2. 15.
s Rom. 11. 17

Quum de re aliquâ consentitur, curiosum est de illius mediis inquirere. Ne vllus tamen resideat scrupulus, dicamus quâ ratione falsis illis Doctoribus ad populum suum docendum Deus vsus fuerit; Scribæ & Pharisæi ante Domini nostri aduentum, Verbum Dei Iudæis & proponebant & prælegebant, quantum ad salutem necessum erat: sed fermentum suum immiscebant, traditiones suas ac commenta sua addebant; vera Ecclesia fermento omisso, verbo pascebatur, falsa Ecclesia contra verbo omisso, fermento vescebatur. Quid mirum? Oues in pascuis herbis tum venenatis, tum salubribus refertis, salubres eligere norunt & à noxiis abstinere. An Christi Oues hâc prudentiâ destitutas arbitrabimur? oues, inquam, illas t quæ illum sequi dicuntur, quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequi, sed fugere ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.

t Ioan. 10. 4.

Quis mirabitur ergo, ante ingentem hanc reformationem quam Dominus nouissimis hisce diebus mundo veluti in senium vrgente inchoauit, Ecclesiam quum sibi veritas cum mendacio proponeretur, veritatem mendacio reiecto amplexam esse. Sanè hæc veritas semper in Ecclesiâ resonauit atque in Ecclesiæ Romanæ Doctorum ore fuit non secus atque benedictio in ore Balaami, nempe vnum Deum esse Creatorem & Conseruatorem omnium; Patrem, Filium, & Spiritum S. distinctos non diuisos, illum esse Deum: hunc mundum in hominis gratiam creatum, & hominem ad imaginem Dei, hominem peccato suo iram & maledictionem in se attraxisse, Filium Dei naturam nostram assumpsisse, & in illâ offensas nostras expiasse, omnes qui in illum credunt, quos sincerè & verè peccatorum pœnitet misericordiam consequi, ideo misericordem illum Deum amandum esse, inuocandum, ei gratias agendas &c. Hactenus Scribæ & Pharisæi in Mosis, Prophetarum, Christi & Apostolorum Cathedrâ sedebant? hactenus audiendi fuerunt, hactenus illos Ecclesia audiuit: sed quando ad hanc veritatem mendacium suum addiderunt, ad hoc Dei Verbum traditiones suas, ad hunc panem spiritualem u fermentum suum, tunc in propriâ Cathedrâ sedebant, tunc non amplius audiendi fuerunt, tunc non à verâ, sed à falsâ Ecclesiâ auditi fuerunt; atque ita ad importunam illam quæstionem quâ quæritur, quomodo? respondemus.

u Matt. 16. 6.

Ipsâ hâc eâdem ratione quid respondendum sit quum quid Patribus nostris factum sit interrogant, non multùm laboramus: hæc quæstio, Ethnicis interrogantibus, responsum sanè odiosum in ore filiorum de patribus loquentium primis Christianis extorsit, Mirabilem esse Deum in viis suis, sed in speciem omnes damnatos esse: nos ad eas augustias, Deo sit laus, redacti non sumus. In Ethnicismo nihil erat quod seruare posset, nullum gratiæ & misericordiæ verbum. In doctrinâ quæ in Ecclesiâ Romanâ proponebatur, dabatur optio, & quisquis elegit, quisquis selegit & ad vsum suum applicauit seruatus fuit: cur multa Patrum nostrorum millia id fecisse in dubium reuocaremus? Deus Ecclesiam sibi in

medio

medio maxime horrendarum vicissitudinum, confusionum ac desolationum quæ à Malachię temporibus sub Veteri Testamento contigerunt conseruauit. An brachium eius sub Nouo abbreuiatum esset, imo quum sit Dominus & ab æterno, *x* sibi semper similis est nec mutatur.

x Mal. 3. 6

Procul ergo facessat importuna hæc curiositas, procul facessant quęstiones illæ idiotis exagitandis excogitatæ; vbi locorum erat vestra Ecclesia? vbi gentium vestri Doctores? Ecclesia nostra erat Babylone, Doctores habebat, vt nullos alios habuerit, ipsosmet Babylonis Doctores. Quod autem quęritur, cur ergo exemplum illorum non simus imitati? cur Babylone egressi fuerimus, si Babylone seruati fuerunt? rationem infra *y* suo loco reddemus.

y Cap. 37.

CAP. XXV.

Quænam vera sit Ecclesiæ successio, nec illam à successione vel naturali vel Politica pendere.

NVnc, quia nos successionis præiudicio præcipuè grauāt, quam magni momenti & penes se, non autem penes nos esse volunt, & quę continuatâ serie apud illos permanserit, nos vero interuenerimus; præiudicij huius vires pressius intueamur.

Ne autem vocis ambiguitas, tenebras offundat, operępretium est scire quam successionem intelligant, an successionem naturalem à patre ad filium, & de generatione in generationem? Nos dicimus ab eiusmodi successione Ecclesiæ successionem non pendere. Hæc erat & est adhuc Iudęorum obstinatorum prærogatiua *z* ipsorum esse Patres ac Prophetas, illorum sunt successores generationis carnalis & naturalis habitâ ratione, nec tamen sunt vera Ecclesia; piis maioribus suis quatenus homines successerunt, hæc successio naturalis est. At non successerunt ipsis quatenus fideles, hæc successio spiritualis est. *a* Non qui Israelitæ sunt secundùm carnem, continuò Israelitæ sunt secundùm Spiritum. Si successionem politicam intelligant, muneris ac auctoritatis habita ratione, dum alter alteri ordine & continuata nec interrupta serie succedit; Ecclesiam eiusmodi successioni non esse alligatam dicimus: quoties *b* conqueruntur Prophetæ, populum Israelis, Reges ac Sacerdotes in magnam confusionem & perturbationem per idololatriam coniectos esse? At quos Reges? quos Sacerdotes? Reges bonorum Regum successores: Sacerdotes verorum Sacerdotum successores. Annon penes Scribas & Pharisæos erat hoc successionis genus quam Politicam appellamus? an ideo tamen veram Ecclesiam constituebant? quin potius populi seductores *c* erant, legis corruptores, Domini nostri ac doctrinę ipsius hostes capitales & acerrimi. Tam apertæ veritati nihil nisi friuolum opponi potest: si dixerint *d* à Malachiâ prædici, labia Sacerdotis custoditura sciētiam & legem requisitum iri ex ore eius. Respōdemus, non ibi agi de rei futuræ prædictione, sed cohortationem esse ad officium, ac sane immediatè post, Propheta Sacerdotes accusat quod recesserint de via & scandalizauerint plurimos in lege; indubitatum argumentum quo videmus verba illa, *labia Sacerdotis custodient scientiam*, nihil aliud significare quam, labia Sacerdotis debent custodire scientiam; nihil frequentius est in Scriptura, quam officia verbis futuri exprimere; omnia fermè Dei præcepta hoc stylo concipiuntur, non habebis Deos alienos coram me, Nō facies tibi sculptile, Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum &c. qui ex hisce loquendi formulis inferre vellet præcepta Dei nunquam violatum iri, insanus esset ac demens.

z Rom. 9. 5

a Rom. 9. 6

b Ierem. 2. 6

c Matt. 23. 16. 17. 19

d Malach. 2. 7.

Atque ita vera Ecclesiæ successio non semper coniungitur cum successione politica, quæ per se, sine veritatis successione, similis est successioni tenebrarū, morbi, aëris pestilentis, sterilitatis ac tyranni, quum luci, valetudini, aeri salubri, fertilitati ac bono principi succedunt; illa demum vera successio censenda est, quæ pietatis est successio. Idem sentire, est eidem Cathedræ succedere; idem non sentire, est contrariam Cathedram insidere, Cathedrę successio, nihil successionis præter nomen habet, sed idem sentiendi, successio, veritatem; vt aiebat Gregorius *e* Nazianzenus, docens quid Dominus significet, quum ait, audiendos esse Pharisæos sedentes in Mosis Cathedra, hoc est quum docent quomodo Moses, quatenus Mosi in doctrina succedunt, sed id non obstat quominus eos suis *f* à Pharisęorum fermento cauere præceperit, quatenus non sedent in cathedrâ Mosis, sed in Cathedrâ quam illi sibimet ipsis fabricati sunt.

e Matt. 23. 2

f Matt. 16. 6

Quid ergo? annon Ecclesia Dei certam habet in terris successionem? imò Dominus *g* dixit, *sicut quercuum firmitas in eo consistit quod repullulent, ita semen Sanctum fore firmitatem illius.* Sed hæc Ecclesiæ successio & propagatio neque naturali, neq; politicæ successioni alligatur, sed à liberâ tantum illius dispositione pendet qui *h* ponit flumina in desertum; & exitus aquarum in sitim; terram fructiferam in salsuginem, à malitiâ inhabitantium in eâ, qui ponit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.

g Esai. 6. 13

h Psalm. 107 33. 34. 35.

CAP. XXVI.

Papatum ab Apostolis originem non ducere.

SEd vt rem propius inspiciamus, Ecclesia Romana nullam legitimam habet successionem, non ordinis & politiæ, non ceremoniarum, imò nec personarum, multo minus doctrinæ: successionem ordinis ac politiæ quæ in veteri Ecclesia obseruabatur non habet: in veteri enim Ecclesiâ nulli erant Papæ, nulli Cardinales, nulli Patriarchæ nulli Archiepiscopi, imò nec Episcopi Romano more. Omnes Apostoli, quantum ad potentiam clauium & Apostolatus auctoritatem, erant æquales. Siquid inter illos fuerit discriminis, non fuit muneris illorum respectu; omnes *i* munus suum summo Apostolo, Apostolorum principi, Domino Iesu immediatè acceptum referebant, idem illis omnibus mandatum iniunctum fuerat nempe, vt omnes gentes docerent, eadem peccatorum *k* remittendorum facultas concessa, *l* eorum nomina ęqualiter duodecim fundamentis Hierusalem cęlestis inscripta, sedent super duodecim *m* thronos non subalternos, sed collaterales, eiusdē altitudinis & dignitatis, iudicantes duodecim tribus Israelis. Sunt, vt inquiebat Constantinus Magnus in Concilio

i Ioan. 20

k Ioan. 20. 23

l Apoc. 21. 14

m Matt. 19. Luc. 22. 30.

Nicæno, *n* duodecim columnæ: non igitur alter alteri innititur, sed qui simul iuncti Ecclesiæ ædificium sustinent. Si Petro *o* Dominus promiserit claues regni cœlorum, idem *p* potestatis cæteris quoque Apostolis concessit. *q* Si pro illo rogauit vt non deficeret fides eius, pro omnibus *r* fidelibus quoque, pro totâ Ecclesia sua & omnibus illius membris orauit, *s* si Petrum ter hortatus est vt oues suas pasceret, id ideò factum est quia ter Petrus illum abnegauerat. *t* Triplex abnegatio triplicem instaurationem postulabat, qui ter corruerat, ter erigendus erat. Anne hæc in pristinum statũ restitutio in priuilegium extraordinarium conuertetur? an serui qui magis seriò de officio suo admonentur maioris auctoritatis priuilegio ornati censendi sunt? an in altiore gradu collocati? Contrà, se Domini suspectos esse credunt, & cum Petro contristantur; Si Domini corda illorum inspicere possent, dicerent *x* cum Petro, Domine tu scis quia amo te, tu scis me nihil aliud optare quam vt tibi seruiam. Denique si Dominus illi dixerit, *y* Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; primi & celeberrimi patrum dicunt *z* Iesum non personam, sed Petri confessionem intellexisse, non Petrum qui confitebatur, sed petram quam confitebatur, hoc est Dominum nostrum Iesum Christum, quanquam lubenter agnoscimus Ecclesiam super Petrum, sed nō solum ædificatam esse: vnum est ex fundamentis, sed non fundamentum, vnum ex duodecim fundamentis, vna ex duodecim columnis, vnus ex duodecim iudicibus duodecim tribuum Israelis, sed non illorum fundamentorum fundamentum, illarum columnarum columna, illorum iudicum iudex, sed fundamentum collaterale, columna collateralis, iudex collateralis cum cæteris Apostolis collegis suis, nec etiam Reges deponere aggressus est, neque vllam eiusmodi auctoritatem sibi vindicauit, imo verò hæc duo coniunxit *a* *Deum timete, Regem honorificate*, quamuis tunc temporis Ethnicum, quamuis tyrannum & Ecclesiæ persecutorem, neque dominatus est aliis senioribus & Ecclesiæ rectoribus *b* quorum se *conseniorem* & collegam profitetur.

Fac autem Petrum illam habuisse auctoritatem, quæ hodie Pontifici Romano tribuitur, attamen probandum adhuc incumbet auctoritatem illam cum Petro mortuam non esse: si vero munus Apostoli illi superstes non fuerit, multo minus Principis Apostolorum? Si Apostolatum quod attinet cæteri Apostoli nullos successores reliquerunt, quomodo sui in illos principatus iurisdictionis successorem ille reliquisset? Donum miraculorum habebat. Cui peculiariter hanc gratiam legauit? An Papa miracula facit? Apostolus erat Circumcisionis, an Papa est Iudæorum Apostolus? hæc Apostolatus munera extraordinaria erant, vt Mosis munus quod in ipsius personâ extinctum fuit & post mortem eius suppressum: quemadmodum igitur Episcopus Ephesinus malè sibi vendicasset B. Ioannis Euangelistæ auctoritatem, & Episcopus Alexandrinus B. Marci, quamuis hos duos Apostolos traditio ferat Episcopos in successores habuisse, B. Ioannem Ephesinos, Beatum verò Marcum Alexandrinos. Ita Pontifices absque ratione B. Petri auctoritatem vsurpant sub traditionis illius obtentu quâ Petri successores esse feruntur. Sic hoc respectu hæc Monarchia Papalis nullam habet successionem Apostolicam, siquidem non solum originem suam non habet ab Apostolorum tempore, sed & multis post sæculis in Ecclesia incognita & inaudita fuit, B. Cyprianus *c* Cornelium Episcopum Romanum *Collegam suum & Coëpiscopum* vocat, & ceteros Episcopos, *Cornelij Coëpiscopos*: Cornelioque succenset quod ab aliis Episcopis, (quos illius Coëpiscopos appellat) excommunicatos admiserit, atque illi statutum disciplinæ illorum temporum exponit, nempe vt vniuscuiusque caussa illic audiatur, vbi est crimen admissum; statutum quod æquum pariter esse ac iustum ait, vtpote fundatum in mandato omnibus pastoribus iniuncto, & singulorum iure in portionē gregis sibi adscriptam, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.

Pariter, Stephanum quoque Episcopum Romanum acriter obiurgat. *e* Docet, quemadmodum vna est Ecclesia in toto orbe, in plura membra hoc est Ecclesias particulares diuisa, ita Episcopatum vnum esse, cuius à singulis in solidum pars tenetur, ac proinde in plures Episcopatus particulares diuisum; *f* Parem potestatem cæteris Apostolis tribuit ac Petro, quamuis vt vnitas manifestaretur, dictum fuerit Petro, *Tibi dabo claues regni cœlorum*. Non itaque personę Petri, sed Petro, vt qui omnium Apostolorum vnitatem referret; hanc sententiam quoque sequuntur *g* B. Hieronymus & *h* Augustinus. *i* Sinodus Alexandrina literas suas dat non ad EpiscopumRomanum particulariter, sed ad illum iunctim cũ cęteris, nec ab illis distinctum. B. Athanasius nunquam aliter eum vocat, quam Episcopum Romanum, Coëpiscopum suum & Comministrum. *k* Hosius subscribit primo Concilio Nicæno non veluti referens Episcopum Romanum sed in genere Ecclesias Occidentis, sic Episcopus Alexandrinus &c. Hosius ergo non aderat vt vniuersalem EcclesiæEpiscopum referret, sed Ecclesias Occidentis; vt cæterorum singuli vt priuatarum iurisdictionum Ecclesias referrent, vt ex illorum subscriptionibus fusius videre est. Denique quod contigit Pontifici in VI. Concilio *l* Carthaginiensi, nullam relinquit dubitationem, nec vllam admittit exceptionem. Nebulo quidam cui Appiario nomē perat presbyterio motus ab Episcopis Africanis ad Zozimum tunc temporis Episcopum Romanum confugit, qui illo in integrum restituto, existimans præclaram sibi dominij sui limitum dilatandorum occasionem præberi, illam confestim arripit & hũc Appiarium quem restituerat cum legatis ad Concilium Carthaginiense mittit, quibus præterea iniunxerat vt postularent vniuersalem Pontificis auctoritatem à Concilio agnosci, hanc in rem Concilii Nicęni acta citans. Interim Zozimo mortuo, Eulalius à maximâ Cleri & populi parte in locum eius eligitur: sed Bonifacij violentię cedit, qui, vt ambitiosissimus, quod Zozimus de primatus agnitione petierat persequitur: Concilium prorsus negat quicquam in Concilij Nicæni actis extare quod primatui illi quem aucupabatur faueret: interim delegatos ad Patriarchas Constantinopolitanum & Alexandrinum mittit, vt sibi authenticorum exemplarium ctnum

aΛnodi

---

n Gelas. Cyzic. Act. Syn. Nic. l. 2. c. 7.
o Matt. 16.14
p Ioan. 20.23
q Luc. 22.32
r Ioan. 17.20
s Ioan. 21.15 16.17
t Isidor. Pelus. ep. l. 1. 183. ad Timoth. Anag.
x Ioan. 21 15.16.17
y Matt. 16.18
z Gregor. Ness. in Test. & Vet. Testam. de Trin. contra Iudæos. Cyrill. de Trin. l. 4. Chrys. in Matt. hom. 55. Ambros. in epist. ad Epih. c. 2. Hilar. de Trin. l. 2. & 6. August. tract. l. 1. c. 21 in Ioann. tract. 124. & alibi sæpe. Hieron. in Abdiam cap. 1.
a 1. Pet. 2.17
b 1. Pet. 5.1.2
c Cypr. ep. 52. ad Anton. de Corn. & Nouat. edit. Pamel. & alibi passim
d epist. 55. ad Cornel. de fortun. & fœlicissima
e epist. 92. ad Anton. Cornel. & Nouat. lib. de vnit. Ecclesię,
f idem de vnit. Eccl.
g Hieron. cōtra Iouin. l. 1. 14.
h August. tract. in Ioā. 119. & 124.
i Apol. 2. Athan.
k Gelas. Cyzic. act. Concil. Nic. p. 2 c. 28.
l Tom. Cōcil. Concil. Carthag. 6.

Synodi, quæ penes illos erãt inſpiciendorum copaim facerent. Hic Bonifacio mortuo Celeſtinus ſuccedit, qui eodem ardore, auctoritatem quam animo præceperat, cõprobari poſtulat; ſed quum iam ex delegatorum ſuorum relatione patres didiciſſent nihil eorum in authenticis Synodi Nicænæ exemplarib. reperiri quæ ſuperbi illi Romani Epiſcopi poſtulabant, fraudem illorum vituperant, faſtum perſtringunt & illos obteſtãtur ne vllas amplius prouocationes admittant, inſigni hâc ratione additâ. Certiſſimè Spiritus S. gratiam ſingulis prouinciis non defuturam, niſi quis Deum vni ſoli iuſtitiam inſpirare poſſe, & infinitæ aliorum Epiſcoporum multitudini eam recuſare crediderit.

Docemur autem hâc hiſtoriâ hactenus Eccleſias Africanas Papam non agnouiſſe. Et ſi qui hodie illum in regionibus illi agnoſcerent, eâ ſane in re illorũ ſucceſſores non eſſent. Si Papa fuerit ab initio Epiſcopus vniuerſalis, quomodo vniuerſaliter illi per totam Eccleſiam tunc non eſt obtemperatum? Sed non minus notatu dignum eſt, Pontifices illos qui hanc auctoritatis ſuæ profeſſionẽ à Concilio exigebant, non miſiſſe legatos qui pro imperio cœtum illum alloquerentur, multo minus, qui detrectantes tãquam ſchiſmaticos excommunicarent; Vt etiam quod Scripturam huic primatui aſſerendo non proferant, ſed canonem tantùm Synodi. Nondum enim eo impudentiæ deuenerant vt dominij ſui amplitudinẽ in ſcripturâ fundari prætẽderent. Mirâ tamen audaciâ vſi ſunt, acta Synodi Nicænæ impudentiſſimè adulterantes & ementientes. Cuius tamen fraudis poſteros illorum, vt videtur, puditum eſt. Hodie enim in concilij illius Actis, qualia ab illis accepimus, nihil exſtat quod primatui illi faueat; ſed cęteri *k* Patriarchæ potius Epiſcopo Romano æquantur. Tandem vehemens illa & acerba Synodi prouincialis tantùm, in Pontificem cenſura annon auctoritatem illius tunc temporis nuperam admodum fuiſſe euincit? Hiſce poſitis, cum ſucceſſio à primo initium ducere debeat & primus Papa eam auctoritatem non habuerit quam hodiernus, nullam in Papatu, ac proinde in toto Papatus ordine ſucceſſione eſſe, ſequitur.

k Can. 6. Conc. Nic.

Cap. XXVII.

Cardinales Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Monachos & Moniales Eccleſiæ Romanæ non eſſe inſtitutionis Apoſtolicæ.

POſtquam ſucceſſionem primi gradus dignitatis in Eccleſiâ Romanâ expẽdimus, ſupereſt vt ad ordines inferiores progrediamur, ac primũ ad Cardinales. Nemo hodie adeo ignarus eſt qui exiſtimet, vel adeò impudens qui dicere audeat inſtitutionem illorum eſſe ab Apoſtolorum temporibus, vel minus illorum quale hodie conſpicitur non eſſe Apoſtolorum ſęculo longe poſterius. Quum Eccleſia creſceret, in præcipuis Eccleſiis creati ſunt *l* Preſbyteri Cardinales, & Diaconi Cardinales, hoc eſt præcipui preſbyteri & præcipui diaconi quorum minus intra limites & iuriſdictionem Eccleſiæ vbi creati fuerant coercebatur; ſi Romæ, intra limites Eccleſiæ Romanæ; ſi Carthagine, intra limites Eccleſiæ Carthaginenſis. Munus illorum erat preſbyteris & Diaconis communibus præeſſe. Cardinales hodierni nihil aliud quam Cardinalium nomen habent, lõge aliud eſt illorum munus, ac inſtitutio plane diuerſa. Hodie ſunt Electores Papę, non itẽ olim, exceptis Cardinalib. vrbis Romæ, quatenus cleri partem conſtituebant: Hodie curam gerunt omnium Eccleſiarum quæ Põtificem audiunt. Olim munus illorũ intra vnius Eccleſiæ cancellos continebatur; quæ tamen eſt illorum hypocriſis hodie adhuc titulos quoſdam affectant quib. certis Romanæ vrbis curiis ſeu parœciis alligantur, vt ſi non rem, nomen ſaltim antiquum retineant. Olim mucus illorum nullum illis ſupra Epiſcopos gradum conferebat; Hodie principes ſunt & Eccleſiæ conſanguinei, triplicem coronam proximo agnationis genere contingentis. Cardinales itaque nullam ſucceſſionem habent quæ ab Apoſtolorum tempore ducatur, nec per conſequens Eccleſia Romana partis huius politiæ ſuæ habitâ ratione.

l Polyd. Virg. l. 4. de inuent. c. 19.

Patriarchas quod attinet, nulli quoque erant Apoſtolorum tempore, nec item multo poſt. In Actis *m* tantummodo Concilij Nicæni legimus iuriſdictionem illorum antiquam cõſuetudinem vocari, quod à traditione Apoſtolicâ multũ differt. Præterea Patriarchæ ſupremam & æqualem cum Epiſcopo Romano iuriſdictionem habebãt; Collega tãtum illorum erat, quamuis ordine primus: Cæteri illi Patriarchæ hodie nihil amplius commune cum Eccleſiâ Romanâ habent, Pontifex Romanus quoq; Patriarcha amplius haberi non vult, & hodierni Eccleſiæ Romanæ Patriarchæ ſunt inſtitutionis Pontificiæ, cum tamen pontificis non ſit illos eligere, ſiquidem primæ inſtitutionis, quæ Apoſtolica tamen non eſt, habitâ ratione, collegæ & eiuſdem cum ilo auctoritatis erant. Patriarchæ itaque Eccleſiæ Romanæ nullam legitimam ſucceſſionem habent, cum initium illorum nec à vero initio hoc eſt Apoſtolorum tempore, nec item ab antiquâ Patriarcharum inſtitutione ducatur.

m Can. 6.
n Ibid.

Nihilo magis hodierni Archiepiſcopi & Epiſcopi antiquos referunt, non ſolum inquam quoad mores, ſed quoad auctoritatis gradum. Auctoritas illorum à Pontifice hodie pure pute pendet; Antiquitus à ſolo Epiſcoporum corpore pẽdebat, nõnniſi communi conſenſu deponi poterant; Vt eligerentur Romam currere non tenebantur. Sed ſeſe inuicem de Epiſcopi alicuius vel Electione vel depoſitione certiores faciebãt. Præterea non eam in magiſtratum auctoritatem obtinebant, quam hodie vſurpant. En quomodo res immutentur. Hodie Pontificis habitâ ratione auctoritatem ſuam ſeruitute, Magiſtratus verò, tyrannide permutarunt; & quam apud Pontificem iacturam fecerunt, apud Magiſtratum ſarciuerunt, malúntque illius qui longè diſtat & cuius magnitudo à magnitudine ſuâ pendet ſubditi eſſe, quam multorum vicinorum & quorum ſplendor ſplendorem ſuum obſcuraret; Nulla igitur hoc quoque reſpectu ſucceſſio eſt in Eccleſiâ Romanâ.

In vetere Eccleſiâ ſeniores erant qui preſbyteri vocabantur; ſed Eccleſiæ Romanæ preſbyteri illorum nihil niſi titulum & nomen habent. Præcipuum illorum munus erat *o* docere; Iſti maximâ ex parte illiterati ſunt & idiotæ, ac proinde primorum illorum ſucceſſores non ſunt, niſi eâ ratione quâ tenebræ, quâ paupertas &

o 1. Tim. 8. 9.

morbus, luci, diuitiis & sanitati succedunt. Non potest autem huic defectui obtendi, hæc esse personarum vitia; nam in muneribus Ecclesiasticis, personæ ineptitudo, munus tollit & destruit; Ineptitudinem autem hic appello non personæ vitium, sed muneris exercendi impossibilitatem, Mulier quę lacte caret non potest esse nutrix, quòd si mulieris lacte abundantis locum subeat, id quatenus nutrix facere non potest, & ad extremum nutricis nihil præter nomen habebit. Ita qui ad docendum ineptus est: doctor esse non potest, sin vero docenti & docendi perito succedat, non quatenus doctor succedet, nec doctoris quicquam præter nomen obtinebit. Præterea præcipuum presbyterorum hodiernorũ munus in missâ dicenda & sacerdotio consistit, quorum in antiquorum presbyterorum institutione nulla mentio fit.

Act. 6.23. In vetere Ecclesiâ erant *p* Diaconi, hodie sunt Diaconi, Archidiaconi & Subdiaconi. Sed quid veterum Diaconorum hoc hominum genus præter nomen possidet? an pauperum curam gerunt? imò crudeli & importunâ prouentuum suorum exactione pauperum sanguinem sugunt? An ministrant mensis? Imò in illorum mensis opiparè illis ministratur. Verbo dicam siquidem veterum Diaconorum munere non funguntur, quomodo illorum successores essent?

De Monachis & Monialibus ne verbum quidem vnicum in Scripturâ, quo id genus animalia Apostolorum tempore fuisse constet. B. Hieronymus *q* qui professionem illam summopere extulit, originem illius à Paulo eremitâ satis longo post Apostolos tempore, deducit, quod si alibi originem illius *r* ad antiquiora tempora refert, summo illo quo hanc professionem prosequebatur amore abreptus & sibi ipsi & veritati contradicit. Nec tamen monachi hodierni monachorum illorum *ſ* quos tantopere Hieronymus laudat successores censeri possunt: quid agit, inquiebat, monachus in vrbibus? Hi non solum vrbes inhabitant, sed & in vrbibus vrbes condunt. B. Augustini temporibus, si mendicaret monachus furtum erat, in mendicatione sita est hodie Monachorum sanctitas. B. Cypriani temporib. ei qui continentiæ votum emiserat, vxorem postmodum ducere non erat illicitum. Hodie pro hæresi & monstro habetur, nisi quatenus pontifex qui veluti Deus in terris quicquid lubet, imò plus quàm Deus in cœlis facere potest, vitium enim in virtutem, & virtutem in vitium exemptionibus suis vertit, voti gratiam facit.

q Hier. in vita Paul. Eremitæ.

r Catal. scrip. Eccl. nomine Phil.

ſ Hier. ad Paul. de instit. mon.

t Augustin. in hoc argum. tractatum scripsit de opere monachi.

u Cyprian. ep. 62. edit. Pam.

Cap. XXVIII.

Ecclesiæ Romanæ Ceremonias non esse institutionis Apostolicæ.

Si verò Ecclesiæ Romanæ cæremonias consideremus, videbimus antiquam illam & Apostolicam puritatem & simplicitatem illis amplius non inesse; omnia aut immutata esse aut inutilia. Florentissimo illo Apostolorum tempore nihil in Baptismo adhibebatur præter aquam, ab illo tempore chrisma, atque iterum sal, & sputum addita sunt. Quam successionem hæ additiones, hæ innouationes habent, siquidem originem suam à prima institutione non ducunt? Hic successionis canalis interruptus est & turbidam hanc, fœtidámque aquam cum limpidâ simul admisit. Maior adhuc est multo S. S. cœnæ interpolatio, quàm miserrimè ac sceleratissimè mutilarunt. Regis cœlestis signum in duas partes ab illis dissectum est, quarum alteram procul abiecerunt. Heu! quid non causa est superstitio? Sacramenti huius institutio & formula à tribus Euangelistis & B. Paulo recitatur: quid pote purius ac simplicius? quid ceremoniis superfluis ac superstitiosis minus auctum, pompâ ac gesticulationibus minus instructum? Iam verò si cum hâc puritate, simplicitate ac, vt ita loquar, nuditate, cęremoniæ, pompa ac gesticulationes Missæ conferantur, dissimile quicquam haud magis videri poterit? Quænam ergo ibi agnosci potest successio vbi tanta est discrepantia, nisi mali bono & corruptionis puritati succedentis successio?

Quid insuper de superstitiosâ templorum, altarium, capsularum Sacramento reponendo, baptisteriorum, calicum, patellarum, vestium, aquæ lustralis, panis consecrati, olei consecrati, granorum consecratorum, agnorum Dei, Imaginum, baptismi tintinnabulorum, vexillorum & gladiorum consecratione dicemus? Vnde harum cæremoniarum fons & origo deducetur? quamuis cor esset illis plumbeum, facies ferrea, frons ænea, has superstitiones tamen Apostolorũ tempore viguisse dicere non sustinerent. Quam igitur inde successionem prætendere possunt? An ab Apostolis sunt supplicationes, lustrationes vicales & arvales ac superba illa funerum pompa quâ simul & viuitur & moritur? imò ab Ethnicâ superstitione.

Cap. XXIX.

Nullam esse doctrinæ successionem in EcclesiâRomana.

Sed quod grauius est, veritatis, quæ Ecclesiæ anima est ac vita, successionem non habent.

Vera antiquitas credidit *u* eos qui in Domino moriuntur quiescere à laboribus suis.

At illi credunt se ex hâc vitâ excedentes torreri in Purgatorij igne, eóque æque calido & ardenti ac est infernalis.

Vera antiquitas credidit quum fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, nos esse seruos inutiles, quia nihil fecimus quam quod debuimus facere.

At illi docent hominem, in Dei conspectu reum, vitam æternam ex condigno mereri posse.

Vera antiquitas credidit non esse condignas passiones huius temporis, ad futuram æternam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

At illi condignas esse & meritis suis æquiparari posse credunt.

Antiquitas credidit, nos gratis seruari.

At illi, nos operum nostrorum merito, seruari credunt.

Antiquitas credidit *z* nos gratiâ seruari per fidem, & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.

At illi credunt nos partim gratiâ, partim fide, partim meritis & operibus seruari; fidem partim esse donum Dei, partim à libero nostro arbitrio procedere.

Antiquitas credidit *a* nos non ex operibus iustitiæ quæ fecimus seruari.

At illi

u Apoc. 14.13.

x Luc. 17.10.

y Rom. 8.18.

z Eph. 2. 8.

a Tit. 3.5.

At illi credunt nos seruari ex congruo operibus quæ facimus ante regenerationem, & ex condigno operibus regenerationem subsequentibus.

b Psal. 14. 32. Antiquitas Deum *b* rogabat, ne intraret in iudicium cum seruis suis, quia non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens.

At illi credunt Dominum secum in iudicium intraturum, operum enim suorum merito se iustificari credunt.

c Rom. 11. 6. Prima & Apostolica antiquitas credidit *c* electionem Dei merè gratuitam esse, electionem esse gratiâ, si autem gratiâ iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia; si autem ex operibus, iam non gratiâ, alioquin opera iam non sunt opera.

At illi credunt & ex gratiâ & ex operibus.

d Philipp. 2. 13. Antiquitas credidit *d* Deum operari in nobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate suâ.

At illi vtrumque partim libero suo arbitrio tribuunt.

e 2. Cor. 3. 5. Antiquitas credidit, *e* nos non sufficientes esse cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientiam nostram ex Deo esse.

At illi sufficientiam nostram nobis partim tribuunt.

f Ioan. 15. 5. Antiquitas credidit, *f* nos sine Christo nihil posse facere.

At illi credunt nos sine Christo posse facere opera quæ mereantur ex congruo, vt etiam ante regenerationem & sine gratiâ Dei hominem aliquandiu esse posse sine peccato.

g Eph. 2. 3. Antiquitas credidit, *g* nos naturâ filios esse iræ.

At illi credunt, nos naturâ nostrâ præparare & disponere posse nosmetipsos ad gratiam.

h Eph. 2. 1. Antiquitas credidit, *h* antequam Christus nos viuificauerit, nos mortuos esse in delictis & peccatis nostris.

At illi credunt, nos libero esse ad bonum arbitrio.

i Gal. 5. 17. Antiquitas credidit, *i* carnem cōcupiscere aduersus spiritum. Spiritum autem aduersus carnem; hæc enim sibi inuicem aduersari.

At illi credunt, nos legem Dei perfectè hoc est absque peccato implere posse.

k Rom. 8. 7. Antiquitas credidit, *k* sapientiam carnis inimicitiam esse in Deum, nec legi Dei subiici posse.

At illi in carne liberum arbitrium ad bonum agnoscunt.

l Ioan. 17. 9. Antiqui crediderunt, *l* Christum non rogasse pro mundo, sed pro iis quos dederat illi pater de mundo.

At illi credunt, nullum esse certum numerum pro quo Dominus rogauerit, sed indifferenter pro omnibus rogasse.

m Ioan. 6. 44. 45. Antiqui credebant, *m* omnem qui audiuit à patre & didicit, venire ad Christum & neminem posse venire ad illum nisi pater traxerit eum.

At illi credunt, eos qui non veniunt ad Christum, æquè ac cæteros à Patre audiuisse, & nullam esse gratiam, neque electionem particularem in vocatione.

n Ioan. 15. 16. Antiquitas credidit, *n* non Christum à nobis, sed nos à Christo electos esse.

At illi contra credunt, Christum à nobis eligi, volūt enim gratiam quâ nos ad se vocat esse vniuersalem & indifferenter omnibus proponi, adeò vt Christum quod attinet, nulla sit electio, siquidem omnes indifferenter vocat, sed nos ex nobis ipsis illum adire eligamus; ac sane frequenter in ore habent, *fac vt prædestineris, si non es prædestinatus.*

o Rom. 9. 15. Antiquitas credidit, *o* Deum misereri cuius miseretur & misericordiam præstare cui misericordiam præstat, & quem vult indurare.

At illi Deum hac libertate spoliant, & eos qui hanc illi tribuunt, blasphemiæ accusant.

p 1. Ioan. 2. 19. Antiquitas credidit, *p* eos qui deficiunt & qui à fidelibus exeunt, nunquam fuisse ex fidelibus, *nam si fuissent ex nobis,* inquit Ioannes, *permansissent vtique nobiscum.*

At illi credunt, eos qui hodie verè fideles fuerint, cras posse deficere & neminem de perseuerantiâ sua certum esse posse,

q Rom. 8. 15. Antiquitas credidit, *q* nos non accepisse spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus Abba pater.

At illi credunt, spiritum fidelium spiritum esse metûs, & semper dubitandum esse: Certum vero esse ac confidere nihil aliud quam præsumptionem esse.

r Ioan. 3. 38. Antiquitas credidit, *r* eum qui credit in Christum habere vitam æternam.

At illi dicunt, eum qui credit in Christū certum esse non posse de vitâ, quamuis id Dominus dixerit. Quod, quid est aliud, quam reuerâ credere, in Christum non esse credendum? quomodo enim in Christum credet qui dubitat an à Christo ametur, an à Christo semper amabitur? vt dubitandum esse docent.

s 1. Ioan. 4. 18. Antiquitas credidit, *s* timorem non esse in charitate, sed perfectam charitatem foras mittere timorem.

At illi timorem & metum illis qui caritate ardere debent commendant, non metum Dei offendendi & qui filios decet, sed metum seruilem & damnationis.

Antiquitas credidit, vnicum Christi corpus naturale esse, eúmque de Virginis substantiâ formatum.

At hoc illi se credere mentiuntur vt ex tantâ hostiarum, quarum singulas Christi corpus esse dicunt, corpora illi ex pane confecta tribuentes, multitudine patet.

t 1. Cor. 10. 16. Antiquitas credidit, *t* Sacramentum altaris panem esse fractum; at illi credunt corpus esse Christi quod non frangitur.

u Act. 3. 21. Antiquitas credidit, *u* Christum cœlo recipi debere vsque in tempora restitutionis omnium.

At illi credunt, corpus Christi esse vbicunque est hostia ipsorum.

x Matt. 24. 26. Antiquitas credidit, *x* non esse illis credendum qui dicerent, ecce Christus est in penetralibus.

At illi contrarium quotidie asserunt, cùm per vicos illum circumferunt, ad ægrotantes deferunt, pyxidibus includunt.

y Heb. 10. 12. Antiquitas credidit, *y* Christum semel tantum oblatum fuisse.

At illi credunt, sæpius, imò infinitis vicibus quotidie offerri.

z Hebr. 9. 25 Antiquitas credidit, *z* fieri non posse vt Christus sæpe offerat semetipsum, alioquin oportere eum frequenter pati.

At illi credunt, quotidie offerri, nec tamen pati.

a 1.Tim.2.5 Antiquitas credidit, *a* nos vnicum apud Deum mediatorem habere, at illi nos plures habere credunt.

Antiquitas credidit, nobis illum *b* tantum inuocandum esse in quem credimus.

b Rom.10.14

At illi nobis multos inuocandos esse credunt, in quos credere non licet vt puta sanctos & sanctas Paradisi.

c Heb. 4.16. Antiquitas credidit *c* nos vero corde, plena fidei certitudine imo & cum fiduciâ adire posse ad trhonum gratiæ, vt misericordiam consequamur & gratiam inueniamus in auxlio opportuno.

At illi docent, superbam hanc esse præsumptionem, & Sanctis apud Deum nobis esse vtendum, vt purpuratis apud regem.

d 2. Chron. 6.30. Antiquitas credidit, *d* Deum solum nosse corda filiorum hominum.

At illi credunt, Sanctos cordium nostrorum secreta nosse.

e Hebr.9.27. Antiquitas nobis non commendat *e* preces pro mortuis, vera inquam Antiquitas, scriptura nempe, docet enim post mortem véturum iudicium, quod de immediato aduentu intelligendum est, alioquin dici quoque posset, post natiuitatem venturum iudicium.

Illi contra credunt statim à morte non adesse iudicium & hoc fundamento nixi, pro mortuis precandum esse docent.

Antiquitas credidit, id quod intrat os hominis, hominem non polluere.

At illi credunt, hominem carne quadragesimę tempore comesâ pollui.

f 1.Tim.4.1.2.3.4. Antiquitas credidit, *g* mandatum abstinendi à matrimonio & cibis doctrinam esse Dęmoniorum, Ecclesia Romana docet & in in vsu habet contrarium.

h Exod. 20. Antiquitas credidit *h* non esse adorandas imagines.

At Ecclesia Romana, se totam hâc idololatriâ fœdat.

i Ioan. 4.24. Antiquitas credidit *i* Deum in spiritu & veritate adorandum esse.

Ecclesia Romana nullam religionem ibi esse posse arbitratur, vbi ceremoniæ non abundant.

k 1. Theff.3.10. Antiquitas credidit, *k* si quis non vult operari, eum manducare non debere.

At Pontificiorum sanctissimi à labore abstinent & omnium maxime sunt otiosi.

l Act.20.35. Antiquitas credidit, *l* Beatius esse magis dare quam accipere.

At illi contrarium prorsus credunt, illorum enim sanctissimi, in paupertate beatitudinem suam collocant.

m Prou. 30. Antiquitas credidit, Deum rogandum *m* esse contra paupertatem; at paupertatis professionem vouendam esse censent.

Cap. XXX.

Nec ipsam personæ successionem reperiri in Ecclesia Romana.

QVid si non solum ordinis & politiæ Ecclesiasticæ, ceremoniarum, doctrinę sed & personarum successione destituantur? Si in Papatu defecerit, annon eâdem ratione in toto illo corpore quod à Papatu pendet, defecit? Qui autem successionem in Papatu interruptam fuisse negare voluerit, eâdem operâ illum horrenda schismata quæ ab Antipapis excitata sunt, cùm duo, tresve illorum successionem penes se esse simul prætenderent, negare oporteret; Nec dici potest, alterum illorum duntaxat successionem penes se habuisse, quid enim cæteris Ecclesiis quæ ab aliis Papis pendebant, factum est? An sub bonæ intentionis prætextu excusabuntur & illarum singulæ dicentur credidisse, se à vero Papâ pendere? Bona hæc igitur intentio Donatistas quoque excusabit, *n* credebant enim se veris Apostolorum sucessoribus adhærere; Et cur eadem ab Euangelicis excusatio non admitteretur; siquidem Pastores suos, pastorum quos Apostoli ab initio Ecclesiis imposuerunt veros successores esse credunt.

n Aug. epist. 16.

Nihil hic iuuat Barbarij Philippi serui exemplum afferre, cuius sententiæ & decreta illo iudice facta, etiam post seruitutem agnitam, comprobata sunt & vim suam obtinuerunt. Quia non eadem est ratio munerum Ecclesiasticorum ac ciuilium, hæc ab hominum approbatione, illa vero à Deo pendent. Hi pontifices igitur, cùm veri pontifices non essent, sed vsurpatores coram Deo, quicquid de illis iudicarent homines, nullam auctoritatem habere poterant. Absurdum quoque est Iudæ exemplum, nam quamuis Iudas nequam esset, legitimus nihilominus erat Apostolus, non autem vsurpator, sed ad Apostolatum legitime vocatus, quod de iis pontificibus dici nequit, qui depositi fuere, quod sibi vltrò Pontificatum arrogassent. *o* Genebrardus vlterius progreditur & illegitimus declarat omnes Pontifices quorum electioni intercessit imperator Germanus quamuis magno numero sese inuicem consequuti fuerint, nec depositi. Cùm igitur successio ita Pontifici defuerit, quia totius illius Ecclesiæ Romanæ corporis caput est, frustra in personâ membrorum qui nullam aliam successionem habent quam ab illius successione deriuatam, interruptam fuisse ostendere laboraremus.

o Genebr. li. 4. Chron. sect.10.

p Luc. 20.2.

Cap. XXXI.

Purum putum esse vitilitigium, si quæratur qua auctoritate deprauationum corruptelarúmque reformationem postulemus & flagitemus.

VErum facite, inquiunt, nos à maiorum nostrorum puritate tot modis degenerasse quis vobis nos reformandi auctoritatem concessit? quis constituit vos iudices super nos? atque ita iterum ad præiudicia. Sic olim Pharisæi Domino nostro insultabant, Dic nobis in quâ potestate hæc facis? Sed quid huic auctoritati adeo insistendum est? Vidimus lupum in ouili & vociferatu illum in plagas adegimus hostem non ad portas, sed in ipsâ arce: & ad arma conclamauimus: proditores vidimus & illos digito indicauimus. Hactenus nullâ aliâ auctoritate opus fuit quàm zelo honoris summi nostri regis, pacis Hierosolymæ & pro-

ſperitatis domus eius. Si nullam ſtragem lupus edidit, ſi filius perditionis non ſedit in templo Dei, ſi excubiæ Iſraelis canes guloſi & ſopiti facti non fuerunt, cauſam non dicimus quin zelus noſter fuerit abſque notitiâ, imò non zelus, ſed furor. Ad probandum admitti poſtulamus & probabimus, nos non niſi legitimâ de cauſâ vociferatos eſſe, niſi id probauerimus, nos victos vltrò fatebimur; ſed ne quæſo ſimplici auctoritatis defectus præiudicio repellamur. Ad rem aliquam indicandam, nulla alia auctoritas requiritur, quam vt opportunè indicetur; Qui ſe tempori monuiſſe oſtendere poteſt, abundè ſi opus fuerit temeritatis crimen diluit: In hoc igitur rei cardo vertitur, vt perpendatur an opportunè monuerimus necne: hoc facto, quæſtio de auctoritate nihil aliud quam vitilitigium eſſe comperietur & fraudulenta quæſtio ſummæ liti præuertendæ. Quis enim dubitat ſi ea fuerit externæ faciei Eccleſiæ deſolatio quam volumus, quin ſinguli debuerint, potius quàm vt illam diſſimulatione prætermitterent, pro notitiæ & ingenij ſui modulo eniti & contendere quam maximè poterant vt remedium afferrent. In Republicâ ſi quis contra ordinarios Regis præfectos inſurrexerit, id ſeditio, defectio & læſæ maieſtatis crimen vocatur; at ſi id proditionis alicuius in regem & regnum adornatæ, auertendæ causâ contigerit, vbi rem ita ſe habere probatum fuerit, non iam crimen eſt, ſed actio heroica, & obedientiæ exemplum eo nobilius, quo minoris eſt & nominis & auctoritatis, is qui id facere & exequi aggreſſus eſt. Vulgo iudicatur & vere iudicatur, ibi diuinam virtutem manifeſto conſpici, vbi vis humana propter vilem & abiectam perſonæ conditionem interuenire non potuit. Si quis in Doctorum ordinem non cooptatus, Iuriſconſultorum aut Medicorum ſententias improbet, temerarius non iudicatur, modo id cum ratione faciat, multo minus ſi ex artis regulis & præſcripto, imò eo maioris fit, quo minus aliunde quàm à propriâ virtute commendatur. Quanto magis ſi id neceſſitate & magni momenti occaſione poſtulante, vbi vel de vitâ vel de morte agitur, fecerit? ne ille ſane promouendus eſſet & vt pote dignior tum propter captum, tum propter fidelitatem, in ordinariorum illorum, ſed indignorum propter ignorantiam malámque fidem, locum ſubſtituendus; Quid ſi hoc in rebus humanis fieri & ſalutariter quidem ſoleat quia ſuprema lex in rationibus regiis & populi ſalute ſita eſt; annon idem in Eccleſiâ & Eccleſiaſticis rebus, vbi de regis regum gloriâ, de animarum ſalute, de ſalute æternâ & nunquam deſiturâ, cuius vel lucrum vel iactura eſt infinita, nec æſtimari poteſt agitur, potiori ratione faciendum erit?

Lex eſt communis & ordinaria in rerum naturâ, vt grauiora deorſum tanquam ad centrum conſeruationis & quietis ſuæ locum tendant; attamen hæc lex, generaliori naturæ legi ſubiicitur, quæ non vult dari vacuum. Potius quam ergo detur vacuum, leuiora deorſum, grauiora ſurſum feruntur. Nec aliter ſeſe res habet in Rebus publicis & vitæ communis ſocietate. In Eccleſiâ lex eſt ordinaria vt vnuſquiſque conditionem ſuam ſequatur, ordinem retineat & legem ſibi præſcriptam obſeruet, vt confuſio quæ ex nimiâ rerum alienarum curâ plerumque oritur, vitetur. At hæc lex generaliori, & maioris momenti neceſſitatiſque ſubiicitur, qua ordinariam conditionem poſtponere, de gradu decedere, ordinem deſerere iubet vt extremo malo & irreparabili iacturæ occurratur, cum nulla aliâ ratione quàm hâc in ſpeciem ordinis violatione vitari poteſt. In ſpeciem dico, nam qui tam iuſtâ & vrgente occaſione ordinem deſerit, reipsâ non deſerit, ſed ſeruat: imò reuera deſereret, ſi hoc pacto non deſereret: vt grauia contra naturam vel mouerentur vel quieſcerent, ſi quietis ordinariæ locum non deſererent, vt ſurſum aſcenderent, cùm obſtandum eſt quominus detur vacuum. Sic miles cui conſtaret ducem portam hoſti prodidiſſe, ac ordinem ſuum ſeruaret, nec in illum quicquam tentaret, reuerâ ordinem ſuum nō ſeruaret, ſed militis officio intempeſtiue fungens, proditorem ſe eſſe proderet.

CAP. XXXII.

Eos quorum opera Deus ad reformationem vſus eſt vocationem externā habuiſſe & quamuis nō habuiſſet modò facultatē ac dona ad huiuſcemodi opus neceſſaria habuerint, hūc illis defectū obiiciendū nō eſſe.

CVm res ita ſeſe habeant cur ſeditionis & ſchiſmatis in Eccleſiâ accuſabimur? quum priuati, vt vocamur, in ordinarios miniſtros inſurreximus, cum nullo alio quàm militum munere decorati, ducum munus nobis aſſumpſimus, ab illorum obſequio nos ſubduximus, illiſque tanquam regis noſtri hoſtibus, paciſque & quietis ſpiritualis regni illius perturbatoribus, ac denique proditoribus bellum intulimus. Quanquam reuerâ primi ruinarum Eccleſiæ, patrum noſtrorum tempore inſtauratores, muneris expertes aut priuati milites non fuere, ſed præcipua in Eccleſiâ munera legitime obibant. In Angliâ omnes Epiſcopi, in Germaniâ, & item Heluetiâ celeberrimi Eccleſiæ Doctores, à quibus reliqui deſcenderunt. At excipiunt, ſi illi veram vocationem habuerint, veram igitur in Eccleſiâ ſuâ vocationem eſſe, atque ita ſe eſſe veram Eccleſiam. At nos reſpondemus ſi extra Eccleſiam detur verum Baptiſma, cur in eâdem Eccleſiâ vera vocatio non daretur? An vocatio cum falſâ Eccleſiâ minus quam Baptiſma ſubſiſtere poteſt? Profecto vbi eſt Baptiſma, ibi & illius adminiſtrandi eſt poteſtas, & vbi illa poteſtas eſt, ibi quoque eſt vocatio; nemo ſigillum apponere poteſt, niſi ſit ſigillorum cuſtos; nemo cuſtos eſt, niſi vocatus: Eccleſiæ ſigilla ſunt Sacramenta; nemo in Eccleſiâ obſignare poteſt quam is cui id mandatum eſt. Agnoſcunt Baptiſma noſtrum validum eſſe, nec illud, vt nos hæreticos exiſtiment, repetunt. Par pari referimus cùm ratam eſſe volumus vocationem quam Maiores noſtri apud illos conſequuti erant, & cuius poſteris ius tranſmiſerunt. Baptiſma ergo noſtrum admittere, quid aliud eſt quam concedere Baptiſmum à nobis adminiſtrari poſſe? hoc verò quid aliud quam fateri nos ad baptiſandum vocationem habere.

Sed argumentum exceptionis illorum, à nobis ſi vſurpetur, illis conuincendis longè aptius eſt, ſi ab illis contendimus aut vt confiteantur ſe non eſſe veram Eccleſiam, aut concedant voca-

tionem apud se acceptam, fuisse legitimam. Vbi est vocatio, ibi non continuò est vera Ecclesia. Teste decem tribuum quæ defecerant Ecclesiâ, vt & Ecclesiâ Iudaicâ regum idololatrarum tempore, imo, ipso Iesu Christi tempore, quo Leuitæ vocationem semper habuerunt, quamuis legitimè ab illis non administraretur. Sed legitima hęc est illatio, vbi nulla est vocatio ibi nullam esse posse veram Ecclesiam: teste Ethnicorum ac infidelium multitudine, vbi cum nulla esset missio, nulla esse poterat Ecclesia. Atque hic aliò confugere coguntur, nempe hanc primorum reformatorum vocationem irritam factam esse, doctrinæ, cuius annunciandæ gratiâ illis collata fuerat, corruptione & deprauatione. Sed nonne vident nobis hâc suâ exceptione concedi quicquid postulamus? hoc est nos, omissâ missionis quæstione, doctrinæ immutatæ & adulteratæ accusari, quam accusationem si diluimus, & doctrinæ nostræ veritatem probamus, cur lis nobis de missione & vocatione externâ mouebitur, quam suâ hâc exceptione nos habere concedunt, modò doctrinam corrumpétes illam non amiserimus. Quemadmodum nos quoque si doctrinam nostram veram esse probare nequeamus, concedemus nullam nos habere vocationem & Maiores nostros illam amisisse statim ac mutationem in Ecclesiam introduxerunt: si verò respondeant, non quæri hic an Doctores nostri ab initio reformationis, Euangelij doctrinam immutauerint, sed an Ecclesiæ Romanæ doctrinam cuius annuntiandæ gratiâ missi fuerant & vnde per consequens illorum auctoritas pendebat, immutauerint. Dicemus in Ecclesiâ Romanâ Doctores reuerâ ad publicandam Ecclesiæ Romanæ doctrinam vocari, sed sub titulo *Euangelij* Domini nostri Iesu Christi. Cùm hæc igitur doctrina illis nonnisi sub Euangelij nomine commendetur, si fortè detegant doctrinam illam non esse Euangelium, illam docere non amplius tenentur, sed illam tantummodo quam consentaneam esse agnoscunt doctrinæ quæ ipsis commendata est.

Ac sanè si doctrina nostra vera sit, vt non habeamus missionem externam, tamen audiendi sumus: si vero sit falsa, vt hanc missionem habeamus, (vti reuera habemus) detestandi non audiendi sumus. Cur illo statim non deuenitur? cur à doctrinâ initium non fit? An grauiori argumento medicus vel Iurisconsultus impeti potest quâ si ille ineptus aut veneficus, hic verò ignarus aut gratiæ obnoxius esse probetur? an certior est ratio ad conciliandam vel medico vel Iurisconsulto auctoritatem quam si doctum & fidum esse probaueris? quid medico & Iurisconsulto Doctoratus tabulæ prosunt, si ignari & infidi fuerint? & necessitate exigente, quid in Doctorum munerum relatos non esse, illis nocebit, si aliunde & fidei & doctrinæ suæ fidem fecerint? Sane non alia est Doctorum Ecclesiæ ratio, si dotibus ad id necessariis instructi sint, admittendi sunt, quamuis externæ illius missionis fidem facere non possent; si verò docendi facultate destituantur, quamuis missionis suæ fidem faciant, missio illa humana tantum est, & auctoritas cuius homo mendax & ignarus est auctor, sed quam Dominus improbat, qui neminem mittit quem non rebus omnibus necessariis ad muneris assignati functionem instruxerit. Non enim similis est illis scholarum propudiis, qui vt plurimum Doctores renuntiant eos non quos doctrina, sed gratia & munera commendant.

Atque ita vbicunque missio illa diuina locum habet, aptitudo quoque reperitur; vbi hæc non adest nullam ibi quoque missionem diuinam adesse concludere possumus. Iam verò si hæc aptitudo reperiatur, apud Doctores nostros, & apud maximam Ecclesiæ Romanæ Doctorum partem non reperiatur, nobiscum faciunt missionis diuinæ argumentum & testimonium, cum illis autem missionis humanæ tantùm; quæ missio incerta est, quia is qui eam confert ignorantiâ decipi, aut affectu excæcari aut malitiâ denique ita peruerti potest, vt illum vocet quem Deus non vocat, & illum repudiet quem Deus vocat.

CAP. XXXIII.

Primorum reformatorum exemplum aditum ad cõfusione non patefacere, siquidè vocationẽ externam habuerunt, quã licet nõ habuisset, temporũ infelicitate excusari & ab hac accusatione liberari debuisse.

MVltæ tamen hic difficultates excitantur, multa obiiciuntur. 1. Introduci confusionem si cuilibet muneris cuius capax est exercendi quamuis legitimo ordine non vocato, copia fiat. 2. Exemplum Sacerdotum antiquæ legis repugnare, quorum, etsi à Deo defecissent, locum occupare nemini concedebatur. 3. Regnorum & Rerumpublicarum exemplum quoque repugnare, vbi nulli quamlibet idoneæ & bonæ fidei muneris alicuius administrandi potestas fit, nisi legitime delata fuerit ei illa prouincia. 4. Nihil fore periculi sese Ecclesiæ schismaticæ adiungere, si doctrinæ veritas & puritas sufficiat ad veros Ecclesiæ Doctores & veram Ecclesiam constituendam. Vnde concludunt missionem & vocationem externam absolutè necessariam esse nisi aliqua alia circumstantia, vtputa doni miraculorum vel Prophetiæ, defectum hunc supleat.

Sed facillimè ex hisce difficultatibus nos extricamus, cùm ostendimus primos nostros reformatores eam vocationem habuisse quæ tunc erat ordinaria, ac proinde non esse exemplo Sacerdotij sibi arrogandi, cùm ipsimet Sacerdotes essent, neque muneris non assignati exercendi, siquidem hoc illis muneris assignatum erat, & in id vocati fuerant vt docerent, neminem ab illorum exemplo schismatis occasionem captare posse; quia schisma est secessio absque causa legitimâ: illorum autem secessio iustissima fuit, propter 1. Apostasiam. 2. Hæresim. 3. Idololatriam. 4. Et crudelitatem Ecclesiæ Romanæ. Ad cuius rei probationem admitti postulamus, quia huiusce rei probatio, vnicum est innocentiæ nostræ argumentum. Si Ecclesia Romana non defecerit, non sit hæretica, non idolorum cultrix, & crudelis, nec hanc accusationem probare possimus, Schismatis condemnemur quod ab illâ secesserimus, atque adeo hæreseos, siquidem secessio nostra vtriusque doctrinæ & Nostræ & Pontificiæ contrarietate nititur.

Sed quia supra facultatem præcipuè muneri gerendo

gerendo parem magni fecimus, & illius facultatis exercendæ occasionem, adeo vt duas has circumstantias vocationis & missionis diuinæ notas esse existimauerimus, dato, non concesso, primos quibus Deus in reformationis opere vsus est nullam vocationem & missionem externam & humanam habuisse, videamus an propterea tanti momenti negotium malè & absque causâ aggressi fuerint, & an rationes quæ contra afferuntur, aliquid habeant ponderis.

Omnium ore fertur & spiritus vox est, *quomodo prædicabunt nisi mittatur*? Sed id nō obstat quominus is quem Deus mittit, ab hominibus sæpè reiiciatur. Scribę & Pharisæi Dominum nostrum non solum repudiarunt, sed ad mortem vsque persequuti sunt; Apostoli eundem contemptum senserunt, eandémque crudelitatem. *Quem Prophetarum* (inquiebat Dominus ad Iudæos) *Patres vestri non interfecerunt?* Interim certissimum est nullum ingerere se posse ad munus in Ecclesiâ exercendum, nisi missus fuerit. Sed in eo versatur quæstio, quænam sit illius missionis natura? An sit missio humana, quæ hominum operâ facta sit & ministerio, an vero diuina, quæ sanctionem & approbationem suam à Deo habeat. Cùm tolerabilis est Ecclesiæ status, seruandus est ordo ille, qui à Deo constitutus est, & hominum ministerio peragitur, quomodo nempe à Regibus & Principibus terrenis in Reipublicæ suæ statu politico fieri solet, licet enim ipsi per se immediatè possint ministros suos iuri dicundo, vel regendæ Reipublicæ præficere, atque præponere ea tamen potestate & iure plerumque atque ordinarie non vtuntur, quin potius eos iubent certo ritu, certisque formulis (quas ordinis gratiâ, néve sibi imponatur, ipsimet præscripserunt) solemni modo muneri suo inaugurari. Verùm cùm Reipublicæ status perturbatus est, cùm Ministri ipsi & subditi in eos insurrexerunt, cùm euersa est & conturbata omnis εὐταξία, cùm viget & regnat ἀταξία cùm ritibus illis & solemnibus formulis locus nullus relictus est tum rex ipse per se immediate ministros suos creat atque præficit, atque tum satis est ministris illis si non sine Regis iussu atque auctoritate munere suo defuncti sunt. Eadem est hac in parte Ecclesiæ ratio: Deus vult in eą omnia κατὰ τάξιν fij: at cum hominum vitio, fraude & malitia tanta est rerum in eâ perturbatio vt nullus iam sit ordini illi locus relictus, non vetat sane vt quod præcipuum est, maximéque momentosum, procuremus, vel cum ipsius ordinis neglectu, si modo ordine constituto & ordinario haberi illud & obtineri nullomodo potest, imo verò tanto studiosius & acrius procurandum illud est, quanto minus viâ & ratione ordinariâ obtineri potest. Ordo sane & methodus in re omni probandus & laudabilis est, at cùm res ipsa vrget vehementi quadam necessitate, via autem & methodus constituta seruari non potest, tum natura ipsa, ratio, lex, vsus, & consuetudo docet procurandum id esse omni via & ratione quod est maxime momentosum & necessarium.

Neque vero hac ratione lata aperitur porta confusioni, aut perturbatoribus fauetur, is enim proprie turbator est qui ordinem possibilem negligit atque contemnit, non verò is qui ordinem quidem toto animo cupit, at eum inuestigare & consequi ob summam rerum perturbationem, omninò non potest: is turbator est qui temere & sine ratione ordinem constitutum negligit, non vero is qui inuicta & ineluctabili necessitate coactus est in super eum habere. Non ergo inducitur rerum confusio & perturbatio, cùm munus aliquod exercendum illi permittitur qui potest eo digne & præclare defungi (licet à nullo ad id vocetur homine) cùm necessitas id exigit & postulat, solemnis autem & constituta vocandi ratio obtineri non potest. At cum legibus præscriptæ formulæ obseruari possunt, neque tam vehemens est necessitas vt viam & rationem postulet & verò exigat extraordinariam, ordinem constitutum negligere esset fenestram τῇ ἀταξίᾳ aperire. Hoc non est seditioni in vrbe, vel castris fauere, cùm ciuis vltro & iniussus in rebellem & proditorem magistratum, miles in perduellem Centurionem vel Decurionem suum insurgit, si nulla alia via & ratione occurri malo potest, tum duntaxat peruertitur ordo & regnat ἀταξία cùm extra huiusmodi casum tantum quis sibi permittit, & licere putat. Prima itaque hæc ratio quę ducitur à confusione quam secum trahit neglectus ordinis & præscriptarum formularum cùm haberi & obseruari possunt non officit Maioribus nostris, etiam si missione & vocatione illa externa non fuerint instructi, quia eo fuerunt redacti vt ordinem illum commodè seruare non possent.

Cùm enim is esset rerum in Ecclesia status vt ibi hæresis & idololatria vigerent, illi autem qui missione externa ornati erant non modo ea non legitimè vterentur, sed quod deplorandum maximè fuit, cùm pollerent auctoritate eam aliis conferendi, nollent illa ornare eos quibus nec facultas nec voluntas deerat eam magno cum fructu exercendi, & scientiæ clauem, vt olim Pharisæi, interuerterent & regni cœlorum portas clauderent; nec introeuntes ipsi, nec aliis introitum permittentes, necessum tunc fuit Maioribus nostris in re prorsus extraordinariâ, extraordinarium aliquid audere & tentare, quod fraudi illis esse non debuit, etiamsi nulla fuissent instructi externa missione. B. Paulus tam insignem defectionem euenturam prædixerat, ita vt κατ' ἐξοχὴν illam ἀποστασίαν, appellet, nō igitur hæresim simpliciter aut particularem aliquam sectam; nam illius tempore eiusmodi defectiones iam conspiciebantur: sed defectionem, sed apostasiam, quæ ita Ecclesiæ faciem obduceret vt vix per tam densas & horrendas nebulas conspici posset. Quinam autem huic apostasiæ intercessuri erant? non sane ipsi apostatæ, non in apostasiâ perseuerantes, sed qui secedunt, qui reclamant, siue inter apostatas auctoritate præditi fuerint, vt Leuitæ inter decem Tribus quæ defecerant, siue nulla fuerit illorum auctoritas; sed inquient fortasse apud nos esse illam apostasiam? De hoc ergo præiudicio seposita, quæratur, & tunc ad doctrinæ examen descendendum erit, quod vnicè optamus.

CAP. XXXIV.

Ex Sacerdotum legis exemplo non posse inferri nullo vnquam tempore absque externa missione munus Ecclesiasticum exercere posse.

Altera quæ hic mouetur difficultas est, quemadmodum Sacerdotum antiquæ legis munus in ipsa etiam apostasiâ occupare non licebat, non licere quoque in Ecclesiæ Christianæ Doctorum apostasia, Doctoris locum, sibi vindicare:sed non eadem est Doctorum Ecclesiæ Christianæ, & Ecclesiæ Iudaicæ Sacerdotum ratio. Administratio illorum typica erat & carnalis, & vt typica & carnalis certis carnalibus & typicis temporis, locorum & personarum circumstantiis alligata erat; non licebat illis nisi statis temporibus sacrificare, Sacerdotium exercere vni tantum familiæ licebat, idque in terrâ Iudæ: Euãgelij vero administratio, realis est, spiritualis, ac ab omnibus circumstantiis libera; quolibet tempore prædicari potest & vbique, quicunque idonei sunt prædicare possunt; imo debent id necessitate exigente. Salus non pendebat ab administratione typicâ & carnali cæremonialis Sacerdotij legis, illius intermissio cessantibus temporis, locorum, ac personarum necessariis ad illius administrationem circumstantiis, veluti captiuitatis tempore, animarum iacturam secum non trahebat, vt intermissio prædicationis doctrinæ, quam ipse Dominus sub Veteri Testamento in libertatem asseruerat & harum conditionum, temporis, loci, personarum vinculis ideo exemerat quia simpliciter & absolutè ad salutem necessaria est. Propterea Doctores habeant ex omnibus tribubus Israelis, qui quamuis Sacerdotum in cæremonialibus & typicis, sacrificiorum nempe oblatione, quæ Sacerdotum personis speciatim assignata erat, defectum non supplerent, nihilominus in docendi munere, succenturiati veniebant & locum quem illi deseruerant occupabant. Prophetæ & Prophetarum filij ex qualibet tribu indifferenter, luculentum huiusce rei testimonium præbent; vt & Pharisæi quorum vocationem, abusu tantum improbato, Dominus noster probat, qui tamen non erant ex tribu Leui tantum, sed ex omnibus tribubus, vt ex Pauli exemplo, qui è tribu Beniamin erat, attamen Pharisæus & Pharisæi filius, videre est.

Ac sanè si antiquæ legis contra hanc veritatem adducendæ locus daretur: vt vni tantum familiæ sub Veteri Testamento Sacerdotium exercere licebat, idque certo solùm tempore, & certo loco, iis limitibus circumscribenda, imò iisdem vinculis constringenda esset libertas vocationis Doctorum Euangelij: Oporteret eos omnes esse ex vnâ familiâ, & certo tempore & loco vocationem suam exercere. Vnde patet Sacerdotium Veteris Testamenti in exemplum trahi non posse, cùm de munere prædicandi & docendi sub Nouo agitur; cum illud certis circumstantiis astrictum fuerit, à quibus munus prædicandi, naturâ suâ, liberum est Secunda itaque hæc difficultas ab exemplo Sacerdotum Leuiticorum nulla est, quia hoc respectu non eadem est nostri sub Euangelio atque sub lege ratio.

Cap. XXXV.

Ἀπροσδιόνυσον esse exemplum iudicum in Republica, vt missio externa in Ecclesia semper & quouis tempore necessaria esse probetur.

Non magis apposite affertur exemplum Iudicum in Republicâ, quorũ munus nullus quâcunque de causâ, quantumlibet idoneus, sibi, nisi vocatus fuerit, vindicare potest. Quia præter id quod iam supra obseruauimus, perturbato illo tempore, regem ipsummet Iudices suos eligere & à formulis ordinariis eximere, hoc insuper notandum est, nempe functionem muneris iudicialis, vim suam & efficaciam ab auctoritate iudiciali desumere; vnde decreta exequutioni non mandantur ideo quia iusta, sed quia decreta sunt, siue ab æquo & perito iudice iustè, siue ab imperito & malitioso iniustè promanarint. At virtus & efficacia functionis Ecclesiasticæ à fungentis auctoritate non pendet; nam si imperitus fuerit aut hæreticus, aut muneris sui de industriâ contemptor, aut *Verbi Dei caupo*, vt Apostolus loquitur, auctoritas eius non efficiet vt cùm dixerit *Pax*, *pax*, continuò pax sequatur; quemadmodum imperitorum & iniquorũ iudicum decreta exequutioni nihilominus mandantur. Vicissim si, qui munere aliquo fungitur, fidus est & peritus, quamuis missionis formulas non subierit, vt qui subire non potuerit, & quod absque missione facit, factu necessarium sit, nihilominus efficaciter, docet, hortatur & consolatur.

Eademque est illius ac medici ratio, cuius auctoritas & missio dosibus & medicamentis quæ præscribit & applicat vim operandi & operando sanandi non largitur, sed artis peritiâ & fide instructus ad medicamentorum ad sanationem, laboris sui fructum & finem, aptorum electionem fertur. Alioqui, quilibet medicus renunciatus sanaret, si medici auctoritas sanaret, non autem vis medicamenti cuius electio & applicatio à medici fide & peritiâ pendet, vnde contingit vt si medicus peritus & fidus fuerit, auctoritatis in illo defectus medicamẽtorum vim nec impediat, nec immutet. Hinc per collationem videre est; cur in iudice auctoritas externa simpliciter & absolutè necessaria videatur, in pastore vero hæc auctoritas quæ ab humanâ auctoritate pendet non adeò necessariò requiratur, nempe quia iudicis functio absque auctoritate effectum suum non sortitur. In pastore contra, vt auctoritas externa deficiat, dummodo peritiæ & fidei comprobatæ fuerit, functio, muneris effectum suum æquè perfectum & integrum consequitur, ac si missionis externæ auctoritas accederet. Præclarum medicamentum illud est quod operatur, præclarum lac quod alit, siue medicus doctoratus gradum consequutus siue non consequutus fuerit, siue nutrix medici approbationem & commendationem retulerit, siue non retulerit. Vt hæ circumstantiæ non iuuant, ita nec derogant. Euangelium autem est medicina, inquit Propheta: & lac, inquit Apostolus. Auctoritas ergo illius qui hanc medicinam applicat, qui hoc lac sugendum & bibendum præbet, auctoritas, inquam & commendatio hominum, vt virtutem illius augere, ita nec minuere potest.

At quamuis auctoritas humana quæ ab externâ missione pendet non semper in pastoribus requiratur, inquient, miracula tamen hunc defectum supplere deberent; atque hic à nobis quærunt vbi sint miracula nostra; at nos vicissim quærimus vbi sint miracula Ioannis Baptistæ; qui nulla vnquam miracula fecisse scribitur. De conceptione enim eius & subsultatione in ventre materno ad B. Virginis Mariæ mundi Dominum in vtero

in vtero adhuc gestantis aduentum sic habeto, hæc miracula edita non fuisse ad comprobandum & stabiliendum munus cuius functionem nonnisi longo post tempore aggressus est, cùm miracula quæ auctoritatis alicui rei conciliandæ gratiâ eduntur, immediatè ante rem illam vel cum illâ edantur, idque publicè & in omnium conspectu, sed vt præcisè respondeamus dicimus, cùm de Euangelio plantando agebatur, tunc reuerâ miraculis opus fuisse. At Euangelio semel plantato non amplius necessum fuisse. Miracula olim edita ad conciliandam Euangelio auctoritatem inter Christianos saltim, virtutem suam adhuc hodie in hunc effectũ retinent. Si igitur idem Euangelium à nobis proponi, probauerimus, illius temporis miracula, nostra erunt; nobis itaque hoc probare concedatur, & nisi probauerimus, miracula à nobis exigenda esse vltro fatebimur, imò amplius, quamuis miracula à nobis ederentur, audiendos nos non esse. Nam sanè legimus aduentum Antichristi fore in signis & miraculis mendacij, at non legimus eos qui Antichristo sese opponet, miracula edituros, adeò vt si miracula ederemus, profiteremur, iactaremus, præiudicio aduersum nos locum daremus.

Cap. XXXVI.

Primorum reformatorum exemplum schismaticis non fauere.

SVperest quarta obiectio, nempe hanc doctrinam de veris vocationis diuinæ notis hoc est facultatem muneri gerendo parem & facultatis huius exercendæ necessitatem, schismati videri fauere. Sed id fieri non posse dicimus; siquidem enim is qui schisma concitat, illius concitandi nullâ necessitate teneatur, hæc nota Doctori schismatico non conuenit, qui Ecclesiam seorsim constituit, tolerabilis in Ecclesiâ status tempore, quia tunc dono suo absque necessitate abutitur, nam cùm via ordinaria ipsi pateat, cur opus est obliquam sequi; sed cum Maiorum nostrorum tempore via ordinaria præcluderetur, in eam necessitatem compulsos illos fuisse sequitur, in quam schismatici non compelluntur. Nullum profectò ibi est schisma vbi secessionis iusta datur occasio & aliter fieri omnino nequit. Eam autem fuisse temporum miseriam Maiorum nostrorum sæculo dicimus, vt iustam secedendi occasionem habuerint & cùm externâ, quam habebant vocatione caruissent, aliter illos sese gerere nequaquam potuisse. Si veritas hæc negetur, nos illam probaturos recipimus. Hunc congressum, præiudicio seposito exoptamus, si officio defuerimus, causam non dicimus quin schismatici habeamur.

Cap. XXXVII.

Quo sensu Ecclesiæ Romanæ concedamus, illam veræ Religionis substantiam retinere, ac nihilominus falsam esse Ecclesiam.

ATtamen Baptismum illos, & Christianæ Religionis substantiam habere concedimus, vnde se perire non posse concludunt, nos vero qui ab illis secesserimus, schismaticè egisse. Ex hâc confessione quam se nobis extorsisse putant, præiudicium hoc eruunt.

Videamus igitur quænam sit illius & vis & veritas. Ac primùm, quantum ad Baptismum, illum sanè nos habere fatentur & penes hæreticos esse posse. Sic antiquitas credidit, sic illi credunt & nos quoque cum antiquitate credimus. Baptismum à nobis administratum non reiterant, nec ab illis administratum reiteramus: hoc priuilegium nihil nobis plusquam illis, nec illis plusquam nobis confert; vera Circumcisio erat in Ecclesiâ decem Tribuum; non ideò tamen erat vera Ecclesia. Ecclesia hæretica Baptismum habere potest, nec tamen minus propterea falsa Ecclesia erit, non Baptismi, sed hæreseos habitâ ratione, non puritatis quam retinuit & Dominicæ institutionis, sed impuritatis & rebellionis suæ contra Dominum respectu. Baptismum ergo illos habere concedimus, sed eâ ratione quâ omnes hęretici, eâ ratione quâ decem tribus circumcisionem post apostasiam suam. Pręiudicium hoc igitur nullum est, cum baptismum nobis confitentibus habere se, prætendunt, & artificiosè quod addimus dissimulant, corruptum ab illis & adulteratum pro viribus fuisse.

Substantiam Religionis Christianæ quod attinet, fatemur apud illos adhuc hodie esse, sed non puram neque à falsæ doctrinæ veneno, nedum à culmo & paleâ, hoc est erroribus illis qui tolerari possunt separatam. Schisma autem non est Ecclesiam deserere vbi substantia quidem religionis est, sed superstitione, impietate & sacrilegio adulterata; vt aurum atque argentum in improbâ & adulterinâ monetâ cupro & stanno miscentur. Profectò Ecclesia Romana docet vnum esse Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Filium ad generis humani redemptionem naturam humanam assumpsisse, & in illâ, morte suâ peccata nostra expiasse, sepultum fuisse, resurrexisse à mortuis, ad cælos ascendisse, sedere ad dextram Dei Patris omnipotentis: nos à Spiritu S. sanctificari, vnam esse Ecclesiam, communionem sanctorum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, fide acquiescendum esse in misericordiâ Dei, spe promissa illius expectanda esse, illum denique charitate esse amandum. Hæc est reuera Christianæ Religionis substantia quæ quoad doctrinam & professionem externam in Ecclesiâ Romana adhuc manet. Hoc respectu illam non deseruimus, imo hisce de causis Ecclesiæ titulum illi concedimus, illique eatenus adhærere non recusaremus. Sed quid ad hanc veritatem illius corrumpendæ gratiâ non additum est? quæ doctrinarum portenta ad illam obscurandam non sunt introducta? imo quas hæreses? quam idololatriam? quæ sacrilegia non protrudunt, in illius veritatis gratiam, quam, si Deo placet, profitentur? Hæ nostræ sunt secessionis causæ.

Si apud illos veræ Religionis substantiâ frui possemus, nec illorum superstitione pollui, ibi mansissemus. Sed nouissimis hisce temporibus, à quo Dominus Euangelij sui signum extulit, & turbâ suâ proclamari iussit, *Exite Babylone populus meus*, & Angeli volarunt per cœlos portantes Euangelium æternum & alta voce proclamarũt, *Beati deinceps mortui qui in Domino moriũtur, requiescũt enim a laboribus suis & opera illorũ sequũtur*

illos; ad signum hoc non accurrere, huic inuitationi obtemperare, illuc vnde hæc vox proficiscitur non tendere, denique Babylone Hierosolymam non ascendere; rebellio est in Deum, & manifestus gratię diuinę contemptus. Antea fideles, quos sibi Deus in captiuitate Babylonicâ seruauerat; non secedentes à superstitiosis, à superstitione tamen secedebant gemitibus & suspiriis suis illi reclamabant & aduersabantur. Quia Dominus exeundi rationem nondum ipsis patefecerat; nondum illis locum quo se reciperent præparauerat; vt verbo dicam tempus à Deo ad huius captiuitatis & miseriæ finem præfixum nondum aderat.

Quemadmodum igitur in Ægypto manere antequam Deus Mosem misisset, & Babylone ante LXX. captiuitatis annos elapsos peccatum non erat; sed postquam Deus Mosem misit & exeundi potestatem fecit, mansio in illis locis manifestum Ægyptiacæ superstitioni & Babylonicæ idololatriæ consensum testabatur, ita antequam Deus cornu suo altū intonasset. *Exite Babylone populus meus*, populum in media Babylone tolerabat & conseruabat; tunc temporis illic manere peccatum non erat, sed captiuitas: at iam post huius vocis promulgationem, non inuitos sed cum voluptate Babilone agere se testantur, qui inde non discedunt, & externè saltim participes se esse delictorum eius; illi proinde, vt par est, *& de plagis eius accipient.*

Iam verò quærere cur Deus vocem illam citius non promulgauerit, cum Deo disputare est & antiquas quæstiones Christianis obiectas reducere. Cur Dominus Iesus Euangelij lucem in Ecclesiam citius non intulisset? quod à Paulo perspicuè soluitur, cùm *plenitudinem temporum tunc nondum contigisse* docet. Cur idem Dominus gentes ad sui notitiam citius non vocauisset? Respondet idem Apostolus *cùm ignorantiæ tempora Deus antea despexerit, nunc annūtiare hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant.* Tempora & momenta in potestate suâ Deus posuit.

Sæpissimè quibus vrbe pestilentiâ correptâ egredi non licet, illic manent, & conseruantur: non ideo tamen ij quibus egredi licet illorum exemplo illic manebunt. Pastor oues suas in pascua noxiis herbis referta, potius quam fame eas perire sinat, deducet, sed si in locum à periculo vacuum, illas deducendi occasionem nactus fuerit, secunda fortuna quâ in illis in noxio pascuo conseruandis vsus est non obstabit quominus illas hinc aliò deducat. Quod pastor ouibus suis præstat, id nobis ipsis præstare debemus; dum nullus alius pascuorum locus quam Ecclesia Romana sese nobis offerebat, necessariò illic manendum fuit. Sed vbi Dominus meliorem locum nobis præparauit, miseri sanè sumus, nisi nos illuc recipimus. Tempore famis parcè ac duriter viuitur, sed fame præteritâ & abundante annonâ, qui illâ non vtitur, dignus est qui fame pereat. Hæc igitur consideratio difficultati supra propositæ soluendæ seruiat.

CAP. XXXVIII.

Nihil esse admiratione dignum in vita Monachorum Ecclesiæ Romanæ.

SVperest vt vltimum præiudicium examinemus. Multos vtriusque sexus religiosos habent qui paupertatem diuitiis; disciplinæ asperitatem, voluptatum & deliciarum mollitiei: humilitatem & mundi cōtemptum gloriæ ac pompæ illius prætulerunt, qui à rerum & negotiorum turbâ semoti vitam Angelicam hîc in terris degunt, naturæ quod exigit recusant, carnem macerant & ita domant vt in posterum non nisi animæ theca videatur, animo certè ac affectu iam in cælos rapta, non aliter hic quam Angelorum instar commorantes. Ac si quid amplius dici possit, id omne, inquiunt in Angelicâ & cœlesti monachorum & monialium vitâ reperitur.

Ita circulatores pharmacorum suorum virtutem iactant, nihil aliud quam extracta, balsama, & antidota contra ipsam mortem esse asserentes; confidentia autem; vultus compositio & eloquentia circulatoria earum certe est virium vt minus cauti & perspicaces illâ seducti has laudes cum plausu admittant; sed experientia tamen contrarium testatur, ac tandem impostorum istorum fraudem ac impudentiam prodit; ita Turcæ religiosorum suorum sanctitatem, austeritatem & extraordinariam pietatem quæ in totâ illorum vitâ conspicitur iactant. Audiamus hic non Turcam, sed Christianum professione monachum qui diu cum illis versatus erat, qui illos frequentauerat & propius considerauerat, qui superstitionem illorum traduxit: testem hic ab omni suspicione remotum. *Quidam illorum* (inquit) *magnam exhibēt patientiā, nullas vestes gestant, nudi incedunt, pudēda tantū occultantes; tātæ perfectionis vt patiēdi legibus soluti esse videantur, patientiā suā ignitis stigmatib. cicatricibus, incisionib. probantes, horum quidā raro admodum edunt ac bibunt, quidā cibo ac potu abstinēt, quidā adeo pauperes sūt vt terrena nō curare nec in illis animū habere dicātur, nec quicquam in crastinū reseruant; quidā nunquā loquuntur, nec cū hominibus versātur, ne forte loqui cogātur quorum vnum non asque admiratione vidi; quidā dona visionis, quidā reuelationis habēt, alij raptus & exstases præter naturā patiūtur. Atque hac ratione nullus inter eos est qui experientiā aliquā spiritualē non acquirat; & iuxta experientiæ huius diuersitatē, vestibus & viuendi ratione differūt. Si quis illorū pennas in capite gestare cōspiciatur, hoc illum meditationibus & reuelationib. deditū esse ostendit; si centonibus indutus paupertatis signū est. Qui annulos in auribus gestāt, se spiritu propter raptus frequentiā obsequētes esse indicant: si Catenas in collo & in brachio gestet raptus sui violentiam ac vehementiā testantur, horū alij seorsim viuunt: alij sociatim, alij soli in syluis & solitudinibus, alij in vrbibus hospitalitatē exercentes.* Quid quæso simile? quid externè saltim & in speciem adeò sanctum & austerum inter Monachos Christianos?

Quid hic habebunt quod respondeant si hoc pacto Turcæ illis insultent, idem præiudicium in illos afferentes atque illi in nos afferunt? an hanc sanctitatem nihil aliud quam hypocrisin: hanc austeritatem nihil aliud quam barbaram inhumanitatem, vt reuerâ est, esse dicent? atque hæc est nostra in illos exceptio cùm nos hoc sanctitatis suæ & monachalis austeritatis præiudicio opprimere quærunt. Quid hoc respectu, inquimus, habetis quod barbari & infideles Turcæ non habeant? imò quid habetis in quo ab illis non su-

non supreemini? An hic respondebunt, se fidem & Religionem Christianam habere? Hoc si responderint, hanc illis præiudicij laruam igitur detraxerimus, ita coëgerimus illos doctrinę examen subire. Vita monastica Religionis Romanæ veritatem non amplius confirmabit, sed contra vitam monasticam illâ religione à quâ omnem suam dignitatem & auctoritatem mutuatur probare necessum erit. Atque ita controuersiam ad verum statum reduxerimus, ad examen veritatis, omisso præiudicio, quod æquè Turcæ causæ prodesse, ac nostræ obesse potest.

Sed speciosam hanc sanctitatem ac vitæ austeritatem propius inspiciamus, & videamus an non fucus sit, qui eminus conspectus visum fallat, turpis & deformis vultus incrustatio. Ac primùm, quodnam quæso hoc paupertatis genus est, vbi nullus de vestibus aduersus frigus & calorem comparandis, de cibo ad famem, de potu ad sitim sedandam, de medicamentis aduersus morbum conquirendis laborat? An id absque manifesto Dei hominúmque ludibrio dici potest? vtrum paupertas, an potius diuitię & copia id vocabitur? at hæc bona, inquient, indistinctè & promiscuè ab illis possidentur, peculiare nemo quicquam habet. An ideo minus illis fruuntur? annon omnes sole, annon luce promiscuè & communiter fruimur? an ideò pauperes sumus vel diuites, lumine destituimur vel abundamus? Quid vero de aëre & aqua dicemus? an bonorum illorum penuriâ laboramus eo quod sit nobis illorum cum aliis vsus communis? Paupertas igitur monachalis, nomine paupertas est, re autem diuitiæ & ipsissima abundantia.

Verum disciplina illorum seuera est & aspera. At nos hic terrarum orbem, hic illos testes aduocamus; nolumus antiquas gulæ, crapulæ, scortationis, adulterij & præposteræ illorum Veneris criminationes renouare; sed iudicet orbis, ipsi respondeant, an exactam adeò & asperam obseruent disciplinam, an os illud roseum, manus illæ niueę & molles, oculi illi acres & arguti, vegetum illud corporis robur, duram & seueram carnis macerationem denotent & testentur, an non potius bona illa corporis habitudo sit effectus otij, epularum ac perfecti naturæ nutriminis: attamen ieiunare, se flagris cædere, humi cubare, cilicio indui credendi sunt. Quidam sane id præstant, nec eâ de re dubitandum est; sed quid inde? si consuetudo leniat primum, deinde prorsus tollat miseriarum illarum sensum? Scitè admodum in hanc sententiam loquitur Chrysostomus in libro de Sacerdotio, hoc est Episcopatu vel Episcopi munere, vt hodie à nobis Sacerdotij vox accipitur; ibi enim conferens Episcopatus labores cum spetiosâ vitæ monasticæ seueritate, quam illius temporibus iam viguisse non negamus, quamuis ab hodiernâ planè diuersam, ait multos esse quib. abstinere à cibo, à potu, à lecto molliusculo molestiam nullam exhibeat, præsertim iis qui cùm sint naturæ durioris sic à pueritiâ educati sunt, imo nec multis aliis, quia firma corporis constitutio & consuetudo omnem horum laborum asperitatem leuant.

Sic certè se res habet. Infirmi & debiles iniquis illis asperitatibus succumbunt & in illis vitam amittunt vel voto soluti, recedunt. Validiores & vegetiores non solum superant & sibi tolerabiles eas reddunt, sed & tandem faciles, imò voluptatem & delectationem ex iis capiunt.

Mirum sane est neminem ad remum damnatorum patientiam mirari, tantam vt in mediis laboribus canant, tam spontaneam vt libertatem sæpe recusent & ad remos manere præoptent? Sed omnes mirantur quum hominem otiosum & probe amictum pedes nudos, quorum vbi lubet calefaciendorum facultatem habet, ostentare conspiciunt, quasi id extraordinarij & naturę humanæ vires superantis aliquid esset. Quotidie conspicimus miseros agricolas anhelantes & sudantes, atro pane victitantes, cibos edentes quos tangere non dignaremur, labore se conficientes, nec tamen vllus miratur, nemo illorum miseretur, quia omnes nôrunt consuetudinem retulisse & domuisse in illis metum & sensum molestiæ & laboris. Quid ergo hic suspiciunt? quid adeo insolens & inusitatum in hâc patientiâ, in hoc labore monastico, vt ideo tantopere admirandi sint? An quia inde nulla vtilitas, nulla commoditas ad proximum redit? cùm miserorum agricolarum & laboriosissimorum remigum laboribus, vita humana subleuetur, hominum societas subsistat & conseruetur. Mirabimur ergo laborem mutilum, molestiam inutilem: at laborem non tantum vtilem, sed & necessarium nihili faciemus? sed labore suo patientiam suam testantur; quidni igitur terram colunt? quidni remos agunt? annon ibi patientiæ præstandæ, imò aliorum commodis, vtilitatique seruiendi latissimus illis campus patet? si vel multorum seruorum quibus naturalis infirmitas seruitutem intolerandam reddit, locum tantum subeant. Quid si hoc durum nimis videtur, annon habent quo carnem suam macerent, in vinetis, agris, areis ac torcularibus vicinorum cœnobiis suis, messis & vindemiarum tempore, vt pauperum laborem subleuent, & mendicationis eleemosynam compensent? Hoc & carnem macerare & aliorum simul vtilitatibus parêre, verè dici posset. Illa verò, quam ostentant disciplina suspecta esse debet, quia vtilitatem aliorum non respicit. Qui carnem suam simul macerare & eâdem operâ aliis vtilis esse potest, nec hanc viam cùm insistere possit, insistit, ingratus est & caritate vacuus. Sed certissimum est hoc exercitij non aliâ de causâ ab illis recusari, quam quia suo minus tolerabile est & iucundum.

Cap. XXXIX.

Eorum quæ hic in dubium vocari possent illustratio.

Sed sæcularium laborem spontaneum non esse obiicient? Cur Monachorum labore minus spontaneus est? An quia illo cum libuerit liberari non possunt? Eadem sanè est monachorum ratio. At illi hoc vitæ institutum sequi coguntur, cùm monachi sponte votum suum emiserint? Nec hoc respectu sanè differunt. Desperatio, melancholia, parentum metus, agnatorum iniquitas, adolescentum simplicitas, opprobrij aut laboris in victu quæritando vitandi propositum, primi sunt consilij illius motus quo vita monastica eligitur. Postquam hisce considerationibus commoti fuimus, facile nobis persuadetur, vitam illam qualemcunque ad quam iam propende-

mus, viam esse perfectionis & quæ in paradisum ducat. Sed vbi in casses deuentum est, tum quidam factum agnoscunt & per otium carceres esse sentiunt, quæ extrinsecus magnificorum & superborum palatiorum speciem præ se ferunt. Sed serum nimis est: vincula, compedes, geminæ portæ, commentariensis & custodes omnem exeundi spem præcidunt; ita pisces qui huc illuc in reti iactantur, piscibus extra aspicietibus ludere videntur: vbi lusus illius desiderium in retia illos illexit, se tandem captos sentiunt. Cum itaque sic se res habeat, vnde fit, inquies, vt nullas querelas, nullos gemitus, nulla suspiria quæ illorum pœnitentiam testentur, audiamus? certè quia nemo stultitiæ suæ præco est, præsertim, quum remedio locus amplius non datur. Nemo qui malis auspiciis vxorem duxit incommoda sua propalabit, si ea cælare possit; quia id non fit sine dedecore; nec enim id genus dolores diuulgando egeruntur: nulla miseris eiusmodi consolatio superest, quam ne miseri credantur. Ita mercatores iacturas suas libenter dissimulant, eas præcipuè quas temeritate suâ fecerunt. Ita Diaboli, qui se eo pacto solantur, si plures in inferos attraxerint, ab illorum flammis & cruciatibus exponendis sibi cauent.

CAP. XL.

Monasticam professionem veræ humilitatis notam non esse, nec illorum vitam quicquam cum Angelica commune habere.

EA igitur est paupertas, ea est vitæ monachalis austeritas, quæ nihil miri habeat, nihil quod præiudicij loco esse debeat, in causa præsertim tanti momenti atque est religio, siquidem nihil habeat extraordinarij, nihil quod in vitâ commune non sit, quod in maximè horrendis superstitionibus, idque exactius, non conspiciatur. Sed fortassis humiles sunt, vel, mundum spernunt; vnde id coniicitur? an ab illorum paupertate, aut vestibus aut agresti viuendi ratione & ab omni humanâ comitate & elegātiâ remotâ? Certè hæc coniectura aliquid coloris & speciei haberet, si qualiscumque illorum paupertas, vestitus, aut viuendi ratio à mundo sperneretur & contemneretur; sed paupertas, vestitus vilitas & inurbanitas quæ reliquis omnibus contemptum pariunt, monachum ornant & honore honestum reddunt.

Diuitiæ, vestes superbæ, & luxus in nullo sunt apud homines honore, nisi quia possidentibus honorem conciliant. Sed si vilis & abiectus ornatus honorem & reuerentiam parit, vtique eiusmodi ornatum ambire ambitionis est; non illepidè dixit, qui Philosopho Cynico dixit se fastum illius per pallioli laceri foramina conspicere, quia honoris aucupandi causa vilem illum amictum elegerat. Superbissimū olim id fuit genus Philosophorum, promissâ barbâ, vili pænulâ, perâ, scipione, & nudis pedibus, Capucinos nostros planè diceres; Nobiles, plebeij falsam illam grauitatis laruā sub quâ pectus magis superbum quam sub Alexandri paludamento latebat, certatim honorabant. Vera humilitas in corde sita est & in animâ; nulla fictione commendari potest, æque facile sub Dauidis paludamento ac sub Lazari centonibus conspicitur.

Aliquis dicere posset maiorem monachis honorem exhibitum iri, si amplius monachi non essent, sed an hoc verum sit videamus. An ignauis fucis, hebetibus & stupidis ingeniis in monasterium à parentibus propter ineptiam, & ne domui paternæ opprobrio essent & dedecori relegatis, monasticâ professione eiuratâ plus honoris exhibebitur? An pauperibus quorum extra cœnobium vita operta sit necesse est? An præclaris ingeniis quibus monasterium aditus est ad Episcopatum & inde ad Cardinalatum, immo sæpe ad Papatum? quid si non omnes illuc perueniant, an facilius Monasterio egressi illuc peruenirent? Pontifex ille fuit qui antequam hanc dignitatem consequeretur reti pro cubili vsus, quum rete in lectum mollissimis plumis suffultum mutatum omnes mirari animaduerteret, quod in votis habebat expiscatum se esse respondit. Professio monastica eruditioni ac eloquentiæ splendorem adiicit, non secus ac vmbræ pictutæ eminentiam. Annon Mantuani existimationem, dignitatémque inter poetas monachatus auxit? An minus Onuphrium sui mirati sunt, aut docti æstimarunt? Annon Thomas Aquinas & Scotus eò maiorem nominis celebritatem consequuti sunt, quo monachi fuerunt? Annon gloria & applausus quem ex Monasticâ professione Bucagius retulit, omnem illam laudem æquarunt, quam ex armis vnquam sperare potuisset? Humilitatis notæ non sunt actiones illæ in quibus mediocris honor seritur, longe maioris certissime metendi spe; sed illæ demum in quibus dignitatis & existimationis nusquam nisi in cœlis recuperandæ iacturam facimus, cuius humilitatis laus non ex hominibus, sed ex Deo est, qui illam videt in abscondito & palam muneratur; pro tribunali causas non agere, in iudicum subselliis locum non occupare, arma non sequi, regi non militare, patriæ non inseruire, sed otiosos & tanquam Epicuri de grege porcos viuere, honores proterere & conculcare non est; sed honores illos flocci facere, nec ambire qui omnia illa munerum genera consequi solent, id demum honores vere calcare est. Monachatus professio huiusce honorum contemptus fidem facere nequit, illorum contra affectationem potius prodit, quandoquidem certior & facilior multò via est ad honorem illum quem cæteri homines tanto labore & molestiâ conquirunt.

Denique Monachorum vitam Angelicam esse dicunt, sed lubens rogarem quare? dum Angeli hîc in terris versantur, num otium agunt? Nonne omnes sunt *administratorij Spiritus, in ministeriū missi propter eos, qui hæreditatē capiūt salutis*? Annon hominū cōseruationi inuigilant? At quid faciunt isti Angelo-monachi? Deum orant, inquies, imo *deuorant domos viduarum, sub obtentu prolixæ orationis*; vt olim Scribæ & Pharisæi. An hæc simul subsistere nequeunt, Deū precari & hominibus vtilem esse? Nonne Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli toti in precibus fuerunt, attamen diu noctuque in hominum salute procurandâ & promouendâ laborarunt? frigida sane ac hypocritica est illorum caritas qui quum plus præstare possint totam illam in precibus consumunt, digni profectò in quos preces suæ in execrationes versæ recidant.

CAP.

Cap. XLI.

Monasticam professionem veræ pietati contrariam esse.

EN igitur quò paupertas illa Monachalis, humilitas illa & tãtopere celebrata Angelorum imitatio redeat. Sed si hanc professionem propius adhuc examinare voluerimus, veræ pietati prorsus contrariam eam esse comperiemus, illius dehonestamentum, imo pestem & exitium, quæque eo solùm tendit vt hominem furem, scortatorem & superbum reddat. Ac primùm de furto, patet. Professione enim monasticâ ad nihil aliis dandum astringuntur & liberi parentibus egentibus subuenire, diues ea possidere quibus pauperum egestatem sublevaret, prudens reip. negotia capessere, fortis patriam leges & religionem fortitudine suâ defendere, imò Theologos prædicare prohibentur. Si enim quidam illorum docent, non quatenus Monachi docent. Hæc facultas illis olim concessa, quasi lege soluerentur. B. Hieronymi temporibus Monachorum officium non erat concionari, sed flere. Prædicationi incumbere est recedere à vitâ monasticâ & illi hoc respectu valedicere. Si vero singuli monachi facultatem & munus à Deo sibi delatum curarent, vt exiguus illorum qui concionantur numerus, monasterium vacuaretur, nec monachi essent amplius monachi, sed inter homines versarentur in illis iuuandis occupati, singuli pro viribus, singuli suo ordine, hic in orphani caussâ agendâ, illi vero in morbis aptis medicamentis vel præuertendis vel depellendis, hic in eleemosyna in pauperes de copia sua eroganda; ille in alio munere abeundo, atque ita de cæteris. Sed voto suo ad has functiones exercendas inepti redduntur. Antiquis legibus in ignauos quosdam fucos animaduertebatur, qui ne militare cogerentur pollices sibi amputabant, non solum quia in seipsos barbari & inhumani erant, sed quia rempublicam debito suo fraudabant. Æque sane culpandi sunt qui se vitæ humanæ necessitatibus succurrendi facultate priuant; Non nobis tantum, sed & aliis nati sumus singuli proximis nostris; Hæc est lex naturæ, lex Dei, præceptum Euangelij, vt omnibus bene faciamus, sed præsertim fidei domesticis. Se igitur sponte & vltro inutilem reddere, vltrò contra legem facere est, naturam exuere, in Deum rebellare, cæco sui amore teneri, quæ sua sunt quærere, nec Dominum Iesum nisi externâ professione tantum & ore tenus quærere.

Sed quo intolerabilius est, se non solum inutiles, sed & onerosos reddunt; Alieno labore viuunt; verè pauperes, iis priuant quibus tenuitatem suam sustentare possent, quod illis dari & potuit & debuit sibi sumentes, Beatius existimant accipere quam dare, contra quam Dominus sensit. Non laborant & tamen se victu dignos arbitrantur, quamuis Apostolus dixerit, *si quis non vult operari, nec manducet.*

At preces suas laborem suum esse aiunt. Sed Beatus Augustinus in tractatu quem de Monachorum opere conscripsit, vbi deditâ operâ ostẽdit omnem monachum qui muneribus & eleemosynis viuit furti reum esse, has cauillationes abundè confutauit: ostẽdens cultum spiritualem hortari nos ad laborem, nedum vt ab illo auertat. Græci illum reuerâ monachum non existimant, qui aliis est oneri. Monachi Abyssini eandem legem sequuntur, & quamuis vita monastica satis antiqua sit in Ecclesiâ, inertia tamen & mendicitas noua est. Beati Augustini tempore iam in professionis illius gratiam exemplum auicularum afferebatur de quibus Dominus dicit *neque serere, neque metere*; sed beatus ille pater, vt par est respondet, se nempe suadere vt instar auium ex agris pastum sumant, nec quicquam secum auferant, nec abs re fore vt alas habeant, vt sturnorum instar abigi, non vero tanquam fures deprehendi possint.

Præterea hæc vita monachalis ignem concupiscentiæ non restinguit, sed accendit potius; Honesta nuptias si libuerit contrahendi libertas, nisi perditus fueris, affectum illum facile exhalat, nec augeri & inflãmari permittit; sed voto obligatum teneri spem omnem præcidit & affectum illum intus premit; Nemo fame minus laborat quam qui se, quum voluerit, esurum sperat; qui verò desperat, *carnem suam inuadit*, & vt ait Propheta, *brachium suum comedit.* Hæc autem ideo non dicimus vt cœnobij arcana reuelemus, sed vt rectè & tacitè tantum subindicemus quod omnibus palam est.

At quid? Ieiunium, flagella nihil ne remedij huc afferre possunt? Possunt, si semper jeiunaretur, si simpliciter & absolutè ieiunaretur, alioqui illi qui continentiæ dono non est præditus interdum ieiunare, interdum se flagellare dolorem augere est & exacerbare, non verò minuere & sanare. Morbi quidam remediis lenientibus augentur; Anodyna dolorem ad tempus leuant, sed vel ægrum penitus interficiunt, vel dolor postea eo maiori cum impetu & violentiâ redit, ac si aliquot passus retro cessisset vt effreni magis & præcipiti reciprocatione iterum accedere posset: Testem hic Hieronymum laudo, *Tristis iam mihi & horrida*, inquit, *præ ieiunio erat facies & caro mea coram me veluti mortua iacebat, & tamen animus meus in medio cupiditatum mearum incendio feruebat.* An tam sanctum virum per humilitatem tam putidum & infame mendacium in seipsum palam attulisse dicemus? Neutiquam. Verum dicebat, atque ita, vt virginitatem magni fecerit, insciens & imprudens fatetur, nullum aliud concupiscentiæ, quæ continentiæ dono & gratiâ peculiari non cohibetur, quam Apostoli remedium superesse, *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.*

Vera virginitas est in animâ; si in animâ primum non fuerit, nec in corpore esse potest; sed si in animâ fuerit, inde in corpus redundabit, siue in matrimonio, siue in cœlibatu. An credimus B. Petrum qui vxorem duxerat, vt patrum antiquissimi testantur, minus Deo gratum fuisse, quam Paulum qui cœlebs erat? Deus homines non nisi pietate metitur, æquali pietate æqualiter delectatur, siue in coniugatis, siue in cœlibibus.

Quid igitur? Nulla ne erit cælibatus prærogatiua? Magna vtique si pietati plusquam matrimonium conferat: at si hâc in re deficiat, matri-

monio cœlibatus longe inferior est. Deficit autem semper in illis qui illo donati non sunt; *sunt Eunuchi* (inquit Dominus noster) *qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum; sed non omnes hoc capiunt*, quod perspicuè nobis à Paulo exponitur, dum dicit *velle se omnes homines esse sicut seipsum, sed vnumquemque proprium donum habere ex Deo, alium quidem sic, alium verò sic.* Cœlibatus igitur connubio vtilior est illi quem Deus eâ continentiâ quâ Paulum donauit, quia eiusmodi viro virginitas est adiumento, connubium vero impedimento foret & obstaculo: Sed si quem Deus eâ continentiâ non donauit, certe cœlibatus illi pedicas injicit, propter cœlibatum enim vritur, & Apostolus ait, *melius esse nubere quam vri.* Quemadmodum igitur connubium non nisi impedimento est illi, cui vt Paulo continere datum est, ita cœlibatus nisi aliud quam in turbas & tentationem, cuius periculum lethale est & vitari nequit, conjicit eum, cui continere non est datum. Magni facimus cœlibatum illorum quos Deus ad cœlibatum vocat, sed neminem vocari dicimus, qui in cœlibatu vri cogatur. Cur igitur (inquiunt) hunc cœlibatum inter vos frequentari non videmus? Hic respondere possemus contra doctrinam nostram, non verò mores disputandum esse; vitia in moribus non debere doctrinæ imputari, si à doctrina condemnentur; doctrinâ nostrâ factum illorum non comprobari, qui quum continere possint connubio iunguntur, nisi grauissima aliqua necessitate illuc compellantur. Sed directè respondebimus, quum rarissimum sit continentiæ donum, mirandum non esse, si cœlibatus qui donum hoc præsupponit sit quoque rarus, sed mirandam potius esse Apostoli prudentiam, qui quum & cœlibatus commoda & matrimonij incommoda exposuisset, denunciat se hæc ad vtilitatem nostram dicere, *non vt laqueum nobis injiciat.* Iam vero si ad cœlibatum idonei non sumus certe est laqueum injicere, si in cœlibatu vri malimus quam honeste in coniugio viuere; Multa martyrum millia, immo myriades tum in primæua Ecclesia, tum nostro tempore satis luculentum sunt testimonium, nobis matrimonium non alia de caussa carum esse, quam quia nos ad vocationis nostræ munus aptiores reddit. Vt enim variis ab hominibus extrahatur calumniis: quis martyrum nostrorum dulcedinis matrimonij, & affectus erga filios consideratione, quis huius sæculi curis ab Euangelio sanguine suo signando reuocatus est? Omnes viuere poterant, & plurimi quidem illorum in honore & delicijs, attamen Euangelij caussâ mortem vitæ prætulerunt, tormenta delicijs, ignominiam & opprobrium honoribus & gloriæ sæculi. Inimicos nostros Iudices appellamus, hoc genus mortis nonne longe monachorum cœlibatu admirabilius est? Annon animæ fortioris, maioris zeli, certioris spei, vehementioris amoris, constantioris fidei testimonium, hoc est quam cœlibatus ille monachalis, assiduè impudicus & coactione tantum pudicus.

Sed ad rem redeamus, quemadmodum genus illud viuendi monasticum eo tendit, vt qui illud amplectitur nisi donum illud quod ad cœlibatum requiritur acceperit, in furem & scortatorem euadat, ita quoque hominem arrogantiâ & nimiâ de se opinione inflat. Humilitatem reuera profitentur, sed qui humilis esse potest is qui se capacem esse existimat, qui & mereri aggreditur & se mereri credit? Vera humilitas est teipsum, qui ad cœlos tantummodo oculos attollas, indignum existimare. At qui hoc vitæ genus amplectuntur, illos meritis suis præsumunt. Vera humilitas præterea est existimare nos *quum omnia fecerimus, seruos esse inutiles*, at isti se supererogationis opera præstare credunt, & se pro aliis mereri. O superbiam! ô blasphemiam! Deus præcipit vt *se toto animo, tota mente, totis viribus diligamus*; at illi se longe plura quam ipse præceperit præstare profitentur.

Quocumque tandem modo nos Deus alloquatur, imperando tantum alloquitur. At ecce monachorum superbiam; Consilia quædam, inquiunt, à Deo dantur quibus homo nisi voluerit obtemperare non tenetur; solo voto ad illa astringitur. Quis ita quæso salua conscientia de Dei consiliis cogitare potest, nec superbè in illum insurgere? An hic est scopus Domini? an ille est benignitatis eius fructus? quum suadendo iubet & iubendo suadet, an id ideo facit, vt homo æquum & par ius secum affectet? vt mandata sua dissimulet & consiliorum quę amicus amico dat vim tantum illis concedat, nec illis teneri velit. Principum nostrorum preces, mandatorum vim obtinent, si aliter de illis sentimus ac loquimur, principum loco illos habere desinimus & superbè in illos insurgimus. Quid ergo de istiusmodi humilitatis professoribus iudicandum qui Deo in religionis negotio eam reuerentiam exhibere detrectant, quam hominibus ciuilis humanitatis habitâ ratione præstare tenentur? Hoc profecto non solum superbum est, sed sacrilegum & blasphemum.

Hæc cum ita sese habeant, hæccine impietas præiudicium faciet ad religionis quam profitetur veritatem comprobandam? Imo quandoquidem ea non est quæ primâ fronte videtur, sed plane contraria, vt à nobis probatum fuisse arbitramur, adhibeatur potius ad suspectam reddendam imo condemnandam religionem, cuius se perfectionem & excellentiam esse dicit.

Nos igitur omnia præiudicia quæ ab Ecclesia Romana proferuntur ne caussæ nostræ status cognoscatur & excutiatur ordine expendimus. Hic erat vnicus huius tractatus scopus, nempe vt ostenderemus omnes has exceptiones 1. maiestatis, 2. vnitatis, 3. antiquitatis, 4. firmitatis & stabilitatis, 5. continuationis, 6. successionis, 7. veritatis, 8 sanctitatis quam obtendit Ecclesia Romana, friuolas esse præsumtiones, vt solidiori veritatis examini obuiam eatur. Si hunc scopum attigimus, id in votis habuimus; penes æquum lectorem esto iudicium. Sat vero habemus, si conscientia nostra testimonium nobis perhibeat, absque ostentatione, animi exacerbatione, atque adeo omni sinceritate hæc à nobis, vt pote coram Deo potiùs quàm coram hominibus loquutis, tractata esse. Inde in benedictionis eius in laborem nostrum spem adducimur, eo magis, quo veritatis suæ, ad quam illustrandam animum adiecimus, studiosior est.

Obnixè illum rogamus, vt defectus nostros spiritu

ſpiritu ſuo ſuppleat,& infirmitate noſtrâ non obſtante virtutem ſuam, debili licet medio, ad perfectionem deducere porrò pergat, ſiue eos confirmando quos iam ad gratiæ ſuæ communionem vocauit, ſiue alios à ſecuritate excitando, vt veritatem ipſius quærant, quærendo inueniant, & in eâ vitam æternam per Ieſum Christum Dominum noſtrum, cui, vt & Patri & Spiritui Sancto ſit honor & gloria in æternum. Amen.

CAPITVM HVIVS LIBRI

INDEX.

DE SV-

DE SVPREMO IN RELIGIONIS NEGOTIO CONTROVERSIARVM IVDICE.

Auctore IOHANNE CAMERONE *verbi Diuini Ministro & Theologiæ Professore in Academia Montalbanensi.*

Basil. Epist. ad Eust. Med.

Οὐκοῦν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή. καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως ἡ θεία τῆς ἀληθείας ψῆφος.

CAPVT I.

Artificium eorum qui reformationem fugiunt, candor verò illorum a quibus requiritur.

ALCIBIADES annis adhuc iuuenis, sed calliditate & astutiâ iam senex quum aliquando Periclem inuiseret & accepisset, illi tum non esse otium, quod cogitaret quo pacto Atheniensibus rationem reddere posset, respondisse fertur, nonne satius fuerit, cogitare qui fieri possit vt non reddat? Multis scitum & elegans visum est responsum, sed longe plures consilij illius vtilitatem & necessitatem comprobarunt: decoctores, vtilitigatores, repetundarum rei & vt verbo dicam falsarij omnes hoc consilio tanquam summo & extremo in caussâ desperata remedio vtuntur, ac sanè homini malè sibi conscio & cuius rationes sibi non constant, nulla procliuior est ratio quàm in totum rationem effugere. Contra verò, qui bene sibi conscius est, cuius rationes sunt expeditæ & à quo ius non potest non stare, nunquam cunctabitur & tergiuersabitur, quin potius rationes suas primo quoque tempore referet, nihilque præoptabit quàm vt diligentissimè & penitissimè excutiantur & examinentur, verebitur ne præscriptio, exceptio aut translatio, vt rectè illis vti possit, suspectam caussam suam faciant, neve ipsa res de litis contestatione æstimetur. Vtinam in Religionis controuersiis omnibus eadem nobis sederet sententia, idémque animus quem naturalis & ciuilis probitas in caussis & disceptationib⁹ nostris nobis suggerit, vt scilicet res ipsa excutiatur. Ac quandoquidem inter vtrosque conuenit, Testamentum nobis à Patre cœlesti relictum, quandoquidem quib. ad id testamentarijs vsus sit, & quibus in tabulis ab illis perscriptum fuerit, apud vtrosque constat, quandoquidem legem habemus ac testimonium, vtinam vnanimi consensu, ad Testamentum illud, ad Testamentarios & illorum Commentarios recurrere vellemus & vnâ eâdemque voce post Prophetam dicere: *Legem & testimonium consulunto, si non loquuntur in sententiam hanc, nulla erit illis lux.* Esa. 8. 20. Vtique Deus voluntatem suam non aperit, Prophetæ & Apostoli illam nisi verbo non docent. Verbum illud habemus, quid præterea petimus? Vt Dei de doctrinâ iudicium, Prophetarum & Apostolorum testimonium nobis innotescat, annon opus est vt illud à Deo declaretur, à Prophetis & Apostolis promulgetur? Declarationem illam habemus, exemplar authenticum quoque illius promulgationis habemus, de quo Christianorum nullius dubitat. Annon igitur illud habemus quod nobis opus est, quod instanter adeo quærimus & expetimus, à iudice nempe sententiam latam & decretum interpositum quo omnes controuersiæ nostræ dirimuntur. Regem sanè, Scribam, Senatum, Senatus commentariensem interesse necessum non est, vbicunque regis voluntas cognitu necessaria est; Si de Senatusconsulto nobis constiterit, de edicto quoque & decreto constat. Nobis hodie res non est cum Iudæis aut Turcis, quorum illi partis, isti vero totius Scripturæ auctoritatem negant; Christiani sumus omnes, credimus omnes ac profitemur nos in veteris ac noui instrumenti libris Canonicis voluntatis diuinæ declarationem habere, vtrique agnoscimus in illis verbum Dei proponi, *Verbum,* inquam, *illud quod potest sapientem reddere ad salutem & ad omne opus bonum perfectè instruere.* 1. Tim. 4. Cur igitur Iudicis nostri præsentiam corpoream tantopere requirimus? cur legatum, & vicarium expetimus quum illius decretum præ manibus habeamus, nec ab illo factum esse ambigamus.

CAP. II.

Quid postuletur, quidve referatur & in deliberationem vocetur ab illis qui reformationem expetunt.

HÆc est illorum querela qui hodie gemunt & suspirant, Israëlis & Iudææ desolationem deplorantes, qui optant & expetunt vt, quemadmodum Iosias librum legis coram se legi curauit, 2. Reg. 22. quemadmodum *Esdras & Nehemias* idem coram populo fecerunt quum de Ecclesiâ

reformandâ, & ad priorem statum reuocandâ laborarent, idipsum quoque hodie à nobis præstetur. Si in Christiano orbe omnia cum hâc de religionis negotio lege congruant, nihil in illâ erit immutandum, quin potius ingenia illa inquieta & turbulenta, nihil nisi dissidium ac hæresim spirantia, paci Ecclesiæ & Orbis vniuersi quieti turbandæ nata, grauiter erunt punienda: At si illis cum hâc lege non cõueniat, contra verò longè discrepent, longe dissentiant ac discordent, cur hominum opinionibus veritas Dei non præfertur? lex consuetudini? & regnum Iesu Christi illius tyrannidi qui sibi in viuos & mortuos, in animam & corpus, in principem ac subditos auctoritatem reuerâ ac iurisdictionem mere supremam attribuit? Atque hîc omnium illorum quibus aliquid sensus, quibus aliquid humani vel tantillum superest, conscientiam obtestamur, vt in tam graui dissidio ac dissensione, in rebus tanti momenti iudicent vtri nostrum declinandi gratiâ Alcibiadis calliditatem vsurpent, vel qui huius regulæ, verbi nempe, quod omnes à Spiritu Dei inspiratum, dicta tum, & scriptis consignatum cõfitemur examen lubentes subeunt, vel potius qui nihil magis quam verbi huius ac scripturæ iudicium reformidant; adeo vt illam vel intolerandis in humano scripto defectibus laborare velint & obscuritatis, ambiguitatis, ac imperfectionis accusent, quæ oraculorum Delphicorum ac foliorum Sibyllinorum reuera propria sunt, at minimè conueniunt legi illi Domini, quam Propheta regius vt *integram, restituentem animam, veracem, certam, ac sapientiam imperito afferentem* tantopere extollit.

Cap. III.

In quo obiectiones contra postulatum prædictum afferri solitæ proponuntur, refutanturq́; ea quæ in ipsam postulantium personam ingeruntur.

QVandoquidẽ igitur illuc adigimur vt quũ de reipsâ agendum foret, accusantis qualitas vrgeatur, iudicis ad quem prouocat auctoritas in dubium reuocetur, ante omnia quo iure, quâve iniuriâ id fiat perpendere nos decet. Ac primo quidem accusatores nouatores appellant, quærit{que}; ab illis quænam sit illorum vocatio, quâ auctoritate tã audax facinus aggressi sint vt se Ecclesiæ reformationem expetere profiteãtur. Objiciũtur itaq; illis *nouitas* ac *temeritas*. Sed hęc objicere nihil aliud est quam crimen regerere, quod neutiquam probari potest, nec admitti debet nisi prius accusatio falsi comperta & dijudicata fuerit. Instituunt probare doctrinam Domini & Apostolorum alteratam fuisse & immutatam in illâ Ecclesiâ quæ se Catholicam appellat; Nullam aliam doctrinam præter Dominicam admittunt, cæteras omnes excludunt. Non profitentur ergo se nouitates introducere, sed potius exigere velle. *Nouitas* itaque illis objici nequit, quandiu nouatores illos esse probatum non fuerit; Quâ in re verus controuersiæ cardo vertitur; quum hic non de personarum, sed fidei & doctrinæ nouitate agatur, ex quâ fide & doctrina *persona probanda sunt, non item illa ex personis,* vt apprimè rectissimè dixit *Tertullianus*. Quum igitur accusationis illorum caput in hoc situm sit, quod Ecclesiam quæ se Catholicam iactat innouationis accusent, quamdiu de veritate aut falsitate accusationis huius non constat, *Nouitas* illis objici nequit; neque *temerè* accusasse dici quoque possunt, donec accusatio directâ & legitimâ defensione depulsa fuerit, non secus enim ac in Republicâ quum de crimine læsæ Maiestatis agitur, quilibet accusator admittitur, nec vllus rejicitur nisi accusationis calumniâ & improbitate compertâ, nèc temerè accusare censetur, qui verè accusat, sic in Ecclesiâ, quicunque læsæ Maiestatis diuinæ aliquem accusat, audiri debet, nec illi est temeritas objicienda, donec falso & sine caussâ accusasse conuictus sit. In exercitu, in vrbe obsessâ, quum de proditione agitur, nullius iudicium contemnitur, sed expenditur, non auctor sed momentum consideratur, accusator non punitur, nisi falsa deprehendatur accusatio, sed si de illius veritate constiterit, laudabitur, præmiũ referet, in locum accusati plerumque promouebitur. In Ecclesiâ Dei, in consciẽtiæ negotio, nulli est os occludendum, sed cordis & conscientiæ conuictione, aut satisfactione opus est. Hæc fuit Ecclesiæ Apostolicę praxis: Id ipsum patres erga hæreticos factitarunt. Ipsemet *Augustinus* de Manichæis loquens in hâc est sententiâ. Quid si veterum quidam præscriptione hîc vsi sunt, id in rebus essentiam fidei propriè non spectantibus ab illis factum est; vbi de doctrinâ agebatur, quum illis res erat cum iis qui Scripturâ præcipuè non nitebantur, sed particulas quasdam illius perperam ad opiniones suas detorquebant, vt inde ea elicerent quæ ex Scripturis ne fidiculis quidẽ extorquere quis possit, quæque in Scriptorum mentem nunquam venerunt. Ideo illimet ipsi patres *lucifugas Scripturarum* eos appellabant; quinimò tunc temporis non indecens erat præscriptionis inductio. Fieri non poterat vt tantum adhuc doctrinæ decessisset, mysterium iniquitatis quod iam ab Apostolorum tempore concipi cœperat in cunis adhuc erat. Longè alia est hodie nobiscum ratio, qui ad vltima tempora deuenimus, qui à florentissimo & beatissimo illo Apostolorum tempore annos mille sexcentos & quod excurrit computamus. Tam longo temporis spatio multum sanè huic mysterio accedere debuit. Florentissimas Ecclesias olim ab Apostolis plantatas nunc desertas & desolatas iacere videmus, nec hominum memoriam testari amplius possumus.

Controuersiæ status.

Tertull. de præscr. adu. hæret. cap. 3

Act. 17. Act. 28.

August. lib. cont. Ep. Max. cap. 4. Basil. de sp. S. c. 27.

Tert. præsc. adu. hæret. 57.

Tertull de resur. carnis cap. 47.

Cap. IV.

In quo proponuntur rationes quibus idoneum non esse iudicem illum ad quem prouocant qui reformationem expetunt, contenditur.

SEd iudicis prætereà illius apud quem accusatores accusationẽ suam intentant, *Dei nempe in Scripturis aut per Scripturas loquentis* competentia in controuersiam vocatur.

Octo rationes cur Deus iudex esse nequit.

1. Dubitatur an Deus hoc modo consideratus iudex esse possit; omnis iudex, inquiunt, loqui debet, at Deus in Scripturis vel per Scripturas ita loquitur, quasi non loqueretur, ita vt ipsa Scriptura

Scriptura ab aliquo proponi & applicari necesse habeat.

2. Verba iudicis aperta & intellectu facilia esse debent, hoc autem verbum scriptum tam obscurum est quàm quod obscurissimum.

3. Scriptura hæc ambigua est & varias interpretationes admittere potest: cum edicta iudicis certa & absoluta esse debeant.

4. Scriptura imperfecta est, manca & deficiens, ideo ad controuersiarum nostrarum decisionem nec extendi, nec applicari potest.

5. Iudicis decretum pacem conciliare debet inter eos qui illo stant, quum tantam contra vel inter illos qui controuersias suas Scripturâ dirimere volunt, dissensionem videamus.

6. Ipsi hæretici Scripturis vtuntur, quum iudicis sententia condemnato nihil prosit.

7. Si Deus in Scripturâ vel per Scripturam loquens iudex esset, quid prodessent nobis Concilia?

8. Denique si nullam aliam præter Scripturarum decisionem haberemus, suspensos & veri incertos pendere nos semper oporteret, quum enim ea sit ingenij humani imbecillitas & fallacia, quis in tantâ multitudine, & in tanto illorum qui sibi Spiritus Sancti donum vindicant dissidio, quis illo præditus sit agnoscere & obseruare queat? Quis in tanto illorum numero qui se Spiritum habere credunt, & opinione suâ falluntur, illum se habere certò scire possit? Quid igitur, an iudicari recusant? In speciem nequaquam. Sed Ecclesiam iudicem esse volunt. At quum in rem ipsam descenditur, hanc Ecclesiam nihil aliud præter illos ipsos esse comperimus, qui in caussâ suâ iudices esse volunt, vt fusius infra ostendetur.

CAP. V.

In quo inanes superiores rationes & obiectiones esse, tribúsque vitiis laborare dicuntur, dein primæ, itémque secundæ, primum vitium ostenditur.

IAm expendamus rationes quas in competentiam iudicis ad quem citantur afferre solent, quæ si *contrariæ non sint. 1. Illorum instituto. 2. Veritati. 3. Nisi ad subuersionem Christianæ Religionis tendant*; accusatores nullam caussam dicunt quin illas admittere debeant; at si deprehendantur subsistere non posse. 1. cum caussa ad cuius defensionem citantur. 2. Cum veritate. 3. Cum auctoritate Religionis Christianæ, nemo accusatores malæ fidei postulauerit, si à primâ suâ prouocatione desistere noluerint.

Octo illæ rationes in aduersarios retorquetur.

Hæc autem omnia facillimè probari posse credimus: Id vero vt ordine suo fiat à primâ ratione initio facto, singulas sigillatim expendamus, videamusque annon caussam illam cuius gratiâ adductæ sunt, impugnent.

Ac primò quidem si quum *Deus in Scripturâ aut per Scripturas loquitur* perinde est ac si non loqueretur, eo quod Scriptura *muta est, nec vllum emittit sonum*, annon eadem ratione dici potest, quum Patres in scriptis suis, Ecclesia in Conciliorum Canone, Papa in decretis suis, & decretalibus, in diplomatibus, in bullis & indulgentiis loquuntur, omnino perinde esse ac si Patres, Ecclesia & Papa non loquerentur. Præterea annon Patrum scripta, Conciliorum Canones, decreta & decretalia, diplomata, bullæ & indulgentiæ proponi & applicari debent, idque ab illis quibus nullum iudicis priuilegium conceditur, particularibus nempe Ecclesiasticis, qui errare possunt, vt qui singuli seorsim quatenus in Cathedris suis Patrum traditionem, Conciliorum Canones, Paparum decreta & constitutiones, diplomata, bullas & indulgentias proponunt, nullo Dei promisso extra erroris periculum constituti sint. Prima itaque hæc ratio ex Scripturarum naturâ deducta, Scripturam nempe mutam esse, nec non proponi & applicari debere, locum habere non potest, nisi vnâ eâdémque operâ Patrum, Conciliorum & Pontificum in quorum verbis eosdem qui in Scripturâ prætenduntur defectus videre est, auctoritas infringatur.

Secundò *Scripturæ obscuritas* adstrui nequit quin simul omnia argumenta hinc deducta obscura esse confiteamur, ac proinde Religionem Romanam in solâ auguratione & coniecturâ positam esse; ita vt omnia argumenta ad Ecclesiæ Romanæ doctrinam propugnandam deducta, puræ putæque sint diuinationum coniecturæ: non igitur hic à Pontificiis peccatur, quum eos qui defectionis & ἀποστασίας Ecclesiam Romanam arcessunt, stare non iubent iudicio illius iudicis coram quo caussam disceptari postulant, præsertim cum obscurè adeo iudex ille loquatur, vt accusationem illorum nunquam probaturos, multo minus eos qui à multis iam annis sunt in possessione in actorum gratiam reos peracturus sit. Quin potius si instrumenta quibus accusationem suam probare præsumunt, obscura sint & intricata, ad instrumenta illa proferenda cogendi sunt, nedum vt illorum vsus illis præcludi debeat, quisquis enim alium accusat, & accusationis suæ rationes adeo obscuras profert vt intelligi omnino nequeant vnâ eâdemque operâ & aduersarium suum absoluit & se deridendum propinat.

CAP. VI.

In quo tertiæ & quartæ obiectionis primum vitium ostenditur.

SI verò, vt tertiâ obiectione fertur, *Scriptura ambigua est & varias interpretationes admittere potest*; quâ de caussa, quove iure Doctores qui se Catholicos profitentur, Scripturæ expositionem alteram alteri præferunt, vel ipsius qui exponitur textus circumstantiis, vel alio aliquo aperto, euidenti & indubitato, Scripturæ loco, non autem simpliciter Ecclesiæ auctoritate innixi? si, vt aiunt, Scriptura sit *nasus cereus, calceus Theramenis cuilibet pedi congruens, versatilis pinnula*, cur per Scripturâ interpretationes, aut potius falsas hæreticorum glossas, & expositiones impugnant? Cur Ecclesiæ auctoritatem simpliciter non proferunt? Profecto hâc ratione transsubstantiationi probandæ non amplius adducenda essent verba Scripturæ, *Hoc est corpus meum*, neque dicendum hæc verba simpliciter prout sonant sumenda esse, vt pura testamenti verba, quum hic locus vt ex Scripturâ desumptus ex Scripturæ naturâ (si locum habeat illorum obiectio) *ambiguus sit & varias interpretationes admittat*: ac proinde non ex-

hoc loco transsubstantiatio credenda esset, sed ideo tantum quia sic Ecclesiæ interpretari placuit. Atque ita Ecclesiæ Romanæ fides Scripturæ non innitetur, nec ad illius regulam exigetur; sed contra Scripturæ intelligentia innitetur & pendebit ab Ecclesiæ notitiâ, adeò vt fundamentum domui superstruatur, & ædificium ipsa sit norma & amussis. Denique, quomodo dicunt Scripturam tam distinctè, tam apertè & euidenter præsuppositam illam Ecclesiæ auctoritatem probare, vt mirentur à lectoribus in dubium reuocari, si Scriptura ambigua sit & duas differentes sententias admittat, vt tertiâ obiectione contenditur.

Quartum autem defectum, quo Scriptura laborare dicitur, quod attinet, nempe *illam esse imperfectam, nec rationes suppeditare ad probanda vel improbanda ea quæ credenda vel non credenda sunt in nostris controuersiis.* Si hæc obiectio locū habeat, quomodo quæso Ecclesiæ illius quæ sibi Catholicæ titulum vendicat doctores omnes Religionis Romanæ articulos Scripturâ probare aggressi sunt? An quod fieri neutiquam poterat temere aggressi sunt? An ita se sophistas prodiderunt, id in Scripturâ quærentes quod reperire non est, & veritatem mendacio comprobantes? Vel, an doctrinæ articuli in Ecclesiâ illâ Catholicâ creduntur qui in Scripturis non côtineantur? quis inter illos horum articulorum catalogum contexere auderet? Quinam Doctrinæ articuli in Scripturâ non continebuntur, quorum defectu Scriptura imperfecta censenda sit? Non vtique articuli Trinitatis, Incarnationis Filij Dei, & Redemptionis generis humani, fidei in Iesum Christum, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, necessitatis & vtilitatis bonorum operum, vitæ æternæ, Baptismi, prædicationis Verbi, SS. Cœnæ. Omnes illi articuli & cæteri qui ab illis pendent in Scripturâ profectò continentur. De quibus igitur articulis Prophetæ Apostoli, Deus in Scripturâ loquuti non sunt? An de articulo auctoritatis Pontificiæ quâ reges non simpliciter excommunicare, sed & regno abdicare audet? quâ matrimonia illa permittit quæ Deus in verbo suo interdixit & vice versâ? quâ carnem quadragesimæ tempore comedere (quod per se indifferens est) peccatum pronuntiat? quâ imperium & iurisdictionem eam sibi arrogat, vt si plena animarum plaustra in inferos deduceret, nemini ius esset dicere, Domine quid ita facis? eam inquam iurisdictionem quæ ad viuentium & mortuorum vsque animas extendatur? An vero de articulis adorationis imaginum, inuocationis Sanctorum, ignis purgatorij æquè calidi ac ignis inferorum, operum supererogationis, meriti ex congruo & ex condigno? Duplicis Christi sacrificij in terris, nempe non semel duntaxat in cruce sed & quum Cœnam cum discipulis suis celebraret, de cultu linguâ incognitâ peragendo, Christum morte sua infantes qui absque Baptismo moriuntur non seruasse; & si quid aliud id genus articulorum extet, de quibus nihil præceperit Spiritus Sanctus, nihil scripserint Prophetæ & Apostoli, imo contrarium Spiritus Sâctus præceperit contrarium Prophetæ & Apostoli scripserint, *auctoritatē scilicet temporalem regum à Deo immediatè pendere, omnem hominem legi diuinæ obnoxiū esse, non vero supra legem constitutum: ipsos Apostolos seruos esse & ministros non Dominos Ecclesiæ, beatas esse illorum animas qui in Christo moriuntur & à laboribus suis quiescere, non esse inuocandum illum in quem non creditur, imagines non esse adorandas, nos quum omnia fecerimus esse seruos inutiles, Christum seipsum sæpius in sacrificium non obtulisse, sed semel duntaxat, vsum linguæ incognitæ in Ecclesia etiam in maledictione deputari, Christum infantes vel ante Baptismum admisisse.*

Rom. 13. 1. Iac. 4. 11. 12. 2. Cor. 1. 5. Apoc. 14. 13. Rom. 10. 4. Exod. 20. Luc. 17. 10. Heb. 9. & 10. 1 Cor. 14. 1 Matt. 9. 14

Cap. VII.

In quo quintæ & sextæ obiectionis vitium primum ostenditur.

QVod autem quinto loco Scripturæ obiicitur. *Eos qui profitentur se controuersias suas Scripturâ dirimere velle, opinione tamen longè inter se dissidere.* Si hæc consideratio, *Deum in Scripturis & per Scripturas loquentem* iudicem non idoneum qui controuersias nostras decidat & dirimat reddere possit, eâdem ratione Ecclesiæ quoque iudicium reputet & eleuabit, hoc enim respectu omnia hic pariter & eodem planè modo se habent; primitiuæ enim Ecclesiæ tempore Arriani & Orthodoxi, Donatistæ & Catholici Ecclesiæ iudicium singuli obtendebant. Arriani Concilium Nicenū respuebant & nouum Concilium postulabant, imo plurimi reipsa Arriani profitebantur se Concilio Nicæno stare velle. Itaque hoc pacto nec Ecclesia iudicis officio fungi poterit, si ex dissidio illorum qui se iudicis alicuius iudicio stare velle profitentur, iudicis incompetentia inferenda sit; denique inter ipsos Doctores vt vocantur Catholicos, qui omnes vnâ voce Ecclesiæ iudicium subire se velle testantur quot dissidia, quot contentiones videre est; Doctor Angelicus Thomas *Crucem latriæ cultu adorandā esse* censet, atque in hanc sententiam Ecclesiæ auctoritatem producit ac probat imaginem eodem honore colendam esse atque rem ipsam imagine expressam. Bellarminus aliter sentit, & imagini gradum cultus inferiorem quam rei ipsi attribuit & Ecclesiæ quoque auctoritatem secum facere asserit. Cur igitur id verbo Dei potius quam Ecclesiæ abijcitur?

Dissidium inter doctores Romanos Thom. 2. q. 103. art. 9. 3. Et 3. q. 25. art. 3. Bellarm. lib. 2. de imag. ca. 20. 21.

Sextò quum probare conantur *Deum in Scriptura loquentem* non posse esse controuersiarum nostrarum iudicem eo quod * *hæretici Scripturas sibi vindicent & attribuant*, eâdem quoque ratione Ecclesiam iudicem esse non posse ostendunt; hæretici enim auctoritatem quoque Ecclesiæ prætendunt, Patres, Concilia ac Ecclesiæ traditionem proferunt. Si vero respondeatur id sophisticè ab illis fieri & vt probabilitatem aliquam & verisimilitudinem mendacio suo inducant, quidni & idem ab illis in Scripturę citatione fiat? Hoc igitur respectu eadem est prorsus Scripturæ atque Ecclesiæ ratio, nisi quis tacitus secum existimet reapse Scripturam hæreticis fauere, quasi vero Deus verbo suo Diaboli mendaciis colorem quæreret, quod & cogitatu impium & dictu blasphemum est.

* Concil. Chalc. act. 1.

Cap. VIII.

In quo septimæ & octauæ obiectionis vitium primum ostenditur.

QVod autem septimo loco quærunt, *cui bono Concilia si sola Scriptura controuersias nostras dirimere*

dirimere possit? annon vident se ad similem planè quæstionem viam nobis aperire, *cui bono Concilia si Ecclesia iudex noster fuerit?* Nec ab illis regeri potest, Concilia constituere illam ipsam Ecclesiam, quæ iudex est ille quem sibi sumere volūt, statim enim responderetur, Ecclesiam ergo esse sine iudice, nisi quamdiu habetur Concilium, quo tempore elapso, vel nondum instante conscientiæ dubiis soluendis locus non erit. Quis vero Concilium hoc conuocabit? An imperator & reges? At illi longè aliud animo moliuntur nec eiusdem sunt sententiæ; fac verò rem illis cordi esse atque ideo bene illis conuenire, annon hoc Concilij vt olim indicendi priuilegio spoliati sunt? Conuocabiturne ergo à Pontifice? Ille cœtus & congregationes nimium reformidat, nouit quam contumeliosè in illis excepti fuerint maiores sui; & in quantum discrimen venerint vel in nouissimo Concilio Tridentino vt sollicitè ambiuissent & Spiritum Sanctum Romā citatis equis illuc misissent. Præterea Concilium non semper coactum manet, omnes illi interesse non possunt, vt viuam illius vocem audiant. Inter hasce difficultates quid interim dubiis & disceptationibus fiet? quis soluet? quis dirimet? hoc pacto ad quem iudicem conscientia semper confugiet vt sibi satisfiat? Nunc vero in Ecclesiâ quæ se Catholicam iactat quis in controuersiis nostris iudex sedebit? An Concilium Tridentinum? Sed nullus iudex admittitur qui viuâ voce non loquatur; ac deinceps hoc respectu, Concilium Tridentinum cæteraque omnia Concilia æque muta sunt ac Scriptura; citantur illa & ad varios sensus accommodantur? Si igitur hæc quæstio de Concilij vtilitate ad quam præcisè & directè infra respondebimus *Dei in Scripturis loquētis iudicium* respuere nos cogit, Ecclesiæ quoque iudicium respuere coget.

Denique si locum habeat vltima obiectio de *incertitudine iudicij humani, quum iudicandum est quis Spiritu præditus sit, & an ipse illo sis præditus, in tantâ dissidentium multitudine qui tamen omnes pariter & æqualiter donum Spiritus sibi retribuunt*, nec ad auctoritatem quoque & iudicium Ecclesiæ confugi poterit; nam vt ab illis objicitur, si sciri nequeat quis Spiritu præditus sit nec ne, propter iudicij humani debilitatem, & Spirituum prætendentiū multitudinem ac discordiam, quomodo sciri poterit quinam Ecclesiam Catholicam constituant, vel non constituant? Certè quilibet qui Spiritum solum veræ sapientię inspiratorem se habere persuaderi non potest, de stultitiâ quoque suâ & inscitiâ dubitare debet, quum de rerum spiritualium delectu atque discrimine agitur. Ac quandoquidem stultorum non est iudicare quinam sint sapientes, quum quivis iuxta hanc obiectionem dubitare teneatur an sit stultus, vt qui spiritu destituatur, nullus proinde iudicare poterit quisnam sit verè sapientum cœtus, nullus profecto propter iudicij sui incertitudinem, si hęc obiectio locum habuerit, veræ Ecclesiæ certum delectum facere poterit in tantâ eorum multitudine, varietate, ac discordiâ qui titulum hunc tanquam iure debitum sibi arrogant.

Cap. IX.

In quo primæ obiectionis vitium secundum ostenditur.

Patet ergo has obiectiones cum illorum à quibus proferuntur instituto subsistere non posse attamen caussę contra quam afferuntur ius obscurabunt & imminuent nisi etiam falsitatis & absurditatis illas conuincamus; hoc enim est secundum illud vitium quo illas laborare diximus. Vt à prima igitur obiectione initium faciamus. Maxima certè iniuria *Dei viuentis verbum scriptum, verbum mutum appellatur*, & Deus hoc modo loquens loqui non censetur, per caussam vocis non editæ, quæ in naturâ diuinâ locum non habet, neque etiam inter homines nisi vt animi conceptus & vnâ eâdemque operâ rerum, quarum conceptus illi sunt imago, notitia per aures ad cor deferantur. Quod quum aliâ viâ, scripto nempe factum fuerit, viuâ voce amplius non est opus, scitè ergo & venustè dixit qui primus *libros, Doctores mutos* appellauit, vt illorum naturam & soni simul & efficaciæ habitâ ratione significaret mutos scilicet si sonum spectes, si vero doctrinam quę inde hauriri potest, disertos ac eloquētes. Demosthenis hodie ac Ciceronis vocem non audimus, quando tamen illorum scripta legimus, vocem quoque nobis audire videmur; annon ea quæ legato præscripta sunt, Patris testamentum, Iudicis edictum, amici epistola, instrumenti publici exemplar authenticum regis, patris, iudicis, amici, stipulantium voluntatem æque ac verbum vocale & viua vox exprimunt? quidni igitur eodem in pretio habeamus pręscriptum testamētum, edictum, literas, exemplar authenticum instrumenti quod Rex noster legatis suis cōcessit, Pater cœlestis filiis reliquit, iudex mundi protulit, Sponsus sponsæ suæ conscripsit, & Dei atq; hominum Mediator Dominus noster Iesus Christus proprio sanguine obsignauit, *si crederetis Mosi*, inquiebat Dominus, *crederitis mihi*, nec tamen Moses tunc temporis alibi quam in scriptis suis & per scripta sua loquebatur, *habent Mosem & Prophetas*, inquiebat Abraham improbo illi diuiti, *audiant eos*: & iterum, *si Mosem & Prophetas non audiunt*, de diuitis fratribus loquens, *ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat persuadebuntur*. Attamen quis in dubium reuocet Mosem & Prophetas tunc temporis hic non vixisse, nec aliter quā in scriptis suis & per scripta sua locutos esse, vsque adeo verum est eum qui animi sui cōceptus scripto nobiscum communicat sermonē nobiscum conferre, etsi vocem eius non audiamus. Quandoquidem itaque vt vtrique vnanimes agnoscimus, non tantum Mosis & Prophetarum, sed Euangelistarum quoque & Apostolorum scripta habemus, quidni Mosem, Prophetas, Euangelistas & Apostolos audiamus hoc pętextu quod scilicet mortui sint, nec amplius loquantur? Annon loquuntur adhuc omnes hodie eâdem planè ratione quâ Moses & Prophetæ loquebantur quum Abrahamus illos audiri voluit; quum autem certum sit, *totam Scripturam diuinitus esse inspiratā, nec esse propriæ explicationis*; cur non eandem illi reuerentiam præstabimus quam præstaremus si ab ipso Prophetarum & Apostolorum loquentium ore illa viuâ voce exciperemus; literæ & verba significationem & vim illius non immutant, non secus atque vox & sonus, apud verè homines, nihil illi addit & confert; sed si tantopere sonum & strepitum vocis experimus, audiamus hoc verbum dum proponitur

Ioan. 5. 46.
Luc. 16. 31.

2. Pet. 1. 20. 21.

prædicatur ac legitur, sed quâ ratione præcones Senatusconsulta proclamantes audimus, nec tamen iudicum titulum atque honorem illis deferimus; imò si exemplar valvis nostris affixum offendamus, illud quam reuerenter legimus & sine morâ obtemperamus non expectatâ iudicis præsentia, qui satis præsens esse creditur dum nobis in edicto suo loquitur. Ea igitur saltem iudici cœlesti atque eius rescriptis cõstet reuerentia, quæ iudici & rebus terrenis per nos constat; quum solum rescripti illius exemplar penes nos sit humiliter illud legamus, pareamus idque cum zelo, ne requiramus vt qui inuisibilis est, se aliter conspiciendum nobis exhibeat, vtque mortui resurgant, sed veritatem hanc potius recolamus, *Mosem & Prophetas habemus*, si illos non audimus loquentes, nempe in suis scriptis, ne si quidem ex mortuis resurgerent, persuaderemur.

CAP. X.

In quo secundæ obiectionis secundum vitium ostenditur.

NIhilo æquius Scripturam *obscuritatis* accusant, nam si de rebus ipsis in Scripturâ contentis loquuntur, sensum reuera & intellectum humanum quoquo modo sumptæ superant siue vt in Scripturâ proponuntur, siue vt in Ecclesiâ exponuntur, quum nec demonstrationibus probari vel instar conclusionum & principiorum in reliquis scientiis concedi seu presupponi possint: at hæc obscuritas Spiritus lumine facillimè discutitur, quo si cor destituatur, nihilo magis de veritate iudicari potest, siue vt in Scripturâ expressa cõsideretur, siue vt ab Ecclesiâ prolata audiatur, quàm à cæco de coloribus & solis splendore, vel à fatuo & demente de verâ sapientiâ. Vnde liquet non iudicis externi edicto hanc humanæ mentis in veritatem diuinam rebellionem compesci posse, cum de conscientiâ conuincendâ agitur, quod proprium Dei opus est Spiritus sui virtute *in captiuitatem omnem cogitationem ad obediendum redigentis.* Nec sanè iudicis terreni vel in ipsis caussis ciuilibus auctoritas conscientiam conuincere potis est, sed sententiæ iudicis æquitas & iustitia agnita, quæ quandiu incognita manet, conscientiæ satisfieri nequit, quamuis externè & vi coacta pareat. Quum igitur in religionis negotio non coactione, sed persuasione, non violentâ oris occlusione, sed cordis conuictione opus sit, nec iudicis quoque externi edicto, sed doctoris interni persuasione opus est, *Nemo enim potest venire ad me*, inquit Seruator *nisi Pater traxerit eum*, atque in hanc sententiam Prophetarum Scripturam allegat. *Et erunt omnes docti à Deo.* At si non loquatur de *obscuritate rerũ* quæ in Scripturis tractantur, sed de *formularum obscuritate, & verborum quibus ad animi sensus exprimendos vtitur Spiritus Sanctus*, Spiritum Sanctum dubio procul aiunt aut non potuisse aut noluisse mentẽ suam apertè exprimere. Neutrum autem potest illi tribui quin de sapientiâ & bonitate eius detrahatur. Vtique lex illa de quâ Dauid loquitur, quum tantopere propter perspicuitatem extollit vt illam *lucernam pedi suo & lucem itineri suo quæ sapientiam afferat imperito* appellet, lex erat scripta, Scriptura nempe quæ hoc pacto sapientiam affert non solum Prophetis & Doctoribus, sed & *imperitis.* Scriptura, inquam, de quâ Apostolus loquebatur, quum diceret, *quæ ante scripta sunt ad doctrinam nostram scripta esse*; apertè ergo & perspicuè, quia doctinæ nihil magis officit quam obscuritas: Scriptura quã *diuinitus inspiratam & vtilem ad doctrinam* appellabat. Sed quo modo, si obscuritate laboret? Imo quam ait Timotheum *à puero nouisse* ἀπὸ βρέφους vel à primâ infantiâ; an quæso infantibus obscuri auctores legendi proponuntur? Scriptura quam B. Petrus *lucernam splendentem in obscuro loco* vocat, quid vero rei est tenebris cum lumine, lucernæ cum obscuritate; Scriptura denique, vt quam potest omnia ad compendium conferam, cuius lectionem tantopere veteres commendarunt, ac in primis B. Chrysostomus cuius tam seriæ & graues hortationes ac toties inculcatæ satis produnt abusum illum Scripturæ per obscuritatis caussam non legendę iam illius tempore in Ecclesiâ gliscere cœpisse, nondum tamen penitus inualuisse, nec vt hodie passim admissum fuisse. At hic forsitan objicietur Scripturæ obscuritatem negari non posse, alioqui quis commentariorum, quis homiliarum & concionum foret vsus? Sed facilis est responsio, Scripturam quibusdam in locis valdè obscuram esse inficias non imus, idque Deum sapientissimo suo consilio sic voluisse dicimus vt hominis superbiam reprimeret ac retunderet & studium quoque lectionis in illo excitaret, vt bene obseruauit Augustinus, cum quo addimus, *in iis quæ apertè in Scripturâ posita sunt, inueniri illa omnia quæ continent fidẽ, moresque viuẽdi.* Cæteroquin Ecclesia militans in vnum simul tota coacta exponere nequit quicquid in Scripturâ obscuritatis occurrit, alioqui non fuisset tam parum ad salutem nostram propensa quin Concilij alicuius opera amplissimum & authenticum filiis suis commentarium suppeditasset, vt tota Scriptura plana illis & perspicua & omnis obscuritatis expers redderetur. Conciones autem & commentarios quod attinet non semper ad dilucidandum dum requiruntur, sed plerũque ad dilatandum, & vbi Scripturæ lumen afferunt, lumen illud mutuatitiũ non est, & aliunde desumptum, sed ab ipsâ Scripturâ proficiscitur, Scripturâque per Scripturas interpretantur iuxta Patrum consilium & Leuitarum praxim, de quibus scribitur quod *legebant librum legis Dei explanate & exponendo sensum, dabant intelligentiã per Scripturã ipsam.* Adeo vt de obscuris ex perspicuis iudicium fieri possit, imo ex antecedentibus & consequentibus dignosci an interpretatio quæ affertur loco conueniat. Quum in scripto reuera obscuro, interpretationi sola fides & dignitas interpretum auctoritatem vt plurimum conciliet, quia tunc mutua textus & commentariorum, verborum & sensus relatio non apparet, quod nemo dixerit de bonis ac sanis Scripturæ interpretationibus, quæ proinde obscuritatis condemnari non debet.

CAP. XI.

In quo tertia & quartæ obiectionis secundum vitium ostenditur.

NOn minus iniqua est tertia accusatio quæ Scripturam *ambiguitatis* arcessit; nam si Scriptura

2.Cor.10.5. Ioan. 9. 44. Esai. 54. 13. Psl. 19. Rom. 1.54. 2.Tim.3.16 2.Pet. 1. 19 Chrysost. hom. 3. de Lazaro Obiectio de script. obscuritate. Resp.

Scriptura ambigua fuisset & diuersarum interpretationum capax, qui fieri potuisset vt Apostolus Paulus *Iudæos ex Scripturis conuinceret*? An dicto ambiguo & ancipiti mens & conscientia hostis obdurati & obstinati cogi potest? quid? an Iudæi Beroenses Pauli doctrinam ad Scripturas examinare potuissent? Quod ambiguum est, & cuilibet sensui instar Theramenis cothurni aptari potest, regulæ vicem supplere nequit, quum hic non de regulâ Lesbiâ, quæ dirigitur potius quam dirigit, & in quemlibet sensum flectitur, sed de regulâ certâ, firmâ & sibi semper constante agatur. Quid inquam? nonne Dominus non solum auctoritate suâ vt Filius Dei vsus est, sed ipsa Scripturâ quum mortuorum resurrectionem aduersus Sadducæos probare vellet, idque tam graui argumento vt nullis Diaboli cauillationibus reuinci potuerit? An loco dubij & incerti sensus probare voluisset veritatem, quam extra omne dubium, omnemque incertitudinem ponere decreuerat? Quid? (nam & Patres testes proferemus) Annon Athanasius & Augustinus censent *ex antecedentium & sequentium comparatione cum præcipuo loci illius de quo agitur scopo, Scripturas cõtra hæreticos exponendas esse*; quomodo ex ipsis Scripturis ostendi posset, quod tamen quotidie fieri solet, falsam & hæreticam interpretationem cum Scripturâ non quadrare? Denique vestram conscientiam imploramus, an decet Scripturas ambiguas appellando illas eo dedecore atque ignominiâ afficere, vt oraculorum Satanæ nota illis inuratur? Tales vtique si fuissent, & tales illas credidisset Tertullianus, nunquam hæretici *lucifugæ Scripturarum*, ab illo vel appellati fuissent vel appellari meruissent. Quarta accusatio qua Scripturę *imperfectionis* arguuntur non minus improba est & iniqua, quandoquidem enim Scriptura in eum finem à Deo instituta est vt *hominem sapientem reddat ad salutem & ad omne opus bonum perfectè instructum*, doctrinam ad salutem necessariam dubio procul cõtineat oportet, finem suum alioqui non assequeretur, ac quum doctrinam hanc *adeo exactam & perfectam* polliceatur illa, aut testimonium eius non est à Deo, aut id, quod de se ipsâ testatur verum est; imo Deus expressè prohibuit Scripturę quicquam *vel addere vel detrahere*, si id vero locum habuit in Vetere Testamento, an in Nouo Testamento & completiore & perfectiore locum non haberet? Verisimile id non est. *Adoremus igitur*, vt loquitur Tertullianus, *Scripturarum plenitudinem*, nec vt ait B. Athanasius, *quicquam præter illas & super illas in iis quæ fidei doctrinam spectant audire vel admittere velimus*; nam quoad politiam & ceremonias in Ecclesiâ receptas, aliter sese res habet. Fatemur Patres se astrictos non existimasse ad illarum rationem ex Scripturis reddendam; sed maxima quoque pars ceremoniarum apud illos receptarum extinctæ sunt & vel in ipsâ Ecclesiâ Romanâ quæ tamen de traditionum ab antiquitate approbatarum & pro Apostolicis admissarum conseruatione tantopere gloriatur in desuetudinem abierunt.

Cap. XII.

In quo quinta obiectionis secundum vitium ostenditur.

QVinta quoque accusatio quâ Scriptura regula esse negatur, eo quod *eorum qui Scripturæ iudicio se stare profitentur dissidia componere nequeat*, supra modum iniqua est, non enim hic agitur de regulâ cui reapse se subiiciant, quicunque illi se subiicere velle simulant, neque de iudice cuius iudicio reuera stent quicunque se stare velle profitentur: donec Ecclesia hic in terris militabit, eiusmodi regula & iudex nunquam dabuntur. At inuenienda est regula, inueniendus est iudex, quorum iudicio & directioni quisquis se submiserit non diffideat ab illis qui idem cum illo faciunt. Alioquin etsi malitia & praua animi affectio non impediant quominus quis fingat se certæ regulæ cuius doctrina nota est stare velle, vt malæ suæ caussæ verisimilitudine aliquâ colorem quærat, hęc tamen vitia impediunt quominus illi reuera stetur, vt in exemplo hæreticorum supra citato patuit, qui Concilio Nicæno ac Patrum traditioni stare se velle profitebantur. Præterea regulam non quærimus quam quisquis seruat omnimodè seruet. Nouimus enim Patres ad Scripturæ exemplum & Ecclesię consensum sese composuisse, attamen quis illorum id exactè præstitit? omnes ab inuicem quæ est infirmitas humana, imo sæpè à seipsis dissident. Quisquis propterea dixerit Deum in Scripturis loquentem non esse iudicem, parili ratione concludere tenebitur nec Ecclesiam ipsam esse iudicem, sed hic agitur de iudice inueniendo, de regula quærenda quæ in pręcipuis saltem articulis illos conciliare possit qui veritatis cognoscendæ sincero desiderio feruntur. Magna fuere inter Christianos & Iudæos dissidia. Vtrique se Scripturarum regulam admittere contendebant: B. Paulus dicebat, *se nihil aliud docere quam quod Prophetæ futurū prædixerant*. Iudæi nullam aliam præter Mosis & Prophetarum doctrinam admittere volebant. An ideò Iudæos Scripturis refellere, illisque tanquam normâ vti destitit? Et quia Iudæi Mosis scripta iactantes cum Domino non consentiebant, qui hæc eadem scripta tanti imo pluris ac illi faciebat, an propterea illis dicere non ausus est. *Si crederitis Mosi, crederitis mihi. nam ille de me scripsit. quod si scriptis illius nõ creditis, quomodo verbis meis credetis?* Et paulò ante, *Ne putate me accusaturum vos apud Patrē, est qui accuset vos, Moses, in quo vos speratis.* Ioan. 6. 45.

Cap. XIII.

In quo sexta obiectionis secundum vitium ostenditur.

SI verò hæretici, vt sextæ accusationi respondeamus, Scripturam sibi vindicant, id verè & reipsâ ab illis non fit, sed tantùm in speciem, ac propterea, vt qui paralogysmos in Mathematicis committunt, quamuis scientiæ illius principiis vtantur, nihilominus iisdem principiis refelluntur, hacque de caussa illorum error Mathematices auctoritati & certitudini non præiudicat, sic hæretici quamuis vt hæresi suæ mantellum obuiam habeant, Scripturam in particulas discerpant & in suam sententiam detorqueant, aliter tamen quam iisdem Scripturis conuinci non debent; cuius rei insigne nobis in seipso exemplum reliquit Dominus noster quum tentatus à Satana qui Scriptura in illum abutebatur, eadem Scriptura tentationem repulit. Sic Sancti Patres ab hæresi impugnanda non destiterunt, donec illâ hoc Spiritus gladio cõtecerint, licet hæresis

Scripturæ vsum simularit. Certè hæretici hæresim primum in cerebro suo comminiscuntur, deinde illam in Scripturâ quærunt, quæ parum adeo illis fauet, vt si *de Scripturis solis quæstiones suas sistere velint, stare non possint*, vt inquiebat Tertullianus, qui si axioma suum firmè retinuisset Montani deliriis nunquam abripi se passus esset.

Tertull. de resurrect. carnis. *cap.* 3.

Cap. XIV.

In quo septima obiectionis secundum vitium ostenditur.

Concilia quod attinet; si Apostolorum tempore viueremus, hanc rationem vtique non improbaremus, nec illos rogare grauaremur vt ad lites nostras componendas in Concilium cogerentur, si quidem illorum qualitas, muneris authoritas, vel potius dona extraordinaria & Spiritus Sancti illis peculiariter adsistentis auxilium hanc illis prærogatiuam concederet vt infallibiliter iudicare, & *vellent & possent, ignorantia humana* non excæcaret illos ne veritatem possent agnoscere, nec Pontificis alicuius, Imperatoris aut Regum *metus* obstaret, quominus illam proferrent. Sed hodie res nostra eodem loco non amplius stat, illa *infallibilitas* non adest, Prophetas & Euangelistas non habemus, nisi quatenus sese nobis in scriptis suis exhibent; singuli Ecclesiæ Rectores seorsim errori obnoxii sunt, & omnes in vnum coacti, infirmitatis portionem secum afferunt; animi humani imbecillitas, affectus, rationes particulares illorum deliberationibus intercedere possunt & ita illorum oculos perstringere vt veritatem non videant, vel linguas ita vincire, vt illam non proferant. Testes hic ego laudo Concilij Tridentini commentarios, quos illi emiserunt vel quorum maximè intererat turpitudinem illius cælare, quique in hoc regno ad intercessionem quâ Concilium illud veritum fuit fulciendam & Ecclesiæ Gallicanæ libertatem conseruandam manifestè admissi sunt; Commentarios inquam quos in hodiernum vsque diem nullus mendacij arguere potuit; at hic quæritur, annon Dominus igitur auxilium suum frustra promiserit, si nobis adhuc de infallibilitate decisionum Concilij dubitandum sit? Absit, non enim dubitatur, sed liquidò & præcisè negatur Synodorum particularium infallibilitas; errasse fatemur & tamen suam Domini promissis veritatem constare asserimus, nec excipi potest, promissum infallibilitatis factum fuisse non Conciliis particularibus, sed generalibus & œcumenicis, nam Dominus promisit se æquè interfuturum duobus aut tribus *in nomine suo congregatis* atque integræ multitudini: si hoc promissum non impediat quominus duo aut tres errare possint, non faciet vtique vt de multitudine melius iudicemus. Quid igitur, annon Dominus promissis suis stabit, annon *iustificabitur in sermonibus suis? imo esto omnis homo mendax, vt Dominus verax & fidelis agnoscatur*, non solum enim multis, sed & duobus aut tribus Spiritus sui præsentiam & auxilium in deliberationibus promisit, *si in eius nomine congregentur*, illumque re verâ quærant. Sed quis illos dignoscere poterit, nisi ex constitutionum sanctitate, quæ si non adsit, non tenemur credere illos in nomine Christi conuenisse, ac proinde adeò excellentis promissi beneficium participasse. Id probe agnouit Augustinus quum Concilia vel vniuersalia corrigi & emendari posse fassus est. Quid prosunt igitur Concilia? Certè plerumque obsunt & nocent, nedum vt prosint, nam si bonorum numerus minor est, dubio procul multitudo præualebit, eritque concilium illud vnius & quadringentorum Prophetarum, habitum coram Iosaphato & Achabo, vbi vnus bonus à quadringentis malis, vt contra niteretur, victus & oppressus est. Qua propter religiosa beati *Athanasij* prudentia sese illis opponentis qui Synodos per speciem fidei reformandæ petebant satis laudari nequit, dum responderet, nos habere Scripturam *cæteris omnibus mediis* præstantiorem & ad hoc magis aptam ac idoneam, imo dubitare se quin maiorum multitudo in eiusmodi Synodis præponderare possit. *Gregorij Nazianzeni* tempore eo corruptionis res deuenerant vt à Procopio Imperatoris nomine ad Synodum citatus venire recusauerit, dixeritque, *se nullius Concilij finem lætum, faustumque vidisse.* Sed quum Concilium haberi potest compositum ex hominibus in Scripturâ versatis, gloriæ Dei studiosis, pacis Ecclesiæ amatoribus, dubium non est quin eiusmodi cœtus multum fructus proferre possit, quia quæ difficilia sunt explicare potest, non quidem auctoritate suâ, sed eruditione ac industriâ, ceu quum fenestra manu validâ & agili aperitur, quæ antea clausa manebat, debiliores & minus industrij qui illam aperire non poterant solem vident ac aperturam, non propter aperientis auctoritatem, sed propter illius vires & industriam, quæ sese effectu visibili & sensibili produnt & exerunt. Sed eiusmodi Concilia optanda potius sunt hodie, quam expectanda quum vitiorum illud diluuium quod vniuersum orbem Christianum inundauit, horrendam hanc in nos pœnam attraxerit. Tale fuit primum illud Concilium Nicænum cui Scriptura sola iudicij norma & amussis fuit, quod nec examen nec probationem vnquam subire recusauit, vt testatur B. Athanasius, aliis quibusdam Conciliis vel potius conuenticulis modestiæ huius exemplum proponens, vt pudorem illis exprimeret & superbiam retunderet; Ac sanè notatu dignum est Patres profiteri se Concilij Nicæni aduersus Arrianos auctoritate vti nolle, sed Scripturæ cui Concilium Nicænum innititur. Quid inde igitur inferemus, nisi approbanda nobis esse bona Concilia, & illorum constitutiones reuerenter admittendas, non ideò quia errare non potuerunt, sed si non errauerint, & ita quum de iure quæritur contra hæreticos argumentandum, *Concilium ita iuxta Scripturam decreuit; verum igitur est*, non autem hoc modo; *Concilium sic decreuit, Res ergo ita sese habet.* At quum de facto quæritur & de historiâ vt de eo quod creditur & generatim atque vniuersè à maxima parte admittitur iudicium fertur, ex Concilij Oecumenici determinatione generalis fides inferri potest, & ad hoc vtilia quoque sunt Concilia vt hæretico qui Ecclesiæ consensum prætendere, & hoc pacto infirmis scandalo esse potest os occludatur; sic enim omne offendiculum facillimè tolletur. Profectò si Concilia decreta sua propter auctoritatem suam simpliciter, non autem propter illorum veritatem potius & cum Scripturis conformitatem probari & admitti voluissent, actis suis nec loca Scripturæ, nec rationes quibus

Nazianz. epist. ad Proc.

nitebantur

nitebantur inseruissent, nec rerum omnium in illis gestarum narrationes nobis reliquissent, sed Canones tantum sine vllâ aliâ declaratione inseruissent; quum hac viâ non procederent, decretorum suorū rationem reddere nobis voluerunt, seque non *auctoritatis supremæ* vsurpatione, sed veritatis declaratione & explanatione commendare, ne nostra fide hominum, sed Dei viuentis auctoritate niteretur. Ac sane cui Bono, Biblia in Concilio mensæ imponuntur? annon vt in confesso sit auctoritatem illius lege dirigi Et quemadmodum in statu politico, iudex qui principis legem pro regulâ habet, ex legis illius præscripto iudicare debet & iudicij sui rationem reddere tenetur, ita Conciliorum est secundum scripturam præcipere & conscientiæ, quatenus in se est se ex illius præscripto iudicasse ostendere tenentur; At Concilia saltem, inquies Iudices sunt subalterni. Fac esse. At iudicem supremum quærimus, iudicem à quo prouocare non liceat, iudicem infallibilem. Hæc auctoritas, hoc priuilegium Conciliis tribui nequit; Iudicem quærimus qui de sellâ ac tribunali perpetuo pronunciet, ad quem quolibet tempore aditus nobis pateat; ita autem esse Concilia nequeunt.

CAP. XV.

In quo octauæ obiectionis secundum vitium, ineptiam & absurditatem quod attinet, ostenditur.

SVperest vltima quæstio decidenda, nempe an *iudicij humani incertitudo possit facere vt Deus in scripturis loquēs idoneus nō sit qui in causa nostra iudex sedeat*, quandoquidem sciri nequit nec quis habeat, nec an habeatur Spiritus sanctus. Atque hic primum respondere possemus, in re de quâ agitur non opus esse scire immediatè & *à priori* vt scholæ loquuntur, quis spiritum habeat, sed tantum *quis iuxta scripturā loquatur*. Quod vbi ex scripturarum cum iis quæ proponuntur collatione innotuerit, facile inferri & iudicari potest, nisi ira & malitia animum impediant, quis Spiritus verba proponat, ac proinde *à posteriori* vt loquuntur, discernere quis spiritum habeat, præsertim quum vbi de pastoribus & doctoribus agitur, nemo verba spiritus proferat quam quibus, vt aliunde impij sint ac scelerati, illa spiritus suggessit. Ita vt quæstio ad quæstionem facti redigatur, nempe quis ea quæ scripturis continentur proponat, quæ quæstio deciditur doctrinam propositam ad scripturæ examen reuocando, vt ædificij proportio normæ & amussis applicatione dignoscitur: e. g. Iudæi Beroënses non inquirebant directe & *à priori*, an quum Paulus illis concionabatur à Spiritu S. inspiraretur, nec ne. Hoc vtique ab illis fieri non potuisset, quum cordium scrutatio solius sit Dei; sed tamen inquirebant an Paulus iuxta scripturas loqueretur, & quum ex doctrinæ Paulinæ cum scripturis collatione mutuam conformitatem & analogiam deprehendissent, de re ipsâ verè iudicarunt, Paulum non à se ipso, sed spiritu loqui. Quinimò ipsi Antiqui congredientes cum hæreticis, qui ad scripturæ regulam loqui videri volebant, coram iudice ethnico causam suam agere non detrectarunt, qui etsi propter infidelitatem, cum quibus veritas faceret pronuntiare non posset, feliciter tamen pronuntiabat quinam scripturis quas vtrique testes producebant conuenientius loquerentur. Id autem nobis hodie in controuersiis nostris sufficit si enim nobis de illo constiterit qui iuxta scripturas loquitur, quum nullus qui se Christianum esse profitetur scripturam in dubium reuocet, euidens erit conclusio, illum nempe, quisquis tandem ille fuerit, secundum veritatem & à spiritu veritatis loqui; Multum inter se differunt, religionis Christianæ principia credere & iudicare quis illis principiis conuenientius doceat. Ad primum omnino necessaria est fides & spiritus sancti illuminatio; In altero solus sensus communis requiritur; Vt scripturam veram esse credamus quum Deum vnicum esse docet, Patrem Deum esse, Filium Deum, & Spiritum sanctum pariter Deum, Patrem nec Filium esse, nec Spiritum sanctum, nec vtrumque, fides omnino requiritur; sed vt inde inferamus naturam Dei vnam esse numero, personas Trinitatis distingui, non diuidi, & eandem naturam communem habere, solus sensus communis sufficit qui antecedentis veritate positâ, quæ dubio procul nonnisi fide percipitur, consequentiam nunquam negabit. Frustra igitur quæritur quis de consequentiis iudicabit, vt si postquam ex historiâ didicerimus qui in exercitu cohortium numerus fuerit, quis militum in vnâquâque cohorte, quis turmarum atq; adeo equitum ipsorum in vnâquâq; turmâ, quæratur deinde quis iudicare possit an deinde militum omnium numerus bene colligi potuerit. Similiter si ex scripturâ probare possumus id quod Christus discipulis suis dedit panem fuisse fractum & ex eâdem scripturâ probemus corpus Christi in Eucharistiâ non frangi, multo minus corpus illud panem esse fractum, quærere postea quis inde iudicare & inferre possit Dominum corpus suum in Eucharistâ externè non dedisse, idem est ac quærere est quis sensu communi præditus sit. Ita quum Apostolus ait, *gratiâ seruatos nos esse per fidē, & hoc non ex nobis, sed Dei donū esse nō ex operibus, vt ne quis glorietur.* Si hic quæratur quis iudicare possit an inde bene inferatur nos non operum nostrorum merito seruari, sed fide: in gratiâ illâ quam operibus nostris meriti non sumus acquiescentes, annon idem est ac si quæreretur qui sciri possit an mente valeamus. Si vero consequentia adeo obscura sit vt difficulter de illâ iudicari possit, certissimum est argumentum & iudicium nullam inde consequentiam deduci posse, ea enim est consequentiæ natura vt vel à Logicæ omnis præterquam naturalis imperito non agnosci & *admitti* omnino non possit.

Consequentiorum iudex.

Eph. 2. 5.

CAP. XVI.

In quo octauæ obiectionis secundum vitium, falsitatem quod attinet, ostenditur.

AT si vlterius quis progrediatur & quærat rationē quâ sciri possit, an *scriptura sit exemplar declarationis voluntatis diuinæ* quandoquidem sciri nequit nec quis habeat, nec an habeatur spiritus Dei, in promptu erit responsio, illum qui nescit an spiritum habeat, necne, non esse Christi, mirum itaq; videri non debere si vocem Christi non agnoscat; Sed quicunque sunt Christi,

ſpiritus Chriſti participes ſunt, *quod ſi quis ſpiritum Chriſti nō habet, is non eſt eius, quotquot filij ſunt Dei, ſpiritu Dei aguntur, Non enim acceperunt ſpiritū ſeruitutis rurſus ad metum, ſed ſpiritum adoptionis clamantem in cordibus illorum Abba Pater, & ipſe ſpiritus teſtatur vna cum ſpiritu illorum, illos eſſe filios Dei, illoſq; in diem redemtionis obſignat, illiſque eſt ſpiritus ſapientiæ & reuelationis, Oues ſunt Chriſti, Paſtoris ſui vocem auſcultant & agnoſcunt, illū ſequantur, ſed vocem alienorum non ſequuntur, ab illis recedunt, quia vocem illorū non norunt; Pater illos ad Chriſtum trahit; Edocti ſunt à Deo: A patre didicerunt, ſpirituales ſunt ac propterea ea quæ ſunt Dei capiunt, quia a ſpiritu illis reuelata ſunt & ſpiritualiter dijudicantur. Vnctionem a ſancto acceperunt & omnia cognoſcunt. Deus legem ſuam cordibus illorum indidit. Chriſtus in illis per fidem habitat, corpora illorū templa ſunt ſpiritus ſancti*; Qui vero tantis, tamq; præſtantibus diuitiis aucti ſunt, an diuitiarum illarum quibus abundant præſtantiam ignorabunt? Qui tantâ luce perfundūtur, *quos Oriens ex alto viſitauit, ſuper quos lucem faciei ſuæ extulit, quorum ſol eſt & ſcutum, ſol iuſtitiæ cum curatione in alis ſuis, quorū oculos illuminauit*, an ſe videre, an ſe in luce ambulare dubitabunt? Homo naturalis ſuâ ratione ſe ratiocinari intelligit, quidni ergo ſpiritualis ſpiritu ſpiritū ſe habere intelligat? At inquies, quot iactabundi ſpiritum ſe habere arbitrantur, ac tamen turpiter falluntur? quot ſpiritu præditi ſunt, ac tamen in iudicio ſuo ſæpe errant? Vtiq; ſic res habet; Sed annō vel maligne vel inconſiderate admodū inde infertur neminē cognoſcere poſſe vel iudicare, & ad ſalutē certo diſcernere ſpiritualia quę Deus ſuis verbo ſuo extrinſecus & ſpiritu ſuo intrinſecus reuelat?

Quot enim inter homines gloriantur & falsâ prudentiæ opinione ſeipſos decipiunt, quum reuera imprudentes ſint & ſtolidi? qui tamen hinc inferre vellet virum reuerâ prudentem ſcire non poſſe an ſit prudens, non ſolum Academicam, ſed & Pyrrhonianam epochen introduceret. Si igitur hominis fatui vana iactantia officere nequit certitudini ſenſus quem de prudentiâ ſuâ habet vir prudens, non magis hominis hypocritæ falſæ perſuaſiones ab illuſionibus ſatanæ procedentes concutere poterunt certitudinem perſuaſionis procedentis ex ſenſu ſpiritus habitantis in corde hominis ſpiritualis, & vti diximus, ſpiritui illius teſtimonium reddentis, imo motuum illius cum ſcripturæ verbo conformitas certum illum & confirmatum reddit, & ſenſum illius à falsâ ſatanę illuſione quæ nullam præter ſe regulam habet apertè ſecernit. Ab eodem aut malitiæ aut imprudentię fonte promanat hæc illatio, eos qui ſpiritum acceperūt nullum certum in reb. ad ſalutem neceſſariis iudicium ferre poſſe, eo quod interdum errent; prudentiſſimi enim quique in rerum ciuilium notitiâ, contra prudentiæ regulas peccare poſſunt, quis tamen inde neget prudens & certum conſilium ab illis dari poſſe? Certum, inquam, conſilium, iuxta prudentiæ regulas, euentum enim, qui ſæpiſſime prudentiæ conſilij repugnat & temeritati fauet, nemo præſtare poteſt. Docti multa ignorant, ſed non ea quæ neceſſaria ſunt, vt hoc nominis mereri poſſint. Quemamodum igitur viri cordati à ſtolidis non differunt eo quod nihil vnquam ſtulti committant, ſed eo quod neque ſolentes, neque enormiter id committant, & quemadmodum diſcrimen inter doctum & indoctum non in eo, quod in ſcientiâ quam profitetur præcipuum eſt, conſiſtit; ignarus contra aut nihil omnino aut parum valde de illâ nouit, & ſi quid quantulumcunque nouerit, id reuera, vt ita dicam, non nouit; Ita diſcrimen inter hominem ſpiritualiter doctum & indoctum non in eo ſitum eſt, quod homo ſpiritualis numquam erret, ſed in eo quod neque enormiter, neq; ſolenter erret, non in eo quod omnia ſciat & nouerit, ſed in eo quod omnia ad profeſſionem ſuam neceſſaria nouerit, quum ſpiritualiter ſtultus & indoctus fere ſemper erret, ſolens erret, ignoret ea quæ ſibi neceſſaria ſunt, vt is ſit quem videri vult, quemque ſe eſſe profitetur. Quemadmodum præterea toto cælo diſtant ſtulti ac ſapientes in vitâ quotidianâ, docti & indocti in bonarum literarum cognitione, ac tamen omnes id genus ſapientes, non æqualiter ſapiunt, nec docti æqualiter docti ſunt, imo nullus vel in ipsâ prudentiâ ac ſapientiâ humanâ & ſæculari perfecte prudens eſt & doctus, tantum inter ſe quoq; diſtant quos Deus ſui notitiâ illuminauit & quibus Deus huius ſæculi intellectus oculos excæcauit, nec tamen vllus illorum ad ſummum perfectionis gradum cōſcendit. Inferimus ergo, quemadmodum ij qui Domini non ſunt, de ſpiritu eius certi eſſe nequeunt, nec proinde verbum eius ad ſalutem diſcernere poſſunt; ita quoque omnes qui ſunt illius, ſpiritus efficaciam in cordibus ſuis ſentire, non ſecus ac rationis vſum experiuntur; & ſpiritu de rebus ſpiritualibus in verbo propoſitis iudicare, quemadmodum ratione, ea, quæ ratione capi poſſunt, diſcernunt. Satis eſt nobis probaſſe fideles regulam certam in ſcripturis habere.

CAP. XVII.

In quo ſuperiorum omnium objectionum vitium tertium oſtenditur.

ATque hiſce rationib. duo prima vitia quibus octo ſuperiores obiectiones laborant abunde indicaſſe nobis videmur. Tertium indicandum ſupereſt, nempe *tendere illas ad Chriſtianæ religionis euerſionem*. Vt igitur ad rem veniamus primum cōſideremus hunc eſſe illorum ſcopum, Chriſtianum de religione ſuâ & rebus credendis ex ſcriptura nihil certi habere poſſe, quia *muta eſt obſcura, ambigua imperfecta, nec vllam vel illi ſe ſtare velle profitentiū animis certitudinem ingenerare, imo in hæreticorum gratiam ſæpe citari poteſt*. Si execranda hæc opinio hominū mentibus ſemel inſederit quæ impudenter & ore & ſcriptis hodie proponi ſolet, quid quæſo Eccleſiæ authoritati quę ſcripturâ nititur fiet? Si adeo debile fuerit fundamentum, annō itidem ædificium collabaſcet? ſi Chriſtianus nec poſſit nec debeat ſcripturâ niti propter imperfectiones illas quæ obtenduntur, quâ fiduciâ Eccleſiæ authoritate nitetur, quæ, ſi locum habuerint hæ obiectiones nullo alio quam adeò imperfecto fundamento inædificatur. Si vero vtrumque hoc fidei fulcrum defecerit, ſcripturæ nempe & per conſequens authoritatis Eccleſiæ ſcripturâ fundatæ (vt neceſſario fundamento ſuffoſſo qui muro innituntur cum muro corruunt) quid religionis Chriſtianæ authoritati & certitudini fiet? De Eccleſiæ iure diſputatur,

Ecclesia vero scripturam vel vt filia, Testamenti paterni, vel vt sponsa, nuptialium tabularum exemplum profert: & Testamentum illud mutum, obscurum, ambiguum, ancipitis sensus esse deprehenditur, quodque nihil de Ecclesiæ iure explicare possit, imo contra aduersus illam citari queat. His ita se habentibus quodnam erit fundamentum? quænam authoritates? quænam iuris Ecclesiæ demonstrationes? Vtique, si obiectionibus fides habeatur, demonstrationes mutæ, ambiguæ, obscuræ, imperfectæ? ac proinde annon de iure illius derogabitur, penitus illud infringitur, nedum vt authoritas illi concilietur, & legitimum esse euincatur. Quis vero non existimet Ecclesiam malâ fide agere tantam sibi auctoritatem vindicando, eamque tam debilibus argumentis fulciendo? Aut quis illam, veram Ecclesiam esse credet, verúmque Dei populum qui Testamentum, qui fœderis cum Deo pacti tabulas profert quas profitetur verbis mutis, obscuris, ambiguis, in quamuis partim flexibilibus, imo quæ contra se produci queunt, conceptas esse? Hic quantos risus edent athei? quomodo eheu! concutientur conscientiæ illorum qui hanc obscuritatis, ambiguitatis & imperfectionis scripturarum opinionem credunt & admittunt.

Consideremus secundò illos huc collimare, vt omnes Christiani suspensi & incerti obscurâ spe pendeant, hisce rationibus probare conantes in rebus ad religionem spectantibus hominem iudicio suo diffidere semper debere: quo semel posito, quî scire ille poterit, annô fallatur dum Ecclesiam aliquam esse credit? Atque hic scriptura suppetias aduenire nequit, nihil enim certi ab illâ suppeditari posse præsupponitur: & fundamentum hoc positum est, Christianum audientem, legentem, meditantem scripturam falli posse & decipi. Nec magis ad Spiritus sancti testimonium hic confugi potest. Obiectio quippe præsupponit sciri non posse nec quis habeat, nec an habeatur Spiritus sanctus. Nec authoritas quoque Ecclesiæ proferri potest; quæritur enim an aliqua omnino extet Ecclesia. Quemadmodum igitur dubitanti an vllus omnino Papa in terris extare debeat, absurdum foret id ipsius Papæ Testimonio persuadere velle, sic vbi probandum est Ecclesiam aliquam extare, frustra Ecclesiæ testimonium adducitur. Si igitur religio Christiana nec scripturâ, nec Spiritus sancti, nec Ecclesiæ testimonio fundetur, vt ex iis quæ obijciuntur, necessariò sequitur, quo tandé nitetur fundamento? An philosophiæ? Multo minus. Nam si Christianus spiritu iudicare nequit an vlla extet Ecclesiæ, quia nescit an spiritu præditus sit, necne, neque quicquam eâ de re certi habet, quâ ratione id fliiudicaturus est, quæ sine spiritu in rebus spiritualibus plane cæca est.

Tertiò consideremus hîc de notis Ecclesiæ disputari, & quæri quænam illæ sint? alter in hanc, alter in illam sententiam abit. Vnde certa hauriri poterit cognitio? An ex scripturâ? At obiectio id fieri non posse præsupponit: An ex Ecclesiâ? Nihilo magis: Nam Ecclesiam illam esse adeo parum constat, vt de eius notis vtpote controuersis, disputetur.

Quartò, fac de notis illis nobis constare, attamen iuxta obiectionem quâ homines incerti dimittuntur, cuinam cætui applicandæ illæ forent discerni non posset, quum tot tamq; diuersi cœtus illas sibi vindicent; Hæc est enim obiectionis hypothesis, nos hic scripturâ duce dirigi nô posse & in optione faciendâ in procliui esse hallucinationem, Ecclesiæ quoque testimonium nihilo magis nobis prodesse, nisi prius veris Ecclesiæ notis illam insignitam esse præsupponamus; sed in hoc controuersiæ cardo vertitur. Quæritur enim in quâ Ecclesiâ Ecclesiæ notæ deprehendantur; Alicuius verò Ecclesiæ testimonio niti, præsupponit iam constare in qua Ecclesiâ Ecclesiæ notæ deprehendantur.

Quintò consideremus nullo modo secundum obiectiones eum qui ad Ecclesiam côuersus fuerit de religione suâ certum esse posse. Si enim argumentis legitimis conuictus non fuerit, nec eius professio quæ conscientiæ conuictionem sequuta est legitima quoque esse poterit. Certissimum est si conuersi fides Ecclesiæ authoritatem pro fundamento habuerit, conuersionis illius fundamentum legitimum non fuisse, Ecclesiæ enim authoritas persuaderi illi non potuisset ipsius Ecclesiæ testimonium proferendo; scripturæ verò & rationis allegatio, iuxta hypotheses, legitima non est conscientiæ ex impeditâ expeditæ faciendæ ratio. Authoritas igitur Ecclesiæ in cuius agnitionem adductus est his argumentis fundata non potest non debilis & illegitima esse, ac proinde infirma & illegitima quoque sunt omnia quæ hâc authoritate quam Ecclesiæ defert, ductus credidit. Ac sane si conuertendus Ecclesiæ authoritatem in dubium reuocat, an id illi de quo dubitat probabitur, per illud ipsum de quo dubitat? Conuersionis ergo illius ad Ecclesiæ agnitionem argumenta, Ecclesiæ ipsius authoritas esse non potuerunt. Si nullus itaque de conuersionis suæ fundamento certus esse possit nihilo magis de iis quæ fundamento superstructa sunt certus erit.

Sextò consideremus Ecclesiam quæ vocatur Catholica nunquam loqui viuâ voce: homines priuati illius sunt præcones. Quæritur ergo qui constare possit illos munere suo fideliter fungi quum errare possint doctrinam sententiæ quam tuetur Ecclesia contrariam proferentes. Non vtique ex scripturâ, nam iuxta obiectionem verum à falso illius operâ discerni nequit. Non Ecclesiæ Testimonio, non enim illa loquitur nisi per priuatos de quibus dubitatur an Ecclesiæ decreta fideliter referant.

Septimò consideremus si fidei fundamentum fuerit Ecclesiæ authoritas, singulos credituros propterea quod alij crediderint: atque ita Christianam religionem ridiculam redditum iri; quum enim Ecclesia sit hominum cœtus, quorum singuli fidem suam cœtus illius cuius sunt membra authoritate fundant, necessariò sequetur singulos illorum seorsim credituros quia omnes simul crediderunt.

Octauò consideremus horrendâ ac prodigiosam illam absurditatem nos Trinitatis, incarnationis, redemtionis mysteria non nisi ex relatione credituros, quia scilicet maiores nostri, propinqui & populares id ita crediderunt; nec credemus illos Ecclesiam Dei fuisse, nisi propterea quod hoc de se testimonium tulerunt, quod æquo iure sibi Iudæi vindicauerint, si scripturarum authoritas repudietur.

Postremum autem hoc obiectionum vitium demonstrauimus, non vt quenquam irritemus, Deum in hanc rem testem citamus, sed vt, si fieri possit, ostendamus in quæ & quam execranda absurda imprudentes præcipitent quidam illorum qui eiuscemodi obiectionibus à *Dei in scripturis loquentis* iudicio, ad hominum Ecclesiæ titulum obtendentium iudicium auertere nos voluerunt; Adde quod certissimum est illum qui hæc præcipue vrsit, si de homine ex eius scriptis iudicandum est, hunc sibi scopum proposuisse vt Atheismi fundamenta iaceret, quum de Romanâ religione subuertendâ alioqui non cogitaret. Gallus erat & quietis publicæ amans, cui prospici nouerat, si religio maxime grata & in vulgus recepta seruaretur. Non miramur itaque illum religionem Romanam publice commendasse, hâc enim ille victum quærebat. At illum scriptis suis omnis religionis contemptum prodere ausum fuisse, id verò summopere indignamur.

Cæterùm iudicij quod à Doctoribus qui se Catholicos profitentur de scripturâ fertur iniquitatem euicimus; speramus quoque cognitu facile fore vel nobis ab illis *illudi*, vel ad *impoßibile* nos cogi quum iudicium ad Ecclesiam defertur; Vtique nobis *illudunt*, si per Ecclesiam seipsos intelligant, quandoquidem enim aduersarij nostri sunt, iudices esse nequeunt. Quod *fieri nequit* à nobis postulant si per Ecclesiam intelligant corpus mysticum Domini nostri cui tamen soli facta sunt promissa: Quis enim huius corporis membra, illo solo qui caput est excepto, distincte designauerit? Quis igitur illa simul cogere possit? Id verò si fieri nequeat quomodo hæc Ecclesia iudex erit ille quem quærimus? Iudex loquens, iudex notus, ad quem omnes possint confugere, à quo omnibus satisfieri possit. Ac ideo rogemus petere vt ad hunc iudicem non suspectum & ab vtrisque agnitum *Deum* nempe *in scripturis* loquentem rejiciamur. Concludamus igitur cum Optato Episcopo Mileuitano, *Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt iudices? Si Christiani, de vtraque parte dari non possunt; quia studiis veritas impeditur. Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si iudæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium de cœlo quærendus est iudex. Sed vt quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hîc in Euangelio testamentum. Quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari: tale est, quod quiuis hominum habens numerosos filios. His, quamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis: non est adhuc necessarium testamentum. Sed quomodo terrenus pater, quum se in confinio senserit mortis timens ne post mortem suam, rupta pace litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum. Et qui in tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur viuus; is, cuius est testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas eius velut in testamento, sic in Euãgelio inquiratur. Etenim*, vt inquit Chrysostomus, *Siquid sine scriptura dicatur auditoris animus fluctuat, modo assentiens, modo dubitans, modo verbum vt friuolũ respuens, modo vt verisimile admittens: At quũ vocis diuinæ ex scriptura testimoniũ depromitur, tam loquentis verba, quam auditoris animum confirmat. Nonne præterea absurdum foret*, inquiebat idem Chrysostomus, *alteri non fidere quum de pecuniâ numerandâ agitur, sed ipse numerare velle, & tamen quum de hisce rebus agitur, violenter quasi & temere in alterius opinionem abripi se pati præsertim quum stateram exactam, regulam & amußim, scripturarum nempe sacrarum declarationem præ manibus habeamus. Itaque vos omnes obtestor vt iis, quæ huic, illive videntur, omißis, scripturam hisce de rebus consulatis.*

lib. 5.

Gal. 6. vers. 16.

Quicumque secundum hanc regulam incedent, pax esto super eos & misericordia & super Israelem Dei. AMEN.

CAPITVM

CAPITVM HVIVS LIBRI

INDEX.

AMICA COLLATIO
DE
GRATIAE ET VOLVNTATIS
HVMANÆ CONCVRSV IN VOCATIONE
& quibuſdam annexis,

INSTITVTA INTER

CL. V. DANIELEM TILENVM

ET

IOHANNEM CAMERONEM.

VIRO VERE NOBILI,
D. HIERONYMO GROSLOTIO LISLÆO,
IOHANNES CAMERO S. P. D.

NOBILISSIME VIR,

AVDIO dissidia inter vos esse; & aliquam partem credo; Oportet enim inter vos etiam hæreses esse, vt qui probati sunt fiant manifesti. *Verba sunt B. Pauli, neque temerè prætereunda, neque leuiter & oscitanter obseruanda, sed animo penitùs infigenda, & seriâ atque assiduâ meditatione recolenda. Sic enim ferè vsu venit, vt externis malis pij minùs commoueantur; aut certè hactenùs duntaxat, vt ea ferant moderatè: at iidem tamen intestinis & domesticis Ecclesiæ dissidiis vehementissimè vt plerunque perturbantur; idq; nec iniuriâ fortasse. Nam vt in morbis & doloribus corporis, ij demùm grauissimi sunt multóque maximè metuendi, quorum vis, vehemens illa quidem, sed latens, atque abdita in intimis visceribus grassatur: sic etiam illæ contentiones, quæ à fratrûm dissensionibus ac mutuis odiis proficiscuntur, & acerrimæ sunt & inprimis reformidandæ: Nulla enim Respublica, nullus hominum cœtus laceratus atque scissus in partes inter se commissas & pugnantes diu stare potest; quin omnem societatem, quæcunque tandem illa sit, si viribus aduersus se vtatur suis, si ipsa sui hostis est, etiamsi ab externo hoste nullum omninò periculum immineret, dissipari & concidere necesse est. Itaque turbulentis Ecclesiæ temporibus gliscentibus partium studiis, quæque partium studia sequuntur, odiis, illa B. Pauli, seu potiùs Spiritus sancti admonitio, non vtilis modò, sed pernecessaria est, ne percellamur animis, aut æquo vehementiùs perturbemur, si quando schismata & hæreses ipsa Ecclesiæ veluti penetralia occupasse videmus; neu ad id malum (quod plerique faciunt proh dolor!) vel stupeamus attoniti, vel trepidemus animis, ac si de religione actum foret, aut cœlum ipsum ruinam minaretur: Nam quæ noua & insitata sunt, vt si pulchra sunt eadem & specie visenda nos in admirationem rapiunt; sic etiam si portentosa sunt & enormia conciliant horrorem; At quæ non sunt insolita & peregrina, sed solemnia & consueta, pessima sint licet in se, mira tamen non videntur. Itaque vt acciderunt, non dejiciunt statim mentem de gradu. Iam verò cur nobis insolens videatur quod futurum, & verò necessariò futurum, Spiritus Sanctus multò ante denunciauit? Dissidia igitur oboritura cùm Scriptura prædixerit, nosq; eâ de re disertis verbis commonefecerit, quenquam ne æquum est, id si euenerit, grauiùs commoueri? non commoueamur potius, si non eueniret?* Oportet enim, *inquit Apostolus*, etiam inter vos hæreses esse. *Dixerat quippe* se partem eorum, *quæ de Corinthiorum discordia acceperat*, credidisse: *Sic verò rationem reddit suspicionis suæ, ne temerè & credulitate animi inductus eò deuenisse videretur, nempe, improuisa atque inopinata, nisi oculis subjiciantur, haud facilè creduntur; Præuisa contrà & quæ animus præsensit, nunciata, statim & fidem impetrant, & mentem minimè perturbant. Quod vtinam quàm est vulgatum atque omnium ore iactatum, tam esset mediatum, atque ab inani speculatione ad vitæ vsum traductum; Quotus enim quisque est, qui contentionibus istis, quæ nuper exortæ sunt, non fuerit magnoperè perculsus, iis maximè in locis in quibus illæ viguerunt: Tanta profectò (vt Tertulliani verbo vtar)* mirionum *turba derepente extitit, vt multi de certitudine fidei, ac religionis Christianæ cœperint dubitare, multi (& illi quidem viri minimè mali) titubarint animo & hæsitarint, dùm nunc huc, nunc illuc impelluntur veluti vento ac tempestate variarum ac pugnentium opinionum; quæ conditio miserrima est & coniuncta cum summa sollicitudine atque anxietate: Multi denique sacrarum literarum studio addicti conatus suos damnârint, & cognitionem rei tantæ tanquam imperuestigabilem insuper habuerint. Vnde sequuta est florentissima Reipublicæ perturbatio, penè etiam euersio atque extremus occasus; Vt nihil est, vel ad conciliandos inter se hominum animos, vel ad alienandos religione potentius: Tantum interest scilicet auscultare Paulò, non modò schismata & hæreses fore, sed vt sint necesse esse nos monenti, simulq; de fœlici euentu earum turbarum, quæ inde*

oriuntur, nos certiores facienti: Nihil enim vel facit Deus, vel omninò finit fieri, nisi sapienter & optimo fine, quem semper assequitur: ne Deum nobis fingamus oscitantem & otiosum humanarum rerum, vt alienarum spectatorem, multò minùs imbecillum & viribus defectum. Itaque Apostolus horum tumultuum, quibus Ecclesiam patitur Deus vt nauim fluctibus, agitari, lætum exitum demonstrat; quando sic fieri ostendit, vt qui probæ sunt notæ, quiq; anteà latebant, in lucem producantur, atque in aperto & edito loco constituantur hominibus & Angelis visendi & admirandi: quo theatro nullum dici aut cogitari animo potest illustrius aut magnificentius: Etenim fatali quâdam naturæ necessitate, vt plerumque. Verum *ex hominum consensu metimur, præsertim verò in religionis negotio. Id verò inde proficiscitur, quòd etsi animis nostris insitus sit quidam religionis sensus, tamen in hac ingenij prauitate ac cæcitate innata, nec quæ sit vera religio ipsi deprehendimus, nec ab aliis deprehensum atque commonstratum facilè agnoscimus. Vnde fit, vt, in hoc genere præcipuè, de veritate ex autoritate hominum, non ex veritate de hominum autoritate iudicemus: Qua in re ad cæcorum exemplum sese componere videntur miseri mortales, qui lucere Solem tum demùm se habere pro explorato & comperto arbitrantur, cùm vulgò id dici audiuerunt: nam vt Sol & reliqua sydera tùm cernuntur, cùm ea lux quum diffundunt spectantium oculis admittitur; sic Veritas, quæ naturâ Sole illustrior est, tùm demùm conspicitur, cùm suâ luce, se præbuit conspiciendam, non testimonio alieno. Et certè hoc facit apud nonnullos (si minimè apud omnes) qui vt noti sint atque manifesti fiant in religionis causa, sinit turbari Deus hominum consensum, vt qui adducti authoritate humana Veritatem amplexi sunt, qui verò ipsa Veritatis vi expugnati ei cesserint, agnoscantur. Verumenimverò, quia contendendo & altercando Veritas non modò obscuratur, sed etiam amittitur, nos decet pro virili parte omni studio & ope in hanc curam atque cogitationem incumbere, vt quoquo modo Veritatem à calumniis vindicemus, easque tenebras quas in perniciem suam ingeniosa hominum vafrities offundere tantæ luci conata est, depellamus. Atque hæc illa est officij nostri ratio quæ nos excitauit & adhortata est, vt pro mediocritate nostrâ (si tamen aliquid vel mediocre inest nobis) studeremus veritati laboranti succurrere: quamquam illa, nisi opinione hominum, nunquam laborat, in se fortis & inuicta; Sed tamen nos id conamur vt ne laborare videatur: in quo conatu si nihil aliud spondere possumus, certè reddemus fidei nostræ rationem, vt confidimus in Domino. Quod non erit nihil omninò præstitisse, quando ea sunt Ecclesiæ tempora, vt qui idem sentiant cum fratribus de religione, attamen in Heterodoxiæ suspicionem, à quibus id minimè oportuit, deuocentur, pessimo exemplo, haud nouo tamen, cùm priscis Ecclesiæ temporibus, iisque adeò quæ illa tempora proximè consecuta sunt, idipsum contigerit; Ne quis (cuius hæc est sors) animum despondeat, aut criminetur vllus eam Ecclesiam falsam esse quæ hoc morbo tentatur, si tamen nil aliud subest: nam vt sæpè malignitate, sic quandoque nimiò Zelo incogitantiâ & cæcâ quâdam charitate in viros bonos etiam à bonis Viris peccatur.*

Cùm igitur nulla hodie celebrior aut disputationibus hinc inde magis agitata atque inuoluta & implicata quæstio sit, quàm ea quæ de Libero Arbitrio hominis, liberâque Dei gratia & Electione suscipitur, Gaudeo singulari quâdam Dei prouidentiâ contegisse, vt cum Clariss. Viro Daniele Tileno mihi fuerit disserendum; Nam inter eos, qui modò veram ac puriorem religionem profitentur, in reliquis conuenit; nisi fortè quis, nescio quid, quod non audet profiteri, monstri clàm apud se alit ac fouet. Quanquam id non libet, suspicari; Non est enim nostrum arcana rimari, pertinet ea res ad Dei, qui ipsa inspicit præcordia, iudicium. Et est cæteroqui huius quæstionis definitio res minimè leuis & inanis, sed maximi momenti vel ad subleuandam conscientiam deiectam, vel ad animum stantem confirmandum, cohortandósque homines ad Deum, vt decet, colendum. Certè qui ignorat qualis ipse naturâ sit, qui quantum potuerit Dei Gratia, aut possit, neque sensit, neque potest apud se statuere, eum necesse est agitari, & mergi denique, atque absorberi fluctibus tentationum. Nec alij hac in parte, magis securi sunt, quàm ij, qui vel libidini carnis indulgent, vel pietate leuiter tincti sunt: Qui in seipsos student altiùs descendere, atque inde ad Deum ascendere per Christum, aliter sentiunt: nec quoties disceptatur quæ arbitrij nostri quæ Gratiæ Dei vires sint, quid Deus in hominibus eligendis potissimum spectarit, quamque potens illa Gratia sit & firma Electio, existimant agi rem leuem aut proponi spinosam & ieiunam quæstiunculam, sed contra salutis nostræ summam in disquisitionem vocari arbitrantur. Nam seu precemur Deum, necesse est teneamus quid sit à Deo petendum, frustrà (vt ne dicam impiè) petituri quod Deus nemini indulget, quod adeò nec eius conuenit potentiæ, neque illius sapientiam decet: seu Deo gratias agamus, omninò scire nos oportet quæ sint, & quanta Dei in nos beneficia ne Deo assentari videamur, qui eo nomine vota Deo nostra reddamus, quo nomine nihil Deo acceptum debemus: Tam enim succenset Deus iis qui ipsi beneficium tribuunt, cuius author non est (nullius autem boni non

est author)

est author) quàm irascitur petentibus, quæ dare Deum nefas est. Tum nisi, quanta morbi magnitudo sit, agnoscatur, quis medicinæ vim & efficaciam quanta sit, deprehendet? Certè quicunque hic errant, eos errorem minimè leuem errare necesse est; nam cætera ferè Christianæ religionis dogmata extra nos in Deo recondita sunt; Cum verò ad illa ventum est, quibus definitur quid Deus in nobis agat, ad experientiam, ad ipsum animi & conscientiæ sensum est deuentum, vt quantò vehementiùs in hoc genere erramus, tantò clariùs & euidentiùs inopiam Spiritus Christi in nobis prodamus, nosq; demonstremus eò magis esse à Domino alienos. Fieri quidem potest (& verò sæpè id accidit) vt quæ Deus facit in nobis ea vel omninò effari, vel ita effari nequeamus, atque res ipsa poscit; vel, imperitiâ quadam, eò sæpè vtimur sermone, qui & menti nostræ & rei disconuenire videtur: Quod rudes & imperiti in discribenda corporis sanitate, quâ vtuntur tamen firmissimâ, facere solent. Magnum tamen discrimen est, & immane quantum eorum, qui verbis duntaxat, & qui totâ re ipsâ aberrant; multum enim interest Deóne in solidum existimes acceptum ferendum quod viuis, an tibi etiam id te existimes ex parte debere. At nil ferè, certè parum refert, sciasne omninò, an verò ignores quæ sit vitæ diuinitùs tibi datæ ratio, vt Deus hoc corpus efformarit, atque instruxerit, vt animum corpori coniunxerit, quibus vinculis, aut qua copulâ tandem res naturâ inter se dissitissimas colligârit, vnde tanta vis? Ac mihi quidem, de hac re cogitanti sæpenumero, in mentem venit mirari, quid tandem esse possit in causa, cur mentis humanæ imbecillati, quoties hallucinatur in percipiendâ operum Dei ratione, eorum præcipuè quæ sunt spiritualia & cœlestia tantoq; magis diuina, quàm sunt ista quæ in sensus incurrunt, nolimus aliquid eondonare; dummodò neque sic erret, vt quod ad Dei gloriam pertinet id creaturæ adscribat; contra ve quæ creaturæ propria sunt, infirmitatem, errorem, peccatum, ea verò impiè attribuat Deo: Vix enim fieri potest (sed nec decet etiam) vt Christianus di rebus tantis sibi ipse silentium indicat, grassante hæresi atque vltrò lacessente ad disceptationem, quæ nisi verbis aliter institui haud potest; quæ tàm apta tamq; accommodata esse nequeunt, vt rem exæquent, exprimantve vsque adeò ad viuum. Veniâ igitur potius, quàm reprehensione digni sunt, qui, studuerint modò veritatem asserere, minus cautè loquuntur; nam vetus formula est, Inter bonos bene agier oportet. *Hac spe fretus & auxilio Dei, qui piis etiam infimorum hominum conatibus haud quaquam deest, ausus sum, lacessitus quidem, sed tamen ausus sum cum magni nominis Viro congredi.*

Eam verò Disputationem (Vir Nobilissime) nulli potius quàm tibi debui dicare; tuis enim velut auspiciis, tuo hortatu, tuo consilio suscepta est atque instituta, & totos quinque dies continuata in Suburbani tui secessu atque amœnitate, te præsente atque audiente vnà cum Nobiliss. & Clariss. Viris Hectore Vallæo Merouillæo, Theophilo Bracheto Milterio & Ludouico Cappello, quorum hoc loco eò memini libentiùs, quod eos ob pietatem, humanitatem, doctrinam, ac morum suauitatem penè incredibilem, tibi sciam esse coniunctissimos: quamuis & alias habeo multò grauiores consilij huius mei rationes: Tu enim is es, qui pietate, virtute, doctrina tua, amore singulari & meritorum erga me tuorum magnitudine adeò me tibi deuinxisti, vt ingratissimus sim, ni, quando nullo alio officij genere (quæ mea tenuitas est) possum tibi gratiam referre, palàm tester quantum tibi debeam. Id quod facere etsi iampridem in votis fuit, tamen hactenus occasio defuit studio meo quæ nunc sese offert, quo nomine mihi gratulor; Etsi enim satis scio hanc dissertationem nil habere singulare, neque aliunde posse tibi commendari, quàm ab argumenti dignitate, quæ summa est; tamen, eò quod eam in nomine tuo voluerim apparere, vt spero & tibi & cæteris probauero vtcumque gratitudinem animi mei. VALE.

Tibi Addictissimus

IOHANNES CAMERO.

CVm hæc Epistola scripta iam esset, & à Nobiliss. Viro Hieronymo Groslotio Lislæo, ad quem scripta fuerat, perlecta: is diem suum obiit: Non existimaui tamen fas esse hoc qualecumque amoris & obseruantiæ erga illum meæ monumentum ei dicatum alij cuiquam statuere, ne, quem viuum, magno eius merito colui eius demortui memoriam insuper habuisse viderer. Id te, Lector, monitum volui ne hominem è viuis sublatum, à me per Epistolam intepellari mireris. Vale.

LECTORI S.

CVM fuissem amicorum litteris certior factus, Clariss. Virum Danielem Tilenum multis testatum, cupere se vehementer mecum vnà colloqui *De Gratiæ Dei atque Liberi Arbitrij viribus in Vocationis nostræ negotio*, cœpi apud me cogitare quid facto opus esset, atque (vt ingenuè fatear quod res est) haud leuiter ea cogitatio animum meum perturbauit; nam si defugerem id colloquium, prospiciebam animo, fore, vt multi multa causarentur, Ea sunt tempora, atque hominum ingenia; Sin admitterem, animaduertebam mihi metuendam esse suspicionem temeritatis. Itaque rem ad Illustriss. Plessæum detuli, eúmque rogaui vellet pro singulari illa, qua pollet, sapientia, & animi moderatione æstum meum explicare; Is verò mihi author fuit, vt cum Collegis communicato consilio, eorum authoritate confirmatus & communitus rem aggrederer; Quod & factum est. Itaque Salmurio discessi 16. April. vt adessem ad condictum; Condictus autem erat dies 18. Aprilis: Locus verò, Suburbanum ad Aureliam Nobiliss. & celeberrimi Viri Hieronymi Groslotij Lislæi, qui Salmurio tridui itinere distat: In itinere conueni quos licuit Ministros Euangelij, Turonensis, Blœsensis & Aurelianensis Ecclesiæ pastores, Viros doctos & graues, iísque consilium meum atque itineris causas aperui, déque re tota quid sentirent quæsiui; Qui consilium Collegarum meorum omnes probarunt, meque in digressu animi votis Deo commendarunt; Nulli tamen eorum (quod exoptabam inprimis) licuit Colloquio interesse, quod eo tempore essent in celebranda S. Domini Cœna occupatissimi; nam Vir Clariss. & Doctiss. Nicolaus Viguerius Ecclesiastes Blœsensis morbo erat implicitus. Itaque vnà cum Clariss. Doctissimóque Viro Ludouic. Cappello Collega, quem honoris causa nomino, in Suburbanum Lislæanum, qui locus erat condictus, veni 18. April. quò se contulit etiam vnà cum Nobiliss. & Clariss. Viris Hectore Vallæo Merouillæo, & Theophilo Bracheto Milterio quinto pòst die Cl. Vir Daniel Tilenus, cùm nos de eius aduentu desperantes meditaremur reditum ad nostros. Eo die de Colloquio nihil, nisi quod (vt mihi retulit Milterius) Tilenus cum iam aduesperasceret, dixit se mirari cur tot verbis vltrò citróque habitis, de Colloquio nulla à me iniecta mentio fuisset: Ego verò vicissim respondi, idipsum magnam mihi mouisse admirationem, eóque iustiùs, quòd haud esse modesti animi iudicarem, vt à tanto Viro ad id colloquium inuitatus, aut lacessitus potiùs, vltrò eum & prior vocarem ad certamen, quod ego etsi non detrectarem, nec ambirem tamen. Quod cùm à Milterio ei fuisset renunciatum, postridie summo mane monuit Milterium vt quamprimum colloquium institueretur, simul vulgatum illud adiecit, *Tempus non est terendum.* Itaque postquam in cubiculum Hieronymi Groslotij conuenissemus, consedissemúsque, & Milterius paucis esset præfatus,

Ego ve-

Ego verò & Tilenus item nonnulla adjecissemus quæ res poscere videbatur, ventum est ad disputationis ordinem & leges constituendas. Ac quidem Tileno primò videbatur is ordo conuenientissimus vt à Prædestinatione initium sumeretur. Ego verò etsi testatus sum nolle me de ordine litem mouere, dixi tamen graues esse causas cur à Prædestinationis articulo non sit ordiendum; quòd esset de Prædestinatione quædam opinionum diuersitas, quæ tamen non scinderet Ecclesias; quod constituto semel quid sit de Dei Gratia sentiendum, de reliquis quæstionibus, quæ ad caput de Prædestinatione pertinent, non existimarem esse contendendum; præsertim cùm Quæstione de Vi & Efficacia Gratię definitâ, reliquæ omnes continuò explicentur. Quod cùm Tileno probassem, cœptum est agi de Legibus Disputationis: Conuenit autem vt Latinâ linguâ institueretur, & exciperetur à Ludouic. Cappello & Milterio, desumeretúrque argumentum Disputationis ex articulis 21. & 22. Confessionis fidei Ecclesiarum Gallicanarum. Disputatum verò est vtrinque ex tempore, quoad Tilenus Lutetiam rediturus discessit, coactus, vt profitebatur: Inde verò notas suas Salmurium misit, ad quas respondi, vt, inter crebras & grauissimas occupationes, licebat. Eam responsionem succincto quidem, sed, vt mollissimè dicam, iracundo scripto excepit. Ad id scriptum amicorum hortatu, respondi; Sed modestè, ne disputatio in iurgiosam altercationem exiret. Hanc verò responsionis meæ partem ad eum haud misi, vt disputandi tandem finem facerem, gnarus mihi rem esse cum Pelida cedere nescio, homine duro atque inuicto. Tandem verò; cùm is de animi ferocia nihil remitteret, mihíque grauissime esset interminatus, & libellum linguâ Gallicâ *De peccati origine*, quo Ecclesias Gallicas traducit, edidisset, ídque Lutetiæ tristissimis temporibus, Ego etiam vererer ne me inscio disputatio nostra truncata & deprauata prodiret in lucem, (multi enim id fore, ni ego occuparem, denunciârant) Nolui diutius eorum reniti votis, qui, vt per me non staret quominus ea ederetur, efflagitârunt. Quod te, Lector, scire volui, ne hic quicquam, quod quidem meum sit, vel perfectum ingenio, vel industriâ elaboratum expectes; neu aliud putes fuisse consilium meum, quàm vt publicè testarer studium, quo incendor, asserendæ veritatis, ostenderémque quàm ea sit inuicta, quæ vel me tenuis admodum ingenij & vix mediocris doctrinæ homine propugnante, à Viro doctissimo atque exercitatissimo, factionísque aduersæ facilè principe expugnari non potuerit. Vale.

AMICA COLLATIO,

DE GRATIAE ET VOLVNTATIS HVMANÆ CONCVRSV IN VOCATIONE ET QVIBVSDAM ANNEXIS, INSTITVTA INTER

Danielem Tilenum, & Iohannem Cameronem, in ſuburbano Nobiliſſimi Hieronymi Groſlotij Liſlæi ad Aureliam, cui ipſe interfuit vnà cum Nobiliſſimo Hectore Vallæo Merouillæo, excepta ex differentium ore à Theophilo Bracheto Milleterio, & Ludouico Cappello, die 24. Aprilis inchoata, & ad 28. eiuſdem menſis continuata Anno Chriſti 1620.

THESES A CAMERONE PROPOSITÆ

ſequenti diſputatione ventilandæ ex articulis 21. & 22. Confeſſionis Eccleſiarum Gallicanarum.

Die Veneris 24. April. 1620.

I. Fides proficiſcitur ab illuminatione Spiritus S.

II. Hæc porrò illuminatio quibuſdam peculiaris eſt, quibus nempe Deo libuit tantam lucem indulgere.

III. Itaque hac in parte cæteris præponuntur, vnde & Electi dicuntur.

IV. Quod non eſt ita accipiendum ac ſi tantum beneficium temporarium eſſet, aut eiuſmodi quod amitti penitus poſſit: quando author beneficij idem beneficij ſui conſeruator eſt.

V. Cæterum hæc fides non eſt inanis ſpeculatio, ſed tam efficax cognitio ſummi & veri Boni, vt voluntatem ita afficiat, vt non poſſit ſummo Bono non adhæreſcere. Vnde ſequitur non poſſe eam ſeiungi à ſtudio bonorum operum.

NOTÆ TILENI.

AD primam Theſin. Theſis prima intellecta ex hypotheſi ſeu mente & ſenſu articuli 21. confeſſionis Eccleſiarum Gallicanarum, eſt extra controuerſiam inter Chriſtianos alienos à Pelagianiſmo & ſemi-Pelagianiſmo.

1. Ad ſecundam *Quibuſdam peceliaris eſt*] RESP. Conceditur quoad euentum non eſſe communem, multo minùs vniuerſalem, non item quoad antecedaneum quoddam decretum, citra vllum omnino intuitum ſeu reſpectum fidei vel incredulitatis & impœnitentiæ, ſed tantùm de homine quatenus homo eſt, nullâ aliâ qualitate præditus ſeu veſtitus. Etenim hoc poſteriore ſenſu non ſolùm προσωποληψία Deo tribuitur, verum etiam vt exitij, ſic peccati cauſa Deus ſtatuitur.

2. *Libuit.*] RESP. Libuit autem Deo hanc lucem indulgere illis, quos deſignat Pſaltes Pſal. 25. ℣. 9. E Chriſtus Johan. 7. ℣. 17. ſi quis vol. &c. Item Matth. 10. ℣. 11. Et non indulgere illis quos deſignat Lucas cap. 7. v. 30. itemque Act. 13. v. 46. & 2. Theſſ. cap. 3. v. 3. & 6. collatis.

1. Ad tertiam. *Præponuntur.*] RESP. At non quatenus homines ſimpliciter, ſed quatenus tales, quales deſcripti ſunt præcedenti reſponſione.

2. *Electi:*] RESP. Electi vt plurimùm in Scriptura iidem ſunt qui Fideles. Interim fateor aliam eſſe Electionem ad fidem, aliam ex fide ad ſalutem: Et illam iſtâ priorem eſſe ordine naturæ & cauſalitatis in Dei decreto, in decreti executione etiam tempore.

1. Ad quartam. *Temporarium.*] RESP. Conceditur reſpectu voluntatis antecedentis in Deo, cuius donum eſt ἀμεταμέλητον.

2. *Amitti.*] RESP. Propriè ea duntaxat amittimus, quæ inuitis, nolentibus, pereunt, & qui nihil reliqui faciunt ad ſummam diligentiam, vt amiſſam rem recuperent. Hoc ſenſu fides neque amittitur, neque amitti poteſt: Nam quemadmodum nemo eam accipit nolens vel inuitus, ita nemo inuitus amitrit, ſed ſi propriè loquendum eſt abiicitur, deſeritur, excutitur à ſciente, volente.

3. *Conſeruator.*] RESP. Quo modo Deus eam dat, eodem modo conſeruat: non dat per vim irreſiſtibilem, adhibitâ omnipotentiâ quâ creauit cœlum & terram, non eo modo conſeruat.

1. Ad quintam. *Inanis ſpeculatio.*] RESP. Conceditur. Interim illuminatio coniuncta cum guſtu doni illius cœleſtis & participatione Spiritus Sancti &c. Heb. 6. v. 4. &c. non eſt planè inanis? ſiquidem ij quos alloquitur eo loco Appſtolus, tantùm opus habebant continuatione in eo quod acceperant: Ac præterea τὸ *guſtare* non ſignificat ex vſu Scripturæ primoribus labris, leuiter & quaſi

& quasi pitissando degustare, sed (vt patet ex sequenti eiusdem versiculi particulâ) *participem fieri reuera*, & ex phrasi illâ *gustare mortem* quod est *planè mori*. & ex Psal. 34. ℣. 9. *gustate quàm bonus sit Dominus*.

2. *Efficax*] Resp. Hæc vox duplicem habet sensum, aut enim efficax dicitur *respectu voluntatis illius antecedentis*, quâ Deus vult vt verbum suum non reuertatur ad se vacuum; quomodo pharmacum dicitur efficax quoad vim internam, licet nihil efficiat culpâ respuentis ægroti. Aut dicitur efficax *ab euentu*, cùm reuera efficit conuersionem actu secundo, qui tamen actus secundo non producitur absque auxilio gratiæ subsequentis. Suscepta fides vtroque modo est efficax, hoc est tam in se, quàm in homine qui eam suscepit: Repudiata, priore tantùm modo est efficax.

3. *Vt non possit non adhærescere*] Resp. In hoc cardine versatur quæstio ipsa, & quâ facilitate affirmatur, eadem negatur. Interim *impossibile* quandoque sumitur, non pro eo quod simpliciter & absolutè fieri non potest, sed etiam pro eo quod rariusculè contingit.

4. *Seiungi.*] Resp. Conceditur in sensu composito, nempe quatenus homo regenitus fidem non modò habet actu primo, sed etiam operatur ex eodem illo principio: Nam quandoque operatur etiam secundùm veterem hominem ex principio naturæ corruptæ, quæ non nisi ex parte est renouata seu instaurata.

RESPONSIONES CAMERONIS.

1. AD primam notam in thesin secundam. *Quoad euentum*] Cùm illuminatio negatur esse *quoad euentum* communis, videtur innui tacitè illuminationem illam (quæ tam clara est tamque vehemens, vt inde oriatur fides) aliquando carere suo euentu: vnde sequitur pariter illuminari eos qui credūt Euangelio, & eos qui respuunt Euangelium, cùm tamen id videatur pugnare non modò cum Scriptura, quæ apertè docet, eorum oculos qui Euangelium respuunt, à Deo huius mundi esse occæcatos: 2. Cor. 4. ℣. 4, sed etiam cum recta ratione, cum fieri nullo modo possit, vt tanti momēti veritas repudietur citra grauem mentis errorem, qui nullus esse potest, vbi huic illuminationi locus est.

2. *Quoad antecedaneum quoddam decretum.*] Quicquid Deus facit idipsum facere decreuit, & quidem eodem modo quo fit. Itaque omnem Dei actionem decretum præcedere necesse est. Cum igitur tanta luce nonnullorum hominum mentes Deus perfundat vt credant continuò, reliquorum veros animos non afficiat pariter, sequitur decretum quoddam esse antecedaneum, quo, quibus hoc beneficium indultum est, ij à reliquis segregati sint, quod docet Cristus Ioan. 17. 6. Verba enim illa Christi *Tui erant* notant eorum conditionem, quibus Christus Patris nomen reuelauit.

3. *Citra vllum intuitum fidei*] Videtur hæc conditio otiosa, nam cogitatione capi non potest quî detur fides iam credenti, aut negetur non credenti, ideò simpliciter quia non credit: itidémque illuminatio Spiritus quę fidei actū præcedit, quî fieri possit vt obtingat iam illuminatis, aut vt ea destituantur qui non sunt illuminati, cum nemo donetur fide nisi qui idem ante fidem datam non crediderit, non enim datur nobis quod iam habemus, sed quod non habemus. Itaque datur fides, obtingit illuminatio, citrà vllum intuitum fidei aut incredulitatis.

Etenim hoc posteriore sensu &c.] Quando hoc affirmatur simpliciter nulla additâ ratione, eadem libertate negari potest.

Ad secundam notam in thesin secundam. 1. *Libuit autem Deo hanc lucem indulgere &c.*] *Libère Deo* aliquid dici potest duobus modis, vel vt significetur Deum aliquid velle *Absolutè* pro mera voluntatis suæ libertate, quomodo dicimus libuisse Deo creare mundum, & redimere genus humanum: vel vt simpliciter intelligatur Deo aliquid placere aut gratum esse. Priori sensu in thesi vsurpata est hæc locutio *Libuit Deo*, posteriori non item. Libenter autem conceditur Psal. 25. vers. 9. Ioan. 7. ℣. 17. notari eos quibus Deus indulget lucis augmentum; negatur verò designari eos quibus simpliciter ostendit lucem suam: nempe ij sunt in quibus requiritur pietas præcedanea, quæ sine vera luce nulla esse potest. Itaque aliorsum spectat Spiritus sanctus, quàm vt notet initium conuersioni iis in locis, agitur enim de conuersis. Liberum porrò apud Deum est vel edomare humanam pertinaciam, vel obstinatos homines sibi permittere, quando miseretur cuius vult misereri, indurat autem (teste Scriptura) quem vult. Hac igitur in parte nulla nobis controuersia est cum iis qui docent Deum, dum vlciscitur Euangelij contempum, aliquando facem quam prætulit auferre, vt id probare superuacaneum sit: Id verò est quod reliquis locis citatis probatur, nam locus 2. ad Thess. 3. aliorsum spectrat, quanquam, vt maximè detur eodem spectare, nihil facit contra causam quam agimus.

TILENVS.

AD primam responsionem in primam notam. *Vt inde fides oriatur.*] Hæc enunciatio qua statuitur aliquam illuminationem tam claram esse, vt inde fides oriatur, & tamen aliquando careat suo euentu, implicat contradictionem; nam si fides oritur, ortus ille est ipsemet euentus, quo proinde tum non caret. Verùm exponendus erat modus ille quo oritur fides, vtrū sit absolutè necessarius ex præuio decreto, an verò talis qui post illuminationem mentis (quam necessario recipi fateor,) voluntati relinquat id quod est ei essentiale, putà libertatem.

Esse occæcatos] Hîc rursus statuitur oppositum in apposito, cùm illuminari dicuntur à Deo qui à diabolo occæcantur. Vt tollatur contradictio, dicendum eos qui occæcantur, ideo occæcari quia respuerunt Euangelium, hoc est lucem oblatam: ac proinde stat mea nota prima ad secundam thesin, quæ nota contemptum pręstruit decreto de neganda quibusdam illuminatione, putà respectu voluntatis consequentis simpliciterque irresistibilis, in quam incidunt contemptores voluntatis antecedentis de seruandis omnibus & singulis hominibus. Quibus

ergo salutaris hæc negata est illuminatio, iisdem opponuntur contrariâ qualitate præditi, putâ non contemptores, sed cum gaudio sermonem vitæ excipientes: Vnde efficitur vtrobique præire aliquam conditionem; putà vel fidei vel contemptus.

Mentis errorem] Mentem irresistibiliter illuminari vltrò concedimus, sed veritas cuiuscumque sit momenti, quàm necessariò in mente suscipitur, tam liberè suscipitur vel respuitur à voluntate, animaduerso periculo quod veritati illi est adiunctum.

Ad secundam responsionem. *Et quidem eo modo quo fit*] Nihil verius dici potest: atq; ex hoc axiomate indubitatum istud *ἀφόρισμα* conficitur, putà Deus in tempore siue executione decreti neminem beat nisi fidelem & cum respectu ad fidem, ex quâ & per quam eum iustificat: ergo neminem quoque ab æterno decreuit beare, nisi quem iam considerauit vt fidelem, & quatenus eiusmodi qualitate præditus est.

A reliquis segregati] Segregati illi non absolutâ voluntate, sed propter contemptum vocationis, siue generalis siue specialis, sicuti in tempore puniuntur, ita pœnis illis antecedaneo illo decreto propter eandem causam sunt destinati: & oppositi illis filij pacis, digni, parati voluntatem patris facere, sicuti cum hac qualitate considerantur, antequam per præconium Euangelij reapse illuminentur, (vt patet ex locis citatis) ita ad hanc illuminationem segregati siue electi fuerunt æterno Dei decreto, quod probatur axiomate superiore.

Tui erant] Si Christus eo dicto aliquam conditionem notat in iis, quibus Patris nomen reuelauit, certè non alia illa fuit, nisi obsequij ad fidem suscipiendam parati: quæ tamen præparatio nullo modo tribuenda est viribus liberi arbitrij, sed gratiæ cuidam communioni præuenienti, per quam vocantur *filij pacis digni, &c.* etiam illi qui salutare illud Euangelij præconium nondum audierant, & ad quos primùm ablegantur Apostoli prædicaturi.

Ad tertiam responsionem. *Quî detur fides iam credenti.*] Aliter Christus, cùm inquit *habenti dabitur.* Iam verò etiam is in Dei decreto consideratur vt credens qui crediturus est, etiamque is qui generali illâ fide præditus est, de qua Apost. Hebr. 11. vers. 6. quam etiamsi ipsi Contraremonstrantes fateantur absque vllo specialis gratiæ auxilio posse haberi, tamen si quis id quoque communiori cuidam gratiæ acceptum ferre malit, me refragantem non habebit.

Iam illuminatis.] Responsio ad secundam notam meam, agnoscit illuminationem non fieri momento, non simul & semel infundi nouum illud lumen, sed gradatim, adeoque semper locus est incremento lucis apud viatores in caliginoso hoc sæculo versantes. Omne autem lumen quantumuis exiguum est lumen quo alij aliter vtuntur vel abutuntur; de abutentibus intelligendum illud Christi, *Etiam quod habet eripietur ei.*

Ad quartam responsionem. *Quando hoc affirmatur, &c.*] Consequentia sic probatur, si Deus quibusdam non dat illam illuminationem ex quâ necessariò oritur fides cuius præmium est salus, (vt loquitur Petrus) & sine quâ illuminatione non potest haberi fides, extrà quam quicquid fit peccatum est, nec quisquam Deo placere potest, omninò Deus per decretum illud quo ab æterno statuit quicquid in tempore facit aut denegat, constituitur causa peccati tanquam remouens prohibens, hoc est per actum negatiuum gratiæ ad vitandum peccatum simpliciter necessariæ.

Ad responsionem ad secundam notam. *Duobus modis.*] Si prior sensus adlubescit putà vt Deus ita conuertat hominem sicuti creauit mundum & redemit genus humanum, sequetur eodem modo posse præcipi homini creationem mundi & redemptionem generis humani, quomodo præcipitur ei vt se conuertat ad Deum, hoc est potest ei præcipi vt sit Deus omnipotens, si conuersio nonnisi per eandem omnipotentiam efficitur per quam factus est mundus & genus humanum est redemptum. Absurdum hoc posterius; ergo & illud prius. Præterea incommodè opponuntur hi duo modi, cum non sint aduersi sed cognati: Nam quis negat etiam creationem mundi & redemptionem generis humani Deo gratam fuisse? His tamen notis posterior modus à priore distinguitur.

Libenter autem conceditur Ps. 25. v. 9.] Hîc mansuetudo præsupponitur in illis quos Dominus docet viam suam, sine quâ doctrinâ, nulla potest concipi fides quæ sit salutaris.

Ioan. 7. vers. 17.] Huius loci eadem est prorsus ratio, præsupponitur enim voluntas faciendi quod Pater vult in cognituris de doctrinâ vtrum ex Deo sit, ex quâ solâ proximè & immediatè concipitur fides in Christum salutaris, & ex quâ illius non modò augmentum, sed etiam initium oritur.

Agitur enim de conuersis.] Mirum foret hoc conuersorum genus qui nondum cognouerunt de doctrinâ Christi, vtrum sit ex Deo.

Vel obstinatos homines sibi permittere.] His verbis apertè obstinatio præstruitur decreto, quo statuitur tales homines sibi permitti: Vt igitur neminem sibi permittit aut exitio addicit Deus nisi obstinatum, ita, non obstinatum, hoc est obsequentem statuit gratia & fide donare.

Cuius vult] Vult autem non nisi eorum qui misericordiam illam Dei & propriam miseriam agnoscunt, per gratiam præuenientem, ex eâdemque apud Patrem miserationum confugiunt.

Indurat autem quem vult.] Non vult autem indurare nisi iam propter obstinationem de qua dictum, indurationem hanc tanquam pœnam meritos; vtrumque clamat tota Scriptura, imo hîc habeo confitentem Fratrem quicum instituta est hæc amica collatio, cum paulò post dicit Deum contempti Euangelij vltorem, facem quam prætulit auferre: Prius igitur & prælata & spreta fuit fax, quàm infligatur induratio tanquam pœna.

Locus 2. ad Thessal. 3.] Horsum non aliorsum spectare euincit ipse contextus qui sic habet. *Vt eripiamur à proteruis & sceleratis hominibus, non enim omnium est fides.* Hoc est proteruia & scelera obstant quo minus his, & talibus, & quatenus tales, detur fides, adeoque hæc proteruia spectata fuit in decreto de danda vel neganda fide.

CAMERO

CAMERO.

Die Sabbati 5. Aprilis.

AD primam notam ad primam responsionem. *Hæc enunciatio*] In thesi agitur de ea illuminatione vnde fides oritur, vt liquebit conferenti eam cum prima quam statim sequitur, negatum verò est eam esse communem *quoad euentum*, vnde videtur sequi eam esse *in se* communem, cæterùm tamen non semper fidem gignere, (qui eius scilicet euentus est) quando id omne rei euentus dicitur, certè dici potest, quò res natura sua refertur. Itaque non implicat contradictionem (si hæc hypothesis vera est) hæc enunciatio, quâ statuitur illuminatio (vnde fides oritur in quibusdam siue aliquando, res enim redit eodem) carere suo euentu. Vnde efficitur necessariò pariter illuminari eos qui credunt Euangelio & qui respuunt Euangelium, saltem quò ad præcedaneam illuminationem: quod non videtur conuenire ob eas rationes quas in responsione priori subiecimus.

Verùm exponendus erat) Nos verò modum illum expressimus, vt arbitramur, satis aucrtè; diximus enim fidem proficisci ab illuminatione Spiritus Sancti: cum autem fides cognitio sit, illuminationem profectò sequetur necessariò quandoquidem si non sequatur, cæca mens fuerit, vt profectò non magis maligna quàm crassa est illa mentis cæcitas, quâ Dei gratia & summa felicitas miseris, in Christo oblata perinde ac fabula contemnitur, aut vt aliquid leuius rebus terrenis, quæ leuitate ipsa leuiores sunt, insuper habetur.

Ad secundam notam. *Hic rursus statuitur*] Non videtur statui oppositum in apposito, cum (quod solùm in responsione dicitur) ii qui respuunt Euangelium dicuntur fuisse occæcati, præsertim cùm eo consilio id dicatur, vt negetur eos fuisse illuminatos eâ illuminatione quam sequitur fides. Cæterùm vt omnis ambiguitas tollatur, lux objici homini constituto in tenebris peccati & mortis, duobus modis statui potest: Vel ita vt obiectæ fuerint tantùm eius menti nudæ rerum species, vnde fiat vt habeat de quo possit statuere) de qua illuminatione nunc quidem non agitur: sed de eâ duntaxat quam *δ᾽ἰξοχὴν* illuminationem *Spiritus* appellauimus:) Vel ita lux affulsisse dicitur, vt ipsa mens assentiatur. Sed hîc quidam sunt veluti gradus, qui si non semper *extensiuè*, vt loquuntur in scolis, tamen *intensiuè* inter se differunt, vt si *rationem obiecti* habeas, paritas interdum fit in assensu; sin verò ipsum respicias assensum *in se*, disparitas sit, nempè alius assentitur *leuiter*, alius *vehementer*. Porrò vehemens assensus fides est, quæ vehementi illuminatione efficitur, vt illuminationis modum fidei modus sequatur. Cæterùm Apostolus non agit de eâ occæcatione quæ opponitur illuminationi, quatenus illuminatio significat nudam specierum obiectionem, quæ ijs obtingit qui Euangelium respuunt, (quomodo enim fieri possit vt res ignota respuatur?) Sed de occæcatione quatenus opponitur illuminationi internæ, quæ ita animum afficit vt gignat assensum: Verba Apostoli sunt *si Euangelium nostrum tectum est, &c.* Non est autem tectum si agnoscitur.

Quæ nota præstruit contemptum decreto] Negari illuminationem duobus modis intelligi potest, quot scilicet modis intelligitur illuminatio; Nam vt hic novam adhibeamus distinctionem, duplex est illuminatio *præcedanea* & *succedanea*, & negatio quidem *præcedaneæ* illuminationis non potest sequi contemptum Euangelij, cùm contemptus Euangelij sit à cæcitate, quæ nisi per illuminationem curari non potest; At certè (nihil enim verius est) *succedaneæ* illuminationis negatio pœna est contempti Euangelij, sequitur igitur contemptum Euangelij. Quod sic explico, nemo est cui Deus denegarit lucem Euangelij, qui idem non sit dignus cui denegetur: sed cùm hæc sit omnium nostrum communis culpa, nimirum vt peccatis nostris nosmet præstiterimus indignos tantâ gratiâ, quòd huic potiùs lux Euangelij quàm isti denegetur, aio pendere à Dei liberâ voluntate, cui de suo facere licet quicquid ipsi libet. Atque ità statuo denegationem istam considerari posse duobus modis, *Absolutè* vel *Comparatè*: & si consideretur *absolutè*, fateor eius causam esse hominis peccatum; sin *comparatè* consideretur, (quando omnes in eadem culpâ sunt) nego rationem discriminis aliunde esse petendam quàm à Dei voluntate *miserentis cuius vult misereri, & indurantis quem vult indurare.*

Cum huc vsque perducta esset collatio, vitandæ prolixitatis & lucrifaciendi temporis causâ, visum est disceptationem breuiore quodam gyro concludere, omissóque examine notarum ad tertiam, quartam & quintam Theses, ac præterea in aliud tempus dilatâ disquisitione Animaduersionum in hanc ipsam secundam Thesin, hanc postremæ Responsionis Cameronis vltimam partem ventilare, cuius hoc initium, sed cum hæc sit omnium nostrum communis culpa &c.

TILENVS.

A Libera Dei voluntate omnino pendebat nouum gratiæ fœdus cum homine inire vel non inire, verùm postquam ei placuit nouam hanc emergendi ex miseriâ homini viam aperire, nego vllum hominem post impetratam remissionem & expiatum commune peccatum ab huius fœderis aditu excludi aliam ob causam, quàm propter non præstitam fœderis conditionem. Testatur hoc & iureiurando confirmat ipsemet Deus, cum ait se nolle mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Proinde quemadmodum omnibus peccatoribus vult vitam tanquam finem, ità etiam ijsdem vult conuersionem tanquam medium necessarium: nulla autem potest esse aut cogitari conuersio absque Euangelij luce. Igitur nullus hîc locus quæstioni de potestate vel dominio Dei absoluto, quo facere ei licet quicquid ipsi libet, sed pes figendus oculusque defigendus in beneplacito voluntatis in Euangelio patefactæ, in quo Euangelio hoc quoq; legimus apud Apostolum quod reperimus apud Ezechielem Prophetam, putà, *Deus vult omnes homines saluos fieri &c.* Iam

verò quod de *absoluta & comparata* denegatione huius lucis adfertur, docendum erat non simpliciter dicendum; nos enim in duobus illis dictis Ezechielis & Pauli neque volam neque vestigium huius distinctionis deprehendimus, ille enim loquitur de omnibus peccatoribus, iste de omnibus hominibus: Vtrouis igitur modo consideremur post nouum fœdus gratiæ, fixum hoc immotumque manebit Deum ex *antecedente* voluntate nemini velle mortem, omnibus velle vitam. Quod postremo loco asseritur rationem discriminis, cur videlicet hic illuminetur non item ille, non aliunde esse petendam quàm à Dei voluntate, alia longè mens fuit Augustini qui libro octoginta trium quæstionum, quæst. ni fallor 68. affirmat rationem discriminis positam esse *in occultissimis meritis hominum.* Inspiciatur locus. Neque huic repugnat hoc Paulinum, etenim Scriptura docet apertissimè quorum Deus velit misereri, putà miseriam suam agnoscentium & ad misericordiam ipsius confugientium; indurare autem eos qui contemptu gratiæ communioris, aliisve sceleribus, indurationem tanquam iustissimam pœnam commeruerunt, atque hoc malum suo sibi iumento accersiuerunt.

CAMERO.

ETsi multa sint in superiori annotatione quæ non probem, nonnulla etiam quæ etsi probem, tamen (meo quidem iudicio) nihil faciunt contra eam responsionis meæ partem quam Tilenus ventilandam suscepit, tamen huius mei iudicij rationem reddere supersedebo, quando de consilio auditorum vtrique nostrum vitandæ prolixitatis causâ visum est in paucissima amicam hanc collationem contrahere. Tantùm ad ea respondebo quæ iugulum causæ petere videntur cuiusmodi illud est quod ascribitur (authore Augustino) occultissimis hominum meritis prærogatiua indultæ lucis Euangelicæ, contraque negatur id pendere à Dei libera voluntate: Atque adeò vox illa Spiritus Sancti *miseretur cuius vult misereri, quem autem vult, indurat*, ità exponitur quasi ageretur de misericordia *consequenti* quæ fidem & pœnitentiam præsupponit, ac non potiùs de misericordia quam *antedentem* vocamus, vnde proficiscitur fidei & pœnitentiæ donum. Quod ut fiat ordine totum hoc quicquid est in duo capita partiar, vel enim occurrendum est authoritati Augustini, vel asserenda quæ nobis videtur genuina interpretatio celeberrimæ in Ecclesiâ vocis *miseretur cuius vult &c.* Ac authoritas quidem Augustini quàm in hac causâ non defugimus) minimè nos premit, quia nemini obscurum est verba illa Spiritus Sancti, quæ à nobis allata sunt in responsione, ei idipsum significare quod nobis: vt locus ille Augustini nobis meritò debeat esse suspectus, vt vel ab interpolatore (quod nouum non est nec insolens) temerè infultus; vel si Augustini ea verba sunt omninò statuendum est (quod scripta eius aduersus Pelagianos non loquuntur modò sed clamant) eum sententiam mutasse. Cæterum hinc liquet Deum in vocatione ad communionem Christi, proindeque & in decreto vnde vocatio pendet (si hæc hypothesis vera est) præuidisse in homine futurum obsequium, decretum que Dei de vocando hoc potiùs quàm illo, eam præuisionem sequutum. Ea autem quæ Augustino & nobis videtur vera horum verborum *miseretur cuius vult*, interpretatio sic asseritur. Quæ interpretatio pugnat & cum verbis illis & cum Apostoli scopo, (qui ea verba ad institutum suum accommodauit) ea vera esse non potest: contrà, ea sola quæ & verbis & scopo Apostoli conuenit, vera existimanda est: nostra autem sola eiusmodi est; quæ verò allata est in annotatione, nec verbis nec scopo Apostoli conuenit. Non conuenit verbis; nam ratio cur Deus potiùs huius misereatur quàm illius, adscribitur meræ Dei voluntati: non fidei & pœnitentiæ huius; incredulitati & impœnitentiæ illius, vel vt verbis vtar Tileni, quòd hic agnoscat miseriam suam, & ad Dei misericordiam confugiat, iste contra, gratiam Dei contemnat; id quod illa formula *quem vult* bis repetita haud dubiè non sine emphasi, satis euidenter ostendit: quorsum enim attinuisset confugere ad Dei voluntatem vbi facti ratio obuia est? hîc autem est obuia, siquidem discriminis ratio est agnitio peccati & imploratio misericordiæ diuinæ in hoc, cótemptus verò gratiæ in illo. Sed neque scopo Apostoli conuenit cuius consilium est occurrere iis qui querebantur naturæ conditione pares non adeptos esse parem gratiam, cùm interpretatio illa imparitatem statuat summam in iis quorum Deus miseretur & quos indurat; quæ enim maior imparitas dici potest, quàm ea quæ oritur ex conditionibus planè pugnantibus? qualis eorum est, quorum alter agnoscit peccatum, confugit ad misericordiam; alter gratiam contemnit quæcumque tandem illa sit.

TILENVS.

SEntentia Augustini non est ea quam putat Camero de prærogatiua indultæ lucis Euangelicæ; nam & Augustinus & ego quoque constanter fatemur illuminationem saluificæ fidei genitricem, soli gratiæ in solidum adscribendam, in homine autem nihil prorsus esse quod hac in parte causæ efficientis rationem habeat: proinde aberratur à quæstione cuius cardo in altera parte vertitur, vtrum videlicet eidem beneplacito diuino, vnde promanat salutaris illa illuminatio, adscribenda quoque sit lucis huius denegatio, nullaque prorsus in hominibus reperiatur huius discriminis ratio. Vult ergo Augustinus (cui ego hac in parte planè assentior) causam denegatæ siue non indultæ lucis Euangelicæ in occultissimis hominum meritis esse ponendam potiùs quàm in Dei voluntate, nimirum vt testimoniis illis ex Propheta & Apostolo prolatis sua constet veritas: tametsi (vt res fiat clarior) hîc quoque accuratè distinguenda sit voluntas *antecedens* à *consequente*: Illà (vt loquitur Petrus) neminem vult perire, hoc est nemini vult denegare lucem, tametsi nolit eam totam simul effundere, sed paulatim per certa temporum momenta & gradus prouehere & augere; istâ iustissimam infligit pœnam iis quos patien-

patientiâ & multâ lenitate tolerauit, quâ Paulinâ phrasi declaratur modus indurationis, quomodo videlicet matrum indulgentiâ indurantur in nequitiâ filij. Præuisio futuri obsequij à nemine (vt opinor) negatur, sed hæc duo perneganda sunt, primum quod futurum illud fidei obsequium proficiscatur à naturalibus liberi arbitrij viribus, cùm id soli gratiæ acceptum sit ferendum: alterum quod illud fidei obsequium aliquam causæ efficientis rationem habeat siue respectu maioris illuminationis siue respectu supremæ beatitudinis.

Vera mens sententiæ Paulinæ *cuius vult miseretur* non aliunde rectiùs, quàm ex scopo huius capitis totiusque adeò epistolæ petitur: scopus hic est, Iudæis Pauli de iustitiâ & salute per fidem in Christum adipiscendâ, doctrinam præfractè repudiantibus, ac si admittatur dogma illud, verbum Dei excidere causantibus (vt patet ex versu 6.) ostendere *duplex* esse genus filiorum Abrahæ, quorum alij typis Ismaelis & Esaui adumbrati seu præfigurati iustitiam ex eâque salutem sectantur per opera legis, eo quòd in eâ ab ipso Deo hæc adipiscendæ vitę ratio & conditio fuerit præscripta, quòd præscriptum siue verbum Dei excidisse nefas sit dictu: Alij verò typis Isaaci & Iacobi pręfigurati iam inde ab initio non operibus legis, sed solâ fide in promissum Messiam freti vitam sperauerint. Illi priores vocantur *filij carnis*, isti *filij promissionis* vers. 8. quod autem propositum fuerit Deo solos fideles adoptare liquet ex vers. 11. *non ex operibus, sed ex vocante*, nempe ad Christum Mediatorem noui fœderis cui annexa est conditio fidei, quemadmodum fœderi legali annexa erat conditio operum, quæ conditio remouetur & excluditur à nouo fœdere vers. 16. *non est igitur volentis & currentis.* Hîc igitur opponitur conatus & cursus operantis, misericordiæ Dei quâ omnes & solos prosequitur credentes. Proinde quod subjicitur vers. 18. *Cuius igitur vult miseretur* &c. aliter intelligi non potest, quàm de misericordia prosequendis tandemque sempiterna felicitate coronandis fidelibus, indurandis autem tumidis illis Paulinæ doctrinæ aduersarijs operum fiducia elatis & inflatis. Indurationis exemplum statuitur Pharao vers. 17. mandato illi de dimittendo populo (cuius maiores de Ægypto tam bene meriti fuerant) præfractè obluctatus, ac proinde indurationem promeritus, ita vt diuinæ voluntati (ex qua induratus fuit) resistere non potuerit, factaque fuerit de illo voluntas Dei *consequens* à quo spreta fuerat voluntas *antecedens.* Denique scopus & capitis huius & totius Epistolæ apertissimè perspicuitur ex quatuor postremis huius cap. versiculis: vers. 30. exertè dicitur gentes non sectatas iustitiam (putà ex operibus Legis) obtinuisse iustitiam quæ est ex fide, vers. 31 dicitur Israelem Legem iustitiæ sectantem ad iustitiam illam non peruenisse. vers. 32. subiungitur ætiologia, putà quod populus hic eam sectatus fuerit non ex fide, sed ex operibus Legis, & quod impegerit in lapidem offendiculi qui est Christus solâ fide apprehendendus. vers. 33. concluditur tota disputatio hoc epiphonemate, *quisquis crediderit in eum non pudefiet.* Hinc ergo vt scopus Pauli ita & sensus verborum vers. 18. colligitur, nempe semper hoc Deo fuisse propositum eligere credentes vel credituros, rejicere vel præterire siue non eligere incredulos. Apertissimè hoc docet Ioannes cap. 1. 12. *quotquot receperunt eum illis dedit hoc ius vt filij Dei fierent*, nempe credentibus in nomen ipsius. Hîc adoptio ordine posterior ponitur fide, quemadmodum fidei præmium statuitur salus, 1. Pet. 1. 9. Non igitur hæc est querela eorum qui Paulo obstrepebant, quam suspicatur Camero, *Natura conditione pares non adeptos esse parem gratiam*: Etenim Esau & Iacob naturæ conditione maximè pares, quippe vno eodemque partu in lucem editi valde dispares euaserunt post conditionem fœderis vel præstitam vel spretam. Ille *filius carnis* venando, currendo, defatigatus typum gessit Israelis iustitiam ex lege affectantis, qui Israel apposité adumbratur typo primogeniti, sed *secundum carnem*, quemadmodum Iacob secundo genitus *secundum promissionem*, cui respondetur fide, posterioris populi Dei siue Ecclesiæ ex gentibus collectæ iustitiamque & vitam non nisi per fidem spectantis & exspectantis figuram seu typum exhibet. Summa est liberum fuisse Deo nouum illud fœdus misericordiæ eâ, quâ ipsi visum est, conditione circumscribere & sancire, ac proinde horum velle misereri, velle hos indurare.

CAMERO.

SVperior Annotatio ad duo capita reuocari potest, vel enim studet ostendere Tilenus me non esse assequutum ipsius mentem, vel vindicat interpretationem quam attulit verborum, *cuius vult miseretur* &c. Ad prius illud vt respondeam, necesse est eius verba repetam, vt constet quæ de re inter nos controuersia fuerit. Verba autem eius sic habent, *Quod postremo loco asseritur rationem discriminis, cur videlicet hic illuminetur, non item ille, non aliunde esse petendam quàm a Dei voluntate longè alia mens fuit Augustini qui lib. 83 quæst. quæst. ni fallor. 68. affirmat rationem discriminis positam esse in occultissimis hominum meritis.* Vnde liquet quæri iam inter nos, cur Deus huic potiùs quàm isti impertiatur Euãgelij lucē, non quæri, cur Deus *absolutè* cuiquam eam deneget? Consensum enim est (vt patet ex iis quæ supra disputata sunt) causam denegatæ lucis esse hominum culpam qui tanto beneficio prorsus indigni sunt: quod ego adhibitâ distinctione studui explicare. Verba mea hæc sunt: *Atque ita statuo denegationem istam considerari posse duobus modis, absolutè vel comparatè: & si consideretur absolutè, fateor eius causam esse hominis peccatum, comparatè consideretur, quando omnes in eadem culpâ sunt) nego rationem discriminis aliunde esse petendam quàm a Dei voluntate, miserentis cuius vult misereri, & indurantis quem vult indurare.* Quam sententiã vt impugnaret Tilenus Augustinum aduocauit, asserentem rationem discriminis huius esse, *in occultissimis hominum meritis*: Cum autem Augustini liber ad manum non esset quem citârat Tilenus, ego ita respondi, ac si eo loco de ratione discriminis ageretur. Est igitur sententia Augustini ea quam ego ei tribui, non est ea quam ei tribuit Tilenus qui supra Augustinum voluit collocare rationem discriminis, *in occultissimis hominum meritis.* Sic puto me ostendisse nihil à me responsum hic quidem in parte præter rem. Nam quod rogaui ex eo quod discriminis ratio tribuitur *occultissimis*

Die Dominica 2. Aprilis.

1

2

hominum meritis sequi Deum in vocatione ad communionem Christi, proindeque & in decretis vnde ea pendet, præuidisse in homine futurum obsequium. non eo consilio feci ac si vellem Deo obsequij nostri præscientiam detrahere, sed vt ostenderem decretum Dei de fide conferenda præcedere, (secundùm modum considerandi nostrum) ordine naturæ hanc præuisionem, absurdumque esse statuere præuisionem futuri obsequij antecedere decretum de vocatione, quod omnino statuitur si ratio discriminis petenda est ab *occultissimis hominum meritis*: nitetur enim imparitate meritorum, nempe qui vocantur ideo vocari statuentur, quia erant paratiores: qui verò non vocantur, existimabuntur ideo non vocati, quia minùs erant parati: quod ego nemini alieno à Pelagianismo & semi Pelagianismo probari posse arbitror. Nam quod Tilenus rem emolliri posse existimat, si statuamus quod isti paratiores sunt quàm illi, id non viribus liberi arbitrij, sed gratiæ Dei esse adscribendum, pace eius dixerim, videtur esse frustra: sic enim eodem reuoluimur: 3 Nam recurret quæstio, vnde factum sit vt hanc gratiam qua paratiores redditi sunt, Deus his potiùs quàm illis indulserit? Venio iam ad alterum caput, in quo discutiendo hunc ordinem sequar, vt *primo loco* occurram iis, quæ Tilenus attulit ad uersus eas rationes, quibus adstruere conatus sum Augustini & meam verborum, *miseretur cuius vult* &c. interpretationem. *Secundo loco* respondebo ad ea quibus studet efficere non assignari iis verbis discriminis rationem vnde fit vt huic indulgeat, illi deneget Deus gratiam. *Tertio loco* vt res tota clariùs intelligatur subjiciam disputationis Apostoli, (qui in verbis illis de quorum interpretatione nunc agitur, firmamentum caussæ suæ collocat) breuem Analysin, vnde, vti spero, liquebit Tileni interpretationem à scopo disputationis Apostolicæ esse alienam. Vt igitur à primo ordiar, interpretationis Augustinianæ & meæ duas attuleram rationes, quarum altera à verbis, altera ab Apostoli scopo fuerat petita. Atque à verbis petita ratio hæc fuit, quod non videtur conuenire, vt vbi *facti* ratio constat ad Dei 4 voluntatem confugiatur, id quod hîc fit non sine emphasi singulari, cuius rationis pondus eleuat Tilenus, dum concedit quidem agi hîc de Dei voluntate, & quidem eâ cuius nulla ratio reddi potest. Sed hanc voluntatem non vult esse eam quâ fit, vt hi potius quàm illi vocentur, sed Dei beneplacitum quo liberrimè voluit nouum fœdus cum homine lapso contrahere, eâ quâ ipsi visum est conditione. Quæ sententia non est iam à me consideranda in se, quia non est hic excurrendi locus, tantùm respondeo eam non conuenire verbis Apostoli, quæ non significant Deum, quia voluit contraxisse fœdus hac potiùs quàm illa conditione, quod duabus rationibus probo. Nam etiam ex mente Tileni voluntas illa Dei non respicit magis hunc quàm illum hominem; Hîc autem de ea voluntate agitur quæ erga *hos* 5 alia est, alia erga *illos*, cum voluntas contrahendi 6 fœderis ex hypothesi *vniformiter* omnes homines respiciat. Deinde qui fieri possit vt verba ista *miseretur quorum vult misereri & indurat quos vult*, significent *init fœdus quâ conditione ei libet*? Altera 7 ratio petita à scopo Apostoli quâ vsus sum, hæc fuit; Apostolo res est cum illis qui querebantur pares conditione naturæ, non adeptos esse parem gratiam; Si igitur agitur hoc loco de iis qui impares sunt, nullus conueniens relinquitur locus sic occurrendi querelæ vt confugiatur ad Dei voluntatem, cum in promptu sit respondere, non esse pares qui pares esse statuebantur; Nempe statuuntur pares esse Esauus & Iacobus, & quidem 8 Apostolo paritatem illam *vrgente* duobus modis, & isto quidem priori, quod non vt Isaacus & Ismael diuersis parentibus nati sint, sed quod multo maius est iisdem parentibus ex eodem concubitu, vnde sequitur eos fuisse gemellos, & cùm Apostolus id monuerit, constat in eo Apostolum pedem figere iuxta illud *non potest solui Scriptura*, quæ argumentandi ratio Apostolo familiaris est qui quoties notatur à Mose euentus aliquis singularis, vt sunt illi secundum carnem euentus spiritualiter intellecti, typi rerum spiritualium eos non iam trahit, sed adducit ad ea significanda quò pertinebant, nempe corporalia illis temporibus spiritualium rerum typi fuerunt. Sic Apostolus ex eo quod lege tanquam nefas vetatur *boui trituranti os obligare* &c. Colligit quantum debeatur ministris Euangelij: Et capite 4. Epistolæ ad Galatas diuinitùs prorsus eodem fundamento nixus, quòd *frustra nihil est scriptum*: non iam cogit, sed adducit ἀλλήγορίαν Ismaelis & Isaaci, Agaris & Saræ ad diuersitatē cōditionis eorum significandam, quorum alij nituntur iustitiâ legis, alij fidei iustitiâ. Posteriori verò modo Apostolus paritatem sic vrget, quod priusquam nati essent, aut fecissent quidpiam boni aut mali dictum est, *magis seruiet minori*, quibus verbis etsi non sit necesse eò recurrere vt statuamus excludi in consideratione *absolutâ* (hoc est cum quæritur cur reiectus fuerit Esauus) nequitiæ Esaui rationem, tamen negari non potest Apostolum hoc premere quod Deus non *distulit* patefactionem 9 voluntatis suæ de Iacobo præponendo Esauo in id vsque tempus quo Esauus proditurus esset opere & factis ingenium suum. Iacobus verò pietatem erga Deum & parentes, id certo Dei consilio factum esse, ne quis putaret quod eorum alter alteri prælatus esset: (hic enim agitur de reiectione non *absolutè* sed *comparatiuè* consideratâ) id esse tribuendum studiorum diuersitati. Vnde sequitur Apostolum voluisse eos pares constituere, vt certè si quæ imparitas fuit, honos *Esauo* qui 10 *maior* erat potiùs habendus fuit quàm Iacobo qui erat minor: quod quorsum spectet in Analysi exponemus: nunc id tantùm obseruamus, sic iudicio humanæ rationis augeri admirationem, cur Deus non modò duorum parium, quoad eius fieri potuit (quando duo simul nasci non possunt) alterum alteri prætulerit, verum etiam (quandoquidem in eo genere nulla mera paritas dari potest) minorem prætulerit maiori. Itaque nullo consilio Apostolus vrserit istam paritatem quando in promptu erat discriminis rationem afferre, quod vitæ studijs dispares essent.

Sequitur vt respondeam ad eas rationes quibus Tilenus conatur efficere vt hoc loco Apostoli, agatur de reddendâ ratione cur hi potiùs quàm isti seruētur, hoc est (vt loquar magis propriè) cur iustificentur isti, illi autem excludantur à iustificatione (quæ quæstio pertinet ad rationem præstandæ promissionis fœderi annexæ & eiusdem denegandæ) non verò agi de hac quæstione

ſtione vnde fiat vt implendæ conditionis fœderi annexæ gratiam indulgeat Deus his potiùs quàm illis, cum ſit par illorum & horum conditio, imò & plerumque *ſecundùm carnem* potior ſit eorum conditio quibus Deus gratiam denegauit quàm eorum quibus eam indulget, vt Eſauus ſecundùm carnem Iacobo præſtãtior erat, maior enim eo fuit. *Prima* ratio Tileni hæc eſt. *Scopus Apoſtoli eſt, oſtendere duplex eſſe genus filiorum Abrahæ quorum alij typis Iſmaelis & Eſaui præfigurati iuſtitiã legis conſectantur, alij verò typis Iſaaci & Iacobi præfigurati ſolâ fide in promiſſum Meſſiam freti vitã ſperauerint.* Resp. non eſſe negandum Iſmaelem typum fuiſſe eorum qui iuſtitiam legis ſectabantur, Iſaacum verò eorum qui quærunt iuſtitiam in Chriſto per fidem, quam iuſtitiam ipſi non habent: at non eſt concedendum, Eſauum typum eſſe ſimpliciter eorum qui ſectantur iuſtitiam legis, ſed eorum quibus iuſtitiam legis ſectantibus Deus non *eximit* ſtudium illius iuſtitiæ (quod ſanè poſſet ſi id decreuiſſet) vt indat ipſis ſtudium iuſtitiæ fidei: pariterque non eſt dandum Iacobum typum eſſe ſimpliciter ſectantium iuſtitiam fidei: ſed eorum quibus Deus indidit hoc ſtudium, hoc eſt (vt vno verbo dicam) Iſaacus typus eſt *donatorum fide*, Iacobus *fide donandorum*, & vice verſa, Iſmael typus eſt eorum qui ſectantur iuſtitiam legis, *quatenus eam ſectantur*, Eſauus typus quidem ſectatorum legis ſed *quatenus permittuntur ſibi à Deo* (qui eorum corda poſſet emollire ſi id decreuiſſet) ita vt iuſtitiam legis porrò ſectentur, quod in Analyſi fuſiùs exponemus. *Secunda* eius ratio hæc eſt verſ. 11. *dicitur exertè non ex operibus ſed ex vocante*, vnde concludit hic agi de reddendâ ratione cur Deus non iuſtificet ex operibus ſed ex fide. Resp Opera hic opponi *vocationi*; non opponi, *fidei*: Itaque hîc Apoſtolum hoc ſtudere vt oſtendat non modò Deum in vocatione præponere ſceleſtos ſceleſtis, ſed etiam eos poſt habere in vocatione, quorum opera (qualia ſunt iuſtitiariorum) ſplendidiora ſunt, ſi reuocetur ad iudicium humanæ rationis. Certè alibi paſſim Apoſtolus opera *fidei* opponit, nempe agit de reddenda ratione iuſtificationis cur hi potiùs quàm illi iuſtificẽtur, at hic opera opponit *vocationi* & quidem *quatenus à vocante* eſt (quod non eſt oſcitanter obſeruandum) non verò *quatenus admittitur* ab eo qui vocatur.

11

12

Tertia ratio Tileni petita eſt ex verſ. 16. *non eſt igitur volẽtis aut currentis. Hic igitur*, inquit, *opponitur conatus & curſus operantis, miſericordiæ Dei quâ omnes & ſolos proſequitur credentes.* Resp. Conatum & curſum operantis, opponi quidem miſericordiæ, ſed cum vocantis ſit tam quàm iuſtificantis miſericordia, aio hîc opponi conatum & operationem ſecundùm eam iuſtitiam quam Paulus vocat ex lege (qualis Pauli fuit ante conuerſionem) miſericordiæ vnde *vocatio* pendet, non verò miſericordiæ vnde pendet *iuſtificatio*: nam *miſericordia iuſtificans* conditionem requirit in obiecto fidem nempe & pœnitentiam, *vocans ponit* conditionem non inuenit. Sic Paulus non ideo vocatus eſt quia ſectatus eſt iuſtitiam legis, ſed merâ Dei *vocantis* miſericordiâ: nam quod profitetur ſibi obtigiſſe miſericordiam quòd quæ fecit ignorans fecit, non notat iuſtitiam legis, ſed peccata admiſſa per ignorantiam, quæ redditio eſt cauſæ, vt loquuntur in ſcholis, *ſine qua non*, alioqui (quod nemini probatur qui quidem vllum habet veræ religionis ſenſum) peccare per ignorantiam eſſet, ſi non cauſa, conditio tamen impellens Deum ad commiſerationem.

13

Quarta ratio petita eſt ab exemplo quo vtitur Apoſtolus, nempe Pharao exemplum ſtatuitur iræ Dei, ſed quam accerſiuit in ſe, ſuis peccatis. Resp. Non pugnat hoc exemplum cum noſtrâ interpretatione, (vt in Analyſi oſtendemus) non enim ij ſumus qui negemus eos qui non vocantur non eſſe *promeritos* vt ne vocentur, quin potiùs hoc iam multoties inculcauimus, ij ſumus qui negamus eos *qui vocantur* eſſe *dignos qui vocentur.*

14. 15.

Vltima ratio petita eſt ex quatuor poſtremis huius capitis verſiculis. *Verſu* inquit, 30 *exertè dicitur gentes non ſectatas iuſtitiam* (*puta ex operibus legis*) *obtinuiſſe iuſtitiam quæ eſt ex fide & verſ. 31. dicitur Iſraelem legem iuſtitiæ ſectantem ad iuſtitiam illam non peruenisſe, & verſ. 32. ſubiungitur ætiologia, putâ quod populus hic eam ſectatus fuerit non ex fide ſed ex operibus legis, & quod impegerit in lapidem offendiculi qui eſt Chriſtus ſolâ fide apprehendendus, & verſ. 33. concluditur tota diſputatio hæc epiphonemate, quiſquis crediderit in eum non pudefiet.* Resp. Vt hæc ratio vllum habeat pondus probandum eſt iſta poſita eſſe vltimo loco, nullâ interiectâ *parentheſi* inter ea quæ ab initio capitis ad verſ. 10. dicuntur, & hæc quæ vltimo loco demum ſubiiciuntur. Eſſe verò parentheſin ex Analyſi liquebit.

16

Ea verò tertio loco inſtituenda venit, quo iam peruentum eſt, ſic igitur exiſtimamus. Poſtquam Apoſtolus ſummam Euangelij explicauit, traditâ doctrinâ de iuſtificatione & ſanctificatione præcedẽtibus capitibus, ſubit eius animum commiſeratio fratrum ſuorum ſecundùm carnem, qui cæteroqui ſummis locupletati & exornati dotibus dum iuſtitiæ ſuæ fidunt, excidẽre eâ ſalute quæ per Chriſtum parta eſt. Hunc verò æſtum animi ſui componit, ſimul etiam obſtinatis ogganniendi & infirmis mirandi anſam præcidit, prolato in medium Dei decreto de fidelibus ſolis iuſtificandis, patefacto oraculo in Eccleſiâ notiſſimo quod adeò *Dei verbum* vocat; *At non poteſt*, inquit, *excidẽre Dei verbum*: quæ non eſt *Iudæorũ* reſponſatio (vt arbitratur Tilenus) ſed ipſius Pauli vox quâ dolorem animi ſui quoquo modo poteſt lenit, & Iudæis os obſtruit, & imbecilliores confirmat: Etenim *verbum Dei* ex Scripturæ vſu *Euangelium* eſt κατ᾽ ἐξοχὴν ſic appellatum, nam legis doctrina ad Euangelium tanquam ad finem refertur. Porrò hoc oraculum illud eſt, *in Iſaaco vocabitur tibi ſemen*: quæ verba demus ſanè *typicè* eſſe intelligenda, (maximè cum eandem allegoriam Apoſtolus repetiuerit Gal. 4.) *typus* verò hoc pacto erit explicandus ad hunc modum, Iſaacus *fidelium* typus fuit, Iſmael *ſeruorum* hoc eſt iuſtitiariorum: at hic eiectus fuit domo, iſte permanſit, typi verò rebus typo repræſentatis quadrant: Cùm igitur Iſaaci typo *fideles*, Iſmaelis typo *iuſtitiarij* figurati fuerint, neceſſe eſt vt cenſeantur in filijs qui in patris domo ſemper manent fideles, eijciantur verò qui pertinaciter iuſtitiam legis ſectantur. Vbi animaduertenda eſt diligentiùs figurarum cum figuratis conuenientia: Nam Iſaacus præter & penè contra naturæ ordinem genitus a parentibus ſenio confectis & effœtis, nempe ſic fideles non ex ſanguine

Verſ. 1. 2. 3. 4. 5.

Verſ. 6.

17

18

Verſ. 7. 8. 9.

neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt, vnde & Gal. 4. Isaacus *genitus secundum Spiritum* dicitur: At cótra Ismael Abrahamo nondum defecto viribus natus est vi naturæ, nempe tales sunt Iustitiarij qui viribus liberi arbitrij fieri ad salutem nitūtur, prætexentes fastui suo innatam voluntati liberta tem. Deinde Isaacus vtroque parente libero ipse liber natus est; nempe fideles Deo, vt filij seruiūt liberè, non seruilisue mercedis prolecti aut metu pœnæ compulsi, quamuis gratuitam mercedem, vt hæreditatem firma animi fiducia exspectant: Cótrà verò Ismael etsi patre libero attamen matre serua natus est, porrò partus ventrem sequitur, nascendi ergo conditione seruus fuit: tales scilicet sunt qui Deo cultum exhibent seruilem Iustitiarij. Iam verò cum Apostolus rem huc deduxisset, continuò illud occurrit, cur Deus Iustitiarijs istis indiscriminatim non indiderit nouam mentem, præsertim cum hoc beneficium quibusdam eorum, & verò hominibus profanis & vel superstitiosis & idolatris, vel etiam omnis religionis contemptoribus (quales plerisque vocati è gentibus fuêre) indulserit. Quod scandalum amolitur prolato alio oraculo *maior seruiet minori* Esauus putà Iacobo. Atque hic concedamus item hæc esse *typicè* intelligenda, consideremus modò typorum cum rebus quarum typi sunt conuenientiam. Ac primò quidem Apostolus apertè docet (vt suprà à nobis explicatum est) Esauo & Iacobo paribus per beneficium non fuisse indultum, ne quis miretur huic Iustitiario, verbi gratia Paulo, *plus esse* datum quàm plerisque omnibus Iustitiarijs, quorum conditio par fuit cum illo: & ne quis demiretur gentilib. alienis à Dei fœdere, & omni flagitiorum genere contaminatis plus esse indultum quàm Iudæis anhelantibus sub iugo legis, eoque, vt videtur, præponendis in vocatione, admonet in huius rei typum Esauum maiorem natu, eoque (si vlla hic imparitas fuit) digniorem, posthabitum Iacobo fratri natu minori: quorsum? nempe vt maneat propositum Dei, quod est κατ' ἐκλογὴν, hoc est, *Propositum Dei electiuum*, non enim dicit Apostolus ἵνα πρόθεσις Θεοῦ ἡ κατὰ τὴν ἐκλογὴν, sed ἡ πρόθεσις Θεοῦ κατ' ἐκλογὴν, hoc est, Propositum Dei, quod in *mera Electione* situm est. Porro mera electio nulla nititur conditione quæ sit in eo qui eligitur: Itaque vt maximè propositum Dei de seruandis fidelibus dici posset *secundùm Electionem*, cum præsupponat conditionem fidei in eo qui eligitur, non potest tamen dici πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν, quòd Apostolus exertè notauit, nam epexegeticè subiungit, *non ex operibus sed ex vocante*: Hîc autem repetenda est obseruatio cuius supra meminimus, non opponi opera fidei, sed vocationi, quæ fidem *præcedit*, vt à nobis iam demonstratum est, vnde constat nouos hic induci typos, cum conuenientiæ typorum priorum & posteriorum cum rebus suis ratio dispar sit, quanquàm Apostolus satis indicat diuersos esse typos, si nihil aliud esset, verbis illis οὐ μόνον δὲ *non solùm autē*. Sed quoniam noua hinc oritur difficultas, videri enim possit Deus vti προσωποληψίᾳ, quæ iniustitiæ quædam species est si paribus paria non indulgeat, aut verò præstantiores in speciem posthabeat contemptioribus: Huic difficultati *duobus modis occurrit*, ac priori quidem ritu, ostendendo nempe Scripturæ

Veteris Testam. authoritate (est enim ei res cum Iudæis præcipuè) quàm *sit liber* Dominus in misericordiæ suæ vel dispensatione vel negatione, *miseretur cuius vult* &c. quo loco adducto apertè significat nemini iniuriam fieri, quòd non vocatur efficaciter, cùm sit misericordiæ si quis vocetur. Posteriori autē modo *prolato Pharaonis exēplo*, cuius cor *emollire* Deus *potuit*, si quidē id constitutum habuisset. Quoniam verò supererat vt hominum audaciam compesceret *vt sp nsantium* fieri non posse, vt quis Deo resistat: Id verò sic facit, Primò, vt neget decere hominem iacentem in peccatis & extrema commeritum Deum in ius trahere, si minùs ei gratiam impertitur *quam*: sicut enim figulo licet ex luto re vilissima pro arbitrio vas aliud ad honestum vsum, aliud ad minùs honestos vsus fingere: sic Deo pro *arbitrio* licet ex hominibus peccatoribus alios, (vt in iis ostendat diuitias misericordiæ suæ) sancta vocatione ad gloriam præparare; alios verò (quos tamen patienter fert) sibi permittere suâ culpâ comparatos ad interitum: Quod discrimen Apostolus prudenter *notauit*, nam cum de iis quos Deus vocat, sermonem instituit, οἷς προητοίμασεν, inquit, nempe vt designet hîc efficacem Dei actionem; at vbi de illis agit quos non vocat, eos dicit vt ita non quidem ἃ κατηρτίσατο ὁ Θεὸς, sed κατηρτισμένα, iuxtà illud *perditio tua ex te Israel* &c. Deinde idipsum confirmat Prophetarum vaticinijs, quibus apertè non de *iustificatione*, sed de *vocatione* agitur. Postremò prolato ex Esaia vaticinio offensionem ortam ex consideratione paucitatis vocatorum ex Iudæis eleuat, quis enim offendatur si quod *prædictum* est, eueniat. Atque sic explicauit quæstionem cur cùm soli fideles participes sint salutis, tamen omnibus Deus non det fidem, sed his potiùs quàm illis: quæ explicatio inchoata ℣. 10. ad vers. vsque 30. producta est; inclusa scilicet parenthesi, quâ clausâ v. 29. *redit ad id quod* initio capitis tractarat typicè, cùm rationem redderet cur Iustitiarij obstinati non seruentur, salutem verò consequantur fideles, concluditque rem totam non iam figuratis, quod fecerat initio capitis, sed nudis & significantibus verbis, quæ coniungenda sunt cum v. 9. Neque verò est quod quispiam *miretur*, tanto ista distare interuallo, cùm quæ interiecta sunt, tam arctam cum istis habeant coniunctionem, sitque Apostolo admodùm familiare, disputationis filium interiectis parenthesibus (quando res id poscit) interrumpere. Sic (vt arbitror) ostendi quod initio huius Responsionis promiseram, me neque præter rem respondisse ad annotationes Tileni, neque his verbis, *miseretur cuius vult* alienum sensum affinxisse.

TILENVS.

Ne subinde & meas Annotationes & Cameronis responsiones necesse sit repetere, vtemur deinceps compendij causâ numerorum notis, quæ, cui superioris dissertationis parti à me respondeatur satis commodè designabunt.

(Die Lunæ 27. Aprilis.)

1. *Occultissima* hæc *merita* & mihi, atque (vt arbitror) etiam Augustino, de malis duntaxat meritis intellecta fuerunt, ita vt sensus sit, reiectionis causas semper inueniri in malis hominū meritis,

meritis, non item electionis in bonis eorundem operibus, aut etiam in fide præuisâ & citrà excitantis gratiæ auxilium ex humanis viribus orturâ: quamuis mala illa merita ita sint occulta, vt humano iudicio homines isti non modò non videantur apertè mali, sed plerisque minùs improbis meliores in speciem appareant. Summa est, vt quemadmodum planè est ἀσυλλόγιστον mala opera plena & integra sunt causa damnationis, ergo bona opera salutis sunt causa, nempe quia contraria non sunt paria, neque viuificare se potest qui necare se potuit: sic si propter mala, licet occultissima, merita rejicitur hic, inconsequens est vt propter bona opera, seu fidem tanquam integram causam eligatur ille. Interim non simpliciter nego rationē aliquam discriminis esse etiam in hominibus, quis enim neget discriminandos esse proteruos & sceleratos homines, de quibus Apostolus 2. Thess. 3. 2. itemque Act. 13. 45. contradicentes & blasphemantes, ab iis quos Christus vocat *dignos filios pacis* &c. Matth. 10. 11. & seq. & Paulus vocat εὐγενεστέρους Actor. 17. 11. vbi apertè discriminantur Berœenses sermonem Pauli alacriter suscipientes à Thessalonicensibus eodem repudiato plebem aduersus Paulum concitantibus.

2 Hanc distinctionem operæ pretium est paulò accuratiùs expendere. Si Cameronis mentem capio, denegatio *absolutè* considerata ea est quò Deus (siquidem solà iustitiâ & seueritate vti voluisset) propter quodvis peccatum, etiam commune illud quod *originale* vocamus, potuisset omnes homines in tenebris & vmbra mortis relinquere perpetuò: *Comparatè* autem considerata ea est quâ ex duobus æquali morbo laborantibus, huic denegat, illi impertit Euangelicę lucis pharmacum. Hic igitur negat Camero vllam in hominibus causam aut discriminis rationem reperiri posse aut quæri debere, cum tamen (vt patet ex ante dictis) maluerit Augustinus (cui & ego hîc assentior) eam in occultissimis meritis quàm in nuda & sola Dei voluntate collocare. Hic igitur pes figendus & eà ratio ineunda, totumque negotium sic explicandum, ne vel προσωποληψίας vel hypocriseos suspicio, vel peccati aliqua causalitas Deo aspergatur. Primùm igitur sciendum est largitionem vel denegationem Euangelicæ lucis (vnde certa vel salus vel pernicies) *absolutè* consideratam tantùm pertinere ad decretum illud generale de seruandis filiis lucis quatenus tales hoc est fideles, & perdendis filiis tenebrarum siue infidelibus, vnde nascitur maior propositio syllogismi in quo totius controuersiæ cardo vertitur, putà *quicumque crediderit saluus erit, qui non crediderit damnabitur*: quæ propositio extra controuersiam est, ac ne à Pelagio quidem negata. Sed ex denegatione lucis *comparatè* considerata demum nascitur minor siue assumptio in hanc sententiam. *Atqui Iudæ denegatur illuminatio quæ indulgetur Petro*, siue, *Petrus ita vocatur vt credat, Iudas ita vocatur vt non credat, vtrumque fit ex nuda & sola Dei voluntate absque vlla discriminis ratione his duabus personis inhærente.* Ergo hic certissimè & ex sola Dei voluntate reiectus perit, sicut & ille eadem ratione seruatur. Nemo non videt denegationem illuminationis hoc posteriore modo consideratam hoc est tantum modò *comparatè*, cōtrouersiæ centrum esse, & propriè & proximè ad prædestinationem pertinere, cùm prior siue *absolutè* considerata denegatio non longè recedat à generali prouidentia quâ Deus ex bonitate & φιλανθρωπίᾳ hominibus bene consultum vult quatenus sunt homines, atque etiam non vult perdere eos simpliciter quatenus sunt peccatores, vt patet ex dicto, *nolo mortem peccatoris &c.* itemque *Deus vult omnes homines saluos fieri*, quæ duo testimonia si vel sola extarent in verbo Dei, omnino tamen ita instituenda esset illa distinctio absolutæ & comparatæ considerationis vt sarta tecta maneret συναλήθεια, non autem vt vel leuissimè eam labefactaret. Cum igitur tota controuersia sit de ratione discriminis quoad certas & singulares personas, quarum hæc illuminatur & vocatur efficaciter, illa vel omnino non vocatur per verbum Euangelij, vel ita vocatur vt vocantem aspernetur, idque vel ex consilio & decreto immoto vocantis, vel tantùm respectu euentus ex contumacia vocati existentis, hic necesse est pedem conferre, simpliciterq; ac & apertè efferre & enuntiare, *vtri causa propriè dicta exitij sit adscribenda diuinæ voluntati an contumaciæ humanæ.* Aio ego, si Deus huic personæ deneget hunc illuminationis modum siue gradum qui ad fidei ingenerationem necessarius & sufficiens est, tam esse & exitij & incredulitatis causam quā ruinæ domus causa est qui necessaria ei fulcra vel non admouet, vel admota subtrahit, hoc est vel actu negatiuo non dans lucem, vel etiam positiuo si excæcet & induret nulla habita ratione propriorum peccatorum quæ huius pœnę causa sūt meritoria: Ac proinde ratio discriminis omnino erit statuenda in ipsis personis, (etiam si peccata illa propria nobis non pateant quia sunt aliquando occultissima) non autem in sola & nuda Dei voluntate aliter nobis in Euangelio atque etiam ἐπαγγελίᾳ veteris Test. declaratâ, cui declarationi standum, non autem eò decurrendum vnde necessariò efficitur decretum quoddam esse absolutum de quibusdam perdendis, iis videlicet quibus illo decreto absolutè non autem propter peccata, siue ea sint occultissima siue sint apertissima, necessariæ illuminationis modum & gradum ab æterno Deus denegare constituit (siquidem nihil facit Deus in tempore quod non decreuerit ab æterno se facturum) & tamen qui tanquam saniores hodie scopulum illum Manichæismi declinare student nolunt sibi impingi doctrinam decreti absoluti. Si igitur *absolutum* opponitur *conditionato* omninò necesse habent conditionem vel vt *præstitam*, vel vt *neglectam* intueri, atque vt soli Deo debetur eius præstatio siue impletio, sic non prestationis siue cōtemptus causa ab eodem longissimè est remouenda, nisi velimus eum contemptus huius causam esse tanquam remouens prohibens, hoc est illuminationem denegans vel collatam extinguens. Excipiet quis semper causam reperiri in homine, cùm nemo sit qui præter commune illud peccatum originale non propriis & actualibus laboret, (si agamus de adultis tanquam proprio vocationis quæ per verbum fit obiecto) interim tamen ex duobus sceleratis istum assumi, illum relinqui, quandoque etiam sceleratiorem minùs scelerato anteferri in vocatione. RESP. In eiusmodi & rebus & phrasibus distinguendum esse sensum *compositum* à sensu *diuiso*, putà vt quemadmodum

Vide August. de Ciuit. Dei lib. 19. c. 13.

cùm Christus ait *meretrices vos praecedent in regno caelorum* non certè intellgit in sensu composito quamdiu & quatenus meretrices, sed κατὰ διαίρεσιν quæ tales quidem fuerunt sed resipuerunt: quæ διαίρεσις manifesta est illis in locis quibus legimus *caeci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt &c.* hoc est qui fuerunt tales: sic quoque cum in vocatione siue illuminatione sceleratus præponitur ei qui visus fuerat æquè vel minùs sceleratus, statuendum non est talem adhuc eum esse sed communiore quadam gratiâ præuentum & saltem seruili timore (qui vt acus filum introducit in pannum, sic initialem ac deinde suo tempore etiam filialem pectori inserit) perculsum cæpisse sibi displicere, morbum agnoscere, medicum circumspicere, quamuis eum nondum cæperit cernere, nedum planè sanatus fuerit.

3 Sed instat hic Camero notâ 3. queriturque nos eodem reuolui, & quæri rursus vnde petenda ratio discriminis gratiæque causa, ob quam ea huic indulta illi negata, ex quâ hic illo paratior euaserit. RESP. Iam necessariò explicandum esse modum quo Deus siue primam siue insequentes gratias, primæque & sequentium gradus & momenta administrat; quam quæstionem qui non intelligit esse longè difficillimam, is mihi quidem in hoc negotio nihil aut perparùm intelligere videtur. Ac primum quidem vltrò fateor spiritum gratiæ variis & inexplicabilibus quibusdam modis operari in hominibus quos ad communionem Christi vocat, ne quis hic mihi oggанniat me omnes diuinæ illius sapientiæ modos quasi innumerato habere, omnesque huius mysterij sinus & anfractus explorasse & peruestigasse. Quemadmodum igitur cùm Dei essentiam, naturam, attributa, proprietates &c. describimus vel pro captus nostri modulo declaramus, atque inter cætera constanter asseueramus eum non esse corporeum vel materialem vel humanis affectibus & perturbationibus obnoxium &c. non protinus statuimus plenè perspectam nobis esse eius maiestatẽ: Ita cum negamus gratiam in homine operari irresistibiliter, hoc est, ea vi & ratione quâ fit vt is qui assentitur vocanti non possit non assentiri eopse momento quo assentitur, non tamen propterea Spiritum gratiæ in ordinem cogimus, quasi non aliter agat quàm solet ac potest orator vehemens & efficax, aut etiam Angelus; neuter enim nouum aliquod lumen in mente accendere potest, quod facit Spiritus. Vnum hoc postulamus vt eius operatio eâ concipiatur & intelligatur ratione, quæ neque gratiæ neque voluntatis humanæ naturam ac proprietatem euertat, huic autem nempe voluntati prorsus aduersari statuimus non solùm coactionem, sed etiam prædeterminationem ad alteram contradictionis partem. Etenim non est voluntarius motus in equo, cane, quamuis sponte currant & lasciuiant, propterea quòd ab obiectis ita determinantur, multoque minùs in lapide cùm ex naturali grauitate fertur deorsum, vbi nulla est coactio aut violentia: quinimò periculum est, ne prædeterminationis in voluntate assertores coactionem quoque voluntati per necessariam consequentiam tribuant; Etenim coactio vel coacta actio his duobus constat, primò, vt fiat à principio externo, secundò, vt repugnet principio interno superetque potentiam obnitentis: Iam verò certum est illuminationem fieri à principio externo, hoc est Spiritu Sancto, nec minùs certum hominem ψυχικὸν repugnare huic Spiritus operationi, quod Stephanus vocat *resistere Spiritui Sancto*, vbi alloquitur etiam eos qui verbo Dei non modò fuerant vocati, sed ipsi quoque quotidie alios vocabant ad Legem & Testimonium, cuius legis finis & scopus erat Christus ipsis tamen inuisus & exosus: Igitur vt definitio coactionis sic & definitum, id est coactio tribuetur voluntati, si omnia à Spiritu peraguntur irresistibiliter; cùm verò fatemur mentem illuminari irresistibiliter, neque id primo statim momento ἀθρόως, in omnibus qui regignuntur, fieri dicimus, neque postquam id factum, voluntati essentialem suam libertatem eripi statuimus, frustrà alioqui futuris monitoribus & verbi diuini ministris, qui alioqui post prædicatam & probè explicatam doctrinam Euangelij, id est perfusâ iam mente nouâ illâ coruscatione quiescere possent, & irrito vel superuacaneo saltem in commouendis affectibus pulsandoque cordis ostio, labore supersedere, si quidem non infallibilis modò, sed etiam ineuitabilis est determinatio voluntatis post illuminationẽ mentis. Aliud quoque incommodum & ἀτόπημα hinc sequitur putà in primo regenerationis momento quo vetus homo deponitur & nouus induitur, adeoque est instar recens nati infantis, fortiorem eum esse quàm deinde est postquam adoleuit in Christo, & consentaneum est pluribus gratiæ donis auctum maioribusque viribus instructum esse debere, quod sic ostenditur: ex Cameronis hypothesi efficaciter vocatus τῇ προθέσει κατ᾽ ἐκλογὴν in primo illo momento, hoc est ipso ortu regenerationis non potest resistere Spiritui Sancto, sed mente illuminatâ voluntas necessariò assensum præbet, & nouum illud lumen sequitur, quod summi roboris est in nouo homine; adultus autem fidelis qui acquisitio iam & confirmato salutaris fidei habitu longè fortior esse debebat, sæpissimè tamen spiritui gratiæ resistit, eum contristat (quidni etiam aliquando extinguat? Apostolus enim vtrumque cauendum monet) vt patet ex grauissimis sanctorum lapsibus. Patet ergo absurdum quo statuitur infans esse fortior adulto, nam resistere spiritui non est roboris, sed summæ imbecillitatis. Summa responsionis nostræ ad instantiam Cameronis tertiâ hac notâ designatam hæc est, eos qui destituuntur necessariâ illa illuminatione, non ideò destitui, quod noluerit Deus eam largiri, sed quòd ipsi noluerint eam admittere, quam Deus vel offerebat, vel etiam conferre paratus erat, nisi illa προηγούμενα & regenerationis præcedanea, id est vocationem siue per naturam siue per legem factam, irreligiosè & irreuerenter habuissent, sed quatenus poterant admisissent; neque enim Deus messem postulat vbi sementem non fecit, quod malus ille seruus contumeliosè & calumniosè objiciebat domino suo. Qui verò acceperunt illud lumen, non ideò acceperunt quòd præcedaneorum illorum rectior vsus causæ rationem habuerit, quâ Deus tanquam iustus iudex, & μισθαποδότης impulsus fuerit ad maiorẽ & simpliciter sufficientẽ efficacemq; gratiam ipsis cõmunicandam; tametsi Apostolus non veretur dicere Deum iniustum futurum si obliuiscatur ope-

tur operum &c. Heb. 6. 10. sed Deus tanquam mitissimus pater gratum habet etiam rudimentum illud, & vix tenue quoddam inchoamentum illius obsequij, quod non ex merito operis vel assensus cuiuscumque, sed ex suâ benignitate & æquitate æstimat, & pluribus maioribusque donis merè gratuitis auget, tandemque ornat & perficit secundùm mensuram donationis Christi.

4. Non opponenda sed componenda sunt ratio facti & voluntas Dei: Etenim ab ipsa Dei voluntate est hæc ratio, quâ quæritur, cur hic eligatur, ille rejiciatur, nempe, quia hic sequitur Christum, alter refugit. Verùm hæc facti ratio absurda videbatur Iudæis, iustitiam in lege & operibus, non autem in Euangelico & fide collocantibus, aliam autem rationem præter hanc Dei voluntatem Paulus adferre, neque debuit neque potuit, putà quod iam inde ab initio Deo visum esset tantùm fideles, tanquam filios eligere, incredulos tanquam seruos è domo ejicere. Hinc patet omnino Paulum agere de vocatione *absolutè* considerata non autem *comparatè* inter certas quasdam & singulares personas: Non enim magnopere sollicìti erant Pauli aduersarij de sorte vel conditione duorum illorum fraternorum parium, quæ siue ambo periissent siue ambo seruata fuissent, toti Iudæorum populo (qui ab illorum fratrum æuo vsque ad illud tempus circumlati nempe per orbem Euangelismi vixerat) nihil vel spei vel auxilij afferre poterant: sed doctrinam de fide in Christum quam Paulus vt absolutè omnibus in genere iustitiam & salutem cupientibus necessariam esse inculcabat, præfractè repudiabant, quasi per eam verbum Dei excideret.

5. RESP. Non quatenus sunt certæ & singulares personæ, neque etiam simpliciter quatenus peccatores: omnes enim & singuli tam reprobati quàm electi sunt, & certæ personæ & certi peccatores: Caussa igitur diuersæ voluntatis erga hos & erga illos est fides & infidelitas, aliter tamen consideratur voluntas erga fideles, putà vt gratuita misericordia, in reliquos vt seuera iustitia: ac proinde causa cum dicitur de fide, conditionem tantùm significat, quæ est causa sine qua non, de infidelitate verò causam propriè meritoriam.

6. RESP. Nihil verius quàm voluntatem hanc noui fœderis contrahendi vniformiter omnes homines respicere, quia hoc ipsum asserit Paulus cum dicit *Deus vult omnes homines saluos fieri &c.* Proinde cum diuersimodè non autem vniformiter homines respicit, considerat eos neque tanquam homines, neque tanquam peccatores, sed tanquam fideles & obstinatè impœnitentes incredulos.

7. RESP. Quia vult ostendere Paulus voluntatem illam miserendi & indurandi non esse iniustam sed æquissimam, Iudæis autem inueteratam de obtinenda per legem salute opinionem de pulmone reuellere: (alioqui non compescuisset obstinatos, non erudiisset infirmos vel dubitantes Iudæos, semper enim illi oblatrassent tyrannicam esse hanc voluntatem pro nutu & arbitrio aliquem seruare vel perdere, eoque vehementiùs repugnassent doctrinæ talem Deo voluntatem tribuenti.) Quocircà ex Mosaicâ Lege prolatis & oraculis, & typis docet Paulus Deum nouo fœdere initio hanc voluntatis suæ quâ miseretur quâ indurat rationem declarasse: sic igitur nouitatis inuidiam à doctrinâ suâ amolitur Apostolus.

8. RESP. Elenchus non causæ vt causæ. Non est hæc causa cur paritatem vrget Apostolus, quasi Deus discreuerit hos fratres vnũ eligendo, alterum rejiciendo quatenus pares nullaque qualitate differentes, sed Iudæis solâ carnis & seminis Abrahami prærogatiuâ tumentibus hoc supercilium demit hoc pacto; si ne illi quidem filij Abrahami qui naturâ, conditione & statu ita erant pares, vt maior paritas cogitari vix posset, nihilominùs ità discriminati fuerunt à Deo, vt vnus misericordiam fuerit consecutus, alter seueritatem expertus, frustrà vos gloriamini, siue in natalibus vestris, siue in legis studio, etenim si respiceret Deus natales, hoc est semen Abrahæ secundùm carnem, nihil prorsus erat causæ cur alter alteri subjiceretur, præsertim maior minori, quasi turbato naturæ ordine: Omnino igitur aliud quiddam respexit Deus, quod vobis quoque respiciendum est, nempe vt à sorte filiorum carnis transeatis per fidem in Christum, ad sortem filiorum promissionis.

9. RESP. Quod non distulerit patefactionem in id tempus quo Esauus ingenium suum factis prodidit nec premit Apostolus nec disertè narrat, quasi ex illâ narratione absolutæ illius considerationis demonstrationem aliquam exstructurus: Hoc autem disertè & narrat & premit Apostolus Heb. 12. vers. 16. 17. quod non nisi post contemptam primogenituram proditumque profanum animum fuerit reprobatus, vbi notanda vox μετέπειτα. Quòd ergo non distulit patefactionem voluntatis suæ Deus ex eo nihil aliud colligi potest quàm præsciuisse & prædixisse ipsum animum Esaui profanum, quippe cuius oculis omnia sunt nuda & patentia Heb. 4. 13 etiam futura contingentia quorum veritas non minus certa est Deo quàm est nobis veritas præteritorum. Hinc efficitur non magis *comparatam* quàm *absolutam* considerationem resolui posse in nudam Dei voluntatem, quippe cùm ratio discriminis tam manifestè appareat in fratrum illorum personis quàm manifestum est discrimen inter sanctitatẽ & profanitatem: Summa rationis Cameronis hoc syllogismo constringi potest. Quarum rerum patefactionem Deus non differt in ipsum vsque euentum, illæ pendent à solâ & nudâ eius voluntate; Deus non distulit patefactionem voluntatis suæ de Iacobo præponendò Esauo in id vsque tempus quo Esauus proditurus esset opere & factis ingenium suum, Iacobus verò pietatem; Ergo diuersa vtriusque vocatio quâ hic efficaciter illuminatus fuit, non item ille, tantùm certo Dei consilio non autem studiorum diuersitati est tribuenda. RESP. Propositio est particularis ac propterea ἀσυλλόγιστος syllogysmus.

10. RESP. Hinc patet aut tantùm esse typos hos duos fratres non autem electionis & reprobationis exẽpla in suis ipsorum personis; aut si vt exempla etiam spectantur, nunquam impletum fuisse in ipsorum personis hoc oraculum, semper enim honoris prerogatiua mansit penes Esauum, semper eum agnouit & appellauit Dominum Iacob, etiam post redintegratam inter eos gratiam,

Omnino igitur non considerandi sunt duo illi fratres comparatè vt duæ singulares personæ, sed vt duo populi quorum vnus est credentium alter incredulorum. Huius expositionis fundus & fundamentum est ipse Moses Gen. 25. 23. *Duæ gentes sunt in ventre tuo, & duæ nationes editæ ex visceribus tuis separabuntur, quarum natio vna robustior erit altera, & maior seruiet minori.* Separationis huius typus extitit in duobus fratribus, quia nunquam inter eos bene conuenit, sed τὸ ταυτὸ in duabus gentibus conspicuum est, quia Idumæi infensissimi semper fuerunt hostes Iudæorum, hoc est populi fidelis: Interim tamen si quis putet ipsum quoque Esauum fuisse reprobum, Iacobum verò electum, me quidem non valde habiturus est repugnantem (tametsi Mollerus & alij quoque inter quos, ni fallor, Oecolampadius, statuant Esauum verè resipuisse, pacem cum fratre coluisse &c.) modò idem ille afferat vtrumque fratrem, (siue electis siue reprobis annumeretur) hoc respectu à Deo consideratum fuisse, quatenus vterque adoleuit & ingenium prodidit, quod quidem iam me euicisse confido ex Hebr. 12. 16. 17. typos autem duntaxat fuisse antequam quicquam boni vel mali fecissent, hoc enim maximè pertinebat ad scopum Apostoli omnem operum respectum à iustitiæ & salutis spe excludere satagentis.

11. RESP. Deum alicui eximere prauum aliquod studium duobus modis intelligi potest: Primùm vt exemptio ista fiat per vim irresistibilem, secundò, vt fiat per modum gratiæ & voluntati congruentem, qui modus supra explicatus fuit nota 5. Priorem modum si intelligat Camero, principium petit, nemo negat Deum id posse, hoc est voluntatem cuius author & conditor est, mutare; sed quæstio est quid velit & quomodo velit. Posteriore modo multis eximeret hoc studium si illi id sibi eximi vellent, ac non mallent obdurare corda sua cum vocem eius audiunt, disertè enim Ezechiel cap. 12. vers. 1. affirmat esse quibus sunt *oculi ad videndum nec viderunt, quibus aures ad audiendum nec audiuerũt, quia domus rebellis sunt*: Hîc ratio discriminis quoad vocationem efficacem non collocatur in nudâ Dei voluntate, sed in destinatâ & obstinatâ rebellione vocatorũ. Sic quoque Deus indit studium iustitiæ fidei non quomodo indit spiritum cadaueri (quamuis allegoricè conuersio non nunquam vocetur excitatio à mortuis) sed quomodo conuenit explorationi obedientiæ fidei, quæ obedientia non est (vt scholastici loquuntur) *obedientialis potentia*, qualis est in cadauere quod Deo excitare volenti nullo modo potest resistere; Hæc enim potentia tantummodò est *obiectiua* & simpliciter nulla qualis erat in nihilo ante creationem mundi; sed est potentia rationalis occupata à qualitate contraria, hoc est infidelitate, quemadmodum aqua calefacta potentiam suam naturalem frigoris occupatam habet à contrariâ qualitate caloris. Quocirca non semper dicitur *excitatio à mortuis*, sed quandoque etiam *excitatio à somno* Ephes. 5. 14. in quo somno potentia ad operationes vitales non est extincta, sed tantum constricta vel occupata.

12. RESP. Vocatio metonymicè hîc sumitur pro ipsâ fide, causa pro effecto quia vtriusque idem author. Est autem extra controuersiam vocatos ad fidem in Christum, tum cùm primùm vocantur, istam quidem, quæ immediatè salutaris est, fidem non habere, adeoque disparem esse hic huius charismatis dispensationem: Alienum verò prorsus est quod huc affertur, opera opponi vocationi tantùm quatenus ea est à vocante, non verò quatenus admittitur ab eo qui vocatur. Quid enim, num efficax & salutaris fuerit vocatio, siue eam admittat siue non admittat is qui vocatur? hoc certè est considerare vnum relatum absque altero, vocationem efficacem sine assensu vocati.

13. RESP. Ponit conditionem, hoc est fidem, eodem modo quo (vt dictum est nota 11.) eximit studium iustitiæ legalis & indit studium iustitiæ Euangelicæ. Quæ nostra sit sententia de modo illo intelligi potest ex notâ 5.

14. RESP. Hîc igitur consensus est.

15. RESP. Si rigidè hæc verba vrgeantur, non tam mihi quàm in Christo contradicitur; is enim Matth. 10. 11 vocatores siue Apostolos suos iubet priùs exquirere an quis sit *dignus* in eâ domo, quam vocandi causa fuerint ingressi: Neque tamen hoc velo *dignitatem* illam, quicquid tandem designet hæc nomenclatura, causæ rationem habere, cur Deus ea dignitate præditos vocet; aut dignitatem illam inesse dignis ex viribus liberi arbitrij.

16. RESP. Neque negaui hîc aliquam esse parenthesin, neque versus illos παρενθέτως planè dissimulaui, quandoquidem decimum sextum, decimum septimum, decimum octauum explanaui pro instituti mei ratione: quod verò desiderat Camero ad Analysin ipsius annotabitur.

17. RESP. Etsi his verbis *non potest Dei verbum excidere* mihi quidem videtur contineri Iudæorum obiectio quâ Paulo inuidiam conflare nitebantur, quod videlicet noua illa iustitiæ assequendæ ratione nihil aliud quàm verbum Dei solueret, quo verbo ipsi quidem iustitiam legi non fidei alligatam hariolabantur: tamen etsi largiar Cameroni esse hæc Pauli verba circum non interdum, vtriuis enim siue Paulo siue Iudæo tribuantur, eâ certè αὐτεπιστοι καὶ κοινόπιστον continent principium, quòd scilicet verbum Dei non possit solui seu excidere: de quo principio nisi conuenisset inter litigantes nullus disputationi locus futurus erat: etenim si Iudæis tribuantur, mens eorum erat Paulum ad hoc incommodum, id est, negationem vel euersionem communis principij, adigere: si Paulo, erit ei hoc principium tanquam fundamentum quod substernit testimoniis & oraculis typisque ex illo verbo deinde adductis in hanc sententiam *verbum Dei non potest excidere*. Ideòque verissimũ est quod in eo continetur, atqui verbũ hoc docet solos filios promissionis, hoc est, fide Christum amplectentes, iustitiam ex eâ que salutem assequi, non autem filios carnis, id est, iustitiam & vitam ex operibus sectantes. Ergo hæc mea doctrina, cuius hæc est summa, tam est vera, quàm verum est Dei verbũ non posse excidere. Huius syllogismi sola minor controuertitur inter Apostolum & Iudæos, ab illoque probatur oraculis illis & typis qui deinde ab eo adducuntur.

18. RESP. Assentior, idque meæ sententiæ prorsus suffragatur; Etenim si testimonia illa vers. 7. 8. 9. ad Euangelium tanquam ad finem referuntur, non potest

non poteſt alia eorum eſſe mens quàm quæ in ipſo Euangelio declaratur, de fidelibus videlicet ſeruandis perdendis infidelibus.

19. RESP. Nego ſimpliciter hanc eſſe mentem aut ſcopum horum verſuum: decimo verſu continetur occupatio obiectionis quæ fieri poterat aduerſus priorem typum Iſmaelis & Iſaaci; promptum erat Iudæis excipere abdicationem Iſmaelis nihil ad ſe pertinere, quandoquidem non ex ancillâ ſed ex liberâ genus ducerent: alium igitur profert typũ Apoſtolus, in quo exceptio illa locum habere non poterat, ſiquidem Eſau & Iacob ex vtroque parente libero prognati, non tamen ratione operum fuerunt inter ſe diſcriminati, ſed antequamquicquã boni vel mali feciſſent, alter eorum ſeruituti & odio) vt habet verſus 12. & 13.) alter dignitati & amori fuerit deſtinatus, idque ſecundum propoſitum electionis. Iam verò nulla prorſus diſcriminis huius ratio inueniri poteſt, niſi id ſtatuatur in conditione vel operum vel fidei: quod enim hîc tertiũ aliquid ſuſpicatur Camero, putà vocationem ſine vlla conditione vel reſpectu factam ſeu decretam, id verò neque ex hoc verſu 11. confirmatur, & tum à ſcopo epiſtolæ, tum à ſtatu controuerſiæ planè eſt alienum; quid enim aliud tum controuertebatur inter Paulum & Iudæos præter hoc vnum, eſſetne iuſtitia ſectanda ex operibus legis an verò ex fide in Chriſtum? de præciſâ & euentum neceſſariò obtenturâ vocatione verbum nullum: nam ὁ καλῶν ad aliquid vocat vel ad opera vel ad fidem; non ad opera quibus obtineatur ſalus, ergo ad fidem: modus autem quo vocat ſupra fuit explicatus notâ 3.

20. RESP. Pares tantùm fuerunt naturâ in ſuis ipſorum perſonis cõſiderati, valde autem diſpares euaſerunt adulti vitæ genere in primiſque pietatis ſtudio. Sin malimus typicè eos conſiderari non minùs diſpares apparebũt quàm duæ illæ gentes de quibus dictum ſupra, Gen. 25. 23. Et recolendum hîc quod ſupra allatum de reprobatione Eſaui poſt prophanum illum contemptum demum factâ Heb. 12. 17.

21. RESP. Cur huic plus, illi minus, vel etiam nihil detur, aut etiam quod habet auferatur, iam ſupra diximus cauſam non eſſe quærendam in decreto præciſæ vocationis, ſed in diſcrimine hominum, quorum alij quod offertur cum gaudio excipiunt, alij proterve reſpuunt: adduximus teſtimonia ex Act. 13. 45 & 2. Theſſ. 3. 2. plura in eandem ſententiam vbique ſunt obuia.

22. RESP. Hîc videndum id quod ſupra allatum de ſenſu compoſito & diuiſo ſub finem notæ. 2.

23. RESP. Hi verò non ſemper minus improbi ſunt flagitioſis quibuſdam Ethnicis, magis enim placebat Deo publicanus ille miſerum peccatorem ſe agnoſcens, quàm tumidus ille operum ſuorum fiduciâ Phariſæus.

24. RESP. Ita quoque Eliab videbatur præponendus Dauidi, & quidem ita videbatur Samueli Prophetæ: quanto procliuior eſt noſtri iudicij lapſus, qui minùs perſpicaces ſumus præſertim in perueſtigandis *occultiſſimis meritis*, quàm fuit Samuel?

25. RESP. Si hoc propoſitum nullâ nititur conditione, non video cur diuerſæ ſententiæ aſſertores (ſaltem qui ſaniores ſunt) porrò negent decretum Dei eſſe abſolutum: ſi excipiant ſe id tantùm intelligere de decreto iuſtificationis & ſalutis, ſic inſto: Quale eſt decretum electionis tale eſt vocationis: atqui decretum electionis non minùs requirit fidem, quàm decretum reiectionis præſupponit infidelitatem: ergo vt illic includitur conditio fidei quatenus præſtita, non autem quatenus tantùm poſtulata; ita vocatio quæ nihil aliud eſt quàm fidei huius poſtulatio includit obſequium, ſi debeat eſſe efficax quoad euentum: ſi verò ſtatuatur vocationem Dei præciſè & abſolutè fidem ſecum adferre vocatoque infundere, idque tantâ vi & potentiâ vt ei obſiſtere nulla queat hominis contumacia, omnino ad vtrumque ſcopulum nauis alliditur; nam & Deus hypocriſeos inſimulatur cum foris vocat, & tamen intus vim illã inſuperabilem non adhibet, quamque ipſo non adhibente nulla prorſus res creata vel adhibere vel ſuſcipere poteſt: Et peccati author ſtatuitur, ſaltem incredulitatis: & homini iuſtiſſima excuſatio relinquitur quod in tenebris & vmbra mortis hæſerit; quippe deſtitutus per abſolutum illud vocationis decretum eâ luce de qua ne per ſomnum quidem cogitare poterat, ita vt fruſtrà vocentur conditionata, reliqua decreta, quando vnum ex his, & quidem primum, quoad executionem nullâ (vt loquitur Camero) nititur conditione, & per conſequens abſolutæ eſt neceſſitatis, ex quâ homo non modo infallibiliter, ſed etiam ineuitabiliter vel illuminetur ita vt neceſſariò credat; Vel in tenebris naturalibus conſtitutus denſioribus deinde circumfundatur & duplo filius gehennæ efficiatur. Erit quidem huius obtenebrationis cauſa interna in ipſo homine; homo enim eſt qui Deum ignorat, vel ei non credit neque vult credere, ſed neque poteſt credere, neque poteſt velle quantiſper luce illa in ſolius Dei manu poſita deſtituitur; Deus autem ſuprema, adeoque ſola cauſa eſt externa neceſſitatem hanc imponens.

26. RESP. Præcedit ſanè fidem, ſed & poſtulat fidei obedientiam citra quam efficax non eſt, ſiue decretum Dei reſpicias ſiue euentum.

27. RESP. Non inficior nouos eſſe ſiue diuerſos à prioribus, ſed veram huius diuerſitatis cauſam pete ex nota 19.

28. RESP. Eſt ſanè Dominus liberrimus, at non propterea quod ſemel fixit decretum libertatis ſuæ tot aliis modis declaratæ, aliter declarandæ causâ refigit: miſeretur igitur (vt ſupra diximus) eorum duntaxat miſerorum qui miſeriam ſuam agnoſcunt, & in ſolo Chriſto eius remedium quærunt: ſupra hoc probatum eſt ex Pſalm. 25. & aliis locis.

RESP. Potuiſſe nemo negat, quomodo & quâ conditione illud voluerit vel noluerit, quæritur.

29. RESP. Nunquam ſanè licet creaturæ in ius trahere Creatorem, neq; verò vllum eſt tribunal ad quod trahi poſſit: expoſtulat tamen Abraham ſi promiſcuè & nullius cõditionis intuitu perimat homines, & iudex totius terræ ius non exerceat, cuius expoſtulationis rationes non modò non improbat, ſed etiam cõfirmat Deus Gen. 18. verſ. 24. & ſeq. Iam verò qui omnibus vult ſalutem iiſdem quoque vult gratiam ſine qua non eſt parabilis ſalus, redit quæſtio de modo quo velit dare & quo accipiant eam homines.

30. RESP. Arbitrium hoc non in hominis cerebro, ſed in Dei verbo quale ſit quærendum eſt:

in verbo autem illo declaratum est hominem non priùs fieri vas misericordiæ, quàm consideretur vt credēs & perseuerans; neque vas iræ antequam seipsum fecerit vas ignominiæ eiusque abolendæ consilium Dei cum Pharisæis spreuerit Luc 7. 30. Alioqui enim si homines considerarentur tantùm vt peccatores, non autem vt obstinati & pertinaces, omnes omnino fierent vasa iræ, sicuti manerent vasa ignominiæ.

32. RESP. Imò etiam à Deo possunt dici *κατηρτισμένα* illa vasa, non sanè respectu ignominiæ siue culpæ, (sic enim Deus author peccati statueretur apertè) sed respectu iræ, hoc est pœnæ ex iustâ Iudicis irâ pertinacibus inflictæ, quam pœnam vt suo tempore infligit illis Deus, ita quoque in decreto suo præparat.

33. RESP. Non negatur de vocatione trib. hisce versibus agi, negatur autem talem, qualem vult Camero, intelligi.

34. RESP. At non modò res prædicta, sed etiam rei modus est perpendendus; non enim aliter euenit, quàm quomodo Deus euenturam decreuit, siue efficiendo quod bonum est, siue permittendo quod malum est.

35. RESP. Equidem non id magnopere miror, neque contentionis funem ob id trahendum arbitror, siue isti versus sint *παρένθετοι*, siue non sint: vnum hoc demiror quod conditionatis de iustificatione & glorificatione decretis præponatur absolutum vocationis decretum, cùm eius ratio eandem necessitatem imponat sequentibus, cùm conditio non minorem habeat necessitatem, id est, non minùs necessariò & ineuitabiliter impleatur quam electio siue vocatio necessaria & absoluta esse statuitur.

CAMERO.

Die Martis 28. April.

QVando visum est Tileno ad superiorem responsionem meam tam multa annotare, idque *ordine diuerso* ab eo quem ego institueram, liberum mihi & solutum est eam in respondendo viam sequi, quæ & maximè compendiaria est, & mihi accommodatissima videtur, eâ tamen lege nihil vt eorum prætermittam, quæ notis Tileni continentur, intactum, dum studeo breuitati & perspicuitati. Hoc igitur ordine progrediar, vt primo loco notem quæ mihi concedit, quæque adeò responsionem meam in primis confirmant: secundo verò loco respondebo ad ea argumenta, quibus vel meam sententiam vel Analysin redarguere conatus est: tertio obseruabo & expendam ea quæ vt mihi quidem videtur (quod pace eius dictum sit) præter rem, controuersa tamen, notis suis intermiscuit: quartò, subjiciam ea, quæ minimè controuersa, is tanquam controuersa posuit, in quibus illa sunt præcipuè, quæ mihi à mente meâ prorsus aliena tribuit: quintò notabo ea quibus vel ipse sibi repugnare videtur, vel petere principium: Denique de iis tractabo, quæ & faciunt ad rem de qua agimus, & controuersa sunt. (1.)

2. Sic igitur ordior à primo, *Concedit* mihi Tilenus notâ. 16. & 35. parenthesin à versu 10. vsque ad vers. 30. locum habere posse, neq; id ipsi mirū videri: Assequutus igitur sum quod volui, nullâ *necessitate* coniungi vers. 30. cum proximè præcedentibus, *posse* verò coniungi cum vers. 9. ideoque non rectè conclusisse Tilenum, Esauum & Iacobum eiusdem rei typos esse, cuius fuerunt Isaacus & Ismael, quod sic Apostolus concluserit hoc caput: Nempe hæc Apostoli conclusio, cùm sit locus parentheſi, (quod mihi vltro largitur) cohærere potest cum iis quæ initio capitis allegoricè significauit typo Isaaci. Et certè res ipsa id postulare videtur, nam primæ allegoriæ explicatio seu applicatio hæc est, quemadmodum hoc eodem capite posterior allegoria Esavi & Iacobi vers. 24. & sequentibus suam habet explicationem: nempe *refertur* hæc ad vocationem quæ pendet immediatè ab electione, prior illa ad iustificationem ex fide, quæ electionem secundumq; electionem, vocationem præsupponit. Quod nemini mirum videri debet, non enim tam cum humana ratione pugnat Dei voluntas quâ iustificat fideles, *Iustitiáriοs* verò damnat; cum sit hîc quædam discriminis ratio, quàm ea voluntas ipsâ Deus hunc eligit quem vocet efficaciter potiùs quàm istum. Cùm igitur id vehementissimè *premeret* Apostolum, ad id statim transit atque in eo præcipuè immoratur, ditatâ ad finem vsque capitis prioris typi applicatione: Quanquam apud Tilenum (cui *parenthesis* non displicet) non est magnopere opus vti ratione vt probetur. (4. 5. 6. 7. 8.)

Secundò etiam *concedit* Tilenus notâ 17. verba illa *οὐχ οἷον δὲ* &c. & Apostoli verba esse posse: quæ interpretatio Analyseos meæ filum & seriem ostendit, nempe cum in fœdere Euangelico duo sint, promissio & conditio, exponendum Apostolo fuit primo loco cur *obtingat* promissio potiùs his quàm illis; posteriori *vnde fiat* vt implendæ conditionis gratia his obueniat potiùs quàm illis. (9. 10. 11.)

Tertiò concedit notâ 27. nouos induci typos, tantùm testatur se à me dissentire in reddendâ diuersitatis ratione: At si mihi detur discrimen esse inter typos, *procliue* fuerit probare veram esse eam diuersitatis rationem quæ à me allata est, vt ex Analysi patet, & postmodùm clariùs liquebit. (12.)

Quartò concedit notâ 33. vers. 27. 28. & 29. huius capitis agi de vocatione (neque enim id negari potest, verba enim clara sunt & aperta) quod *mea Analysi* fauet vnicè: si enim illis versibus de vocatione agitur, & in proximè præcedentibus de vocatione pariter agetur, *proindeque Esaui & Iacobi typus* ad vocationem efficacem referetur his indultam illis verò negatam: Porrò vocatio non est iustificatio, sed præparatio iustificandorum. Non ergo eiusdem rei typi sunt Iacocobus & Esauus, cuius erant typi Ismael & Isaacus. (13. 14.)

Sequitur vt respondeam ad eas rationes quibus mea refellit: Hæ verò ad duas veluti classes reuocari possunt, vel enim sententiam meam, vel Analysin refellere studet. Et sententiam quidem meam (qua statuo cum de vocatione efficaci agitur, quæriturque cur Deus hunc potiùs quàm illum eâ dignetur, nullam posse tanti discriminis rationem reddi præter meram Dei voluntatem, qui vt est *Eph.* 1. 11. omnia operatur efficaciter iuxtà consilium voluntatis suæ) Notâ 1. & 21. oppugnat hac ratione, quod 2. Thess. 3. 2. Apostolus postquam hortatus est Thessalonicenses ad pre- (15.)

ad preces concipiendas, vt ipse eripiatur à proteruis & sceleratis hominibus, rationem hortationis subiungit, *non est enim omnium fides*: quibus verbis Tilenus hûc sensum tribuit, vt ideò neget fidem dari proteruis istis, quia proterui fuêre: sed hæc ratio duobus modis refelli videtur, primò, quia sic non concluditur negatum, neque enim (quod multoties iam monui) quæritur cur Deus deneget fidem aliquibus; in confesso enim est apud vtrumque nostrûm *denegationis absolutè* consideratæ causam esse in nobis: Demus igitur Apostolum hoc velle denegatam esse istis proteruis fidem, quòd essent proterui, nihil voluerit quod faciat contra sententiam nostram. Secundò & aliter refellitur hæc ratio. Non est enim ea mens Apostoli quam putat Tilenus, sed diuersa planè, & nostræ sententiæ omninò consentanea: quod sic ostendo, verba Apostoli sic habent: *Quod superest orate fratres pro nobis, vt sermo Domini currat & glorificetur, sicut & apud vos & vt eripiamur à proteruis & sceleratis hominibus, non est enim omnium fides.* Vnde liquet duo Apostolum exigere, primum vt orent pro Euangelij successu: Porrò successus Euangelij non est gratia illa *communis*, *sed communis gratiæ efficacia*, quæ specialis gratiæ est effectum, vnde nempe prioris illius communis gratiæ efficacia proficiscitur. Apostolus igitur non hortatur simpliciter Thessalonicenses vt Deum rogent, vt communem gratiam velit largiri, sed specialem, quandoquidem communi illâ, nisi hæc accedat, gratiâ, nihil promouetur. Itaque signanter Apostolus, *Vt*, inquit, *glorificetur quemadmodum & apud vos*; Non autem glorificatur vbi contemnitur, contemnitur autem, vbi non impetrat obsequium. Iubet igitur Apostolus orari Deum vt obsequium impetret Euangelium: id verò non est commune piis cum impijs; Ergo iubet orari pro eo quod peculiare est pijs: frustrà, nisi hoc *quod est peculiare tam sit à Deo* quàm illud commune. Alterû quod exigit hoc est, vt orent vt liberetur à proteruis hominibus, sed quoniam Apostolus pugnantia exigere videbatur, nempe vt oretur pro successu Euangelij, & oretur itidem pro liberatione ab impijs; cum, si Euãgelium currat & glorificetur, hoc est si efficax, nulli impij sint futuri: subiungit *omnium non esse fidem*, hoc est itá orandum esse pro successu Euangelij monet, vt interim meminerimus Deum non exauditurum preces nostras respectu omnium hominum promiscuè, *sed eorum tantùm respectu* quibus in æterno suo consilio decreuit fidem dare: quæ nostra sententia est Tileni sententiæ è diametro opposita. Locus qui est Act. 13. vers. 45. nihilo magis vel causam, quam tuetur Tilenus, iuuat, vel nostram lædit: verba enim hæc sunt, *Videntes autem turbam Iudæi repleti sunt inuidia*, &c. *Tum loquendi libertate vsi Paulus ac Barnabas dixerunt, vobis necesse fuit exponi primum verbum Dei; postquam autem illud repellitis & vos indignos præbetis* &c. Quibus verbis denegationis *absolutè* consideratæ ratio redditur, non redditur *ratio denegationis comparatè considerata*, Nam *tam Paulus ipse* initio quàm isti restiterunt Euangelio, & verò restitisset pertinaciter, nisi Deus, qui (vt ipse loquitur Gal. 1.15.) ipsum ab vtero matris separauerat, certo quodam tempore ei reuelasset Filium; quam reuelationem eodem loco vocationem dicit. Locus præterea qui est Matth. 10. 11. non eò spectat vt significetur qui illi sint, quibus solis Deus lucem Euangelij impertit, sed quibus maiorem impertit lucem: Agitur enim eo loco de Iudæis, inter quos *multi erant pij conuersi* iam ad dominum, sed quibus indulgenda maior lux fuit exhibito Messia: quemadmodum Act. 19. 1. quidam discipuli dicuntur *qui solo Ioannis Baptismo* initiati fuerunt, quibus oportuit pleniùs reuelari Christum, nam certè Matth. 10. interdicit Christus grauiter discipulis, ne proficiscantur *in viam gentium*. Agitur hìc igitur non de discrimine inter vocandos hos, & illos non vocandos, efficaciter inquam, sed de discrimine inter jam vocatos, & quosdam è non vocandis; Noluit enim discipulos suos adhuc rudes Christus periculis exponere: Itaque iubet eos sedulo inquirere qui sint *pij & viri boni.* Nec magis Tileni causam iuuat, quod Act. 17.11. dicuntur εὐγενέστεροι generosiores, qui verbum Dei lubentissimè admiserunt; quis enim id neget? Certè multò generosioris animi est amplecti Christum, quàm aspernari: Non video quomodo probetur hinc ratio discriminis cur hi potiùs quàm illi vocentur, cum eo loco tantùm dicantur *Berœenses generosiores* ex consequenti: Hinc enim probat Apostolus eos fuisse generosiores, quia verbo Dei præbuerunt obsequium, hoc est causam demonstrat ex effecto, nam *obsequium verbo Dei præstitum effectum fuit* illius generositatis. Sed hîc semper quæstio recurrit vnde profectum fuerit vt generosiores fuerint, quando *natura conditione Thessalonicensibus* erãt Berœenses pares. Certè nos Deo huius discriminis causam tribuimus, cui omnis *excellentiæ laus*, cùm comparatio instituitur inter hos & illos, tribuenda est.

Secunda ratio Tileni quam posuit notâ 2. ducta est à duobus celeberrimis Scripturæ locis, *nolo mortem peccatoris* &c. & *Deus vult omnes homines saluos fieri*: vnde colligit causam rejectionis in nobis esse. *At hoc non est de quo agitur*; quis enim id neget? Tantû quæritur cur hæc Dei voluntas in his potiùs qnàm illis impleatur, nam certum est non conuerti omnes, neque omnes peruenire ad cognitionem veritatis.

Tertia ratio quam Tilenus affert eadem notâ hæc est, si Deus huic personæ deneget hunc illuminationis modum siue gradum, qui ad fidei generationem necessarius est, erit incredulitatis & exitij causa. RESP. Duplicem esse necessitatem, quarum altera facit vt etiam si *velis*, tamen non possis: Et si Deus nobiscum sic ageret, fateor speciem aliquam habituram rationem Tileni, sed Deus nobiscum nunquam sic agit, nam semper causa in nobis hæret, quæ facit vt si Deus hoc tãtummodo nobiscum agat, quomodo agit communiter, *ei repugnemus* & reluctemur. Sed & est necessitas quædam quæ non est aliunde quàm à *malitia* nostra: hanc necessitatẽ nego Deum teneri tollere, nam qui eâ prędıtus est non meretur prę-mium, sed grauissimâ pœnam: Vt ne igitur Deus exitij & incredulitatis nostræ causa statuatur, satis est si ea faciat, ex quibus constet *per nos* stetisse, quo minùs peruenerimus ad cognitionem veritatis, perq; eam ad salutem. Hoc verò ex sententia nostra constat, nempe omnis mali culpam homini tribuimus, laudem boni soli Deo.

Quarta ratio hæc est eâdem notâ: Dixeram

16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28 29. 30. 31. 32. 33. 34.

ſceleratos ſceleratis anteferri, imò ſceleratiores minùs ſceleratis, ad hoc reſpondet intelligendū illud eſſe in ſenſu diuiſo non autem in ſenſu compoſito, hoc eſt, ita vt ſcelerati dicantur non qui iam ſunt, ſed qui fuerunt, ratioque diſcriminis pendeat non ab eo quod fuerunt, ſed quod iam ſunt: nempe hunc ſceleratum pœnitet ſcelerum ſuorum, iſtum non pœnitet. Sed hæc diſtinctio inanis eſt, id quod duobus modis probatur: Ac priore quidem iſto, quòd Apoſtolus in vocatione quoſdam *æquè* ſceleratos in ſenſu compoſito reliquis ſceleratis præpoſitos docet 1. Cor. 6. 9. 10. 11. Verba Apoſtoli hæc ſunt, *Annon noviſtis quod iniuſti regnum Dei non poßidebunt* &c. qui locus eludi non poteſt, ſequitur enim *& tales fuiſtis quidam, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Porrò ablutio & ſanctificatio, cùm eandem rem ſignificent, non repetuntur ſine emphaſi, nempe vt moneantur qui tales fuerunt, impuros ſe fuiſſe ante iſtam ablutionem, impuros inquam in ſenſu compoſito; non enim abluuntur qui fuerunt *impuri*, ſed qui ſunt. At hoc beneficium non contigit omnibus impuris, ergo impuri in ſenſu coniuncto impuris præponuntur. Secundò eadem ratio refellitur hoc pacto, ſi ſcelerati ſceleratis præponuntur tantùm in ſenſu diuiſo, hoc eſt (vt iam diximus) ſcelerati dolentes ob peccata qui non iam ampliùs ſunt ſcelerati, ſed fuerunt, ſequitur *nullam* prælationem pœnitentiam ſequi; Nam ſi quod hunc potiùs quàm illum pœnitet peccati ea pœnitentia quæ habet rationem boni, Dei beneficium eſt, quem pœnituit peccati, is prælatus fuerit: & recurret continuò quæſtio vnde hoc factum fuit, quam nos nullo negotio explicamus, dicimus enim *à Deo eſſe* quòd hunc potiùs pœnituerit quàm illum.

35.

36.

37.

38.

Quinta ratio quam proponit nota 3. hæc eſt: ſi Dei gratia afficit voluntatem, tamque vehementer vt non poſſit reluctari, voluntas deſtruetur: Vel enim mouebitur vt brutorum appetitus, vel vt lapides qui feruntur deorſum impetu naturæ. RESP. Si hæc ratio vllum haberet pondus, *in vitâ* futurâ nulla eſſet voluntas, ſed appetitus brutus aut verò ſimpliciter naturalis, qualis eſt lapidum, nam in futurâ vitâ omninm conſenſu voluntas non poteſt obniti. Sequetur porrò (quod multò abſurdius eſt) Chriſtum agentem in terris non fuiſſe *præditum voluntate*, proindeque nec fuiſſe verum hominem: Etenim eius voluntas ſic affecta fuit, nō modò vt ne reniſa ſit, ſed etiam vt ne reniti potuerit. Nec patet effugio locus, ſi dicant aliam eſſe rationem voluntatis in hac vitâ, aliam in vitâ futurâ; primò, quia hoc non fit ex parte voluntatis (vt loquuntur) ſed ex parte intellectus quē ſequitur voluntas, qui cum in hac vita illuminetur imperfectè; modum illuminationis ſequi *neceſſe eſt*, voluntatis bonitatem: eò tamen redigun ur hac ratione, vt cogantur fateri vel nullam eſſe *in cœlo* in homine, vel nullam fuiſſe in terrâ in Chriſto voluntatem, ſi voluntatis determinatio neceſſaria pugnat cum naturâ voluntatis. Secundò, ſic intercluditur hoc effugium, nam ſi *voluntas* in cœlo propter plenam illuminationem non poteſt non plenè determinari ad bonum, propter illuminationem imperfectam in terrâ non poterit nō imperfectè determinari ad bonum. Nam quæ eſt Totius ad totum, eadem partis ad partem ratio eſt: Iam verò conuerſio noſtra & pœnitentia omnis in hac vitâ, imperfecta determinatio eſt, determinatio tamen neceſſaria: Itaque conuerſio noſtra & pœnitentia, illuminatione poſitâ, pro illius modulo erunt neceſſariæ.

39.

40.

41.

42.

43.

Sexta ratio Tileni eâdem notâ. Si voluntas determinatur neceſſariò, cogetur: nam coactio ea demum eſt quæ oritur à principio externo & cui internum principium repugnat: quod vtrumque hic locum habet, nam & ſpiritus, principiū externum eſt, & humana voluntas ſpiritui reſiſtit. Reſpondetur duobus modis, ac primò quidem ad hunc modum, ſic concludi *intellectum* etiam poſſe cogi: Nam & illuminatur à ſpiritu & reſiſtit interdum, vnde Apoſtolus ἐχθρὰν διανοίας dixit *odium intellectus*, nimirum vt ſignificaret eſſe quandam reſiſtentiam in intellectu, quæ odium in voluntate gignat, cuius odiſſe proprium eſt. Secundò & quidem directè reſpondeo hoc argumento implicari contradictionem; Qui enim *determinetur* voluntas ſi reſiſtat? Pugnant iſta, nam ſi reſiſtit ſpiritui Dei non determinatur ad bonum, & ſi ad bonum determinatur non reſiſtit. Sed inquiet fortaſſe aliquis, Ergone voluntas nunquam renititur intellectui?

44.

45.

RESP. Omnino: ſed hic adhibenda diſtinctio eſt; Eſt enim tum eadem pugna intellectus aduerſus intellectum, quæ voluntatis; nempe putat intellectus hoc eſſe faciendum, ſed *idem* tamen putat illud potiùs eſſe faciendum. Hactenus ergo voluntas repugnare intellectui dicitur, quatenus non obſequitur intellectui minùs iubenti, at obſequitur tamen intellectui magis & vehementiùs iubenti: Immò verò in hac ſpecie in voluntate pugna eſt, vnde quæ ſunt huius generis *dicimur* facere volentes nolentes: nolentes quatenus ob aliquam rationem intellectus diſſuadet, volentes quatenus ſuadet, multò ſcilicet vehementiùs quàm diſſuadet.

46.

47.

Septima ratio eâdem notâ. Si voluntas ſequitur intellectum, intellectu ſemel illuminato non foret opus ampliùs hortationibus. RESP. Duobus modis, ac primò quidem ſic, ſi hæc ratio valet, libero arbitrio, ſemetipſum *ſemel* determinante illuminato intellectu, non erit in poſterum vllus vſus admonitionum; nam ſemetipſum ſemper determinabit poſtquam admiſſum eſt in intellectu lumen. Sic militat hæc ratio contra Tilenum *non minus* quàm contra me. Sed reſpondeo ſecundò directè, non ſequi, quia non ſatis eſt vt intellectus ſemel illuminetur, neceſſe eſt *illuminationem* continuari: continuatur autem per hortationes, quas in confeſſo eſt apud omnes (qui quidem *mentis* compotes ſunt) ad voluntatem non niſi interuentu intellectus pertinere.

48.

49.

50.

51.

Octaua ratio eâdem notâ ſic habet, ſequetur multò validiorem eſſe regenitum ineunte quàm procedente regeneratione, nam initio regenerationis non renititur inquit, ex Cameronis hypotheſi: procedente verò, ipsâ teſte experientia, & Camerone haud dubiè fatente, renititur vel maximè. RESP. Duobus modis, ac primo dico hoc ipſum non minùs ſequi Tileni ſententiam quàm meam: Quidni enim & ſic mihi liceat ratiocinari? ſi liberum arbitrium in quibuſdam illuminanti gratiæ non reſiſtit initio regenerationis, reſiſtit autem procedente regeneratione (& quidem

quidem fatente Tileno) *sequitur* in progressu regenerationis minùs esse sanctum liberum arbitrium quàm initio fuit. Sed respondeo secundò & directè, non sequi; nam illuminatio *intermittitur*, intenditur, remittitur: & quis qui spiritum Christi sensit, negarit aliquando contingere vt in maiori, aliquando vt in minori luce versetur? Vno verbo nulla ratio est præsupponit enim illuminationem in regenerationis progressu semper esse *actu parem*.

Nona ratio notâ 11. Ezechiel cap 12. vers. 1. affirmat esse *quibus sunt oculi ad videndum nec viderunt &c. quia domus rebellis sunt.* Hîc inquit ratio discriminis quoad vocationem efficacem non collocatur in nudâ Dei voluntate, sed in destinata & obstinatâ rebellione vocatorum. RESP. Duobus modis, ac primò quidem sic, etiamsi detur particulam *quia* esse causalem, (quod tamen non damus, certè non est necesse dare) nihil aliud sequetur quàm rebellionem causam esse denegationis absolutè considera tæ, quæ nostra sententia est: non sequitur causam esse denegationis *comparatè* consideratæ. Secundò, nego *quia* hic esse particulam causalem, aio verò esse tantùm ratiocinatiuam, vt ignis est quia fumus est: non vident quia rebelles sunt, hoc est, rebellio est argumentum *cæcitatis* eorum, vt si quis diceret impius es *quia* sic fecisti, mala est arbor *quia* profert malos fructus. Nam illud *aures habent & non audiunt* nihil aliud est quàm, *auribus percipiunt* verbum Dei, corde verò non intelligunt, oculos habent & non vident, hoc est vident Dei opera, oculis nempe corporis, nec agnoscunt tamen. Sed demus sanè notari causam, vnde probauerit notari causam hoc loco meritoriam? ac non potiùs formalem, vt cordis rebellio causa statuatur cuius effectum formale sit, *etiamsi oculos habeas, non videre.*

Decima ratio eâdem notâ. si voluntas à spiritu determinatur ad bonum irresistibiliter, sequetur hominem esse instar cadaueris, qui nempe non magis possit resistere Spiritui sancto viuificanti, quàm cadauer potentiæ Dei excitantis mortuum. RESP. Hoc tantùm esse absurdum si voluntas humana statuatur esse *per omnia* similis cadaueri. At esse absurdum vt sit quodammodo cadaueri similis, ne ipse quidem Tilenus negaturus est, quum Scriptura nos vocet *mortuos* in peccatis. Nam nullus cadaveri inest intellectus cuius motum sequatur: homini inest, sed prauus, qua prauitate sublata per illuminationem, voluntas mouetur *secundum modum* rationalis appetitus, qui rectam rationem ducem sequitur.

RESP. Secundò, si hæc ratio vrget, & Tilenum vrgebit, nam concedit intellectum illuminati irresistibiliter, ergo hoc pacto *intellectus* erit cadauer, habebitque duntaxat potentiam obedientialem (vt loquitur:) quæ potentia si ei non videtur tribui absurdè intellectui, nulla ratio est cur mihi videri debeat ineptè tribui voluntati. Sed de hac re infrà copiosiùs. Sic sententiam meam oppugnauit, ego propugnaui.

Sequitur iam reprehensio Tileni Analyseos meæ meiq; defensio. *Prima* reprehensionis ratio hæc est notâ 7. Si Paulo propositum fuisset disputare de absolutâ Dei voluntate in his vocandis potiùs quàm illis, nec compescuisset obstinatos, nec erudijsset infirmos. RESP. Non est propositum Apostolo compescere obstinatos, (quis enim hoc *facere possit* præter solum Deum?) At certè Paulus constituit erudire infirmos & verò hoc præstitit, obstinatis verò præripuit omnem occasionem expostulandi cum Deo: vt verò id fecerit patet ex Analysi meâ. *Secunda* ratio notâ 8. sic habet, negat redditam à me rectè causam cur Apostolus paritatem vrgeat quod alia causa dari possit, nempe prior typus rejici potuit; causari enim potuissent Iudæi Ismaelem reiectum fuisse, quòd esset ancillâ natus, id quod locum habere non potuit in Esaui reiectione.

RESP. Tribus modis. Primò quidem, non si alia dari potest causa, *continuò sequi* veram causam non esse à me redditam. Sed hoc leuius est. Itaque respondeo secundò mirari me cur cum hîc Ismael non intelligatur à Tileno *personaliter* sed *typicè*, *faciat* Iudæos fatentes Ismaelem typicum, hoc est iustitiarios merito reiectos, quòd serui sint. Respondeo tertiò, si hæc ratio valeret Apostolus ad Gal. 4. *parùm* cautè fuisset argumentatus; nam eo loco cùm eundem adhibeat typum, majoris cõfirmationis gratiâ, non subiungit continuò vt hîc typum Iacobi & Esaui: cuius rei nos optimam reddimus rationem, nempe illic de iustificatione duntaxat disputat & conditione iustificatorum, hîc etiam de vocatione disserit: Itaque adduxit typum vocationis. *Tertia* ratio notâ 9. probat Apostolum nec premere nec disertè narrare non esse dilatam patefactionem oraculi ad id vsque tempus, quo Esauus ingenium suum factis prodidit, quia Heb. 12. 17. scriptum sit exclusum Esauum hæreditate, μετέπειτα postquam prodidit nempe nequitiam suam. RESP. Verba Apostoli sunt, *Nondum natis pueris cùm nihil fecissent boni vel mali &c. dictum est ei Maior seruiet Minori:* Quæ verba docent apertè oraculum fuisse pronunciatum *antequam* ingenium prodidissent. Deinde idipsum constat ex historia Geneseos: nam quod respondet Tilenus, sic notari duntaxat Dei præuisionem malorum operum Esaui & bonorum Iacobi, pugnat cum mente Apostoli, qui subjungit continuò ἵνα μὴ ἐξ ἔργων. Locus verò epistolæ ad Hebræos tantùm probat hoc vaticinium suum habuisse complementum, Deo nempe Esauum potiùs sibi permittente, quàm Iacobum, cum esset vterque *pari conditione* naturæ.

Quarta ratio notâ 12. sic habet, dixeram operâ hîc opponi *vocanti* non autem opponi *fidei*: itaque agi non de Iustificatione sed de Vocatione. Ille verò respondet nomine *vocationis* intelligendam esse *fidem*, cùm vocatio fidei causa sit. RESP. Sic non eludi argumentum meum, cur enim hîc potiùs Apostolus dum fidem vult significare, prout opponitur operibus in Iustificatione, vocationem vocauerit, *quàm alibi?* Alibi autem semper fidei meminit: Imò verò in totâ hac epistolâ nusquam nisi hoc loco opera vocationi opponit; Deinde Apostolus non opponit opera vocationi simpliciter (ea enim passiuè vsurpari possit fortasse) sed *vocanti*, quâ voce persona designatur ab actione quadam denominata, nempe Deus *quatenus vocat.* Tertiò respondeo, Oppositio hoc pacto sic fuisset instituenda ad *mentem* Tileni, non ex operibus sed ἐκ ὑπακοῆς πίστεως.

Quinta ratio eâdem notâ sic habet, si hîc opera

opponuntur vocanti quatenus vocat simpliciter, non verò quatenus admittitur vocatio, sequetur vocationem hanc habituram vim, seu quis pareat, seu quis non pareat. RESP. Id nullo modo sequi posse, implicat enim contradictionem, vt quem Deus *vocat efficaciter*, is non pareat, nam *quos vocauit eosdem iustificauit*, Rom. 8. 73. 74.

Sexta ratio notâ 31. negat arbitrium Dei liberum quo alios constituit vasa iræ aut vasa ad decus, aliud obiectum habere ex Scripturâ quàm incredulum & credentem. RESP. Incredulus quidem obiectum est liberi Dei arbitrij quo *denegat* gratiam efficacem: hoc quidem rectè, non enim credenti, sed non credenti datur fides: at vt fidelis obiectum sit voluntatis quâ Deus confert fidem, id verò *ne animo quidem* concipi potest. Nam augetur quidem fides credenti iuxta illud *habenti dabitur*, non datur simpliciter vlli nisi non credenti. Cùm ergo fideles dicuntur *vocari* in Scriptura, intelligendum id est, *terminatiuè*, non *obiectiuè*. hoc est terminus in quo acquiescit & definit Dei vocatio vt in effecto, est fides quâ aliquis constituitur fidelis, non autem obiectum circa quod vocatio Dei versatur, vt aliquid præsuppositum. Quod verò Tilenus studet inde efficere vtrobique eodem modo rem se habere, quòd (inquit) alioqui foret, vt omnes omninò fierent vasa iræ, cum sint omnes peccatores; Negatur consequentia, potest enim Deus huic indulgere misericorditer quod illi *denegat* iustè. 75. 76. 77.

Venio iam ad ea quæ Tilenus controuersa quidem, sed tamen præter rem, notis suis interseruit. Ea verò paucissima sunt, cuiusmodi est illud vnum quod videtur notâ 3. tribuere homini ante vocationem efficacem quædam *inchoamenta* Deo grata: atque huc tradit quod scriptum est Hebr. 6. 10. *Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri* &c. In quo hoc mihi nouum videtur quod *quorum operum* Apostolus eo loco meminit, ea homini tribuat ante fidem; tum etiam id minimum abesse videtur à merito *de congruo*, vt mollissimè dicam; præsertim cùm his rudimentis Tilenus *statuat* Deum inuitari atque induci vt hunc isti præferat. Sed nec etiam si id verum foret (est verò minimè verum) faceret quidpiam ad definiendam quæstionem, nam *redibit quæstio*, vnde isti potiùs quàm illi hæc rudimenta obuenerint. 78. 79. 80. 81. 82.

At verò (vt ea attingam quæ quarto loco posui) multò plura sunt, quæ cum minimè controuersa sint Tilenus tanquam controuersa posuit: Vt quod initio statim notâ 1. probat studiosè peccata hominum causam esse reiectionis, cùm id neque inter nos *controuersum sit*, neque quidquam faciat ad rem: non enim hîc agitur (quod toties iam inculcaui) de reiectione *absolutè*, sed de reiectione *comparatè* consideratâ. Nec illud etiam controuersum est, aut quicquam facit ad caussam, quod (notâ 6.) voluntas Dei contrahendi fœderis sub conditione fidei omnes homines vniformiter respicit, non enim inde efficitur Deum in omnibus vniformiter efficere fidem & pœnitentiam. Sed & illud extra controuersiam est positum quod notâ [illegible]. dicit *per hominem stare* quo minus auferatur ei cor lapideum, quid enim aliud inde efficitur quàm hominem sui sibi interitus esse causam? Quod nos minimè negamus. 83. 84. 85.

Inde ne quisquam sequi putet dum homini cor lapideum aufertur, *per hominem* id fieri? Minimè verò, quin discriminis hîc ratio quod Deus in electis operatur (vt inquit Paulus *Eph.* 1. 19.) secundùm excellentem illam magnitudinem potentiæ ipsius pro efficaciâ fortis roboris ipsius: & Col. 2. suscitauit mortuos in peccatis, vnde & fidem vocat Dei fidem efficaciter agentis, qui suscitauit Christum ex mortuis: quæ operatio non est *omnibus* communis, sed electis peculiaris. 86. 87. 88.

Quod verò eâdem notâ potentiam animæ ad recipiendam Dei gratiam negat esse *obedientialem*, ait verò esse *rationalem potentiam*, ne id quidem *controuersum* inter nos est, si modò potentiæ obedientialis nomine intelligat eiusmodi potentiam quam Scholastici rebus physicis tribuunt, dum Deus in iis miraculosè operatur, vt cùm aquam dicunt habuisse potentiam obedientialem sustinendi Petrum &c. Sed quid hoc ad rem? Certè *Dei beneficio*, nec Manichæi fumus & Flacij furores (qui animæ ipsam substantiam per peccatum corruptam esse docuit) abominamur & execramur. Illud verò *quod (notâ 2.) Iudas non vocatus est, fit ex mera Dei voluntate* meum nô est; at istud *quod Petrus vocatus est id ex merâ Dei gratiâ est* mea profectò sententia est. 89. 90. 91.

Sed nec oppono (vt Tilenus suspicatur notâ 4.) rationem facti voluntati Dei, neque ea mens mea fuit: tantùm dixi cum agitur de reddenda ratione, si facti ratio constat, *non afferri* pro ratione voluntatem Dei, suppressâ facti ratione, quod facit Apostolus verbis illis *miseretur quorum vult*, &c. 92.

Illud etiam miror quod notâ 5. Tilenus perinde mecû agit, ac si ego ei non concessissem non intelligi *personaliter*, sed typicè nomina Isaaci & Iacobi: ut & illud etiam quod notâ 9. me sic facit argumentantem, *Quarum rerum patefactionē Deus non differt in ipsum vsque euentum, illa pendent à solâ & nuda eius voluntate* &c. Cùm ego eo loco ad quem adscripsit hanc notam non *argumenter*, sed exprimam duntaxat Apostoli verba, quîcum Tileno res est. Certè Apostolus notat disertis verbis prædictum Esauum maiorem fratri suo minori subiectum iri, multo antequàm nascerentur aut fecissent quidquam boni aut mali, vt propositum Dei secundùm electionem maneat non ex operibus sed ex vocante. 93. 94.

Sed nec illud agnosco quod *suspicatur* notâ 10. cum dicerem Esauum maiorem natu posthabitum Iacobo, voluisse me Esauum externum habuisse fratri honorem; hoc tantùm volui quod verbis illis significatur *maior seruiet minori*, quod extrinsecus quidem tum demum obtinuit, cùm gens Israëlitica Idumæis esset prælata. Nam & ego Iacobi & Esaui nomine libenter concedo gentes intelligendas esse iis ortas: quod ad meam causam facit vel imprimis cum certissimum sit (teste ipso Deo) in gente Israëlitica nihil fuisse quo Deus adduci posset vt eam potiùs in populum peculiarem asciscerer, quàm reliquas gentes Deuter. 9. 4. & 5. & Mal c. 1. 2. 3. 95.

Neque verò vt arbitratur notâ 23. *ego absolutè* negaui sceleratiores esse iustitiarios profanis hominibus, qui quidem profani dicuntur eo quòd profani fuere, cum iam non ampliùs sint prophani: tantùm dixi atque hic iterum repeto iustitiarios qui Dei zelum habent sine scientiâ 96.

minùs

minùs esse sceleratos impijs contemptoribus omnis religionis, è quibus tamen Deus *multos vocat*. 97.

Dixi quinto loco Tilenum mihi videri pugnantia dicere: Nam apertè ait notâ 3. quæ iam esse quæ fidem præcedunt grata Deo, quod supra *negauit*, idque citato celeberrimo Apostoli loco. *Quidquid sine fide fit peccatum est*. Sed & notâ 2. videtur statuere Deum indurare & excæcare *positiuè*, quod vt mihi non probatur, sic ei⁹ dogmati minimè conuenire videtur: nempe vult Deum non aliter indurare quàm matrem indulgentem, quæ nimiâ lenitate liberos indurat, quæ similitudo mihi admodum dura videtur. 98. 99.

Cæterum non erat quod mihi objiceret principij petitionem, qui, cùm respondentis tuear locum, principium petere, dum ad *hypothesin* meam recurro dici non possum: ipse potiùs Tilenus principium petere videtur, nam *notâ* 4. perinde ac si de hac re inter nos constaret, Paulum vult agere de iustificatione, dum accommodat ad institutum suum verba *quorum vult miseretur, &c*. 100. 101.

Ventum est iam tandem ad eum locum, in quo nobis de præcipuis (de quibus nunc inter nos agitur) controuersiis erit disputandum. Dissentimus autem in tribus potissimùm, vel enim de obiecti vocationis conditione; vel de communitate gratiæ vocantis; vel denique de illius vi & efficaciâ, quæ sit nempe illius ratio, & in quo sita, inter nos controuertitur. Et quod ad *obiectum* quidem attinet, Tilenus (si rectè mentem eius capio) vult præditum esse aliquâ qualitate, quæ etsi non sit causa, attamen conditio est quæ nisi adsit, vocatio *nulla est*, indeque proficisci statuit quòd hic potiùs quàm iste vocetur: Quam verò vim habeant rationes quibus nititur, vt hoc probet supra à nobis expensum est demonstratumque (vt opinor) eas esse leuissimas aut potiùs *nullas*. Ego verò contra etsi non omnes homines esse malos pariter, nec æquè sceleratos libenter concedo (quamuis & huius discriminis ratio sit à Deo qui huius magis quàm illius impetum inhibet) tamen quod ad veram Dei vitam attinet, ante vocationem Dei omnes homines *mortuos* esse existimo. Itaque Apostolo vocatio nostra *viuificatio* appellatur. Id quod vel hinc liquet quod sæpenumero ingenia præ reliquis *modesta* & grauia Euangelium contemnunt, cùm eorum interim corda afficiat Deus tam vehementer vt omnem emolliat duritiem, qui non in specie modò sed reapse etiam *præ cæteris* scelerati fuerunt. Certè & *huc pertinet* illud *quis te discernit*, & *quid habes quod non accepisti?* Vocati autem *Dei creatura* dicuntur non aliam potiùs ob causam, quàm quia ad sui vocationem *nihil omnino* attulerunt, quod multis qui non vocantur non insit: vnde Christus discipulos sic compellat, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*. Nam perfectò inania sunt effugia excipere hic agi de peculiarium quorundam bonorum collatione quæ tamen non sint in se & propriè salutaria: Si enim ista quæ non sunt adeò magni momenti, quæque aliis potiùs quàm ei qui ea possidet prosunt, sint etiam soli, quid statuendum est de vocatione ad communionem Filij Dei, quæ felicitas est summa? Deinde gratiâ quâ homines vocantur *efficaciter* Tilenus communem facere videtur, si non omnibus saltem quibusdam qui non vocantur efficaciter, atque ita vt pareant, iis adductus rationibus quas supra *refutauimus* Ego cõtra nemini *hanc gratiam* indulgeri contendo, qui idem non pareat vocationi: Vnde illud Christi dictum, *Quicumque audiuit & didicit à Patre venit ad me*. Vbi *audire* & *discere* non possunt significare mentis obsequium (vt nonnulli hariolantur) *confunderetur* enim subiectum cum attributo, fieretque inanis ταυτολογία; significarent enim Christi verba nihil aliud quàm *venire eos qui veniunt*: Quid enim aliud est *venire ad Christum* quàm *Christo se tradere*, id quod non fit nisi mentis obsequio. Si igitur *audire & discere* significat *mente obsequi* dicentur à Christo (vt diximus) venire qui veniunt. Deinde si gratia hæc cõmunis est, vnde fit vt sit peculiare & ἐξαιρετικὸν fidelium & electorum elogium. *Et erunt omnes docibiles Dei*? Denique qua ratione cùm Apostolus antitheses instituit inter *credentes & non credentes*, sic hos ab illis distinguit, vt illis dicat *datũ esse* credere, cùm reliqui impietati suæ permittantur vt Philip.1.28. *Ne percellamini*, inquit, *vlla re ab aduersarijs, ea enim res illis est argumentũ perditionis vobis autem salutis, idque à Deo, quia vobis datum est gratuitò in negotio Christi, non modò in eum credere sed etiam pro eo pati*. Et 2.Tim.2. 8 19. *Qui*, inquit *aberrarunt à veritate, & subuertunt nonnullorum fidem attamen firmum stat Dei fundamentum habens hoc sigillum nouit Deus qui sint sui*: Vbi manifesta antithesis est ad consolandos fideles trepidantes ob multorum defectionem. Et 1. Ioan. 2. 19. *Exierunt e nobis* &c. *At vos vnctionem habetis*: Antithesis item est manifesta. 112. 113. 114. 115. 116. 117.

Multo verò grauissima controuersia illa est, *qua vis sit & modus gratiæ*; & Tileni sententia est eam maximam quidem esse, sed eiusmodi tamen vt sic tum afficiat animum, vt soluta sit voluntatis optio, quorsum velit sese inclinare: nostra autem contrà sententia est eam esse tantam tamque efficacem, vt cui illa obtigit idem non possit non parere vocanti Deo. Id quod demonstrabimus primùm authoritate Scripturæ, tum rationibus petitis à rei naturâ, denique enumeratione incommodorum grauissimorũ, quæ diuersa secum trahit sententia. Ac Scriptura quidem docet efficaciam quâ vocamur similem esse illi efficaciæ quâ Christus *excitatus est* à mortuis Eph.1.& Coloss. 2. non autem erit æquè efficax si superari potest. Deinde vocatio nostra *cordis lapidei* ablatio, carnei contrà datio est, efficitque Deus in nobis *velle & perficere*: quæ omnia frustrà dicuntur si *manet cor lapideum* aut verò manere potest Deo cor emolliente, & si dũ Deus facit in nobis velle & perficere eodem momento (vt ait Tilenus) *possimus reluctari*. Tum quid illa Christi verba *significabunt*: *Erunt omnes docti à Deo & quicumque audiuit à Patre & didicit, venit ad me*? Quorsum etiam respexit Paulus, dum sic inquit. *De fraterna charitate nihil opus est vt ad vos scribam, vos enim ipsi docti estis à Deo, vt alij alios ametis* 1.Thess. 4.9. & 1. Ioan. 2. *At vos vnctionem quam accepistis à Deo ea in vobis manet & non est necesse vt quis doceat vos*. Nempe Deus est qui dat incremẽtum, neque tamen in omnibus *promiscuè* hoc facit. Porro vbi incrementum est, ibi voluntatem flecti necesse est, quæ si non flectatur, vt Paulus maximè plantauerit, Apollos rigauerit, nullum erit incrementum. Eodem pertinet quod *Dei agricultura*, *Dei ædificatio*, *Dei opus*, 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124.

Marginal numbers (left column): 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111.

125 quandoque *regenerari* vt *creari denuò* dicimur. Idipsum porrò ratione probatur, nam si quod Tilenus concedit, intellectus irresistibiliter illuminatur, 126 voluntatem *pari ratione* irresistibiliter flecti oportet: nam quo moto aliquid mouetur necessariò, id si irresistibiliter mouetur, & mouebitur itidem irresistibiliter quicquid eo moto mouetur: at certè illuminato intellectu necessario flectitur voluntas, id quod multis modis probari potest; nam si aliter se habeat res, profectò ma- 127 lum *sub ratione mali* appetet, voluntas enim fertur in id, quod intellectus iudicio malum æstimatur: nam voluntas per se nihil æstimat. Intellectus est iudicare, vnde illa loquendi formula *videtur* quæ iudicium intellectus notat, vt malum omne quod appetitur φαινόμενον ἀγαθὸν dicatur. Deinde & illud multo grauissimum, quod sic *ve-* 128 *ra Christi cognitio* seiungi poterit à charitate cùm Iohannes Apostolus neget eos, qui Deum oderunt, aut proximum, vidisse aut cognouisse 129. Deum. Denique Scriptura malos, eosdem stultos & cæcos vocat: & reuera *quæ maior cæcitas* cogitari potest, quàm iustitiam & vitam minoris quam peccatum & mortem æstimare, & caduca & momentanea vitæ commoda pluris facere quàm cœlestem illam hæreditatem, atque æternam cum Christo societatem? Atque vt finis sit, quod sum attinuit pœnitentiam, fidem, charita- 130. tem, vt solet Scriptura *nomine agnitionis veritatis* appellare, si intellectus illuminationem hæ virtutes non sequerentur necessariò. Porrò idipsum liquebit si consideremus quam absurdum sit statuere Deum illuminare mente, voluntatemque interim sibi permittere vt sit penes eam vel annuere vel abnuere: in quo hoc primùm absurdum & pene dicam impium, quod sic *optima pars* 131 *diuinæ prouidentiæ* tollitur è medio; non enim à Deo pendebit inclinatio voluntatis in vtramuis vis partem si illuminatio intellectus eam veluti in æquilibrio duntaxat constituit: sese enim ipsa flectet quò libebit pro arbitrio nullâ moderante diuinâ prouidentiâ. Vnde & sequi necesse est omnem Deo præscientiam vel omnino detrahi, vel incertam ei relinqui: quî enim nouit certò Deus quorsum voluntas propensura sit? Nam quod aiunt Deum pro infinita præscientiâ cernere multò ante quò sit inclinatura, satis osten- 132 dunt se non meminisse *incerta rei* cognitionem *certam* nullam haberi posse. sanè nouit Deus certissimè sit ne voluntas in bonum propensura, quia nouit quid in eâ sit facturus, & nouit item 133 *sit ne propensura in malum*, quia nouit sit ne eam prohibiturus. Tertiò, hoc pacto Deitas quædam adscribitur voluntati, quod sic demonstro, Deus enim sic *communis* tantùm causa statuitur; at *com-* 134 *munis* causa effectum tantùm habet *communem*, quod verò à voluntate oritur commune non est: non erit igitur à communi causa, sed ab ipsâ voluntate, proindeque voluntas ipsa faciet aliquid, cuius Deus (communis nempe causa) non sit author, idque in bono. Quartò, *inde sequetur* ope- 135. rum meritum, nam si gratia non determinat voluntatem, sed in eá agit tantùm *communi* quadam ratione, profectò *merito* relinquitur locus: Nec alio fundamento nititur Pontificiorum dogma de operum meritis sic enim efficitur vt voluntas 136. *sibi possit* aliquid vindicare, quantulumcumque il- 137. lud sit, quod Deo tantùm vt *causæ partiali* ad scribendum sit. Quintò, sic tollitur sanctificationis nostræ ratio, tota enim sita erit in illuminatione quæ voluntatem reddit *indifferenter* ad bonū vel 138 ad malum affectum, qualis animi status *cogitari* 139 non potest, quando inter peccatum & iustitiam medium nullum datur. Sextò sic tollitur omnis consolatio, quod enim Deus in nobis facit, *non prohibebit* quominus nos aberremus: sic eleuatur 140 atque infringitur vis potentis illius dexteræ quâ erigimur iacentes, & proni in lapsum sustentamur. Vanum autem hoc effugium est quod dicunt, satis magnam esse fiduciæ causam quòd *possimus si velimus*; nam vt taceam illud omnibus omnino hominibus esse commune, (alioqui non peccarent) frustranea & ludicra est hæc consolatio: eodem enim res redit ac si summam diceres esse consolationem, fore vt *ne pecces nisi pecces*, non enim peccatur nisi volendo, & velle peccare idipsum peccare est. Certè de *potentiâ* securi sumus, quod nos *anxios* & sollicitos reddit est *vo-* 141 *luntatis nostræ incõstantia*, nemo scilicet læditur nisi à semetipso, nec ab vllo hoste magis nobis metuendum est quàm à nobismet ipsis. Septimò nullus erit reliquus exhortationum vsus, cùm enim voluntas ipsa sese determinet, *quid faciet* ex- 142 hortatio quæ voluntatem non potest ab æquilibrio dimouere; At requiritur, inquiunt, obiectum. Proponatur igitur sanè, rationibus nihil est opus, nempe non mouetur iis voluntas *domina* 143 scilicet volitionis suæ. Octauò nulla fuerit gratiæ necessitas, nam si voluntas ipsa *sese determinat*, cur 144 mente versante in summo errore non possit aliò tendere, *ad bonum* videlicet pro innatâ libertate? 145 quid opus fuit illuminatione quæ voluntatem *non potest* immutare? Dicent fortasse ignoti nul- 146 lam esse cupidinem, ideoque necessariam fuisse illuminationem, quæ objiceret voluntati quod appeteret. Ergo inquam, nisi id appetat voluntas, feretur *in ignotum*. Nonò tolletur gratiarum 147 actio quam Deo debemus ob præcipuum bonum, cognitionem eius scilicet & quem misit Christi, quæ vita æterna est: non enim hoc beneficium magis ei debuerimus, quàm qui id non sunt adepti, cum Deus *paria nobis* & illis imperti- 148 tus sit: nec ex animo eas gratias agere nobis ei licebit, quas egit ore tenus saltem Pharisæus, quòd perditis hominibus similes non simus; hoc enim non à Deo profectum est scilicet, sed à nobis. Decimò *licebit* nobis gloriari, nempe cùm 149 eandem quam nos mali consecuti sint gratiam neque maiorem neque minorem item, sed parem, eâ rectiùs quàm isti vsi fuimus. Porrò in vsu tota præstantia sita est, eo enim & sumus & censemur viri boni: gloriabimur igitur nostrum esse quod summum est. Vndecimò tolletur precum vsus, earum inquam, quibus *Deum* oramus, vt flectat voluntatem nostram, neu nos patiatur induci in tentationem: cùm Deus illuminet duntaxat 150 mentem, & affectus leuiter moueat, voluntati *præcipuas* partes relinquat. Duodecimò sic aperitur lata porta *ad securitatem* carnalem & fiduciā 151 sui, cùm quisque putet à se pendere vt stet & ca- 152 dat: nam standi vires à semetipso mutuabitur, & voluntas potest lapsa sese erigere. At inquiunt, minimè verò, Deus enim aufert lucem suam. Quid tum postea? non poterit voluntas obniti intellectui? Atque sic demonstratum est omnem religionem & pietatē euerti isto dogmate, tametsi

tametsi eius assertores id minimè factum velint,

Hæc sunt quæ respondere visum mihi est ad proximas Tileni notas, vnde confido fore vt intelligat me non sine graui causa in sententia perstare.

Postremam hanc Cameronis responsionem vix raptim perlegere, nedum refellere potui, tempore exclusus & Lutetiam redire coactus. Spondeo autem me (si Deus annuerit) intrà octidium meas ad illam notas Lutetiâ Salmurium transmissurum.

DANIEL TILENVS.

Ego verò vicissim spondeo amicæ huius collationis continuationem mihi gratam fore, meque ad eas quas pollicetur Tilenus ad responsionem meam notas, quàm primùm licuerit, Christianè & modestè Deo iuuante responsurum.

IOANNES CAMERO.

Hæc in suburbano Lislæano ita gesta fuisse testamur nos qui interfuimus & qui dictata excepimus. Anno Domini M.DC.XX. XXIX die Aprilis.

HIERONYMVS GROSLOTIVS LISLÆVS.

H. VALLEE.

THEOPHILVS BRACHETVS. MILLETERIVS.

LVDOVICVS CAPELLVS.

AD SVPERIOREM CAMERONIS RESPONSIONEM TILENI ἔνστασις LVTETIÂ Salmurium, vti conuenerat, transmissa.

1. DEMIROR turbati ordinis me à Camerone insimulari cùm ab ipsius vestigijs ne latum quidem vnguem discesserim, quod ex appositis ad marginem numerorum notis deprehendet quisquis superiorem annotationem meam cum ipsius responsione contulerit: Aliud fortassè suspicabitur qui quod ab ipso mutata velificatione factum mihi impingi mirabitur. Ego verò quod hactenus feci, eum κατὰ πόδας persequi pergam, idque tàm in proximæ responsionis elencho, quàm in notarum mearum ἐκδόσει.

2. Aliud est simpliciter concedere, aliud non negare id quod causæ, quam quis tuetur non officit. Istud non illud habeat nota mea ibid. Quod notâ 35. neque miror neque moror, id eodem spectat. Vtraque nota nihil aliud sibi vult præter hoc vnum, putà, ex ista parentheseos περιχώρησει nullis fidiculis exprimi posse decretum vocationis absolutæ, ex quâ fides quibusdam detur per vim insuperabilem, aliis negetur. Iam verò notandum parenthesin hanc quam postulat Camero à vers. 10. vsque ad 30. neque in Codicibus quos viritim terit publicus vsus, exstare, neque sensum ac rationem contextus eam admittere: siquidem verba illa οὐ μόνον δὲ &c. apertè cohærent, cum proximè antecedentibus, vt parenthesis hîc nônisi ineptè statuatur & affectatæ obscuritatis ac παρεμπλοκῆς atrum signum Apostolo parentheses parenthesibus inserenti, allinatur; nam & vers. 10. expressam & in omnibus codicibus signatam habet parenthesin, & in plerisque aliâ rursus parenthesi includuntur versus 24. 25. 26. 27. 28. 29.

3. Magis necessarius est hic nexus ex ratione Grammaticâ, quàm est ista diuulsio ex vlla ratione Theologicâ, quæ non minùs, quàm illa, connexionem postulat.

4. Hoc quoque connexum est arena sine calce, quod sic habet: postremi quatuor versus possunt coniungi cum nono. Ergo Esau & Iacob non sunt typi eiusdem rei, cuius sunt Ismael & Isaac. Cur obsecro priùs de Iustificatione ex fide in Christum, quàm de vocatione ad fidem illam differeret Apostolus? qui capite sequenti vers. 17. fidem ex auditu, id est verbo vocantis gigni docet & præconium hoc, totum orbem peruasisse testatur vers. 18. ne quis præcedaneo quodam decreto absolutæ vocationis, à fide summotum se statueret, & quod incredulitati suæ prætexat, haberet: quem prætextum imò iustissimam excusationem incredulis suppeditat sententia Cameronis quâ statuit, quibusdam denegari lucem accendendæ fidei necessariam, ex absoluta Dei voluntate, citra vllum ad eorum peccata respectum.

5. Hæc affirmantur tantum non confirmantur, subiecta fulcimenta iam à nobis sunt subducta.

6. Immò hoc vnum pugnabat cum ratione eorum qui Paulo aduersabantur: Iniquissimum his videbatur damnari eos qui iustitiam & salutem ex lege ab ipso Deo lata, sectabantur: ipsaque huius di criminis inter credentes & iustitiarios ratio, mera insania & verbi diuini ἐκπλωσις videbatur.

7. Hîc verò notandum erat ex quonam huius capitis versu exsculpatur ista Iudæorum obiectio, quæ tam vehementer Apostolum pressisse dicitur. Equidem istius obiectamenti οὐδὲ ὄναρ, οὐδὲ ὕπαρ, vel in Iudæorum mente, vel in Apostoli Epistola animaduerto: præcisæ & absolutæ vocationis doctrina illis fando nunquam fuit audita: hæc verò de iustitia ex fide, in Christo assequendâ summè ipsis erat exosa.

8. Adi notam secundam.

9. Quid & quatenus concesserim ex eapse nota 17. petat lector Apostoli verba sunt, sed vel κατὰ μίμησιν, vel κατὰ φίλαυτίαν. Sic & Apostoli & Iudæorum verba esse possunt; Continent enim principium κοινόπιστον.

10. Atqui promissio est vniuersalis omnibus obtingens qui vocantur; absoluta autem non est, sed vt ipse Camero monet, conditioni iuncta.

Omninò in hoc cardine vertitur status causæ.

11. Imò non minùs arduū hoc, adeoque ἀδύνατον

quod patuit ex notâ 19. deinceps que patebit amplius.

13. Inanis est hic fauor, non enim quæstio est de vocatione simpliciter, sed de vocationis modo.

14. Parùm rotundum hoc συμπέρασμα: Esau & Iacob typi sunt vocationis. Ergo talis vocationis quæ prorsus est irresistibilis: confunditur τὸ ὅτι καὶ τὸ πῶς.

15. Dictum hoc, & causam & modum denotat operationis in illis rebus, quas Deus efficit, quem modum nemo negat semper esse efficacem: At quæstio est de officio quod ab homine, nouis præuenientis gratiæ viribus instructo vult præstari, quem vult resipiscere & credere. Deinde contextus monstrat, dictum hoc non de regenerationis principio, sed de eius progressu esse accipiendum; agit enim eo loci Apostolus de regenitis.

16. Cùm distinctio ista denegationis absolutè & comparatè consideratæ, in superiori meâ annotatione, notâ 2. accuratè à me fuerit expensa, & ex Cameronis sensu accepta, grauissimo laboret incommodo, miror eam hoc loco potius repeti quam vindicari.

17. Hæc responsio non profligat difficultatem: manet quæstio, nempe num à solo Deo omnipotenter operante & irresistibiliter, fit ista efficacia, quâ fit vt homines resipiscant & credant Euangelio, ita vt hi actus resipiscentiæ & fidei ex diuina potentia proximè & immediatè eliciantur. quod si statuitur, statuendum quoque fuerit, non hominem, sed Deum in homine resipiscere & credere.

18. Istud peculiare nihil aliud est quàm gratia comitans ac præuenientem subsequens: hanc nemini negat Deus, nisi qui illam repudiauit. Est igitur vtraque à Deo, estque hæc posterior tam ad primos, quàm ad sequentes nouæ obedientiæ actus necessaria; Vtramque Deus vocans, dare paratus est omnibus, quos vocat. Consentire autem vocationi, vel ab eâ dissentire propriæ est voluntatis, ait August. de Spiritu & lit. cap. 34.

19. Sic ponitur, non probatur dogma decreti absoluti, excluditurque omnis ad quodvis peccatum respectus: quod dogma meæ sententiæ è diametro oppositum agnosco. An verò non & ipsius Cameronis quibusdam hypothesibus opponatur, ipse viderit, nos quoque suis locis videbimus.

20. Imò manifesta est comparatio, quæ instituitur inter contradicentes, blasphemantes, indignos se iudicantes vitâ æternâ vers. 45. 46. & gaudentes ac glorificantes sermonem Domini vers. 48.

21. Restitit sanè idque operationem Dei non esse irresistibilem ostendit: cur enim luderet operam alioqui, & non primo statim momento infunderet lucem, quomodo eam in principio creauit, & Lazarum excitauit? nec tamen eo inficias, pertinaciam ab eo solo edomari & sanari. de modo quo sanat est quæstio, tametsi is qui in sanando Paulo adhibitus fuit, cùm sit miraculosus & extraordinarius, parùm appositè instar canonis & modi ordinarij, hîc adducatur.

22. Si illi erant iam conuersi. cur ab ipso Christo vocantur *oues perditæ*? inibi vers. 6.

23. Dissimile est hoc exemplum: baptizati à Iohanne iam dederant nomen Christo, in huius non in illius nomen baptizabantur. Non opinor, probat Camero doctrinam Pontificiorum, qui Iohannis & Christi baptismum specie differre volunt.

24. Causam huius rei vide Matth. 15. vers. 24. Act. 13. 48.

25. Ita pij & boni vt tamen inter oues perditas numerentur. Memoriâ tenet Camero alibi à se dictum (notâ 76.) non posse dari fidem iam habenti: sed nec pietas dici potest, fide quæ caret.

26. Si conuersio non differt ab excitatione mortui, non video quînam generosior dici possit ex consequenti, mortuus excitatus non excitato: Tota certè laus est excitantis, nulla excitati.

27. Si obsequium hoc, affectum fuit illius generositatis, non igitur generosiores dicuntur ex consequenti: causa enim non sequitur, sed præcedit effectum.

28. Qui pares sunt conditione & prauitate naturali, respectu peccati communis siue originalis, dispares esse possunt prauitate & malitiâ acquisitâ peccatisque actualibus & propriis, quæ Deus, quibus vult pœnis ac modis vlciscitur.

29. Assentior, modò ne reiectionis causa in nudam & absolutam Dei voluntatem, sed in hominum propria & actualia peccata conferatur, siue illi absolutè siue comparatè considerentur; vtrobique enim Deus est iustus.

30. Imo hoc vnum est quod scindit Ecclesias Belgicas: puta, an qui non conuertuntur, istâ denegatę lucis pœnâ plectatur propter commune illud Adam peccatum: An verò propter cuiusque propter & actualia, siue ea pateant siue lateant.

31. Eadem recurrit difficultas, si ipsum velle nobis est necessarium, vti prorsus est. Et, si id Deus ex sola & nuda voluntate suâ, nullo ad actualia peccata respectu in alijs efficit, in alijs non efficit, neque paratus est efficere.

32. Sic igitur non commune Adami, sed proprium & actuale vniuscuiusque peccatum, id est, communioris illius gratię cõtemptus & abusus, causa erit meritoria denegatæ lucis ad conuersionem necessariæ.

33. Amplector vltrò ac deosculor hanc Cameronis sententiam quâ non modò Geneuensis scholæ, cuiusvis peccati respectum à reprobatione excludentis, sed etiam Dordracenę Synodi solùm illud Adami peccatum in hoc negotio considerantis sententiam deserit, & meam asserit. Omninò enim malitiam cuiusque propriam, qualis est adultorum ab eo hîc intelligi necesse est.

34. In his omnibus Camero me habet ὁμόψυχον καὶ ὁμόψηφον, semper habebit.

35. Ne qui tam coniuncti & ὁμόδοξοι iam visi derepentè in contrarias sententias dissiliant. Equidem largiar Cameroni quicquid sine fraude veritatis potero. Age præponantur in vocatione quidã æquè scelerati alijs sceleratis, idque in sensu composito, nempe cùm illi primùm vocantur. Camero mihi vicissim haud grauatè largiatur, non solere Deum, saltem ordinariè, in primo vocationis momento totam suam lucem effundere ἀθρόως, sed hîc quoque locum esse adagio; δεῖ σπείρειν τῇ χειρὶ ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Adeoque esse inter æquè sceleratos, quorum alij præcedentem ac

tem ac præuenientem gratiam magis minusve protervè respuunt: quandoquidem ipso Perkinso teste (Cath.refor.cētur.1.) homo merè ψυχικὸς citra vllum specialis gratiæ auxilium, potest verbum Dei in cœtu Ecclesiæ non solùm audire, sed etiam annunciare. Hinc igitur existet disparitas & qui paulò antè æquè scelerati erant, aliquo modo dispares esse incipient.

36. Etiam hîc consensus iniri poterit, modò vt impuritatis, sic & ablutionis gradus & momenta commodè distinguantur.

37. Etsi pœnitentia quæ tantùm est μεταμέλεια, boni rationem habeat cōparatè, nempè si cum hominis planè ἀπηλγηκότος ingenio conferatur, speciale tamen Dei beneficium dici posse non existimo: nisi ipsemet Iudas μεταμεληθεὶς & ex desperatione iam iam se strāgulaturus, speciali Dei beneficio affectus dicatur: potest tamē μεταμέλεια etiam alium effectum producere.

38. A Deo esse potest, ac sæpè est etiam id, quod non efficitur per omnipotentiam, aut voluntatis humanæ determinationem.

39. Diuersa est ratio luminis gloriæ & luminis gratiæ: illud comprehensoribus allucet in patria & meta; istud peregrinantibus à Domino viatoribus in stadio, vbi Deus non coram qualis est, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, sed per speculum & ænigma se cognoscendum præbet: ac mens tanquam in biuio constituta duo respicit obiecta; creatorem & creaturam, viam arctam, multis vepribus, ac spinis obsitam; & viam latam carni arridentē: voluntas alterutram liberè eligit initque, vt homo, qui hanc inire maluit, iustissimâ pœnâ afficiatur, quę iusta non foret, si homo non potuisset non inire viam, quam iniuit. Respectu finis vltimi, id est beatitudinis futuræ, nulla tribuitur libertas voluntati, non magis quàm in hac vitâ respectu boni communiter sumpti; vtrumque enim naturaliter ac necessariò appetit. In mediorum electione, non in vltimi finis appetitu spectatur voluntatis libertas.

40. Christi humana natura non habuit, non habet propriam ὑπόστασιν quam habet nostra: sed est τῷ λόγῳ secundæ S. Triados personæ ἐνυπόστατος, Quocirca aliena est hæc ἔνστασις.

41. Voluntatem ab intellectu in omnibus necessariò determinari negatur.

42. Vtraque ἔνστασις profligatur notis 39. & 40.

43. Non est hæc noua ratio, quæ nouam à me responsionem desideret, sed proximè præcedentis repetitio & interpolatio.

44. Assentior: omninò cogi potest intellectus; non enim ipse, sed voluntas formaliter est libera. Cæterū non resistit ille spiritui, quatenus est illuminatus, sed quatenus adhuc obtenebratus: quomodo etiam odium gignit in voluntate, quamuis non semper necessariò.

45. Non resistit quatenus iam est determinata, id est, per omnipotentiam superata; tunc enim desinit resistere. Nihil igitur in hoc sensu nempe diuino, est ἀναντιφατικὸν nedū ἐναντιφατικόν.

46. In intellectu quantum satis illuminato nulla potest superesse pugna; semper enim & necessariò quidem, assentitur obiecto rectè cognito: pugna est inter mentem, recta sed aspera & acerba monstrantem ac suadentem, & voluntatem mollia ac suauia optantem. Præstat certè hanc pugnam inter duas facultates, quàm in vnâ eademque collocare.

47. Huiusmodi actiones mixtæ inuoluntariæ dicuntur, secundùm quid: sunt autem voluntariæ simpliciter, vt patet in projicientibus merces sæuiente tempestate, in abnegantibus fidem ingruente persecutione. Hoc quàm illud malunt vtrique, perpensis omnibus circumstantiis.

48. Sed actus huius determinationis, non semper est perpetuus: quæ hodie rectum actum produxit voluntas, cras fortasse producet prauum. Est enim versatilis per se ad opposita, quandiu in hoc mortali corpore demersa.

49. Minimè verò. Nam Camero vult illuminationem in mente, necessariò secum trahere determinationem in voluntate. Ego verò illuminationem in mente quidem aio suscipi necessariò, determinationem verò in voluntate non item; eò quod ista semper retineat essentialem suam libertatem in eligendo vel respuendo.

50. Saltem hoc obtineo vt quantisper fulget lux in mente, tantisper superuacanea sit hortatio: Et quia hæc lux, putà non furaberis, non mœchaberis &c. in plerisque nūquam extinguitur, horum respectu istud hortationis genus, semper esse superuacaneum.

51. Sed iidem quoque norunt voluntatem formaliter manere liberam & quandoque sequi, quandoque refugere hortationes, quæ interuentu intellectus ad ipsam perueniunt.

52. Qui statuunt voluntatem semper manere liberam tam in principio, quàm in progressu regenerationis; illis hoc incōmodum, ne per somnium quidem objici potest: nam non nisi volentes conuertuntur; non nisi volentes sanctimoniæ porrò student.

53. Vtri verò huius mutationis & inæqualis dispensationis causa est tribuenda? spiritui an homini? Si illi, causa erit lapsus tanquam remouens prohibens, prælucentem facem subtrahens; si isti, habeo quod volo: Sic enim homo ingratus facem à Spiritu gratiæ accensam, abjicit proteritque liberè, cum posset retinere accensam.

54. Non hoc, quod hîc dicit Camero mea præsupponit ratio sed aliud, putà, adultum, acquisito & confirmato iam salutaris fidei habitu, fortiorem esse debere, quàm fuit olim infans in primo regenerationis momento. Et sic mea de perpetua voluntatis libertate sententia statuminatur.

55. Imò comparatè consideratur denegatio inter rebelles sc. & morigeros, quales saltem erant aliqui, interque eos ipsemet Ezechiel. Tùm verò nulla in textu mentio denegatæ lucis sed potius concessæ, alioqui non dicerentur habere *oculos ad videndum*: habebant igitur lucem, sed eam intueri nolebant & tenebras magis diligebant, vt Ioh. 3. 19.

56. At cæci qui sunt, oculos ad videndum non habent, neque enim quà tales videre possunt: istos autem Deus ait oculos habere, id est, luce perfusos esse, quæ tamen eorum voluntatem, non ita affecit, vt ad bonum amplectendum eam determinaret.

57. Cùm Christus exclamat, Qui habet aures ad audiendum audiat, non intelligit tales, quales hîc à Propheta designari putat Camero; Hi enim sunt rebelles, illi morigeri.

58. Si res ita se habet obtineo quod peto, nempe

positâ illuminatione in mēte (hoc enim est oculos habere) non protinus sequi determinationem in voluntate, quâ quis necessariò videat, id est obsequatur; nam vt scopus ostendit, *videre*, hîc nil aliud est, quàm *obsequi*.

59. Etiamsi non per omnia quadret hoc simile, manet tamen absurdum, modò ab ea parte qua dret, nam est & vsurpatum vt simile; nempe si in homine ψυχικὸς non maior sit facultas ad assentiendum Deo vocanti, quàm in cadauere ad resurgendum, Deo illud excitante.

60. Mortuos Scriptura non solùm vocat illos, qui iacent in peccatis, sed eos quoque qui iam regeniti, crucifixerunt carnem cum affectibus & concupiscentiis Gal. 5. 24. Rom. 66. & seqq. quemadmodum igitur isti non ita mortui sunt carni, vt nulla amplius edant opera carnis: ita nec illorum mors tàm crassè est accipienda, vt eâ omnes facultates & actiones vitales elidantur, siquidem non minus cum dormientibus quàm cum mortuis comparantur Eph. 5. 14.

61. Mouetur & afficitur vt istam mentis motionem sentiat non vt necessariò consentiat: sicuti ranæ hiberno frigore enectæ, verni solis tepôre ita vegetantur, vt calorem non modò sentiant, sed necessariò quoque reuiuiscant & coaxent.

62. Ego verò non vtor cadaueroso hoc argumento, sed illud cùm voluntatis respectu vsurpatur, refello: intellectum illuminationis respectu merè παθητικῶς sese habere concedo, quia, vt Philosophus ait, *intelligere est quoddam pati*; velle autem est actu interno agere, non igitur aduersus me retorqueri potest hæc ratio.

63. Præcipit tamen Paulus Tito cap. 1. vers. 10. 11. vt compescat tales, non præcipit opinor, vt quod solius Dei est, sibi sumat: Quemadmodum infirmos erudiunt, ita obstinatos compescunt ministri verbi, imò & se auditores suos seruare dicuntur 1. Tim. 4. 16.

64. Ne hoc quidem sequitur, nempe veram à Camerone causam esse redditam, siquidem quæ à me allata fuit, nec ab eo reiecta fuit, nec à quoquam iustè rejici potest.

65. Non sequitur si Tilenus Ismaëlem typicè intelligit, eodem modo intellectum fuisse à Iudæis, aut seruorum loco numeroque ab ipsis habitos fuisse iustitiarios: *serui*, illis in carnali generatione defixis erant ex serua prognati, quos è domo eiectos, nec mirabantur nec querebantur, quippe haud ignari illius dicti, Gen. 21. vers. 10. Verùm inter ipsos ingenuos & Saræ liberos, tantum discrimen statui quantum affert Apostolus, puta inter filios carnis & filios promissionis, id verò nec capere nec concoquere poterant.

66. Non video huius connexionis rationem aut modum, putà si Apostolus (Gal. 4. 22.) typo Ismaëlis non subiungit typum Esaui, consequens est Rom. 9. in priore typo tantùm agi de vocatione & quidem absoluta & semper efficaci; alioqui parùm cautè fuisset argumentatus: nec consequentia, nec consequentiæ ratio mihi probatur.

67. Oraculum, antequam fratres isti nascerentur, editum fuisse, nemo nescit; sed neque negabit quisquam, ideò id prædictum, quia res fuit præuisa, non autem rem præuisam quia prædicta aut prædeterminata, nisi quis Deum non minùs impietatis in Esauuo, quàm fidei in Iacobo autorem statuat. Nihil enim prędeterminauit aut decreuit efficaciter, nisi quod facit in tempore.

68. Opera opponit Apostolus iustitiæ & salutis adeptioni, non fidem.

69. Pares erant conditione naturæ, non instituto vitæ: illum sibi permisit Deus, qui parentibus benè monentibus parere nolebat, atque hac ratione ipsum Deum contemnebat.

70. Etiamsi huius rei causam indagare non possem ego, non tamen sequeretur eam esse quam vult Camero: interim non adeò obscura est ratio, cur vocantis, id est, Dei potius quàm fidei meminerit Apostolus. nempè quia fidei in Christum nomenclatura Iudæis erat ingrata & quia subiunctum oraculum, Maior seruiet minori appositissimè tribuitur Deo auctori; non item fidei: fides enim oracula non primùm edit, sed à Deo editis credit.

71. Deum esse qui vocat siue mediatè siue immediatè nemo negat, sed an quoties vocat, tàm efficaciter vocet, vt euentus id est, vocati assensus, non possit non sequi, id demum quæritur. Vocat, adeoque clamat sapientia vt vbiuis locorum eius vox exaudiatur: Prouerb. 8. 1. & seqq. rari tamen sunt, qui vocanti respondent.

72. Necesse non erat ad meam mentem aliter institui hanc oppositionem: materiam subiectam intuemur, non syllabarum apices aucupamur, res patet ex antedictis.

73. Efficax dicitur etiam id quod in se tale est, vt pharmacum sanando morbo, licet aspernantis ægroti culpâ non sanet actu.

74. Sic vocatio non solùm est efficax in se, sed etiam in subiecto seu homine assensum præbente.

75. Denegat igitur eam incredulis propter peccata actualia, non propter solum illud commune Adam, quod & suprà concessit Camero, in eoque mihi cumulatè satisfecit. vid. suprà not. 32. 33. 34.

76. Non potest hoc animo concipi, si fides semper eadem notione sumatur: At cùm sit quædam fides generalis & historica, non immediatè salutaris; quædam specialis, ex quâ proximè iustificatur homo; nihil necesse erat hos in simpulo fluctus excitare; quandoquidem ipsemet Camero, sup. not. 22. *pios & conuersos* vocat quosdam, qui ab Apostolis primùm ad Christum vocantur, & à Christo oues perditæ appellantur.

77. Assentior si per illum intelligatur peccator propriis & actualibus peccatis non solo illo originali & communi inquinatus, quod ipsum Cameronem velle liquet ex not. 32. 33. 34.

78. At non mihi solum sed etiam Caluino & Bezæ, sunt quædam προηγήματα regenerationis, quæ ipsam eius essentiam non ingrediuntur. videsis quæ sup. not. 35. attulimus ex Perkinso. Certè timor seruilis quo quis à malo reuocatur formidine pœnæ, minùs Deo displicet quàm proiecta aliorum in omne genus scelerum ac flagitiorum effusis habenis ruentium petulantia.

79. Non horsum adductus fuit iste locus, sed vt ostenderetur ἀναλόγως, quemadmodum Deus operibus ex fide profectis iustam tribuit mercedem: ita qualemcunque conatum eorum, qui cupiunt

cupiunt recedere à malo, licet ad verum bonum nondum accesserint nondum salutari fide donati, aliquatenus saltem placere patri ... parato maiora dare iis, qui paruo minus malè vtuntur.

80 Meritum congrui qui ponunt, sibi aliisque imponunt; neque enim meritum dici potest, quod est debitum, nec gratia est quod operi redditur, sed merces. Rom. 11. ℣. 6.

81 Contrarium statuo & κατ' ἀρχὴν & κατὰ θέσιν vt patet intuenti, nego Deum vllo operis merito, sed merâ suâ benignitate induci, vt maiora donet gratuitò. Hoc qui negat Camillique & Scipionis res gestas, non pluris facit, quàm Caligulæ & Neronis scelera suo vtatur iudicio, mihi ista discriminanti relinquatur meum.

82 Sæpius iam ad hanc quæstionem responsum est, obuenisse quidem à Deo, at non per vim irresistibilem.

83 Est autem controuersum inter eos qui Remonstrantes & Contraremonstrantes vocantur: illi reiectionis causam in vno vnius hominis peccato; illi in propriis & actualibus cuiusque reiectitij peccatis collocant. non istam sed illam sententiam à Camerone propugnari putaram.

84 Hoc tamen inde efficitur, neminem à Deo inuitari ad salutem cui præcedaneo decreto Christum ac fidem in Christum negauerit. Hoc quoque controuertitur inter eos quos dixi notâ præcedenti.

85 Non est igitur eius rei causa rejicienda in absolutum illud Decretum scholæ Geneuensis Sed hoc quoque à Camerone explicandum, quî per solum hominem stet, quo minus ei auferatur cor lapideum, si id non nisi per omnipotentiam diuinam auferri potest, quam Deus non vult adhibere in iis qui non conuertuntur. Num impedire potest homo, quominus Deus omnipotentiâ suâ vtatur?

86 Per hominem id fieri statuant, qui cum Pelagio insaniunt: At non proptereà necesse est statuere, à solo Deo id fieri non posse, nisi per omnipotentiam cui nihil potest resistere.

87 Neque hic neque sequens ad Coloss. locus ad generationem fidei seu primum conuersionis momentum pertinet: vterque agit de fidelibus qui iam crediderant. Etiam Caluino iudice intelligendus est vterque de potentia Dei qua Christum excitauit è mortuis, quâque excitaturus est fideles.

88 Nemo negat in credentibus actu, singularem esse operationem Dei; etenim his gratiâ præueniente excitatis eaque vt oportet vsis, datur gratia subsequens seu comitans, cuius vi vnà cum hominis voluntate producitur ille actus siue assensus: priorem gratiam aspernantes, iure merito destituuntur posteriore.

89 Controuertitur autem ab iis, qui fidei generationem negant differre ab excitatione mortui, in quo sola est potentia *obedientialis* ad resurgendû.

90 Eiusdem beneficio nos intrà Manichæismi Scyllam & Pelagianam Charybdin rectum in medio cursum tenemus.

91 Etiam mea est: At non Caluini, Bezæ, Zanchij & discipulorum, qui præparationem ad interitum non nisi in meram Dei voluntatem conferunt. Vide Caluin. Institut. lib. 3. cap. 25. §. 2.

92 Non supprimit rationem facti Apostolus licet illo versu διαρρήδην non exprimat: nam & in vtriusque typi historiâ Iudæis notissimâ & postremis quatuor versiculis satis luculentè eam exponit.

93 Negant hoc illi quos dixi notâ 91. qui exempla potius quàm typos ab Apostolo proponi putant electorum & reproborum, idque in vtroque fratrum pari. Etiam Camero quandoque personaliter eos considerat, vt notâ 67. Quomodo vtrumque par, vtroque modo considerari possit, ostendimus in Dissertatione 27. April. habitâ not. 10.

94 Ego verò existimaui frustrà illa verba à Camerone adduci ac tantopere vrgeri, nisi fuisset ei propositum aliquod ex illis argumentum nectere, quod aliter connecti posse non puto. Nihil porrò causæ est, cur cum Apostolo me committat; non enim huius verba negaui aut deprauaui, sed extructam inde argumentationem, vnde confutaui.

95 Nescio vnde suspicetur Camero me hoc suspicatum; Etenim ego quem notat, loco, tantùm refello sententiam asserentem personaliter potius, quàm typicè spectandos esse illos fratres.

96 Neque verò dixi ego, id à Camerone absolutè negari.

97 At non vocat efficaciter, dum & quatenus tales manent, sed dura illa pectora priùs legis malleo contundit, quàm Euangelicæ gratiæ oleum in contrita iam vasa infundat.

98 Non dicit pugnantia, qui fidem generalem, quâ quis credit Deum esse & hominibus benè facere, Deo magis gratam esse dicit, quàm impietatem illius qui dicit in corde suo *Non est Deus* (Psalm. 14.) quamuis idem ille, qui hoc dicit, deinde asserat illud Apostoli Rom. 14. 23. Etenim si ne sanctorum quidem opera omnia labe carent, nec tamen propterea ea auersatur Deus, quidni etiam quadamtenus gratum habeat, quod ab irregenito sub legis onere fatiscente, licet Euangelicæ gratiæ adhuc experte, proficiscitur? Cùm non soleat Deus tantundem reposcere ab eo, qui parum accepit, quantum exigit ab eo, qui multum.

99 Atqui hoc non nisi ex Geneuensium Doctorum hypothesi à me dictum, & indurationis modus non magis ex meo, quàm ex Apostoli sensu, declaratus Rom. 9. 22. simile à me allatum si displicet, pedibus teratur, per me quidem licet.

100 Imò qui hypothesin siue sententiam suam ab ἀντιδιατιθεμένῳ oppugnatam nó aliter propugnat, quàm ad eam recurrendo, apertissimè dicitur petere τὸ ἐν ἀρχῇ, idem per idem probans.

101 Quod ex 4. notâ mihi objicit Camero, id nullis inde fidiculis exprimi posse puto cùm iustificationis vox in eâ compareat nusquam: Vocationis autem mentio fiat exsertè.

102 Cameroni non differt vocatio ab Electione, nam ex ipsius sententiâ quisquis vocatur κατὰ πρόθεσιν, idem necessariò eligitur. Ego verò malo eum qui eligitur certâ qualitate esse præditum, quàm eum qui vocatur: Qualitas illa est fides, quæ in vocato non inuenitur, sed ab eo postulatur, à fide pendet adoptio Ioh. 1. 12.

103 Non ideò est nulla, si euentu caret, cùm ex parte Dei sit integra & sincera, solius hominis vitio fastidita: vbi ea non efficit remedium, ibi sufficit ad testimonium & hominem efficit ἀναπολόγητον.

HHh 2

104 Iudicium hoc non erit penes assertorem; sed penes æquum & peritum lectorem.

105 Adi notas 59. & 60. ex illis cognosces quatenus vrgenda sit hæc nomenclatura.

106 Καρδιογνώστας agere non est nostrum: contemtus Euangelij non est argumentum castitatis, modestiæ aut grauitatis.

107 Non nego, sed per vim ἀκαταμάχητον id fieri, aliterque ne à Deo quidem fieri posse, pernego.

108 Negatur hoc pertinere ad irregenitos & aliis sceleltiores. quippe fratres & credentes alloquitur Apostolus 1. Cor. 4. vers. 6. 7. neque valet consequentia à non distributo ad distributum, Accepisti hoc, Ergò per vim irresistibilem.

109 Si nihil affert mendicus ad Thesauri à diuite accepti possessionem, licet ille manum porrexerit, quantò minus affert homo ψυχικὸς ad fidei adeptionem, cui & paupertatis suæ notitiam & extendendæ manus facultatem Deus dedit? neutrum à diuite accepit mendicus, imò ne actum quidem produxit ille sine gratiâ.

110 Etiamsi quis neget, horum verborum hanc esse mentem, non tamen continuò negat dogma, cui asserendo hoc dictum adhibetur. Certissimum est non Deum ab hominibus sed homines à Deo vt vocari sic eligi.

111 Efficacem aio in se & ad id quod Deus ex φιλανθρωπίᾳ sua agere instituit, planè sufficientem, licet non sit efficax non obiecto. vid. not. 73.

112 Nos autem vindicamus.

113 De subsequente gratia id verum est: nam ea cum voluntate hominis actum producit, de excitante secus se res habet.

114 Ego verò ista non confundo: per eos qui non modò audiuerunt, sed etiam didicerunt, intelligo assentientes vocationi; sed quæstio manet, vtrùm id fiat per vim irresistibilem.

115 Tales esse possunt, qui se præbent dociles ac morigeros renouatâ per spiritum voluntate, licet ille non adhibuerit omnipotentiam.

116 Hoc dictum cum seqq. causam conuersionis indicat, quam Deum esse nemo negat: lis est de modo conuersionis, qui nullo horum testimoniorum probatur esse irresistibilis.

117 Egressus iste ex piorum cœtu, non opponitur permansioni in fide, sed legitimę missioni ad prædicandum. Agit Iohannes de illis qui legitimam missionem anteuertentes currebant, vt Ierem. 23. vers. 21. Sic Actor. 15. 24. quidam ex Apostolorum cœtu egressi turbarunt Ecclesias, &c. Hos ij qui spiritus vnctionem habent, iubentur discernere à pastoribus legitimè vocatis ac missis.

118 Aut igitur superuacanea fuit superior disputatio, aut non nisi ad inuidiam mihi conflandam, comparata, quasi negem ego, Deum esse fidei datorem. Cùm nihil nisi modum nuper excogitatum, improbem.

119 Neque Scriptura hoc dicit, & ipsemet Camero dissimilitudinem in hoc simili agnouit sup. not. 59. 60. 61.

120 Omnia hæc dicta agunt de re, quæ fit; non item de modo, quo fit; itémque de resistendi actu, qui in credentib. tollitur per actum contrarium; non item de potentia ad resistendum, seu resistibilitate, quam tolli, nullo horum dictorum probatur.

121 Non sanè manet, cùm aufertur: At non potuisse manere hinc non euincitur.

122 Non magis hoc est absurdum, quàm si dicam eum qui ambulat, potuisse sedere cùm surgeret, id demum absurdum foret, si actus potentiam elidere statueretur.

123 Hoc certè quod vult Camero non significant, nam de ablatione ipsius potentiæ ὑδέτερον: nihil quoque horum ex subjectis Scripturæ testimoniis exsculpitur.

124 Nempe quia vult etiam ab homine aliquid fieri, cùm ei præcipitur circumcidat cor suum, vt faciat sibi cor nouum, spiritum nouum, Ezech. 18. 31. nec tamen postulat ea vt faciat, quæ non nisi per omnipotentiam diuinam effici possunt.

125 Et hæ Metaphoræ concinnè sunt exponendæ, alioqui ad Flacij furores redeundum, quos sup. not. 90. execratus est Camero; nempè si creatio propriè dicta vrgeatur.

126 Negatur. rationem disparitatis vid. not. 62.

127 Negatur consequentia: intellectus quidem iudicabit & dictabit illud esse bonum; At eius dictamen voluntas liberè admittet, aut respuet, quippe ipsa est libera formaliter, non intellectus. In libero arbitrio, arbitrium intellectui, libertas voluntati assignatur.

128 Ambiguè dicitur *Vera*: vel pro salutari, quæ practica est, quo modo accipitur dicto illo Iohannis: vel pro historicâ & theoreticâ, quę tamen non falsa statim est, alioqui fallerentur impij qui Christum Deum esse norunt.

129 Scripturæ dicta non sunt ad Philosophorum canones exigenda, quam *mentis cœcitatem* vocat Scriptura, eam *voluntatis prauitatem* vocarent philosophi, nempe quod, qui eâ laborant, idem faciant quod cœci facere solent. Sic ille aiebat Athenienses scire quæ recta sunt, at facere nolle. Et apud Aristotelem Demodocus de Milesiis dicebat non quidem eos esse stultos, sed ea agere, quæ sunt stultorum. Sunt inter Christianos quoque Cosmopolitas, qui non negant terrena præponderari cælestibus, momentanea perennibus: plerique tamen illa istis anteponunt, non quod discrimen ignorent, sed quod seruare nolint. Num obsecro, cùm Christus dicit seruum voluntatis Domini gnarum pluribus plagis cæsum iri, negat illum nosse quod nosse aitanum ignorauit, cum mentis cognitione necessario nexu cohærere obsequium voluntatis.

130 Synecdochicæ locutiones ttalatitiæ sunt, tàm in sacris quàm in exoticis literis.

131 Cum ait Augustinus Deum ita administrare res omnes, vt ipsas quoque res, motus suos exerere sinat; non erat ei propositum diuinam prouidentiam ire imminutam, quod faciebant Manichæi eosque secutus Seruetus, dum volunt res creatas tantum esse quædam Symbola nullisque ad aliquid efficiendum viribus pollere, adeoque Deum alere in pane lucere in sole, vrere in igne &c. Addat quis τὸ ἐξ ἐναντίας credere ac velle in homine. Sicuti ergò non surripiuntur ista prouidentiæ Diuinæ, cùm proprietates effectaque illa ipsis tribuuntur: ita nec volūtas, quæ sui actus liberum principium vt esset, primigeniæ creationis lege Deus sanxit, prouidentiæ ipsius subtrahitur. Etenim relinquitur ei. 1. Voluntatis conseruatio. 2. Impedimentorum amotio. 3. Obiectorum oblatio. 4. Concursus diuini (qui propter secundæ causæ à prima dependentiam ci est

ei est necessarius) præstatio. 5. Circumstantiarum administratio. 6. Voluntatis etiam peccantis in hoc potius quàm illud obiectum, & in hunc potius quam illum finem, directio. 7. Peccati à voluntate profecti intra certos cancellos cohibitio. 8. Eiusdem peccati, vel punitio ex iustitia, vel condonatio ex misericordia. Hęc omnia prouidentiam satis actuosam & permissionem minimè otiosam in hoc negotio demonstrant.

132 Hoc verò nihil aliud est quàm Creatoris potentiam & scientiam angusto creaturæ modulo & pede metiri. Qui quæ nunquam sunt futura, fieri tamen possent, positis quibusdam causis secundis (vt 1. Sam. 23. vers. 12.) certissimè nouit; quanto magis nouit, quæ definito tempore certissimè sunt futura? possem ego longum blasphemiarum syrma hinc texere, si iniuriam, quæ meæ sit sententiæ, liberet retaliare.

133 At si nihil certè cognoscere potest, nisi quod ipse efficaciter decreuit, aut non cognoscet peccata, aut ea ipsemet efficiet: præcedente notâ negat Camero, Deum certò nosse, quorsum voluntas sit propensura, nisi ipse eam flectat; Aut igitur etiam ad peccatum eam flectet, aut peccatum futurum præuidere non poterit, si ipsa se flectat voluntas: sed nec permittere aut prohibere aliquod peccatum poterit, quod ne nosse quidem potest, nisi id efficaciter decreuerit. Has Cyaneas enare non est nostrum, viderit Camero.

134 Vin' igitur Deum particularem quoque & proximam causam esse actionum humanarum? hinc certè sequetur, Deum non hominem resipiscere & credere, siquidem denominatio non fit nisi à causa proxima & partiali. is qui voluntatem flectit ac determinat, propriè dicitur velle: flexus ac determinatio voluntatis nihil est nisi ipsissima volitio.

135 Non operum meritum sequetur, sed voluntatis euersio: ex agente voluntario & libero, fiet agens naturale & necessarium.

136 Inanis est hic metus ἀδιάφορος, scit homo omnia se habere à Deo siue ea acceperit per naturam, siue per gratiam: ab illâ est τὸ velle, ab istâ τὸ benè velle.

137 Absit vt Deum in ordinem causarum particularium cogamus, tametsi causæ vniuersali concursum particularem minimè adimamus; alioqui nullæ forent actiones, quæ omnes sunt singulares & à generali causâ dependent.

138 Fieri non potest vt post nouum lumen menti infusum non afficiatur & commoueatur voluntas; sed an ista affectio vel motio, nihil aliud sit, quàm necessaria eius determinatio, id demum quæritur.

139 Cogitari tamen potest, nutantis & modò huc, modò illuc pro pendentis voluntatis quidam æstus, priusquàm illa se ad alteram contradictionis partem determinet.

140 Prohibebit ita vt decet, non physicè aut irresistibiliter, sed modo Ethico. qui congruit potentiæ ac appetitui rationali. Non deerit consolatio salutem suam in timore & tremore perficientibus: non aberit securitas carnalis ab illis, qui omnia per diuinam omnipotentiam perficienda esse persuasi, se nihil aliud, quàm quod volunt aguntque velle aut agere posse autumant. proinde sedebunt compressis manibus, complicatisque velis otiosi, operientes vim irresistibilem spiritus, suo tempore adfuturi & voluntatem determinaturi: ne precibus quidem vacabunt, quando id studium non nisi per eandem determinationem cuiquam obtingit.

141 Sollicitudinem tamen ipsa Scriptura nobis passim commendat tamque nobis diffidendum, quàm Deo fidendum monet; Nemo autem nisi stultissimus, periculum in quod incidere non potest, metuit: defectionis metu excusso, simul omnes anxij & religiosi timoris fibræ euelluntur.

142 Propositis promissionibus ac comminationibus diuinis, aliisque id genus argumentis, faciet vt voluntas, rationalis & libera cùm sit, in bonam, quàm in sequiorem partem se determinare malit ac libertate sua ad salutem potius vti quàm ad perniciem suam abuti; nemo enim ita insanit, vt putet semper in æquilibrio suspensam hærere voluntatem.

143 Non erit Domina respectu Domini Dominantium, sed subdita, etiam ad rationem de quouis verbo otioso reddendam, obstricta: sic vile mancipium mandato herili, vel obsequitur, vel reluctatur liberè; illud cùm facit nihil meretur; cùm istud plagas meretur. Actus sui Dominam qui voluntatem esse dicunt, hoc vnum spectant vt inexcusabilem faciant, qualis esse non potest, si à principio externo determinatur necessariò. Num verò hanc appellationem etiam in malis actionibus ei inuidebit Camero? Si in istis ipsa se determinat, peccata diuinæ prouidentiæ subtrahentur ipsique etiam præscientiæ, vt ostensum notâ 133.

144 At non nisi gratiæ auxilio præuenta, excitata, renouata & comitata, ad bonum se determinare potest.

145 Voluntatem liberè se determinare dicimus: ad bonum absque gratia, eam se determinare posse non dicimus. libertatem ei esse essentialem asserimus: boni & mali rationes in obiecto occurrentes, ad libertatem illam non per se sed tantùm per accidens pertinent.

146 Inuidiosè hoc objicitur. Illuminatio murat voluntatem modo qui ei congruit, is autem non est eius determinatio. Oratio Ciceronis pro Ligario mouit & mutauit voluntatem Cæsaris, cui antea stabat sententia reum damnare, quem postea absoluit, citrà omnipotentiam aut vim insuperabilem ipsi adhibitam.

147 Quasi verò mens illuminata & bonum spirituale monstrans voluntati, desinat eidem monstrare, moxque occultet bonum corporale: aut lumen gratiæ, protinus extinguat lumen naturæ.

148 Nemo negat Deum sæpè paria imparibus & maiora quandoque deterioribus largiri, sed gradatim id fieri existimamus: & hoc vnum agimus ac satagimus, vt ea remoueantur, quibus Deus causa peccari statuitur & sua volūtati humanæ libertas eripitur.

149 Vtique gloriari licebit, sed in Domino 1. Cor. 1. 31. qui solus gratiæ author & dator: Est autem falsum credentes & contumaces parem habere gratiam, illi præter præuenientem & excitantem habent quoque comitantem & cooperantem, quâ destituuntur isti & sine qua vsus siue actus secundus non existit.

150 Nulla vspiam exstat precum formula, quâ Deus oretur vt flectat & determinet voluntatem

hominis per vim irreſiſtibilem, neque verò orandus eſt vt ſua, ſed vt diaboli opera deſtruat: ſua deſtrueret, ſi voluntatis naturam euerteret.

151 Præcipuæ partes ſunt gratiæ ἀναντιῤῥήτως quemadmodùm in eleemoſynis ſunt dantis non accipientis, vt oſtenſum notâ 109.

152 Sententiæ, quæ prædeterminationem voluntatis adſtruit, hunc eſſe fœtum docet nota 140. eam vide.

Cæterùm duodecim iſta ἀποτεύγματα, totidem ſunt μορμολύκεια ad terrorem imperitis incutiendum & inuidiam ſaniori doctrinæ conflandam conficta, & Pelagianiſmi calamiſtris inuſta, nec tàm ad eruendam è tenebris, quàm ab obruendam præſtigiis veritatem concinnata. Poteram ego. Cameronis ſententiam multo ſpecioſiore Manichæiſmi & Stoiciſmi apparatu inſtructam & exornatam in hoc theatridium producere, ſi liberet hanc ſerram per eandem lineam reciprocare. Malo autem Deum orare vt iſta Eccleſiæ ſuæ vulnera aut ſalutaris concordiæ panacæa ſanet, aut, quæ ſententiarum diſcrepantia peperit animorum diſſidia, ſaltem mutuæ tolerantiæ Chriſtianæq; charitatis & ἀνεξικακίας epithemate interim mitiget.

AD SVPERIORES
TILENI NOTAS
SALMVRIVM
transmiſſas:

IOHAN. CAMERONIS
RESPONSIO SALMVRIO
Lutetiam miſſa.

TILENVS ſtatim initio notarum ſuarum demirari ſe teſtatur cur à me turbati ordinis ſit inſimulatus, idque à me factum potius cauſatur, ſuſpicaturque neſcio quid, quod nō edit apertè. Fruſtrà hęc omnia, quod bonâ tamen cum eius veniâ dictum ſit; Nam nec ego ei (licet id iure fortaſſe facere potuiſſem) ordinis perturbationem vſquam obieci, quin eius rei iudicium lectori integrum reliqui: nec ipſe quod ſciam diuerſum ab eo qui diſputationi noſtræ cōueniebat, ordinem ſequutus ſum, nec ſuſpicandi quidquam vllum præbui argumētum. Tantùm cùm in ſecundæ reſponſionis principio veluti cauſæ coniectione eſſem vſus, remq; per indicem, narraſſem, atq; partitus eſſem, perſequuturuſque deinceps eodem ordine quo à me propoſita fuerat: Tilenus vero aliâ viâ eā reſponſionem præter expectationem meam eſſet aggreſſus adſcriptis notis, poſtulaui tertiæ reſponſionis initio, vt quando illo ſuo more diſputaret, mihi meo etiā vti liceret. quæ poſtulatio æqua & modeſta, nullam inſimulationis ſpeciem habere videtur, verba mea ſunt. *Quando viſum eſt Tileno ad ſuperiorem reſponſionē meam tàm multa annotare, idq́; ordine diuerſo ab eo quem ego inſtitueram: liberum mihi & ſolutum eſt eam in reſpondendo viam ſequi, quæ & maximè compendiaria eſt, & mihi accommodatiſſima videtur; eâ tamen lege nihil vt eorum prætermittam, quæ notis Tileni continentur, intactum, dum ſtudeo breuitati & perſpicuitati.* Cuius conſilij mei iuſtas habui & idoneas rationes, quas, vt omnem (ſi fieri poteſt) Tileno ſuſpicionem eximam, breuiter exponam. Ac primùm quidem hæc mihi videtur diſputandi & accuratiſſima & expeditiſſima ratio, quæ rem totam vno oculorum obtutu intuendam exhibet: quod notæ non faciunt præſertim non iuxtà, ſed intrà collocatæ. Deinde mentem lectoris haud leuiter perturbare ſolet oratio paſſim interciſa atque interrupta, quæ ſententiam reddit ſuſpenſam & obſcuram. Denique mihi videtur diſputatio ordine quodam inſtituta continuataque aliquid præ ſe ferre magis ingenuum & ſimplex, ideoque magis decere veritatem: præſertim ſi nihil prætermittatur, quod quicum tibi res ſit prætermiſſum iure queri poſſit. Quæ cùm ita ſe habeant, non eſt quod conſilium mutem: Itaque quod ſuprà feci & hîc itidem faciam. Quæcumque ſparſim à Tileno annotata ſunt in vnum conferam certo quodam ordine, eodemque ordine ad ſingula Deo iuuante reſpondebo, vt quæ inuoluta ſunt tantâ notarum multitudine atque intricata, ſic explicata lectoris mentem feriant & afficiant vehementius. ſic igitur rem aggredior.

Quæcumq; notis Tileni continentur ea ſunt eiuſmodi, vt vel præter rem dicta ſint; vel ſimpliciter affirmata aut negata nullâ (vbi id imprimis factum oportuit) ſubiectâ ratione, vel faueant meæ cauſæ; vel eò ſpectent, vt (id quod ego ſuperiori reſponſione contenderam) nihil mihi conceſſiſſe videatur, quod cauſam quam ago iuuet; vel vt ſua vindicet; vel denique vt mea argumenta, quibus eius ſententiam oppugno, refellat.

Et quidem præter rem hæc dicta contendo. Primò quod 10. notâ monet *promiſſionem eſſe vniuerſalem, omnibus obtingere qui vocantur. Cæterùm non eſſe abſolutam ſed etiam (me monente) conditioni iunctam.* Quorſum iſta ſpectant? Promiſſio iuncta conditioni eſt vniuerſalis, monente Camerone: Quid tum poſtea? Ergo conditio vniuerſalis eſt; nego id ſequi. Et verò eo loco ad quem Tilenus hanc notam appoſuit, aio diſertis verbis diſtinctas eſſe quæſtiones, cur hic potius quam ille promiſſionis compos reddatur (nempe ad hanc quæſtionem reſponderi poteſt hic præſtitit, ille neglexit conditionem quam promiſſio requirit) & hanc vnde factum ſit vt hic potius quàm iſte conditionem quam fœdus exigit, exhibuerit. vnde contendi harum quæſtionum (quæ inter ſe adeò diſſitæ ſunt) explicationem ab Apoſtolo diſtinctè fuiſſe tradendam. Hæc igitur Tileni nota otioſa eſt.

Not. 10.

Deinde non poſſum diuinare cur notâ 11. monuerit, verti ſtatum cauſæ in eo quod eo loco quem notauit, dixi rationem vnde fit vt præſtetur promiſſio, diuerſam eſſe â ratione quâ fit vt conditio impleatur. Nam videtur ſic profectò mihi concedere quod volo. volo enim Apoſtolum vtrumque agere, vt impletę prius promiſſionis, deinde præſtitæ conditionis ab hoc potius quam ab illo rationem reddat.

Not. 11.

Tertiò non poſſum aſſequi quo conſilio notâ 19. obſeruarit poni à me *abſolutum* decretum eo loco

Not. 19.

loco quo celeberrimum Scripturæ locum *non est omnium fides*, ab eius interpretatione assero. Quasi verò id negem. Ego verò decretum quod vocatio sequitur, quâ hic illi præponitur *absolutum* esse constanter totâ hac disputatione contendo; imò præcipua quæstio, de quâ nunc inter nos agitur, hæc est: Sitne *absoluta* Dei voluntatis, an (vt ita loquar) *conditionata* potiùs, quod in vocatione hic illi præponitur. Quod verò ait id decretum à me poni, non probari; in eo errat primùm, quod à me exigit vt thesin probem eo loco quo partes sustineo respondentis. 2. quod negat id à me probatum quum totâ hac disputatione id egerim effecerimque, adeò etiam hoc ipso loco, vindicatâ genuinâ interpretatione horum verborum, *non est omnium fides* tam firmis documentis vt Tilenus ea non potuerit labefactare, quod ego tum ostendam, cum respondebo ad ea quæ affert ad interpretationem suam asserendam.

Nota 18. *Quartò* nec illud quò spectet video, quod notâ 18. monet pares naturali prauitate, dispares esse posse malitiâ acquisita. Egone id vnquam negaui? immò eo loco ad quem Tilenus hanc notam adscripsit id expressè notaui: verba mea sunt. *Sed hîc semper recurrit quæstio, vnde profectum fuerit, vt generosiores ij fuerint qui naturæ conditione pares fuere.* Viden' vt vtrumque tueat, naturæ paritatem & imparitatem prauitatis acquisitæ? Tantùm quæro vnde oriatur ista disparitas? quam ad quæstionem Tilenus nil respondit. Ego verò quod hic isti præstet, cùm sit vterque naturæ conditione par, à Deo totum pendere sentio, idque & alibi sæpe & eo loco respondi.

Nota 29. 32. 33. 75. *Quintò* nec eius consilium quod fuerit possum intelligere, dum notis 29. 32. 33. & 75. mihi gratulatur & mirificè exultat quasi re confectâ, eo quod adultos omnes quique vtuntur ratione, quibus Deus non indulget tantam lucem quantam suis electis impertitur, statuam non modò prauitate originali, sed actuali item, se ea luce præstitisse indignos, & quidem eiusmodi eos esse, in quibus hæreat scilicet omnis culpa. Qua in re (quidquid autumet Tilenus) neque Doctores Geneuenses neque Synodum Dordracenam habeo dissentientem. Sed quid hæc ad causam quam agimus? controuersia enim inter nos iam est, vnde proficiscatur vt, cùm omnes adulti & qui mentis compotes sunt suis peccatis sese hac luce præbeant indignos, Deus eam velit huic potius quàm illi affulgere. Tilenus id *occultissimis meritis* tribuit, atque hac in parte se tuetur authoritate Augustini, qui vt modò deprehendi (suprà autem conieceram, non enim erat liber ad manum) eam ipsam sententiam retractauit. Ego verò Dei misericordiæ hoc adscribo. Etsi verò darem (quod nullo modo do) discrimen illud esse in *occultissimis meritis* positum, quæstio eadem recurreret, vnde fiat vt hic potius quàm iste *occultissimis meritis* præstiterit.

Nota 104. *Sextò* miror quâ mente Tilenus vir doctus & Theologus notâ 104. eius rei iudicium voluerit esse penes lectorem, quam rationibus demonstrari oportuit: idque refutatis prius argumentis quę contrà fuisse allata, tum ad ipsius sententiam refellendam, tum ad rationes quibus nititur confutandas, satis nouerat.

Denique non possum (vt hoc caput concludam) perspicere quid spectarit, dum cùm totâ hac disputatione nullum animi irati ediderit argumentum, tamen notas suas ita clauserit, vt non modò iræ sed etiam excandescentiæ non leuem dederit significationem. Nam ego quidem, quod sciam, non nisi modestè egi, gnarus quam causam, apud quem, & cum quo agerem: sed hæc vt ipse Tilenus monet ferenda non premenda sunt.

Venio nunc ad secundam classem earum rerum quæ notis Tileni continentur; multa enim vel affirmat simpliciter, vel negat nullâ additâ ratione, etiam vbi nihil affirmari aut negari nisi subiectâ ratione oportuit.

Cuiusmodi illud est I. quod cùm ego dixissem multo magis pugnare cum humanâ ratione, vt Deus huic potius quàm isti fidem indulgeat, quàm vt Deus istum credentem iustificet, hunc incredulum damnet: Tilenus satis habuit id negasse notâ 6. nullâ adhibitâ ratione. Quis verò miretur magis cur Deum eius potius misereat, qui verâ fide ad misericordiam confugit, quàm illius qui iustitiâ suâ fretus misericordiam aspernatur? Quis id (inquam) magis miretur, quàm vnde fiat, vt hic potius tantâ sui tantaque Dei cognitione donatus fuerit, vt potiùs quàm iste ad Dei veniam recurrerit? nam hîc certè occulta ratio est, illic manifesta. — Nota 6.

Secundò cum dixissem, si detur discrimen esse inter typos Isaacum Ismaelem, Iacobum & Esauum, procliue esse probare discriminis rationem haud eam esse quam Tilenus affert, lectorem ablegat notâ 12. ad ea quæ suprà notauit notâ 19. Quasi ego ea omnia non confutassem luculenter tùm in Analysi cap. 9. Epist. ad Rom. tùm in Analyseos defensione. Certè non potest quod ego euici Tilenus iure, ni rationes omnes meas expendat atque refellat, quod non fecit hactenus, imò nec tentauit, scripto inquam, nam quid cogitarit non laboro scire, ipse nouerit. — Nota 12.

Eiusdem est farinæ quod notâ 16. Tilenus profitetur se mirari cur denegationis lucis Euangelicæ *absolutè* consideratæ à me mentio facta denuò fuerit, cum is scilicet eam quæ à me adhibita est denegationis *absolutè* & *comparatè* considerat ęd stinctionem, in superiori annotatione (notâ videlicet 2.) grauissimo incommodo laborare demonstrarit. Nam quod sit id incommodú ego hactenus non potui deprehendere, imò verebar potiùs (vt quod res est fatear) ne Tilenum virum grauem & eximium Theologum (hac vnica causa excepta) nimis viderer vrgere si id incommodum excussissem quod ille incõmodum existimat. Sed quando is eo me prouocat, dabit veniam si quod non erat animus facere, id nunc faciam. Et quando mihi iam congrediendum est proprius, repetenda mihi est & explicanda illa distinctio quâ vsus sum: Dixi igitur nemini Deum Euangelij lucem denegare innocenti sed nocenti iam idque commerito. Sed cùm nemo sit qui audeat se ex nocentium numero eximere, dixi quæri non iam cur alicui nocenti Deus deneget Euangelij lucem (id mihi est *absolutè* lucem denegare) sed cur huic potius quàm illi deneget, cùm simus omnes rei (id est mihi *comparatè* denegare) Videamus iam quo incommodo Tilenus hanc distinctionem putet laborare. Noluerit, inquit, Deus, si ita — Nota 16

se res habet,) vt peccator conuertatur & viuat: Item noluerit omnes homines venire ad cognitionem veritatis. Audio. Iam videtne Tilenus vt idem absurdum eius sententiam sequatur; ille enim ait ideò negari quibusdam lucem Euangelij, quod indigni sint. Qui pote? inquam; nam si Deus omnium vult conuersionem, volet etiam indignorum conuersionem: vnde verò fit vt Deus omnibus qui tantâ luce indigni sunt, imò verò pariter indigni, non indulgeat indiscriminatim eam lucem? Cur his potius eam quàm illis impertitur? Hìc profectò Tileno hærere aquam necesse est: Nam quid respondeat? hos illis minus esse indignos? At fatetur postremæ annotationis (quam iam examinamus) notâ 35. æquè sceleratos aliis sceleratis præponi: sed hoc fortasse non concedit ex animo sed figuratè. Quidquid sit, quando non conuertuntur nisi qui impij sunt, quomodo velle dicatur Deus conuersionem omnium promiscuè, qui omnes impios non promiscuè conuertit? Nam sanè Tilenus facilè concedit haud omnibus affulgere lucem Euangelij: omnium autem conuersionem vult Deus ex hypothesi. Respondebitne id restringendum esse ad minus malos? Ergo, inquam, nequissimorum hominum conuersionem nolit Deus. Itaque in eo quod non conuertuntur, haud peccant; Nam ex hypothesi Tileni non peccatur eo quod fit, Deo nolente prohibere quominus id fiat. Quid igitur est? cauillabimurne frustrà dictum à Domino, *nolo mortem peccatoris*, *sed vt conuertatur* &c. Tam interest Tileni quàm mea, nodum istum soluere; docet enim is voluntati quâ Deus vult conuersionem, resisti posse: exponat qui fieri id possit & definita quæstio erit. Mea quidem certè hæc sententia est (quanquam in hoc genere liceat aliquid ignorare) voluntatem Dei duobus modis intelligi in Scripturâ; Est enim voluntas Dei quâ *decernit & statuit*. Hanc voluntatem sequitur effectum & quidem necessariò, siquidem fieri non potest vt consilium Dei irritum fiat: Huius voluntatis mentio fit Psalm. 115. vers. 3. *Deus noster est in cœlo, omnia quæ vult facit.* Sed & est voluntas quâ Deus vel *præcipit simpliciter* aliquid fieri; vel ità etiam, *vt eâ re quam præcipit, insuper delectetur*: Sic *præcepit simpliciter* Abrahamo vt filium immolaret, non delectatus est tamen eâ immolatione, quamuis Abrahami animum gratum habuit. quem tamen non exegit solum, sed prætereà etiam immolationem (alioqui nulla fuisset Abrahami obedientia eam parantis, & verò ni inhibuisset Deus præstantis reapse & factis.) At nobis quotquot sumus adulti aut vllum habemus vsum rationis nô modò præscribit fidem, pœnitentiam & conuersionem, verùm etiam ex eâ si præstetur, maximam capit voluptatem. Hæc est illa distinctio quam adhibui suprà, quamque ego demonstrassem eius fuisse tantùm non elisam à Tileno, nisi Auditores fuissent interfati, vt constat ex actis Collationis. Iam verò iuxtà hanc distinctionem, aio non pugnare ista. *Deus omnium indiscriminatim conuersionem vult*, voluntate nempe, quâ iubet aliquid fieri, quâque eo quod iubet delectatur: Et, *Deus nonnullorum tantùm conuersionem vult*, voluntate nempe quâ decernit & statuit. Neque vereor ne Tilenus hìc respondeat, sic Deo tribui duos circà vnum idemque obiectum pugnantes affectus, quando ipsum ei obijci potest; Non vult enim is Deum omnia decernere quibus delectatur: Itaque hac in parte inter nos conuenit. Cæterùm minimè pugnant ista vt Deus id præscribat fieri eoque delectetur, quod tamen non statuit & decernit fieri, non magis quàm vt aliquis velit secundùm quid, quod simpliciter tamen haud velit. sic liceat sanè nobis (qui in ænigmate tantùm videmus) de Deo loqui, dummodo ne existimemus nos altitudinem & abyssum illam sapientiæ Dei esse emensos, penitusque comprehendisse.

Nota 35.

Quartò aio affirmari tantùm à Tileno, non probari notâ 30. & 83. vnum illud Ecclesias Belgicas turbare, quòd statuatur causa denegatæ lucis adultis & qui rationis compotes sunt, non modò peccatum originale, sed etiam peculiaria vniuscuiusque peccata: Immò illud est quod eas vexat imprimis, quod exorti sunt nonnulli qui Iesuitarum Fonsecæ, Molinæ, Suaresij & eorum qui inter Scholasticos impurissimi sunt, placita sequuti, Deum *occultißimis* hominum *meritis* adduci docuerunt, vt horum potius quam illorùm in conferendâ gratiâ lucis Euangelicę rationem habeat. Et quid aliud quæso totâ hac disputatione à Tileno agitur, quàm vt non in solo Dei beneplacito, sed in homine ratio quæratur discriminis, cur Deus cum istis agat quàm cum illis munificentius? Si aliter sentit, sit disputandi, sit contendendi, sit quæso turbarum tandem finis.

Not. 30. 83.

Quintò miror simpliciter notâ 41. negari nullâ allatâ ratione volùtatem determinari necessariò in omnibus ab intellectu, cùm ego hac in disputatione non id affirmarim tantum, verum etiam probarim. Porro eâdem notâ mihi parùm constâter adiectum videtur illud *in omnibus*; sic enim videtur tacitè concedi *in quibusdam* determinari necessariò ab intellectu voluntatem: Quod si mihi dat, cogetur itidem dare, non pugnare cum voluntatis libertate ab intellectu determinetur. Nam cum libertas sit proprietas naturam voluntatis consequens, tàm non potest ab eâ *in quibusdam*, quàm non potest *in omnibus*, seiungi: seiungetur autem *in quibusdam*, siquidem vt determinetur ab intellectu, pugnet cum eius libertate, nempe si detur (quod videtur dare Tilenus) *in quibusdam* eam ab intellectu sisti ne aliorsum deflectat. Deinde vnica semper est voluntatis ad intellectum σχέσις, itaque & operationum vnica pariter σχέσις erit; Namque quæ est actuum priorum ad se inuicē ratio, eadem est etiam inter se ratio actuum secundorum: si igitur voluntas determinatur ab intellectu aliquando, & semper determinabitur, nunquam enim amittere potest quod est essentiale.

Nota 41.

Etiam illud demiror quod notis 89. 90. 91. inuidiosè obijcitur piis & procul dubio maximis viris ea sententia, à quâ maximè abhorrent; Nam etsi contendant fidei ingenerationem similem esse excitationi mortui, tamen non negant eam *vllo modo* differre; quod si non negarent paulò minus facerent, quàm si insanirent, id quod ab illis pene dixerim heroibus quam longissime abfuit. Sanè mortem animæ à corporis morte egregiè & diuinitùs planè distinguunt. quod ego alibi demõstraui, & si id nũc ageretur prolatis ex

Nota 89. 90. 91.

coram

eorum scriptis testimoniis possim demonstrare. Qui enim obsecro Manichæum & Illyricum illum Ecclesiæ Germaniæ turbatorem vehementius & splendidius & fortius confutarunt? Nam quod Tilenus beatæ memoriæ Caluinum insimulat, quasi præparationis ad interitum causam in solam Dei volūtatem conferret, vel ipse locus quem citauit Caluinum hâc suspicione liberat. Sanè si quid durius à Caluino dictum est, Augustinum autorem habuit, & benigna interpretatione & potuit & debuit emolliri: presertim cùm Caluinus in scriptis suis passim, adeoque Zanchius & Beza inculcent subinde interitus nostri & causam & culpam apud nos residere. *Absit iurisperitus & dolus malus* vetus formula est, vt & illa *inter bonos benè agier oportet*: Certè præ illis (ausim dicere confidenter) nos pumiliones & minuti theologi sumus. Quod cum non neget, imò verò vltrò profiteatur Tilenus, miror quid ei venerit in mentem vt præter rem, tam acerbè tamque iniquè cum illis ageret. Sed illi huius consilij, quæ me fugit ratio, fortè constat, ipse viderit.

Nota 112. Sed & illud magnoperè miror, quod notâ 112. simpliciter ait vindicasse se rationes quibus ostēdere conatus est, subesse in hominibus rationem, cur Deus horum potius quàm illorum corda emolliat, hosque ità illis præponat; cùm tamen id nusquam ab eo factum sit, nisi fortè animi cogitatione, ad quam non puto meum esse, donec innotescat, respondere.

Iam ventvm est ad ea quæ Tilenus mihi concedit, quæque meam causam imprimis iuuant, cuiusmodi, vt inde ordiar, illud est quod notâ 29. (quo loco dixi *discriminis inter eos qui naturæ conditione pares sunt, quoties contingit vt hi illis (exempli gratiâ Berœenses Thessalonicensibus) generosiores sint, causam vni Deo esse tribuendam; cui scilicet omnis excellentiæ laus debetur, cum inter hos & illos comparatio instituitur.*) Til. id assentitur, modò ne reiectionis ratio in nudam & solam Dei voluntatem rejiciatur, sed in actualia hominum peccata. Obtinemus igitur quod voluimus, quod hic rejicitur sibi debet, quod eligitur iste Deo. Ergo reiectionis ratio aliqua reddi potest præter Dei voluntatem, non potest reddi electionis ad fidem & pœnitentiam quam vita sequitur, alia ratio, præter meram Dei gratiam. At hoc est quod quærebatur; an vt causæ denegatæ lucis (dum absolutè consideratur ea denegatio) ratio est in nobis; sic etiam dum indultæ lucis ratio quæritur, eadem in nobis ac non potiùs in solo Deo reperiri queat.

Nota 35. *Secundò* notâ 35. concedit mihi Tilenus & quidem verba eius sunt, *sine fraude veritatis sceleratos æquè sceleratis præponi in vocatione.* Ergo inquam discriminis ratio non est *in occultissimis hominum meritis.* Nam quæ sunt paria seu in malo seu in bono, ea vero nequeunt facere discrimen: Hoc igitur assequuti sumus: Nam de perseuerantiâ & progressu diuersa quæstio est, quæque pertinet ad Thesin 4. in cuius disquisitione nondum versamur: nos eâ professi sumus quid sentiremus, sed priùs ista quæstio definienda fuit. Nam sunt nonnulli qui etsi negent in primâ vocatione Deum nullam requirere conditionem præcedaneam, concedunt tamen in perseuerantia requiri: à quibus nos dissentimus, nullam enim putamus fingi posse animo perseuerantiæ conditionem quæ ipso perseuerantiæ dono non comprehendatur. Itaque hæ duæ quæstiones (quod & nos fecimus) seorsum agitandæ fuere: Cæterùm ne eam penitùs videar defugisse, fateor primam vocationem non esse ita perfectam vt non possit ei subinde aliquid adjici, sed huius adiectionis rationem nullam video nec agnosco, præter gratiam Dei; Quod sic demonstro. Est lux quædam præcedanea quę excitat affectum & desiderium maioris lucis, vnde preces oriuntur, & preces sequitur nouæ lucis affusio: dico hæc omnia ordine fieri, lux precedanea tanta est vt afficiat animum studio maioris lucis, vnde necesse est sequi preces, & preces nouum Dei donum lucem suę cedaneam. Sed lucem istam pręcedaneam quam secutum est tam sanctum desiderium, aio maiorem eâ luce fuisse quam par desiderium non esse sequutum. Cùm verò maior lucis copia fit à maiori illuminatione (nam illuminamur, vel fatente Tileno, *irresistibiliter.*) aio maiorem gratiam illuminationis iis indultam qui tantam lucem perceperunt, vt affectus nouę lucis in iis excitatus sit; quàm fuit ille lucis modus quem par affectus non est sequutus.

Not. 36. Quod verò notâ proximè sequenti nempe 36. Tilenus quod concesserat, videtur retractare; Nempe vult impuritatis esse quosdam gradus, proindeque & innuit (si rectè assequor quid velit) minùs impuros præferri in vocatione magis impuris. Aio primùm in eo mihi non constare quî Til. sibi constet; nam suprà fassus est (saltem largitus est) sceleratos æquè sceleratis preferri: nunc (& quidem è proximo) idipsum quod dederat repetit; sed quo iure iam videamus. Apostolus negat hominibus impuris & contaminatis patere aditum ad regnum cœlorum: Vllane hîc distinctio est præter eam quam fecerit fides & pœnitentia? Tum subiungit, *atqui tales eratis nonnulli.* Magni est Tileni authoritas, & quidem illius magno merito, sed Apostoli authoritas, credo, præponderabit, eùmque Tilenus haud ægrè feret sibi prelatum, imò gaudebit potius, atque in eo triumphabit. Sed hoc iterum obseruabimus infrà loco idoneo Deo iuuante.

Not. 45. Concedit voluntatem non resistere quatenus est determinata, notâ 45. Ergo, inquam, nec cogitur; nam in eo qui cogitur voluntas semper resistit. At hoc vnum erit, quod eo loco ad quem Tilenus apposuit hanc notam quærebatur: An datâ voluntatis determinatione à Spiritu Sancto profectâ, sequatur coactio; nam de eo quod reliquum est infrà videbitur.

Nota 46. Notâ 46. concedit prætereà, in intellectu quantum satis est illuminato, nullam esse pugnam: quo videtur innuere in intellectu non illuminato quantum satis est, esse pugnæ locum; non enim temere à viro docto adhibita est restrictio illa *quantum satis est.* Atque in eo duo mihi videor adeptus quorum prius illud est, in intellectu aliquando pugnam esse intellectus aduersus semetipsum, prout diuersa intuetur obiecta, ideoque non rectè colligi ex eo quod voluntas pugnat interdum cum intellectu, voluntatem non flecti *irresistibiliter*; cum Tilenus qui intellectum vbique affirmat *irresistibiliter* illuminari, agnoscat tamen pugnam in intellectu: Itaque ex pugna perperam aio colligi illam *resistibilitatem.* Sed

respondebit fortasse Tilenus, pugnam oriri inde quod intellectus non plenè & perfectè illuminetur. Et nos vicissim respondemus idipsum in caussa esse cur voluntas interdum videatur reniti. Deinde quæro, an intellectu plenè illuminato voluntas possit obniti? Non videtur sane; sic enim ferretur non modo in id quod vel reipsa, verùm etiam id quod malum videtur; nam intellectui qui prorsus illuminatus est, quod est in se malum, idem malum esse videtur. Sed de hac re postmodum fusiùs. Nam quod causari possit Tilenus nemini id in hac vita contingere, vt mens penitùs illustretur, id nihil aliud facit quam voluntatem sequi mentem pro illuminationis modulo, quæ nostra sententia est toties iam & inculcata & probata.

Nota 47. Concedit nota 47. esse actiones quasdam inuoluntarias non simpliciter sed secundum quid, vt sunt abnegantium fidem ingruente persequutione *quoniam* (inquit) *hoc quàm illud malint perpensis omnibus circumstantijs.* Ergo, inquam, perpensionem circumstantiarum voluntas sequitur, quamque circumstantiam mens esse magis momentosam judicat, eò propendet voluntas; alioqui enim ferretur voluntas non iam dico in malum quod est reipsa (quod plerumque facit) sed & in malum quod videtur. Eiusdem generis est quod suprà in collatione ei imprudenti credo excidit, *voluntatem animaduerso periculo quod veritati est adiunctum, respuere veritatem.* Non enim vt arbitror voluntas animaduertit sed mens: Itaque si mentis animaduersione periculi, mouetur voluntas, determinatur à mente. Et si mens maius esse periculum monuit, quod minus fuit (quod in persequutione sanè facit) error mentis voluntatem agit transuersam: contraque qui leuius periculum insuper habuerunt vt grauius effugerent rectius iudicarunt. Porrò iudicare mentis est: Sic stat mea sententia immota.

Nota 77. Notâ 77. assentitur Tilenus Deum isti peccatori iustè denegare, quod huic misericorditer indulget, idque in primâ vocatione; nam de eâ duntaxat eo loco ad quem adscripsit hanc notam inter nos agitur: Obtinui ergo quod volui, discriminis rationem non esse *in occultissimis hominũ meritis*, sed in Dei solâ misericordiâ hunc peccatorem illi præponentis. Cæterùm de adultis hîc agimus, quique vsum rationis habent, quorum nemo est qui præter illud originale peccatum non contraxerit peculiaribus peccatis nouam insuper labem, quâ se duplo reddidit indigniorem & execrabiliorem.

Nota 80. Notâ 80. Concedit *eos qui meritum congrui ponunt sibi alijsque imponere.* At certè id faciunt qui rationem discriminis cur Deus hunc potiùs quam illum dignetur vocationis gratiâ, in eo ponunt quod hic iste dignior fuit, quæ Tileni sententia est qui collocat discriminis rationem *in occultissimis hominum meritis* iuxtà mentem Augustini lib. 83. quæstionum, quæst. 68. quem locum (vt iam monuimus) Augustinus retractauit. Atque idipsum nititur probare Christi authoritate, qui iubet discipulos eos demum docere qui *digni* sunt; quam dignitatem contendit eam esse quæ conuersionem præcedit, idque satagit vt tueatur & defendat notâ 22. Cuius autem ponderis ea defensio sit quamque vim habeat, videbimus infrà cùm series responsionis id exiget.

Nota 86. Notâ 86. concedit insanire eos qui statuunt per hominem fieri vt auferatur cor lapideum. Quid igitur de iis statuendum est qui docent gratiam Dei esse communem iis quibus cor lapideum non est ablatum, cum iis quibus est ablatum. Sanè eos necesse est quò quò se vertant, eò cogi vt dicant, cordis lapidei ablationem propriè humanæ voluntatis esse opus. Nam vt suprà disputauimus effectum *propriæ* potiùs quàm *communi* causæ attribuendum est: Iam gratia Dei ex hypothesi causa *communis* est, voluntas sese inclinans causa *propria* conuersionis. Aio igitur conuersionem magis propriè humanæ voluntatis quam diuinæ operationis effectum dici, si hypothesis vera est: Illud autem affirmare est ex sententia Tileni insanire, ergo hypothesis quam illud sequitur absurda est. Sed de hac re infrà denuò videbimus, loco magis idoneo.

Qvarto iam loco collocabo ea quæ affert Tilenus vt ostendat se nihil omninò concessisse quod faueat causæ meæ. Primò igitur cùm mihi concessisset interiectam esse parenthesin inter versum 10. & 30. cap. 9. Epist. ad Rom. ex eoque effecissem nulla necessitate versum 30. cum proximè præcedentibus iungi. Respondet notâ 2. *aliud esse simpliciter aliquid concedere, aliud non negare id quod causæ quam quis tuetur non officit.* Verba sunt Tileni superioris annot. notâ 16. *Neque negaui hîc aliquam esse parenthesin, neque versus illos esse παρενθέτους dissimulaui.* Operæ pretium verò est obseruare ad quæ responsionis meæ verba hanc notam apposuerit: verba mea sunt, *vt hæc ratio vllũ habeat pondus probandum est, ista vltimo loco posita (nempe. Quid igitur dicemus?) nullâ interiectâ parenthesi.* Ad hæc, illa Tilenus (*neque negaui neque dissimulaui parenthesin esse, versus esse παρενθέτους*) notauit: Non potuit apertiùs mihi concedere esse παρένθεσιν. Sed age nolo Tilenus mecum egerit tam liberaliter, satis mihi est quod hoc loco non negat esse παρένθεσιν, quamuis neget id officere causæ suæ: De vtroque iam videbimus. 1. quod non negat esse παρένθεσιν. 2. quod negat id officere causæ suæ. Si non negat esse παρένθεσιν, cur ita se torquet vt nullam probet esse? Si illa παρένθεσις nô nocet causæ suæ, cur in eâ refellendâ tantopere æstuat? cur me criminatur ac si atrum Apostolo signum alleuissem, ea quod παρένθεσιν esse dixi à 10. vers. ad 30? Sed benè habet, quidquid sit, ne nunc quidem Tilenus negat esse παρένθεσιν; Ergo, inquam, non negat versum 30. cum 10. posse coniungi, id enim demum est non negare esse parenthesin. Itaque nulla necessitate ex eo quod Apostolus clausit cap. 9. his verbis *Quid igitur dicemus?* conclusit Tilenus ea quæ inter versum 10. & hæc verba interjiciuntur, eòdem quò hæc verba pertinere: Nam quod notâ 4. me sic argumentantem facit, *postremi quatuor versus possunt coniungi cum præcedentibus; Ergo Esau & Iacob non sunt eiusdem rei typi*, in eo vehementer errat. Ego enim non sic argumentor, tantùm cùm is ex eo quod Apostolus caput iis verbis conclusit conatus esset efficere Isaacum, Ismaelem, Iacobum & Esauum eiusdem omninò rei typos esse, negaui id sequi; cùm fieri possit (concedente hoc mihi ac vltrò largiente Tileno) vt vltimi versus cum nono interiectâ parenthesi iungerentur. Quod verò notâ 3. affirmat (non autem probat) magis necessarium esse nexum versus 30. & sequentium cum proximè præcedentibus ex

bus ex ratione grammatica, quam sit eorum diuulsio necessaria ex vlla ratione theologicâ, postmodum Deo iuuante refellemus.

Secundo loco quod ego contenderam, à Tileno superioris annotationis notâ 17. mihi concessum, non multum interesse vtrius hæc verba sint οὐχ οἷον ὅ. *At fieri non potest.* Pauline an Iudæorum; indidemque effeceram nihil esse absurdi vt statuantur illa Pauli esse verba, proindeque id imprimis causam meam iuuare qui hinc ordiar analysin (quatenus pertinet ad causam de quâ iam inter nos controuersia est) Tilenus *lectorem iubet* notâ 9. *quid & quatenus concesserit ex nota* 17. *superioris annotationis petere.* Atqui illâ notâ hæc eius verba sũt, *tamen etsi largiar Cameroni esse hæc Pauli verba cicum non interduim.* Ergo, inquam, Tilenus arbitratur, quod illa verba sic interpretatus sum, id admitti posse: Itaque non putre aut fluxum iecerim analyseos meæ fundamentum, vel ipso Tileno assentiente. Quanquam nisi Tilenus id concessisset ego ex serie disputationis Apostolicæ euicissem; quæ penè incomparabilis viri ob pietatem, fœcunditatem ingenij & doctrinæ copiam, M. Buceri sententia fuit. Certè Syrus interpres hunc locũ sic reddidit: לא הוא גיר מפל נפלת מלתא דאלהא. Sed manum de tabula ne videamur captare digressiones. Mihi satis est quod id quod suprà obseruaueram ne nunc quidem adhibitâ posteriori cura, Tileno displicet; non enim retractat quod iam concesserat: Quid autem & quantum concesserit iam vidimus.

Tertiò contenderam Tilenum mihi concessisse not. 27. superioris annotationis, diuersos esse typos Isaacum & Ismaelem, Esauum & Iacobum, dixeramque, quando concessa est diuersitas typorum, procliuè esse diuersitatis rationem reddere: eam nempe quæ à me suprà reddita est in analysi cap. 9. Epist. ad Rom. atque in eius meæ analyseos defensione, ad quam Tilenus nihil respondet. Itaque quod hîc dicitur notâ 12. in eum locum contuli quo congessi ea quæ affirmat aut negat, minimè vero probat, id quod vnicè fauet analysi meæ.

Quarto loco affirmaueram Tilenum concedere (notâ 33. superioris annotationis) versibus 27. 28. & 29. agi de vocatione: id vero non negat Tilenus not. 13. Tantùm monet *non esse quæstionem de vocatione simpliciter, sed de vocationis modo.* At, inquam, etsi inter nos de modo vocationis controuersia est, attamen hoc loco satis mihi superque est obtinuisse Apostolum agere de vocatione. Vnde efficitur non agi iis quidem in locis qui citati sunt de Iustificatione; ideoque diuersos esse typos Esaui & Iacobi à typis Ismaelis & Isaaci, quemadmodum vocatio & Iustificatio res sunt diuersæ: Cùm enim Ismael & Isaacus typi sint iustificationis indultæ & denegatæ, Iacobus & Esauus diuersi erunt typi, nempe vocationis denegatæ & indultæ. Porrò magnum est discrimen inter vocationem & iustificationem; nam vocatio præcedit, iustificatio sequitur: iustificatio *præsupponit aliquid* (vt ita loquar) nempe fidẽ & pœnitentiam; vocatio efficax *ponit* hæc, non autem *præsupponit.* Denique iustificatio versatur circà obiectum iam præparatum & constitutum, atque, (vt loquitur Tilenus) vestitum; at vocatio constituit, præparat & obiectum vestit & ornat; Vocat enim Deus populum qui non erat populus, quemadmodum vocat ea quæ non sunt tam efficaciter, vt quæ non erant, fiat.

IAM eò deuenimus, vbi considerandum erit quibus rationibus Tilenus vindicet argumenta, quibus vsus fuerat in superioribus annotationibus, vel ad sententiam, vel ad analysin meam refutandam. Sic igitur ego statueram *in his potius quam illis salutari gratiâ donandis Deum meram sequi voluntatis suæ libertatẽ, qui, inquit Apostolus, omnia efficit ἐνεργεῖ ex consilio voluntatis suæ.* Quoniam verò Tilenus locum Scripturæ protulerat ex 2. ad Thessal. cap. 3. vers. 2. Indeque conatus est efficere, vt quod quibusdam negetur fides, id ipsorum proteruiæ sit adscribendum. Respondi primò non sic concludi quæstionem. Nos enim quærebamus non cur quibusdam denegetur fides *absolutè*, sed cur his potius quam illis denegetur, quando horum & illorum proteruia par est: Tilenus autem concluserat quosdam proteruiâ suâ fidem aspernari, quod non fuerat negatum. Quid ad hæc Tilenus? Miratur notâ 16. me repetere distinctionem denegationis *absolutè* & *comparatè* consideratæ, quam is vt dictitat expẽderat, quæque grauissimo scilicet incommodo laboret: At non hîc repetij vllam rationem à Tileno refutatam, tantùm monui non concludi negatum, id quod in omni disputatione respondentem oportet exigere, interrogantem verò præstare, ne discedatur à quæstione. Debuit ergo Tilenus vel ostendere non fuisse id negatum, quòd ego negatum contendo; vel demonstrare negatum à se conclusum: Quorum neutrum cùm præstiterit, aio rationem quam petiuit ex Apostoli loco (de quo nunc agitur) nullius esse momenti, neque vllo modo à Tileno esse vindicatam. Sic enim ratiocinatus sum: Ea ratio quâ non efficitur vt probetur quod erat in quæstione, nulla est; sed ratio qua vsus est Tilenus eiusmodi est; Ergo nulla est. Maior est extrà omnem controuersiam. Minor euidentissima est; Quæritur enim totâ hac disputatione non ratio denegationis *absolutè* sed *comparatè* consideratæ. Tileni vero ratio ostendit cur *absolutè* denegetur fides, non ostendit cur huic potius quàm illi denegetur, aliam vllam posse reddi rationem præter consilium diuinæ voluntatis. At id est nempe quod quærebatur. Nam quod notâ 15. verbis illis Apostoli *secundum propositum voluntatis eius cui omnia facit ex consilio voluntatis*, contendit causam & modum operationis diuinæ denotari, eumque modum ait *semper esse efficacem*, facit hoc omninò ad causam nostram. Nam cùm eo loco agatur de vocatione eorũ qui prædestinati sunt, oportet eam vocationem hoc pacto semper esse efficacem, vel tacente Tileno; atque id profectò vox illa ἐνεργοῦντος liquidò demonstrat. consulatur quæso locus Apostoli conferaturque diligenter tum cum præcedentibus, tum etiam cum consequentibus. atque ità omninò liquebit Apostolum agere de efficaciâ vocationis nostræ eo loco, quæ in eo sita est quod vocati paremus: tum enim demùm vocatio dicitur fuisse ἐν δυνάμει καὶ ἀποδείξει πνεύματος, cùm ex vocatione nascitur fides, pœnitentia, serium bonorũ operum studium, denique vita noua. Non tum cum exigitur *simpliciter* fides quæque fidem sequuntur reliquæ virtutes, ita tamen vt optio nobis sit soluta; neque enim id agit eo loco Apostolus, vt suspicatur Tilenus. Quod verò eo loco

Not. 13.

Not. 16.

Not. 15.

monet agi *non de principio, sed de progressu regenerationis*, causæ quàm tuetur plurimum nocet. Nam si tanta opus est efficaciâ (quantam Apostolus eo loco deprædicat) in iis qui iam regeniti sunt, quanto magis erit iis necessaria qui sunt regenerandi? Sanè operosius est incredulum ad fidem adducere, quàm iam credenti vt in fide perstet, persuadere. Sed profectò multò aliter se res habet quàm putat Tilenus: non enim de progressu modò, sed de principio regenerationis Apostolus disputat, vt inspicienti locum statim liquebit. Nam vers. 9. *patefacto*, inquit, *nobis mysterio* γνωρίσας; & vers. 11. *in quo etiam in sortem adsciti sumus* ἐκληρώθημεν. Tum illa sequuntur, *quum essemus prædestinati* προορισθέντες *secundum propositũ eius, qui omnia* ἐνεργεῖ *efficaciter facit ex consilio voluntatis*, ne quis miretur Dei propositum euentum tam certò consequutum. Denique illa sequuntur *vt nos simus laudi gloriæ ipsius* vers. 12.

Secundò ad illam Tileni rationem quam petit ex 2. ad Thess. cap. 3. vers. 12. Respōdi eam non esse Apostoli mentem quam retur, sed diuersam planè, sententiæque nostræ prorsus consentaneam: id quod demonstraui ex Apostoli verbis, & quidem hâc potissimum ratione, quod Apostolus preces exigat pro Euangelij successu: successus autem Euangelij fit Euangelij efficaciâ; exigit ergo Apostolus, inquam ego, à Thessalonicensibus, vt orent Deum vt Euangelium reddat efficax. Hoc verò non est Deum orare vt hominum voluntatem constituat duntaxat *in æquilibrio & biuio*, sed vt flectat ita vt obedientia statim sequatur. Nemo autem petit à Deo quod Deus nunquam facit: Cùm igitur Deus tribuit successum Euangelio, flectit ita hominum corda vt statim obedientia consequatur. Porrò hoc non fit communi quadam gratiâ, quâ vt plurimum nihil promouetur, sed efficaci quam constantissimè sequitur euentus. Quid hîc Tilenus? ait notâ 17. *hanc responsionem non profligare difficultatem, semper enim manere quæstionem, nempe, num à solo Deo omnipotenter operante & irresistibiliter fit ista efficacia, quâ fit vt homines resipiscant & credant Euangelio? ita vt hi actus resipiscentiæ & fidei ex diuinâ potentiâ proximè & immediatè eliciantur: quod si statuitur, statuendum quoque fuerit non hominem, sed Deum in homine resipiscere & credere.* At ego non iam id ago, vt profligem difficultatem, sed vt concludam quæstionem, nempe gratiam Dei non esse causam *communem*, quam aliquando scilicet effectum proprium non sequitur, sed causam *peculiarem* cuius euentus & effectum certissimum est. Atque ita conclusi quæstionem, quando ex Apostoli verbis id effeci vt non iam amplius maneat quæstio, sed definita sit explicata. Quam verò difficultatem Tilenus obijcit, ea verò merum est figmentum, ad nobis conflandam inuidiam comparatum, quasi nos existimaremus actum credendi & resipiscendi immediatè (tanquam actum secundum ab actu primo) à Dei omnipotentiâ proficisci. Non sic insanimus, Deus meliora? tantùm volumus Deum ita cum electis suis agere, tamque suauiter in eorum mentes illabi, fieri vt nullo modo possit, quin eum agnoscant, agnitum ament & reuereantur, in eoque solo firmâ animi fiduciâ & præcipuâ quâdam voluptate conquiescant. Itaque non hinc sequitur quod inuidiosè Tilenus causatur, Deum, non hominem, credere, Deumque non hominem resipiscere: Etenim fatetur ipse Tilenus in cœlo Deum præsentia sua ita fidelium mentes replere, vt sibi nequeant temperare, quin eius amore exardescant. Neque tamen puto, ferret sic aliquem cauillantem, igitur non beati Spiritus Dei, sed Deus ipse sui, amore flagrabunt: Atque huc redit Tileni ratiocinatio, vt quodcumque sequitur Dei aliquam actionem efficacem, id non rei in quam Deus agit, sed Deo tribuatur, quod ne in physicis quidem locum habet. Quis enim omném vim actiuam quæ est in natura à Deo proficisci neget, atque Dei omnipotentis operatione pendere? Inde ne sequi tamen quisquam sanæ mentis putet non ignem, sed Deum vrere? possem sexcenta alia proferre, quæ nonnisi indecorè (dicam etiam impiè) Deo tribuantur; cùm tamen certum sit ea à diuina operatione, vim agendi rebus indente, promanare. Sed nihil opus est eo excurrere. Enimuerò Tilenus passim inculcat mentem *irresistibiliter illuminari*. Quæro igitur, An cùm intelligit quisquam veritatem, non homo sed Deus intelligit, eo quod intelligendi actus humanus diuinam actionem sequutus est? Negabit id sequi, haud dubiè. Sanè nostra sententia simplex est & aperta atque nullis ambagibus implicita & inuoluta. Deus mentes nostras lumine quodam perfundit, ea lux facit vt nos cognoscamus, neque id modò, sed vt agnoscamus seriò veritatem: Eam agnitionem sequitur noua vita, idque pro lucis intrinsecus affusæ mensura; quæ si magna est, magnum; si mediocris, mediocre studium excitat pietatis; si penè nulla per exiguum & euanidum. Cuius sententiæ veritatem nos arctè tenemus. An verò defenderimus etiam acuratè, pij lectoris esto iudicium.

Quod verò eodem loco dixeram Apostolum, dum iubet orari, vt impetretur aliquid peculiare, nempe, successus Euangelij, satis eo ostendere tam esse à Deo illam peculiarem gratiam, quam sequitur continuò successus Euangelij, quàm est à Deo communis illa gratia, quam idem successus non sequitur continuò. Ad id Tilenus respondet *hoc peculiare nihil aliud esse, quam gratiam comitantem, quam vult præuenientem sequi* Hoccine disputare est, cum sit ad meas rationes respondendum, mea verba pro arbitrio interpretari? mea certè ratio hæc fuit. Frustrà petitur à Deo, quod Deus nemini dat, nemini autem dat gratiam ex sententiâ Tileni peculiarem, sed communem tantùm, initio, inquam, vocationis; Ergo ea non debet à Deo peti. Apostolus autem eam peti iubet, falsa igitur & absurda est Tileni hypothesis, quæ si videlicet vera esset, Apostolus quod vult peti, frustrà peti voluisset. Et certè fieri non potest, vt Apostolus eo loco gratiam succedaneam intellexerit, ea enim sequitur conatum nostrum ex hypothesi: At Apostolus etiam vult eo loco orari vt conemur; vult enim orari pro successu Euangelij, is autem nullus est, si non impetrauit & effecit studium & conatum in nobis. Vult igitur Apostolus vt oremus, vt hominum animis vi Euangelij, ingeneretur conatus & verum pietatis studium. Quod verò *consentire* aut *dissentire* Augustinus voluit esse propriè voluntatis, multo aliter est quàm suspicatur Tilenus intelligendum: Noluit enim Augustinus consensum non oriri à peculiari gratiâ, quæ scilicet non sit communis

Not. 17. Not. 18. Not. 19.

munis cum iis qui dissentiunt, sed tantùm voluit *consentiendi actum* (vt ita dicam) elici ex voluntate; ne quis Pelagianus aut semi-Pelagianus, sic statui non hominem sed Deum consentire cauilletur. Quod Augustini verba euidentissimè demonstrant. Verba eius sunt, *His ergo modis quãdo Deus agit cum anima rationali, vt ei credat: neque enim credere potest quolibet [libero] arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat? profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut dixi propriæ voluntatis est; quæ res non solum non infirmat quod dictum est. quid enim habes quod non accepisti? verùm etiam confirmat: accipere quippe & habere anima non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentiendo. Ac per hoc quid habeat & quid accipiat Dei est. Accipere autem & habere vtique accipientis & habentis est. Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquã nos coarctet, cur illi ita suadetur vt persuadeatur; ille autem non ita; duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum! & nunquid iniquitas apud Deũ? Cui responsio ita displicet, quærat doctiores sed caueat ne inueniat præsumptores.* Quæ verba tantam habent lucem, vt nullâ ratione possint obscurari; dum enim reddit rationem cur illi ita suadetur vt persuadetur, illi autem non ita, apertè dicit illa sola occurrere. *O altitudo diuitiarum! & nunquid iniquitas apud Deum?* Atqui si cum Tileno sensisset Augustinus quorsum attinuisset eò confugisse & hæc duo sola proferre? In promptu enim ratio est ex hypothesi Tileni, quod huius cui persuadetur *occultissima quædam merita fuere:* Illius cui non persuadetur non item. Aut certè quod pro innatâ voluntatis libertate hic animum ipse suum inclinarit ad obsequium, ille contrà obdurauit.

Aug. de Spir. & litt. c. 34.

SECVNDVS locus à Tileno prolatus est, Act. 13. 44. quo loco reddit Apostolus rationem, cur derelictis Iudæis ad gentes se conuertit: nempe quod Iudæi se præbuerant indignos Euangelio; restiterunt enim Euangelio. Ego respondeo loco non agi de ratione denegatæ lucis Euangelicæ *comparatè* sed *absolutè*: atque huius meæ Responsionis hanc adieci rationem, quod & ipse Paulus initio tam præfractè quàm ipsi, restitisset; quum tamen ei non fuerit denegata propterea lux Euangelij. Quod omninò necesse fuisset si ratio cur his potius quàm illis Deus impertiatur Euangelij lucem, est horum contumacia, illorum obsequium; Sic enim omnibus pertinacibus ex æquo eam denegaret: quod non facit Deus, cuius rei exemplum esto Paulus. Quid hîc respondet? Ad rationem responsionis planè nihil; tantùm notat (notâ 21.) quod Paulus aliquamdiu restiterit, id ostendere operationem Dei non esse irresistibilem. Quasi verò id à nobis negetur simpliciter: tantùm negamus singularem illam operationem, quâ Deus vtitur erga electos, dum eos vocat esse resistibilem. Non negamus verò operationem communem, quamque adeò Deus adhibet erga electos priusquàm vocentur efficaciter, eiusmodi esse, vt nemo obniti possit, aut contrà. Cæterùm ait (notâ 20.) eo loco institui comparationem inter Iudæos blasphemantes, & gaudentes & glorificantes. At inquam non tum id inter nos quærebatur, sitne prędicationis Euangelij diuersus euentus & sitne inter auditores tanti pręconij magnum discrimen, sed vnde hoc fiat, vt hi potius quam illi gaudeant: Iam verò eius rei ratio nulla redditur in contextu, tantùm quid acciderit narratur. Atqui ego nequaquam dubito quin hominum culpâ fiat quod Euangelium contemnitur; tantùm nego id aliunde proficisci quàm à peculiari quadam & singulari *Dei gratia* quod ab his potius quàm ab illis admittitur. Quod verò (notâ 21.) causatur Pauli conuersionem fuisse miraculosam; ac proinde non debere adhiberi pro exemplo: Sanè quod ad *media externa* attinet fateor eam fuisse miraculosam, at quod attinet, *ad internum animi motum*, nego fuisse eam extraordinariam. Attamen quando Tilenus videtur hîc agnoscere Paulum fuisse *irresistibiliter* conuersum; quæro iam putet ne Paulum fuisse stipitem & truncum? quæro putet ne voluntatis humanæ naturam in eo fuisse abolitam? quæro an existimet, Paulo credente, non Paulum sed Christum credidisse? Denique quæro an Pauli fidem non habeat pro insigni virtute? Quæ si illi absurda esse videntur, oportet eum quod res est, fateri & agnoscere *irresistibilem* conuersionem non trahere ea incommoda, quæ putat: nempe vt stipites simus, vt perierit natura voluntatis, vt Deus non homines credant, vt non sit habenda virtutis loco fides. Quæ omnia ille odiosè contendit, sequi conuersionis quam vocant *irresistibilitatem*.

Not. 21.

Not. 20.

Nota 21.

TERTIVS locus quem protulit Tilenus vt doceret rationes discriminis, cur hos potius quam illos efficaciter vocet, positam esse *in occultissimis hominum meritis* est Matth. 10. 11. quo loco iubet Christus discipulos inquirere, qui *digni* essent atque eos demum adire. Respondit *dignos* eo loco dici, qui iam erant conuersi, sed tamen quibus opus fuit maiori luce: idque illustraui adducto eorum exemplo qui solo Iohannis Baptismo initiati luculẽtiori cognitione Christi erant imbuendi. Dixi igitur eos qui eo loco *digni* dicuntur fuisse iam tum *pios & bonos viros*: nos autẽ iam agere, non de discrimine inter eos qui conuersi sunt, aut aliquem Dei gratię gustum iam percepetunt, & cæteros: sed de ratione discriminis, quod Deus adhibet, dum è *duobus alienis à vera pietate* alterum alteri præfert, huncque potius quàm illum salutari illâ gratiâ, quâ gignitur fides, dignatur. Quid ad hæc Tilenus? negat primò (notâ 22.) hos *dignos*, fuisse iam conuersos. Ergo, inquam, in homine impœnitenti *dignitas* quædam est; id verò monstrum *merito de congruo* non minus est prodigiosum. At (inquit) illi *digni* fuerunt inter oues perditas, itaque non fuerunt conuersi. At, inquam ego, nemo rectiùs ouis perdita dici possit, quam peccator suspirans & implorans misericordiam: Et verò non credo Tilenum esse animo tam duro, vt velit negare se ouem perditam, non negabit tamen, opinor, se esse conuersum, neque negauerit pariter sibi opus esse, vt in dies magis magisq; conuertatur. Sanè agnouerat se perditam ouem, qui dixit, *Conuerte me Domine & conuertar*, cùm tamen ea vox sit hominis conuersi iam quodammodo, sed incrementum pietatis & confirmationem à Deo petentis. Respondet deinde (notâ 23.) dissimile esse exemplum baptizatorum à Iohan. Baptista, quòd isti nomen dederant Christo, hi non lum dederint Christo nomen. Esto, tamen valebit argumentum à minori ad maius, si iis etiam prædicandum

Nota 22.

Nota 23.

fuit Euangelium quibus Iohannis prædicatio duntaxat nota fuit, Quidni etiam debuit annunciari Christus piis Iudæis, qui de eius aduentu nihil dum fortasse acceperant? Quid? putatne Tilenus statim fuisse notum omnibus Iudæis aduentum Christi? quamuis si dicerem istos *dignos* fuisse ex eorum numero qui Iohan. Baptismo fuerant tincti, non posset id facile à Tileno refelli: sed ego id non vrgeo. Denique respondet *ita eos fuisse pios & bonos, vt inter oues perditas numerentur.* Sanè; nam gemebant & suspirabant redemptionem & anhelabant ad tantæ gratiæ, cuius notitiam claram nondum habuerant, cognitionem. Sed quid hæc ad rem? Atqui, inquit, Camero meminit *a se dictum non posse fidē dari iam habenti.* Omninò; idem tamen memini dicere me, posse habenti fidem, dari fidei incrementum. Atqui ego nequaquam ambigo quin isti *digni*, fideles fuerint, sed quorum fides tamen præconio Apostolorum mirificè fuit augenda Nec enim vllam agnosco pietatem (vt desinat tandem Tilenus mihi immeritò iniuriam facere) sine fide, nec hos *dignos* (quos pios fuisse volo) volo fuisse fide destitutos, penitùs inquam destitutos. Ità non vindicauit Tilenus à nostrâ reprehensione, huius loci, quàm attulit interpretationem.

Not. 25.

Not. 25.

QVARTVS locus à Tileno citatus extat Act. 17. quo loco Berœenses dicuntur Thessalonicensibus *generosiores.* Respondi nihil illum locum facere ad rem; non enim iam hoc quæri inter nos, an generosioris animi sit amplecti, quàm respuere Euangelium, sed vnde potius his quàm illis obtigerit animus generosior: Et *generosiores* dici Berœenses ex consequenti, quod effecissent quod decebat animum generosum. Cæterùm quæstionem semper recurrere, vnde factum sit, vt Berœenses Thessalonicensibus animi generositate antecelluerint. Iam videamus vt se expediat Tilenus. Negat (notâ 26.) esse generosioris animi amplecti Euangelium, si conuersio non differt ab excitatione mortui: At nos suprà iam ostendimus id inuidiosè nobis obijci, quasi nullo modo ista inter se differre putemus. Sanè quantum est discriminis inter mortem animæ & mortem corporis, tantum distat conuersio ab excitatione mortui. Nos quidem hîc similitudinem agnoscimus, non agnoscimus quam vocant *identitatem*: Itaque quod Tilenus hic ait se non videre, quî mortuus excitatus dici possit generosior mortuo non excitato (pace eius dixerim) cauillatio est indigna viro graui Nam non est ea mortis animæ ratio, quæ corporis; etenim ea peccatum est, cùm mors corporis *in se* quidem nullam habeat peccati rationem. Itaque qui hoc genere mortis oppressi sunt, minùs sunt generosi: & vita animæ, vera pietas est, cùm corporis vita nullam habeat veræ virtutis rationem. Itaque quibus ea vita reddita est, iisdem datus est generosior animus. Quod verò Tilenus inde concludit vt absurdum, hoc pacto *totam laudem esse excitantis Dei, nullam hominis excitati*: Nos ducimus adeò cõsentaneum veræ pietati, vt sic statuamus; vt & contrà nequeamus satis mirari Tileni confidentiam, qui id, tanquam absurdum posuit. Sanè, ille existimet non esse totam laudem excitãtis Dei, nos ne sic sentiamus, religione, vt arbitramur, quæ Deo non est ingrata, continemur atque eandem mente Tileno precamur. Deinde, quod dixi obsequium Berœensium generosi animi fuisse effectum, idemque dixi eodem loco eos *generosiores* dictos ex consequenti. Contendit (notâ 27.) à me factum inconstanter. *Causa* (inquit, *non sequitur sed præcedit effectum.* Omninò. At quid tum postea? inquam. Ergo causa non potest colligi ex effecto? periit ergo ratiocinatio à posteriori. Non licebit mihi contendere ideò aliquid ignem esse, quia calefaciat? aut arborem esse bonam, quia profert fructus bonos? (ista enim paria sunt.) Enimuero redditur ratio cur Berœenses *generosiores* fuerint Thessalonicensibus: redditur verò à consequenti, sequitur enim generositatem obsequium. Tertiò respondet (notâ 28.) Berœenses naturâ pares fuisse Thessalonicensibus prauitate naturali, dispares fuisse prauitate acquisitâ. Ac hoc non est (vt iam monui) quod quærebatur, quærebamus enim vnde profecta sit hæc disparitas, non disquirebamus an esset vlla. Quid? ad eam quæstionem, *vnde est ista imparitas*, æquumne est vt Tilenus respondeat *eam esse*? nulla alia causa est, cur Berœenses *generosiores* fuerint Thessalonicensibus? Quærit Camero, vnde id illis obtigerit? Respondet Tilenus, quia prauitate acquisitâ dispares fuere, hoc est dispares erant, quia dispares erant. Nos verò respondemus rotundè & apertè quod Berœenses Thessalonicensibus præstitisse generositate contigit, factum esse singulari quadam Dei erga eos munificentia, cui omnis excellentiæ laus, cùm instituenda est comparatio inter nos & illos, tribuenda est, quod assentiri hoc loco cogitur Tilenus, vt suprà demonstratum est.

Not. 26.

Not. 27.

Not. 28.

Sic ostendimus haud obscurè (vt opinor) perperam adhibita esse à Tileno illa Scripturæ loca ad causæ suæ defensionem: sequitur iam vt ad reliquas Tileni rationes expendendas accedamus, videamusque quàm felici successu eas studuerit vindicare. Secundam Tileni rationem diximus hanc esse, *Deus omnium vult salutē*; causa igitur interitus est in nobis. Responderam id non negari, itaque nihil concludi, quod quidem esset in controuersia. Quid hîc subjicit Tilenus? ait *id vnum scindere Belgicas Ecclesias.* Primum id nego & pernego; tum, nihil hoc faceret (etiamsi verum esset) ad controversiam, quæ mihi iam est cum Tileno, nempe, an vt interitus causa est in nobis, sic etiã cur huic potiùs quàm illi salutaris gratia concedatur, ratio in nobis reperiatur. Cæterùm hic locus suprà expensus est.

Not. 30.

Tertia ratio quam attulerat Tilenus hæc est: Si Deus alicui denegaret gratiam necessariam ad fidem, esset exitij causa. Responderam verò duplicem esse necessitatem, alteram quę à *merâ prauitate animi proficiscitur*, alteram quæ (etiamsi adsit animi rectitudo & integritas) prohibet ne rem possis præstare. Atque hanc necessitatem, nisi Deus amoliatur, concessi futurum vt aliquam speciem haberet Tileni argumentum: At negaui idem, quempiam esse qui eam necessitatem possit prætexere, cùm omnium oculis obiecerit Deus argumenta amoris & reuerentiæ quæ sibi debetur, cæterum malitiam nostram obstare quominùs quippiam promoueatur. Quid verò hîc Tilenus? ait *eandem difficultatem recurrere cùm ipsum velle necessarium sit.* At hoc iam est pronuntiare sententiam, non disputare. hoc primum. deinde, si *cum ipsum velle necessariũ sit, eadem recurrit difficultas*, nisi Deus

Not. 31.

Deus effecerit in omnibus *ipsam velle* actu, erit author incredulitatis & exitij ex hypothesi Tileni: quo nihil dici potest aut absurdius, aut magis impium. Denique peto à Tileno an si Deus non indulsisset gratiam Euãgelij, fuisset causa peccati & interitus: Atqui ea gratia homine iam lapso planè necessaria fuit. Hinc velim scire vt se explicare possit Tilenus. Imò si Tileni hypothesis vera est, ego contẽdo gratiam salutarem esse noxiam & damnosam, fac enim non fuisse indultam, nihil nobis periisset; nõ potuissemus enim non peccare: & qui sunt eâ conditione, iuxtà hypothesin, nõ possunt damnari. Non potuisset igitur mors ęterna nobis infligi, nisi interuenisset Dei gratia: & quia in creaturâ rationali nulla potest dari media cõditio inter æternã mortem & vitam æternam, omnes donati fuissemus beatâ immortalitate. Gratia ergo effecit vt maxima hominũ pars pereat, non peritura scilicet nisi ea interuenisset. Ego verò me hinc (vt mihi quidẽ videor) nullo ferè negotio expedio: Dico enim illud *non posse*, quod in nobis est, non esse *infirmitatis Physicæ*, sed *malitiæ inclitæ*, & nisi intercedat vis Spiritus S. *inuicta*. Itaque eam carere omni excusatione, etiamsi nõ tollatur. Quinetiam id ipsum ratio coget Tilenum agnoscere; Quis enim vsus gratiæ fuit? nempe, inquit, vt homini detur erigendi sui facultas. Ergo, inquam, nõ poterit se erigere sine gratiâ: At quid inde metuendum fuerat, si minùs homo se erigeret? mors ęterna? Ergo etiamsi quis non potuisset se erigere, moriendum fuisset. Quamobrẽ quęso? quia peccator esset & quidem desperatus & perditus; adeò vt non potuisset non peccare: hoc verò etiam Tilenus non negat. Ergo inquam, etiam ij qui non possunt non peccare, rei mortis sunt. Falsa igitur hypothesis est eorũ qui statuunt eos qui adeò à fide alieni sunt, vt non credant, neque verò possint credere, iniuriâ dãnari. At, inquient fortasse, iure quidem damnentur, at non ideò quia non credunt. Audio. Quorsum igitur damnentur? quia legem violarunt. At, inquam, non potuerũt eã non violare: Eòdem igitur reuoluimur. Hęc verò penè sunt facillima ex eorum sententiâ qui magnum ponunt discrimen inter eam *impotentiam*, quæ stare potest cum animi rectitudine; atq; eam quæ nihil aliud est quàm prauitas quædam & peruersitas animi inexpugnabilis & præfracta: Nam respõdebunt etiamsi gratia Dei non affulsisset, impotentiam tamen humanam (Apostolus ἀσθένειαν vocat) eiusmodi fuisse futuram, quæ prauitas eadem esset. Et postquàm ea gratia salutaris affulsit atq; oblata est, à pari prauitate, aut maiori etiam proficisci quod plerique eam aspernentur: Atque ita Deo constare iudicij sui rationẽ, seu iudicet humanum genus ex lege, siue ex Euangelio; nempe quòd quis non potuit legem seruare, malignitate factum est humanâ; quod Euangelium quis non potuit capere, pari causâ factum est, hominum vitio, nullâ Dei culpâ, qui ea fecit, ex quibus constet per nos stetisse, quominus Deo paruerimus. Atque hoc Tilenus cum *amplectitur* & *deosculatur*, testatur imprudens solutum esse ipsius argumentum; tantùm studet me committere cum Doctoribus Geneuensibus. Frustrà, hoc primum; eadem enim eorum est hìc quæ mea sententia. Deinde nullo consilio, quid enim facit hoc ad rem, quam nunc agimus, quid hic aut ille rectè aut secius docuerit?

Nota 33.

Quarta ratio Tileni hæc fuit. Cùm dixissem sceleratos ęquè sceleratis anteferri, ille contendit intelligendum hoc esse in sensu diuiso, vt si sensus. Qui fuit aliquando æquè sceleratus, æquè scelerato qui non iam fuit modò sed etiam nunc est, prælatus fuit, nempe ob pœnitentiæ discrimen. Ego verò prolato primum testimonio Apostoli ex 1. Cor. cap. 6. vers. 9. 10. illius distinctionis leuitatem redargui: Tum etiam adhibui elenchi rationem. Quòd sic pœnitentia non sequeretur, sed præcederet omnem prælationem, id quod falsum est, cùm quod hunc potius quàm istum pœnituerit, singularis quædam sit prerogatiua. Hìc verò Tilenus quomodo soluit hos nodos? Primò *concedit* mihi vt visum est suprà, id quod efficere conatus sum, atq; ita discedit à suâ sententiâ. Quid deinde? ait *impuritatis esse quosdam gradus*. sed quid hoc ad rem? quasi verò id neget quispiam; tantum quæritur vnde fiat vt hic illo minùs sit impurus, quod nos Deo potius quã homini adscribimus. Deniq; cùm ego dixissem verã pœnitentiam esse peculiare Dei donum, idque autore Apostolo 2. Tim. 2. 25. ille perinde hoc accipit, ac si ageretur de Iudæ trepidatione & horrore pœnæ, cùm iam stimulis cõscientiæ confoderetur, planè contra mentẽ meam, & rem ipsam. Cæterùm accipio libenter quod dat *μεταμέλειαν rationem boni habere si cum stupore conferatur*. Ergò, inquam, plus in eo qui ducitur eâ μεταμελεία boni est, quàm in eo qui stupet, nulloq; penitus afficitur sensu peccati: proindeq; cùm omnis boni autor sit Deus, plus in eo cui μεταμέλεια obtigit, efficit Deus, quàm in eo qui stupet: Itaq; & hìc ratio discriminis est à Deo. Quod si nihil aliud secutũ est, aio hominis eam esse non Dei culpam. Quod verò affirmat *pœnitentiã esse posse etiamsi Deus eam non efficiat per omnipotentiã, aut voluntatis humanæ determinationẽ*. Aio eum in eo, vt mihi videtur, sibi parùm cõstare; nam cùm omnis Dei operatio sit ab eius potentiâ, *potentia* autem Dei sit *omnipotentia*, aio omnem operationem quæ est à Deo, *quatenus*, inquam *est à Deo*, esse ab *omnipotẽtia*, proindéque & opus quod sequitur operationẽ pariter assero esse diuinæ *omnipotentiæ* effectum. Deinde quomodo dicatur pœnitentia esse à Deo, si negetur interim eã esse per *voluntatis determinationẽ*? etenim pœnitentia *conuersio* est in Scripturâ: conuersio autem quid aliud est quàm *voluntatis à malo reuocatio, ad bonum determinatio*? Sed fortasse dicet, Deum efficere pœnitentiam proponẽdo simpliciter argumenta. At si ita se res habet, quam emphasin habebunt illa Apostoli verba. *Si fortè Deus dederit eis resipiscentiam vt agnoscant veritatem*, nunquid hic sit sensus? *Si fortè Deus obiiciat eorum menti argumenta quæ illi queant respuere & contemnere*. At hoc orator possit efficere, Timotheus ipse. Deinde quæso quorsum attinet illud, *si fortè*, nisi vt doceat Apostolus, rem esse raram neq; vulgatam: at illa cõmunis gratia sanè nõ est eiusmodi.

Nota 35.

Not. 36.

Not. 38.

Quinta ratio Tileni hæc fuit. Si Dei gratia ita voluntatẽ afficit vt non possit reniti, peribit natura volũtatis; mouebitur enim ad modũ appetitus animalis aut naturalis. Ad hanc rationem ita respõdi vt negarẽ consequentiã: ac vt ne temerè id viderer fecisse, geminâ ἐνστάσει vsus sum, quarum prior fuit ducta à beatorum statu in Cœlo, quorum voluntas ità afficitur vt non possit aliò se flectere, cùm tamẽ non perierit in iis voluntas,

Posterior petita fuit à Christi conditione cùm ageret in terris; cuius voluntas in bono defixa constanter ita adhæsit, vt inde non potuerit demoueri, cùm tamen non perierit in Christo natura voluntatis. Quid adhæc Tilenus? ait *diuersã esse luminis gloriæ & luminis gratiæ rationem. Christi naturam humanã non habere propriã ὑπόστασιν*. Quorsum ista pertinent? an ideò perierit natura voluntatis in beatis & in Christo, quod eorum & Christi conditio à nostrâ diuersa sit? atqui si verum est nullam esse voluntatem, si voluntas determinetur (cum in Christo & beatis voluntas determinata sit) nulla fuerit in iis voluntas. Quod si Tilenus hoc tantùm voluit intelligi de voluntate hominum quamdiu agunt in terris, quorum scilicet non est ea conditio, quæ Christi hominis: manifestè aut petitione principij vsus est, aut vitioso syllogismo ex maiore particulari in primâ figurâ; sic enim necesse est argumentetur Tilenus. Quidam appetitus determinatus belluinus est, aut naturalis: Voluntas humana (ex sententiâ nostrâ) appetitus determinatus est. Ergo est belluinus aut naturalis. Quòd si propositionem maiorem vniuersalem esse voluit, nullum quidem erit in syllogismi forma vitium, erit tamen petitio principij: sic enim eum oportebit colligere. Quicunque appetitus humanus determinatur ad vnum, is vel mouetur ad modum animalis seu sensitiui, quem vocant, vel naturalis appetitus, voluntas humana eiusmodi est. Manifesta est petitio principij; id enim quæritur, an determinatio ad vnum actu, sit appetitus animalis & naturalis propria (vt loquuntur) quarto modo. Id quod hîc vnica ratione falsum esse demonstrabimus: Quod pertinet imprimis ad voluntatem nobilitandam & ornandã, illud non est appetitus bruti, aut naturalis proprium; Determinari verò actu ad verum & summum bonum, atque ita vt non possit non determinari, pertinet ad nobilitandam voluntatem; Ergo non est appetitus bruti, aut naturalis proprium. Minor euidens est, probaturque exemplis Christi, Angelorum & beatorum Spirituum. Iam verò quid aliud regeneratio nostra est, quàm *voluntatis nostræ ad verum bonum inclinatio*? quæ, quò propiùs accedit ad eum modum determinationis qui est in Cœlo, eò optabilior est; Itaque precamur vt in terra sicut in Cœlo fiat Dei voluntas. Accedat huc & illud: Quòd determinatio voluntatis ad vnum constans & immota, nihil aliud facit, quàm vt voluntas vehementissima sit, & vt ita dicam *maximè voluntas*. At quod facit vt voluntas vehementissima sit, maximeque voluntas, id verò non destruit & perimit voluntatem, sed contrà eius vim ostendit. Non pugnat igitur cum voluntatis naturâ. *At mens*, inquit Tilenus, *tanquam in biuio constituta in hac vitâ duo respicit objecta, Creatorem & Creaturam: viam arctam multis vepribus & spinis positam, & viam latam carni arridentem*. Quæro iam vt ne progrediamur vlterius, iudicaritne mens vter eligendus Creator, an Creatura, via angusta an lata? si nil pronunciauerit mens, voluntas erit suspensa, atque eo ipso iam peccatum est, quod propositis duobus Creatore & Creaturâ, viâ latâ & augustâ, mens nihil pronunciarit. Sin mens sententiam dixit, Creatorẽ Creaturæ, viam augustam latæ esse præferendam: nego voluntatem refragari, nempe si refragatur, *animaduerso* vt suprà monuit Tilenus *periculo* refragatur, refugitq; id quod refugiendum mens suasit; Non est enim voluntatis sed mentis *animaduertere* & iudicare. Itaque hîc in iudicio & electione præcipuè erratur; nã ænea aureis momẽtanea æternis præponuntur: fac ergo hîc mẽtem illuminari, ita vt cæcitas absit, profectò optio liquida erit & manifesta, minimeque dubia. Sed de hoc postea fusius. Neque tamen id quod Tilenus contẽdit, sequitur *nullam fore culpam ideoque nec pœnæ locum, si quam viam quis init, eam non potuit non inire*: nam id *non posse* profectum est, *à iudicij practici prauitate*, quam vel Ethnici agnouerunt, causam esse cur qui vitiosi sunt, vitiosi sint: quanquam nos hîc ea ratione quatenus è media Philosophia petita est, nos non tuemur, quæ tamen apud eos, qui cum nobis res est summam vim obtinere debet; quib[us] de causis ipsi nouerunt. Nos sanè audemus confidenter affirmare id esse eorũ πρῶτον ψεῦδος, quod rerum causas, vt nimis volunt scire, sic sciri posse arbitrantur, saltem in hoc argumẽto. Sed agamus aliter. Scriptura passim docet omnes *decipi*, qui peccant, eos autem demum *sapere*, qui non peccant: Itaque nec qui peccat, sapit; nec qui sapit peccat. Nec, puto, id voluerit Tilenus si quis persuasum habeat licere Regem interficere, aut patrem; vt possit eo tanti sceleris autor excusari quòd peruerso mentis errore tantum nefas consciuerit. Quod si dicat esse malitiam hunc errorem, odium nempe; aio odium non ferri magis in ignotum, quàm cupidinẽ: Quod quis odit, profectò priusquàm oderit, iudicauit eiusmodi esse, vt id odisse conueniat, causâ sæpe futili, iudicio tamen mentis peruerso momentosâ & graui. Quod verò *respectu finis vltimi* Tilenus disputat *nullam tribui libertatem volũtati*: Id verò nequeo satis mirari, homini docto & magno prædito ingenio, atque in Ecclesia Dei educato, venisse in mẽtem; sophistas enim non moror. *Necessariò*, inquit, *ac naturaliter voluntas appetit vtrumque, beatitudinem in vitâ futurâ, & bonum communiter sumptum in hac vitâ*. Ergo, inquam ego, voluntas non habet pro obiecto finem, (siquidem verum est quod statuit Tilenus qui libertatem cum necessitate, & naturalem appetitum cum voluntatis appetitu vult pugnare) cuius vis tamen circà finem præcipuè versari debet, adeoque versatur, nam media sanè non per se & propter se, sed propter finem appetuntur: Itaque voluntas *propriè* fertur in finem, in media *per accidens* & propter finem. Nec aliter sanè sentit Aristoteles, qui βούλησιν docuit esse finis. Sed nec ratio finit vt sentiamus aliter, nam qui amat quod verè putat esse summum bonum, id vnicè amat: Itaque vt id redimat, nihil non facit, nihil habet pensi. Exemplo sit in Euangelio qui thesaurum reperit in agro, agrum emit. Et ille qui scripsit

Inueni portum, spes & fortuna valete
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

Is sanè ostendit vero fine deprehẽso, reliqua omnia contemni. Iam verò vera pietas est, *in appetitu veri finis*; impietas *in appetitu falsi*: Itaque vera pietas in eo erit sita, vt quis appetat verum finẽ, atq; ita appetat vt non possit non eum verè appetere. Quia verò non voluntas, sed mens cernit finem, aio verum finem à mente primùm demonstrari, & quidem vt verum finem, atque ita vt animus aspernari eum haud possit: contraque mera impietas

Nota 39.
Nota 40.
Nota 37.
Nota 38.
Nota eadem.
Ibidem.

pietas in eo sita est, vt quis probet mente, atque amplectatur animo pro vero fine qui verè finis non est, atque ità amplectatur vt quamdiu mens falsum illum finem verum esse iudicat, animus eum non possit non amplecti. Quod autem Tilenus, ait, *in hac vita voluntatem naturaliter appetere finem.* Primùm aio in eo eum falli, quod voluntatem putat aliquid appetere aliter, quã *voluntariè*: id quod tam absurdũ est, quàm si quis dicat oculum aliquid videre non visibiliter. Quod si *naturaliter* appetere, idem est Tileno quod appetere *voluntariè*, quid opus erat statuere necessitatem pugnare cum naturâ voluntatis? Deinde, quæro, quid sit hoc cõmune bonum quod voluntas appetit *necessariò?* Scio Sophistas sic loqui, tãtùm miror Tilenum qui non est sophista, sic locutum; nam certè omnis actio singularis versatur circa aliquod singulare: Ergo voluntas nostra, cùm se exerit, versabitur circa aliquod singulare; reducatur ergo hoc commune bonum ad singulare necesse est, aliter enim non appetetur. Ergo bonum quoddã est singulare, quod à singulis appetitur, atque ita quidem vt non possit nõ appeti. Quæro deinceps, sitne hoc bonum quod à singulis appetitur, verus finis? si est, singuli Deum appetunt, nemo seipsum; sin minus, quæro, quî peccetur in illius rei appetitu, quam voluntas nõ potest non appetere? siquidem *necessitas appetitus*, cum peccato pugnat ex hypothesi Tileni. Pergo, si animus non potest non expetere bonum *in communi*: Ergo si agnouit id bonum *in singulari*, non poterit id non expetere. At ex sententia Tileni non potest non expetere bonum *in communi*. Ergo nec *in specie*; proindeque si agnouit id bonum in Christo atque in Deo reperiri, non poterit id non expetere pro agnitionis modulo. Itaque intellectu illuminato cognitione Dei & Christi, non poterit non se totum Christo & per Christum Deo tradere: non poterit Deum & Christum non amare: hæc verò vera demum religio est, & quidem sita in eo, vt quod mens agnoscit, animus ita appetat, vt id non possit non appetere. *At in mediorum electione, non in finis vltimi appetitu spectatur libertas.* Quid ego audio? hoc est profectò, quod sophistæ dictitant; nam qui Metaphysica corruperunt, vt transsubstantiationis dogma quoquo modo statuminarent, quidni & Ethica pari fraude & ignorantiâ corruperint? Tilenum miror sic disputare. Primò, quia in vocatione præcipuè vocamur ad finem: itaque si finis agnitus est, res est confecta; præcipua rebellio & maximè capitalis est in cõtemptu finis. Deinde dico hæc esse ἀσύςατα, vt quis finem appetat, agnitum (inquam) finem, non appetat idem ea quæ ducunt ad finem. Atque hîc ipsius Tileni mentem appello: An finem & quidem summum finem quem agnouit summum bonum, vnquam ita appetiuerit, vt si constitisset certò cuius rei interuentu potuisset eum cõsequi, eam rem non appetiuisset? Nam si finem quis appetat, aspernetur autem medium, sequitur maiori odio eundem medium prosequi, quàm finem amat. At hoc est absurdum, nam finis vehementissimè amatur, nihilque odimus, nisi metu finis amittendi. At, inquiũt Sophistæ, multi cupiũnt viuere, nolunt tamen secari & vri. Responsio facilis est, non cupiunt viuere simpliciter, sed carere semper omni dolore, id quod fieri non potest, si secentur, aut vrantur; nolunt vri aut secari, mori malunt. Itaque vita non est illis charissima, proindeque nec finis (nam finis charissimus est;) aut si viuere cupiunt, putant vitam conseruari posse sine his mediis, non agnoscunt hæc media necessaria. Itaque esto hîc reiectio mediorum, non est tamen mediorum agnitorum reiectio, & sine quibus arbitramur nos finem assequi nequire. Quod ipsum in negotio salutis locum habet, vt siquis seruari velit, sed eâ demùm lege, vt pari nolit aduersa, aio hominem eum esse Epicureum: qui salutem nempe expetat carnalem, quæ vera salus non est, nolit spiritualem fruitionem Dei in Christo, qui verus demum finis est. Sanè Iacobum legimus quod vehementer amaret, septem annorum seruitutem per se ingratam æquo animo tulisse: scio quidem amaritudinem mediorũ vt pharmacorum displicere, sed eam amaritiem & deuoramus & cõcoquimus, si finis verè nobis cordi est. Itaq; idem aio, sophistarum esse dogma, indignum cui Tilenus assensum præbeat, statuere *finem non posse non expeti, mediorum tamẽ appetitum esse liberum*; Etsi enim media *propter finem* duntaxat, finis autem *per se*, attamen quàm hic, tam illa *necessariò* expetuntur. Quod sophistas decepit id est, quod legerunt apud Aristotelem *Electionem esse mediorum*, sed miseri non animaduerterunt *Electionem* apud Aristotelem sequi προβούλευσιν *deliberationem*: mentis autem deliberatio est, quâ peractâ, si medium quod quæritur occurrit, appetitur *necessariò*. Quicquid enim propter aliud amatur eò quod iudicemus id conducere ad id consequendum quod amamus imprimis, & id ipsum amabitur, quamdiu id amatur ad quod consequendum conducit. At (inquiunt) datis pluribus mediis libera & soluta electio est. Ergo potest quodlibet eligi. Iam verò hoc est quod mihi videtur paulò minus esse quàm insanire cum ratione, quãdo statuitur quodlibet medium eligi posse, nisi tum, cùm eorum quodvis æquè conducit ad finem: id verò non fit libertate vlla voluntatis, sed quod iudicium suasit, rem perinde se habere, quamcunque tandem viam ineas. At si vnum duntaxat menti rectè iudicanti occurrit (vt in salutis negotio) nego aliud præter vnum illud medium eligi posse. In summa, finis agnitus, mediaque agnita non possunt non expeti; agnoscuntur autem operâ intellectus illuminati; itaque intellectus illuminationem sequitur inclinatio voluntatis *necessariò*.

Sexta ratio Tileni hæc fuit. Si voluntas determinatur necessariò, cogitur; non autem cogitur: Ergo nec determinatur. Ego verò respõdi Primò pia ratione concludi posse intellectum cogi, quẽ Tilenus fatetur illuminari *irresistibiliter*, proindéque necessariò. Deinde implicare contradictionem, vt determinatio voluntatis, quâ fit vt velimus *coactio* dicatur, cùm qui cogitur nolit, nõ autem nolit, qui velit. Quo pacto refutat ista Tilenus? Ait *non esse absurdũ vt mens cogi statuatur.* Quod mihi in hoc argumento absurdissimum videtur; sic enim sequitur pios illuminari *coactè* (etenim hîc agitur de verâ mẽtis illuminatione) proindéque molestã illis fuisse hãc illuminationẽ. Equidem noui intellectum figurâ quadam dici interdum *cogi*, idq; tum cùm veritas tam aperta est, vt nequeat non agnosci, cùm anteà esset ignota: sed pari figura solemus profiteri nos *cogi*, vt aliquem

Ibid.

Ibid.

Nota 44.

amemus, quem anteà vehementissimè oderamus, cùm interim reuera voluntas non cogatur. Etiam tum intellectus *cogi* (non tamen propriè) dicitur, cum id quod cognoscitur eiusmodi est, vt perturbationem adferat. Sed in illuminatione de quâ nunc agitur, posterius illud non habet locum; Cognitio enim vera Dei in Christo non est rei molestæ cognitio sed multo suauissimæ. Non est igitur vera Dei cognitio, quæ perturbat, quin lenit potius ac leuat omnem dolorem: Itaq; *Euangelium* dicitur. *Si nouisses*, inquit Christus *donū Dei & quis sit qui dicit tibi, da mihi potum, tu petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Qui locus (vt obiter id obseruem) satis arguit cognitionem gratię Christi excitare necessariò, Christi desiderium: Qui hoc desiderium non senserunt, profectò iis Euangelium est rectum. Quod verò dixeram secundo loco pugnare vt determinetur voluntas & cogatur eadem, concedit Tilenus *verum id esse in sensu coniuncto, at in sensu diuiso negat id verum esse.*

Not.45. Nempe hoc videtur velle Tilenus vt voluntas quæ restiterat *cogi* dicatur, non quod iam resistat, sed quia anteà restitit. At hæc inquam nulla coactio est, sed persuasio & quidem vehementissima, quâ factum est, vt quod anteà nolueras, id iam maximè velis. Certè is cogitur non qui reluctatus est, sed qui totis animi viribus etiamnum reluctatur. Iam verò quia monueram quoties voluntas menti videtur repugnare, id inde oriri quod pugna fit in mente duo videlicet imperante, sed alterum vehementer, alterum molliùs & segniùs: voluntatem autē molli illi & segni mentis imperio repugnare, cedere vehemētiori, monueramq; pariter tùm esse in voluntate pugnam, indéque fieri, quædam vt dicamur facere *nolentes*

Not.46. *volentes.* Ad hæc Tilenus respondet *in mente quantum satis est illuminatâ nullam esse pugnam, semper enim* (inquit) *assentitur obiecto rectè cognito.* Ergo (inquam) cum quæritur: sit ne potius eligendū martyrium, aut Christus abnegandus: dubitat autem mēs vtrum potius fieri oporteat: aut verò eo propendet, vtilius vt putet & cōducibilius vt Christus abnegetur, *intellectus non est quantum satis est illuminatus.* Nam quod Tilenus existimat in eo statu mentem, quantum satis est, fuisse illuminatam; pugnam autem tantùm esse in voluntate aduersus mentem, in eo vehementer (vt mihi quidem videtur) errat: nam & tum mens æstuat, & dubitat & subinde illud repetit. *Vsque adeò ne mori miserum est?* & voluntas ipsa sibi repugnat, dum interdum mori pro Christo, interdum hac vitâ frui cupit. Itaque tum quod fit partim à volēte, partim à nolente fit, mente in varias partes distractâ, nisi quod hoc ei optimum factu visum est quod tandem elegit: id quod Tilenus (notâ 47.) agnouit. ait enim *ingruente persecutione homines hoc aut illud male perpensis circumstantijs.* Ergo mens hîc arbitra sedit, pronunciauitque, vtrum malum esset grauius.

Nota 47. Quod verò non videtur Tileno conuenire *vt pugna in vna potius quàm inter duas facultates collocetur*, non animaduertit sic tolli omnem dubitationem: Quid enim aliud est dubitatio, atque hæsitatio inclinatioque mentis nunc in hanc, nunc in illam partem, quàm quædam pugna contrariarum cogitationum? Cogitatio autem mentis est, vnde sequitur par pugna in voluntate, quæ tamdiu fluctuat, quamdiu mētis æstus, electione deliberationem secutâ, non est compositus.

Septima ratio Tileni hæc fuit. si voluntas sequitur intellectum, intellectu semel illuminato, non foret amplius opus hortationibus. Ad hanc rationem respondi *primò*, posse eam retorqueri in Tilenum hoc pacto; si requiritur tantùm illuminatio mentis, quæ voluntatem constituat *in biuio*; sit vero liberi arbitrij sese determinare, quid opus est hortationum continuatione? vnica sufficit, cnostitutus iam est animus *in biuio*. Respondet Tilenus *liberum arbitrium esse inconstans, idcóque egere hortationibus repetitis.* At (inquam) ex hypothesi Tileni, arbitrij inconstancia non sistitur, nisi à seipso, est enim *independens* (vt loquuntur in Scholis & sentit Tilenus: (non sistitur igitur repetitis hortationibus. Quod si hortationibus sistitur, mente & intellectu sistitur; hortationes enim non nisi per mentem ad volūtatem perueniunt: Cognitio mentis igitur erit, quæ inclinabit & sistet liberum arbitrium. At (inquit Tilenus) *voluntas formaliter libera est.* Ergo reijcit hortationes. Sanè, si mens eas rejiciendas arbitretur. Quòd si nullo mentis arbitrio id factum est, sed cæco impetu, voluntas perijt; vbi enim *arbitrium* non est, *liberum arbitrium* nullum esse potest: arbitrium autem mentis est, & voluntas est *appetitus cum ratione*, inquit Philosophus, imò potius res ipsa id clamat. Itaque hæc libertas arbitrij prodigiosa est, quæ ipsum arbitrium funditùs euertit. Quid igitur (inquiet aliquis) in quo sita est voluntatis libertas? in hoc nempe, quod in iis quæ pertinent ad mores, & vitam rectè instituendam, quantum volunt homines *seriò*, tantū possunt, in reliquis non est semper libera: nēpe actiones veræ pietatis eiusmodi sunt, vt iis possimus defūgi *modò velimus*, reliquæ actiones quæ nō sunt ad pietatē necessariæ eiusmodi sunt, vt earum respectu nō habeamus semper arbitrij libertatem; vnde sic loquimur. *Non est hoc penes me, non est arbitrij mei*, nempe volumus rem esse eiusmodi vt etiamsi velimus, non possit tamen à nobis fieri. Rursus cum sic dicimus. *Per te stetit, vel fuit penes te, tui erat arbitrij*, significamus tale quid fuisse, quod querimur non factum, quale fieri potuit, voluisset modò qui id neglexit. Secundò ad eam Tileni rationem sic respondi, vt negarem eò quod mentis illuminatio voluntatem trahat necessariò, sequi superuacaneas esse exhortationes, quod mentis illuminationem *educi, continuari, atque adeò intendi oporteat*, id quod fit continuatis ac subinde repetitis exhortationibus Ad hæc Tilenus ait se *hoc saltem obtinere, vt apud plerosque hortationibus non sit opus, quando in eorum mente semper fulget hæc lux. Non mœchaberis.* Sed meminerit Tilenus, quâ de luce inter nos iam controuersia sit: Nos enim non mediocrem quandam lucem intelligimus, quâ fit vt sciamus quid vetet Deus, quid præcipiat, quâque fit vt habeamus quod sequamur ob animi oculos, sed eam lucē, *quâ horror & fœditas peccati, pulcritudo & species visenda planè veræ pietatis & virtutis oculis obuersetur.* Priorem lucem fateor *etiam nullius hortationis interuentu* occupasse multorum animos: Posteriorem nego, nisi subinde accedant hortationes, quibus non solùm illud inculcatur. *Non mœchaberis, non furaberis*, sed omnes rationes quibus demonstrari potest rei fœditas, ob animi oculos constituuntur. Sanè lubens etiam concesserim, quibus clariùs innotuere viæ Domini, quique

Nota 48. Nota 49. Nota 50.

quique magis gustarunt, quàm Dominus sit bonus (quod nemini perfectè contingit in hac vita) iis tanto minus opus esse exhortationibus, vt fiat illud Prophetæ Ieremiæ 31. 34. *Et non docebunt vltrà vnusquisque socium suum, & vnusquisque fratrem suum, dicendo cognoscite Dominum; nam omnes ipsi cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum.* Et illud Apostoli Pauli 1. ad Thessal. 4. 9. *Cæterùm de fraterna charitate non necesse habetis vt scribam vobis: ipsi namq; diuinitus docti estis, vt diligatis alij alios.* Et illud item Apostoli Ioh. 1. Ep. cap. 2. 27. *Sed vnctio quam vos accepistis à Deo, manet in vobis, nec necesse habetis, vt quisquam doceat vos: verùm sicut eadem vnctio docet vos de omnibus, quæ & verax est & non mēdax & sicut docuit vos, manebitis in eo.* Neque verò quisquā hîc mihi calumniam struat, quasi cum Schvvenfeldianis sentire; etsi enim noui alios magis, alios minùs indigere hortationibus, tamē omnes fideles, quamdiu viuunt, fateor opus habere vt Deus hoc Spiritus sui magisterio apud eos vtatur. Sed videt iam Tilenus, An hoc incommodo ipse non oppresserit causam suam: nam si liberum arbitrium seipsum inclinet, adsit modò obiectum (quæ hypothesis est Tileni,) cur opus sit hortationibus apud istos quibus satis superque notum est, non esse mœchandum, non furandum &c. præsertim cùm (notā 51.) agnoscat in eo sitam esse libertatem voluntatis, *vt aliquando respuat ea, aliquando admittat, quæ interuentu mentis ad eam perueniunt:* quam libertatem ego *prodigiosam* & planè nullam esse suprà demonstraui. Sanè libertas voluntatis in eo sita est, quod sponte, cogente nullo, & sequitur mentis iudicium, & in iis quę pertinent ad vitæ mores liberrimè quod voluit, exequitur.

Nota 51.

Octaua ratio Tileni hæc fuit. Sequetur hominem regenitū si vocatur *irresistibiliter*, multo esse infirmiorem procedente quàm ineunte regeneratione: quod procedente regeneratione renitatur vel maximè, qui ineunte paruit. Quam ad rationem ego duobus modis respondi, & priori quidem hoc modo, si hoc absurdum sequitur nostram sententiam, & Tileni sententiam sequetur; Nam & is fatetur procedente regeneratione reniti aliquando regenitum, quod non fecerat vocationis initio. Excipit verò Tilenus non sequi, quia (inquit) *volentes conuertuntur, volentes sanctimoniæ porrò student.* Sanè volentes conuertuntur, quis neget? quandoquidem *volentes volunt.* Quid enim est conuersio quàm *velle bonum quod noluisti, nolle malum quòd voluisti?* Hoc iam non quæritur, sed quî hoc incommodum quod Tilenus statuit, non sequatur eius sententiam æquè ac nostram? Nam is contendit fore, vt si regenitus renitatur, multo infirmior fit quàm initio regenerationis, quod ei videtur absurdum. Quæro an regenitus ex sententiâ Tileni non renitatur, qui ex illius sententiâ excidit scilicet penitus totâ gratiâ? quæro quî non sit infirmior? quæro quî id absurdum illi videatur? Aut si non videtur absurdum, cur mihi id tanquam absurdum objiciat quod eius sententiam æquè ac meam premit? Hunc nodum nondum soluit Tilenus. Secundò respondi illuminationem non esse parem semper, indeque effici vt qui nunc stetit, iam nutet & verò collabatur. Neque tamen inde sequi, prorsus extingui Spiritum, quod ad eius vim attinet (vt ita dicam) *habitualem*, tametsi *actus* intermittatur. Hic verò

Nota 52.

Tilenus me vrget hoc dilemmate. *Aut Deo id ad scribendum, aut homini: si Deo, Deus est in culpa; si homini, homo abjicit facem à spiritu gratiæ accensam, potuitq; liberè retinere accensam.* Hoccine est respōdere? non enim iam quæritur, Cuius culpâ id fiat, sed *an fiat.* Tilenus concedit hoc fieri: habui igitur quod volui, vt non sit absurdum hominem progressu regenerationis deesse *aliquādo & aliquandiu* spiritui, qui non defuit initio: proindeque nec absurdū debere videri ob hanc quidem rationem dogma de *irresistibilitate*, eò quod homo regenitus aliquando ferietur, quod non fecit initio regenerationis. Sed quærit Tilenus cuius culpâ hoc fiat: non est huius loci hæc quæstio, soluenda tamen, aio rotundè hominis culpâ id accidere. Quid tum posteà? Habeo (inquit) quod volo. At Tilenus vult non magis hominis culpâ spiritum amitti, quàm hominis *occultissimis meritis* acquiri, tum etiam conseruari: Ego verò & quod spiritus non datur, homini adscribo; & quod aufertur, homini pariter: Nego tamen homini adscribendum quod detur, aut perpetuetur eius præsentia & lux. Itaque Tilenum rogo, vt ne hîc sine causâ nobis faciat inuidiam, dum sibi frustrà conciliat, & causæ suæ fauorem; Nam omnis boni vnica in solidum causa est Deus, omnis autem mali vnicus (& si nobis ita loqui fas est) *ex asse* autor est homo. Quod verò dixeram rationem Tileni (quâ studet efficere, vt si illuminatio flectat mentem simul & voluntatem, necesse sit hominem regenitum semper æquè flecti) præsupponere parem semper illuminationem, quam omnes facilè agnoscunt, non esse semper parem: Tilenus sic studet eleuare, *ac si id eius ratio non præsupponeret.* At si id non præsupponit eius ratio, si dat hominem regenitum in illuminationis progressu, non semper æquè illuminari, sed interdum vehementius, interdum minùs vehementer: Cur illi absurdum videatur, vt homo regenitus cadat interdum, etiamsi detur voluntatem sequi illuminationem mentis? nam ceciderit tum cùm mentis lux non fuit par, aut omninò nulla. Nam quod ait *suam rationem non præsupponere quod ego dico, sed aliud, putà adultum acquisito & confirmato iam salutaris fidei habitu, fortiorem esse debere, quàm fuit olim infans in primo regenerationis momento, & sic suam de perpetua voluntatis libertate sententiā stabiliri.* Nego meam sententiam sic euerti, aut suam stabiliri; mea etenim sententia est, rem quidem ità se debere habere, cæterùm euenire multo aliter: cùm ea sit peruersitas mentis nostræ, vt nisi Deus subinde non modò nobis autem vellat, sed etiam doceat potenter & regat Spiritu suo, collabamur. Atque ita si *libertatis* nomine Tilenus *licentiam* intelligat ac propensionem lubentissimam in malum, quæ quominus erumpat, non potest aliunde retineri quàm à Spiritu S. fateor manere in regenitis in hac vita voluntatis *libertatem.* Sed nos de huiusmodi libertate iam non agimus, verū de eâ quâ fieri statuitur, vt etiam tum, cùm Spiritus in nobis operatur *efficaciter*, voluntas tamen possit sese *in vtramuis partem* inclinare: hanc verò sententiam quæ Tileni est, nego sic *statuminari.*

Nota 53.

Nota 54.

Notâ eâdem

Nona ratio Tileni petita fuerat ex Ezech. 1. 12. quo loco sic compellat Deus Prophetam. *Fili hominis, in medio domus rebellionis tu sedes quibus oculi sūt ad videndum & non viderunt, aures ad audiendum &*

non audiuerunt, quia domus rebellionis sit. Vnde Tilenus concludit rationē discriminis, cur his potius quàm illis Deus aperiat mentis oculos, non esse in nudâ Dei voluntate, sed in destinatâ & obstinatâ rebellione vocatorum. Respondi ad hanc rationem tria: Ac primò, ex hoc loco nihil aliud sequi (etiamsi particula *Quia* causalis sit) quàm causam cur homines non amplectantur verbum Dei esse peruersitatem cordis: id quod dixi non esse controuersum inter nos, tantùm quæri, vnde fiat, vt hi minùs quàm illi peruersi sint. Quid ad hoc Tilenus? ait *manifestè in textu institui comparationem.* At ergo respondeo nullam institui comparationem inter rebelles & morigeros: Et si instituta fuisset (quod factum pernego) tamen nil id iuuisset causam; nos enim non negamus magnum esse discrimen inter rebelles & morigeros, sed quòd quidam morigeri potius quàm reliqui fuerunt contendimus à Deo esse non ab homine. Tùm verò excipit Tilenus, *nullam fieri in textu mentionem denegatæ lucis, sed potius concessæ.* Quid ita? *quia,* inquit Propheta, *oculos habent, neque vident, habebant igitur lucem.* At inquam, qui non vident, certè lucem non habent, quæ nisi videndo non habetur. Sed, inquit Tilenus *eam intueri nolebant, & tenebras magis dilig bant.* Magnum argumentum cæcitatis & quidem summæ aspernari lucem: sic bubones & vespertiliones & talpæ lucem aspernantur, quamquam (ne quis calūnietur) paulò diuersa ratio est. Itaque Dominus noster hos eosdem qui tenebras magis diligebant quàm lucem, omnes vno verbo complexus est, dum *cæcos* dixit *cæcorum esse duces.* Secundò negaui particulam, *Quia* eo loco necessariò *causam* notare, sed *effectum* posse significare contendi; nempe dixi fieri posse vt hæc Prophetæ mens fuerit, *Oculos habent, & non vident, namque rebelles sunt:* vt si quis dicat, quando tanta lux illis obiecta fuit, neque tamen parent Deo, haud dubiè eam non viderunt, iuxtà illud Ioh. *Qui Deum non amat, non nouit Deum neque vidit eum.* Sic dixi dicere nos solere ignis est *nam* est fumus, arbor mala est *quia* profert malos fructus. Hìc Tilenus negat *oculos habere aliud posse significare, quā luce esse perfusum,* id quod ergo ei possem denegare (nam hìc *oculos habere* est *mentem habere præditam ratione*; nō enim miramur, si stipites aut belluæ Deum ex operibus, & verbo non agnoscunt) sed nolo de hac re cum eo contendere: Esto, *Oculos habere* hoc loco nihil aliud significet quàm luce esse perfusum. Quid tum posteà? perfectò non solùm requiritur lucis affusio vtcunque, sed certa quædam & peculiaris affusio, *interna* inquam, non extrinsecùs oculos feriens: nam *externâ* sanè nihil aut parùm promouetur; nempe lux ita lucet in tenebris, neque tenebræ comprehendunt eam, ita fit vt tenebræ non desinant esse tenebræ; Sic multis affulget extrinsecùs Euangelij lux, qui tamen eam non amplectuntur. Ego certè *lucis* nomine, dum istos nego sensisse veram lucem, Intelligo *internam* illam mētis irradiationem, quam qui expertus est, veram lucem cōprehendit: Illam cuius meminit Paulus cùm ait c. 1. ad Ephes. *se indesinēter agere gratias pro illis, & eorum mentionem facere in precibus suis vt Deus,* inquit, *Domini nostri Iesu Christi Pater ille gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis in sanctis.* Et Dauid pariter cùm Deum sic orat: *faciem tuam fac lucere super seruum tuum, & doce me statua tua.* Hæc demùm lux est illa, quæ solis electis vt olim eius typus Israelitis in terra Goschen affulget. Quod autem dixeram eo loco eos dici *aures habere* qui verbū Domini, auribus perceperunt. Tilenus ita reprehendit vt dicat *Christum dum diceret, qui aures habet ad audiendum audiat, non intellexisse eos quos ego volo Prophetam hîc significare* Nescio quoconsilio; nā & pij & impij, fateor, pariter aures habēt ad audiendū, sed non audiunt pariter; nam horum auditus non est auditus mentis: auditus, inquam, ille cuius meminit Christus cùm diceret. *Quisquis audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*: At piorum auditus mentis est, Internus, (inquam) ille. Sed & aio Christum sæpe rebelles hortatum ad pœnitentiam: Itaque quid prohibeat & tales Christum designasse? Quanquam nil necesse est eò confugere, hæc enim mens Christi simplex & aperta est. Quibus Deus indulsit audiendi facultatem, quibus datum est audire, auribus percipere verbum, iidem id corde & animo percipiant; non sequitur tamen eos omnes qui Christi verba auribus perceperunt, *mente audiisse,* id est *agnouisse* & expendisse quanti essent momenti: quamuis id nonnullis idq; singulari & peculiari, non communi & vulgari Dei gratiâ contigerit. Sed do Tileno, *aures ad audiendum* significare *cor à Domino præparatum, ita vt nihil desit: illuminatam mentem, quantum satis est.* Nego apud Ezechielem eandem esse huius locutionis vim; nam *habere aures ad audiendum & oculos ad videndum,* duobus modis dicitur in Scripturâ. *Primò* quidem ita vt apud Ezechielem, cùm sic auditur Dei verbum & videntur eius opera vt extrinsecùs tantùm id fiat: Sed & aliâ ratione *habere oculos ad videndum & aures ad audiendum* dicuntur ij, qui non modò audiunt Dei verbum, & vident Dei opera, sed & agnoscunt. Vnde qui non parent Deo, iidem negantur habuisse oculos ad videndum aut aures ad percipiendum: Sic Moses Deuteron. 29. conuocato vniuerso Israele dixit eis, *Vos ipsi vidistis omnia quæ fecit Iehoua in oculis vestris in terra Aegypti ipsi Pharaoni, & omnibus seruis eius & vniuersæ terræ eius, tentationis magnas quas viderunt oculi tui, signa & portenta magna illa; neque tamen dedit Iehoua vobis cor ad intelligendū & oculos ad videndum & aures ad audiendum vsque ad hunc diem.* Itaq; habere aures ad audiendum & oculos ad videndum significat quidem hoc loco illuminari quantum satis est. Ergo semper eadem est significatio? Nego id sequitur id negem attuli modò rationem. Tertiò respondi, etiamsi datem particulam *quia* causam significare non notari tamen eo loco *causam meritoriam,* Cur Deus priuarit eos suâ luce, sed tantum *causam formalem* peruersitatem cordis & alienationem animi à Deo; vnde factum sit, vt etsi oculos habuerint, non viderint tamen; & licet aures habuerint non audierint tamen. Hìc Tilenus exclamat *se obtinere quod petit:* at quid est quod petit? nempe *positâ illuminatione mentis, non sequi statim voluntatis determinationē.* At quomodo hoc obtinet Tilenus? Num ego dixi *oculos habere* significare *intrinsecùs illuminari.* & quantum satis est vt flectatur peruersitas nostra? imò hoc tantùm volui, homines dum auribus percipiunt Dei verbum, dum mente intelligunt quid eo significetur, dum vident Dei opera oculis animi & corporis:

Marginalia: Nota 55. — Ibid. — Ibid. — Nota 56. — Nota 57. — Nota 58.

potis: nec interim tamen mente expendunt illius verbi veritaté & singularem excellentiam, neq; contemplantur pro eo ac decet opera Dei: aures habere ad audiendum neque tamen audire; oculosque ad videndum neque tamen videre; idque oriri ex nequitia cordis humani. Quid? hîc obtinuit Tilenus quod voluit? Minimè verò. Is enim non hoc iam disputat vt quod hîc non credat id tribuatur τῇ ἔχθρᾳ τῆς διανοίας, *rebellioni mentis*, id quod ego toties affirmaui: sed vt quod hic potiùs quàm iste paret Deo vocanti, id etiam hominis *libero arbitrio*, non *soli Dei gratiæ* adscribatur. Id est quod petit, quodque nondum potuit obtinere.

Decima ratio Tileni fuit: *Si voluntas mouetur irresistibiliter erit instar cadaueris.* Ad hanc rationem respondi primò id demum fore absurdum; si statuatur voluntas *in omnibus* esse par cadaueri; non autem absurdum esse si statuatur *quadamtenus* dumtaxat cadaueri similis, præsertim cùm Scriptura doceat nos esse *mortuos in peccatis*. Excipit Tilenus *quoquo modo id dicatur absurdum esse, dum modò statuatur homini ψυχικῷ non maiorem inesse facultatem ad assentiendum Deo vocanti, quàm sit cadaueri ad resurgendum.* In quo queror Tilenum discedere ab hypothesi suâ; nam certè (si eius doctrinam rectè percipio) concedit sine gratiâ Dei hominem esse instar cadaueris, nihilque adeò posse, alioqui Pelagianismum (quod non libet suspicari) probaret. Fateor tamen dissimilitudinem hîc esse, quòd cadaueri, quominus resurgat, nulla obstat peruersitas, tantù m desit facultas: homini adsit quidem intelligendi facultas & volendi, sed peruersitate impedita: quod impedimentum cum & ipsum sit peccatum, excusationem aut veniam haud meretur. Quod verò dixeram Scripturam nos vocare *mortuos in peccatis*; Id Tilenus perinde dictum accipit, *ac cùm Scriptura regenitos dicit mortuos peccato, cum tamen nonnulla edant carnis opera.* In quo queror denuò Tilenum discedere à sua sententia & ad Pelagianos accedere confundereque statum hominis regeniti cum irregeniti statu, aut certè perexiguum relinquere inter vtrumque discrimen. Tum etiam aio, sic afferri vim Scripturæ: nam diuersæ sunt phrases, *mori peccato & mortuum esse in peccatis*. Quod verò & *dormientes* nos Scriptura vocat, & *corpore mortuos*, eadem *dormientes* vocat, nec verò hoc facit vllam vt vim nobis inesse testetur; sed quia vt quorundam vitæ munerum obeundorù *dormientes* non sunt capaces: sic & qui nondú regeniti sunt, non possunt (suâ inquam culpâ & vitio) veris defungi pietatis actionibus. Dixeram prætereà homini mortuo in peccato inesse mentem & voluntatem, quarum amotâ peruersitate, non abolitâ ipsâ facultate, homo resurgat, in eoque constitutum esse discrimen inter statum hominis carnalis & cadaueris. Tilenis hîc ludit mecum, *conceditque affici voluntatem & moueri, ita tamen vt non consentiat.* Dicendum erat *appetat*. At inquam, omnis voluntatis motus est consensio vel dissensio. Itaque si Tilenus vult ita affici voluntatem vt non necessariò consentiat, ita volet eam affici vt necessariò dissentiat; vel vt neque cōsentiat, neque dissentiat, sed pendeat; atque ita quî sentiat mentis motionem? vel ne voluntatem intelligere mentem? ita voluntas mens erit, mens enim est *intelligere* vt voluntatis *velle*. Aut quis est tandem hic volūtatis motus, si non est *consensus* aut *dissensio*, *velle* aut *nolle*? Denique respondi cùm dicimus voluntatem moueri *irresistibiliter* non esse quod nobis inuidiam faciant hoc simili, quod Tilenus (notâ 62.) *cadauerosum* vocat, cùm & eodem simili iis possit conflari pari iure inuidia, nempe docent intellectum *irresistibiliter* illuminari. Hîc verò excipit Tilenus, *se non vti hoc simili cùm agitur de intellectu, sed illud, cùm volūtatis respectu vsurpatur, refellere.* At (inquam) à nobis quidē non magis cùm de voluntate, quàm cùm de intellectu, ac toto homine animali agitur, vsurpatur. Quærimus verò iam, cur voluntas potiùs quàm intellectus haberi debeat pro cadauere, eo quod *irresistibiliter* mouetur, siquidem æquè irresistibiliter mouetur intellectus. Respōdet Tilenus *intellectū moueri passiuè*: Ergo inquam mouetur instar cadaueris. Displicet hoc Tileno, sanè; vt videtur: Cur igitur nos sic exagitat? Cur colligit ex irresistibilitate voluntatem esse instar cadaueris, atque ità vt id odio è exagitet? At *voluntatis actus non est quoddam pati.* Quid si id negemus? Certè duo sunt actus voluntatis *velle* & *nolle*, odium & amor, quorum vterque *passio* potius quàm *actio* dici debet. Itaque *velle* vel quędam sitis est si bonum deest quod expetis; vel si eo fruare quæ iam est ex præsenti bono delectatio. Sed nolo excurrere. Aio hic principium peti: nam esto, *Velle* non sit quoddam *pati*, sed *agere* potiùs; Debuit Tilenus ostendere hanc actionem non sequi mentis actum quem concedit esse quandam passionem; pręsertim cùm ego id hoc loco probarim; dixi enim voluntatem esse *appetitum rationalem*. Itaque nullam esse voluntatem vbi rationis, id est intellectus nulla operatio est. Si velit igitur voluntas, quod ratio (mens inquam) non suasit, ne voluntas quidem erit.

Nota 59.

Nota 60.

Nota 61.

Nota 62.

Notâ eâdem

Ibidem.

ARBITROR me iam satis ostendisse rationes Tileni aduersus sententiam meam nondum esse vindicatas. Iam videndum mihi est, an eas rationes quibus studuit analysin meam cap. 9. ad Rom. refellere, vindicarit.

PRIMA igitur ratio Tileni aduersus meam analysin hæc fuit; si Paulo propositum fuisset disputare de absolutâ Dei voluntate in his potius quàm illis vocandis, nec compescuisset obstinatos nec erudiisset infirmos. Respondi negando id sequi: Paulum enim infirmos erudiisse & obstinatis præripuisse omnem iustam occasionem expostulandi cum Deo. Quid ad hæc Tilenus? planè nihil. Tantùm quia dixeram compescere homines obstinatos esse vnius Dei. Respondet *præceptum tamen Tito vt cōpesceret homines prophanos.* Ludit scilicet in ambiguitate vocis, cùm enim dicerem solius Dei esse compescere hominum contumaciam: Ego intellexi efficacem illam Dei operationē, quum vel linguam vel etiam hominum mentem cohibet. Quod opus non est humanæ imbecillitatis: *Paulus* scilicet *plantat Apollos irrigat, Deus dat incrementum.* Non intellexeram humanam operam quæ sæpe in cassum nauatur, nunquam autem fœlicem habet exitum, nisi accedat illa Dei vis: Quæ res locum precibus facit apud Deum vt quod nos homunculi ex eius præscripto conamur, id ille effectum velit dare.

Nota 63.

SECVNDA ratio Tileni hæc fuit: si alia caussa dari potest cur Apostolus paritatem inter Iacobū

& Esauum tantopere vrserit, præter eam quam attulit Camero, ea quam attulit Camero caussa vera non est. At potest alia reddi ratio, nempe ista: Causari potuissent Iudæi Ismaelem reiectum esse quod esset ancillâ natus, id quod locum non potuit habere in Esaui reiectione. Respondi tribus modis; Ac primò quidem negaui continuò sequi, si alia possit dari causa, veram causam non fuisse à me redditam; possunt enim vnius eiusdemque rei cur fiat plures reddi causæ. Quid hîc Tilenus? *Ne hoc quidem*, inquit, *sequitur, nempe veram causam à Camerone redditam.* Prorsus non est assequutus mentem meam: Ego enim non dico id (eo inquam loco) vt probem veram causa n à me redditam, tantùm respondeo ad Tileni syllogismum; cuius maior propositio hæc est. Si potest alia reddi ratio præter eam quæ à Camerone allata fuit, Cameronis ratio non est vera. Negaui id sequi, eo quod vnius eiusdemque facti plures esse possint rationes. Nolui tùm ostendere veram rationem esse à me allatam, id quod tamen continuò à me factum est, & deinceps fiet. Tantùm volui ostendere, nullâ necessitate cogi me posse, vt agnoscam veram rationem non esse à me allatam, etiamsi alia ratio afferri possit, cùm fieri possit vt alia illa ratio non pugnet cum meâ Deinde continuò testatus sum id leuius esse. Respondi secundò ad Minorem Tileni; negauique aliam rationem afferri debere, reieciq;ue rationem à Tileno allatam hoc pacto: Ismaël typicè hoc loco ex mente Tileni vsurpatur ab Apostolo. Ergo Apostolus non potuit Iudæos facere profitentes sibi mirum non videri quod Ismael esset reiectus ni pari ratione eos faceret fatentes, sibi non videri mirum, cur iustitiarij reiecti fuerint. Respondet Tilenus non sequi, *Si Tilenus typicè Ismaëlem intellexit & Iudæos typicè Ismaëlem intellexisse.* Quasi verò ego fuerim sic ratiocinatus. Nihil erit quod Tilenus me hîc studeret facere ridiculum. Hæc enim fuit ratio mea. Quo modo & quo sensu Paulus illa verba vsurpauit. *In Isaaco vocabitur tibi semen*, eodem sensu illa voluit accipi? At vsurpauit ea verba sensu typico; ergo voluit ea sic accipi. Porrò quo sensu accipi voluit, eodem sensu accepta tuetur; voluit autem accipi sensu typico; ergo vt accepta eo sensu tuetur. Tuebitur autem (si ratio Tileni locum habet) verba sua Paulus accepta sensu à mente sua alieno: Sensus enim quem Paulus illis verbis tribuit est allegoricus; ratio autem Tileni præsupponit verba illa adducta à Paulo, accepta esse sensu minimè typico, sed carnali qui à mente Pauli maximè fuit alienus. Deinde, etsi Iudæis iustitiarijs non fuit notum Ismaëlem typum fuisse ex instituto Dei; attamen Ecclesiæ Dei, quam docet hîc Paulus, id fuit indubitatum; iustitiarijque sat norant eam fuisse Pauli mētem; alioqui necesse est fateamur Pauli consilium fuisse ità loqui vt nollet intelligi. Tertiò respondi, si ratio Tileni vllum haberet pondus, fore vt Apostolus Galat. 4. videretur parùm cautè argumentatus. Respondet Tilenus *se non videre huius cōnexionis rationem & modum.* Cuius inquam? *Puta* (inquit ille) *si Apostolus 4. ad Gal. typo Ismaelis non subiungit typum Esaui. Consequens est Rom. 9. in priori typo tantùm agi de vocatione & quidem absolutè & semper efficaci, alioqui parum cautè fuisset argumentatus.* Omninò videtur hîc Tilenus ludos facere, mihique nescio quæ ægri somnia affingere; quo consilio nescio: nam ego quidem persuasum habeo rectiùs de me sentire Tilenum quàm vt me putet delirare. Sed ad rem. Hæc connexio commentum est Tileni, lepidum quidem illud fortasse & venustum & ad excitandum risum accommodatissimum, sed alienum tamen à causa hac, quæ seriò est agenda. Ego multò aliter sum ratiocinatus. Tilenus, dum reddit rationem cur Apostolus nouos induxerit typos, hanc affert; *quia priores reijci potuerunt:* Respondi, si ita se res habet, non satis prospexisse causæ suæ Apostolum cap. 4. Epist. ad Gal. qui non induxerit nouos typos: nam tam eo loco, quàm isto typus Ismaëlis rejici potuit & contemni. Cur ergo non induxit eo loco nouos typos? Eritne Paulus in Epist. ad Galatas negligentior hac in parte quàm in Epist. ad Rom. Quòd cùm absurdum mihi videretur, dixi aliam subesse rationem; nēpe in Epist ad Gal. de Iustificatione, non etiam de Vocatione agitur: Itaque quia Isaacus & Ismael typi sunt pertinentes ad eam causam, eos typos adhibuit; Iacobi & Esaui non meminit, quod hi typi pertinerent ad vocationem, id quod in Analysi ostendi & probaui. Hæc est illa ratiocinatio, cuius nexibus D. Tilenus se nondum explicauit.

Nota 64.

Nota 65.

Nota 66.

Ibidem.

TERTIA ratio Tileni aduersus Analysin meam hæc fuerat. Apostolus *nec premit nec narrat non esse dilatam patefactionem oraculi ad id vsque tempus quo Esauus ingeniū suum factis prodidit*; nam Heb. 12.17. scriptum est, exclusum demum Esauū spe adeundæ hæreditatis μετέπειτα postquàm prodidit nequitiam suam. Ego verò respondi ad prius illud quod attulit Tilenus, neque premi neque narrari maturationem patefactionis oraculi ab Apostolo; Apostoli verba contrà tendere vt significetur non fuisse dilatam, μήπω γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν, ἵνα ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ: οὐκ ἐξ ἔργων ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ καλοῦντος, ἐρρέθη αὐτῇ ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. Quæ verba docent apertè oraculum editum fuisse antequàm ingenium prodidisset. Deinde monui id ipsum constare ex historiâ. Quoniam verò concederat Tilenus sic dūtaxat notari Dei præscientiam malorum operum Esaui, bonorum autem Iacobi; Dixi id pugnare cum Apostoli mente, qui subiungit continuò, vt *ne ex operibus, sed ex vocante firmum maneret propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem.* Quod verò protulerat Tilenus ex Heb. 12.17. Dixeram eo probari vaticinium illud habuisse suum complementum, Deo nempe Esauum potiùs quàm Iacobum sibi permittente, cùm esset vterque pari conditione naturæ. Quid ad hæc Tilenus? Primò ait *neminem nescire oraculum fuisse prædictum.* Quid hoc ad responsionem meam? ego monueram quod prædictū id fuit, notatū fuisse præsertim ab Apostolo, tanquā si id faceret ad institutū suum, μήπω γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν ἵνα ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ: οὐκ ἐξ ἔργων ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ καλοῦντος, ἐρρέθη αὐτῇ ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. *Sed neque negabit* (inquit) *quisquam id ideò prædictum quia res fuit præuisa.* Esto, Quanquam illa non prædictio tantum, sed decretum fuit vt constat ex Malach. 1. vers. 2. & 3. *Dilexi vos dicit Iehoua, & dixistis in quo dilexistis nos? nōne frater erat Esau ipsi Iacob (dixit Iehoua) & dilexi Iacob, Esau autem odio habui ponéque mōtes eius solitudinē & hæreditatem eius habitandā draconibus deserti.* Quo loco docet Propheta priuilegiū quoddam

Nota 67.

Ibidem.

quoddam & prærogatiuam à Deo indultam fuisse Iacobo. Pergamus. *Non fuit prædicta*, inquit, *res quia prædeterminata*. Ergo non decreuerat Deus fore, vt Esauus seruiret Iacobo, maior minori? non fuit ergo illud Dei beneficium, quod Iacobus Esauo fuerit prælatus? *At si ita se res habet, sta tuetur Deus non minùs author impietatis in Esauo, quàm pietatis in Iacobo.* Credo quî sequatur tam immanis blasphemia decretum Dei? maior seruiet minori: Ergo decretum Dei, impietatis Esaui causa fuit efficiens. Nego sequi; tantùm sequitur, Ergo Dei decreto factum est, vt Iacobus non spreuerit hæreditatem. Nouit autem Tilenus & malum cadere sub Dei *prouidentiam*, quamuis non cadat sub eius (vt ita loquar) *efficientiam*, posset enim ne eueniret, prohibere Deus, neque verò semper in omnibus prohibet: id verò temerè non facit, sed certo consilio. Potuit quidem efficaciter, nō id fecit tamen, impedire ne Esauus hæreditatem vili pretio fratri venderet. Quod ergo *Deum* Tilenus ait *nihil prædeterminasse quod non faciat*, aio in eo Tilenum, (dabit mihi hanc veniam si liberè loquor) ludere, vt mollissimè dicam. Nam si illi *facere* eo loco *efficientiam* quandam significat nihil dicit aduersùs sententiam nostram: sin illi *facere* est *non prohibere* quominus aliquid fiat, aio eum impropriè loquutum, nisi forte ita loquitur vt Scriptura, dum Deum docet *indurare & tradere in reprobum sensum*. Quod verò notat *Apostolum opponere opera, iustitiæ & salutis adeptioni; non fidem.* Dicitur iam præter rem: nos enim in eo versamur, vt exploremus verum ne sit quod Tilenus negauit *premi aut notari ab Apostolo, non dilatam esse patefactionem oraculi*: id verò quod hic statuit Tilenus (etiamsi verum foret) non efficeret tamen. Cæterum fateor *opera* opponi ab Apostolo *iustitiæ* non *fidem*; sed hoc loco nego hoc agi ab Apostolo, quia hîc non de iustificatione sed de vocatione agitur, atqui non vocantur qui fidem iam habent, sed qui non habent. Itaque in vocatione aliam habet fides rationem quam in iustificatione; nam in iustificatione *conditio* est *prærequisita* (vt sic loquar) in vocatione *gignitur*. Etsi igitur in iustificatione nō potest neque debet opponi fides iustitiæ, tamen in vocatione debet opponi gratiæ vocationis: Non enim quia credidimus, vocamur, sed vt credamus. Cum verò aio fidem in vocatione opponi debere gratiæ vocationis, nequis mihi calumniam struat, nolo fidem *simpliciter* opponi vocationi, cùm vt terminus ad motum aut effectum ad causam, sic se fides habeat ad vocationem. Sic contendo: optimè conuenire fidei cum vocatione: volo tantùm opponi vocationi vt *conditionem prærequisitam*: non enim credentes sed increduli vocantur. Nec est quod hîc aliquis objiciat vocari etiam fideles, quibus iam inest fides: vocantur enim non ad eum fidei gradum & modum quem iam habent, sed ad eum fidei modum quem nondum adepti sunt; alioqui cùm omnes fideles, iam ante vocati sint, quàm essent fideles, liceret cauillari, vocari, qui iam vocati sunt. Sed res facilis est: vocatos ad certum quendam fidei modum, vocari ad altiorem gradum fidei, & promoueri ex fide in fidem, non est absurdum. Quod verò Tilenus *Esauum* ait *sibi permissum, quia parentibus non paruerat*; (vt hoc interim taceam quod hoc pacto Iudæis arma subministrat, quibus instructi insurgant in Apostolum, qui contenderat prælatum Iacobum Esauo ἵνα μὴ ἐξ ἔργων, & μηδὲ πραξάντων τὶ ἀγαθὸν ἢ κακόν.) Quæro à Tileno, vnde factum sit quod Iacobus se non præstiterit æquè rebellem, *cum essent natura conditione pares*? num progrediemur in infinitum; Quæro cùm Esauus se contumacem exhiberet, id ne factum fuerit Deo permittente, an impediente, non modo lege sed facto? Quæro potuisset ne Deus (si id decreuisset) tam Esauum quam Iacobum non dico cogere, sed in ordinem suauiter flectere? Et si id potuit, cur non præstitit? Ego quidem agnosco Esauum id non commeritum, sed non video quo potiori iure Iacobus id sit commeritus, vt par naturæ conditione, ita fuerit tamen à Spiritu Dei institutus, vt diuersa vitæ studia sequutus sit. Itaque in solâ Dei misericordiâ hîc acquiescendum censeo; Si enim ad Iacobi *occultissima merita* recurritur, eodem redimus, vnde illi hæc merita potiùs quàm Esauo? centies iam hoc dictum est, Tilenus tamen vel dictum dissimulat, vel alieno à nostrâ mente sensu dictum accipit: quasi nos vellemus hoc pacto Deum facere peccati authorem qui id cauemus quantum in nobis est.

QVARTA Ratio Tileni hæc fuerat: Cum ego dixissem hoc loco (in cuius explicatione iam versamur) opera opponi vocanti, non autem fidei. Itaque non agi hîc de iustificatione, sed de vocatione: Tilenus respondit nomine *vocationis* intelligendam esse *fidem*, cum vocatio fidei causæ sit. Ego verò excepi, non sic eludi argumentum meum: Cur enim hîc Apostolus *fidem* vocantis nomine designet potius quā alibi passim? Deinde excepi Apostolum non *vocationis* quæ passiuè fortasse possit vsurpari, sed VOCANTIS meminisse, vt significetur Deus *quatenus vocat*. Denique subjeci, ad mentem Tileni Apostolo dicendum fuisse non *ex vocante*, sed, *ex obsequente vocationi* præsertim cùm (ex hypothesi Tileni) vocatio ex parte Dei non sit efficax, sed pendeat ab euentu, quem liberum arbitrium præstare debeat. Videamus iam quid ad hæc singula respondeat Tilenus. Ad primùm sic respondet: *Etiamsi non posset ipse quidem indagare causam cur Apostolus sic loquutus sit, sequeretur tamen eam esse quam vult Camero.* Sed si Tilenus non potest indagare causam, cur Apostolus sic loquutus sit, cur perinde disputat ac si eam notam haberet? Quanquā liceat sanè ignotam & occultam causam ignorare: At hîc causa, cur Apostolus sic loquutus sit, est nota; Non enim iam meminit *iustificantis* sed VOCANTIS Dei. Itaque satis eo indicat Apostolus (nisi velimus esse surdi) agi eo loco de Deo, non *quatenus iustificat* sed *quatenus vocat*. Tertiò si causam aliam nullam reddit Apostolus præter Dei vocationem; Dei autem vocatio causa fidei dici non possit, si communis est (vt statuit Tilenus) etiam non credentibus: (Quomodo enim causa communis adhibeatur, aut adhiberi possit ad effectum speciale & singulare designandum?) non est credibile *vocationis* nomine Apostolum *fidem* intelligere. Sed cùm Tilenus videret hanc primam quā vsus est defensionem parum esse firmum, aliorsum confugit, vt redderet rationem cur Apostolus hoc loco eâ loquutione vsus sit. Audiamus igitur, *Iudæis*, inquit, *fidei nomen inuisum fuit.* Nego id primum. *Fidei in Christum* tantùm nomen Iudæis, fuit inuisum, pariterque *vocationis*

Ibidem. Ibid. Ibid. Nota 68. Nota 69. Ibid. Nota 70. Ibidem.

ad Christum. Itaque si hæc ratio valet, ne *vocationis* quidē debuit meminisse. Deinde quis hîc quęsso nouus est metus? Apostolus enim alibi passim fidei nomen inculcat vel Iudæis ringentibus & frementibus. Quæ ergo religio hîc Apostoli mentem occuparit? Dixeram verò Apostolum dum *vocantis* meminit, velle *fidem* esse à Deo quatenus Deus *vocat*: Tilenus respōdet *se id non negare.* Quid igitur? vultne Apostolum hîc agere de *vocatione*? Id si vult, non egerit Apostolus de *iustificatione* quæ sequitur scilicet *vocationem*: proindéque eius analysis luxata est, quâ statuit Paulum toto hoc capite agere de *iustificatione*; mea stat hactenus, quatenus volo Paulum etiam hoc eodem capite de *vocatione* disputare: tantùm mihi probandum est, de ea vocatione hoc loco agi, quam fides sequitur necessariò, id quod sic probo. Vocatio (etiam fatente Tileno) quam fides non sequitur necessariò, *communis* est ex parte Dei, etiam iis qui non paruêre; Vocatio de quâ hîc agitur *non est communis.* Ergo &c. Iam verò non esse hác Vocationem communem ex Apostoli sententia & mente hinc liquet. Vocatio communis non facit discrimen: At ea Vocatio de qua Apostolus hîc agit facit discrimen. Ergo vocatio de quâ Apostolus hîc agit non est communis; docet enim Apostolus minorem prælatum maiori vt discrimen esset *ex* VOCANTE. Quod verò Tilenus contendit, quæri hoc loco, an *quoties Deus vocat, ita vocet vt assensus præbeatur vocanti.* Nego hoc loco id à nobis quæri, sed an de *iustificatione*, non autem potius de *vocatione* hic agatur? Deinde, an hic de *communi* quadam vocatione Apostolus disputet, non autem potius de *speciali*? nam communem Dei vocationem & nos agnoscimus, itâ tamen vt & agnoscamus propriam quandam & peculiarem. Denique cum Tilenus dixisset Apostolum *vocantis* nomine intelligere *fidem*, eo quod vocatione inuitemúr ad fidem, dixi Apostolum, siquidem id voluisset, multò clariùs fuisse locuturum, si (quod facit alibi) dixisset ἐξ ὑπακοῆς πίστεως. Tilenus *id negat*, neque rationem addit cur id neget, cùm tamen res sit clara, certè speciem habeat. Quid dixi speciem habeat? aio ita se rem habere, nam si vocatio cuius meminit Apostolus hoc loco, *communis* sit: id verò quod discrimen facit est obedientia: debuit Apostolus illius quod discrimen facit, meminisse, non autem illius quod nullum facit, quandoquidem agit de reddendâ ratione, cur Iacobus Esauo fuerit prælatus.

Nota 71. Ibid. Nota 72.

QVINTA Ratio Tileni. Si hîc opera opponuntur vocanti quatenus vocat simpliciter, non verò quatenus admittitur vocatio, sequetur vocationem hanc habituram vim suam seu quis pareat, seu non pareat. Ad hanc rationem Responderam implicari contradictionem, si statuatur is quem Deus vocat efficaciter (quâ de vocatione Apostolus agit eo loco) non parere; *nam quos vocauit Deus, eosdem iustificauit.* Respondet Tilenus, *etiam efficaciter eos vocari qui non parent, vt efficax pharmacum dicitur quod aliquando aspernantis ægroti culpâ non sanauit.* Atque hîc Tilenus more suo ludit. Ego enim dixeram eos quos Deus vocat efficaciter itâ vt pareant, non posse sine contradictione statui non parere: non dixeram fieri non posse, vt quos Deus communi vocatione vocet, non detrectent obsequium. Tùm, nego efficaciam perinde *actioni* ac *substantiis* tribui; nam *efficax actio* semper dicitur respectu *euentus* & *actus secundi*, vt loquuntur. Substātia fortasse non item. Itaque ipse Tilenus fatebitur vltrò, vocationem aliam efficacem esse, aliam minimè efficacem: Non quæro iam an efficacem dicat ideò, quia facit necessariò euētum, ac verò quia euentus eam sequitur: tantùm hoc volo, vt efficaciter vocari concedat eos solos qui assentiuntur, ne ludat in verbis. Quoniam verò vt ostenderem Apostolum quoties meminit *vocationis κατ' ἐξοχὴν* eam intelligere quam euentus semper sequitur, citaui illa verba. *Quos vocauit, eosdem iustificauit.* Tilenus respondet *agi de vocatione efficaci in subiecto*, hoc est, mihi concedit quod volo. At fortasse dicet, Deum dici eos quos vocat iustificasse, quia quidam vocati paruerunt. Edat quæso huius locutionis exemplum: Sanè si vocatio ex parte Dei *communis* est (vt statuit Tilenus) assensus autem *particularis*, nullo modo dici potest Deus quoscunque vocauit eosdem iustificasse. Dicendum potiùs fuit quicunque paruerunt vocanti Deo, ij iustificati sunt; quo modo & hoc loco (si interpretatio Tileni locum habet) monui Apostolo dicendum potiùs fuisse *ex obedientia fidei* quàm *ex vocante.* Certè si quoscunque Deus vocat, eos iustificat; quos pariter vocat, pariter iustificat. Quod si Deus hos ita vocet vt iustificatio non sequatur, illos autem vt sequuta sit fides, primùm tum iustificatio: vocatio non fuit haud dubiè vtrobique par.

Nota 73. Nota 74.

SEXTA ratio Tileni fuit. Liberùm Dei arbitrium quo cōstituit alios vasa iræ, alios vasa misericordiæ, nullum aliud obiectum habet quàm incredulum & credentem. Respondi obiectum quidem voluntatis Dei, quâ fit vt homines sibi permittat, quoties eos vocat ad salutem, vocatione communi, esse hominem incredulum: negaui obiectum vocationis ad fidem esse hominem credentem, quod habenti fidem, non detur fides, sed augeatur. Quid hîc Tilenus? ait *hinc sequi homini quem vocat Deus* (vocatione illâ quam vult communem esse) *denegari fidem ob actualia peccata*, atque hic nos ablegat ad notas 32. 33. 34. Quorsum hæc omnia? Quid ista faciunt ad Tileni rationem à responsione mea vindicandam, aut ad eius sententiam confirmandam? Nempe Tileno hoc est solemne, vt denegationem gratiæ *absolutè* consideratam, cum denegatione gratiæ *comparatè* consideratâ, confundat: id verò est obruere causam inuidiâ, nihil aliud est; non est certè superare & vincere. Id enim vnicum disputationis nostræ argumentum est: An vt gratiæ *absolutè* denegatæ, sic *comparatè* etiam denegatæ ratio reddi possit alia præter Dei voluntatem. Iam cùm dixissem habenti fidem non dari fidem, Tilenus ait, *quandam esse fidem historicam, quam qui habeat ei fides iustificans indulgeatur.* Meminerit quæso Tilenus quo iam in loco versemur, qua de re controuersia sit inter nos; Dixerat Tilenus Dei voluntatem in miserendo habere pro obiecto hominem credentem. Hic, id sic interpretatur, ac si intellexisset credentem tantùm historicâ fide. Ergo obiectum misericordiæ Dei, erit homo historica fide præditus. Atqui hoc pugnat vel cum hypothesi Tileni, qui nullū aliud agnoscit misericordiæ Dei obiectum quàm hominem credentem, præditum fide iustificante, Verba eius sunt sup. Annot.

Nota 75. Nota 76.

Annot. notâ 31. *id verbo autem illo declaratum est, hominē non prius fieri vas misericordiæ, quàm consideretur vt credens & perseuerans.* Quæ verba apposita sunt atque annotata ad eum locū in quo ego de vocatione agebam, non autem de iustificatione, nam verba mea fuere. *sic Deo pro arbitrio licet ex hominibus peccatoribus, alios sancta vocatione ad gloriam præparare* &c. Deinde pugnat hoc cum re ipsâ, & experientia, neque enim omnes vocat Deus qui præditi sunt fide historica, nec continuò summouet à vocatione quicumque eâ sunt destituti, immò atheos aliquando Deus vocat, & omni genere probrorū coopertos. Quod verò ego dixeram fuisse fide præditos eos qui *digni* vocantur Matth. 11. memoriâ tenet Tilenus *eundem me agnouisse eos fuisse conuersos*, proindeque non historicâ sed verâ fide præditos, exiguâ tamen quæque firmanda fuit. Itaque sic ij vocati erant ab Apostolis, vt non simpliciter ad fidem veram, sed ad incrementum veræ & salutaris fidei vocarentur. Quantam autem vim habeat aduersus causam Tileni, quod *mihi assentitur*, cùm sint omnes omninò homines alieni à Deo & rei peccati, nihil obstare quominus Deus his potius quàm illis impertiatur lucem illam Euangelij, quæ sola efficax est ad salutem, suprà expensum à nobis est.

Ibid.

Nota 77.

Septimæ verò rationis & vltimæ aduersus analysin meam vicem obtinere possit, quæ Tilenus (notâ 2.) obijcit *parenthesin quam statuo à versu 10. vsque ad 30. neque extare, neque sensum ac rationem contextus eam admittere.* Quæ duo eòdem recidunt: non enim colligi potest parenthesis aliunde quàm ex sensu: nam si ad notas confugiamus parenthesews, in Græcâ linguâ parenthesis non semicirculis, sed punctis notatur. Deinde annotatio parenthesews (non iam dico ipsa parenthesis) arbitraria est. Quod si sensus ac ratio contextus parenthesin admittere non potest, ea demùm ratio pondus habet. At hoc est quod hîc quæritur: id verò Tilenus sic nititur probare, *cohærent*, inquit, *ista* οὐ μόνον δὲ cum præcedentibus. Quis id neget? neque enim parēthesis est rerum quæ nullo modo cohærent, sic enim Apostoli oratio. fuisset arena sine calce. Tantùm quæritur, quo modo hæc cohæreant? Sanè absurda parenthesis sit, si nulla prorsus cohæsio sit. Iam quæ sit hæc cohæsio in analysi à nobis explicatum est. Nam quod ait *parenthesés parenthesibus infercire*, odiosè dictum est; si *inseri* dixisset, non est id nouum apud Apostolum, & qui prolixis parenthesibus vsus est, & iisdem breuiores parentheses solet inserere. Caput septimum Epist. ad Rom. vnum erit instar omnium, iudice certè Tileno.

Postremo loco tandem collocabo responsiones Tileni ad argumenta mea aduersus ipsius sententiam. Igitur cùm dixisset Tilenus homini ante vocationem inesse inchoamenta quædam vocationis Deo grata, eoque traxisset Apostoli locum qui est ad Hebr. 6. vers. 10. *Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operū vestri.* In eo duo reprehendi. Primò, quod Tilenus sic sentiret. Deinde quod sententiam suam testimonio Apostoli conatus esset confirmare: in homine enim ante vocationem efficacem contendi nulla esse inchoamenta, quibus Deus inducatur ad nos efficaciter vocandos: cùm nulla sit fides: *sine fide* autem *impossibile sit placere Deo.* idque statuere, minimùm abesse ab eorum mente qui meritum statuunt de congruo. Apostolum verò loco quem citauit agere de operibus regenitorum: itaque id aliorsum pertinere. Denique vt maximè illis inchoamentis esset locus, redire quæstionem, vnde huic potius quàm illi obtigerint. Ad hæc Tilenus respondet *quadam esse* φρονγούμενα *regenerationis etiam Caluino & Bezæ: Ea haud dubiè esse grata Deo. Qui seruili timore retinentur eos Deo minus ingratos esse, quàm qui effusis habenis in omne genus scelerum ruunt. Locum qui est ad Hebr. 6. non fuisse à se horsum adductum: Meritum congrui à se non poni: Negasse se Deum inuitari vllo operis merito, sed mera sua benignitate induci.* Quæ nihil faciunt ad labefactandam reprehensionem meam: Ego enim non obieceram Tileno, quòd homini tribueret ante vocationem efficacem nonnulla, quæ quodammodo Deo grata sint, sed quod ea eiusmodi esse doceret vt Deus iis inuitetur ad fidem impertiendam (impiis enim & hypocritis nonnulla insunt Deo quadantenus grata, non tamen Deus vocat continuò efficaciter omnes impios & hypocritas.) Verba Tileni sunt sup. annot. notâ 3. *Deus tanquam misericordissimus Pater gratum habet etiam rudimentum illud & vix tenue quoddam inchoamentum illius obsequij, quod non ex merito operis, vel assensus cuiuscumque, sed ex suâ benignitate & æquitate æstimat, & pluribus maioribusque donis merè gratuitis auget, tandemque ornat & perficit secundum mensuram donationis Christi.* Locum verò ad Hebr. miror Tilenum negare se horsùm adduxisse: verba enim eius sunt, eâdem illâ notâ. *Quid verò acceperunt illud lumen, non ideò acceperunt quod præcedaneorum illorum rectior vsus, causa rationem habuerit, quâ Deus tanquam iustus iudex & μισθαποδότης impulsus fuerit ad maiorem & simpliciter sufficientē, efficacemque gratiam ipsis communicandam: tametsi Apostolus non vereatur dicere Deum iniustum futurum si obliuiscatur operum. &c. Heb. 6. 10.* Apertè cùm negasset, Deum tanquam iustum iudicem eam lucem impertiri, id veluti duriùs dictum emollit hac formulâ *Tametsi*, inquit. Quæ quorsum spectet, nisi vt significetur quodammodo id dici posse, modò scilicet id intelligatur secundum Apostoli mentem? Quid enim aliud sibi velit id *Tametsi*? At verò negat à se poni meritum congrui. Quantulum tamen hinc abest quod ponit? statuit nempe Deum inuitari atque allici, non quidem vt iustū iudicem, sed tamen vt mitissimum patrem pro *æquitate sua* ad gratiam efficacem conferendam. Quid aliud quæso sit meritum *de congruo* Pontificiorum? Non eadem illi dicunt quæ hîc Tilenus dum meritum *de congruo* à merito *de condigno* distinguunt. Quod verò Tilenus solutam quæstionem putat, cur huic potius quàm illi, illa pietatis inchoamenta indulta sint, cum respōderit, *id obuenisse à Deo, sed tamen nō irresistibiliter*, in eo mihi falli videtur. Manet enim quæstio, cùm simus omnes naturæ conditione pares; Deus autem non magis in hoc, quàm in illo, in hac paritate naturæ exeruerit vim suam ex hypothesi, vnde factum sit, vt hic illo eualerit melior: par est enim Dei agentis (ex hypothesi) dispositio (vt ita loquar) par hominum in quos Deus agit. Vnde oritur igitur effectum dispar; Nondum video quî se Tilenus expedierit, non video quî se possit expedire? Mihi sanè quæstio explicatu facillima videtur, placuit Deo huic plura quàm

Nota 78.

Ibid.

Nota 79.
Nota 80.
Nota 81.

Nota 82.

isti indulgere. Si quæras, cur placuerit? respondebo. *O homo tu qui es?* &c. Sed de hâc re posteà fusiùs.

Contenderam verò multa Tilenum ponere tanquàm controuersa, quæ minimè controuersa sunt. Cuiusmodi illud est primò, quod studiosè probat hominum peccata causam esse reiectionis *absolutè* consideratæ. Respondet, *id esse controuersum.* At id iam multoties à me confutatum est. Secundò quod id vrgeat, voluntatem contrahendi fœderis sub conditione fidei, omnes homines vniformiter respicere, id est, neminè, crediderit modò, damnari. Respondet, *inde effici neminem inuitari, qui decreto præcedaneo exclusus sit à Christo.* Ego verò vicissim respondeo id tantùm sequi, neminem inuitari qui decreto præcedaneo, etiamsi credat, exclusus sit à salute. Quod si Tilenus velit hinc efficere, Deum neminè inuitare, nisi quem decreuerit fide donare, quando Dei decreta non possunt esse cassa & irrita, omnes oportebit fide donari, quando ex hypothesi Deus omnes inuitat. Peto igitur à Tileno vtrum putet Deum decreuisse omnes qui extrinsecùs ad fidem vocantur, fide donare? An verò non? Si prius, haud dubiè credunt quicumque inuitantur. Si posterius (nam cùm hæc contradicentia sint nullum relinquitur medium) aio Deum non decreuisse omnes fide donare, qui inuitâtur ad fidem. Quâ de re suprà à nobis disputatum est. Tertiò obieci positum à Tileno tanquam controuersum cùm minimè controuersum sit, quod contendit per hominem stare quominus auferatur cor lapideum. Respondet inde tamen effici, *nullum esse decretum absolutum quod reiectionis causa sit, tribuitque Doctoribus Geneuensis Scholæ eam sententiam qua id statuit.* At Tilenus dissimulat hîc distinctionem reiectionis *absolutè* & *comparatè* consideratæ: neque enim vel doctores scholæ Geneuensis, vel Ecclesiæ nostræ agnoscunt, vllum esse quem Deus rejiciat, qui idem non habeat in se hærentem reiectionis causam. At (inquit Tilenus) *si ea est humani cordis durities vt non possit nisi per Dei omnipotentiam emolliri; an potest impedire homo ne Deus omnipotentiâ sua vtatur?* Certè non potest impedire potentiam dextræ Dei, potest tamen duritie cordis sui efficere, vt si minùs eâ potentiâ vtatur Deus, nil faciat iniustè. Itaque quod Deus eâ non fuerit vsus, homini qui tantâ gratiâ indignus est, nō Deo adscribendum. Certè hominū pertinacium duritiem nō posse aliter quàm per Dei omnipotentiam curari, indicat & Scriptura (vt iam docebimus) & testimonium conscientiæ: Sic enim loquimur. *Nemo huius animum præter Deum possit flectere:* Nec hoc eleuantes, sed exaggerantes hominis culpam, dicimus. Desinat rogo Tilenus nobis inuidiam facere. Cùm autem obiter citassem duos ex Epist. Pauli locos; alterum ex Epist. ad Eph. 1. 19. alterum ex Epist. ad Col. vt ostéderem discriminis rationem quod hi pareât, isti autem minus, non esse inde, quod hîc communi cuidam gratiæ assensus est, ille non item; hoc enim æquè ridiculum foret, ac si quis diceret *hic potius quàm ille paruit*, quia *hic potius quàm ille paruit.* Neque quod communis gratia (quæ non huic magis quàm illi offertur) hunc idoneum magis offenderit, illum minus; sed pendêre id totum à Dei potentiâ & efficaciâ, quâ scilicet Deus apud hūc vsus est, cùm pari potentiâ non sit vsus apud illum. Respondet Tilenus primò, *iis in locis agi de fidelibus qui iam crediderunt, ideoque non agi de fidei generatione* Deinde *non agi de ea vi quâ fides gignitur, sed de ea quâ Christus à mortuis excitatus est, nos etiam aliquando excitandi sumus.* Denique *hanc esse vel ipsius Caluini sententiam.* Ad singula excipio, ad primum istud: agi quidem iis locis de fidelibus qui crediderunt, sed & agi de modo quo crediderunt: Etenim si ad fidem conseruandam tantâ vi opus est, quantò magis ea vi opus fuerit ad eam ingenerandam? Secundo loco quod negat Eph. 1. 19. agi de ea vi, quâ gignitur fides, id verò nequeo satis mirari: verba enim Apostoli sunt. *Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipsius, quam exeruit in Christo, quùm excitauit eum à mortuis & collocauit ad dextram suam in cælis &c.* Quæ cohærent cum verbis capitis sequentis. *Et vos vnà viuificauit quum essetis mortui in offensis & peccatis.* Neque aliter Caluinus hunc locum est interpretatus, quanquam locum ad Coloss. aliter accepit, sed eius sententiam Beza repudiauit: nos verò quia non hominum authoritate, sed veritate & authoritate Scripturæ subnixi certamus, demonstrabimus iis in locis agi, de vi illa quâ gignitur fides. Ac primo quidem loco Epist. ad Eph. 1. vers. 19. postquā meminit Apostolus *diuitiarum hæreditatis in Sanctis*, haud dubiè intellexit τοὺς τετελειωμένους cœlo receptos, subiungit *& quæ sit erga nos* (inquit) *qui credimus*, non dicit *quæ futura est*, sed *quæ sit.* Tùm personam mutauit, non enim dixit ἐν τοῖς ἁγίοις, sed εἰς ἡμᾶς, neque πιστεύσαντας vt alibi προηλπικότας dixit, sed πιστεύοντας. Tùm (quod iam monui) statim sequitur initio capitis sequentis, *& vos vnà viuificauit quùm essetis mortui in offensis & peccatis.* Iam si hoc assequutus sum Apostolū eo loco agere de fidei generatione & conseruatione, profectò causa dici non potest, cur idem Apostolus noluerit ad Coloss. 2. Huc accedit quod Apostolus cum agitur de Spiritus Sancti efficaciâ, quâ corda nostra flectuntur in obsequium, ferè δυνάμεως meminit κατ᾽ ἐξοχὴν, non ad vulgarem quandam, sed summam Dei efficaciam designandam, quâ nos renouat atque instaurat, non jam dico corpore, sed animâ. Rom. 15. vers. 13. 1. Cor. 2. vers. 4. 5. (vbi notanda est antithesis inter eam vim quæ ità animum afficit, vt leuem quendam sentiat motum, qualis est eorum affectus, qui humanis inducti rationibus assentiuntur; & vim illam quam sentiunt qui Christo dant manus.) Et 2. Cor. 13. 4. & ad Ephes. 3. vers. 7. 16. 20. & ad Coloss. 1. vers. 11. & 1. ad Thess. 1. 5. & 2. ad Thess. 1. 11. & 2. ad Timoth. 1. 7. & 1. Pet. 1. 5. Quæ loca rogo Tilenum atque obsecro velit etiam atque etiam expendere: possem & alia Scripturæ loca eòdem adducere, sed hæc sufficient, vt spero. Iam verò quod ait, *singularem esse Dei operationem in credentibus, eò quod gratiâ praeueniente excitati, eaq; vt oportet vsi consequantur gratiam subsequentem.* Primùm eo fatetur gratiam quâ excitati fideles fuerunt, fuisse communem; vsu autem (qui non iam à communi illa gratia, sed à libero arbitrio profectus sit) eos esse consecutos secundam gratiam. Itaque si quid primâ gratiâ promotum est non est ab eâ, saltem solâ, profectum: sed vel præcipuè à libero arbitrio. Cur enim hunc potiùs quàm illum permouerit ita vt eâ vsus rectè fuerit, siquidem communis erat? Certè ex hypothesi nulla alia causa reddi

Nota 83. Nota 84. Nota 85. Ibidem. Nota 87. Nota 88.

reddi poteſt pręter hominis voluntatem. Deinde videtur agnoſcere Tilenus omnes fideles non excitari ità à præueniente gratia, vt eâ vtantur & grtiam ſubſequentem conſequantur, quandonegat fidelium perſeuerantiam: Si enim fideles ſemper vtuntur gratiâ & perſeuerabunt ſemper. Itaque non video quod ſit hîc peculiare fidelium priuilegium: Nam & reliqui ſi eo vtantur quod indultum eſt, tantumdem conſequuntur. Ego verò fidelium hanc eſſe ſentio prærogatiuam, quod poſtquàm ſe Chriſto crediderint, conſeruantur, non ſuis viribus, ſed Dei potentiâ, ne gratiâ ſemel acceptâ prorſus atque exitialiter excidant.

Illvd item tanquam controuerſum poſuit, quaſi potentiam animæ ad admittendam Dei gratiam, *obedientialem* faciamus. Quod ego negaui, adhibitâ tamen diſtinctione; nempe ſi *potentiæ obedientialis* nomine, intelligatur eiuſmodi potentia prorſus, cuiuſmodi ea eſt quæ cernitur in rebus brutis, dum in iis Deus exerit potentiam ſuam extraordinariam: quo ſenſu *potentialis obedientiæ* nomen apud Shcolaſticos vſurpatur. Sed ſi eiuſmodi potentiam intelligat, qualis eſt hominum quidem anima rationali præditorum, ſed qui tamen innatâ quadam malitiâ, rectâ ratione nec vtantur nec vti poſſint, donec reddat eos Deus ſpiritus ſui vi idoneos, fateor potentiam animæ humanæ ad ſuſcipiendam Dei gratiam merè eſſe *obedientialem*: Nego tamen id eſſe abſurdum. At hoc reſpondet Tilenus, *id controuerti, quando ſint, qui negent regenerationem noſtram differre ab excitatione mortui.* Quaſi verò qui hæc ſimilia dicunt eſſe, negent hæc duo vllo inter ſe modo differre. Sed de hâc re ſuprà. Quoniam verò (videbamur enim tacitè inſimulari à Tileno Manichæiſmi aut verò Flaccianiſmi) teſtatus eram nos eos furores execrari, Tilenus ait *& ſuos id facere, mediámque viam tenere* (nempe quam noſtri homines ſcilicet haud teneant) *vt neque Manichæi neque verò Pelagij furori locus ſit.* Videat tamen Tilenus an non ad Pelagianos ducat iſta *via media*? Imò verò videat an non ſit Pelagianiſmus? nam quantulum inde recedit quod naturę tribuit ante gratiam quaſdam vires, quibus inſtructa talem ſe exhibeat, vt Deus non electione mera, ſed quæ nitatur excellentiâ quadam, quâ cùm hi illis præſtent, inducitur ad gratiam his potius quàm illis conferendam? Pelagianiſmus eſt incruſtatus, nomina mutantur, res manet: nam hæc gratia quam tantopere deprædicat, excutiatur tota, Quid aliud eſt quàm obiectio nuda ſpecierum quas Euangelij verbum repræſentat? nam certè ne dicat eſſe vim quæ mentem ipſam afficiat, experientia prohibet & reclamat, quando multi ſunt quibus Euangelium res ridicula videtur. Sed eſto diſceſſerit à Pelagianiſmo; At in Semipelagianiſmo certè hęret, nempe quibuſdam *Semipelagianiſmus, Chriſtianiſmus eſt*: Nec quinam ſint qui quæſiuerunt, an non ita ſe res haberet, ignorat Tilenus. Nos verò Dei gratiâ nec Manichæi ſumus, qui peccatum putemus malum eſſe *phyſicum* (quod vocant,) nec eſſentiam animæ corruptam eſſe ducimus, quod Flaccius docuit: ſed animæ facultates mentem & voluntatem etſi eſſentiam ſuam non amiſerunt aut proprietates naturales, affirmamus tamen inordinatè & peruersè ferri in objecta ſua.

Nota 89.

Nota 90.

Quod verò *ex mera Dei voluntate profectum eſſe quod Iudas induratus fuit*, Tilenus ait *Bezæ, Zanchij, & diſcipulorum eſſe ſententiam*: nego id rectè & verè illis adſcribi, eâ inquam mente quâ Tilenus id iis adſcribit. Sed hîc iam inter nos, non de perſonis, ſed de re agitur.

Objeceram verò Til. quod me contra mentem meam faceret opponentem rationem facti, voluntati Dei; cùm ego tantùm dixiſſem eo loco quem adhibet Apoſtolus, ſupprimi rationem facti, ſolam afferri Dei voluntatem. Quid adhæc Tilenus? id mihi concedit, verba enim eius ſunt *διορισμὸν non exprimit.* Habeo igitur quod volo. *At alibi expreſſit*: id verò quęritur an alibi *huius facti* rationem expreſſerit? Hîc certè quando voluntatis Dei meminit, & quidem non ſine emphaſi, eam rationem non expreſſit: quod omninò hîc factum oportuiſſet, ſiquidê hîc agitur de cauſa, cur horum potiùs quàm illorum miſereatur Deus. Certè alibi reddit Apoſtolus facti rationem, nempe in alio genere vbi reddi potuit: in hâc vero ſpecie nullam reddidit præter Dei voluntatem, quia nulla alia reddi potuit.

Id etiam obieceram Tileno quod perinde egiſſet mecum ac ſi ego arctè tenerem Iſaacum & Iacobum, Iſmaëlem & Eſauum haud fuiſſe nomina typica, ſed perſonas tantùm. Quid ad hoc Tilenus? ait *quibuſdam tamen diuerſum placere* Quaſi id intereſſet cauſæ, quid huic aut illi placeat. Deinde ait *idipſum mihi placere.* Quo argumento, ego quidem non poſſum diuinare. Sanè typus ſine perſona conſiderari haud poteſt, ſed videndum eſt imprimis an perſonæ non contingerit aliquid quod rationem habeat typi: Terra Canaan typus erat, non propterea, vt puto, continuò deſiit eſſe terra Canaan; aut aliquid eſſe in ſe, immò omnem typum materiam oportet habere ſubiectam. Cætera *quæ peti iubet Tilenus ex notâ* 10. ſup. annot. nihil (bonâ eius cum venia dictum ſit) ad rem faciunt; non ſunt enim poſita in controuerſia, vt ſuprà demonſtratum eſt.

Queſtus etiam fueram Tilenum me argumentantem facere, vbi Apoſtolum demonſtro fuiſſe argumentatum. Quid contrà profert Tilenus quo ſe tueatur? *Fruſtrà illa verba*, inquit, *à Camerone adducta ſunt, niſi fuiſſet ei propoſitum aliquid ex iis colligere.* Omninò mihi propoſitum fuit aliquid colligere, nempe cùm Apoſtolus ſic fuerit argumentatus, ruere analyſin Tileni; nolui autem (quod tamen poſſem Dei beneficio) aduerſus Iudæos probare Apoſtolum rectè eſſe argumentatum: Hoc ſumpſi quia res mihi cum Chriſtiano eſt. Sed tamen ſi poſtulet audire Tilenus, quî Apoſtolus ſe poſſit tueri aduerſus Iudæos, ita mihi quidem videtur. Prædixit Deus multò antequàm Iacobus & Eſauus naſcerentur, fore vt maior ſeruiret minori. Ergo nulla operum habita ratione alterum alteri pręferri voluit. Hæc eſt prior conſequentia, quam ſic probare (aduerſus Iudæos inquam) licet: Prædictio quæ non eſt prædictio ſimpliciter ſed decretum, idque nullâ facta mentione vllius rationis præter meram Dei voluntatem, non fruſtrà editur antequam naſcantur ij ad quos pertinet: At hæc prædictio eiuſmodi eſt: nam Decretum eſt, & nulla fit mentio rationis vllius quæ in perſonis inhæreat, ad quas pertinet, Ergo non eſt fruſtrà edita:

Nota 91.

Nota 92.

Nota 93.

Ibidem.

Ibid.

Nota 94.

Quæ autem alia ratio reddi possit præter hanc quam reddit Apostolus? *vt ne ex operibus, sed ex vocante propositum Dei quod est secundum electionem, firmum maneret.* Respondeat verò fortasse Tilenus Iudæos sic posse obgannire, id factum vt Deus iustus idem in puniendis hominum sceleribus, & perspicax in præuidendis videatur. Sed hæc Iudæorum cauillatio nulla foret; nulla enim in decreto, vel scelerum huius, vel virtutum illius mentio fit. Deinde & id ipsum aduersus Iudæos authoritate Malachiæ probari possit; nam Malachias dum hoc dictum interpretatur, apertè significat, nullam in eo Deum Iacobi virtutum, sed amoris sui rationem habuisse. Iam verò & hoc procliue est hinc inferre, cùm enim illi euentus, non sint euentus simpliciter, sed euentus typici, aliquid illis euentib. significatum fuit: nihil autem commodius inueniri possit, quàm quod Apostolus spiritu Dei præditus significatum docuit. Sic locum illum Iudæis eripui & vt puto, vel Tileno iudice, Iudæis satisfeci; quamuis cùm mihi res esset cum Christiano, & quidem Theologo, non debui eò adigi vt Apostoli argumentum tuear; vter verò nostrûm *Apostoli verba deprauarit* constabit facilè ex collatione Analysium nostrarum.

Ibidem.

QVESTVS pariter fueram Tilenum perinde mecum egisse, ac si ego affirmassem Esauum externum habuisse fratri Iacobo honorem: Tilenus verò *præ se fert nescire se vnde hoc suspicer.* Dicam igitur vnde non iam id suspicatus sim, sed collegerim, verba Tileni sunt sup. annot. nota 10. *Semper enim honoris prærogatiua mansit penes Esauum, semper eum agnouit & appellauit Dominum Iacob, etiã post redintegratam inter eos gratiam. Omninò igitur non considerandi sunt duo illi fratres comparatè vt duæ singulares personæ, sed vt duo populi.* Nam quorsùm hæc ad mea apposuerit? quo consilio id ab eo factum fuerit, ni voluisset significare hanc esse sententiam meam? Sed hic scilicet exitus est, dùm adscriptis notulis disputatur, vt quicquid in mentem aut in buccam venerit, apponere liceat; segnis enim lector & dormitans existimabit continuò id negatum ab aduersario: quæ disputandi ratio vt malam causam vt cumque iuuat, sic bonę causæ hominum opinione, nonnihil detrahit interdum.

Nota 95.

Nota 96.

Dixeram item Deum è sceleratis & impiis religionis contemptoribus multos interdum vocare, ideóque Deum in vocatione misericordiam suam, non *hominum occultissima merita* intueri. Responde Tilenus, *Deum qui tales sunt non vocare efficaciter, sed priùs dura illa pectora legis malleo contundere, quàm Euangelicæ gratiæ oleum in contrita iam vasa infundat.* Nil ad rem. Neque enim ego tàm mentis sum inops, vt putem eos quos Deus vocat efficaciter, manere contemptores: immò hoc est quod tota disputatione à me præcipuè agitur, vt vocationẽ ex parte Dei efficacem, eorum faciam propriam, qui desinunt esse, quales fuerũt; cœperunt esse, quales non fuerunt, contra Tileni sententiam: qui eandem vocationem ex parte Dei efficacem, communem esse vult iis qui manent contumaces & rebelles, cum iis qui paruerunt. Tantùm quæro, si ratio discriminis cur istis plus, quàm illis sit indultum, pendet ab *occultissimis hominum meritis*, Vnde fiat vt contemptoribus omnis religionis quidquam sit indultum? vnde fiat vt illis plus indultum sit quàm multis qui non erant æquè prophani? Vnde tandem proficiscatur vt in omnibus religionis contemptoribus Deus non, vel deneget vel indulgeat parem gratiam? Nos (vt sæpe iam diximus) in mera Dei voluntate hîc dicimus humanæ menti esse conquiescendum.

Objeceram etiam Tileno quod pugnantia diceret, nam initio collationis negarat hominem sine fide posse placere Deo: tandem verò homini ante vocationem tribuit *occultissima merita*, hæc ego dixi pugnare. Iam verò Tilenus *negat vllam esse inter hæc repugnantiam.* Cedo quî id fieri possit? *Non dicit pugnantia* (inquit Tilenus) *qui fidem generalem quâ quis credit Deum esse, & hominibus benefacere, Deo magis gratam esse dicit, quàm impietatem illius qui dicit in corde suo, non est Deus, Psal. 14. quamuis idem ille qui hoc dicit, deinde asserat illud Apostoli Rom. 14. vers. 1.* Sanè qui hæc tantùm dicit, non dicit pugnantia. At Tilenus non hoc tantùm dixerat, sed aliud longè: quippe affirmarat priùs, *quicquid fit sine fide* (nempe fide iustificante) *id esse peccatum*: Item *sine fide neminem posse placere Deo* (fide nempe iustificante.) Deinde posteà sui oblitus homini tribuit etiam ante fidem iustificantem *occultissima merita*, quibus inuitetur Deus ad gratiam salutarem impertiendam; immò hoc ipsum eodem hoc loco repetit Tilenus, verba eius hæc sunt. *Etenim si ne sanctorum quidem opera omni labe carent, nec tamen propterea ea auersatur Deus; Quidni etiam quadamtenus gratum habeat quod ab irregenito sub legis onere fatiscente, licet Euangelicæ gratiæ adhuc expertè, proficiscitur? Cùm non soleat Deus tantumdem reposcere ab eo qui parùm accepit, quantùm exigit ab eo qui multùm.* Quibus verbis non modò conferuntur, sed præferuntur etiam irregenitorum opera, operibus regenitorum: Nam qui parum accepit, profectò is non tantùm debet, quantùm qui multùm. Itaque quæ ab eo proficiscuntur, *Quidni* (inquit Tilenus) *Deus grata habeat?* Manifesta contradictio est. *Quicquid fit sine fide peccatum est*, & aliquid quod fit sine fide, tantùm abest vt peccatum sit, vt sit etiam Deo gratum, atque ita gratum vt eo Deus inuitetur ad gratiam conferendam. Quid ergo (inquiet aliquis) Deus igitur non habet acceptum, quod ab eo qui minimùm accepit proficiscitur, sit licet minimum? Omninò, sed id *minimum* quod Deus acceptum habet & gratum à Spiritu profectum est & à fide, licet tenuis & exilis admodum fuerit.

Nota 97.

Nota 98.

Ibidem.

Prætereà contenderam Tilenum in eo pugnantia dicere, quod constituat indurationem non modò *priuatiuam* sed etiam *positiuam*; cùm id ipsius dogmati minimè conueniat; nempe vult Deum haud aliter indurare quàm soleat liberos mater, id quod ego etiam reprehenderam vt dictum durius. At ille ait, *se dum statuit indurationem positiuam, ex Geneuensium Doctorum hypothesi id statuere.* Debuit igitur Tilenus id nos monuisse, vel disertis verbis, vel adiectâ aliquâ formula, vnde id colligi possit; vel aliquâ tandem alia significatione subindicare quid vellet. Iam verò horum nil fecit, verba enim eius sunt sup. annot. not. 2. *Aio ego, si Deus huic personæ deneget hunc illuminationis modum siue gradum, qui ad fidei ingenerationem necessarius & sufficiens est, tàm esse & exitu & incre-*

Nota 99.

& incredulitatis causam, quàm ruinæ domus causa est, qui necessariæ ei fulcra; vel non admouet, vel admota subtrahit: hoc est vel actu negatiuo non dans lucem, vel etiam positiuo si excæcet & induret. Quod verò *simile illud ductum à matre nimiâ indulgentia filios indurante, quo vsus est, iubet pedibus teri*, gratissimum nobis est: nam profectò dignum est simile & quod conspuatur & conculcetur.

Ibidem.

Questus verò fueram mihi sine causa obiici petitionem principij; cum tuenti hypothesin, liceat ad hypothesin recurrere: Sit autem oppugnantis culpa, non propugnantis, petere principium. Quid ad id Tilenus? quia (inquit) *idem per idem probare, est petere quod est in principio.* Iam qui recurrit ad hypothesin idem per idem probat. Sanè: At si hoc facit vt ostendat non concludi negatum, (quod ego me fecisse agnosco) non probat idem per idem, sed prolatâ Thesi & collatâ cum aduersarij conclusione ostendit disparitatem, & esse peccatum ab aduersario ex ignoratione Elenchi. Quod si quis hypothesin suam probet per hypothesin fateor eum in eo non modò peccare petitione principij, verùm etiam battologismo & adoleschia, at ego (vt arbitror) id nusquam tota disputatione feci.

Nota 100.

Sed & ipse Tileno obieceram petitionem principij, quod Paulum agere de iustificatione not. 4. super. annot. contendat, perinde ac si ea de re inter nos constaret. At illâ notâ, inquit Tilenus, *nulla fit mentio iustificationis: vocationis autē mentio fit exertè.* Esto sanè: *iustificationis* nomen illâ notâ nusquam compareat, res ipsa tamen à Tileno apertissimè posita est; ait enim quæri, *cur hic eligatur, ille rejiciatur: nempe quia hic sequitur Christum, ille refugit?* At quid aliud est istud quàm iustificationis negotium, hunc, inquam, eligere quia credit, illum rejicere quia non credit. Itaq; non meminit quidem Tilenus illius vocis, sed rei tamen meminit. Quod verò ait, *se vocationis exertam fecisse mentionem*; Non nego, aio verò in eo Tilenum pugnantia dixisse, nam cùm iis verbis contendat Apostolum reddere rationem, cur Deus credentes iustificet, incredulos non iustificet: idem si contendit iis in verbis reddi rationem cur Deus hos vocet, illos autem non vocet, ea dicit quæ simul stare nequeunt. Nam si redditur ratio, cur Deus hunc eligat nempe quia credidit, non redditur ratio cur Deus hunc vocarit; non enim subjici potest aut adjici, quia credidit, quando non vocamur quia credidimus, sed vt credamus. Ita Tilenus non modò petiuit principium, seu quod erat in controuersia, sed & sibi ipse (vt mihi quidem videtur) contradixit.

Nota 101.

Nota 102.

Iam vt cum Tileno propiùs congrederer, proposui more meo, primùm sūmatim eas controuersias de quibus hactenus in hac collatione inter nos disputatum fuit: vel enim dixi inter nos quæri, quæ sit ratio obiecti vocationis; vel quæ sit ratio gratiæ Dei quæ circa obiectum versatur: sitne peculiaris an communis; vel denique quæ sit eius efficacia. Atque in hac partitione controuersiarum nostrarum nil reprehendit Tilenus. Quod ad obiectum vocationis attinet, dixi Tilenum (si rectè mentem eius capio) velle id præditum esse aliqua qualitate, quæ etsi non sit causa, tamen conditio est, quæ nisi adsit nulla est vocatio: indeque proficisci quod hic potius quàm ille vocetur. Ad hæc notauit Tilenus, *mihi non differre vocationem ab electione, nam ex mea sententia qui vocatur κατὰ πρόθεσιν idem necessariò eligitur; is autem malit eum qui eligitur certâ quadam qualitate esse præditum, quàm eum qui vocatur. Qualitas porrò illa est*, inquit, *fides, quæ in vocato non inuenitur sed postulatur: à fide autem pendet adoptio.* Deinde ait, *non ideò vocationem nullam esse, si euentu caret, cùm ex parte Dei integra sit & syncera, solius hominis vitio fastidita.* Denique an ego eius rationes refutarim *iubet iudicium esse penes lectorem, non penes assertorem.* Id quidem rectè, vtinam verò Dei gratiâ sim dogmatis de gratia Dei assertor. Cæterùm miror quorsum ista tendant. An negat Tilenus rectè à me positum controuersiæ statum? Si negat, agam cum eo obsignatis tabulis, verba eius sunt. *Quod postremo loco asseritur rationem discriminis cur videlicet hic illuminetur, non item ille, non aliunde esse petendam quàm à Dei voluntate, alia longè mens fuit Augustini qui lib. 83. quæst. quæst. (ni fallor) 68. affirmat rationem discriminis positam esse in occultissimis hominū meritis.* Atqui *vocatio* illuminatio est illa: Sed nec hoc loco id dissimulat, *malo* enim, inquit, *eum qui eligitur certa quadam qualitate esse præditum, quàm eum qui vocatur.* Admodum timidè & suspensè; qui tamen sic loquitur innuit nescio quid; nempe vult Tilenus vocationem, aliquam qualitatem requirere in obiecto, sed tamen mauult electionem eam requirere qualitatem: profectò hæc est mens Tileni, nam nec rem affirmare ei libet, nec negare hoc quidem in loco; non est tamen obscurum quorsum propendeat. *At*, inquit, *Camero non vult electionem differre à vocatione.* Sanè. Si electio significat eam quæ per vocationem fit, *segregationem* certorum hominum è reliqua multitudine, electio mihi vocatio est. At si electio *decretum* significat (vt certè significat vt plerumque) quo Deus ab æterno certos homines efficaci vocatione separare & sanctificare sibi constituit: aio differre ista, perinde vt ab effecto causa, decretum ab executione decreti. Quod verò *non ideò nullam dicit fore vocationem, si euentu careat, id enim nullâ Dei culpâ, sed hominum vitio accidere.* Aio eum discedere hîc à mente mea, nam cùm dixi *nullam vocationem* (hoc quidem in loco) non eam intellexi *quæ est* quidem, sed *euentu caret*, sed volui significare nullam omninò fore vocationem, ne illam quidem quæ euentu (ex hypothesi Tileni) caret; Nam etiam quod Deus ea vocatione per Euangelium (quam non sequitur euentus) hos potius quàm illos dignetur, id vult acceptum ferri Tilenus præcedaneæ cuidam conditioni in obiecto. Cætera otiosè à Tileno dicuntur, nam certè Deus non mentitur, dum cum iis agit qui Euangelium contemnunt: ij potius Deum faciunt mendacem. Attamen aliter Deus agit cum huius generis hominibus, aliter cum suis electis: horum enim maiori quàm illorum mentes luce perfundit, quamuis etiam tantam impertiatur lucem, quanta (nisi sponte cæcutirent) satis efficax & idonea fuisset, verum tamen nisi cum electis suis multò benigniùs ageret, sine controuersia par vtrorumque conditio foret.

Nota 103.

Nota 103.

Nota 104.

Dixeram verò sententiam nostram hanc esse: Quamuis inter homines alij alijs minus scelerati sint (id quod Deo acceptum ferendum

est, qui istius impetum magis quàm illius inhibet) omnes tamen homines quod ad veram Dei vitam sunt mortui. Idq; te probaueram Apostoli authoritate, vocationem nostram vocantis *viuificationem*. Quid hîc Tilenus. *Iubet adiri notas 59. & 69. vt cognoscamus quatenus vrgenda sit hæc nomenclatura*. Nos verò probauimus atque (vt arbitror) demonstrauimus, Tilenum in illius *nomenclatura* (vt loquitur) ratione assignanda grauiter errasse. Sed ea nos hîc non repetimus, ne actum agere videamur.

Nota 105.

Quoniam verò dixeram sæpenumerò ingenia præ reliquis & modesta & grauia Euangelium contemnere, ac si id à me temerè & perperam dictum fuisset, reprehendit: *καρδιογνώστας cordium cognitores agere*, inquit, *non est nostrum* & *contemptus Euangelij non est argumentum modestiæ & grauitatis*. Quasi verò sit agere inspectorem animorum, affirmare plerosque magis sceleratos vocatos ad salutem relictis minus sceleratis: cuius rei exemplum habemus in altero latronum, qui cum Christo crucifixi fuere. Nam contemptum Euangelij, ego quidem non dixerim esse grauitatis aut modestiæ spiritualis argumentum: aio tamen sæpè accidisse, vt qui præ reliquis graues fuere & modesti, Euangelium contempserint; nempe qui ea grauitate & modestia, quam *moralem* vulgo vocant reliquis præstitere unt. Sed nec id Tilenus negat, statim enim id notat, verba enim eius sunt notâ 107. *Non nego*. Manifesta contradictio est, mihi dictum obiicit quod non negat. *At id fieri per vim ἀκαταμάχητον, aliterque ne à Deo quidem fieri potuisse pernegat*. Concedit eorum qui non in speciem modò, sed reapsè præ reliquis sceleratiores fuere, corda Deum ità afficere, vt omnem emolliat duritiem; hæc enim mea verba fuerunt ad quæ ille hanc apposuit notam. Quid igitur negat? nam ego certè hoc vnum volo, quod si mihi concedit, vt certè concedit, res confecta est. *At*, inquit, *non fit id per vim ἀκαταμάχητον*. Sed quæ est tandem hæc vis ἀκαταμάχητος? num ea quæ ità vincit vt victus victum se doleat? facit nobis iniuriam, si hanc nobis sententiam adscribit. Quod si hoc nobis tantùm tribuit, Deum ita in suis agere vt eorum mentes & corda flectat & mutet: id agnoscimus sanè, queri musq; te motum tàm lenem & suauem, inuidioso vocabulo laruari. Quod verò negat Tilenus *non posse aliter fieri, vt Deus nostra flectat corda*. Quorsum id pertineat non video, nos enim non præscribimus Deo agendi rationem: tantùm dicimus Deum quoties nostra corda flectit, id facere tàm efficaciter, vt effectum sequatur, atque ita quidem vt non possit non sequi. Quod si res aliter se habet, Deus hactenus tantùm animos nostros afficerit, vt ni accessisset aliud, nil fuisset sequutum. Nam si Dei operatio flexionis animæ causa *adæquata* est (vt loquuntur in scholis) omninò eam effectum sequi necesse est. Fac enim non fuisse secutum, aliquid prohibuit; causa igitur *adæquata* non fuit, sed (vt ita loquar) *partialis*: Nam causa *adæquata* ea demum est & dicitur, præter quam nihil aliud requiritur vt res fiat; Quæ verò impediri causa potest, ad eam aliquid præterea requiritur vt res fiat. Hoc verò liquet adeò, nihil vt opus sit demonstrari.

Nota 106.

Nota 107.

Iam vt ostenderem rationē discriminis nullam in nobis inesse, illud protuli, *Quis enim te discernit? quid autem habes: quod non acceperis? quod si etiam accepisti quid gloriaris, vt qui non acceperis?* Hîc verò respondet Tilenus primò. *id non pertinere ad irregenitos & alijs sceleſtiores, sed ad fratres*. Sanè discerni à reliquis, eoque quod aliquid habeas acceptum, quod reliqui non habuerint, non pertinet id quidem ad scelestiores: pertinet eò tamen dictum, vt tu monearis non tibi te debere quod præ reliquis habeas, nec vlli præter Deum quæcumque tandem sit præstantia conditionis tuæ. *At*, inquit, *fratres alloquitur*, atque inter se confert, non confert cum extraneis. Benè habet. Valebit igitur argumentum à minori ad maius, vt loquuntur, si quod fratres fratribus præponuntur, id non debent acceptum *occultissimis meritis*: quanto minus quod cœlesti æquè cœlestis præferuntur, *occultissimis meritis* debebitur? Si enim discrimen fratrum inter se à Deo est, eò quòd hic præ isto nil habeat quod idem non acceperit: multo magis discrimen fratrum ab extraneis in eo ipso erit; quippe qui & ipsi aliquando fuerint extranei: verum autem prius; verum igitur & posterius: Secundò cùm dixissem inane esse effugium eorum qui contendunt, hoc loco agi de peculiarium quorundam donorum collatione, non autem de collatione cuiusdam peculiaris gratiæ salutaris: cùm absurdum sit vt quis statuat, nullam esse rationem in homine, cur Deus ea dona (quæ non tam ei qui ea habet quàm alijs prosunt) huic potius quàm illi tribuat; interim tamen arbitretur diuersam esse rationem vocationis ad communionem filij Dei, vnde pendet nostra fœlicitas. Quid ad hoc respondet Tilenus; *Etiamsi* (inquit) *quis neget horum verborum hanc esse mentem, non tamen continuò negat dogma, cui asserendo hoc dictum adhibetur. Certissimum est non Deum ab hominibus, sed homines à Deo vt vocari sic eligi*. Hoc posteriùs optimè & rectissimè. Hîc igitur consensus est: omnis discriminis ratio, tam cùm agitur de gratia quæ dicitur *gratis data*, quàm cùm agitur de gratia *saluifica*, in Deo est, in homine nulla. Hîc habeo Tilenum confitentem ingenuè quod res est, aut verò ità loquentem vt eius mentem assequi nequeam. Nam si certissimum est homines à Deo sic eligi vt vocantur: ad sui autem vocationem nihil attulerint (non enim vocantur boni sed mali, non quia *fuerunt*, sed vt boni *sint*) nec eligentur iidem ita vt ad sui vocationem aliquid conferant, sed vt ij sint, qui eâ conditione ad quam vocantur prædin fint; *vt sint* inquā, non autem quia *fuerunt*. Idem tamen Tilenus notâ 109. obseruat *mendicum nil afferre ad Thesauri à diuite accepti possessionem, licet manum porrexerit: quantò minùs* (inquit) *homo ψυχικὸς ad fidei adeptionem, cui & paupertatis suæ notitiam, & extendendæ manus facultatem dedit Deus*. Diceres Tilenum idipsum velle quod nos. Si ità se res habet iungantur dextræ, cur tantopere litigatur? Sed certè Tilenus aliquid inuoluit quod non explicat. Nos disputabamus de Thesauri *adeptione*, ille respondet de *possessione* accepti Thesauri. Hoc primùm. Deinde Thesaurus hîc nobis est etiam res illa, quâ fit vt Christum Thesaurum nostrum accipiamus: vt esset illius mendici Thesaurus (cuius manus iam priùs arida & sicca foret) non magis *pecunia*, quàm *manus porrectio*, facultatem recuperatam, sequuta.

Nota 108.

Ibidem.

Nota 109.

Nota 110.

Porrò

Porrò & id ambiguè à Tileno dictum est, *quod extendendæ manus facultas nobis à Deo data est.* Nam hoc Tilenus non ita vult à se dictum accipi, ac si eâ gratiâ fieret vt manum extenderemus nisi nostra voluntas intercesserit, quam scilicet ea gratia sic duntaxat affecerit, vt eam constituerit *in biuio* eique liberam & solutam reliquerit optionem. Itaque quæ sequuntur in notis Tileni multò magis ambiguè dicta sunt, illa scilicet, *imò ne actum quidem produxit ille sine gratia*: nempe illud *sine* vel notat causam quæ nisi adsit, nihil fiat; vel quæ si adsit, effectum eam continuò sequitur: nam si communem causam intelligit, eam profectò intelligit, quam effectum non sequitur statim; communis enim causa, sola nihil facit, iuncta facit quod facit; nihil, inquam, cùm agitur de effecto speciali, nam commune effectum semper producit, alioqui nec causa communis dici posset: non est enim communis causa, quæ causa non est; non est autem causa quæ nihil facit. Quod si illud *siue* tale quid significet, vt sine eo nihil fiat, tamen si adsit res fiat, quo modo dicimus *sine Deo nihil fuisse creatum*, quod ait Tilenus, id ipsum hoc pacto sententia nostra est. Si quidem hoc ait, ità sine gratia nullum actum produci, vt si adsit, is actus necessariò producatur. Quæ sententia cùm sit à mente Tileni aliena, necesse est intelligamus ipsius iudicio, extensionem manus, gratiam habere non vt *propriam* sed vt *communē* causam, vel certè causam *sine qua non*, quam appellant: quæ scilicet eandem vim in eo qui porrexit, & in eo qui non porrexit manum, exeruit. Quamuis hæc omnia aliena sint cùm agitur de proprio voluntatis actu, de quo hîc agitur: is enim eiusmodi est, vt si minus fiat quod eo fit, nō possit id tribui voluntati vt causæ efficienti, nihil enim aliud id est quàm *velle*. Nec quicquam dici magis ridiculum potest, quàm si dicatur aliquem velle quia vult, aut nolle quia non vult: nam quæramus iam, cur velit hoc velle quod vult? Nunquid respondebitur hominem quod vult ita velle, quia voluit id velle? Sic verò dabitur progressus in infinitum: Quæram enim iterum, cur voluerit id velle? atque ità deinceps porrò iterum atque iterum, quod ipsum habebit locum, cùm cur nolimus quæritur: par enim ratio est. Reliquæ autem facultates animæ subiectæ voluntati eiusmodi sanè sunt, vt si quis velit iis vtatur, sin minus non vtatur. Sed de his facultatibus nulla iam controuersia est. Deinde si voluntas constituitur à gratia Dei in hoc *biuio*, ipsa autem seipsam flectit ad bonum. Quis non videt, quod se eò flectat id non esse totum à Deo, sed maximam partem à voluntate? nam se flectere rei caput est; ea enim boni sumus, id quod sanè rei caput est.

Ibid. · *Ibidem.*

Dixi secundò in eo me à Tileno dissentire, quod ille gratiam quâ homines nonnulli vocantur efficaciter, velit esse communem quibusdam qui non vocātur efficaciter, atque ita vt pareant. Ego contrà, eam vocationem eorum propriam esse velim qui parent. Quid ad hoc Tilenus? non negat quidem à me rectè constitutum esse controuersiæ statum, tantùm repetit quod dixerat suprà, *gratiam eam esse in se efficacem quæ sufficiens est*, quod cuiusmodi sit suprà à nobis expensum est. Nihil verò attinebat id hoc loco notasse: nam si gratia illa quâ hic vocatus paruit *efficax* dicitur, non quia effecerit vt hic paruerit, sed quia efficax fuit in se, dicetur efficax fuisse tantùm, quia sufficiens erat. Quæ locutio noua est, vt *efficax* id dicatur *quoties de operatione agitur*, quod ità sufficientiam tantum habet in se vt requirat aliquid præterea ad euentum consequendum. Itaque gratiam sufficientem ab efficaci in Scholis distinxerunt. Sed esto. Gratia igitur hoc pacto vna eademque fuerit in se, quâ isti vocati paruerunt, illi non paruerunt vocati: & profectò id non dissimulat Tilenus, nam cùm ego monuissem rationes Tileni quibus id dogma confirmare conatus est, à me fuisse refutatas, *monet se id dogma vindicasse*, quàm verè, lector iudicabit. Quod verò negaui hanc gratiam quâ fit vt vocati pareant vlli indulgeri qui idem non pareat, Tilenus *de subsequente gratiâ id demum intelligendum esse censet.* At ego de eâ gratiâ quæ voluntatis actum præcedit, verba feci, quâque fit vt voluntas flectatur quam *subsequentem* nemo appellet: subsequens enim gratia, ea demum est, quæ actum aliquem voluntatis sequitur.

Nota 111. · *Nota 112.* · *Nota 113.*

Statu vero controuersiæ sic constituto probaui, gratiam quâ fit vt vocati pareant non esse communem iis qui non parent. Inde primò quod *quicumque audiunt & didicerunt veniunt ad Christum*; Qui autem non parent, non veniunt. Qui igitur non paruerunt, nec audiuerunt, nec didicerunt. Non fuit igitur eorum mens illuminata, non fuerunt à Deo docti, nec illius *tantæ gratiæ* participes, cuius fuêre compotes qui paruerunt. Quoniam verò nonnulli illud *audire & discere*, *Obsequi* interpretantur: dixi hoc loco, id locum habere non posse; cum enim *venire ad Christum* sit *parere*, sensus indè oriretur absurdus, nempe hic, qui *veniunt ad Christum, veniunt ad Christum*; aut *qui parent, parent. Negat se ista confundere Tilenus.* Ergo inquam distinguit id quod voluntatis est, ab eo quod est mentis. Et illud *qui audiunt & didicerunt* ad mentem refert. Omninò rectè. Vide autem quid hinc colligam, si quicumque quæ ad mentem pertinent consequuti sunt, ij veniunt ad Christum, vt mihi concedit Tilenus. Ergo qui non veniunt ad Christum, non adepti sunt quæ ad mentem pertinent. *Sed quæstio manet*, inquit, *vtrum audiuerint & didicerint irresistibiliter.* At hîc inquam nulla quæstio est: nam Tilenus ait intellectum moueri irresistibiliter. Quod si *audire & didicisse* ad voluntatem refert, aio Tilenum confundere subiectum cum attributo & relabi in battologismum & adoleschiam, qui *veniunt ad Christum, veniunt ad Christum*; qui *parent Christo, Christo parent.* Stat igitur ratio prima.

Nota 114. · *Ibidem.*

Secunda ratio quâ vsus sum, hæc fuit: ij soli dicuntur θεοδίδακτοι qui parent. Soli igitur fuere θεοδίδακτοι qui paruerunt; qui verò non paruêre, non fuêre θεοδίδακτοι. Respondet Tilenus *eos dici θεοδιδάκτους quorum voluntas Spiritu Dei renouata est, licet ad id opus Deus non adhibuerit omnipotentiam.* Non possum perspicere quorsum hæc tendat responsio. Ego enim quæro cur hi soli qui parent θεοδίδακτοι vocentur, si Deus tàm hos qui parent, quàm eos qui nos parent, docet: præsertim cùm Dei *disciplina* & *magisterium peculiare* adferatur pro ratione, cur hi potius quàm illi paruerint. Inspiciatur locus, est enim illustris imprimis. Verba Christi sunt Ioh. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, ego verò suscitabo eum vltimo illo die: est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à*

Nota 115.

Deo, Quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Stat igitur & hæc ratio.

Tertiò, Rationem hanc adhibui: ita Apostolus eos qui crediderunt distinguit & designat, vt iis dicat datum esse vt credant, cùm reliqui sibi permittantur. Philipp. 1. 28. Quid hîc Tilenus? ait *se non negare id datum à Deo, sed agi de modo.* At, inquam ego, cùm Apostolus sic distinguat pios ab impijs, credentes ab incredulis, vt discriminis rationem collocet in Dei dono, non intellexit donum commune: Dono enim communi nullum fit discrimen, quando communia discrimen non faciunt, sed propria. Deinde aio Apostolum fideles solari eo loco, quos nequaquam solaretur, si nil illi à Deo accepissent, quod pariter improbis illis non fuerit concessum, verba eius sunt: *nec vlla in re terreamini ab iis qui se opponunt, quod illis quidem est exitij indicium, vobis autem salutis, idque à Deo; Quia vobis datum est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi:* Quorum verborum aperta est sententia; vestra quàm illorum alia conditio est, Deus enim vobis indulsit quod illis non est indultum. Vt si quis pios gementes sub cruce & queritantes nonnunquam (quod nimis sæpe ob carnis infirmitatem fit) secum agi iniquius, ità soletur vt moneat, ipsis multò plus à Deo quàm reliquis concessum (nempe *credere*:) profectò consolatio frigida foret, si quæcumque à Deo profecta sunt, ex parte Dei (ipsa res sic nos cogit loqui) communia sint: immò responsio carnis sic redderetur expedita, vtrique paria accepimus à Deo, nos rectè, illi minus rectè vsi sunt. Tota igitur laus quæ nobis præ illis tribuitur, nobis debetur. Cur igitur quàm illi patimur grauiora? Apostolus verò respondet maiora piis quàm cæteris diuinitùs collata, nempe quod iis datum est vnde pij fuerint, quod summum est. Deinde si Deus non aliter eorum mentes afficit qui crediderunt, quàm qui non crediderunt, quæ potest esse constantia & fiducia? cuius nullum est argumentum æquè idoneum, ac si sciamus multò Deum aliter & egisse & agere nobiscum, quàm cum mũdo. Huc verò redit consolatio Apostoli. Nec hæc igitur ratio concussa est.

Quartò sic ratiocinatus sum; Apostolus 2. Timoth. 2. vers. 18. 19. *Qui*, inquit, *circa veritatem aberrarunt à scopo & subuertũt nonnullorum fidem, attamen firmum stat Dei fundamentum.* Ergo Dei fundamentum quosdam ne aberrent à fide prohibet peculiariter: non prohibebit autem, ni inde ad quosdam, aliquid quod peculiare sit, redeat. Hanc rationem Tilenus reliquit intactam; Attamen Apostolus fideles confirmat aduersus scandalum quod nonnullorum casus obiecerat. At quî faciet id, inquam, nisi ostendat diuersam esse horum & illorum conditionem? ex parte Dei, inquam: non autem erit alia, si nil amplius his quàm illis fuerit indultum.

Quintò sic ratiocinatus sum. 1. Iohan. 2. 19. *è nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis.* vbi manifesta antithesis est. Respondet Tilenus *egressum istum non opponi mansioni in fide, sed legitimæ missioni.* Mirum si egressus opponitur legitimæ missioni, non autem potiùs opponitur permansioni in fide: Nam vt *egredi è mundo* dicuntur, non qui corpore, sed qui affectibus à mundo segregantur: sic etiam *egredi è fidelibus* ἐξ ἡμῶν dicuntur, qui doctrinâ & affectu à nobis se segregarunt cum se è nostris esse fuissent professi; sequitur enim continuò: *nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Est ne vocationis ad munus quoddam maior efficacia, quàm vocationis ad Christum? Tùm *sed id factum est, vt patefieret non omnes esse ex nobis.* Quæ erit horum verborum sententia? num hoc voluit Iohannes? qui nostri sunt, semper vnà nobiscum corpore tenus manent; qui verò corpore tenus discedunt à nobis, non sunt nostri? Non est credibile, immò absurdum est; nam Apostoli à se mutuò discesserunt: Aut, an hoc voluit Apostolus? qui verè à nobis missi sunt, idem quod nos, docent. Mirùm si maior est constantia in vocatione ad munus, quàm in fide retinenda. Certè si quos Deus verè vocauit ad munus aliquod, ij id constanter & fideliter gerunt: pari ratione quos Deus verè vocauit ad fidem, fidem constanter retinebunt; sin hæc conditio incerta sit, pariter & illa. Deinde Antithesis satis ostendit hîc agi de Apostatis, *vos autem*, inquit, *vnctionem habetis à sancto illo profectam, & nostis omnia.* Certè igitur hoc habemus quosdam esse apud quos nil possint impostores, idque proficisci non à communi, sed à peculiari dono spiritus, alioqui hæc consolatio inanis foret. *At Act. 15. scriptum est quosdam egressos*, cùm agitur de iis qui se missos ab Apostolis simularant. Ast, inquam, eo loco egressus corporeus notatur, qui hîc intelligi non potest. Deinde locutiones diuersæ sunt, non enim ἐξ ἐλθόντες ἐξ ἡμῶν dicuntur ij quorum mentio fit Actor. 15. sed simpliciter ἐξελθόντες. Denique si nihil aliud esset, quid vetat etiam Actor. 15. Apostatas notari? Profectò Doctores, Apostatæ non minus, immò potius Apostatæ & sunt & dici debent, quàm quilibet è plebe. *Stat igitur* & hæc ratio.

Tertiæ verò controuersiæ, quæ est de vi & modo gratiæ, statum ita constitueram. Dixeram Tileni sententiam esse, maximam quidem esse gratiæ vim, sed tamen eiusmodi, quæ sic animum afficiat duntaxat, vt soluta maneat optio voluntati, quorsum velit sese inclinare. Nostram autem contrà sententiam esse, eam tantam esse tamque efficacem, vt cui illa obtigit, is non possit non parere Deo vocanti. De hîc quidem negat Tilenus statum controuersiæ à me rectè esse constitutum: tantùm ait cùm sit is controuersiæ status, cùm de vi gratiæ Dei agitur, *superiorem disputationes superuacaneam esse, aut non nisi ad conflandam inuidiam comparatam, quasi is neget Deum esse fidei datorem, cùm tantùm modum nuper excogitatum quo fidem dare Deus statuitur, improbet.* Si ita se res habet cur iam primùm id monet: sed profectò (quod pace eius dictum sit) non est ità: Etsi enim Tilenus Deum agnoscat authorem fidei, tamen non vult Deum esse in solidum fidei authorem, neque enim existimat Deum aliter in iis agere qui credunt vt credant, quàm in alijs qui non credunt. Nempe vult gratiam quâ gignitur fides in se communem esse, hoc est ex parte Dei; peculiarem verò quoad euentum, quem euentum adeò suspendit ab humana voluntate. At hoc Deum est facere fidei authorem ex parte tantùm. Deinde non solùm de modo, sed vi etiam & efficacia, immò præsertim de vi & efficacia, nobis controuersia est. Itaque decli-

Nota 116.

Nota 117.

Ibidem.

Nota 118.

declinandæ tantùm inuidiæ caussa, videtur magnitudinem efficaciæ gratiæ Dei deprædicare. Quod verò modum quo Deus ex sententia nostra afficit voluntatem *nuper excogitatum* dicit, iniuriam nobis & veritati facit: est enim Christi, Prophetarum, Apostolorum ea sententia, etiam verè piorum experientiâ comprobata, vt à nobis non iam semel, sed sæpè demonstratum est.

Constituto controuersiæ statu sententiam nostram probaui, hoc est, Deum ità voluntatem afficere vt non possit non parere. Primò iis locis quibus illa efficacia par esse dicitur efficaciæ, quâ Christus est à mortuis excitatus Eph.1. Coloss.2. Respondet Tilenus *Scripturam hoc non dicere.* At nos id supra ostendimus luculenter. At deinde *me agnoscere dissimilitudinem.* At in efficaciâ nullam agnosco. Cæterùm nemo miretur, si quæ similia sunt quadamtenus; eadem dissimilia sint, alioqui non iam similia, sed eadem forent. Quid verò hoc sit & cuiusmodi supra à nobis explicatum est.

Nota 119.

Ibid.

Secundò probaui idipsum, iis Scripturæ locis quibus dicitur Deus auferre cor lapideum, efficereque in nobis velle & perficere. Vnde conclusi actionem illam Dei efficacissimam esse, atque eiusmodi vt eam effectum non possit non sequi. Respondet Tilenus, *de re agi iis locis, non autem de rei modo.* Omninò certè de re agitur, sed ità vt simul de efficaciâ rei agatur. *Dabo* (inquit Dominus Ezech.36.vers.26.27) *vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in medio vestri, & auferam cor lapideum è carne vestra, daboque vobis cor carneum. Et spiritum meũ dabo in medio vestri, efficaciamque vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & faciatis illa.* Et Apostolus Philipp. 2. 13. *Deus enim est* (inquit) *ὁ ἐνεργῶν in vobis & vt velitis & vt perficiatis, pro gratuitâ suâ beneuolentia.* Viden illam ἐνέργειαν. Si modũ requiras. *Nemo potest venire ad me* (inquit Christus Ioh. 6. 44. 45.) *nisi Pater qui misit me, traxerit eum: Ego verò suscitabo eum vltimo die. Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo, quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Ecce tibi modum. Dixeram verò hoc eodem loco, fieri nequaquam posse vt Deo cor emolliente, cor maneat durum, aut Deo efficaciter operãte ἐνεργοῦντος θεοῦ in nobis velle & perficere, vt, vel nolimus, vel non perficiamus. Quid ad hæc Tilenus? Respondet *potuisse manere cor durum, potuisse fieri vt nolimus & non perficiamus.* Etiamne Deo emolliente, Deoque in nobis & velle & perficere efficaciter operante? Nam certè Deo non emolliente non potuit tantùm manere cor durum, verùm etiam vt ne durum maneret fieri haud quaquam potuisset. At, inquit, *potuit sedere etiam qui surrexit, cùm surgeret.* Sanè: Si voluisset. At dato voluisse aliquem surgere & eundem surgere potuisse, nego fieri potuisse vt ne surgeret. Insignis locus apud Aristotelem id euincit. Sic autem habet ὥστε τὸ δυνατὸν κατὰ λόγον ἅπαν ἀνάγκη, ὅταν ὀρέγηται, οὗ τε ἔχει τὴν δύναμιν, καὶ ὡς ἔχει, τοῦτο ποιεῖν, ἔχει δὲ παρόντος τοῦ παθητικοῦ καὶ ὡδὶ ἔχοντος ποιεῖν: εἰ δὲ μὴ, ποιεῖν οὐ δυνήσεται. Et certè fac quempiã non surrexisse, vel id contigit quia non voluit, vel quia non potuit: nam si voluit & potuit, non potuit non surgere. Iam verò absurdũ est vt Deus statuatur in nobis facere velle, modo velimus: Si enim ita se res habet, eadẽ erit cõditio & res pręstita, quod ne cogitari quidem potest. Nam res pręstita conditionem sequitur; nihil autem sequitur semetipsum quod enim sequitur posterius est; idem verò seipso non potest esse posterius. Tùm si res præstita eadem est quæ conditio, re præstitâ nihil fit, nam præcesserat conditio ad quam re præstitâ nihil accessit, siquidem conditio & res præstita eòdem redeunt.

Nota 120.

Nota 121.

Nota 122.

Aristoteles Metaph. 9. cap. 5.

Tertiò, vt hoc ipsum euincerem protuli ea loca quibus Scriptura docet, qui veniunt ad Christum eos demùm esse doctos à Deo, & quidem tantâ efficaciâ vt hortationibus pænè nullus, hac quidem in parte, Dei opere peracto, locus relinquatur. Quod omninò non esset, si ita Deus nos dumtaxat afficeret, vt integra optio maneat amplectendi aut rejiciendi. Loca ipsa denuò inspiciantur: Sic verò habent. *Cæterum* (inquit Apostolus 1. ad Thess.4.6.) *de fraterna charitate non necesse habetis vt scribam vobis; ipsi namque diuinitùs docti estis, vt diligatis alij alios.* Et Apostolus Ioh.1.Epist.Cath.cap.2.27. *Sed vnctio quam vos accepistis ab eo manet in vobis, nec necesse habetis vt quispiã doceat vos: verùm sicut eadem vnctio docet vos de omnibus, quæ & verax est & non mendax, & sicut docuit vos, manebitis in eo.* Quid hîc Tilenus? Quid respondet? illud nempe, *loca non sufficere quod volo, neque enim agi de ablatione potentiæ.* Hoc vt puto voluit, non agi de ea efficacia, quæ tanta sit, fieri vt non possit vt renitamur. Nihil est pro his ius factu quàm negare. Cæterùm repugnat hîc res ipsa, nam qui ita docti sunt à Deo vt ne hortationibus illis opus sit (quatenus, inquam, docti sunt à Deo,) eorum profectò voluntas ita determinata est, vt oporteat effectum sequi, siquidem nullis prætereà opus est hortationibus. At (inquiet fortasse) nullus est cui non sit hortationibus opus: Hæc verò disputatio cum Apostolis potiùs, quàm cum nobis instituitur: Nos tamen id respondemus quod ipsa docet experientia in hâc vita neminem esse perfectè à Deo doctum, fieri rem tantam & promoueri per gradus: sed tamen tantò minus esse necessarias hortationes, quantò magis à Deo docti sumus. Quatenus igitur à Deo docemur, eatenus determinatur voluntas, sola enim voluntatis determinatio hortationes superuacaneas reddit, quæ videlicet non aliò spectant, quàm vt voluntas determinetur.

Nota 123.

Quod si verò putet me vel hanc gratiam, vllam animæ facultatem abolere, vehementer errat, non est ea mens mea, neque ego vllam dedi quod sciam tam vanæ suspicioni caussam: ista efficacia perficit atque ornat animum, nihil detrahit de eius præstantia, nisi fortè Christi animæ quicquam deerat, eò quòd constantissimè bono adhęresceret. Quoniam verò contenderam effici ex his Scripturæ locis Deum non promiscuè atque indiscriminatim in omnibus operari. Concedit id Tilenus simul etiam rationem eius reiteddit, *Quod & Deus velit aliquid ab homine fieri, idque probat prolato loco ex Ezech.18. vers. 31. projicite à vobis omnes iniquitates vestras, quibus prævaricati estis & facite vobis cor nouum & spiritum nouum, & vt quid moriemini domus Israël? quo loco negat Deum postulare vt homo ea faciat, quæ non nisi per omnipotentiam diuinam effici possunt.* In qua Tileni annotatione id primum licet obseruare: quod rationem discriminis etiam tùm cùm Deus agit efficaciter gignitque fidem Spiritu suo, non petit ab operis diuini efficacia, sed ab hominis opere: vult enim Deum fidem in hoc

Nota 124.

potius quàm in illo gignere, eò quòd hic aliquid fecerit quod iste non fecerit, hoc primùm. Deinde illud *aliquid* Tileni, *totum* est re vera, cordis nempe circumcisio, cordis & spiritus renouatio. Quid igitur fecerit Deus prætereà? *At apud Ezechielem, Dominus iubet hominem circumcidere cor suum?* Fateor. Ergo siquis hoc facit, non debet quod id fecit Deo in solidum: Nego pernegoque id sequi. Hortatur nos Dominus sæpe vt renouemur spiritu *mentis* nostræ, cùm Tilenus non neget illuminationem mentis esse à Deo & quidem irresistibiliter. Quidni id ipsum hîc habere locum possit? Attamen *non videtur conuenire, vt ea Deus exigat quæ non nisi per omnipotentiam ipse facit.* Sanè si illa facit ità vt sit ipse principium agendi proximum & immediatum, concedo. At si ea ità facit, vt ideò dicatur fecisse, quia vis ea faciendi sit ab eo, cùm tamen eâ vi instructi *nos* ea faciamus, diuersa ratio est: præsertim cùm Deus non agat in nobis, quomodo in stipitibus & plantis, sed modo conuenienti voluntati, intellectum illustrans luce, atque ita suauiter voluntatem nostram alliciens, & mouens, tam vehementer tamen, vt non possit non moueri, qui motus quo efficacior eo suauior est. Id enim est amoris ingenium, vt quo ardentior est, eò magis delectet, fit enim eò magis amor; qui si oriatur ex veri boni cognitione, quò clarior eius cognitio fuit, eò illuminatio fuerit & motus iucundior: proindeque voluntatis determinatio tantò efficacior & magis necessaria.

Ibid.

Quartò, hanc de quâ agitur, efficaciam gratiæ Dei in hominum conuersione, quâ fit, inquam, vt qui eam persentiscunt, nequeant non conuerti, inde demonstraui, quod Paulus plantare, Apollos irrigare, Deus autem dicatur dare incrementum. Atqui si ità tantùm Deus affecerit cor, fieri vt possit vt non sequatur incrementum, idque contingat aliquando, atque ita contingat vt quod sequitur incrementum, sit à voluntate semetipsam determinante iuxta hypothesin Tileni, dixi non Deum (si ita se res habet) sed hominem incrementum dare. Id verò cùm pugnet apertè cum Apostoli mente, necesse esse ruere Tileni sententiam, nostram autem stare; Hanc rationem Tilenus ne attigit quidem.

Quintò idem conatus sum inde efficere, quod *Dei Agricultura, Dei ædificatio*, quodque *regenerari & creari denuò* dicimur in Scriptura. Respondet Tilenus *has metaphoras esse concinnè interpretandas.* Quod ego non nego (ne Flaccij furoribus aliquid concessisse videamur:) Sed ea demùm, concinna metaphoræ interpretatio est, quæ metaphoram non facit ridiculam & absurdam. Iam verò si renouatio naturæ nostræ eadem regeneratio & creatio dicitur, oportet certè eius generis opus esse, quod cum creatione aliquam habeat cognationem: nullam autem habebit, si tollas efficaciam operis, si homo vocetur in communionem huius laudis, si illi partes suæ ita tribuantur vt quippiam fecisse statuatur, quod à gratia Dei non sit *omninò* profectum.

Nota 125.

Sed & hoc ipsum ratione probare conatus sum. Sic igitur egi. Tilenus concedit intellectum irresistibiliter illuminari. Ego verò inde conclusi flecti pari ratione voluntatem irresistibiliter. Tilenus *negat hoc inde sequi.* Quasi verò ego hoc (vt ita dicam) nudè concluserim, non addiderim rationes, vnde constet hoc sequi. Nam quod *discriminis rationem monet à se allatam notâ 61.* & à nobis est iam refutatum, & posthac Deo iuuante refelletur.

Nota 126.

Ibid.

Iam verò videamus an intellectu moto moueatur necessariò voluntas. Prima ratio quâ vsus sum vt id euincerem hæc fuit: Si intellectu illuminato ac monente hoc *malum* esse, voluntas aliorsum declinet, appetet *malum sub ratione mali.* At hoc absurdum. Ergo & illud. Respondet Tilenus *non continuò sequi* vt voluntas malum appetat sub ratione mali, etiamsi intellectu illustrato malum consectetur. Ita non negat, immò verò concedit voluntatem non posse appetere malum sub ratione mali. Quid igitur vult? nempe intellectu illuminato atque demonstrante, verbi gratiâ, parricidium esse malum, idque sine fuco & fallacia monstrante, voluntatem tamen posse id malum sub ratione boni persequi. Ità mihi videtur Tilenus, in eo quod mihi concedit, voluntatem non posse ferri in vllum obiectum, nisi quatenus obiectum est sub ratione boni, pugnantia dicere: cùm idem continuò affirmet, quod obiectum est sub ratione boni refugere posse voluntatem, aut verò appetere, quod sub ratione mali est obiectum; nam rationes boni & mali non voluntas, sed iudicium, & intellectus deprehendit & perpendit; Etenim si voluntas id facit iam non voluntas, sed *iudicium & intellectus* est.

Nota 127.

Secunda ratio quâ vsus sum, hæc fuit. Si intellectum illuminatum voluntas non sequeretur, vera Christi cognitio seiungi posset à charitate: non potest autem ea seiûgi à charitate. Ergo. Respondet Tilenus ita quidem vt agnoscat, certè non neget, veram Christi cognitionem non posse à charitate seiungi. Sed idem ait, *verã Christi cognitionem intelligi posse duobus modis: vel vt sit vera Christi cognitio, quæ salutaris eadem est & practica; vel vt sit vera quæ Theoretica est & historica.* Ita Tilenus mihi dat quod volo: Nulla enim vera Christi cognitio est, quæ non sit eadem practica, cùm vnumquodque tùm demùm verè cognoscatur, cùm cognoscitur quo modo proponitur cognoscendum: At Christus non proponitur nobis cognoscendus *Theoreticè*, sed *practicè.* Itaque cum non cognoscitur *practicè*, ne *verè* quidem cognoscitur. At (inquit Tilenus) *qui cognoscunt Christum Theoreticè non falluntur.* Respondeo falluntur, non quidem *materialiter*, sed *formaliter* tamen. (Quidni enim sic loquar?) quia cognitionẽ Theoreticam eam faciunt, quæ non iam Theoretica, sed practica etiam est. Certè non modò cognitio Theoretica, sed etiam practica mentis est. Itaque si de eo mens Theoreticè iudicauit, de quo practicè iudicandum fuit (verbis quæso venia detur) aio in eo mentem errasse, eoque vehementius, quod grauissimi sint & nocentissimi errores mentis quibus à cognitione practica aberratur. Cùm ergò dixit Tilenus *ambiguè veram cognitionem dici*, non me dissentientem potius quàm consentientem habet: nam vera cognitio quocumque tandem sensu dicatur, seu Theoretica, seu practica, non voluntatis est, sed mentis, cuius est cognoscere. Itaque si fateatur (vt certè fatetur Tilenus) veram cognitionem voluntatem trahere, quocumque tandem modo veram cognitionem dicat, seu veram Theoreticè, seu practicè veram,

Nota 128.

Ibidem.

Ibidem.

quando

quando vtroque modo cognitio mentis est, sequetur voluntatem sequi veram mentis cognitionem practicam. Cumque practica cognitio ea sit quæ voluntatem pellicit & trahit, sit autem eiusmodi vt sit mentis, non autem voluntatis: Quæ autem mentis sunt, fiant irresistibiliter ex hypothesi Tileni: Cognitio practica gignetur irresistibiliter, proindeque & voluntas flectetur pari ratione, cùm non possit iudicio practico reniti; non enim ferretur in bonum sub ratione boni si reniteretur, sed in malum sub ratione mali, ferretur nempe in id quod intellectus malum esse demonstrauit.

Tertia ratio quam attuli hæc fuit. Scriptura malos eosdem etiam *& stultos* vocat, & quidem meritò: nam quæ maior cæcitas cogitari potest, quàm iustitiam & vitam minoris quàm peccatum & mortem æstimare? Et caduca & momentanea vitæ commoda pluris facere, quàm cœlestem illam hæreditatem atque æternam cum Christo societatem? Excipit Tilenus. *Scripturæ dicta non esse ad Philosophorum canones exigenda: mentis cæcitatem quam Philosophi vocant, esse prauitatem voluntatis, quod qui ea laborant idem faciant quod cæci facere solent: Dixisse quendam Athenienses scire quæ recta sunt, non facere, vt Demodocus Milesios negabat quidem esse stultos, aiebat tamen ea agere quæ sunt stultorum: Quod momentanea æternis præferuntur, non inde proficisci, quod ignoretur discrimen, sed quod non seruetur.* Quærit denique *an Christus cùm diceret, seruum gnarum voluntatis heri sui pluribus plagis cæsum iri, voluerit seruum illum nosse quæ non nouerat? vel ignorasse cum mentis cognitione necessariò cohærere obsequium voluntatis?*

Nota 129.

Respondeo ad singula, *Scripturæ dicta non sunt quidem ad Philosophorum canones exigenda*, sed tamen non sunt ita accipienda, ac si pugnarent cum recta ratione, veritas enim cum veritate non pugnat. Porrò cæcitas mentis in Scripturâ distinguitur à prauitate voluntatis, verba enim sunt Apostoli 1. Ioh. 4. vers. 8. *qui non diligit, non nouit Deum, nam Deus est charitas*: Itaque cæcitas mentis, non est prauitas voluntatis. Etiam apud Philosophos ista distinguuntur, verba sunt Aristotelis Moral. Nicomach. lib. 3. cap. 2. ἀγνοεῖ μὲν οὖν ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ὧν ἀφεκτέον· καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. Athenienses dicebantur scire quæ recta sunt. Milesios verò negabat Demodocus esse stultos, quod scirent *Theoreticè*, quæ essent recta, licet ea ignorarent *practicè* (vt loquuntur in scholis.) Sic seruus ille malus nouerat *Theoreticè*, quæ esset heri voluntas, nō nouerat *practicè* eam fuisse faciundam. Quod si res ita se habet vt arbitratur Tilenus, potest fieri vt cum nulla sit in mente cæcitas, voluntas praua sit. Vnde sequitur qui fide præditus est, eundem esse posse destitutum charitate, atque ita fides à charitate poterit seiungi: fides enim est in intellectu, nempe actus fidei *credere* est, id verò mentis opus est: cuius autem facultatis merè est actus secundus, eiusdem item est & actus primus. Quod si quis dicat & voluntatis esse *credere*, eum fateri necesse est, *credere esse velle*: atque ita fidem cum dilectione confundere, quo nihil dici potest absurdius. Sane fides ideò non potest à charitate diuelli, quia cognitionem Christi veram continuò sequitur amor.

Quarta mea ratio hæc fuit: fides, pœnitentia, charitas in Scriptura *agnitio veritatis* appellantur. Frustrà, si potest esse veritatis agnitio, vbi nullus his virtutibus est locus. Excipit Tilenus *synecdochicas locutiones esse tralatitias in Scripturis*. Nihil ad rem; nam & ego hic agnosco esse tropum; nolo enim agnitionem veritatis esse pœnitentiam aut charitatem: volo tamen poni hoc nomen ad pœnitentiam & charitatem designandam, propterea quod veritas agnosci non possit, nisi sequantur hæ virtutes. Cæterum proferat Tilenus vllam eiusmodi synecdochen è sacra Scriptura, quâ nomen vllius rei adhibeatur ad eas res significandas, quæ ab ea seiungi possint, & hâc in parte vicerit, Quarta hæc mea ratio nullius fuerit momenti.

Nota 130.

Vltimo loco determinationem voluntatis ad bonum non ab ipsa voluntate, sed à Deo pendere studui inde demonstrare, quòd contrariam sententiam multa cogitatu ac dictu absurda sequerentur. Cuiusmodi illud est primò. Si Deus ita mentem illuminat vt voluntatem duntaxat constituat in *æquilibrio*, non pendebit à prouidentia in vtram partem sese inclinet voluntas, atque ita bona pars prouidentiæ Deo detrahetur. Excipit Tilenus, *Deum ita administrare res omnes, vt sinat ipsas quoque motus suos exerere, neque tamen inde sequi prouidentiam Dei imminui: Manichæum & Seruetum voluisse Deū lucere in Sole, vrere in igne, nos verò addere, credere & velle in homine: Sicuti ergo non surripiuntur ista diuina prouidentiæ cùm proprietates, effectaque illa ipsis tribuuntur, ita nec voluntas quæ sui actus liberum principium vt esset, primigenia creationis lege Deus sanxit, prouidentiæ ipsius subtrahitur, etenim relinquitur ei. 1. voluntatis conseruatio. 2. impedimentorum amotio. 3. obiectorum oblatio. 4. concursus diuini (qui propter secundæ causæ à prima dependentiam, ei est necessarius) præstatio. 5. circumstantiarum administratio. 6. voluntatis etiam peccantis in hoc potius quàm illud obiectum, & in hunc potius quàm illum finem directio. 7. peccati à voluntate profecti intra certos cancellos cohibitio. 8. eiusdem peccati vel punitio ex iustitia, vel condonatio ex misericordia. Hæc omnia prouidentiam satis actuosam & permissionem minimè otiosam in hoc negotio demōstrant.* Hoc verò est scilicet respōdere; Ego contenderam tolli optimam partem prouidentiæ, nisi pendeat ab ea voluntatis inclinatio ad bonum. Negatne an concedit id sequi Tilenus? nam ego sanè vtrum velit nescio. Si concedit id sequi, hypothesis quam tuetur falsa est & absurda, quando ex ea sequitur prouidentiam tolli. Si negat id sequi, consequentiæ ratio manifesta est, & quidem à me allata, ista nimirum: Quod pendet à diuina prouidentia, eius duntaxat rei interuentu à qua non dependet, id reuera non pendet à diuina prouidentia: At inclinatio voluntatis ad bonum ex hypothesi Tileni, pendet à diuina prouidentia eius duntaxat rei interuentu (intellectûs scilicet) à qua non dependet. Ergo re verâ non pendet à diuina prouidentia. Maior notissimæ est & certissimæ veritatis: Minor haud minus, quod tamen sic ostendo. Inclinatio voluntatis ad bonum, pendet à diuina prouidentia, etiam ex hypothesi Tileni, interuentu intellectûs. Ergo voluntas pendet à diuina prouidentia, interuentu rei duntaxat à qua non dependet: Antecedens certissimum: Deus enim, etiam ex sententia Tileni, tantùm illuminat intellectum, & quidem ita vt inde non pendeat inclinatio voluntatis ad bonum, sed ab ipsa voluntate. Consequentia

Nota 131.

pariter euidens est, voluntas enim non pendet ab intellectu, cum sit ipsa *formaliter libera* ex hypothesi Tileni. Itaque cùm interuentu intellectûs tantùm pendeat à diuina prouidentia, pendebit à diuinâ prouidentiâ interuentu illius vnde non pendet. Ad hæc Tilenus debuit respondere. At ille maluit excurrere. Quorsum nisi vt nos inuidiâ grauaret? nam quid aliud spectarit non video? ait igitur *non continuò minus prouidentiam, si res à Deo sinuntur motus suos exercere*. Assume. At si inclinatio voluntatis pendet à diuinâ prouidentiâ, res non sinuntur motus suos edere. Id verò pernego: nam voluntas est, quæ vult bonum motu proprio, Deo tamen eam ita afficiente vt velit. Ait deinde *Manichæum & Seruetum voluisse Deum lucere in sole, vrere in igne*. Atque his bonis viris nos adiungit scilicet, quasi & nos cum illis sétiremus; hæc enim eius verba sunt, *addat quis τῷ ἐξ ἐναντίας credere ac velle in homine*. Hîc ego possem, sed mihi tempero, non est enim indulgendum dolori; hoc dicam tamen, atrocem nobis facit Tilenus iniuriam; nos enim (neque vero id is ignorat) haud ij sumus, qui vel Deum lucere in sole, vel vrere in igne, vel credere aut denique velle in homine statuamus. At dicimus tamen Deum ita afficere hominis animum, vt non possit non credere. Quid tùm postea, inquam? Nonne Tileni sententia est, irresistibiliter illuminari intellectum? Ergone velit Tilen. Deum non hominem intelligere? Cætera quæ de concursu Dei in malo ad iecit, nil faciunt ad rem nostram: nos enim iam agimus de vocatione hominum ad salutem, deque vi gratiæ Dei. Itaque ea non attingam, nedum locum ἀπαγωγῆ quam Tilenus captasse videtur.

Secundò sic egi: si iis omnibus positis, quibus voluntas mouetur dum mouetur, voluntas pro innata libertate potest non moueri, non poterit Deus scire certò, quorsum inclinatura sit. Consequentiæ hæc ratio est; rei quæ potest se aliter habere, nulla certa cognitio est: qualis enim res est talis etiam est rei cognitio. At positis omnibus quibus mouetur voluntas dum mouetur, potest voluntas non moueri ex hypothesi Tileni: illa autem ponere duntaxat est diuinæ prouidentiæ. Ergo etiamsi Deus nouerit se illa omnia adhibiturum, non poterit tamen rem quæ aliter se habere potest, certò scire, inclinationem putà voluntatis quæ aliorsum scilicet potest propendere, etiam iis obiectis à Deo, quibus statuitur moueri. Respondet Tilenus *hoc esse creatoris scientiam angusto creaturæ modulo metiri*. Quid inquam? Ego enim nescio quid velit, nisi fortè videor illi Dei scientiam metiri modulo creaturæ, eò quòd dixi rem incertam certò sciri ne à Deo quidem posse. Ergo & is Dei scientiam metietur creaturæ modulo, qui negat Deum scire ea fore, quæ non erunt; quéadmodum enim nulla esset Dei scientia, si ea sciret fore quæ non erunt; ita fallax & incerta foret, si ea certò sciret quæ certò futura non sunt. Sequitur igitur, vt quæ Deus nouit certò futura, ea certò futura sint. Si nouit igitur Deus certò, quorsum se inclinatura sit voluntas, priusquam se inclinet, certum est & constitutum voluntatem in hanc partem, non autem in illam sese inclinaturam: illa inquam (vt loquuntur) *futuritio* certa est; non potest autem esse certa futuritio, ni causas sui certas habeat, quas si habeat, necessaria iam est: nam vt, cùm res est, quia iam extra causas suas est, oportet eam esse & quidem necessariò, ita cùm futura res est, quia causas habitura est determinatas, oportet eam necessariò fore. Quod si causas suæ futuritionis non habet determinatas, non est futura certò & determinatè. Itaque nec an futura sit, poterit certò & determinatè sciri. At (inquit Tilenus) *Deus nouit quæ sunt futura positis quibusdam causis secundis, quæ tamen non erant futura*. Possem vnico verbo dicere, Deum hoc scire quia nouit rerum naturam & conditionem, easque ita esse affectas, vt si hoc aut illud objiciatur, continuò permoueantur. Sed vnde quæso id nouit Deus, hoc iam est de quo inter nos controuersia est: nam si fieri vlla ratione potest, vt ab obiectis non moueantur, non erunt ita affectæ vt etiamsi obiectum offeratur, fieri haud possit, vt aliorsum inclinent. Itaque cognitio erit incerta. *Ad locum verò quem citauit Tilenus* (*ex primò Sam. cap. 23. vers. 12.* Cuius hæc verba sunt, *dixit præterea Dauid, an tradent me viri Ceila & viros meos in manum Saulis? Respondit Iehoua, tradent*) aliter respondeo. Ac priùs ita vt quæram à Tileno, an incolæ Ceilæ, si Dauidem tradidissent Sauli, quidpiam fecissent, quod Deus non potuisset prohibere? Si ergo id Deus prohibuisset non fuisset factum. Cæterum quæ Deus prohibet, ea sunt eiusmodi vt nisi prohibeat, si res mala est, certò futura sit: Dei ergo *non prohibitionem* (vt ita loquar) sequetur malum necessariò. At bonum vt fiat, non est opus simpliciter Dei *non prohibitione*, sed *efficientia* Secundò respondeo, Scripturam non esse vexandam. Quæsiuerat enim Dauid, quo animo incolæ Ceilæ essent erga ipsum, *tradituri ne sunt me* inquit? Hoc est, an animum habent mei tradendi: neque enim piæ mentis est tentare Deum, & se latronibus vel etiam proditoribus committere; respondit Dominus (ad Dauidis mentem) eum esse Ceilitarum animum, vt velint eum tradere, eoque monet Dauidem vt saluti suæ consulat, mediisque vtatur ordinariis. Hîc verò Tilenus ingens arcanum de scientia media, cuius authores nouitij sanè Iesuitæ nostro seculo fuerunt, prodidit: de quo si volet seorsum agemus, nam hîc quidem non licet excurrere. Quoniam verò dixeram scire Deum certò, sitne voluntas propensura in bonum, quia bonum in nobis facit, nempe nouit quid facturus sit; itidemque sit ne in malum propensura, non iam quia malum facit, sed quia solus potest prohibere quominùs fiat: nouit autem quid sit prohibiturus, quid minus. Nouit igitur sit ne malum futurum, quod si prohiberet non foret, quatenus nempe se non prohibiturum, immo potius se id permissurum nouit. Excipit Tilenus, *Deum si nihil certò cognoscit nisi quod efficaciter decreuerit, aut non cognoscere peccata aut peccata facere. Deinde, Cameronem negare, Deum certò nosse quò voluntas propensura sit, nisi ipse eam flectat: Aut igitur*, inquit, *etiam ad peccatum eam flectet*; *aut peccatum futurum prauidere non poterit, si ipsa se flectat voluntas: Sed nec permittere aut prohibere aliquod peccatum poterit, quod ne nosse quidem potest, nisi id efficaciter decreuerit*. Atque hîc triumphat Tilenus & mihi insultat, *has Cyaneas enare* (inquit) *non est nostrum, viderit Camero*.

At quid hæc ad sententiam meam? Ego monui diuersam esse in bono & in malo, præscientiæ diuinæ rationem, quod bonum ideò prævideat Deus,

Nota 132. Ibid. Ibidem. Nota 133.

Deus,quia decreuerit id facere; malū verò quia decreuit id non impedire, seu permittere: Tilenus verò perinde mecum agit ac si ego vellem, Deum nihil præscire, nisi id quod facit,cùm ego disertis verbis diuersum notarim;verba mea sūt. *Sanè nouit Deus certissimè sitne voluntas in bonum propensura in malum, quia nouit quid in ea sit facturus, & nouit item sitne propensura in malū, quia nouit sit ne eam prohibiturus.* Itaque mihi facit iniuriam, dum mihi eam tribuit sentētiā, à quâ vel maximè sum alienus. At Deus, inquit, nihil potest certò cognoscere, nisi efficaciter id decreuit,nil autē decreuit efficaciter, nisi quod facturus est. Ergo nisi decreuerit efficaciter malū, non præsciuerit; & si decreuerit, & facturus idem est. Primò, Nego Deum efficaciter decernere malum,*efficaciter*, inquam,quomodo à Tileno accipitur ea vox,nempe vt Deus ea demum decreuisse efficaciter statuatur, quæ constitutum habet facere. Quod si efficax decretum Tileno decretū est, quod euentus certissimè sequitur, concedo quidem decretū Dei etiam circa malum efficax esse, nego tamen inde effici Deum esse authorem mali: Deus decreuerat indurare cor Pharaonis, decreuerat tradere quam plurimos in reprobum sensum; id decretum certissimo euentu sequitur perseuerantia in peccato. Nego tamen Deum inde statui authorem peccati.

Quod verò ait Tilenus me negare Deum nosse quorsum voluntas sit propensura, ni ipse eam flectat, meminerit me eo loco de voluntatis inclinatione ab bonum, disputare. Et certè si voluntas nostra non potest in malum non propendere,nisi Deus manu sua eam regat,& vi Spiritus sui contineat, non autem decreuerit eam continere,præuidebit eo ipso quorsum propensura sit. Fac tamen me dixisse (quod tamen haud dixi) Deum hominum corda flectere ad malum, aio Scripturam sic loqui,*propterea igitur*(inquit Apostolus 2.ad Thess.2.2.) *mittet illis Deus efficaciā deceptionis, vt credant mendacio*: Et Apocal.17.vers.17. *Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitū est ei, & vt consentiant, dentque regnum suum bestiæ donec compleantur verba Dei.* Quæ omnia fateor, sic accipienda sunt,vt aliter ad bonum,aliter ad malum Deus voluntatem humanam inclinare statuatur, nempe ad bonum *effectiuè* vt ita loquar; ad malum (quatenus inquam malum est) *negatiuè*: ad bonum ita vt sit author boni; ad malum ita, vt culpa penes peccantem sit. Ita etiamsi sic essem locutus, vt Tilenus me loquentem facit, Haud duriùs tamen, quàm Spiritus S.fuissem loquutus.

Quod verò Tilenus negat Deum permittere peccatum,quod ne nosse quidem potest,nisi efficaciter decreuerit:aio si expungatur,aut verò explicetur ambiguitas illius voculę *efficaciter*,nil dici posse verius: Deus certè neque nouit; neque permittit peccatū, nisi decreuerit id permittere: Si enim priùs peccatum euenturum est, tùm sequatur Dei permissio, aio permissionem fore otiosam: Nam quò permissio? An vt euentus sequatur? At res erat euentura etiamsi nulla permissio interuenisset. Stat igitur sententia mea, Deus nouit peccatum fore, quia decreuit permittere peccatum; non ideò permittere decreuit, quia nouerat futurum: superuacanea enim & nullius consilij permissio foret, vt ne dicam ridicula. Fortè id Tilenum decepit, quod *possibilitatem* cum *futuritione* (quam vocant Scholastici) confudit; Sanè *possibilitas rei* decretum præcedit & *scientia* item *possibilitatis*: At *futuritio*(sic enim nobis loqui liceat) & *futuritionis præscientia*, decretum sequitur: Sic priùs Deus nouit malum esse possibile, quàm decernat permittere, non priùs nouit futurum quàm decreuerit. Cæterùm nil est quod moneamus *prius* & *posterius* hîc à nobis vsurpari pro *signis* & *naturæ instantibus* (quæ vocant Scholastici) & quidem iuxtà modum cogitandi nostrum: non autem ad designandum temporis vllum ordinem (vt loquuntur) *realem*. Videt iam puto Tilenus,vt inoffenso cursu has symplegadas Dei beneficio sim præteruectus.

TERTIÒ dixi hoc pacto quamdam adscribi voluntati diuinitatem, id quod sic demonstraui. Sententiam Tileni sequitur, vt Deus causa communis boni statuatur: causa autem communis, causa tantùm ex parte est: porrò quæ ex parte causa est, aliquid tantùm confert vt res fiat, quod superest,est aliunde.Itaque fiet aliquid etiam boni, cuius Deus author non sit, sed voluntas: Esse autem boni authorem ita,vt id non aliunde proficiscatur, Deitatis est. Itaque inde conclusi voluntati quandam adscribi Deitatem. Audiamus hîc Tilenum, ait *Deum non esse particularem & proximam causam actionum humanarum. Hinc enim sequi, Deum non hominem resipiscere & credere siquidem denominatio non fit nisi à causa proximâ & particulari: is qui voluntatem flectit ac determinat, propriè dicitur velle flexus ac determinatio voluntatis nihil est nisi ipsissima volitio.* Omnia præter rem: Nam communis causa non opponitur mihi hîc, particulari & proximæ: agnosco enim Deum non esse particularem & proximam causam. Quin communis causa (vt interpretatus sum) ea mihi est, quæ non magis in hoc,quàm in illo operatur, ita negaui Deum esse communem causam. Dixi verò si Deus eiusmodi causa sit; inde sequi, vt sit quoddam bonum quod non fecerit Deus: causæ enim, quæ tàm agit in hoc quàm in illo, si dispar effectum sequatur, non est ea vis, vt ei totum effectum debeatur. Cur enim in hoc sequutum sit potius quàm in illo, alia præter communem causam, quæ discrimen non facit, ratio reddēda est: alia igitur causa fuit, quæ symbolam veluti suam, contulit, diuersam ab ea, quæ à communi causa collata est; aliquid igitur contulit (boni inquam) quod à communi non fuit: quod cùm ex hypothesi Tilenus à voluntate fit: bonum autem non aliunde quam à Deitate proficiscatur, si stat sententia Tileni, Deitas quædam voluntati ascribitur. Cæterùm quod ait Tilenus, *sequi vt Deus voluerit, si voluntatem ita flexit vt ipsa vellet*, mihi prorsus ludere videtur: Etenim (vt sæpiùs iam obseruauimus) Deus illuminat intellectum irresistibiliter, fatente Tileno. Numquid volet is propterea Deum, non hominem intelligere? At *flexus voluntatis nihil aliud est quàm ipsa volitio* Quasi diceret nimirum, illuminatio intellectus, nihil aliud est quàm intellectio. Certè vt illuminationem intellectus, intellectio sequitur; sic voluntatis flexionem, volitio, ordine, inquam, naturæ: flexus porrò iste fit per intellectus illuminationem. Itaque flexus voluntatis quatenus Deo tribuitur, differt à volitione, quemadmodum intellectio ab illuminatione. Quid? negauerit Tilenus

Nota 134.

Ibidem.

Ibid.

Deum flectere voluntatem? Certè non negat omninò. Ergo velit, Deum velle? planè cauillaretur si sic ageret: nam flexus voluntatis, cùm Deo tribuitur *efficientiam* significat, quâ fit vt voluntas velit; cùm verò voluntati tribuitur, *rationem* (vt ita loquar) *formalem* volendi designat. Itaque leuissimum est sophisma ab homonymia voculæ *flexus* deductum, quæ nunc *actiuè*, nunc *passiuè* seu *susceptiuè* (vt ita loquar) vsurpari possit: *Actiuè* Deo, *passiuè* seu *susceptiuè* voluntati tribuitur.

QVARTÒ, dixi sententiam Tileni, qui vult Deum ita mouere voluntatem, vt non magis huius quàm illius voluntatem moueat, relinquere locum merito: Sic enim Deus tantùm causa boni, *partialis* seu *ex parte* statuitur. Nam cùm Deus æquè hunc afficiat ac illum; hic autem benè velit, ille autem malè, profectò (vt suprà demonstratum est) hic præter communem illam Dei operationem de suo aliquid contulit, quo nomine *mereri* dici possit, cùm sic efficiatur vt voluntas aliquid sibi possit vindicare, quod à Deo non fuerit profectum, *communi causa* scilicet. Quid hîc Tilenus? ait primò *inde sequi voluntatis euersionem*. Vnde quæso? ex suâne an meâ sententiâ? si ex suâ, absurda est. Si ex mea id vult sequi, meminerit id hoc loco non iam agi quid meam, sed quid ipsius sententiam sequatur: hoc loco ego non respondentis, sed interrogantis tueor partes; eius sententiam impugno meis rationibus, non iam id ago, vt meam tuear aduersus eius argumenta. Quamuis ille hactenus non potuit nec vnquam poterit efficere, meam sententiam, euertere voluntatem. Sed iam respondendum est ad rationem meam. Quid, inquam, hîc respondet? *Scit* (inquit) *homo omnia se habere à Deo.* Certè, inquam, illi hoc nesciunt, qui cùm putent se præ reliquis egregium aliquid præstitisse, non putant iidem tamen, ideò id factum, quod *à Deo plus* quàm reliqui acceperint. Cumque in ea sententia sit Tilenus haud dubiè aut discedit à sua sententia, aut eò adigitur vt se neget omnia debere Deo. At *à natura*, inquit, *est velle.* Omninò Igitur à Deo authore naturæ: haud dubiè. *A gratiâ est bene velle*, Egregia cõfessio. Sed est ne à gratia, vt *à causa partiali*: An verò vt *à causa totali adæquata*, vt loquuntur? Hîc hæret Tilenus: Quòd si apertè & rotundè hoc fatetur, coëant dextræ, sit finis (vt anteà iam sæpe diximus) disputandi. Porrò quod dixi fore vt Deus habeatur pro causa partiali boni nostri, Tilenus sic accipit, ac si ego dixissem, *Deum sic statui particularem causam.* Itaque negat quod ego non affirmarã. Tantùm hoc volui, si stat hypothesis Tileni, fore vt Deus *partim* dumtaxat producat effectum, dum bonum facit; inde sequitur duo esse boni principia *collateralia* (vt ita loquar) Deum & voluntatem: Et Dei quidem partes esse, *illuminare tantùm pariter hũc & illum*, cæterùm in eo Dei opus subsistere; voluntatem autem sese inclinare non iam *motam à Deo*, sed *à se ipsa*; qui voluntatis actus etsi ab illuminatione pendeat, tamen non *omninò* pendet, cum ab illa illuminatione non *omninò*, sed *præcipuè à semetipsa* pro[illegible]catur. Si enim ex illa illuminatione *omninò* pro[illegible]ceretur, vbicunque *idem* illuminationis modus [illegible]et, *idem* effectũ sequeretur: Cùm autem [illegible] Tileno, non sequatur *idem* effectus. Quid superest quàm vt præter illuminationem *aliud* superuenerit, quod non fuerit *à Deo*, quippe qui *communiter* agit in his & illis, *pariterque* ex sententia Tileni, neque verò *aliter* quàm per illuminationem.

Nota 135. | Nota 136. | Ibid. | Ibidem. | Nota 137.

QVINTÒ, dixeram sic perire rationem sanctificationis nostræ. Si enim (quæ sententia est Tileni) ea tota sita sit (quatenus quidem à Deo est) in illuminatione, quæ voluntatem reddit dumtaxat affectam ἀδιαφόρως ad bonum vel ad malum. Dixi primò eiusmodi animi statum ne *cogitari* quidem posse. Quid hîc Tilenus? Primò respondet *mentem non posse illuminari ni voluntas afficiatur & cõmoueatur*: ait tamẽ *quæri an ista affectio vel motio, nihil aliud sit, quã necessaria eius determinatio.* Hoc est, ait quæri quod concedit: immò verò (ausim dicere) quod non potuit negare: nam qui concedit, *fieri non posse vt nouo lumine infuso non afficiatur & cõmoueatur voluntas.* Quid aliud concedit quàm voluntatem nouo illo lumine *determinari*? Nam *impossibile non esse* & *necesse esse* eodem redeunt, quod in Logicâ pueri didicimus, & naturæ instinctu nouimus quotquot vsum habemus rationis. Porrò voluntatis *affectio* & *commotio*, determinatio voluntatis est: non enim *afficitur* aut *commouetur* voluntas, ni eius aliquis *actus* sequatur: omnis autem *actus* voluntatis, eam *determinat*: Fac enim eam non *determinari*, neque *velit* neque *nolit*; nam si *velit* determinata est, si *nolit* item. Quoniam verò oblato Christo, nullus status voluntatis fingi potest *medius*: (vel enim quibus offertur eum rejiciunt, vel amplectũtur.) Et verò si medius status dari posset, peccatum in eo esset: Dixi idcircò sanctificationem quatenus à Deo proficiscitur, non constituere voluntatem in hoc statu, qui nempe *impossibilis* est; & si *possibilis* foret, in eo *peccatum* foret, cùm peccatum sit, *ἀδιαφόρως affici erga Christum.* Posterius hoc quidem Tilenus non attingit, ideoque mea sententia stat; At contra, hactenus quidem, ruit Tileni sententia, qui homines vult Christi gratiâ dumtaxat *in biuio* cõstitui. At *prius* illud studet refellere, ait enim dari *mediũ statum*, nempe, inquit, *est voluntatis quidã æstus modò huc modò illuc propendẽtis, donec se determinet ad alteram contradictionis partem.* Hîc autem illud primùm quæro. Vnde sit hic *volũtatis æstus*, an à *se ipsâ*; ità voluntas ipsa sibi *repugnabit*, quod suprà Tilenus negauit (nos sanè non negauimus.) Hîc verò Tilenus *cogitur* fateri: immo *affirmauimus* id potius, atque eius *æstus* fontem & causam diximus esse *intellectûs æstum*, quem Tilenus suprà negauit *vllum esse vbi intellectus, quantùm satis est, illuminatus est.* Ergò inquam, vbi hic voluntatis *æstus* locum habet, quandoquidem non est ab ipsâ voluntate, sed ab intellectu, intellectus non fuit quantùm satis est illuminatus. Deinde, aio *voluntatẽ modò huc, modò illuc propendentem*, nihil aliud esse, quàm *voluntatem modò ad hanc, modò ad illam contradictionis partem determinatam*, sed *inconstanter*, dùm mens in obiecto, nunc hoc *probat* & *eligit*, nunc *improbat* & *rejicit*, qui mentis *æstus* non nisi clariori lumine affuso componi potest. Sic assecuti sumus quod voluimus, voluntatem numquam se habere *affuso* lumine *indifferenter*, sed *æstuare* cùm mediocre lumen est; *componi* & *sedari* & ad bonum *vehementer inclinari*, quando *magna* lucis copia affũditur. Et quandoquidem opus sanctificationis nostræ, neque sic peragitur, vt eo *ex parte Dei* peractò opere, animus maneat *indifferenter* affectus: neque item ità affe-

Nota 138. | Nota 139. | Not. 140.

ità affectus, vt nunc huc, nunc illuc propendeat, ſed totum ſe Chriſto tradat: aio ſtare non poſſe ſententiam Tileni, quâ alterum horum tantùm ſtatuitur peracto Dei opere in noſtri ſanctificatione, nempe vt vel voluntas planè *ſuſpenſa* ſit & *indifferenter* affecta, vel interdùm *huc* interdùm *illuc* propendeat: nam in hoc *peccatum* eſt: in illo, *etiam impoßibilitas* quædam, vt iam explicatum eſt.

SEXTÒ contenderam ſic tolli omnem conſolationem, ſi quod ſtatuit Tilenus, gratia Dei in eo dumtaxat ſita eſſet vt *poßimus*, modò *velimus*, non etiam tanta ſit *vt efficiat vt velimus*; neque enim ſic prohibebit vt ne aberremus; Atque hoc pacto dixi, eleuari atque infringi vim potentis illius dextræ, quâ erigimur iacentes, & proni in lapſum ſuſtentamur. Quid ad hæc Tilenus? Primò ait Dei gratiam prohibere, *ſed prohibere vt decet, non phyſicè aut irreſiſtibiliter, ſed modo Ethico qui congruit potentiæ & appetiui rationali. Tùm negat defore conſolationem iis, qui in timore & tremore ſalutem ſuam perficiunt.* Deinde contendit, *non abſore ſecuritatem carnalem ab iis, qui omnia per diuinam omnipotentiam perficienda eſſe perſuaſi, ſe nihil aliud, quàm quod volunt aguntque, velle aut agere poſſe, autumant.* Denique quia dixeram, nos quidem de *potentiæ* eſſe ſecuros; *inconſtantiam voluntatis humanæ* eam eſſe, quæ nos anxios & ſollicitos reddit, neminem ſcilicet lædi niſi à ſemetipſo, nec ab vllo hoſte magis nobis metuendum eſſe quàm à nobiſmetipſis: Monet Tilenus, *Scripturam ipſam, ſollicitudinem nobis paſſim commendare, tamque nobis diffidendum, quàm Deo fidendum.* Perſequar ſingula, quanquam nil neceſſe, ſed perſequar tamen, ne Tilenus ſe contemni arbitretur. Ac primùm, quoniam conceſſit Tilenus, quod prohibet Deus in nobis, *id prohibere vt decet*, illud quæro. An quod Deus in nobis *facit*, *prohibeat* quominus aberremus? *actu* inquam *prohibeat*? Si hoc mihi concedit, diſcedit à ſententia, rediit vnde receſſit, Dei gratia *ſemper* efficax eſt, nunquam caret euentu (vt ille ſtatuit,) non mouebitur ei lis de modo. Si non *prohibet actu*, ſed tantùm nos conſtituat *in biuio*, neque voluntatem rem inconſtantiſſimam ſiſtat, aio periiſſe piorum conſolationem, qui à nemine ſibi magis metuunt, quàm à ſemetipſis, ſemper enim dubitabunt ſitne futurum *vt ipſi velint*, quod *vult Deus*. Deinde aio, Tilenum malè confundere *phyſicum* motum cum *irreſiſtibili*, cùm non neget voluntatis humanæ ad peccatum *determinationem*, eſſe *irreſiſtibilem*, niſi adſit Dei gratia; idem tamen neget eandẽ *phyſicam* eſſe; Cùmque pariter non neget voluntatis in Chriſto ad veram ſanctitatem, Angelorum item & beatorum in cœlo determinationem eſſe *irreſiſtibilem*, neget tamẽ *phyſicám* eſſe: non ergo quodcumque *irreſiſtibile* eſt, idem continuò *phyſicum* eſt. Etiam hîc contendo, Tilenum dicere pugnantia; negat enim Deum agere *irreſiſtibiliter*, idem tamen ait, Deum agere *motu Ethico*, & qui congruit potentiæ & appetitui rationali: Nam ille quidem motus *irreſiſtibilis* certè eſt, hæc enim inter ſe connexa ſunt, vt appetitus rationalis ſequatur rationem, alioqui non erit rationalis. ἔστι γὰρ ἡ βούλησις, μετὰ λόγου ὄρεξις ἀγαθοῦ: οὐδεὶς γὰρ βούλεται, ἀλλ' ἢ ὅ, τ' ἂν οἰηθῇ εἶναι ἀγαθόν. Sic igitur argumentor, appetitus qui diſcedit à ratione, non eſt appetitus rationalis: voluntas: (etiam fatente Tileno) eſt appetitus rationalis. Ergo non diſcedit à ratione. Iam *ratio* hîc *mens* eſt: mouetur igitur *ſemper* à mente, proindeque *irreſiſtibiliter*. Fac enim aliquando *voluntatem* aliquid appetere *mente* non præeunte, non erit in eo *appetitus rationalis*. Verùm quidem id eſt, *mente errante* voluntatem eſſe *prauam*, attamen etiam tùm à mente *irreſiſtibiliter* quamuis *prauè* mouetur. Quod verò Tilenus negat defore conſolationem iis qui in timore & tremore perficiunt ſalutem ſuam, id ſcilicet eſt *negare concluſionem*, cùm nil reſpondeas ad argumentum. Quæro enim quâ *conſolatione* frui poſſint illi, qui ſecuri tantùm ſunt de perſeuerantia ſua, *modò perſeuerent*: dubitat aliquis, an ſit perſeueraturus, dubitandi ratio eſt carnis imbecillitas, ac procliuitas & propenſio ad peccandũ, quo argumento eum ſolere? Hoccine ſcilicet? *perſeuerabis ſi perſeueraueris, non peccabis* niſi *velis*, hoc eſt, nõ *peccabis* niſi *peccaueris*: *velle* enim *peccare* id ipsũ *peccare* eſt: nam *ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum, facti crimen habet.* Cæterùm miror Tilenum τὸ *perficere ſalutem in timore ac tremore*, ita accipere, ac ſi eo loco Apoſtolus aliud vellet, quàm *veram humilitatem* commendare. Denique nos traducit, ac ſi ij eſſemus qui negemus nos aliud *poſſe* aut *velle agere* quàm quod *volumus* aut *agimus*, ac ſi eò tenderet dogma noſtrum, vt homines reddat ſecuros vſqueadeò vt ne precibus quidem vacent: Nos verò Dei beneficio ij quidẽ ſumus, qui negemus nos aliud quidpiam noſtrâ naturâ *poſſe*, aut *velle*, quàm quod *poteſt* aut *vult caro*: illa verò neque *legi Dei paret, neque verò parére* poteſt, inquit Apoſtolus: Contra ſi quid poſſimus, *totum* ſpiritui *acceptum* ferimus, & *quantum* poſſumus, *totum* ei debemus. Hanc impotentiam tamen atque imbecillitatem carnis *execrabilem* non *excuſabilem* ducimus, quia non ſit *Phyſica*, ſed *Ethica*. Hic verò liceat mihi Tileni cõſcientiam interpellare, hanc ne putet vocem hominis profani an pij potius. *Ego Domine niſi tu me ſuſtentes non poſſum non cadere*; tu verò *ſi me ſuſtentaueris non potero non ſtare.* Itaque *ſuſtenta me Domine, ſi tu interceſſeris, non inducar in tẽtationem, ſi mihi me permittas, non potero non induci*, ne me ergo *derelinquas, nè ego te derelinquã.* At *ſedebunt*, inquit, *compreßis manibus complicatiſque velis otioſi, operientes vim irreſiſtibilem ſpiritûs, ſuo tempore adfuturi & voluntatem determinaturi: nè precibus quidem vocabunt.* Qui pote ſi *ſpiritum Chriſti* habent? qui ſpiritus *precum* eſt, qui nos reddit non quidem *anxios*, ſed *ſollicitos* tamen: pugnant iſta profectò, pugnant inter ſe. Quod ſi Tilenus putet *homini* deberi, quòd non ſe tradat *totum* ſecuritati carnali, nobis liceat id debere *Deo*, vt ſi quis noſtrûm præ reliqua turba diligentiùs inuigilet ſaluti ſuæ, eo nomine Deo gratias agat, tanquã *ſingulare beneficium* conſequutus. Iam quod ait *Scripturam commendare ſollicitudinem*, eſt id quidem veriſſimum: At eam *ſollicitudinem* tamen haud commendat, quę facit vt *nobis* nitamur, ſed quę facit vt *ad Deum* cõfugiamus, atq; ab eo petamus non iam vt nos conſtituat *in biuio*, vt leuiter afficiat animos noſtros, atque ità dumtaxat vt liberum ſit nobis aliò declinare, ſed vt nos aſſerat ſibi *totos*, noſque tueatur ita & conſeruet, vt ne in noſtri arbitrij *inconſtantia pendula*, ſed in illius *ſapientia bonitate & potentia*, *ſtabilis* ſit, & *tuta* ſalus noſtra. Quod ſi Deus hactenus tantum nobis adſit, *quatenus nos velimus*, non etiam is ſit, qui *facit* vt velimus *efficaciter*, res pendebit

Nota 140.

Nota 141.

Ariſt. lib. 1. rhet. cap. 10

Nota 140.

Nota 141.

à voluntate nostra, quæ cùm non modò vaga & incerta sit, sed in malum prona, aio, vt concludam quæstionem, nullam fore solidam consolationem: quod cùm sit absurdum, absurdum esse necesse est Tileni dogma, quod id sequitur necessariò. Nam quod ait, *neminem nisi stultissimum: periculum in quod incidere non potest metuere*: atque ita, *defectionis metu excusso, simul omnes anxij & religiosi timoris fibras euelli*. In eo fallitur, primùm, quod omnem metum *vnum eumdémque* esse putat: est enim *quidam metus*, qui cum fiducia *non pugnat*, quamuis non possit idem *omni* metu locum habere. Nam Christus sibi cauit sæpè, & orauit, & exauditus est ex metu, verba Apostoli sunt Heb. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ, quum deprecationes & supplicationes apud eum qui poterat ipsum seruare à morte, cum clamore valido & lachrimis obtulisset, & exauditus est ex metu*. At Christus certè nec *cauendo*, nec *orando*, nec *metuendo* stultus fuit. Apage blasphemiam, quamuis impossibile esset, vt à morte vinceretur, neque verò id Christus ignoraret: Neque enim Deus quemquam *simpliciter* seruat, hoc est nullis modis adhibitis, sed quos seruat certo quodam modo seruat, quem & sequuntur qui seruantur, eius tamen vnicâ & solâ gratiâ fit vt sequantur. Sic Pauli vtraque vox fuit, *Porrò spes non pudefacit, quòd charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis* (Rom. 5. 5.) Et illa; *Contundo corpus meum & in seruitutem redigo, ne quo modo, cùm alijs prædicarim ipse reprobus fiam* (1. Cor. 9. 27.) Quis hæc conciliet? profectò non est res difficilis, spiritus modò contentionis absit: Nam est metus quidam qui cautio & diligentia quædam est, aut potiùs diligentiam acuit, estque veluti illius stimulus; hic metus nihil aliud est quàm horror mali, quod (nisi adsit Deus) euitari haud potest. Atque hic metus certè cum fiducia stare potest, vt si quis metuat mortem medico præsente à quo certissimam expectat opem (faciamus iam medicū esse à quo res tanta certò sit expectari) is profectò non metuit ità vt diffidat, immò sic metuit vt confidat interim, nempe mortem metuit, quam, nisi medici opera intercesserit, præsentem videt; Rursus cùm in Medico oculos animi defigit, non metuit; sanè metus iste fiduciam genuit; fecit enim vt tantò vehementiùs expeteretur. Atqui hîc sanè haudquaquam dispar ratio est, omnia metuunt pij, etiam timent tuta, sed ità tamen vt confidant Christo, eòque magis hoc illis accidit quod hac ratione vtatur Deus ad nos in officio continendos, vel ad officium excitandos. Vno verbo, metus qui est ex *hypothesi*, non aufert fiduciam aut consolationem, iam verò piorum metus eiusmodi, (quatenus, inquam, pij sunt.) Sed & est aliud metus genus, quod cum vera fiduciâ & consolatione stare nequaquam potest, nempe cùm quis ita metuit, vt certus esse nequeat, an sit periculum euasurus: quem metum gignit Tileni dogma Nam qui putat nil fore nisi ipse velit; dubitat autem de constantia sua, eum necesse est dubitare de euentu, qui suspensus est scilicet à re incertissima: quod si quis non dubitat de sua constantia, eum oportet esse hominem superbissimum, ac planè nescium leuitatis ingenij humani. Deinde & in eo fallitur Tilenus, quod *anxium metum* eundem putat esse *religiosum*: metus certè religiosus cum sūma fiducia & consolatione coniunctus est, qui eo corripiuntur, vt ut *turbentur*, non *conturbantur* tamen, immò constabiliuntur: verba Dauidis sunt Psal. 42. 6. *Cur deijcis te anima mea, & perstrepis in me, expecta Deum, quia adhuc confitebor ei propter salutes faciei eius.*

Ibidem.

Septimò sic egi. Si voluntas ipsa sese determinat, nullus erit reliquus exhortationum vsus, quippe quarum vis non sit ea, vt possint voluntatem ab *æquilibrio* demouere: Deinde quia subuerebar ne quis ità occurreret, vt diceret requiri propositionem objecti, subjeci sic me saltem obtinuisse nil vt opus sit rationibus; nempe non mouetur iis voluntas ex hypothesi, Domina scilicet volitionis suæ. Audiamus iam hîc quid respondeat Tilenus? ait *propositis promissionibus ac comminationibus diuinis aliisque id genus argumentis, fieri vt voluntas, rationalis & libera cùm sit, in bonam, quam in sequiorem partem se determinare malit*. Hoc est, ait voluntatem sic determinari; nam illud *malle* quid est aliud quàm *determinatio*? ità concedit mihi quod volo, voluntatis libertatem non pugnare cum determinatione, quæ ab intellectu (*perpensis promissionibus & minis seriò*) proficiscitur. Quæ verò adiecit *de voluntatis Dominio*, eo spectant vt se purget, ac si ego ei obiecissem voluntatem ex eius sententia, eximi, atque à justitia Dei vindice, immunem reddi. Ego verò id eo loco non egi, tantùm adduxi id quod illi dictitant, voluntatem esse volitionis suæ ità dominam vt ne intellectum sequatur. Sed tamen quando Tilenus, dominij Dei mentionem fecit, aio malè *Dei dominium* ab eo ad *iustitiam remunerantem & vindicantem* restringi; oportet enim omnem creaturam non modò ità subditam esse Deo, vt *ne ferat impunè* si quid secius faciat, aut *frustrà* faciat quod facit rectè, sed præterea etiam ita, vt nec *inuito* Deo vel *conniuente* ac spectante *otiosè*, faciat malè (quanquam mali author non sit) nec rectè quidpiam faciat nisi Deo faciente & velle & perficere quod dogma Tileni dogmate, si locum habet, euertitur. Itaque multo aliter *mali Deo, mancipia heris subditi sunt*; nam mancipia vel *insciis* vel *consciis* heris, sed *indignantibus*, herorum *iniussu* multa faciunt, quæ ratio, id quod Tilenus *simile* arbitratur admodum esse *dissimile*, ostendit. Vnde & Deus in Scriptura hamo veluti iniecto, vel freno malos continere dicitur, interdum etiam eorum emollire corda & flectere, ita tamen vt culpæ haud sit affinis, rectè autem factorum, siquid rectè factum videatur, author sit. Quod verò Tilenus *negat voluntatem esse inexcusabilem si à principio externo determinatur*. Primùm hoc quæro, putetne diabolorum voluntatem excusabilem esse? Minimè verò, inquiet, haud dubiè: neque enim ab externo principio determinatur: Eadem scilicet responsio nostra est, voluntas cùm in malum inclinat & propendet non ab *externo*, sed à principio *interno* determinatur. Deinde quæro, an non peccetur interdum ipso intellectu, vt siquis neget Iesum Christum, esse verum Messiam? At intellectus determinatur *irresistibiliter* ex hypothesi; *animalis autem homo* (inquit Apostol. 1. ad Corinth. 2. 14.) *Non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei; sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur*: graue peccatum! Quæro, sitne id à principio externo? Negabit sine controuersia. Nego igitur & ego pari

Nota 142.

Nota 143.

Ibidem.

Ibid.

ego pari ratione determinationis *irresistibilitatem* externum principium inducere. Iam verò quod me sic vrget, *nam verò hanc appellationem etiam in malis actionibus ei inuidebit Camero?* Respondeo me non negare, quin voluntas ipsa se determinet, modò eo nihil aliud significetur, quàm ipsam voluntatem *velle*, idque dico euenire quoties voluntas *vult*, seu benè seu malè velit. Sed vtrobique volo, voluntatem sequi mentis ductum, qui si peruersus est, peruersa est; si rectus recta. Locus est apud Aristotelẽ, insignis, δῆλον ὦν τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. Cæterùm hoc discrimine quòd si ductus mentis est rectus id debeatur Deo, si peruersus nobis ascribatur. Vt verò in malis voluntas diuinæ prouidentiæ subdita sit, quia *monet Tilenus à se ostensum notâ* 133. Ego vicissim moneo, id à me itidem eo loco demonstratum, vindicatumque à Tileni reprehensione.

Ibid.

[A]rist. lib. 6. [M]or. cap. 13.

Ibid.

OCTAVÒ sic disputaui. Nulla erit gratiæ necessitas, si voluntas pro innata libertate semetipsam determinat, nullo iudicij ductu præeunte. Fac enim mentem in errore versari, quem *vnum & solum* ex sententia Tileni gratia tollit, voluntas poterit aliorsum tendere, non enim sequitur *necessario* mentis ductum, ita poterit esse aliquis mente Turca, voluntate Christianus. Adieci ex hypothesi, illuminationem non posse voluntatem immutare, ita enim fore vt voluntatem mens determinaret, quod ex hypothesi absurdum est scilicet. Deinde, quia prospiciebam animo fore vt quis exciperet opus esse illuminatione vt voluntas habeat obiectum. Respondi indè effici vt voluntas feratur necessariò in id obiectum; nam si illuminato intellectu non fertur in obiectum quod ab intellectu oblatum est, feretur in ignotum; feretur enim in id quod intellectus non cõmonstrabit. Quid igitur hîc Tilenus? vt se expedit? Primò respondet, *voluntatem non nisi gratiæ auxilio præuentam, excitatam, renouatam, comitatam ad bonum se posse determinare.* Hoc verò est respondere ad conclusionem syllogysmi, argumentum relinquere intactum, quæ respondendi ratio, bella non videtur, immò verò potius id, est reapse concedere quod conclusum est: Nam si voluntas non potest se determinare nisi *præuenta, excitata, renouata, comitata*, reuera non potest se ipsa determinare, quin à *præueniente, excitante, renouante, comitãte* determinatur: ista igitur imaginaria libertas voluntatis non est essentialis voluntati, eâque sublatâ non perit voluntas. Hoc primùm. Deinde si voluntas non potest se determinare nisi *præventa, excitata, renouata, comitata.* Ergo inquam *præuenta, excitata, renouata, comitata*, non poterit se non determinare. Quid ita? quia si voluntas non se determinauerit, profectò non fuerit *præuenta, excitata, renouata, comitata*, nisi fortè impiorum hominum voluntas *præuenta, excitata, renouata, comitata* sit. Denique quomodo dicatur voluntas *præuenta, excitata, renouata, comitata*, si hæret *in biuio*? si claudicat inter Deum & Baal? Quid deinde excipit Tilenus? Repetit quod iam toties dixit, *voluntatem*, scilicet, *se determinare*: Quod vt excutiamus. Quæro quid sit illa *determinatio*? sitne actus distinctus ab ipsa *volitione*, an verò vnus idemque? Si vnus idemque, quoties voluntas dicetur ipsa sese determinare, nihil aliud significabitur quàm voluntatem *velle* aut *nolle*. Si distinctus, erit igitur quidam actus voluntatis, qui non erit *velle* aut *nolle*, quod vehementer absurdum est. Tùm hîc excipit, *libertatem voluntati esse essentialem.* At inquam, si libertas voluntati essentialis est, illa inquam libertas sese flectendi in vtramuis partem, non est illa à gratiâ, sed à naturâ. Itaque vt voluntas sese possit ad bonum determinare, gratiâ nil opus fuit. Denique, inquit, *boni & mali rationes occurrentes in obiecto, ad voluntatis libertatem non per se, sed per accidens pertinent.* Planè nescio quid velit, nisi fortè hoc vult, non pertinere ad voluntatis libertatem, vt quòd huc potius quàm illuc incliner, id pendeat à boni & mali rationibus, quæ intellectui occurrunt. Ergo, inquam voluntas non erit appetitus rationalis, sed cæcus & belluinus impetus, nec feretur in id quod videtur bonum, neque refugiet id quod malum videtur. Cæterùm quod obieceram fore vt voluntas feratur in ignotum, si obiectum ab intellectu commonstratum refugiat, ait *inuidiosè obijci.* Certè meritò obiicitur. Videamus iam vt obiectionis inuidiam minuat Tilenus, *illuminatio*, inquit, *mutat voluntatem modo conuenienti.* At si voluntas ab illuminatione ne mutatur quidem, non mutat voluntatem illuminatio *modo conuenienti*, non *sublatâ re* tollitur continuò *rei modus.* Quæro igitur, An illuminatio mutet voluntatem? concedit id Tilenus. Ergo, inquam, determinat: nam voluntatis *mutatio, determinatio* volũtatis est. Quæro deinde, an illuminatio *semper* mutet voluntatem? si mutat semper, *semper* etiam determinat: sin minus, *aliquando* certè voluntas aliorsum feretur, nempe in ignotum. Quæro denique, an non ita mutet, vt *non possit non mutare*? Et certè si illuminatio, *semper* mutat voluntatem, eam etiam *necessariò* mutat: nam quæ fiunt *semper*, *necessariam* habent *causam.* At *semper* mutat. Quid superest igitur quã vt *necessariò* mutet? Vt finis sit, Quæro? An *impossibile* sit, vt mente illuminatâ non mutetur voluntas? si *impossibile* est, necessariò mutatur voluntas: nã quod impossibile est vt non sit, id esse necesse est. Sin *possibile* est, vt mente illuminatâ non mutetur voluntas, feretur ea in ignotum, atque ita eòdem reuoluimur. Quæ hîc *de Oratione pro Ligario* adiecit Tilenus aliena sunt, agnoscit enim credo multò vehementiorem esse motum spiritus illuminantis, quàm Ciceronis dicẽtis. Tùm si ea fuit humanæ eloquentiæ vis, vt Cæsaris animũ adeò vehementer non cõmouerit modò, sed concusserit etiã, quæ erit vis ἀποδείξεως πνεύματος quæ non est ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν δυνάμει 1. Cor. 2. 4. At, inquit, *quasi verò mens illuminata & bonum spirituale monstrãs voluntati, desinat eidem monstrare, moxque occultet bonum corporale.* Primò quæro quorsum ista dicantur, an vt refellat id quod dixeram? Sanè videtur. Quid verò est illud quod dixeram? illud nempe (ad quod Tilenus hanc notam apposuit) *fore scilicet vt si mente illuminatâ animus refugiat oblatum bonum, feratur in ignotum*: nam notum beneficio illuminationis bonum sanè refugit, si non ad id fertur: porrò inter notum & ignotum, nihil interiectum, nihil medium est: non ergo feratur animus in notũ, feretur igitur in ignotum. Sed rem ipsam in se deinde spectemus. *Quasi verò*, inquit, *mens illuminata & bonum spirituale monstrans voluntati, desinat eidem monstra-*

Nota 144.

Nota 145.

Ibid.

Ibidem.

Nota 146.

Ibid.

Ibid.

Nota 147.

Ibidem.

re, mox occultet bonum corporale: aut lumen gratiæ protinus extinguat lumen naturæ. Verba eius repetiuimus: nam ea attentiùs considerare aliquod operæ pretium est. Primò fingit Tilenus voluntatem habere oculos, quibus cernat bonum à mente monstratum. At *cernere, mentis* est, non autem *voluntatis.* Sanè anima eadem videt, & viso delectatur, aut visum refugit; quatenus videt *intelligere*; quatenus *viso delectatur* aut *offenditur*, *velle* aut *nolle* dicitur. Sed vereor ne si ita premam Tilenum, objiciat mihi canones Philosophiæ, quod suprà fecit, id quod solent etiam facere Pontificij, cùm de transsubstantiatione agitur. Itaque agam aliter, *mens illuminata non occultat*, inquit, *bonum corporale.* Minimè verò. Sed ostendit rem esse nihil præ eo quod commendat, vt exortus sol, stellas occultat. Iam si pro re leui habetur bonum corporale iudicio mentis, haud præponderabit; Et si ita se res habet, non feretur aliorsum quàm mens, volũtas: Immò verò cùm mens illuminata est, bonum illud corporale etsi sua naturâ expetendum, tamen *in illa specie* (vt ita loquar) docet non esse bonum, sed refugiendum, nempe illud inculcat *quid proderit homini si mundum lucri fecerit, iacturam autem fecerit animæ suæ.* Neque verò ideò *extinxerit lumen gratiæ*, *lumen naturæ*: recta enim ratio non pugnat cum fide; quòd si lumen naturæ Tilenus inanem opinionem atque existimationem rerum terrenarum, vocat. Sanè tenebras lumen vocat, quas tenebras non *extinguit* quidem (neque enim tenebræ extinguuntur) sed *pellit* tamen gratiæ lumen.

N o n ò sic ratiocinatus sum. Si in vocatione ad Christum Deus non his amplius quàm illis tribuit non datur locus feriæ gratiarum actioni, quâ Pharisæus ore tenùs vsus est. *Ago tibi Deus gratias quod non sim vt reliqui homines, rapaces, iniusti, mœchi, vel etiam vt iste Publicanus*: nihil enim amplius adepti quàm reliqui, fuerimus, quorum conditio longè dispar est, nil inquam, adepti à Deo. Iam quid adhæc Tilenus? *nemo negat*, inquit, *Deum sæpè paria imparibus tribuere, & maiora quandoque deterioribus, sed gradatim in fieri.* Si Tilenus minimè figuratè, sed apertè & simpliciter id dicit, assequuti sumus quod voluimus: ratio discriminis est in Deo, non in homine: nam qui *paria imparibus, maiora deterioribus* tribuit, sanè non nisi *merâ voluntate* ad benefaciendum impellitur. *Nulla*, cur huic potius quàm illi benefaciat, alia *ratio* subest, quàm quia *sic ei libuit*: nam *gradatim* id fieri nemo negat; præbet enim gustum sui Dominus, sed tàm efficacem vt marcentem veluti stomachum excitet, vnde appetitus nascitur; deinde noua alimenti subministratio succedit; tùm & hanc iterùm noua fames, & hanc item sequitur maior cibi copia, atque ita deinceps ἐκ πίστεως εἰς πίστιν fit progressus. Sed Tilenus aliud vult in quo mihi videtur sibi ipse strenuè repugnare: *nam hoc vnum*, inquit, *agimus & satagimus, ea vt remoueantur quibus Deus causa peccati statuitur, & sua humanæ voluntati libertas eripitur.* Nempe eò reditur, vt voluntas discrimen faciat, gratia par sit, neque faciat discrimen: nam paria discrimen nullum faciunt. At nisi id fiat, scilicet quod satagit Tilenus, nisi Deus paria indulgeat paribus, nisi omnium pariter misereatur, erit causa peccati omnium. Nunquid? placetne id Tileno? Sat scio, non placebit. Atqui, inquam, id ei placeat necesse est, si ideò Deus peccati author statuitur, quòd omnibus non eripiat *pariter* cor lapideum. Quid deinde? nisi liberum arbitrium discrimen faciat, *sua humanæ voluntati libertas eripitur.* Hoc verò est scilicet, quod Augustinus queritur Ciceroni contigisse, qui hominem vt liberum faceret, sacrilegum fecit: pereat potius hominis libertas, quàm vt ea lege statuatur liber, vt ne debeat *omnia* Deo, etiam quod cæteris præstiterit: id verò non debebit, si nil amplius quàm reliqui, quibus præstitit, est consecutus, à Deo inquam; nam rationem discriminis ipse sibi debebit. Quamuis ne sic quidem perit humana libertas, quæ in eo sita est, vt ne *pecudum* more aut *lapidum*, sed *mente* & *ratione* ducatur. Sed de voluntatis libertate satis superque iam disputatum est.

Nota 148. Ibidem.

D e c i m ò sic egi. Licebit nobis gloriari, nempe cùm eandem quam nos mali consecuti sint gratiam, neque *maiorem* neque *minorem* item, sed *parem*, eâ rectius quàm isti vsi sumus. Porrò in vsu tota præstantia sita est, eo enim & sumus & censemur viri boni: gloriabimur igitur nostrum esse quod summum est. Respondet Tilenus, *esse gloriandum, sed in Domino.* At ego non volebam absurdum esse gloriari in Domino, tantùm volui absurdum esse vt quis *in se* glorietur, quod Tileni sententiam sequitur: Etiam si beneficium *commune* fuit, est quod de *recto* beneficij *vsu* glorieris, cùm idem qui id indulsit, non effecerit prætereà singulari & noua quadam gratiâ vt beneficio *communi* tu quàm hic *rectiùs* vtare. Nam quod ait *Deum solum esse gratiæ authorem & datorem*: Vel ita dictum vult accipi, vt intelligamus Deum non authorem communis cuiusdam gratiæ, dumtaxat, quæque voluntatem sibi permittat, sed specialis cuiusdam gratiæ quæ discrimen facit & voluntatem sic afficit, vt eam flectat ac permoueat. Si sic sentit noster est. Vel sic intelligi vult, vt statuamus Deum authorem solùm gratiæ cuiusdam communis. Atq; ità nos ludificatur verbis. Nam & Pelagius communem quãdam gratiam agnoscebat, nec puto vllus adeò Pharisæus & iustitiarius est qui id neget: communis tamen illa gratia non efficiet vt quis non possit de industria & vsu liberi arbitrij gloriari. Quod verò hoc eodem loco videtur Tilenus concedere *credentes & contumaces non esse pari gratia præditos*, præter rem dicitur: Quæritur enim *vnde factum id sit*, non autem an *id fiat*: Tileni dogma est vtrosque initio parem gratiam fuisse consecutos; imparitatis autem quę sequuta est, discrimẽ fuisse quod hic *rectè*, ille *minus rectè* præcedaneâ gratiâ, quæ par vtrique fuerat indulta, sit vsus. Quod rursus idem negare videtur Tilenus, verba eius sunt, *est autem falsum credentes & contumaces parem habere gratiam, illi præter præuenientem & excitantem habent, quoque comitantem & cooperantem, qua destituuntur isti, & sine qua vsus siue actus secundus non existit.* Quæ si nil aliud significant, quàm quod significare videntur, omninò id significant quod nos volumus: nempe singularem quandam efficacem & salutarem gratiam adeptos esse nonnullos, vnde factum sit vt credant, quam reliqui qui non credunt non sint consequuti. Si ea mens est Tileni, optimè est. Sin minùs quid opus erat his ambagibus & nobis illo *sine quâ* illudere? Nam si illa gratia est tantùm causa *sine quâ non*, quam vocant, superest

Nota 149. Ibidem. Ibid.

pereſt nobis materia gloriandi, nos fidei, nos pœnitentiæ, nos charitatis *propriè* cauſa nobis ſumus: Cauſa certè *ſine qua non* propriè cauſa non eſt. Deinde cùm dicit Tilenus *credentes præter gratiam præuenientem & excitantem habere quoque comitantem & cooperantem, quâ contumaces deſtituuntur.* Quæro vnde factum ſit vt eam potius hi quam iſti adepti ſint? Si, quia id Deo libuit, res eſt confecta, obtinuimus quod totâ hâc diſputatione ſtudebamus: Sin verò quod contumaces fuerint illi, hi verò minimè, ea gratia comitans & cooperans his potius quàm illis obuenit, quæro quâ mente Tilenus dixerit, *ſine gratia comitante & cooperante vſum ſiue actum ſecundum non exiſtere*: Nam cùm gratia præueniens par fuerit, ſi nullus eam ſequutus eſt in his potius quàm illis actus ſecundus ante gratiam comitantem & cooperãtem, cur his potius quàm illis indulta fuerit? Quod ſi in his ſequutus eſt actus ſecundus qui in illis non eſt ſequutus, quo adeò impetrata eſt gratia comitans & cooperans, quâ mente dixit Tilenus *ſine gratia comitante & cooperante* nullum eſſe actum ſecundum? Nam ego hæc quidem non aſſequor.

VNDECIMO contendi dogmate Tileni tolli precum vſum. Sic verò egi: ſi Deus ita mentes noſtras illuminet *dumtaxat*, vt volũtatem conſtituat *in biuio*, fruſtrà Deum rogamus vt flectat ita corda noſtra vt obſequamur; ſi id petimus dumtaxat, vt Deus itâ nos afficiat vt ſoluta optio ſit, petimus id tantùm quo conceſſo relinquuntur voluntati partes præcipuæ. Ad hæc Tilenus excipit primò *nullam exiſtere precum formulam, quâ Deus oretur, vt flectat ac determinet voluntatem hominis per vim irreſiſtibilem*: nobis tamen formulam præſcripſit Dominus, *ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo illo*: Qui petunt vt ne *inducantur in tentationem*, vt *liberentur à malo illo*, haud petunt credo communem quandam gratiam, quam multi adepti, ſuperãtur in tentatione *ab illo malo. Fiat voluntas tua in terra ſicut in cælo*: Qui ſic Deum compellant non credo cupiunt hominum animos *in biuio* conſtitui aut leuiter affici. Iam ipſum Tilenum appello, non orat Deum, non modò vt ea ſibi indulgeat, quæ multi conſequuti ſalute excidêre; Quin potiùs eorum exemplo admonitus non petit vt firmentur greſſus ſui? vt loquitur Propheta. At quî firmantur, inquam? ſi poſtquàm Dominus fecit, quod vt firmentur ſolet facere, ſequitur tamen caſus & ruina? Noſtrâ, inquiet, culpâ id fiet. At, inquam, nos oramus ne noſtrâ culpâ id fiat, hoc eſt vt ne ea faciamus, quę ſi fecerimus, id fiet; neque verò id oramus fruſtrà. Tùm non petimus à Deo nobis vt indat affectum, affectui carnis contrarium? At is eſt carnis affectus, vt *non poſſit ſe ſubmittere Dei legi*: petimus igitur, vt itâ afficiamur fieri vt non poſſit, quin nos Deo ſubmittamus. Denique non rogamus vt ne ſinat Dominus nos in exitium ruere? At ſi non ſinat Dominus, fieri id non poteſt: petimus id igitur, quo impetrato fieri non poteſt vt pereamus. At, inquit, Tilenus *ſic peteremus, vt Deus naturam voluntatis euerteret.* Hîc verò eadem chordâ oberrat, vt dicitur. Quaſi verò conſtãs & fixa voluntatis determinatio, cum voluntatis natura pugnaret. Quid? niſi adſit gratia, perierit ne voluntatis natura? negabit certè. At (vt id quod ſuprà diximus hîc repetamus) quando ſine gratiâ, (etiam fatente Tileno) voluntas ad malum *irreſiſtibiliter* determinata eſt, ſequetur omninò hoc pacto abſque gratiâ nullam eſſe voluntatem. Quid verò? num in cœlo perierit voluntatis natura? At irreſiſtibiliter determinabitur, vel agnoſcente vltrò Tileno: Charitas verò noſtra in hac vitâ, graduquidem certè, non ſpecie differt à charitate in vitâ futurâ. Itaque irreſiſtibilis eſt quædam in hâc vita voluntatis determinatio pro ſanctificationis modulo. Quid? quod (fatente Tileno) etiam in hac vita voluntas aliquando irreſiſtibiliter determinatur, nunquid propterea fatebitur vnquam euenire, vt in hâc vita voluntatis natura pereat? Sed hæc iam ſuprà fuſius à nobis diſputata ſunt. At (inquit Tilenus) *præcipuæ partes ſunt gratiæ ἀναντιρρήτως*. Immò verò non erunt præcipuæ ſi gratia offert tantùm, non etiam ita offert quod offert, vt à nobis accipiatur continuò. Nam quod *affert de Eleemoſina*, qua pauper diues redditur, & quidem præcipuè, cùm tamen ipſe manum porrexerit, ſuprà à nobis cõfutatum eſt, cùm ad eam notam ad quam nos ablegat, reſponderemus. Nunc id tantùm monemus, Eleemoſynam eſſe in hoc negotio quòd manum porrigimus, non tantùm id quod manu porrectâ accipitur. Vide autem iam vt ſic præcipuæ partes voluntati relinquantur: voluntas eſt, quâ boni ſumus, nemo verò eo bonus eſt, quòd communem adeptus eſt gratiam, ſed pro ac quiſque eâ rectè vtitur, inde bonus cenſetur: id autem ſummum eſt, eo enim cæteris præſtamus; quod cùm ſit voluntatis, pręcipuæ partes erunt voluntatis, ſiquidem voluntatis eſſe partes vti communi gratia, hypotheſis eſt Tileni.

Nota 150. Nota 151. Ibid. Ibidem.

DVODECIMO affirmaui aperiri latam portam ad ſecuritatem carnalem & fiduciam ſui, ſi quis exiſtimet à ſe pendere vt ſtet aut cadat: nam & exiſtimabit nullo periculo peccari, cùm adeptus communem gratiam, poſſit ſe lapſum erigere & à ſe mutuabitur item ſtandi vires. Neque verò hîc quiſpiam poſſit illud obijcere, Deum interdum auferre lumen ſuum, aut indurare; id enim pugnat ex hypotheſi Tileni, cum naturâ voluntatis, quæ nulla eſſet ſcilicet ſi irreſiſtibiliter determinaretur. Quid ad hæc Tilenus? Omninò nihil, tantùm ait *hunc eſſe fœtum doctrinæ noſtræ.* Hoccine fuit reſpondere? Cæterùm nos quæ ſuprà attulit, ad doctrinam noſtram inuidiâ onerandam, ſuo loco amoliti ſumus. Itaque nil eorum hîc repetimus. Sanè Chriſti voluntas *irreſiſtibiliter* determinata fuit, orauit tamen & cauit ſibi, adeò non pugnat precum ſtudium & pia ſollicitudo, cum voluntatis *irreſiſtibili determinatione.* Si in Chriſto hæc non fuerunt ἀσύςατα, quanto minus in nobis? Sed de his ſuprà, ad Not. 141.

Nota 152.

Tandem Tilenus notas ſuas iis verbis claudit, quibus ego libenter abſtinuerim, veritas enim non eſt contumelioſa, ſed grauis & modeſta, itaque par pari non referam: Deum potiùs rogo, vt vtriuſque noſtrum animum in dies magis magiſque tantâ vi gratiæ ſuæ afficiat, vt neuter noſtrûm exiſtimet, voluntatem ſuam *in biuio* conſtitutam, ſed eò potius inclinatam ſuauiter quidem, attamen vehementiſſimè, vbi nobis ſalus & ſumma felicitas repoſita eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum Patre & Spiritu Sancto, ſit laus honos & gloria in ſęcula ſæculorum. Amen.

Ad postremum ac valde prolixum

CAMERONIS SCRIPTVM

BREVIS ET PERSPICVA DAN. TILENI RESPONSIO.

PRÆFATIO.

CAMERO in postrema sua ad notas meas responsione, paginarum numero se assecuturum ratus, quod argumentorum pondere efficere nequiuit: superiorem disputationem, quam longa repetit; quasi confirmare sua nihil aliud esset quàm eâdem chordâ oberrare; eandem crambem reponere. Alia mihi mens: Causæ quæ inter nos agitur, non singulas minutias iam consectari, non qualibet λεπτολογήματα ἐξονυχίζειν; sed præcipuas tantùm partes expendere decreui. Præstò est Cameroni subsidiaria φοιτητῶν & familiarium opera: Quot illi auditores, tot illi amanuenses, quibus quantumuis laciniosa & suffarcinata sua scripta tradit describenda. Hinc factum vt densa apographorum examina passim circumuolitarint, priusquàm mihi traderetur illud quod me habere voluit author, cuius σπουδασταὶ suos interim Pæanas cantillantes de me triumphare sunt nisi. Exul ego, omnibusque eiusmodi subsidiis destitutus, & quæ sors est eorum quibus ὅσοι προτιμῶσι τὴν ἀλήθειαν, omnium odiis & calumniis expositus, meo vnius calamo, me meaq; tueri necesse habeo. Neque verò quenquam tam patientis stomachi esse arbitror, qui si ad vnius dicti (Rom. 9.18.) (intra cuius angustias disceptationem nostram contrahere visum fuerat:) explicationem perlegendam, face & viatico sibi opus esse viderit, eam in manus sumere sustineat. In superiore συγγράμματι, meas ad Cameronis responsiones notas, in separata charta iuxtim cum illis legendas apposueram; non modò quia tempori & perituræ parcere chartæ, consultum videbatur; verùm etiam ne quis ipsius argumenta à me, ea repetente, delumbari, aut vlla ratione debilitari posset suspicari. Quod ab ipso in meis factum, non tam suspicabitur, quàm indignabitur lector veritatis studiosus. Equidem breuitatem amo, Nam & veritas est in paucis. Si tamen vt otij, sic præli typographici detur copia, idque citra lectoris nauseam fieri posse spes sit; spondeo me interiores quoque partes ac viscera scrutaturum scripti illius, cuius iugulum duntaxat hîc peto, premoque. Quin & inaugurales illas Cameronis Theses quibus Nouatores quos vocat, tanquam publici odij victimas, inuidiosissimis, ac falsissimis criminationibus insectatur, tam perspicuis notis illustrabo, si Deus annuerit, vt vtris in hoc negotio, Nouatorum aut Veteratorum nomenclatura iure merito tribuenda sit, vel cæcis liquere possit. Interim sicuti medicorum filij hydropem curaturi καταδαπανήσει rem aggrediuntur, paulatim aquam educentes: Ita vnam & alteram tumidi inflatique scripti vomicam scapello meo aperiam, quarum sanie exempta, morbi reliquias vtcunque tolerari perfectamque eius curationem absque noxa in commodius tempus differri posse, nemo negauerit.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

§.1. QVÆSTIONIS inter nos agitatæ hic est cardo, cur ex duabus adultis æquè corruptis & improbis, alter euangelica luce illustratus salutis fiat particeps; in tenebris & vmbra mortis relinquatur alter: Responderat Camero discrimē hoc à sola Dei voluntate, cui de suo licet facere quod vult, pendere. Exceperam ego, ipsum quidē fœdus gratiæ prorsus à sola Dei volūtate pependisse, cui hominem sponte sua, liberoque voluntatis suæ arbitrio lapsū, eodem cū diabolis supplicio addicere licebat; Postea quàm verò ei placuit nouo inito fœdere hominem in gratiam recipere; non sine gratiæ huius iniuriā statui, posse aliquem ab eo excludi per solam Dei voluntatē, absque vllo ad actuale eius qui excluditur, peccatum, & noui fœderis transgressionem respectu: siquidem Deus, quæ sua hic sit voluntas apertè testatur, & iureiurando affirmat se nolle mortem peccatoris, se velle omnes homines saluos fieri, se nolle quempiam perire &c. Et quia Camero summum caussæ suæ præsidium ponebat in distinctione illuminationis, quatenus hæc vel absolutè, vel comparatè spectatur, citaueram locum Augustini ex lib. 8. quæst. q. 68. vbi dictum illud Apostoli Rom. 9. 18. exponit. verba eius sic habent. *Prorsus cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores cum propter generale peccatum vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione, & item præcedit in alijs peccatoribus quo digni sint obtusione.* Codex Augustini non erat ad manum, cùm haberetur collatio in suburbano Nobilis. Viri Hieron. Grossotij Lislæi: ea tantum illius loci verba commemineram; quæ discrimen hoc non tam in nuda Dei voluntate, quàm in occultissimis hominum meritis ponūt; Ea vrgebam, nempe vt palmarijs illis Scripturæ locis, Ezech 33. 11. 1. Timoth. 2. 4. 2. Petr. 3. 9. sua constaret veritas, omnisq; iniustitiæ ac προσωποληψίας suspicio à Deo remoueretur. Quid hîc Camero? Primùm quidem locum hunc tanquam ab Augustini interpolatore temerè insultum, νοθείας suspectum habebat: Deinde verò ab ipso Augustino correctū ac retractatum hariolabatur, in eaque hariolatione etiamnum in suo postremo scripto perstat, licet eam ἀνερμάτιστον, ac prorsus falsam, inspecto domi loco non potuerit non deprehendere. Interim quasi ex eorum numero esset qui videntes non vident, citat August. lib. 1. Retract. cap. 26. vbi locum illum retractatum iis qui sponte cæcutiunt, persuadere conatur. Ego verò Diatribæ huius Lectorem, per illius, cuius caussa hîc agitur, nomen obtestor, seriò vt animum, aut oculos saltem aduertat; & qua fide Camero in hoc negotio versetur, ex hoc specimine coniectet. Tantùm abest vt locum hunc retractet vel corrigat Augustinus, vt ne attingat quidem. Verba tua quæ ex quęstione 68. recenset, ab illa periodo repetit, cuius initium est: *Quia etiamsi leuioribus quisq; peccatis* &c. Totam hanc periodum præcedit locus à me adductus, & ab Augustino prætermittitur intactus. Imò ne in illa quidem quam recenset periodo, quidquam corrigit, aut retractat, sed explicat tantùm quod ambiguè dictum videri poterat. In vno agnoscit se hallucinatum fuisse, quod tanquam ex Scriptura protulerat dictum hoc: *Cùm esses in renibus patris tui vidi te.* Quod dictum totidem verbis in Scriptura vt non exstat, sic non extare fatetur. Totum opus Retractationum insigne est documentum candoris & φιλαληθείας in Augustino; quarum virtutum specimen in isto Cameronis scripto qui videt, is verò habet oculos qui quod nusquam est, vident.

§.2. Non tam speciosè, quam inuidiosè addit Camero, se indultam vni lucem quæ alteri negatur, Dei misericordiæ ascribere, quasi verò eam excludat qui occultissima hominis merita ei subordinat, quandoquidem ipsummet fœdus, quantum quantum est à sola Dei misericordia est profectum, licet fœderis fructus non nisi sub certa conditione communicetur, cui præstandæ vires necessarias & idoneas eadem illa suppeditat misericordia, quibus alij vtuntur, alij abutuntur.

§.3. Sed aliud prætereà non valdè candidi, aut à partium studio alieni, turbidisque affectibus vacui pectoris, in Camerone indicium obseruabit lector sobrius ac siccus: Occultissima illa merita Augustinus Pelagianidarum princeps, non minùs accipit de bonis & iustificationem præcedentibus meritis, quàm de malis quæ indurationem præcedunt. Ego verò de his posterioribus solummodò locum illum, tunc quidem non inspectum, cùm nulla esset codicis copia, acceperam, adeoque vt ex Actis liquet, bis ita restrinxeram: Et tamen Augustinus Cameroni est orthodoxus, Ego Pelagianismum obolere ipsi videor. Estne hoc personas ex fide, an potius fidem ex personis æstimare?

§.4. Citaueram quoque, non recitaueram, codice destitutus, locum eiusdem Patris de ciuitate lib. 19. cap. 13. vbi asserit eos qui bonis naturæ rectè vtuntur, compotes fieri bonorum Gratiæ, imo & gloriæ. *Eo pacto æquissimo*, inquit, *vt quicunque mortalis talibus bonis, paci mortalium accommodatis, rectè vsus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eiq; conuenientem gloriam, & honorem in vita æterna, ad fruendū Deo, & proximo in Deo: qui autem perperam: nec illa accipiat, & hæc amittat.* Inspexit procul dubiò locum hunc domum reuersus Camero, & quia interpolationem caussari, aut retractationem comminisci erubuit, ad dissimulationem confugere maluit.

§.5. Habeat igitur pudoris sui præmium hanc ab eodem Augustino mantissam, vnde intelligat quam frustrà latebram errori suo quæsierit in illa distinctione illuminationis, prout vel absolutè vel cōparatè consideratur. En tibi Camero par nobile regum ab Augustino productū, atque inter se comparatum & commissum: Hi sunt Pharao & Nebucadnezar: *Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad caussam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero, contra Dei misericor-*

De Prædest. & Grat. c. 15

dissimam veritatem pugnauit arbitrio? Non vult Augustinus, illum qui ingemuit ac resipuit, absque misericordiæ præsidio mutatum fuisse: sed neque vult alterum qui resistit, fatalis necessitatis vinculo constrictum in rebellione permansisse. Poterat igitur & qui ingemuit, non ingemiscere, & qui contra misericordissimam Dei veritatem pugnauit, non vltrà pugnare. Sic enim idem alibi: *Quoniam peccari non est dubium; ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter; quod nullo modo fieri posset si non voluntate, sed necessitate seruirent.*

De vera relig. cap. 4.

Sectio Secunda.

§. 1. NVnc omisso Augustino, Responsiones Cameronis, quibus duo illa Scripturę testimonia Ezech 33. 11. 1. Timot. 2. 4. mihi extorquere conatur, expendamus. Si Deus, inquit, omnium conuersionem vult & salutem, cur igitur id non fit? Cur lux ista non æquè indulgetur omnibus indignis, ac illis qui Matth. 10. vocantur *digni*?

§. 2. Responderam ego, cùm ex duobus æquè improbis, alter alteri præfertur; intelligendum id esse in sensu diuiso, non in sensu composito, de illis qui aliquando fuerant tales; vt cùm dicitur, mortui resurgunt, cæci vident, meretrices præcedent vos in regno cœlorum &c. Euenire enim potest, vt duobus qui hactenus æquè fuerunt immorigeri, eadem doctrina proponatur foris, eadem gratia præbeatur intus, eorumque alter gratiæ, illius auxilio oblatum donum amplectatur, amplectensque desinat esse rebellis: dum alter auxilium donumque aspernatus, nouam oblatæ gratiæ contumaciam ac rebellionem opponit, ac seipso peior euadit.

§. 3. Sed Camero quiritatur, nos eodem reuolui, rursusque quæri, vnde id discrimen vsus & abusus obsequij in illo, nouæ contumaciæ in isto. Respondeo hominem nouis Gratiæ viribus instrui, vt iis vtatur ex mandato Dei, officioque suo: Eumdem tamen abuti quoque iis posse, ex contemptu vtriusque: Nam volendi & assentiendi facultatem cum confert Gratia, volendi & respuendi vim non aufert.

§. 4. Sic miles gladium à duce acceptum vel stringit in hostem, si strenuus est: vel abijcit, aut in vagina hebescere finit, si ignauus. Ipsum Gratiæ vsum, si Deo adscribimus, non iam homo, sed Deus vtens resipiscet & credet, nullusque relinquetur locus obsequio propriè dicto. Interim non nego ad ipsum quoque vsum, opus esse gratia comitante vel cooperante: Verùm ea non defutura erat etiam ignauo illi, si quod vtique poterat, eam seriò petiisset: vnde patet boni salutaris causam esse in Deo, exitij in solo homine.

§. 5. Camero distinguit voluntatem Dei in eam, quâ is aliquid decernit ac statuit, & quâ aliquid præcipit ac præscribit. Illam, inquit, necessariò sequitur effectus, Psalm. 115. 3. Et eâ Deus nonnullorum tantùm vult salutem: istam non item; & de hac posteriore intelligi vult illa Scripturæ dicta Ezech. 33. 11. 1. Timoth. 2. 4. O iecur Theologi! Num igitur quæ præcipit ac præscribit Deus, ea vult carere effectu? Excipiet, non semper Deum velle, vt præceptum sequatur effectus, idque liquere ex præcepto quo Abraham iussus fuit immolare filium. Respondeo, etiamsi pręceptum non semper ac directè signum sit, quod præcipiens velit fieri rem præceptam: semper tamen directeque significat, quod præcipiens velit obligari subditum ad faciendum quod præcipitur. Omninò igitur vult vt hic effectus sequatur.

§. 6. At, inquies, constat tamen non semper sequi. Quis negat? Num verò propterea duæ voluntates contradictoriæ Deo sunt affingendæ, vt videlicet decernente voluntate perpaucos velit seruari, præcipiente omnes? Quin potius eâ vtimur distinctione, quam ipse diuinæ voluntatis natura, eiusque obiecta postulant, in hunc modum: Sunt quædam quæ Deus ipse vult facere; Sunt quæ à nobis vult fieri: illa numquam carent effectu, quippe semper hîc præsto est omnipotentia exequens: ista sæpissimè carent effectu quia homo non facit officium. Quæ Deus ipse vult facere, ea non semper nobis aperit, neque necesse est: Quæ à nobis vult fieri, ea semper exponit ac præcipit: Seriò vult vt peccator resipiscat & credat, auxilium quoque quo ad eam rem opus, seriò ac verè dat, vel paratus est dare, eo qui sapientiam & iustitiam diuinam docet, ordine ac modo. Effectus hic fidei & resipiscentiæ cùm non sequitur, hominis id accidit vitio, non gratiæ defectu.

§. 7. Si quis dicat, etiam fidem & conuersionem à Deo non aliter effici debere, quàm creationem mundi, aut excitationem mortui, eum ipsemet Cam. insanire iudicat. Cui vt omnes quibus sanum est sinciput, assentiuntur, ita vt hypotheses omnes, ex quibus tam insana ποιήματα gignuntur, explodat, seriò monent. Interim sciendum fecisse inter Patres Dordracenos, qui conuersionem impij non aliter quàm excitationē Lazari, aut illuminationem cæci, considerandam iudicarunt; vt patet ex Actis (part. 2. pag 173.) de quibus, ipsius Cameronis suffragio, dignioribus, qui Anticyras, quàm Dordracum nauigarent, verbum non amplius addam.

Respon. ad not. 89. 90. 91. & alibi passim.

Sectio Tertia.

§. 1. INstat tamen Cam. meamque in hoc argumento sententiam, Pontificiæ doctrinæ de merito congrui, affinem esse autumat, sed imprudens ipse cum Dordracenis Patribus, illis præsertim qui ex Britannia legati, Synodo interfuerunt, confligit. Dixeram ego ab ipso Christo appellari dignos, quibus Apostoli iubentur prædicare Euangelium, nec tamen illam dignitatem, vel causæ ob quam hoc bonum ipsis obtigerit, rationem habere; vel ex naturalibus liberi arbitrij viribus promanasse. Respondit Cam. *dignos* appellari eos qui iam erant conuersi, *alioqui*, inquit, *foret quædam dignitas in homine impœnitente.* Dicendum erat in homine non conuerso: Etsi enim nullus impœnitens est conuersus, non tamen omnis pœnitens est conuersus, quod videtur statuere Camero.

§. 2. Quantò rectiùs Theologi Britanni distinguunt antecedanea ad conuersionem, ab ipsa conuersione: inter illa numerant notitiam volun-tatis

Actor. Synod. Dord. part. 2. p. 12[illegible]

tatis diuinæ, sensum peccati, timorem pœnæ, cogitationem de liberatione, spem aliquam veniæ. Ea verò minimè reperiuntur in omnibus non conuersis. In quibus verò reperiuntur, hi appellantur digni, non merito suo, sed gratiosâ æstimatione Dei.

§.3. Dixeram quoque vel hinc liquere, quod illi non fuerint ex numero conuersorum, quia erant ex numero ouium perditarum. Regerit Cam. neminem rectiùs dici posse ouem perditam, quàm peccatorem, qui suspirat & misericordiam implorat: additque me non negaturum, quod sim ouis perdita, licet sim conuersus. Ego verò pernego vnum eundemque hominem simul esse perditum & conuersum, id est in ventum & in humeros sublatum à bono Pastore. Docuit me Ezechiel cap. 34. oues quatenus errant dispersæ, esse perditas, & bestiis agri expositas vt pereant: At quatenus requiruntur à Domino, & periculo eripiuntur, non amplius esse perditas. Fuisse se tales agnoscunt, adhuc se esse si dicant, postquàm tales esse desieruut, boni Pastoris officium negauerint, & quod est inter perditam & seruatam ouem, discrimen aboleuerint. Saltem à popopularibus suis quos laudaui, discat Camero, aliud esse liberationem implorare, aliud eam obtinuisse.

§.4. Idem mirificè paratragœdiat, & confidentiam meam exagitat, quòd ex loco Act. 17. (vbi Berœenses Euangelium amplexi dicuntur generosiores Thessalonicensibus, qui illud reiecerant:) collegerim, si nihil egerint illi, non aptiùs eos vocari generosiores, quàm si quis mortuum excitatum, vocet generosiorem mortuo non excitato. Primùm ait, hanc cauillationem indignam esse viro graui, eo quòd non eadem sit ratio mortis animæ, quæ corporis: deinde abominatur vt impium & Deo contumeliosum, quod laudem aliquam tribuam excitatis, cùm tota sit excitantis. Ego verò illud prius collegi ex tralatitia Contraremonstrantium hypothesi, quibus perplacet ista comparatio vtriusque mortis, nunc etiam Synodi plusquam Nationalis authoritate comprobata, vt modò ostensum; semper illi pertendunt impium cùm primùm conuertitur non magis agere, quàm mortuum cùm excitatur. Neque tamen ego comparationem institui inter mortem animæ & mortem corporis, sed inter excitationem ἐνεργητικὴν, quæ fit à morte animæ, & illam quæ fit à corporis morte.

§.5. Posterius hoc de laude quod dixi, miram profectò arguit Cameronis cæcitatem, non videntis se ipsius Lucæ caput, isto impietatis & contumeliæ poppysmo demulcere. Etenim Lucas primùm, non Tilenus Berœenses laudat, vocatque εὐγενεστέρους. Si degenerem vocari probro non caret: quis neget in laude ponendum generosum dici? Nemo pius hactenus suspicari potuit, Deum à Luca merita laude fraudatum, aut indignè contumeliâ affectum fuisse. Ipsam generositatem vt Dei donum fuisse agnosco, ita pernego eam doni esse ratione, vt si is cui offeratur, illud respuere possit, doni saltem oblati appellationem amittat.

Sectio Quarta.

§.1. Dixeram ab iis qui statuunt, nudo Dei beneficio quibusdam denegari gratiam quæ ad fidem est necessaria, Deum incredulitatis & exitij causam statui. Responderat Camero duplicem esse necessitatem, alteram quæ sit ab animi prauitate, alteram quæ etiamsi adsit animi integritas, & rectitudo, prohibeat ne rē possis præstare: hanc verò à nemine posse prætexi. Etsi verò hac responsione ne attingitur quidem, nedum exhauritur difficultas, quæ posita est in eo quod Deus saltē actu negatiuo statuitur causa & peccati & exitij: tamen eo dissimulato hoc tantùm

§.2. exceperam, necessarium vtique esse illud gratiæ auxilium, quo animi vitium sanari & voluntatis prauitas corrigi queat. Hîc Camero *hoc iam est*, inquit, *pronuntiare sententiam, non disputare.*

Addit deinde, etiam ex mea sententia Deum statui authorem incredulitatis, nisi in omnibus efficiat velle. Est hæc insignis μετεωρία & supinitas, quòd Camero non attendit, inter nos non disputari de re, id est prauæ voluntatis emendatione, sed de modo rei; puta an modus hic sit irresistibilis, quod vnum cùm pernegem ego, partes ipsius erant, modum illum solidè probare. Ille verò maluit me anteuertere in tollendis tragicis clamoribus, quos me iure merito tollere posse videbat.

§.3. Remotis fucis ac strophis, constat necessariam esse voluntatis emendationem in conuersione impij. Quæritur cur illa non emendetur in omnibus, siquidem Deus vult omnes seruari: Aio ego id fieri solius hominis medicum aspernantis, vitio. Camero negat Deum seriò illud velle quod eum velle, ait Apostolus. Vtut enim hoc præcipiat foris non tamen id decreuisse intus: nihil autem posse fieri, nisi quod voluntate decernente Deus fieri velit: Propriè igitur, inquam ego, non vult fieri id, quod ipse non vult facere, quodque nisi ipso, & quidem solo in solidum faciente, nullo modo fieri potest. Solus igitur ipse actu suo negatiuo, quo gratiam suam efficacem negare decreuit, causa fuerit defectus huius, id est incredulitatis, quemadmodum actu positiuo est causa fidei Vnde efficitur, in incredulo, in quo nihil ad conuersionem præuium admittit Camero non magis culpandam esse incredulitatem, quàm in cōuerso fidem laudari patitur. Miratur tamen Christus magnitudinem fidei in Centurione. (Matth. 8. 10.) Quæ obsecro huius admirationis ratio cogitari potest, si Christus per omnipotentiam suam vi irresistibili effecerat in illo, quod non in alio?

§.4. Ad ista æquum erat respondere Cameronem: Ille verò mauult quærere, An si Deus non indulsisset Gratiam Euangelij, causa fuisset peccati & interitus, cùm tamen ea gratia homine iam lapso planè necessaria fuerit. Respondeo; Si Deus noluisset nouum gratiæ fœdus cum homine lapso contrahere, huic quidem necessariò fuisse pereundum, caussam verò interitus in solo homine futuram fuisse, quippe qui libero voluntatis suæ arbitrio, nullius decreti vinculo aut necessitate constrictus, à Deo se auerterat: Atque vt ille poëtarum Amphiaraus, sciens, prudens, in perniciem se coniecerat: Deum verò tum demum exitij, & quod multò peius est peccati causam & autorē vnicum statui, si, quod Zuinglius, Caluinus, Beza, Zanchius, Perkinsus, Piscator, & alij eiusdem κόμματος Heroës inter suas κυρίας δόξας numerant, arcana ipsius voluntate immutabilique

decreto primus homo peccauit, posterosque sempiterno secum exitio inuoluit.

§.5. Pergit Camero & ex meo dogmate elicit, gratiam salutarem esse noxiam. *Fac enim* inquit, *non fuisse indultam, nihil nobis periisset, non potuisset non peccare, ac proinde nec damnari.* Hoc ἀπόσπασμα inde colligit quod nostri frequenter dicant, Deum non solere postulare messem, vbi non fecit sementé: Atque sicuti multum reposcit ab eo qui multum accepit, ita si nihil dedisset, inquit Camero nihil posset repetere. Verùm enimuerò, ea rursus hîc se prodit hominis oscitantia, & ἀβλεψία, vt non cogitet, soli gratiæ acceptum ferendum esse, quòd homini post lapsum relicta est quædam imaginis Dei particula ac scintilla: cùm ipse nihil præter mortem, quę peccati est stipendium, commeruisset. Scintilla verò illa ideò ei fuit relicta, vt eam fouens & ἀναζωπυρῶν, agnosceret miseriam suam, imploraret Dei misericordiam, eamque in noui fœderis euangelismo oblatam amplecteretur, & hanc doctrinam ad pósteros propagaret, quam sicuti longè maxima pars hominum aspernatur, ita iure merito plectitur, suique sibi est causa interitus: præsertim cùm Deus nunquam se ἀμάρτυρον reliquerit, & habenti vtentique plura dare paratus fuerit, neminique, vt fatentur Patres Dordraceni, (part.1. pag.129.) talentum semel concessum eripiat, nisi qui priùs suo vitio illud sepelierit. Sunt igitur quęcunque hîc congerit Camero, non Scripturæ aut rectæ rationis epicheremata, sed ab odio aduersus sanam doctrinam conturbati cerebri βαυχάλματα.

SECTIO QVINTA.

§.1. DIxeram à Deo esse etiam id, quod non efficitur per omnipotentiam. Hîc Camero dum inconstantiæ, imò & impietatis me insimulat, quasi potentiam aliquam Deo tribuam, quæ non sit omnipotentia, suam ipse prodit incogitátiam: Quasi Deus instar agentis naturalis, semper quantâ maximâ vi agere potest, agat, ita vt actionis modum neque intendere neque remittere, aut ipsam quoque actionem penitùs omittere & suspendere possit. Equidem nihil aliud dixeram, notâ 58. præter hoc solum, quod videlicet Deus non semper agat, quantum agere potest ex omnipotentia, sed quantum vult; nempe congruenter ad primigeniæ creationis legem, quâ voluit voluntatem esse liberam, congruenter quoque ad gratiæ suæ œconomiam, & obsequij humani explorationem.

§.2. Dixeram voluntatem, si necessariò determinetur ad vnum, naturam suam amittere, & in appetitum naturalem aut animalem mutari. Negat consequentiam Camero allatâ ἐνστάσει geminâ, vnâ à statu beatorum, alterâ à conditione Christi in terris πολιτευσάμενος: vtrobique vult voluntatem esse determinatam ad vnum, saluâ nihilominus & incolumi eius libertate. Hîc ego distinxeram lumen gratiæ à lumine gloriæ, visionem Dei beatificam à cognitione quæ est in ænigmate, & per speculum: Non enim beati & comprehensores in diuersas partes à diuersis obiectis distrahuntur, sed diuini vultus lumine affatim sese explentes, caducum nihil intuentur. Regerit Camero hinc sequi, vt beatorum voluntas non amplius sit voluntas ex meâ hypothesi, siquidem ad vnum obiectum sit determinata. Ipse verò istâ ad bonum determinatione voluntatem nobilitari & ornari ait.

§.3. Respondeo libertatem angelorum & beatorum spirituum saltem hac in re spectari, quod priusquàm se ipsorum voluntas determinaret ad hoc, poterat se non determinare: idque de ipso Deo verissimum est, qui sicuti postquàm semel se determinauit ad vnum, non potest propter infinitatem scientiæ suæ, & immutabilitatem voluntatis, consilium mutare & oppositum eius quod elegit, eligere; ita homo viator etiam postquàm se ad bonum determinauit, potest tamen, propter imperfectionem cognitionis & mutabilitatem voluntatis, consilium mutare, à bono recedere, ad oppositum accedere.

§.4. Neque enim assentiendum est Cameroni præsupponenti voluntatem in viatore non secus atque in comprehensore, nobilitari, & antè consummatum cursum, certatumque certamen, coronam dari. Non negabit opinor Camero hominem viatorem etiam maximè regeneratum, quandoque non cogitare de summo bono, ac proinde illud tunc non velle: posse etiam ei Deum proponi, vt iudicem punientem, atque vt prohibentem aliquid, quò propendet viatoris voluntas: Quæ omnia cùm, ipsius quoque Cameronis calculo, alienissima sint à statu beatorum & lumine gloriæ, necesse est fateatur suam ἔνστασιν esse ἀπροσδιόνυσον. Saltem Pareum suum audiat. *Et si angeli boni, inquit ille, ex perfectione gratiæ in quæ sunt confirmati à Deo, immutabiliter voluntates suas bonas determinant ad vnum genere, hoc est ad bonum tantum, tamen contingenter se habent ad vnum specie vel indiuiduo, hoc est ad hoc vel illud, vel ad aliud bonū.* Igitur si ne in gloriæ quidem statu voluntas beatorum determinetur ad vnum specie vel indiuiduo, quantò minus in hac vita?

Cont. Bella. De gr. & lib. arb. lib. 3. c. lect. 159.

SECTIO SEXTA.

§.1. CÆterùm quia verbosissimæ illius Responsionis, quam postremam ad me misit Camero pars magna consumitur in hac hypothesi, qua statuit voluntatem à mente determinari, & in assensum rapi necessariò, monstratoque & agnito fine non posse non eligi media ad illum ordinata: Ne instar Andabatarum pugnemus in tenebris, sciendum est me non simpliciter negasse voluntatem ab vltimo iudicio rationis practicæ determinari (cùm enim voluntas sit appetitus rationalis, appetere nihil potest absque antegresso rationis actu, quo ea iudicauit obiectum illud congruere subiecto.) Hoc autem volui, iudicium illud rationis, quà practicum est in volũtatis potestate esse: quia videlicet ista finit se moueri ab hoc potius quàm ab illo obiecto, ipsique rationi imperat, ne mõstrare & ingerere pergat, id quod salubre quidem est simpliciter, sed sensui asperum & ingratum.

§.2. Hunc inter vtriusque potentiæ actus, ordinem vidit & ostendit Aristoteles, cũ n ait, ὁ μὲν νοῦς οὐ φαίνεται κινῶν ἄνευ ὀρέξεως, ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις, ὅταν δὲ κατὰ τὸν λογισμὸν κινῆται, καὶ κατὰ βούλησιν κινεῖται. Cũ igitur voluntas hinc ad peccandum pellicitur à voluptate per sensum, atque etiam per corruptam &

De Anim. lib. 3. cap. 1

ptam & corruptricem rationem, inde à peccato reuocatur per legem Dei, quam recta proponit ratio, penes ipsam est, vel huic vel illi motioni sequacem se præbere. Ac ne sophistarum hoc esse placitum clamitet Camero audiatur Augustinus vbi ait, sicubi ex duobus æqualiter animo & corpore affectis, conspecta ab vtroque vnius corporis pulchritudine, vnus eorum ad illicitā voluptatem moueatur, alter in voluntate pudica perstet, causam aliam quærendam non esse, extra propriam cuiusque voluntatem. Nempe vnius voluntas iubet vt mens iudicet, fruendum esse voluptate. Alterius vt mens iudicet, seruandam esse pudicitiam.

De Ciu. Dei lib.12.c.6

§.3. Hanc voluntati potestatem qui eripit, non obscurè Deum authorem peccati constituit, propterea quod perperam determinet voluntatem, quæ nisi illo determinante, ipsa se determinare nequit. Ac sicuti ij qui ex decreto efficaci illuminantur (iuxta hypothesin Cameronis) non possunt non credere: Ita quibus eodem decreto negata est hæc illuminatio, ij non possunt credere ac proinde non possunt non peccare: Est igitur Deus causa, vt fidei per concessionem illuminationis, sic infidelitatis per eiusdem negationem; nam quod est causa adæquata affirmationis, eiusdem negatio siue absentia, est causa negationis.

§.4. Si excipiat Camero causam infidelitatis non esse efficientem, sed solùm deficientem: Respondeo non posse quidem aliam quàm deficientem mali causam, ne in homine quidem reperiri. Interim tamen Geneuensis Theologia omnia reducens ad negationem decreti efficacis, quo statuit Deus quosdam homines, imò longè maximam hominum partem, numquam impertire gratiā salutari, deficientem causam mutat in efficientem, siquidem Deus sciens, prudens ac planè ita volens, non minùs reprobationis quàm Electionis decretum fecit.

Sectio Septima.

§.1. IAm verò miratur Camero, quòd dixerim respectu finis vltimi nullam voluntati tribui libertatem, eo quod naturaliter appetat Beatitudinem in vita futura, & bonum communiter sumptum in hac vita: Dicit hinc sequi, quòd voluntas non habeat pro obiecto finem, cùm tamen eius vis circà finem præcipuè versari debeat, adeoque versetur. Miror ego ista à Professore Theologiæ negari, quæ pueri ex Ethic. lib.3. cap.3. didicerunt. Nec verò quisquam eorum, qui vel Philosophiam vel Theologiam in Reformatis, quotquot vspiam sunt, Ecclesiis & Scholis professi sunt, hactenus negauit vltimum finem necessario appeti, media liberè eligi, saltem cùm eorum cum fine connexio non est euidens: Sicuti ratiocinatio versatur circa conclusiones, Intellectus autem est principiorum, nec conclusionibus semper assentitur qui principiis repugnare non potest.

§.2. Nunquid negarit Camero esse qui beatitudinem futuri seculi ita velint, vt nequeant nolle, qui tamen iudicent, se illo fine potituros, etiamsi quandoque genio indulgeant, aut periculi vitandi caussa, Euangelium abnegent. Nempe istorum voluntas persuaderi sibi finita ratione, paratam semper esse veniam apud Deum, non posse eum qui aliquando crediderit, perire sed licet sæpissimè ac fœdissimè peccet, semper tamen ante obitum supremaque funera renouari, & in integrum restitui; hos enim pulullos Epicuri de grege porcis nonnulli consuunt, ac substernunt.

Sectio Octava.

§.1. REprehendit me Camero quòd dixerim voluntatem naturaliter appetere finem, atque absurdum esse voluntatem aliquid aliter appetere, quàm voluntariè. Scilicet Cameroni voluntas non etiam est quædam natura: Sed excipit, perperam igitur me statuere, quod necessitas pugnet cum natura voluntatis. Ego verò non voluntatem hoc significatu sumptam, sed libertatem cum necessitate pugnare dixi, dicoque: distant enim hæc duo integris essentiis & contradictoriis definitionibus. Liberū est quod potest esse, & non esse; fieri & non fieri: Necessarium quod non potest non esse, aut non fieri. Est hæc oppositio quanta maxima esse potest, citiusque polus antarcticus cum arctico coierit, quàm ista duo coincidant.

§.2. Hoc quoque absurdissimum iudicat Camero quòd asseruerim, intellectum posse cogi: sanè per coactionem hîc ego nihil aliud intellexi quàm necessitatem cum voluntatis libertate pugnantem. Illam in mente locum habere, dictat sensus communis: Qui lethale vulnus accepit, necessariò statuit, atque hoc modò cogitur statuere se ex illo moriturum. Verùm Camero negat pios illuminari coactè, aut illuminationem ipsis esse molestam. Sanè insanus sit oportet, qui hoc dixerit, neque verò satis sanus qui me vel somniasse hoc dicit. Dixi non ita liberam esse rationem à coactione, quomodo voluntas ab ea est immunis: hæc nullo modo potest cogi vt aliquid velit contra suam inclinationem, non enim vellet si nollet. At ratio, licet inclinetur ad omne verum, non tamen illud semper ei est gratum, respectu totius suppositi, id est hominis ratione vtentis, vt patet in exemplo quod modò attuli. Sic impij nollent Deum esse iudicem ac vindicem scelerum, coguntur tamen illud credere.

§.3. At quibus fidiculis Camero hinc exprimit illud δόγματα, illuminationem esse piis molestam, eo quod eam suscipiāt irresistibiliter? Atqui omne verum sicuti mentis obiectum est, ita & bonum est eiusdem ideoque gratum, licet quandoque toti supposito sit ingratum. Solenne est Cameroni, fluctus in sympulo excitare, fulgura è pelui edere: nempe ne nihil dicere aut agere videatur. Ne multa; hoc vnum multa satagendo agit, vt quoties in tentatione voluntas succumbit, is qui Christum vel spe commodi, vel metu supplicij abnegat, nulla sit culpa hominis abnegantis, sed vnius Dei, mentem non quantum satis est, illuminantis; Quod si faceret obsequentissimam se præberet voluntas, adeoque non posset non obsequi. Cùm verò illuminatio non sit in hominis potestate, non magis ipse in vitio erit, quàm cadauer quod non resurgat; aut cæcus quod non videat, aut deniq; asinus quod non sapiat aut loquatur sicut ille quo Balaā vehebatur,

SECTIO NONA.

§.1. DIxeram Cameronis sententiam tollere vsum hortationum, promissionum, minarum, totius denique ministerij: propterea quod satis sit mentem à Deo illuminari, cuius lumen semel infusum menti, non possit non sequi voluntas. Hoc incommodum ille in meam retorquet sententiam, si nempe ipsa se determinet voluntas: nec dubitat mihi affingere quod dixerim liberum arbitrium esse independens. Forsitan blandiente fingendi licentiâ, proximè dicet, Deum à me dici; nihil enim mihi propriè est independens, præter Deum; imò dicet illud à me suprà omne numen euehi, quasi videlicet Deus ipse à libero arbitrio dependeat. Iam tale quidpiam occœpit χειδάζεσθαι in illa suorum μορμολυκείων congerie.

§.2. Ego verò & liberum arbitrium, & totum hominem, vti res creatas omnes à creatore pendere, sicuti firmissimè credo; ita hoc quoque non ignoro, Deum instituti à se ordinis, legisq; ac propositi in ipsa creatione sanciti tenacem, non protinus ab homine pendere, siue is suscipiat, siue respuat oblatum gratiæ auxilium, sed creationis suæ legem tueri, quâ voluit voluntatem hominis esse actionum humanarum principium liberum, proximum & immediatum. Num, quæso, à peccato pendet Deus peccatorem puniens, quem nisi peccasset, iure punire non posset? Pendet vtique ab eo quem instituit sapientiæ & iustitiæ suæ ordine, quo pœnas nonnisi peccatori infligere decreuit: quamuis peccatum possit velitque condonare, sed non nisi iuxtà præscriptas à se conditiones. Tum demum à peccatore penderet Deus, si ille hunc ordinem euertere posset.

§.3. Intolerabilis profectò est hæc iniuria, & fœda nimis calumnia, quæ meam sententiam perpetuò conspurcet. Camero quasi statuam liberum arbitrium, naturalibus suis viribus se ad salutare bonum inclinare posse, tametsi perpetuò clamitem, nihil boni posse, nisi à præueniente gratia excitetur, & à subsequente adiuuetur. Si verò idipsum negat Camero, age, neget quoque quicquam interesse inter rem mortuam & viuificatam, inter eum qui altissimo veterno aut lethargo consopitus stertit, & eum qui experrectus manum operi admouet.

§.4. Monendus est prætereà, vt spontaneum à libero, necessarium à coacto tandem aliquando distinguere discat. Sponte currit equus, non tamen liberè: Necessariò lapis fertur deorsum, necessariò ignis vrit, num igitur coactè? Ex Cameronis philosophia, liberum cum necessario pulchrè cohæret, solamque coactionem respuit voluntas, Physicam determinationem ac necessitatem non minùs admittit, quam ignis aut lapis.

SECTIO DECIMA.

§.1. DIxeram hominem regenitum si is per vim irresistibilem conuersus fuisse statuatur, infirmiorè esse in regenerationis progressu, quàm fuit in principio; siquidem iam adultus & in fide confirmatus, sæpè resistit spiritui, in turpissima ruens scelera & flagitia, qui infans recens natus non potuit non obsequi. Respondet Camero idem absurdum meam comitari sententiam, cùm negare non possim regenitum sæpè labi. Atque hoc pacto lutum in se coniectum in me rejicere, quàm à se abstergere mauult, puerorum non Theologorum more.

§.2. Mea sententia est, nunquam eiusmodi vim adhiberi homini, siue initium, siue incrementum regenerationis spectemus, quin liberè ipsius voluntas resistere possit Spiritui: Ac proinde illa extrà huius ἀτοπήματος aleam stat inconcussa. Camero vult eam in initio non posse resistere, in profectu posse, quod profectò mirum est proficiendi genus, quo defectus designatur, aut profectus in peius. Quorsum igitur conuersus crescit ex fide in fidem, nouisque subinde gratiæ in donis augetur & ornatur?

§.3. Addit deinde illuminationem non semper esse parem: Fateor, At sufficiens erat in Dauide etiam tunc cùm adulterium & cædem patraret. Si non sufficiebat, & sol ille iustitiæ vltrò, nulloque Dauidis peccato prouocatus, ei lucere desierat, non magis Dauid in culpa, quàm nos dum sub ducto aspectabilis solis, quem non, sicut olim Iosue, sistere possumus, lumine, necessariò in tenebris versamur, in quibus incedentes non possumus non offendere: Sic Deus statuitur author peccati apertè.

§.4. Ait quidem Camero hominis culpâ accidere istam illuminationis imparitatem, aut etiam cessationem. Quî istud? Obsecro te Camero rotundè effare, habeatne homo istam illuminationem, eiusque mensuram & gradus in suæ voluntatis potestate? Si ais, ex tua hypothesi, iam tibi homo fit Deus, ὄναρ τῆς ἀποθεώσεως; si negas, redit δύσφημον illud dogma, quod Deum facit authorem peccati, quandoquidem subducit, extinguitque lumen sine quo peccatum vitari nequit.

§.5. Occines mihi veterem tuam cantilenam, idem ἀτόπημα fluere ex meo fonte: At non tam facilè sublines os, quibus est os, aut pectus. Aio ego, Deum velle omnes homines saluos fieri ex φιλανθρωπίᾳ quam ei tribuit Scriptura: Omnibus Christum mediatorem datum, solo hominum vitio fieri, quod impetratâ per illum salute excidant, qui eam fide sibi non applicant: Fidem hanc esse Dei donum, licet non infundantur homini per vim irresistibilem, ac quamuis menti nouum lumen ita infundatur, posse nihilominus hominem aliud & aliter agere, quàm & quomodo spiritus agendum esse dictitat. Atque hoc pacto salutem esse ex Deo, perniciem ex solo homine: quod postremum effatum omnibus meis hypothesibus penitus est consentaneum, tuis è diametro repugnat.

§.6. Vis enim Christum, fidem, perseuerantiam salutem, certis duntaxat personis numero paucissimis, qualitate nullâ præditis, antecedaneo, æternoque Dei decreto constituta in tempore dari per vim irresistibilem, ac necessitatem insuperabilem: Ita vt homo ea omnia, nec citiùs, nec seriùs, non parciùs, non vberiùs adipisci queat, nec vlla ratione amittere, ne scilicet æternum Dei decretum, quod cœlo ac terra firmius est, rescindatur.

§.7. Habes, Camero, Stoïcæ vel Manichaïcæ tuæ prædestinationis, tamquam Empusæ icunculam, & quasi

& quasi προτομὴν, quàm aliàs luculentioribus coloribus & accuratiore penicillo depictam exhibebimus.

SECTIO VNDECIMA.

§.1. NOn libet exagitare ἀντιλεγόμενα illa Cameronis placita, vbi negat τὸ *velle*, denotare actum, sed passionem esse contendit; vbi voluntatem cum affectibus odij & amoris confundit; vbi nullum in voluntate motum agnoscit, qui non sit plenus assensus, immemor eorum quę ipsemet dixerat resp. ad notam 87. Hæc & non pauca alia eiusdem furfuris Ethicæ philosophiæ tyrunculis vexanda relinquimus.

§.2. Sed & toties vexatam analysin cap. 9. ad Rom. omittimus: Quicquid enim nunc adferrem, regereret Camero vel hoc nihil ad rem pertinere, vel id alibi à se confutatum, vel me ludos facere, vel me pugnantia dicere, vel me ambiguè loqui, vel me sibi inuidiam facere. Hæc ferè vniuersa ipsius Topice, hæc Panoplia, nisi quod vbi commodum est, meorum argumentorum particulam arripit, dissimulatoque eorum neruo, id tantùm deligit cui genuinum infigere possit.

§.3. Ego verò toties antestatus, me non aliam ob causam à Veteri, scriptisque editis à me propugnatâ sententiâ depulsum, ad Remonstrantium partes transiisse, nisi quod Vetus illa Deum peccati authorem apertè constituit; Idipsum nunc persequar, ostendamque Cameronem, non minùs quàm Zuinglium, Caluinum, Bezam, Piscatorem, Zanchium, Perkinsium, & eorum sequaces, in illo luto hærere: Quod cùm totidem possim demonstrare consectariis, quot ipse aduersus meam sententiam protulit argumenta, tria tantùm eius axiomata oculis subjicam, ex quibus id perspiciet, quisquis oculos ad videndum habet.

SECTIO DVODECIMA.

§.1. PRimum est illud cui tota Cameronianæ analyseos structura incumbit: Decretum videlicet illud absolutum, de paucissimis quibusdam hominibus, absque vllo ad eorum qualitates respectu, vocandis, talique ac tanta vi illuminandis vt non possint non credere, semelque susceptam fidem non possint non ad extremum vsque halitum retinere, nulliusque sceleris aut flagitij fœditate excutere.

§.2. Ex hoc axiomate efficitur eos qui fide carent, ac proinde necessariò peccant, ideò peccare, quia Deus arcanâ suâ voluntate, (quam *decernentem* vocat Camero ex qua ineluctabili necessitate omnia eueniunt,) vult vt peccent. Quippe nolens vt credant, nolens impertire lucem ex qua sola, voluntas determinatur, fides ingeneratur, peccatum vitatur, vtut verbi præconio omnes ad se vocet, omnes velit saluos fieri, neminem velit perire: Hæc enim omnia externa tantum specie fieri sciscit Camero, nihilque horum proficisci ab animo illuminandi aut renouandi, sed potius à decreto grauius puniendi eos qui ità vocati non responderunt vocanti; tametsi non magis potuerint parêre, quam rupem deglutire, aut per aërem volare; quippe omni, quo ad parendum opus erat, auxilio destituti. Insanum hoc & blasphemum dogma, quo Deus non solum peccati author, sed etiam nefarius hypocrita statuitur; nuper excogitatum cùm dico, conqueritur Camero sibi & veritati iniuriam fieri.

§.3. Fateor extitisse ante annos 1200. hæreticos, qui *Prædestinati* ab hoc dogmate dicti, eandem insaniam insanierunt, hoc autem vetus Ecclesia in Concilio Arelatensi, triplici canone tanquam trisulco fulmine compescuit. 1. *Anathema illi qui dixerit, illum qui periit non accepisse vt saluus esse posset.* 2. *Anathema illi qui dixerit, quod vas contumeliæ non possit assurgere, vt sit vas in honorem.* 3. *Anathema illi qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit.* Videsis Camero annon fulmineis hisce Anathematismis tuum tibi commitigetur caput, viderint quoque Patres Dordraceni.

SECTIO DECIMATERTIA.

§.1. ALterū Cameronis axioma legitur in superiore siue penultima eius respōsione notâ 131. vbi ait, optimam diuinæ prouidentiæ partem è medio tolli, nisi à Deo pendeat inclinatio voluntatis in vtramuis partem, & si ipsa se flectat quò libet. Est igitur Deus non minùs author prauæ quàm rectæ inclinationis, nec minùs ipse eam flectit in malam partem, quàm in bonam.

§.2. Recensueram ego Diuinæ prouidentiæ actus octo circa peccatum, vt eam minimè otiosam esse ostenderem. At in horum numero non reperitur ipse voluntatis Flexus; Is enim nihil aliud est, quàm ipsa volitio: hanc à Deo remoueo, quia est ipsissimum peccatum, cùm flexus ille fit in malam partem. Camero Flexum illum à Deo in VTRAMVIS partem fieri pertendit, & me excurrere non respondere dicit.

SECTIO DECIMAQVARTA.

§.1. TErtium Axioma cum proximè antecedente connectit ipsemet Camero. Sic autem habet. Deus nihil potest præscire nisi quod decreuit se vel facturum, vel prohibiturum, vtrumque tam efficaciter, vt bonum quod facturus est, non possit non fieri, nec fieri malum, quod est prohibiturus. Hoc pacto staruminatur Piscatoris dogma, Dordraci explosum, hominem non posse plus boni facere quàm facit, nec plus mali omittere quàm omittit. Sic Piscator (resp. ad parasceuen Vorstij ad partis primę, cap. 1. pag. 17.) Sic reducitur in Theatrum illa siue Stoïcorū siue Manichæorum στερρὰ ἀνάγκη, parataque est homini excusatio, qui nec facere potuit quod Deus in eo efficere noluit, nec omittere quod noluit prohibere; Vnumque duntaxat Agens, Deus videlicet, non prima, sed vnica causa statuitur.

§.2. Ego sentio duplicem esse causam actûs fidei, sicuti cuiuslibet boni actûs: Vnam internam, proximam, immediatam, quam Deum non esse, agnoscit ipsemet Camero (ad not. 124.) Ab ea enim fit denominatio Agentis; non autem

Deus, sed homo dicitur resipiscere & credere: Alteram externam, remotam, supernaturalem, quæ ab illo actu non denominatur, licet eum efficiat. Illa prior est voluntas hominis, ista posterior est gratia Dei: Voluntas causa quidem est actus illius qui bonus est, at non quà bonus est, hoc gratiæ tribuendum: Voluntas credit, sperat, diligit, ac denique quod bonum est, vult; Deus facit vt hominis voluntas illa faciat, nec tamen istos actus elicit immediatè ex diuinæ suæ voluntatis potentia. Sed postquam hominis mentem illustrauit, cordisque ostium pulsauit, eleuatam humanæ voluntatis facultatem in actum educit.

§.3. Hinc triplex testimoniorum classis in Scriptura: Quædam conuersionis apotelesma tribuunt soli Deo, quædam homini, quædam vtrique. Nempe solus Deus est principium supernaturale, quo ad hunc actum est opus, & quod voluntatem hominis anteuertit. Homo adfert facultatem volendi, quæ ei naturalis, vultque id, quod Deus eum vult velle, vnde denominatur credens. Vtriusque tamen & Dei & hominis, necessarius est concursus, siquidem neç homo sine Deo quicquam potest, nec Deus ab alio quàm ab homine istum actum postulat: Ad primam igitur classem pertinent illa dicta Scripturæ, quæ testantur Deum in nobis operari velle & perficere, auferre cor lapideum, dare cor carneum, viuificare, &c. Ad alteram, ea quæ dicunt hominem credere, vitam potius, quàm mortem eligere, & quæ obsequium eius laudant, præmiumque promittunt. Ad postremam, vbi homo vocatur συνεργὸς Dei, omnia posse à Christo corroboratus, &c.

§.4. Huic doctrinæ astipulatur Augustinus, (cuius authoritatem non defugit Camero) disputans ille aduersus Euodium Manichæum ita loquitur: *Nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est*: Et propè finem eiusdem capitis. *Voluntas nostra, nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Idem alibi: *De quo nesciente, vel resistere non valente quispiam quidpiam mali fecerit, iuste damnari nullomodo potest.* Item. *Peccati reum teneri quenquam quia non fecit quæ facere non potuit, summa iniquitatis est & insania.*

De lib. arb. lib. 3. c. 3.

Lib. de duab. anim. cont. Manich. cap. 10. cap. 12. ibid.

Viden' Camero quibus te flosculis coronat, is quem causæ tuæ patronum aduocaras? I nunc & clama Augustinum, concilium Arelatense, totamque adeò veterem Ecclesiam, optimam diuinæ Prouidentiæ partem negasse. Possem copiosam eiusmodi testimoniorum syllogen afferre, nisi breuitati studerem, nisi ab illis id iampridem esset factum, nisi denique hoc labore me leuasset ipsius Caluini confessio, dum pronunciat, *Veteres omnes, excepto Augustino, hac in re aut variare aut vacillare, aut perplexè loqui.* Quàm fœliciter vnum Augustinum excipiat, sibique vindicet, liquet ex antedictis: liquet etiam ex iudicio Parei, qui ait ipsum *Augustinum tam varium fuisse in feruore disputationis huius, vt passim nec secum, nec cum Scriptura conciliari possit.* Fatetur quoque Caluinus *multis seculis traditum & creditum fuisse, ita voluntatem moueri vt nostra postea sit Electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari.*

Inst. lib. 2. c. 2. §. 4.

De grat. & lib. arb. lib. 2. c. 14.

Instit. lib. 2. cap. 3. §. 10.

§.6. Non igitur nupera & mustea est ea, quam Camero oppugnat, doctrina, sed vetus & multorum seculorum assensu confirmata. Nouitia autem sunt & omnium seculorum execratione digna blasphema illa, non axiomata, sed portenta, quibus Deus peccati author statuitur.

Ad valde

Ad valde curtam, & iurgiosam

TILENI EXCEPTIONEM,

PLENA ET MODESTA IOHAN. CAMERONIS RESPONSIO.

PRÆFATIO.

ETSI me immerentem Tilenus propemodùm obruerit omnibus iis contumeliis, quas irâ atque odio perturbati ac efferâti animi æstus, atque intemperies miseris mortalibus (si quando ingenio indulgent & obsequuntur suo) subministrare solet: mei tamen esse officij haudquaquam puto, vt me patiar ab eius patientia, quâ sum Dei beneficio hactenus vsus, constantiâ vel tantillum demoueri. Nam vt est turpe & indecorum, addo etiam & nefas, de re graui & diuinâ, eâdemque ardua disserentem, non solâ niti authoritate & pondere veritatis, sed diffisum causæ bonitati, in aduersarium nonnisi modestè & verecundè disputantem, impotenter debacchari: ita nec quemquam arbitror decere quantumuis atrociter lacessitum, ac conuitiis vexatum, quasi victum quicquam de solita remittere modestia ac grauitate; dum conuitia conuitiis, & contumelias contumeliis repellit. Profectò ita se res habet: ipse sermo mentis quædam est imago. Atque vt hibrida, virgata, vasta, turgida & maculosa oratio, animum arguit paribus vitiis laborantem: sic rixatrix eadem & maledica si sit, motæ mentis, atque animi de gradu deiecti argumentum est. Quidni etiam sperem fore vt sepositis affectibus, deferuescente bile, atque detumescente ingenio, ad se redeat tandem aliquando Tilenus castigetque ipse semetipsum, meamq; vicem probè vlciscatur: Quod si acciderit, magnum mihi videbor tolerantiæ & lenitatis fauctum consecutus, magnificeq; vicero; sin minus, officio meo fuero defunctus. Neque verò mihi existimo interim verendum, ne cui graui & cordato Viro ista mea patientia à metu potiùs quàm aliunde profecta videatur: Etenim sedato quidem & composito, firmo tamen & pleno gradu procedet oratio mea, ac personæ parcet illa quidem, causam tamen petet, & feriet, & denique perimet, vti confido in Domino. Hactenus præfatus dehinc incipio, adsit verò incipienti Deus.

AD PRÆFATIONEM EXCEPTIONIS TILENI.

CVM Tilenus Responsionem meam, in qua, illius omnia agitata, excussa, ventilata, atque expensa fuere, vel non attigerit omninò, vel tam leuiter attigerit, vt aliud inter scribendum egisse, atque in hoc negotio perfunctoriam duntaxat operam collocasse videatur. Non est quod vllus miretur, cur tantoperè satagerit iure id factum tueri: illud potiùs, nec iniuriâ sanè, quispiam miretur, quòd homini docto & prudenti venerit in mentem, vt ea consilio suo prætexeret, quæ faciunt vt id quod fuerit perinde luceat & perspiciatur, ac si in aperto positum fuisset. Sed illud erat scilicet, omninò aliquid respondendum fuit, quo iure quâve iniuriâ: Veritus igitur ne responsionis insolentiâ & breuitate, prudens Lector statim initiò offenderetur, aliquid causari voluit; inopiâ verò argumenti eò redactus est, vt in id incurrerit, quod maximè declinare laborauit. Est enim omnis eius excusatio eiusmodi, vt ne colorem quidem habeat; nam quid obsecro obtendit? ait *me secutum ieiunam, spinosam, prolixam, & laciniosam disputandi rationem, ipsius argumenta à me esse deprauata*, huc redit (quæ multò virulentius expressit) illius conuitiorum summa, *se studiosum esse breuitatis, quod veritas sit in paucis*: nempe, non meminit esse verbosam quandam breuitatem, & esse etiam (si ita fas loqui) breuem rerum prolixitatem. Veritus tamen ne vel hæc omnia causando, Lectori parùm satisfaceret, pollicetur opus magni moliminis quo mea omnia, siue ea in hac disputatione, siue in thesibus de gratia & libero arbitrio à me editis (cùm essem Theologiæ professor designatus) prodita sint, confutaturus sit: timidè tamen id pollicetur ac suspensè, *si otij, si prœli typographici copia fuerit, & res citra Lectoris nauseam fieri possit*; postremum hoc ominosè sanè: Cæterùm accusasse satis haud fuit, reum me peragi oportuit. Quicquid verò sit, certè hominem vehementer commouisse videtur Responsio mea, vsque adeò retorrida est, & virulentia bilis quam euomuit. Quod si is sim, si ea feci quæ mihi exprobrat, cur non iam potius, quàm olim, me pro merito excipiat? cur rem prælo (cuius desperat, certè non speret certo copiam sibi fore) quàm Scripturæ malit commitere? nempe *exul est*, vt ait, itaque *cogitur suo se calamo tueri, mihi contrà præstò sunt Amanuenses, præstò studiosi nominis mei, qui meos canant nullâ partos victoriâ triumphos*: Sic rhetoricatur scilicet, vt sui commiserationem moueat, mihi verò inuidiam & odium conflet. In quo illud primò mirandum, quî exulem se esse queratur, qui viuit Lutetiæ, in ipso omnis humanitatis domicilio, & quidem eâ lege, vt in patriam possit liberè redire, & postliminij iure vti. Deinde illud etiam, quî fieri possit, vt homo florens opibus (idque Lutetiæ) operam desideret amanuensis. Denique, cur aut se potius quàm me, qui & ipse patriâ careo, exulem existimet; aut mihi adesse potius, quàm sibi amanuenses suspicetur: *Auditores*, scilicet, *mihi quot sunt, totidem sunt amanuenses*. An is olim auditores suos tam habuerit illiberaliter ego certè nescio, scio tamen meos à me alio haberi loco. Quòd si qui sint (sunt verò plurimi, iique grauissimi viri) qui me defensæ atque assertæ veritatis testimonium perhibeant, mihi ea res fraudi minimè esse debet, qui fidem meam possum testari, me in hac causa nullius mortalium suffragium captasse, contentum scilicet theatro bonæ conscientiæ. Nam quod dictitat, *densa responsionis meæ apographorum examina passim circumuolitasse, priusquàm illud traderetur sibi, quod ego eum habere volueram*, verba sunt, sunt illa quidem dare pondus idonea fumo. Cæterùm verba sunt: Nobilissimus Merouillæus, grauis testis in primis, atque omni exceptione maior, qui ei in manus exemplar vnicum à me missum tradidit, id factum negabit, descriptum quidem fuerit id exemplar, priusquàm ei redderetur, & me quidem authore descriptum, quod ingenuè confiteor: sed causam describendi dedit ipse Tilenus qui Actorum colloquij Lesleani cótra pacta & conuenta, ne Auditoribus quidem copiam vt faceret vllis precibus adduci potuit: at non circumuolitauit tamen ántequàm esset cum eo communicatum: aut igitur hîc fallit, aut fallitur, quod suspicari malim. Hæc sunt quæ ad præfationem Tileni respondere visum est: iam ad rem ipsam venio cum bono Deo.

AD PRIMAM SECTIONEM EXCEPTIONIS TILENI.

§. 1. CONTENDIT Tilenus quæsitum inter nos, *Cur ex duobus adultis æquè corruptis & improbis, alter Euãgelica luce illustratus salutis fiat particeps, in tenebris & vmbra mortis relinquatur alter*. Primũ, hîc queror ambiguè & obscurè proponi statũ controuersiæ: ista enim verba sensũ à quæstione inter nos agitatâ alienũ, non modò facilè admittũt, sed poscunt etiã. Etenim sic quæri videtur, cur è duobus adultis æquè corruptis & improbis, hic (postquàm iam Euangelij luce illustratus est) seruetur, iste (non illustratus tantâ luce) damnetur: Quæ quæstio aut perexiguam aut potiùs omninò nullam difficultatem habet, nempe procliuis, & in promptu responsio est: qui Euangelij luce illustratus fuit, credidit ac resipuit, qui non fuit eâ luce illustratus non credidit, obduruit; indeque factum est alter vt salutis compos fuerit factus, alter exciderit salute, quæ, nisi credenti ac seriò pœnitenti, nemini obtingit. Præstat igitur, sed Tileni verbis (ne sibi fieri iniuriam queratur) quibus initio huius disputationis vsus est, statum controuersiæ proponere. *Quòd* (inquit ille) *asseritur, nempe rationem discriminis, cur hic potiùs quàm ille illuminetur, non aliunde esse petendam quàm à Dei voluntate, alia longè mens fuit Augustini, qui lib. 83. quæst. affirmat rationem discriminis positam esse in occultissimis hominis meritis*: En vltrò agnoscit quæri, non cur è duobus adultis æquè corruptis & improbis, alter illustratus iam luce

iam luce Euangelicâ salutis fiat particeps, in tenebris & vmbrâ mortis relinquatur alter: sed tantùm, cur hic illuminetur, ille non pariter illuminetur, aut verò omninò non illuminetur luce Euangelij. Hic igitur fuerat controuersiæ status, ac mea quidem sententia fuit, quam mihi tribuit Tilenus nullam aliam (quod ad nos attinet) causam huius discriminis reddi posse (cùm sit vtrobique par indignitas, si personæ propiùs introspiciantur) præter liberam dispensationem misericordiæ diuinæ: Tileni verò ea sententia fuit, quam hîc iterum agnoscit vltrò, discriminis huius rationem pendere *ab occultissimis hominum meritis*; cuius sententiæ authorem se habere Augustinum pertendebat, interim tamen *occultissima merita* (cum ego ea verba notassem) credo pudore suffusus, *mala merita* interpretabatur, ea verò nunc, re diligentius expensâ factus confirmatior *bona merita* interpretatur. Tenet igitur Lector statum controuersiæ, tenet meam, tenet Tileni sententiam: Ego quod è duobus adultis & æquè improbis, huic potius quàm illi placet Deo salutarem, & efficacem Euangelij lucem impertiri, puto pendere à liberâ Dei, cuius vult miserentis, voluntate: Tilenus id ab occultissimis meritis proficisci statuit, ac sententię suæ authorem laudauit Augustinum lib. 83. quæstione 68. etiam Scripturam Ezech. 33. 11. & 1. Tim. 2. 4. & 2. Petr. 3. 9. Ego verò locum Augustini (nam de Scriptura postmodum videbimus) primò suspectum habui (quem, si fuisset liber ad manum, minimè suspectum habuissem) timidè tamen & diffidenter suspicatus sum, quòd scirem quæ fuisset aliquando Augustini sententia: conieci igitur ab authore hanc sententiam, fuisse retractatam, denique consulto ipso Augustino domum reuersus affirmaui. Hanc ob causam immane quantum vociferatur Tilenus; nam & Dei nomen obtestatur (quod nisi graui de causa, quæ nulla hîc subest, factum haud oportuit) & me contumeliosissimis verbis proscindit, clamat *me esse ex eorum numero qui videntes nō vident: candorem qui in me videat, eum habere oculos affirmat qui videant quod nusquam est*: Summa tandem huc redit, negat Augustinum *hunc locum attigisse, nedum retractasse*. Proculdubiò commota bilis Tileno animum perturbauit, nam ego eam quidem *sententiam*, & in Colloquio conieci, & domi deprehendi, & in vltima responsione affirmaui ab Augustino fuisse reuocatam, at *loci* nulla vsquam, nulla vnquam à me mentio facta est. Enimuerò Augustinus, vt ipse testis est, aliquando censuit iustificationem (quid sit autem Augustino iustificatio non est obscurum) parari fidei quidem merito, sed quam ab humano partim arbitrio volebat pendere: in eaque sententia fuit cùm librum 83. quæst. conscriberet; at eam sententiam factus consideratior non retractauit modò, verùm etiam splendidè damnauit: Sed ipsum præstat audire. Non sic (vt Pelagius scilicet) pius atque humilis doctor sapiebat, Cyprianum Beatissimum loquor, qui dixit *in nullo gloriandum, quādo nostrum nihil sit*: Quod vt ostenderet adhibuit Apostolum testem dicentem. *Quid autem habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*? quo præcipuè testimonio etiam *conuictus sum*, cùm SIMILITER ERRAREM, putans fidem quâ in Deum credimus non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, iustè & piè viuamus: neque enim fidem putabam Dei gratiâ præueniri (vt per illam nobis donetur quod posceremus vtiliter) nisi quia credere non possemus, nisi præcederet præconium veritatis; Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrûm esse proprium, & in nobis ex nobis esse arbitrabar: quem MEVM ERROREM nonnulla opuscula mea satis indicant, antè Episcopatum meum scripta, in quibus est & illud quod commemorastis in literis vestris, expositio quorundam propositionum ex epistola ad Romanos &c. Quo tempore etiam constat ab eo scriptum librum 83. quæst. quod liquebit conferenti lib. 1. Retract. c. 23. cum c. 26. eiusd. Quid? hîc ne iterum Tragœdias excitabit Tilenus? Non credo, imò contrà ne hiscere quidem volet, non enim libet dicere, audebit. Sed age largiar illi (quod tamen non feci) me scripsisse, *locum* illum quem citat, ab authore fuisse retractatum, quo pacto (si id darem) me falsi reuincet? *ne attigit quidem* (inquit) *Augustinus illum locum*. At attigit & verò retractauit locum qui illi loco ita adhæret, vt vtrouis retractato, vtrumque retractari necesse sit. Iam verò quoniam Tilenus non negat, neque verò potest negare, locum quem attigit Augustinus, illi loco quem citauit ipse, cohærere adeò vt sit illius Ætiologia, agè videamus an eum retractarit, quod si liqueat, res est confecta: liquebit autem verba Augustini paulò attentiùs consideranti, ea verò sic habent lib. 1. Retractat. c. 26. De eo quod scriptum est, O homo tu qui es qui respondeas Deo, vbi dixi, *quia etsi leuioribus quisque peccatis, aut certè quamuis grauioris & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi, misericordia dignus fuerit, non ipsius est qui si relinqueretur, interiret; parum est enim velle, nisi Deus misereatur, sed Deus non miseretur (qui ad pacem vocat) nisi voluntas præcesserit ad pacem*. Hoc dictum post pœnitentiā, nam est misericordia Dei ipsam præueniens voluntatem (nempe voluntatem quam dixerat præcedere ad pacem (quæ si non esset, non præpararetur à Domino voluntas. Qua retractatione cauet, ne occultissima quæ dixerat merita, vllus interpretetur quæ pœnitentiam præcedant, quæue aliunde (quod tamen significasse videbatur) quàm à Dei misericordia, quę voluntatem præparet, proficiscantur. Ac ne quis hîc cauilletur ab Augustino intelligi voluntatis præparationem quandam, quam obsequium non necessariò sequatur, tenendum est Augustinum significare hac locutione Præparationem, quæ sit prædestinatorum propria; quæque à Prædestinatione oriatur, vt effectum à causa. De gratia (*inquit*) Dei, quâ suos electos sic Prædestinauit, vt eorum qui iam in iis vtuntur libero arbitrio (*adultos significat hac circumlocutione*) ipse etiam *præparet* voluntates, nihil in his libris (*quos videlicet scripserat de libero arbitrio*) disputatum sit &c. Item. Et quod paulò post dixi (in expositione quarundam quęstionum ex Epist. ad Rom. retractat) *nostrum est enim credere & velle, illius autem dare credentibus & volētibus, facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum qui diffunditur in cordibus nostris*, verum est quidem sed eâdem regulâ, & vtrumque ipsius (credere & velle) quia ipse *præparat* voluntatem, & vtrumque nostrûm, quia non fit nisi volentibus nobis. Quam

De Prædestin. Sanct. lib. 1. cap. 3.

1. Cor. 4. 7.

Lib. 1. Retract. cap. 9.

» *præparationem* intelligat ex iis quæ continuò subjicit facilè intelligi potest. Ac per hoc etiam quod postea dixi (in eâdem nempe expositione) *quia neque velle possumus nisi vocemur &c.* Sed parũ de ipsâ vocatione disserui quæ est secundum propositum Dei, non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm Electorum. Præparationem ergo voluntatis quæ per vocationem peragitur, eam intelligit, quæ fit iuxta Dei propositum Electorum propria, non communis reprobaris. Etenim (vt alibi Augustinus lib. de Prædest. sanct. cap.6.) *Multi audiunt verbum veritatis sed alij credũt, alij contradicunt, volunt ergo isti credere, nolunt autẽ illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtiq; quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Cæterum demiror Tilenum, conatum esse Augustinum in suas partes pertrahere, quod præter eum, earum quarum est partium nemo, quod sciam, vilius nominis ausus est conari: Sed & eò vehementius demiror, me ab eo tam asperè & inhumanè exceptum, quod dixerim Augustinum eam sententiam quam Tilenus ipsi tribuit reiecisse, cùm à Petro Lombardo, Viro in scholis maximi nominis, ante annos ferè quingentos idipsum proditum sit: nam prolato eo ipso loco quem addixerat Tilenus statim subjicit. Sed quid intelligere voluerit (Augustinus scilicet) ignoratur, nisi fortè hoc dicatur intellexisse, quod supra diximus, eum retractasse, nam ibidem quædam alia continuò subdit, quæ in lib. 1. Retractat. apertè retractat, quod vtrumq; legenti patebit. In eadem sententia est Bannesius Theologus Hispanus Pontificius quidem ille, in hac tamen causa tantò minus suspectus. Quocirca (inquit) locus ille ex lib.83.quæst.quem Iauellus affert, retractatus est ab Augustino, etsi non formaliter, virtualiter tamen, cùm similia loca retractauit, vt aduertit Magister sententiarum. Sic (vt arbitror) satis luculenter aduersus Tileni criminationem, probaui fidem meam.

Lib.1. Sentent. Distinct. 41. litt. C.

Comm. in 1. part. Thom. quæst.23. artic.5.

§.2. Eadem Sectione secundo loco contendit me non tam *speciosè quàm inuidiosè addidisse, indultam vni lucem quæ alteri denegetur, misericordiæ adscribendam, quasi vero is misericordiam excludat, qui occultissima hominis merita ei subordinat, quandoquidem ipsummet fœdus, quantum quãtum est, à sola Dei misericordia est profectum licet fœderis fructus nonnisi certá sub conditione communicetur, cui præstandæ vires necessarias & idonas eadem illa suppeditat misericordia, quibus alij vtuntur alij abutuntur.* Ego verò quod hîc mihi objicit Tilenus non quidem addidi, sed (quod oportuit fieri) statim initio disputationis sum testatus: neque verò vspiam exprobaui Tileno quod Dei misericordiam excluderet, aut negaret vires à Deo præstandæ conditioni necessarias dari, quorum neutrum ne Pelagius quidem fecit; id tantùm reprehendi quod occultissimis meritis tribuerat, quod hic potius quàm ille illuminetur: Sanè queratur Tilenus pari ratione idem non tam speciosè quã inuidiosè Pelagianis olim ab Augustino obiectum. Quomodo ergo (inquit) *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* nisi quia & ipsa voluntas à Domino præparatur, alioqui si propterea dictum est, *non volentis neque currentis sed miserentis est Dei,* quia ex vtroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei, vt sic dictum accipiamus *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* quia id voluntas hominis sola non implet, cur non & è contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis hominis, quia id sola Dei misericordia non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat vt propterea rectè dictum intelligatur, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem, & præparat adiuuandã, & adiuuat præparatam. Nihil luculentiùs nil pleniùs & rotundius dici potuit. Quod Pelagianis obiecit Augustinus, ego Tileno obieceram, idem sentiens eadem sentienti. Nam quod conditioni fœderis gratuiti, quæ est fides, occultissima merita quæ fidem præcedant, substernit vice conditionis, à me iampridem confutatum est. Et certè cùm Apostolus doceat *Impossibile esse sine fide placere Deo,* cùm Scriptura duorum tantùm fœderum meminerit, legis & Euangelij, occultissimis meritis statuere reddi tanquam præmium, lumen fidei; aut præter fœdus Euangelicum & legale aliud fœdus comminisci, cuius conditio neque sit iustitia, vt in lege, perfecta; neque fides, vt in Euangelio, sed *occultissima merita,* mihi videtur, (vt mollissime dicam esse prodigiosæ cuiusdam & immanis confidentiæ.

Enchirid. ad Laurent. c.32.

§.3. Eâdem Sectione monet fore *vt siccus & sobrius Lector* (verba eius sunt) *in me obseruet iudicium non valde candidi pectoris, & a partium studio alieni, turbidisq; affectibus vacui.* Sed quid est hoc tandem quod tantoperè exaggerat Tilenus *Augustinus* (inquit) *Pelagicidarum princeps* (sic enim granditer loqui, illi mirificè demum loqui est) *occultissima merita non minus de bonis, & Iustificationem præcedentibus meritis, quàm de malis accipit. Ipse verò cum nulla esset codicis copia, de malis acceperat, adeoque* (vt ex Actis liquet) *bis restrinxerat*: sed quorsum hæc omnia? vt sit scilicet graui querelæ locus, *Augustinus mihi Orthodoxus est, ipse Pelagianismũ mihi obolet.* Sobrius & siccus à vino fuit Tilenus cum hæc scriberet, (id tam certum est, quàm quod est certissimum) at ab affectu, à bile, cùm hæc scriberet, sobrius & siccus proculdubiò non fuit: nam ego quidem Augustinum Orthodoxum ideò arbitrabar (etiam nunc arbitror) quod postquàm in hunc errorem, quem Tilenus ei tribuit, impetu potiùs incidisset, quàm irruisset consilio; re accuratiùs perpensâ non modò resipuit, sed & hunc ipsum errorem palam reuocauit: neque id solum, verùm etiam inuictis rationibus, è S. Scriptura depromptis, acerrimè atque accuratissimè confutauit; id quod tot libri ab eo scripti atque editi clamant, non modò loquuntur. Contrà verò Tilenus cum non iam aliud agens, sed (vt ipse profitetur) seriò suscepta cogitatione, ac re totos decem annos deliberata, eum errorem amplexus sit, eam ob causam non modò (vt eius vtar verbis) Pelagianismum obolere, sed (quod multò grauius est) inhalare, non sine graueolentia mihi visus est.

§.4. Postremò eâdem Sectione miras ciet turbas ob rẽ nihili. Ait se *citasse, non recitasse ex Augustini de Ciuitate Dei lib.19.c.13. locum quendã, id quod ego dissimularim: Domũ quippe reuersus inspecto loco erubui scilicet, interpolationẽ causari, aut comminisci retractationem.* Atque hîc iubet me *habere pudoris* (noluit enim vir grauis, & moderatissimi scilicet ingenij,

ingenij, *impudentiæ* dicere) *præmium, ab eodem Augustino mantissam ex libro de Prædest. & Grat. cap. 15. & lib. de Vera Relig. c. 4.* Singula hæc excutiam sigillatim, ac (vti confido) non me culpâ modo, verùm etiam & suspicione culpæ liberabo. Nego primùm Tilenum eum locum citasse, aio verò in margine notasse, atque ita quidem notasse, vt ad eum locũ in disputatione minimè respexisse videatur. Verba eius sic habent, *cùm tamen* (inquit) *Augustinus, vt patet ex antedictis, maluerit eam in occultissimis meritis collocare.* Atqui in antedictis nusquam meminit Tilenus loci quem in margine notauit, tantùm illius loci meminit, quem citarat ex lib. 83. quæst. neque enim eo loco, quem in margine notauit, vlla fit occultissimorum mentio meritorum: Deinde, qua ratione ad eum locum respondere potuissem, cùm codex ad manum non esset, isque nullum ex eo loco verbum recitasset? maximè cùm esset nostra disputatio ex temporalis, cuius hæc est ratio, vt animum exigat attentum ad ea quæ dicuntur, potiùs quàm oculos in ea intentos, quæ fugientibus notulis in margine obiter notantur. Certè si hæc fraus fuit, cur Tilenus ipse domum reuersus, meâ responsione perуolutâ per otium, eam non obseruauit? cur ea ἐυςάσις quam ad me Lutetiã misit, illius me non admonuit? quæ est hæc noua diligentia? aut si ipsius negligentiâ factum id est, cur hoc quicquid est à me admissum, non negligentiâ potius, quàm dolo malo admissum esse suspicetur? Equidem candorem amo, odi fraudem, odi suspicionem fraudis ex animo. Cæterùm locus ille neque pro Tileno neque contra me quicquam facit: Eo pacto æquissimo (*inquit Augustinus*) vt quicunque mortalis talibus bonis, paci mortalium accommodatis rectè vsus fuerit, accipiat ampliorem & meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique conuenientem gloriam, & honorem in vitâ æternâ: qui autem nec illa accipiat, & hæc amittat. Quis obsecro nostrûm hæc vnquam negauit? tantùm negamus vlli vnquam contigisse, præterquam iis qui Dei spiritu renouati sunt, iis naturæ bonis rectè vti: Idque tribuendum asseueramus ingenij humani indomitæ malignitati, quæ tanta est vt aliâ ratione edomari haud possit, quam per prædicationem Euangelij, Spiritu Dei eam comitante. Nam *postquam* (inquit Apostolus) *in Dei sapientia mundus non cognouit Deum ex eius sapientia placuit Deo per stultitiam prædicationis seruare credentes, quandoquidẽ & Iudæi signum petunt, & Græci quærunt sapientiam, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum Græcis verò stultitiam, ipsis autem vocatis tum Iudæis tũ Græcis, Christum Dei potentiam & sapientiam.* Hinc est (*inquit Augustinus*) quod verbum crucis pereuntibus stultitia est, iis autem qui salui fiunt virtus Dei. Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos omnes saluos vult fieri, & in agnitionem venire veritatis: nam & si illos quibus stultitia est verbũ crucis, vt ad Christum venirent docere voluisset, proculdubiò venirent & ipsi; non enim fallit aut fallitur qui ait, *Omnis qui audiuit a Patre & didicit, venit ad me*, Absit ergo vt quispiam non veniat, qui à Patre audiuit & didicit: Quare (inquiunt) omnes nõ docet? Si dixerimus quia nolunt discere quos nõ docet respondebitur. Et vbi est quod ei dicitur, *Domine tu conuertens viuificabis nos*, aut si non facit volẽtes ex nolentibus Deus, quid orat,

De Ciuit. Dei lib. 19. cap. 13.

1. Cor. c. 1. vers. 21

De Prædestin. Sanct. lib. 1. ca. 8.

Ecclesia secundum præceptum. Domini pro persecutoribus? Vides opinor, vides Clarissime Tilene non significasse Augustinum libro à te iam citato, quid præstetur ab homine, aut verò per prauitatem ingenij (nisi adsit Dei verbum, & spiritus) possit præstari, sed quid requirat Deus, quid æquum sit hominem præstare; de quo nulla mihi iam tecum controuersia est. Cæterùm moneo *pacem immortalitatis* malè accipi à Tileno pro donis gratiæ; Immortalitatem enim ipsam eam circumlocutione Augustinus designauit, dum ad pacis terrenæ nomen alludit; Id quod facilè ex iis quæ proximè antecedunt, adeoque ex hoc ipso loco intelligi potest.

Venio iam ad mantissam, quæ me tantùm abest vt terreat, vt confirmet etiam magis magisque, sic enim habet. Quantum ad naturam, ambo homines erant (Pharao & Nabucodnosor) quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes; quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero, contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio? Quid hîc obsecro, aliud agit Augustinus, quam vt ostendat hominum, si naturæ, si dignitatis, si causæ, si castigationis rationem habeas, parium fines esse diuersos, eiusque diuersitatis hanc posse reddi rationem, quòd alteros pœniteat, alteros verò haud quaquam. Estne (quæso) nostrûm vllus qui id neget? At non obseruauit Tilenus quàm cautè, quàm sapienter Augustinus; vbi de gemitu Nabucodonosoris agit, liberi arbitrij nullam fecerit mentionem; meminerit verò idem liberi arbitrij disertis verbis, cùm de Pharaonis agit pugnâ aduersùs misericordissimam Dei veritatem; nempe horum duorum alterum hoc ab homine, alterum illud à Deo est. Hîc verò subit mirari Tileni præcipitantiam, (nolim enim fraudem, nolim oscitantiam, nolim ἀβλεψίαν, μετεωρίαν, cæcitatem dicere, quam ille nimis sæpè, nimis inclementer mihi exprobrat) continuò enim nullâ intercapedine subjicit Augustinus ea, quæ controuersiam quæ est inter nos (siquidem illius stamus authoritate) dirimunt. Hîc (inquit) quicunque respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinum, huic vt induraretur defuisse præsidium: & hoc contendit iniustum, propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens, dixit Apostolus, *cuius vult miseretur, quem autem vult indurat*, dicente Domino, *sine me nil potestis facere*, intelligat ita omnia, vel adiuuante Domino perfici, vel deferente permitti, vt nouerit tamen nolente Domino nihil prorsus admitti. Sed reditur ad paruulos, reditur ad geminos, parum est quod dixi, reditur ad necdum natos, qui & eodem concubitu seminati, & eodem momento in lucem proferendi. En discrepans diuersumque iudicium diuinæ voluntatis apparens, sensus hominum de voluntate Dei superbè nimium disputantes, magnitudine quæstionis obturbat. Exalta iam viribus vocem tuam, ô iniuste accusator iusti, & dic mihi, quid ille mali commisit, quid boni ille meruit? Et respondet tibi, non ego, sed Apostolus Paulus, nihil quidem ambo meruerunt, sed habet potestatem figulus luti, ex eadem

Lib. de Prædest. & gratia cap. 15.

„ massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud
„ verò in contumeliam. Dicturus es, quare? quæ est
„ huius iudicij tam confusa diuersitas? rursus hanc
„ præsumptionem ille confutet, & dicat, *ô homo, tu*
„ *qui es qui respondeas Deo?* En suppleui locum Clariss. Tilene, qui à te plenè non fuerat citatus. Animaduertis igitur, vt Augustinus diuersorum finium primò reddat rationem, tum etiam diuersitatis mediorum: ac finium quidem diuersitatis rationem reddit, huius resipiscentiam, illius impœnitentiam: Cur autem huic quàm illi potiùs resipiscere sit datum, diuinæ voluntati, non autem (quod tu facis) *occultißimis meritis* adscribit: Nam quæ de fatali necessitate infercit Tilenus de suo infercit. Neque enim Augustinus, neque verò nos etiam fatali necessitate fieri credimus, vt hi potius quàm illi resipiscant: nisi fortè Dei gratia, quæ facit vt credamus scientes volentes; aut naturæ prauitas quæ facit, vt iudicio & voluntate peccemus, fatalis necessitas appellanda est: quòd hæc tanta sit vt nisi per gratiam tolli nequeat; illa nisi volente Deo nemini obtingat. Sed hæc vetus Pelagianorum calumnia est, quam Augustinus non sine iustâ indignatione depulit.

Contra 2. Epist. Pelagia. lib. 2. cap. 6.

„ Itane verò (*inquit*) filij superbiæ, inimici gratiæ
„ Dei, ô noui hæretici Pelagiani! quisquis dicit,
„ gratiâ Dei omnia hominis bona merita præue-
„ niri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gra-
„ tia, si non gratis datur, sed debita merentibus
„ redditur, fatum vobis videtur asserere? At *poterat*
„ (inquit Tilenus) *non ingemiscere qui ingemuit.* Sanè poterat, & verò impotentem illam potentiam, factum fuisset secutum, nisi prohibuisset Deus. *Qui verò contra Dei misericordißimam veritatē pugnauit, poterat*(inquit)*non vltrà pugnare.* Omninò, nisi scelestus fuisset. At induratus fuit. Certè. Quid deinde? non eorum qui indurati sunt, vel fatente Tileno ea conditio est, vt nequeant resipiscere. Nam quod addit. *Sic enim alibi Augustinus, quoniā peccari non est dubium, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium: Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate sed necessitate seruirent.* (Vt hoc loco illud taceā quod nos illius authoritate libri, vnde petita sunt ista, minimè commouemur. Cùm Augustinus ipse omnium suorum scriptorum quæ edidit de libero arbitrio aduersus Manichæos, dum esset adhuc presbyter, authoritatem eleuarit, vt infrà demonstrabimus.) Quid aliud quæso, ex eo loco colligi potest, quàm homini inesse liberum arbitrium (quod si quis negaret, idem homo qui sit, eundem hominem esse negarit) & esse meliores qui liberaliter, sponte, volentes seruiant Deo, quàm qui necessitate coacti, aut cœco quodam & bruto impetu vt belluæ faciunt, quod Deus vult. Nam omninò eo loco necessitatem eam Augustinus intellexit, quæ pugnat cum voluntate. Neque verò hîc regerat Tilenus necessitatem pugnare cum voluntate, cùm id neget ipse, & quidem exsertè, Verba eius sunt: *Sed excipit* (Camero) *perperam igitur me statuere, quod necessitas pugnet cum natura voluntatis: Ego verò non voluntatem hoc significatu sumptam, sed libertatem cū necessitate pugnare dixi.* Priùs dixerat: *Reprehendit me* (Camero) *quod dixerim voluntatem naturaliter appetere finem.* En quo significatu neget Tilenus necessitatem pugnare cum voluntate. Sed age, iam idipsum Augustini testimonio probemus. Certè Christus Deo seruiuit liberaliter, Christo inerat liberum arbitriū, necessariò (non coactè tamen, aut cœco instinctu naturæ) Deo seruiuit. *An ideò* (inquit) *in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quātò magis peccato seruire non poterat?* Et alibi. *Qualis*(inquit)*potest esse serui addicti libertas, nisi quando eum peccare delectat: Liberaliter enim seruit, qui Domini sui voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandū liber est qui peccati seruus est.* Apertè necessitatem peccandi, *libertatem* vocauit, adeò noluit cum libertate pugnare necessitatem.

Lib. 1. Retract. cap. 9.

Sect. 8. §. 1.

Ibid.

August. de Prædestin. Sanct. lib. 1. cap. 17.

Enchirid. ad Laurent. cap. 30.

Ad Secundam Sectionem.

Secundâ Sectione expendit responsiones meas ad duo illa Scripturæ testimonia Ezech. 33. 11. 1. Tim. 2. 4. ac primò quidem me quærentem facit, cur si Deus omnium conuersionem vult, & salutem, id non fiat: Deinde cur lux illa non æquè indulgeatur omnibus indignis, ac illis qui Matt. 10. *digni* vocantur. In quo illud primùm offendit, quod mihi quæstionem affingit hominis parum sobrij, *cur lux Euangelij nō æquè indulgeatur omnibus indignis, ac iis quos Christus dignos vocauit*, quod mihi nunquam venit in mentem quærere. At, cur si Deus omnium promiscuè conuersionem vult, non sequatur Conuersio, id memini à me quæsitum; sed certo consilio, quod adeò aperui, quodque hîc à Tileno suppressum queror, non enim id à me eo animo quæsitum est, ac si vellem Deum nolle omnium Conuersionem (vt Tilenus affingere mihi videtur) sed vt (id quod feci) eum eò adigerem, vt fateretur Deum non omnia *pariter* velle. Quod si mihi concederet (concessit autem vt iam, ostendam) videbar mihi effecisse non pugnare illa Scripturę loca cum dogmate de Gratia speciali. Hoc enim pacto fit, vt ex eo quod Deus omnium salutem velit, inde nemo possit concludere Deum omnium salutem *pariter* velle, (quod est dogma Tileni) tantum verò concludi possit, Deum omnium salutem velle, quod meum dogma, seu Ecclesiæ potius est: Id quod etiam quî fieri possit, pro modulo satis apertè declaraui. Sed iam videamus vt se huius quæstionis nexibus Tilenus explicarit: *Responderam* (inquit) *cùm ex duobus improbis alter alteri præfertur, id esse in sensu diuiso, non in sensu composito accipiendum.* Non repeto quæ contrà exceperam, quæque hic (vt pene omnia mea) subticet Tilenus. Tantùm dico ne sic quidem effugio parêre locum: non enim quæsiueram (hoc inquam loco) vnde fiat, vt Deus huius potiùs, quàm illius conuersionem velit, sed annon sic velit Deus; vt nimirum ostenderem Deum non velle pariter omnium conuersionem. Deinde, vnde quæso factum est, vt cùm Deus omnes æquè improbos in sensu composito, velit esse in posterum probos, talesque vt sint improbi tantùm in sensu diuiso, hoc est, vt qui fuerant pariter improbi, non iam improbi sint, sed habeant, vt loquitur Tilenus *occultißima merita*: Vnde fit, inquam, vt hæc Dei voluntas in his potius, quàm in illis impleatur. Hîc excipit Tilenus, *hominem nouis gratiæ viribus instructū posse vti, aut non vti gratia.* (Nihil ad rem) neque tamen exponit quæ sint hæ nouæ gratiæ vires, & in quo sitæ. Num in naturæ viribus? at hæc Pelagij hæresis

§. 2.

§. 3.

hæresis fuit. Num in Euangelij prædicatione? Hæc item Pelagij hæresis fuit. Num in illuminatione internâ? at illa omnibus non obtingit, cùm Euangelium multis stultitia esse videatur. Sed hæc mitto, illud quæro, si Deus pariter vult omnes vti naturæ viribus rectè, vti rectè Euangelij prædicatione, vti internâ illuminatione rectè, vti rectè gratiâ, cur non sequitur idē in omnibus euentus? *Hominū*, inquit, *vitio id fit.* Omninò rectè. Sed iam iterum quæro, velitne Deus vitium id corrigi? Si respondeat Tilenus Deum id non voluisse pariter in omnibus, assecutus sum quod volo. Si autem vult parem Dei voluntatē, non habuisse euentum parem, iterum quæro. Num imbecillitate, aut incogitantiâ, aut ignoratione, aut denique voluntate Dei factum sit, vt quæ Dei voluntas par fuit, ea exitum habuerit disparem? Non est imbecillitate vllâ factum profectò, non incogitantiâ, non ignoratione, non voluntate etiam, pugnant enim ista, vt quæ Deus pariter voluit, ea non voluerit pariter. Hîc verò excipit Tilenus, *vt miles à Duce acceptum gladium, vel stringit in hostem si strenuus, vel si ignauus est, finit hebescere: sic hominem vel vti gratiâ, si bonus; vel non vti, si non est bonus.* Itaque gladius vt non facit strenuum, sed datur strenuo, Gratia non facit bonos, sed bonis indulgetur: id quod Tileno fortasse, qui occultissima merita gratię pręstruit, dictu durum haud videbitur, mihi dictu horrendum videtur. Sed quando is, hoc, quicquid est, adeò facilè concoquit, quæro iterum, An velit pariter Deus omnes esse Bonos & strenuos milites, qui gratiâ veluti gladio pariter vtantur? an verò alios ita demum velit esse bonos, vt tamen haud decernat id fore, alios verò ita velit esse bonos, vt id fore decernat? an verò neminem decernat fore Virum bonum, sed iubeat tantùm & hortetur, idque velit hactenus duntaxat: Si prius vult, mea est sententia: si posterius, obueniet mortalibus, Deo non decernente, res pręstātissima, Pietas & Virtus. Diuinam voluntatem Ego quidem distribueram, in eam quâ Deus aliquid statuit, (hac voluntate dixi Deum quorundam tantùm velle Conuersionem) & in eam qua vel Deus aliquid simpliciter præscribit, (quomodo Abrahamum iussit filium immolare,) vel qua non modò aliquid simpliciter præcipit, verùm etiam insuper præcepto delectatur, (hac voluntate dixi Deum velle omnium conuersionē.) Hîc Tilenus exclamat, *O iecur Theologi!* si esset inter disputandum exclamandi locus, Ego vicissim exclamarem, O grauitatem, ô moderationem, ô mansuetudinem viri iam senescentis, Viri Theologi, Viri Christiani! Sed ad rem. Cedo, quid in hac voluntatis diuinæ distinctione desideret Tilenus? *Num igitur* (inquit) *quæ Deus præcipit ea vult carere effectu?* Minimè verò, inquam: Sed ea tamen non constituit ac decernit continuò habere effectum, habitura procul dubio si decerneret: quod tamen vt plerumque haud euenire ipsa experientia apertè testatur. Neque verò Ego vnquam existimaui (vt facit me excipientem Tilenus) Deum haud aliter pœnitentiam exigere, quàm quo pacto ab Abrahamo vt filium immolaret postulauit. Sed cùm voluntatem Dei distinxissem in decernentem ac præcipientem: hanc rursus distinxi in eam quâ Deus præcipit etiam id quo non delectatur, (atque huius voluntatis exemplum attuli præceptum datum Abrahamo de filio immolando;) & in eam quâ Deus id præcipit, quo mirificè delectatur, quamuis id non decernat; quo modo vult omnium hominum conuersionem, quamuis eam in omnibus efficere non statuat, ac decernat. *At sic*, (inquit) *statuentur in Deo duæ contradictoriæ voluntates, vt videlicet Decernente voluntate, velit paucos seruari* (dicendum erat, *conuerti.* Nam salutis alia, conuersionis alia ratio est) *Præcipiente, omnes.* Nequaquam verò; non sunt enim iidem subiecti termini (vt loquuntur) quos legitima contradictio requirit, voluntas *decernēs* & *præcipiens*: Illa, circa quemlibet euentum versatur. Ista, circa officium creaturæ, non quidem sub euentus, sed sub debiti boni ratione. Sed iam audiamus Tilenum magni nominis Theologum, nos tamquam de superiori loco docentem. *Quin potius* (inquit) *eâ vtimur distinctione, quam ipsa voluntatis diuinæ natura, eiusque obiecta postulant? Sunt quædam* (inquit) *quæ Deus ipse facit, sunt quæ à nobis vult fieri: illa nūquam carent effectu, ista sæpissimè. Quæ Deus ipse vult facere, ea nobis nō aperit semper; quæ à nobis vult fieri, ea semper exponit ac præcipit. Seriò vult vt peccator resipiscat & credat &c.* Quid ego audio? Noua ne hæc distinctio, an verò eadem illa (verbis paulùm mutatis) quam Tilenus à me adhibitam modò reprehendit? Profectò eadem est. Is Deo tribuit voluntatem, qua vult facere: (Hæc voluntas est *decernens*,) & voluntatem quâ vult ab homine præstari officium; hæc voluntas est *præcipiens*: Nunquid hæ duæ voluntates contradictoriæ sunt? Nam seriò quidem vult vt peccator resipiscat, nunquid etiam seriò id decernit? Num & seriò statuit ipse facere vt omnes indiscriminatim resipiscant? Placet id Tileno? At inquiet fortasse Tilenus Deus nemini id decernit. Non vult igitur id, inquam, voluntate decernente, tantùm vult præcipiente: Itaque diuersa in Deo est voluntas præcipiens & decernens: Neque verò idcircò statuendæ sunt contradictoriæ in Deo voluntates. Cæterùm (quantumuis id Tileno non placeat) quibusdam hominibus certè, non modò præscribit Deus pœnitentiam, vt officium, verùm etiam decernit vt euentum: non est enim credibile, tam singularem euentum Deo non decernente, tantùm verò iubente, sequi: Deo, inquam, à quo omnes omnium rerum exitus & euentus dependent. Porro, vt videtur, minus commodè expressa est Tileni distinctio: Etsi enim Deus quicquid facit, idem decernit, non tamen quicquid decernit, idipsum continuò facit: Vnde quædam Deus dicitur permittere, quæ scilicet ipse nec facit, nec iubet fieri, fieri tantùm sinit certo consilio, & facta moderatur. Quæ postremò de quodam è Patribus Dordracenis hîc adjicit, missa facio; nam & eam calumniam ego iam sæpe depuli: Præterea verò nihil facit ad causam, quid hic vel ille dixerit. Sed solenne est Tileno satagere quî me cum nostris committat: Scilicet vt inuidiam mihi conflet: id quod hactenus satis infœlici successu tentauit, credo etiam tentaturus est.

§.4. §.5. §.6.

Ad Tertiam Sectionem.

QVoniam verò obieceram ipsius sententiam conspirare cum dogmate Pontificiorum de

Merito: id studet primo loco tertiâ sectione amoliri, neque verò vel refellit, vel etiam conatur eas refellere rationes, quibus id euici, tantùm leuiter quoddam vocabulum à me vsurpatum carpit, & me facit à Britannis Theologis dissentientem. De vtroque videamus. Cùm dixissem à Christo *dignos* vocari iam conuersos, adieci rationem, alioqui fore quandam in homine impœnitente dignitatem. *Dicendum* (inquit) *erat in homine non conuerso*. Dixeram ensem, debueram gladium dicere: Certè, quandoquidem impœnitentem opposui conuerso, impœnitens mihi est adultus quicunque non est conuersus. Sed age ne de verbis litigemus. Dixerim aliquam fore dignitatem in homine non conuerso. Hoc non displicet Tileno? dat igitur locum merito de congruo. Certè hîc captus est. At verò *Theologi Britanni distinguunt antecedanea ad conuersionem, ab ipsâ conuersione, atque in his numerant notitiam diuinæ voluntatis, timorem pœnæ, spem aliquam veniæ*. Quid tum postea? Ideòne hæc voluerũt *omnem* gratiæ lucem præcedere? aut hęc requirere Deum tantùm, non item peccatorem ita afficere vt hæc præstet? aut hæc inter *occultissima merita* quæ fidem præcedant numeranda censuerunt? Nequaquam verò certè. Equidem ingenuè fateor, Deum sæpenumerò paulatim & pedetentim conuersionem suorum promouere, nunquam tamen dederim vllum esse, quem peccati pœniteat, qui idem non sit conuersus: Quod affirmat Tilenus. *Etsi enim* (inquit) *nullus impœnitens est conuersus, non tamen omnis pœnitens est conuersus*. Nam quid obsecro aliud est pœnitentia quàm conuersio? Certè quæ vox Hebræa (תשובה) pœnitentiam, eadem conuersionem notat. Interim tenendum est conuersionis esse quosdam gradus, à quorum primo ad secundum, atque ita deinceps ad vlteriores deuenitur. Argumẽto illud sit, *conuerte me Domine, & conuertar*. Quæ vox hominis est partim conuersi, partim etiam conuertendi. Itaque antecedanea ad conuersionem, priores conuersionis gradus dici possint haud absurdè; ij præsertim qui iis qui quadamtenus progressi, cum his qui vltrà prodiere sunt communes: Inde tamen non fit, vt Deo illa qualiacunque rudimenta pietatis, non debeant in solidum accepta referri. Deinde reprehendit quod dixeram, conuersos dici posse oues perditas, *non enim* (inquit) *idem perditus est, & inuentus*: tum ait, *se edoctum ab Ezechiele. Oues perditas esse non quatenus requiruntur, & eripiuntur periculo, sed quatenus dispersæ*. Denique monet, *aliud esse liberationem implorare, aliud obtinuisse?* atq; id me iubet satis superciliosè à popularibus meis discere. Respondeo ad singula. Profectò, idem non est perditus & inuentus, attamen in hoc genere inuentus non est, qui non fuerat perditus. Oues Ezechieli dispersæ requiruntur, & eripiuntur periculo: Ergo, inquam, qui requiruntur & eripiuntur periculo, oues perditæ dici queant. Deinde Tilenus dum ait, *aliud esse liberationem implorare aliud obtinuisse* ipse suam diluit reprehensionem: Nam vt qui implorat liberationem quam nondum obtinuit, iam quodam modo liberatus est (vt pote qui spiritu precum & fidei donatus sit, sine quâ frustrà preces concipiuntur) sic etiam quodammodo ouis est, & quidem ouis perdita. In hoc genere conuersorum dixi esse illas oues perditas, quas Christus *dignos* vocat: Verba mea fuere, *gemebant & suspirabant redemptionem, & anhelabant ad tantæ gratiæ cognitionem, cuius notitiam claram nondum habuerant*. Cæterum quæro, num Christus qui se profitetur missum duntaxat ad perditas oues domus Israëlis, *dignos* tantum notet? quæro etiam, num oues illæ quarum meminit Ezechiel, *digna* fuere quæ requirerentur? Vtrumque quæro. Nam Tilenus dum vult tueri *dignos* illos nondum fuisse conuersos, contendit eos fuisse oues perditas, ad quas solas Christus fuerit missus: missus ergo, inquam, fuerit tantum ad *dignos*: atqui Christi vox est *non veni vt seruarem iustos, sed vt vocarem iniustos ad pœnitentiam*. Tum, dum vult efficere *dignos* illos non fuisse conuersos, sed perditos, ait eos fuisse ex eo ouium genere quas Ezechiel *dispersas* vocat, quæque adeo *digna* fuerint. Atqui inter eas oues perditas quas describit Ezechiel, immane quantum est discrimen, nam ex iis sunt quæ cornu petant, sunt quæ sint mansuetæ & mites. Existimat Tilenus *mansuetas & mites* esse oues quæ nondum sunt conuersæ, aut verò *dignas* eas esse quæ cornu petant? Quod si id non existimat, quid prohibet conuersum eundum duci *ouem perditam*? Queritur denique eadem sectione, se à me iniuriâ reprehensum quod collegisset *non aptius Berœenses (si nihil egerint) vocari generosiores, quàm si quis mortuum excitatum vocet generosiorem mortuo non excitato*. Id ego quidem refutaui iis rationibus, quæ cùm à me in superiori responsione allatæ sint, hîc non sunt repetendæ. Tilenum eo nomine nequaquam reprehendi, aliud erat: Illud scilicet abominatus sum quod illi absurdum videretur, vt tota laus, excitantis à morte peccati, nulla esset excitati. Iam quî id diluit quæso? *Lucas* (inquit) *dixit Berœenses generosiores*. Collige, ergo Lucas noluit totam laudem esse excitantis Dei. Egregia verò collectio! Dei opera laudantur, tota igitur laus non est Deo in solidum tribuenda, sed ita partienda; nimirum vt creatori deunx, creaturæ saltem vncia pro ratâ parte, assignetur: aut verò ita vt æquilibrij quidem laus sit Dei, propensionis verò in meliorem partem, potiùs quàm in deteriorem, gloria creaturæ propria sit. Siccine placet colligere? Interim tamen non nego laudari creaturam quatenus Deum refert, sed ea laude cuius argumentum à Deo est (vt ita loquar) ex asse.

§.1. §.2. §.3. §.4. §.5.

Ad Qvartam Sectionem.

Qvartâ Sectione exagitat quod ei objicienti Deum fore peccati & exitij causam, siquidem non indulget omnibus eam gratiam, sine qua non potest non peccari, responderam, Minimè id sequi, propterea quod ea necessitas peccandi, nihil aliud sit quàm vehemens quidam atque irreuocabilis ad peccandum impetus, qui inhiberi aut sisti nisi ope diuinâ non possit, Neque verò idcircò excusationem mereatur, cùm non sit inuoluntaria, sed spontanea quædam necessitas. Cuius sententiæ Augustinum authorem sum secutus: Is igitur sic ait, « Verùm hæc pars generis « humani (nota PARS) cui liberationem Deus re- « gnumque promisit æternum, numquid meritis « operum suorum (vbi iam sunt *occultissima merita?*) reparari potest? (nota *potest*) absit. Quid enim operari potest perditus, nisi quantum (nota, *quantum*)

Enchir. ad Laur. cap. 30

" *quantum*(fuerit liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? & hoc absit. Nam libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit & ipsum: Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se occidit, sed se occidendo non viuit, nec seipsum resuscitare potest, ità cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est. At, inquit Tilenus, saltem *sic Deus statuitur actu negatiuo causa peccati.* At verò, inquam, fieri id nulla ratione potest, cùm hic Dei actus negatiuus nihil aliud sit, quàm non tollere è medio peccatum, quod Deus posset, siquidem id decreuisset. Nunquid peccati malignitatem non è medio tollere, non inhibere, sed in ordinem cogere, Deum facit authorem peccati? Splendida blasphemia est, si sic statuit Tilenus. Atqui ego nullum alium actum Deo tribuo circa peccatum, quà peccatum est, quam quo permittitur, quoque eius modus circumscribitur, ac definitur, & denique, res tam inordinata ordinatur: Quem actum qui Deo adimit, idem Deo Prouidentiam detrahat necesse est. Dixeram prętereà pari incommodo vrgeri eius sententiam: Etenim is fatetur omnium voluntatem non flecti, neque tolli posse peccatum, nisi prauitas illa voluntatis emendetur: Porrò, Emendationis author est Deus, qui facit in nobis velle & perficere. Id verò nō perficitur à Deo in omnibus. Respondet inter contumeliosissima conuitia, *Deum non operari irresistibiliter, sed resistibiliter.* Hìc iam non dicam id ab eo dici, quod à me multoties confutatum est, ab eo nondum probatum. Aliud dicam quod Tilenum vrgeat vehementiùs. Si Deus author peccati statuitur à nobis, id fit vel ob rationem agendi quam sequitur (nobis authoribus) in iis qui conuertuntur, vel ob eam quam sequitur in iis qui pertinaciter resistunt. At prius illud dici non potest, quo pacto enim iis peccandi author Deus esse possit, in quibus peccati vim infringit sensim, & denique abolet? Neque verò ex nostra sententia sequitur posterius, nempe vt statuatur author peccati ob eum agendi modum, quem (nostrâ quidem sententiâ) adhibet in reprobis, atque iis qui pertinaciter resistunt, ni pari ratione sequatur idem absurdum Tileni sententiam: Enimuerò hac in parte inter nos & Tilenum consensus est: nam vt is Deum agnoscit in reprobis agere irresistibiliter, sic nos etiam sentimus. Itaque vel non premitur illo graui incommodo [quod nobis objicit Tilenus] hæc nostra sententia, vel si eo premitur, pariter laborat sententia Tileni [quæ hìc, inquam, eadem est quæ nostra] id quod erat demonstrandum. Nec facit ad rem quod respondet Tilenus *fieri id hominum vitio, quod resistant Deo:* Est enim & illa nostra sententia, toties exposita, toties repetita, inculcata, demonstrata: in eoque humani cordis duritiem detestamur, quæ tanta sit vt tantisper resistat Deo donec is singulari quadam ac præcipua ratione vim in ea edomandâ Spiritus, & verbi sui exerat. Neque verò ideò negamus Deum seriò velle, omnium omninò hominum conuersionem, tantùm negamus Deum eam rem ita velle, vt continuò decernat euentutam. Vbi est [inquit Augustinus] illa omnipotentia quæ in cœlo & in terra omnia quæ voluit fecit, si colligere filios Hierusalem voluit, & non facit? an potius & illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit? Sed eâ quoque volente colligere filios eius, collegit ipse quos voluit, quia in cœlo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam vero voluit & non fecit (voluntate nempe decernente) sed omnia quæcunque voluit fecit. Quis porrò tam desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? sed cùm facit, per misericordiam facit: cùm autem non facit, per iudicium non facit. Eligat iam Tilenus vtrum malit statuere Deum decreuisse omnium conuersionem, an, Deum non decreuisse omnium Conuersionem: alterutrum velit necesse est; vtrumuis autem velit, effugere haud potest. Etenim si statuat Deum decreuisse omnium conuersionem, aut omnes necesse est conuerti, aut Dei consilium, euentu cassum, reddi irritum: si verò non vult Deum omnium decreuisse conuersionem (quod ego pariter nolo) cur eam mihi exprobrat, cur suggillat & vexat sententiam in qua ipse est? Nam inuidiæ plurimum fortasse, coloris certè parum habet, quod toties repetit, *Deum propriè ea non velle, quæ non facit ipse:* Si quidem eiusmodi est hominis pœnitentia, vt fieri nequeat nisi Deo solo in solidum operante: Quod enim eiusmodi est pœnitentia, creaturæ vitium est; nempe *homo animalis non capit ea quæ sunt Dei, neque verò potest capere, &c. affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, &c. sine me nil potestis facere.* Desinat quæso Tilenus inuidiam facere veritati. Nihil potest homo certè in hoc genere, at suo vitio nihil potest: Imò hoc ipsum quod nil potest nisi reluctari & obniti, (vt supra dixi) vitium & peccatum est. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater trahat eum.* Obsecro te Tilene, ideò non excusandi sumus? ideone voluntati Dei, non nobis adscribendum, si minus venimus, quodque nemo possit venire ad Christum, nisi Pater trahat eum? aut verò ideone quod Pater omnes promiscuè non trahat, censendum nolle Patrem vt veniant omnes? Profectò, fidei causa est Deus, incredulitas humana nisi operante Deo depelli haud potest, soloque Deo operante depellitur: attamen vt Sol lucis, non itidem tenebrarum causa perhibetur, tametsi eius solâ vi tenebræ pellantur, sic fidei author est Deus, incredulitatis non est author, etsi solus possit incredulitatem in fidem commutare. Iam quod eàdem Sectione ait *me nihil præuium in homine agnoscere:* calumnia est. Agnosco enim etiam in incredulis præuia quædam, sed ea Deo authori omnis boni ascribo. Quæ hæc inuidia est, Deum agnoscere & prædicare in solidum omnis boni authorem? Patior verò libenter laudari fidem, culpari incredulitatem, contra quam quod Tilenus mihi affingit: Mihi tamen haud placet vt perinde fidei virtus hominis arbitrio, ac incredulitatis vitium tribuatur. Hìc vero quærit Tilenus quæ sit ratio, cur perspecta fides Centurionis Christo admirationem mouerit; Siquidem eam fidem vi irresistibili ipse per omnipotentiam effecit? mihique exprobiat quod cauillatiunculam quâ nunc primùm vsus est non antehac diluerim. At ego iam certè hoc quicquid est facilè diluam; Christus quà Deus est, nil propriè miratur; quà homo miratur quicquid miratur. Porrò quà Deus est, efficit; quà homo est, fidei author non est; quà homo, miratus est quod fecit quà Deus. Nam quæ sunt rara & eximia, etsi maximè Deum habeant authorem, maximam patiunt

Marginal notes: §.1. — §.2. — §.3. — August. Enchirid. ad Laurent. c. 97. & 98. — Ibidem. — Ibid. — Ibidem.

Merito: id ſtudet primo loco tertiâ ſectione amoliri, neque verò vel refellit, vel etiam conatur eas refellere rationes, quibus id euici, tantùm leuiter quoddam vocabulum à me vſurpatum carpit, & me facit à Britannis Theologis diſſentientem. De vtroque videamus. Cùm dixiſſem à Christo *dignos* vocari iam conuerſos, adieci rationem, alioqui fore quandam in homine impœnitente dignitatem. *Dicendum* (inquit) *erat in homine non conuerſo.* Dixeram enſem, debueram gladium dicere: Certè, quandoquidem impœnitentem oppoſui conuerſo, impœnitens mihi eſt adultus quicunque non eſt conuerſus. Sed age ne de verbis litigemus. Dixerim aliquam fore dignitatem in homine non conuerſo. Hoc non diſplicet Tileno? dat igitur locum merito de congruo. Certè hîc captus eſt. At verò *Theologi Britanni diſtinguunt antecedanea ad conuerſionem, ab ipsâ conuerſione, atque in his numerant notitiam diuinæ voluntatis, timorem pœnæ, ſpem aliquam veniæ.* Quid tum poſtea? Ideòne hæc voluerũt *omnem* gratiæ lucem præcedere? aut hęc requirere Deum tantùm, non item peccatorem ita afficere vt hæc præſtet? aut hæc inter *occultiſſima merita* quæ fidem præcedant numeranda cenſuerunt? Nequaquam verò certè. Equidem ingenuè fateor, Deum ſæpenumerò paulatim & pedetentim conuerſionem ſuorum promouere, nunquam tamen dederim vllum eſſe, quem peccati pœniteat, qui idem non ſit conuerſus: Quod affirmat Tilenus. *Etſi enim* (inquit) *nullus impœnitens eſt conuerſus, non tamen omnis pœnitens eſt conuerſus.* Nam quid obſecro aliud eſt pœnitentia quàm conuerſio? Certè quæ vox Hebræa (תשובה) pœnitentiam, eadem conuerſionem notat. Interim tenendum eſt conuerſionis eſſe quoſdam gradus, à quorum primo ad ſecundum, atque ita deinceps ad vlteriores deuenitur. Argumēto illud ſit, *conuerte me Domine, & conuertar.* Quæ vox hominis eſt partim conuerſi, partim etiam conuertendi. Itaque antecedanea ad conuerſionem, priores conuerſionis gradus dici poſſint haud abſurdè; ij præſertim qui iis qui quadamtenus progreſſi, cum his qui vltrà prodiere ſunt communes: Inde tamen non ſit, vt Deo illa qualiacunque rudimenta pietatis, non debeant in ſolidum accepta referri. Deinde reprehendit quod dixeram, conuerſos dici poſſe oues perditas, *non enim* (inquit) *idem perditus eſt, & inuentus:* tum ait, *ſe edoctum ab Ezechiele. Oues perditas eſſe non quatenus requiruntur, & eripiuntur periculo, ſed quatenus diſperſæ.* Denique monet, *aliud eſſe liberationem implorare, aliud obtinuiſſe?* atq; id me iubet ſatis ſuperciliosè à popularibus meis diſcere. Reſpondeo ad ſingula. Profectò, idem non eſt perditus & inuentus, attamen in hoc genere inuentus non eſt, qui non fuerat perditus. Oues Ezechieli diſperſæ requiruntur, & eripiuntur periculo: Ergo, inquam, qui requiruntur & eripiuntur periculo, oues perditæ dici queant. Deinde Tilenus dum ait, *aliud eſſe liberationem implorare aliud obtinuiſſe* ipſe ſuam diluit reprehenſionem: Nam vt qui implorat liberationem quam nondum obtinuit, iam quodam modo liberatus eſt (vt pote qui ſpiritu precum & fidei donatus ſit, ſine quâ fruſtrà preces concipiuntur) ſic etiam quodammodo ouis eſt, & quidem ouis perdita. In hoc genere conuerſorum dixi eſſe illas oues perditas, quas Christus *dignos* vocat: Verba mea fuere, *gemebant & ſuſpirabant redemptionem, & anhelabant ad tantæ gratiæ cognitionem, cuius notitiam claram nondum habuerant.* Cæterum quæro, num Christus qui ſe profitetur miſſum duntaxat ad perditas oues domus Iſraëlis, *dignos* tantum notet? quæro etiam, num oues illæ quarum meminit Ezechiel, *dignæ* fuere quæ requirerentur? Vtrumque quæro. Nam Tilenus dum vult tueri *dignos* illos nondum fuiſſe conuerſos, contendit eos fuiſſe oues perditas, ad quas ſolas Christus fuerit miſſus: miſſus ergò, inquam, fuerit tantum ad *dignos*: atqui Christi vox eſt *non veni vt ſeruarem iuſtos, ſed vt vocarem iniuſtos ad pœnitentiam.* Tum, dum vult efficere *dignos* illos non fuiſſe conuerſos, ſed perditos, ait eos fuiſſe ex eo ouium genere quas Ezechiel *diſperſas* vocat, quæque adeo *dignæ* fuerint. Atqui inter eas oues perditas quas deſcribit Ezechiel, immane quantum eſt diſcrimen, nam ex iis ſunt quæ cornu petant, ſunt quæ ſint manſuetæ & mites. Exiſtimat Tilenus *manſuetas & mites* eſſe oues quæ nondum ſunt conuerſæ, aut verò *dignas* eas eſſe quæ cornu petant? Quod ſi id non exiſtimat, quid prohibet conuerſum eundum duci *ouem perditam*? Queritur denique eadem ſectione, ſe à me iniuriâ reprehenſum quod collegiſſet *non aptius Berœenſes (ſi nihil egerint) vocari generoſiores, quàm ſi quis mortuum excitatum vocet generoſiorem mortuo non excitato.* Id ego quidem refutaui iis rationibus, quæ cùm à me in ſuperiori reſponſione allatæ ſint, hîc non ſunt repetendæ. Tilenum eo nomine nequaquam reprehendi, aliud erat: Illud ſcilicet abominatus ſum quod illi abſurdum videretur, vt tota laus, excitantis à morte peccati, nulla eſſet excitati. Iam quî id diluit quæſo? *Lucas* (inquit) *dixit Berœënſes generoſiores.* Collige, ergo Lucas noluit totam laudem eſſe excitantis Dei. Egregia verò collectio! Dei opera laudantur, tota igitur laus non eſt Deo in ſolidum tribuenda, ſed ita partienda; nimirum vt creatori deunx, creaturæ ſaltem vncia pro ratâ parte, aſſignetur: aut verò ita vt æquilibrij quidem laus ſit Dei, propenſioſionis verò in meliorem partem, potiùs quàm in deteriorem, gloria creaturæ propria ſit. Siccine placet colligere? Interim tamen non nego laudari creaturam quatenus Deum refert, ſed ea laude cuius argumentum à Deo eſt (vt ita loquar) ex aſſe.

§. 1. §. 2. §. 3. §. 4. §. 5.

Ad Qvartam Sectionem.

QVartâ Sectione exagitat quod ei objicienti Deum fore peccati & exitij cauſam, ſiquidem non indulget omnibus eam gratiam, ſine qua non poteſt non peccari, reſponderam, Minimè id ſequi, propterea quod ea neceſſitas peccandi, nihil aliud ſit quàm vehemens quidam atque irreuocabilis ad peccandum impetus, qui inhiberi aut ſiſti niſi ope diuinâ non poſſit, Neque verò idcircò excuſationem mereatur, cùm non « ſit inuoluntaria, ſed ſpontanea quædam neceſſi- « tas. Cuius ſententiæ Auguſtinum authorem ſum « ſecutus: Is igitur ſic ait, Verùm hæc pars generis « humani (nota PARS) cui liberationem Deus re- « gnumque promiſit æternum, numquid meritis « operum ſuorum (vbi iam ſunt *occultiſſima merita*?) reparari poteſt? (nota *poteſt*) abſit. Quid enim operari poteſt perditus, niſi quantum (nota, *quantum*)

Enchir. ad Laur. cap. 30.

" *quantum*(fuerit liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? & hoc absit. Nam libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit & ipsum: Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se occidit, sed se occidendo non viuit, nec seipsum resuscitare potest, ità cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est. At, inquit Tilenus, saltem *sic Deus statuitur actu negatiuo causa peccati*. At verò, inquam, fieri id nulla ratione potest, cùm hic Dei actus negatiuus nihil aliud sit, quàm non tollere è medio peccatum, quod Deus posset, siquidem id decreuisset. Nunquid peccati malignitatem non è medio tollere, non inhibere, sed in ordinem cogere, Deum facit authorem peccati? Splendida blasphemia est, si sic statuit Tilenus. Atqui ego nullum alium actum Deo tribuo circa peccatum, quâ peccatum est, quam quo permittitur, quoque eius modus circumscribitur, ac definitur, & denique, res tam inordinata ordinatur: Quem actum qui Deo adimit, idem Deo Prouidentiam detrahat necesse est. Dixeram prętereà pari incommodo vrgeri eius sententiam: Etenim is fatetur omnium voluntatem non flecti, neque tolli posse peccatum, nisi prauitas illa voluntatis emendetur: Porrò, Emendationis author est Deus, qui facit in nobis velle & perficere. Id verò nō perficitur à Deo in omnibus. Respondet inter contumeliosissima conuitia, *Deum non operari irresistibiliter, sed resistibiliter*. Hìc iam non dicam id ab eo dici, quod à me multoties confutatum est, ab eo nondum probatum. Aliud dicam quod Tilenum vrgeat vehementiùs. Si Deus author peccati statuitur à nobis, id fit vel ob rationem agendi quam sequitur (nobis authoribus) in iis qui conuertuntur, vel ob eam quam sequitur in iis qui pertinaciter resistunt. At prius illud dici non potest, quo pacto enim iis peccandi author Deus esse possit, in quibus peccati vim infringit sensim, & denique abolet? Neque verò ex nostra sententia sequitur posterius, nempe vt statuatur author peccati ob eum agendi modum, quem (nostrâ quidem sententiâ) adhibet in reprobis, atque iis qui pertinaciter resistunt, ni pari ratione sequatur idem absurdum Tileni sententiam: Enimuerò hac in parte inter nos & Tilenum consensus est: nam vt is Deum agnoscit in reprobis agere irresistibiliter, sic nos etiam sentimus. Itaque vel non premitur illo graui incommodo [quod nobis objicit Tilenus] hæc nostra sententia, vel si eo premitur, pariter laborat sententia Tileni [quæ hìc, inquam, eadem est quæ nostra] id quod erat demonstrandum. Nec facit ad rem quod respondet Tilenus *fieri id hominum vitio, quod resistant Deo*: Est enim & illa nostra sententia, toties exposita, toties repetita, inculcata, demonstrata: in eoque humani cordis duritiem detestamur, quæ tanta sit vt tantisper resistat Deo donec is singulari quadam ac præcipua ratione vim in ea edomandâ Spiritus, & verbi sui exerat. Neque verò ideò negamus Deum seriò velle, omnium omninò hominum conuersionem, tantùm negamus Deum eam rem ita velle, vt continuò decernat euenturam. Vbi est [inquit Augustinus] illa omnipotentia quæ in cœlo & in terra omnia quæ voluit fecit, si colligere filios Hierusalem voluit, & non facit? an potius & illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit? Sed eâ quoque volente colligere filios eius, collegit ipse quos voluit, quia in cœlo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam vero voluit & non fecit (voluntate nempe decernente) sed omnia quæcunque voluit fecit. Quis porrò tam desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? sed cùm facit, per misericordiam facit: cùm autem non facit, per iudicium non facit. Eligat iam Tilenus vtrum malit statuere Deum decreuisse omnium conuersionem, an, Deum non decreuisse omnium Conuersionem: alterutrum velit necesse est; vtrumuis autem velit, effugere haud potest. Etenim si statuat Deum decreuisse omnium conuersionem, aut omnes necesse est conuerti, aut Dei consilium, euentu cassum, reddi irritum: si verò non vult Deum omnium decreuisse conuersionem (quod ego pariter nolo) cur eam mihi exprobrat, cur suggilat & vexat sententiam in qua ipse est? Nam inuidiæ plurimum fortasse, coloris certè parum habet, quod toties repetit, *Deum propriè ea non velle, quæ non facit ipse*: Si quidem eiusmodi est hominis pœnitentia, vt fieri nequeat nisi Deo solo in solidum operante: Quod enim eiusmodi est pœnitentia, creaturæ vitium est; nempe *homo animalis non capit ea quæ sunt Dei, neque verò potest capere, &c. affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, &c. sine me nil potestis facere*. Desinat quæso Tilenus inuidiam facere veritati. Nihil potest homo certè in hoc genere, at suo vitio nihil potest: Imò hoc ipsum quod nil potest nisi reluctari & obniti, (vt supra dixi) vitium & peccatum est. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater trahat eum*. Obsecro te Tilene, ideò non excusandi sumus? ideone voluntati Dei, non nobis adscribendum, si minus venimus, quodque nemo possit venire ad Christum, nisi Pater trahat eum? aut verò ideone quod Pater omnes promiscuè non trahat, censendum nolle Patrem vt veniant omnes? Profectò, fidei causa est Deus, incredulitas humana nisi operante Deo depelli haud potest, soloque Deo operante depellitur: attamen vt Sol lucis, non itidem tenebrarum causa perhibetur, tametsi eius solâ vi tenebræ pellantur, sic fidei author est Deus, incredulitatis non est author, etsi solus possit incredulitatem in fidem commutare. Iam quod eâdem Sectione ait *me nihil præuium in homine agnoscere*: calumnia est. Agnosco enim etiam in incredulis præuia quædam, sed ea Deo authori omnis boni ascribo. Quæ hæc inuidia est, Deum agnoscere & prædicare in solidum omnis boni authorem? Patior verò libenter laudari fidem, culpari incredulitatem, contra quam quod Tilenus mihi affingit: Mihi tamen haud placet vt perinde fidei virtus hominis arbitrio, ac incredulitatis vitium tribuatur. Hìc vero quærit Tilenus quæ sit ratio, cur perspecta fides Centurionis Christo admirationem mouerit; Siquidem eam fidem vi irresistibili ipse per omnipotentiam effecit? mihique exprobrat quod cauillatiunculam quâ nunc primùm vsus est non antehac diluerim. At ego iam certè hoc quicquid est facilè diluam; Christus quà Deus est, nil propriè miratur; quà homo miratur quicquid miratur. Porrò quà Deus est, efficit; quà homo est, sed author non est quà homo, miratus est quod fecit quà Deus. Nam quæ sunt rara & eximia, etsi maximè Deum habeant authorem, maximam patiunt

Marginal notes: §.1. — §.2. — §.3. — August. Enchirid. ad Laurent. 97. & 98. — Ibidem. — Ibid. — Ibidem.

admirationem. Miramur sapientiam Salomonis, miramur splendorem & magnitudinem solis, & miramur citra errorem, citra peccatum: neque verò interim aut Salomonem sapientiæ sibi authorem, aut solem magnitudinis & splendoris bitramur. Cauillati sunt olim Manichæi Veteris Testamenti Deum, esse eundem admiratorem operis, & conscium & authorem, quod scriptum sit, *& vidit Deus lucem quia bonum est*: Augustinus eam cauillationem ita diluit, vt Christum (quem pro Deo Manichæi agnoscebant) prolato hoc eodem loco ex Nouo Testamento, contendat admiratum quam ipse effecerat fidem. Sed operæ pretium est ipsum audire disputantem Augustinum: Quanquam enim (*inquit*) plurimum intersit, vtrum videat aliquis *quia bonū est*, an etiam miretur: in hoc tamen nonnulla est similitudo, quia etiam Iesus lucem fidei miratus est, quam in corde illius Centurionis *ipse fecerat*, qui *verum est lumen quod illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Quem possit certè aliquis impius Paganus ita calumniari & reprehendere in Euangelio, sicut Deum Faustus in Veteri Testamento. Cæterùm, quæsiueram si Deus nemini salutarem gratiam indulsisset, num continuò causa foret Deus peccati & exitij? Quærendi ratio fuit, quod Tileni hypothesis sit, Deum fore peccati authorem si ea non faciat, quibus fit vt peccatum euitari possit. Vnde efficitur, cum fatente Tileno sine gratia peccatum sit ineuitabile, Deum nisi gratiam indulgeat, fore ex eius hypothesi peccati authorem: Cùm verò pugnet cum Dei natura vt sit author peccati, pugnabit item (ita se res habeat) cum Dei natura (quod absurdum est) vt gratiam non indulgeat; quam nisi indulgeat, peccati (ex hypothesi) author fuerit, quippe cùm necessaria sit ad liberationem à peccato. Quid ad hanc quæstionem respondet Tilenus hoc nempe; *homini, ni Deus nouum gratiæ fœdus pepigisset, necessariò fuisse pereundum.* Iam verò necessarium consequens, omnino præstruit antecedens necessarium: Exitij verò antecedens peccatum est; Itaque si necessariò homini pereundum fuit (ni intercessisset gratia) peccauisset item, aut (vt magis propriè dicam) perstitisset in peccato necessariò, nisi gratia intercessisset. Sic nectit nodum Tilenus non soluit: sibi verò nectit, nobis non modò non nectit, sed soluit etiam: Sic enim probat nostram sententiam, peccandi necessitatem cum peccato minimè pugnare. Deinde ait *hominem se in eam perniciem coniecisse.* At non iam quæritur, vnde orta sit ista pernicies, quæ peccandi necessitatem sequitur, sed an sit vlla: fatemur quidem vltrò eam primi parentis lapsu inuectam: etiam id docent magni illi Viri (quos per immanem & intolerandam contumeliam, omnes iam (vno excepto) sæculi laboribus defunctos, in cœlum receptos, apud Christum degentes, *illius κόμματος* Heroas vocat, quibusque adeò ac si totidem essent Epicuri, *κυρίας δόξας* tribuit) qui si dum student asserere diuinam prouidentiam (quam ne mali quidem initium subterfugere potest) paulò durius sunt locuti, potuit id (& verò debuit) benignâ interpretatione emolliri, vel excusari etiam; vt admissum, dum cauendo ne Deus rerum humanarum vel oscitans, vel otiosus inspector habeatur, velut in diuersam partem tendunt acrius; quod iis qui æquo calidiùs hostem insequuntur, solet contingere. Dixeram etiam sequi dogma Tileni gratiam salutarem homini esse noxiam & perniciosam; fatetur enim Tilenus sine gratia fieri non posse vt homo non peccet: idem ait, neminem iure puniri, si ita peccet vt non possit non peccare. Ergo (inquam) nisi accedat gratia, qua fit tantùm vt possimus non peccare, non verò fit continuò vt non peccemus, nulla à iusto & bono Deo pœna metuenda est. At verò iam antecedente gratiâ, metuenda est, vtpote quæ non euentum, sed tantùm vires ad sanctè viuendum præstet. Istud à me obiectum, nulla quidem prolata ratione (neque enim poterat) sed conuitiis tamen studet amoliri: nam mihi *oscitantiam, ἀβλεψίαν, cerebrum odio aduersus sanam doctrinam perturbatum* obiecit. Haud dubiè hæc mea interrogatio non pupugit modò hominem, sed grauissimè vulnerauit: Non enim irascitur solùm, sed multò vehementiùs affici videtur. Sed quid tandem strenuè conuitiando respondet? *Gratia ait acceptum ferendum, quod homini post lapsum relicta sit quædam imaginis Dei particula.* Quæro iam primū *hominis* nomine quid intelligat? num Adami personam, an verò potiùs genus humanum? Si personam intelliget Adami, si nil aliud esset, discedit à quæstione. Sin etiam posteros Adami intelligat, siue vniuersum genus humanum, recurrit eadem difficultas: quæro enim, an sine illâ particulâ imaginis diuinæ peccatum possit euitari? Si id mihi concedit, concedit gratiam non fuisse necessariam, nisi fortè vt facilius lex impleatur, quæ fuit olim Pelagij sententia, teste Augustino libr. 1. de gratia Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. 6. & cap. 7. Si negat sine gratia peccatum posse tolli, eòdem reuoluimur, gratia fuerit damnosa & noxia, quippe effecit vt pœnæ locus sit, qui nullus fuisset nisi ea accessisset, sine qua homines non potuissent non peccare, ideòque nec affici pœnâ, quæ iusta scilicet haud est, vbi peccandi necessitas est. Taceo interim hoc loco quod reliquias primigeniæ lucis, quam naturæ lucem vocant cum gratia confundit, Pelagium scilicet authorem secutus apud August. lib. de natura & gratia cap. 10. & 11. Non enim libet digredi.

Cont. Faust. Manich lib. 22. cap. 13.

§. 4.

Ibidem.

§. 2.

Ad Qvintam Sectionem.

Quintâ sectione indignatur se à me inconstantiæ & impietatis insimulatum, quod Deo potentiam tribueret quæ non esset eadem omnipotentia. Ac impietatis ego quidem certè Tilenum non accusaui, inconstantiam ei obieci: Id verò feci, vt mihi quidem videbatur, iure. Pœnitentiam Tilenus vult esse à Deo: Iam & idem quicquid est à Deo, id esse à Dei potentia fatetur, Deique potentiam esse omnipotentiam, negat verò tamen pœnitētiam esse à Dei omnipotētiâ, quam haud negat scilicet esse à Dei potentiâ. Magna inconstantia est. Quid ad hoc Tilenus? Negat *Deum agere quantâ vi posset agere*, Collige. Deus non agit quantâ vi posset agere, ergo Deus non adhibet ad agendum omnipotentiam: si ita se res habet, profectò Deus nunquam adhibet omnipotentiam in agendo, numquam enim agit quantâ vi posset agere: Alioqui foret certè vt omnem in operibus suis consumeret potentiam, possetque illa tandem exhauriri. Eâdem sectione exagitat,

§. 1.

§. 2.

exagitat, quod negâram continuò aboleri naturam voluntatis, si eam statuamus necessariò determinari: Id verò negâram prolato Christi & Angelorum exemplo, quorum voluntas etsi determinetur necessariò, non perierit tamen. Neque verò quicquam affert contrà, quod ego non iampridem refutârim. Nam quod ait, *libertatem voluntatis Angelorum in eo sitam, quod antequam se determinaret potuit se non determinare.* Vt illud interim taceam, quod Angelorum voluntatem videtur velle fuisse aliquando suspensam, hæsisseque fluctuantem inter bonum & malum, quo nil dici potest absurdius: Aio sic non infringi vim instantiæ. Nam saltem hoc obtinui, olim Angelos vt libertate, sic voluntate præditos fuisse, nunc autem sublata libertate periisse eorum voluntatem; quæ scilicet cùm potestas libera sit, atque adeò indeterminata, hanc habet veluti proprietatem essentialem: proindeque libertate ad vtrumlibet sublatâ, eam interire necesse est. At de Christo quid statuendum? Num & eius voluntas cùm esset in terris, aliquando fuit in biuio inter bonum & malum constituta? Id verò iam non absurdum modò, sed & dictu impium est. Itaque hanc petitionem quia repellere non potuit, quodam veluti flexu corporis declinauit: ac ego cùm de Christo homine quæsiuissem, is de Deo respondit. *Dei voluntatem eiusmodi esse, vt se posßit determinare, aut non determinare: At postquam semel determinata est, constans est & immota.* Nihil ad rem. Nam Dei voluntas vt refertur ad bonum & malum, non potest non determinari: nam nec bonum non amare, nec malum potest Deus non odisse. Nos autem de voluntate disputamus, quatenus ad bonum aut ad malum refertur. Denique quod ait *me statuere, voluntatem non secus in viatore, atque in comprehensore nobilitari,* idque magnoperè satagit refellere, frustrà laborat; neque enim hæc mea sententia est: nam in modo nullum quidem agnosco discrimen, at in gradu summum agnosco. Siquidem tum in Viatore, tum in Comprehensore, in terrâ & in cœlo determinatur voluntas, & quidem quoties determinatur ad bonum, ab intellectu determinatur: Hæc modi identitas est. At quia intellectûs lumen in hac vitâ infinitis partibus exilius est, & inconstantius, quàm in vitâ futurâ, hinc fit vt & segnius, & inconstantius, infinitum quantum determinetur. Hoc gradûs, discrimen est.

[§.3. — Ibid. — §.4.]

Ad Sextam Sectionem.

Dixeram voluntatem determinari ab intellectu, neque verò dixeram id solum, sed confirmâram etiam ac communiueram cùm ratione, tum etiam principis Philosophorum authoritate, idque feceram (quoad eius à me quidem fieri potuit) diligentissimè, omnémque adeò exitum Tileno oblepseram & concluseram. Is igitur initio sextæ Sectionis responsionem meam (quæ eius humanitas est) verbosam vocat: ac rationibus quas attuleram, & testimoniis Aristotelis dissimulatis, eandem cantilenam quam initio cecinit, hîc iterum canit. Ait quippe *voluntatem ipsi imperare rationi.* Iterum iam quæro, hoc ne faciat voluntas obsecuta prius ipsa rationi? Id si verum est, ratio voluntatis interuentu imperârit rationi, ac voluntas à mente prius ipsa determinata rationi imperarit. Id quod neque meæ obest, neque Tileni causæ prodest; sic enim fiet vt mens voluntatem determinarit, atque ita demum determinata voluntas rationi imperârit. Quod si voluntas imperans rationi, ipsa prius à mente non fuit determinata, profectò nec fuerit eadem appetitus rationalis, ideoque nec voluntas, sed furor potiùs & belluinus impetus, quique adeò careat peccato: id quod vehementer absurdum est. Sed age, quid est hoc tandem quod ait, *se non negare simpliciter voluntatem determinari vltimo iudicio practico*, idem verò ait, *iudicium practicum esse in potestate voluntatis?* Profectò, vnum idémque ait & negat, iudicium determinat voluntatem, non iudicium voluntatem, sed iudicium voluntas determinat: pugnant ista profectò, pugnant inter se, vt quæ maximè. Nam quod ait *voluntatem sinere sibi persuaderi*, in eo errat primum, quod cùm menti conueniat persuaderi, id voluntati tribuit, cuius flexus, persuasio dici nequit. Etenim persuasionis terminus est affirmatio aut negatio, assensio aut dissensio: Voluntas autem nec assentitur nec dissentit, neque enim sentit, multo minus affirmat aut negat, tantum fugit aut appetit. Deinde in eo errat, quod voluntatem ait *sinere sibi persuaderi*, quasi prius vellet, tum postquam iam voluit, sineret se velle: Nam illud *sinit sibi persuaderi*, quid aliud est, quàm sinit se adduci vt velit, id verò quid aliud sit quàm velle? Sic Philosophatus, nobilissimum Philosophum, maximúmque procul dubiò & sanctissimum Virum B. Augustinum, in suas partes nititur pertrahere; Sanè quàm inuitos & reluctantes. Vtrumque audiamus seorsim suo loco testimonium dicentem. Priori loco ab eo productus est Aristoteles: eius verba Latinè versa sic habent. *Mens non mouet* (inquit) *sine appetitu, etenim voluntas appetitus est: quando autem mouetur secundùm ratiocinationem, & secundùm voluntatem mouetur.* Num sententiæ Tileni, quâ statuit voluntatem non determinari ab intellectu, hîc apparet (vt dicitur) vel vola, vel vestigium? Minimè verò. Nempe Philosophi consilium est ostendere, nullum esse animalis motum (qui quidem à mente fit) qui non idem fit ab appetitu: nam inquit *voluntas appetitus est*: quoties verò mouetur animal ratione, toties voluntate mouetur. Quid? hæc collectio bella videtur? Quoties animal iuxtà rationem mouetur, toties voluntate mouetur: Ergo non ratio voluntati, sed imperat voluntas rationi. Imò verò potiùs sic demonstratur rationis ac voluntatis ad motum consensus & conspiratio. Nec animaduertit Tilenus eodem capite negare Aristotelem disertè, *aliud esse principium intellectus Practici, quàm id quod appetitur*, perspectum scilicet & dijudicatum. Verba eius Latinè versa sic habent: *id cuius est appetitus, est principium intellectus.* Non dicit appetitum principium esse intellectûs. *At verò appetitus* (inquit Philosophus) *mouet prater rationem.* Omninò: sed Appetitus hic à Philosopho, à voluntate distinguitur. Etenim eodem illo capite. *Idcircò*, inquit, *deliberandi vim non habet appetitus, quapropter aliquando vincit*

[§.1. — Ibidem. — Ibid. — §.2. — Lib. 3. de Anima, cap. 10.]

voluntatem. Appetitus igitur qui vincit rationem, idem voluntatem vincit: Sic igitur non magis victa ratio fuerit quàm voluntas; nisi enim vincatur ratio, mouebit; si moueat, mouebit voluntatem: si voluntatem mouerit, sit verò aptum organum, sequetur motus membrorum. Non enim voluntas & ratio communi motus specie, vt causæ sociæ monent, (authore Philosopho) sed mens mouet quidem, at non sine voluntate: sed neque voluntas sine mente mouet: quoties enim (vt iam ostendimus) fit motus præter rationem, toties etiam fit præter voluntatem. Quid igitur est? cùm appetitus mouet, peccatumne erit inuoluntarium? (etenim vincitur voluntas) aut verò erit id peccatum, cuius mens non fuerit particeps? Etenim peccatur etiam tum contra mentem, iudice Aristotele. Hic verò iam aperienda mihi est Aristotelis mens: Nempe mentem Aristoteles hoc capite rectam esse vult, *Omnis igitur* (inquit) *Intellectus rectus est.* Et voluntatem vult sequi mentem, quandoquidem vult aliquando appetitum superare voluntatem, quod fit nunquam nisi cùm ratio superatur: Quod est iuxtà illud Pauli. *Non facio quod volo, &, facio quod non cognosco;* Pari ratione, adeò ista sunt inter se conuicta & connexa. Certè Aristotelis sententia fuit, rationem per se quidem non errare, sed seductam tamen aliunde, errare; vnde sequitur voluntatis deprauatio: Enimuerò appetitus idem *κινεῖ παρὰ τὸν λογισμόν, καὶ νικᾷ τὴν βούλησιν.* Quid? iamne probabit Tilenus aliter acceptum illud, *Omnis intellectus est rectus?* cùm manifestum sit sæpè intellectum errare. Secundò, producit B. Augustinum: Nempe is author est, sicubi ex duobus æqualiter animo & corpore affectis, conspectâ ab vtroque vnius corporis pulchritudine, vnus eorum ad voluptatem illicitam moueatur, alter verò non moueatur, causam aliam quærendam non esse extra voluntatem. At, inquam, Intellectus qui voluntatem mouet, non est aliquid extra voluntatem, quin voluntati intimus est: Etenim (vt in scholis loquuntur) in definitione voluntatis ponitur intellectus practicus, definitur enim voluntas, *appetitus rationalis.* Noluit igitur Augustinus (vt arbitratur atque ei affingit Tilenus) voluntatem menti imperasse, vt iudicaret fruendum esse voluptate, sed imperasse loco motiuæ, quam vocant, vt exequeretur mentis consilium, & desiderium voluntatis. Cum enim voluntas sit extrinsecus peccandi proximum principium, eâ semel impulsâ, & permotâ, nisi vel deest instrumentum, vel occasio, vel obiectum, sequitur continuò peccatum: Mentis consilio denuò non est opus ad peccatum patrandum. Verùm Augustinus sic locutus est, ob arctam illam, quam dixi, intellectus practici & voluntatis cognationem, quæ tanta est, vt Scaliger maximi nominis Philosophus non dubitarit affirmare *voluntatem esse intellectum extensum ad habendum aut faciendum id quod cognoscit.* In quo si errauit (errauit verò certè iudice quidem Aristotele, qui intellectum & voluntaté duos motores facit) errori causam dedit essentialis intellectus cum voluntate connexio, quam idem Aristoteles agnouit & clarè docuit Ethic. lib. 2. cap. 6. *ἔστι δὲ ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ᾽ ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή,* & sub finem eiusdem capitis, *διὸ,* inquit, *ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητική· καὶ ἡ τοιαύτη ἀρχὴ ἄνθρωπος.* Quid dici potuit apertius & significatius? Hæc etsi ita se habent, haud negarim tamen, voluntatem excitare sæpenumero, & veluti expergefacere sopitum intellectum: Sed cùm & hæc intellectus à voluntate profecta excitatio, sit ab antecedaneo quodam intellectus actu, quo voluntas ipsa impulsa, atq; incitata sit vt intellectũ excitaret, aio primitus id imperium voluntatis cui mens paruit, ab ipsa mente esse profectum: Scilicet vnus mentis motus alium mentis motum excitat, vt fluctus fluctum tollit. Neque (vt contendit Tilenus verendum est ne sic Deus author peccati habeatur: Intellectus namque practicus non externi, sed interni principij rationem habet. At (inquit Tilenus) *est igitur Deus vt causa fidei per illuminationem, sic etiam incredulitatis per eiusdem negationem: Quod enim est causa adæquata affirmationis, eiusdem negatio siue absentia est causa negationis.* Hic habemus clarâ voce testantem Tilenũ non posse statui Deum causam adæquatam omnis boni, ni pari ratione omnis mali author habeatur: Id quod execratione potiùs quàm refutatione dignum est. Sanè vitium hominis à solo Deo corrigi potest, neque verò ideò Deus vitij quod non corrigit, causa existimandus est: Vt si Soli mens & summa inesset authoritas, nec vellet tamen tenebras ex opacitate terræ ortas dispellere, non continuò tenebrarum author dici iure possit. At verò, *vt affirmatio affirmationis, sic negatio negationis causa est.* Nam jam id ago vt ostendam quàm sit ambiguum & implicitum, quàm fallax & incertum hoc effatum; quorum alterum explicare, alterum possem facilè demonstrare. Id vnum iam ago, vt ostendam hîc locum id habere non posse. Enimuerò iam inter nos quæritur, cur è duobus adultis ęquè impobis hic potius quàm ille illuminetur. Tilenus verò prolato hoc effato nititur ostendere omninò consequẽs esse, vt si Deus impertiendo viuificam illam & salutarem Spiritus & Euangelij sui lucem, causa est fidei & resipiscentiæ, non indulgendo eam lucem causa sit itidem incredulitatis & cõtumaciæ. Quod vehementer absurdum est, cùm enim agatur de duobus adultis æquè improbis, quorum alteri hæc tanta lux denegatur, necesse est improbitatem præcedere hanc lucis denegationem: Porrò, quod sequitur causa esse non potest illius quod præcedit, cùm omnis causæ hæc sit vis & ratio, vt effectum antecedat. Sanè Christus dum in terris ageret, cæcos curauit, mortuos excitauit: Nec est (vt opinor) quisquam adeò mentis inops, vt inde velit colligere, Christi (vt ita loquar) *non curationem* causam fuisse cæcitatis, aut *non excitationem* causam fuisse mortis. Iam verò si quis à me requirat vnde sit ista improbitas, absit à me, vt eam Deo authori adscribam: nempe subinde recurrit illud Apostoli. *Per vnum hominem peccatum in mundum ingressum est, ac per peccatum mors.* Atque vt in ordine causarum efficientium non est in infinitum retrogradiendum, sed subsistendum tandem in aliqua prima; sic etiam in ordine deficientium causarum idem in retrogradiendo modus seruandus est, subsistendumque in causarum deficientium primâ. Porrò, Deus causa efficiens est, deficiens certè non est: quamuis possit siquidem id decerneret, ac ratum fixumque haberet,

Aristoteles lib. 3. de Anima. cap. 10. texte 50. & cap. 11. text. 57.

Ibid. De Ciuitat. Dei, lib. 12. cap. 6.

Exercit. 107 §. 3.

§. 3.

Ibid.

Rom. 5. 12.

haberet, deficientis causæ impetum vel inhibere, vel non inhibere, quorum alterum efficientia, alterum non efficientia, neutrum deficientia appellari vel potest, vel debet. Nec alia (quicquid dictitet Tilenus) Geneuensis scholæ Theologia est.

§. 4.

Ad Septimam Sectionem.

Septimâ sectione iuueniliter mihi insultat, quod negarim voluntatem ab eo rectè statui finem appetere naturaliter, non autem liberè: Neque tam rationes, quibus subnixus id negaui, refellit, tantùm me iubet perquàm contemptim adire Aristotelem cap. 3. lib. 3. Ethicorum. Ego verò totum id caput legi, relegi, & perlegi denique, neque quicquam in eo deprehendi, quod vel in speciem faueat causę Tileni: At contra quod meæ faueat, statim initio capitis occurrit: Nempe Aristoteles ἑκούσιον definit οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα; Cùm ergo voluntas sit eiusmodi principium, circa quodcumque tandem obiectum versetur (τὸ ἑκούσιον enim à voluntate nequit seiungi) sequitur vt libertas à voluntate nequeat diuelli, vtpote quæ nihil aliud sit quàm ἑκούσιον: Nam sophistarum fictitia & prodigiosa libertas à me iam sæpè confutata est. Porrò quod sit discrimen appetitus mediorum & finis nolim hîc repetere, cùm, id sit à me iam demonstratum, atque ita quidem demonstratum, vt Tilenus ad solitam dissimulationem fuerit redactus. Nam quod ait, hoc loco, perinde se habere voluntatem ad mediorum persecutionem, vt intellectus ad assensum conclusioni præstandum, & à me fuerat allatum, & pro me contra ipsum plurimum facit: Etenim, vt connexione principiorum cum conclusione deprehensâ, mens assensum suspendere & cohibere non potest, neque verò adhibere aut præbere eâ nondum deprehensâ: Sic planè voluntas, agnitâ mentis beneficio mediorum necessitate ad finem consequendum, non potest ea non appetere & persequi, pro modo agnitionis remissiùs aut incitatius. Atque hoc pacto concidit quod addit continuò, inuidiosè satis *esse qui beatitudinem futuri seculi appetant, qui periculi tamen vitandi causâ abnegent Euangelium, quod eorum voluntas persuaderi sibi siuerit à ratione, paratam esse veniam apud Deum*: *Hos enim* (inquit) *puluillos Epicuri de grege porci nonnullis substernunt.* Quæ Pharisæorum, Montani, & Nouatiani olim aduersus Ecclesiam calumnia fuit. Profectò, qui Euangelij cognitione penitus imbuti sunt, norunt ad veniam & misericordiam sibi (si quando per infirmitatem lapsi sunt) aditum patere, neque de Dei gratia ideo esse desperandum: attamen haud inde libidini carnis indulgendi ansam arripiunt. *Quid igitur* (inquit Paulus) *hærebimus ne in peccato, vt gratia abundet? Absit. Misericordia* (inquit Propheta) *apud te vt timearis.* Non spes veniæ sed desperatio impœnitentes facit. Pari calumniâ Tilenus in penultima responsione sententiam nostram de gratiæ efficaciâ & necessitate studuit grauare: dixit enim hoc demum pacto induci securitatem, si statuamus non modò initium, sed progressum etiam sanctitatis à solâ Dei gratiâ pendere. Quæ Pelagianorum, & veterum Semi-Pelagianorum cauillatio fuit, quam Prosper piè sanè & egregiè refutauit carmine de ingratis.

§. 1.

Ibid.

§. 2.

Rom. 6. 1.

Psal. 130. 4.

Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus: tu corda moues: tu vota petenti
Quæ dare vis tribuis: seruans largita, creansq;
De meritis merita & cumulans tua dona coronas.
Non autem hoc curam minui, studiumq; resolui
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum est,
Quòd bona Sanctorum tua sunt: & quicquid in illis
Aut sanum aut validum est, de te viget: vt videatur.
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas:
Quæ sine te quid agit? nisi quo procul exulet à te,
Præcipites semper calles, & deuia motu
Ingressura suo: nisi fessam tu bone, & ægram
Suscipias, referas, foueas, tuearis, honestes:
Tunc fiet cursus velox, oculique videntes,
Libera libertas, sapiens sapientia, iustum
Iudicium, & fortis virtus, & sana facultas.
Huius opis semper, Pater, indigeamus: ab ipsâ
Prodeat arbitrium nostrum: nihil, hac sine sensus
Corporei possunt, opus vt seruile quiescat.
Et tua dum in nobis agitur, non nostra voluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

Ad octavam Sectionem.

Reprehenderam verò quod Tilenus dixerat voluntatem naturaliter appetere finem: idque reprehenderam hac potissimum adductus ratione: Quòd voluntas quicquid appetit id appetat voluntariè, voluntarius autem appetitus à naturali differret: Itaque hac Sectione respondet *voluntatem esse naturam.* Ita natura & voluntas, quæ duo principia distincta sunt, à Tileno confunduntur. At (inquit) *voluntas natura est quadam*: sanè natura dici possit, sed vt loquuntur latissimâ naturæ significatione, vt cùm Natura rem creatam significat, aut verò cùm Gratiæ opponitur, & voluntatis nomine ipsa volendi facultas significatur. At eo sensu illud *naturaliter* à Tileno positum haud fuit. Negauit enim voluntatem appetere media naturaliter, quod omninò non negasset, si naturæ nomen hoc loco latè, non autem strictè sumi voluisset. Voluntas enim, (siquidem Natura est) quicquid appetit, indiscriminatim appetet vt Natura: tam igitur media quàm finem appetet naturaliter: Quod noluit, nec volet (sat scio) Tilenus. Jam quòd, cùm is dedisset voluntatem ferri necessariò in finem, Excepi inde effici necessitatem haud pugnare cum natura voluntatis, sic studet eludere Tilenus vt respondeat *se nolle quidem voluntatem pugnare cum necessitate, velle tamen necessitatem pugnare cum libertate.* Atque ita se non explicat, sed inuoluit atque implicat. Nam si libertas voluntati essentialis est, haud verò repugnet conditioni voluntatis necessitas profectò nec cum libertate necessitas pugnabit: Quæ enim ita sunt inter se pugnantia, vt nequeant consistere, eorum alterum si vlli subiecto essentiale sit, alterum eidem subiecto conuenire haud quaquam potest. Itaque si necessitas pugnat cum libertate, sit verò libertas voluntati essentialis, pugnabit

§. 5.

Ibid.

haud dubiè necessitas æquè cum natura voluntatis, ac cum necessitate. At verò si (quod dat Tilenus) necessitas non pugnat cum ratione voluntatis, sit verò libertas voluntati essentialis (quæ mea etiam sententia est) aio consequens esse, & quidem necessariò consequens, vt ne pugnet necessitas cum libertate. Itaque idem nego, pernegoque rectè definitam à Tileno libertatem, dum liberum esse ait *quod potest esse, aut non esse*: Quæ definitio (vt sæpè iam dixi) Christum hominem, beatos Angelos omni spoliat libertate: vt omittam id interim, quod multa sunt quæ esse possint, aut non esse, quæ libera tamen nemo sanæ mentis dixerit. Nam multos esse liberos qui aliter affici nequeant, quàm quomodo affecti sunt, toties à me, tamque luculenter est probatum, vt pigeat id vel monuisse hoc loco. Eâdem Sectione contendit *Intellectum posse cogi, id quod mihi scilicet absurdum videtur.* Profectò Tilenus fingit monstra quæ debellet. Nam ego quidem fassus sum ingenuè, figurâ quadam dici posse intellectum cogi; Cæterùm idem monui demonstrauique apertissimè (quod dissimulat egregiè Tilenus) id ab eo allatum præter rem. Quærebatur enim inter nos, consequensne sit vt voluntas piorum in conuersione cogatur, si in conuersione irresistibiliter mouetur. Aiebat id Tilenus: Ego contrà negabam hàc allatâ ratione, Quod intellectus (fatente Tileno) irresistibiliter illuminatur: qui tamen non cogatur. Quoniam verò Tilenus etiam cogi intellectum dixerat, negaui, vt maximè figurâ quadam intellectus dici possit cogi, id in hoc argumento locum vllum habere, cum agatur de Piorum illuminatione, quæ non sit ingrata scilicet, & molesta, sed multò suauissima. Tilenus tamen (cui nempe solenne est sibi stimulos subdere ad iram) perinde mecum agit, ac si ego ei tribuissem eam sententiam (quam ego nullius mortalium esse existimo) quæ statuit pios illuminari coactè.) Itaque excandescit supra modum, mihique immanes blasphemias affingit, redditurus aliquando, ni resipiscat, tantæ inhumanitatis rationem. Faxit verò vt resipiscat, qui solus id potest Deus.

Ibid.

§. 2.

§. 3.

Ad nonam Sectionem.

SEctione Nonâ dissimulatis egregiè (qui illius mos est) iis omnibus (multa autem & grauia fuere) quiqus ostendi inanem esse, & nullius momenti eam rationem, qua contendebat efficere, superuacaneas esse hortationes, si voluntas ab intellectu determinetur: arripit quod obiter dixi sequi eius sententiam, vt liberum arbitrium sit independens. Atque vt habeat (quod captare videtur) irascendi argumentum, fingit me id sibi, non vt consequens, sed vt ipsam ipsius sententiam, objecisse, inter quæ duo insigne discrimen est. Ego verò etsi eo loco non tam apertè fuerim locutus, tamen hîc exserte dico, eam esse Tileni sententiam, quæ statuit liberum arbitrium esse ratione intellectûs independens. Quid enim? differuntne ista quæso? Intellectus non determinat voluntatem & voluntas non pendet ab intellectu? Prorsus non differunt. At ego eo loco nihil aliud volebam. Nam de voluntatis independentiâ respectu Dei alibi disputaui, ostendique non iam dico Tileni sententiam esse, sed sequi tamen eius sententiam, vt ne à Deo quidem arbitrium humanum pendeat. Quam disputationis meæ partem, vt ferè omnia, silentio præteriit Tilenus. Frustrà igitur hoc loco tumultuatur, ac omnia turbat, & miscet: Suaue nimirum ei est irasci atque efferuescere, Nam quod ait, *me velle voluntatis libertatem in eo tantum esse sitam, quod coactionem omnem respuat*, commentum ipsius est, & somnium à meâ mente prorsus alienum. Enimuerò scio neque lapides, neque stirpes, neque belluas cogi, neque verò huic generi vllam tribuo libertatem, non enim ducuntur voluntate, sed naturæ impetu feruntur. Voluntas enim mentis, rei sibi intimæ, iudicio regitur, quam præter hominem nihil eorum habet quæ sunt infrà Lunam: Verba certè mea fuere, *Sanè libertas voluntatis in eo sita est, quod sponte, cogente nullo, & sequitur mentis iudicium, & in iis quæ pertinent ad vitæ mores liberrimè quod voluit exequitur.*

§. 1.

§. 1. 2. 3.

§. 4.

Ad Decimam Sectionem.

CVm obiecisset Tilenus sequi meam sententiam, vt regenitus procedente quàm ineunte regeneratione sit infirmior; Responderam non id meam potius quàm ipsius sententiam sequi, Sectionis igitur huius initio ait *id esse non disputare more Theologorum, sed puerorum more lutum contectum rejicere.* In quo illud miror quod Tilenus maturâ iam ætate & pene senili se puerum imprudens fateatur, qui argumentorum vice lutum iaciat. Sed bene habet quod cauillatiunculam illam quâ vsus est, sponte lutum agnoscit. Nam in hoc genere non qui retorquet, sed qui torquet lutum, se contaminat: qui retorquet idem abstergit, ei verò qui torserat lutum, aspergit. Sed iam videamus vt Tilenus reiectum, quod prior coniecerat, lutum abstergat. *Mea sententia*, inquit, *nunquam eiusmodi vim* (sic inuidiosè spiritus demonstrationem vocat) *adhiberi homini, siue initium siue incrementum regenerationis spectemus, quin liberè posit eius voluntas spiritui resistere.* Ita tantum abest vt lutum illud suum Tilenus abstergat, vt in eo magis magisque volutetur. Nam quod obsecro, & cuiusmodi illud est incrementum regenerationis, quo fit vt homo in peccatum sit adeò pronus, tam in progressu quàm initio? Neque enim negauerit quod affirmat & asseuerat, verè regenitos labi in peccata adeò grauia, vt omninò & prorsus salute excidant. Non igitur hoc incommodo nostra potius quàm illius sententia laborat. Nam quod ait, *me velle, reniti, voluntatem in progressu quæ initio non est renisa*, scilicet: leuis & iocularis cauillatiuncula est. E enim *progressus* nomine vel incrementum notatur regenerationis, quod, si id hac nomenclatura significatum voluit, negaui semper, nunc etiam nego quenquam posse procedente, atque incrementum capiente regeneratione simul reniti: pugnant enim ista, atque, vt dicitur, frontibus aduersis concurrunt. *Proficere* & *Deficere* vel *progressûs* nomine tempus id omne notatur, quod inter initium

§. 1.

§. 2.

Ibid.

initium & complementum regenerationis est interiectum: Atque ita fassus sum, nunc iterum fateor aliquando contingere, vt progrediente regeneratione infirmior sit regenitus, quàm ineunte. Sed idipsum etiam agnoscit Tilenus quod regeniti firmiores sint aliquando, aliquando minùs firmi: Horum alterum à spiritus illuminatione, alterum à natiuis tenebris dixi proficisci. Neque

§. 3. verò id negat Tilenus. Cùm igitur ista illuminatio par haud sit in omnibus, semper & vbique, cur miratur, fideles nunc stare constanter, nunc turpiter labi? *At sufficiens erat Dauidi lux affusa, etiam tum cùm fœdissimæ libidini indulsit.* Quis negat? Egone id vnquam negaui? Ipsam iam Tileni conscientiam appello. Quid tum posteà verò? Sufficiens etiam tum fuit affusa lux Dauidi cùm laberetur: Ergo tanta fuit affusa, tamq; clara, ac cùm se erigeret ac recolligeret ex lapsu. Absurdum æquè ac quod maximè absurdum est. Hîc verò Tilenus quantus quantus est, totus mihi incumbit, & quasi subiectum pedibus premit, & obterit.

§. 4. *Obsecro te* (inquit) *Camero rotundè effare, habetne homo hanc illuminationem in sua potestate?* Respondeat Ambrosius laudante Augustino lib. de bono Perseuer. cap. 8. Quem (Apostolum scilicet) secutus B. Ambrosius audet & dicit, non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: Quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit. Respondeat & Augustinus ipse ibidem. Non itaque in hominum sed in Dei potestate est, vt habeant homines potestatem filij Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur dilectionem: ad quod bonum sumendum & tenendum, & in eo perseueranter vsque in finem proficiendum non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: in cuius est potestate cor nostrum & cogitationes nostræ. Respondeo & ego rotundè. Si id nostra potestate adest, quod quoties volumus adest, fateor adesse hanc illuminationem: nostrâ verò segnitie fit, vt non adsit semper; vel si adsit, non sit efficax. Non igitur sic efficitur Dei esse culpam, si minùs ista lux affundatur tanta, tamque vehemens, vt voluntatis humanæ inconstantiam, & propensionem in malum, vel reuocet, vel sistat: Enimuerò omne peccatum ex ea promanat ignorantiâ, quæ est ἐν προαιρέσει authore Philosopho: quid dixi authore Philosopho? immò verò authore Spiritu S. qui quæuis peccata *ignorantias* vocat: Cuius rei Augustinus scitè admodum reddidit rationem: Beatus quippe vult esse, etiam non sic viuendo vt possit esse. Quid est hac voluntate mendacius? Vnde non frustra dici potest, omne peccatum esse mendacium. Non enim fit peccatum, nisi ea voluntate, qua volumus, vt benè sit nobis, vel nolumus vt malè sit nobis. Ergo mendacium est quòd cùm fiat, vt bene sit nobis, hinc potius male est nobis: vel cùm fiat vt melius sit nobis, hinc potius peius est nobis. Postremò, Dogma suum studet incrustare, sententiam verò Ecclesiæ lacerare, & exo-

August. De Ciu. Dei lib. 14. c. 4.

§. 5. sam facere. Ait igitur se velle, *Deum omnes homines seruare.* Rectè. *Omnibus Christum mediatorem datum.* Et istud rectè. *Solo hominum vitio accidere quod salutè Christi beneficio partâ excidant.* Etiam & hoc rectè. *Fidem esse Dei donum.* Hoc verò iam vafrè. Nam *soli hominum vitio*, quo fit vt excidant salute (si candide agere voluisset) opponenda erat *sola Dei gratia.* At Tilenus id minimè voluit, enimuerò negat *fidem* vlli à Deo indulgeri, nisi præcedant *occultissima* hominis *merita.* Ac ne hoc quidem pacto hominem ita vult fide donari à Deo, vt cor moueat efficaciter: tantum vult sic Deum agere in fide conferenda, vt animum humanum constituat in æquilibrio: alioqui fore id à quo quàm maximè abhorret, scilicet vt Deus agat irresistibiliter in Electis. Denique *Deum* ait *esse authorem salutis, perniciem esse ex solo homine.* Et hoc item astutè. Nam voculam *solus*, cùm de Deo ac salute agit, consultò non adiecit, quam si adiecisset, nulla iam inter nos lis foret. Vocula *solus* controuersiam facit, suppressa vel expressa. Itaque Tilenus

§. 6. ne id lector deprehenderet, sententiam Ecclesiæ, quam meam vocat, verbis ad inuidiam conflandam comparatis inuoluit: quam si (quod facile potuit, voluisset modò) candide & apertè proposuisset, nullum odio & inuidiæ locum reliquisset. Quod is non fecit, meum iam facere est. I. Ecclesia omnes omninò homines peccati, proindeque mortis reos esse docet. II. Nemini aditum ad salutem patére, nisi per Christum. III. Nec seruari vllum per Christum, qui non credat idem, & resipiscat. IV. Plerosque omnes nec credere nec resipiscere, quod consequens est. V. id non Dei, sed hominum culpâ accidere. VI. Qui credunt & resipiscunt, solâ Dei gratiâ factum vt crediderint, & resipiscant. VII. Eoque plus illis diuinitus indultum quàm reliquæ turbæ. VIII. Eos, nisi hoc amplius ipsis indultum fuisset, nihil præ reliquis fuisse præstituros. IX. Quod his potius quàm illis indultum est, id non factum temere & casu, sed certo eodemque sapientissimo consilio. X. Cuius tamen ratio nos lateat. XI. Omnium verò Dei consiliorum rationes scire, & impossibile esse, & scire velle nefas. XII. Itaque hîc in solâ Dei voluntate religiosè ac demissè, nobis esse conquiescendum. Hoc verò est illud Dei consilium,

§. 7. quod Tilenus *fatum Stoicum, Manichaïcam Prædestinationem, & denique Empusam* vocat: quâ reuerentiâ, quâ animi demissione, quo spiritu, quàm dignâ Theologo moderatione, viderit ipse; neque enim vel hebes est, vel harum rerum imperitus.

AD VNDECIMAM SECTIONEM.

§. 1. VNdecimam sectionem sic orditur. *Non libet,* inquit, *ἀφιλοσόφως illa Cameronis placita exagitari, vbi negat τὸ velle denotare actum, sed passionem: vbi voluntatem cum amoris & odij affectibus confundit: vbi nullum in voluntatem totum agnoscit, qui non sit plenus assensus, immemor eorum quæ ipse dixerat ad notam* 87. Vt dicam quod sentio, & quod res ipsa vt dicam postulat, plane nescio quid Tilenus sibi velit. Neque enim ego voluntatem (volitionem inquam, nam detur, quæso, venia verbo) actum esse negaui. Etenim & passio, actus quidam est. Sed nec voluntatem simpliciter passionem dixi. Nam quatenus elicitur, passio sane fit, quatenus prolecta impellit, actio est: quomodo orbium cœlestium qui inter supremum atque infimum interpositi sunt, motus, tum actionis tum etiam pas-

sionis rationem habet, circumagunt enim iidem & circumaguntur vnâ eâdemque operâ. Dissimulauit verò (quâ fide, quo consilio nolim temerè pronuntiare) sed dissimulauit tamen, quod adieci. *Esto voluntas non sit quoddam pati* &c. Iam quod ait, me *voluntatem cum amoris & odij affectibus confundere*, idque suggillat, in id incurrisse videtur quod mihi per contumeliam intentat, vt Ethices tyrunculis vexandus relinquatur. Nam in pietatis negotio, de quo iam agitur, *velle* & *nolle* nihil aliud sunt, quàm *amare & odisse*. Qui id negat (vt Tilenus loqui amat) sanum sinciput non habet. Neque enim amor & odium in bellis tantum, sed vel maximè in iis qui mente & voluntate præditi sunt, locum habet. Etsi enim non omne odium & amor ad voluntatem pertinet, quoddam tamen odium, quidam amor voluntatis est: Scilicet non omnis appetitus est voluntas, attamè voluntas omnis appetitus est, ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις, inquit Philosophus. Quod verò mihi tanquam dictum obijcit. *Omnem voluntatis motum plenum esse assensum* id mihi iam affingit: Nam quî obsecro voluntatis motum dixerim assensum, qui contendo mentis esse proprium assentiri cuius nempe sentire proprium est? Aut quî plenum dixerim omnem voluntatis motum, qui agnosco esse quandam voluntatis propensionem, quæ *Velleitas* (si ita fas loqui) potius quàm *voluntas* sit dicenda? Dixi certè, quolibet voluntatis actu voluntatem determinari, at quemlibet actum voluntatis plenum esse, aut (quod eodem redit) omnem voluntatis determinationem plenam esse, minimeque fluctuantem, id verò neque scriptum, neque dictum, imò verò ne cogitatum quidem à me vnquam fuit. Cæterùm, quod testatur se reliqua (hoc est pleraque omnia) quæ à me disputata sunt, relinquere intacta, quod ego soleam non rationibus, sed contemptu eius argumenta refutare: iudicabit Lector cuius sit ingenij, cuius animi, talia causando declinare impetum veritatis. Nam hoc obtentu quidem sine inuidiâ, sine suspicione facilè potuisset mea omnia, etiam hæc quæ attigit, relinquere intacta. Postremò, quod ait, *se permotum vt à sententia discederet, ne Deus peccati author habeatur*, tale quid est, quale Manichæi olim hæresi teterrimæ prætexuerunt, ne Deus videretur author peccati, duo principia bonum & malum statuerunt. Etiam Arriani prætendebant dogmati nefario studium vnitatis Dei asserendæ. Veritatem onerare calumniis, iisque speciosissimis, tralatitium est, minimeque insolens aut nouum.

Ibid. | Ibid. | §. 2. | §. 3.

Ad duodecimam Sectionem.

§. 1. Sed iam videamus vt meam sententiam sequatur *Deum esse authorē peccati*. Ait igitur Tilenus, *Analysin meam capitis noni epistolæ ad Rom. niti decreto Dei, de quibusdam paucißimis vocandis, talique actamē vt illuminandis, vt non poßint nō credere &c.* Facessant, quæso, vocabula inuidiosa: Ita demum agnoscam libenter, nullo quidem decreto niti Analysin, præter id quod ex Apostoli verbis colligi potest: sed tamen id decretum Dei eiusmodi esse, vt in his potius quàm illis vocandis constituerit, non occultissimorum meritorum, sed misericordiæ suæ habere rationem. Quid tum? *Ex hoc, inquit, sequitur, eos qui fide carent, ideoq; necessariò peccant, peccare quia Deus voluntate decernente vult vt peccent.* Centies hoc iam dictum est, centies refutatum. Decretum de non dandâ fide, non præcedit, sed sequitur peccatum; Itaque peccati causa esse non potest. Deinde, Tilenus non agnoscit, non profitetur vltrò ac docet esse quos Deus induret, vnde sequitur pertinacia prætracta, & inuicta? Hancne pertinaciam continuò Deo induranti adscribet tanquam authori? Non credo. Piget verò me ad ea respondere, quæ de Prædestinatorum hæresi affert, tum quæ citat ex Actis, scilicet, Concilij Arelatensis: Nam Prædestinati genus sunt hæreticorum minimè famosum, quando primus eorum meminit Sigebertus, qui scribebat anno 1113. cùm illius hæreseos originem referat ad annū Christi 416. vt sit admodum verisimile impositum Sigeberto viro minimè malo, ab iis qui eâ ætate Augustino (cùm tanti nominis fulgore perstricti non auderent palàm obloqui) occultè obtrectabant. Certè Pelagiani, ac Semi-Pelagiani illo sæculo, Augustini, seu Ecclesiæ potius doctrinam, illius nefarij dogmatis inuidiâ prægrauârant. Quanquam nobis cum Prædestinatis illis hæreticis nullum est commercium, cùm ab eorum hæresi tā distet nostra sententia, quàm Cœlum inferis. « Prædestinatorum hæresis (inquit Sigebertus ad annum Christi 415.) hoc tempore cœpit serpere: qui ideò Prędestinati vocantur, quia de Prædestinatione & diuina gratia disputantes, asserebant, quod nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obsit quod improbè viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc heresis ex libris Augustini malè intellectis initium sumpsisse dicitur. » Hîc verò est ne cuius animum non subeat mirari, vnde factum vt nec in Augustini, nec in Prosperi, nec in Fulgentij scriptis, nec in Actis Conciliorum, quę illo sæculo, & quæ proximè secuta sunt, fuêre celebrata, vllam tam fœdæ hæreseos factam esse mentionem reperiamus? Legimus quidem in Articulis Augustino per impudentissimam calumniam impositis, eius fariņę multa illi aspersa, à quibus fuit, vt qui maximè alienus. Si nos Pauli & Augustini, totiusq; adeò Ecclesiæ Orthodoxæ discipuli, pari scelere atque audaciâ traducimur, tantò moderatiùs ea contumelia est ferenda. Jam quod nescio quos Anathematismos citat, tanquam ex Actis Arelatensis Concilij, operæ pretium est in eo hominis solertiam obseruare. Nam cùm quæcunque aliunde in hoc scripto citat, ea vnde desumpserit, notasset accuratissimè, hîc tamen parem diligentiam noluit adhibére. Citat quidem Arelatense Concilium: at quodnam citet primumne, an secundum, an verò tertium, id verò nominatim haud indicat (nisi forte intelligi voluit tertium, ex eo quod ait *Prædestinatos* (quos vult extitisse circa annum Domini 420.) *fuisse à veteri Ecclesia in Concilio Arelatensi triplici canone, tanquam trisulco fulmine percussos.*) Non est credibile vllâ obliuione, aut oscitantiâ id à Tileno homine gnauo & industrio factum. Quid igitur fuit? nempe in nullius trium Arelatensium Conciliorum Actis (tot enim Arelate concilia celebrata sunt) hos legimus Anathematismos: qui nullibi extant

§. 3. | Ibid.

extant scilicet, nisi in epistola quadam Fausti Regiensis famosissimi Semi-Pelagiani, cæteroqui obscuri nominis, ac meritò inuisi in Ecclesia. At Faustus (inquiet Tilenus) hos Anathematismos à Patribus Concilij Arelatensis ait fuisse subscriptos. Quid si id negem? Certè Henricus Canisius antiquarum Lectionum tomo quinto (vt est à viro doctissimo Iohanne Latio iam obseruatum) negat se in Manuscripto eas subscriptiones legisse, quæ in editis exemplaribus illius epistolæ adiectæ sunt: vnde profecta est (perexiguo sanè initio) omnis illorum Anathematismorum authoritas. Sed nihil opus est eò deuenire: quando Fausto homini vafro & versipelli nullo iure, in re tam graui fides debetur. Certè Pelagius & Cælestius Synodo Palæstinæ imposuerunt: Quis non parem fraudem in Fausto illo, homine, qui in eadem fuit hæresi, meritò suspicetur. Et certè non est credibile adactum eò à Concilio Faustum; vt eas hæreses anathematizaret, à quibus vtpote Semi-Pelagianus) vt qui maximè abhorrebat. Id quod non à me dicitur, quòd me illis Anathematismis premi sentiam, cùm possint ita intelligi, vt sensum habeant Orthodoxum. Ego enim non is sum, qui putem perire vllum adultum, qui non fuerit abusus iis donis, quibus si rectè vsus fuisset, haud periisset: Ita primus Anathematismus me nequaquam ferit. Sed nec secundus item: non enim nego Christum pro omnibus esse mortuum, modò credant: Sed cùm non credant omnes, Deus autem dederit Filium eâ lege, vt quisquis in eum credit non pereat, sed habeat vitam æternam, inde fit vt absolutè & propriè Christus pro solis fidelibus mortuus dici debeat. Denique nec tertium Anathema ad me pertingit: Nam quod vasa iræ nequeant fieri vasa misericordiæ, aio id ipsorum culpâ contingere: quanquam idem aio, (modò voluisset) Deus eam prauitatem corrigere potuisset. Nam simpliciter sanè, ne Tilenus quidem concesserit, vasa iræ fieri posse vasa misericordiæ: negat enim fieri posse vt indurati resipiscant: Porrò, Tileno indurati filij irę sunt. Itaque nisi velit illo Anathematismo percuti pariter, necesse est, vt eum vel emolliat benignâ interpretatione, vel vt brutum fulmen contemnat. Hæc nulla necessitate, solo studio satisfaciendi Tileno, ad ea quæ attulit de hæresi Prædestinatorum, & Concilio nimirū Arelatensi, visum est mihi respondere: Qui si in citandis Conciliis tam grauiter fuissem lapsus, haud cul flem impunè: fraudem Tilenus, dolum malum, nefariam proditionem, Sacrilegium deniq; vocasset. Quod si Conciliorum iudicio hæc controuersia definienda est, splendide vicimus. Nam Mileuitano Concilio (cui interfuit & subscripsit Augustinus) Anathema denunciatur illis qui dixerint gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligētia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. Cùm enim dicat Apostolus, *Scientia inflat, Charitas verò ædificat*; Valdè impium est vt credamus, ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat non habere: Cùm sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate scientia non possit inflare. Neque verò quisquam hîc cauilletur, damnari eos tantùm qui omnem Dei gratiam in externâ verbi prædicatione collocarunt. Nam vt ne iam vrgeam Tilenum verbis Concilij quæ clara sunt, Pelagius etiam internam mentis illuminationem gratiæ esse opus clare docuit, tantùm negauit eâ fieri vt voluntas necessariò flecteretur: Quippe cùm pertineat ad ipsius voluntatis libertatem, vt integro iudicio intellectus in vtramuis se partem inclinet; Quem errorem Augustinus & notauit & refutauit: cuius verba hîc subjicimus, non modò vt mentem Concilij teneamus, verùm etiam vt liquidò constet hac in parte Tilenum cum Pelagio sentire. Et alio quippe loco, cùm diu asseruisset (Pelagius) non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi, ex Apostoli epistolâ quæstionem, atque ait, *Et quomodo*, inquit, *stabit illud Apostoli, Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perficere?* Deinde vt hanc oppositionem veluti solueret, quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, secutus adiunxit, *operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis* (quod tu alibi negare non metuis) *suadet omne quod bonum est.* Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam? In lege namque & doctrinâ sanctarum scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia reuelatur, ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quod bonum est. Etsi inter docere & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscunque sermonibus vel litteris continetur. Nam & sanctæ Scripturæ & docent, & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando, etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam nolumus. Istam aliquando fateatur, quâ futurę gloriæ magnitudo non solum promittitur, verùm etiam creditur & speratur, nec solùm reuelatur sapientia, verùm etiam & amatur; nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur. Non enim omnium est fides, qui audiunt per scripturas Dominum regnum Cœlorum pollicentem: aut omnibus persuadetur quibuscunque suadetur, vt veniant ad eum, qui dicit, *venite ad me omnes qui laboratis.* Quorum autem sit fides & quib. persuadetur, vt ad eum veniant, satis ipse demonstrauit, vbi ait, *nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, & paulò post, cùm de non credentibus loqueretur *dixi* inquit, *vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus. Deinde capite decimo-tertio. Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt

Canon.

Lib. 1. cap. 10. de gratia adu. Pelag. & Celest.

Philipp. c. 2.

Matth. c. 11.

Ioann. cap. 6.

„ non ostendat tantummodò veritatem, verùm „ etiam impertiat charitatem. Sic enim docet „ Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, „ simul donans & quid agant scire, & quod sciunt „ agere. Et capite decimo-quarto. De isto docendi „ modo etiam Dominus ait, *omnis qui audiuit à Patre* „ *meo, & didicit venit ad me.* Qui ergo non venerit, „ non de illo rectè dicitur, audiuit quidem & didi- „ cit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod „ didicit: Prorsus non rectè dicitur de isto docendi „ modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim sicut „ veritas loquitur, *omnis qui didicit venit*, quisquis „ non venit, profectò nec didicit. Quis autem non „ videat, & venire quemquam, & non venire, arbi- „ trio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse so- „ lum si non venit, non autem potest nisi adiutum „ esse, si venit: Et sic adiutum vt non solùm quid „ faciendum sic sciat, sed quid scierit etiam faciat. „ Ac per hoc quando Deus docet, non per legis „ litteram, sed per spiritus gratiam; ita docet vt „ quid quisque didicerit, non tantum cognoscen- „ do videat, sed etiam volendo appetat, agendo- „ que perficiat. Et isto diuino docendi modo etiam „ ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi „ & operandi naturalis possibilitas adiuuatur. Si „ enim solum posse nostrum hac gratiâ iuuaretur, „ ita diceret Dominus. *Omnis qui audiuit à Patre &* „ *didicit, potest venire ad me* non autem ita dixit, sed „ *omnis*, inquit, *qui audiuit à Patre & didicit venit ad me.* „ *Venire posse* in naturâ ponit Pelagius, vel etiam (vt „ modo dicere cœpit) in gratia, qualemlibet eam „ sentiat, qua ipsa, vt dicit, possibilitas adiuuatur: „ venire autem iam in voluntate & opere est. Non „ est autem consequens vt qui potest venire, etiam „ veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis „ qui didicit à Patre non solùm potest venire, sed „ venit: vbi iam & possibilitatis profectus & vo- „ luntatis affectus, & actionis effectus est. Sed & „ alterius Arausicani Concilij Patres sententiam „ dicentes audiamus. Si quis vt à peccato purge- „ mur, voluntatem nostram Deum expectare con- „ tendit, non autem vt etiam purgari velimus, per „ Sancti Spiritus infusionem & operationem in „ nos fieri confitetur, resistit ipsi spiritui Sancto, „ per Salomonem dicenti: *præparatur voluntas à Do-* „ *mino*: & Apostolo salubriter prædicanti; *Deus est* „ *qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona vo-* „ *luntate.* 5. Si quis, sicut argumentum, ita etiam „ initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo „ in eum credimus, qui iustificat impium, & ad re- „ generationem Baptismatis peruenimus, non per „ gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus „ Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab in- „ fidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed „ naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dog- „ matibus aduersarius approbatur, Beato Paulo „ dicente: *Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus,* „ *perficiet in diem vsque Domini nostri Iesu Christi.* Et il- „ lud: *Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in eum* „ *credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et, *Gratiâ salui* „ *facti estis per fidem, non ex vobis; Dei enim donum est.* „ Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt „ esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi „ alieni sunt, quodammodo fideles esse diffiniunt. „ 6. Si quis, sine gratia Dei, credentibus, volenti- „ bus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, „ vigilantibus, studentibus, petentibus, quærenti- „ bus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit con- „ ferri, non autem diuinitùs, vt credamus, velimus „ hæc omnia: vel hæc omnia sicut oportet, agere „ valeamus, per infusionem, & inspirationem San- „ cti spiritus in nobis fieri confitetur, aut humili- „ tati, aut obedientiæ humanæ subiungit Gratiæ „ adiutorium, nec vt obediens & humillimus „ ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apo- „ stolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* Et, *Gratiâ* „ *Dei sum id quod sum.* 7. Si quis per naturæ vigo- „ rem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet „ vitæ æternæ, cogitare, aut eligere, siue salutari „ prædicationi consentire posse confirmat, absque „ illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, „ qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & „ credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu, non „ intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: *Si-* „ *ne me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli: *Num-* „ *quid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex no-* „ *bis? sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ioan. cap. 6.

Canon. 4. 5. 6. 7.

Philip. cap. 2.

Philip. cap. 1. Ibid.

Ephes. cap. 2.

1. Cor. cap. 4. Ibid. cap. 15.

Ioan. cap. 15. 2. Cor. cap. 3.

Ad Decimamtertiam Sectionem.

§. 2.

CVm dixissem pendére à Deo voluntatis inclinationem in vtramuis partem, Sectione decima tertia contendit, *Sic Deum effici authorem peccati.* Quasi verò ego eâ locutione aliud voluerim, quàm inclinationem voluntatis cadere sub Dei Prouidentiam. Cæterùm totâ hac disputatione apertè testatus sum, longè diuersa ratione Dei sapientiam circa malum & bonum versari: Cùm illud finat fieri duntaxat, non etiam efficiat: istud verò exigat, atque etiam faciat vt fiat. Profectò haud minùs speciosè, & sacrâ Scripturam posset Tilenus calumniari. Nam *cor regis*, inquit Spiritus S. *est in manu Dei, vt riui aquarum, ad quodcunque voluerit inclinabit illud*, Et, *Mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio.* Et, *Deus dedit in corda eorum vt faciant quod placitum est ei & vt consentiant, dentque regnum suum bestiæ.* Quæ locutiones eâ qua ego vsus sum, haud paulò duriores sunt: sic accipiendæ tamen vt ne Deus, authore Spiritu Sancto, author peccati statuatur.

Prouerb. cap. 21. 1.

2. Thessal. c. 2. 11.

Apocalyps. cap. 17. 17.

Ad Decimamqvartam Sectionem.

§. 2.

EX eo quod dixi fieri nulla ratione posse, vt eorum Deus sit præscius, quæ neque facere, neque permittere decreuit, ait hac Sectione, *sequi hominem non posse plus boni facere quàm facit, nec plus mali omittere quàm omittit.* Ego verò libens agnosco multa esse quæ dicta simpliciter offensionem pariunt, & quidem iure, quæ eadē adiectâ hypothesi si dicantur, eiusmodi sint, vt nemo ausit contradicere. Exempli causa, si quis dixerit Pharaonem non posse dimittere Dei populum, statim omnium aures offendat: idem si adijciat, ni Deus impij hominis cor emolliat; non autem constituit & decreuit Deus id facere, non est igitur futurum, neque verò poterit fieri, vt populum Dei dimittat. Neminem iam ea oratio offendet, ne Tilenum quidem qui non negat induratis incumbere peccandi necessitatem, idque Deo decernente. Profectò, ipse conscientiæ sensus, qui hac in parte acerrimus est, idipsum testatur: Quoties enim speramus nos aliquid paulò rectius facturos, tacitâ animi cogitatione adijcimus, *si velit*

Deus:

Deus: Quasi nil à nobis rectè possit fieri nisi Deus adsit, præsente autem Deo certo quodam modo nil possit fieri prauè. Contra verò, si metuimus ne quid perperam faciamus, statuimus omninò id euenturum ni prohibeat Deus: Vnde oritur studium & ardor precandi, *ne Deus nos inducat in tentationem.* Neque verò hoc pacto aliud quàm vel prauitatem, vel imbecillitatē nostram agnoscimus, Dei verò potentiam, bonitatem, sapientiam, qua solâ sustentamur, prædicamus. Sanè in pietate tantùm possumus, quantum Deus vt possimus largitur, largitur autem quantum decreuit: *Deus est* (inquit Apostolus) *qui facit in vobis velle & perficere, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.* Neque tamen sic efficitur Deum esse peccati authorem, aut homines si minùs proficiant, veniam mereri: Quando ita peccare, tamque vehementi animi studio, vt non possit non peccare, idipsum grauissimè peccare est: Exemplo sint Diabolorum, Damnatorum, etiam (iudice Tileno) induratorum peccata. Jam quod Prouidentiam diuinam (qua ne malum quidem subterfugit, nam *necesse est*, inquit Christus, *Scandala euenire*. Et, *oportet inter vos*, inquit Apostolus, *etiam hæreses esse.*) Manichæorum εἱμαρμένην ἀνάγκην vocat, rancida calumnia est. Certè, vt iam suprà obiter monui, fati inuidia Ecclesiæ à Pelagianis olim & obiecta est, vt constat ex Augustini libr. 2. ad Bonifac contra duas epistolas Pelag. cap. 5. Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibusdam omnipotentis Dei voluntatem placet *fati* nomine nuncupare, profanas quidem verborum nouitates euitamus, sed de verbis contendere non amamus. Vnde autem hoc eis visum fuerit nobis obijcere, qui fatum asseramus sub nomine Gratiæ, cùm aliquantò attentiùs cogitarim, priùs eorum verba quæ consequuntur inspexi. Sic enim hoc nobis obijciendum putarunt: sub nomine, inquiunt, Gratiæ ita *fatum* asserunt, vt dicant: quia nisi Deus inuito & reluctanti homini inspirauerit boni, & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum posset arripere. Deinde aliquanto post, vbi ipsi quæ defendant commemorant, quid de hac re ab eis diceretur, attendi. Baptisma, inquiunt, omnibus necessarium esse ætatibus confitemur, gratiam quoque adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum. Ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine Gratiæ, quia Gratiam Dei non secundùm merita nostra dicimus dari, sed secundùm ipsius misericordissimam voluntatem, qui dixit. *Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Vbi consequenter adiunctum est: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Posset etiam hinc quispiam similiter stultus fati assertorem Apostolum putare vel dicere. Hactenus Augustinus. Vt verò calumniam hanc refutarit, si quis requirat, adeat eiusdem libri caput sextum & septimum. Quod verò addit Tilenus, *duplicem esse, causam fidei, gratiam & voluntatem hominis*: si loco voluntatis *mentem* dixisset, statuisset que eam causam gratiæ subordinatam, in eo facilè ei assentiret, vt sit mentis opus *credere*; Dei verò ita mentem afficere, atque illustrare, vt fides sequatur, & quidem necessariò sequatur. At cùm is gratiam & humanam voluntatem, fidei causas socias esse velit, quarum hæc ab illa non ita regitur, vt omnem ei vim suam in hoc negotio debeat, ab eo planè dissentio. Cur verò dissentiam multoties ostendi, nec hoc loco opus est denuò commemorare. Nam neque est voluntatis propriè, sed mentis credere (nempe mentis est versari circa verum & falsum, voluntatis appetere bonum, malum verò refugere) seu id bonum, & malum videatur esse duntaxat, seu etiam reuera sit) neque verò etiam mens cum gratiâ, fidei causa socia est, sed subordinata, & (vt loquuntur in Scholis) dependens. Cæterùm loca Scripturæ quæ non citat quidem, sed ad quæ tamen alludere videtur, tantùm significant, Deum certâ quadam via & ordine salutis nostræ negotium & inchoare & promouere, & denique perficere; (nempe ratione quadam aptâ naturæ humanæ, quâ sublatâ homo ne homo quidem quidem foret) ita demum, vt [illegible] lux cœlestis affulgeat, tum mens credat, mentem voluntas charitate accensa, eam voluntatem denique bona opera sequantur: Vnde fit vt fides, spes, charitas à Deo, & ab homine profici [illegible], haud tamen pari ratione in sacris litteris dicantur. Nam quæ [illegible] ex Augustino frustrà affert: Quod enim Augustinus de Libero arbitrio lib. 3. cap. [illegible] ita loquitur. *Nihil tam in nostra potestate quàm ipsa voluntas est*: Et prope finem eiusdem capitis, *voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate*: *Porrò quia est in nostra potestate, libera est, non enim nobis est liberum quod in potestate nō habemus.* Id ipse Augustinus vt accipi debeat luculenter explicauit, atque ideò ad mentem nostram. Propter eos disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci; & Deum, si ita est creatorem omnium creaturarum culpandum esse contendunt: eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere mali naturam. De gratia verò Dei: qua suos Electos sic prædestinauit, vt eorum qui iam in eis vtuntur libero arbitrio, ipse etiam præpararet voluntates, nihil in his libris disputatum est, propter hanc propositam quæstionem. Vbi autem incidit locus vt huius gratiæ fieret commemoratio, transeunter commemorata est: non quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere: vnde sit malum: & aliud est quærere, vnde redeatur ad pristinum, vel ad maius perueniatur bonum. Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita nostra dari asserunt, non se extollant, quasi eorum egerim causam, quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Dixi quippe in libro primo, malefacta iustitiâ Dei vindicari &c. Tum aliquanto post. In his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur putant Pelagiani vel putare possunt suam nos tenuisse sententiam. Sed frustrà hoc putant. Voluntas quippe est, qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus, voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet adiuuetur; rectè

Philip. cap. 13.

§. 3.

§. 4.

Retract. lib. 1. cap. 9.

„ pièque viui à mortalibus non poteſt. Et hoc diuinum beneficium quo liberatur, niſi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & nō eſſet gratia, quæ vtique gratis datur. Quod in aliis opuſculis noſtris ſatis egimus, iſtos inimicos huius gratiæ nouos hæreticos refellentes. Ac ne quis Auguſtinum exiſtimet *adiuuandi*, & *adiutorij* vocibus, quibus crebrò vtitur, auxilium ſignificare, neceſſarium quidem, ſed quod effectus tamen non continuò & certiſſimè ſequatur: Quaſi Dei adiumentum nihil aliud quàm quod ſocia cauſa præſtaret, quæ ſæpenumero euentu caret. Audiamus ipſum Auguſtinum mentem ſuam diſertiſſimè interpretantem. Itemque ipſa adiutoria diſtinguenda ſunt, aliud eſt adiutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit; Quia &, ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus: & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non conſequenter faciunt vt homo viuat, ſed tamen ſine illis non poteſt viuere. Primò itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere; datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale vt eis perſeuerantia ipſa donetur non ſolùm vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint. Multò verò clariſſimè lib. Retractat. 1. c. 22. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, Quod cùm volumus, facimus, nihil tàm in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt, ſed præparatur voluntas à Domino. Eo ergo modo dat poteſtatem. Itaque quod voluntatem Auguſtinus dixit in noſtra eſſe poteſtate, & nos itidem dicimus. Siquidem id omne in noſtra ſitum eſt poteſtate, quod nobis neſcientibus aut nolentibus non contingit: Velle autem nemini neſcienti ſe velle, aut noléti contingit; *velle* enim & *nolle* pugnant. Sæpenumerò quidem contingit, vt quemadmodum duplex in homine iudicium eſt, ſic etiam duplex in homine ſit voluntas: At vt velle idem ſit quod nolle, aut ſcire idem quod neſcire, illud verò nullâ fieri poteſt ratione. Cæterùm *Auguſtinus* (*lib. 1. Retractat. cap. 22.*) *in poteſtate noſtrâ*, inquit, *non eſt niſi quod noſtrã ſequitur voluntatem.* At voluntas certè voluntatem haud quaquam ſequitur. Nam prima voluntas, quam obſecro ſequatur voluntatem? Neque verò idem ſequitur ſeipſum: Prius enim & poſterius diuerſa ſunt. Voluntas porrò ipſa à ſeipsâ non eſt diuerſa; Sic enim ipſa foret & non ipſa. Quod verò capite decimo libri de duabus Animabus ait, *de quo neſciente, vel reſiſtere non valente, quiſpiam quidpiã mali fecerit, iuſtè damnari nullo modo poteſt.* Item *Peccati reum teneri quenquam, quia non fecit quæ facere*

Lib. de Corrept. & Grat. cap. 12.

Ibid. c. 12.

non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Auguſtinus ipſe pariter interpretatus eſt. Item quod dixi, *nuſquam ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum*, poſſunt Pelagiani pro ſe dictum putare, propter paruulos quos ideò negant habere peccatum, quòd eis in Baptiſmate remittatur, quia nondum arbitrio tatis vtuntur. Quaſi verò peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere: Id eſt reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vſquam eſſe potuerit niſi in voluntate, qua voluntate commiſſum eſt, quando diuini præcepti eſt facta tranſgreſſio. Et paulò poſt. Peccatum autem quod nuſquam eſt niſi in voluntate, illud præcipuè intelligendum eſt, quod iuſta damnatio conſecuta eſt. Hoc enim per vnum hominem introiuit in mundum, quanquam & hoc peccatum, quo conſentitur peccati concupiſcentiæ, nonniſi voluntate committitur. Propter hoc & alio loco dixi, *Non igitur niſi voluntate peccatur.* Et mox: *Nam & qui neſciens peccauit, non incongruenter volens peccaſſe dici poteſt*, quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum. Quæ voluntas vtique ſicut definita eſt, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum. Quod enim ſi noluiſſet, non coactus eſt facere: quia voluit ergo fecit, etiamſi non quia voluit peccauit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit; ſed voluntate facti, non voluntate peccati: quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit. Quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit: vtique volens peccat, quoniam qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere. Qui verò cogenti cupiditati bonâ voluntate reſiſtere non poteſt, & ideò facit contra præcepta iuſtitiæ, iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati. Quapropter peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe veriſſimum eſt. Lubens igitur hos (vt loquitur Tilenus) *floſculos arripio*, atque inde *capiti meo* (vt vult) *apto coronam.* Cùm autē liberalitas ſit æquè in accipiendo, ſi occaſio ferat, ac in dando experiar liberalitatem Tileni nunquid is etiam patiatur ſibi ex Auguſtini floſculis ſe tum continuari? Sic igitur ait lib. de Prædeſtinatione Sanctorum capite ſeptimo: Et iam fides nō ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur: Solet enim dici, ideò credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes antequam credidiſſet in Chriſtum: nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat: Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Paulò poſt. Quicquid igitur & antequam in Chriſtum crederet, & cùm crederet, & cùm credidiſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt ne fortè quis extollatur. Idem libro de bono perſeuerantiæ cap. 11. Ex ore quippe infantium & lactentium ſuam perfecit laudem: vt quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt: & in his quorum damnationem vtriſque communia originalia ſola præcedunt: hoc & in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur, id eſt, non putantes vel ſecundum ſua merita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis meritis quenquam puniri, ſiue pares, qui liberan-

Retract. lib. 1. cap. 1

liberantur, atque puniuntur, siue dispares habeant causas malas: vt qui videtur stare videat ne cadat, & qui gloriatur, non in semetipso, sed in Domino glorietur. Idem eiusdem libri capite octauo, ex duobus itaque paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; Et ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur: inscrutabilia sunt iudicia Dei.

Idem lib. de Prædestinatione Sanctorum capite decimosexto: Vocat enim Deus Prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias: illâ quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est: & Gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est: sed eâ vocatione Prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens *ipsis vocatis Iudæis & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. Sic enim ait *ipsis autem vocatis*: vt illos ostenderet non vocatos, sciens esse certam quandam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciuit & prædestinauit conformes imagini filij sui. Quam vocationem significans, ait: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei*; *Quia maior seruiet minori*. Nunquid dixit, *non ex operibus sed ex credente?* Prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo, *sed ex vocante*, non quacunque vocatione, sed quâ vocatione fit credens. Deinde eodem capite; Iam porrò Electio quam dicit, quia secundùm Gratiam, non secundùm debitum debet vtique occurrere, *quoniam reliquiæ per Electionem Gratiæ factæ sunt. Hæc Electio consecuta est, cæteris excæcatis*. Secundùm hanc Electionē *Israëlitæ dilecti propter patres*. Non enim vocatione illâ vocati fuut, de qua dictum est, *Multi vocati*: sed illâ, qua vocantur Electi. Vnde & hîc posteaquam dixit, *secundùm Electionem autem dilecti propter patres*: continuò subiecit, vnde agimus: *sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*: id est sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc Vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum quisquam dicere, Credidi vt sic vocarer: præuenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet. Et capite decimo septimo. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua Deus, sua futura facta præsciuit: Electi sunt autem de mundo eâ vocatione, qua Deus id quod prædestinauit, impleuit. Quos enim prædestinauit, ipsos & vocauit, illâ scilicet vocatione secundùm propositum: non ergo alios, sed quos prædestinauit, ipsos & vocauit: nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit: nec alios, sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit, illo vtique fine, qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant.

Gratiæ [e]ffectum [i]n homi[n]is con[u]ersione [n]on sus[p]endi ab [h]umano [a]rbitrio.

Idem de Prædestinatione Sanctorum capite octauo: Hæc itaque Gratia quæ occultè humanis cordibus diuinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Idem libro de spiritu & littera capite tertio: Nos autem dicimus humanam voluntatem, sic diuinitùs adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis: præterque doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc cùm adhuc per fidem ambulatur, nondum per speciem: vt hac sibi velut arrhâ datâ gratuiti muneris, inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei benè sit à quo habet vt sit: Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cùm id quod agendum, & quò nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum quod surgit ex nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Et libro de Correptione & Gratia cap. 8. Quando rogauit ergo (*Christus scilicet*) ne fides eius (*Petri*) deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundùm Gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur Gratiam, sed Gratiâ potius libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Et capite vndecimo: Per hunc mediatorem Deus ostendit eos quos eius sanguine redemit, facere ex malis deinceps in æternum bonos, quem sic suscepit, vt nunquam esset malus, ne ex malo factus semper esset bonus. Istam Gratiam non habuit homo primus, quâ nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine gratia sua, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est nisi adiuuetur ab *omnipotenti* bono: quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus; Sed deseruit & desertus est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet. Hęc est prima gratia quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secūdo Adam. Prima est enim qua fit vt habeat homo iustitiam si velit: Secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. Et paucis interiectis. Tanto amplius datur per Iesū Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum assit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verū etiam tantum ac tale sit, vt velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus. Et capite duodecimo: Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanę, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, & ideò quamuis infirma non tamen deficeret, neque aduersi-

" tate aliquâ vinceretur. Ita factum est vt voluntas
" hominis inualida & imbecilla in bono adhuc
" paruo perseueraret per virtutem Dei, cùm & vo-
" luntas primi hominis fortis & sana, in bono am-
" pliore non perseuerauerit, habēs virtutem liberi
" arbitrij. quamuis non de futuro adiutorio Dei,
" sine quo non posset perseuerare, si vellet, non
" tamen tali quo in illo Deus operaretur vt vellet,
" fortissimo quippe dimisit atque permisit facere
" quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante in-
" uictissimè quod bonum est vellent, nec hoc de-
" serere inuictissimè nollent. Et cap. 14. Non est
" itaque dubitandum voluntati Dei qui in cœlo &
" in terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui
" etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas volun-
" tates *non posse resistere*, quo minus ipse faciat quod
" vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum
" voluntatibus quod vult facit &c. Et ibid. paulò
" inferiùs. Nunquid ille *posset aduersari* voluntati
" Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui
" in eius corde operatus est per Spiritum suum
" quo indutus est vt hoc vellet, diceret & faceret?

Vides iam, vides vt opinor Tilene, quid sen-serit in hac causa, de qua inter nos agitur, Beatus Augustinus; 1. Vt discriminis rationem, cur è duobus æquè improbis & adultis, alter illuminetur, alter sibi relinquatur, noluerit ab occultissimis meritis pendere. 2. Vt noluerit parem gratiam indultam iis qui respuerunt Euangelij doctrinam, & qui fide eam amplexi sunt. 3. Vt noluerit efficaciam gratiæ in conuersione suspendi ab arbitrio humano, atque ita esse dubij euentus. De his enim tribus inter nos hac disputatione quæsitum est: Iam verò liquêre puto Lector, secundùm vtrum nostrûm Augustinus pronunciarit: Eumne etiam in ea fuisse sententia statuit Tilenus quæ Deum facit authorem peccati? Aut si id horrescit dicere, cur tot viros graues, pios, cur Ecclesiam Christi, in quâ nasci, educari, docere etiam non sine laude ei datum est, non reueretur? Cur eam sententiam, quæ in Scriptura traditur, quam vetus Ecclesia constāter tenuit & docuit, nouam vocat? nempe Pelagium imitatur, quem Augustinus testis est pari confidentiâ Ecclesiæ insultasse. Sed hanc audaciam eodem illo libro Augustinus repressit, & nos facilè, illo idem possemus si opus esset præstare. Quod superest hanc disputationem voto tandem claudamus, quam Tilenus conuitiis clausit, & pro maledictis preces reddamus.

§. 6. Ad Bonif. contra duas Pelag. epist. lib. 4. cap. 8.

D. O. M.

Magne Deus, quamuis cœli supra aurea templa
Celsus agas, sedesque tuas imperuia nostris,
Angelicisque oculis lux circumfulgeat, inde
Tu tamen humanas curas, & gaudia cernis;
Spes cæcas, trepidosque metus, cassumque laborem,
Et licet imparibus studiis, tamen impetu eodem
Mortales miseros simul in sua damna ruentes:
Hosque inhibes, illos contrà, quò dira libido:
Impellit, pateris ferri sapiensque bonusque,
Ne sibi virtutem quisquam, vel commoda vitæ
Se debere putet; tua quin tibi munera gratus,
Soli accepta ferat. Sed nec Pater, audeat vllus
Authorem sceleris nostri te dicere quamuis
Cuncta tuo imperio, cælumque, solumque gubernes,
Cœlestumque choros, & ditis tristia regna.
Qualis dum puro Phœbus decurrit Olympo,
Et noctem, tenebrasque regit, lucemque diemque,
Mites Autumnos, & blandi veris honores,
Candentemque Aestatem, & tarda frigora brumæ;
Ipse sui semper similis moderatur, & omni
Labe carens rerum quas inconstantia versat;
Hæc nos, Sancte parens, quia credimus inscia veri
Turba suo freta arbitrio, & dulcedine falsæ
Laudis capta fremit: nos & quia lædere veris
Haud potis est, fictis (nec finis, nec modus vllus)
Criminibus petit; atque immania iurgia iactat.
Hæc audis quid enim fugiat te? maxima vitæ
Arbiter humanæ, qui vindex iuris & æqui,
Et plectis sontes insontesque asseris idem:
Hæc audis: Verùm miseros, ah! perdere nolis,
Tu licet id iustè possis: Sed pectora dura
Emolli: tu namque potes, quin tu potes vnus
Tantū opus: Hæc tua laus, qui primâ in origine mūdi
Iussisti claram è tenebris splendescere lucem,
Et gelidâ ignauum frigus decedere terrâ,
Materiaque rudi speciem, vitamque dedisti:
Hîc pariterque tua bonitate, atque vtere dextra,
Addictosque tibi, soli, Pater, assere Christo.

EPISTOLA

EPISTOLA FACVLTATIS THEOLOGICÆ ACADEMIÆ Leydensis ad Cameronem.

S.P. Reuer. & chariſſime frater. Non dubitamus eoſdem qui tibi iudicium noſtrum de diſputatione quam cum Tileno ſuperiori anno habuiſti ſignificarunt, monuiſſe etiam te eâdem operâ, eſſe aliquid in conceſſis quibuſdam hypotheſibus, de quo nobis tecum hondum conuenire poteſt, & quod vel elucidatum, vel emollitũ voluiſſemus, ne cõmunibus aduerſariis in omnes occaſiones etiam leuiſſimas intentis aliqua prębeatur anſa nobis, vel exiguum diſſenſum obijciendi, aut infirmis nonnullis inter rectè ſentientes, vel aliis ſcrupuloſioribus, materia ſcãdali objiciatur, ſi videant inter veritatis defenſores de apicib. non contemnendis controuerti. Noſti V. R. quali cum conſenſu omnes noſtri Interpretes, hactenus duos illos V.T. typos, in Epiſt. Pauli ad Romanos cap. nono adductos, pro vnius & eiuſdem rei typis acceperint quã laborauerit, Arminius, vt totum illud, à vocationis propoſito ad iuſtificationem deflecteret, & certè nondum videmus, etiam tuis argumentis perpenſis id de primo poſſe concedi, & de ſecundo negari. Deinde etſi de controuerſiâ illâ phyſicâ litem nemini intentemus, nempe, num voluntatis determinatio neceſſario ſequatur ad vltimum iudicium rationis, ac intellectus vt vocant practici quam ſententiam nouimus quoſdam ex purioribus Scolaſticis fuiſſe amplexos, non poſſumus tamen probare quod videris in toto tuo ſcripto nullam aliam mutationem in voluntate aut concedere, aut requirere præter moralem illam quæ fit ab obiecto monſtrato & rationis iudicio de eo eligendo aut reijciendo, aut preferendo ſine vllo influxu Dei immediato in ipſam voluntatem, præſertim in rebus ſupernaturalibus. Nam etſi moralem motionem neceſſariam eſſe ſtatuamus, ſolam tamen in ea re adhiberi naturali voluntati, Scripturis conſentaneum minimè videtur, quem (ipſis fatentibus aduerſariis) influxum immediatum Dei, in ea immutanda teſtantur & gratiæ non tantum moralem, ſed veram & propriam (vt ita loquamur) cauſalitatem. Quam ſi tu etiam concedas, & Deum non ſolum metaphoricè, ſed etiam ὄντως, cauſam conſenſus voluntatis in conuerſione ſtatuas, nihil erit inter nos controuerſię in ea re, quam nitidè & perſpicuè explicari ſcis ipſe quantum interſit. Hoc ſaltem V. C. à te peteremus, vt pręfixa vel adiecta admonitiuncula, ſignificares te prorſus acquieſcere iudicio Eccleſiarum, quæ in Synodo Dordracena ſuam de tota hac controuerſia ſententiam expoſuerunt. Et ſi quid in modo loquendi aut nonnullis interpretationibus reperiatur ſingulare, quod piis mentibus non ſatisfaciat, vel elucidare paratum eſſe, vel etiam, ſi opus ſit, mutare, eaque lege te in editionem illam conſenſiſſe, vt orthodoxorum de tua opera iudicium, non ſolum in communi, ſed etiam in ſingularibus experireris. Nos quid mentis tuæ ſit in ea re non dubitantes, reclamare noluimus quominus hic ederetur lucubratio tua, eo præſertim tempore quo vir ille acrius cœpit aduerſus Eccleſiam inſurgere, & operam tuam doctam alioquin, & vtilem, publico teſtimonio commendaſſemus, niſi ſcrupuli illi iniecti fuiſſent; quos eximere tibi facillimum erit. Procuratur interim editio, & eleganter (vt ex ſpecimine vidimus) excuditur cuius correctioni inuigilant ſtudioſi, quibus curam illam demandaſti. Interim officio non deerimus, vt apud omnes pios hic tuus labor agnoſcatur pro fœtu eius qui communi fidelium matri his calamitoſis temporibus variè laboranti opem fert non pœnitendam, eiuſque pacem, & in ea veritatis conſeruationem ex animo procurat; Quo nomine te R. Fr. Chriſto Domino commendamus, vt ſuo Spiritu tibi adſit, in omnibus lucubrationibus tuis, talentumque nobile tibi commiſſum, magis ac magis in manibus tuis multiplicare dignetur. Vale Lugd. Bat. pridie Cal. Febr. 1622.

CAMERONIS AD præcedentem Epiſtolam, *Reſponſio.*

QVAS ad me Reuer. Viri, Cl. Riuetus apud vos S. Theol. Facultatis Decanus, totius collegij veſtri nomine, prid Cal. Febr. dedit literas, eæ ſero tandem, 9. Cal. Mart. mihi ęgrotanti redditæ fuere: Ex iis intellexi quod eſſet veſtrum de mea diſputatione iudicium, & quid à me requiratis. Ac eam vos quidem mihi tribuitis ſententiam, quam ego nõ modo meam eſſe nego, verum etiam (vt quidem à vobis explicata eſt) deteſtor atque abominor, quæ res incredibilẽ mihi attulit dolorem. Quod autem à me poſtulatis eiuſmodi eſt, (pace veſtra id dictum ſit) vt nõ videam quî poſsit ſine cauſæ graui detrimento pręſtari. Sanè Synodi Dordracenæ Canones mihi, vt cui maxime probantur; qui de me aliter loquuntur ij me vel non norunt vel parum certe diligunt. Cæterum idem & arrogantiſsimus & amẽtiſsimus forem, ſi à quoquam exigerem vt in mea viliſsimi homuncionis verba iurarer. At id teſtari publicè, neſcio quorsũ pertineat, niſi vt aliis calumniandi, aliis cauillandi argumẽtum præbeatur. Quamuis quicquid hac in parte à me fieri debuit, id omne iampridem à

me vltro factum est, in præfatione ad fœlicis memoriæ, D. Hier. Groslotium Lislæum, quam opinor vos legisse. Nam sententia mea, Caluini eadem, Bucer, Martyris, (quorum memoria in Ecclesia sanctissima est) sententia fuit. Bannezij, fateor, Aluarezij, Gumelij, & id genus hominum diuersa sententia est, qui scilicet causam bonam malè agendo penè prodiderunt. Taceo theses & Prælectiones meas eorum iussu editas quorum authoritate ego, ad Professionis S. Theologiæ munus obeundum fui vocatus, hactenus reprehensione caruisse, præter quam ea quę Synodi nationalis decreto, non obscure reiecta est in Gallia & damnata. Taceo mendicata aduersus me ab exteris sed (quæ eorum charitas & prudētia fuit) haud quaquā certè impetrata suffragia. Sed quid ego hîc ad authoritatem hominū prouoco. Scripturę sentētia mea est, etiam vestra est si quid ego sentio, qui vos à me dissentire profitemini. Quid enim, ego non senserim, docuerim, asseruerim, rebus addixerim necessariis hominis mentem, voluntatem, affectus, quod ad salutis negotium attinet, esse penitus deprauatos? Eam prauitatem insitam atque inexpugnabilem sola Dei gratiâ posse vinci, & vero vinci potētissime, in iis nimirum quib. singulari prærogatiua à Deo est indultum, nempe pro gratiæ modulo. Istā gratiam nō ad mentem tantùm verum etiam ad ipsam pertinere voluntatem, indeq; nouas tum in mente, tū in volūtate ingenerari facultates, habitus inquā quamuis non sine τάξει quadam & ordine, vt sit videlicet qui est ad actus actuum, eadē ad facultates atq; habitus facultatum atque habituum ratio. Cum enim omnem voluntatis actum præcedat vt impellens causa mentis aliquis actus, & facultatem atq; habitum voluntatis à mentis habitu atque facultate, pari prorsus ratione pēdere necesse est. Neque vero sic tollitur (vt scribit vestro nomine VV. RR. Reu. D. Decanus) influxus & causalitas Dei (sic enim loquitur) in ipsam voluntatem. Absit, absit. Nam vt exemplo vtar notissimo atque obuio, rerum facultates quas in Scholis *proprietates* vocant à formis suis tanquam à causa & oriuntur & pendent, neq; verò continuò tollitur Dei influxus (libet enim vti verbo Reu. D. Decani) in ipsas proprietates. Profectò scio VV. RR. Scio Dei beneficio & agnosco lubens (neq; vnquam aliter sensi) Deum omnia sustinere, in omnibus exerere vim suam, omnia in omnib. agere, hactenus tamen vt ne turbetur ac tollatur earum ordo causarum secundarum quæ inter se aptæ sunt & connexæ, vt à se inuicem, ne mentis quidem cogitatione, queant diuelli. Atq; ita & agnosco & prædico vim Dei & influxū, & causalitatem, seu quo alio nomine eam libet appellare, in ipsam voluntatem. Et quidē nolo eam esse simplicem, & nudam specierū obiectionem, sed efficacissimam, potētissimam, inuictissimā, voluntatis, mentis Spiritus Sancti luce renouatę interuentu, commotionem quam nimirum ij sentiunt, qui audiuerunt & didicerunt à Patre, proindeq; θεοδίδακτοι appellantur, reliqua turba non sentit. Itaq; idem affirmo, permota mēte, necessariò permoueri volūtatem. Atq; aliter se rem habere id vero mihi ἀδύνατον καὶ ἀσύστατον videtur.

Iam quod ad Analysim attinet. cap. 9. Epistolæ ad Rom. Etsi non spondebam fore vt ea omnib. arrideret, attamen nunquam veritus sum nequis piorum eâ offenderetur, quasi ea causam aduersariorum iuuaret. Nam neq; Tilenus inde quicquam potuit exculpere, quod causę quā agebam obesset, & ea sic instituta est, vt vbiq; sententiam eius non modò petat, sed feriat etiam & iugulet. Quod si quis eam parum aptam & concinnam iudicet, ego quidem certè id neq; indignor, neq; doleo, vt qui sciam probè, quàm sit ęquum & rationi consentaneum, vt sint in hoc genere libera hominum iudicia, tantum id peto (quod à bonis viris impetraturum me facile confido) ne hîc obruat præiudicis, neu me quis nisi admonitum & vi veritatis victum, neq; cedentem tamen, existimet damnādum. Vtinam me sic vobis purgarim. Quod si cui vestrum R R. V V. vllus adhuc hæret scrupulus (quod vix credo) mihi rem fecerit & pergratam & apprimè vtilem, si mecum volet apertè agere, mihique vel agnoscēdi erroris mei, vel tuendæ atque illustrādæ veritatis copiam facere, prolat. rationib ac testimoniis S. Scripturę, quib. vel cedere, si cōtra me faciunt, vel si minus, respondere queam. Nunc enim, vt res agitur, nihil aliud possum quam quod hac Epistola pręstiti. Vtinam verò libuisset nobis (nā licuit quidem certè) me tempore admonere, dum res erat integra. Ego enim (si qua fides) nec illius Disputationis editionem, vrsi, nec vt à vobis publico testimonio commēdaretur rogaui: Tantum vobis egi gratias, quod acceperam eam à vobis fuisse lectam & hactenus probatam, ut eam iudicaretis haudquaquam indignam quę prodiret in lucem. Simul etiam rogaui vt (quæ vestra esset apud Typographum authoritas) cum eo priuatim ageretis, vt quod ipsius est diligenter curaret. Quod superest, ego totum hoc negotium, vosque, RR. V V. & florentissimam Academiam Christo commendo. Datum Londini.

SAMVELIS BOCHARTI

S. Theologiæ studiosi, pro Camerone ad D. VVallæum S. Theol. Profess. in Acad. Leydensi Epistola, qua obiectiones aduersus Cameronis sententiam, De motu voluntatis per intellectum, soluuntur.

Te grauibus & necessariis studiis intentum interpellare V. R. Sūma mihi fuisset religio, nisi (quę tua est humanitas, tuusque erga me affectus & beneuolentia) id discedēti mihi abunde testatum fecisses meas tibi literas neq; molestas fore neq; iniucundas, & in mandatis insuper dedisses vt quamprimum id opportunè fieri posset, Reu. V. Cameroni duo proponerem incommoda, quibus illius de motu voluntatis per intellectum sentētiam premi putabas, & quicquid ille respondisset indicarem. De his igitur cum scribam iussus, non iam vt scriptionem sed vt diuturnius fortasse quam oportuit silentium excusatum habeas, rogo V. R. Horum prius illud fuit, quod cum ex Cameronis sententia necessariò sequatur errorem prius esse intellectu quàm in voluntate mali-

malitiam, ac proinde primum etiam Adami peccatum fuisse per errorem admissum, durum admodum videatur fieri potuisse, vt humanæ menti tantâ luce diuinitus persusæ Diabolus tenebras offuderit.

Alterum hoc fuit, quod cum hæc sententia statuat nihil à Deo fieri in voluntate immediatè, in ea tamen (vt fiat conuersio) nouos habitus informari necesse sit, sequi videatur per actum aut per habitum qui in intellectu est, alium in voluntate ingenerari, quod nouum est & à Philosophia alienum.

Ad hæc singula, quid Camero responderit, eodem quo ille ordine conabor explicare, quamuis per memoriæ debilitatem, multa me plane fugerint, multa non fugerint quidem, sed tam leuiter hæserint tamen, vt nullus dubitem quin multum iis ex grauitate & pondere decesserit. Hæc tamen qualiacunque à me scribenda putaui, postquam ipsum vt scriberet adduci non potuisse, compertum habui, animum sibi à contentione alienum simpliciter causatum.

Verum vt ad rem veniam, cum prioris nodi solutionem suscepisset, totam sermonis sui seriem ad hæc capita reuocauit. Primo sententiæ suæ (quæ reuera talis est. *Errorem in Adamo fuisse primum peccandi actum*) probationem instituit: Deinde docuit illud (quo tu ipsum aggrederis) argumentandi genus, non esse vsque adeo firmum, immo vero tale vt possit retorqueri; Idem etiam postmodum directè soluere, & præterea erroris fontem detegere conatus est.

Sententiæ suæ probationem, tum ex Scriptura, tum ex Theologicis, & Philosophicis argumentis desumpsit.

Et ex sacris litteris quidem triplici ratione probare eam conatus est. Primò, Ex iis locis in quibus apertè dicitur Euam fuisse deceptam, vt 2. Corinth. 11. 8. ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν. Et 1. Timoth. 2. 14. γυνὴ ἀπατηθεῖσα dicitur, atque sic fuisse ἐν παραβάσει. Secundò, Idem probari posse dixit, ex ipso tentationis modo. Sathan enim vtitur argumentis quibus intellectum in errorem inducat, non quibus voluntatem immediatè flectat, qualia neque animi cogitatione putat posse concipi, *Scit Deus*, inquit Diabolus, *quod qua die comedetis &c.* Simili argumento vtitur Lutherus qui in eadem est sententia. Tertium argumentum petiit ex Sarcasmo quo post peccatum, malè creduli hominis stultitiam corripuit, Deus, *Homo scilicet nostri similis est boni & mali gnarus.* Quartò, Quominus responderi queat malitiam voluntatis, ignorantiam intellectus demum subsecutam, apparet statim peccato admisso, oculos iis apertos fuisse, ex eo quod addatur, nuditate agnita fugisse miseros & inter arbores delituisse, vt peccatum notitia secuta sit potiusquam ignorantia. Theologicum argumentum hoc fuit (cui simillimum apud Lutherum & Caluinum eiusdem sententiæ assertores, legere est.) Fides est natura prior charitate, Ergo & incredulitas odio, nam contrariorum contraria sunt consequentia: Porro vt fidei origo est cognitio, sic incredulitatis ignorantia, Ergo ignorantia quæ in intellectu est, prior est odio seu auersione voluntatis. Cum verò responsionem ei obiecissem quâ vtitur Bellarminus lib. 3. de admiss. gratiæ cap. 5. ex hoc antecedente, *Fides est prior charitate*, sequi contrarium consequentis, nimirum, *odium seu iniustitiam priorem esse incredulitate. Nam*, inquit, *quod in generatione primum est, vltimum est in resolutione, sic cor primum est viuens & vltimum moriens.* Falsum hoc esse regessit Camero de iis rebus inter quas connexio talis intercedit vt à se diuelli mutuò non possint, sic manente formâ, proprietates à formâ emanentes, perire nequeunt. Huc accedit alterum argumentum quo vtitur Caluinus, *Nunquam repugnare Dei imperio ausurum fuisse Adamum, nisi eius verbo fuisset incredulus.* Theologicæ rationes hactenus.

E philosophia has attulit: Primò, Omnis actio fit propter finem, ergo cum peccauit Adam finem sibi proposuit: At hic finis non potuit esse verè bonus, sed apparenter tantùm, Ergo errauit. Secundò, Vnde etiam & alterum hoc argumentum oritur. Quum quis in alium finem incidit, quàm sibi proposuerat, errat, Adamo hoc accidit, Ergo errauit. Tertiò, Aut sciuit aut nesciuit Adam quis peccatum maneret exitus, quum primum peccato assensum præbuit: Si nesciuit errauit; Si sciuit eo videtur fuisse stultitior. Vt si quis vitæ suæ conseruandæ cupidus, venenum tamen haurit, quod venenum esse scit, is aut pro stulto aut (quod magis est) pro furioso habendus videtur.

Quartò, Aut in appetitu sensitiuo, aut in appetitu rationali, primum fuit Adami peccatum. Non in sensitiuo, nam appetitus sensitiuus aut circa colorem, aut circa sonum, aut circa odorem, aut circa saporem, aut circa tactum versatur. At nihil horum efficere potuisse videtur, vt Adam tot ac tanta bona susque deque haberet: Superest ergo vt in appetitu rationali fuerit peccatum: At hoc est firmissimum Aristotelis, & omnium Philosophorum axioma, *Appetitum rationalem non moueri nisi per cognitionem:* Nam, *ignoti nulla cupido.* Hanc verò cognitionem comitatur error, quoties in malum fertur ac si sit bonum; Ho[c] [fecit] quod admisit Adam, Ergo errauit, illius nempe voluntate mota per cognitionem errori coniunctam. Quintò, Vnusquisque sibi benè vult, quisquis igitur id perpetrat quod in propriam perniciem cedit, id facit per ignorantiam. Adam, quum peccauit, id fecit quod in suam perniciem maximè cessit, Ergo per ignorantiam.

Hæc fuerunt argumenta quibus suam sententiam & Scripturæ & totius fidei analogiæ & rectæ etiam rationi consonam esse probasse se putauit. Tum sese ad obiecti nodi solutionem contulit, sed non nisi de illo quo tu eum aggressus es, V. R. argumentandi genere pauca præfatus, quo per incommoda vrgetur doctrina rationibus suffulta, ex intima rei essentia & ratione petitis. Id verò parum firmum sibi videri dicebat, quia sæpenumerò accidit vt assertoris ignorantiâ (à qua nullus hominum planè immunis est) veritas non possit ab his incommodis liberari, quam tamen certam & indubitatam constet ex argumentis à priori ductis. Et quis nescit hominum doctissimos hærere sæpissimè in huiuscemodi ἀπόροις conciliandis? Non quidem quod veritas veritati contraria sit, sed

quia non ita perſpicuè ſeſe oculis hominum ingerit, vt nullus omnino ſuperſit ſcrupulus. Alius quidem alio progreditur vlterius, ſed nemo mortalium eo vſque proceſſit vt ad ea omnia quæ in veritatem objici queant plenè & perfectiſſimè ſatisfacere poſſit, alioqui homo eſſet Deus, neque poſſet maiorem cognitionis gradum acquirere. Quidni igitur hîc vſurpare illud liceat, quod Ariſtoteles ait de minimo, minimum quidem in rerum natura dari poſſe, ſed nonniſi ἀδυναμίᾳ τοῦ τέμνοντος; Sic agnoſcimus ἄπορον dari, ſed τῇ ἀδυναμίᾳ τοῦ λύοντος. Et vt multa ſunt quæ certa eſſe ſcimus, licet qua ratione ſint non poſſumus inueſtigare, puta proportionem eſſe quandam inter circulum & quadrangulum: Quidni etiam multa eſſe dicamus quæ falſa ſcimus eſſe, & ſi falſitatis ratio à nobis deprehendi nequeat, ea nimirum quæ veritati firmis & inconcuſſis rationibus ſubnixæ apertè contraria ſunt. Alioqui quoties nutaret fides noſtra, etiam in grauiſſimis illis fidei capitibus, quæ rationis humanæ captum tantopere tranſcendunt, vt ſæpe infirmorum iudicio illi contraria eſſe videantur? In hac ipſa materia de qua agitur, quàm eſt difficile Semipelagiano ſatisfacere ſi decretum Dei & libertatem voluntatis inter ſe collidat? Verum igitur eſt etiam in argumento Theologico, quod dicebat Ariſtoteles de motu aduerſus Zenonem diſputans, τούτου ζητεῖν λόγον ἀφέντας τὴν αἴσθησιν, ἀρρωστίαν τινὰ εἶναι διανοίας.

Hæc præfatus ita probauit ſententiam ſuam hoc incommodo non magis vrgeri quàm contrariam. Quidni enim de voluntate idem dicere liceat, ſi voluntas prior ad peccatum deflexit; Quî fieri potuit vt voluntas à Deo tanta rectitudine inſtructa, etiam intellectu renitente, in malum per Diaboli ſuggeſtionem inclinata ſit? Si quis dicat voluntatem in peius ruituram non fuiſſe, ſi noluiſſet (hoc eſt, ſi bono adhæſiſſet, malum fuiſſet auerſata) tum procliue erit dicere, intellectum errori aſſenſum præbiturum non fuiſſe, ſi rectè intellexiſſet. Aut ſi dixeris voluntatem peccaſſe quia voluit peccare, numquid hoc erit idem per idem ſoluere? Ac ſi dicerem intellectum erraſſe quia errauit. Nam *peccare*, & *velle peccare* idem ſunt, cùm voluntas non peccet niſi volendo, & hoc ipſum in quæſtione erat, *cur peccare voluerit*. Aut alicubi ſubſiſtendū eſt, aut dabitur progreſſus in infinitū: Ac vt in genere cauſarum efficientium alicubi ſubſiſtendum eſt, ſic etiam in genere cauſarū deficientium. Iam ſi quæratur iterum vbi tandem ſubſiſtendum ſit, cum pateat nullam veram peccati cauſam dari poſſe, quæ non ipſa ſit peccatum, ſequitur, *in ipſo peccato eſſe ſubſiſtendum*. Cum tamen voluntas ipſa ſeſe ad peccatum determinare non potuerit, nec niſi ab intellectu determinetur, errorem in intellectu prius fuiſſe neceſſe eſt, per quem ad malum determinata fuerit. *Voluntatem porrò ſeſe determinare non poſſe*; Sic probari putat, quia ſi ſe ipſa determinat, aut per potentiam ſe determinabit, aut per actum. Non per potentiam, nam potentia non determinat niſi in potentia, hoc eſt, actu non determinat: Non per actum, nam actus id ipſum eſt quod determinatur. Aut ſi actus vnus ad alium actum determinat, de actu determinante quæri iterum poterit à quo ſit determinatus.

His dictis ad directam obiecti nodi ſolutionem ita ſe accinxit. Lux, inquit, quam videbat Adam, aut fuit in *obiecto*, aut in *ſubiecto*. Quantacumque fuerit in obiecto fruſtra fuit, cum tenebræ intellectum inuaſerunt. Iam quærere quî factum ſit vt in ſubiecto tenebræ obrepſerint, lux ſuffocata ſit, hoc eſt rationem mutabilitatis in Adamo quærere. Nam à natura ita comparatus erat, vt mutari poſſet in deterius. Atque idem de voluntate quæri potuit.

Obieceras V. R. Adami peccatum excuſari potuiſſe, ſiquidem ab ignorantia profectum eſt. Reſpondit ita vt diſtingueret inter ignorantiam *earum rerum quæ circa noſtrum officium verſantur*, & earum rerum ignorantiam *quæ ad officium nihil pertinent*. Hac, non, illa dicit excuſari poſſe peccatum; ſic ſi quis ægroto patri venenum propinat, quod à medico deluſus putat eſſe pharmacum, is errat in iis quæ ad officium nihil attinent, ideoque errore excuſabili. At qui ſciens & volens venenum patri propinat, is demum eo erroris genere peccat qui nullum excuſationi locum relinquit, quia in eo peccat quod ſcire erat officij ſui, atque hoc erroris genere Adamum erraſſe dixit. Diſtinxit item ignorantiam earum rerum quæ ad officium pertinent in *ſimplicem*, & *compoſitam*: *ſimplicem* vocabat eam qua quis id quod eſt officij ſui planè ignorat; *compoſitam* qua non ignorat planè, ſed conſultius putat officio ſuo deeſſe, dum nempe honeſto præfert, id quod vtile eſſe cenſet. Ab illâ non ab hâc ignorantia immunem fuiſſe Adamum pronuntiauit, ac proinde merito reum. Hæc ſunt V. R. quæ memoria ſuggerere potuit ex iis quæ à R. V. Camerone de prima quæſtione dicta ſunt, quæque ni fallor ſufficiunt, cum vel verbum ſapienti ſit ſatis.

De altera, quæſtione egi cum eo breuius. Reſponſionis ſumma hæc fuit. Peruulgatum quidem in Scholis illud eſſe, *Habitus non niſi per plures actus ingenerari*, quodque adeo de habitibus naturalibus verum eſſe dixit, eo quod agentia naturali modo, debilius agant quam vt poſſint vno actu habitum informare, ideoque opus eſſe ſubinde repetitis actibus, vt quod nec per primum, nec per ſecundum, nec per tertium efficere potuimus, id longo tandem rerum vſu conſequamur. At rem longè aliter ſe habere in diuinis, cum nimirum is qui producit actum Deus eſt, Deus inquam agens immediatè in mentibus noſtris κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, & intellectu mediante itidem in voluntate, tanta vi & efficacia, vt ſtatim primo illo actu, (cùm eo quo immediatè agit in intellectum, tum eo quo, mediante intellectu, voluntatem afficit) in vtraque animæ parte ſeu potentia habitus fidei & charitatis ingeneret, atque infundat quaſi, Porrò quum ait Deum in voluntatem mediante intellectu agere non excludit omnem actum Dei immediatum in voluntatem. Agnoſcit enim vltro, *Voluntatem quà ens eſt immediatè à Deo moueri*, at *quà voluntas eſt, in eam agi poſſe negat aliter quam per intellectum.*

DE MOTV

DE MOTV VOLVNTATIS AB intellectu eiusdem Cameronis demonstratio aduersus VVallai argumentum quo putat effici, regenerationem & sanctificationem nostram esse à viribus naturalibus, si detur, moueri necessariò voluntatem, moto intellectu.

1. SI β non potest moueri, nisi moto α, non modò quia α est causa motus ꝑ β, sine quâ non, sed quia β dependet simpliciter (quod ad motum attinet) ab α. Certum est moto α motum iri β, neque tamen id proficiscetur à viribus β, sed à viribus α. Vt in continuis, quantitatis vna parte motâ in lineâ rectâ, omnes continuò partes mouentur. Immò verò quicquid habet rationem partis, in mobili, in circulum, vnà parte motâ, statim mouetur, quanquam centrum, quod non obtinet rationem partis, nihil necesse est moueri, immo impossibile est moueri, in motu circulari.

2. Sit peripheria α, sit centrum β, vi supernaturali Deus creat α; quæro annon eadem vi creetur centrum β. Atqui centrum non est peripheria, Sed pendet inde.

3. Esto corpus lucidum α, sit lumen in perspicuo β. Quæro creato α, sitne opus noua creatione α immediata, vt creetur β.

CAMERONIS AD REGEM MAGNÆ *Britanniæ* IACOBVM *ann. 1622. Ex Scotia.*

ETSI te Rex Serenissime maximis totius orbis Christiani rebus occupatum ab homine priuato & nullo ferè loco interpellari indecorum & vero nefas esse videatur, tamen nota omnibus incredibilis illa Clementia tua, mihi ipsis insuper rebus comperta & spectata, deinde verò etiam necessitas quædam mea effecit, vt auderem apud MAIESTATEM TVAM cum Daniele Tileno Theologo quondam Academiæ Sedanensi expostulare: is libellum Maiestati Tuæ dicatum nuper edidit cui titulum fecit Canones Synodi Dordracenæ, vnà cum notis: Ei libello tanquam appendicem Paralipomena quæ vocat nescio quâ mente ad amicam collationem de concursu gratiæ & liberi arbitrij in vocatione hominis quam mecum ante biennium instituerat adiecit, vna cum præfatione ad lectorem in qua cum mihi iratus nulla profectò alia de causa quam quia victor in certamine non discessit, causæ vitio, non ingenij culpa, multa ad inuidiam mihi conflandam pro animi libidine confinxerit, nihil ægrius tuli, quam quod me vt hominem seditiosum & turbulentum, & illius authoritatis, quam Deus Monarchis supremam in terris dedit osorem & contemptorem oratione acerbissima traducit: quo crimine nullum mihi potuit obiicere vel ad morûm labem fœdius, vel ad Dei hominumque iustissimum odium in me concitandum grauius & atrocius; Equidem pro certo habeo tum sacris edoctus literis, tum recta ratione adductus, & ipsa admonitus experientia & rerum vsu, Regum authoritate illa summa, quæ nullius hominum, solius Dei iudicio obnoxia est, semel contempta, neque Deum rite coli, neque Ecclesiæ pacem reipublicæue otium constare vlla ratione posse. Sed nec aliter sensi vnquam; Nam ex puero Regum maiestas mihi visa est semper non honore tantum, sed quadam etiam veneratione prosequenda, vtpote supra cæterorum mortalium conditionem infinitis veluti gradibus euecta, & in sublimi collocata. Atque vnà cum ætate crescente iudicio hæc tandem sententia penitus animo insedit. Postquam verò ad Pastoris munus primum, tum deinde Professoris Sacrarum litterarum sum vocatus, publicè priuatimque, pro concione, in scholis, in congressibus, vbi res & occasio poscebat, eam sententiam & professus sum, & pro virili parte defendi. Cuius rei Deum, conscientiam, hominesque possum testes appellare, vt mihi non sit verendum ne tam immanis calumnia mihi apud vllos sit fraudi, præter eos qui me, vel Danielem Tilenum non nouerunt, Quanquam is quo sit ingenio, quâ morûm grauitate, probitate, quâ iudicij acrimonia & scriptiunculis quæ ab eo postquam ab Ecclesia secessit, editæ sunt & sparsæ in vulgus, nemini potest esse obscurum; in quibus semel tantum bonam egit causam; quam grauiter, quam modestè, quam prudenter & accommodatè nouere Theologi MAIESTATIS TVÆ, viri graues, docti & pij, nouit omnium optime MAIESTAS TVA. Ipsa hæc atrox & iniqua criminatio, quâ meum caput petit, nulla specie, nullo colore se probat. Cui enim fiat versimile, me hominem extraneum, Lutetiæ bello iam suscepto & vero feruente, cuius vnica causa obtendebatur rebellio in regem, pro concione, in loco publico, apud viros amplissimos Regi Christianissimo à consiliis, regiam authoritatem in disquisitionem ausum fuisse deuocare? Aut si audacia & feritas animi me fecisset tam vecordem & amentem ego id impune tulissem? ij ipsi qui me tribunitij spiritûs seditiosum concionatorem audissent, proculdubio, vel pro fide singulari erga Regem, vel conseruandæ salutis suæ causa, me non iam postulari ad supplicium passi fuissent, sed vltro dedidissent. At vero Lutetia profugi. Certe, sed pene oppressus in funesto illo tumultu Parisino: tum deinde postquam iam esset mihi ab hospite meo Optimo viro renunciatum, se à Decurione monitum, me quæri à plebe ad cædem; Denique cum amic-

mei grauissimi Viri vt quam primum discederem pene conuitio & obiurgatione instarent; Cuius rei testes habeo locupletes Illustrissimum Comitem Cassilissæ, & Robertum Hatlæum nobilem Anglum, quorum mihi fugæ comitem famulum adiunxit, alter me fugientem, non iam Magistratum (qui mihi Lutetiæ præsertim, non tam formidabilis vnquam quam amabilis est visus) sed plebis insanæ furorem & amentiam, pro singulari humanitate, summaque erga me charitate ipse Dieppam vsque prosequutus est, Regij diplomatis authoritate communitum, quod adeo Dieppæ à me prolatum est apud quos oportuit, ne cui mea in Angliam profectio posset esse suspecta. Vt verò tristissimis illis temporibus Lutetiæ vixerim testis est omni exceptione maior vir Nobilissimus D. Herbertus legatus apud Christianissimum Regem tuus, non modo ob animi & ingenij magnitudinem, sed etiam ob fidem summam MAIESTATI TVÆ charissimus: Nouit is probe quod bonorum de me Lutetiæ, deque concionibus meis fuerit, seditiosæne & turbulentæ fuerint, an potius quales eum decebat qui cum populo agit trepidanti. Quamuis apud TVAM MAIESTATEM testimonio alieno mihi non est magnopere opus, quo minus vereor ne criminosa inimici hominis insectatio me tibi reddiderit suspectum, qui nempe hoc vnum spectasse videtur, vna eademque opera vt me, & apud TVAM MAIESTATEM adduceret in suspicionem, & Christianissimo Regi redderet exosum, vt ne vel hic in patria iucundè, vel in Gallia quietè & tutò vitam agere possem: Vtrumque frustra vti confido in Domino. Nam prius illud à TVÆ MAIESTATIS insigni bonitate iam sum consequutus, alterum hoc mihi à Christianissimi Regis æquitate spondeo, ad cuius tribunal (si TVA annuerit MAIESTAS id quod supplex oro: Atq; omni opere à tua Clementia contendo) decreui hominem, Deo iuris & æqui vindice bene iuuante, calumniæ reum peragere: non enim mihi committendum est, vt vel TIBI POTENTISSIMO OPTIMO ET SAPIENTISSIMO REGI imposuisse, vel professionis sanctitatem & existimationem gentis meæ vlli videat mortalium, nedum Regibus, tam immani scelere contaminasse; Quod superest ad pedes MAIESTATIS TVÆ prouolutus oro TVAM MAIESTATEM, ne hæc mea expostulatio tibi ingrata fuerit & molesta, neu quod TVAM MAIESATEM, ausus sum interpellare, confidentiæ potius adscribas, quàm studio testandæ obedientiæ quæ MAIESTATI TVÆ, reuerentiæ vero quæ à me omnibus omnino regibus debetur, vtpote in quibus Deus imaginem & repræsentamen quoddam MAIESTATIS suæ elucere voluit, sic Deus TVAM MAIESTATEM Britannis, tuis, totique orbi Christiano incolumen diu conseruet.

DEFENSIO

DEFENSIO

IOH. CAMERONIS

S. EVANGELII MINISTRI

ET S. THEOLOGIÆ

Professoris.

Opposita Libello cui titulus est.

EPISTOLA VIRI DOCTI AD AMICVM,

in qua expenditur sententia IOAN. CAMERONIS *de Gratia & Libero arbitrio.*

Tertullianus libro de Patientia. Cap. I.

Bonorum q uorundam sicuti & malorum intolerabilis magnitudo est, vt ad capienda & præstanda ea SOLA *gratia Diuinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum id maximè penes Deum, nec alius quàm qui possidet dispensat* VT CVIQVE DIGNATVR.

Aug. lib. 1. de Prædest. Sanctorum Cap. 8.

Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur à nullo duro corde respuitur, IDEO QVIPPE TRIBVITVR, VT CORDIS DVRITIA PRIMITVS AVFERATVR.

&

Si illos quibus stultitia est verbum crucis, vt ad Christum venirent DOCERE *voluisset,* PROCVLDVBIO *venirent & ipsi, non enim fallit aut fallitur qui ait,* omnis qui AVDIVIT à Patre & DIDICIT, venit ad me; ABSIT *ergo vt quisquam non veniat qui à Patre audiuit & didicit.*

ITEM,

Cùm igitur Euangelium prædicatur quidam credunt, quidam non credunt, sed qui credunt Prædicatore forinsecus sonante INTVS *à Patre audiunt atque* DISCVNT, *qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque* DISCVNT, *h. e. illis datur vt credant, illis non datur: quia* nemo, *inquit,* venit ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum.

AMPLIS-

AMPLISSIMO VIRO,

CAROLO HARLAEO DOLOTIO.

PRODIIT *nuper in lucem (Carole Harlæe Vir Amplissime) aduersus me libellus, incertum quo authore. Et libello titulus est,* Epistola viri docti ad Amicum in qua expenditur sententia Ioannis Cameronis de Gratia Dei & libero hominis arbitrio, *ad quem an me deceret respondere dubitaui certè aliquantisper. Multa enim quominus id vellem intercedere videbantur: Id verò primum, quod nulla potui assequi coniectura, quo consilio Author nomen dissimularit suum, an diffisus causæ refugerit erubescere conuictus? Sed hoc non videbatur: Certè enim quisquis est author libelli ingenio suo supra modum fidere videtur, causæ haud minus: Me verò si minus contemnit (quod si fecerit, se quidem fortasse rem haud parum dignam, me verò fecerit haud vsquequaque indignam) attamen ita habuit ac si contemneret, nil scilicet metuens ne quis illud occineret.*

Nam cùm magna malæ superest audacia causæ.

Creditur à multis fiducia.

An verò sibi à Magistratu metuerit? nam hæc altera nominis reticendi causa est. Certè hic metus Cl. viri Tileni mentem non habuit sollicitam, qui edito libello quo Ecclesiam puriorem quam Deus in Gallia collegit perinde criminatus ac si doceret Deum esse peccati authorem, factũ adeo temerè (pace viri tanti dictum sit) tulit tamen impunè. Nemo vnus repertus qui eo nomine vel litem illi mouerit. Ego tantummodo cum multi boni & graues viri id à me exegissent, passus sum edi in lucem Acta Collationis quam cum eo institueram de Gratia Dei & arbitrio humano. Quam ad Collationem cùm is adiecisset quæ Paralipomena *nescio qua mente vocauit, tam iracundè scripta, nam si argumentis & rationibus aduersus me pugnasset, nihil illi iam opus anonymo hyperaspistâ foret) vt me in capitis, dignitatis fortunarúmque omnium discrimen vocarit? immanem illam eius criminationem, nedum dogmatis professionem nemo illi crimini dedit, ego patienter tuli, Christianissimus Rex pro æquitate sua diplomate innocẽtiæ meæ vindice repulit ac confutauit. Sed fortasse peduit tantum virum, tam doctum mecum homine nullo numero, nullo loco congredi, Veritus est nimirum ne illud accideret,*

Qui cùm victus erit mecum certasse feretur.

Ego verò etsi viri docti nomen nec assumo mihi, nec si quis id mihi tribuat, agnosco aliter quàm vel vt documentum aliorum de me iudicij, quos amor reddidit nimium indulgẽtes, vel vt elogium dignitatis & loci quem tueor S. Theologiæ Professor. Attamen si me existimem iure illis accensendũ qui adeo sunt indocti vt minime deceat viros doctos cum illis agere, impudentissimus & sim, & habear meritò qui me idem dicam S. Theologiæ Professorem. Quamobrem Tilenus cæteroqui non nimis humanus me se minorem non est vsque adeo aspernatus: Nec verisimile est docto isti viro, quisquis est, diuersam mentem fuisse. Quid igitur? Statuamne id in causa fuisse cur nomen reticuerit suum, quod homo extra hanc causam vulgo inuisus & infamis aut verò certè obscurus nomen suum huic defensioni præscribere reformidauit, ne illius inuidia, vel ignominia & contemptu veritatem oneraret? At id vel suspicari de viro docto, quem cæteroqui non norim foret non modo non Christianum, sed inhumanum etiam ac barbarum. Vna ratio superest huius dissimulationis. Fortasse apud nos aliquo in Ecclesia loco constitutus deturbari inde veritus est, si nomen profiteretur suum. At vero nefas est eum suspicari aliud publicè velle docere, aliud libellis clanculum sparsis insusurrare, quod non est hominis probi, Et certè, aut ego vehementer erro, aut huius libelli author Belga est, atque ex eorũ numero quibus cum licuisset quiescentibus in patria tuto viuere, libitũ est magis huc migrare, spe credo aliqua quasi futurũ esset vt quam orsi fuerant domi in Ecclesiam telam, hîc pertexerent. Quod si ita se res habet, quid causæ est quæso, cur tam tectè, tam dissimulanter egerit? Nisi fortè adeo callidus & vafer est, vt habeat quidem ille iustam & idoneam consilij rationem, sed quam nos homines rudes & simplices non possimus coniectando penetrare.

Hæ causæ satis vehementes videbantur cur me debuerim continere, aut verò, si meos id mores

decuiſſet, prodire laruatur, vel certè operto capite, ac velato, vt illi ſcilicet par pari referrem. Ad hæc etiam illud accedit, quod cauſſam quam ſuſcepit adeo agit negligenter, vt libellus titulum mentitus videatur, & authorem habeat doctum quidem illum fortaſſe, parcè tamen adeo vtentem doctrinâ, vt ſtuduiſſe videatur nihil minus quàm doctus videri. Itaque in hoc meo grauiſſimo caſu, inter tot fluctus moleſtiſſimarum occupationum quibus me pænæ merſit optimæ, amantiſſimæ, dulciſſimæq́ meæ coniugis acerbum funus potui ſilere: Neque verendũ fuerat ne hoc pacto Veritas deſereretur, neque enim libellus ille tanti eſt (de Authore nil iam dico) vt ob illius confutationem quod dicitur, vadimonium ſit deſerendum. Id quod ni ego vel imperitiſſimis (apud doctos enim nil opus erat hâc operâ) clarum fecerim, cauſſam non dico quin me omnes parum modeſtum arbitrentur.

Rurſus altera ex parte cauſæ fuere multo grauiores quæ me ad hoc quicquid eſt opellæ adhortarentur. Ac primùm quidem, quod etſi libellus negligi fortaſſe potuit, tamen illud erat cauendum, ne quemquam contempſiſſe videremur. Quid enim? Si liber minus accurate ſcriptus (in cauſa fortaſſe fuit materiæ durities, quæ nullo ingenio, nulla arte vinci potuit, contumax ſcilicet, & artificis manum repellens) contemni author debuit, aut haberi ita vt contemptus videretur? factum haud foret ex decoro, haud ſcio etiam an more probo. Adde quod doctus homo quiſquis eſt, agit mecum multo mitius quàm Cl. Tilenus; non criminatur violatam à me Regiam Maieſtatem, non efferueſcit, non ruit præceps, vtitur certe ratione, neque ſic agit vt hominem exuiſſe videatur. Quo quidẽ nomine magnas ei & debeo & habeo gratias, quas & referre æquũ eſt; quod ego, niſi reſpondiſſem aperte ingenuéque profeſſus nomen meum, non viderer præſtitiſſe. Deinde & magni apud me momenti illud fuit, quod non debui tam opportune oblatam occaſionem aſſerendæ veritatis neglexiſſe, quam mihi iracundiâ Cl. Tileni ex ortam pæne de manibus hic reſtituit adhibita lenitate aliqua moderatione. Quid enim? ſi me pungit acrius aliquando, at non vulnerat tamen, nec dilaniat dicendi atrocitate. Huc etiam illud accedit quod Cl. Tileno quaſi ἐφεδρὸς ſuccedere voluit tanquam ſi is victus iam & proſtratus, dentibus ſe tantũ & morſu, non legitimâ pugna tueretur. Itaque ſi cum eo feliciter (quod ſpero & confido in Domino) manum conſeruero, ſine controuerſia veritas ſplendide vicerit, ac palmã, quia poſcet merito & iure, impetrabit. Illud præterea me haud leuiter impulit ad certamen quod mihi certũ eſt ſuſceptam ſemel, quæq́ huc vſque ſingulari Dei beneficio ceſſit bene, veritatis defenſionẽ nunquam deſerere, quamdiu quidem cum illis res mihi erit futura qui non faciunt quod quarundam ferarum ingenium eſt vt fætore & graueolentia defectæ tam viribus & fractæ venatorem abigant, quod profecto libelli huius author non facit. Debeo hoc officium Deo, Chriſto, Eccleſiæ, debeo item profeſſioni meæ. Sed neque nulla ſpes eſt fore vt vir doctus meo quamuis hominis neque docti, neque ingenioſi monitu reſipiſcat.

Πολλάκι ϗ κήπωρος ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν

Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna locutus.

Quidem equidem opto ex animo & ſerio, atque omni opere à Deo contendo.

Hæ ſunt illæ cauſæ quæ me ad hunc laborem ſubeundum incitarunt. In quo ita me verſatum profiteor, vt nemo in me candorem iure poſſit deſiderare (nam reconditam doctrinam nec ego poſſum, quæ mea tenuitas eſt, exhibere, neque exigit hæc Diſputatio facilis & expedita ſi vllo afficimur ſenſu humanitatis) ſi Chriſtianæ religionis authoritate, ſi recta ducimur ratione) Itaq; docti illius viri, qui cum mihi iam res eſt, Epiſtolã totam Lectoris oculis ſubieci, ne queri poſſit quicquam à me vel immutatum, vel detractum, vel loco motum, vel deprauatum, atque ab eius mente alíorſum detortum, ſiue ipſius odio, quẽ vere amo, ſiue ſtudio cauſa, quæ mihi non alio nomine cordi eſt, quàm quod eam perſuaſum habeã eſſe Dei cauſam, cætera famæ ſecurus, & verò, ſi Dei gloria poſcit, contemptor. Deinde verò ad eius Epiſtolæ ſingulas partes, quas iterum ob lectoris oculos conſtitui integras atque intactas ſuo quaſque loco reſpondi ſimpliciter ſine fuco & fallaciis. Si ſecus feci, hoc pacto tenebor falſi manifeſtus, nihil opus erit apud Lectorem teſtibus, nil doctis dictis, res loquetur ipſa & me conuincet. Ita autem inſtitui ſermonem, vt is omnis ad libelli authorem dirigatur non alio certe conſilio quàm vt tanto luculentius teſtarer illi animum meum; Fit enim neſcio quo pacto vt ipſa compellatio (fortaſſe quia eum qui cum agis veluti ſiſtit præſentem) modeſtiæ & officij nos admoneat, atque ad humanitatem inuitet, tum verò etiam ad attentionem excitandam multo maximam habeat vim, quam ego ab eo imprimis & requiro & expecto.

Totum autem hoc, quantulumcumque eſt, in tuo, Vir Ampliſſime, illuſtri nomine apparere volui non tam commotus ſplendore Harlæanæ familiæ, in qua tu, Fratre tuo ſummo Viro Patriæ præſidio & ornamento ACHILLE HARLÆO *Ampliſſimi Senatus, dum viueret,*

Principe

Principe iampridem exstincto, principem locum tenes, neque tam illâ tuâ gloriâ (quæ non ambitu honorum anxiè quæsita, sed calamitosissimis patriæ temporibus maximis negotiis sine pompa, sine apparatu felicissimè confectis vltro te secuta est) impulsus, quàm doctrinâ, humanitate, pietate, & rerum diuinarum studio notitiaque illa tua singulari adductus, permotus denique egregiæ tuæ erga me voluntatis significatione, cuius ego fructũ à te oblatum, si pudore haud arbitror inhonesto impeditus non admisi, ex ea tamen summam animo & tum percepi, & nunc ex illius recordatione percipio voluptatem. Mouit etiam me Nobilissimi, optimi, doctissimique Viri Hieronymi Groslotij Lislæi memoria, quæ ex animo meo nunquam discedit. Is quia te ob animi tui virtutẽ supermaximi fecit, meque omnium primus in admirationem tui adduxit, videor illius Manibus hoc debere, ob illius erga me effusissimum amorem, vt id omnibus testatum faciam. Equidem non ignoro quàm tu nullius egeas commẽdatione Virtutis tuæ famâ nobilis, sed ad illius memoriam tamen nonnihil interesse arbitror, vt sciant quã plurimi quo fueris, quoad vixit, apud eũ loco. Neq; omnino dubito fore quin tu illius optimi atq; amicissimi viri de te iudicio, testimonioq; delectère. Superest vt te rogem vt opellam hanc meam gratam habeas & acceptam, quam si tibi probaro, mihi non est metuendum ne minus bonis omnibus probetur. Quod si fuero consecutus, insignem laboris mei fructum videbor percepisse. Deus te quam diutissime incolumem seruet.

Tibi addictissimus I. CAMERO.

Clarissimo atque obseruando in Christo fratri D. IOAN. CAMERONI Euangelij Ministro, & Theologiæ Professori.

CHarissime & obseruande in Christo frater, Fasciculus hic tibi inscriptus quẽ ad te mitto, domi meæ me absente depositus fuit; cuius operâ, quò authore, ego quidẽ nescio. Illud certum habeo, Exemplar est ei geminum quod erat adiunctum vt mihi redderetur. Non spero fore vt tu nõ respondeas, quod quò feceris maturius eò consultius, feceris. Laudetur Dominus qui te Ecclesiis nostris reddidit & seruauit, quod diuturnum sit Deum precor, qui sum tuus frater.

S. DVRANTIVS.

Præstantissimo viro D. SAM. DVRANTIO purioris Ecclesiæ Parisiensis Pastori, eximio Christi seruo I. CAMERO S. P. à D. Iesu precatur.

EXegisti à me (Clarissime Duranti obseruande in Christo frater) vt ad incerti Authoris editam aduersus me Epistolam maturè responderem: Feci præpropere id quidem fortasse, sed tamẽ permotus authoritate vel consilij, vel iudicij tui; Sed & hic habui qui tecũ idem censerent, optimos doctissimos & acerrimi iudicij viros quos honoris causa nomino D.D.D. SAMVELEM BOVCHERELLVM *Ecclesiæ huius Pastorem,* LVDOV. DVPELLVM *Ministrum Euangelij, & linguæ Hebraicæ Professorem,* MARCVM DVNCANVM *Philosophum & Medicum eximium omnes harum rerum peritissimos, qui ad hoc ipsum quod tu à me postularas me adhortati sunt. Alioqui potuissẽ facilè defugere hunc laborem; (si tamen labor appellari debet opera in autoschediasmate & extemporanea scriptione paucissimis à me posita diebus.) Nam & eram occupatissimus, & angebat animi amissâ non ita pridem optima coniuge vita mea vnico solatio in terris, & erant mei omnes valetudine aduersa adflicti, quorum natu minimus, quem habebam vnicum filiolum, prima pueritia, cum nonnullã sui in ea ætatula spem ostendisset, inter mea & amicorũ vota, acerba sane morte est interceptus. Verum apud me ne sint vnquam (Deum precor) tanti curæ & sollecitudines meæ nec verò tantũ in me possit intestinus dolor meus, vt talibus tantisq; viris ad officium (quod alioqui Ecclesiæ Dei à me debetur) adhortantibus me præbeam morigerum minus & obsequentem. Cuius studij diligentiæq; meæ arbitror me edito hoc opusculo, (hoc præsertim rerum mearum statu) documentum aliquod dedisse; in quo si vllum feci operæpretium, beatum sane me putem, qui & huius causæ de qua agitur minus gnaros, reddiderim cautiores, ne se argutis dictis duci patiãtur, & tibi (quẽ ob insignes animi dotes, & tuos illos in Ecclesia fructuosissimos labores, pro eo ac debeo maximi facio) probarim animũ meũ; de quorũ altero facit humanitas, vel potius charitas tua vt ne possim dubitare, alterum nulla certè mei fiducia, sed tamen spero me in Domino consecuturum. Scio equidem (neque enim vt id ignorem adeo mihi sum suffenus) multa à me breuius dicta, & minus quàm oportuit, disertè, sed (vt taceam iam festinationem) cum in tota disputatione aduersarium, vt est in Epistolæ titulo, Virum doctũ habeã. Verebar ne si singula proponerẽ diffusè, & explicatè, de me sentire magnificè viderer, illius scilicet ingenio & doctrinæ parum confisus. Quod si is responderit, dabit mihi de his rebus sine vlla arrogãtiæ suspicione plenius differendi occasionẽ. Cæterũ quod me æquitate Christianissimis Regis illi Ecclesiæ in qua ab ineunte adolescentia vixi, maximisq; auctus sum & ornatus beneficiis gaudes restitum, habeo tibi eo nomine quantas animo possũ capere maximas gratias. Ego enim certè de re tota ita sentio, vt eam mihi potius restitutã putem, cui si vitam hanc impendam, non videbor tamen quicquam supra officium præstitisse. Itaque Deo primum, tum deinde Regi Christianissimo, cui Deus hanc mentem dedit, gratias ago immortales, quod à calũnia liber & immunis, in ea miai, in munere meo abeundo licet perstare. Ac Deum oro vt animum meum ita spiritu suo regat, vt te voti tui nunquam pœniteat. Collegas tuos fratres in Christo mihi obseruandos doctissimos atq; optimos viros D.D. Mestrezatum, & Drelincourtium, etiam eruditissimum atque optimum adolescentem, D. Spanhemium cognatum tuum opto in Domino bene valere. Deus te Ecclesiæ suæ quam diutissimè incolumem conseruet.* Salmurij V. Id. Sept. M.DC. XXIV.

Tui obseruantissimus IOH. CAMERO.

IOHAN. CAMERONIS SENTENTIA *aliquot ab hinc annis Thesibus explicata.*

THESIS I.

IN statu peccati vtraque facultas animæ humanæ, *mens & voluntas*, non modò auersæ à Deo, sed etiam Deo aduersæ sunt.

II.

Hæc verò peruersitas à natura nobis insita est, ideoque *Peccatum originis* vocatur.

III.

Quod tantùm abest vt vllâ humanâ ope *verè* minui aut aboleri possit, vt contrà noua subinde capiat incrementa, accedente ad hanc natiuam prauitatem peccandi consuetudine.

IV.

Sola Spiritus Sancti efficacia huic calamitati naturę subuenire potest,& verò subuenit in Electis tantâ efficaciâ vt velle repugnare nequeant? id quod iis peculiare est.

V.

Neque enim hæc gratia communis est, sed propria, nec effectus temporarij sed perdurabilis & æterni.

VI.

Itaque quibus ea obtigit,ij non modò non excidunt penitus salute, verùm etiam ne excidere quidem possunt.

VII.

Hæc porrò gratia non mentem modò afficit, verùm etiam voluntatem, idque motu propriè dicto, atque (vt loquuntur) *reali*. Non modò enim per eam obijcitur vtcumque animo species veri boni (sic enim nihil aliud promoueretur, quàm vt animus id respueret) sed ita afficitur animus, ineffabili quadam Spiritus S. vi, vt quod verè bonum est peruideat primùm, tum deinde amet & sectetur.

VIII.

Itaque vehemens & inuicta quædam hîc Dei actio interuenit, quam ideò Spiritus Sanctus *excitationem à mortuis & viuificationem* dixit.

IX.

Cæterùm hęc Dei actio sic peragitur, vt quemadmodum mens & voluntas naturâ suâ ita inter se sunt aptæ & connexæ vt voluntas à mente pendeat, mentis renouatio, voluntatis renouationem producat.

X.

Itaque non hęret in mente Dei actio, sed ad ipsam voluntatem pertingit, mentis tamen interuentu: eadem ferè ratione, atque rerum proprietates (quæ à formis necessitate quadam naturæ promanant) productis formis ita producuntur, vt earum productio à formarum productione tanquam effectum à causa dependeat.

EPISTOLA

EPISTOLA VIRI DOCTI AD AMICVM.

VIr Clarissime,

Mirari satis non potui quod scribis esse inter eos qui non ita nuper sententiã Caluini & Bezæ de Prædestinatione toto animo reiecisse videri voluerunt, quibus nupera & nouitia Cameronis sententia adlubescere incipit, quique eius ope desperatæ ac tantùm non triumphatæ Caluini caussæ subsidium nouum adlatum putant: Etenim si eam vel leuiter tantum expenderent ad veritatis & rectæ rationis normam nec paucioribus, nec minus enormibus absurditatibus eam scatere quàm Caluini & Bezæ sententiam facilè possent deprehendere. Inter eas autem censeo hanc non minimam, quod per eam non minus quàm per Caluini opinionem mera & fatalis omnium rerum, actionum & euentuum necessitas stabiliatur, cum qua religionem aut disciplinam vllam consistere omninò est impossibile. Quare cui vlla religio, imprimis Christiana, cordi est, is non potest non ab ea toto animo abhorrere. Nihil enim magis inimicum est Religioni, imprimis Christianæ, quæ præceptis, promissionibus & comminationibus grauissimis sancitis constat, quàm fatalis necessitas: Et hæc quidem fatalis necessitas cum in opinione Cameronis adeò clarè appareat vt palpari statim possit ab eo qui genium & filum eius altero tantum oculo inspicit, facilè adducor vt credam eos qui post reiectam Caluini & Bezæ opinionem in hanc iterum propendere incipiunt, aut non eo studio & zelo in veritatis aut religionis veræ amorem ferri quo oportet, aut, si omninò ferantur eo quo oportet studio non tali adhibito iudicio, nec eo animo quo decet, opinionem Caluini & Bezæ reiecisse. Nempe transeunt quidam de opinione in opinionem non tam iudicij soliditate adacti, quàm nescio qua facilitate animi præcipitati, adhærentes interim toto animo atq; adfectu iis qui opinionem istam quam damnant amplectuntur; Vnde non rarò fit vt amoris atque adfectus istius quo in illos feruntur stimulo impulsi sententiam eorum tam forti aut constanti animo quam par est damnare nõ audeant, quin imo eam ipsam licèt alioquin satis apertè falsam atq; noxiã, colore & specie aliqua incrustari libenter audeant, satis eo ipso ostendentes cupere se atque optare verum esse id omne, quod amplectuntur ij quibus adhærent & cum quibus consensum externè profitentur: Qui veritatem cum iudicio amant eos longè aliter animatos esse debere existimo, imprimis si opinio quę veritati repugnat, eius sit indolis vt religionem omnem proprietate sua funditùs destruat atque euertat. Id quod per hãc opinionem fieri tam clarum est vt nihil supra. Verumtamen ne id dicere tantùm videar, animo tuo satisfacere conabor quo obnixè rogas vt mentem meam de hac Cameronis opinione latius paulùm tibi aperiam: & quæ in ea tam ingens falsitas sit, demõnstrem.

Sententia Cameronis vti quidem apparet ex disputationibus ipsius Salmurij habitis, & ex collatione quæ inter ipsum & D. Tilenum fuit, hæc est.

I. Voluntatem hominis ita esse comparatam natura sua vt non possit non sequi iudicium rationis practicum. Nutante iudicio in mente necessariò nutare voluntatem, firmato iudicio, voluntatem non posse non illius dictamen sequi, & quia sponte aut potiùs lubenter illud sequitur, hinc libertatem voluntati veram competere.

II. Ad voluntatem itaque deprauandam satis esse si in mente non sit lumen iudicij practici voluntatem dirigens & impellens in id quod fieri oportet; Et ad voluntatem emendandam aut rectè ordinãdam satis esse si lux iudicij talis practici in mente ponatur, eâ enim voluntatem ita affici vt non possit non ferri in boni amorem. Itaque ad regenerationem hominis sufficere solam mentis illuminationem: Et pro quantitate illuminationis modum aut gradum regenerationis intendi ac remitti. Hinc enim sequitur.

III. Homines omnes eo quod careant luce illa dirigente in mente propter primum Adami & quod ex eo fluxisse fatentur Theologi peccatum originale non posse non deprauatam habere voluntatem, id est, non posse non peccare. 2. Eos qui ab erroribus aut à peccatis aliquibus retrahuntur solius illius lucis quam mentibus ipsorum Deus per gratiam indit beneficio & quidem necessariò retrahi, in cæteris autem erroribus & peccatis ad quæ impediendum lux illa ordinata non est, necessariò permanere. 3. Eos qui ad Christum conuertuntur tanta luce illustrari à Deo vt non possint non conuerti: cessante illa luce, non posse non incidere in peccata: Lucem tamen illam ita conseruari à Deo vt penitùs eam amittere aut excutere non possint.

Hæc est genuina Cameronis sententia quam non dubito quin ipse lubenter pro sua agniturus sit: Potuissem eam odiosè proponere, sed abstinui quantum potui ne vel minimum quicquam dicerem quod non ipse lubenter sibi tribui cupit. Id enim ingenui est disputatoris: Nolui sequi exemplum multorum ipsiusque adeò Cameronis qui cum aduersariorum suorum sententiam confutaturus est, odiosis terminis eam proponere solet vt damnabilis videatur, antequàm cur damnanda sit intelligatur: Præiudicium fit hac arte lectori simul ac veritati.

Speciosa, inquies, hæc est sententia: Ita videre prima fronte, sed si eam propius mecum inspicias faxo vt videas quàm sit absurda & vana.

Ac primo quidem intelliges sententiam hanc Cameronis nullo iure probari posse iis qui nuperas Synodos Dordracenam scilicet, Alezianam & Charentonensem pro orthodoxis receperunt eisque subscripserunt: Nec enim dubium est quin sententia hæc à Synodis istis in terminis damnata sit, vt mirum meritò videri debeat, quomodo eam probare plerique Ministri qui Synodis istis subscripserunt, ipseque adeò Camero Synodis istis subscribere bona fide potuerit: Ego id Deo relinquo Rem probo ex articulo XI. capitis 3. ex articulo 2. & 3. vbi errores contrarios rejicit Synodus; Et ex manifesta ratione quam ex filo Synodalium, Canonum & Cameronis sententia deducam.

Articulus XI. cap. 3. ita habet.

„ Cæterùm quando Deus hoc suum beneplacitum in Electis exequitur seu veram in iis conuersionem operatur, non tantum Euangelium ipsis externè prædicari curat & (NB) *non illuminat tantùm potenter mentem ipsorum per spiritum sanctum vt rectè intelligant & diiudicent quæ sunt spiritus* Dei, sed eiusdem etiam spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit durum emollit, præputiatum circumcidit, *Voluntati* (NB.) *nouas qualitates infundit*, facitque eam ex mortua viuam, ex mala bonam, &c. Pergit Synodus articulo XII. Atque hæc est illa tantoperè in scripturis prædicata regeneratio, noua creatio, suscitatio è mortuis & viuificatio quam Deus sine nobis in nobis operatur. Ea autem neutiquam fit per solam forinsecus insonantem doctrinam, aut *per* (NB.) *moralem suasionem, &c.* Synodi Gallicæ Canones editi post Synodum Charentonensem magis emphaticè sonant. *Or ne se fait elle* (NB.) *aucunement par la seule doctrine battante l'oreille, ou par suasion morale, & qui se fait par* (NB.) *raisons persuasiues.* Nota in hisce articulis discretiuam locutionem: Deus non tantùm externè predicari curat Euangelium, nec tantùm illuminat potenter mentem eorum quos vocat efficaciter, sed etiam nouas infundit qualitates eorum voluntati: Non regenerat nos tantùm per suasionem moralem, sed etiam per alias actiones in voluntate ipsa effectas. Huiusmodi enim locutiones sine dubio æquipollent isti. Non satis esse ad conuertendum hominem illuminare mentem ipsius, sed necesse etiam esse vt voluntas ipsius internè & immediatè regeneretur vt effectus conuersionis consequi possit: Hisce articulis disertè contrauenire sententiam Cameronis quis non videt? Regenerationem enim per solam persuasionem quam appellat motum ethicum fieri passim vult, adeò vt dicat non tantum Thesi 3. in collatione habita cum Tileno statim in initio, *Fidem proficisci ab illuminatione spiritus sancti*, sed etiam *animo percipi non posse quo pacto liberum arbitrium quod principium Ethicum est, aliter quam Ethicè moueri possit*. Verba sunt ipsius Cameronis expressa in Thesi X. ipsius de efficacia gratiæ Dei, quæ clariora adhuc vide pag. 631. col. 1. & 2. prælectionis ipsius prioris habitæ Salmurij 1. Augusti ibid. & per totã cum Tileno habitam collationem. Et sanè rei natura docet necesse esse vt Camero diuersum ab his articulis sentiat: si enim voluntas necessariò sequitur iudicium rationis adeò vt non possit non illud sequi, nihil amplius ad regenerationem hominis requiritur, quam reformatio iudicij istius siue persuasio quæ in mente fit. Ea enim non minùs necessariò post se trahit voluntatem quàm magnes ferrum. Verùm ne quid dubites vide Thesin ipsius XXVIII. vbi ita loquitur. *Itaque ista voluntatis humanæ determinatio eius naturam non destruit, sed conseruat & ornat: Neque enim Physica est, & à principiis Physicis profecta, sed Ethica pendens à iudicio & ratione, nempe vt finis non potest non appeti (cum tamen sponte & voluntariè appetatur) ita nec quæ ad finem tendunt respuit voluntas aut potest respuere comprehensa semel atque agnita.*

Cæterùm ne existimes Synodos supradictas tantummodo affirmare simpliciter se credere rem ita se habere, sed vt intelligas eas etiam damnasse hanc Cameronis opinionem quod probandum mihi sumpsi, in diserta verba in reiectione errorum circa tertium & quartum caput: articulo 2. & 3. Articulus secundus ita habet.

„ Damnamus eos qui docent dona spiritualia siue habitus bonos & virtutes vt sunt bonitas, sanctitas, iustitia in voluntate hominis, cum primùm crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari.

Articulus tertius ita habet.

„ Damnamus eos qui docent dona spiritualia non esse in morte spirituali ab hominis voluntate separata, cum ea (NB.) in sese nunquam corrupta fuerit, sed tantùm per tenebras mentis & affectuum inordinationem impedita, &c.

Hisce articulis damnatam esse Cameronis sententiam nulli sapienti dubium videri potest Etenim ex sententia ipsius necessariò consequi, dona spiritualia in voluntate hominis primùm creari locum non habuisse, nec habere potuisse, tàm clarum est quàm clarum est bis duo esse quatuor: Non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate: At nulla necessitas cogit Cameronem statuere dona spiritualia in ipsam hominis voluntatem infusa fuisse, si voluntas necessariò determinatur à iudicio rationis practico: Quorsum enim, exempli gratia, donum Iustitiæ in voluntate & sanctitatis in affectibus, si solum lumen intellectus practici non modò sufficit ad voluntatem impellendã vt iustè & iusta agat, ad affectus in ordinem redigendos vt sancti sint, sed tum hos tùm illam vi sua ad iustè & sanctè agendum necessitat? Tantùm abest vt dona eiusmodi in facultates illas infundi necessarium fuisse Camero credere possit, si cõsequenter loqui velit, vt contra superfluum & frustra id futurum fuisse necessariò credere debeat; Addo etiam impossibile esse ex ipsius sententia vt id credat. Donum enim illud infusum necessariò moueret voluntatem alio motu quam Ethico. At *animo concipi non potest*, inquit Camero, *quomodo voluntas vel liberum arbitrium, quod principium Ethicum est, aliter quã Ethicè moueri possit*. Et certè quomodò id, cuius tota actio iuxta Cameronem dependet à iudicio & ratione, & quod ab ea sola consequitur quod recta aut praua sit, ita vt seipsã determinandi vim nullã habeat, & ab alio moueri ac proinde determinari non possit, capax esse queat talium infusorum donorũ non est καλὰ λήπτον. Saltẽ quin à Camerone in voluntate sine necessitate ponantur, dubium videri non

derinon poteſt, quod ipſum tamen directè contradicere Synodorum iſtarum ſententiæ ex terminis liquet.

Et ex hoc fundamento conſequitur neceſſario per Cameronis ſententiam ſtatui dona huiuſmodi à voluntate hominis in morte ſpirituali ſeparata non fuiſſe. Siue vti articulus ſonat, *Voluntatem hominis* (NB.) *in ſe corruptam non fuiſſe, ſed per tenebras intellectus ſolas impeditam quominus vero bono adhæreret.* Ratio clara eſt, ſi enim voluntas non mouetur niſi motu ethico, vtrique nec à bono ad malum, nec à malo ad bonum mouetur alio quam ethico motu. Mala itaque & corrupta redditur voluntas quando erroneo iudicij motu mouetur, & contrà, bona, quando recto iudicij motu mouetur: Itaque corrupta in ſe, aut intrinſeca vlla qualitate, quæ in ipſa immediate hæreat & ſpeciali aliqua actione Dei ex ipſa tollenda ſit, vitiata eſſe non poteſt: Res planior eſt quam vt prolixius ei inhæream. Videbit id quiſquis obſeruabit Cameronem vbique pæne vniuerſam voluntatis actionem ex ſola mente ſuſpendere, & quod meritò mireris, ipſi menti ſiue intellectui hominis tribuere reluctationem, reſiſtentiam, inimicitiam ac pæne omne id quod voluntati à mente diſtinctæ in Scholis tribui ſolet: Voluntati autem ſolam relinquere neceſſariam ſequelam & lubentiam. Nempe videbat hominis ἀπείθειαν, ἔχθραν & ſpiritui hominis reſiſtentiam, &c. in ſcripturis tribui, vnde miſera conſequentia id Logice aut Phyſice potiùs κατὰ τὸ ῥητὸν accipiendum eſſe cenſuit.

Dices fortaſſe ſenſum Synodorum, quando damnant iſtas opiniones, alium non eſſe quàm damnare eos qui ſtatuunt conuerſionem ſiue regenerationem hominis peragi per actionem talem moralem, ſiue per ſuaſionem talem cum qua ſtare poteſt libera voluntatis diſſenſio. Id enim videtur articulo 3. cap. 3. diſertè innui: Sed reſpondeo. Neutiquam hoc verum eſſe: Tantùm enim abeſt vt Synodorum ſententia ſit, conuerſionem per talem actionem moralem cum qua ſtare poteſt libera voluntatis diſſenſio, non peragi, vt contrà ſtatuant per actionem moralem idcircò eam non peragi, nec omninò peragi poſſe, quia cum ea ſemper non tantùm ſtare poteſt libera voluntatis diſſenſio, ſed etiam neceſſariò ſemper ſtat & coniuncta eſt. Fieri enim non poſſe credunt vt voluntas quæ in ſe corrupta eſt per actionem aliam quàm eam quæ immediate ex ipſa corruptionem illam tollit regeneretur, vt ex mala bona fiat. Hinc eſt quod præter externam ſuaſionem, præter rationes perſuaſiuas, & præter potentem mentis illuminationem per Spiritum ſanctum factam, ita vt mens recte intelligat & diiudicet quæ ſunt Spiritus Dei, Voluntatis ipſius mutationem peculiarem, imò infuſionem nouarum qualitatum in eam immediate factam paſſim requirant. Concludo itaque ſententiam hanc Cameronis non contrariam tantum eſſe Synodis ſupradictis, ſed in terminis etiam & diſerte ab illis damnatam eſſe, ac proinde eos qui ſententiæ iſti fauent miniſtros, aut non intellexiſſe articulos Synodi Dordracenæ quibus tam ſolemniter ſubſcripſerunt, aut ſi eos intellexerunt non eo animo nec fide ſubſcripſiſſe qua oportuit. Sed,

Dico Secvndò. Non tantùm damnata eſt Canonibus Dordracenis, Alezianis & Charentonenſibus ſententia Cameronis, ſed reuera etiam eſt Pelagiano Manichæa. Noli mihi credere niſi rem tam claram ex antedictis & aliis fundamentis faciam quàm ſol in meridiè lucet.

Pelagianam primo dico eſſe ſententiam ipſius, quia ad regenerationem ſtatuit ſufficere ſolam obiectiuam reuelationem diuinæ voluntatis, ſiue ſolam ſuaſionem, vel moralem actionem abſque vlla immediata interna in ipſa voluntate impreſſa gratia: hæc autem eſt ipſiſſima Pelagij ſententia quæ à Patribus damnata eſt. Vide Canonem 4. Synodi Africanæ, qui damnat dogma quo ſtatuitur. *Ad ſcientiam nos habere gratiam Chriſti, ad caritatem non habere.* Sententiæ huius fundamentum eſt quod nulla propriè dicta nedum poſitiua corruptio in voluntate hominis, ſed ſola tantùm luminis directiui, id eſt gratiæ obiectiuæ carentia in mente hominis locum habere credatur per quam illa cæca id eſt ignorans tantùm eſt diuinæ voluntatis, & ſic impotens reddita ad rectè dirigendam voluntatem etiam inordinate ferri neceſſe eſt, eam ſolùm ob cauſam quod ſit deſtituta directionis iſtius beneficio: Hæc itaque eſt tota corruptio, hoc eſt totum peccatum originale quod ſtatuit Pelagius, cui per omnia conſentanea eſt ſententia Cameronis: quæ eſt naturam voluntatis in ſe corruptă non eſſe, ſed idoneam & capacem regenerationis ſi modo non accedat ſola illuminatio mentis, id eſt clara ſcientia diuinæ voluntatis & gratiæ: Ratio eſt, Quia qui dicit moralem actionem ad regenerationem ſufficere, imò qui dicit concipi non poſſe quomodo regeneratio aliter quàm morali actione peragi poſſit, is profectò dicit voluntatis naturam in ſe corruptam non eſſe, ſed ex ſeſe non minùs quam fuit voluntas Adami ſidoneam eſſe ad conuertendum ſe & ſequendum Dei voluntatem, ſi modò obiectiua moralis iſta ſuaſio in mente ponatur, etiamſi nulla interna alia gratia mentem aut voluntatem immediate reformans accedat.

Hic ſine dubio dices mihi Cameronem quidem agnoſcere moralem ſuaſionem ad regenerationem neceſſariò, requiri, ſed tamen expreſsè addere, non ſolam ſuaſionem ſufficere, ſed perſuaſionem etiam requiri, eamque, vbi adhibetur, reipſa regenerationem efficere.

Ita eſt: fateor, verba ipſius ſunt, ſed ſub iis fucus latet quem ſtatim detegam ſi id præmiſero, Cameronem ea parte quâ ſuaſionem ſiue perſuaſionem ita fieri dicit vt inde neceſſario ſequatur regeneratio voluntatis, reuera ac reipſa Manichæum eſſe aut Prædeſtinatorum & Caluini ſententiam, quantum ad rem ipſam attinet, ſequi, & hoc volui indicare cum dixi ſententiam ipſius eſſe Pelagiano-Manichæam. Hoc enim erat placitum Manichæi quod quidem tanquam ipſius placitum ab antiquis Patribus aperte damnatum etiam eſſe conſtat, *Tam bona quàm mala neceſſariò fieri*: Verum quidem eſt, principia duo faciebat ex quorum altero bonum, altero malum proficiſci dicebat, ſed non in eo ſolùm conſiſtebat hæreſis ipſius, ſed in eo etiam, & quidem præcipue, quod omnia bona ſimul ac mala eadem neceſſitate euenire aſſerebat. Quare qui hac in parte eum ſequuntur, ij non

immeritò sectatores ipsius, quantum ad id attinet, appellari possunt, imò tanto peiores illo videri debent qui mala simul ac bona ab eodem principio deriuant, quanto peius est Deum optimum mali authorem facere, quàm est cum non nisi authorem boni facere. Atque interim ei iungere alium qui mali tantùm author sit. Notandum interim est Cameronem quando pro necessitate hac pugnat, & libertatem illam voluntati non relinquit vt vocanti Deo consentire possit aut dissentire, non plerisque tantùm, sed omnibus primorum trium sæculorum orthodoxis Patribus (quæ Augustini sententia fuerit, de eo adhuc controuertitur) directè repugnare: Patres enim isti omnes quibus etiam omnes sequentes Patres orthodoxi adsenserunt, liberũ arbitrium cum diuinis suasionibus consistere, id est dissentire aut consentire Deo suadenti posse crediderunt vnanimiter, prout non pauci luculenter iam aliquoties demonstrarunt. Hoc præmisso vt fucum detegam, dico, Cameronem ista locutione & phrasi quâ vtitur non euadere crimen Pelagianismi quod illi impingitur. Quod sic ostendo. Persuasio illa aut est actio moralis, aut est alia, Physica siue potius non moralis actio. Si moralis est actio, iam aut aliud quid est quàm suasio, aut nihil nisi ipsa suasio. Si aliud quid est, quid illud quæso erit, si moralis actio erit? Nunquam id explicabit Camero neque percipi potest animo quod aliud quid esse possit, quam motio pure pute Physica, qua motione tamen moueri voluntatem non posse credit Camero. Et certe persuasio etiam suasio est. Non enim specialis actio est à suasione distincta, sed actio suadendi cum effectu aut euentu coniuncta: Vna enim eademque ratio suasio est huic, alteri est persuasio. Quod si persuasio reipsa nihil nisi suasio est, relinquitur certe Cameronem aliud nihil requirere ad regenerationem quam Pelagius olim requisiuit. Explico rem paulo clarius: Persuasio illa quam speciale donum illud appellat Camero quod Electis, quos vocat, confertur, & per quam illuminari mentem & regenerari voluntatem eorum vult, si fiat ethice, vtique per rationes suadentes fiat necesse est, alia enim Ethica motio concipi non potest, Ethica n. & rationalis motio vnum idemq; sunt, & à Physica omni alia motione hâc solâ ratione distinguũtur: Si per rationes persuadẽtes fit, quid aliud est persuasio quam suasio que, vel extrinsecus per verbum in aures & per aures in mentem penetrat, vel intrinsecus menti proponitur? Modus enim propositionis non mutat speciem motionis, si eadem ratio sit quæ proponitur menti ad eam mouẽdam; Quomodocumque enim mens rationem apprehendat, id perinde est. Ratio semper specie & virtute eadem manet, siue foris apprehendatur à mente, siue intus percipiatur in mente, eadem itaque virtute aget & mouebit. Nihil enim agit vltra speciem aut virtutem suam. Hoc si ita sit, iam facile videre quiuis potest, quàm sit absurda Cameronis sententia. Nam si persuasio reipsa & formaliter nihil aliud est quam suasio talis, quæ ratio cur non omnibus eadem ratione persuadeat quibus adhibetur? Imò quæ ratio cur si is, qui rationes illas percepit mente sua, easdem aliis proponat, quod fieri posse non negabit opinor Camero non suadere, sed persuadere aliis possit idem quod sibi persuasum est? vbi n. eadem est causa efficiens eadem vi agens, & eadem atque vniformis subiecti recipientis dispositio, ibi idem effectus locum habere debet. At si persuasio est suasio quæ per rationes plane easdem fit, & circa homines pariter excæcatos, quod attinet salutarem Christi cognitionem adhibetur, eadem est causa efficiens eadem vi agens, & eadem subiecti dispositio. Ergo idem effectus vbique inde sequatur necesse est. Hærebit hic aqua Cameroni vt explicet intelligibiliter mentem suam si consequenter principiis suis loqui velit. Nam alterutrum dicat necesse est, aut persuasionem importare peculiarem quandam rationum suadentium impressionẽ in ipsam mentem, aut magis congruam quandam & opportunam propositionem ita vt rationes quæ huic homini nil nisi rationes suasiuæ sunt, alteri cui ista congrua propositio sit sint persuasiuæ. Vtrum dixerit sibi ipsi non consentanea dicet. Prius enim quod attinet, si persuasio Cameroniana ex vi sua speciali notat peculiarem quandam rationum suadentium impressionem in mentem ipsam, iam persuasio hæc nullo modo erit actio Ethica, sed pure pute Physica ac proinde non erit persuasio. Physicam enim actionem siue impressionem persuasionem appellare ridiculum & stultum est. Quod si Camero nihilominùs huiusmodi impressionem Ethicam actionem esse velit ac proinde persuasionem, necesse est vt dicat eam fieri per rationes alias: At cum rationes nullæ moueant aliter quam obiectiue, impressio hæc nihil aliud erit quam prior suasio & sic in infinitum ibitur, redibuntq; omnes eædem difficultates quæ ante motæ sunt: Posterius quod attinet, cõgrua etiam actio dici non potest hæc persuasio: Si enim dispositio plane eadem est in omnibus hominibus quod attinet primam & salutarem illuminationem, quomodo fieri potest vt ratio siue suasio vna eademque sit huic congrua, illi non congrua? Dicet fortasse subiecti dispositionem non esse eandem. Alios enim disponi à Deo ad illumiuationem siue suasionem istam recipiendam, alios non. Sed frustra. Dispositio enim illa vel fiet per moralem actionem, vel per Physicam; si fiat per hanc, iam præcipua actio ad regenerationem requisita erit Physica. Ab hac enim dispositione fiet vt gratia moralis huic sit congrua & opportuna, non illi: At hoc Camero fieri nullo modo vult: Si per illam, iam redeunt eædem omnes difficultates & in infinitum abitur. Deinde qualis erit dispositio hæc? voluntatis dispositio non est necessaria, iuxta Cameronem, quia illa naturali necessitate sequitur iudicium intellectus recte dispositi, vt ait: Intellectus dispositio si statuatur, ea erit aut potentiæ nouæ ad suasionem percipiendam collatio, aut intellectionis ipsius expressio: Aliud enim quicquam concipi non potest: Illa non sufficit ad persuasionis effectum, hæc non est dispositio subiecti, sed ipsa actualis persuasio, de qua quæritur, quomodò fiat. Efficitur itaque iuxta hypothesin Cameronis solam obiectiuam diuinæ voluntatis reuelationem ad conuertendum hominem sufficere sine vlla alia interna gratia quæ immediate aut menti, aut voluntati ipsius imprimatur: quæ opinio in ipsissimam sententiam Pelagij tandem recidat necesse est, manente tantum hoc discrimine quod Camero reuelato-

velationem aut persuasionem hanc fieri velit ex præcisa saluandi eos quibus fit intentione, & ita vt non possit non sortiri effectum; Pelagius non. Quæ opinio idcirco deterior Pelagij opinione est, quod communi omnium Patrum sententiæ è diametro repugnet & nil nisi interpolatum Manichæismum sapiat.

Dices hic fortasse Cameronem explicare aliquando apertius mentem suam cum de persuasione hac agit: Eam enim appellat non raro lucis cuiusdam internæ affusionem qua fit vt intellectus efficaciter cognoscat & videat summum ac verum bonum, ita vt voluntatem afficiat vt non possit summo bono non adhærescere: At inquam ego, hac ratione non satis explicat se Camero: Ad populum tantùm sunt phaleræ. Cognitio enim illa efficax summi boni efficitur aut proficiscitur, vti ait, ab illuminatione siue à persuasione quæ moralis actio est: Si ab ea proficiscitur, necesse vtique est vt ea vel sit actio quæ rationes tantum continet per quas bonum illud summum efficaciter intellectui cognoscendum datur, vel actio quæ sine rationibus sensum boni istius intellectui profunde imprimit & cuius modus ignoratur. Si illuminatio sit actio quæ per rationes fit quas percipit & intelligit is qui eas recipit, iam illuminatio hæc persuasio quidem est, sed reipsa tamen aliud nihil quàm suasio, & suasio quidem quæ communis homini cum Deo aut Spiritu Dei esse potest. Cur enim rationes illas ipsas proponere & suadere aliis hominibus non possit is qui per istas persuasus est? Nec satis est si dicas rationes illas peculiarem vim persuadendi habere. Esto enim id verum sit, quæ verisimilis ratio dari potest cur rationes illæ eædem si per istum qui eas recepit & per eas persuasus est, aliis communicentur, aut mentibus aliorum proponantur, non eodem modo persuadeant iisdem quod illi persuasum est. Si dicat Camero illuminationem hanc esse actionem qua summum bonum hominis menti intime repræsentatur & coram quasi videndum offertur, iam certe hæc illuminatio actio est pure pute Physica ac proinde non est persuasio, quia persuasio actio est moralis. Non enim persuadetur id quod sentitur. Et quis sapiens dicat persuaderi homini vt summum bonum appetat quando id clare ipsi videndum aut sentiendum proponitur? Voluntas non potest non appetere illud, siue suadeatur, siue dissuadeatur. Præterquam quod repræsentatio boni summi facere multùm non possit ad hoc vt quis credat se bonum illud summum quod ipsi repræsentatur consecuturum, si, ex.gr. Euangelio obediat. Repræsentatio enim ista non est argumentum aut ratio, quæ nos de veritate illius hypotheticæ enuntiationis certos reddit. Hic itaque rationibus suasiuis & ad fidem quæ huic enuntiationi habenda est generandam idoneis opus est, quas quomodo peculiari quadam vi persuasiuas faciat Camero, ita tamen vt maneant intra Sphæram actionum Ethicarum explicare nunquam poterit: Necesse est vt velit nolit, vel non consentanea, imo contraria sibi ipsi dicat, vel in sententiam Pelagij pedibus eat.

Veruntamen, inquiet aliquis, esto sententia Cameronis sit damnata Canonibus Synodi Dordracenæ, Alezianæ & Charentonensis, sit Pelagianæ sententiæ affinis. Quæstio principalis est an non sit vera?

Respondeo. Fateor rem ita se habere & hoc præcipuè considerandum esse. Neque is sum qui in istis argumentis subsidium causę meæ pręcipuum colloco. Tantùm vsus sum hisce argumentis ad hominem vt loquuntur, quia scio quanti apud eos Synodi Dordracena, Alezlania & Charentonensis valeant. Pæne fortiùs isto argumento à Synodis sumpto, proh dolor! etiam apud eos qui se reformatos vocant, hodie pugnatur quam scripturis & claris rationibus, Pelagianismi verò hæresim tantopere detestantur vt eo nomine etiam nostram sententiam horrendo addito iuramento damnare non dubitarint quod Pelagianam eam esse crederent. Propter hos itaque quæ hactenus scripsi dicta voluit. Nunc restat vt videamus id quod præcipuum est, an sententia hæc Cameronis vera sit. Ego eam non tantùm Falsam esse credo, sed admodùm noxiam & periculosam.

Vt vtrumque hoc euincam non vtar argumentis omnibus in schola vsitatis, quæ alioquin solida satis esse mihi videntur: Iampridem enim vbique in omnibus pęne scholis explosa est hęc sententia Cameronis, adeò vt pauci admodum reperiantur qui ei patrocinium suum commodant: Argumenta quibus vtrumque euincere conabor hæc sunt.

Si ea est natura voluntatis vt necessariò determinetur ad vnum à iudicio rationis practico vti Camero vult, impossibile est vt detur vllum peccatum pœna dignum, aut virtus vlla digna præmio: At hoc absurdum est; Ergo & illud.

Minor in confesso est. Ratio consequentiæ est quoad prius membrum de peccato. Quia si detur peccatum vllum pœna dignum, peccatum illud statuetur, aut in ipso iudicio rationis, aut in voluntate siue in volitione ex iudicio illo resultante. In neutro statui potest. Non in iudicio, quia actus iudicij pure pute naturalis est & necessarius. Naturalis autem & necessaria peccata esse non possunt, nedum peccata pœna digna, vel potiùs hoc pacto, quia in iudicio ad summum aliud nihil locum habere potest quàm error. At error qua error tantùm est, non potest esse peccatum, nedùm peccatum pœna dignum. Nec enim deformitatem moraliter culpabilem proinde nec punibilem habere in sese potest error vllus, nisi quatenùs aliquo modo liber & voluntarius est. Voluntarius autem aut liber proprie dicta libertate esse nullo modo potest ex hypothesi Cameronis qui voluntatis nullum imperium in mentem ne quidē quò ad exercitium agnoscit. Sed voluntatem ab ipso iudicio rationis ad volendum præcise determinari vult: Orietur itaq; necessariò error quicumq; tandem sit ex defectu aliquo inuincibili, siue defectus ille statuatur oriri ex parte potentię, siue ex parte obiecti, siue ex parte medij, siue aliunde. At defectus in primo instāte inuolūtarius & inuincibilis culpā non habet, nec habere potest, nedùm pœna dignius censeri: Nec potest in voluntate esse peccatum, quia in potestate voluntatis non est non sequi iudicium rationis erroneum, aut errorem qui in iudicio est eximere. Relinquitur ergo peccatum nihil aliud esse nisi malum Physicum

quod Manichaicum esse fatetur ipse Camero pag.661.col.1. Collationis tuæ cum Tileno. Neque vero est quod hic dicat Camero iudicium rationis corruptum & quæ iudicium corruptũ sequitur deprauatam voluntatem ex peccato primo Adami orta esse, atque ita tum iudicium, tum voluntatem nostram moraliter esse culpabilia & punibilia. Dico enim argumentum hoc quod attuli locum habere in omni statu ac proinde non minùs in ipso Adamo ante lapsum quam in vllo alio homine. Fieri enim non potuit vt ille propriè peccaret, ita vt per peccatum reus pœnæ fieret, si ea est natura voluntatis quam vult Camero: Obsecro enim quomodo peccasset Adam? Voluntarie errare non poterat, voluntas enim non precedit, sed sequitur iudicium erroneum idque necessariò iuxta Cameronem: Si voluntarie errare non poterat, quomodo poterat peccare? Dico amplius, concipi non potest animo quomodo errare potuerit Adam in isto primo statu, si Cameronis sententia vera est: Si enim in mente Adami fuit lux & quidem supernaturalis dirigens iudicium ipsius in veri & boni cognitionem, fuit vtique in ea id quod errorem vi sua impediebat, & sic voluntatem Adami à peccando prohibebat: Quod si verò etiam Camero cum Synodis, Dordracena, Aleziana, & Charentonensi, articulo 1. cap. 3. dicat *in voluntate Adami infusam fuisse iustitia habitum & affectibus ipsius sanctitatem.* Quomodo fieri potest vt Camero concipiat fontem vnde deriuari potuerit prima peccati motio? Nec enim à mente luce ista prædita, nec à voluntate lucem illam necessariò sequente, nec ab affectibus sanctitatis habitu donatis deriuare eam potest Camero, si consequenter loqui velit, vnde ergo eam deriuabit? Dicere lucem iustitiam & sanctitatem istam dona fuisse mutabilia, nihil est dicere: Posito enim quòd id verum esset, vti sine dubio verum est, vnde quæso dicetur mutationem oriri potuisse, ita vt mutatio culpabilis & pœna digna esset, nisi voluntati libertas vera tribuatur? Impossibile est Cameroni aut cuiquam alij hoc ostendere, imprimis si velit lucem illam etiam fuisse persuasionem talem qualem nunc electis conferri dicit. Si dicat lucem illam à Deo subtractam fuisse homini, non tantum hominem culpæ omni ac reatui eximit, sed Deum etiam Authorem culpę facit (si culpa esse potest id quod Deus facit) & quod peius est, Deum etiam reum pœnæ facit. Si dicat diabolum tenebras suffudisse menti hominis eique errorem insinuasse, dicit id quod qua ratione factum fuerit concipi non potest, & si omninò factum fuisset, hominem peccati & per consequens pœnæ reum facere non potuisset, nisi supponat in potestate, vel mentis, vel voluntatis hominis fuisse suffusionem istam tenebrarum non admittere, aut tenebris istis suffusis non seduci à recto & bono. At nec in potestate mentis quæ pure pute passiua, aut receptiua potiùs potentia est; nec in potestate voluntatis quæ pure pute dependet & determinatur à iudicio iuxta Cameronem, nec etiam in potestate affectuum ipsius erat non admittere tenebras istas, aut illis insinuatis non seduci, nec ipse homo meruerat adhuc vllo facto suo vt istis obrueretur, aut vt istis seduceretur, alioquin peccasset antequam peccasset. Quomodo itaque peccauit? Quomodo reus pœnæ factus est? Imò quomodo reum pœnæ non tantùm se, sed totum genus humanum facere potuit? Denique quomodo tam atrocis, id est simul æternę & temporalis pœnæ reus cum toto genere humano fieri potuit? Addo. Tenebræ istæ suffusæ, aut dicentur fuisse æqualis ponderis ac valoris cum luce à Deo impressa. At sic in æquilibrio hæsisset volũtas Adami & peccare non potuisset, aut dicentur fuisse maioris ponderis siue præponderasse rationibus aut lumini à Deo indito: At preterquam quod hoc affirmare foret diuinæ gratiæ & luci supernaturali summe iniurium & contumeliosum. non peccasset etiam Adamus sequendo iudicium istud tanquam cæteris omnibus rationibus prępondera ns: Aut denique dicentur minoris fuisse ponderis ac valoris: At si nihilominùs tamen eas secutus est Adam, iam certè à iudicio præponderante non determinari voluntatem dicendum foret Cameroni, quod tamen istud est quod maxime euitatum vbique vult, & summe falsum esse credit. Si dicas Adamum ipsum non satis constanter aduertisse animum ad lucem illam originariam à Deo impressam, & sic seductum fuisse, nihil omninò dices. Hoc ipsum enim, constanter scilicet animum aduertere ad lucem, aut à luce illa pendebat tanquam efficiente vel persuadente causa, aut à libera Adami voluntate. Si à luce illa pendebat vt pependisse Camero vult, vnde factum vt lux illa non effecerit in voluntate Adami vt animum aduerteret, cum lux illa affusa esset mēti ipsius & cum causam nullam adhuc dedisset vt tolleretur? Si pendebat à voluntate ipsius libera, iam dicat necesse est Camero, hominis voluntatem non obstante luce illa dirigente tamen seipsam per se ipsam determinare potuisse & sic non pependisse voluntatem à iudicio tanquam causa eam determinante, aut si sententiam suam tueri vult, in circulum eat necesse est. Ex hoc colligo. Si vera est sententia Cameronis fieri non potuisse vt Adamus peccatum vllum quod quidem vere peccatum siue legis transgressio sit ac non malum Physicum tantùm, committeret, nedum peccatum tam horrenda pœna dignum: Per consequens nec genus humanum in eo peccasse, nec in eo punitum fuisse aut iure puniri potuisse, & quod caput rei est, nullum prorsus peccatum pœna dignum in rerum natura dari aut concipi posse. Quantum in hoc argumento situm sit, nemo non intelligit. Camero certè & qui cum eo sentiunt, qui super Adami peccato vnico totam absolutæ Prædestinationis suæ iustitiam fundant, quantum in eo positum est considerent necesse est. Sed posito omninò quod Adamus peccare potuisset & actu peccasset, ex hoc eodem fundamento euincitur Cameronem affirmare debere regenitos & persuasione ista speciali quam vult donatos peccare nullo modo posse nisi Deus primò & absque culpa ipsorum lucem istam ab iis tollat, id est, persuadere ipsis desinat, & sic peccati ipsorum (si peccatum esse potest quod subtracta ista luce committitur) causa efficiens per modum tollentis necessarium prohibens fiat. Ratio est. In regenitis noua gratia & lux talis locum habet quæ voluntatem ipsorum ita afficit vt non possint non adhærescere summo bono. Itaque nisi lux ista mentibus ipsorum subtrahatur, fieri non potest vt in peccatum incidant. Voluntas

luntas enim sequitur lucem istam & ab ea determinatur ad amorem boni. Neque verò dici possunt ipsi regeniti lucem illam negligere, lux enim illa quia efficax est cognitio summi boni facit vt negligere eam nec velint, nec possint. Quid enim moueret voluntatem eorum ad eam negligendam? Quòd si verò etiam lux ista sit lumen aliquod à Deo impressum & inhærens animæ, quomodo fieri potest, vt ab ipsis negligatur? Nec dici potest Deus lucem istam subtrahere regenitis propter peccata ipsorum. Peccata enim illa alia esse non possent quàm peccata quæ ante lucem illam receptam, siue ante sui conuersionem commiserunt. At ea ipsis condonauit Deus. Vt vero alia peccata postea non commiserint, lux illa voluntatem eorum determinans efficit. Vnde igitur peccatum in ipsis? Necesse est vt dicat Camero, vel regenitos nunquam peccare posse, vel peccata eorum oriri à Deo gratiam & lucem illam pro arbitrio suo eorum menti subtrahente, & sic peccata regenitorum non esse peccata, quia Deus peccare non potest, aut si peccata sint, Deum solum propriè & verè authorem peccatorum omnium esse quæ regeniti committunt. Eadem est ratio alterius membri quod diximus. Nullam etiam virtutem præmio dignam dari posse si vera est sententia Cameronis: Nam si lux illa quæ in hominis mente ponitur nullo modo ab homine pendeat, sed menti ipsius à solo Deo infusa est, aut affusa est, & eadem affusa menti voluntatem ita afficiat, vt voluntas non possit non eius ductum sequi, profectò virtutis non est, nedum virtutis præmio dignæ, lucem illam aut habere, aut cum eam habeas ductum illius sequi. Nulla enim hîc electio locum habet; vti oculus lucem solis, ita mens istam lucem persuasiuam non potest non admittere, quando eam Deus infundit, aut vt Camero loquitur, persuadendo affundit: voluntas verò naturali necessitate & spontanea quadam lubentia lucem illam veluti ferrum magnetem sequitur. At naturalis receptio & necessaria sequela virtus non est, nedum virtus præmio digna: Quis enim virtutem præmio dignam dicat, si oculus apertus lucem solis recipiat, aut voluntas summum bonum appetat?

Ex hisce apparet sententiam hanc Cameronis non modo falsam esse, sed & valdè noxiam ac periculosam, sublata enim ratione peccati & virtutis, lex, disciplina, respublica, societas & religio omnis imprimis Christiana funditus euertantur necesse est. Quod vt manifestius appareat sic procedo.

Si vera est sententia Cameronis nullus planè locus est præceptionibus, aut prohibitionibus. Ratio manifesta est: Quia quid præciperet nobis Deus? Alterutrum præcipiat necesse est, aut vt lucem illam dirigentem habeamus in mente, aut si illam iam habemus in mente nostra vt eius directionem sequamur: vtrumque facere stultum foret & ridiculum: nam quid ineptius quam pręcipere vt lucem in intellectu habeamus quam non possumus ex nobis habere aut elicere, imò, quam aliunde quàm ab eo qui pręcipit habere non possumus? Quis oculo pręcipit vt vel internam lucem suam, vel extrinsecam solis lucem habeat? Deinde quid stultius quàm præcipere vt cum iam lux illa nobis à Spiritu Dei data est, ductum lucis istius sequamur cum illum non possumus non sequi? Tantundem facit qui alterutrum horum præcipit ac si præcipiat homini vt Gigas fiat, vt ad staturam suam addat cubitum, aut vt nutriatur & crescat. Impossibilia & necessaria non cadunt sub præceptum. Prohibitionis eadem est ratio: Dices fortasse præceptiones & prohibitiones seruire pro mediis incitantibus voluntatem ad faciendum id quod rectum est: sed id nihil ad rem facit: Præceptio enim tale medium est quod primo suo conceptu importat officium eius cui præceptio datur. At officium nullum supponi potest, vbi id quod præcipitur aut omnino non potest fieri, aut non potest non fieri. Quis enim ex officio lege præscripto facere dici potest id quod non potest non facere, aut quod absolutè non potest facere, siue impotentia illa oriatur ex naturæ conditione, siue ex pœnæ inflictione? Nemo enim obligari potest ad faciendum quicquam supra naturam suam: aut ad faciendum id ad quod à iudice per pœnam impotens redditus est: Aliud est se seipsum impotentem reddidisse sine ulla interueniente pœna: De hoc enim non agimus: Dicimus enim fieri non posse vt quis pœnæ reus fiat, si ista est conditio voluntatis quam vult Camero. Confirmatur valdè hoc argumentum si addantur præceptionibus & prohibitionibus istis promissa & minæ. Quis enim locus promissionibus aut minis esse potest, vbi id quod præcipitur aut impossibile est vt fiat, aut omninò non potest non fieri? At vbi talis determinatio voluntatis locum habet qualem statuit Camero, ibi id quod præcipitur est aut omninò impossibile: aut simpliciter necessarium. Adhortationes itaque, etiam omnes increpationes obtestationes, vota, querelæ, lachrimæ aliaque similia quibus Deum vti ad conuertendum homines passim testatur scriptura nil nisi ludus & iocus erunt: Ad quid enim dirigentur omnes istæ? an ad mentem hominis? At illa non potest habere aut elicere ex se lucem illam quæ ad directionem voluntatis ac proinde hortationes sequendum necessaria est. An ad voluntatem? At ea non potest sequi rectum mentis iudicium quamdiu luce illa mens caret, & non potest non sequi rectum iudicium quando mens luce ista perfusa est: Ex hoc efficitur consequenter per sententiam istam obedientię & inobedientiæ rationem omnem è medio tolli: Vti enim non obedire dici non potest qui non potest obedire, ita non potest dici obedire qui non potest non obedire, aut potius qui non potest non facere quod rectum est. Qui non potest nolle non potest dici propriè velle voluntate quę virtus si obedientiæ sit & dicatur. Quod contra hæc Camero solet obiicere, Non repugnare vt quis bonum faciat necessariò & tamen simul libere illud faciat, idq; exemplo Dei ipsius probare qui non potest non esse sanctus, & tamē liberrimè sanctus est, id prorsus est ineptum: Aliud enim est sanctum esse & facere quod bonum ac rectum est, aliud obedire legi quę sub promisso præmij bonum facere præcipit & sub comminatione pœnæ malum vetat: Bonus enim quis esse potest naturâ ita vt malum facere non possit, qui tamen non obedit legi: Isto modo Deus est bonus, non hoc: Imò, quia isto modo bonus est, non potest dici bonus esse aut bonum velle liberè: verùm quidem est, bonum hoc aut illud

liberè velle poteſt, ſed nec ſic neceſſariò bonus eſt. At qui bonum facit ex obedientia quæ lege præſcribitur, is non poteſt aut naturâ bonus eſſe, aut ita tantùm liberè bonus vt hoc aut illud bonum tantùm facere poſſit,ſed neceſſe eſt vt poſſit etiam non facere,aut cõtrarium facere,vel omittere eius quod lege præſcribitur,aut vetatur. Ad libertatem itaque non requiritur ſemper vt quis bonum & malum ſimul poſſit facere. Satis eſt vt poſſit facere hoc aut illud bonum: Verùm ad libertatem qua quis facere poteſt quod lege præſcribitur neceſſarium planè eſt vt poſſit etiam contrarium legi facere, id eſt, obedire aut non obedire, alioquin fruſtra foret lex, & legis ſanctio.Atqui inquit Camero:Chriſtus dicitur obediuiſſe Patri qui tamen non potuit non obedire. Reſpondeo:Obedientia proprie dicta ne Chriſto quidem tribui poteſt ſi non potuit non obedire: Ergo,inquies,potuit peccare Chriſtus. Reſpondeo: Obedientia Chriſti alterius planè generis fuit: Obediuit enim Patri non propriè ex imperio diuino legem ipſi ferenti tanquam ſubdito, nec ſub comminatione pœnæ ab eo obedientiam poſtulanti prout nos obedire Deo neceſſe eſt,ſed vt legationem honorariã & vltroneè ſuſcipiendam deferenti. Nempe non voluit Pater à dilecto Filio ſuo exigere obedientiam ea conditione vt ſi non obediret,reus æternę mortis fieret, ſed tantum voluit illi vt legato ſuo dilecto prouinciam nomine ſuo gerendam dare cum promiſſione magnificæ remunerationis, quam eundem in ſeſe liberè & lubenter ſuſcepturum certum erat: Et hoc volunt ſibi textus omnes qui dicunt ipſum à Patre miſſum fuiſſe,mandatum accepiſſe à Patre,exiiſſe à Patre, & quæ ſunt ſimilia.Hęc itaque obedientia Chriſti longe alterius generis eſt quàm ea de qua hic agimus.Dices, negari tamen non poteſt Chriſtum etiam legi ſubiectum fuiſſe quæ promiſſis & comminationibus conſtabat.Reſpondeo.Ita quidem videtur, dico itaque ſecundò, poſito etiam quod Deus à Chriſto præciſè & ſub comminatione pœnæ obedientiam poſtulaſſet, nihil repugnat dicere Chriſtum potuiſſe non obedire Patri & ſic peccare ſaltem vt hominem, ſiue ſecundum naturam humanam ſecundum quam obedire tantum poterat? nec enim hoc repugnat naturæ ipſius humanę, ſiue voluntati ipſius liberæ quam communem nobiſcum habuit.Poſſe enim peccare non magis repugnabat naturę ipſius quàm poſſe miſeram eſſe & morbis obnoxiam,& ſufficiebat ad nos redimendum, nobiſque pro exemplo ſeruiendum vt non peccaret. Quin imò non eiuſdem forte naturæ nobiſcum viſus fuiſſet, nec pro exemplo obedientiæ ſeruire nobis potuiſſet, ſi non potuiſſet non obedire. Addo, quod amplius eſt, noſtra obedientia multo pręſtantior eſſet cenſenda obedientia Chriſti, ſi nos libere obediremus,ille autem obediiſſet neceſſariò.Sed nec intelligi facile poteſt quomodò à diabolo tentatus fuiſſet, imò quomodò tentari potuiſſet, quomodò conſolatione Angelica opus habuiſſet, quomodò ipſe dixiſſet, *tranſeat à me calix hic ſi fieri poteſt: Veruntamen non mea,ſed tua voluntas fiat* & ſimilia.Denique quomodo nobis per omnia ſimilis dici potuiſſet excepto peccato,ſiue potentia quidem in eo peccandi fuiſſet, id eſt, ſi libertas voluntatis in eo non fuiſſet ad obediendum aut non obediendum paternę legi:Neque verò decedit quicquam dignitatis Ieſu Chriſti hac ratione,ſatis enim eſt quod à peccato immunis fuerit, & plus meriti habet non peccare cum potes peccare,quàm non peccare cum peccare non potes.Imo ne quidem locum habere poteſt meritum proprie dictum vbi pura puta impeccabilitas dominatur. Itaque tantùm abeſt vt glorioſo Chriſti merito quicquam detrahatur, ſi eum ab omni peccandi potentia immunem fuiſſe credatur,vt contra ſupremus gloriæ Chriſti apex in eo collocari videatur poſſe,quòd cum poſſet non obedire Patri,tamen obedire ipſi libere in omnibus voluerit. Quod de Angelis beatis & induratis adfert Camero id triuiale & refutatum iam ſæpius eſt: Hæc itaque cum ita ſe habeant, quòd obedientiæ & inobedientiæ locus non ſit ſi Cameronis ſententia admittatur,neceſſariò conſequitur,præmij & pœnę rationem omnem per eandem etiam prorsùs tolli.Qui enim non poteſt obedire indignus eſt ſupplicio; Qui non poteſt non obedire, indignus præmio.At quorum voluntas non determinatur ad bonum propter carentiam lucis quam habere aut conſeruare non eſt nec fuit in poteſtate ipſorum,ij non poſſunt obedire, & quorum voluntas determinatur ad bonum propter affuſam lucem diligentem & adeò potenter afficientem voluntatem ipſorum vt non poſſint non adhęreſcere ſummo bono,ij non poſſunt non obedire aut velle & facere quod rectum eſt.Ergo hi indigni premio, iſti non digni ſupplicio cenſeri debent:Sublatis hiſce omnibus quæ lex,quæ diſciplina,quæ religio poteſt habere locum,cùm ſubſtantia legis, diſciplinæ & religionis omnis in pręceptis, promiſſione præmiorum & comminationibus pœnarum ſancitis poſita ſit(Huic adde, ridicula & inepta reddi omnia fere enunciata Euangelica quæ fundamentis ſupradictis nixa ſunt, quæ plurima hic recenſere poſſumus: Tu inter ea hoc vnum tantum,exempli gratia, vide, *Seruus qui nouit voluntatem Domini & qui ſe non parauit neque facit ad eam pluribus plagis vapulabit*, ait ipſe *ſeruator, Luc.*12.*v.*47.Obſecro te,mi Domine, quomodo non vanum eſt hoc enunciatum,imo quomodo non ridiculum iuxta Cameronis fundamentum? Scientia enim illa aut eſt ſcientia quæ ita voluntatem ſerui afficit vt voluntas eius non poſſit non eam ſequi,id eſt, vt non poſſit non facere voluntatem Domini ſui;aut eſt talis ſcientia quæ voluntatem ſerui afficere apta nata non eſt, aut ſi afficere eam apta nata eſt, quæ, ſiue per aliam priorem aut maiorem ſcientiam, ſiue per vehementiorem aliam in voluntariam paſſionem impeditur quominùs faciat quod faciendum eſſe illa dictat.Si primi generis ſcientia eſt, quid ſibi vult illud, *& non faciens*? impoſſibile enim eſt iuxta Cameronem vt ſeruus iſta ſcientia præditus non faciat voluntatem Domini ſui. Si poſterioris generis ſcientia eſt, quid ſibi vult illud,*Pluribus plagis vapulabit*? Quomodò enim pluribus plagis vapulare dignus eſt ſeruus qui ſcientia tali à Deo donatur quæ ipſi prorſus inutilis eſt,cuius ope ad faciendum voluntatem Domini ſui non adiuuatur, & quæ tamen ipſa ratio erit propter quam pluribus plagis dignus iudicabitur? Præſtaret certe ſeruum iſtum ſcientia tali non donari à Deo quàm donari, ſi per eam ſaltem eo vſque non iuuatur vt voluntatem Domini ſui fa-

sai facere possit,& interim eo quod eius ductum non sequatur, maioris pœnæ reus fiat: sic sane gratia non foret gratia,sed vere δῶρον ἄδωρον,imo Deus dicendus foret odisse magis eos quos scientia tali donat quàm diligere: Et in vniuersum tota Dei vocatio qua ad salutem vocat eos quos speciali ista luce donare non vult, non hypocritica tantum,sed & summe Tyrannica vocatio dicenda foret, aut effectus potius odij quam amoris, quod ita absurdum est vt nesciam quomodo in hominis sani aut pij mentem cadere possit. Plura impræsentiarum non allego quia tempore destituor propter occupationes alias, & quia res tota tam palpabiliter absurda est vt me pœniteat longius in ea immorari.

Fons & origo erroris huius est, quod sententia Cameronis veram & propriam libertatem voluntatis è medio tollat sine qua impossibile est legis, disciplinæ & religionis vllius veræ fundamenta salua manere, imò sine qua in Manichæi furorem qui virtutes & peccata non nisi Physicas res esse volebat teste Camerone,aut in Stoicorum, Prædestinatorum, Caluini aliorumque fatalem necessitatem prolabi necesse est:. Vera autem libertas è medio tollitur quando voluntati aut potius homini toti tantum non tribuitur vt positis omnibus ad agendum requisitis possit tamen agere & non agere, aut hoc vel illud agere,id est, vt diuinæ legi possit annuere aut abnuere,proinde etiam posito quolibet antecedente iudicio in intellectu, possit tamen, aut aliter velle,aut simpliciter non velle,id est,vel omninò suspendere assensum suum,vel deflectere ad sensum suum ab eo quod iudicium monstrat & quod lex præscribit faciendum esse.Et hanc libertatem omnino tollunt qui spontaneitatem aut lubentiam tantum tribuunt voluntati, licet coniunctam cum præcedaneo iudicio aut apprehensione intellectiua.Hæc enim lubentia & spontaneitas locum habet etiam in iis quæ cum scientia summè necessariò agunt: Summè itaque ista necessaria summè libera forent, quo nihil absurdius cogitari potest prout ex iis quæ iam ante dicta sunt satis liquido apparere potest: αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ.

Neque verò argumenta illa quæ Camero in thesibus suis & in collatione quæ ipsi cum Tileno fuit, prolixe attulit vllo modo euincunt contrarium. Ostendi id alibi in peculiari meo tractatu quem de liberi arbitrij natura conscripsi, & possem id facile discurrendo per singula demonstrare,sed quia properandum mihi nunc est, vnum tantum atque alterum palmarium ipsius argumentum excutiam, vnde de reliquis facile erit iudicare,si hæc duo præmonuero 1. me liberam determinationem quæ voluntati tanquam potentiæ distinctæ ab intellectu per se tribui solet à nonnullis, homini vel animæ hominis toti tribuere, ita videlicet quòd homo post adhibitum rationis iudicium quod per potentiam intellectiuam facit,porro promouere se possit per vim volendi in quod intellectus monstrauit, vel auertere se ab eo per vim nolendi, idque tanquam liber Dominus actionum suarum. 2. me agnoscere hominem,si rationabiliter eligere velit, semper secuturum practicum rationis iudicium & ita ferè plerunque agere: At eundem tamen eo ipso quia liber est eligere etiam posse quodcunque aliud, vel omnino ab eligendo supersedere, & quidem motu,vel prorsus irrationali & bruto, vel Tyrannico absque omni discretiuo iudicio: Excipe semper obiectum quod sub electionem liberam non cadit, quale est summum bonum. Hoc enim libere non vult homo, neque iudicio rationis ad id volendum determinatur, sed quia obiectum illud quod per mentem repræsentatur tale est vt non possit non amari,idcirco fertur in illud non,vti recte Thomas ait, quatenus est principium electionis, sed quatenus natura est appetitiua tendens in id quod summe sibi conueniens est. His ita positis videamus nunc argumenta nonnulla Cameronis: primum ac præcipuum hoc mihi vitur.

Si voluntas non determinatur à iudicio rationis, aut si illuminato intellectu non flectitur voluntas, appetere poterit voluntas malum sub ratione mali. Voluntas enim feretur in id quod intellectus iudicio malum æstimatur. Nam voluntas per se nihil æstimat, intellectus est iudicare.

Resp. Si iure agere velim dicam hoc argumentum 1. destruere seipsum. Si enim voluntas nihil æstimat, quomodo quæso in malum ferri poterit sub ratione mali? 2. supponit malum ab intellectu apprehensum appetibile esse, aut voluntatem in illud ferri posse, quod absurdum est,sed vt ad rem respondeam; dico 3. Argumenti huius consequentia nulla est si id tantum attendatur quod ante monui, per voluntatem quando ea dicitur se determinare,non tam significari Logice aut Physice ipsam potentiam voluntatis quæ distincta esse dicitur realiter à mente, quàm ipsam animam aut potius ipsum hominem totum qui beneficio intellectus apprehendit obiectum ac iudicat, & beneficio voluntatis tendit in obiectum prout vult, sequendo scilicet rationis iudicium vel non sequendo. Idem enim homo siue eadem anima humana,vti potentiarum principium est, ita etiam subiectum est immediate recipiens in se iudicium per potentiam intelligendi & formans volitionem, id est, determinans se ad sequendum istud iudicium, vel aliter agendum per potentiam volendi.Hic itaque homo non potest dici ferri in malum sub ratione mali si iudicium intellectus de obiecto quod eligendum ipsi offertur in ipso terminetur & ab ipso percipiatur; iudicium enim dictat semper illud fugiendum esse & malum qua tale tam est disconueniens naturæ appetitiuæ vt non possit esse ipsius obiectum.Fons erroris est quod voluntas concipiatur veluti substantia quædam peculiaris quæ seorsim ab anima propria vi sua volitionem elicit, ita vt ab ea sola volitio oriatur,& in ea sola terminetur,cum anima ipsa, aut potius homo totus sit is in quo terminatur intellectio,& à quo prodit volitio: Idē enim homo aut eadem anima recipit in se intellectionem per facultatem intellectiuam,& ea recepta per facultatem volendi tendit in obiectum: Quia vero malum per se tale est vt nō possit esse obiectum voluntatis aut animæ volendi siue appetentis,fieri non potest vt homo aut anima hominis feratur in malū qua tale est, quod videlicet per iudicium mentis suæ malū esse intellexit & æstimauit: Quicquid itaque volet homo, id volet sub ratione boni, siue velit iudicium hoc

siue illud sequi, siue velit in obiectum hoc, siue in illud à iudicio monstratum ferri. Bonum enim qua tale necessario vult, est enim per se appetibile & non potest non appeti: At hoc vel illud bonum appetere (summo semper excepto) ita liberum est homini vt hoc aut illud sæpe appetat, non præcisè quia iudicium ipsius hoc bonum tale bonum esse monstrat quod alteri omni bono præferendum est, sed quando tantùm id monstrat bonum tale esse in quod ferri potest voluntas, siue bonum illud æquale aut par sit alteri bono, siue tale quod inæquale adeoque minùs eligibile omni alio bono est: Ex huius responsionis solida cognitione pleraque Cameronis argumenta nil nisi mera sophismata esse apparebit.

Alterum & multo grauissimum argumentum est, inquit.

Quod sic vera Christi cognitio seiungi poterit à caritate, cum Iohannes Apostolus neget eos qui Deum oderunt aut proximum, vidisse aut cognouisse.

Resp. Profectò non graue nedum grauissimum, sed debile admodum & fragile est hoc argumentum. Cognitio enim vera Christi cum dicitur à Ioanne seiungi non posse à caritate, sensus non est fieri non posse vt quis Christum, id est, Christi mandata verè cognoscat & tamen eum non amet, id est, præceptis eius non obediat, sed planè contrarius, eum qui Christum cognoscit, licet verè eum cognoscat, & qui tamen non facit mandata eius, eodem loco haberi à Deo ac si Christum nullo modo cognosceret. Cognitionem istam theoreticam diuinæ voluntatis non pluris fieri apud Deum, nec plus profuturam ei qui eam habet, quàm si nullam vnquam cognitionem habuisset, quasi dicatur, sola cognitio Christi coniuncta cum caritate est cognitio illa quæ Deo grata est, id est, vere in pretio apud Deum: Notandum enim est in textu non esse adiectiuum illud *vera*: simpliciter affirmatur eos qui mandata Dei aut Christi non faciunt, Deum aut Christum non nosse, non quòd nullo modo aut non verè saltem eum nouerint, quomodo enim alioquin de iis alibi diceretur simpliciter, & in terminis expressis quod Deum cognouerint, quod voluntatem eius nouerint, quòd agnouerint Dominum & seruatorem Iesum, quòd viam iustitiæ cognouerint, &c.? quomodo contra conscientiam suam facere dicerentur, quomodo maioris pœnæ rei fierent? quomodo de iis tam apertè diceretur quod inexcusabiles sint proptereà quòd cum Deum cognouerint, eum tamen vt Deum non glorificauerint: Non itaque ob hanc caussam non nosse Deum dicuntur, sed quod ita Deum & Christum non nouerint vti oportet eos nosse, id est, quia non fecerunt quod sciebant faciendum esse, sed vixerunt tanquam si cognitione omni diuinæ voluntatis caruissent. Verum quidem est, solida Christi & Dei cognitio vehementer potens est ad mouendum voluntatem nostram ad amorem & obsequium ipsorum, sed tantum abest vt ea ità moueat voluntatem vt voluntas non possit non amare & obsequi Christo eiusque mandatis, vt contrà videamus affirmari de iis qui Deum aut Dominum Christum cognouerint, quod Deo non obediuerint, Deum non glorificauerint, à via iustitiæ resilierint, & ab obseruatione mandatorum eius defecerint, aut saltem in ea ità non se gesserint vt non multis modis culpandi fuerint; vide 2. & 3. tantùm caput prioris Epistolæ Ioannis & alia infinita loca Rom. 1. vers. 21. 2. Petr. 2. v. 20. Et sane cum vera cognitio Dei & Christi sit diuinæ voluntatis scientia eaque vel theoretica tantùm licet vera scientia, qua quis scit quid Deus & Christus à nobis postulent, vel practica, quæ fides dicitur, quid est cur non credamus fieri posse vt is qui simpliciter tantum scit voluntatem Dei vel ei etiam credit, non faciat Dei voluntatem vel à faciendo deficiat manente interim sola scientia speculatiua? Nihil. Sed euinco amplius rem hoc argumento. Si vera cognitio Dei & Christi non potest separi à caritate, fieri non potest vt ij in quibus ista locum habet in vllum vel minimum Dei aut Christi præceptum peccent. Ita enim textus habet: *Qui dicit noui eum, & mandata eius non seruat, mendax est.* At si notitia hæc necessariò trahit obseruationem mandatorum post se quomodo fieri potest vt non etiam trahat post se omnium mandatorum omnimodè perfectam obseruationem? vera enim cognitio Christi extendit se ad omnia præcepta. At si vera cognitio caritatem ita necessario post se trahit vt separari ab ea non possit, non magis trahit post se caritatem circa hoc quam circa illud præceptum: Cui adde quod videamus passim Apostolum, eos de quibus affirmat quod Deum & Christum cognouerint, monere & hortari vt ne seducantur, vt ne peccent, vt ne diligant mundum, vt caritatem exerceant, &c. At quid ineptius quam ad ista solicite aut seriò hortari quemquam in quo iam est id quod necessariò coniunctam sibi habet istarum omnium obseruationem? Simulatque necessitatem aut necessariam coniunctionem illorum facis, necesse est vt hortationum vim ac pondus omnino tollas. Dicere enim quòd hortationibus istis foueatur cognitio, non est consequenter loqui. Si enim cognitio illa non est nuda speculatio, sed efficax boni summi cognitio quæ ita voluntatem afficit vt non possit non ei adhærescere, quæ necessitas hortationum, quæ vtilitas? Nihil enim est quod efficaci isti cognitioni vnquam æquari nedum præponderari potest vt hortationibus quominùs id fiat eam foueri opus sit.

Tertium argumentum est, *Si Deus illuminat mentem voluntatemque, interim sibi permittit vt sit penes eam vel annuere, vel abnuere, optima pars prouidentiæ diuinæ tolletur è medio. Nec enim pendebit inclinatio voluntatis à Deo in vtramuis partem, sese enim ipsa flectet quo licebit pro arbitrio nulla moderante diuina prouidentia.*

Resp. Nulla est consequentia in hoc argumento: Supponitur enim absque vlla ratione prouidentiæ diuinæ partem, imò optimam partem esse inclinare voluntatem in vtramuis partem, quod falsum est, aut saltem illud ipsum quod in quæstione versatur. Si enim Deus libertatem istam voluntati nostræ inesse voluit, vt ipsa se se flecteret in quam vellet partem, non tãtum prouidentiæ diuinæ pars nedum pars optima est voluntatem humanam flectere in vtramuis partem, sed prouidentiæ diuinæ planè est cõtrarium illam sic flectere, aut aliter quam secundum naturam suam flectere aut regere. Prouidentiæ enim non est destruere rerum creatarum naturas, sed conseruare ac proinde relinquere ipsis

ipsis motus suos liberos ad quos potentiam ipsis dedit: Alioquin frustra dedisset ipsis potentiam. Neque tamen si voluntas libera statuatur ea libertate quam nos agnoscimus, propterea credendum est hominem diuinæ prouidentiæ subiectum non esse. Hoc ipsum enim quod Deus non velit destruere naturam eius quam liberam & hactenus quasi suo dominio exemtam creauit, sed quod velit eam conseruare & permittere ipsi liberum vsum facultatis concessæ, quodque simulatque mouere se incipit, cogitationes, volitiones ac facta ipsius omnia pro suo arbitrio ordinet, dirigat, puniat &c. prout vult, hoc, inquam, satis est vt prouidentiæ diuinæ exemtus non credatur. Vt autem appareat quousque argumentum hoc vadat, dico, si verum est argumentum hoc, ex eo necessariò sequi non tantum virtutes, sed & peccata omnia ipsa diuina prouidentia tanquam ex caussa sua profluere. Ratio est, quia ab ea & per eam dicitur expresse inclinatio voluntatis fieri debere adeò vt nisi per illam fiat, prouidentię diuinę optima pars tolli dicatur. Iam autem inclinatio voluntatis in malum tam est inclinatio quam inclinatio in bonum. Dicere hîc quod ad inclinationem voluntatis ad malum nulla positiua actio diuinæ prouidentiæ requiratur, sed sola tantum permissio, nimis est friuolum. Primo enim si sola permissio diuina sufficit, iam sequitur hominem eatenus saltem exemtum prouidentiæ quod inclinet sese in malum. Hæc enim inclinatio est sine dubio voluntatis actio, qua vult homo facere, vel non facere quod Deus mandat aut prohibet, saltem non est nihil aut potiùs aliquid est extra nihil. Hoc ipsum itaque non dependet à Deo, sed à sola voluntate hominis, vnde consequitur iuxta Cameronem hactenus saltem diuinæ prouidentiæ hominem exemtum esse. Sed ne in has angustias intrem. Dico 2 friuolum esse hoc argumentum. Permissio enim hæc non est permissio talis vt ea posita maneat adhuc penes voluntatem annuere vel abnuere, sic enim vti Camero ait, optima pars diuinæ prouidentiæ tolleretur eo ipso, quod inclinatio eiusmodi libera non à Deo, sed ab ipsa voluntate hominis suspenderetur, sed est permissio quâ positâ voluntatem in malum inclinari necesse est, sine qua voluntatem in malum non inclinari impossibile est, vti, exempli gratia, permissio qua quis lapidem natura sua grauem super medio ipso leuiore collocat & sic ex alto in terram cadere permittit. Huiusmodi permissio quin ad causam efficientem reducatur aut ei æquipolleat nemo negabit nisi cui sana mens non est: Creare enim rem aliquam cum tali dispositione vt si sibi ipsi relinquatur aut permittatur non possit non in vnam tantum partem vertere aut sese inclinare, & eandem rem creatam deinde sibi permittere, quid aliud est quam velle aut efficere saltem in caussa vt res ista in partem istam vnam se inclinet? Quare qui huiusmodi permissionem diuinæ prouidentię actum appellat quo Deus versatus est post legem datam in paradiso circa hominis adhuc integri & innocentis voluntatem, ne is Deum non authorem tantum sed & solum authorem peccati velit nolit faciat necesse est: Nec euadat Camero vnquam blasphemiam istam quandiu huiusmodi argumentis pugnare pergit. Satis enim ostendit se non tantum de voluntate iam per peccatum corrupta, sed de qualibet voluntate, etiam ea quæ in Adamo in statu integro constituto fuit, agere, quia dubium nullum est quin credat, Adamum in statu isto integro optimæ parti diuinæ prouidentię exemtum non fuisse, quod tamen necessario dicendum ipsi foret si libertatem in voluntate Adami istam quam impugnat, locum habuisse velit, imo quod magis est, dicendum ipsi foret Adami voluntati diuinitatem adscribendam esse, & Deo aut omnino detrahendam omnem de voluntatis ipsius inclinatione præscientiam, aut non nisi incertam relinquendam. Hæc enim sunt absurda illa quibus contra sententiam clariss. D. Tileni pugnat, quæ nisi ad libertatem voluntatis in omni statu euertendam faciant, omnia friuola sunt ac futilia.

Quartum argumentum est, *Sic tolletur omnis consolatio, quod enim Deus in nobis facit non prohibebit quominus non aberremus.*

Resp. Nulla est consequentia, Deus non consolatur nos isto modo, ergo non consolatur nos vllo modo. Fateor quidem magnam futuram consolationem istam quam argumentum indicat, & negare non audeo Deum aliquando extraordinariè huiusmodi consolatione suos imprimis in tentationibus positos & ardenter ipsũ pro auxilio singulari orantes gratiose perfundere, sed inde tamen neutiquam sequitur consolationem nullam locum habere posse, nisi illa agnoscatur: aut istam consolationem ordinariam consolationem esse qua Deus vti vult. Contrarium euinci posse credo duobus argumentis. 1. Si hoc verum esset sequeretur aliam nullam consolationem quàm hanc vnam esse aut dari posse. Deus enim vno tantum hoc modo nos prohibet à peccando vti Camero vult. 2. Consolatio diuina non posset nec deberet dari iis qui officium suum iam fecerunt & à peccando sese sollicite continuerunt, saltem non cum isto respectu quòd officium suum fecerint: Consolaretur enim Deus eos quos consolatus est eadem consolatione, id est, prohibitione à peccando, quæ prohibitio tam habet locũ in principio quàm in medio & fine conuersionis. Atqui scriptura dicit Deum consolari potissimum eos qui officium suum fecerunt aut faciunt, ratione habita sc. ad fidem & pietatem ipsorum. 3. Consolatio hæc diuina non posset coniuncta esse cum seria hortatione & monitione (directâ ad eos quos Deus ita consolatur) vt ipsi officium suum sedulo faciant, vt salutem suam operentur in timore & tremore, vt vocationem & electionem suam firmam faciant & similia. Hoc totum sanè prorsus vanum ac ridiculum foret, si consolatio eorum omnis in eo sita sit quod Deus ipse & solus voluntatem eorum ita inclinet vt non possint aliter agere aut inclinare voluntatem suam. Quis enim sapiens serio hortabitur cum præmiorum promissis & pœnarum minis aliquem vt faciat aut hoc illud, qui ipse in eo efficere id vult quo posito fieri nõ potest vt is aliter agat? Et quis pius credet se à Deo seriò moneri ad officium faciendum qui persuasus est Deum in se id efficere & debere & velle, seque ad id efficiendum aut aliter agendum quàm Deus operatur, vires nullas habere? Vix in hominem vanissimum cadunt huiusmodi ineptiæ: Consolatio interim satis magna nobis

relinquitur dum videlicet Deus voluntatem nostram,vel potius nos naturâ nostrâ liberos & sæpe etiam procliues ad mundana non modò quantum in se est promissis suis erigit,sed etiam in spe vitæ æternæ magis magisque confirmat dum nobis in tentationibus omnibus specialem fauorem & adsistentiam suam pollicetur , imò non raro pacem suam largitur quæ omnem intellectum superat , si modò nos faciamus quod in nobis est & non desimus nobis ipsis, diuinoque auxilio nos ipsos non subtrahamus. Consolatio hæc sufficit aut sufficere nobis iure summo debet contra inconstantiam voluntatis nostræ? Per eam enim constantem voluntatem retinere possumus,per eam nos ipsos,mundum & diabolum vincere possumus imò plusquam vincere. Quare qui consolationem hanc tam apertè tam clare expressim in scripturis vt solis radio scripta dici possit, frustraneam & ridiculam vocat, ille viderit quo iure id faciat: Ego id parum abesse à conuitio in Deum crediderim.

Quintum argumentum est, *Nullus erit exhortationum vsus , ratio est,quia cum voluntas ipsa se determinet , quid faciet exhortatio qua voluntatem non potest ab æquilibrio demouere?*

Resp. Argumentum hoc falsa ista hypothesi laborat quam iam ante indicaui , voluntatem enim considerat tanquam substantiam quandam peculiarem in anima sed ab anima & à mente distinctam , quæ seipsam determinat cœco motu suo , quia rationis capax non est,cum non tam ipsa voluntas quam homo aut anima hominis iudicio informata mediante voluntate,id est facultate sua volendi se determinet. Hinc enim consequitur quod eadem anima quæ hortationes recipit per facultatem intellectricẽ per easdem hortationes moueri possit vt determinare se velit ad id ad quod hortationes tendunt : Hinc liquet quod exhortatio vsum luculentum habere possit in anima hominis propterea quod anima quando per intellectricem vim suam exhortationem percipit , apta redditur vt per potentiam volendi se moueat atque inclinet in partem illam pro qua rationes militant,ita tamen vt pro libertate sibi innata possit nolle moueri , aut in alteram partem moueri siue bruto aut stulto,siue tyrannico motu ferri quo vult nulla habita rationum istarum quas percepit consideratione. Nisi hanc rem concedat Camero, retorquebo contra ipsum argumentum ipsius & eadem ipsum difficultate premam hoc pacto. Si voluntas necessario sequitur iudicium intellectus,nullus exhortationum vsus relinquitur; Ratio est:Exhortatio enim nec ad intellectum nec ad volutnatem fieri aut dirigi potest. Frustra enim horteris intellectum vt intelligat quod proponitur , non potest enim non intelligere verum clare propositum. Consilij & persuasionis vel rationis solius est capax intellectus, at hortationis qua talis nullo modo capax esse potest.Nec ad voluntatem dirigi vlla ratione potest,quia voluntas posito iudicio in intellectu necessariò determinata est ad sequendum iudicium , vt hortatione opus non sit. Et 2. quia si hortatio per rationes fieri dicatur quomodo iis mouebitur voluntas iuxta Cameronem?Voluntas enim non iudicat:voluntas non est capax rationum vllarum, alioquin enim voluntas idem esset quod intellectus. Quid hic respondebit Camero?Necesse vt argumento hoc teipsum non minus stringi fateatur quàm alios stringere tentat,& interim isti intricatus maneat, nisi eâ quam nos indicauimus via se expediat. Et hæc est ratio qua facile soluuntur cætera omnia argumenta Cameronis de gloriatione,de precibus, de gratia, &c. quæ acumen potius aliquod vanum & triuiale quam solidam veritatis scientiam habere mihi videntur , quale est exempli gratia quod de precibus dicit,*Tolletur,*inquit,*vsus precum earum quibus Deum oramus vt flectat voluntatẽ nostram neu nos patiatur induci in tentationem , cum Deus illuminet tantùm mentem & affectus leuiter moueat,voluntati præcipuas partes relinquat*:Totum enim hoc & pleraque alia nituntur hoc vno fundamento quod iam indicaui , quod videlicet voluntas concipiatur veluti cæca & bruta quædam substantia quæ nullo iudicio , nulla ratione sese flectit in quam vult partem : Hinc enim colligit frustrà omnia fieri in anima nostra quamdiu potentia ista indeterminata relinquitur & in partem meliorem non inclinatur :Sed errat vti iam ante monuimus, aut sophisticè potius veritatẽ inuoluit Camero , aliter facturus si ex æquo & bono axioma istud de potentia voluntatis liberæ interpretatus esset,aut saltem axioma illud si ita præcise sumatur,reijciendum potius esse quam veritati apertæ offucias faciennas esse,considerasset: Si enim eo quo dixi modo intelligatur,quomodo quæso vsus precum tollitur?Pone enim voluntatem liberam siue indifferentem esse ac manere in omni statu, id est animam hominis in quocumque statu hîc sit , posse sese inclinare semper in contrariam partem quam iudicium aut Deus monstrat:imò posse nolle animum aduertere ad iudicium aut Dei inspirationem , sed tamen & posse aduertere & si aduertere velit , magnas caussas inde accipere vt in optimam partem sese inclinet, aut post quam sese inclinauit in optimam partem , imò in ea aliquandiu stetit,in eadem perseueret contra varia pericula tentationum , occasionum , irritamentorum, exemplorum,&c. Quid ? an non hoc fundamento strato magnus precum vsus est ? At,inquies,quomodo flectet Deus voluntatem si voluntas ipsa libera semper manet?Resp.iis modis qui cum libertate voluntatis consistere possunt: Atqui, inquies, quid si homo nolit animum aduertere ? Resp. Imò idcirco quia precatur homo Deum vt flectere velit ipsius voluntatem ostendit ac profitetur se paratum iam esse ad animum aduertendum ad consilia & suasiones diuinas. Atqui,inquies, potest tamen semper aliter agere. Resp. Imo vero quia aliter semper potest agere , idcirco orat Deum vt habeat quod retineatur in officio ne potentiam illam liberam quam semper habet in se , in actum velit producere, vtque ita inclinata manere possit in partem optimam quam elegit: Neque tamen nego fieri etiam posse vt Deus immediate flectat voluntatem hominum piorum & ex fide auxilium ipsius implorantium , non quidem per vim , sic enim cogeret voluntatem, quod est impossibile, neque per irresistibilẽ aliquam potentiam , sic enim voluntas libera non esset ac proinde voluntas esse desineret , sed per inclinationem naturæ voluntatis conuenientem, non quatenus principium electionis est,sed quatenus natura est : Hoc enim facere potest Deus sine læ-

ſine læſione naturæ creatæ & in bonum hominis qui vid. officium ſuum fecit & diuino ſingulari auxilio opus habet: Quare nihil obſtat quominus orari poſſit à nobis ſuppliciter Deus vt etiã hoc auxilio iuuare nos velit. Sed quid ego in re plana diutius moror? Quotieſcunque hoc & ſimilia argumẽta à Camerone vrgeri video, toties obſtupeſco pæne; Nulla enim ſunt quæ tam directe cum ipſius Cameronis ſententia pugnant: Obſecro enim, quis vſus precum eſſe poteſt ſi Deus ita ſemper flectere neceſſe habeat voluntatem noſtram vti Camero vult? is enim qui precatur vt Deus flectat voluntatem ipſius: aut voluntatem iam ita inflexam habet aut non. Si non habet voluntatem ita inflexam, neceſſe eſt vt dicatur pro re tam diuina precari ſine tali flexione voluntatis. At hoc non concedet Camero qui precari pro tali flexione à flexione diuina proficiſci debere ſine dubio credit, quia actus iſte precationis, imprimis ſi ex fide fiat, ſine flexione tali eſſe non poteſt, imò quia nullus actus voluntatis eſſe poteſt ſine eiuſmodi præcedanea flexione. Si habet iam voluntatem ita flexam, quid quæſo precatur? An vt Deus eum in illa conſeruet? Atqui illa cognitio efficax ſummi boni per quam Deus inflexit voluntatem ipſius, facit vt nõ poſſit non perſeuerare, imò vt perſuaſus ſit de eo quod Deus ipſum conſeruare velit. neq; vnquã permiſſurus ſit, imò permittere non poſſit vt eã totaliter aut finaliter excidat: An rogat pro augmento? At augmentum nullum poſſibile eſt, Quomodo enim voluntas alicuius flecti amplius poſſit quam ſi ita flectatur vt non poſſit non adhæreſcere ſummo bono? Neceſſarium conſiſtit in indiuiſibili, nec recipit magis aut minus. Neceſſe enim eſt quod nec eſſe aliter poteſt: Certe cuius menti Deus lucem iſtam flectentem ſeu perſuaſiuam indidit, is ſtulte petit à Deo vt flectat voluntatem ipſius. Poſita enim iſta luce non poteſt non flecti voluntas. Quorſum itaque precari Deum vt eam flectat? Ineptiora hæc ſunt quam vt ſerium Theologum deceant.

Plura in præſentiarum non addo quia credo rem ſatis liquere. Quod ſi ſecus tibi videatur, aut ſi quid ſupereſſe credis quod excuſando Cameroni aut ſententiæ eius perſuadendæ facere poſſit, fac quæſo vt id quam primum intelligam. Interim per ſalutem tuam & per ſi quid tibi vnquam carum fuit te obteſtor vt ab huiuſmodi periculoſis & noxiis opinionibus ſedulo tibi caueas, vt ſalutem tuam in timore & tremore operari non deſinas. Magnum ad religioſam ſolicitudinem de officio & ſalute noſtra incitamentũ eſt, credere per nos ſtare poſſe quominus ſaluemur; Et contra ingens ad ſecuritatem aut deſperationem ſtimulus eſt, credere per nos ſtare non poſſe quominus ſaluemur, aut per Deum ſtare quominus ſaluari poſſimus: Vtrumq; præcipitium hoc ſi ſedulo vitaueris nõ parùm in via veritatis & pietatis te profeciſſe intelliges. Vale.

IOHAN. CAMERONIS
RESPONSIO AD PRÆCEDENTEM
Viri docti anonymi Epiſtolam.

PRÆFATIO.

Quiſquis es, Vir docte.

LEGI Epiſtolam ad amicum tuam, in qua, vt ais, meam, *de gratia Dei & libero hominis arbitrio*, ſentẽtiam expendis: quæ ſi non edita in lucem ſed priuatim mecum fuiſſet communicata, ad eam intelligo mihi nonniſi priuatim fuiſſe reſpondendum. Nunc quando aliter euenit, haud fortaſſe id quidem, attamen, vt videtur, tuo conſilio, dabis credo veniam, ſi ad eam publicè reſpondeo. Quod ſi ita facio vt te compellem, amabo te per animi Chriſtiani candorem, ne tu id procaciam potius & audaciam quàm officium meum ſtudiumque tui ininterpretere. Nam diſſentire etiam ſolent boni viri, odiſſe nulli niſi mali; Nimirum illud eſt aliquando infirmitatis humanæ; hoc ſemper fuit belluinæ immanitatis & ſæuitiæ argumentum. Quamuis, vt arbitror, non erit hac in parte apud te magnopere opus excuſatione. Non enim, puto, ignoras multo magis ingenuum eſſe & liberale adire atque alloqui qui cũ tibi res ſit, quàm obliquè, idque à tergo, adoriri. Ita verò reſpondebo vt illa præteream quæ tu in Epiſtolæ tuæ initio ſtatim commemoraſti; non quòd ea agnoſcam vel probem, ſed quia verè ne an ſecus amicus ille tuus ad te ſcripſerit, adeoque iure ne tu an iniuriâ id quidquid eſt mirere; id verò ad controuerſiam quæ tibi mecum eſt, parum aut ſanè nihil intereſt. At illa certè quæ ſequuntur haud quaquam prætereo, cuiuſmodi ſunt illa, quod ſententiam meam proponis, quod eam expendis, &, quantum quidem in te ſitum eſt, refellis. Hæc ſunt quæ ſola mihi veniunt conſideranda, nempe in quibus tota diſputatio verſatur. Nam quę inuidioſè de fatali neceſſitate interieciſti, ea à me iam pridem confutata ſunt, & verò poſthac refellentur. Vide autem quid in meæ ſententiæ explicatione deſiderem. Tu meam facis eam, non quaſi

in ea sim duntaxat (quo nomine eam esse meam lubens agnosco, imò verò glorior in Domino) sed tanquam si ea vel authorem me haberet, vel certè præcipuum vindicem & assertorem, quæ Philosophorum omnium, quotquot vllius nominis sunt, & grauissimorum Theologorum eadem est, (vt faxo intelligas,) sententia. Deinde verò & id offendit nonnihil, quod tu eam etsi candidè proponis, tamen quasi metueres ne nuda veritas lectoris animum afficeret, ais te eam *potuisse odiosè proponere.* Obsecro te, potuistin' id facere conscientiâ integrâ & saluâ functus officio boni viri? Certè non potuisti. Ego profectò non dixerim potuisse me in te mentiri (quis enim de eo dubitet?) sed noluisse ne in Deum, ne aduersus te, ne in me adeò peccarem. Aliud certè est odiosam aduersarij proponere sententiam, aliud eam proponere odiosè. Re vt hæc sunt distincta & oratione distinguenda sunt, sequitur nempe rē oratio, illud veritas exigit, & veritatis studiosi præstant sedulò & accuratè: hoc nemo facit qui non sit idem κακοήθης & malignus. Non vis credo à me tibi gratiam deberi, quòd te statim initio huius disputationis haud præbueris virum malum. Nam quod testaris noluisse te in eo *multorum sequi exemplū ipsiusq; mei adeò, qui soleam, cùm aduersariorum sententiam confutaturus sum, odiosis terminis eam proponere vt damnabilis videatur antequam cur damnanda sit videatur.* Quæso te, vir docte, quisquis es, qui non vis odiosè proponere sententiā meam, qui non vis eam videri damnabilem antequam cur damnanda sit videatur, quorsum hæc tam odiosè? hî certè in te constantiam requiro, vt tuis vtar verbis, *Præiudicium sit* hac arte *lectori simul & veritati,* à quo tu immane quantum te profiteris abhorrere. Sed patere, rogo, me tecū agere sine contumeliâ paulo liberiùs. Nego id à me factum, aio id à te pro ingenio confictum. Questus est semel D. Tilenus, quæ viri grandiloquentia est, à me repetente ipsius argumenta delumbari; quo iure, lectoris æqui iudicium est. At in statu controuersiæ constituendo profectò candorem, æquitatem, integritatem nunquam se testatus est in me desiderare. Tuæ certè vel prudentiæ vel humanitatis fuit, sicubi secus feci id notasse, ne me temerè accusasse potius quàm iure peregisse reum viderere. Si hoc apud amicū non fuit opus, accusasse me apud amicum, qui hanc criminationem tuam esset euulgaturus, id verò certè facto multo minus opus fuit. Nolo istud exagitare quamuis id possem, & quidem iure, nolo recriminari; quin potius, quando tu tibi id gratiæ apponi postulas quod meam sententiam non proposueris odiosè. En tibi habeo gratiam. Ais deinde speciosam videri sententiam meam, sed si eam propiùs tecum amicus tuus inspiciat, te facturū vt videat quàm sit absurda & vana. Quod videtur speciosa, hactenus quidem bene est, neque enim æquè mendacio ac veritati conuenit vt speciem habeat veritatis, videamus iam an etiam rem habeat id in quo tu ipse rei speciem agnoscis. Hîc verò tu disputationis filum abrumpis, ac damnatâ (causâ nondum cognitâ) statim initio sententiâ meâ, studes tibi præiudiciis viam ad iustam & legitimam accusationem munire. Itaque me committis cum Synodo Dordracena, Aleziana & Charentonensi; callidè tu quidem istud atque ex arte, an pari candore nouit Deus, nouit etiam mens tua. Nam si ab illis Synodis dissentio, (ego verò non dissentio) de eo non fuit hic locus admonendi amicum tuum, debuit id & reijci potuit in finem disputationis: Omnib. enim preponenda veritas est. Aut si tu hinc disputationem ordiri maluisti, cur ante, & quidem in proximo, denunciasti te facturum vt videat amicus tuus, quàm sit mea, quam vocas sententia absurda & vana? Tune is es qui arbitrere quicquid Synodis illis reiectum est esse idem absurdum & vanum? Vtinam; ego quidem certè sic arbitror. At faxo, quando tu eò me vocas, vt omnes videant quàm est inuidiosa, tam esse leuem & vanam accusationem tuam. Sic igitur habe.

CAP. I.

Nihil habent articuli Synodi quod repugnet sententiæ Cameronis.

MIsi ad Clar. virum Festum Hommium; (is qui sit, & quàm grauis testis in hac causa, facilè vident omnes, vt qui Synodo penè præfuit, non interfuit modò: qui vestium impetum difficillimis, luctuosissimis, pessimis temporibus, sapientiâ, constantiâ, doctrinâ & sanctissimorum motū exemplo, repressit & fregit) Misi, inquam, ad eum, tantum & talem virum, interea dum Synodus Dordracena haberetur, Theses illas meas vnà cum prælectionibus, quarum tu toties tamq; odiosè meminisiti, patribus Synodi reddendas; accipe iam quid responderit.

Reuerendo, Doctissimo, & Clarissimo viro, D. Ioh. Cameroni, SS. Theol. in Academia Salmuriensi Professori solertissimo. Salmuriū.

CLarissime Vir,

Gratissimum mihi fuit munus tuum, quod superiore hyeme, cum Dordrechti Synodū celebraremus opportuno tēpore ad me misisti. Sarcinula librorū aliquot mensib. Nannetibus relicta fuerat; & demum sub ipsum Theologorum exterorum discessum ad me perlata fuit. Tradidi omnibus quib. inscripti erant, suos; simulq; reliquos inter Theologos tum exteros, tum nostrates, distribui. Exterorū iudicia non licuit intelligere, quia iam in procinctu erant cùm libri tui iis distribuerentur, nec perlegendi otium fuerat. Qui inter nostrates perlegerunt, exosculantur insignia, quibus te Deus ad Ecclesiæ suæ edificationē ornauit, dona eruditionis & acuminis singularis, gaudéntque te Cl. viro D. Gomaro, vt functione illa dignissimum esse sufficctum. Ecclesiisq; Gallicanis hac in parte gratulantur. Nonnullos quidem offendere videbatur quod conuersionem hominis per solam moralem suasionem fieri statuas, cùm hoc à Remonstrantium sententiâ non videatur multum abludere; sed cùm explicatio addita accuratius expensa fuit, viderunt facilè te à Remonstrantium sentētia tantum distare quantū cœlum à terrâ. Quod ad me autem attinet, nihil obseruaui quod ab orthodoxiâ, etiam illâ quæ in Synodo nostra nuper declarata fuit, abire videatur, quin admiratus fui atque exosculatus ingenij tui ἀγχίνοιαν in difficillimæ istius materiæ tam dextra, solida & perspicua explicatione; Amicitiam quam offers ambabus amplector vlnis, latórque ex animo Deum tam præstantium virorum animos mihi conciliare. Eius officia spero nos, non sine Ecclesiarum bono fructúque sæpius commutaturos. Iuuenem illum popularem tuum, qui suis se virtutibus abundè commendat, habebo mihi commen-

commendatissimum, neque patiar ei vlla de fore officia quæ à me proficisci poterunt. Præstantissimo Heroi D. Plessæo Reformatarum Ecclesiarum columini atque ornamento, salutem velim quàm officiosissimam impertiri meo nomine digneris; vti quoque D. Bouchereilo, Capello, & collegis reliquis. Occupamur nunc in edendis actis Synodicis, quæ hisce nundinis prodibunt. Vale, Vir doctissime, & quod facis, me amare perge. Lugd Bat. XVII. *Mart.* M. DCXX. *Tuus omni officio.*

FESTIVS HOMMIVS.

Quid? Tune iam aies te eo melius & rectius Synodi mentē intelligere, aut tibi potius quā illi habendā fidē; qui cùm hanc de meis Thesib. sententiam pronōciauit, tota Synodus eam pronūciasse (ea viri fides & authoritas est) debet videri. Sed fortassis ego callidus veterator, in Thesibus, in Prælectionib. Salmurianis, quæ fuerit sententia mea dissimulaui, quam in Collatione cum Clariss. Tileno aperui, accipe igitur quid is & de ea censuerit.

Reuer. Clariss. & Doctiss. viro D. Iohan. Cameroni SS. Theol. Professori celeberrimo. Londinum.

REu. & Clarissime vir,

Quod prioribus literis tuis non responderim factum fuit, quia Disputationis tuæ exemplar ad nos iam perlatum erat, cùm literæ traderentur, quib. rationem tutò mittendi à nobis monstrari petebas. Non defuissemus alioquin officio, quod & tibi gratum & Ecclesiæ vtile futurum non poteramus ignorare. Disputatio tua postquàm à facultate Theologica diligenter hic perlecta fuit, tradita simul fuit diligenti & accurato typographo, qui sumptibus librarij Salmuriensis eam typis hîc describit, & quatuordecim scilicet folia iam absoluit. Speramus paratam fore editionem proximis Nundinis vernalibus. Non sine singulari Dei prouidentia concertationem illam obuenisse cum isto homine tibi, viro vndequaque eruditissimo, arbitramur, & Ecclesiæ Dei seriò gratulamur. Magno enim gaudio Remonstrantes triumphabant, cùm virum istum, eruditionis nomine adeò celebrem, in partes suas pertraxissent: neque dubito quia iidem, vbi hanc disputationem tuam nacti aliquando fuerint, non minus sint deploraturi infelicem hanc eius pro ipsorum causa concertationem. Ecclesiis certè nostris optimam gratissimámque nauasti hic operam, pro qua, vbi in manus peruenerit hoc scriptum, pios omnes atque eruditos gratias certatim acturos esse ingentes nullus dubito. Perge, Vir præstantissime, de Ecclesiis orthodoxis, veritatem diuinam ita solidè asserendo vindicandoque tam præclare mereri. Tametsi deploranda Ecclesiarum Gallicanarum calamitas te ab ista statione tua nuper deturbauit, non dubitamus quin ille, qui tot tantisque donis egregiis tam cumulate te ornauit, aliam breui procuraturus sit, in qua eorundem vsus sit futurus & fructus. Interea clementissimus ille Deus te Ecclesiæ suæ quam diutissime incolumem conseruet: Raptim Lugd. Bat. XXV. *Ian. Ann.* M. DCXXII. *Tibi ex animo addictissimus* FESTVS HOMMIVS. *Coll. Theolog. Illustr. D.D. Ord. Regens.*

Audi etiam quod fuerit Alezianæ Synodi de me, déque meâ sententia, Iudicium.

Excerpta ex Actis Synodi Alezianæ.

Q*Vod Iohannes Camero à Senatu Academiæ Salmuriensis ad Professoris munus obeundum, ex decreto Synodi Andegauensis, vocatus, ab eodem Senatu in Professorum Sacræ Theol. ordinem cooptatus est, intercedente Synodo Pictauiensi; Synodumque nationalem prouocante: Auditis hinc Synodi Pictauiensis legatis, intercessionis, prouocationisque suæ rationem reddentibus, inde legatis Synodi Andegauensis tam Prouinciæ quàm Academiæ vicem gerentibus; Et Dom. Vignerio, vt qui vnà cum Dom. Buissonerio & D. Placeo acciti è vicinis Prouinciis ad examen Ioh. Cameronis fuere; de ea re Synodus sic statuit. Synodum quidem Pictauiensem non nisi pio zelo cōmotam intercessisse, cæterùm quæ gesta sunt à Prouincia Andegauensi, Academia Salmuriensi, & Legatis Synodi Andegauensis, approbat, & rata habet. Vocationemque Iohan. Cameronis ad S. Theologiæ professionem rite legitiméque factam pronunciat.*

Quod Academia Salmuriensis, Illustrissimi viri D. Plessiaci Marliani literis commendata, petit vt ne Cameroni successor detur; Lectis Ecclesiæ Burdigalensis literis, auditoque Dom. Iolio causam Ecclesiæ Burdigalensis agente, quæ Cameronem Pastorem suum sibi reddi petebat; simul audito D. Primaso, Legato Aquitaniæ inferioris, qui Cameronis ipsius verbis id ipsum rogabat; de ea re Synodus sic statuit. Ministerium Iohannis Cameronis ad Ecclesiam Burdigalensem iure pertinere: cæterùm cùm in necessitate Academiæ Salmuriensis omnium Ecclesiarum res agatur, iubet Cameronem in obeundo munere perstare donec Synodus denuò habeatur, hortaturque Ecclesiam Burdigalensem ne id ægrè ferat.

Iam verò si libet intelligere quę à Cōcilio Ecclesiastico & Academico, ad examinandos S. Theolog. Professores Salmurij habito, gesta fuēre, approbataque & rata habita à Synodo Alezianâ, id cognosces ex illius Concilij actis.

Nā de Charentonēsi Synodo nihil attinet dicere, quid ea de me, deq; hoc quod tu vocas meū dogma, iudicarit, totā Galliā id verò sanè notissimū est. Hìc tu tot graues viros vel tā hebeti dices ingenio fuisse, vt quos probarūt, quos ediderūt pro suis, eius Synodi Canones nō intellexerint? aut si intellexerūt, adeò fuisse malos, adeò imprudētes, vt me paterentur aut vellent in Gallia, sententiā meā nō retractata, in Scholis, pro cōcione, publicè docere? Duræ nimis & perfrictę frōtis is foret qui id affirmet. At verò *tu rem ipsam probas*, quomodo autem plerique Ministri meam sentētiam probare potuerint qui Synodis istis subscripserūt, adeóq; ego bona fide potuerī subscribere, id Deo relinquis. Qui tam agit cōfidenter eūm oportuit *αὐτολέξει*, vel certè pænè *αὐτολέξει*, sententiam meam in Synodi articulis ostēdere vel improbatam vel damnatam. Id tu non facis; tantùm verò adhibes tormenta ingeniosa, ū supra modū, volo intelligi fallacissimarū, consequentiarum, atque his fidiculis Synodo Dordracenæ extorquere satagis, vt me damnet. Nam quod ea agnoscit, *Deum non illuminare tantùm potenter mentem electorum, vt rectè intelligant & dijudicent quæ sunt spiritus Dei, sed eiusdem etiam spiritus regenerationis efficaciâ ad intima hominis penetrare cor clausum aperire, durum emollire præputiatum circumcidere*, quem tu locum primò notas, quid facit id ad litem quæ tibi iam mecum est? An ego censeo Dei vim illam, suauem & vehementem quod attinet ad efficaciam, sed leni tamen motu, & ingenio nostro accommodatissimo, illabentem, quam exerit in electis,

hærere in eorum mente, nec vltra tendere, non penetrare potentissimè, inuictissimè, suauissimè tamen, ad intima hominis, non aperire cor clausum?&c. Atqui hoc vnū Synodus damnat. Certè illud *non tantùm* excludit illuminationis vim, quā vos indigetastis, resistibilem in voluntate, nempe aduersus vos ista dicuntur, qui mentis illam potentem illuminationē non vultis ipsam adeò afficere volūtatem & affectus omnes, vt obedientia, vt noua vita, statim sequatur; doceris nimirum mentem ita à Deo renouari, & affectus componi & sedari, etiam in iis qui regenerātur, vt potuerit non secuta fuisse regeneratio. Mea sententia diuersissima est & cōtraria, sic enim statuo thesi 10. *Satis hæc euidenter ostendūt spiritûs in vocatione partes esse dantis, hominis qui vocatur accipientis duntaxat, nullamq; in hoc negotio interuenire virium humanarū cooperationem, nullum gratiæ & liberi arbitrij cōcursum, qui quidem possit efficere vt sociæ causæ locum obtineat, cùm tamē moueri à gratia liberū arbitriū necesse sit, sed motu,* VT ITA LOQVAR, *Ethico non physico, qui motus tamen sit tam efficax quàm si physicus foret: Neque enim animo percipi potest quo pacto liberum arbitrium (quod principium ethicum est) aliter quàm ethicè moueri possit, quamuis agnita boni specie non possit non commoueri, eoq; vehementiùs quo illustrior est & nobilior species obiecta.* Notas 2. Sinodum statuere *voluntati nouas infundi qualitates*; Egone id nego qui doceo à fide charitatem non posse seiungi, hanc illius esse indiuiduam sobolem & prolem? Quid? tibi charitas nō videtur qualitas noua, aut voluntas tibi non videtur eius sedes? Ac docet quidem certè Synodus voluntati nouas infundi qualitates; ego verò id ipsum sentio: at non docet eadem continuò eas qualitates à fide non proficisci, quæ tamen ipsa haud dubiè qualitas est & virtus mentis; hoc, inquam, Synodus non docet. Docet quidem renouari à Deo non mentem tantum, sed etiam volūtatem, an cum vel sine σχέσει quadam, atque ita vt volūtatis renouatio à mentis renouatione tanquā effectum à causâ haud pendeat, hoc verò iam Synodus non definit. Itaque non æquipollent, vt tu statuis, hę locutiones. *Deus non tantùm illuminat mētem eorum quos vocat efficaciter potenter per Spiritū sanctum, sed etiam nouas infundit qualitates*, & ista, *nō satis esse ad conuertendum hominem illuminari mentem ipsius, sed necessē est etiam vt voluntas ipsius interne & immediatè regenerentur* Hoc *immediatè* tuum est, Synodus nō agnoscit. Sed hæ quidem, fateor, propositiones sunt æquipollentes; Deus non tantùm illuminat mentem, sed etiam infundit nouas qualitates in voluntate: Ergo vt sequatur conuersio, necesse est vt Dei spiritus non modò mentem afficiat sed ipsam etiam voluntatem. Hæ quidem, inquam, enunciationes eædem sunt, meæ verò sententiæ, quæ sic statuit vt dixi, vtraque consentanea est.

Profers 3. eiusdem Synodi Art. 12. sed optima sui parte detruncatum & mutilum; Eum ego hic adscribā integrum, quia aureus est, & ausim dicere, pæne ipsissima Spiritus S. vox, ipsa dignus immortalitate, quiq; nō ęri aut marmori sed insculptus cordi & infixus stet in ęternū, *Atq; hæc est illa tātopere in scripturis prædicata regeneratio, noua creatio, suscitatio è mortuis & viuificatio quā Deus sine nobis in nobis operatur. Ea autem neutiquā fit per solā forinsecus insonantem doctrinam, moralem suasionem, vel talē operandi rationem, vt post Dei (quo ad ipsum) operationē in hominis potestate maneat regenerari vel non regenerari, conuerti vel non conuerti, sed est planè supernaturalis, potentissima simul & suauissima, mirabilis, arcana, & ineffabilis operatio, virtute sua secundum scripturam (quæ ab authore eius operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorū resuscitatione minor aut inferior, adeo vt omnes illi in quorum cordib. admirādo hoc modo Deus operatur, certò, infallibiliter, & efficaciter regenerentur & actu credant. Atque tum voluntas iam renouata non tantùm agitur & mouetur à Deo, sed à Deo acta agit & ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam istam acceptam, credere & resipiscere rectè dicitur.*

Quæso te iam, Vir docte (intende quantum potes mentis aciem) videsne hîc quicquam quod cum mea, vel in speciem, pugnet sententia? Sanè qui vacant affectibus, oculatissimi sint licet, nil tale quicquam hic cernunt, sed contra, consona omnia & planè gemina. Tu illa tamen verba notasti, *per moralem suasionem*, quia verò deerat, vt tu vis, discretiua cōiunctio in editione Latina, Gallicam accersis in subsidium. *Hic* quippe ais *Synodi Gallicæ canones post Synodum Charentonensem editi, magis emphaticè sonant.* Atq; hîc iubes notare amicum tuum in hisce articulis discretiuam locutionem *ou*; id quod facit vt ego probabili certè cōiectura suspicer te non esse hominem Gallum; absit enim vt putem te virum doctum linguæ patriæ idiotismi rationem nō tenere. Nam si nescis, patiare quæso te moneri, ex vsu Gallicæ linguæ coniunctio *ou* non est rei discretiua tantùm, vt loquuntur, sed sępe etiam vocabuli, adeoq; vt ita loquar, explicatiua, ἐπεξηγητική. Et certè forinsecus insonans doctrina nihil aliud Synodo quàm *moralis suasio* est. Ideoque in Latina editione particula *vel* sequitur illa verba *forinsecus insonās doctrina*, nō ea præcedit, vt quæ ἀσυνδέτως cum præcedentib. cohærent ad hunc modum, *Ea autem* (Regeneratio) *neutiquam per solam forinsecus insonantem doctrinam,* (nullum hic est *aut*) *moralem suasionem, vel talem operandi rationem, vt post Dei (quoad ipsum) operationē, in hominis potestate maneat regenerari vel nō regenerari.* Tu verò iā audi, & expensor atq; arbiter sententiæ meæ tuere partes tuas. Eam verò sententiam, vt tu dicis, meam ego clarissimè explicaui in prælectionis quam promouendus ad professoris munus Salm. priorem habui ad hunc modum, *Denique, vt concludatur tandem ista propositio, eodem pacto charitatem in nobis efficit Deus in hac vita quo efficiet in futura, charitas enim manebit specie eadem, etsi nō gradu. Atqui in vita futura sic efficiet vt amemus, vt fieri nō possit vt non amemus; itaq; pro* gratiæ modulo, *idipsum in hac vita facit. Hæc est illa inscriptio legis Dei nō in tabulis lapideis, sed cordis carneis tabulis. Sic facit Deus quod promisit vt ambulemus in statutis eius. 2. propositio hæc esto. Deus ista omnia facit persuadēdo. Motus hic Dei persuasio est, sed potentissima, valētissima, efficacissima, qua* voluntas inclinatur, flectitur, ducitur, rapitur *denique. Vnde illa, persuadeat Dominus Iaphetum vt habitet in tentoriis Scemi.* (Gen. 9. 18.) *Item, Ecce ego persuasi ei (seu pellexi eam) & deduxi eam in deserto, & locutus sum secundum eius cor: Præcesserant illa, & visitabo, &c. Item, Persuasisti mihi domine (vel pellexisti me) & pellectus sum.* (Osee 2. 3. Ierem. 20. 7.) *Vide autem vim persuasionis huius; vim, inquit continuo, attulisti mihi, & superior euasisti.*

Tu iam ista compositus & sedatus cū hoc Articulo modò contende, nec dubito quin te pœniteat seu accusationis seu criminationis tuę, an nō etiam te debeat pudere, tu videris, nā legeras tu quidem illas prælectiones, idque in hac Epistola tua

tuâ apud Amicum non agnoscis modò, sed eundem locum designasti, quem ego integrum supra adduxi. Tu tamen sic pergis, noluisti enim videri nihil dixisse, *Hisce articulis*, ais (nimirum cap. 3. Synod. Dord. 11. & 12.) *disertè contrauenire Cameronis sententiam quis non videt? Regenerationem enim per solam persuasionem quam motum Ethicum appellat, fieri passim vult, adeo vt dicat non tantum Thesi 3. in Collatione cum Tileno statim in initio, fidem proficisci ab illuminatione Spiritus Sancti, sed etiam animo percipi non posse quo pacto liberum arbitrium, quod principium Ethicum est, aliter quam Ethicè moueri possit.*

Quid? tibi iam hæc bella consequentia videtur, Regenerationem Camero vult fieri per persuasionem, ergo vult eam esse per eam quam vocant Moralem suasionem? Tibi quidem hæc idem sonant, differunt tantum euentu, nam suasio tibi eadem persuasio est, sed simpliciter suasio appellata cum successu caret; persuasio si sequatur, etsi non necessariò sed ex euentu tantum, effectû: Mea ratio diuersa est, vt liquet ex iis prælectionum mearum locis quos ipse tu notasti, ego autem supra posui. At enim *persuasionem ego motũ Ethicum passim appello.* Profectò te quisquis es, Vir docte, oportet esse nimis negligentem, non enim libet in te quicquam grauius dicere. Bis memini in Thesibus motûs Ethici, in prælectionibus semel. Ac 1. quidem in Thesi 10. his verbis, *sed motu, vt ita dicam, Ethico*; Videsne vt duram locutionem studuerim emollire? Deinde Thesi 28. his verbis: *Itaque illa voluntatis humanæ determinatio, eius naturam non destruit, sed conseruat & ornat; neque enim Physica est a principiis Physicis profecta; sed Ethica pendens a iudicio & ratione. Nempe, vt finis nõ potest nõ appeti, (cum tamen sponte & voluntariè appetatur) ita nec quæ ad finem tendunt respuit voluntas aut potest respuere, comprehensa semel atque agnita. Sanè qui metam seriò cupit contingere, eũ necesse est velle etiam seriò cursu defungi, sine quo ad metam peruenire non potest.* Atque hic iterum nulla emollitione fuit opus, vt qua iam fueram vsus, quamque addita statim (vt in Scholis loquuntur) nominis definitione, *pendens à iudicio & ratione*, superuacaneam effeci. Postremò in priori prælectione pag. 343. 344. tantũ non damno vtrumq; Motus Physici, Motus Ethici vocabulum, tantum ostendo vtrum mihi rei minus disconuenire videatur; recognosce verba mea & expende Ac optandum quidem esset rem tam claram, clarè in Ecclesia proponi, & sine vlla verborum nouitate quæ obscuritatem parit: sed quoniam res aliter se habet, & nobis quid de vocabulis, quibus hic motus in Scholis designatur, sentiamus aliquid est dicendum, omnium si fieri potest, bona cum venia & pace. Hunc motum alij Physicum, alij Ethicum dicunt, nos magis propriè Ethicum quàm Physicum appellari posse putamus: non quod ab eorum mente, qui Physicum eum vocant, dissentiamus, sed quia eorum menti exprimendæ hæc vox non modò visa est parum commoda, sed etiam eam reddere calumniæ vehementer obnoxiam. Qui enim motum Physicum dici audit, quid aliud statim significari putabit, quàm motum brutum, qualis est pecudum, quæ appetitu ducuntur, aut lapidum, qui feruntur deorsum impetu quodam naturæ quæ sui nescia est? At qui Ethicum motum persuasionem istam vocabit, & ansam calumniæ præcidet, & rem appositè significabit. Non sumus interim nescij nouos Semipelagianos suasionem illam etiam motum Ethicum vocare, sed certè suasio, si nihil aliud quàm suasio est, non etiam persuasio, haud mouet, quin, mens immota manet lachrymæ voluuntur inanes. Cæterum in Amica collatione cum Cl. Tileno vtriusque vocabuli altum silentium. Erat ne igitur hîc (te ipsum iam appello iudicem, arbiter sententiæ meæ) iusta & idonea causa cur tu scriberes, me *passim* persuasionem motum Ethicum appellare, qui ter tantum, pænè dixerim fastidiosè, eam adhibuerim nomenclaturam? Coactus scilicet importunitate vestra (qui his vocabulis abuti soletis vel ad causæ vestræ fauorem, vel ad nostræ inuidiam conflandam) volui amoliri à nobis odiosorum vocabulorum inuidiam, rem ipsam (quia Dei res est) retinere; nam vocabula certè hominum sunt pro instituto rebus imposita: volui sententiæ vestræ (quæ reuera bonis omnibus odiosa est) honestam vestem detrahere, adeoque illius iam nudæ fœditatem omnibus, si quâ possem, ob oculos constituere. Fac tamen me passim persuasionem illam, per quam fit Regeneratio, motum Ethicum vocitasse, quod ego nec feci, neque sane à me factum vellem, quid tum verò postea? An sic tibi Viro docto licet colligere, Camero persuasionem illam, per quam fit Regeneratio, motum Ethicum passim appellat: Ergo Cameroni persuasio ea, per quam fit Regeneratio, est suasio moralis quam damnat Synodus Dordracena, damnat Aleziana, damnat Charentoniana, addo & ego, damnat ipse Camero, & quidem disertis verbis, Vide etiam quibus verbis, Mihi enim hæc sententia altius animo insedit, excidisse Christo qui voluntati humanæ, & viribus arbitrij liberi, vel minimum in negotio salutis tribuunt, qui Spiritui Dei solas suadendi partes relinquunt, nec aliter eum in suis quàm in hypocritis agere contendunt. Aut ego te non noui aut ad hęc erubuisti. At dico *inquis*, non tantum (Thesi 3. in collatione habita cum Tileno statim in initio) fidem proficisci ab illuminatione Spiritus Sancti, sed etiam animo percipi non posse quo pacto liberum arbitrium, quod principium Ethicum est, aliter quàm Ethicè moueri possit, Verba sunt ipsius Cameronis expressa in Thesi 10. ipsius de efficacia gratiæ Dei: quæ clariora adhuc vide pag 343. 344. prælectionis ipsius prioris habitæ Salmurij xi. Augusti ibid. & per totam cum D. Tileno habitam Collationem. Sunt illa quidem verba mea (vt tu loqueris) expressa, sed quæ te nil agere demonstrant, qui vis efficere ex iis verbis quibus sententiam vestram de suasione morali apertè damno, quibus doceo nomen motus Ethici non vsque quaque conuenire, quamuis eam denominationem appositam statuerim si conferatur cum motus Physici appellatione; qui hinc, inquam, vis efficere persuasionem, quam ego volo esse Regenerationis nostræ causam, esse eandem vestram illam suasionem moralem. Vis dicam quod sentio? non videris seriò agere hanc causam; sed re neglectâ verbis ludere, vt pueri orbiculos æneos aureorum numismatum titulo insignitos ostentant. Sed cùm non satis præsidij ad hanc causam in hoc positum videres, quod ego ter motus Ethici vocabulo vsus, tàm rarò id fecerim, tàmque pænè dedignanter; neque verò etiam si (vt tu autumas) ego passim

Ep. ad Illustr. Hess.

» vsus fuissem, te quicquam promouere; dum me » studes cum Synodo committere, aliò te confers. » Et sanè, *inquis*, rei natura docet necesse esse vt Camero diuersum ab his articulis sentiat: si enim voluntas necessariò sequitur iudicium rationis adeo vt non possit non illud sequi, nihil amplius ad Regenerationem hominis requiritur quàm Reformatio iudicij istius, siue persuasio quæ in mente fit. Ea enim non minus necessariò post se trahit voluntatem quàm magnes ferrum. Verùm ne quid dubites vide Thesin ipsius 28. vbi ita loquitur, itaque ista voluntatis humanæ determinatio eius naturam non destruit, sed conseruat & ornat: neque enim Physica est, & à principiis Physicis profecta; sed Ethica pendens à iudicio & ratione, nempe vt finis non potest non appeti (cum tamen spontè & voluntariè appetatur) ita nec quæ ad finem tendunt respuit voluntas, aut potest respuere, comprehensa semel atque agnita.

Tu verò semper, quod aiunt, eadem oberras chorda: Nam ego quidem affirmo, & verò passim doceo, voluntatem necessariò sequi iudicium rationis in bono, sed rationis plenè illuminatæ à Spiritu Sancto. Hoc verò *plenè* quæso ne συκοφαντείσθω; nam mihi ea demum plena est illuminatio quæ voluntatem trahit, non vt ferrum magnes vt tu scripsisti nimis odiosè; (apage sis, motus hic merè Physicus sine sensu est, sine ratione, itaque nullo modo Ethicus est) sed vt pulchri species amorem conciliat. At num dixi vsquam motum istum esse vestram suasionem Moralem, quam Synodus Dordracena reiecit? non id exsertè negaui? Certè qui id neget eum vel oportet esse admodum oscitantem, vel mente captum, vel durissimi oris, si modò scripta mea legit.

CAPVT II.

Non est à Synodo damnata Cameronis sententia.

» PRimum impetum tuum arbitror me retudisse; Benè habet, ad reliqua hoc mihi & veritati bonum omen est. Perge. At verò Synodus damnauit (quod probandum tibi sumpseras) Cameronis opinionem. Ecce enim diserta verba, in reiectione errorum circa tertium & quartum caput Articulo 2. & 3. Articulus 2. ita habet.

» Damnamus eos qui docent dona spiritualia, siue habitus bonos & virtutes (vt sunt bonitas, sanctitas, iustitia) in voluntate hominis, cum primum crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari.

» Articulus tertius ita habet.

» Damnamus eos qui docent dona spiritualia nō esse in morte spirituali ab hominis in voluntate separata, cùm ea (NB.) in sese nunquam corrupta fuerit, sed tantum per tenebras mentis & affectuum inordinationem impedita &c.

» Hisce articulis damnatam esse Cameronis sententiam nulli sapienti dubium videri potest: Etenim ex sententia ipsius necessariò consequi dona spiritualia in voluntate hominis primum creati locum non habuisse, nec habere potuisse, tam clarum est, quàm clarum est bis duo esse quatuor: Non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate at nulla necessitas cogit Cameronem statuere dona spiritualia in ipsam hominis voluntatem infusa fuisse, si voluntas necessariò determinatur à iudicio rationis practico: Quorsum enim, exempli gratiâ, donum iustitiæ in voluntate, & sanctitatis in affectibus, si solum lumen intellectus practici non modò sufficit ad voluntatem impellendam, vt iustè & iusta agat, ad affectus in ordinem redigendos, vt sancti sint, sed tum hos, tum illam, vi sua ad iustè & sanctè agendum necessitat? tantum abest vt dona eiusmodi in facultates illas infundi necessarium fuisse Camero credere possit, si consequenter loqui velit, vt contra superfluum & frustra id futurum fuisse, necessariò credere debeat.

Hactenus tu. *Sic* igitur colligis, qui statuit voluntatem sequi necessariò iudicium rationis *plenè* illuminatæ, eum negare necesse est dona infusa, sanctitatem & iustitiam, in voluntate hominis locum habere potuisse; quod Synodus damnat: (non enim sunt, ais, multiplicanda entia sine necessitate) quid enim opus, si intellectus id præstat, (nam necessitat est à te tam odiosè dictum quàm barbarè) donis spiritualibus in ipsam voluntatem hominis infusis? At verò tu si ex illo articulo quicquam velles colligere, ipsa verba articuli, quæ id quod tu vis haberent ponere debuisti quod non potuisti: Nam articulus *infusionis* aut *infundendi* nullam mentionem facit; tantum damnat eos *qui docent dona spiritualia, siue habitus bonos & virtutes (vt sunt bonitas sanctitas iustitia) in voluntate hominis, cum primum crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari. Pugnat enim hoc cum descriptione imaginis Dei, quam Apostolus ponit Ephes. 4. vers. 24. vbi illam describit in iustitia & sanctitate, qua omninò in voluntate locum habent.*

Ii vos estis qui cum doceatis voluntatem à seipsa determinari, negatis eam vllius habitus esse capacem, vtpote naturę suæ conditione ἀδιάφορον quam ἀδιαφορίαν virtutis habitus, adeoque vitij tollit; semper enim in hac vita vultis ita affici voluntatem vt in vtramuis partem ipsa sese possit determinare. Meam verò sententiam hic Articulus non damnat, sed probat potius quod faxo ne tu iam velis negare. Nam qui volo mentem Adami fuisse plenè illuminatam, & volo idem voluntatem affici mentis luce pro illius modulo, necesse habeo, si nolo pugnantia dicere, statuere bonitatem, sanctitatem, iustitiam lucis illius effecta necessaria in eius voluntate necessariò locū habuisse. Sed do tibi hoc, Synodum eos damnasse qui negant dona illa (bonitatem, sanctitatem, iustitiam) in primi hominis voluntatem fuisse infusa, nùm me damnarit qui doceo Deum Adami mentem luce perfudisse: perque eam has virtutes eius animo indidisse? Qui docent per lucem transfundi in hæc inferiora calorem illum viuificum & cœlestem, cuius beneficio ea vigent & viuunt, negant ne iidem continuò, aut verò an consequens est necessariò vt negent, hæc inferiora à syderum, vt loquuntur, influxu perfudi calore? Nùm qui docent rerum formas induci à generante, ac per illas proprietates consequēter, adigi possunt vlla ratione vt vel Thesin deserant, vel ἀσύστατα, atque (vt linguâ quidem, mente nihil minus quàm barbari loquuntur) impossibilia tuean-

moueantur, etsi affirment iidem esse non modò rerum formas, sed proprietates etiam, à generante. *Addis etiam impossibile fuisse ex mea sententia vt id credam. Donum enim illud infusum necessariò moueret voluntatem alio motu quàm* Ethico, *at animo concipi non potest (inquit Camero) quomodo voluntas vel liberum arbitrium (quod principium Ethicum est) aliter quàm Ethicè moueri possit. Et certè quomodo id (cuius tota actio iuxta Cameronem dependet à iudicio & ratione, & quod ab ea sola consequitur quod recta aut praua sit, ita vt se ipsum determinandi vim nullam habeat, & ab alio moueri, ac proinde determinari, nō possit) capax esse queat talium infusorum donorum, non est* κατάληπτον. *Saltem quin à Camerone in voluntate sine necessitate ponantur, dubium videri non potest, qod ipsum tamen directè contradicere Synodorum istarum sententiæ ex terminis liquet.*

Imo verò voluntas *talium infusorum donorum* capax est, vtpote quæ ex mea sententia etsi non *ἀμέσως, nullius medij interuentu*, tamen mentis illustratæ Dei luce beneficio infundantur. Nam si lucis affusionem sequantur dona necessariò, quî poterit infundi lux, ni dona eâdem operâ infundantur: Causa causæ & effecti causa est. Iam hoc puto καταλαμβάνεις, neque enim euanidum est hoc visum vt non possit comprehendi vel ab imperito, nedum à te Viro docto. Hic porro ais.

Et ex hoc fundamento consequitur necessariò per Cameronis sententiam, dona eiusmodi à voluntate hominis in morte spirituali separata non fuisse; siue, vti articulus sonat, voluntatem hominis (N B.) in se corruptam non fuisse, sed per tenebras intellectûs solas impeditam quominus vero bono adhæreret.

Quid ego audio? quæ sunt hæc ænigmata? Docet Camero dona quæ voluntatem ornant à mentis verâ luce non posse separari; & docet idem Camero veram mentis lucem extinctam, (nam certè tu ipse agnoscis hanc esse meam sententiam) Ergo per Cameronis sententiam consequitur *huiusmodi dona non potuisse separari à voluntate primi hominis, siue, vt articulus sonat, voluntatem hominis in se corruptam non fuisse, sed per tenebras intellectûs solas impeditam.* Atqui contrarium euidens est, nam si vbi nulla lux est his donis in voluntate nullus locus esse potest, omnino sequitur verâ mentis luce sublatâ ea fuisse separata, & voluntatem fuisse deprauatam. Vestra sententia est, ô bone, quam Synodus damnat (qui voluntatem statuitis, vti soletis loqui, independentem, tametsi impedita sit per intellectûs tenebras & affectuum inordinationem) à mea δὶς διὰ πασῶν discordans & dissonans. Ego enim nolo voluntatem impeditam sed corruptam *in se*, quamuis eam negem primitus *à se* corruptam, qui statuo scilicet extinctâ mentis luce eam non potuisse non corrumpi. Distingue mihi, amabo; voluntatem corruptam *in se* quod agnosco, & voluntatem *à se*, nullo intellectus interuentu, corruptam, quod ego, fateor, non agnosco. Prius agnoscit Synodus, ego item; alterum verò, quod ego probo non definit, nempe vobiscum non mecum, Synodo res erat. *At tibi ratio clara est, si enim voluntas non mouetur nisi motu Ethico vtiq; nec à bono ad malum, nec à malo ad bonum, mouetur alio quàm Ethico motu. Mala itaque & corrupta redditur voluntas quando erroneo iudicij motu mouetur, & contra bona quando recto iudicij motu mouetur; itaque corrupta in se, aut intrinseca vlla quali*tate quæ in ipsa immediatè hæreat, & speciali aliqua actione Dei ex ipsa tollenda sit, vitiata esse non potest. Res planior est quàm vt prolixius ei inhæream.*

Vides iam vt hæc tua ratio euanescat, confundis enim quæ ego volo esse distinctissima, corruptum esse *in se*, & corruptum *à se*, ac tu concludis quidem rectè ex mea sententia sequi voluntatem non esse primitùs à se corruptam, sed à mente, id quod Synodus non damnat. At nulla tamen ratione efficere potes meam sequi sententiam vt voluntas duntaxat *impedita* fuerit, non *in se corrupta*, quod vnum Synodus damnat. Atqui hoc tibi facto opus fuit. Visn' exemplo rem demonstrem: Morbus morbi causa est sæpenumerò, & omnis morbus in se morbus est, non est tamen continuò à se morbus, sed sæpe alterius morbi effectum. Subiungis.

Videbit id quisquis obseruabit Cameronem vbiq; penè vniuersam voluntatis actionem ex sola mente suspendere, & quod meritò mereris ipsi menti siue intellectui hominis, tribuere reluctationem, resistentiam, inimicitiam, ac pæne omne id quod voluntati à mente distinctæ in Scholis tribui solet: voluntati autem solam relinquere necessariam sequelam & lubentiam. Nempe videbat hominis διανοίᾳ ἔχθραν, *& spiritui hominis resistentiam &c. in Scripturis tribui; vnde miserâ consequentiâ id Logicè, aut Physicè potius κατὰ τὸ ῥητὸν accipiendum esse censuit.*

Nil opus fuit in re manifesta tam anxia probatione, neque enim nego me suspendere vniuersam voluntatis actionem moralem à mentis iudicio, hæc ipsissima mea seu opinio seu sententia est Hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ τιθὲν. Quod tu peragere debuisti aliud est, vt me ostenderes à Synodo Dordracena dissentire; Tot viros graues, qui mecum sentiant, vel imprudentes, vel repugnante conscientia, Synodi Dordracenæ statutis subscripsisse, me damnandum & ejiciendum è Templis & Scholis Ecclesiæ reformatæ, qui Synodorum decreta contemnam, ac nouam quandam inueham sententiam tot Synodorum authoritate damnatam. Nam quod ais me menti tribuere reluctationem, resistentiam, agnosco id quidem sanè: neque verò tu id potes negare qui sentis meæ opinioni repugnare mentem tuam; nam si mens tua acquiescit, odisti verò sententiam meam, mirus homo es. Quod inimicitiam, odium, ac pænè id omne quod voluntati à mente distinctæ tribui solet in Scholis, menti me dictitas tribuere, id verò iam certè non agnosco, nec tu ex meis scriptis vllum potes proferre locum qui id testetur. Semel quidem in Collatione vsus sum phrasi Apostoli ἔχθρα διανοίας *mentis odium*, sed non definiui, neque verò tu diuinare potuisti, quæ hîc esset mea mens; propriam ne existimarim eam locationem au figuratam. Ego quidem certè, vt dicam iam quod sentio, eam opinor figuratam: mens enim fateor, vt à voluntate distinguitur, non odit, voluntatis est odisse propriè, ac sic arbitror Apostolum locutum vt (propter arctissimam mentis & voluntatis ἐν τοῖς βουλητοῖς καὶ πρακτοῖς coniunctionem) quod voluntatis proprium est menti attribuerit. Tu iam pergis.

Dices fortasse sensum Synodorum, quando damnant istas opiniones aliud non esse quàm damnare eos qui statuunt conuersionem, siue Regenerationem, hominis peragi per actionem talem moralem, siue per suasionem talem, cum qua stare potest libera voluntatis dissensio. Id enim

videtur Art.3.cap.2. disertè innui: Sed respondeo, neutiquam hoc verum esse, tantum enim abest ut Synodorum sententia sit conuersionem per talem actionem moralem, cum qua stare potest libera voluntatis dissensio, non peragi, vt contra statuant per actionem moralem idcirco eam non peragi, nec omnino peragi posse, quia cum ea semper non tantum stare potest libera voluntatis dissensio, sed etiam necessariò semper stat & coniuncta est. Fieri enim non posse credunt vt voluntas, quæ in se corrupta est, per actionem aliam, quàm eam quæ immediatè ex ipsa corruptionem tollit, regeneretur vt ex mala bona fiat. Hinc est quod præter externam suasionem, præter rationes persuasiuas, & præter potentem mentis illuminationem per Spiritum sanctum factam, ita vt mens rectè intelligat & diiudicet quæ sunt Spiritus Dei, voluntatis ipsius mutationem peculiarem, imò infusionem nouarum qualitatum in ea immediatè factam, passim requirant. Concludo itaque sententiam hanc Cameronis non contrariam tantum esse Synodis supra dictis, sed in terminis etiam & disertè ab illis damnatam esse, ac proinde eos qui sententiæ isti fauent Ministros, aut non intellexisse articulos Synodi Dordracenæ, quibus tam solemniter subscripserunt, aut si eos intellexerunt non eo animo nec fide subscripsisse qua oportuit.

Hæc tua coniectura est & mera hariolatio, quę à me iam satis superque confutata est. Quasi verò Synodus de vlla alia suasione morali (nam de persuasione ne γρῦ quidem) aut mentis illuminatione, cogitarit præter eam de qua tum agebatur, quæque Synodo cogendæ causam dederat: Vestram, inquam, illam, quæ quamuis vos eam potentissimam fateamini respectu mentis, attamen respectu voluntatis tam leuis tamque euanida est, vt voluntatem (sic loqui soletis) constituat ad summum in æquilibrio, sese deinde pro innata libertate huc vel illuc inclinaturam.

Sic demonstraui non modò non esse contrariam meam sententiam Synodo Dordracenæ, sed consonam ei potius ac conformem, proindeque nimis inconsideratè à te pronunciatum, eos qui huic meæ sententiæ fauent Ministros aut non intellexisse Articulos Synodi Dordracenæ, quibus tam solemniter subscripserunt, aut si intellexerunt non eo animo nec fide subscripsisse qua oportuit.

Cap. III.

Cameronis sententia non est Pelagiano-Manichaica.

Dicis 2. Non tantum damnata est canonibus Dordracenis, Alezianis, & Charentonensibus sententia Cameronis, sed reuera etiam est Pelagiano Manichæa. Noli mihi credere nisi rem tam claram, ex antedictis & alijs fundamentis, faciam, quàm sol in meridie lucet.

Quanto spiritu? At certè cum rebus humanis haud omninò præclarè ageretur si sol, ne meridie quidem, clarius luceret quàm tu hanc rem claram feceris.

Pelagianam, inquis, quia ad Regenerationem statuit sufficere vel moralem actionem, absque vllâ immediatâ interna in ipsa voluntate impressâ gratiâ: hâc autem est ipsissima Pelagij sententia quæ a Patribus damnata est. [a] in 4. Synodi Africanæ, qui damnat dogma quo statuitur, Ad scientiam nos habere gratiam Christi, ad charitatem non habere. Sententiæ huius fundamentum est quod nulla propriè dicta, nedum positiua, corruptio in voluntate hominis, sed sola tantum luminis directiui, id est gratia obiectiua, carentia in mente hominis locum habere credatur, per quam illa cæca, id est ignorans tantum, est diuinæ voluntatis, & sic impotens redacta ad rectè dirigendam voluntatem, vnde per consequens voluntatem etiam inordinatè ferri necesse est, eam solum ob causam quod sit destituta directionis istius beneficio: Hac itaque est tota corruptio, hoc est totum peccatum originale quod statuit Pelagius; cui per omnia consentanea est sententia Cameronis, quæ est naturam voluntatis in se corruptam non esse, sed idoneam & capacem Regenerationis, si modò accedat sola illuminatio mentis, id est clara scientia diuinæ voluntatis & gratiæ. Ratio est, quia qui dicit moralem actionem ad regenerationem sufficere, imò qui dicit concipi non posse quomodo Regeneratio aliter quàm morali actione peragi possit, is profectò dicit voluntatis naturam in se corruptam non esse, sed ex sese, non minus quàm fuit voluntas Adami, idoneam esse ad conuertendum se & sequendum Dei voluntatem, si modò obiectiua moralis ista suasio in mente ponatur, etiam si nulla interna alia gratia, mentem aut voluntatem immediatè reformans, accedat.

[a] *Vide Canone*

Vide iam quorsum te causæ studium rapuerit. Ais Patres Africani concilij damnare Pelagium quod doceret per actionem moralem, absque vlla immediata in ipsa voluntate gratia, regenerationem peragi. Vos igitur Pelagiani qui nimirũ idem docetis; vos igitur damnati hæretici. Deinde verò, tu illud *immediata* de tuo infulcis; nam illi quidẽ dogma Pelagij quo statuitur, ad scientiam nos habere gratiam Christi, ad charitatem non habere, damnarunt sanè, at quomodo hanc charitatem gratia producat; an per actionem immediatam in ipsam voluntatem, aut mentis interuentu, id verò Patres, eo certè loco nõ definiunt. Ego verò cęterùm nego, pernegoque, meam id sequi sententiã, vt ad scientiam habeamus Christi gratiam, ad charitatem non habeamus. Nam, amabo te, quem tu ipse fateris docere, eos qui ad Christum conuertuntur *tanta luce illustrari à Deo vt non possint non conuerti*, pag. 721. col. 2. Eius-ne sententiam (dic ingenuè) tu aies hoc secum trahere vt ad scientiam habeamus Christi gratiam, ad charitatem non habeamus? qui (te ipso teste) volo eâdem operâ luce iudicij practici *Regeneratorũ voluntatem* ita affici, vt non possit non ferri in bonum, eo ipso docuerim nos habere ad scientiam Christi gratiam, ad charitatem non habere? Asystata sunt ista & ex diametro pugnantia. Docet Camero amorem summi boni ex illius cognitione vera necessariò oriri; eam cognitionem docet idem iis omnibus qui ad Christum verè conuertuntur indulgeri, adeóque necessariò amórem summi boni; Ergo docet Camero quod Pelagius docuit, quod damnauere Patres, *nos ad scientiam habere Christi gratiam, ad charitatem non habere.* Tibi hęc tam absurda cõsequentia probatur? Ignorasne, Vir docte, quid Patrib. sit *scientia*, dogmatum certè fidei & pręceptorum rectè viuendi solummodo notitia est, quam Pelagius initio solã sufficere docebat. Istam (*inquit Augustinus, cuius illo in Concilio præcipuæ partes fuere, nisi quod ei non præfuit*) gratiam Pelagius fateatur quâ futurę gloriæ magnitudo non solum promittitur, verùm etiam creditur & speratur; nec solũ reuelatur sapientia, verùm

« lib. 1. « 10. de g[ratia] « ad- « uers. P[e]lag. & « Celest.

» verùm etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verùm & persuadetur, (non enim omnium est fides qui audiunt per Scripturas Dominum Regnum Cœlorum pollicentem) aut omnibus PERSVADETVR quibus suadetur vt veniant ad eum qui dicit venite ad me omnes qui laboratis: quorum autem sit fides, & quibus PERSVADETVR vt ad eum veniant satis ipse demonstrauit, vbi ait Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum: & paulo post, cùm de non credentibus loqueretur, Dixi, inquit, vobis quia nemo potest venire ad me nisi fuerit datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verùm etiam esse Christianus. Et sanè scientiæ vocabulum ex vsu Latinæ linguę γνῶσιν, ἐπιστήμην significat, nō significat τὴν ἐναρέτον φρονιμότητα *sapientiam* (de qua sola inter nos agitur) nisi impropriè loqui velimus. Itaque scientia illa Pelagianorum, siue notitia, hærebat in mente Theoretica; non afficiebat iudicium practicum, quem affectum *persuasionem* Augustinus vocat. Ego-ne do cui nos ad hanc solum scientiam habere Christi gratiam, ad charitatem non habere? omnino id negabis. Quid opus igitur fuit hìc tandiu immorari? Amicum ne tuum tu stipitem adeò & fungum putasti vt vel lectâ tuâ sententiæ meę, quam initio posuisti, explicatione, non potuerit animaduertere, te toto cœlo aberrare à tuæ disputationis scopo, mihique alienam à mea mente sententiam affingere, dum me adeo immerentem studes Pelagianismi inuidiâ opprimere? Id tu profectò videris metuisse; itaque sic pergis,

Hìc sine dubio dices mihi Cameronem quidem agnoscere moralem suasionem ad Regenerationem necessariò requiri, sed tamen expressè addere, non solam suasionem sufficere, sed persuasionem etiam requiri, eamq; vbi adhibetur, reipsa regenerationem efficere.

Si ita est, si hæc mea verba sunt, cur Amici tui mentem tàm diu tenuisti suspensã, cur non hinc statim orsus es homo candorem professus & veri studium. *At sub iis verbis*, inquit, *fucus latet* (fraudem dicere voluisti) *quem statim detegam si id præmisero, Cameronem ea parte qua suasionem, siue persuasionem, ita fieri dicit vt inde sequatur necessariò regeneratio voluntatis, reuera ac reipsa Manichæum esse, & prædestinatorum, & Caluini sententiam, quantum ad rem ipsam attinet, sequi, & hoc volui indicare cùm dixi sententiam ipsius esse Pelagiano Manichæam.*

At verò sane è vestigiò, nullâ interpositâ morâ, id fieri iam debuit; cur enim differs lectorem tuum: voluisti credo facere quod solent gladiatores, aliud petere aliud ferire. Profectò quid spectaris non est obscurum. Accusaueras me Manichæismi, accusationi deerat color idoneus, itaque noluisti eam seorsum exsequi, ne fraus diluceret, & calumnia videretur: at postquam excitasti iam lectoris animum, atque promissi magnificentiâ incendisti cupiditate audiendi quæ de Pelagianismo mihi impingis, tu aliò statim delaberis, gnarus futurum vt dum vltra festinat minus attentè ea consideret quæ tu obiter de Manichæismo odiosè interiecisti. Ingeniosè sanè. Verumtamen cedò quî Manichaicũ sit id dogma quod statuit suasionem, aut persuasionem, ita fieri vt regeneratio inde necessariò sequatur. Nũ Augustinus tibi videtur Manichæus, qui vnus omnium validissimè Manichæi dogma confutauit? At verò hæc illius verba sunt, Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur vt PERSVADEATVR, illi autem non ita, duo sola occurrunt, interim quæ respondere mihi placeat, ô altitudo diuitiarum! &, numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.

Aug. de Spir. & lit. c. 34.

Qui si putasset Deum ita persuadere vt tamen voluntas possit sese suspendere & cohibere, aut verò obsequi, non erat quæstioni locus, cur huic ita Deus suadeat vt persuadeatur, illi non item; nec opus hî: fuit vt ad altitudinem illam confugeret, ac iuberet quæri doctiores si hæc modestia displiceret, moneretque idem cauere præsumptores. Res enim liquida est si suasio diuina à PERSVASIONE diuina euentu extrinsecus tantum differt, non autem insita vi & efficacia. Dici facile potest quod Deus huic ita suasit vt persuaserit, illi non perinde, à voluntatis arbitrio profectum esse, prout ea se morigeram vel secus præbuit, quæ vestra pura puta sententia est. Hoc pacto in scirpo (quod dici ur) Augustinus quæsiuerit nodum, in re facili & expedita æstuauerit. Ego vero aliud ne statuo? Te nunc appello. Tune mihi aliud obiicis? Profectò si tibi constas, sententiæ meæ explicator, non potes hoc facere, non facis. Non possum igitur dici Manichæus, ni Augustinus pariter sit Manichæus, ego verò, ea lege non recuso dici Manichæus, ἐπὶ τούτῳ δὴ οὐκ ἀπαναίνομαι τὸ ὄνειδος; nempe Augustinus non nisi per immanem impudentiam dici potest Manichæus. Nam quod prædestinatorum & Caluini sententiam meam esse statuis, si tibi prædestinati sunt quos Ecclesiastica historia prędestinatos vocat (quales an vlli vnquã fuerint ego sanè dubito) Qui ideo prædestinati vocantur quia de Prædestinatione & diuina gratia disputantes asserebãt, quod nec piè viuentib. prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint, nec impiis obsit quod improbè viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam: quæ assertio & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat, Non potes hac lege, nisi reluctante conscientia, me inter istos numerare: sin tibi is est prædestinatus, qui credit non generali quadam sed speciali Dei prouidentiâ accidere, vt quis credat in Christum & resipiscat; ego vero is sum fateor, etiam Caluinus, quem tu (non hìc agitur mea causa) nimis petulanter prædestinatis (qui contemptim sic vocantur) accenses. Disce, quisquis es, de eximiis Christi seruis, qui iam viuũt cum Christo, reuerenter & sentire & loqui; alioqui; sed nolo malè ominari. Det tibi, precor, Deus mentem meliorem. Iam quid ais. *Hoc enim erat placitum Manichæi, quod quidem tanquam ipsius placitum ab antiquis Patribus apertè damnatum etiam esse constat, tam bona quàm mala necessariò fieri. Verum quidem est, principia duo faciebat, ex quorum altero bonum, altero malum proficisci dicebat; sed non in eo solum consistebat hæresis ipsius; sed in eo etiam, & quidem præcipuè, quod omnia bona simul & mala eadem necessitate euenire asserebat: quare qui hac in parte eum sequuntur, ij non immeritò sectatores ipsius, quantum ad id attinet, appellari possunt: Imo tanto priores illo videri debent, qui bona simul & mala ab eodem principio deriuant, quanto peius est Deum optimum mali authorem facere, quàm est eum non nisi authorem boni facere,*

Chron. Sigeb. ad ann. 415.

atque interim ei iungere alium qui mali tantum author sit.

Quin potius Augustinum audiamus qui Manichæos cõfecit, te certe in hac causa ἀξιοπιστότερον. Is igitur lib. Retract. 1. cap. 9. hic ait, & eiusdem lib. cap. xv,

„ Cum adhuc Romæ remorarer voluimus disputando quærere vnde sit malũ &c. Propter illos quippe Disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci; & Deum, si ita est, Creatorem omnium creaturarum culpandum esse contendunt, eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quandam, & Deo coęternam, introducere mali naturam. De gratia verò Dei quâ suos Electos sic prædestinauit vt eorum, qui iam in eis vtuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est propter hãc propositam quęstionem. Et cap. 15. Scripsi adhuc Presbyter de duabus animabus, quarum dicunt vnam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum quam non condiderit Deus, & quæ si Deo coęterna: & has ambas animas, vnam bonam, alteram malam, in vno homine esse delirant. Istam scilicet malam propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum, illam verò bonam ex aduentitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque vtrumque miscuerit. Hæc veluti radix est & origo necessitatis illius Manichaïcæ tam in bono quàm in malo, quam Patres tantopere damnauerunt. At qui docent neque boni quicquam neque mali fortuitò euenire, ne Iudæ quidem proditionem, vel Pharaonis rebellionem; sed certâ quâdam prouidentiâ, eos certè pia Antiquitas non damnauit.

Enchirid. cap. 100.

Notum est illud Augustini, *Præterea namque magna opera domini & exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem quod etiam fit cõtra eius voluntatem, quia non fieret si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens.* Et lib. de gratiâ & libero arbitrio. „ His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare longum esset, satis, quantum arbitror, manifestatur operari Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, *siue ad bona* pro misericordia sua, *siue ad mala* pro meritis eorum iudicio vtique suo aliquando occulto, aliquando aperto, semper verò iusto.

Cæterùm calumnia de necessitate pervetus illa, & iam sanè rancida, est calumniantium Pelagianorum exprobratio ab Augustino confutata, à Cl. V. D. Tileno repetita, à me iterum depulsa.

Collat. pag. 659.

„ Itane verò *inquit*, filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, ô noui hæretici Pelagiani, quisquis dicit gratiâ Dei *omnia* homini bona merita præueniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia si non gratis datur, sed debita si merentibus redditur, *fatum* vobis videtur asserere? Idem Augustinus lib. 3. aduersus 2. Epist. Pelagian. cap. 9. Sed quoniam in his quinque rebus quas proposui, in quibus quærunt latebras, & de quibus connectunt calumnias, diuinis documentis produntur atque vincuntur, excogitauerunt Manichæorum detestabili nomine imperitos quos potuerint deterrere, ne aduersus eorum peruersissima dogmata aures accommodẽt veritati. Quia scilicet Manichæi quinque istorum tria priora blasphemando condemnant, dicentes neque nuptias, neque legem, à summo & vero Deo esse instituta; non autem accipiunt quod veritas dicit à libero arbitrio exordium sumpsisse peccatum, & ex illo esse omne vel angeli vel hominis malum; quia mali naturam semper malam & Deo coæternam, nimis à Deo exorbitantes, credere maluerunt. sanctos quoque Patriarchas & Prophetas quantis possunt execrationibus insectantur. Ecce vnde se putant heretici noui, Manichæorum nomine obiecto, vim subterfugere veritatis: sed non subterfugiunt, insequitur quippe illa & simul Manichæos Pelagianosq; subuertit. Homo enim dum nascitur, quia bonum aliquid est, inquantum homo est, Manichæum redarguit, laudatque Creatorem; inquantum verò trahit originale peccatum Pelagium redarguit, & habet necessarium Saluatorem. Nam & quod sananda dicitur ista natura vtrumque repercutit, quia nec medicina opus haberet si sana esset, quod est cõtra Pelagiũ, nec sanari posset omnino, si æternum atq; immutabile malum esset, quod est contra Manicheum. Item lib. 4. cap. 11. initio. Sed & iam gloriosissimo martyri Cypriano ad istos cumulatius redarguendos beatissimum addamus Ambrosium, quoniam ipsum Pelagius ita laudauit, vt ne ab inimicis quidem in eius libris quod reprehenderetur diceret inueniri. Quoniam ergo Pelagiani dicunt, non esse originale peccatum cum quo nascantur infantes, & Catholicis, qui eis pro antiquissima Ecclesiæ fide resistunt, hæresis Manichææ crimen objiciunt; respondeat eis de hac re homo Dei catholicus, & ab ipso Pelagio in veritate fideli laudatus Ambrosius. Item cap. 12. Vnde apparet istos Doctores catholicos longè à Manichæorum sensibus alienos, & tamen asserant originale peccatũ, asserunt gratiam Dei super liberum arbitrium omne antecedere meritum, & verè gratuitum diuinum præbere adiutorium. Asserunt sanctos ita iustè in hac carne vixisse vt eis esset necessarium, quo dimittuntur quotidiana peccata, orationis auxilium, perfectamque iustitiam, quæ non possit habere peccatum, in alia vita futuram, eis qui iustè hic vixerint, præmium.

Debuisti tacuisse, vel ad ista respondisse, sed horum alterum tu noluisti, alterum, adeo momus es, non potuisti. *Imò*, inquis, *tanto peiores illi videri debent qui mala simul ac bona ab eodem principio deriuant, quanto peius est Deum optimum mali authorem facere, quàm est eum non nisi authorem boni facere, atque interim ei iungere alium qui mali tantum author sit.* At qui sunt illi tandem quos hoc loco designas? Si nos intelligis, apertè συκοφαντεῖς, sin minus, quorsum ista tam ἀπροσδιόνυσα, Vir docte expensor sententiarum? *Notandum* (*addis*) *interim est Cameronem quando pro necessitate hâc pugnat, & libertatem illã voluntati non relinquit, vt vocanti Deo cõsentire possit, aut dissentire, non plerisq; tantum, sed omnibus primorum trium sæculorum orthodoxis Patribus* (*quæ Augustini sententia fuerit de eo adhuc cõtrouertitur*) *directè repugnare: Patres enim isti omnes, quibus etiam omnes sequentes Patres orthodoxi adsenserunt, liberum arbitrium cum diuinis suasionibus consistere, id est, dissentire aut consentire Deo suadenti posse crediderunt unanimiter, prout non pauci luculenter tam aliquoties demõstrarant.* O te hominem durum, qui cùm legeris

(vt

(vt credibile eſt, ſaltem à me admonitus) quartum Auguſt. librum ad Bonif. contra duas Pelag. Ep. cap. 8. cuius ſub finem is parem tuæ calumniæ antiquorum Pelagianorum calumniam refutauit, auſus tamen es eandem repetere, & nobis in os ingerere addito auctario, quaſi Auguſtini, tot editis de hoc argumento libris, celeberrimi obſcurum, aut ambiguum, eſſet quæ fuerit ſententia.

Cap. IV.

Oſtenditur fuſius Cameronis ſententiam non eſſe Pelagianam.

HOc *præmiſſo*, ais (cuius profectò eſt quod te pudeat) *vt fucum detegam* fraudem & hîc volueras dicere) *dico Cameronem iſta locutione, & phraſi qua vtitur non euadere crimen Pelagianiſmi, quod illi impingitur. Quod ſic oſtendo. Perſuaſio illa aut eſt actio moralis, aut eſt alia, Phyſica, ſiue potius non moralis actio. Si moralis eſt actio, iam aut aliud quid eſt quàm ſuaſio, aut nihil niſi ipſa ſuaſio. Si aliud quid eſt, quid illud quæſo erit, ſi moralis actio erit? Nunquam id explicauit Camero, neque percipi poteſt animo quid aliud quid eſſe poſſit quam motio purè putè Phyſica, qua motione tamen moueri voluntatem non poſſe credit Camero.* Nimis es confidens. Perſuaſio mihi idipſum eſt quod Auguſtino locis à me iam ſupra citatis. Nam hac voce is veluti Technico vtitur vocabulo ad id ipſum ſignificandum quod nobis eſt conuerti; id ipſum eſt quod Spiritui Sancto apud Oſeam cap. 2. 14. & Gen. 9. 27. (vt in poſteriori inaugurali prælectione ea docui, locum hîc non repeto quia à me ſupra notatus eſt.) & in Epiſt. ad Hebr. cap. 11. verſ. 13. πεισθέντες, καὶ ἀσπασάμενοι, καὶ ὁμολογήσαντες ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοι εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς. Nimirum perſuaſio eſt cùm Spiritus Sanctus tanta vi Euangelij prædicationem comitatur vt fidem gignat, perque illam, amorem Dei & proximi, nouam denique vitam; quæ gratia non eſt communis, non eſt illa veſtra ſuaſio moralis à Patribus in Pelagio, ab Orthodoxis hodiè in vobis damnata: neque enim fides omnium eſt. Iam audi cur eam dixerim motum veluti moralem: Quia, nempe, voluntatem mouet mente prius motâ atque impulsâ. Non quod à moribus proficiſcatur, ſed quod reddat benè moratos; quomodo ferè is actiuè appellatur motus *localis* qui mobile ita afficit, vt promoueat è loco in locum, & *genitiuus* motus dici poſſit quo res in certo genere conſtituitur. Dixi verò *moralem* ratione termini (vt loquuntur in Scholis) ratione modi, ratione denique ſubiecti. Ac termini quidem ratione, tendit enim ad hominum animos bonis moribus informandos, non ad inducendam aliquam Phyſicam qualitatem, cuius nimirum anima, quatenus bona vel mala dicitur, capax eſſe non poteſt: Ratione verò modi motus hic quodammodo Ethicus à me dictus eſt, quod cognitionis interuentu moueat, atque impellat ad volendum ſanctè & iuſtè, porrò qui cognitione mouetur, & ducitur, proculdubiò moraliter mouetur: Ratione denique ſubiecti, quia vim omnem exerit in voluntate, atque hanc fuiſſe mentem meam tu non potuiſti ignorare; legiſti enim, certè (cùm te Cenſorem meum renunciatis) debuiſti attentè legiſſe Theſes, Prælectiones, & Collationem meam. Iam ſi à me requiras (nam vt moralis dici poſſit, hic motus reſpectu voluntatis iam dixi) poſſitne idem motus ratione mentis in qua primùm & immediatè (vtpote perſuaſio) ſuſcipitur, poſſitne, inquam, hic motus, vt ita dicam, Ethicus vocari, hoc ſi quæris, primùm illud reſpondebo quod etiam res eſt, nunquam me mentis reſpectu eum modo um dixiſſe moralem, ſed voluntatis duntaxat, quamuis etiam reſpectu mentis, nec eum Phyſicum quidem ego dixerim, ſed ineffabilem potius. Illud quidem verum eſt, nec bruto motu mentem Deus afficit, ſed (vt loquitur Paulus) ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, h. e. ἐν ἀποδείξει πνεύματος δυνατωτάτου, vt ego quidem certè illum locum accipio: Quo autem pacto eum ἀπόδειξιν mens comprehenderit, id verò tantum abeſt vt ego velim definire, vt arbitrer eiuſmodi eſſe, vt à nemine mortalium res tanta poſſit definiri: motum hunc ſentiunt pij, modum ignorant. Itaque & mihi illa Synodi Dordracenæ, (quæ Synodi Alezianæ, & Charentonianæ, adeóque tota iam noſtra facta eſt) definitio vehementer probatur. *Modum* inquit Synodus) *huius operationis fideles in hac vita plenè comprehendere non poſſunt, in eo interim acquieſcentes quod per iſtam Dei gratiam ſe corde credere, & ſeruatorem ſuum diligere ſciant ac ſentiant. Sic ergo fides Dei donum eſt, non eo quod à Deo hominis arbitrio offeratur, ſed quod homini reipſa conferatur, inſpiretur & infundatur.*

Art. 13. & 14.

Addis deinde. *Et certè perſuaſio etiam ſuaſio eſt, non enim ſpecialis actio eſt à ſuaſione diſtincta, ſed actio ſuadendi cum effectu, aut euentu coniuncta: vna enim eademq́ ratio ſuaſio eſt huic, alteri eſt perſuaſio, quod ſi perſuaſio reipſa nihil niſi ſuaſio eſt, relinquitur certè Cameronem aliud nihil requirere ad regenerationem quàm Pelagius olim requiſiuit.* Memineris obſecro qua de ſuaſione, & perſuaſione hic inter nos agatur, fateor enim ſuaſionem & perſuaſionem humanam externam differre tantùm euentu, nempe tantundem adhibent homines, quod ad eorum quidem partes attinet, dum ſuadent, & dum perſuadent: de ſuaſione perſuaſionéque diuina & interna omnis controuerſia eſt, quam ego vtramque volo à ſuaſione & perſuaſione humana ſpecie differre: idem tamen nolo ſuaſionem internam diuinam & perſuaſionem differre ſpecie ſed gradu tantùm, non euentu & effectu ſolummodò vt tu loqueris, ſed inſitâ & innatâ efficaciâ, vt ſit ſuaſio interna diuina qua mouetur animus, at non permouetur tamen; perſuaſio verò qua non mouetur tantum ſed permouetur. Idque diſcrimen ſuaſionis & perſuaſionis diuinæ volo pendere non à ſubiectorum diſcrimine circa quæ hæc duo re inter ſe diſtincta verſantur, ſed (vt iam ſignificaui) quod in ſuaſione minus virium adhibitum ſit quàm in perſuaſione. Atque hic obſeruandum eſt iam agi de primo conuerſionis momento, quod quorſum obſeruaſſe attineat, potes apud te reputare. Nam apud iam conuerſos & præditos Spiritu S. non eſt opus tanto molimine; *De charitate fraterna* (inquit Apoſtolus) *non eſt opus vt ad vos ſcribam, ipſi enim eſtis docti à Deo.* Hóc pacto etſi omnis perſuaſio ſit ſuaſio, attamen non omnis ſuaſio viciſſim perſuaſio eſt, ſed ſic ſuaſio ſimpliciter appellata infra perſuaſionem multis gradibus ſubſidet. Itaque non relinquitur, vt tu concludis, *Cameronem nihil aliud requirere ad regenerationem quam quod Pela-*

1. Theſſ. 4. 9.

gius olim requisiuit. Nam Pelagius vel solam requisiuit suasionem externam humanam, quæ specie differt à suasione interna diuina, vel ad summum suasionem internam diuinam requisiuit, quę gradu differt à persuasione diuina interna, quam ego requiro ac statuo esse planè necessariam vt sequatur conuersio, quaque non volo iam simpliciter impetrari, sed etiam effici, conuersionem. Sed tu mentem tuam clarius explicas, sic enim ais, *Explico rem paulo clarius: persuasio illa quam speciale donum illud appellat Camero, quod electis quos vocat confertur, & per quam illuminari mentem & regenerari voluntatem eorum vult, si fiat Ethicè vtique per rationes suadentes fiat necesse est, alia enim Ethica motio concipi non potest: Ethica enim & rationalis motio vnum idemq; sunt, & à Physica omni alia motione hac sola ratione distinguuntur: si per rationes suadẽtes fit, quid aliud est persuasio quàm suasio, quæ vel extrinsecus per verbum in aures, & per aures in mentem penetrat, vel intrinsecus menti proponitur? Modus enim propositionis non mutat speciem motionis, si eadem ratio sit quæ proponitur menti ad eam mouendam: Quomodocumque enim mens rationem apprehendat idperinde est. Ratio semper specie & virtute eadem manet, siue foris apprehendatur à mente, siue intus percipitur in mente, eâdem itaq; virtute aget, & mouebit, nihil enim agit vltra speciem aut virtutem suam. Hoc si ita sit iam facile videre quiuis potest quàm sit absurda Cameronis sententia. Nam si persuasio reipsa & formaliter nihil aliud est quàm suasio talis, quæ ratio, cur non omnibus eâdem ratione persuadeat quibus adhibetur? Imò quæ ratio cur si is qui rationes illas percepit mente sua, easdem aliis proponat, quod fieri posse non negabit, opinor. Camero, non suadere, sed persuadere aliis possit idem quod sibi persuasum est? vbi enim eadem est causa efficiens eâdem vi agens, & eadem atque vniformis subiecti recipientis dispositio, ibi idem effectus locum habere debet. At si persuasio est suasio quæ per rationes planè easdem fit, & circa homines pariter excæcatos, quod attinet salutarem Christi cognitionem adhibetur, eadem est causa efficiens eâdem vi agens, & eadem subiecti dispositio. Ergo idem effectus vbique inde sequatur necesse est. Hærebit hic aqua Cameroni vt explicet intelligibiliter mentem suam, si consequenter principiis suis loqui velit. Nam alterutrum dicat necesse est aut persuasionem importare peculiarem quandam rationum suadentium impressionem in ipsam mentem, aut magis congruam quandam, & opportunam propositionem, ita vt rationes, quæ huic homini nil nisi rationes suasiuæ sunt, alteri cui ista congrua propositio fit sint persuasiuæ. Vtrum dixerit sibi ipsi non consentanea dicet, prius enim quod attinet, si persuasio Cameroniana ex vi sua speciali notat peculiarem quandam rationum suadentium impressionem in mentem ipsam, iam persuasio hæc nullo modo erit actio Ethica, sed purè pute Physica ac proinde non erit persuasio: Physicam enim actionem siue impressionem persuasionem appellare ridiculum & stultum est. Quod si Camero nihilominus huiusmodi impressionem Ethicam actionem esse velit, ac proinde persuasionem necesse est vt dicat eam fieri per rationes alias: at cum rationes nullæ moueant aliter quàm obiectiuè, impressio hæc nihil aliud erit quàm prior suasio, & sic in infinitum ibitur, redibuntque omnes eadem difficultates quæ ante motæ sunt. Posterius quod attinet, Congrua etiam actio dici non potest hæc persuasio, si enim dispositio planè eadem est in omnibus hominibus, quod attinet primam & salutarem illuminationem, quomodo fieri potest vt ratio siue suasio, vna eademque sit huic congrua, illi non congrua? Dicet fortasse subiecti dispositionem non esse eandem, alios enim disponi à Deo ad illuminationem siue suasionem istam recipiendam, alios non: sed frustra. Dispositio enim illa vel fiet per moralem actionem, vel per Physicam; si fiet per hanc, iam præcipua actio ad regenerationem requisita erit Physica, ab hac enim dispositione fiet vt gratia moralis huic sit congrua & opportuna, non illi: At hoc Camero fieri nullo modo vult. Si per illam, iam redeunt eadem omnes difficultates & in infinitum abitur. Deinde, qualis erit dispositio hæc? voluntatis dispositio non est necessaria, iuxta Cameronem, quia illa naturali necessitate sequitur iudicium intellectûs rectè dispositi vt ait: Intellectûs dispositio si statuatur, ea erit aut potentiæ noua ad suasionem percipiendam collatio, aut intellectionis ipsius expressio; aliud enim quicquam concipi non potest. Illa non sufficit ad persuasionis effectum, hæc non est dispositio subiecti, sed ipsa actualis persuasio, de qua quæritur quomodo fiat. Efficitur itaque iuxta hypothesin Cameronis solam obiectiuam diuinæ voluntatis reuelationem ad conuertendum hominem sufficere sine vlla alia interna gratia, quæ immediatè aut menti, aut voluntati ipsius imprimatur: quæ opinio in ipsissimam sententiam Pelagij tandem recidat necesse est. Manente tantùm hoc discrimine, quòd Camero reuelationem aut persuasionem hanc fieri velit ex præcisa saluandi eos quibus fit intentione, & ita vt non possit non sortiri effectum; Pelagius non. Quare opinio idcircò deterior Pelagij opinione est, quod communi omnium Patrum sententiæ è diametro repugnet, & nil nisi interpolatum Manichaismum sapiat.*

Summa tam prolixæ, vt ne iam dicam verbosissimæ atque impeditissimæ, ratiocinationis (in qua tu nescio quæ ridicula portenta ingenij tui mirificè refellis, vt videare meam refellisse sententiam) hæc est, Negas hanc persuasionem, qua ego statuo necessariò flecti voluntatem, aliam esse posse quàm Pelagianam, hoc est vestram reiectam & damnatam suasionem moralem. Cur id neges hanc vnam affers rationem, quod fiat per rationes; id verò inde probas quod eam dixerim esse motum Ethicum, motus autem Ethicus fiat per rationes, sed enim suasio eiusmodi non differt in se & intrinsecus à persuasione, sed effectu tantum & euentu. Hoc eo probas, quod eædem adhibentur rationes apud eos quibus suadetur tantum, & eos quibus etiam persuadetur, vnde fit vt in se eadem res sit suasio & persuasio. Tantillam rem non potuisti paucioribus explicare? at vide iam quam labili & fluxo fundamento tu hanc molem inædificaueris. Sum is enim quod ego non do, persuasionem fieri per rationes vtcunque propositas, quod à mea mente tam abest longè quàm quod longissimè. Nam persuasionem fieri quidem volo per rationes, sed tam accommodatè propositas, tamque, vt ita loquar, ex parte ipsius persuasionis, efficaciter, vt non possit non sequi assensus in mente, obsequium in voluntate, quod quomodo fiat dixi suprà planè non posse sciri, quamuis effectus sentiatur. Id quia verò non contingit in omnibus, hinc fit vt etsi eædem sint rationes, tamen quia non sunt à Dei Spiritu æquè accommodatè apud omnes adhibitæ, non sequatur par in omnibus euentus. Meminerimus verò agi iam de primo momento conuersionis, puta in eodem cætu æquè impij, æque infideles, alij ne mouentur quidem, alij mouentur at verò non permouentur, alij denique, & ij quidem pauciores, permouentur; Non (vt hoc iam repetam atque inculcem) quod aliæ, atque aliæ sint rationes, sed quod aliter atque aliter propositæ sunt intrinsecus à Dei Spiritu, cuius, vt loquar cum Scriptura, vias non tene-

non tenemus sæpenumerò, effecta tamen persentiscimus. Non est igitur hæc persuasio à suasione Pelagiana, hoc est vestrâ, distincta tantùm ob euentum, sed in se. Intellexti hoc iã arbitror, ac simul vides quàm mihi certè (quod ais) aqua non hæreat, tibi iam videndum erit an nõ tu in luto hæreas. Certe ista legens aut vehementer lætaris triumphãte veritate, aut (quod nolim de te suspicari) æstuas & sudas. Verum enimuerò si ita seres habet cur ego eam persuasionem motũ Ethicum dixi? Primùm, quod iam supra negaui iterum & hîc nego, nego, inquam, me persuasionem hanc respectu mentis vsquam Ethicum motũ vocasse, tantũ fateor vocasse me eum respectu voluntatis motum Ethicum, at ter duntaxat, eo modo atq; eas ob causas quas supra explicaui, hic nihil necesse est repetere. Sed verò etsi motum Ethicum etiam respectu mentis hanc persuasionem vocassem, nec tu efficeres quod voluisti, nec esset quod me valdè pœniteret illius nomenclaturæ. Ethicus enim dici possit quia fit per rationes quidẽ certo quodam modo propositas, cuius nimirum modi Dei spiritus sibi conscius est; sed tamẽ per rationes, id quod Ethici generis est. Etiã Ethicus motus dici possit quod vim suam exerat in facultate non bruta & rationis experte, sed rationali; Ethicum deniq; dixerim quia virtutem habet pro fine, τὴν ἠθικὴν ἀρετήν. Sed fac me hunc motum Ethicum vocasse, quod non feci: fac id perperam & ἀκύρως à me factum, quod futurum non erat fortasse etsi id fecissem: debuisti tu, qui tantum præ te fers studium veritatis, de verbis mecũ litigare, rem neg igere? λογομαχῶν καὶ σοφιστῶν παιδαγωγῶς, καὶ ἀναξίως τῆς φιλοσοφίας τε ἅμα καὶ παιδείας. Nam meministi puto totum hoc genus disputandi ab Aristotele damnatum, ὅτι ἀντεαναγκαῖον ἢ μήτε φαινόμενον πρὸς ὃ γίγνονται οἱ λόγοι, ἄλλως ἢ συμβαίνει παρεξελέγχεσθαι τῷ δοκοῦντι.

Subiungis, *Dices fortasse Cameronem explicare aliquando apertius mentem suam cum de persuasione hac agit, eam enim appellat non rarò lucis cuiusdam internæ affusionẽ, qua fit vt intellectus efficaciter cognoscat & videat summũ ac verum bonum, ita vt volũtatem afficiat vt non possit summo bono non adhærescere At, inquã ego, hac ratione non satis explicat se Camero; ad populum tantum sunt phaleræ. Cognitio enim illa efficax summi boni efficitur aut proficiscitur, vti ait, ab illuminatione, siue à persuasione quæ moralis actio est; si ab ea proficiscitur, necesse vtique est, vt ea vel sit actio quæ rationes tantum continet, per quam bonum illud summum efficaciter intellectui cognoscendum datur, vel actio quæ sine rationibus sensum boni istius intellectui profundè imprimit; & cuius modus ignoratur. Si illuminatio sit actio quæ per rationes fit quas percipit & intelligit is qui eas recipit, iam hæc illuminatio persuasio quidem est; sed ipsa tamẽ aliud nihil quàm suasio. & suasio quidem quæ communis homini cum Deo, aut Spiritu Dei, esse potest. Cur enim rationes illas ipsas proponere, & suadere, aliis hominibus non possit is qui per istas persuasus est? Nec satis est si dicas rationes illas peculiarem vim persuadendi habere. Esto enim id verum sit, quæ verisimilis ratio dari potest, cur rationes illæ eædem si per istum qui eas recipit, & per eas persuasus est, aliis communicentur aut mentibus aliorum proponantur, non eodem modo persuadeant iisdem quod illi persuasum est?*

Quidni verò dixerit lector tuus quod ego toties tam disertè monui, neminem vt id possit latere, qui quidem legerit scripta mea, cur hæc non posuisti 1. statim loco? Crediderim-ne voluisse te ictibus auras verberare, atque ita ostentare scilicet robur ingenij tui? Cæterùm nihil affers noui, Agnoscis me statuere non qualemcunque rationum propositionem, sed internam quę cum luce Spiritûs sit coniuncta, necessariam esse ad conuersionem; agnoscis me eam illuminationem statuere conuersis peculiarem & propriam; quid superest igitur causæ, cur non agnoscas pariter, & fateare eam persuasionem, quam statuo non esse suasionem Pelagianam, h.e. vestram? At hæc illuminatio actio pura puta Physica est, Medicam tu illam voces si libet, mea nil refert qui tecum non de verbis, sed de re, suscepi disputationem: quod ad me attinet iam testatus sum me eam illuminationem cum ad mentem refertur, motum Ethicum, nec in editis Scriptis, nec in prælectionibus vsquam appellasse; Ostendique quo iure tamen id, si libuisset, facere potuissem; tu vide quàm propriè loquaris, qui actionẽ quæ fit per rationes summa cum luce propositas, quæ fit in mente, quę tendit ad bonorum motum studium excitandum, Physicam appellas. Nam ego quidem certè nil repugno, constet modò inter nos de re ipsa, neque vos more vestro vociferemini nos homines facere stipites & truncos, quod vnum ego, reiecto motus Physici vocabulo, volebam amoliri, id quod adeo professus sum eo prælectionum mearum loco quem adduxi supra.

Sic porrò pergis, *Si dicat Camero illuminationem hanc esse actionem quâ summum bonum hominis menti internè repræsentatur & coram quasi videndum offertur, tam certè hæc illuminatio actio est purè putè Physica, ac proinde non est persuasio, quia persuasio est actio moralis. Nõ enim persuadetur id quod sentitur.* Quid facis aliud iam quàm vt ostendas me parum grammaticè loquutũ, cùm senserim Theologicè & Christianè? Tantine fuit Grammaticum erratum si nouè, si insolenter sim locutus, quod tibi non do, vt tu eo nomine tam grandem dicam mihi scriberes, ac mihi deliramentum tribueres sphinge prodigiosius, sententiam scilicet *Pelagiano-Manichaicam*, quòd cũ Augustino, homine haud planè rudi, in eodem argumento, eademq; causa, barbarè locutus tibi sum visus? Vin' locum proferam? iam protuli supra, *Si illam*, inquit, *profunditatem*, &c. &c, *persuasisti tu mihi Domine*, &c. Vt taceam id quod iam ostendi Spiritum sanctum eodẽ modo locutum; & certè fides quid aliud est quàm persuasio? Persuasio, inquã, sumpta passiuè. πίστις ἀπὸ τοῦ πείθεσθαι dicitur. Ergo motus hic quo ingeneratur fides, *persuasio* actiuè, credo, dici potest, nõ omnino barbarè. Quid? an te iam placaui, fassus me cum Augustino & Spiritu S. barbarè locutum? Credo equidem nisi implacabilis es, & durus homo; sed nolo tecũ tàm iniqua cõditione redire in gratiã: licet tueri dictũ propriè & libet, quod illuminationẽ hanc persuasionem dixi: Vindicanda mihi est Augustini authoritas, & Spiritus S. maiestas, à reprehensione tua; non feres hoc ægrè quidẽ tu.

Negas persuaderi quod sentitur; ergone etiam articulos fidei negabis persuaderi, quorum scilicet veritas sentitur? *Precor*, inquit Apostolus, *vt charitas vestra magis ac magis redundet in cognitione & omni sensu*; nõ vis Philippensibus potuisse ea persuaderi quæ Apostolus ab iis cognosci & sentiri voluit? Certè quod ante omnem institutionem & adhortationem mente præceptum habemus,

Philipp. 1, 9.

id fateor non nisi impropriè dici posse persuaderi; cæterùm hîc diuersissima ratio est: Audi nempe Apostolum, *Abdicauimus*, inquit, *turpitudinis tegumenta nō incedentes cum calliditate, neq; falsantes sermonem Dei; sed manifestatione veritatis nos commendantes omni conscientiæ*; En tibi persuasionem; vide autem vt quod persuasit, id ipsum potuerit sentiri; *Nos autem omnes retecta*, inquit, *facie gloriam Domini vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* Ecce rursus persuasionem, quæ si rei tantæ sensu animum afficit tu eam persuasionem negabis, aut si persuasionem esse concesseris, affectum qui secutus est negabis esse sensum? Neutrum profectò potes negare, falsò ergo & temerè à te affirmatum non persuaderi quod sentitur; Sanè persuasio actiuâ significatione accepta actio est, sensus terminus actionis, nam quid aliud persuasio passiuè sumpta dici potest quàm assensus quem seu docenti, seu hortanti, præbemus? atqui iam assensus mentis sensus est. De corporeis sensibus nulla hîc quæstio est. Nam quæ tu iam allaturus es quàm sint aliena iam ostendemus, subiungis enim.

2.Cor.4.2.

2.Cor.3.18.

2.Cor.5.20.

Et quis sapiens dicat persuaderi homini vt summum bonum appetat, quando id clarè ipsi videndum aut sentiendum proponitur? Voluntas non potest non appetere illud, siue suadeatur, siue dissuadetur.

Et quis, inquam ego, tam inconsideratè disputet nisi causæ studio mente perturbatus, vt sic ratiocinetur? Pugnant enim ista, vt summum bonum tam clarè videndum proponatur, neq; persuadeatur tamen. hęc enim summi boni propositio tam clara ipsissima persuasio est. Quod si tua valeret ratio, posset negari fore vt sapiens vllus dicat eum doceri cuius menti tàm firmæ, tam perspicuæ, rationes proponuntur vt non possit non acquiescere, siue doceatur, siue nō doceatur. Ridiculum, inquies, nam idipsum proposuisse tā firmas rationes adeò perspicuè, docuisse idē fuit: Quidni igitur pariter ridiculum sit quod à te allatū est; nam idipsum proposuisse tam clarè summum bonum vt appeti non potuerit, persuasisse fuit. Animaduerte autem iam quàm grauiter hîc sis lapsus: fingis enim me statuere tam clarè proponi summum bonum in hac vita atque in futura; At in hac vita, meâ quidem sententiâ, proponitur obscuriùs, atque ita in plurimum superest in mēte tenebrarum: vnde lucta quædam oritur, & repugnantia, quam componit tandem affusa copiosiùs Spiritûs sancti lux: Notitiam intelligo, ne tu hîc mihi lucem quandam Physicam, Physicas tenebras imagineris. Cæterum assensus mētis quem præcessit quædam repugnantia siue dissensio, persuasio passiuè sumpta rectè dici possit, quemadmodum adducere ad assensum eius rationis persuadere est. At in vita futura vbi nullus tenebris (ignorantiæ inquam) locus est, nulla lucta, in qua non iam cernitur, sed habetur summū bonum, in qua *non fide sed specie ambulatur*, vt loquitur Apostolus, vbi *non videmus in ænigmate, & tanquam in speculo, sed facie ad faciem*, profectò non persuadetur quod sentitur. Deinde, videris mihi cōfudisse eam illuminationē quam nullæ peccati tenebræ præcesserunt (qualis nimirum fuit Adami ante lapsum, & Christi hominis quamdiù egit in terris) cum ea illuminatione quæ hominum peccatorum est, quam præcessit ignorantia; non iam ea modò quæ simplicis negationis, sed etiam quæ prauæ dispositionis in Scholis vocatur. Nā ego quidem tibi non inuitus concessero illam Christi hominis & Adami illuminationem, persuasionem *actiuè* sumptam non nisi ἀκύρως dici posse; neque enim præcessit vlla lucta ab ignorantia profecta; sed nec vlla ignorantia eorum, inquam, quæ pertinebant ad officium pietatis, τῆς εὐσεβείας, id quod ad persuasionē de qua agimus pertinet. At verò in homine peccatore multo aliter se res habet: illius conuersionē præcessit auersio, atque aduersario, itaque ea actio qua effectum est vt sentiret aliter quàm ante sensit, idque docendo hortandoque, meritò persuasio dici possit, *Ferè*, inquit Agrippa Rex, *persuades mihi vt sim Christianus. Ferè* significantissimè id dictum est, Certè suasio hæc (& interna quidem) quæ est eadem *ferè* persuasio, non est continuò tamen persuasio. Iam vt ostendam, tibi q; adeò ipsi probem, quā in fallaciter fueris ratiocinatus, proferā tuæ geminam argumentationē, quam tu ipse sat scio reprobabis, quod si feceris (feceris autem certè, vt tu loqueris, velis nolis) vnâ eâdemque operâ & tuam ipse ratiocinationē reprobaueris. Nempe igitur illuminatio, vt tu quidem ais, est actio purè putè Physica, proindeque illuminare non est docere, non enim docetur quod sentiunt, & quis sapiens dicat doceri hominem summum bonum, quando id clarè ipsi videndum aut sentiendum proponitur, seu doceatur, seu non doceatur; imò verò quando ita proponitur sentiendum vt appeti non possit seu quis eum hortetur, seu non hortetur. Insciè ergo Christus, (absit dicto blasphemia) *quisquis audiuit, & didicit à Patre, venit ad me, scriptū enim est, & erunt omnes docti à Deo*: Vel certè Christus doctrinę nomine solam intellexit rationum propositionem, & suasionem Pelagianam. quæ vt plerumque successu caret, cùm qui ad hunc modum didicerunt ad hūc modum docti sunt, nunquam non veniant ad Christum, nam *quisquis* (inquit) *audiuit & didicit à Patre, venit.* Atqui certè tu non aliter es ratiocinatus, quicquid enim contra actionem quam dixi persuadendi disputasti, pari iure contra docendi actionem disputari potest. Pręterеà, illuminare, inquis tu, est actio Physica, docere Christo est id ipsum quod illuminare in hoc negotio. Ergo docere Christo est actio Physica. Quid iam hoccine adlubescit, vt docere actio Physica statuatur? Atqui id necesse est si illuminare mentem actio Physica est. est enim idem docere.

Ioh.6.45

Sed te iam sequor. *Præterquam quòd repræsentatio boni summi facere multum non possit ad hoc vt quis credat se bonum illud summum, quod ipsi repræsentatur, consecuturū si, ex.gr. Euangelio obediat. Repræsentatio enim ista non est argumentū aut ratio, quæ nos de veritate illius hypotheticæ enunciationis certos reddit. His itaq; rationibus suasiuis, & ad fidem, quæ huic enunciationi habenda est, generandā idoneis opus est, quas quomodo peculiari quadem vi persuasiuas faciat Camero, ita tamen vt maneant intra sphæram actionum Ethicarum, explicare nunquā poterit: Necesse est vt, velit nolit, vel non consentanea, imò contraria sibi ipsi dicat, vel in sententiā Pelagij pedibus eat.* Hîc verò tu iam grauissimè errasti. Somnias enim summū bonū posse repræsentari extra Euangelium, quin tu Paulum audis clamantem,

Nos

Nos omnes retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Et Iohannem, *Ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Nam lex per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum præstita est. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus ille qui est in sinu patris ille nobis exposuit.* Et capite quinto prioris Epistolæ ṽ. 11. *Est autem hoc testimonium, nempe quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium habet vitam.* Audiamus & Christum. *Hæc est autem volũtas eius qui misit me, vt omnis qui conspicit filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Et, *Sicut misit me viuens ille pater, & ego viuo per patrem, ita etiam qui ederit me viuet ipse quoque per me.* Nam quod ais, repræsentationem summi boni non esse argumentum aut rationem quæ de veritate illius hypotheticæ enunciationis, *Si credideris Euangelio viues*, certos faciat, nec id vacat grauissimo errore: Fac enim fieri posse vt extra Euangelium summum bonum menti repræsentetur, omninò inde duci possit certissimum argumentum, & verò demonstratio, vnde constet nullam aliam ad summum bonum patêre viam quàm per fidẽ in Christum & pœnitentiã, *Ego sum* (inquit Christus) *via, veritas, & vita.* Quemadmodum enim in Ethica finis notitia rationem habet notitię principij, mediorum verò comprehensio, quæ inde oritur, rationem habet scientiæ, & assensûs qui præbetur conclusioni. Hîc planè eadem ratio est, dato enim summum hominis bonum esse vnici Deo; consequens est non posse (cùm sit homo peccator egeatq; Mediatore) aliter id fieri quàm per Christum agnum immaculatum qui tollit peccata mundi. Indidemque sequitur necessariò oportere Christum eorum esse caput quibus per eum patet aditus ad Deum, quod sine fide nequit esse. Sed & cùm vnio nostra cum Deo requirat in nobis Dei similitudinem in sanctitate & iustitia, consequens est vt iustitię & sanctitati studeamus, vitam flagitiosè & nequiter actam detestemur; quæ enim affinitas est luci cum tenebris, Christo cum Belial? Nisi fortè tu aliam aliquam viam ad summum bonum extra Euangelium, Deo scilicet sapientior & melior, potes inuenire & aperire. Noui cuius è lacunis hæc sint hausta: eum, quia tibi studeo, nollem te habere vel *Socium* vel Magistrum.

Ioh. 6. 40.

vers. 57.

Sic tandem concludis. *His itaque rationibus suasiuis, & ad fidem generandam idoneis opus est quas quomodo peculiari quadam vi Camero persuasiuas faciat, ita tamen vt maneant intra sphæram actionum Ethicarum, nõ poterit explicare,* &c. Id verò iam ego satis explicaui, dixi enim conuersionem quidem fieri propositis rationibus non vtcunque, sed certo quodam modo & conuersis peculiari, eumque motum Ethicum dici posse respectu voluntatis, quæ scilicet hoc pacto commouetur, etiam (quanquam hoc neque in Thesibus, neq; in Prælectionib. dixerã) respectu mentis, quia mentis vitium, quod hoc modo corrigitur, Ethicum est, & mens ipsa facultas rationalis. Neq; verò ideò vel Pelagianus sum, quia nolo motum hũc (vt iam sæpius monui) intrinsecus, & ex parte sui, communem esse, neq; verò Manichæus sum, quia nolo hunc motum sese exerere in quandam mali substantiã admixtam, qui error Manichęi fuit, patrum nostrorum memoriâ in Germania à Flaccio Illyrico ab inferis reuocatus. Itaque hæc tua conclusio vana, calumniatrix, & temeraria est.

Cap. V.

Cameronis sententia non est explosa è Scholis.

Sed progrediamur. *Verumtamen, inquiet aliquis esto sententia Cameronis sit damnata Canonibus Synodi Dordracenæ, Aleziana, & Charentonensis, sit Pelagianæ affinis. Quæstio principalis est an non sit vera?*

Respondeo, fateor rem ita se habere, & hoc præcipuè considerandum esse. Neque is sum qui in istis argumentis subsidium causæ meum præcipuum colloco; tantum vsus sum hisce argumentis ad hominem, vt loquuntur, quia scio quanti apud eos Synodi Dordracena, Aleziana, & Charentonensis valeant. Penè fortius isto argumẽto à Synodis sumpto, proh dolor! etiam apud eos qui se Reformatos vocãt, hodie pugnatur quam Scripturis & claris rationibus. Pelagianismi verò hæresin tantopere detestantur, vt eo nomine etiam nostram sententiam, horrendo addito iuramento, damnare non dubitarint, quod Pelagianam eã esse crederent propter hos itaq; quæ hactenus scripsi dicta volui. Nunc restat vt videamus id quod præcipuũ est, an sententia hæc Cameronis vera sit. Ego eam non tantum falsam esse credo, sed admodũ noxiam, & periculosam. Vt vtrumque hoc euincam, non vtar argumentis omnibus in Schola vsitatis, quæ alioquin solida satis esse mihi videntur: iampridem enim vbique, in omnib. penè Scholis, explosa est hæc sententia Cameronis, adeò vt pauci admodum reperiantur qui ei patrocinium suum commodent.

Hic verò iam tertius est impetus tuus. Conatus es me committere cùm Synodis nostris, frustra, vt demonstratum est. Conatus es ostendere sentẽtiam meam esse Pelagianã & Manichæam, vel (vt tu loqueris, quasi ipso vocis sonos velles pueros territare) Pelagiano-Manichaicã, & hoc etiam frustrà. Nunc verò gradius aliquid & magnificentius spondes, neque tamen id facere potuisti quin eos qui à te dissentiunt obliquè perstringeres, quasi ij essent qui hominum authoritati plus quàm Dei verbo tribuant, & vocabulis grauius quàm reb. ipsis offendantur: Simul meam sententiam inuidiâ atque odio studes onerare, quorum vtrumque à te factum, qui tantum veri studium candoremque præ te fers, non possum satis mirari, tu enim rem omnem præiudiciis obruis, teque facis (quod non est optimi moris) alienæ conscientiæ arbitrum. Nam quod ais meam sententiam è Scholis esse explosam, ego verò id tibi non assentior; de ea non nego in Scholis disputari, nego verò eam esse è Scholis eiectam. Certè voluntatem ab intellectu moueri, & quidem necessariò, grauissimorum & sapientissimorum Philosophorum semper sententia fuit. Socratem primum audiamus sic apud Platonem cum Alcibiade disserentem.

Plato

« Soc. Enimuero nec illud te aduersus matrem patrasse vnquam velle iudicabo quod Orestem & Alcmæona, & si qui tales fuere; commisisse ferunt. Al. Benè ominare per Iouem, ô Socrates. Soc. Non decet, ô Alcibiades, eum qui inquit te nolle ista fecisse, iubere vt bene ominetur, sed potius si quis contraria diceret. Postquam facinus tam horrendum tibi videtur vt ne pronunciari

quidem facile debeat, putas Orestem si prudens fuisset, & quid bonum sibi nouisset, scelus tantū ausurum fuisse? AL. Non certè. SOC. Neque alium, vt arbitror, vllum. AL. Nullum. SOC. Malum igitur, vt videtur, ignorantia optimi, & quod optimū est ignorare. AL. Mihi sane videtur.

Et lib. de Legib. Dialog. 3. ATHEN. Quænam igitur maxima inscitia iure dicetur? Considerate si mihi assentemini. Ego enim hanc censeo. CLIN. Quam? ATHEN. Quando aliquis quod honestum sibi aut bonum videtur non amet, sed oderit: quod autem malum atque iniustum id diligat, atque amplectatur. Hanc voluptatis dolorisque dissensionem aduersus eam quæ rationem sequitur opinionem, extremam esse inscitiam assero, quam etiam maximam dico quia in Multitudine animi est; quod enim in eo doloribus voluptatibusque mancipatum est, quasi Plebs ciuitatis est atque Multitudo. Quando igitur scientiæ, vel opinioni, vel rationi, quæ naturâ dominantur, animus aduersatur, hoc ego ignorantiam appello; & Ciuitatis quidem quando Principibus legibusque Multitudo non paret; & vnius etiam viri, quando licet bonæ in animo rationes sint, nihilo tamen magis secundùm ipsas agitur, sed contra omnia peraguntur. His equidem ignorantias perniciosissimas esse assero Ciuitatis, cuiuslibetque Ciuis, non autem opificum ignorantias, si modò quod dico Hospites intelligitis. CL. Et intelligimus, ô amice, & concedimus.

Xenophon. Iam Xenophontem audiamus de factis & dictis Socratis lib. 3. Sapientiam verò & moderationem (σοφίαν καὶ σωφροσύνην) non distinguebat. Qui enim bona atque honesta sciret ad vrendum eis, ac turpia cognosceret vt ab eis abstineret, sapientem ac moderatum esse iudicabat. Interrogatus verò an illos qui scirent quæ agere oportebat, contraria verò facerent, sapientes & abstinentes esse arbitraretur: Imò, inquit, insipientes potius atque ignaros, omnes enim, vt opinor, eligendo quàm maximè possunt quæcunque eis conducere videantur, illa agunt: quicunque ergo non rectè agunt, neque sapientes nec moderatos eos esse. Aiebat autem, iustitiam etiam, omnemque aliam virtutem, sapientiam esse: omnia enim siue iusta, siue quæcunq; cum virtute aguntur, bona atque honesta esse: quæ si quis sciat, nec eligere, nec alia agere præter hæc posse; quod si conetur, aberrare. E conuerso verò qui nesciat, nec agere illa posse, & si conetur, aberrare. Quum igitur tum iusta tum etiam alia bona atque honesta, perficiantur virtute, patet iustitiam, ac omnem aliam virtutem, sapientiam esse, insaniam autem contrarium esse sapientiæ ponebat. Non tamē inscitiam insaniam appellabat, sed ignorare seipsum, ac illa quæ quis nesciret opinari cognoscere, hoc propè insaniam esse aiebat. Vulgus tamen dicebat non illos qui nesciant quæ plures ignorant, putare insanire, sed illos potius qui ignorent quæ plures cognoscant: nam siue tam longum quisquam se esse putet vt quum portas exeat vrbis, sese demittat, siue tam robustum vt conetur domos supra humeros tollere, aut aliquid aliud aggredi quod omnes impossibile esse sciant, illum insanire dicunt: qui verò in paruo quodam aberrat ille non videtur vulgo insanire, sed sicut vehemens desiderium Cupidinem appellant, sic magnam inscitiam, Insaniam nominant.

Cebes. Cebes etiam testimonium dicat. Quo pacto ergo id quisquam bonum iudicabit, quod sæpe nullo modo suppetere prodest? Si quis ergo diuitiis benè & peritè vti scierit, benè viuet, sin minus, malè. Verissima dicere mihi videris. Ad summam, quia hæc aut in pretio sunt: vt bona, aut in contemptu, vt mala: idipsum est quod homines perturbat & lædit, cùm scilicet ea mortales magni faciunt, seque per ea sola fœlicitatis fore compotes opinantur, eorumque causa ordine faciunt omnia, etsi maximè impia esse videantur. Hæc omnia eis accidunt quia quid bonum sit ignorant.

Stoici. Nam Stoicorum illud effatum, *omnes stultos insanire*, ne habeat sanè authoritatem nisi id Cicero rebus addixit necessariis lib. Paradoxorum.

Aristoteles. Sed iam prodeat Aristoteles in medium, qui in Scholis regnat, eius verba sunt lib. 3. Eth. Ignorat igitur sanè improb. omnis quænam sint agenda & à quibus sit abstinendum, καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. Eiusdem lib. cap. 5. Nam postea quàm consultatione adhibitâ iudicauimus, tum ei consultationi conuenienter appetimus. Et lib. 6. c. 2. Quod est autem in cogitatione affirmatio & negatio hoc est in appetitu rei alicuius persecutio, & fuga. Et sub finem eiusdem cap. διὸ, inquit, ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητική, καὶ ἡ τοιαύτη ἀρχὴ ἄνθρωπος. h. e. Consilium itaq; aut mens est ad appetendum excitans, aut appetitus cogitādi vim habens, principiumq: tale homo est. Et cap. 13. Consilium igitur rectū virtus efficit. Ea autem dispicere, quæ aliûs causâ agi consueuerunt, hoc non virtutis, sed cuiusdam alterius facultatis munus est: de quib. accuratiùs & planiùs est dicendū. Est igitur vis, seu potestas quædam quam solertiam vocant. Hæc autē eiusmodi est, vt ea quę ad scopum propositum pertinent agere & cōsequi possit: ac, si scopus quidem honestus sit, laudabilis: sin malus ac turpis, versutia est nominanda. Itaque prudentes eosdem & solertes, non autem versutos dicimus. Prudentia porrò non est hæc potestas, sed tamē nō sine hac potestate. Habitus autem hoc quasi animi oculo ingeneratur in nobis non sine virtute, vt & dictū est, & perspicuum est. Ratiocinationes enim eæ quę rerum sub actionem venientium principium continent, eò sunt cōque valent quòd finis talis est, & quòd est optimum bonorum, quodcunque illud tandem sit. Esto enim, verbi gratia, aliquid forte fortuna oblatum, Hoc autem non nisi viro bono apparet, peruertit enim & deprauat iudicium rationis vitiositas, efficitque vt de principiis ad agendum aptis falsum iudicemus. Ex quo perspici potest, fieri non posse, vt quis sit prudens, quin idem sit vir bonus. Et lib. 8. cap 9. ἐν δὲ ταῖς πράξεσι τὸ οὗ ἕνεκα ἀρχή, ὥσπερ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς αἱ ὑποθέσεις. οὔτε δὴ ἐκεῖ ὁ λόγος διδασκαλικὸς τῶν ἀρχῶν, οὔτε ἐνταῦθα, ἀλλ' ἀρετή, ἢ φυσικὴ ἢ ἠθικὴ τοῦ ὀρθοδοξεῖν περὶ τὴν ἀρχήν. i. in actionibus autem id cuius gratia illæ suscipiuntur: principium est, vt in Mathematicis ea quæ posita & concessa sunt. Neque igitur illîc principia ratione doceri possunt, neq; hîc, sed virtus aut naturalis, aut ea quæ ex consuetudine comparatur, rectè sentiendi de principio, magistra est. Et li. de Anima tertio c. 3.

πολλὰ

πολλὰ κατ' αὐτὰς (subaud. αἰσθήσεις) πράττει τὰ ζῶα, τὰ μὲν διὰ τὸ μὴ ἔχειν νοῦν, οἷον τὰ θηρία, τὰ δὲ διὰ τὸ ἐπικαλύπτεσθαι τὸν νοῦν ἐνίοτε πάθει, ἢ νόσοις, ἢ ὕπνῳ, οἷον ἄνθρωποι. h.e. Et quoniã huiusmodi à sensu profectæ motiones animis impressæ manent referuntque similitudine ipsos sensus, propterea per illas multa animantes conantur & faciunt, aliæ quod mentis expertes sint vt bestiæ, aliæ vt homines, quod mens in eis interdum vel perturbatione, vel morbo, vel somno impedita & obscurata sit. Et lib. de motu animantium cap. 5. παραπλησίως συμβαίνει καὶ περὶ τῶν ἀκινήτων διανοουμένοις καὶ συλλογιζομένοις: ἀλλ' ἐκεῖ μὲν θεώρημα, τὸ τέλος. ὅταν μὲν τὰς δύο προτάσεις νοήσῃ, τὸ συμπέρασμα ἐνόησε καὶ συνέθηκεν, ἐνταῦθα δὲ ἐκ τῶν δύο προτάσεων, τὸ συμπέρασμα γίνεται πρᾶξις. οἷον ὅταν νοήσῃ, ὅτι παντὶ βαδιστέον ἀνθρώπῳ, αὐτὸς δὲ ἄνθρωπος, βαδίζει εὐθέως, ἂν δ' ὅτι οὐδενὶ βαδιστέον νῦν ἀνθρώπῳ, αὐτὸς δ' ἄνθρωπος, εὐθὺς ἠρεμεῖ. καὶ ταῦτα ἄμφω πράττει, ἂν μή τι κωλύῃ ἢ ἀναγκάζῃ. ποιητέον μοι ἀγαθόν, οἰκία δὲ ἀγαθόν, ποιεῖ οἰκίαν εὐθύς, σκεπάσματος δέομαι, ἱμάτιον δὲ σκέπασμα, ἱματίου δέομαι, οὗ δέομαι ποιητέον, ἱματίου δέομαι, ἱμάτιον ποιητέον. τὸ συμπέρασμα, τὸ ἱμάτιον ποιητέον πρᾶξίς ἐστι. πράττει δ' ἀπ' ἀρχῆς. εἰ ἱμάτιον ἔσται, ἀνάγκη τόδε πρῶτον, εἰ δὲ τόδε, καὶ τόδε πράττει εὐθὺς ὅτι μὲν οὖν ἡ πρᾶξις τὸ συμπέρασμα, φανερόν. i. At enim simile quippiã hic accidere, & vsu venire videtur quod iis qui de reb. ab omni motu liberis aliquid mente & ratione concludũt: sed hoc interest, quod illic perceptum & cognitio finis est (cùm enim duas propositiones animo ac mente comprehendit, conclusionem tum comprehendit & reponit in animo) hìc verò ex duabus propositionibus conclusio quæ ad agendũ pertinet efficitur, veluti cum quis animo concipit omni homini esse ambulandum, & quod ipse homo est ambulat statim. Si verò censeat, nemini homini nunc ambulandum esse, & idem homo sit, statim quiescit: Atq; hæc duo facit nisi quid obstet & vim inferat. Agendum mihi est bonum; domus autem bona, commodaque est, statim domum construit, & ædificat. Vestis autem integumentum est, veste careo, quo careo id faciendum est: veste autem careo vestis igitur facienda est. Et conclusio hęc *vestis facienda est*, ad agendum pertinet: Agendi autem principium ab initio ducit, Et si vestis sit futura, quod primum est necesse est esse, quod si sit, id etiam, atque hoc statim facit. Illud ergo perspicuum est conclusionem ad agendum pertinere.

Hæc igitur Platonis, Xenophontis, & Aristotelis denique, qui iure principatum in Scholis obtinuit, de voluntatis & mentis inter se conspiratione sentẽtia fuit, quæ si è Scholis explosa est, mea sanè, quę eadẽ est, pariter fuerit explosa: Sed tu id nunquam effeceris; sane Fonseca, qui totus vester est locuples testis est in primis. Is in lib. 9. Metaphys. cap. 2. Quæst. 5. §. 3. Sunt tamen (inquit) & MVLTI & GRAVES etiam Authores qui asserant voluntatem determinari & quoad speciem actus, & quoad exercitium, ab vltimo dictamine seu iudicio practico intellectus; ita vt stante eo iudicio, non possit voluntas illud non sequi, vocant autem vltimum dictamen, iudiciumque practicum, illud quod intellectus omnibus inspectis iudicat, hoc vel illud, hîc & nunc esse faciendum, aut è contrario non esse faciendum. Quod vsque adeo verum esse asserunt, vt in eo qui dixit.

Sic volo, sic iubeo, sic pro ratione voluntas locum habere putent; vbi tamen nulla videtur habita ratio iudicij, sed solius voluntatis. Imò in eo, qui vel solius libertatis exercendæ causa expressiùs dicat, Volo oppositum eius quod hic & nunc ratio iudicat esse faciendum. Aiunt enim illud iudicium non fuisse vltimum, sed hoc potius, quo is iudicat illi iudicio esse repugnandum; quod vtique iudicium vltimatè practicum est & posterius illo. Ita sentiunt nonnulli D. Thomæ sectatores.

Estius in 2. Sententiarum, Dist. 22. §. 19. tradit hanc esse Thomæ doctrinam *omnem peccantem errare*, idque plurimis testimoniis in medium allatis probat, quæ hoc loco afferre necesse non est. Addit etiam. Hanc sententiam pleriq; alij Theologi amplectuntur, vt Durandus in 4. Distinct. 39. quæst. 1. Capreolus in 3. dist. 36. Adrianus Quodlib. 4. Art. 1. & Caietanus in 1. 2. quæst. 77. art. 2. cum cæteris discipulis S. Thomæ. Inter quos Medina super eundem Articulum commentans hanc doctrinam velut certissimam veritatem astruit: Nec sane dubitari potest quin ea fuerit Aristotelis sententia &c.

Eiusdem dist § 21. Etiam in primo peccato errorem iudicij fuisse asserit; idque (*inquit*) ingenuè Medina fatetur & affirmat in 1. 2. quæst. 77. art. 2. Addens idem posse dici de peccato Angelorum. Nec immeritò cum ipse S. Thomas scribens super dist. 5. huius libri, quæst. 1 Art. 1. In Angelis peccantibus agnoscat errorem electionis.

Idem dist. 24. §. 3. Nam tale iudicium practicũ rem repræsentat tantum sub ratione boni. Quoniam verò iudicium hoc fit ten[?] ex parte intellectus, idcirco arbitror Patres Concilij Tridentini illud significare voluisse nomine illuminationis Spiritus S. per quam Deus tangit cor hominis, id est volũtatem, nimirum efficaciter eam mouens: eo quod electio voluntatis eiusmodi illuminationem necessariò consequitur.

Suares verò Disputationum Metaph. disp. 19. §. 7. in resolutione quęstionis, *quæ sit radix & origo defectûs causæ liberæ*, eo vi veritatis adactus est, vt dicat. 2. Assero moraliter loquendo, nunquam voluntatem labi quin præcedat in intellectu aliquis defectus, saltem inconsideratio aliqua plurium rationum vel motiuorum, quæ possunt voluntatem continere ab eo affectu in quo peccat. Hoc satis probat experientia; & de hac inconsideratione intelligi potest Philosophus; nam hæc inconsideratio dicitur quædam ignorantia practica.

Ex quibus satis intelligi potest voluntatem, vt Scholasticè loquar, quod ad actus specificationem (quicquid esset de exercitio) ab intellectu necessariò determinari; Itaque quidquid appetet voluntas, si in intellectu nullus error fuit, idipsum bonum esse necesse est; Et cõtra, si malum est quod voluntas appetit, errorem præcessisse in intellectu necesse est, qui voluntatem quod ad actus specificationem perperam determinauit. Cùm igitur audito Euangelio, quo inuitãtur homines ad fidẽ & pœnitentiam, voluntas aliquem actũ exercet, siue is actus sit volendi, siue nolendi, certè vt feratur in alterutram partem potiorẽ aut deteriorem, id ab intellectu necessariò depẽdet; id quod ostendisse satis est ad controuersiam

quæ tibi mecum est definiendum; certum est enim in vocatione vel homines velle Christum vel nolle; statùs medius nullus dari potest. Nam si quiescat voluntas, idipsum iam nolle quoddam erit, nolle, inquam, parère, & se præbere contumacem, quandoquidem ipsum præscribitur vt ne quiescat, sed ardentissimo studio incendatur. Certè Thomæ constans sententia est fieri nequire vt cognitum summum bonū non ametur, agniturnq; vnicum & necessarium medium, cuius interuentu illud consequi possis, respuatur: atqui iam vera Dei in Christo cognitio vtrumq; hoc præstat; nam si non habetur Deus pro summo bono, Christus pro vnico illius consequendi medio, nulla fides adhibetur Euangelio. Itaque, vel ex Thomæ doctrina id sequi necesse est, vt voluntas, dum paret Euangelio, fuerit in hanc partem ab intellectu inclinata.

Cap. VII.

Cameronis sententia habet fautores Theologos veteres & recentiores.

Animaduertisti iam tu me in Hypothesi quidem à Scholasticis dissentire; In Thesi habere Philosophos, Scholasticos, teste Fonsecâ, MVLTOS & GRAVES viros, mecum consentientes, vt non nisi iniuriâ tu dixisse possis sententiam meam quod attinet ad Thesin, ex Scholis esse explosam, nisi forte tu is es qui Scholas illas nullas esse putas quibus id placet quod tibi non probatur. Sed fortasse Philosophorum, qui sæpè licentiùs disputant, hæc fuerit sententia, at continuò Theologorum eadem sententia non fuit; Audi igitur & Theologos veteres primum, tum deinde recentiores.

Irenæus lib. 5. aduersus hæreses. Et propter hoc intulit, *induentes nouum hominem, eum qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius qui creauit eum.* In eo ergo quod ait, *qui renouatur in agnitionem*, demonstrabat quoniam ipse ille qui ignorans erat ante homo, id est ignorans Deum, per eam quæ in eum est agnitionem renouatur. Agnitio enim Dei renouat hominem.

Basilius in Psal. 37. enarrans illa Dauidis verba, *Putrue unt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, sic ait. Insipientiam stultum suum factum nominat ab insipientia procedens, πᾶν γὰρ ἁμάρτημα κατ᾽ ἀφροσύνην γίνεται, omne enim peccatum per stultitiam fit.

Chrysostomus tom. 1. Homilia in Ps. 27. ṽ. 1. Qui illuminat conscientiam amouet tenebras cordis, in mentem suggerit dictionem vt veniatur ad correctionem vitæ, & ad conscientiam spiritualem. *Et paulò post.* Mentes ex hac luce illuminatæ non ruunt in peccata, non offendunt in vitiis. Item, Illuminatus homo interior non claudicat, à via non recedit, totum totam tolerat, qui de longinquo videt patriam, aduersitates sustinet, in temporalibus non contristatur, sed in Deo confirmatur, deprimit cor & sustinet, & humilitate sua patientiam habet.

Iam si Augustinum aduersus Pelagianos disputantem audire placet sic ille loquitur, lib. de prædest. sanct. cap. 8. Quādo ergo pater intus auditur & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promittit. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ quę præparauit in gloriam. *Et paucis interiectis.* Nam & si illos quibus stultitia est verbum crucis, vt ad Christum venirent docere voluisset, proculdubiò venirent & ipsi: non enim fallit aut fallitur qui ait, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Absit ergo vt quisquam non veniat qui à Patre audiuit & didicit.

Et cap. vlt. eiusdem libri. Porrò si quanto maior est notitia tanto erit maior dilectio, profectò nunc quantum deest dilectioni tantum perficiendæ notitiæ deesse credendum est.

Eiusdem Patris verba sunt Tract. 26. in Ioh. Ramum viridem ostendis oui & trahis illam, Nuces puero demonstrantur & trahitur &c. Si ergo ista quæ inter delitias & voluptates terrenas reuelantur amantib. trahunt, quoniam verū est, *trahit sua quemque voluptas*: non trahet reuelatus Christus à Patre? quid enim fortius desiderat anima quàm veritatem? *Et paulò ante dixerat:* Ista est reuelatio, ipsa est attractio.

Ambrosius Comment. in cap. 1. Epist. ad Ephes. ad hæc verba, *vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater claritatis det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis.* Manifestum est, *inquit*, quia ideo se orare dicit pro iis vt fidei suæ spem cognoscant in remuneratione cœli: quia cùm plenè scierint qui fructus sit credentium, propensiores fient circa excolendam Religionem. Iam enim in huiusmodi profectûs fore videntur qui si antequam sciant promissionis gloriam, tam deuoti sunt, propensiores fient necessariò cum cognouerint.

Gregorius Magnus cap. 2. lib. 6. expos. in 1. Reg cap. xv. Nam superbire nequeunt nisi qui prius oculos cordis perdunt. De libidinosis verò valde clarius constat: quia in fornicationis barathro se nunquam obruerent, si à luce intimæ gloriæ non ante caligarent.

Audisti veterum sententiam. Audi iam & recentiorum. Zuinglius Comment. de vera & falsa relig. Tract. de peccato. pag. 131. Quid ergo est quod in ea instauratur? Mens: quo pacto? isto, quod prius erat Dei ignara: vbi autem Dei ignoratio est, illic nihil quàm caro, peccatum, existimatio sui est. Posteà verò quàm Deus agnoscitur iam perspicit homo se intus & in cute, cognitumque abiicit; quo fit, vt simul opera sua, ea etiam quæ hactenus bona solebat æstimare, videat nullius esse pensi. Quum igitur per illuminationem cœlestis gratiæ mens Deum agnoscit, iam nouus homo factus est: Qui enim prius confidebat in sapientia sua, in operibus, opibus, aut viribus, iam in solum Deum sperat. Cui prius omne consilium fuit vt sibi benè esset nullâ honesti aut Dei habita ratione, iam ad hoc vnum intentus est, vt nihil pristinæ consuetudinis seruet, sic verò se ad Dei voluntatem formet, vt nusquam offendat.

Caluinus Instit. lib. III. cap. 11. §. XII. At quemadmodum radicitus non hæret in reprobis de paterno Dei amore persuasio, ita non solidè eum redamant vt Filij, sed mercenario quodam affectu ducuntur. Idem Comment. in 1. Ioh. cap. II. vers. 3. Notandus est hic ordo quum dicit *nos cognoscere quòd nouerimus &c.* Significat enim Dei obedien-

" obedientiam sic coniunctam esse scientiæ, vt tamen hęc ordine sit prior, sicuti necesse est CAVSAM effectu suo esse priorem. Idem Comment. in Ies. cap. XI. vers. 9. Hæc scientiæ plenitudo si animos nostros occupat, omni malitia exinaniet. Idem etiam Comment. in Ioh. cap. XVII. vers. 3. Vt hæc sententia probè intelligatur: Primò tenendum est nos omnes in morte esse, donec illuceat nobis Deus qui solus vita est. Vbi autem illuxit, quia eum fide possidemus simul ingredimur in vitæ possessionem: Hinc fit vt eius cognitio verè & meritò dicatur esse salutifica, *&c.*

Bucerus Comm. in Rom. c. 5. in hæc verba. *Et per peccatum mors.* Initium namque (inquit) omnis mali in vita à deprauatione iudicij est; eo quod hoc SEMPER voluntas prosequatur, quod prosequendum iudicarit ratio. Idem in cap. I. eiusdem Epist. in conciliatione locorum Scripturæ quæ impiis partim tribuunt, partim adimunt Dei cognitionem. Altera verò cognitio plena est adeò & solida vt ILLICO EX SE gignat amorem, dignamque reuerentiam Dei, vnde & vita æterna dicitur. Hæc est quam Dominus promittit electis suis per Christum, nouique fœderis participibus propriam facit, *cognoscent me omnes à minimo vsque ad maximum &c.*

Idem paulò ante Scripturę loca protulerat, quæ impiis omnem adimunt Dei cognitionem, quæ quia ad rem quam nunc agimus plurimum faciunt non ea referre pigebit. Tribuunt (*inquit*) illis statuere in corde suo non esse Deum Ps. 14. Paulus 1. Cor. 2. negat eos qui renati non sunt, ac ideò etiamnum animales, posse percipere quæ Dei sunt. Nec mirum cùm vita æterna sit Deum nouisse. Et Dominus ipse dicat. Nemo nouit Filium nisi Pater, & Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Iohannes pronunciat eos mendaces qui dicant Deum se nosse nec obseruant quę præcipit. Et Paulus scribit Ephesios cùm absque fide in Christum essent fuisse ἀθέους *absque Deo.* In Prophetis etiam vbique nosse Deum caput esse totius innocentiæ & iustitiæ prædicatur, vt non nosse totius iniquitatis & peruersitatis.

Idem lib. De vera Ecclesiarum in doctrina, ceremoniis, & disciplina reconciliatione pag. 78. Quæ enim homo certò nouit sibi bono esse aut fore, ea non potest non expetere, non consectari: itaque malo, non fugere, & declinare: quare qui à Patre plenè audiuit, & didicit in Christo æternam salutem & fœlicitatem propositam, in mundo verò mortem & perditionem sempiternam: Is NON POTEST non relicto mundo venire ad Christum: sed hoc venit libentiùs, & ideò liberiùs: magis scilicet sua sponte & voluntate quo magis necessariò, hoc est, quo perfectiùs Christum nouerit. *Pag.* 129. Nam quod mens rebus expetendis, & agendis cognouerit bonum, id non potest voluntas non statim expetere, & ad quærendum aut agendum illud mouere, vt & auersari & fugere quod mens intellexerit malum esse. *Pag.* 290. Cognitionem enim certam, & iudicium animi firmum, omnis voluntatis actio (vt est confidere, & amare) sequitur.

In actis Colloquij Ratisbonensis pag. 243. Proinde quod homines eiusmodi qui scientes in peccatis hærent, de rebus diuinis atque Euangelio vel sentiunt, vel loquuntur, id non est ex fide, sed ex inani quadam, & euanida opinione à Maioribus imbibita, & consensu vulgari cõfirmata. Ita Aristoteles nec veram & practicam rei agendæ cognitionem illis tribuit qui manifesta peccata vitæ admittunt, aut enim non exercent (inquit) ij quam habent virtutum cognitionem vniuersalem: aut certè non adhibent eam iudicio de rebus agendis singularibus. Quapropter dum de virtutibus præclarè loquuntur faciunt id ceu dormientes vel ebrij. Hinc rationem scitè Aristoteles explicuit 7. Ethic. ad Nicom. Et Thomas Aquinas 1. 2. qu. 76. Art. 2. Quocirca & Cotta apud Ciceronem optat persuaderi sibi esse deos non opinione solùm sed etiam ad veritatem. Nec enim dubitat, sacrilegiis, impiis, & periuris id non esse persuasum. Nam si ad veritatem persuasum haberent esse deos, & contemptores suos vlcisci, existimabat eos ab omni sacrilegio, impietate, & periurio fore alienos.

Martyr Loc. Comm. cl. 3. loc. 3. Ad hæc fides efficit vt Deum apprehendamus non modò quatenus bonum, sed vt nostrum extremum bonum; quod necessarium est vt amore atque charitate, illicò vt fuerit perspectum, prosequamur. Equidem spinosis illis sophistis nunquam assentiri potui qui dicunt fieri posse vt supremum bonum intelligant, & nihilominus voluntatem ab eius complexu, & amore sustineant.

Ibidem paulo ante §. 21. Aristoteles in Ethicis inuestigat, qui fieri possit vt cum scientia de rebus agendis maneat, quippiam aduersus eam committatur: atque ait posse fieri vt generalis tantum notitia retineatur, sed cum singularia impellant maximè, facilè impetum rei singularis quæ obijcitur vniuersalem cognitionem vincere, & eam reddere imbecilliorem. Si statuerit quispiam apud sese, omne furtum rem esse iniustam, & infamem, & ex altera parte sentiat, omne suum commodum esse prosequendum; facile potest fieri vt singularem sententiæ prioris non inducat, ita vt secum attentè reputet; Quod modò tentas furtum est, res iniusta, & infamis, Nam si has conditiones vehementer in animo versaret, & oculos in eas defigeret, minimè furaretur.

Idem in sequentibus Dauidem contendit cum adulterium commisit, vniuersali quidem at non singulari cognitione fuisse præditum.

Et Comm. in Genes. cap. XXVIII. v. 16. Philosophi contingentiæ duplex statuunt fundamentum; Materiam quæ vt in alias, atque alias incurrit agentes causas, ita formam aliam, aliamque induit; & voluntatem qua actiones gubernantur. Habet autem voluntas rationem materiæ, quia regitur & impellitur ab intellectu.

Musculus in Ies. cap. LIII. vers. 14. in hæc verba: *Scientia sua iustificabitur seruus meus.* Hæc scientia non est alia quàm fides electorum, quam confessus est Petrus, dicens: Ad quem ibimus? Tu habes verba vitæ æternæ: Et nos credimus, & scimus quod tu sis Christus Filius Dei. Ioh. 6. per hanc iustificat Christus &c. Iam verò contendunt omnes Ecclesiæ Reformatæ Doctores charitatem effectum esse fidei. Quare hæc scientia non fuerit absque determinatione voluntatis.

Vrsinus Comm. in Ies. cap. V. vers. 13.

Hinc etiam altera quæstio facilè soluitur. An

» omnia peccata ex ignorantia Dei proficiſcantur,
» omnes enim impij carent vera Dei agnitione &c.
» Quin etiam homines pij PROPTEREA peccant
» in hac vita, quia cum ea Dei cognitione vera &
» viua, qua ſunt prędịti, coniuncta eſt aliqua igno-
» rantia, hoc eſt cognitio Dei non eſt perfecta.
» Idem in Epiſtola de prædeſtinatione ad amicum.
» Agit voluntas, ſed mota, & acta, inclinata, emol-
» lita, renouata à Deo per verbum, non, inquam,
» impulſa vt lapis, vel truncus, ſed obiecto in men-
» te agitato allecta & inuitata.

Cap. VII.

Cameronis ſententia non pugnat cum ratione peccati.

Atque hæc à me allata ſunt, non quod ſperem tantorum virorum authoritatem vllum apud te pondus habituram, cuius etſi cùm agitur cauſa veritatis non eſt habenda præcipuè ratio, at certè contemni faſtidiosè non debet. Verumtamen accipio conditionem, nec tibi Scholarum, nec Patrum, nec doctorum Virorum teſtimoniis pugnare, neque verò mihi fas ſit hoc armorum genere me tueri: quin vtrique potius ratione, & authoritate Scripturæ certemus; ea demùm pugna legitima eſt. Ego te (quod facilè poſſem) cum tuis non committam, tu viciſſim ne me ſtudeas committere cum meis; quod niſi fortè in docendi methodo, aliter certè non potes. Hoc verò eſt quod vix ſeriò tandem aggrederis, idque duabus tantum rationibus quas tu ſigillatim quantâ potes induſtriâ, quoque polles ingenio, expolis & munis, ac prior quidem ratio tua ad hunc modum à te propoſita eſt.

Si ea eſt natura voluntatis vt neceſſariò determinetur ad vnum à iudicio rationis practico (vt Camero vult) impoßibile eſt vt detur vllum peccatum pœna dignum, aut virtus vlla digna præmio: at hoc abſurdum eſt. Ergo & illud.

Minor in confeſſo eſt. Ratio conſequentiæ eſt, quoad prius membrum de peccato. Quia ſi detur peccatum vllũ pœna dignum, peccatum illud ſtatuetur aut in ipſo iudicio rationis aut in volũtate ſiue in volitione ex iudicio illo reſultante. In neutro ſtatui poteſt: Non in iudicio quia actus iudicij purè naturalis eſt, & neceſſarius. Naturalia autem & neceſſaria peccata eſſe nõ poſſunt, nedum peccata pœnâ digna: vel potius hoc pacto, quia in iudicio ad ſummum aliud nihil locum habere poteſt, quàm error. At error quâ error tantùm eſt, non poteſt eſſe peccatum, nedum peccatũ pœna dignum. Nec enim deformitatem moraliter culpabilem, proinde nec punibilem habere in ſeſe poteſt error vllus, niſi quatenus aliquo modo liber & volũtarius eſt. Voluntarius autẽ aut liber propriè dicta libertate eſſe nullo modo poteſt ex hypotheſi Cameronis, qui voluntatis nullum imperium in mentem ne quidem quoad exercitium agnoſcit; ſed voluntatem ab ipſo iudicio rationis ad volendum præcisè determinari vult. Oritetur itaque neceſſariò error quicunq; tandem ſit, ex defectu aliquo inuincibili, ſiue defectus ille ſtatuatur oriri ex parte potẽtiæ, ſiue ex parte obiecti, ſiue ex parte medij ſiue aliunde. At defectus in primo inſtante inuoluntarius & inuincibilis culpam non habet, nec habere poteſt, nedum pœna dignus cenſeri: Nec poteſt in voluntate eſſe peccatum quia in poteſtate volũtatis non eſt non ſequi iudicium rationis erroneum, aut errorẽ qui in iudicio eſt eximere: Relinquitur ergo peccatũ nihil aliud eſſe niſi malum Phyſicum, quod Manichaicum eſſe fatetur ipſe Camero pag. 661. col. 1. Collationis ſuæ cum Tileno.

Hic demum diſputas, quo nomine fateor me tibi multum debere, ſic igitur colligis. Quod naturale & neceſſarium eſt pœna non eſt dignum: peccatum ex mea ſententia naturale ac neceſſarium eſt; Ergo non eſt pœnâ dignum. Aſſumptum ſic probas, Aut peccatum eſt in iudicio, aut in voluntate. ſi in iudicio, iudicij actus neceſſarius & naturalis eſt, & ad ſummũ aliud nihil erit iudicij peccatum quàm error: Cæterum error quâ error peccati rationem non habet, niſi quatenus aliquomodo liber & voluntarius eſt, voluntarius autem eſſe non poteſt, cùm voluntati nullum ſit imperium in mentem ex mea ſententia: nec poteſt in voluntate eſſe peccatum, quia in poteſtate voluntatis non eſt non ſequi iudicium rationis erroneum, proinde peccatum tam erit neceſſarium ſi ad voluntatem refertur, quàm ſi pertineat ad iudicium. Haud dubiè tibi viſus es fortiſſimè ratiocinari, at vide iam vt ego omnẽ diſputationis tuæ compagem nullo impetu, facili momento, diſſoluam ac diſſipem. Quod naturale eſt, inquis, ac neceſſarium non eſt peccatum. Hîc ſi naturale tibi id eſt quod ex materia, illiuſque brutâ & ſui neſciâ inclinatione, poſtquam acceſſit agens, oritur, vltro tibi id concedo: Atque hoc pacto ſi potes oſtendere meam ſententiam ſequi eiuſmodi peccandi neceſſitatem, cauſam non dico quin tu eam proſcribas tanquam Manichaicam. Cæteroqui neceſſitatis & peccati rationes non pugnant, id quod inde primum demonſtrari poteſt. Non negas, puto, labem hanc, quæ totum humanum genus à primo ſtatim ortu inficit, peccati rationem habere: (intelligi volo peccatum originale, propenſionem illam ad peccandum quæ nobis innata eſt) Atqui illa ineuitabilis eſt & planè neceſſaria. Fortè mihi dicturus es, originis peccatum ſi ad Adamum referatur non fuiſſe naturale aut neceſſarium, at concedes id tamen certè noſtri reſpectu eſſe neceſſarium, ac veluti naturale, vtpote quod vna nobiſcum propagatur, & naſcitur; Ergo, inquam peccatum originis reſpectu noſtri non eſt pœnâ dignum; imo ne peccatum quidem eſt, proindeque viderit Adamus, non enim fuit ſcilicet in noſtra poteſtate & arbitrio poſitum vt ne Adamus peccaret, qui nondum eramus conditi, nec editi in lucem. Neque verò tu hîc mihi reſpondeas fuiſſe nos ſcilicet in eius lumbis cum is peccaret, proindeque & reſpectu noſtri peccatum originis non fuiſſe neceſſarium, nam modo quodem naturali ac neceſſario, quod ad nos attinet, eramus in eius lumbis; atque ita vt in noſtro non fuerit poſitum arbitrio eum à peccando prohibere. Ergo etiam noſtri reſpectu peccatum originale hoc pacto quidem certè naturale, ac neceſſarium fuit: Eſt verò peccatum originis pœnâ dignum, ſiquidem peccatum eſt, peccatum autem eſt, quiddam igitur neceſſarium eſt pœnâ dignum. At ſi fortè neges peccatum originis peccatum eſſe (in qua ſententia te eſſe oportet ſi vis coherentia ſentire) ego quidem hoc loco id non probo (eſt enim res digna ſingulari diſputatione) ne videar captaſſe ἀπαγωγὴν; illud tantummodò dicam, malum certè eſt, vel culpæ igitur malũ eſt vel pœnæ, ſi culpæ, peccatum eſt, ſi pœnæ, cuiuſnam tan-

nam tan-

nam tandem peccati pœna statuenda est? num Adami? Ergo innocenti pœna à nocente contracta infligitur; si verò nostri peccati pœna, peccatum originis aliud in nobis peccatum præcesserit, atque ita primo fuerit in nobis aliquod prius peccatum. Vtcunque se res habet, malè nobis est necessario, nostri, inquam, respectu: seu tu ingenitam illam ad peccandum procliuitatem peccatum, seu tu illam pœnam statuas.

Sed nolo te ad hunc modum vrgere, aliter tecum agam. Soletis vos queri magnam fieri vobis ac non ferendam iniuriam, si quis dicat vos statuere Christi, & Spiritus Sancti gratiam non fuisse homini ad salutem consequendam necessariam, quod si quis à vobis porrò quærat, quanam id ratione, cùm libero hominis arbitrio tãtum tribuatis? in promptu respõsio vestra est, nil posse liberum arbitrium sine Christi & Spiritus Sancti gratia, nempe negare id nõ potestis quod de se protulit Dominus, *sine me nihil potestis facere.* Sic igitur ago, sine Christi & Spiritus Sancti gratia peccatum, & quidem pœnâ dignum, erat futurum, atqui peccatum sine Christi & Spiritus Sancti gratia foret necessarium, & verò quodam modo naturale, teste Apostolo, *Eramus & nos filij iræ naturâ sicut & cæteri.* Ergo quoddam necessarium, & quodammodo naturale foret peccatum & pœna dignum, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Iam concusso fundamento vacillat & labitur argumentationis tuæ machina. An verò illud responsurus es, Peccatum quidem futurum fuisse necessarium, at non naturale, hoc enim Manichaicum esset? Sed nec ego, ô bone, peccatum volo esse eo modo naturale, vt natura opponitur libero arbitrio, quod statuebat Manichæus, tantum volo esse naturale vt natura gratiæ opponitur, hoc est certo quodam modo. Verumtamen age, dic mihi, quæso, num absque Christi & Spiritus Sancti gratia libero arbitrio fuisset locus? omnino, inquies, sublato enim libero arbitrio, eâdem operâ humana natura de medio sublata est. Atqui absque Christo & Spiritu Sancto foret peccarent necessariò miseri mortales. Ergo, etsi cũ libertate a bitrij necessitas Manichaica, hoc est à bruta substantia & materia profecta, non haberet locum, at necessitas tamen quædam locum haberet, quod vos tantopere soletis δειμαίνειν καὶ ἐκτραγῳδεῖν. Cùm tamen Paulus testis sit, *Hominem animalem non esse capacẽ eorum quæ sunt Spiritus Dei, sũt enim ei, inquit, stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter diiudicantur.* Et alibi. *Nam qui secundùm carnem sunt quæ carnis sunt sapiunt, qui verò sunt secundùm spiritum, quæ sunt spiritûs, nã intelligentia carnis, mors est, intelligentia verò spiritûs, vita & pax: propterea quod intelligentia carnis inimicitia est aduersus Deum, legi enim Dei non subijcitur, nam ne potest quidẽ. qui autem in carne sunt Deo placere non possunt.* Atqui iam illud certius est quàm vt demonstratione egeat, absque Christo spirituque Christi fuisse omnino futurum vt essemus (quotquot sumus omnes) in carne, & tamen ij quibus incumberet peccandi necessitas, non iam Physica, sed (vt ita dicam, ac detur, quæso, verbo venia) moralis. Neque verò iam expecto dum respondeas quod multi statuunt, fuisse quidem futurum vt peccatum esset necessarium, sed hoc pacto, Deum etiam alia ratione prospecturũ fuisse generi humano de remedio. Non iam dispute quàm sobriè & modestè id dici possit sine vlla Scripturæ authoritate, verumtamen si id dicatur ne hilum quidem causam iuuabit; nempe stat illud, peccatum absque quocunque tandem remedio foret, foret necessarium. Quod si vt tu disputas, quod necessarium est ne peccatum quidem est, quorsum attinuit mori Christum, imò expediebat, τὸ γε καθ' ἡμᾶς, Christum non mori. Hic, vt spero, tu mihi non es iugundus vt ne hoc argumẽtum eâ excipias asperitate qua Clariss. Tilenus, qui id κατὰ τὸ συνηθὲς αὐτῷ τοῦ λόγου ὕψος, non rectæ rationis ἐπιχείρημα, sed cerebri odio aduersus veritatem conturbati βδέλυγμα nuncupauit.

1. Cor. 2. 14.

Rom. 8. v. 5. & 6.

Hactenus fui in conuellendo rationis tuę fundamento, nunc singulas eius partes aggrediar. Ac primum, quod ais, actum iudicij esse naturalem, id non vno modo intelligi potest. Est enim quidam iudicij actus, qui oritur ex ingenij acumine, & hebetudine, iuxta quem actum acuti vel hebetes dicimur: Atque hactenus fateor iudicij actum esse naturalem, vt qui oriatur quodammodo (partim saltem) ex organi temperamento; sed neque inde boni aut mali appellamur, verum ingeniosi vel tardi. Verùm est & alius iudicij actus, iuxta quem boni aut mali dicimur, nempe boni, cùm (vt loquitur Aristoteles) ὀρθοδοξοῦμεν περὶ τοῦ τέλους benè iudicamus de summo bono; deque mediis quæ ad id consequendum conducunt, mali verò cum malè: Atque hic actus iudicij, non iam naturalis dici potest, quasi oriretur quodammodo partimque à cerebri temperie, aut intemperie, sed naturalis tum demum dicitur actus quidem rectè iudicandi de fine & summo bono, cùm ab illa gratia quæ sequuta est peccatum demum non est ortus, vt in Adamo ante lapsum, nempe vt natura gratiæ opponitur. Alter verò actus malè iudicandi, eo demum pacto naturalis dicitur, vt natura consuetudini opponitur, significatque prauitatem, quam nulla naturę integritas præcessit, quæ conditio est omnium hominum qui post primi parentis primum peccatum nati sunt. In Adamo verò, quod ad speciem actus attinet, præter naturam dici possit. Nam nec à præcedẽti vllo peccato, quod eius natura vitiata & corrupta fuerit, profectus est, nec à delirio. His ita constitutis, Nego, vt naturale opponitur Ethico & morali omnem iudicij actum esse naturalem. Secundò quod ais actum iudicij necessarium esse, si intelligatur necessitas (qualem suprà descripsimus) orta à materia, nego omnem iudicij actum esse necessariũ: quin hoc pacto eos tantum actus iudicij existimo necessarios qui materiam hoc aut illo modo constitutam necessariò sequuntur; in quibus peccati, aut virtutis Ethicæ ratio locum non habet. In reliquis, quanto maior pertinacia est, tanto plus inest peccati. Cæterũ quanto maior pertinacia est, tanto maior necessitas est, vt si quis existimet vtile præponendum esse honesto, quo errat vehementiùs & obstinatiùs eo nequior est.

Negas verò tu errorem, quatenus error est, esse peccatum. Nullius ergo peccati intellectus, quatenus intellectus est, erit sedes: Atqui si ita res se habet, pari iure nec virtutis sedes esse possit. cõtrariorum enim idem est subiectum. At certè cuiusdam virtutis sedes intellectus est, fides enim virtus est, intellectus porrò fidei sedes est; Hoc

tu, nihil dubito, negabis, quod si concederes res confecta foret vt vides. Atqui *credere* vt fidei, sic mentis est actus, si enim intellectûs non est, voluntatis est: At voluntatis non est; voluntatis enim est velle aut nolle, credere autem neque velle est neq; nolle, foret enim idem quod amare aut odisse; si quidem voluntas amoris diuini, & odij rerum malarum sedes est. Reliquum igitur est vt intellectûs sit, indidemque efficitur, vt sit intelligere, quamuis non omne intelligere continuò credere sit, sicut omnis homo animal est, at non contrà, quicquid animal est id ipsum continuò homo est. Ergo fidei contrarium vitium incredulitas ad intellectum pertinet, & incredulum esse erit esse non intelligentem; nam contraria genere conueniunt, specie differunt. Sicut ergo credere, cùm sit intelligere pertineatque ad intellectum, virtutis quidam actus est, nempe fidei; sic & incredulum se præbere quoddam non intelligere est, atque errare, & vitij actus quidem pariter est, qui ad iudicium, seu intellectum practicum refertur: proindeque vt virtutis, sic etiam vitij intellectus sedes est. Actus autem intellectus, vt tu statuis, necessarij sunt; quidam igitur actus virtutis, & vitij necessarij sunt. Imò verò quendam errorem peccatum esse necesse est, cùm non credere quod creditu necessarium est ad salutem grauissimus sit error. *Si cui*, inquit Apostolus, *Euangelium nostrum tectum est, tectum est iis qui pereunt, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Nam omnem errorem peccatum esse, ego quidem certè nolo, neque tu potes id ex mea sententia efficere.

2. Cor. 4. 3.

At verò, inquis, omne peccatum voluntarium est. Certè, sed ideò quia vel afficit voluntatem, vel quia actus est voluntatis: Ex gr. incredulitas mentis dici potest peccatum voluntarium, quia gignit in voluntate Dei odium, at Dei odium voluntarium est, quia actus est voluntatis. Vnde nascitur quædam errorum differentia, ij enim errores propriè inuoluntarij sunt qui nullo afficiunt vitio voluntatem, quos errores sequitur commiseratio potius quàm detestatio: alij verò errores sunt noxij & pestilentes, quorum hoc est ingenium, vt nequeant hærere in intellectu quin ipsam afficiant voluntatem, atque hominis intima vi sua illi quidem errores penetrant. Hi errores voluntarij appellandi sunt, non quod à voluntate primùm oriantur (quanquam aliquando proximè oriuntur à voluntate, quales ij sunt errores qui sunt ab ignorantia quam vocant adfectata) sed quoniam voluntatem afficiunt, quæ mutuò ipsum deinde afficit intellectum, sed res adhibito exemplo clarior erit. Puer fraude medici delusus, δηλητήριον, salubris vice potionis, patri propinauit, errauit, non peccauit idem, non enim affecit hic error voluntatem; patri nempe optimus filius optimè voluit. At si idem peruerso mentis errore præstabilius putauit, & suis rationibus conducibilius, vt patrem è medio tolleret, ideoque prudens sciens venenatum poculum ei porrexit; errauit is quidem peruersissimû errorem qui voluntatem affecit, sed peccauit etiam mente & voluntate. Imò verò si cùm esset ei suspecta vel medici fides, vel peritia, non adhibuit in consilium peritiores, & fideliores, atque hoc pacto voluit ignorare venenum fuisse quod patri præbuit bibendum, errauit quidem errore quem vocant adfectatæ ignorantiæ (à praua voluntate profectæ quidem proximè, sed tamen primò à peruerso mentis errore, quo factum est, vt officio id quod falsò seu iucundum seu vtile putabat prætulerit) sed peccauit idem tamen grauissimè eâ ignorantiâ, quàm Aristoteles vocat τὴν καθόλου καὶ τὴν ἐν προαιρέσει ἄγνοιαν, quamque adeò dicit causam esse cur iniusti, atque omninò mali homines sint, vt supra monebamus. Sed & alio te conueniam exemplo, vt ostendam magnum esse errorum discrimen. Vim sibi attulit phreneticus errore haud dubiè insigni, sed à morbo hic error promanauit; vt tu loqueris, inuincibilis error fuit; at non peccauit, nõ enim is error affecit voluntatem, quæ appetitus rationalis est; itaque mente capti ne voluntatem quidem habent, volitionem, inquam, (sic enim loqui fas sit) vt res ipsa clamat, & Iurisconsulti sapientissimi Viri, sapientissimè definiuerunt: Neque verò fuit hic error ab affectata ignorãtia, à voluntate quidem proximè, sed tamen ab antecedente voluntatis prauitatem errore mentis profectâ, vacauit igitur peccato. At si quis nullo affectus corporis morbo, ver. gr. Cato Vticensis ille, necẽ sibi consciuerit, ratus nimirum rem indignam venire in potestatem Cæsaris, aut viuere patriâ (vt ille finxerat) redactâ in seruitutẽ, grauissime peccauit: quod etiam sapientissimorum Philosophorum, qui αὐτοχειρίαν damnarũt, iudicium fuit. Sic Dei beneficio primam hanc tuam impressionem sustinui, & repressi. Tuum iam erit dispicere quî tibi possis constare, si vel eiusmodi errorem negaris esse necessarium, qui omnem iudicij actum necessarium esse actum pronunciasti, vel inter peccata eum numeraueris qui nullum errorem vis esse peccatum, neque verò quicquam habere peccati rationem quod sit idem necessarium.

Cap. VIII.

Cameronis sententia non pugnat cum ratione peccati Adami.

Neque verò est (ais deinde) *quod hic dicat Camero iudicium rationis corruptum &, quæ iudicium corruptum sequitur, deprauatam voluntatem ex peccato primo Adami ortæ esse, atq; ita tum iudicium, tum voluntatem nostram, moraliter esse culpabilia & punibilia. Dico enim argumẽtum hoc quod attuli locum habere in omni statu, ac proinde non minus in ipso Adamo ante lapsum quàm in vllo alio homine. Fieri enim non potuit vt ille propriè peccaret, ita vt per peccatum reus pœnæ fieret, si ea est natura voluntatis quam vult Camero. Obsecro enim quomodo peccasset Adam? Voluntariè errare non poterat, voluntas enim non præcedit, sed sequitur iudicium erroneum, idque necessariò iuxta Cameronem: si voluntariè errare non poterat, quomodo poterat peccare?*

Nempe sic disputas, cuius error non est voluntarius, is si quid fecit perperam non peccauit; meam verò sententiam sequitur vt Adami error non fuerit voluntarius; Ergo sequitur itidem meam sententiam vt eo quod Adam perperam fecerit, non peccarit, fuisse verò errorem Adami ex mea hypothesi inuoluntarium, ais

hinc

hinc effici quod velim voluntatem secutam esse mentis errorem; Errorem autem voluntarium non sequitur voluntas sed præcedit; Ergo Adami error non fuit voluntarius. Ego verò respondeo errorem inuoluntarium eum dici propriè, quem vel ij errant quorum mens morbo impedita est, vel qui errant in circunstantiis, μὴ εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα, cùm circa finem minimè errarint, εἰδότες τὸ καθ' ὅλου καὶ τὸ τέλος τὸ καθ' αὑτὸ θνητόν, cuius generis errorum exempla à nobis supra sunt allata; Neutrius horum modorum errorem errauit Adamus; nam nec eius mens morbo impedita erat, neque ignorabat pugnare cum Dei præscripto quod suadebat Diabolus. Error autem voluntarius is demum est (vt supra iam disputauimus) qui vel ipsam vitio afficit voluntatem, vel est à voluntate vitio affectâ; vt si quis bonum patrem putet odio dignum, & idcirco odio habeat, error haud dubie voluntarius est, qui tamen præcessit odium, actum scilicet voluntatis. Idem si non laborat ea scire quæ patri vtilia sunt, errorem errat voluntarium, ni ea nescit nimirum quę non studuit scire, non quia iam hæc ignoratio ipsam vitio affecit voluntatem, sed quia profecta est à voluntate iam vitio affectâ, idque antecedaneo illo mentis errore quo putauit patrem esse suo dignum odio. Vtroque genere erroris errauit Adamus; primum enim quod existimarit beatius esse a seipso quàm à Deo pendere, effecit hic error vt idipsum statim appetierit; atque inde effectum est vt quia ferè quæ vehementer cupimus ea & speremus facilè eueniatura, cupiditate animi mentem obcæcante, Adamus Diabolo, quod maximè cordi sibi suaderet potius crediderit quàm Deo, vnde sequutus est Dei contemptus & in apertam rebellionē præceps eruptio. Prior Adami error voluntatem affecit; secundus à voluntate affectâ proximè à priori primò ortus est. *Tu verò dicis* (vt ais) *amplius* (quid sit illud iam videamus) *Concipi* (inquis) *non potest animo quomodo errare potuerit Adā in isto primo statu si Cameronis sententia vera est, si enim in mente Adami fuit lux, & quidē supernaturalis, dirigens iudicium ipsius in veri & boni cognitionem, fuit vtique in eadem quod errorem vt sua impediebat, & sic voluntatem Adami à peccando prohibebat, quod si verò etiam Camero cum Synodo Dordracena Aleziana & Charentonensi, Art. i. cap. 3. dicat in voluntate infusum fuisse iustitiæ habitum, & in affectibus ipsius sanctitatem, quomodo fieri potest, vt Camero concipiat fontem vnde deriuari potuerit prima peccati motio? Nec enim a mente, luce ista gradita, nec à voluntate lucem illam necessariò sequente, nec ab affectibus sanctitatis habitu donatis deriuare eam potest Camero, si consequenter loqui velit. Vnde ergo eam deriuabit?*

Sic colligis, si ex mea sententia neque mente neque voluntate potuit peccare Adamus, meam sententiam sequitur vt ne peccarit omnino; verum autem prius, ergo & posterius; nam mente nō potuit peccare, vtpote in qua fuit semper lux dirigens, voluntas autem ex mea sententia, mentis iudicium sequitur necessariò. Responsio facilis est. Duo sunt notitiæ seu lucis gradus; vnus est dirigens, monens quid facto opus sit; atque eo pacto omnium præcipiens ... occasione, hic notitiæ gradus, hæc lex in Adami mente semper fuit, etiam tum cùm peccauit: norat se conditum esse à Deo, norat se esse fœlicem, tenebat memoria præceptum Dei; nouerat id esse Dei præceptum: Sed & est alter notitiæ gradus, non iam monens tantum & dirigens, sed persuadens, mouens, permouens efficaciter voluntatem; hanc lucem in mente effulgentem Adamus certè, cùm peccauit, non habuit, non peccaturus omnino si se miserum fore peccato perpetrato (quod denunciauit Deus) animo eius infixum sedisset. Sed quoniam is conducibilius putauit quod suasit Diabolus, quàm quod præcepit Deus, factum hinc est vt se dederit præcipitem. Vnde facile intelligi potest veram hāc & solidam veri & summi boni cognitionem non fuisse in Adami mente perpetuam; quod vnde sit factum, neque tuum est anxiè nimis quærere extra Scripturam, neque verò meum tibi respondere temerè & arroganter, quasi verò nobis homuncionibus non liceret, addo etiam non conueniret, multa neicire. Cæterum quæ interseruisti tanquam ex Synodis Dordracena, Aleziana (nam certè ea verba tua sunt, Synodorum non sunt) ea iam supra à nobis expensa sunt, & considerata.

Subiungis. *Dicere lucem, iustitiam, & sanctitatem istam dona fuisse mutabilia, nihil est dicere: posito enim quod id verum esset, vti sine dubio verum est, vnde quæso dicetur mutationem oriri potuisse, ita vt mutatio culpabilis & pœna digna esset, nisi voluntati libertas vera tribuatur? Impossibile est Cameroni, aut cuiquam alij, hoc ostendere, imprimis si velit lucem illam etiam fuisse persuasionem talem qualem nunc electis conferri dicit. Si dicat lucem illam a Deo subtractam fuisse homini, non tantum hominem culpæ omni, ac reatui eximit; sed Deum etiam authorem culpæ facit. (si culpa esse potest id quod Deus facit) & quod peius est Deum etiam reum pœnæ facit. Si dicat Diabolum tenebras suffudisse menti hominis, eiq; errorem insinuasse, dicit id quod qua ratione factum fuerit concipi non potest, & si omnino factum fuisset hominem peccati, & per consequens pœnæ reum facere non potuisset, nisi supponat in potestate vel mentis vel voluntatis hominis fuisse suffusionem istam tenebrarum non admittere, aut tenebris istis suffusis non seduci à recto & bono. At nec in potestate mentis, quæ purè purè passiua aut receptiua potius potentia est, nec in potestate voluntatis, quæ purè purè dependet & determinatur a iudicio iuxta Cameronem, nec etiam in potestate affectuum ipsius erat non admittere tenebras istas, aut illis insinuatis non seduci, nec ipse homo meruerat adhuc vllo facto suo, vt istis obrueretur, aut vt istis seduceretur, alioquin peccasset antequam peccasset. Quomodo itaque peccauit quomodo reus pœnæ factus est. Imo quomodo reum pœnæ non tantum se, sed totum genus humanum facere potuit? denique, quomodo tam atrocis, id est simul æternæ & temporalis, pœnæ reus cum toto genere humano fieri potuit?*

Possem hic facere quod fecit vester ἀρχηγὸς Arminius vobis (citra contumeliam dico) haud paulo modestior, doctior & prudentior, qui quod vixit vestram intemperiem vel cohibuit vel moderatus est, potuissem, inquā, eius exemplo cautus & securus, totum hunc locum relinquere intactum. Is enim cum instituisset in examine Perkinsianæ (quam vocauit) prædestinationis de sufficienti & efficaci gratia disputare, quæstionem de primo Adami peccato explicaturus lacunam reliquit: *quam quidem ad finem perducta ea Collatione, explere initio decreuerat, postmodū tamen, re penitus expensa cum animo suo non fecit. Causam* (inquiunt vestri) *si diuinare liceat, hanc fuisse existimamus; quod ab vna parte considerans esse materiem hanc*

pag. 99.

inuolutis spinosisq; difficultatibus plenam; ab altera perpendens distinctionem hanc non esse totam propriè diuinæ traditionis, sed humanæ potius inuentionis: maluerit & tempus, & ingenij vires, in sacrosanctis Christi Saluatoris oraculis peruestigandis occupare, quàm se in perplexis humanæ inuentionis tricis euoluendis torquere. Sed tu me horsum cogis, & veluti obtorto collo trahis vt vel à compertissima perspectissimaque veritate Scripturæ discedam, vel quæstionem omnium multo impeditissimam, atque inuolutissimam explicem atque expediam; id quod ego conabor quantum quidem dabit Dominus, quem supplex rogo vt mentem, animumque, & meam adeò hæc scribentis manum, Spiritu suo ita regat, vt nil dicam quod vel eius officiat gloriæ, vel pias mentes offendat; sanctè testatus me hęc omnia Ecclesiæ, quam sanguine redemit suo examini atque iudicio, ex animo subijcere; idque faciam hoc ordine; 1. Ostendam primum hominis peccatum peruersissimum illum quidem & merito execrandum, sed tamen fuisse mentis errorem. 2. Mentis hunc errorem sequutam infallibiliter seu necessariò (nam mihi hæc duo idem significant) voluntatis prauitatem. 3. loco demonstrabo vestram huius Quæstionis definitionem esse ἀθεολόγητον ἁμάρτε καὶ ἀφιλοσόφητον, cùm pugnet tum cum fidei analogia; tum etiam cum recta ratione. 4 Proferam quid ipse, homo neque acuti ingenij neque singularis doctrinæ, de ea quæstione sentiam. Postremò ad tuas rationes respondebo; atque hæc omnia quanta fieri à me quidem potest breuitate, ne hæc dissertatio iustum excedat modum.

Vt igitur ordiar à 1°. Aio primum primi hominis peccatum fuisse errorem. Id verò inde liquet, quod apertè docet Paulus, *Euam fuisse deceptam* post. ad Cor. cap. 11 ℣. 3. φοβοῦμαι δὲ μήπως ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, &c. Et 1. ad Tim. 2. 14. ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε. Id ipsum demonstrat tentationis, qua Satan eam agressus est, modus & ratio, vt qui ei suadet vt ne ea certò statuat sibi moriendum si minus Deo se præbeat dicto audientem; atque ita omnem eximit pœnæ metum, *Omnino non moriemini* ℣. 4. cap. 3 Gen. Deinde verò spem inijcit potioris conditionis, *Aperientur oculi vestri & eritis sicut Dij scientes bonum & malum* vers. 5. Hæ sunt enim illæ duæ machinæ quibus hodieque sollicitat, atque impellit humanas mentes ad peccandum. Denique Dei sarcasmus idipsum apertè significat & declarat, *Ecce Adam factus est sicut vnus nostrûm sciens bonũ & malum*, vers. 22. Hunc verò mentis errorem nõ secutum, sed antecessisse peccatum id liquidò ostendit, quod Scriptura admisso demum peccato apertos miseris oculos fuisse, agnitaque eos nuditate fugisse pudibundos, & tremebundos latebram quæsiuisse scribit; senserant tum serò quàm verax esset Deus, quàm mendax & veterator Diabolus. Huc illud accedit, quod vt fides prior est charitate, ita incredulitas odium antecedit, nam contrariorum contraria sunt consequentia. Adhibeamus & hìc quod recta suadet ratio, ac sensus ipse atque experientia euincit. Omnis actio hominis mentis corporis tendit in finem: Ergo & primus homo, vetito arboris fructu cùm vellet vesci, finem habuit; at is finis non fuit summum bonum, & verè finis, sed φαινόμενος *apparens tantùm*, noluit enim mori, sed voluit esse sicut Deus; vt peruersè quidem, quamuis stultè, animo finxerat, errauit igitur. Adde, quod qui aliò deuenit quàm animo secum ipse reputarat eũ errasse necesse est; primo homini id contigit; omnino igitur errauit. Illud etiam cõstat, vel sciuisse Adamum quorsum illa contumacia, ac rebellio in Deum, esset euasura, vel nesciisse: si nesciuit grauiter errauit, si sciuit id, nihiloque minus se dedit præcipitem, tãto grauius errauit, vt si quis vitæ cupidus sciens venenum hauriat, quin sit non modò stultus, sed furiosus, non est dubitandum. Postremò vnusquisque sibi benè vult, hunc affectum ne peccatum quidem ex hominum animis (adeò radicitus ab ipsa natura infixus est) reuellere potuit; nemo igitur appetit quod sibi certò nouit cessurum in perniciem. Arbitror me sic satis apertè ostendisse primum primi hominis peccatum fuisse errorem.

Atque hoc pacto voluntatem fuisse actam transuersum, hinc apparet. Voluntas est appetitus rationalis ὄρεξις ἀγαθοῦ μετὰ λόγου, nec quisquam est qui quicquam velit, maximè in re momentosa & graui, nisi certam ob rationem, idoneam ne an friuolam nil iam interest ad causam, sed tamẽ quod quisque vult, id vt velit certâ ducitur ratione, etiam is qui hanc emisit vocem, *Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas*: non enim id dixit quod sibi nulla prorsus voluntatis suæ ratio constaret, sed quod vel nulla constaret quæ nisi suo ipsius iudicio idonea foret, vel voluntatis suæ causam non putauit æquum esse vt redderet. Sed & Apostolus idipsum confirmat; quorsum enim attinuit primum hominis peccatum errorem appellasse, ni error primi hominis peccati fons saltem fuisset. Non expecto dum respondeas errorem quidem primum peccatum antecessisse, pugnat enim hoc cum hypothesi tua qui negas errorem præcessisse primi hominis peccatum. Quod si mihi concedas, vt profecto te mihi id concedere necesse est, vide vt instem, ac te premam. Aut fuit is error peccatum, aut non fuit; si fuit, ruit illa tua hypothesis, qui ex eo quod statuis *non esse in potestate mentis, quæ purè putè passiua aut receptiua est, admittere suffusionẽ tenebrarum*, concludis primum hominem non peccasse, non esse factum reum pœnæ, si errore mentis voluntas eius deprauata est. Aut non fuit peccatum, atque ita quidem statues credere mendaci Diabolo potius quàm veraci Deo non esse peccatum. Quoquò te verteris tenebere conclusus. At dicet fortasse aliquis, (nam tu quid possis dicere non video) errauit mente, peccauit mente, potuit tamen voluntas ipsa sese aliorsum inclinare, aut certè suspendere se ab actu, & cohibere. Hìc iam illud non respõdebo peccatum eo perpetratum quod mente iam fuerat ab homine peccatum. Nam quid aliud iam, quæso, supererat quàm præceps ruina in barathrum, & denique mors æterna? Illud potius respondebo fieri id non potuisse, quî enim possit amare Deum, qui Deum putat esse mendacem, inuidum, osorem generis humani nullo precedente peccato? Atqui primum hominem de Deo ita sensisse liquet, vt qui putauit fore vt etsi quod nouerat esse Dei præceptum, (idque grauissima sancitum interminatione) violaret, non periturus esset tamen, sed contra beatissimus futurus, & Deum quadam quasi inuidentia impulsum, vt ei esum arboris scientiæ boni & mali in-

Aristot. lib. 1. Rhetor. cap. 10.

mali interdiceret. Constat igitur mentis errorem primi hominis eius voluntatem vitiasse ac corrupisse, id quod 2. loco proposueram demonstrandum.

Venio iam ad id de quo 3. loco constitui disputare ad vestram huius quæstionis definitionem, *Quî primus homo potuerit peccare?* quam definitionem ostendam esse à Theologia & recta ratione alienam; vos enim οἱ τοῦ ἀρμινίου μεταγθοίστεροι, præceptore & patre multo audaciores, mentem hominis, etiam eo ipso quo peccabat momento, omnino collustratam, nullas in ea tenebras fuisse (quæ scilicet nonnisi peractum demum peccatum sint subsequutæ) exertè pronunciatis: Voluntatem nimirum hominis, etiam qualis initio creationis ante peccatum fuit, vultis *ita esse à natura comparatam, vt ab intellectu haud necessariò dependens, sed ipsa in se suspensa huc illuc sese impellat & libret, Deum autem cùm ita agat in homine, vt ei non adimat quod hominis est, mentem quidem illustrare, quod ea sit nimirum scilicet purè putè passiua, voluntatem interim sibi permittere. Atque hanc libertatem docetis vsque adeò voluntati esse essentialem, vt ne admisso quidem peccato sublata, sed IMPEDITA tantum sit in persecutione veri boni, hinc ob intellectus tenebras quæ in animum humanum, inuecto iam peccato, inuaserunt; inde ob affectuum perturbationem quæ ex peccato primi hominis orta est. Iam verò Euangelij luce dispelli tenebras intellectûs, & sedari ac componi turbidos animi affectus spiritu comitante. Hinc expeditam voluntatem, & sui iuris factam se huc illuc pro libitu mouere. Causam igitur peccati in primo homine extitisse, quod cùm nullæ essent in eius mente tenebræ, nec vlla affectuum ἀταξία siue inordinatio, voluntas ipsa sese impulerit ad peccandum.*

Hanc sententiam (vt tuis verbis apud te vtar) si eam mecum propius inspicias, faxo vt videas quàm sit absurda & vana. Neque tamen repetam (ne tibi sim vel odiosus, vel molestus) quæ suprà modò dixi, ex quibus omnibus clarissimè liquet voluntatem primi hominis ex mentis errore contraxisse vitium, ac labem. Tu illa repete ipse, ac tecum reputa, deprehendes ita esse vt dixi. Aliâ viâ vestrum hoc dogma conuellam, eâdemque operâ subruam doctrinæ vestræ de hominis peccatoris ad Christum conuersione fundamenta, Deo propicio ac bene iuuante, quod voueo & spero.

Igitur cùm statuitis voluntatem impelli à se ipsa, vultis ne eam à sese impellente impelli, vel à sese quiescente ab omni sui impulsu? Non potestis hoc velle. Nam quod impellit, id necesse est sit ipsum in actu, quod autem quiescit ab actu, in actu iam non est. Ergo voluntas non impellitur à voluntate quiescente ab impulsu sui, superest ergo vt eam impelli statuatis à seipsa semetipsam impellente. Sed & hoc æque impossibile est. Nam impellens voluntas in actu iam est, alioqui quiescit, non quiescit autem quando est in actu, nec in actu est nisi vna eademque opera velit, aut nolit. Itaque impellens voluntas nolitio quędam vel volitio, vt ita dicam, est: voluntas igitur à volendo aut nolendo impellitur ad volendum aut nolendum; quasi diceres ab incedendo propelli hominem ad incessum, à videndo ad visionem &c. Sed hæc iam ad institutum propiùs accommodanda sunt, vt res tota clarior sit & illustrior tam nobilis exempli appositione. Primus homo à sua ipsius voluntate impulsus est ad peccandum. Hæccine vestra sententia est? Sanè. Quæro igitur an à voluntate quiescente ab impulsione id sit profectum? id nimis absurdum foret. An à voluntate impellente? id æque absurdum est. Nam ea impulsio aut fuit velle peccare, aut nolle peccare. Si velle peccare, à peccando impulsus fuit ad peccandum, & peccauit priusquam peccauit primò, quod absurdissimum. Si verò fuit illa impulsio nolle peccare, nolendo peccare impulsus fuerit ad peccandum, quod perridiculum est. Quin sic insto. Aio ex vestra sententia Deum non potuisse Adamum incolumem & integrum præstare. Ea enim est vestra sententia, vt voluntas libera esse nequeat si pendeat ab intellectus determinatione, non potest autem quis seruari à peccato, nisi salua libertate voluntatis, quam libertatem virtus, vt sit vere virtus, requirit. Ergo non potuit Deus Adamum incolumē, & immunem à lapsu, seruare nisi salua voluntatis libertate, atqui si stat vestra hypothesis Deus id non potuerit efficere, aut enim Deus id efficeret afficiendo voluntatem immediate, id quod vobis non placet, qui sic docetis tolli libertatem voluntatis, proindeque & ipsam voluntatem, quæ si libera non est ne voluntas quidem est: Aut id efficeret afficiendo intellectum; quod nec fieri potest ex vestra sententia. statuitis enim Adami intellectum adeò probe fuisse affectū vt nihil vltra requireretur; At peccatū est secutum: Ergò peccatum secutum est id totum quod à Deo fieri potuit vt ne sequeretur salua libertate, & incolumi voluntate humana, proindeque & homine, qui voluntate pereunte perit & ipse. Nec est quod dicatis potuisse Deum maiorem affundere lucis copiam, quod enim in vas iam plenum infunditur id redundat. Deniq; quantacunque superfusa fuisset lucis copia, nō potuisset eâ liberum atque independentem motum atque impulsum Reginæ, ac iam Deæ scilicet, voluntatis impedire, nisi ea (ex hypothesi sane vestra) misere redacta in seruitutem, & cum suo homine extinctâ. Vt sit finis, ex hypothesi vestra non potuit Deus diuinare quorsum primi hominis libera voluntas sese inclinaret, priusquàm ipsa sese inclinauit in alterutram partem. Vin' id demonstrem? Qualis est res talis est rei scientia, at hæc inclinatio in sua causa incerta fuit, quæ scilicet ἀδιάφορος indifferens (vt ita dicam) erat in vtramuis partem. Ergo in sua causa certò id sciri non potuit. Id vidit is quem probè nosti, bonus vir & modestissimus Theologus, si superis placet (sunt enim qui eum his ornant elogiis) qui in hac causa totus vester est. Itaque ne hypothesim vestram desereret non dubitauit negare Deum certò scire futuros voluntatis motus. Ac ne quis id miretur, scripsit, quem tu haud dubiè legisti, sacerrimum librum, quo omnes explicauit, exprompsit, & consumpsit arguti quidem, non nego, sed impij ingenij vires, & omnem artem, vt id venenum, quod ille homo valentissimi stomachi potuit concoquere, nobis hauriendum exhiberet. At vos quidem, si vultis vobis constare, cùm eo id necesse est statuere; non potestis enim vtrumque tueri, Deum certo præuidisse Adami lapsum, &, Voluntatem Adami esse independentem.

Iam edam quid ipse sentiam de hac quæstione:

Aio nullam posse dari causam primi peccati primi hominis præter Diaboli instinctum. Cùm esset is (vt tu ipse agnoscis, & res est) ita à Deo creatus vt mutabilis esset, quî miremur si impulsu Satanæ deiectus fuit de gradu & statu ? quid enim aliud dici possit ? An hoc factum ideò quia cessit loco, quia se non præbuit cautum & consideratum ? at hæc ipsa negligentia peccatum fuit. An verò dicemus id contigisse , quia tentatus Dei opem non implorauit? & hoc item peccatum fuit. Atque hîc iterum quæstio eadem recurret, cur cesserit loco , cur non se præbuerit cautum & consideratum, cur tentatus Dei opem non implorauerit, & omnino cur peccarit, adeò nulla peccati Adami in Adamo reddi caussa potest quæ non sit ipsa peccatum; quæque ipsa (si nulli curiositatis nostræ limites sunt) non aperiat fenestram nouæ subinde quæstioni, de illius iterum peccati causa, atq; ita deinceps in infinitum res abitura est. Meminit Scriptura prouidentiæ diuinæ circa grauissima peccata, Pharaonis contumaciam, *Ego indurabo*, &c. Incestum Absalomi, *Ego faciam istud coram toto Israele, & coram isto Sole.* 2.Sam. 12. 12. Iudæ proditionem ποιῆσαι ὅσα ἡ χεὶρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. Act. 4. 38. Et, τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες &c. Act. 2. 23. Et cætera de hoc genere quamplurima. Circa primum primi hominis peccatum diuinæ prouidentiæ, quod ego quidem obseruarim, speciatim & adeò disertis verbis non meminit. Docet quidem hominem fuisse conditum ad Dei imaginem, iustum, & sanctum , præscriptam ei à Deo legem, quam ni violasset, beatissimus erat futurus, sin minus, miserrimus: docet instinctu Diaboli legem Dei ab homine violatam; inde secutum, vt deprauata hominis natura peccatum sit injectum in mundum , atque à primo illo parente generis humani in omnem sobolem, vno Christo(qui idem Deus est benedictus supra omnia) excepto, propagatum: huius mali remedium in solo Christo inueniri, nec quenquã Christi fieri participem nisi quem Pater dederit Christo; hoc verò quibusdam tantum contingere, qui soli ideò seruantur. Quod si tibi libet audire cur id factum putem , quod circa peccatum Adami prouidentiæ Diuinę Scriptura nullam fecerit expressam mentionem, non alio (quantum ego conijcere possum) consilio factum id est, quàm quia in cæteris peccatis potest quodammodo capi ratio prouidentiæ Diuinæ, hîc non æquè. Ergò visum est Spiritui S. silentio velare hoc arcanum Nam alioqui quis ausit negare Deo permittente idque certo quodam & sapienti consilio, primum hominem peccasse. Itaque, noli (si me audis) hîc esse nimis curiosus : Quin illud vtrique nostrûm occurrat sæpè, & fręnet animi nostri petulantiam , Eccles. 7. 29. *Vnum scio, Deum condidisse hominem rectum* &c. Et Rom. 11. 35. *Quis dedit ei prior*, &c, ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ &c.

Eccl. 7. 29.

Rom. 11.

Nec certissimas hypotheses, Scripturæ authoritate comprobatas & firmatas , etsi videantur iudicio nostro duræ eamus euersũ; nec Ecclesię Dei cerebri nostri commenta, ψευδωνύμου γνώσεως fuco exornata, obtrudamus. Nam tu quidẽ, vt tibi videris , acutissimè disputas , Cæterum in quæstione tam graui nullũ profers è Scriptura locũ, tantum connectis inanes cõsequentias quas non ea modò, sed recta etiam ratio reiellit. Et tamen, adeò agis hanc causam confidenter, vt ni verum sit quod tu statuisti , nil dubites pronuntiare Deum authorem peccati , peccatorem pœnas luere non debere, nullum deniq; esse peccatum, nec tantam diuini numinis maiestatem reuereris, nec reformidas non aliter de eo sentire ac loqui quàm si aliquis esset è plebe? Sed me reprimo, & redeo ad institutum.

Occurrendum iam mihi (quod postremò me facturum promisi) rationibus tuis, quarum summa huc redit. Satan non potuit tenebras suffudisse menti humanæ, &, si id potuisset, non potuisset eo esse effectum vt homo peccaret, mens enim purè putè passiua potentia est, ea verò in potestate non habet non admittere tenebras ; voluntas autem dependet ab intellectu purè putè ; nec etiam ob easdem causas in potestate est affectuum eas non admittere. Iam quoties , & quàm miserè , erraueris attende, *Satan*, inquis , *non potuit tenebras suffudisse menti humanæ*, tua ista locutio propria ne est an figurata? Si propria , quod non existimo , nugas agis, Nam tenebræ propriè sic dictæ non magis afficiunt mentem humanam , quàm ignorantia bruta & opaca corpora: Sed nec *suffundi* propriâ locutione tenebræ dici possint, nil enim (vt loquuntur in Scholis) habent positiui; quid enim aliud tenebræ sunt quam lucis priuatio? Sin figurata hæc tua locutio fuit , quando iam exactè & seriò res agenda est, detrahamus orationi vestem , sit simplex & nuda. Hoc ne vis ? non potuit Satan tenebras suffudisse menti humanæ, id est , non potuit Satan hominem inducere in errorem. Ergo, inquam ego, Satan hominem non potuit decipere, nec decepit igitur, quod factum tamen esse ait Apostolus: vtri nos mauis credere, Apostolo , an tibi? hoc loco hic tuus est lapsus primus. Deinde, *Mens*, inquis, *purè putè passiua potentia est, passiua autem potentia non habet in potestate non admittere tenebras.* Quæso te, Voluntas ne tibi est purè putè actiua potentia, an passiua potius? si actiua, quomodo mouetur ? non enim mouetur actiua potentia sed mouet: si passiua , quo pacto potuit voluntas reniti Satanæ atque obstare? Hîc certè, quod tu mihi insultans alibi dixisti, oportet tibi aquam hęrere. Res admodum spissa est & difficilis , & in qua tu haud minus quàm ego æstues. Dixeris fortasse , mouetur voluntas quia se patitur moueri. At hoc ipsum pati se moueri, moueri est. Nam quid obsecro aliud id est , *patior me moueri vt hoc velim*, quàm *volo me moueri vt id velim?* Vnde rursus noua oritur quæstio , *Cur quis passus sit se moueri vt se vellet pati moueri*: atq; ita ineptarum quæstionum responsionumque nullus erit finis. Nam certè si verè rem æstimemus, *pati te moueri vt aliquid velis*, nihil aliud est quàm *assentiri mente suasionibus quibus induceris ad volendum*, atque ita, *voluit quia passus est se moueri vt vellet* nihil aliud erit quàm *voluit quia passus est sibi persuaderi*. Iã credo mentis hoc est. At potuit(inquis) reniti. Sanè, si id facto opus fuisse iudicasset: at iudicare quid sit facto opus , mentis est. Hæc igitur voluntatis cõmotio omnis à mente est iudicante vel quid honestum, vel quid iucundum , vel quid vtile hic illic, hoc illo tempore. At verò quod nõ est in nostra potestate in eo peccari non potest.

Sanè, si causa cur id (quicquid sit) non sit in nostra potestate, est Physica quædam necessitas, vt si claudum iubeas incedere rectum: aut verò etiam rei ipsius natura secum ipsa pugnans, vt si quis iubeat famulum simul stare & sedere: Ac denique quandocunq; res eiusmodi est vt si eam velimus maximè præstare, nequeamus tamen. Itaque ea propriè dicuntur esse in nostra potestate quæ subiecta sunt imperio voluntatis: Ipse volendi actus habet in potestate quodcunque ei subiectum est, at non est ipse in sua ipsius potestate, sed in potestate rationis, cuius vel rectæ vel prauæ præscriptum non aliter sequitur quàm appetitus sentitiuus sensuum iudicium. Qua de re infra pluribus nobis erit disputandum. Atqui in Adamo (vt redeamus ad rem) nulla fuit Physica necessitas quæ prohibere si voluisset, quominus posset fructu vetitæ arboris abstinere, nihil in ipso præcepto ἀσύςατον vel ἔκτοπον. Id si tibi non placet, ego iam vicissim à te quæro, qui tu te possis expedire etiamsi tibi darem primum Adami peccatum à voluntate primùm ortum; quæro, inquam, hoc dato (quod ego, absurdum καὶ ἀπλῶς ἀδύνατον esse supra demonstraui) nunquid fuit in Adami potestate non peccare? Hic tu respondebis proculdubio fuisse. Quid ita iam: (inquam) Non respondebis sat scio fuisse id in eius potestate, quia fuit id situm in eius potestate, non enim tibi libet, nec verò licere tibi putas, vsque adeò pueriliter nugari. Quid igitur respondebis? illud vnum certè potes, fuisse in Adami potestate non peccare, quia si noluisset peccare non peccasset. At vide iam nunquid hoc aliud sit respondere, quàm, *Adamum non fuisse peccaturum si non peccasset*: Quemadmodum enim velle peccare, id ipsum peccare est, sic etiam nolle peccare id ipsum non peccare est. Responderis igitur, si sic respondeas, idcirco fuisse in potestate primi hominis non peccare, quia si non peccasset, non esset peccaturus; quæ rursus ἀδολεσχία est, & illa quidem non ferenda. Verumtamen si tu eam tolerabilem arbitraris, sine me quæso pari lege ἀδολεσχεῖν, sine me respondere, in Adami potestate fuisse non errare, quia si iudicasset aliter, non errasset. Sed nec me authore tu tibi permittes tam licenter & ridiculè nugari, nec mihi sanè vel liceat vel libeat ὑπερφρονεῖν & μωρολογεῖν. Quin ambo potius sobrij simus & modesti, quales omnes Christianos esse decet, eos præsertim qui sacras literas interpretantur: quæ Scriptura silentij veluti suppato inuoluit, nos ea ne freti ingenij viribus euoluamus irrito conatu & periculoso, vt ne iam dicam pernicioso, & impio. Iam pergamus.

Addo, inquis, *tenebræ ista suffusæ aut dicentur fuisse æqualis ponderis ac valoris cum luce à Deo impressa, ac sic in æquilibrio hæsisset voluntas Adami & peccare non potuisset: aut dicentur fuisse maioris ponderis, siue præponderasse rationibus aut lumini à Deo indito, at præter quam quod hoc affirmare foret diuinæ gratiæ & luci supernaturali summè iniurium & contumeliosum, non peccasset etiam Adamus sequendo iudicium istud, tanquam cæteris omnibus rationibus præponderans: Aut deniq; dicentur minoris fuisse ponderis ac valoris, at si nihilominus tamen eas secutus est Adam, iam certè à iudicio præponderante non determinari voluntatem dicendum foret Cameroni; quod tamen istud est quod maximè euitatum vbique vult, & summè falsum esse credit; Si dicas Adamum ipsum non satis constanter aduertisse animum ad lucem illam originariam à Deo impressam; & sic seductum fuisse; nihil omnino dices, hoc enim ipsum constanter animum aduertere ad lucem, aut à luce illa pendebat tanquam efficiente vel persuadente causa, aut à libera Adami voluntate. Si à luce illa pendebat, vti pependisse Camero vult; vnde factum vt lux illa non effecerit in voluntate Adami vt animum aduerteret, cùm lux illa suffusa esset menti ipsius, & cùm nullam adhuc causam dedisset vt tolleretur? Si pendebat à voluntate ipsius libera jam dicat necesse est Camero, hominis voluntatem nonobstante luce illa dirigente, tamen seipsam per seipsam determinare potuisse; & sic non pependisse voluntatem à iudicio tanquã causa eam determinante; Aut si sententiam suam fueri vult in circulum eat necesse est. Ex hoc colligo, si vera est sententia Cameronis, fieri non potuisse vt Adamus peccatum vllum (quod quidem verè peccatum siue legis transgressio sit, ac non malum Physicum tantum) committeret; nedum peccatum tam horrendâ pœnâ dignum; per consequens nec genus humanum in eo peccasse, nec in eo punitum fuisse aut iure puniri potuisse, & quod caput rei est, nullum prorsus peccatum pœnâ dignum in rerum naturâ dari aut concipi posse. Quantum in hoc argumento situm est, nemo non intelligit. Camero certe, & qui cum eo sentiunt, qui super Adami peccato vnico totam absolutæ prædestinationis suæ iustitiam fundant, quantum in eo positum sit considerent necesse est.*

Hic tu nil ferè affers noui, tantum repetis eadem reipsâ, nouum tamen & quidem duplicem, nec leuem illum certè committis errorem, quod facilè demonstro. Ais tenebras à Satana suffusas, vel pares fuisse, vel impares luci mentis primi parentis; Si pares suspẽsa (inquis) hæsisset eius voluntas, atque eo pacto non peccasset; si impares, vel maiores fuere vel minores; si maiores, hoc fuerit diuinæ luci iniurium: si minores, non potuisset Adam peccare; sequitur enim voluntas (ex hypothesi mea) mentis lucem necessariò. At has ego tenebras tuas, quibus profectò & amici tui mentẽ & veritatem obtenebras, iam dispuli atque discussi. Dixi n. offundere tenebras locutionẽ esse metaphoricam (quæ si mutetur in propriã, nil aliud significet quã decipere. Sic igitur oportet te colligere; aut Diaboli suasio qua decepit Adamum, paris fuit momenti apud primum hominem, ac suasio diuina, aut imparis; Si imparis, maioris aut minoris; horũ nihil. Vide iam quid sequatur. Ergo primus homo non fuit deceptus. Apostolus autem Paulus id tradit διαῤῥήδην, Ergo [horresco dicere] falsum dixit. Vide quo te dederit præcipitem ingenij tui impetus: Faciam tamen in tui gratiam Apostolum id non dixisse. At hoc tamẽ [vt tu alio in argumento loqueris] αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ. Putas Adamum existimasse Satanam dixisse in Deum falsum testimonium, vel omninò futurum mente præsensisse, vt esus vetiti fructus ex beatissimo efficeret miserrimũ ipsum, totumq; adeò genus humanum posteros suos? si id putauit, non iam hic error modò, sed furor & demẽtia fuit, vt supra disputatum. Quod si Satanam existimauit verum aduersus Deum dicere testimonium, si existimauit se, si fructu interdicto vesceretur, beatum & fœlicem fore, quantus, bone Deus, & quàm grauis hic error fuit? Verùm age, quid si ego te vicissim sic vrgerem; Aut quas voluntas primi hominis eius menti tenebras offudit, paris eæ ponderis fuere, aut imparis: Si paris, mens Adami hæsisset dubia

& ſuſpenſa; atque ita non erraſſet, tu enim ſic diſputas: aut imparis, atque ita vel maioris vel minoris momenti: Si minoris qui potuit induci in errorem? Si maioris, qui potuit non induci? Quid tu iam hic reſpondêres? qui te expedires? Cæterum quis dubitet vim maiorem apud Adamum Diaboli illecebras quàm Dei conſilium habuiſſe, immo verò quis non videt hoc ipſo ab eo grauiſſimè indigniſſiméque peccatum? Tun' id abſurdum eſſe contendas quod res eſt? Venio iam ad errata tua, quorum illud prius eſt, quod ais, *Adamum non fuiſſe peccaturũ ſi eius voluntas in æquilibrio hæſiſſet.* Nam amabo te non eſt peccatum non parêre Deo? atqui Deus non vult nos eſſe ſuſpenſos atque incertos; nec conſultare quoties agitur de officio præſtando, ſed incendi atque ardere zelo. Pia haud dubiè ſanctiſſimi Martyris vox fuit in re tam iuſta, *nulla eſt conſultatio, non adhuc conſulto, quia non adhuc dubito; abſtulit enim mihi dubitationem ipſa iuſtitia.* Quid enim? tu eam dixeris caſtam fœminam quę propoſitis hinc à Marito, inde à Mœcho, argumentis hæreat animo ſuſpenſa, tanquam in æquilibrio, paribus vtrinque ponderibus & momentis rationum librata? Alter verò error tuus is quidem certè multo grauior eſt, quod ſtatuis *iniuriam fieri Deo, ſi arbitremur accidere vt Satanæ ſuaſu Deum monentem aſpernemur.* Hoc enim pacto non primum hominem modò, ſed ne nos quidem vnquam impelleret in ruinam Deo monente & commõſtrante viam; id quod puto ne teipſum quidem probare. Eſto ſanè, inquies, quicquid ſit, id pugnat tamen cum hypotheſi tua; cedo iam quî pugnet? aio quippe voluntatem ſequi mentis lucem: atqui diuina admonitio, ea præſertim quam diuinam noueris (id quod in hac ſpecie, vt loquuntur Iuriſconſulti, locum habet) lux certè eſt, & quidem longè maxima. Vnde igitur factum eſt vt aliorſum Adami voluntas potuerit deflectere. Id à me iam ſupra diſcuſſum eſt. Eſt enim quidam Dei ſuaſus nos de officio monens: addam etiam tam efficaciter monens vt non dubitemus Deum eſſe qui monuerit: Atqui hoc ſuaſu, ſi nil aliud accedat, vel non moueri, vel non *permoueri*, voluntatem dixi iam pridem. Verba mea ſunt, *Certè ſuaſio ſi nil aliud quàm ſuaſio eſt, non etiam perſuaſio, haud mouet, quin, mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes: itaq; ſuaſionem illam ſuam parum cõuenienter motum vocarunt, illa n. ſuaſio, in ſalutis cauſa, eſt nuda duntaxat rerum propoſitio, vt cùm deſcribitur Chriſto, & Chriſti beneficia, nil præterea eſt, aut ſi eſt aliquid amplius inclinatio quædam animi eſt, vt velit, non etiam vt perficiat. At nos perſuaſionem intelligimus quæ efficiat & velle & perficere, qualis fuit illa Pauli perſuaſio, quæ tanta fuit vt profiteretur ſe συνέχεσθαι, & veluti conſtringi amore Chriſti.* Hæc tu certè quidem legeras diſſimulaſti tamen. Sed & alter Dei SVASVS eſt, is v. non iam ſuaſus ſimpliciter, ſed *perſuaſio* eſt, nempe agit Deus ea ſuaſione efficaciter, ἐνεργεῖ. Hic v. ſuaſus omnino iam prohibet peccatum, non mouet tantum ſed permouet. Si ergo à me quæras cur Deus Adamo ſic non ſuaſerit vt perſuaſerit eadem opera; Aio eodem iam redire quæſtionem, ac ſi tu à me iam quæreres cur non prohibuerit Adamum à lapſu. Hoccine placet? non placet haud dubiè. Quieſce igitur, nec velis intempeſtiuis atque importunis quæſtionibus ſollicitare & vexare veritatem. ἴσχου τ' ἁπλῆς γνώμης, μὴ ὑποδέχου, μηδ' αὐτὸς, ὦγαθὲ, συγ' οὕτω προβάλλοιο κενὴν ἀπάτην. At verò ita Deus author peccati ſtatuendus. Hæc eſt veſtra ſolennis, ſed feralis cantilena; ſi vias Domini veſtro pede non metimur. Deus ſcilicet (ô immanem confidentiam) author eſt peccati. Sed tamen quando ea vobis animi vaſtitas eſt, videte etiam atque etiam ne id ipſum pari iure (ſi quis in veſtram ſententiam vellet debachari, quod egò non fecerim) vobis poſſit exprobrari. Nam ſi ad humanarum legum præſcriptum res exigenda eſt, ſi iure vtimur, non iam dico Gallico, Belgico, vel Romano, ſed naturæ ipſius, Non is habendus eſt parricidij reus qui non prohibuit tam immane facinus, cũ vel ſolo nutu id potuiſſet, ſed rectis oculis, complicatis brachiis, tantum ſcelus ſpectauit, non diliniuit animum, non iniecit parricidæ manum, non retraxit ruentem in patris necem, in ſui ipſius perniciem, non, inquam, parricidij eo reus eſt, quamuis ipſe parricida patris ſanguine manus potuiſſet non fœdaſſe? Audiſtin' hoc iam? paria non ſunt iſta, inquies. Non ſunt omnino ſanè. Quid igitur tanto ęre tumultuamini? quid aduerſus Deum tanto vociferamini hiatu? Nempe, nullum agnoſcitis Dei Dominium quod beneficiis in creaturam collatis non nitatur, quod ὑπεροχῇ infinitæ maieſtatis nitatur nullum agnoſcitis: Et dum gloriæ Dei veſtrum ſcilicet patrocinium commodatis, ſic eam cauſam agitis vt prodatis, amicorum Iobi hac in parte prorſus ſimiles. Quæſo iam ne iraſcare, neu quis te hæc moneat, ſed cuius rei quantæque te admoneat, in timore Domini expende. Ita fiet vt tu nolis tam acutum cernere, nec ἐμβατεύειν εἰς ἀμηνιώρακας, & in Dei ἄδυτα irrumpere. Verum me colligo, & te iam ſequor.

Cyprianus.

Armin. in Theſ. de Dominio Dei. Th. 8.

CAP. IX.

Cameronis ſententia non pugnat cum ratione peccatis in regenitis.

SEd poſito (ais) omnino quod Adamus peccare potuiſſet, & actu peccaſſet, ex hoc eodem fundamento euincitur, Cameronem affirmare debere regenitos, & perſuaſione iſta ſpeciali quam vult donatos, peccare nullo modo poſſe, niſi Deus primò, & abſque culpa ipſorum, lucem iſtam ab iis tollat; id eſt perſuadere ipſis deſinat; & ſic peccati ipſorum (ſi peccatum eſſe poteſt, quod ſubtracta iſta luce committitur) cauſa efficiens, per modum tollentis neceſſarium prohibens, fiat. Ratio eſt, In regenitis noua gratia & lux talis locum habet, quæ voluntatem ipſorum ita afficit vt non poſſint non adhæreſcere ſummo bono. Itaq; niſi lux iſta mentibus ipſorum ſubtrahatur, fieri non poteſt vt in peccatum incidant, voluntas enim ſequitur lucem iſtam, & ab ea determinatur ad amorem boni. Neq; verò dici poſſunt ipſi regeniti lucem illam negligere, lux enim illa, quia efficax eſt cognitio ſummi boni, facit vt negligere eam nec velint, nec poſſint; quid enim moueret voluntatem eorum ad eam negligendam? quod ſi verò etiam lux iſta ſit lumen aliquod à Deo impreſſum & inhærens animæ, quomodo fieri poteſt vt ab ipſis negligatur? Nec dici poteſt Deus lucem iſtam ſubtrahere regenitis propter peccata ipſorum. Peccata enim illa alia eſſe non poſſent, quàm peccata quæ ante lucem illam receptam, ſiue ante ſui conuerſionem commiſerunt. At ea ipſis condonauit Deus, vt verò alia peccata poſtea non commiſerint lux illa volun-

voluntatem eorum determinans efficit. Vnde igitur peccatum in ipsis? Necesse est vt dicat Camero vel regenitos nunquam peccare posse, vel peccata eorum oriri à Deo gratiam & lucem illam, pro arbitrio suo, eorum menti subtrahente, & sic peccata regenitorum non esse peccata quia Deus peccare non potest, aut si peccata sint, Deum solum propriè authorem peccatorum omnium esse quæ regeniti committunt.

Huius tuæ ratiocinationis hæc est summa: Sic colligis (vt quod tu dixisti multis ego paucis dicam) Regenitis lux Gratiæ nunquam subtrahitur, At lux Gratiæ semper flectit in obsequium voluntatem, imò non potest, ex mea sententia, id non efficere: Ergo regeniti nunquam peccant, neque verò possunt peccare. Lucem verò gratiæ nunquam iis subtrahi inde efficis, quod non potest subtrahi nisi ob contemptum, Atqui sui contemptum ipsa prohibet: Ergo non potest subtrahi. Possem hoc tuum epicherema negligere, refellitur enim iisdem argumentis quæ à me supra modò allata sunt aduersus ea quæ ex primi hominis peccato primo contra meam sententiam attulisti, Par enim ratio (vt agnoscis ipse) imò hic eo expeditior, quod regeniti non sint vsque adeò regeniti vt nil supersit reliquiarum carnis, & veteris hominis: Vnde fit vt nullo vnquam momento tales se queant sistere Deo, vt digni sint quibus Deus lucem suam constanter commodet, itaque orant continuo, *Ne nos inducas in tentationem*, & precamur vt illuminet Deus ipsorum mentes: quas preces etsi Deus non ita exaudit vt nunquam peccent, eo tamen exaudit pacto, vt ne sint scelesti & prophani, & peccent ad mortem. Etsi vero Deus regenitis omnia peccata clementissimè condonat, non facit id tamen vt non illi sit solutum & liberum eos aliquando permittere sibi, dum finit in iis exstare argumenta infirmitatis humanæ, quibus & ipsi edocti meminerint se homines esse, & cæteri mortales discant sanctos viros tanquam sanctos quidem, sed tamen etiam tanquam homines habere luctantes cum infirmitate carnis, atque ita luctantes vt nonnunquam succumbant, quamuis se erigant continuo, & in certamine se demum exhibeant victores. Cuius rei in Ezechia habemus exemplum illustre, quem Scriptura docet disertis verbis Deum deseruisse, desertionis adiectâ caussa, *vt probaret eum, notumque fieri quiquid erat in corde eius.* (2. Chr. 32.31) *Fratres*, inquit Apostolus Galat. 6. *etiamsi deprehensus fuerit aliquis in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, instaurate eiusmodi hominem cum spiritu lenitatis, considerans TEMETIPSVM ne & TV tenteris.* Prohibet quidem remissio peccatorum ne filij Dei funditus pereant, ne peccato indulgeant, ne peccent fœdè, turpiter, flagitiosè, sceleratè, & quadam consuetudine. Itaque & prohibet eadem ne lux illa Spiritus penitus vnquam auferatur, at non prohibet eadem ne castigentur, ne probentur, ne peccent omnino: Itaque nec facit vt ea mentis lux tanta sit, & tam constans, quantaquamque constans si esset, nunquam omnino peccarent. Nec aliud ibi voluit Iohannes cuius vtraque hæc vox est, *Si dixerimus quod peccatum non habemus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis.* 1. Ioh. 1. 10. Et, *Quisquis natus est ex Deo peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.* cap. 3. 9. Tu verò, Vir docte, quos tandem vis esse regenitos, an indiscriminatim omnes, an verò eos tantum qui credunt & resipiscunt? In his quid & quantum censes præstare Spiritum Sanctum? An dices Spiritum agere immediatè in affectus & partem animæ inferiorem? At hic motus Physicus foret, si foret immediatus, etiam te arbitro. Et in duobus, exempli gratiâ, quorum alterius affectus deinde fuerint sedati, alterius adhuc tumultuantur, Deus, quod ad ipsius quidem attinet actionem, pariter egit, si tibi habemus fidem. Si Deus ergo pariter agit in affectus, vnde fit vt non sequuta sit par in vtroque affectuum moderatio? Num dices hoc oriri ex affectuum ἀταξίᾳ? Si id dicis, nihil dicis, illudis nobis, nihil enim aliud dicis quàm leuioribus morbis mederi hanc Dei gratiam, grauioribus non mederi; Atqui vbi peccatum abundauit, superabundauit gratia, teste Apostolo. Illud omitto quod vbi par est affectuum perturbatio, cur ea in hoc potiùs quàm in illo composita fuerit, & in ordinem coacta, pari gratiâ vtrobique pari vi operante, causa nulla dici potest. Quod si dicas Deum agere quidem in affectus sed interuentu voluntatis, ne sic quidem dixeris quicquam; verba nobis dederis, negas enim Deum agere in voluntatem immediatè. Quod si verò non negas Deum agere in voluntatem, nimirum mediatè, vtpote qui moueat intellectum, intellectus autem interuentu voluntatem, id si ita est, qui possunt, vicissim ex te quæro, regeniti, peccare? Nam voluntas mouet affectus, intellectus voluntatem, Deus intellectum, ista cohærent catenatim, vt ita dicam. Atqui Deus non subtrahit lucem suam, hoc enim facere iure non potest (adeo de Deo loqueris reuerenter) nisi ob contemptum; quando vero Deus mouet intellectum, intellectus & ipse mouet voluntatem; Ergo prohibet sui contemptum; semper autem Deus ex hypothesi tua mouet intellectum; semper ergo etiam mouet voluntatem. Aies fortasse intellectum non mouere voluntatem necessario; Ergo, inquam, fieri potest vt voluntas in contrarium tendat, aut certè suspendat actionem suam. At neutrum fieri potest. Non prius, nempe sic efficeretur vt quis quam certò scit miserrimam esse conditionem eam vltro appetat, contraque quam certo nouit beatissimam, eam refugiat: Nec posterius, quia suspensio voluntatis ipsa, actio voluntatis est; atqui voluntatis actus omnis velle aut nolle est. Velit igitur aut nolit voluntas quum actionem suspendit suam; Velit igitur aut non velit, cùm neque velit, neque nolit. Potesne tu te hinc expedire? Si id feceris, miram rem feceris. Forte mihi dices me rem magis miram facere, qui reclamante experientia & communi adeo omnium sensu, voluntatem negē suspendere aliquando actionem suam, proindeque & id posse; nam quicquid præstat, idipsum sanè potest. Audi. Clamat experientia, sentimus omnes, voluntatem sæpenumero esse suspensam, id ego agnosco, fateor, & verò proclamo; qui nego tamen idem voluntatem suspendere actum suum. Actus quidem earum facultatum quas Aristoteles δυνάμεις μετὰ λόγου dixit (puta facultatem ambulandi, &c.) voluntas potest suspendere, vtpote quæ actuum illorum est domina: At vt voluntas sui ipsius sit domina, id vero ἀσύστατον est, nisi fortè existimas eundem sui ipsius patrem esse posse & filium. Certè diuersissima sunt ista

Voluntas potest esse suspensa, & potest voluntas suspendedere actionem suam. Benè habet, inquies fortasse, hoc saltem das, posse voluntatem esse suspensam. Ego vero ne id quidem nisi intellectu suspenso, quin si intellectus suaderet vel dissuaderet, non suspenderetur, nam si suadeat intellectus, vel vult vel non vult, si dissuadeat, itidem, par enim ratio est. Sic aio necessario effici vt voluntas in contrarium non tendat quàm suasit intellectus. Atque sic reditur eo vnde discessum est, iam enim confeceram non posse voluntatem niti in contrarium; nititur autem in contrarium si suspenditur. Id sic efficitur, Vel enim suspenditur à volendo quod suasit intellectus, at hic nolendi quidam gradus est vt si munus oblatum non admittas, etiam respueris: Vel suspenditur à nolendo quod dissuasit intellectus, & hic volendi quidam gradus est, non potest enim dari medium; nolle enim & velle contraria sunt sine medio quod dicunt positiuo. At tamen medium habent quod vocant ex negatione extremorum, nempe dum quiescimus à volendo pariter & nolendo, tum verò voluntas in mera potentia est; At suadente aut dissuadente mente non potest esse in mera potentia; non magis certè quàm circuli connexitas in actu sine circuli cauitate esse potest. Disertis verbis dico, *suadente aut dissuadente intellectu*, nam dum versatur mens circa τὰ νοητὰ simpliciter, non id sentimus quod voluntatem propriè dicimus. Si ea circa τὰ πρακτὰ versetur, quoties aut quamdiu id fit, motum aliquem percipimus voluntatis, prout segniùs vel vehementiùs suadet vel dissuadet intellectus. Ergo prout notitia practici intellectus suadet aut dissuadet, propellitur aut reuocatur voluntas. Id in Collatione amica (pag. 698. col. 1. & 2.) ostendi ex Aristotele, ἔστι δὲ ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή. Item, διὸ ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητική, καὶ ἡ τοιαύτη ἀρχὴ ἄνθρωπος

Lib. 2. Ethic. cap. 5.

Quod si ita se res habet, non mea magis quàm tua interest reddere caussam cur Deus lucem illam suam, qua ita suis Electis suadet vt persuadeat, nolit adesse parem semper & æqualem. Ego certè nullam aliam video præter hanc, quod illi cùm eam non mereantur, Deus nulla lege tenetur vt eam velit esse æqualem & perpetuam. Posset quidem temporis puncto regenerationem absoluere, quis de eo dubitet? Non facit id tamen; constat illi ratio consilij sui: quid tum si nobis etiam non constat; Facit efficaciter in nobis Deus velle & perficere ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Quæso hic consistamus, φρονῶμεν εἰς τὸ σωφρονεῖν, neu simus impiè & ineptè curiosi.

Cap. X.

Cameronis sententia non pugnat cum veræ laudis & præmij ratione.

Sic pergis deinde, *Eadem est ratio alterius membri quod diximus, nullam etiam virtutem præmio dignã dari posse, si vera est sententia Cameronis. Nam si lux illa quæ in mente hominis ponitur nullo modo ab homine pendeat, sed menti ipsius à solo Deo infusa est, aut affusa est, & eadem affusa menti voluntatem ita afficiat vt voluntas non possit non eius ductum sequi, profectò virtutis non est, nedum virtutis præmio digna, lucem illam aut habere, aut cum eam habeat ductum illius sequi. Nulla enim hic electio locum habet; Vti oculus lucem solis, ita mens ipsã lucem persuasiuam non potest non admittere quando eam Deus infundit, aut, vt Camero loquitur, persuadendo affundit; voluntas verò naturali necessitate, & spontanea quadam lubentia, lucem illam veluti ferrum magnetem sequitur. At naturalis receptio, & necessaria sequela, virtus non est, nedum virtus præmio digna. Quis enim virtutem præmio dignam dicat, si oculus apertus lucem solis recipiat, aut voluntas summum bonum appetat.*

Valde sollicitus es de laude & præmio, hinc illæ lachrymæ. Veremini ne omnis Deo laus in solidum debeatur, ne nihil nostrum habeatur præter errorem, prauitatem, intemperiem, infirmitatem, miseriam: Cætera veram sapientiam bonitatem, animi temperantiam, constantiam, fœlicitatem si diuini esse muneris, quantacumq; quantulaue sint, statuamus: si omnem homini laudem adimamus, Deo in solidum tribuamus, tollimus (vobis quidem arbitris) virtutem è medio. Immane scilicet sacrilegium siquis seriò ex animo sibi exploratus, & omnino compertus, verè fateatur in se nihil sibi occurrere præter peccatum, quæque peccatum sequitur miseriam, Deum contra omnis boni vnicum, solum, perfectum authorem & fontem! Amabo te iam, Vir docte, quisquis es, Siste te coram Deo, audebisne illud profari, te nullius gratiæ esse Deo debitorem præter eam quæ tibi cum impijs est communis, & quod illis melior es non Deo te id debere, qui te non aliter quàm eos affecerit, sed tibi, quod Dei munere sapienter vsus sis? Inuidebis Deo hanc etiam laudem quod gratia rectè sis vsus, eamque tibi contendes deberi? Nolis hoc profectò, nolis, si vllum habes veræ pietatis sensum. At si fastu tumes hanc etiam, omnium hominum execratione dignissimam, vocem emittes, *Est aliquid quo Sapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio, non suo sapiens est.* Quod dictum vtrum magis impium quàm stolidum sit, ambignum est. Certè sic vos sentire necesse est, si modò consentanea sentitis. Negatis enim vbi electioni non sit locus (hoc est, vobis interpretibus, vbi res non potuit aliter cadere, voluntasve aliò deflectere) laudi vllum superesse locum. Deo ergo nulla laus omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis iustitiæ debetur. At homini quia elegit vtrum mallet, quia potuit non elegisse, atque reniti, tendereque in contrariam partem, ei certe egregia vero scilicet (vobis quidem brabeutis) laus debetur. Cum autem sit præstantior is qui laudem meretur quàm qui non meretur, videsne horrendum illud sequi, vt homo Deo sit præstantior. Id verò vestram sequitur, quam tu hoc loco proponis, sententiam. Sic enim disputas. Vbi electioni non est locus, laudi non est locus, neque virtuti etiam. Meum vero dogma sequitur, si tibi fas credere, vt electioni in regenitis nullus sit locus: Ergo sequitur etiam vt neque laudi neque præmio sit locus, proindeque nec virtuti, quæ scilicet, si laus abesset & præmium, ne virtus quidem esset. Ostendam postmodum non sequi meam opinionem (quod tu reris nullum superesse electioni locum. Nunc verò id ago quod instar. *Vbi*, inquis, *electioni non est locus, laudi non est locus*, at in Deo, quatenus est Deus, non est electioni locus, non enim optauit vt esset Deus. Ergo, Deo, quatenus est Deus, nulla laus debetur. Hæc quidem insania

Seneca Epist. 53.

insania iam & furor, non modò impietas est. Et quemadmodum tu vis vt nulla oculis laus sit quod admittat Solis lucem, sic mentis humanæ nullam esse laudem quod veritati diuinæ persuadenti efficium pareat necessariò. Quidni liceat scilicet pari ratione, impiè inferre, quemadmodum Solis nulla laus est quod lucidus est οὐ προαιρέσει ἀλλὰ φύσει: Sic quòd Deus bonus est, id verò Deo laudi non est dandum, vt quî non libero arbitrio sed naturâ bonus sit. Nullam igitur, vt vides, vobis facit iniuriam, nec in vos quidquam dicit contumeliosè, qui hæc monstra & portenta terterimarum blasphemiarum ait sequi vestras hypotheses. Res enim ipsa id loquitur & exclamat. At verò nego iam, inquam, meâ opinionem sequi nullam esse electionem, aio verò contra id sequi meam sententiam, & quidem necessariò sequi, vt nempe sit electio actus animi hominis conuersi, vestram autem sententiam sequi, & quidem necessariò sequi, vt nulla sit electio, proindeq; nullum laudi locum superesse, ne illi quidem cui apud homines locus est. Singula hæc eodem ordine quo à me sunt proposita exsequar. Ac primum quidem, *Non sequi meam sententiam vt nulla sit electio*, id hinc liquet, quod nulla alia caussa dici possit cur id sequatur quàm quod pugnet cum electione necessaria ad vnum determinatio; neque verò certè tu aliam affers caussam præter hâc solam. Si igitur vbi necessitas est determinationis, electioni locus esse potest, non est hæc idonea ratio cur debeam videri, meâ sententia, qua determinationis necessitatem statuo, electionem omnem sustulisse. At certè determinationis necessitas, & quidem summa, est vbi electioni non iam dico locus esse potest, sed reuera est locus. Id faxo iam clarum, prolato exemplo quod tu sat scio non rejicies. Fac mentem humanam clarè, ac sine nube, cernere præsens hinc summum bonum, inde summum malum; quum dixi summum, omnia dixi: Illud etiam ponamus, Deum facere optionem vtro frui malit homo, dubitandum est vtram partem animus sit necessario, summo atque incredibili ardore, amplexurus, vtrum summo odio atque auersatione refugiturus pari necessitate? Ex quo intelligi facilè potest quàm non pugnet cum electionis natura necessaria determinatio: neque enim negabis hic, puto, electionem fuisse vbi vnum alteri, optione data, fuerit prælatum. Illudne respondebis (nam quid aliud possis haud video) nullam præcesisse deliberationem. Quid? Igitur tu nullum voles electioni esse locum vbi deliberandi non fuerit locus? Si ita est, alio occurram exemplo. Si eò res esset redacta vt aliquot nummorum iacturâ posses redimere quam vos dicitis libertatem prophetandi, deliberandum tibi putares? At foret hæc electio tamen, & quidem necessaria. Consule quæso animum tuũ, & rem tecum reputa, ita se rem habere certò comperies. Non repugnat igitur electioni vt sit necessaria. Quoniam vero id iam à me demonstratum est, superest vt ostendam necessario sequi sententiam meam vt sit Electio. Electio ex duobus quæ proponuntur animo alterius assumptio, alterius reiectio est. Atqui meam sententiam, quâ statuo Deum ita mentem regenitorum afficere vt animos non possit non appetere quod verè bonum est, refugere vero quod verè malum est, si vtrumque proponatur, id sequitur necessariò vt alterum assumant, alterum rejiciant: Meam igitur sententiam necessariò sequitur dari electionem. Animaduertte iam vt ostendam quî vestra sententia omnem electionem penitus tollat. Id quod faciam multis modis. Et quidem eo primum, quod cùm Electio sit actio vel qua bonum malo præfertur & assumitur, vel maius bonum minori bono præponitur & pari iure assumitur, oportet eam esse necessariam; Vestra autem sententia hanc necessitatem tollit, tollit igitur electionem: Necessariò enim bonum malo præfertur, maius item bonum minori, certò, inquam, agnitum, non agnitum autem non præfertur, pari necessitate. Quid tu ad ista respondebis? Fortasse contra euenire, vt etiam malum bono præferatur. Etiamne agnitum malum, & qua sui parte malum iudicatur? Profecto tu id non dices, neque enim potes. Nam malum qua malum id esse iudicant, eatenus & oderunt omnes: Nam qua malum est in se sanè non oderunt, sed qua malum esse iudicarunt, hactenus, inquam, quatenus, & quantum iudicarunt malum, refugiunt. Illud breuiter hoc loco, quia infra ea de re mihi rursus sæpius erit disputandum. Deinde, etiam cùm vestra sententia sit, *Voluntatem nonnisi à seipsa moueri*, necesse est omnem electionem è medio auferatis. Non enim ideo eligimus quia volumus, sed volumus ideo potius quia eligimus. Electio quippe vel præcipuè iudicij actus est: Non vultis autem pendere à mente voluntatem, tollitis igitur electionem. Fortè an istud es dicturus, Pendere voluntatem hactenus à mente seu iudicio, vt quæ nil possit vel appetere, vel refugere, quod animo non fuerit commonstratum? At negatis tamen voluntatem mentis affici VISIS necessario in vtramuis partem. Ego vero quæro an illis VISIS omninò efficiatur. Nam si illis non afficitur, ab illis omnino non pendet, ac proinde nec voluntas est, (voluntas enim est appetitus cum ratione) & cum nulla sine voluntate electio fit, nulla electio futura est. Afficitur, inquies, sed liberè. Ego verò, inquam, assentior voluntatem illis affici VISIS liberè dummodo illud *liberè* nil aliud notet quàm lubentiam quandam cum ratione coniuncta, qua sola ratione voluntas dici potest libera: de eo non est controuersia. Quæro igitur, inquam, An ita VISIS afficiatur vt possit iis indifferenter affici vel non affici, Aies tu id sat scio. Hic igitur pes est figendus. Ergo sic insto. Omnis facultas vel actiua, vel passiua est. Motus omnis vel agere, vel pati. Quæro iam, Motus hic voluntatis circa VISA sitne actio an passio. Non est actio, non enim voluntas est quæ VISA mouet, quin (nisi repetis quod pono te dedisse) ab iis afficitur. Quid igitur. Passio ne? At tu negas pati à VISIS voluntatem, ne motum eius cogare fateri necessarium. Ergo nec agitur à VISIS, nec agit in VISA ac proinde nullo modo pendet ab intellectu. Nulla igitur, ex tua sententia, in rebus humanis est electio (nam electio à mente orta desinit in voluntate necessariò) proindeque nullus virtuti, nullus laudi, nullus præmio locus reliquus. Quid enim collaudes eum qui non ductu mentis, sed cæco impetu fertur in bonum, aut quid est in eo impetu virtutis aut honesti? At meam sententiam nihil horum, diuersa omnia

sequuntur. Nam & Electio locum habet (quia è duobus agnitis alterum assumitur, alterum reijcitur, idque fit præeunte mentis notitiâ) & laus item (sed quæ Dei laudi nil detrahat) debetur. Dispar verò ratio est oculi ad lucem Solis, atque mentis ad Dei mandata, nam oculus nulla ducitur ratione, sed sensu bruto atque experte rationis, quique totus est à materia, mentis iudicium non est materiæ necessariò obnoxium, quatenus, inquam, virtutis aut vitij rationem habet. Materia porrò mihi hoc loco est organi temperamentum.

Sic verò concludis hanc partem Disputationis. *Ex hisce apparet sententiam Cameronis non modò falsam esse, sed & valde noxiam ac periculosam, sublata enim ratione peccati & virtutis, Lex, Disciplina, Respublica, societas & religio omnis, imprimis Christiana funditus euertantur necesse est.* Mihi verò haud paulò potiore iure liceat concludere ex iis quæ à me supra disputata sunt, apparere conclusionem hanc tuam temerariam esse & vanam, id quod magis magisque Dei beneficio apparebit, quam ad rem tu mihi viam aperis.

CAPVT XI.

Cameronis sententia non pugnat cum Præceptionibus & Prohibitionibus.

SIc enim ais, *Quod vt manifestius appareat sic procedo. Si vera est sententia Cameronis, nullus planè locus est præceptionibus aut prohibitionibus. Ratio manifesta est, Quia, quid præciperet nobis Deus? Alterutrum præcipiat necesse est, aut vt lucem illam dirigentem habeamus in mente, aut si illam iam habemus in mente nostra, vt eius directionem sequamur? Vtrumq; facere stultum foret & ridiculum. Nam quid ineptius quàm præcipere vt lucem in intellectu habeamus quam non possumus ex nobis habere aut elicere, imò quam aliunde quàm ab eo qui præcipit habere non possumus? Quis oculo præcipit vt vel internam lucem suam, vel extrinsecam Solis lucem habeat? Deinde quid stultius quàm præcipere vt quum iam lex illa nobis à Spiritu Dei data est ductum lucis istius sequamur, cùm illum non possimus non sequi? Tantundem facit qui alterutrum horum præcipit, ac si præcipiat homini vt Gigas fiat, vt ad staturam suam addat cubitum, aut vt nutriatur & crescat. Impossibilia, & necessaria, non cadunt sub præceptum. Prohibitionis eadem est ratio.*

Hoccine iam, Vir docte, disputare est, ac non potius ludere, quod solent pueri, vel etiam, quod ne illi quidem solent, strenuè cum vmbra pugnare? Nam acriter tu quidem instas vt id efficias quod nemini sobrio vnquam in mentem venit, non esse quod hortemur quemquam vt lucem à seipso habeat quam nemo largitur nisi Deus; nec opus esse vt eum hortemur qui eam lucem ita habet vt eam non possit non sequi. Cæterum non ostendis qui id sequatur sententiam meam vt nullus sit hortationum vsus. Nam ego quidem, ipso te teste, doceo voluntatem à mente planè persuasa flecti necessariò in obsequium; mentem autem persuaderi esse necesse vt voluntas flectatur, idque fieri ἐν τοῖς φρακτοῖς per hortationes additis rationibus. Vbi est acumen tuum? Mens flectit necessariò voluntatem, Ergo non sunt adhibendæ rationes. Sic tibi placet colligere? At ego contra dixerim, Mens flectit necessariò voluntatem, Ergo opus est hortationibus vt mens afficiatur ipsa, ita demum flexura voluntatem. Dabo tibi rem exemplo claram. Vos docetis mentem illustrari à spiritu vt percipiat Christianæ religionis dogmata; Datis hoc puto, neque enim vultis *amorem Christi præcedere Christi cognitionem.* Quamquam iam tu ferres sic cauillantem, *Ex isto dogmate effici nihil opus esse institutione, quia ad quid instituamur? Vt habeamus lucem illam quâ percipiuntur dogmata Christianæ religionis in mente, quam non possumus ex nobis habere aut elicere?* [libet enim apud te vti verbis tuis] *aut vt lucem quam iam habemus, in discernendo vero & falso sequamur ducem? Vtrumq; absurdum. Quis enim doceat oculum quomodo sit videndū? Aut qui nouit iam quid sit verum, quid falsum, quid porrò eum doceas?* Hic tu non exclamares cauillatiunculam esse viro probo & graui indignam? Neq; enim ista sunt seiungenda quæ coniunxit Deus, externum Verbi ministerium ab interno Spiritus ministerio, sed vtrumq; concurrere oportet, iuxta illud, *Paulus plantat, Apollos rigat, Deus is est qui dat incrementum.* Posset quidem Deus ita in hominum animis vi Spiritus sui operari, vt hortationibus nihil esset opus, quemadmodum ex terra arida & sicca posset sine ope humana opimas fruges educere; at ille aliter instituit colligere Ecclesiam. Quemadmodum igitur in illustratione mentis ad percipienda dogmata religionis Christianæ lux interna Spiritus non excludit omninò, imò requirit (vt materiam quam veluti informet) externam institutionem, vt sit efficax Dei organum ad mentes nostras commouendas (id quod vos etiam agnoscitis) Ita planè se res habet in intellectu practico, vt is persuadeatur acquiritur interna illuminatio necessariò, sed & illa requirit exhortationem, vt materiam quam veluti informet, vt efficax sit apud nos persuasio. Quod fieri Scriptura docet, *Gratias,* inquit Paulus, *agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris, &c. Vt qui sciamus, fratres dilecti, vos esse à Deo electos; Quoniam Euangelium nostrum fuit inter vos οὐκ ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ.* Et *Deus aperuit cor Lydiæ vt attenderet ea quæ à Paulo dicebantur.* Item, *Deus non dedit vobis cor ad intelligendum, neq; oculos ad videndum, neq; aures ad audiendum, ad hanc vsq; diem.* Ac ego quidem ausim confidenter affirmare alienos adhuc esse à Christo qui vim istam non senserunt. Nolim te ad hunc sermonem vel mihi irasci, vel æquo vehementiùs dolere, sed seriò cogitare itane se res habeat. Neque verò consequens est vt, apud eos saltem quibus salutarem Spiritus sui lucem & Euangelij notitiam indulsit Deus, nil opus sit hortationibus, eo quod ea afficiat voluntatem necessariò; non magis profectò quàm non est consequens vt ne pergamus docere eos qui probè instituti sunt, siquidem intellectus, vt vestris vtar verbis, irresistibiliter illuminatur. Sed quemadmodum institutio necessaria est ad vel augendam cognitionem, vel confirmandam memoriam. Hortationum eadem ratio est. Nec tu potes huius meæ responsionis, ad hoc seu argumentum seu cauillum tuum, robur labefactare, nisi neges ad certò credenda religionis Christianæ mysteria necessariam esse actionem quandam internam Spiritus Sancti. Quod si faceres, non autem id (credo de te meliora) facies, tu te pariter negares esse Christianum, nec quid-

1. Thess. 1. vers. 2.3.4.5

Act 16.14. Deut. 29.4.

quidquam relinqueres Spiritui S. vt qui, hoc quidem pacto, ne in mentem quidem agat intrinsecus, nedum in voluntatem & affectus.

Videamus porrò quæ sequuntur. *Dices fortasse præceptiones & prohibitiones seruire pro mediis incitantibus voluntatem ad faciendum id quod rectum est; Sed id nihil ad rem facit. Præceptio enim tale medium est quod primo suo conceptu importat officium eius cui præceptio datur. At officium nullum supponi potest vbi id quod præcipitur aut omninò non potest fieri, aut non potest non fieri. Quis enim ex officio lege præscripto facere dici potest id quod non potest non facere, aut quod absolutè non potest facere, siue impotentia illa oriatur ex natura conditione, siue ex pœnæ inflictione? Nemo enim obligari potest ad faciendum quicquam supra naturam suam, aut ad faciendum id ad quod à iudice per pœnam impotens redditus est (aliud est se seipsum impotentem reddidisse sine vlla interueniente pœna, de hoc enim non agimus) dicimus enim fieri non posse vt quis pœnæ reus fiat, si ista est conditio voluntatis quam vult Camero.*

Quasi tu diceres, Institutionem Gentium in doctrina non potuisse (vt tuis vtar verbis) *pro medio seruire*, Institutio *enim tale medium est quod primo suo conceptu importat capacitatem eius apud quem institutio adhibetur; At nulla capacitas supponi potest vbi id quod docetur non potest percipi, aut non potest non percipi, quis enim ex institutione discere id dici possit quod non potuit non discere, aut quod absolutè non potuit discere?* Videsne iam quæ tu aduersus hortationes & præcepta deducis ex mea sententia, eadem sequi communem tibi nobiscum sententiam de necessitate institutionis. Nam neque tu nescis nos omnes omninò esse cœcos donec Deus nos illuminet, neque negas illuminationem istam præcedere necessariò primum voluntatis motum (itaque regenitos necessariò illuminari priusquam velle benè quicquam possint; quis enim amet quod non nouit?) atque intellectum ad hanc illuminationem se habere merè passiuè, imò verò rem ita se habere asseueranter & constanter affirmas. Quid igitur responderet, dic bonâ fide, ei qui tecum sic ageret quemadmodum tu mecum agis? Profectò diceres hominem cauillari, & iocari, rem non agere seriò. Non enim Dominus noster ita mentis vt corporis cæcitatem curat; Fieri enim potest vt cæco in tenebris constituto, aut dormienti, restituat visum, hoc est videndi facultatem, etiamsi interim nondum quidquam videat. Itaque fateor vt Dominus cœco visum restituat nihil est opus proponere obiecta visus. Nihil hoc ad rem. At fieri non potest vt adulto imprimatur vllus habitus seu in mente, seu in voluntate, nî vno eodémque tempore operetur vnâ eâdemque operâ Spiritus Sanctus actum secundum. Quod volo dicere eiusmodi est. Rei ipsius natura & conditio ferre non potest vt Deus vllius adulti menti habitum fidei ingeneret, nî simul faciat vt actu credat. At, (vt grammaticemur iam) *Credo* verbum actiuum est, accusatiuum regit; Ergo fieri non potest vt credamus nisi aliquid credamus. Requiritur ergo vt quum Deus menti ingenerat fidem simul accedat admonitio de iis quæ credenda sunt. At qui credat nisi per doctrinam & institutionem externam, vel per internam reuelationem immediatam? Atqui hoc Prophetarum & Apostolorum proprium fuit. Par præceptorum ratio est. Deus quidem nos ita afficit vt pareamus præceptis, at istud fieri non potest nisi sint præcepta. Res est aperta. Item, ita nos afficit vt nequeamus non parere præceptis suis. Ergo adhibenda sunt præcepta vt id eueniat. Potestne reuelli actio ab obiecto suo & seiungi nisi cesset actio? Profectò non potest. Non potest igitur Deus efficere vt pareamus hortationibus nî sint hortationes. Posset quidem efficere vt rem ipsam præstaremus, at verò interuentu hortationis haudquaquam si nullæ sint hortationes. Iam sic instituit Ecclesiam suam vt velit interuenire hortationes, iisque vtatur tanquam organis Spiritus sui, quas insonantes per aurem ad vsque pectora piorum inspirat, atque (vt ita loquar) animat modo quodam ineffabili. Atque hic sanè appositè dici illud potest quod nonnulli de Eucharistia dixere, *modum nescimus, motum sentimus.*

Tu verò iam progredere. *Confirmatur valdè hoc argumentum si addantur præceptionibus & prohibitionibus istæ promissa & minæ. Quis enim locus promissionibus aut minis esse potest vbi id quod præcipitur aut impossibile est vt fiat aut omninò non potest non fieri? At vbi talis determinatio voluntatis locum habet, qualem statuit Camero, ibi id quod præcipitur est aut omnino impossibile, aut simpliciter necessarium. Adhortationes itaque etiam omnes, increpationes, obtestationes, vota, querelæ, lachrymæ aliaque similia, quibus Deum vti ad conuertendum homines passim testatur Scriptura, nil nisi ludus & iocus erunt. Ad quid enim dirigentur omnes istæ? An ad mentem hominis? At illa non potest habere, aut elicere ex se, lucem illam quæ ad directionem voluntatis, ac proinde hortationes sequendum, necessaria est. An ad voluntatem? At ea non potest sequi rectum mentis iudicium quamdiu ista luce mens caret, & non potest non sequi rectum iudicium quando mens luce ista perfusa est.*

Hæc tua confirmatio à me negligi iure potuit; Habet enim aliquam vim contra figmentum tuum, quam nullam habet contra sententiam meam. Quis enim hortetur homines vt habeant Spiritum Sanctum, aut lucem Spiritus? Optamus sanè vt Deus omnibus largiatur Spiritum suum bonum, Deum precamur seriò vt id velit: Deinde verò sequuntur hortationes ad officium adhibitis minis & promissionibus, quæ valituræ sunt si adsit Deus, non sunt valituræ si non adsit. *Da*, inquit pius Augustinus, *Domine quod iubes, & iube quod vis.* Nosti illud, θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος, καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει πόνος. Id maximè hîc locum habet. Quia iam Dei benedictionem necessariò id sequitur vt omnia perrumpantur obstacula, & tollantur quæuis impedimenta, idcirco negauerit ne quisquam nobis esse conandum? Imò verò tanto magis conandum quanto certiores sumus fore vt Deus nostris conatibus benedicat. Scimus Deum benedicere conantibus, itaque conemur. Hic tu me audis libenter. Audi & hic non illibenter, Deus ita mentes regenitorum afficit vt nequeant non affici, sed neque per Spiritum solum id facit, neque per Verbum solum; vtrumq; igitur adhibet: ac hominum quidem opera Verbum h.e. doctrinam, hortationes, minas, promissiones adhibet, omnem sibi vim & efficaciam, illiusque dispensationem reseruauit, (recurrat nempe semper tibi illud, *Paulus plantat, Apollos rigat, sed Deus dat incrementum*) quam non nullis tam benigna manu admetitur vt nequeant non parere Deo. Ergo apud illos hortationes erunt superuacuæ. Videsn' vt ista non cohæreant?

Sic tu tamen aduersus me colligis, Qui audito Dei verbo (in quo dogmata, hortationes &c.) conuertuntur, iuxta Cameronis sententiam, mentem senserunt tantâ vi, tamque illustri (vt ita dicam) luce diuinitus perfusam, vt sibi nequiuerint temperare quin exarserint Dei amore: Ergo Cameronis sententiam sequitur, vt verbum Dei, apud eos, qui ita affecti fuere, fuerit superuacaneum, nil apud eos minæ, nil valuerint promissiones, nil ipsa significatio veritatis. Atqui contrarium sequitur. Subalterna enim non pugnant. Itaque collectio tua futilis & leuissima est.

Cap. XII.

Cameronis sententia non tollit rationem Obedientiæ & Inobedientiæ.

Ex *hoc*, ais, *efficitur consequenter per sententiam istam obedientiæ & inobedientiæ rationem omnem è medio tolli. Vti enim non obedire dici non potest qui non potest obedire, ita non potest dici obedire qui non potest non obedire, aut potius qui non potest non facere quod rectum est. Qui non potest nolle, non potest dici propriè velle voluntate quæ virtus obedientiæ fit & dicatur.*

Ais sententiam meam sequi vt nulla sit obedientia, non enim is obedit qui non potest non obedire. Ergo, inquam, is non vult qui non potest non velle; Tu ergo, ne vis quidem tibi esse benè, quia non potes velle tibi esse malè. Nam quæ voluntatis eadem est obedientiæ ratio, quæ vim omnem suam & gratiam à voluntate mutuatur, non enim obedientia est nisi quia voluntaria est. Nec quicquam aliud obedientia est (de interno animi actu agimus) quam voluntas qua nos summittimus maiori iubenti. Si igitur contingat vt tam vehementi amore reuerentiaque prosequamur maiorem vt non possimus ei non obsequi ex animo, tu non vis id fore *obedire*? Noua hæc quidem sententia est, vt sit vera tu iam non demonstras. Certè adeò falsa, meo quidem iudicio est, vt eam putem pugnare cum ipso communi sensu. Dic mihi quæso. Tu patrem aut matrem habuisti vnquam, aut sensisti affectum filij? Haud dubiè. Ergo tu nullo vnquam tempore ita te sensisti affectum animo vt possis verè dicere te non potuisse illis non obedire? nam internum animi affectum sequitur actus externus, si facultas adsit, necessariò. Ferus es, & verè ferreus, si non est ita. Sed profectò ita est. Et ego hoc exemplo vsus sum vt te tanto arctiùs constringerem. Iam transferatur exemplum, & accommodetur ad amorem & reuerentiam quâ verè regeniti Deum Patrem prosequuntur (de hypocritis & tepentibus hic non agitur) res eodem modo se habet. Maximè obediunt quum feruent spiritu, quum ita affecti sunt, tamque vehementer, vt non possint non obedire, quum non languent & torpent, sed feruntur quodam ardore ad metam.

Sed tu sic persequeris institutum. *Quid contra hæc Camero solet obijcere, non repugnare vt quis bonum faciat necessariò, & tamen simul liberè illud faciat, idq; exemplo Dei ipsius probat qui non potest non esse sanctus, & tamen liberrimè sanctus est, id prorsus est ineptum. Aliud enim est sanctum esse, & facere quod bonum ac rectū est, aliud obedire legi quæ sub promisso præmij bonum facere præcipit & sub comminatione pœnæ malum vetat. Bonus enim quis esse potest naturâ, ita vt malum facere non possit, qui tamen non obedit legi. Isto modo Deus est bonus, non hoc. Imò quia isto modo bonus est, non potest dici bonus esse, aut bonum velle, liberè. Verum quidem est, bonum hoc aut illud liberè velle potest, sed nec sic necessariò bonus est. At, qui bonum facit ex obedientia quæ lege præscribitur, is non potest aut natura bonus esse, aut ita tantum liberè bonus, vt hoc aut illud bonum tantum facere possit, sed necesse est vt possit etiam non facere, aut contrarium facere, vel omittere, eius quod lege præscribitur aut vetatur. Ad libertatem itaque non requiritur semper vt quis bonum & malum simul possit facere, satis est vt possit facere hoc aut illud bonum: verùm ad libertatem qua quis facere potest quod lege præscribitur, necessarium planè est, vt possit etiam contrarium legi facere, id est, obedire aut non obedire, alioquin frustra foret Lex & Legis sanctio.*

Debuit tam noua sententia, *Non obedit is qui ita affectus est vt non possit non obedire,* quæ reuera παράδοξολάτη est, à te non affirmari tantum, sed certissimis rationibus comprobari. Tu iam aliò deflectis tanquam de via. Et quoniam ego cùm dixissem non pugnare libertatem cum necessitate, id demonstraui Dei exemplo, qui idem bonus sit & liberè bonus, id refellere conaris. Ac primum tu hoc ineptum dicis esse prorsus, adeò es humanus. At si ego docuero te hoc loco grauissimè errare, pœnitebit te spero quod me adeò contempseris. Id sic instituo. Quærebatur an si detur aliquem ita esse bonum vt nequeat non esse bonus, id euerteret naturam humanæ mentis & voluntatis, quam *liberum arbitrium* vocamus. Respondi ego id non futurum, idque probaui adducto in medium primùm Dei exemplo, quem constat esse eundem optimum & liberrimum. Hic tu respondes, Deum non esse liberè, sed naturâ bonum, neque vero ego id negarim quin sit Deus naturâ bonus. Sed si idem non est liberè bonus, cùm ita se res habeat vt quo creatura propiùs accedit ad Deum eo nobilior sit, aio quo minus liberè boni sumus ad Dei exemplum eo sumus meliores & nobiliores, optimus nempe Deus minimè liberè bonus est ex tua sententia. Ergo, inquam, quo quisquis accedit propius ad optimum eo minus liberè bonus est. Itaque, si nulla inuidia est negare Deum liberè bonum, ego profectò non putem vllam inuidiam esse si negemus regenitos esse liberè bonos. Sed tamen, nisi emolliatur benigna interpretatione, dura admodum locutio videtur *Deus non est liberè bonus.* Nam cùm bonitas in Deo respectu sui ipsius (quæ bonitas nil aliud est quàm is amor quo seipsum sibi cognitus prosequitur) à cognitione sui oriatur, liber omnino dici debet Deus, non quia fieri possit vt à sui ipsius amore temperet (neque enim fieri potest vt à seipso oculos auertat, nec quicquam cernit in semetipso quod non sit pulcherrimum) sed quia is amor quo prosequitur seipsum non est ab instinctu quodam cœco & bruto. Quod si non placet vt hic status *libertas* appelletur, dixerim, ego quidem certè, nil esse quod negemus eos esse minùs liberos qui Deum tam clarè vident vt ab eius amore nequeant se continere, maximè cùm Paulus pios omnes *seruos iustitiæ* vocet: nec quicquam hic esse verendum, modò ne vna continuò concedamus vobis, perire hoc pacto ipsam mentis & voluntatis naturam. Sanè libertas vobis nihil aliud quàm ἀδιαφορία est; sic

est, sit ne verò illa idonea libertatis definitio, id verò est τὸ ἐν ἀρχῇ αἱτούμενον Bonitas deinde Dei consideratur extra Deum circa creaturas quibus decreuit benè facere. Et si verò potuit non ita decernere, attamen postquam ita decreuit, non potest abnegare semetipsum, itaque ipse sibi quodammodo legem præscripsit, neque enim fieri potest vt aliud possit velle quàm semel voluit. Nemo verò propterea negarit Deum liberè ea velle, quamuis ita constanter velit id quod vult vt non possit id non velle. Itaque dico fieri iam non posse vt Deus aliud bonum velit quàm quod vult. Iam quod tu ais disparem eo esse rationem, quod nos non naturâ simus boni, & verò possimus aliud facere quàm quod lege præscriptum est; hæc quidem ostendunt in caussa necessitatis immanem disparitatem, non monstrant omnimodam dissimilitudinem. Nam quia Deus ita comparatus est à natura vt non possit seipsum non videre, hinc fit vt non possit seipsum non amare, indidemque demum vt sit bonus: nos contra non ita sumus à natura comparati vt nequeamus non videre pulchritudinem summi boni. Deinde, Deus seipsum infinitũ infinitus clarè comprehẽdit, nos finiti ne capimus quidem in hac vita ad nostrum modum infinitum. Is sibi intimus sese æternum videt, nos per interualla, nunc clarius, nunc obscurius. Hęc fateor sunt disparia; Sed audi iam similitudinem. Quemadmodum Deus plenè, constanter intuens seipsum non potest se non amare plenè, constanter, ita nos reuelante Deo, pro modulo visionis, non possumus non amare Deum. Quod si sic tollitur libertas nostra, tollatur sanè libertas & valeat. Optandus foret hic status, is nempe quem describit Paulus 2. Cor. 3 18. *Nos omnes contemplantes, retectâ facie, Domini gloriam quasi in speculo, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Et quemadmodum postquam Deus aliquid decreuit quod potuisset decernere vel non decernere, quia semetipsum non potest non amare, ideo nec ferre potest ut reuocet quod statuit semel; Ita pij, etsi res externa quam præcepit Deus talis sit suâ naturâ vt eam possint facere aut non facere, attamen quia amant Deum, pro amoris modulo non possunt in animum inducere vt nolint facere quod præcepit Deus. Quod Deo *Decretum* est, id illis *Lex Dei* est, Quod Deo est ipsius cognitio & cognitionem consequens amor, hoc illis est Dei cognitio & hanc sequens amor, hunc vero consequens, quam amor exigit, actio & opus. Hæc est vera θεία φύσις de qua. 2. Pet. 1. 4. cuius nos dicit esse factos participes, quique ibidem docet *omnia nobis esse data τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν, διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς.*

Iam pergamus. *Atqui inquit Camero, Christus dicitur obediuisse Patri, qui tamen non potuit non obedire.* R. *Obedientia propriè dicta ne Christo quidem tribui potest si non potuit non obedire. Ergo, inquies, potuit peccare Christus.* R. *Obediẽtia Christi alterius planè generis fuit, obediuit enim Patri nõ propriè ex imperio diuino legem ipsi ferenti tanquã subdito, nec sub comminatione pœnæ abeo obedientiam postulanti, prout nos obedire necesse est sed vt legationem honorariam & vltroneè suscipiẽdam deferenti, Nempe, non voluit Pater à dilecto Filio suo exigere obedientiam ea conditione vt si non obediret, reus æternæ mortis fieret, sed tantum voluit illi, vt legato dilecto, prouinciam nomine suo gerendam dare cum promissione magnificæ remunerationis quam eundem in sese liberè & lubẽter susceptururum certum erat. Et hoc volunt sibi textus omnes qui dicunt ipsum à Patre missum fuisse, mandatum accepisse à Patre, exiisse à Patre, & quæ sunt similia. Hæc itaque obedientia Christi longe alterius generis est quàm ea de qua hic agimus. Dices, nega i tamen non posse Christum etiam Legi subiectum fuisse quæ promissis & comminationibus constabat.* R. *ita quidem videtur.*

Hic tu certas cum animi tui ridiculo sanè figmento, & æerem diuerberas ęstuans interim & sudans, & incertus plane quo te vertas. Nam mihi quidem certè istud in mentem nunquam venit vt vellem ostendere quis sit Præceptorum apud peccatores vsus ex eo quod Christo Lex data esset; (quæ quo pacto fuerit illi data hic idcirco non est disquirendi locus vt pari de causa nec quomodo Legi, quæ additis promissis & comminationibus erat sancita, fuerit subiectus; num hoc contra quàm existimas, profiteor me sentire, Christo nil fuisse minis opus vt in officio contineretur, hæc nostrę fragilitatis & infirmitatis, quæ in hoc quidem genere in Christum minimè cadebat, conditio est) Tantùm volui efficere Christi hominis exemplo, non pugnare cum humanæ voluntatis ratione vt bono constanter adeò adhærescat vt inde non possit dimoueri.

Cap. XIII.

Confirmatur instantia quâ Camero vsus est prolato Christi exemplo, vt ostenderet voluntatis determinationem fixam & constantem non euertere naturam voluntatis.

QVando verò in hunc locum deuenimus vt disputandum sit, annon id pugnet saltem cum obedientiæ ratione vt quis ita pareat vt non possit quin pareat sibi temperare; Aio Christi exemplo id clarum esse, qui ita Deo paruit vt non potuerit non parêre, nullo iam naturæ cęco instinctu (qualis est orbium cœlestium qui circumaguntur motu æquabili, constanti, eodemque celerrimo, atque ita quidem vt se nequeant, vel ad punctum temporis, à motu inhibere) sed virtutis quadam præstantia & exuberantia.

Pergis verò tu ad hunc modum. *Dico itaque secundò. Posito etiam quod Deus à Christo præcise, & sub comminatione pœnæ, obedientiã postulasset, nil repugnat dicere Christum potuisse non obedire Patri, & sic peccare saltem vt hominem, siue secundùm naturam humanã secundũ quam tantum obedire poterat. Nec enim hoc repugnat natura ipsius humana, siue voluntati ipsius liberæ, quam communem nobiscum habuit. Posse enim peccare non magis repugnabat naturæ ipsius, quàm posse miseram esse & morbis obnoxiam. Et sufficiebat ad nos redimendum, nobisque pro exemplo seruiendum, vt non peccaret. Quin imò, non eiusdem forte naturæ nobiscum visus fuisset si non potuisset non obedire. Addo quod amplius est, nostra obedientia multo præstantior esset censenda obedientiâ Christi si nos liberè obediremus, ille autẽ obediisset necessariò. Sed nec intelligi facile potest quomodo à Diabolo tentatus fuisset, imò quomodo tentari potuisset, quomodo cõsolatione Angelica opus habuisset, quomodo ipse dixisset; Transeat à me calix hic si fieri potest, verumtamen non*

mea, sed tua voluntas fiat, & similia. Denique, quomodo nobis per omnia similis dici potuisset excepto peccato, si ne potentia quidem in eo peccandi fuisset, id est, si libertas voluntatis in eo non fuisset ad obediendum, aut non obediendum, paternæ Legi. Neque verò decedit quidquam dignitati Iesu Christi hac ratione. Satis enim est quod à peccato immunis fuerit, & plus meriti habet non peccare cùm potes peccare, quàm non peccare quum peccare non potes. Imò ne quidem locum habere potest meritum propriè dictum vbi pura puta impeccabilitas dominatur. Itaque tantum abest, vt glorioso Christi merito quicquam detrahatur, si eum ab omni peccandi potentia immunem fuisse credatur, vt contra supremus gloriæ Christi apex in eo collocari videatur posse, quod cùm posset non obedire Patri, tamen obedire ipsi liberè in omnib. voluerit.

Ferrei te pectoris esse oportet, si non cohorruisti cùm ista scriberes. Miseret quidem me tui, qui sic censeas, & ferè piget rem tam claram, *Christum non fuisse talem vt posset peccare*, demonstrare. Vt enim non placet apud Christianum disputare *an Christus fuerit*, nec apud te libet disputare, *An is fuerit qui potuerit peccare*, illud enim mihi idem sonare videtur ac si potuerit sibi deesse, seque tanto nomine præbere indignum. Tu tamen adeò tibi confidis, adeò es animo vasto & Gigantæo, vt nî id fecero, vt probem Christum Dominum, id est θεὸν φανερωθέντα ἐν σαρκὶ, non potuisse peccare, caussâ tu me pronuncies cecidisse, qui inde scilicet falsò demonstrarim peccandi impotentiam summam esse libertatem, modò, inquam, ea à ratione mentis fixa & inconcussa procedat, non à natura, vt dixi toties, bruta & sui nescia, quæ thesis erat mea. Id quod dum facio, duo video à me præstanda, vtrumque enim exigi potest; Et primò quidem vt tua refellam argumenta, deinde verò, vt sententiam receptam in Ecclesia, atque priorum omnium cordibus infixam, demonstrem esse Christianæ religionis dogma: quorum vtrumque breuitatis caussa, vnâ eâdemque operâ præstabo. Tu igitur primùm sic disputas, *Qui nobis per omnia similis fuit, quidni etiam potuerit peccare æquè ac miser esse?* Responsio facilis est, Quod miser esse potuit, etsi non posset idem peccare, id inde factum est, quod soluere potuit peccati nostri pœnas, quas non potuit mereri? Non potuisset autem eas soluere si eas ferre non potuisset: at ferre eas potuit etsi non potuit eas mereri. Imò tanto illud magnificentius quod eas pœnas tulit quas mereri nequiuit, vt pote qui Deus idem & homo esset, proindeque Deum non vtcumque præsentem haberet, sed sibi tam arcto vnitum vinculo vt esset intimus, vt non posset is, quâ homo, magis peccare quam potest emori corpus quamdiu est animatum. Vita enim Dei in creatura vera eius cognitio est, quæque eam sequitur sanctitas. Alia conceptionis illius ratio, nostræ alia est: Nos ex carne caro nascimur, illc ex Spiritu Sancto Spiritus, non quidem quod ad substantiam, sed tamen quod attinet (sit mihi fas ita loqui) ad peccabilitatem; Nempe, vt qui prorsus sunt in carne, teste Apostolo, non possunt placere Deo, ita planè qui fuit omninò in Spiritu, non potuit non placere Deo, vtpote qui Spiritum Dei acceperat sine mensura, ex cuius plenitudine nos hausimus omnes, quisque pro modulo gratiæ diuinitus indultæ. Sed nolo tecum disputare de re confessa. Certè vt neque iam Christus homo esse desiit factus immortalis,

Ioh. 3. 6.

quamuis hoc pacto miser esse desiit exemptus & immunis à lege carnis, (quæ peccatricis carnis, ut pote misera, similitudinem habebat.) Ita nec cùm esset in carne habuit tamen id carnis vt posset peccare. *Primus* nempe *homo factus fuit in animam viuentem, secundus in Spiritum viuificantem*, quod ad peccatum attinet immutabilis, immobilis, inuictus, ἀπείραστος τῶν κακῶν. At verò, inquis, *quomodo tentatus fuisset à Satana, imò quomodo tentari potuisset?* Quomodo certè falli, decipi non potuit, tametsi Satan id conaretur. Quid? tunc ignoras rem certissimam, tentari & Deum ipsum? & esse qui id studeant adeò; vt Deo faciant ægrè, amentes & furiosi? Et quis inde concludat fieri posse vt possit Deus vel induci in errorem, vel conflictari cum animi ægritudine, vel, vt nobis dolet si quis obnitatur, Deo itidem pariter dolere si quis minus se præbeat dicto audientem, vel insurgat & incessat petulanter? Sed enim *quomodo Angelica consolatione opus habuit?* Nempe quia ei dolebat, dolor autem poscit consolationem, non quod si ea desit continuò pronus sit animi lapsus in diffidentiam, sed quoniam absque consolatione intenditur animi ægritudo, quæ si citra peccatum intendi non possit, profectò Dominus noster non iam modò peccare potuerit, sed & reuera peccarit. Est consolatio (si hoc nescis) cuius hic est vnicus scopus vt ne ruamus in desperationem, ista consolatione Christo nil opus fuit: Est quæ hoc tantum spectet vt leuetur dolor, & grauis ardor interquiescat, eâ ei fuit opus, eam consolationem adeptus est Angeli ministerio & opera. Neque verò hoc tu mirère si vllum habes veræ humanitatis vel pietatis sensum: Sæpe enim fit in aduersis rebus vt summa fit in Deum fiducia cum summo coniuncta animi mœrore, qui non iam ab vlla desperatione, aut verò etiam incredulitate proficiscitur, sed à dolore & acerbitate vulneris vel iam inflicti, vel postmodum infligendi; vt Chirurgum manum intentantem exhorrescimus etiam tum quum neque verò vel de Chirurgi animo vel de euentu ictus dubitemus. Illud verò quod quæris, *quomodo ipse Dominus dixisset. Transeat à me calix iste, si Christus non potuit peccare*, sponte sua concidit. Nam si eo non peccauit Christus, qui potes inde demonstrare Christum potuisse peccare? Si verò eo peccauit, tu certè iam sic ostendisti non id solum quod institueras, *Christum potuisse peccare*, sed quod certum habeo te nolle, Christum peccasse. Aliud est aliquid velle ex hypothesi, aliud verò simpliciter velle: Filius potest velle patrē viuere quàm diutissimè, & quidem nî id velit peccabit grauissimè, at si Deus id nolit, obfirmare animum & repugnare Deo, atque indignari, id verò fieri non potest sine grauissima diuini Numinis offēsione. Potuit Christus auersari dolorem & cruciatum tam grauem, imò si non fuisset auersatus, fuisset hoc naturam exuisse humanam, caruisseque omni sensu, & obbrutuisse denique, adeoque peccasse. At reluctari, ἀνθυποτάσσειν & iactare iugum, & θεομαχεῖν (quod non fecit) ne potuit quidem sanctissimus ille sine controuersia, & ab omni peccati labe immunis, quæ summa, quantum homo potest capere, potentia, nulla autem impotentia est. Nam *impatientes* eosdem dicimus, & quidem appositissimè, *animi impotentes*. Nosti puto censeri animi robur rerum acerbissimarum patientiâ, quam

1. Cor. 15. 45.

quam καρτερίαν Græci vocant, quòd in ea præcipuè sese exerat inuictum animi robur. Indolentia certè, ἀπάθεια, & stupor in malis, vitia & sunt & habentur, etiam Sapientum sæculi iudicio. Quæso te velis homo Christianus sublimiorem suscipere de Christo Domino cogitationem. Habes Cl. Til. exemplum qui in eadem caussâ cogitare refugit quod tu intrepidè, clarè & apertè protulisti, ausu, vt lenissimè dicam, temerario & nefando.

Neque verò, inquis, quicquam decedit Christi dignitati hac ratione. Quasi verò dignitas vlla in hoc sit sita, quod quis possit peccare. Hac lege sanè in beata immortalitate dignitati nostræ plurimum decedit, quam vbi fuerimus consecuti non magis peccare poterimus, quàm mori. Quid, tu nó putas esse multo excellentius (si viuas) non posse mori quàm posse mori? Mihi verò etiam multo videtur præstantius non posse peccare, quàm peccare posse. Tibi aliter videtur. Sic enim statuis, *Plus meriti habet non peccare quum potes peccare, quam non peccare cùm non potes peccare.* Qua in parte tu mihi idem cum Seneca sentire videris, qui eo ipso putauit Sapientem Deo antecellere. Sed te id decepisse videtur quod res natura dissitissimas confudisti, *non posse peccare* ideò quia nec rectè possis facere, quomodo ligna, & lapides, & belluæ peccare non possunt, & *non posse peccare* quia constanter abhorreas à peccato ad Dei instar, quatenus quidem ferre id potest humana natura, vel ad Angelorum certè & Sanctorum instar in cœlo, iuxta illud, *Fiat voluntas tua in terra sicut in cœlo.* Nam est natura quædam bruta, stupida, sensus expers, & si sensûs compos, at expers tamen rationis, ea verò sanè non potest peccare. Sed & est creatura quædam sancta, diuina, prædita veri summi boni verâ & summâ notitiâ, prædita semper, prædita continuò, prædita propriè, quæ summo adhæret bono ἀπερισπάστως: eam conditionem quis non putet summæ esse dignitatis, quæ infra eam posita est quis non vilem præ ea existimet & contemptam? Profectò in fœmina ita a nare castitatem vt vel auribus nonnisi ægrè admittere possit mœchi vocem, aut adspectum ferre, summæ castitatis est argumentum, quæ corrumpi potest ea non habetur, nec verò est certè, perinde casta. Apage igitur tuum hoc Christi Meritum quod cùm posset peccare non peccarit. Neque enim ideò iam peccare potuisse censendus est, quia si peccare voluisset, peccare potuisset; illud enim quid est quæso aliud quàm potuisse Christum peccare dummodo peccasset, quandoquidem (vt iam monui) illud ipsum velle peccare, peccare est.

Cap. XIV.

Rhetoricum schema, quo eluditur instantia de Angelis beatis & induratis à Camerone allata, notatur.

IAm, ais, *quod de Angelis beatis, & reprobis induratis adfert Camero, id triuiale, & iam refutatum sæpius est.* Vah! Quàm contemptim! At ego non arbitror tamen te illa quæ in ea caussa dixi adeò ex animo & verè contempsisse. Nam triuialia sint illa sanè (quid enim à me adferri possit quod non sit triuiale?) at profectò quia sunt illa verissima non sunt ab vllo confutata. Veritas obscurari, eludi potest arte & ingenio, refutari certè non potest. Tu verò qui triuialia vis videri tantopere fastidire, cur idem tam studiosè, tam sollicitè in cæteris, quæ sunt in hanc sententiam à me allata, refellendis operam impendis. Potuerunt illa à te pari contemptu, facilè nullo negotio confutari. Cur operam abusus es, & ingenio tuo indignum argumentum tam multis exsequendum nulla necessitate, nulla ab ratione; suscepisti.

Cap. XV.

Cameronis sententia non pugnat cum ratione præmij & pœnæ.

SEd pergo. *Hæc itaq; cùm ita se habeant, quod obedientiæ & inobedientiæ locus non sit si Cameronis sententia admittatur, necessariò consequitur præmij & pœnæ rationem omnem per eandem etiam prorsus tolli. Qui enim non potest obedire indignus est supplicio; qui non potest non obedire indignus præmio. At quorum voluntas non determinatur ad bonum propter carentiam lucis quam habere aut conseruare non potest, nec fuit in potestate ipsorum, ij non possunt obedire; & quorum voluntas determinatur ad bonum propter affusam lucem dirigentem, & adeò potenter afficientem voluntatem ipsorum, vt non possint non adhærescere summo bono, ij non possunt non obedire, aut velle & facere quod rectum est. Ergo isti indigni præmio, isti non digni supplicio censeri debent. Sublatis hisce omnibus quæ Lex, quæ Disciplina, quæ Religio potest habere locum? cùm substantia Legis, Disciplinæ, & Religionis omnis in Præceptis, promissione præmiorum, & comminationibus pœnarum sancitis posita sit.*

Hic tu solens more tuo eadem repetis. Negas obedientiæ locum esse posse si quis non possit non obedire; Negas item inobedientiæ locum esse posse si quis ita sit affectus vt non possit obedire. Hoc primum. Sine me quæso triuiale istud tibi obiicere. Angeli beati non possunt non obedire, tanto eorum & tam constans, tam perfecta & numeris omnibus absoluta sanctitas est, tam vehementi Dei amore incensi ardent, vt ad eius nutum nequeant detrectare obsequium, nequeunt non exsequi iussa semel & præscripta. Contra, indurati nequeunt obedire, tanta eorum, tam obstinata, tamque peruersa, & præfracta atque in domita contumacia est. Illudne iam respondebis quod vnum (nisi ego fallor) potes respondere, fuisse aliquando tempus cùm beati Angeli possent non obedire, & possent obedire indurati. Id si responderis, nil responderis. Ego enim non iam disputo quid illi aliquando potuerint vel non potuerint, sed quid modò possint aut non possint. Affirmabisne Angelos beatos qui poterant aliquando non obedire Deo, nunc ideo, quæ eorum conditio est, non posse obedire, quia non possint non obedire, aut negabis induratos qui antea poterant obedire, nunc esse inobedientes quia non possunt obedire? Mirabilis profectò & planè stupenda hæc consequentia est. Non potest quis non obedire, Ergo non potest idem obedire; Non potest quis obedire, Ergo non potest idem non obedire.

Aut negabis Angelis præcepta dari, dari item præcepta induratis? Negabis præscriptum Pharaoni vt Dei populo commeatum daret? aut negabis eum eo non fuisse contumacem & rebellem quod induratus Deo non potuit parêre? aut dices eum parêre potuisse, atque hoc pacto Dei consilium eludere? Nam si (etsi parêre potuit) non fuisset pariturus, atque ita Dei consilium stetisset, quorsum attinuit quæso tam disertis verbis, tam significantibus, Mosen à Deo moneri futurum vt cor eius induraret, idque certo consilio, vt ne dimitteret populum suum? Quisquam ne est adeò vecors qui quod certò futurum est nullo antecedente permissu suo, adeoque seu id permiserit seu non permiserit euenturum est, seriò denunciet se id permissurum, idque adhibiturum consultò ad id quod habet in animo exsequendum? Vis n' aliud proferam exemplum haud minus illustre. Testis est Scriptura filios Eli pia patris monita superbè contempsisse ולא ישמעו לקול אביהם & *non obedierunt voci patris sui*: animaduerte iam & expende quid sit adiectum statim sine intercapedine, כי חפץ יהוה להמיתם *quia voluit Dominus occidere eos.* Obsecro te potest quis resipiscere cui Deus (vt Apostoli verbis vtar) non dedit resipiscere, ideoque non dedit quia constitutum habet perdere peccatorem? Quo iure id Deus fecerit (fecit autem proculdubiò optimo iure) nil attinet ad rem quam nunc agimus disquirere. At certum est Deum id fecisse. Quid? tu iam negabis eos non paruisse patri quod permissi לשרירות לבם (vt loquitur significantissimè Scriptura) *peruersitati cordis sui*, non potuerunt parêre? Longum esset ire per omnia quibus plenæ sunt Scripturæ sacræ exempla; &, si id facerem, eaque in medium in hac caussa proferrem, tu illa negligeres, cui nil vulgarum & expositum sapit, & quicquid non est abstrusum & reconditum videtur triuiale. Ais deinde, nullum esse promissionibus aut minis locum apud eos qui non possunt non obedire. Atqui contrarium sequi videtur. Nam quod non possunt non obedire id fit ideò quia non possunt inducere in animum vt vel summum bonum promissionibus oblatum respuant, vel vt velint incurrere in grauissimum & procul dubiò maximum malum quod comminatione denunciatur, quorum vtrumque eos facere est necesse si nolunt obedire. Neque enim (vt iam dixi) illud *non posse non obedire* est à cœco stupidæ, vel rationis expertis, naturæ instinctu, (quomodo venti & maria, terraque & bruta animantia, adeoque cœli non possunt non parêre Deo) sed à iudicio & ratione, certâque notitiâ, quæ summa demum & sola sapientia est. At verò cur adhibeantur minæ aduersus eos qui non possunt parêre? Nimis tibi videbor molestus si vicissim à te quæsiuero, cur eæ adhibeantur apud induratos? Nam apud eos adhibentur sanè, & illi adeò animis auersi sunt à Deo vt nequeant hoc pacto à peccato absterreri. Neutrum horum ne vos quidem negatis. itaque nisi velitis à proposito discedere, & sententiam mutare, non potestis illud tueri, *Nullum esse comminationib. locum erga eos qui non possunt obedire.* Verbi gratia, quorsum attinuit Pharaoni tam grauiter interminari? Nam is sanè non nisi Deo emolliente tam duri cordis rigorem potuit obsequi Deo; Deus autem id non decreuerat facere, imò verò etiam decreuerat id non facere. Si tecum sic agam nimis molestus tibi videbor, confero te certè in angustias impeditas atque inexplicabiles. Agam tecum liberaliùs, & quantum possum in hac meæ mentis imbecillitate conabor hunc nodum soluere, quem tua certe, si qua possis, æquè ac mea interest expedire, idque faciam non qui te doceam, absit à me tam stolida arrogantia, sed vt animi mei sententiam ingenuè proponam. Dico igitur Deum in Scripturis cerni duob. modis nobis adumbratum, alioqui in se prorsus ineffabilem, vt qui lucem habitat inaccessam quam vidit nemo, quamque adeò videre nemo possit; Infinitus quippe à finito comprehendi nequit. Primùm igitur describitur vt Rex omnibus benefaciens, Legislator omnibus recta præscribens & honesta. seu naturæ lege, seu lege scripta, seu Euangelio. Cæterum naturæ lex hic mihi non est notitia tantum officij quod Deus ex rigore iustitiæ exigit à creatura, verùm etiam (quod attinet ad genus humanum) bonitatis Diuinæ, nempe Deus *se nunquàm reliquit sine testimonio, benefaciendo dans cœlitus pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra.* Legem verò scriptam intelligo non modò illam quæ dicit. *Hoc fac & viues*, verum etiam totam illam doctrinam quæ libris V. Testamenti tradita est. Euangelium verò appello doctrinam, veteri quidem Testamēto traditam, de fide, de resipiscentia & remissione peccatorum in Christi sanguine, sed obscuriùs, sed velatam Lege & Typis. *quæ vmbra fuere futurorum, haud verò*, vt loquitur Apost. *ipsum corpus*; at vero in N. T. codice clarè plenè perfectéque explicatam. Hæc est vna Dei σχέσις erga creaturam. Est & altera. Eadem enim Scriptura nobis describit Deum occulta quadam & peculiari ratione, quam mens humana in hac vita plenè capere non potest, (vt sanctissimè Synodi Dordracena primùm, tum deinde Aleziana & Charentonensis definiuere) misericorditer præparantem hominis, in peccatum iam prolapsi, mentem ac voluntatem, vt his beneficiis, hac reuelatione voluntatis Diuinæ ad Dei imaginem reformetur; aut verò non præparantem occulto nobis sane, iusto tamen iudicio. Iuxta priorem σχέσιν erga homines, Deus omnibus benefacit, omnium oculis obiicit argumenta agnoscendæ bonitatis suæ, quanquàm aliis clariùs, aliis obscuriùs; Nempe obscuriùs iis quibus id tantum indulget quod tradit Apostolus Act 14.17. clariùs iis quibus Legem & Prophetas dedit doctores, multo verò clarissimè iis quos ad se vocat & inuitat per Euangelij prædicationem, propositis conditionibus, & pacto quod si non aspernentur beatissimi sint futuri, sin minus, infœlicissimi ac miserrimi. Iuxta posteriorem σχέσιν haud perinde, nam aliis aufert cor lapideum, aliis non dat oculos ad videndum, neque cor ad intelligendum, alios sinit ambulare in viis suis, & denique tradit in reprobam mentem. Omnes vocat ad pœnitētiam, at non dat idem omnib. vt resipiscant, nisi verò dante Deo resipiscit nemo, sed nec sanè potest resipiscere. *Si fortè*, inquit Paulus, *Deus det illis pœnitentiam.* Neque verò statuendum est hæc inter se pugnare, quæ & esse vera ipsa docet experientia, & sacra Scriptura apertissimè declarat. Sane naturæ quodam instinctu impiis hominib.

Act. 14.17.

bonam

bonam mentem precamur,& monendo, hortando,obiurgando,benefaciendo lassi veluti iam ac defessi sæpè agnoscimus in iis manifestè ϑεοθλα-ϐειαν, quos tamen eosdem misericordiæ Diuinæ comtemptores verissimè prædicamus. Quæ non esse pugnantia, si Deum nobis contingeret non in ænigmate sed claré intueri, facilè deprehenderemus. Nunc quia is verbis apud nos vtitur nostris quæ rem tantam nequeunt exæquare, nosque illius & consilia & agendi rationem plenè animo & cogitatione complecti nequimus, fit vt Deus & nobis pugnantia dicere videatur (qui& omnium salutem se velle declarauit apertissimè, idemque non omnes sed quosdam se vocare intrinsecus manifestè ostendit) & pugnantia facere,vt qui omnes ad se indiscriminatim inuitet adiectis dulcissimis promissionibus, absterreatque à peccato grauissimis minis,idem tamen non omnibus auferat cor lapideum, quod nî fiat nihil fit. Hîc si tu me roges, quorsum ergo tendant hæ promissiones & minæ, hæc inuitatio ? Absit à me vt ego aliud respondeam quàm vt miseri seruentur, atque id primum spectare Deum credo ideò quia Scriptura id docet. Ergo, inquies, hoc pacto conuerti, seruari potuerunt. Sanè, si Deus continuò cæcitatem & duritiem cordis (quæ prohibuit quominus vocanti Deo parêrent) amouisset intrinsecus erudiens, intrinsecus trahens. Sed prius illud quod Regis est & Legislatoris Deus erga eos fecit, posterius hoc. quod pertinet ad arcanam & ineffabilem Gratiæ suæ dispensationem, non fecit.

Cap. XVI.

Cameronis sententia conuenit cum Enunciatis Euangelicis.

IAm perge. *Huic adde, ridicula & inepta reddi omnia ferè enunciata Euangelica quæ fundamentis supradictis innixa sunt,quæ plurima hîc recensere possemus:Tu inter ea hoc vnum tantum,exempli gratia,vide,* Seruus qui nouit voluntatem Domini, & qui se non parauit, neque facit ad eam,pluribus plagis vapulabit, *ait ipse Seruator.* Luc 12. ℣.47. *Obsecro te (mi Domine) quomodo non vanum est hoc enunciatum, imo quomodo non ridiculum iuxta Cameronis fundamentum? Scientia enim illa aut est scientia quæ ita voluntatem serui afficit vt voluntas eius non possit non eam sequi;id est,vt non possit non facere voluntatem Domini sui: aut est talis scientia quæ voluntatem serui afficere apta nata non est,aut si eam afficere apta nata est, quæ,siue per aliam priorem aut maiorem scientiam,siue per vehementiorem aliam inuoluntariam passionem impeditur quominus faciat quod faciendum esse illa dictat. Si primi generis scientia est,quid sibi vult illud,* & non faciens ? *Impoßibile enim est iuxta Cameronem vt seruus istâ scientiâ præditus non faciat voluntatem Domini sui. Si posterioris generis scientia est, quid sibi vult illud,* pluribus plagis vapulabit ? *Quomodo enim pluribus plagis vapulare dignus est seruus qui scientia tali à Deo donatur quæ ipsi prorsus inutilis est, cuius ope ad faciendum voluntatem Domini sui non adiuuatur, & quæ tamen ipsa ratio erit propter quam pluribus plagis dignus iudicabitur?*

Ain verò enunciata Euangelica tuis falsis hypothesibus nituntur,& nî illæ veræ sint, inepta redduntur? Nimis de te, de ingenio tuo, de tuis commentis sentis magnificè, nimis demissè de Euangelio. Ego verò aio stante Scriptura, stante recta ratione, cõuelli atque funditus euerti tua illa supra iacta fundamenta. At verò tu vnum locum profers qui fidem faciat rem ita esse vt dicis,atque eo prolato ῥηϐρᾶεις, & dilemmate inuidioso vtrimque me vrges. Nam seu negem seruum illum malum nouisse voluntatem Domini sui, negato quod Dominus affirmauit, seu fatear quod dixit Dominus, eo compellor vt negem illam scientiam potuisse flectere voluntatem, atque ita miser iniustè vapulabit contra quàm Dominus statuit; (Nam, te quidem iudice,qui tantopere Deum odit vt, quamuis maximè norit quid præceperit, non possit tamen à se impetrare vt id faciat,is scilicet vapulat iniustè.) Pari dilemmate tu possis Dominum Iesum vrgere, vt vel neget seruum illum nequam sciuisse heri voluntatem, quod affirmauit, vel eò compellatur vt negot illam scientiam potuisse flectere serui voluntatem, Quandoquidem (teste Christo) *nemo potest venire ad Chistum nisi Pater trahat eum*, &, *Quicunque audiuit & didicit à Patre venit ad me.* Hîc tu iam insurge & exclama, Quomodo hoc enunciatum non est vanum? Nam scientia illa serui vel est illa scientia qua Pater trahit homines ad Christum, quam qui audiuit, & didicit, omninò venit, & tum quid sibi vult illud *& non faciens*? Vel non est illa scientia quam Pater iis solis indulget quos trahit,ac tum quomodo æquum est vt vapulet, non potuit enim venire, siquidem nemo potest venire nisi Pater trahat eum? Non vides iam quantas cum ista tua ῥηϐρεία nugas egeris? Sed hæ nugæ ducunt ad seria. Tu enim vis hominum animis id insinuare quod si inueniat locum, nullus pietati, nullus religioni, est locus;nempe, non peccare eos, nec esse sacrilegos, qui à Deo vsque adeò auersi sunt, vt quamquàm teneant quid facto opus sit,non possint tamen in animum inducere vt id ipsum velint. Nam id non pendere ab vlla voluntatis adiaphoriâ Poëta Satyricus saltem te debuit admonuisse,

> *Magne Pater Diuûm sæuos punire Tyrannos*
> *Haud alia ratione velis, quum dira libido*
> *Mouerit ingenium feruenti tincta veneno,*
> *Virtutem videant intabescantque relictâ.*
> *Anne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci;*
> *Et magis auratis pendens laquearibus ensis*
> *Purpureas subter ceruices terruit, Imus,*
> *Imus præcipites quàm si sibi dicat, & intus*
> *Palleat infelix quod proxima nesciat vxor?*

Sed tu scilicet cùm ego illud tuum (dico autem & vestrûm omniũ) *Non posse*, toties tamq; odiosè & inuidiosè exagitatum, ostendissem non pertinere ad hanc caussam,in qua nõ agitur de ea impotentia quæ non pugnat cum rectitudine mentis & voluntatis in eo quod pro officij nostri ratione Deus à nobis exigit, vt si quis pedibus captus sit & oculis, iubeatur tamen idem ambulare & contemplari, sed de ea impotentia quæ mentis iudicij & voluntatis prauitas est, ὅταν μὴ ὀρθοδοξοῦντι [illegible] τέλους, [illegible] τέλος, ἁμαρτάνῃ τὰ εἰς τὸ τέλος συμφέροντα, [illegible] δι' αὐτὸ τοῦ ὅτι συμφέρει πρὸς τὸ τέλος τὸ ὄντως

τέλος, τ̃ ψευδωνύμου τέλεις, καὶ τ̃ εἰς αὐτὸ συντεινόντων ἀκριβῆ καὶ ἀπείραστως μεταξὺ ἐχόμενοι. Totum illud tu,inquam, dissimulasti; quod est tamen in Thesibus, in Prælectionibus, quæ iussu Ecclesiastici & Academici concilij editæ sunt, adeoque in Collat.cum Clar. Til. fusius à me explicatum.

At verò,inquis,*Præstaret certè seruum istum scientia tali non donari à Deo quàm donari,si per eam saltem eò vsque non iuuatur vt voluntatem Domini sui facere possit, & interim eo quod eius ductum non sequatur maioris pœnæ reus fiat. Sic sanè gratia non foret gratia, sed verè δῶρον ἄδωρον; Imo Deus dicendus foret odisse magis eos quos scientia tali donat, quàm diligere.*

At verò,inquam,tu hæc contra Christum Dominum disputas, cuius authoritas, quoniam tu me eò cogis, à me vili homuncione (etsi nulla eget defensione) à tua tam temeraria insultatione vindicanda est. Non est enim ideò δῶρον ἄδωρον,sed potius fuerit is seruus ingratissimus, peruersæ mentis adeò vt nequiuerit parêre, nullo earum facultatum quæ mentis iudicio & voluntati subiectæ sunt, vitio, nullâ Physicâ qualitate, à materia (vt tu loqui amas) necessitante profectâ,sed mera animi peruersitate,qua effectum est scilicet vt vtile & iucũdum ab honesto seiunxerit,qui grauissimus error fuit. Nã fuit illa scientia,etiam quæ non permouit iudicium practicũ & voluntatem, apta nata ad vtrumque præstandum,nisi ἡ ἄγνοια ἡ καθόλου,καὶ ἡ ἐν τῇ προαιρέσει,intercessisset; quæ ignorantia ne rectæ quidem rationis iudicio habet excusationem. Repetamne hîc tibi Aristoteles illud dictum,Ἀγνοεῖ μὲν οὖν πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ὧν ἀφεκτέον, καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. Et quis vnquam adeo peruerso extitit iudicio,vt ideo δῶρον ἄδωρον existimarit quod aliquis perditissimè desperatissiméque nequam eo sit abusus? Num vllum scelus eo grauius existimamus quod diabolicum vulgò appellamus? Atque hęc nomenclatura nõ scelus modò,sed inuictam in scelere pertinaciã, demonstrat. Quid? nos eo putabimus eam notitiam,quàm consceleratis & perditis hominib. indulsit Deus,esse δῶρον ἄδωρον? Sanè, si cuilibet sic insanire, dicat & vestram sententiam id sequi. Nam cùm tanta sit voluntatis humanæ inconstantia, idque non ignoret Deus, cur ea tribuit quibus certò nouit abusuros in perniciem suam miseros mortales? Omnino nihil hic adfertis præter id quod si vllum habeat pondus,euertat funditus omnem Religionem.

Tu instas tamen *Et in vniuersum tota Dei vocatio, qua ad salutem vocat eos quos speciali ista luce donare non vult,non hypocritica tantum sed & summè Tyrannica vocatio dicenda foret,aut effectus potius odij quàm amoris,quod ita absurdum est vt nesciam quomodo in hominis sani aut pij mentem cadere possit.*

O te hominem prodigiosæ confidentiæ! Quid enim si ita tam se res habet, quam tu aduersus Deum blasphemiam protuleris? Sed ego iam pridem in vobis hoc ... desij mirari, qui Dei nullum aliud agnoscitis ius in creaturas quàm quod beneficiis nititur. Verumtamen nolo te sic contemnere. Aliter libet tecũ agere. Quid? si Deus fidelis est,nos autem infideles,atque adeo pertinaciter infideles, vt Deo credere & resipiscere nequeamus (quod nequissimorum hominum ingeniũ est,qui non possunt εἰς βελτίους ἀπάγεσθαι διὰ τελέους, καὶ πάντως ἀνίατοι τὸ ἦθος ὑπάρχουσι) quod is fidelis est, fuerit δῶρον ἄδωρον? Si is benignus adeò & beneficus est vt Solem suum oriri faciat super iustos & iniustos (quamuis ij sint qui sunt in carne, proindeque qui nequeant se præbere Deo obsequentes donec in alium traducantur statum) tu id δῶρον ἄδωρον putas? Omnino (vt mollissimè dicam) ineptis,qui Deum negas ideò bonum quod homines præfractos (donec ille Spiritu suo eorum corda emolliat) atque pertinaciter malos,beneficiis suis ac monitis ad obsequium inuitet.

At verò,inquis,*In vniuersum tota Dei vocatio,&c.* Qui modestiæ fines semel transiuit,eum oportet esse gnauiter immodestum. Quid enim? quę hæc audacia? Si ij quos vocat Deus, quibus indulsit lucem suam, eam non agnoscunt, de ea non sentiunt præclarè,proindeq; nec amant vt decet; Si lux in tenebris lucet,neque tenebræ lucem comprehendunt (qui mentis & iudicij maximus error est) eo Deus erit hypocrita, erit Tyrannus? Num,obsecro te, non nouit certò qui pariturì sint,qui minus: Deus igitur etiam vestro iudicio fuerit hypocrita qui vocat quos scit non parituros. Non potuit Deus hanc contumaciam emollire & penitus abolere? Deus igitur, vobis quidem arbitris,Tyrannus. O Christianos homines & pietatis assertores? Hoc enim vos elogium,à nemine bono delatum, assumpsistis vltro. Ista profectò nõ meæ magis,quam tu vocas sententiæ,quàm vestræ causæ iugulum petunt. Si hæc petitio in vestra caussa frustranea fuit,fuerit etiã in mea,vt tu loqueris inuidiosè,sententia. Quasi vero hæc eadem quæ tu hoc loco adducis, Paulus cap.9 ad Rom.non cõsiderarit, ℣.19. & seqq. *Dices ergo mihi, Quid adhuc succenset,nam voluntati illius quis restitit?* &c. Sanè hypocrita is est qui prę se fert salutis tuæ studium, tu vero cùm ab eo poscis legitimè seruari,pateris repulsam. Et Tyrannus est qui vel tam difficiles proponit conditiones vt eas,etiamsi vel maxime velles exsequi, non possis tamen; aut vero tam iniquas,vt si tu eas possis exsequi, nequeas sine scelere id velle: Horum nihil cadit in Deum, nam & legitimæ sunt conditiones, & quod nos eas non possumus exsequi,à iudicij nostri & voluntatis secundum iudicium,inexcusabili prauitate oritur, quæ ne in foro quidem humano veniam iure impetrat cum de officio agitur.

Plura, inquis, *impræsentiarum non allego, quia tempore destituor propter occupationes alias, & quia res tota tam palpabiliter absurda est vt me pœniteat longius in ea immorari.*

Plus debuisses occupationibus tuis si in totum à scribendo abstinuisses manum. Minus peccasse in Deum, certè & tibi & proximo magis pepercisses. Nam quod ais *te pœnitere longius in hoc argumento immorari*,omen habet. Nam pœnitere ad præteritum refertur,& spem ostendit non fore vt pecces in futurum.

Cap. XVII.

Cameronis sententia non pugnat cum ratione libertatis.

Fons, inquis, *erroris huius est,quod sententia Cameronis veram & propriam libertatem voluntatis è medio*

medio tollat, ſine qua impoſsibile eſt Legis, Diſciplinæ, & Religionis vllius vera fundamenta ſalua manere, imo ſine qua in Manichæi ſurorem, qui virtutes & peccata nonniſi Phyſicas res eſſe volebat, teſte Camerone, aut in Stoicorum, Prædeſtinatorum, Caluini, aliorúmque fatalem neceſſitatem prolabi neceſſe eſt. Vera autem libertas è medio tollitur quando voluntati, aut potius toti homini tantum non tribuitur, vt poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit tamen agere & non agere, aut hoc vel illud agere, id eſt, vt diuinæ legi poſſit annuere aut abnuere; proinde etiam poſito quolibet antecedente iudicio in intellectu poſſit tamen aut aliter velle, aut ſimpliciter non velle, id eſt, vel omnino ſuſpendere aſſenſum ſuum, vel deflectere ad ſenſum ſuum ab eo quod iudiciũ monſtrat, & quod Lex præſcribit faciendum eſſe. Et hanc libertatem omninò tollunt qui ſpontaneitatem aut lubentiam tantum tribuunt voluntati, licet coniunctam cum præcedaneo iudicio, aut apprehenſione intellectiua. Hæc enim lubentia & ſpontaneitas locum habet etiam in iis quæ cum ſcientia ſummè neceſſariò agunt. Summè itaque iſta neceſſaria ſummè libera forent, quo nihil abſurdius cogitari poteſt, prout ex iis quæ iam ante dicta ſunt ſatis liquidò apparere poteſt, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ.

Neſcio quo conſilio diſtuleris hucuſque fontem (vt tu dicis) erroris aperire. Verùm tu fortaſſe illud in animo habuiſti, *ſat citò ſi ſat benè*: Id dedit haud dubiè occaſionem negligentiæ tuæ. Sed iam audiamus te fontem erroris nobis indicantem. *Libertas*, inquis, *in eo ſita eſt vt poſitis omnibus*, &c. In quo tu grauiſſimè lapſus in eo primùm, quod voluntatis nulla à te mentio facta eſt. Addenda enim fuerat conditio, *dummodo velit*: Nam ſi velit homo, & poſita ſint omnia requiſita ad agendum, non poteſt non agere. Quicquid enim non agimus, id vel eo non agimus quod non poſſumus id agere, vel quod nolumus. Quod ſi velimus idem & poſſimus, fieri nulla ratione poteſt, vt nobis temperemus ab agendo, ſi enim nobis temperemus, vel ab impotentia, vel à voluntate (non auſim dicere noluntate) id profectum eſt. Atqui dum poſſumus idem & volumus neutrum dici poteſt: Si me non audis, audi Ariſtotelem, Metaph. lib. 9. cap. 5. Τὰς μὲν τοιαύτας δυνάμεις (ἀλόγοις ſcilicet) ἀνάγκη, ὅταν ὡς δύνανται τὸ παθητικὸν καὶ τὸ ποιητικὸν πλησιάζωσι, τὸ μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ πάσχειν: ἐκείνας δὲ (nempe τὰς μετὰ λόγου) οὐκ ἀνάγκη. αὗται γὰρ πᾶσαι (nempe ἄλογοι) μία ἑνὸς ποιητική, ἐκεῖναι δὲ (nimirum αἱ μετὰ λόγου) τῶν ἐναντίων; ὥστε ἅμα ποιήσει τὰ ἐναντία, τοῦτο δὲ ἀδύνατον. ΑΝΑΓΚΗ ΑΡΑ ΕΤΕΡΟΝ ΤΙ ΕΙΝΑΙ ΤΟ ΚΥΡΙΟΝ. ΛΕΓΩ ΔΕ ΤΟΥΤΟ ΟΡΕΞΙΝ Η ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ. ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται κυρίως, τοῦτο ποιήσει, ὅταν ὡς δύναται ὑπάρχῃ καὶ πλησιάζῃ τῷ παθητικῷ: ὥστε τὸ ΔΥΝΑΤΟΝ κατὰ λόγον ἅπαν ΑΝΑΓΚΗ, ὅταν ὀρέγηται, οὗ τε ἔχει τὴν δύναμιν καὶ ὡς ἔχει, τοῦτο ποιεῖν· ἔχει δὲ, παρόντος τοῦ παθητικοῦ καὶ ὡδὶ ἔχοντος, ποιεῖν; εἰ δὲ μὴ, ποιεῖν οὐ δυνήσεται. Iam verò ego hanc libertatem non tollo: Nempe quæ in hoc ſita ſit vt quiſque externarum actionum, etiam internarũ quæ quidem à voluntatis imperio pendent, Dominus ſit; nec quicquam agat in eo genere quod non velit idem vel abſolutè vel comparatè, ne in cauſſa quidem Religionis. Nam ipſam voluntatem Ariſtoteles δύναμιν μετὰ λόγου nuſquam appellauit, quin eam tradit exertè eſſe ΕΤΕΡΟΝ ΤΙ. Item, ΚΥΡΙΟΝ ΤΙ ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΛΟΓΟΥ ΔΥΝΑΜΕΩΝ. Sui autem ipſius non eſt quidem certè Domina. Neque enim volumus quia volumus, quemadmodum legimus, ſcribimus imperio & arbitrio voluntatis. id quod ſi Sophiſtæ (qui nobilem & inſignem imprimis Philoſophi ſententiam deprauarunt) animaduertiſſent, tam fœdè & turpiter non fuiſſent lapſi. Sed ſi iam quis requirat, vnde fiat vt nequeant qui ſũt in carne ſe Legi Dei ſubiicere, neque verò id velint, neq; ſanè poſſint velle, effecturi ſi velint, quando in hoc genere omnino *velle* id ipſum *facere* eſt. Aio id oriri à mentis practicæ cæcitate quæ veri & ſummi boni ſpeciem non peruidet, non agnoſcit pro dignitate, non intuetur & admiratur. *Dixit*, inquit Propheta, *inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, &c. Deinde verò in eo grauiſſimè erraſti quod fieri poſſe putas vt quolibet antecedente iudicio mentis homo poſſit vel aliter velle, vel ſuſpendere voluntatis ſuæ actum, quod à me ſæpè refutatum, & hîc denuo refellam, & quidem iis rationibus quas tu ipſe probabis. Primum enim quæro, An ſi mentis iudicio quid æſtimetur ſummum bonũ, ſibi poſſit homo temperare quin id appetat, quicquid illud ſit, ſeu verè ſeu falsò ſummum bonum æſtimetur, æſtimetur modò. Ne tu quidem id negas. Pariter ſi quid mentis iudicio æſtimetur ſummum malum, an homo ſibi queat temperare quin id refugiat, quandiu ita mẽs iudicat. Quod ſi ita ſe res habet, nec tollitur libertas, etiamſi voluntas ita affecta ſtatuatur vt aliò (quemadmodum tu loqueris) nõ poſſit deflectere aſſenſum quolibet antecedente mentis iudicio. Quod ſi verò reſpõdeas id in hac vita nunquam plenè fieri, fateor ego id quidem, indidémq; aio ſequi vt in hac vita voluntas nunquam plenè flectatur. Verumtamen quæ ratio eſt duodenarij ad duodenarium, ea ratio erit ſenarij ad ſenarium, & omnino quę totius ad totum, eadem partis ad partem ratio eſt, vt ſupra diximus. Quemadmodum igitur quum plenè ac perfectè iudicio mentis quicquam ſummum bonum æſtimatur, non poteſt ſibi voluntas temperare quin id appetat, ſic omninò quum imperfectè & minus plenè ſummum bonum (vt in hac vita) æſtimatur, fieri non poteſt vt non ſaltem imperfectè & minus plenè appetatur. Neque verò ſic tollitur è medio libertas, quæ in eô nimirum ſita eſt, vt cum homo (quâ bonus aut malus eſt) nõ pendeat à materia tantum poſſit idem quantum velit, tantumq; velit quantum eſſe volendum iudicauit, non tam eo actu iudicij qui merè naturalis eſt, ſed Ethico illo & morali qui non pendet neceſſariò ex corpore & materia corporea, *vt ſupra monebamus*. At tu concludis, hoc pacto ſummè libera neceſſaria fore, quod abſurdum tibi videtur. At, Vir docte neceſſarium iam inconſtanti & mutabili opponitur, non opponitur libero. Hoc ſi tu vis, poſtulas τὸ ἐν ἀρχῇ τεθέν. Liber enim is eſt qui facit, & poteſt facere, quicquid maximè libet præeunte iudicio & ratione, quod quo facit conſtantiùs, certiùs & determinatiùs, eo ſapientior, maioris animi, & melior habetur ſi rectè iudicauit, contraque ſi prauè, quanto maior ſequuta pertinacia eſt tanto nequior eſt & ſceleratior.

Tranſis aliò deinde. *Neque verò*, ais, *argumenta illa quæ Camero in Theſibus in Collatione quæ ipſi cum Tileno fuit, prolixè attulit, euincunt contrarium. Oſtendi id alibi in peculiari meo tractatu quem de liberi*

arbitrij naturæ conscripsi, & possem id facilè discurrendo per singula demonstrare, sed quia properandum mihi nūc est, vnum tantum atq; alterum palmarium ipsius argumentum excutiam, vnde de reliquis facilè erit iudicare, si hæc duo præmonuero. 1. Me liberam determinationem, quæ voluntati, tanquam potentiæ distinctæ ab intellectu, per se tribui solet à nonnullis homini, vel animæ hominis toti tribuere, ita videlicet quod homo post adhibitum rationis iudicium, quod per potentiam intellectiuam facit, porrò promouere se possit per vim volendi, idque tanquam liber Dominus actionum suarum. 2. Me agnoscere hominem, si rationabiliter eligere velit semper secuturum practicum rationis iudicium, & ita ferè plerumque agere: At eundem tamen eo ipso quia liber est, eligere etiam posse quodcunque aliud, vel omnino ab eligendo supersedere, & quidem motu, vel prorsus irrationali & bruto, vel Tyrannico absq; omni discretiuo iudicio.

Cur nobis inuides tractatum de libero arbitrio tuum? Cur premis, si adeò doctus es vt docere te nemo possit? At certè doce nos quæso. Fac eadem operâ perueniat ad nos quâ Epistola tua. Magnas eo nomine tibi gratias debebimus. Nam certè doleo te adeò properare, & malè volo occupationibus tuis quæ te prohibuere quominus egeris seriò hanc caussam, effeceruntque vt satis putatis vnum tantum atque alterum argumentum ex meis excutere. Quod palmaria illa delegisti fecisti rem dignam ingenio. Ego tamē certè qui ea attuli, non sentio de iis tam magnificè vt velim illa palmaria appellare. Sed tu videri voluisti nihil refutare quod non sit idem palmarium, tanta virium tuarum & ingenij fiducia est. Neque verò tamen omnino non metuis: Itaque duo præmunis, quorum alterum est ἐξαλώνιον & nil facit ad rem. Nam obsecro te, quis vnquam (nisi mentis inops) voluntatem existimauit aliud esse quàm facultatem quandam animæ, qua (tanquam principio vt loquuntur, QVO) homo vult & appetit quod mentis iudicio bonum & appetendum iudicauit. Nil erat opus vt nos id moneres, nisi fortè voluisti nudum & apertum latus hoc pacto nobis præbere. Alterum verò illud, quod ais, Hominem si velit rationabiliter eligere, semper secuturum practicum rationis iudicium, & ita plerumque agere, eundem tamen ab eligendo posse supersedere, vel quodcunque aliud eligere motu vel prorsus irrationali & bruto, vel tyrannico. In quo offendit primùm illa locutio *si velit eligere*, nam vel Electio ipsam præcedit voluntatem, vel est ipsum velle. Si prius, dicendum erat *si elegerit velle*, quod tamen nonnisi impropriè dici potest: Si posterius, *si velit eligere* nihil aliud fuerit quàm *si velit velle*, quod æque vel magis ridiculum est. Deinde, quid est illud obsecro, *si rationabiliter velit eligere*? Num illud, *si velit obsequi menti recta præscribenti & iubenti*? Hoc si vis, falsum illud est quod adiecisti (maximè in salutis negotio de quo hîc inter nos agitur) *Hominem ita ferè plerumque agere*, Imò verò potius ita ferè plerumque non agit. Sin tibi *rationabiliter eligere* est sequi mentis seu rectæ seu prauæ iudicium, iam id non fit plerumque, sed semper. Et sanè cur plerumque id fiat nulla ratio reddi potest, quæ non efficiat eadem vt semper fiat, in eo quidem qui mentis compos sit. Nam qui irascuntur, etiam mentis iudicium sequuntur quamuis obtenebratæ, alioqui non peccatur magis quàm belluæ, & phrenetici, & furiosi, quorum motus animi vt sunt omnino bruti & prorsus irrationales, ita nec virtutis nec vitij vllam habent rationem. Eorum verò motus qui contra certam rationem pugnant, ideò tyrannicus dicendus quia non sequitur legem, non est ideò tyrannicus appellandus quasi vim vllam inferat menti: Imò nisi mens vel feriaretur, vel laxaret affectibus habenas (id quod non potest non proficisci à grauissimo quidem, sed peruersissimo mentis errore) recta ratio haud dubiè obtineret, non de iure modò, sed re & factis imperium. Sed nulla tibi videtur esse libertas hominis in appetitu summi boni.

Ais enim, *Excipe semper obiectum quod sub electionem liberam non cadit, quale est summum bonum. Hoc enim libere non vult homo, neque iudicio rationis ad id volendum determinatur, sed quia obiectum illud quod per mentem repræsentatur, tale est vt non possit non amari, idcirco fertur in illud, non vti recte Thomas ait) quatenus est principium electionis, sed quatenus natura est appetitiua tendens in id quod sibi summe conueniens est.*

A ô bone, de appetitu summi boni præcipua & fere tota est controuersia. Finis enim Vocationis nostræ sancta in Christo est summi boni participatio. Si ergo id agnoscatur, non possumus, te vltro fatente, id non appetere, sin minus, nō possumus id appetere. Iam verò si summum illud bonum nusquam nisi in Christo compareat, nusquam nisi in Christo agnoscatur, profectò agnitum in Christo non poterit non appeti. *Si scires* inquit Christus, *donum Dei, & qui sit qui tibi dicit, Da mihi potum, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuā*, Ioh. 4. 10. Et, *Hæc est vita æterna vt te solū noscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, cap. 17. 3. Nam quod Thomas ait, Voluntatem in summū bonum ferri vt natura, non possum ego quidem concoquere locutionis duritiem; Non enim fertur voluntas in summum bonum nisi præeunte mente: Non ita fertur, inquam, ne hactenus quidem quatenus appetit finem, vt grauia deorsum ne quidem belluarum in morem, cæco brutove & irrationali impetu, sed quia humanæ menti sic est visum ὀρθοδοξούσῃ δηλονότι, ἢ μὴ ὀρθοδοξούσῃ περὶ τοῦ τέλους *recte vel secus de fine statuēti*. Quemadmodum autem electio mediorum est, quando plura sunt quæ videntur esse media, ita planè, quum plura tanquam summa bona menti obijciuntur, etiam ipsius summi, & verè summi boni mentis iudiciique electio est. Vnde & natæ disputationes, & illæ quidem grauissimæ, de summo bono, indidemque insignes institutorum vitæ conuersiones. Id quod omnino non eueniret, si de summo bono, quodnam illud sit, omnibus perinde constaret. Et quemadmodum vbi statim apparuit quodnam sit bonum summum, de eo nulla superest deliberatio, mens, iuxtaque mentem voluntas, adhæescit continuò; Ita planè postquàm constat vnum & solum esse medium summi boni consequendi, & quodnam illud sit liquet (id quod fit in interna hominis ad Christum vocatione) statim voluntas, id est homo voluntate sua, medium illud persequitur. Qua de re fusiùs disputaui in Collatione, quod tu (vt soles pleraque omnia mea) prudens dissimulasti.

Cap.

CAP. XVIII.

Vindicatur ratio qua Camero voluntatem sequi intellectum necessariò ex eo ostendit, quod alioqui fieri posset vt homo malum appeteret sub ratione mali, id quòd omninò impossibile est.

SEd nunc te meas refellentem rationes audiamus. *His ita positis videamus nunc argumenta nonnulla Cameronis. Primum ac præcipuum hoc mihi videtur*, &c.

Benè habet. Agnoscere videris quàm sit perplexa hæc tua dianœa, vt qui nonnisi ex eius demum solidâ cognitione posse putes deprændi pleraque mea argumenta mea esse sophismata. Quædam igitur, te ipso teste, mea sunt argumenta quæ esse sophismata hinc certè non apparet. Sed dic, age, Cur hoc præcipuum inter mea argumenta vocas? Tun' id existimasti, an verò vis me eâ esse in sententia. Si prius illud voluisti, non tibi assentior, sin posterius, manifeste mihi imponis, ego enim id argumentum non habeo pro præcipuo. Profectò quemadmodum in caussa Eucharistiæ, quamquam pro certo habeo vnum corpus non posse simul esse in duobus locis, Accidens esse non posse sine subiecto, Nil conuerti in id quod fuit iam ante conuersionem, Nullam esse actionem iteratam quæ eadem numero esse possit cum priore, nullam proinde quam vocant reproductionem &c. Attamen non sunt hæ præcipuæ caussæ quæ me mouent, vt putem Christi corpus non esse in pane, multò vero minus panem transubstãtiari in corpus Christi, sed ipsa Sacramentorum ratio qualis nobis in Scriptura descripta est, quam quis hic errata habeam pro certis atque indubitatis. Ita plane hîc se res habet. Habeo pro certo voluntatem non posse aliorsum deflectere quàm statuit intellectus, & mihi id æquè pugnare videtur cum recta ratione, ac si quis diceret (id quod & supra attuli) circuli conuexum non sequi concauum. Attamen id non est præcipuum quo nitor argumentum, sed Scripturæ authoritas, in hac, inquam, quæ vobis cum Ecclesia orthodoxa controuersia est de hominis conuersione, verum illa fiat gratiâ quadam communi iis etiam qui non sunt conuersi, an verò peculiari conuersis modo. Id quod ego multis demonstraui Collat. pag. 631. & seqq. Deinde pag. 665. & seqq. Ad quæ certe tu nihil respondisti, propter occupationes nimirum tuas. Ad hæc tantum respondes quæ non habent quàm illa vim maiorem.

Cæterum Argumentum meum sic proponis. *Si voluntas non determinatur à iudicio rationis, aut si illuminato intellectu non flectitur voluntas, appetere poterit valuntas malum sub ratione mali. Volũtas enim feretur in id quod intellectûs iudicio malum æstimatur. Nam voluntas per se nil æstimat, intellectûs est iudicare.*

Rem agnosco. Hîc verò iam quid respondes? Ais nempe. *Si iure agere velim dicam hoc argumentum. 1. Destruere seipsum. Si enim voluntas nihil æstimat, quomodo quæso in malum ferri poterit sub ratione mali? 2. Supponit malum ab intellectu apprehensum appetibile esse, aut voluntatem in illud ferri posse, quod absurdum est.*

Quæso te, non didicisti in Scholis puer, Voluntatem tum dici ferri in bonum sub ratione boni, quum fertur in id quod iudicium mentis pro bono habet, itidemque non ferri in malum sub ratione mali, quum vel refugit, vel non fertur in id quod mentis iudicio malum æstimatur. Homo doctus rem tam notam adeò ignorasti, vt suspicari potueris tam solemni formulâ vtentem aliud voluisse, quàm omnino fieri non posse vt quis id velit quod malum esse vi mentis iudicat, ideò nec fieri posse vt voluntas (seu volitionem malis dicere) non pendeat ab intellectu, atque (vti soletis loqui) ab eius iudicio practico determinetur. Itaque vt vt tuam quidem sententiam euerteris, mea stat hactenus. At verò *supponit mea ratio malum ab intellectu apprehẽsum appetibile esse, aut voluntatem in illud ferri posse, quod absurdum est.* Mira profectò, mira hîc narras. Mea ratio tanquàm absurdum ponit, malum ab intellectu comprehensum appeti posse. Ergo mea ratio id ponit. Contra, mea ratio id tollit, nam quæ ratio rem ponit tanquam absurdam, eadem ratio tollit illud quod ponit. Non nosti rationem syllogismorum hypotheticorum, in quibus sublato consequente in minore, tollitur antecedens in conclusione. Vnde illa formula, *Posterius absurdum, Ergo & prius.* Beatus Paulus sic aliquando disputat, Si iustitia est per legem, Christus frustra mortuus est. Tu illum sic carpes ac si supponeret (vt tecum loquar) Christum esse frustra mortuum? Sic tamen mecum agis. Nam ego quidem ita fueram ratiocinatus; Si voluntas non sequitur iudicium intellectûs appetet malum sub ratione mali, hoc est, appetet quod intellectus malum esse iudicauit. Posterius absurdum est, Ergo & prius. Num suppono quod absurdum esse statuo?

Sed vt ad rem, inquis, *respondeam. Dico 3. Argumenti huius consequentia nulla est, si id tantũ attendatur quod ante monui, per voluntatem quando ea dicitur se determinare, non tam significari, Logicè aut Physicè, ipsam potentiam voluntatis, qua distincta esse dicitur realiter à mente, quàm ipsam animam, aut potius ipsum hominem totum, qui beneficio intellectûs apprehendit obiectum ac iudicat, & beneficio voluntatis tendit in obiectum prout vult, sequendo scilicet rationis iudicium, vel non sequẽdo. Idẽ enim homo, siue eadem anima humana, vti potentiarum principium est, ita etiã subiectum est immediatè recipiens in se iudicium per potentiam intelligendi, & formans volitionem, id est determinans se ad sequendũ istud iudicium, vel aliter agendum per potentiam volendi. Hîc itaque homo non potest dici ferri in malum sub ratione mali si iudicium intellectûs, de obiecto quod eligendũ ipsi offertur in ipso terminetur & ab ipso percipiatur. Iudiciũ enim dictat semper illud fugiendum esse, & malum, quâ tale, tam est disconueniens naturæ appetitiuæ vt non possit esse ipsius obiectum. Fons erroris est quod voluntas concipiatur veluti substantia quædam peculiaris, quæ seorsim ab anima propria vi suâ volitionẽ elicit, ita vt ab eâ sola volitio oriatur, & in ea sola terminetur, cùm anima ipsa, aut potius homo totus sit is in quo terminatur intellectio, & à quo prodit volitio. Idem enim homo, aut eadẽ anima recipit in se intellectionem per facultatem intellectiuam, & eâ receptâ per facultatem volendi tendit in obiectum. Quia verò malum per se tale est vt non possit esse obiectum voluntatis aut animæ volentis siue appetentis, fieri non potest vt homo aut anima hominis feratur in malum qua tale est, quod videlicet per iudicium mentis suæ malũ esse intellexit & æstimauit: Quicquid itaq; volet homo, id volet sub ratione boni, siue velit iudicium hoc, siue illud*

sequi, siue velit in obiectum hoc, siue in illud à iudicio monstratum ferri. Bonum enim qua tale necessariò vult. est enim per se appetibile, & non potest non appeti. At hoc vel illud bonum appetere (summo semper excepto) ita liberum est homini vt hoc aut illud sæpè appetat, nō præcisè quia iudicium ipsius hoc bonum tale bonum esse monstrat quod alteri omni bono præferendum est, sed quando tantum id monstrat bonū tale esse in quod ferri potest voluntas siue bonum illud æquale aut par sit alteri bono, siue tale quod inæquale adeoque minus eligibile omni alio bono est. Ex huius responsionis solida cognitione pleraq; Cameronis argumenta nil nisi mera sophismata esse apparebit.

Sed ad rem, inquis: Nempe igitur hactenus nil respondisti *ad rem*? Tune vir grauis Censor alienę sententiæ nonnisi post multas & longas ambages respondes *ad rem*? Neque verò id facis tandem. Nam quod consequentiam ratiocinationis meæ negas facis hoc nulla adiecta ratione. Tantum mones (quasi tibi res esset cum pueris) ipsum hominem se determinare quum voluntas dicitur ipsa sese determinare, quasi verò iam id esset ab vllo positum in dubio? Haud magis, crede mihi, quàm quum intellectus dicitur intelligere, nemo dubitat intelligi *hominem intelligere* quatenus mente & intellectu præditus est, & omnino mentem & intellectum esse principium intelligendi quod vocant QVO, cum sit ipse homo principium QVOD. Sic igitur voluntas se dicitur determinare quemadmodum assentiri aut dissentire intellectus, sic homo se determinare quemadmodū assentiri idem & dissentire pati dicitur loquendi modo. Nimirum assensus & dissensus mentis & intellectûs, adeoque (hactenus quidem) hominis determinatio est. Quid hoc iam ad rem? Eone iuuatur tua causa vel læditur mea? Imò verò sic confirmatur mea, quam vocas, sententia, tua verò labefactatur & euertitur. Hîc verò tu tibi fingis nescio cuius erroris (nam tu quis is sit nondum demonstrasti) fontem, *quod voluntas concipiatur veluti substantia quadā peculiaris quæ seorsim ab anima propria vi sua volitionem elicit*. Monstrum hoc est à te confictum quod iocalari & inani pugna debelles. Nam ego quidem certè quantopere ab hoc deliramento sim alienus disertim & clarè ostendi. Verba mea sunt quæ vel dissimulata sunt callide, vel à te studio causæ perturbato minimè obseruata: Verba, inquam, hæc mea sunt. Collat. pag. 676. col. 1. *Fingit Dn. Tilenus voluntatem habere oculos quibus cernat bonum à mente monstratum. At cernere mentis est, non autem voluntatis. Sanè anima eadem videt, & viso delectatur aut visum refugit, quatenus videt* intelligere, *quatenus viso delectatur, aut offenditur*, velle *aut* nolle *dicitur*. Verumtamen, dic age, Quid hæc omnia faciunt vel pro te vel contra me? quid tuā iuuant caussam, quid obsunt meæ? Num ideò quia homo nil potest velle quod malum esse iudicio mentis persuasum habeat, consequens est vt intellectu illuminato, atque omnium malorum maximum malum commonstrante, vel (vt id magis propriè dicā) cernente ac perspiciente sine vlla erroris nube, sine dubitatione (quod fit in vera & salutari conuersione peccatoris) fieri possit vt pro libertate arbitrij sui possit id velle & amplecti, non auersari potius ac toto animo exhorrescere & refugere. Tu ipse id negas, fateris autem quod ego volo. Hactenus ergo consentimus. Non potest homo, non potest voluntas humana, ferri in malum sub ratione mali, non potest homo appetere quod malum esse iudicauit. (Nam vtro modo id enunciare placeat tibi neque mea, neque causæ hilum interesse arbitror.) *At vero*, ais, *quicquid volet homo, volet sub ratione boni*, Etiamne si animo persuasū habet id esse malum? Tu ipse id negas, & reuera, hæc (vt aiunt) aduersis frontibus pugnant. Stat igitur mea sententia. Nam nulla fit conuersio nî peccator & agnouerit verè bonum, & agnouerit verè malum; vnde etiam cōuersio *Resipiscentia* μετάνοια in Scripturis vocatur. Atqui resipiscere & μετανοεῖν mentis primò & propriè sunt, vt ipsa ostendit vis verborum, ad voluntatem verò referuntur propter sequelæ & coniunctionis necessitatem. Et certè qui non resipiscunt ἀμετανόητοι iidem ἀνόητοι, ἀσύνετοι in Scriptura vocantur, *stulti & insipientes*, quæ vocabula haud dubiè ignorantiam & mentis vitium ac prauitatem, sed quæ deinde & ipsā continuò ac necessariò afficit voluntatem, adeoque affectus consequenter, notant.

At *hoc*, inquis, *vel illud bonum non est appetere*. Est ita sanè. Verumtamen quo bonum maius esse videtur eô vehementius appetitur. Itaque pluribus propositis bonis, maximum bonum iudicio mentis maximè appetitur. Id vsque adeò verum est, vt sapientissimis viris minus bonum cum maiori compositum ac comparatum mali, hoc est (vt illi loquuntur) inappetibilis rationem habeat. Sed & aliter insto. Quid si pluribus propositis bonis eorum vnum magnum malum habeat adiunctum, & quod infinitis partibus bonum cui adhæret superat, putas tu nisi à stulto id bonum eligi posse? Contra verò si aliud bonum sit infiniti ponderis cui tantillum mali adnatum sit, puta, conditio beata filiorum Dei cum Cruce, putas tu vllum esse (modo id firmiter habeat persuasum, quæ conuersorum conditio est pro modulo conuersionis) qui id bonum longè maximum possit auersari propter malum quod cum eo collatum minimi momenti est, aut velit ei bonum præferre nullius ponderis, si cum summo & infinito pænè malo, cum quo coniunctum est, conferatur? Atqui iam hoc agitur. Quid opus erat hic quæso ista tua tam anxiâ, tam perplexâ, tam obscurâ & ambiguâ circuitione speciem responsionis ostentare, cùm nil reuera respondeas? Quæritur enim iam, Annon vt Bonum est voluntatis obiectum, sic maximè bonum sit eius maximè obiectum, minus verò bonum, quanto minus videtur tanto minus (nimirum iuxta analogiam) illius sit obiectum? Quæritur cuius facultatis beneficio bonum cernatur, Mentisne an voluntatis? Ad vtramque quæstionem tu respondes haud aliter quàm ego responderim. Nempe idem, ais, bonum voluntate appeti & mente discerni ac diiudicari. Consēsus igitur hic inter nos est. Vide autem quid hinc colligam. Quod mens iudicat optimum volūtas sequitur vt optimum, quod minus bonum esse mens iudicat id voluntas minus sequitur. Quod mens iudicat maximum malum, voluntas maximè refugit, quod iudicat esse minus malum id minus refugit. Contra verò vt faciat id absurdum est, te teste. Ergo vicit Cameronis ratio, iudicio intellectûs mouetur homo & ducitur necessariò ad volendum, summè illuminatus ad volendum summum bonum, quæque ad id tendunt, summè, minùs illuminatus minùs,

tus minùs,minimè minimè, nullatenus nullatenus. Hîc certe tibi vt quid respondeas *hiscendi* (vt loquitur ille) *nulla potestas*. Nam quorsum attinuit excipere summum bonum? Primùm enim de eo hîc agitur præcipuè, nam sæpius iam monui finem conuersionis esse summum bonum, quod amari non potest sine sanctitate, sine fide. Deinde verò ista non sunt seiuncta: Coniungit Deus media cum fine, nec vnquam alterum sine altero proponit. Iam verò quoties ego te id monebo? Nam in Collatione sæpius ea de re disputaui, quemadmodum finis agnitus non potest respui, pari iure nec media agnita, media, inquam, necessaria, vnicè necessaria, & sine quibus copia nulla est finis consequendi. Itaque stat hæc mea ratio à te frustra impetita, imò verò ausim dicere à te confirmata & corroborata.

Cap. XIX.

Vindicatur altera ratio ducta ab inseparabili coniunctione veræ Dei cognitionis in Christo & Charitatis.

SEcundam rationem quam ex meis multis affers (cæteris dissimulatis) sic proponis. *Alterum, ais, & multò grauissimum argumentum est.* Quod sic vera Christi cognitio seiungi poterit à charitate, cùm Iohannes Apostolus neget eos qui Deum oderunt aut proximum, vidisse eum aut cognouisse. *Resp. Profectò non graue nedum grauissimum, sed debile admodum & fragile est hoc argumentum. Cognitio enim vera Christi cùm dicitur à Ioanne sejungi non posse à charitate, sensus non est fieri non posse vt quis Christum, id est Christi mandata, verè cognoscat, & tamen eum non amet, id est præceptis eius non obediat, sed planè contrarius. Eum qui Christum cognoscit, licet verò eum cognoscat, & qui tamen non facit mandata eius, eodem loco haberi à Deo ac si Christum nullo modo cognosceret. Cognitionem istam Theoreticam diuinæ voluntatis non pluris fieri apud Deum, nec plus profuturam ei qui eam habet, quàm si nullam vnquam cognitionem habuisset; quasi dicatur. Sola cognitio Christi coniuncta cum caritate est cognitio illa quæ Deo grata est, id est, verè in pretio est apud Deum.*

Non dixi hoc argumentum esse grauissimum. Sed dixerim fortasse, grauissimum esse vt statuamus veram Christi cognitionem à charitate seiungi posse, contradicente Apostolo. Tu verò iam quid respondes? Negas scilicet eam esse quam ego volo Apostoli mentem, ac sic locum illum accipis, ac si Apostolus nihil aliud vellet, quàm cognitionem illam Christi iis qui non erant præditi charitate nihilo plus profuturam quàm si haberent nullam. Atqui certè Apostoli obiurgatio diluta sic nimis & remissa redditur. Nam multo melius cum iis agitur qui Christum ignorantes fratrem odio habent, quàm cum iis qui Christianæ religionis disciplinâ instituti incenduntur nihilominus atque exardescunt odio in fratres. Deinde verò quæ tradit Apostolus in eodem argumento, eâdemque caussâ cap. 2. ℣. 9. 10. 11. hoc tuum glossema respuunt, *Tenebræ præterierunt & vera lux iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque ad huc. Qui diligit fratrem suum in luce manet, & offendiculum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat: & nescit quo vadat, quia tenebræ oculos eius excæcarunt.* Quæso te, quænam hæc lux est? Profectò vera Dei cognitio in Christo. Ergo tenebræ quæ huic luci continuò opponuntur, quid sint aliud quæso quàm ignorantia? Deinde, quorsum illud spectat, *nescit quo vadat*? Profectò dubium non est quin hoc pacto summa mentis cæcitas demonstretur. Denique verò quia illud Apostolo poterat regeri: At qui tu eos esse in tenebris affirmes, nescireque quò vadant, qui Christum nouerunt? Id ita repellit Apostolus, vt neget eos Deum nosse, aut vidisse. Huc etiã illud accedat, quod idem Apostolus author est, *Eum qui dicit, noui eum, & mandata eius non seruat, mendacem esse.* Estne qui ferre possit æquo animo sic ista verba interpretantem ac si nihil aliud vellet Apostolus quàm *non seruanti mandata non profuturam Christi cognitionem?* Quæ hîc phraseologiæ ratio, aut quid noui hic profert Apostolus? Profectò vehementius solent homines de cognitione & sapientia gloriari, multoque ægrius ferunt si imperiti habeantur quàm si viri mali. Hinc factum vt dum Apostolus eos pungit acrius, exprobret iis ignorantiam. Tibi aliter videtur. Cedo iam quibus rationibus.

cap. 2. v. 4.

Primo, ais, *notandum est in textu non esse adiectiuum illud veræ: simpliciter affirmatur eos qui mandata Dei, aut Christi non faciunt Deum aut Christum non nosse, non quod nullo modo, aut non verè saltem eum nouerint, quomodo enim alioquin de ijs alibi diceretur simpliciter, & in terminis expressis, quod Deum cognouerint, quod voluntatem ejus nouerint, quod agnouerint Dominum & Seruatorem Iesum, quod viam iustitiæ cognouerint, &c. Quomodo contra conscientiam suam facere dicerentur quomodo maioris pœnæ rei fierent? quomodo de iis tam apertè diceretur quod inexcusabiles sint, propterea quod cùm Deum cognouerint, eum tamen vt Deum non glorificauerint? Non itaque ob hanc caussam non nosse Deum dicuntur, sed quod ita Deum & Christum non nouerint vti oportet eos nosse, id est, quia non fecerunt quod sciebant faciendum esse, sed vixerunt tanquam si cognitione omni diuinæ voluntatis caruissent.*

Atqui non solent Apostoli illud epitheton *veræ* nisi rarò admodum adijcere. Certè nusquam legas, *vera fides, vera spes, vera charitas.* Quod vero quæris. *Quomodo ergo dicatur iidem Deum cognouisse, cognouisse eius mandata, & contra conscientiam suã facere, &c.* Responsio facilis est & expedita. Duplex est cognitio *præscribens* & *persuadens*, *Theoretica* & *Practica*, *quæ reddit inexcusabiles* & *quæ iustificat.* Quædam est cognitio quæ non est eadem vita æterna, quam qui habent pereunt. Alia est cognitio quam Christus vitam æternam vocauit. Ioh. 17. 3. quam qui habet perire non potest. Cognitio est quæ non est cognitio qualis esse debet, 1. Cor. 8. 2. &, Cognitio est solida & vera; Cognitio est qualem habuerunt qui Christum crucifixerunt, quorum principes adeo in Spiritum Sanctum peccarunt, & cognitio est quam si illi habuissent, omnino Christum haud crucifixissẽt 1. Cor. 2. 8. Illam cognitionem habent etiam ij qui faciunt contra conscientiam, istam non habent. *præscribentem* cognitionem habent, *persuadentem* non habent. Hoc iam intellexisti proculdubio, & vides clarè vt nil sit quod repugnet.

Iam perge. *Verum quidem est, solida Christi & Dei cognitio vehementer potens est ad mouendum voluntatẽ nostram ad amorem & obsequium ipsorum, sed tantum*

abest vt ea ita moueat voluntatem, vt voluntas non possit non amare & obsequi Christo eiusque mandatis, vt contra videamus affirmari de iis qui Deum aut Dominum Christum cognouerint, quod Deo non obediuerint, Deum non glorificauerint, à via iustitiæ resilierint, & ab obseruatione mandatorum eius defecerint, aut saltem in ea ita non se gesserint vt non multis modis culpandi fuerint. Vide 2. & 3. tantum caput prioris Epistolæ Ioannis, & alia infinita loca. Rom. 1.21. 2. Pet. 2. 20.

Quam tu hîc veram & solidam Christi & Dei cognitionem vocas? Num eam quam scelerati quique habent? At illa certè quàm sit potens ad eos commouendos reuocandosque in viam, testis est eorum vita. Profectò qui de verâ & solidâ Christi cognitione sic philosopharis non tenes omninò, non tenes, quæ sit & quanta illius vis. Sed mihi tempero.

Et sanè addis, *cùm vera cognitio Dei & Christi sit diuinæ voluntatis scientia, eaq; vel Theoretica tantùm, licet vera scientia, quâ quis scit quid Deus & Christus à nobis postulent, vel Practica, quæ Fides dicitur. Quid est cur non credamus fieri posse vt is qui simpliciter tantùm scit voluntatem Dei, vel etiam credit, non faciat Dei voluntatem, vel à faciendo deficiat, manente interim scientia speculatiua? Nihil.*

Quàm, Deus bone, frigidè de vera Dei cognitione loqueris? Piget me profectò, miseretque tui. Omninò non decent ista hominē Christianum. *Vera Dei cognitio* inquis, *est vel Theoretica, licet vera scientia, vel Practica, quæ fides dicitur.* Quid? Tu fidem audis dicere seiunctam esse posse à bonis operibus? Vis hîc digrediar vt probem fidem veram non posse seiungi à charitate? Non faciā, hæc noua iam controuersia est, sed inter pios & bonos viros, quique vim fidei non ex sacris modò literis, sed sensu ipso & experientia didicere, minimè controuersa. Satis habeo ostendisse quæ monstra vos alitis. Profectò tu Cl. Tileno vel multo audacior es, vel multo incautior; Nam is huc noluit deuenire quò tu ruisti præceps. Itaq; facis omnino vt suspicer te σωκινίζειν. Cæterùm theoretica Christi cognitio vera illa & salutaris cognitio profectò non est; Non est enim ea quā Christus tanti facit vt eam dixerit vitam æternam. Practica Christi cognitio ea demum sola (vt ostendi in Collat. pag. 668. & 669. pro vera Christi cognitione habenda est. Non enim perinde Christus proponitur nobis cognoscendus, quemadmodum, quo modo triangulus tres habeat angulos pares duobus rectis, sed vt amplectendus, diligendus, amandus. Atqui ignoratur si non agnoscitur qualis proponitur. Quod si concedis fidem à bonis operibus non posse disiungi, nec à *voluntate* (vnde proximè bona opera oriuntur te fatente) poterit seiungi. Fides ergo flectit in obsequium voluntatem. Atqui fides, vt tu fateris ipse, cognitio practica est. Cognitio ergo practica flectit voluntatem necessariò. Iam verò in confesso est cognitionem practicam esse mentis. Sequitur igitur voluntas mentem necessariò; quod erat demonstrandum. Videsne vt te constrictum teneam, vel enim necesse est te negare fidem esse cognitionem practicam, quod affirmas, vel negare fidem trahere necessariò, pro modulo, bonorum operum studium, vel concedere mihi quod est à me positum, quod tu tota hac disputatione vnum studes refellere, Cognitione mentis practicâ permoueri voluntatem necessariò. Quid vis horum dixeris actum est de tua causa. Non potes hic certè, non potes vllum exitum reperire, adeò munita, obstructa, & obsepta sunt omnia.

Subiungis deinde. *Sed euinco amplius rem hoc argumento. Si vera cognitio Dei & Christi non potest separari à charitate, fieri non potest vt ij in quibus ista locū habet in vllum, vel minimum, Dei aut Christi preceptū peccent. Ita enim textus habet,* Qui dicit, noui eum, & mandata eius non seruat, mendax est. *At si notitia hæc necessariò trahit obseruationem mandatorum post se, quomodo fieri potest vt non etiam trahat post se omnium mandatorum omnimodè perfectam obseruationem? Vera enim cognitio Christi extendit se ad omnia præcepta. At si vera cognitio caritatem ita necessariò post se trahit vt separari ab ea non possit, non magis post se trahit caritatem circa hoc quàm circa illud præceptum.*

Recognosce quæso verba tua, haud dubiè erubesces. Num Apostolus dixit, *Qui nouit eum?* Minimè verò, sed, *qui* DICIT, *Noui eum, & non seruat mandata eius, is* EST MENDAX. Annon vides Apostolum tibi apertè contradicere? EST MENDAX nimirum dixit. Expende amabo illud EST MENDAX. Sic concidit vis omnis ratiocinationis, seu cauillationis potius tuæ. At verò, inquis, *vera Christi cognitio æqualiter se extendit ad omnia eius præcepta?* Rectè. Cur non ergo *trahit necessariò charitatem circa omnia præcepta?* Trahit pro rata parte: nempe quia nō est perfecta, imperfectè. Hoc ne iam tenes? Credo equidem, neque enim homo es ingenij crassi & obesi. Et quęnam alia ratio reddi possit cur in vita futura caritas perfecta sit quæ hic imperfecta est, præter hanc, quod in hac vita cognitio nostra sit imperfecta? Id adeò testatus est Arminius vester Orat. de Authore & fine Theol. *Hac vnione intellectus ipsum Deum, totumque ipsius bonum, & inæstimabilē pulchritudinem, velut facie ad faciem clarissima visione intuetur, & quia fieri nequit quin tantum bonū clarissima cognitum visione, propter se ametur, hinc quoque voluntas* TANTO *idipsum complectitur amore,* QVANTA *in illius mēte est notitia.* Et paulò post. *Sequetur intellectûs dilatationē ampliatio voluntatis, vel ex obiecti proprij & adæquati obiectu ad eandem contemperato, vel (quod malo) ex* NATIVA *intellectûs & volūtatis conuenientia, ac* INGENITA *vtriq; analogia, secundum quam intellectus se promouet ad volendum* EADEM PROPORTIONE *qua intelligit & cognoscit.* Et hoc pacto vel suā protulit sententiam, vel certè veram imprudens confirmauit. Nam quod perfecta cognitio faciet perfectè, id imperfecta cognitio facit imperfectè, nempe pro modulo, si ea est quam ille statuit (est verò certè) intellectûs & voluntatis analogia. Sed tibi in hac disputatione id est solenne, vt confundas quam dixi *præscribentem* & *dirigentem* notitiam cum eâ quâ fit *persuasio*, quæ non oritur, neque verò potest aliunde oriri, quàm ex AGNITA admirabili illa summi illius, verè (inquam) summi, boni specie & pulchritudine, quam Apostolus *gloriā* dixit. Habet enim σωὶ τῷ καλῷ τὸ μέγα, Vnde exsurgit gloria. Ea verò in Christo, Dei inuisibilis imagine, refulget. Atqui de *præscribente* illa & *dirigente* cognitione nulla mihi tecum controuersia est: Ea διδακτικὴ quidē est, πειστικὴ neutiquam est. Id ego fateor & verò prædico. Tu, vt illud probes, noli te quæso inutili labore fatigare. Quin potius hære in causâ, & hoc age; Euince eâdem esse prorsus Dei in Christo notitiâ præditos qui

tos qui impij ſunt & qui pij; Tam clarè illos quàm hos, tam *retecta facie* (vt loquitur Apoſtolus) *gloriam Dei in Chriſto contemplatos*. Id niſi feceris nil feceris, euagatus nimirum (quod veteri verbo dicitur) extra oleas. Nam ſi diuerſam horum & illorum notitiam eſſe ſtatuis, Cur non agnoſcis eam vnicam eſſe cauſam cur his potius quàm illis Dei lex dulcis ſit, & ſuaue iugum; quod hi potiùs quàm illi Boni ſpeciem vident & admirantur? Vnde illud deinde fluit, vt qui lege Domini delectantur, magis minuſve eâ delectentur, pro maiore minoréve cognitione diuinę bonitatis. *Guſtate* (inquit Propheta) *quam Dominus ſit bonus.* Certè vera Dei in Chriſto cognitio non poteſt non eſſe efficaciſſima.

S. Paulinus.

Hic ergo noſtris VT ſuum præcordiis
Vibrauerit cœlo IVBAR,
Abſterget ægrum corporis pigri ſitum,
Habitumq́; mentis innouat.
Exhaurit omne quod iuuabat antea,
Caſtæ VOLVNTATIS vice.

Et,

Æſtus inanes, quos mouet vitæ labor
Præſentis æui tramite,
Abolet futuræ cum Deo vitæ fides.

Et certè τὸ ΑΛΗΘΕΣ ἐν τοῖς ΠΡΑΚΤΟΙΣ ἐκ τῶν ἔργων καὶ τοῦ βίου κρίνεται. ἐν τούτοις γὰρ, τὸ ΚΥΡΙΟΝ. Et paulò poſt, καὶ συνᾳδόντων μὲν τοῖς ἔργοις, ἀποδεκτέον. διαφωνούντων δὲ, ΛΟΓΟΥΣ ὑποληπτέον. Ariſtot. 10. Ethic. cap. penult. Veriſſimè dixit. Neſciunt inſani, neſciunt, τοῦ καλοῦ τὸ καλὸν qui non viuunt honeſtè κατ' ἀρετήν. Itaque omnes quotquot ſumus (quando nemo adeo viuit piè & honeſtè vt non ſit quotidie orandum, *Dimitte debita noſtra*) quadamtenus inſanimus.

Addis deinde, *Cui adde quod videamus paſſim Apoſtolum eos de quibus affirmet quod Deum & Chriſtum cognouerint, monere & hortari vt ne ſeducantur, vt ne peccent, vt ne diligant mundum, vt caritatem exerceant &c. At quid ineptius quam ad iſta ſollicitè aut ſeriò hortari quemquam in quo iam eſt id quod neceſſariò coniunctam ſibi habet iſtorum omnium obſeruationem? Simulasq́; neceſſitatem aut neceſſariam coniunctionem iſtorum facis, neceſſe eſt vt hortationum vim ac pondus omninò tollas.*

Sanè nil ineptius, vt tu ais, foret, ſi iſta cognitio plena eſſet & perfecta, ſi eſſet continua & conſtans; Id quia non eſt, Deus vtitur verbo ſuo, comitante intrinſecus Spiritu ad hanc cognitionem renouandam, augendam, firmandam. In quibus verò illa excitatior, auctior & firmior eſt, apud eos minus opus eſt hortationibus, vt oſtendi Collat. pag. 653. col. 1. prolato teſtimonio Ieremiæ, cap. 31. 34. Pauli, 1. Theſſ. 4. 9. & Iohannis 1. Cathol. 2. 27.

At verò *Dicere, ais, quod hortationibus iſtis foueatur cognitio, non eſt conſequenter loqui. Si enim cognitio illa non eſt nuda ſpeculatio, ſed efficax ſummi boni cognitio quæ ita voluntatem afficit vt non poſſit non ei adhæreſcere, quæ neceſſitas hortationum, quæ vtilitas? Nihil enim eſt quod efficaci iſti cognitioni vnquam æquari, nedum præponderare, poteſt, vt hortationibus quomodo id fiat eam foueri opus ſit.*

Nempe tu fingis me velle hanc cognitionem ſemper eſſe in actu, ſemper intentam, numeris omnibus abſolutam, firmam, corroboratam adeò vt non egeat adminiculo repetitorum ſubinde præceptorum, hortationum, repetitâ etiam ſubinde inſtitutione. At ego diuerſum ſtatuo. Itaque tu hîc vt molliſſimè dicam, ludis, & ineptis, & verè nugas agis.

Cap. XX.

Vindicatur illa ratio qua Camero demonſtrat tolli Prouidentiam diuinam ſi voluntas humana ſtatuatur ſemetipſam flectere in vtramuis partem.

Tertium, ais, *argumentum eſt,* Si Deus illuminat mentem voluntatemque, interim ſibi permittit vt ſit penes eam vel annuere vel abnuere, optima pars Prouidentiæ diuinæ tolletur è medio. Nec enim pendebit inclinatio voluntatis à Deo in vtramuis partem, ſeſe enim ipſa flectet quo libebit pro arbitrio, nulla moderante Diuina prouidentia. *Reſp. Nulla eſt conſequentia in hoc argumento. Supponitur enim, abſq́; vlla ratione, Prouidentiæ diuinæ partem, imò optimam partem, eſſe inclinare voluntatem in vtramuis partem, quod falſum eſt, aut ſaltem illud ipſum quod in quæſtione verſatur.*

Negas igitur διαῤῥήδην pendêre à Diuina Prouidentia quod voluntas in bonum potius quàm in malum inclinet. Hoc verò iam eſt totam vno verbo negare Scripturam Geneſ. 39. 21. Exod. 12. 36. 1. Sam 19. 26. Ierem. 31. v. 33. &c. Hoc eſt denique negare quod ſenſus communis docet. Vnde enim illa quæſo, *Deus tibi det mentem bonam*, *Deus benedicat.* Illa item, ὅταν θεὸς βλάπτῃ, *Deus mentem abſtulit, eripuit. Iupiter quos vult perdere, dementat,* Etiam illud

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Et illud, ------ *Pauci, quos æquus amauit*
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera Virtus.

Profectò vos oportet egregiè de Deo ſentire, qui eo vſque audaciæ erumpitis vt pæne negetis hominem aliud debere Deo quàm quod ſit homo libero præditus arbitrio, cum virtutem ſibi ipſe ferat acceptam, quæ Senecæ impij hominis execrabilis ſententia fuit: Sic enim eripitur Deo quod longè optimum eſt.

Sed perge iam. *Si enim Deus libertatem iſtam voluntati noſtræ induiſſe voluit, vt ipſa ſeſe flecteret in quam vellet partem, non tantum Prouidentiæ pars, nedum pars optima eſt voluntatem humanam flectere in vtramuis partem, ſed Prouidentiæ diuinæ planè eſt contrarium illam ſic flectere, aut aliter quàm ſecundùm naturam ſuam flectere aut regere. Prouidentiæ enim non eſt deſtruere rerum creatarum naturas, ſed conſeruare, ac proinde relinquere ipſis motus ſuos liberos ad quos potentiam ipſis dedit: Alioquin fruſtra dediſſet ipſis potentiam.*

Sanè ſi ita eſt vt tu dicis, Deus ſeſe Maieſtate ſuâ & Prouidentiâ ſimul exuerit. At Deus nullam vnquam creaturam ea lege condidit, vt non tota, tota, inquam, quanta eſt à Creatore pendêret. Nam ſi aliter feciſſet, id verò iam eſſet non creaturam ſed Deum creare. Et quantulum abeſt ab humanæ prouidentiæ infirma conditione quod Deo tribuitis, ſi non vultis ab eo pendêre inclinationé voluntatis in bonum potius quàm in malum. Certè eas omnes actiones Dei prouidentiæ ſubducitis, quæ voluntatem humanam habent pro principio, aut verò Deum ſtatuitis ſuſpenſum quid homo velit, tum verò deinde ſe

præbentem tanquam ministrum, ad humanę voluntatis nutum scilicet. Deinde verò, multa homines impij faciunt non impia, mansuescunt sæpenumerò, & *Panthera domari nescia non semper sæuit*, fortè-ne id accidit, an Diuinâ prouidentiâ, quod non modò non dilaniat & vorat, sed blandiatur insuper? Non hoc vultis esse à Dei prouidentia, quod impij non semper faciant impiè, alia ratione quàm quia Deus liberum arbitrium eis indulsit? Atque hîc non intelligo modò externas actiones, sed internam animi propensionem, vt quum Deus eorum cor quod indurarat emollit: Exemplum esto, quod facit vt Ægyptij Israelitis commodent sua. Fortuitò-ne id euenerit, nullâ interueniente speciali Dei prouidentiâ: Omninò hic purus putus Σωκεινισμὸς est. An tu eius Sectæ homo sis tu ipse nosti. Certè tota hæc tua Disputatio Socinum si non authorem, at certè habet assertorem. Sed audiamus quî tu nouum hoc dogma tueare.

Sic igitur ais, *Neque tamen si libera voluntas statuatur eâ libertate quam nos agnoscimus, propterea credendum est hominem Diuinæ prouidentiæ subiectum non esse. Hoc ipsum enim quod Deus non velit destruere naturam eius, quam liberam, & hactenus quasi suo dominio exemptam, creauit, sed quod velit eam conseruare & permittere ipsi liberum vsum facultatis concessæ, quodque simulatq; mouere se incipit, cogitationes, volitiones, ac facta ipsius omnia pro suo arbitrio ordinet, dirigat, puniat &c. prout vult, hoc, inquam, satis est vt Prouidentiæ Diuinæ exemptus non credatur.*

Hoc pacto certè nec ij quidem prouidentiam sustulerint, qui Deo omnia ademerunt præter motum cœli (qua in sententia annon fuerit Aristoteles quæri potest, ego hîc non definio, non enim pertinet ad caussam) nam ij pariter dicunt singulis rebus suam esse naturam, itaque Dei motum vnum eundemque varia producere effecta, quod materia subiecta non sit eadem, sed alia atque alia, aliter atque aliter affecta, Imò verò isti tanto probabilius, hoc quidem pacto, loquũtur quàm vos soletis, negant enim hanc materiæ varietatem esse à Deo; itaque nil ita decedere Prouidentiæ, quòd non curet scilicet aliena. Vos autem iam non negatis voluntatem à Deo conditam, dicitis verò hominem, neque in hanc, neque in illam partem (qua homo quidem est) esse (vt ita loquar) inclinabilem; Deum interim agere & operam adhibere, vt huc potius quàm illuc inclinet, neque sequi effectum, nisi, non iam dico, *suboperetur*, sed *cooperetur* voluntas humana, non vt *subiecta* merè sed vt *socia causa*. Nam certè primus ille Motor Deus ex impiorum hominum sententia id nec facit, nec facere conatur, vt pote cui nil aliud volupe sit quàm seipsum intueri & orbem cœlestem circumagere, quod ad mundum quidem attinet. Vos voluntatem humanam vultis esse à Deo, neque verò tamen, si se inclinarit in bonũ, hoc habere à Deo. At verò, inquies, habuit à Deo id posse. At verò, inquam, habuit à Deo posse & in malum ferri, idque ex vestrâ sententiâ, nempe ἀδιαφορίαν. Ergo non aliter erit à Deo quod voluntas in bonum fertur, quàm quod in malum. An verò dices, Deum omnia adhibere quæ possint ad bonum inducere? Imò verò sæpe etiam tentat, quamuis optimo fine; Ergo cùm voluntas tum aliorsum tendit quàm in malum, non erit id à speciali prouidentia? Et quorsum igitur quæso oramus, *Ne nos inducas in tentationem*? Præterea, quum voluntati sit essentialis ἀδιαφορία, h.e. cùm homo sit ἀδιάφορος ad volendum aut nolendum, quæ ratio dari potest cur huc potius quàm illuc semetipse inclinet. Nam agit vnumquodque, patiturque, iuxta formæ actiuæ passiuæque rationem suæ. Aget igitur κατ' ἀδιαφορίαν. Hoc vero impossibile est, omnis enim actio est in alterutram partem. Ergo determinata ad vnum. Hoc à te velim explicari, si potest tamen à te explicari. Ego id facile expedio qui statuo hanc voluntatis ἀδιαφορίαν à mente determinari in alterutram partem.

Sed te iam videamus persequentem. *Vt autem appareat quousque argumentum hoc vadat, dico, si verum est argumentum hoc, ex eo necessariò sequi non tantum virtutes, sed & peccata omnia, ex ipsa Diuina prouidentia, tanquam ex caussa suâ profluere. Ratio est, quia ab ea, & per eam, dicitur expressè inclinatio voluntatis fieri debere, adeò vt nisi hæc per illam fiat, prouidentiæ Diuinæ optima pars tolli dicatur. Iam autem inclinatio voluntatis in malum tam est inclinatio quàm est inclinatio in bonum.*

Tu vero iam mecum agis parum candidè. Nam princeps Thesis est, Inclinationem voluntatis in bonum esse omnino ex Deo. Hanc illa sequitur, vt si Deus non agat omnino non secutura sit inclinatio in bonum omnino. Cæterum bonum & malum hic non modò contrariè, respectu vt loquuntur, subiectorum, sed etiam contradictoriè opponuntur. Ergo si voluntas non inclinetur à Deo in bonum, consequens est vt voluntas propendeat & verò feratur in malum. Attamen non est continuò consequens, pendêre pariter à Deo inclinationem humanæ mentis ad bonum & ad malum. Nam inclinatio humanæ mentis ad bonum à Deo est per se & propriè, vt à Sole lux, ad malum verò pendet à Deo per accidens, vt à Solis occasu tenebræ, quæ propriè & per se à terra sunt scilicet. Sed tu videris velle obuiam ire, tanquam si ex Collatione, quam legisti, intellexisses quid ego contra tuam sententiam possem respondere.

Sic enim agit, *Dicere hîc quod ad inclinationem voluntatis ad malum nulla positiua actio Diuinæ prouidentiæ requiratur, sed sola tantùm permissio nimis est friuolum. Primò enim si sola permissio Diuina sufficit, iam sequitur hominem eatenus saltem exemptum prouidentiæ quod inclinet sese in malum. Hæc enim inclinatio est sine dubio voluntatis actio, qua vult homo facere vel non facere quod Deus mandat aut prohibet, saltem non est nihil, aut potius aliquid est extra nihil. Hoc ipsum itaq; non dependet à Deo, sed à sola voluntate hominis; Vnde consequitur, iuxta Cameronem, hactenus saltem Diuinæ prouidentiæ hominem exemptum esse.*

Minimè verò, inquam, non enim sese poterit inclinare in malum nisi permiserit Deus. Hîc ego iam non dicam quod res est, te id sentire quod ij sentiunt qui negant fieri vlla ratione posse vt Deus peccandi licentiam intrinsecus cohibeat, aut verò mutet in Spiritus veram libertatem. Quis enim non videt te eadē dicere, qui ais, eatenus saltem hominem exemptum prouidentiæ diuinæ quatenus se inclinat in malum: Illud tantum dicam te tibi mirificè contradicere. Nam obsecro te, non eos damnas qui negant Deum posse prohibere peccatum? At quî possit prohibere nisi

bere nisi in diuersam partem, in bonum scilicet, cor inclinet. Quod si non prohibuerit, permiserit, id vero prouidentiæ est, non est enim Diuina permissio otiosa vel temeraria. Verbum hic iam non addam, Nam teneris certè nec potes elabi. Sed ais, *ne has angustias intrem.* Atqui iam intrasti. Estne viri valde sapientis vltro, sponte sua, intrare in eas angustias quas potest, ita statuat modò, euitare.

Iam perge. *Dico*, inquis, *secundò friuolum esse argumentum. Permissio enim hæc non est permissio talis vt ea posita maneat adhuc penes voluntatem annuere vel abnuere, sic enim (vti Camero ait) optima pars Diuinæ prouidentiæ tolleretur eo ipso quod inclinatio eiusmodi libera non à Deo, sed ab ipsa voluntate hominis suspenderetur; sed est permissio qua posita voluntatem in malum inclinari necesse est, sine qua voluntatem in malum non inclinari impossibile est, vt exempli gratia, permissio qua quis lapidem natura sua grauem super medio ipso leuiore collocat, & sic ex alto in terram cadere permittit. Huiusmodi permissio quin ad caussam efficientem reducatur, aut ei æquipolleat, nemo negabit nisi cui sana mens non est: Creare enim rem aliquam cum tali dispositione vt si sibi ipsi relinquatur, aut permittatur, non possit non in vnam tantum partem vertere, aut sese inclinare, & eandem rem creatam deinde sibi permittere, quid aliud est quàm velle aut efficere (saltem in caussa) vt res ista in partem istam vnam se inclinet? Quare qui huiusmodi permissionem Diuinæ prouidentiæ actum appellat, quo Deus versatus est post Legem datam in Paradiso, circa hominis adhuc integri & innocentis voluntatem, næ is Deum non authorem tantum, sed & solum authorem peccati, velit nolit, faciat necesse est.*

Audio iam. Vestra permissio quam in malo tribuitis Deo eiusmodi est, vt etiamsi malum permittat Deus, tamen nil mali necessariò secuturum sit; Vnde sequitur fieri posse vt permittat id Deus malum quod omnino non est futurum. Neque verò tu mihi hic respondeas Deum multa permittere quæ homines non faciant; Non enim hîc agitur de permissione *iuris*, sed *facti*, vt loquuntur. Quæro igitur, An permittat Deus quod nunquam nec fuit, nec futurum est. Deinde (vt repetam quod dixi suprà) quæro, An futuritionem (sic nos ipsa res cogit loqui) ista vestra Dei permissio naturæ ordine præcesserit, an verò secuta sit. Si præcessit, res futura non erat nisi Deus eam permisisset: Si secuta, ridicula iam permissio est qua res seu nolis, seu velis, futura permittitur, quasi quis permitteret circumagi cœlum, aut flare ventum. At verò, *si hac ratione Deus permittat malum erit mali author.* O te hominem miserum! An quia nil est in creatura, ne hilum quidem boni, quod non sit totum, totum, inquam, iterum dico, totum à Deo, tu censebis Deum peccati authorem, nos conuenires ridiculis exemplis? *Si quis lapidem*, inquis, *super medio ipso leuiore*, &c. Non enim vides te id non minus in te quàm in me dixisse. Nam Deus (vt vos ipsi fatemini) hominem mutabilem creauit, siuit eum tentari, victus est à tentatione, nec id prohibuit Deus, cum posset tamen, si voluisset. Quæ cùm ita se habeant, non vides te iam hæc temere effutiisse? Ego verò respondeo, Si lapidis bonum foret esse in sublimi, deberet hoc ei à quo teneretur suspensus, sin eius malum esset cadere, deberet hoc sibi: Nam hærere certè in sublimi alteri debet, cadere sibi.

Tu tamen adeò durus es vt sic instes. *Nec euadet Camero vnquam blasphemiam istam quamdiu huiusmodi argumentis pugnare pergit. Satis enim ostendit se non tantum de voluntate iam per peccatum corrupta, sed de qualibet voluntate, etiam ea quæ in Adamo in statu integro constituto fuit, agere, quia dubium nullum est quin credat, Adamum in statu isto integro optimæ parti Diuinæ prouidentiæ exemptum non fuisse, quod tamen necessariò dicendum ipsi foret, si libertatem in voluntate Adami istam quam impugnat, locum habuisse velit, imò quod magis est, dicendum ipsi foret Adami voluntati diuinam adscribendam esse, & Deo aut omnino detrahendam omnem de voluntatis ipsius inclinatione præscientiam, aut nonnisi incertam relinquendam. Hæc enim sunt absurda illa quibus contra sententiam Clar. D. Til. pugnat quæ nisi ad libertatem voluntatis in omni statu euertendam faciunt, omnia friuola sunt ac futilia.*

Quid de Adami peccato ex Scriptura statui possit, supra explicaui. Vos verò qui blasphemiam putatis si quis dicat creaturam nil posse in bono nisi à Deo ita fulciatur vt totum quod in eo genere præstat soli Deo, malum verò sibi soli debeat, videte ne in Deum ipsi blasphemetis qui hanc laudem ei adimitis. Certè Iobo viro sanctissime Eliphazus, *Ecce*, inquit, *seruis suis non fidit, & in Angelis suis ponit* תהלה quod seu *vesaniam* seu *lucem* interpretere, eodem res redit. Significabitur enim vtrolibet modo stare Angelos Deo sustentante, non sustentante casuros, & quidem suâ culpâ. Neque verò, si hæc blasphemia est, vos possitis euadere quo minus blasphemiæ manifesti teneamini. Vel enim docetis lapsum primi Parentis potuisse à Deo impediri, atque ita incurritis in hanc blasphemiam quam nobis impingitis miseri, *Cur enim non prohibuit?* Cur quod potuit non effecit? Si enim (vt iam monui) legibus humanis conueniatur, omninò reus est: Si eius ius supra leges humanas positum est, Cur sic blasphematis? Aut vultis Deum nō potuisse eū lapsum prohibere. Si id vultis. Quæro iam cur sic blasphemetis. Nam certè negare Deum non potuisse intercedere atque impedire quominus laberetur ea verò iam splendida blasphemia est. Nempe sic negaueritis Dei sapientiam & potentiam, vt qui vel nesciuerit, vel non potuerit id efficere quod creaturā tamen & sciuisse & potuisse contenditis: Homines (si quidem ea vestra sententia est) multo miserrimi. Etenim non negatis, hominem potuisse sibi cauere à lapsu. Quid igitur? Non est æquum vt iidem censeatis potuisse Deum prospicere quo minus laberetur? Prospexit, inquies, nempe data lege (neque verò id negem ego quidem) atque id quidem satis erat, vt cautum esset ne lapsus sui culpam posset homo in Deum rejicere: etenim peccauit in *legem*, qua non data nullus peccato locus esse potuisset; vbi enim *lex* aut *præceptum* nullum præcessit, peccatum & rebellio nulla esse potest. Sed nos hic quærimus: An Deus non potuerit, dato iam præcepto, prohibere quominus homo id violando noxam contraheret, id vos homini tribuitis, liceat nobis idipsum bona vestra cum venia Deo tribuere, liceat Dei hanc laudem velle esse peculiarem & propriam, quod in eius manu sint corda nostra vt ea immutet, inclinet, flectat, trahat, quoties, & quando, & quomodo ei visum est ac libet, pro ineffabili sapiētia

bonitateque, in meliorem (inquam) partem: Id quod pij omnes, ipseque adeò tu, si Christianus es (es verò tu quidem certè Christianus) à Deo quotidianis precibus contendis, nimirum vt tanta suauitate illabatur in cor tuum, atq; in eo tam acrem sui sensum præbeat, tam suauem (vt ita dicam) gustum, vt cætera omnia vel amara vel insulsa & insipida videantur. Ergone nos qui id adscribimus Deo quod pij inter orandum, quod tu ipse facis, videbimur blasphemare, ac non vos potiùs siquidem diuersum sentitis? *Quare* (inquit Ecclesia) *errare fecisti nos DOMINE de viis tuis: indurasti cor nostrum ne timeremus te, CONVERTERE propter seruos tuos, tribus hæreditatis tuæ.* Esa.63.vers.17. Credis Ecclesiam in Deum blasphemasse, eum in ius vocasse, sic cum eo expostulasse ac si fuisset obstrictus vllo iure ad homines à peccando aliter quàm lege data prohibendos? Hæc profectò, hæc (inquam) teterrima foret blasphemia. Sed nec existimandum est Ecclesiam sic voluisse Deum constituere peccati authorem. Nimirum aliter Deus nos liberat à malo, miserendo, indulgendo, agendo, flectendo in obsequium vi & efficacia Spiritus sui: Aliter inducit in tentationem, nempe non agendo, nosque nobis ipsis permittendo; quod nisi accideret cassa foret & irrita tentatio. Itaque id vnum vehementissimè petimus à Deo, *Ne nos inducat in tentationem, sed liberet à malo*; Iubente ac docente Christo, qui & nostrum ingenium imbecillitatemque, & Patris sui potestatem, bonitatem & agendi rationem nouerat optimè. Obsecro te, per quod tibi est verè pietatis studium, hæc seriò etiam atque etiam expende.

Cap. XXI.

Vindicatur illa ratio qua demonstrarat Camero, perire omnem consolationem si ita Deus in nobis per Spiritum suum agere statuatur vt nos nobis permittat.

Q*Vartum*, ais, *argumentum est. Sic tolletur omnis consolatio, quod enim Deus in nobis facit, non promouet quo minus nos aberremus. Resp. Nulla est consequentia, Deus non consolatur nos isto modo, Ergo Deus non consolatur nos vllo modo.* FATEOR *quidem* MAGNAM FVTVRAM *consolationem istam* QVAM *argumentum indicat, &* NEGARE NON AVDEO *Deum aliquando extraordinariè huiusmodi consolatione suos imprimis in tentationibus positos, & ardenter ipsum pro auxilio singulari orantes gratiosè perfundere, sed inde tamen neutiquam sequitur consolationem nullam locum habere posse nisi illa agnoscatur. Aut istam consolationem ordinariam consolationem esse quâ Deus vti vult.*

FATEOR, inquis! Euge! FATERIS aliquid. Videamus iam quid illud tandem sit & quantum quod FATERIS. Res maxima est proculdubiò, & quæ (si teneatur rectè, & considératè expendatur,) controuersiam definiat. Nimirum FATERIS *futuram* MAGNAM CONSOLATIONEM *quàm* ARGVMENTVM *indicat.* Atqui Deus MAGNAM indulget CONSOLATIONEM. MAGNA enim est misericordia eius. *Domine in cœlis misericordia tua, veritas tua vsque ad cœlos; Iustitia tua sicut montes fortissimi, tua iudicia abyssus multa: hominem & animal seruabis Domine. Quam pretiosa misericordia tua Deus: & filij hominum in vmbra alarum tuarum sperabunt: Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potum eis dabis: Quoniam tecum vena vitæ; In lumine tuo videbimus lumen.* Psal. 36. Et, *negare*, inquis, *non* AVDEO *Deum aliquando huiusmodi consolatione* SVOS IMPRIMIS IN TENTATIONIBVS POSITOS ET ARDENTER IPSVM PRO AVXILIO SINGVLARI ORANTES GRATIOSE PERFVNDERE. Negare id non audes? Laudo & amplector modestiam tuam, tibique eandem mentem constanter in omnibus, maximéque in hac caussa quæ Dei est, ex animo precor. Sed, & si tantum auderes nefas, eaque esset (non est autem Dei beneficio) sacrilega & impia animi tui audacia & væsania, non posses tamen id negare, statim (si id faceres) reuincendus authoritate Scripturæ, Dei ipsius & Christi. Quid enim? Deus MAGNAM CONSOLATIONEM negarit SVIS, & quidem POSITIS IN TENTATIONE, ET ARDENTER IPSVM INVOCANTIBVS PRO SINGVLARI AVXILIO? *Vt pater miseretur liberorum ita Dominus miseretur timentium ipsum.* Psal.103. *Sacrificia Dei Spiritus confractus, cor fractum & contritum non despicies. Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum firmum intra me innoua. Ne abijcias me à facie tua, nec Spiritum sanctum à me auferas.* Ps.51. *Premente aduersitate inuoca me.* Ps.50. *Non laborabunt incassum, neque parient cum turbatione, sunt enim semen benedictorum domini.* Es.65. *Ad quem autem respiciam? ad eum qui est humili & fracto Spiritu, & qui ad Verbum meũ reuerentia quadam contremiscit.* Es.66. *Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis. Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis à Patre petet panem? Nunquid lapidem dabit ei? aut piscem, nunquid serpentem pro pisce dabit ei? aut si petierit ouum, nunquid porriget ei scorpionem? Si ergo cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ipsum?* Luc.11. *Si quid petieritis à me in nomine meo hoc faciam. Quodcunque à Patre petieritis in nomine meo hoc faciam.* Io. 14. *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis. Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum.* Ioh.16. *Omne gaudium existimate fratres mei cum in* TENTATIONES *varias incideritis, scientes quod probatio vestræ fidei patientiam operatur: Patientia autem perfectum opus habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hæsitans.* Iac.1.

Sed *inde tamen*, inquis, *neutiquam sequitur nullam consolationem locum habere posse, nisi illa agnoscatur: aut istam consolationem ordinariam consolationem esse qua Deus vti vult.* De his duobus iam iam videbimus. Nunc id agitur annon constet Deum magna consolatione suos, in primis in tẽtatione positos, pro singulari auxilio ardenter ipsum orantes, gratiosè perfundere. Tu hoc iam fassus es disertim. Atqui Deus numquam vult, nunquam facit, ne extraordinariè quidẽ, id quod absurdum, quod impossibile & disconueniens est. Inclinat autem Deus, sal-

saltem extra ordinem (neque enim tu id audes negare) voluntatem, ita vt sistat eius propensionem in sequiorem partem, id quod illius necessaria in meliorem DETERMINATIO est, Non est igitur id absurdum, non disconuenit, non pugnat cum præceptionibus & hortationibus, cum ratione obedientiæ, laudis, & præmij, non pugnat cum natura voluntatis, &c. Sic de repente tu vnico verbo, manifesta veritate conuictus, diruisti insanam illam blasphemiarum & incommodorum molem, quam tam vasto molimine substruxeras, meam scilicet (vt tu quidem volebas) obruturus sententiam. Quamquam ea certè non mea potius qnàm totius Ecclesiæ sententia, & ipsissima adeò Veritas est. At ais tamen, *Etsi Deus id non semper præstiterit in suis, non omnem defore consolationem.* Haudquaquam certè, si tibi piorum consolatio est saginari tanquam porcos in hara benè pastos & benè potos, cæterùm torqueri & angi animo in tentatione incertos conscientiâ imbecillitatis & inconstantiæ suæ, sollicitosque de euentu. Sed (quæ Diuinæ gratiæ & misericordiæ in solidum laus est) aliter se res habet. Nimirum pro certo habent (indeque adeò suspendunt omnem consolationem suam) quod Christus ipsos ita tuetur vt nemo possit eos eripere de ipsius manu. Egregia verò consolatio scilicet, si vobis licet eam contaminare, ac frustraneam reddere, adiecta conditione de qua maximè solliciti sunt, NISI ILLI VELINT. Quasi verò id non sit quod vnum & solum possit nocere, quod vnum adeò & solum illi maximè reformidant, ne nolendo quod Deus iubet, in tentatone victi succumbant, illi, inquam, qui exclamant, *Vre, seca, Domine, at ne perde tamen*: *Non me iducas in tentationem*, iuxta illud Christi, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem, Spiritus enim promptus est, sed caro est infirma.* Matth.46.41.

Rursus iam redis ad absurda tua *Contrarium*, ais, *euinci posse credo duobus argument.* I. *Si hoc verum esset sequeretur aliam nullam consolationem quàm hanc vnam esse aut dari posse. Deus enim vno tantum hoc modo nos prohibet à peccando, vti Camero vult.*

Sanè multis quidem *modis*, sed vna tamen tot modorum efficacia, *nos prohibet eus à peccando*; Dum nos videlicet vel stantes corroborat magis magisque, vel vacillantes sustentat & firmat, vel retinet ac retrahit ruentes, manu illa sua omnipotenti quam exerit vi quadam occulta, dum admirabili illa luce mentes nostras perfundit, vnde fit vt clarè cernamus hinc cœlum, inde inferos, hinc Christum Seruatorem stantem ad Dei dextram, & beatæ immortalitatis immarcessibilem coronam pretioso suo sanguine redemptum vltro porrigentem, inde Satanæ furorem: simul etiam vt *comprehendamus cum omnibus Sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, cognoscamusque præeminentem cognitionem dilectionis Christi.* De modis pij non sunt solliciti, de hac efficacia forent solliciti, nisi illis suauissima promissio metum illum & sollicitudinem adimeret *Noli timere pusille grex quia beneplacitum Patris mei e dare vobis regnum cœlorum.* Luc.12.32. *Fidelis est Deus à non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed dabit una cum tentatione exitum, vt possitis ferre.* 1.Corinth.10.13. *Vicistis eos, quia maior est ille qui in vobis, quam qui in mundo est.* 1.Ioh.4.4.

Secundo loco id absurdum ponis. *Consolatio diuina non posset, nec deberet, dari iis qui officium suum iam fecerunt, & à peccando sese sollicitè continuerunt saltem non cum isto respectu quod officium suum fecerint. Consolaretur enim Deus eos quos consolatus est eadem consolatione, id est prohibitione à peccando, quæ prohibitio tam habet locum in principio, quàm in medio & fine conuersionis. Atqui Scriptura dicit Deum consolari potissimum eos qui officium suum fecerunt aut faciunt, ratione habita scilicet ad fidem & pietatem ipsorum.*

Non satis assequor quid tibi velis, adeò perplexè loqueris: Noua enim subinde tentatio præteritam excipit: Itaque noua etiam subinde oritur pugna, de cuius exitu profectò desperarent pij nisi de nouo auxilio certi forent. Atqui hoc nullum aliud esse, potest, quàm id quod iam ante fuerant experti. Neque profectò vllum in hac vita tempus est quo etiam pij non ruerent in exitium, si Deus eos sibi permitteret, si quod cœpit in iis bonum opus ad exitum non perduceret. Nam in præteritum sanè qui officium fecere nil opus habent consolatione, euasere quippe periculum, in futurum opus habent. Itaque quemadmodum Israelitas sequebatur Petra continuò quocunque pergerent, sic pios in hac vita consolatio, & ea quidem non externa, quæ per se sola nullam vim habet, sed interna illa vnde oritur gaudium ineffabile.

Tertiò sic agis, *Consolatio hac diuina non posset coniuncta esse cum seria hortatione & monitione (directa ad eos quos Deus ita consolatur) vt ipsi officium suum sedulò faciant, vt salutem suam operentur in timore & tremore, vt vocationem & electionem suam firmam faciant, & similia. Hoc totum sanè prorsus vanum ac ridiculum foret, si consolatio eorum omnis in eo sita sit quod Deus ipse, & solus, voluntatem eorum ita incline vt non possint aliter agere aut inclinare voluntatem suam. Quis enim sapiens seriò hortabitur cum præmiorum promissis & pœnarum minis aliquem vt faciat hoc aut illud, qui ipse in eo efficere id vult quo posito fieri non potest vt is aliter agat? Et quis pius credat se à Deo seriò moneri ad officium faciendum, qui persuasus est Deum in se id efficere & debere & velle, seque ad id efficiendum, aut aliter agendum, quàm Deus operatur vires nullas habere? Vix in hominum vanissimum cadunt huiusmodi ineptiæ.*

Itane verò B. Paulus tibi homo vanissimus est? Eius dicta ineptiæ? Nam certè is 2. ad Timoth.2.25. *Seruum*, inquit, *Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos. Cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti,* SI QVANDO DET *eis* DEVS *vt resipiscentes agnoscant veritatem, & euigilent à Diaboli laqueo, à quo capti sunt, ad faciendam eius voluntatem.* Viden' vt vnus idemque & velit adhiberi hortationes, & agnoscat ita demum profuturas, *si Deus dederit resipiscere.* Et 1. ad Thess. 5.22. *Ab omni specie mali abstinete. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos: Et integer vester Spiritus, & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur.* Idem hortatur, & à Deo optat vt sit hortatio efficax & fructuosa: Id tibi ne est ineptire. Et 1.Corinth.1. quum vers.8. dixisset de Deo, *qui vos etiam confirmabit vsque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi, fidelis enim est Deus per quem vocati estis in communionem filij ipsius*, subdit continuò exhortationem. *Precor autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes*, &c. Te iudice

ridiculè quidem certè, cur enim scilicet ad ea Deus per seruos suos nos adhortetur quæ facit ipse in nobis? Item c.3.v.6. *Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus est qui dedit incrementum: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed DEVS qui dat INCREMENTVM.* An non agnoscis hæc esse coniuncta & bellissimè inter se conuenire? Mihi igitur hanc impones prouinciam vt Paulum tuear? Ille verò se sua tuetur authoritate, nec opus habet meo patrocinio. Sed tamen quando tu me eo cogis, respondebo (quod quiuis è plebe possit) consolationes diuinas administrari per Verbum comitante Spiritu, sed legant fideles, seu Pastorem audiant, seu repetant memoriâ quæ legerunt & audiuerunt. Neque Spiritus sine verbo operatur, nec potest quicquam sine Spiritu Verbum. Verbo hortationes, promissiones, minæ proponuntur; quod apud nos ea omnia vim habent, à Spiritu id est totum: Cur tu ista duo seiungis? *At* verò, inquis, *quis sapiens seriò hortabitur eum præmiorum promissis & pœnarum minis, aliquem ut faciat hoc aut illud, qui ipse in eo efficere id vult quo posito fieri non possit vt aliter agat.* Tuo igitur iudicio non sapit Deus si iubet idem & dat quod iubet. Hæccine pietas & religio & reuerentia Diuini numinis tua est? Nam Deus sanè vtrumque facit: Hortatur & hortationem reddit efficacem, promittit & promissionem reddit dulcem, minatur & minas reddit terrificas: Quid est hîc in quo tu sapientiam desideres? Quod qui hortatur hortationi addit efficaciam, qui promittit dulcedine ineffabili perfundit promissionem, qui minatur indit minis apud nos horrorem, id tibi desipere est? Sic arbitrari magna sapientia est? At nemo sapiens id facit; Credo equidem, nemo enim id potest præter Deum, effecturi omnes si possent. Quid? tu vllum patrem esse putas, qui si præceptis suis, hortationibus, promissionibus, minis, efficaciam posset adiungere ad filij animum permouendum, id non faceret, aut si id faceret, tu eum pronunciares insipientem? Ipse tu, si res esset arbitrij tui, efficere vt eam apud me vim haberet hæc tua dissertatio, vt me pertraheret in sententiam tuam, nolles id præstare? aut tibi viderere hoc pacto desipere ac insanire? Qui sic sentiunt profectò splendidè insaniunt. Sed vos eò fallitis, quod perindignam Christianis hominibus calumniam nobis impingitis deliramentum ridiculum sanè, sed & æquè impium: Deum perinde in nobis agere atque in creaturis brutis & inanimatis, atque, seu scripto, seu viua voce contra nos agatis, eô nomine nos traducitis. Atqui nostra sententia longè diuersa est: cum enim homo vel amore, vel odio, vel spe, vel metu incitetur ad agendum, vel ab agendo reuocetur, nec amare possit vel odisse, nec sperare vel metuere rem incognitam; hinc fit vt monendo, hortando, promittendo, interminando sit excitandus. Sed quoniam ea mentis, animique humani, cæcitas & prauitas est, vt monitis diuinis, hortationibus, promissionibus, interminationibus minimè commoueatur, adhibetur vis & efficacia Spiritus apud quos ei visum est *qui miseretur cuius vult*: Hæc porrò vis & efficacia illuminatio est mentis. Quid hîc est obsecro quod insipientiam arguat, ac non potius summam sapientiam cum summa coniunctam bonitate? Sed enim *quis* pius *credat se à Deo seriò moneri ad officium faciendum, qui persuasus est Deum in se id efficere & debere*, (apage hoc *& debere* de tuo additum) *& velle*; Immò verò, quis pius diuersum credat? Pij norunt Deum in se efficere, ἐνεργεῖν, & velle & perficere, sed monendo, hortando, promittendo, interminando: Itaque cum vident Deum adhibere ea quibus ἐνεργεῖ statuunt Deum seriò id velle. Quid? tun' existimas eos non esse pios qui, dum operam dant concionatori, tacitis animi votis Deum orant vt verbo suo efficaciam adiungat? Tu concionatorum preces, qui id à Deo obnixè petunt, impiorum preces contendas? at quid obsecro petunt pij concionatores, piique auditores? Nunquid vt Deus ipsos permittat sibi, vt communem nescio quam gratiam indulgeat, quam seu illi petiuerint, seu non petiuerint, norunt piis & impiis esse communem? Qui sic sentiunt iactent licet, homines ad insaniam vsque arrogantes, DESTRVCTVM FATVM, ASSERTAM PIETATEM, impij sunt, impij, inquam, & prophani. At verò *non credent pij se ad id efficiendum, aut aliter agendum quàm Deus operatur, vires vllas habere.* O incommodum graue & metuendum! Boni operis laudem sibi adimere, Deo tribuere: agnoscere te tibi nil debere, præter peccatum & mortem, nec quicquam posse nisi peccatorem esse & miserum, dempto quatenus & quantum subuenit Deus. Profectò oportet te, quisquis es, hominem esse parum cautum qui, non iam dico has ineptias, vt tu loqueris, sed hæc tam temeraria, & adeò à vera pietate abhorrentia, animi tui cogitata tam incogitanter protuleris. Quæ si ego tibi obiecissem non defuisset cui viderer in te contumeliosus & calumniator. Sed profectò ita est, homines estis plerique audacissimi. Ipsum dogma vestrum id probat, quod non aliunde quàm à superbia, & innata confidentia humani ingenij, originem ducit. Deus vobis oculos mentis aperiat, & emolliat cordis vestri duritiem.

Sed audiamus iam quæ ex tua sententia piorum consolatio sit. *Consolatio interim satis magna vobis relinquitur dum videlicet Deus voluntatem nostram, vel potius sua natura vestra liberos, & sæpè etiam procliues ad munia, non modò quantum in se est promissis suis erigit sed etiam in spe vitæ æternæ magis magisque confirmat dum nobis in tentationibus omnibus specialem fauorem & adsistentiam suam pollicetur, imò non rarò pacem iam largitur quæ omnem intellectum superat: si modò nos faciamus quod in nobis est, & non desimus vobis ipsis, uinoque auxilio nos ipsos non subtrahamus.* Consolatio hæc sufficit, aut sufficere nobis iure summo debet, contra inconstantiam voluntatis nostræ: *per eam enim constantem voluntatem retinere possumus, per eam nos ipsos mundum & Diabolum vincere possumus, imò plusquàm vincere.*

Bella v. erit hæc consolatio, quæ nos vel reddat anxios & desperabūdos, si nobis noti sumus (procliues scilicet in peccatum & in mortem, nisi Deus nos ope illa sua efficaci & salutari sustineat) vel securos & stupidos, si putamus in nostra situm potestate (cedat modo cōmunis illa Dei & generalis Gratia) nosmet vel immunes à lapsu præstare, vel lapsos & iacentes subleuare. Quo nescio quid arrogantius, aut stultius, cogitari vel dici possit. Nam mortem accersere nostrum est sanè, amoliri eam, vel amissam vitam reddere, id verò est vnius Dei. Neque tu id ausis negare si tibi

si tibi vel cor vllum est, vel vllus superest conscientiæ sensus. Quorum neutrum tibi arbitror deesse.

Sic denique concludis. *Quare qui consolationem hanc tam apertè, tam clarè expressam in Scripturis, vt solis radio scripta dici possit, frustraneam & ridiculam vocat, ille viderit quo iure id faciat.* Ego id parum abesse à conuitio in Deum crediderim.

Hanc verò consolationem quæ nulla est prorsus, tota Scriptura damnat, vt quæ docet Deum in agone suis adesse, atque ita quidem adesse vt eorum gemitus ipsius Spiritus gemitus appellentur, Rom. 8. 26. *Similiter autem & Spiritus vna sublevat infirmitates nostras, quid enim precemur vt oportet, non nouimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus.* Nec alia ratione perficitur illud Christi. *Ego vitam æternam ouibus meis do, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea Pater meus qui eas mihi dedit, maior omnibus est, neque potest quisquam eas rapere è manu Patris mei.* Ioh. 10. 28. 29. Item illud, cap. 17. 15. *Non rogo vt tollas eos è mundo, sed vt serues eos à malo.. Ex mundo non sunt, & ego non sum ex mundo. Sanctifica eos tua veritate, sermo tuus veritas est.* Et sanè piorum animos non subit dubitare de conditionis suæ & status felicitate, dummodò officium faciant, sed inter tot procellas tentationum, in hac carnis quam circumferunt imbecillitate, sæpenumerò ad exemplum Petri (tendentis quidem ad Dominum, sed per mare) contremiscunt & mergi incipiunt, nec alia ratione confirmantur quam earum dulcedine consolationum, quibus non modo illis facientibus officium promittit Deus auxilium, verùm etiam illud, futurum vt officium faciant (qua de re illi maximè solliciti sunt) certò spondet. Nam quorsum alio pertinet illud, *Et ego faciam vt ambulent in statutis meis.* Ezech. 36. vers. 26. 27. Caue igitur ne tu conuitium in Deum dixeris; Ego enim cum nihil Deo tribuam quàm quod sibi vindicat, & vero tribui poscit, non vereor ne me ex animo censeas in Deum conuitium dixisse, nisi fortè is sis qui putes Deum in seipsum conuitium dixisse. A quo ego quidem te credo toto animo abhorrere.

CAP. XXII.

Vindicatur ea ratio qua Camero demonstrarat voluntatis ἀδιαφορία tolli hortationum vsum.

QVintum, vt ais, *argumentum meum est. Nullus erit exhortationum vsus, ratio est, quia cum voluntas ipsa se determinet, quid faciet exhortatio, quæ voluntatem non potest ab æquilibrio dimouere.*

Breuiter initio quidem hoc argumentum sic proposueram Collat. pag. 632. col. 1. Nam Cl. Tilen. maturabat iustâ haud dubiè de caussâ, coactus (vt profitebatur, & quidem subscribens) redire Lutetiam, attamen cùm is Lutetiâ respondisset, ad ea quæ statim subieci contrà nihil quidem ille respondit, neque enim potuit, cùm ego nimirum illius omnia confutassem, id quod hic tu egregiè dissimulas. Quid igitur ais, *Resp. Argumentum hoc falsa ista hypothesi laborat quam iam ante indicaui, voluntatem enim considerat tanquam substantiam quandam peculiarem in anima, sed ab anima & à mente distinctam, quæ seipsam determinat cæco motu suo, quia rationis capax non est; cùm non tam ipsa voluntas quàm homo, aut anima hominis iudicio informata, mediante voluntate, id est facultate sua volendi, se determinet. Hinc enim consequitur quod eadem anima quæ hortationes recipit per facultatem intellectricem, per easdem hortationes moueri possit vt determinare se velit ad id ad quod hortationes tendunt.*

Miror te virum doctum hæc tam sæpè repetere quæ non modò ego agnosco, sed professus sum; Neque vero tu hanc esse meam sententiam nescire potuisti, legeris modo, quod ais, Collationem in qua ego falsam illam hypothesim, quam tu vocas, disertis verbis damno. Nec quid faciant ista ad rem possum vlla assequi coniectura. Certè etsi eadem anima & iudicat quid facto opus sit, & appetit id ipsum, non continuò sic efficitur, vt appetitus ille à iudicio non pendeat tanquam à caussa impellente; neque verò vt homo id faciat vlla alia animæ facultate quàm voluntate. Itaque eòdem res recidit, seu hominem, dicas seu voluntatem appetere, quemadmodum seu tu dicas mentem *percipere*, seu hominem mentis beneficio. Hæc enim non aliter (vt sæpe iam monui) quàm vt principium QVOD & principium QVO inter se distinguuntur. Vnde sequitur necessariò hominem mente impelli ad volendum, cùm voluntas (vt sæpè iam diximus) sit appetitus rationalis: Id quod tu ipse videris agnouisse, fateris enim animam moueri posse per hortationes *quas per facultatem intellectricem recipit.* Ergo, inquam, anima apta nata est moueri ad appetendum ab intellectu, proindeque à seipsa quidem, at non iuxta vnam eandemque facultatem. Non enim à seipsa, quatenus appetit, & quatenus voluntate prædita est, mouetur ad appetendum aut volendum, sed à seipsa quatenus intelligit & mente prædita est, contra quàm vos statuitis, qui vultis facultatem volendi esse independentem; proindeque omnem hortationum vsum tollitis, quæ, nisi intellectus voluntatem afficiat, ne ipsæ quidem affecerint voluntatem, non enim, te ipso fatente, ad voluntatem pertinent nisi intellectus, per quem scilicet, (vt tuis vtar verbis) recipiuntur, operâ. Quod si (vt tu vltrò concedis) *anima hominis iudicio informata mediante voluntate, id est facultate sua volendi, se determinet,* profectò à iudicio voluntas pendet, non enim volet quidquam anima hoc pacto *nisi iudicio informata*, proindeque quicquid volet, iudicio volet; Vnde sequitur, volendi facultatem iudicandi facultati esse subiectam. Nam quod ais, *animam hortationibus moueri posse vt determinare se velit ad id ad quod hortationes tendunt*, quid aliud, quæso, id est quàm moueri posse animam vt velit velle id ad quod hortationes tendunt. Quod sanè perabsurdum videtur, nisi fortè id libet imaginari diuersos actus voluntatis, quorum alter nimirum sit determinans, alter determinatus, atque ita sanè assecutus fuero quod volo, nam actus quidem determinatus pendebit à priore actu determinante, prior autem hic actus ab intellectu practico seu iudicio. Ita eodem reuoluemur. Si enim negaris actum determinantem esse à iudicio, quæram vnde sit, non respondebis credo eum esse à semetipso, neq; vero item à facultate vt à caussa adæquata, vt loquuntur, facultas enim volendi quatenus facultas est, in vtramuis partem potest tendere,

neque enim petit seu volendi actum seu nolendi exerceat, quin semper manet voluntas bona quidem, si benè velit & nolit, mala si malè; sed tamen in vtrolibet statu voluntas est.

Tu porrò sic progrederis. *Hinc liquet quod exhortatio vsum luculentum habere possit in anima hominis, propterea quod anima quando per intellectricem vim suam exhortationem percipit, apta redditur vt per potentiam volendi se moueat atq; inclinet in partem illam pro qua rationes militant, ita tamen vt pro libertate sibi innata possit nolle moueri, aut in alteram partem moueri, siue bruto aut stulto, siue tyrannico motu ferri quo vult, nulla habita rationũ istarum quas percepit consideratione.*

Hic iam non illud dicam, sic effici vt ante statum gratiæ possit sese homo auertere à malo quod suasit intellectus, amplecti bonum, quod dissuasit, vt gratiæ iam non modò nulla sit necessitas, sed nullus etiam vsus. Nam error mentis qui non ipsam afficit voluntatem, sane vel te iudice peccatum non est. Tantum verò iam quæro, quî fiat vt anima hominis per hortationes apta reddatur vt se moueat atque inclinet *in partem illam pro qua rationes militant*, id ne eueniat efficientiâ quadam, seu vi & pondere rationum? Si ita se res habet, res confecta est, ratione & iudicio mouentur homines ad volendum, & quidem efficienter; vnde locutiones illæ, *Adductus, permotus, impulsus, pertractus*, puta hac vel illa caussa, his aut illis rationibus; An verò id accidisse putandum est, quod anima hortatione, tanquam oblatâ occasione, sese ipsa promouet (vt tu loqui amas) ad volendum. Si ita se res habet, tantundem effecerit dehortatio, quantum hortatio, & vice versâ. Nam sæpenumerò dehortatione tanquam per occasionem mouemur vt aliorsum propendeamus, quia iudicio dissentimus à dehortante; neque verò tamen absque eo fuisset, habuisset anima de quo statueret. Sæpè etiam accidit, vt ignari antea veritatis, atque ab ea alieni, summo animi studio tantoque ardore eam amplexi sint, vt pro ea nõ dubitarint vitam profundere & amittere car[illegible]ssima, quam tamen non aliũde primulum didicerunt quàm ex argumentorum vanitate & leuitate quæ contra veritatem afferebantur, ne eam amare & sectari vellent. Ex quo etiam efficitur nos non aliunde impelli ad volendum quàm à specie boni intellectui impressa, adeò verum est dogma id quod tu vis videri meum esse, de sequela voluntatis præeunte iudicio, vel (libet enim vti verbis Præceptoris tui) *de ingenita & natiua analogia intellectus & voluntatis*. Nam quod ais, *Ita hominem moueri mente & iudicio vt pro libertate sibi innata possit moueri, aut in alteram partem moueri siue bruto, aut stulto, siue tyrannico motu*, vide quàm inconsideratè tibi exciderit, Brutus enim, stultus, & tyrannicus motus insipientis idem motus est. Quid enim, tu-ne existimaueris eos sapere, aut mentis esse compotes, qui bruto aut stulto animi motu feruntur? aut iis inesse bonam mentem quorum animi motus tyrannici sunt? Nam quæ maior stultitia, vel insania potius, fingi potest, quàm te vltrò ire perditum? Hîc verò iam à te quæro, vtro putes genere motus impulsum Adamum ad peccandum, num bruto illo & stulto? Ergo, inquam, ab errore ortum est Adami peccatum. An vero tyrannico illo? Atqui sic efficietur vt Adamus se sciens perdiderit, quod falsum esse Scriptura euincit (vt suprà demonstrauimus) Et, si verum foret, nullo potius argumento redargui possit illius furor & amentia. Itaque quando tu fateris ipse disertis verbis animum à recta ratione non dissentire nisi quum fertur motu bruto vel tyrannico, nullus autem brutus aut tyrannicus motus cadit in sapientem, aio, restitutâ verâ sapientiâ, & luce mentis indultâ (quod fit in conuersione) fieri non posse vt quis bruto, stulto, aut tyrannico motu moueatur; qui enim sic mouentur, in tenebris sunt, nesciunt quò vadant, vt loquitur Apostolus. Nam ego quidem certè non nego, imo vero contra affirmo, homines non semper sequi quod mens honestum esse suadet, quos ego idem omnium stultissimos & miserrimos prædico, ea enim faciunt quæ grauiùs nocitura sint, quàm si quid honestum, quid turpe, sit nescissent, id quod illi omnium minimè voluerunt, studuerunt enim credo & voluerunt sibi benè. Grauem igitur errorem errasse existimandi sunt, quandoquidem eò tandem deueniunt à quo toto animo fuerant alieni. Deinde, non est obscurum quantopere circa finem, mediaque quæ ad finem tendunt, bruti isti & stulti tyranni errarint, nam finem certè verum non appetunt, atqui in confesso est eum agnitum non posse non appeti; Non igitur eum agnouerunt. Iam verò sanè fine ignoto circa media eos errare necesse est, sunt autem hi in vita nocentissimi errores. Sed de hac re alibi fusius à nobis disputatum est.

Armin. orat. de Auth. & fine Theol. pag. 76.

At nisi tibi concedam quod tu postulas, re[illegible]quebis, vt ais, contra me argumentum meum, & eadem me difficultate premes. *Si voluntas necessariò sequitur iudicium intellectus nullus exhortationum vsus relinquitur. Ratio est, exhortatio enim nec ad intellectum, nec ad voluntatem, fieri aut dirigi potest. Frustra enim horteris intellectum vt intelligat quod proponitur, non potest enim non intelligere verum clarè propositum. Consilij & persuasionis, vel rationis solius, est capax intellectus, at hortationis qua talis nullo modo capax esse potest. Nec ad voluntatem dirigi vlla ratione potest, quia voluntas, posito iudicio in intellectu necessariò determinata est, ad sequendum iudicium, vt hortatione opus sit.*

Ais igitur hortatione intellectum non moueri, quia intellectus non potest non intelligere verum clarè propositum. Quorsum igitur attinet aliquem hortari vt intelligat? Te iam hoc certò non minus quàm me vrget: Neque enim potes negare sæpenumerò, tum in Scriptura, tum etiam in vita communi, excitari homines ad rei considerationem præceptis & hortationibus. Cæterum consideratio est mentis actus. Quod si verò iam requiras quem habeat vsum hortatio ad rei considerationem, si res ita clarè proponitur vt facilè percipi possit, in promptu est responsio. In hac vita vel nunquam vel raro admodum contingit vt veri cognoscendi tanto studio rapiamur, nil vt opus sit nos excitari ad animum aduertendum, & eæ mentis nostræ tenebræ sunt, vt nisi attentè rem spectemus, cerni à nobis ea vix possit. Hortationibus igitur reddimur attenti & dociles, sic enim fit vt statuamus rem agi magnam, vtpote ad cuius considerationem tantopere excitamur. Sic conciliatur authoritas beneuolentiaque erga docentem suadentemque, attentioque ob rei magnitudinem, quæ si non adsint præ-

sint præiudiciis auocatur animus & auertitur, vnde fit vt quia non attendit, nec cernat etiam veritatem; Dicentis igitur authoritas & gratia, reique de qua agitur magnitudinis significatio pertinent ad claram & accommodatam veri propositionem. Quod si tu claram veri propositionem eam vocas, quæ in se clara quidem est, attamen mentis nostræ tenebras non depellit, de ea iam hic non agitur. Nam mihi clarè verum tum demum proponi dicitur in hac disputatione, quum ita proponitur vt percipiatur. At verò, *An ad voluntatem etiam pertinet hortatio?* Omnino, sed *mentis interuentu.* Nam cum ea nonnisi à mente apta nata sit moueri, qui eam mouere volet, eum necesse est prius mentem commouere. Quod si verò aliquando accidat vt sincera cognoscendæ veritatis cupiditate ardeamus, omnino tibi concedo haud tum valde opus esse hortationibus, quamquam

Acer, & ad palma per se cursurus honores,
Si tamen horterîs, fortius ibit equus.

Et secundò, ais, *Si hortatio per rationes fieri dicatur, quomodo iis mouebitur voluntas, iuxta Cameronem? Voluntas enim non indicat, voluntas non est capax rationum vllarum, alioquin enim voluntas idem esset quod intellectus. Quid hic respondebit Camero? Necesse est vt argumento hoc seipsum non minus stringi fateatur quàm alios stringere tentat, & interim isti intricatus maneat, nisi ea, quam nos indicauimus, via se expediat.*

Quasi verò tu nobis indicaueris hanc viam. Non sumus Dei beneficio adeò mentis inopes vt ignoremus hominem esse eundem qui & percipit, & velit, sed mente tamen alterum facit, alterum voluntate. Itaque, vt iam dixi, si quis voluntatem velit flectere, eum necesse est mentem prius aggredi. Certè *volendo* non mouetur primo quisquam ad volendum, sed *iudicando*, seu benè seu malè, ad benè maléve volendum. Cæterùm voluntate non iudicamus, sed mente. Itaque in mentem (tanquam in arcem machina) intentur omnis hortatio, eâ veluti acropoli capta capitur continuò voluntas.

Cap. XXIII.

Vindicatur illa ratio qua Camero ostenderat, tolli precum vsum si sic Deus agat in suis vt eos sibi permittat.

Et *hac est ratio,* inquis, *qua facilè soluuntur cætera omnia argumenta Cameronis de gloriatione, de precibus, de gratia &c. quæ acumen potius aliquod vanum & triuiale quàm solidam veritatis scientiam habere mihi videntur, quale est exempli gratia, quod de Precibus dicit: Tolletur, inquit, vsus precum earum quibus Deum oramus vt flectat voluntatem nostram, neu nos patiatur induci in tentationem, cùm Deus illuminet tantum mentem, & affectus leuiter moueat, voluntati præcipuas partes relinquat. Totum enim hoc, & pleraq; alia, nituntur hoc vno fundamento quod iam indicaui, quod videlicet voluntas concipiatur veluti cæca & bruta quadam substantia, quæ nullo iudicio, nulla ratione, sese flectit in quam vult partem. Hinc enim colligit, frustra omnia fieri in anima nostra, quamdiu potentia ista indeterminata relinquitur, & in partem meliorem non inclinatur. Sed errat, vt iam ante monuimus, aut sophisticè potius veritatem inuoluit Camero, aliter facturus, si ex æquo & bono axioma illud de potentia voluntatis libera interpretatus esset, aut saltem axioma illud, si ita præcisè sumatur, reijciendum potius esse quàm veritati apertæ offucias faciendas esse, considerasset.*

O te hominem acuti & exprompti ingenij, qui refellis ita Aduersarium vt dicas tantum te id facere, cùm ne id conêre quidem. Nam rogo te, quæ hæc ratio est, homo vnus idem & percipit mente quod boni speciem habet, & voluntate appetit, Ergo Camero non ostendit ex eo quod Gratia voluntatem duntaxat constituit in æquilibrio (quæ sententia vestra est) sequi esse de quo homo glorietur, qui se porrò promouerit ad volendum. Item, Homo vnus idemque percipit mente & voluntate appetit, Ergo Camero non ostendit ex eo quod statuitur voluntatem non sequi necessariò mentis ductum, gratia quæ mentem illustret non esse opus. Item, Homo vnus idemque percipit mente & voluntate appetit. Ergo Camero non ostendit ex eo quod statuitur voluntatem à Deo non flecti, neque aliunde quàm à semetipsa determinari, sequi id necessariò, vt earum precum nullus sit vsus quibus Deum oramus vt flectat voluntatem nostram, neu nos patiatur induci in tentationem. Non tibi admirabiles hæ consequentiæ videntur: Verumtamen tu fortasse nobis ostendes quis sit earum precum vsus. Sic enim ais.

Si enim eo quod dixi modo intelligatur, quomodo quæso vsus precum tollitur? Pone enim voluntatem liberam, siue indifferentem, esse ac manere in omni statu, id est, animam hominis in quocunq; statu hic sit, posse sese inclinare semper in contrariam partem quàm iudicium aut Deus monstrat, imò posse nolle animum aduertere, aut iudicium, ad Dei inspirationem, sed tamen & posse aduertere, & si aduertere velit, magnas caussas inde accipere vt in optimam partem sese inclinet, aut postquam sese inclinauit in optimam partem, imò in ea aliquandiu stetit, in eadem perseueret contra pericula tentationum occasionum, irritamentorum, exemplorum, &c. Quid? annon hoc fundamento strato magnus precum vsus est?

Earum certè nullus est quibus Deum rogamus vt voluntatis nostræ inconstantiam sistat, nosque ita suo Spiritu corroboret, sustentetque stantes, vt ne labamur, lapsosque ita erigat vt ne lapsi iaceamus. Ne tibi quidem hîc potuisti satisfacere. Sic enim ais.

At, inquies, quomodo flectet Deus voluntatem, si voluntas ipsa libera semper manet? Debuisti dixisse *si voluntatis flexio illa ipsius voluntatis opus est.* Nam ego certè nunquam existimo voluntatem magis esse liberam, quam quum Deus eam roborat & firmat, incendit atque inflammat tam vehementi, tamque ardenti Christi amore vt cor ipsum colliquescere videatur. Quî tu iam id dissoluis? Si flexio voluntatis actiuè sumpta ipsius voluntatis opus est, si Deus, vt vos existimatis, voluntati scilicet (quæ natura sua ita comparata est vt sese ipsa flectat in vtramuis partem) vim adferat, eam non flectit, non determinat, quorsum attinet Deum id orare? Imò, annon impium est Deum id rogare quod certo scimus Deum nolle facere, minimeque consentaneum esse, aut decere, vt faciat.

Respondes, *Iis modis qui cum libertate voluntatis consistere possunt.* Hoc est, Respondes nos rogare Deum vt ita flectat cor nostrum vt tamen cor nostrum aliorsum possit sese flectere; vt ita nos

non inducat in tentationem, vt tamen nos in tentationem induci queamus; vt ita nos præstet cautos & tutos à Satanæ insidiis, vt in eas deuenire & perire queamus. Nam vos præter hanc nullam agnoscitis voluntatis libertatem. Miseret me, miseret (ingenuè dico) miseret me tui. Torques te mirum in modum, adeo æstuas, & tibi ipse subinde aliquid semper obiectas, neque potes spiculum altè impactum euellere. Prodis hic profectò, prodis fluctuantem & titubantem conscientiam.

Sic enim facis interrogantem Amicum tuum, *Quid si homo nolit animum aduertere?* Tu vero respondes. *Imo idcirco quia precatur homo Deum vt flectere velit voluntatem ipsius, ostendit ac profitetur se paratum iam esse ad animum aduertendum ad consilia & suasiones Diuinas.*

At profectò neque hac interrogatione, neque responsione tua opus est. Aliter es interrogandus. Quid si metuat sibi in futurum ab incuria & negligentia sua? Quid si sibi timeat ab infirmitate carnis? Deum-ne orabit vt velit mentem suam, animumque suum ita regere ac tueri vt sit in carnis, in mundi, & in Satanæ potestate euertere miserum ac pessum dare? Placentne tibi hæ Preces? Si non placent, orandus erit à nobis Deus vt mentem, animumque nostrum, ita regat ac tueatur vt ne sit in carnis, in mundi, in Satanæ potestate miseros euertere ac pessum dare, hoc enim est, *Non inducere in tentationem.* Sic tibi placet orare Deum? At si Deus nunquam ita flectit humanam voluntatem vt illa sese non possit in diuersum inclinare, quæ tua sententia est, omnino non potest tibi placere vt Deus ad hunc modum sit orandus.

Iterum te inquietas. Sic enim ais. *Atqui*, inquies, *potest semper aliter agere. Resp. Imò verò quia aliter potest semper agere, idcirco orat Deum vt habeat per quod retineatur in officio, ne potentiam illam liberam, quam semper habet in se, in actum velit producere, vtque ita inclinata manere possit in partem optimam quam elegit.*

Neque tu sic eras interrogandus, nec tuæ cōuenit caussæ vt sic respondeas. Nam ego tibi libens concessero, posse nos semper aliter agere, alioqui quorsum attineret Deum orare? Sed quum Deus adest, quum supponit manum, nego nos labi posse. Sic igitur eras interrogandus. An etiam sustentante Deo potest homo labi? Si non potest, voluntatem Deus necessariò determinarit. Si potest, quæro, An vnquam id eueniat? Si euenit, nullus est earum precum vsus quibus Deum rogamus vt ita nos contineat in officio vt ne ei desimus; quando quod facit in nobis Deus non est eiusmodi vt id possit certò præstare. Si nunquam id euenit, necessariam habet caussam; nam quod nunquam, & quod semper fit, necessarium est, omnis enim constantia certam habet caussam & rationem.

Tuæ verò caussæ aduersissima sanè est responsio tua. Nam respondes *hominem idcirco orare Deum vt habeat per quod retineatur in officio.* At hoc quid aliud est quam Deum orare vt voluntas determinetur? Deinde, quid illud tandem est, *quo homo contineatur in officio?* Spiritus procul dubio Christi. At quî efficiet id Spiritus? Haud dubiè hinc summo bono mediisque ad id consequendum necessariis, inde summo malo quæque ad id ducunt, tam clarè propositis, vt agnitum summum bonum, agnita media nequeamus non amare, nequeamus non persequi: agnitum summum malum, agnita quæ ad id ducunt nequeamus non refugere atque auersari.

Neque tamen nego, ais, fieri etiam posse vt Deus immediatè flectat voluntatem hominum piorum & ex fide implorantium auxilium ipsius, non quidem per vim, sic enim cogeret voluntatem, quod est impossibile neque per irresistibilem aliquam potentiam, sic enim voluntas libera non esset, ac proinde voluntas esse desineret, sed per inclinationem naturæ voluntatis conuenientem, non quatenus principium electionis est, sed quatenus natura est: Hoc n. facere potest Deus sine læsione naturæ creatæ, & in bonum hominis, qui videlicet officium suum fecit, & diuino singulari auxilio opus habet. Quare nihil obstat quominus orari possit à nobis suppliciter Deus, vt etiam hoc auxilio iuuare nos velit. Sed quid ego in re plana diutius moror?

Quantum tibi facessiuit negotij hoc argumentum ab vsu precum deductum? Omnino, quicquid contradicas, non potest acquiescere animus tuus. Trepidas, discurris, nusquam consistis. Nam quid aliud iam egisti quàm vt idem affirmares & negares. Sic enim ais, Deus immediatè flectit voluntatem, voluntas tamen potest se aliter flectere etiam tum quum Deus eam flectit. Hæc est illa res adeò plana vt tu te ipsum obiurgaris quod tu in ea fueris diutius immoratus? Obiurgandus certè quod tu quid effutias nil habeas pensi expensor sententiarum.

Quid enim, Tun' ais *Voluntatem à Deo moueri quatenus natura est*, qui negas idem, & quidem hoc eodem loco, adeo tibi constas, voluntatem à Deo irresistibiliter moueri? Certè si quatenus natura mouetur, mouetur irresistibiliter, etiam ex vestra sententia, qui voluntatem, quatenus natura est, finem appetere necessariò doceris, Mouetur igitur ad appetendum finem necessariò. Deinde, quum petimus à Deo auxilium, non id modò petimus vt ei constanter adhæreſcamus, sed vt ea etiam sectemur quæ ad id conducunt eaque adhibeamus & iis vtamur. Cùm igitur voluntas (vobis authoribus & sophistis) non versetur quatenus natura, circa media, sed circa finem, fieri non potest vt afficiatur quatenus natura erga media. Cæterum, Voluntas quatenus voluntas versatur circa finem, finis enim est κατ' αὐτὸ βουλητὸς, vt ita dicam, per se volibilis, & expetendus, in media fertur per accidens. Itaque non tam propriè versatur circa media quàm circa finem. Sed Sophistas id fefellit quod existimarunt (pudendo sane errore) vbi non est ἀδιαφορία voluntati nullum locum superesse. Iam erga media (pari supinitate iudicij) censuerunt voluntatem affici ἀδιαφόρως, eo quod deliberamus sæpe de mediis. Atqui inter deliberandum suspenditur voluntas, quippe mente adhuc suspensâ & dubiâ, peractâ verò deliberatione non suspenditur, postquàm iam scilicet mens decreuit & constituit quid facto foret opus, sed acquiescit fixa & immota.

At verò, *Quotiescunque, hoc & similia argumenta à Camerone vrgeri video, totus obstupesco penè.*

Ego verò te intelligere malim quàm obstupescere. Ipse certè quum te sic audio disputantem non obstupesco, sed doleo, &, ex animo dico, maxima me tui incessit miseratio, & Christum

rogo

rogo vt mentis tuæ oculos aperiat, & stupentem illum animum tuum reddat intelligentem.

Sed videamus quid illud sit quod sic te dederit in stuporem: *Nulla enim*, inquis, *sunt quæ tam directè cum ipsius Cameronis sententia pugnant; Obsecro quis vsus precum esse potest si Deus ita semper flectere necesse habet voluntatem nostram vti Camero vult? Is enim qui precatur vt Deus flectat voluntatem ipsius, aut voluntatem iam ita flexam habet, aut non. Si non habet voluntatem ita inflexam, necesse est vt dicatur pro re tam diuina precari sine tali flectione voluntatis. At hoc non concedet Camero, qui precari pro tali flectione à flectione diuina proficisci debere sine dubio credit, quia actus iste precationis, imprimis si ex fide fiat, sine flectione tali esse non potest, imò quia nullus actus voluntatis esse potest sine eiusmodi præcedanea flectione. Si habet voluntatem iam flexam, quid, quæso, precatur? An vt Deus eum in illa conseruet? Atqui cognitio illa efficax summi boni per quam Deus inflexit voluntatem ipsius, fecit vt non possit non perseuerare, imò vt persuasus sit de eo quod Deus ipsum conseruare velit, neque vnquam permissurus sit, imò permittere non possit, vt ea totaliter aut finaliter excidat. An rogat pro augmento? At augmentum nullum possibile est. Quomodo enim voluntas alicuius flecti ampliuspossit quàm si ita flectatur vt non possit non adhærescere summo bono?*

Istud verò planè *obstupuisse* est. Quid enim? An non & vos petitis, *fati destructores, assertores pietatis*, vt mentem vestram illuminet Deus quam tamen mentem fatemini *irresistibiliter*. i. necessariò *illuminari*. Adeone te destituit acumen tuum, vt non videris cognitionem istam quæ necessariò flectit voluntatem non esse in actu nisi Deus lucem hanc Spiritus sui in nostris mentibus accendat. Itaque orandum esse Deum vt nobis subinde affulgeat & alluceat, nosque deducat ita in via, vt ne sinat *in posterum* aberrare. Non animaduertisti petendum esse à Deo vt incrementum huius lucis indulgeat, fidemque adeò nostram augeat? eoque pactò voluntatem nostram inconstantem, pronam in malum, auersam in se à bono, reuocet & contineat, inflammetque veræ pietatis studio. Nam statuere *Deum necesse habere* sic nobiscum agere, id verò à te mihi est affictum: Nobis quidem miseris peccatoribus tanta gratia summè necessaria est: At eam certè Deus confert gratuitò nulla, quod ad ipsum quidem attinet, necessitate, sed quia ei pro mera bonitate & misericordia ita libet.

NB.

Atqui, *necessarium*, inquis, *consistit in indiuisibili, nec recipit magis aut minus. Necesse enim est quod nec esse aliter potest. Certè cuius menti Deus lucem istam flectentem seu persuasiuam indidit, is stultè petit à Deo vt flectat voluntatem ipsius. Posita enim ista luce non potest non flecti voluntas. Quorsum itaque precari Deum vt eam flectat? Ineptiora hæc sunt quam vt serium Theologum deceant.*

Hæc tua profectò ineptiora sunt quàm vt ea protulisse te deceat, qui de ingenij acumine tantopere tibi places. Nam etsi *necessitas* flexionis sit in indiuisibili, at ipsa *flexio* tamen non est in indiuisibili. Res clara est, minimeque obscura. ex. gr. Intellectum vos dicitis, & quidem verè illuminante Deo necessario illuminari. Neque tamen credo negatis illuminationem intellectus recipere magis & minus, & quasi certos habere gradus. Atqui par hîc ratio est: Flectitur necessario voluntas, neque tamen consequens est vt non interdum segnius, interdum vehementius flectatur. Sed tu adeo eras perturbatus vt duo diffissima *rem* cum *necessitate rei* confuderis. Profectò sequitur necessario cognitionis nostræ modus, siue mensura, modum, siue mensuram diuinæ illuminationis; neque vero ita fit tamen vt par semper sit notitiæ modus; nempe non est semper æqualis illuminatio; tantum ita fit vt cognitionis modus sequatur necessario, ac veluti pro rata, illuminationis modum. Atqui hic itidem omnino pariter se res habet. Sequitur modum veræ cognitionis Dei & Christi modus amoris Dei & Christi; nec ita fit par semper amoris Dei & Christi modus, tantum ita fit vt sit par modo cognitionis; maxima scilicet cognitiò maximum, minor minorem, minima minimum, amorem necessario conciliat.

CAP. XXVI.

Respondetur ad Epistolæ Epilogum.

SIc tandem Epistolam concludis, *Plura impræsentiarum non addo, quia credo rem satis liquere. Quod si secus tibi videtur, aut si quid superesse credis quod excusando Cameroni, aut sententiæ eius persuadendæ, facere possit, fac quæso vt id quam primum intelligam. Interim per salutem tuam, & per si quid vnquam tibi carum fuit te obtestor, vt ab huiusmodi periculosis & noxiis opinionibus sedulò tibi caueas, vt salutem tuam in timore & tremore operari non desinas. Magnum ad religiosam sollicitudinem de officio & salute nostra incitamentum est, credere per nos stare posse quominus saluemur. Et contra, ingens ad securitatem aut desperationem stimulus est, credere per nos stare non posse quominus saluemur, aut per Deum stare quominus saluari possimus. Vtrumque præcipitium hoc si sedulò vitaueris non parum in via veritatis & pietatis profecisse intelliges. Vale.*

Quam vellem addidisses plura! Nam tu ne multesimam quidem partem meorum argumentorum in medium protulisti, & ea quæ protulisti, nuda protulisti & veluti exarmata. Ea primùm fateor Cl. Tileno Lutetiam redituríenti, ne essem in mora, sic breuiter erant à me proposita, Sed cùm is ad ea Lutetiâ responsionem suam Salmurium misisset, ergo vero vicissim responderem, ea communiui iis rationibus quas Clar. Tilen. tuque adeò dissimulasti. Id vero facilè quiuis intelligat lecta Collectione & Clar. Tileni Paralipomenis, si continuo legerit Epistolam tuam.

Quod vero amicum tuum rogas, *vt si quid superesse credat quod excusando Cameroni, aut sententiæ eius persuadendæ facere possit, faciat te quam primum certiorem*, Ego eum (vt vides) hoc labore subleuaui, & quidem nulla interposita mora, vt tu quá primùm (quod petis) intelligeres quæ sit aduersus accusationem tuam defensio mea. Facis verò temerè qui adeo sanctè amicū obtestaris, vt sibi caueat à mea sententia, quasi ea homines vel securos reddat vel desperabūdos. Nam amabo te, qui docet in sola Dei ope sitam esse omnē salutis nostræ spem, nos, si nobis permittamur, haud dubiè perituros; Quid aliud docet quā vt dies noctesque Dei opem imploremus, in Deo spem omnem reponamus? Hæc tibi securitas videtur? Qui docet opem hanc Dei in eo sitam esse vt nos cautos velit reddere, & sollicitos, etsi non anxios,

proindeque neminem, qui non sibi caueat à Satanæ insidiis, hanc Dei opem sensisse, is tibi securitatem videtur commendare? Qui docet nemini deesse Deum qui ad Deum, modò per Christum miseriæ suæ conscius, suspiret, & gemat; Deumq; omnes vocare etiam reluctantes, quanto vehementius eos qui sensu calamitatis suæ victi exclamant, *Me miserum quis me eripiet ex hoc corpore mortis*, is ea docet quæ ducunt ad desperationem? Atqui ego is sum. Te ipsum hic appello testem, te Iudicem. Tu verò si potes, & si non est molestum, non debet autem tibi id molestum videri, fac quam primùm ego intelligam quî pote vt tu non doceas homines esse superbos, esse securos, & ea quidem securitate quam (nisi obstupuerunt & occalluerunt) necesse est exire tandem in certissimam desperationem. Tu, inquam, qui doces ab homine pendere vt stet, non Deum aliter suorum quàm hostium corda flectere, qui nullam agnoscis gratiam iis qui sese verè Christo tradiderunt peculiarem, præter eam quæ mercedis & præmij rationem habet; Qui doces voluntatem sese ipsam flectere in meliorem partem, ac impeditam quidem eam esse ante gratiam, at non esse corruptam & deprauatam. Quomodo, inquam, vnâ eâdemque operâ non doceas homines superbire, & indulgere peccato, & illud tacitè apud se vsurpare, αὔριον τὰ σπουδαῖα, Sistent enim gradum scilicet, seque à peccando reuocabunt quando libebit. Postquàm vero homines sensere experientiâ ipsâ non esse humanarum virium rem tantam præstare, tuque eos ita institueris atque informaueris, vt pro certo habeant Deum neminem ita afficere, nec sanè velle afficere, vt quod suis non potest, id illius viribus instructus non modò queat præstare, sed etiam præstet, vt qui scilicet si id faceret, voluntatem humanam, atque eius libertatem penitus aboleret; quæ tua sententia est: Fac, inquam, intelligam quî non docueris hoc pacto homines desperare. Ego quidem certè secundum Apostolum & homines hortor, *vt salutem suam cum timore & tremore operentur*, & doceo *Deum esse qui in nobis* ἐνεργεῖ τὸ *Velle & Perficere* ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, *pro bene placito*. Nec puto ista inter se pugnare, quod tu facis. Nempe humilitas, quam Apostolus tremoris & timoris nomine designat, & pia quæ eam sequitur, quamuis non anxia, sollicitudo non aliunde oritur quàm ex ista cogitatione, quod *& velle & perficere non nos, sed Deus in nobis facit.* Hæc per salutis tuæ studium & curam te obtestor, atque obsecro, vt seriò tecum reputes. Idem Deum supplex per Dominum Iesum rogo, vt quod ego te extrinsecus moneo, suadeoque (quod vnum possum) is intrinsecus tibi persuadeat. Et quod ego tui, crede mihi, studio summo, & amore singulari, seu plantaui, seu rigaui, ei velit is (qui vnus id potest) incrementum dare.

Vale.

NE VACENT HÆ PAGINÆ PLAcuit hîc adscribi versus quos de argumento huius dissertationis ineunte adolescentia feci. Ii sic habent.

ANIMAM ALLOQVITVR.

EHEV misella patriâ procul tuâ
Inops, egena languida
Semper iacebis? Nec subacta tot malis
Duri pigebit te exilî?
Ah nata cœlo sordibus adeon' soli
Gaudebis? vt originis
Oblita malis illa consectarier,
Quæ te tenebris obrutam
(Tenebris perosam & almo amicam lumini)
Mergant profundo gurgite.
Sublime quin tu fixa terræ lumina
Attollis? hisce vinculis
Quin expedis te, quæ horridi te carceris
Clausam tenent angustiis?
Non te iuuabit cœlo amœno, libero
Frui? Beata non feres
Candore lucis te perfundier libens?
Densâ procul caligine
Quæ te vagantem & deuiam de tramite
Et hinc & illinc obsidet.
Nil promouemus voce surdas irritâ
Ferimus aures, & oculos
Offusa queis nox sempiterna cernere
Diem iubemus: Heu suam
Mens cæca noctem deperit, & luminis
Exhorret oras. Scilicet
Caligo lucem non capit, nec ætheri
Impura puro sustinet
Se terra iungi; pressa quin semper graui
Sidit deorsum pondere.
Nec heu reniti mens potest, nec tollere
Se in altum, vt illuc denuo,
Purgata tandem labe fœda corporis.
Penetret vnde fluxerat.
At tu potente cuncta Spiritu Deus,
Rerum Creator & salus,
Succede nostro pectori, tectum hoc subi
Mentis misellæ, protinus
Discussa luci nostra cæcitas tua
Cedet, caduci somnia
Nos vana secli, sordidi nos en soli
Calcabimus vltro lutum.
Frustra voluptas pocula melle illita
Sed plena felle porriget.
Frustra doloris sensibus sese ingeret
Vis sæua nostris; Quæ fuit
Terrena mens dum aberas, tuâ præsentiâ
Se cælicam mirabitur,
Et impedita vinculo licet graui,
Tanquam soluta libero
Motu fuetur, & supra cœli aurea
Sublime templa se feret.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM DEFENSIONIS.

De Contingentia.

THESIS I.

CONTINGENTIA est affectio causæ ad Effectum indeterminata, vnde fit vt potuerit quod auenit euenisse aut non euenisse.

II.

Ea verò locum habet vel in casu fortuito, vel in materia, vel in humana voluntate, quæque à voluntate humana proficiscuntur actionibus.

III.

Et in casu quidem fortuito, cur enim res ita ceciderit potius quam aliter, nulla in ea re quæ effectum produxit, ratio inueniri potest vel à natura, vel à consilio profecta.

IV.

In materia verò, ea enim cum multarum formarum, vt cera figurarum, capax sit, non ad hanc potiùs quàm ad illam affecta est. Itaque potest ex eodem ære Alexander, potest item Cæsar excidi.

V.

In humana verò voluntate, ea capax ad effectum indeterminatio, vnde contingentia oritur, ideo locum habet, quia etsi voluntas velit aut nolit necessariò, attamen vt hoc potiùs quàm illud velit, id verò non habet ab vlla sibi insita necessitate: quod si foret, non modò iidem eadem semper, sed & omnes constanter eadem vellent, quandoquidem quotquot, & quamdiu homines sumus, voluntate præditi sumus.

VI.

In humanis actionibus eadem ratio locum habet quæ in voluntate, quando ab hac illæ proficiscuntur.

VII.

Quoniam vero causa sic afficitur erga effectũ, vt sit indeterminata ad hoc aut illud, iuxta naturam & rationem causæ non hoc potius quàm illud prouenire inde oportet. Itaque causam (vt in æquilibrio aut biuio positam) hærere necesse est suspensam & otiosam: Cur enim huc potius inclinet quàm illuc? Cum naturæ conditione nõ in hanc potius quàm in illam partem pronior sit.

VIII.

Vnde efficitur, vt effectum producatur, aliquid interuenire, quod facultatem causæ in vtramque partem æquè pronam, in alterutram inclinet.

IX.

Sic igitur Deus præscit futura contingentia, quia nouit certò quid sit causas ab æquilibrio dimoturum, in violentis violenter, in naturalibus naturaliter, in voluntariis voluntariè, adeò vt euentus conditionem scientia Diuina comprehenderit.

X.

Id autem certò nouit, quia eam causam, quæcunque tandem ea sit, moderari, regere, sapientiæ & potentiæ suæ (quam Prouidentia exerit) opus est.

DE ELE-

DE ELECTIONIS ET OPPOSITAE REPROBATIONIS OBIECTO I. CAMERONIS inchoata tantùm DISPVTATIO.

CVM ex Scotia in Galliam rediisset D. Camero anno Domini M. DC. XXIII. mense Iulio, habita est per id tempus Carentoni prope Lutetiam Synodus Prouincialis Ecclesiarum reformatarum Picardiæ, Campaniæ, vicinorumque tractuum, in quâ cùm à singulis Pastoribus exigeretur, vt calculo & suffragio suo comprobarent Iudicium Synodi Dordrechtanæ de diuina Prædestinatione & annexis capitibus aduersus Remonstrantes in Belgio editum, vnus Courcellius Ambianensis Ecclesiæ Pastor refragatus est, testatus se esse circa illa capita in eorum quos Remonstrantes vocant sententiâ, cùmque admonitus constanter renueret subscribere illi iudicio, nisi de errore edoceretur, priusquam munere exauthoraretur, data est à Synodo D. Cameroni (qui tum Lutetiam recens ex Scotiâ venerat) prouincia disputandi, atque amice cum eo conferendi, vt si fieri posset hominem ab errore reuocaret. Itaque per aliquot dies cum eo disputauit Camero tandémq; hominis peruicaciam expugnauit, rationibus & argumentis demonstrato eius errore quem tum agnouit & recantauit, sicque in Pastoris munere quo fungebatur relictus est, sed aliquot post annos ad vomitum rediit, & abdicatus munere apertè in Remonstrantium partes transiit, Belgiumq; vt in eorum castra côcederet petiit. Huic disputationi ab initio interfuit Paulus Testardus Sacræ Theologiæ tum studiosus, nunc verò Ecclesiæ Blæsensis Pastor dignissimus, atque ea quæ tum dicta sunt calamo vti potuit excepit. Sed cùm Courcellius negaret se Disputationem continuaturum nisi ille excederet, coactus abesse pauca hæc quæ habes hîc subiecta in Schedis reposuit, quæ vt ea Latinè reddidit hîc exhibentur. Vtinam reliqua pari diligentiâ collecta haberemus. His interim fruere sine inuidiâ.

Anno Domini M. DC. XXIII. secundâ die Augusti, Parisiis in ædibus Clarissimi Viri Dom. Arbaldi Medicinæ in alma Parisiensi Facultate Doctoris, præsentibus Reuerendis & Doctissimis viris Dominis Mestrezato, & Drelincourtio Ecclesiæ Reformatæ Parisiensis Pastoribus, Nobili Viro Domino De Courcelles, eodemque Dom. Arbaldo, amicam collationem instituère cœperunt Viri Reuerendi & Doctissimi Dom. Iohannes Camero, & Dom. de Courcelles Ecclesiæ Ambianensis reformatæ Pastor, de grauissimis quibusdam fidei articulis, qui gratiam Dei salutarem in Christo eiusque admissionem seu receptionem spectant. Atque hic quidem stans ab eorum partibus qui in Belgio Remonstrantes dici voluerunt, ille verò eorum qui contra Remonstrantes vocantur sententiam defendens & propugnans.

Primùm autem inter eos conuenit vt res ordine & viâ procederet, statum Quæstionum & aperiendum & definiendum, quod vt in primo articulo, qui est de *Electione* & opposita Reprobatione fieret, rogauit Courcellius Cameronem, vt quodnam Electionis obiectum esse putaret profiteretur, an hominem creabilem, an conditum iam & creatum, sed in puris (vti loquuntur) naturalibus, an peccatorem in fœdus Naturæ, an denique violati quidem Fœderis. Naturæ in se reum, sed fœdus Gratiæ amplexum, hoc est, pœnitentem & credentem.

Respondit Camero per distinctionem decretorum Dei circa hominem seruandum, duo nempe esse decreta, vel vnius, secundum conceptum nostrum, duo membra, vnû *dandæ salutis & vitæ æternæ*, alterum *dandæ fidei*, quæ népe est conditio fœderis Noui. Hoc posterius decretum dixit esse *Electionê ad Christû*, illud prius *Electionê in Christo*; Itaque prioris decreti obiectum esse *hominem fidelem qua talem* (quod vltrò agnouit Courcellius) posterioris verò hominem tantûm peccatorem, quod itidem agnouit & fassus est Courcellius, supposito tali decreto.

Hoc antequam videretur velle negare Courcellius; distinctionem suam vt brobaret Camero adduxit locum qui est Ephes. 1. 4. 5. vbi prius decretum in his verbis, *καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ*. posterius verò in istis *προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν* contineri dixit. Contra autem obiiciente Courcellio secundum Apostoli dictum prioris esse duntaxat *ἐξηγητικὸν* obiectionis absurditatem ex eo ostendit Camero, quod inde sequeretur hunc esse loci sensum, *prout nos elegerat cùm nos elegisset*, quod quàm sit absonum aures ipsæ satis deprehendunt.

Deinde, illam decretorum distinctionem explicauit Comero, duplicem esse dicens Dei *χέσιν* erga homines in hoc negotio, vnâ *quæ supremus & iustissimus Iudex* in Throno iustitiæ sedens ex lege & Euangelio sententiam dicit, hoc respectu eos omnes & solos iustos pronunciat qui cum in se sint peccatores tamen Christi fideiussoris membra per fidem facti sunt. Alteram, quâ idem vt supremus mundi Rector obiectum sibi præparat, quod fit vocatione efficaci ad Christum. Secundum priorem *χέσιν* Deus neminem, nisi quem vt Christi membrum, hoc est fidelem considerat, seruare constituit, secundum posteriorem, quosdam ad istam Christi communionem per fidem adducere decreuit; huius itaque decreti obiectum hominem fidelem esse non posse, (nam decretum *ad Christum* non est *in*

XXx

Christo, decretum *ad fidem* non est *ex fide)* illius verò hominem pœnitentem & fidelem esse obiectum.

Verùm ne conditio hæc fidei videretur, tam in decreto quam in executione, infantes prorsus à salute excludere, addidit Camero eam ad adultos tantùm pertinere quippe qui soli possint credere: infantes autem seruari vt *appendices parentum* ad fœdus pertinentes. Quod vt illustraret Aristotelem adduxit in Ethicis disputantem, an infantes ciuium eiusdem ciuitatis ciues dici & censeri debeant, ac ciuium priuilegiis frui, cùm ciues vulgò censeantur ii tantùm qui Principi fidelitatis iusiurandum præstiterunt, aut certis officiis erga ciuitatem vel Principem defunguntur, quæ nondum valent per ætatem præstare infantes: quâ difficultate sic se expedit, vt dicat, ciuium infantes esse συνιδέντας hoc est, veluti appendices quasdam Parentum & reputari ciues, quia cùm ex ciuibus nati sint, tandiu ciues in beneficio censentur, quamdiu opere & factiis eo se non prodiderunt indignos. Exemplum ad rem sic accommodauit Camero vt diceret, infantes pariter Fidelium parentum esse συνιδέντας ac in fœdere censeri, quia nascuntur inter fœderatos ex fœderatis; ac proinde tandiu haberi pro fœderatis quamdiu ipsimet fœdus non deserunt, & gratiam Christi, quæ est fœderis fundamentum per incredulitatem non reiiciunt, quod nisi adulti facere non possunt. Itaque si moriantur antequàm ad ætatem peruenerint in quâ possunt bonum à malo discernere eodem loco à Deo haberi ac si credidissent, proindeque saluari.

Acquieuit Courcellius in sententia Cameronis de decreto *dandæ salutis & vitæ*, sed decretum ad *Christum*, ad *fidem* prætermittens examinandum, reiecit in suum (vti dicebat) locum, ac vlterius progrediens, quodnam & quale esse putaret Camero Reprobationis obiectum postulauit vt exponeret. Id verò non obscurum esse respondit Camero, ex iis quæ iam dixerat, de obiecto oppositæ Electionis, nempe *eos omnes qui non sunt mēbra Christi*, hoc est, *infideles & impœnitentes.* Quæ vox generalis significat & complectitur tam eos qui gratiam oblatam (vti ea clarè in Christo per Euangelii prædicationem offertur) respuunt, quàm eos qui etsi præconium istud nunquam audiuerunt, tamen parciori & obscuriori quadem eiusdem Saluatoris gratiâ ad pœnitentiam, & Deum quærendum inuitati. contemptis istis longanimitatis, patientiæ & benignitatis Dei testimoniis atque diuitiis, incredulorum & impœnitentium ad Euangelii nuncium numero accensentur ab eo qui corda & renes perscrutans certò nouit eos esse eo ingenio, vt quamuis iis prædicatio Euangelii offerretur, impœnitentes nihilominus & incredulos sese sint præstituri, nisi in illis ipse efficiat id quod efficere non decreuit, & in solis electis vult facere: Denique eos qui nascuntur à Parentibus ab Ecclesia alienis, etsi moriantur in infantia, & priusquàm mali quicquam actu perpetrarint.

Vltimum hoc *de infidelium infantibus* arripuit Courcellius, & sibi probari non posse testatus est, dicens se capere non posse quâ ratione infantes Ethnicorum, & omnium ab Ecclesia alienorum, saluâ Dei misericordia & benignitate damnari possint: antequàm in idoneâ ætate sese gratiâ indignos operibus præstiterint: velle se doceri manifestis è Sriptura testimoniis hoc dogma priusquam illud amplectatur. Præfatiunculâ hîc vsus Camero monuit primùm quàm periculosa talis à Dei misericordiâ ducta argumentatio, cùm plerumque sit eorum prætextus qui Deum apertè iniustitiæ insimulare non audent, dum eum secùs agere docentur quàm optarent, atque in hoc negotio, eorum esse μηχάνημα, qui per cuniculos Dogmatis, quo Peccatum originale iustè traducitur, euersionem moliuntur. Deinde, à Courcellio quæsiuit num *peccatum originale, & ex eo meritum mortis æternæ in infantibus agnosceret*, ac cùm se vtrumque agnoscere professus esset Courcellius, tria respondit Camero: Primum, se non existimare vllâ ratione necessarium esse in huius quæstionis definitione laborare, modò *duo illa* jam à Courcellio agnita & concessa sincerè teneantur, eamque esse curiosam magis quàm vtilem. Secundùm, credere se Dominos Fratres, facilè, si nihil aliud sit, Courcellium toleraturos, etsi, duobus istis firmiter retentis, in isto ab opinione receptâ recedat, modò pacis Ecclesiæ studiosus contrariam non doceat. Tertium denique, quia recepit ab initio se Courcellii vestigia pressurum, atque ex animo credit sententiam eius esse erroneam, allaturum se rationes quibus probet *alienorum ab Ecclesia infantes in tenella ætate diem obeuntes æternis pœnis damnari.* Ac primum ex eo quod concesserat Courcellius *peccatum originis mereri pœnas æternas.* sic argumentatus est.

> *Si possit dici peccatum originis mereri æternas pœnas, tum poterit etiam dici eos qui peccato illo infecti sunt iustè puniri æternis pœnis, illæsâ Dei misericordiâ.*
>
> *Atqui prius dici potest ex concessis.*
>
> *Ergo & posterius.*

Ad maiorem respondit Courcellius, Veram quidem eam fore si Deus post violatum ab homine naturæ fœdus, nouum gratiæ fœdus cum eo non pepigisset. Verùm dam esse falsam, quia tale Deus pepigit Fœdus gratiæ cum Adamo: itaque, neminem ex posteritate Adami, cum quo Deus fœdus illud sanciuit, damnari nisi qui actu rejicit gratiam in fœdere oblatam (quod ij facere non possunt qui in infantia moriuntur) sed ad omnes (etiam ab Ecclesia alienorum infantes) pertinere fructum mortis Christi, quâ gratiosum fœdus nititur, & lauacrum in eius sanguine, sine quo falsus est Courcellius memini obtingere salutem.

Itaque vt rem conficeret Camero probandum ei fuit, *Alienorum ab Ecclesia infantes non esse sanguine Christi purgatos*. quod aggressus est prolato ex 1. Corinth. VII. ℣. 14. loco, *Sanctificatus est vir infidelis in vxore, & vxor infidelis sāctificata est in viro: alioqui* τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι Vnde sic argumentatus est.

Nullus

Nullus qui sanguine Christi purgatus est, dicitur in Scriptura impurus.

Alienorum ab Ecclesia infantes impuri eo loco ab Apostolo dicuntur.

Ergo &c.

Adiecitque explicandi argumenti gratiâ, scopum Apostoli eo loco esse scrupulum eximere piis fœminis Christi fœdus amplexis, quæ ab infidelibus maritis abstinere volebant, quod copulatio illa videretur ipsis deinceps, impura, quem scrupulum vt eximat docet Apostolus *virum sanctificari ab vxore*, hoc est, fieri vt propter vxorem fœdus Christi amplexam vir ratione prolis eodem loco habeatur ac si sanctus esset; idque ex eo probat, quod liberi, qui alioqui essent impuri nunc sint sancti. Nam cum vir plus contribuat ad generationem quam fœmina, necesse est, si proles sit sancta, & maritum etiam esse sanctificatum, quo posito sequitur sanctitatem istam non esse naturalem, sed fœderis; quia tota oritur ab vxore quæ Christi fœdus est amplexa.

Ad id quæsiuit Courcellius quænam esset illa liberorum sanctitas. Respondit Camero, cùm duplex in populo Dei noteturi sanctitas ex œconomiæ veteris & noui Testamenti diuersitate distinguenda, nempe vna *typica*, cuius ratione & vir pius ac fidelis poterat esse impurus, vt si mortuū attigisset, altera *realis*, & Cæremoniæ legales in Nouo Testamento finem ceperint, de reali sanctitate proculdubio intelligendum esse hunc Apostoli locum. Huius explicationis occasione, non expectatâ ampliori declaratione, sic statim argumentatus est Courcellius aduersus Cameronem.

Qui realiter Sanctus est, opus non habet regeneratione & baptismo.

Sed infantes Fidelium postquam nati sūt, opus habent Baptismo & regeneratione. Ergo non sunt realiter sancti.

Hoc argumentum soluit Camero distinguendo *realem* sanctitatem, quæ duplex est, vna posita est in simplici relatione personæ ad populum Dei seu Ecclesiam, & nititur solâ natiuitate intra pomœria Ecclesiæ ex parentibus fœdus amplexis; altera est quæ sine istâ prærogatiuâ contingit, estque interna renouatio mentis, voluntatis & affectuum, qualis est in adultis regeneratis, & cuius nondum sunt capaces infantes. Atque eam distinctionem sic applicauit, vt negaret maiorem, si subiectum propositionis de priori reali sanctitate intelligatur, quæ alioqui vera est de posteriori (excepta confirmatione & progressu regenerationis quâ semper opus habent pii & fideles) qui sensus est conclusionis. Priorem illam realem sanctitatem satis esse dixit ad seruandos fidelium infantes, si moriantur in infantia, propter relationem ad fœdus quod amplexi sunt parentes, secundùm quem sensum possunt dici infantes parentum fide salutem adipisci.

Sed institit Courcellius, atque sic argumentatus est (quâ mente iudicium sit penes lectorem.)

Si infantium fidelium sanctitas est tantū relatiua, tum etiam opposita infidelium infantium impuritas erit tantum relatiua.

Atqui verum prius secundùm Cameronē. Ergo & posterius. Absurdum autem est vt Deus aliquem damnet propter impuritatem duntaxat relatiuam.

Vanitatem huius argumenti primùm ostendit Camero. dixit enim simile illud esse isti, *Tota iustitia quâ seruantur fideles à peccatis in eo est quod iustificantur in Christo. Ergo tota infideliū pereuntiū iniustitia in eo est quod non iustificantur in Christo*, quod quàm sit absurdum & falsum non eget probatione. Deinde directè respondit negando maiorē, quia præter relationem, in infantibus fideliū, ad fœdus per parētes fœdus amplexos, est status seu conditio quædam naturalis, propter quam institutum est fœdus gratiæ nempe corruptio naturalis quæ communis est omnibus omninò infantibus. Itaque præter negationem istius relationis in infidelium infantibus, est & in iis positiuā corruptio originalis, à qua nullo modo purificantur, quod fit in infantibus fidelium fœdus amplexorum, per istam scilicet relatiuam sanctitatem quæ eadem *realis* est quatenus *typicæ* opponitur.

Perrexit Courcellius, & opposuit primò fœdus generale cum Adamo initum, deinde cum Noacho renouatum, è quorum semine nemo est qui non nascatur, propterea que & infidelium infantes, cum Adami & Noachi semen sint, si fœdus ipsi non violent, beneficiorum fœderis esse participes. 2°. Adduxit promissionem quæ in Decalogo habetur *qui facio misericordiā in mille generationes* &c. dixitque nullum nasci infidelium infantem qui non descendat ab aliquo pio parente antequam ad millesimam generationem retrocedendo perueniatur. 3°. Obiecit locum Ionæ cap. IV. sub finem, vbi Dominus dicit Ionæ. *Annon ego parcerem Niniuæ ciuitati illi magnæ, in qua plures sunt myriades infantium qui non norunt discernere dexteram à sinistra, iumentaq; multa*, innuens rationem à Deo isthic reddi cur Niniuæ pepercerit, nempe Infantium innocentiam.

Sed ad primum respondit Camero infantes infidelium etsi semē carnale sint Adami & Noachi, attamen propter defectionem parentū proximorum à fœdere, quorum sunt etiam appendices, desinere esse Adami & Noachi semē *quod ad fœdus* attinet, fœderisque beneficiorum eos esse solos participes qui fœdus amplectuntur, aut qui per proximam natiuitatem appendices sunt (προσγενόντες) eorum qui fœdus amplexi sunt.

Ad secundum, Respondit 1°. Promissionem istam quæ secundo præcepto continetur esse *legalem*, adeoque nonnisi indirectè ad fœdus gratiæ pertinere. Deinde, dato promissionem istam directè esse in fœdere gratiæ, cui addita est lex, dixit verba illa non esse *ad literā* accipienda, sed secundùm rationem promissionum ante Spiritus missionem à Deo sub veteri fœdere factarum æstimanda. Eiusmodi autem esse promissiones illas vt temporalium rerum mentione, quæ hominib. gratissimæ sunt (numerosæ puta & prosperæ

sobolis, Regni, Sacerdotii, lógæ vitæ 8. c.) res spirituales significent, quæ ratio ætati Ecclesiæ puerili conueniebat, quomodo & gratia in Christo iustificans figuris legalibus tum temporis adumbrabatur; quo fiebat vt quemadmodum fideles videntes sanguine taurorum & hircorum non purgari conscientiam, ad veræ & realis purificationis desiderium & agnitionem pro modulo reuelationis exigebantur. Sic etiam cùm viderent se non assequi ea omnia quæ vt verba sonabant promittebantur, colligebant aliquid aliud sub his inuolucris obtectum fuisse, bona nempe spiritualia & cœlestia fuisse ipsis promissa.

Cumque instaret Courcellius, Promissionem istam esse ad verbum accipiendam, absurdum id esse probauit Camero, primùm ex eo quod sequeretur retrogrediendo iloueniri mille generationes, quod fieri non potest. Secúdò, ex eo quod sic committeretur promissio ista cum opposita comminatione, *puniens in tertiā & quartā generationem* &c. Sic enim puniendus quis esset simul & non puniendus, fieri enim non potest quin in tertia & quarta generatione plectendus in illis mille generationibus non contineatur.

Ad vltimùm ex loco Ionæ petitum argumentum, primò respondit Camero, si verum esset id quod vult Courcellius ex eo loco, verum etiam futurum Deum non posse punire propter solum peccatum originis. Deinde, & Deum multitudinis habere rationem, imò & bestiarum, nam & multitudinis & bestiarū isthic meminit. Secundò, ex eadem historia cōstat infantes etiam commeritos fuisse pœnam, quia Deus vrbem istam, & quidem totam, delere decreuerat, quamuis *conditionaliter*. Tertiò, denique directè ad argumentum respondit, negauit nempe eo loci contineri causā retractationis diuini decreti (quidni enim & sic loquamur, inquit, cum etiam pœnitentia Deo isthic tribuatur, nimirū κατ᾽ ἀνθρωποπαθείας) vt pote quæ contineatur ℣. 11. nempe *Niniuitarū conuersio ad Deū*, sed proponi dixit duo argumēta Ionæ tanquam homini carnali, hoc est, *naturali* propter quæ non debuit ita excandescere, si rem etiam ad naturalem rationē exigeret, duo nempe sunt quorum maximè rationem habēt homines, quibusq; ad misericordiam mouentur, vbi de excidio magnę alicuius vrbis agitur, *hominum multitudo*, & verò *infantium* Deumq; hoc loco Ionam increpare, quod ne quidem illud fecisset quod homines nō prorsùs barbari faciunt, vt ne argumentum è Theologia petitum afferret. Hunc esse loci illius sensum satis liquet ex eius inspectione & comparatione, cum iis quę proximè antecedunt, nempe excanduerat Ionas ad corruptionem ricini, qui vnâ nocte creuerat, nam certè multò maior erat gaudij ratio in conseruatione tot hominum atque infantium.

Arripuit Courcellius quod *misericordiæ affectū hominum non planè barbarorum erga multitudinē & infantes* laudauerat in sua respósione Camero, exeoq; sumpsit occasionē sic vlteriùs argumētandi.

> *Affectus in homine laudandus, in Deo est summo gradu.*
>
> *Atqui affectus misericordiæ erga numerosam hominum & infantium multitudinem est in homine laudandus.*
>
> *Ergo idem ille affectus in Deo est in sūmo gradu. Ergo fieri non potest vt Deus tot infantium ab Ecclesia alienorum myriadas morte æterna plectat.*

Respondit Camero 1°. Si argumentū hoc quicquam efficiat, efficere vt Deus priùs iniustè decreuerit totam vrbem exscindere, tum verò etiam vt neminem omninò puniat, quis est enim homo tam barbarus qui ad miserrimorum hominū pœnas, pręsertim dum cogitat esse æternas, non moueatur misericordiâ, & quidem laudabili? 2°. Argumentationem non valere, quia dispar est hominū & Dei in hâc causa ratio, homo enim pars est Vniuersi. Deus autem iudex. Iam verò Iudex, qui idem bonus est, etsi non delectetur pœnâ quatenùs malum est physicum seu cruciatus, tamen delectatur iustitiâ. Atque sic etiam soluendum esse dixit argumētum petitum ex loco Ezechielis XVIII. 23. *Nolo mortē peccatoris* &c. alioqui enim ipse Deus sibi in hoc negotio cōtradiceret, cùm alibi dicat, Esa. 1. 24. *Heu, consolationem capiā de hostibus meis, & vltionē sumam de hostibus meis.*

VLTIMO SIC ARGVMENTATVS EST COVRCELLIVS.

> *Iis solis in Euangelio denunciatur exitiū, qui sunt increduli & impœnitentes.*
>
> *Atqui infantes non sunt increduli & impœnitentes.* *Ergo. &c.*

Respondit Camero 1°. Periculosissimum esse hoc genus argumenti, vt pote quo vtatur Socinus vt neget peccatum originis; ac si valet, valere etiam ad tollendam in infantibus necessitatem gratiæ in Christo, sic enim ad legem, paulò mutatis verbis, applicari posse.

> *Lex damnat & sontes ac reos pronunciat eos solos qui transgreßi fuerint legem.*
>
> *Sed infantes non transgrediuntur legem.*
>
> *Ergo ne lege quidem damnantur infantes, ac proinde non opus habēt Christo.*

Deinde directè soluit argumentum dicendo, ea omnia effata quæ actum requirunt, vel supponunt in Scriptura, pertinere ad adultos, quorum in suo quique genere infantes sunt ἀσυνιδόντες, id quod suprà testimonio Aristotelico comprobatum & illustratum est.

His sic manè gestis Disputationem in horas pomeridianas reiecerunt, quam in aliquot dies produxerunt, ac quæ manè aurib. ex Disputantium ore exceperat, antequam rursùs post Meridiem conuenirent, scripto latinè mandauit, (de reliquis idem præstiturus si sequentibus conuentibus per Courcellium ei licuisset) Paulus Testardus Sacræ Theologiæ tum candidatus, qui hoc suum scriptum communicauit Cameroni, item DD. Durantio, Mestrezato, & Drelincourtio. Ecclesię Parisiensis Pastoribus Domino itē de Langle Rhotomagensis Ecclesiæ Pastori, per id tempus Lutetiæ agenti, quorum Camero, Mestrezatus & Drelincourtius relationis ad verbum fidelitatem agnouerunt & cōprobarunt, reliqui omnes Cameronis doctrinam & industriam mirati sunt, adeò vt in tātam viri istius laudem eruperit magnus ille Durantius, vt præ illo plerosq; alios Theologos nostros (se quoque annumerato) veluti pueros in illis cōntrouersiis, (annuentibus Mestrezato & Drelincourtio) esse dixerit.

Eorum

Eorum quæ in mutuo inter

MARESCHALLAM TEMINIAM ET CAMERONEM IN ARNALDI

ædibus colloquio 14. Maij 1624. vtrinque agitata ſunt breuis narratio.

QVVM ad Arnaldum illius rogatu Camero domum conueniſſet, mox adfuit Mareſchalla Teminia fratris ſui Lanouij, Chabanij reguli & aliorum aliquot comitatu ſtipata quæ Cameronem rogauit, vt dubitationes quaſdam & ſcrupulos quos ſibi in religionis negotio iniectos prætexebat, euellere & eximere non recuſaret. Quapropter Chabanij regulus cum Camerone diſputationem inire geſtiens, id Camero hiſce de cauſſis recuſauit, tum quia incognitus illi erat Chabanius, tum propter incommoda quæ inde oriri poterant, niſi ipſe Chabanius aggreſſorem ſe profiteretur & collationem ſcripto fieri admitteret, ne verba vel temere effutirentur, vel ex auditorum memoriâ effluerent, ſed vt ſcriptis conſignata in animos facilius imprimi, atque adeo ea quæ proferrentur accuratius perpendi poſſent; hiſce enim conditionibus ſe in arenam deſcendere paratum eſſe. Quod quum Chabanius facere recuſaſſet, Camero profeſſus eſt ſe nec velle nec poſſe aliter cum illo congredi. Adeo vt illis qui aderant viſum fuerit vt Mareſchalla Teminia cuius rogatu illuc venerat Camero, dubia ſua proponeret, quibus vbi Camero reſpondiſſet, Chabanius cum Mareſchalla conferret ſi quid haberet quod exciperet; illa vero Baronis exceptiones Cameroni proponeret: Quibus ille, his poſitis conditionibus, ſe ſatisfacturum, & fuſius ſingula perſequuturum, pollicitus eſt, profeſſus tamen minime ſe latere quid regiis edictis ſibi deferendum, quo cultu ſibi Mareſchalli Teminij domus perſequenda eſſet, nec ſe vltro illa affectare quæ ſibi moleſtiam creare poſſent, nec ſe Mareſchallæ conſcientiam vrgere velle, præſertim quum nec religionem reformatam ipſa profiteretur: nec ille paſtor eſſet Eccleſiæ in quâ antehac Mareſchalla vixerat. Adde quod ob recens à rege ſibi collatum beneficium, non id tantum quod reapſe malum eſt ſed & quicquid in ſpeciem malum videri poſſit declinare teneretur, vel vt ſiniſtros qui de ſe ſpargi poſſent rumores diſſiparet. Quia tamen ad colloquium à Mareſchalla ſollicitatus fuerat, id ſe recuſare nec debuiſſe nec potuiſſe, quamuis magno rerum ſuarum detrimento hac de cauſſa ſubſiſtere coactus eſſet. Se vero dubitationes & ſcrupulos conſcientiæ illius in religionis negotio iniectos eximere paratum eſſe; Eandem [illegible] conſcientiæ ac corporis dolorum rationem [illegible] vt ſi illis pungerur, melius, ab illa, [illegible] quopiam alio, indicari poſſent; ſi minus, [illegible] excludendas eſſe, omnibus qui eiuſcemodi ſcrupulis animum illius ſtimulare vellent Illam orare ſe atque rogare vt ſerio totam illam rem perpenderet, quia hic nihil aliud quam ſalus aut mors æterna ageretur, neminemque alium præter conſcientiam cauſſam ipſius in die iudicii acturum.

Hiſce à Camerone expoſitis ab illo Mareſchalla quæſiuit, *An Eccleſia ſemper eſſet viſibilis?* Reſpondit Camero, hæc vocabula, antequam reſponderi poſſit, prius explicanda & diſtinguenda eſſe, quandoquidem hic Pontificii opiniones plane ridiculas nobis affingunt, adeo vt ſi *Eccleſiæ* vocabulo, omni ambiguitate remota cœtum fidelium Deum timentium intelligamus, & hanc loquendi formulam, *viſibilem eſſe aut inuiſibilem* nô abſolute, ſed quodâ reſpectu accipiamus, non amplius iam quæratur an Eccleſia conſtet hominibus viſibilibus, aut an regimen illius externum ſit viſibile, aut, an fideles quatenus fideles ſint inuiſibiles, quum fidem qua ſunt fideles nec viſu, nec aliis ſenſib. externis agnoſci poſſe conſtet; quemadmodum ſolo hominis aſpectu, artem quam profitetur deprehendere non eſt. His extra controuerſiam poſitis, quû quæritur, *an Eccleſia ſemper ſit viſibilis*, quæſtionis huius ſenſus eſt, an cœtus fidelium ſemper agnoſci poſſit.

Reſpondit ſemper agnitum & fuiſſe & iri, quamuis non ſemper pariter æqualiterque aut eodem gradu ac euidentia, ſed interdum plus minuſve, pro ratione veritatis prædicatæ, prout vel pure docetur vel cum mendacij admiſtione. Nam quandoquidem propter puram veritatis pradicationem videtur & agnoſcitur, vtique quum non pure docetur veritas & mendacium gliſcit, fit inuiſibilis ac minus agnoſcitur. Quemadmodum igitur aliquid noctu dicimus eſſe inuiſibile non abſolute, ſed lucis diurnæ reſpectu, cui ſtellarum lux collata tenebræ eſſe videntur, ſic Eccleſia dicitur inuiſibilis non abſolute, ſed quando cum tempore quo maxime ſplendet collata, non æque agnoſci poteſt.

Hic Chabanius Mareſchallæ ſuggeſſit, quum in Nouo Teſtamento Eccleſiæ Chriſtianæ eximia adeo promiſſa de eius viſibilitate facta ſint, Eccleſiam quæ ſe Reformatam appellat non eſſe veram Eccleſiam, quum nemo homo nedum ab ipſe Camerone, vt laboret, indicari poſſit qui religionem illam ante annum 1517. profeſſus fuerit. Quam in rem Camero à Mareſchalla interrogatus reſpondit.

I. Hanc & illationem & argumentandi rationem vitioſam eſſe, ſiquidem qui hac ratiocinatione vtitur rem non eſſe ideo contendit quia

non cognoſcitur an ſit; non enim ſiquis non agnouerit eos qui Eccleſiarum reformatarum doctrinam hodie profitentur, inde propterea ſequitur nullos nec eſſe nec vnquam fuiſſe, qui doctrinam illam profeſſi fuerint. Idque Eliæ exemplo comprobauit quem ſeptem illi mille qui coram Baale genua non flexerant latebant, nec propterea tamen in rerum natura non erant, ſic eo quod viri boni qui nos anteceſſerunt à nobis cognoſci nequeant, non bene intuleris, nullos vnquam bonos viros extitiſſe.

2°. Satis id eſſe ſi probauerimus aliquos ſemper & quolibet tempore extitiſſe qui doctrinam hanc profeſſi fuerint, quamuis nomina illorum ignoremus, quod vel ex eo conſtat quod quum veritas hæc vel in ipſo Papatu licet addito mendacio ſemper prædicata fuerit, abſurdum nimis foret credere hanc veritatem ſemper vel ſecundum viam vel in petroſa vel in ſpinas cecidiſſe nec vllum in terram bonam ſemen exceptum eſſe, in corda non paucorum qui ſub captiuitate gementes, omiſſo mendacio veritati prædicatæ adhærebant; quia Deus Eccleſiam ſuam inter quaſlibet corruptiones ſemper conſeruat. Vnde non ſequitur vllum hodie in Papatu ſeruari poſſe, quum captiuitatis tempus à liberationis tempore diſtinguendum ſit. Sic Captiuitatis tempore populus Dei Babylone ſeruari poterat, ſed poſtquam illum Deus in libertatem aſſeruit, diutius Babylone hærens vel illuc iterum ſe coniiciens, ſalutis ſuæ iacturam non facere non potuit. Captiuo, vitio non dabitur quod carcere non egreditur, quamdiu ianua clauditur, ſed quod vbi ianua illi reſerata patet aut ibi remanet aut illuc iterum ſe includit. Eadem eſt & parentum noſtrorum captiuitatis ex qua egredi non poterant & illius qua Deo miſerante inde pedē extulimus liberationis noſtræ ratio. Ideo vt ad quæſtionem reuertamur, vt à Malachiæ temporibus ad Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum ſemper exſtitere fideles qui Dei mandata à Phariſeorum traditionibus ſe cernentes, illa amplectebantur hominum additamentis valere iuſſis, idem contigit in denſiſſimis Papatus tenebris, & quemadmodum vera Eccleſia tunc temporis inuiſibilis dici potuit, in generali illa corruptione, in illa mendacii ac veritatis confuſione, ſic vera Eccleſia in Nouo Teſtamento inuiſibilis fuiſſe dicitur per obſcuram illam errorum qui terræ faciem operiebant, noctem, quamuis id non abſolute, ſed reſpectu temporis illius quo purior & conſpicua mage fuit. Varius ille ac inæqualis Eccleſiç ſtatus n[illegible] [illegible] nobis, quippe qui à Spiritu Dei prædictus fuerit, videri non debet; contra vero mutua inter inuectam corruptionem & illius inuehendæ prædictionem relatio, Dei Eccleſiam ſuam ſummis illis conatibus quo myſterium iniquitatis illam ſuffocatum ibat fractis, mirabiliter conſeruantis ſapientiam ac potentiam illuſtriorem reddit. Neque hic primum Eccleſiæ inclinantis aut mendacii cum veritate commiſti momentum præciſe indicare opus eſt, ſiquidē conſtat eadem ratione intruſum mendacium qua zizania à Diabolo ſata fuerunt, nullo aduertente, donec excreuiſſent, quæ tamen prius auulſa non ſunt quam ſuam aſſequuta eſſent altitudinem. Quemadmodum igitur ſciri poteſt tempus illud quo nulla fuerunt in agro zizania, vt & quo conſpici cæpere, nec tamē momentum indicari quo primò ſata ſunt, ſic tempus illud indicare poſſumus quo hunc vel illum errorem in Eccleſia nemo docuit, & quo paſſim quoque quilibet docuit, quamuis temporis illius quo error primulum inductus eſt momentum notare non teneamur.

Quum loquendi finem feciſſet Camero, Mareſchallæ Chabanius iterum ſuggeſſit ſe non de Veteris ſed Noui Teſtamenti temporibus egiſſe, quibus Deus longe maiora Eccleſiæ ſuæ pollicitus fuerat; atque adeo in Noui Teſtamenti Eccleſia multos ſemper Paſtores fuiſſe qui purā veritatem abſque vllo mendacio docuerunt, alioqui portæ inferorum aduerſus Eccleſiam præualuiſſent, contra quam vult Chriſtus Matth 16. Id enim ad paſtores & doctores referri, ſiquidem proxime ſequenti verſiculo de paſtorali ligandi & ſoluendi munere agitur.

Quæ quum Arſij regulus Cameroni expoſuiſſet, reſpondit ille ſatis eſſe ſi ex Eccleſiæ & ſub veteri & ſub nouo Teſtamento ſtatus vtriuſque collatione conſtaret Eccleſiam non minus propterea eſſe ac ſubſiſtere, quamuis aperte conſpici & agnoſci nequeat. Loco citato neutiquam probari paſtores errare non poſſe, aut puræ tantum veritatis docendæ facultate donatos eſſe, ſiquidem ibi de illis non qua paſtoribus ſed quâ fidelibus & veræ Eccleſiæ partem conſtituentibus ageretur, ad quam Eccleſiam (vt & ad ſingula vera illius membra) ſpectat promiſſum illud portas inferorum non ſuperaturas illam, quo neutiquam ab omni errore aut mendacio immunes illi præſtantur, ſed à totali aut finali tantum fidei ſuæ naufragio, alioquin ſi id paſtoribus quatenus paſtoribus promiſſum eſſet idque ab errore illos immunes redderet, inde ſequeretur nullum vnquam illorum damnatum iri, quod manifeſte abſurdum eſt. Idcirco applicari debuit omnibus veris ac ſolis Eccleſiæ membris, illis quos inferorum portæ ſuperare & ſalute excludere nequeunt, in quibus comprehenduntur ij qui Eccleſiam ædificant, non qua ædificantes, ſed qua ædificij illius de quo agitur partem conſtituentes. Quibus non repugnat quod verſu ſequenti de paſtorum quatenus paſtores ſunt officio agitur, de ligandi ſcilicet & ſoluendi munere ſiquidem promiſſum à ſuperiori plane diuerſum continet, quod Petrum præcipuè & Apoſtolos ſpectat, ipſoſque paſtores per analogiam, ac deſcribit efficaciam qua Deus fidelem muneris illorum adminiſtrationem donaturus eſt, ratum in cęlis faciens quicquid ipſi in terra fecerint. Si vero portæ inferorum Eccleſiam aliquam ſuperare dicerentur, quando illic errores docentur, veteris Teſtamenti Eccleſiam ſuperaſſent, in qua à Malachie temporibus vſque ad Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum mendacium cum veritate ſimul doctum fuit, quod aperte indicat Dei Filius quum diſcipulos ſuos ac populum iubet vt Scribas ac Phariſeos in Moſis cathedra ſedentes audiant, ita tamen vt ſibi ab illorum fermento caueant. Fermentum igitur Moſis doctrinę immiſcebant: ſi tunc temporis alii extitiſſent qui puram putamque veritatem docuiſſent annon Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos ac populum ad hos potius amandaſſet quam ad illos qui ad veritatem traditiones ſuas addebant. Adde quod ſi penes

penes quos erat successio ordinaria purè non docebant, quid ab illis expectandum fuit qui hoc sibi priuilegii atrogare non poterant; Præterea Iesus Christus Ioan. c. 10. ait, *Quotquot ante me venerūt fures sunt & latrones*, quod minime dixisset siquidam venissent qui puram veritatem docuissent; quos tamē maior numerus obrutos oppressisset ac persequutus esset, vt Pharisæi Christum persequuti sunt.

Chabanius hic prætexebat Pharisæos puram doctrinam docuisse, & fermentum illud non de doctrinâ, sed moribus illorum ac operibus esse intelligendum, quum Iesus Christus Matth. 23. dicat, *Omnia quæ dixerint vobis vt obseruetis, obseruate & facite: sed secundum opera eorum ne facite.*

Respondit Camero. Ibidem nempe Matth. 16. v. 12. expresse dici Christum de fermento Pharisæorum loquentem, de illorum doctrina loquutum esse. *Tunc intellexerunt eū non dixissent cauerent à fermento panis, sed à fermento doctrinæ Pharisiorū & Sadducæorū.* Annon Christū reiicere, pro impostore habere, nec illum fidei obedientia tanquam verū Messiam admittere *constituere vt si quis eū profiteretur esse christū, synagogâ moueretur.* Ioan. 9. 22. doctrinæ fuit fermentum; Quod vero Christus dixisse obiicitur, *Omnia quæ dixerint vobis vt obseruetis obseruate & facite*, id intelligēdū est de iisque dixerint in Mosis cathedra sedentes, de qua superiori versiculo egit, per Mosis cathedram non cathedram aliquam materialem, ligneam puta aut lapideam intelligens sed Mosis doctrinam.

Chabanius probare volens promissum illud quod exstat Matth. 16. promissum fuisse pastoribus quatenus pastores sunt ℣. 19. & 20. capitis 28. citauit, *Profecti docete omnes gentes, & ecce ego vobiscū sū omnibus diebus vsque ad consummationē sæculi*, vbi quum functionum pastoralium prædicationis nempe verbi, & sacramentorum administrationis expressa mentio fiat, necessario consequatur quod Christus pollicetur *se cū illis futurum*, id illis quatenus pastores erant pollicitum esse, atque hoc pacto nihil illos nisi puram puramque veritatem docturos.

Respondit Camero, hunc locum & alia id genus ad solos Apostolos pertinere, nec ad illorum successores nisi per analogiam & proportionem quandam extendi posse. Et quamuis ibi de Apostolis vt docentibus ac baptisantibus agatur, non inde tamen probari posse quod controuertitur, nempe, futuros semper in Ecclesia doctores qui puram veritatem docebunt; nam Iesus Christus pollicetur, se semper futurum cum Apostolis, & analogicè cum illorum successoribus, qui illorum doctrinæ verè succederent, quando aliquos succedere contingeret: sed non pollicetur semper successuros, hæc enim duo multum inter se differunt. Atque hoc quidem loco quum Christus ait se cum illis futurum, non intelligit se Apostolos ab omni errore immunes seruaturum, quamuis alium de Christū id fecisse nobis constet, sed se illis affuturum, se illos consolaturum & laboribus ipsorum benedicturum, opponitque hanc consolationem difficultatibus in quas in muneris illius exercitio, quod iam versiculo præcedenti ipsis imposuerat, incurrere poterant, in prædicatione nempe & baptismi administratione, quum huc illuc passim dispergi illos & ab inuicem separari oporteret. Quū enim Scriptura ait *Deum esse cū aliquo*, id non significat, Deum illum ab omni errore immunem præstare, sed Deum illi adesse ac benedicere; sic dicitur *fuisse cū Iosepho* & quamplurimis aliis: sic quum optamus alicui, vt *Deus sit cum illo*, nihil aliud intelligimus, quam vt Deus illi benedicat & gratia sua illum prosequatur. Adde quod quum hoc non solum Apostolis in genere, sed illorum singulis priuatim promissum fuerit, si Apostolorum successoribus immunitatem ab errore æque ac Apostolis ipsis pollicetur, inferendum erit pastorem priuatum errare non posse, quando quidem pastores docent non simul congregati, sed singuli seorsim. Præterquam quod si hæc ab errore immunitas pastoribus nisi in Synodo congregatis non conuenit, mendacium de veritate triumphare potest, quum maior numerus plerumque ab illo stet. Quod quum fieri posse negatum esset, citauit Camero exemplum Prophetæ Michææ 1. Reg. 22. qui solus regibus Iudæ ac Israelis verum dixit, ac ideo in carcerem coniectus fuit, interea dum quadringenti Prophetæ mendacium proferebant & asserebant. Sic in multis Conciliis grandior suffragiorum numerus, exiguo illorum qui veritatem propugnabant numero silentium imposuit. Si certitudo & errandi immunitas quæ Ecclesiæ tribuitur in doctoribus aut pastoribus congregatis consistit, quænam fuit certitudo aut errandi immunitas in Ecclesia primitiua, in qua ab Apostolorum Synodo Hierosolymis Synodus nulla habita est spatio plusquam trecentorum annorum vsque ad Synodum. Nicænam, quamuis hæresibus variis ac schismatibus infestaretur.

Verum quia Chabanius has voces subinde vrgebat, *Omnibus diebus vsque ad consummationē sæculi*; Camero respondit, hanc loquendi formulam, iuxta Scripturæ stylum, nonnisi ad finem vitæ Apostolorum extendi, ac per analogiam ad verorum Apostolis successorum vitam, nec illa significari eiusce modi successores in Ecclesia semper futuros ad consummationem vsque sæculi, sed siquando esse contigerit Iesum Christum cum illis futurum esse ad finem vitæ vsque, idque phrasibus parallelis quæ sæpius in Sacra Scriptura occurrunt probatum fuit e.g. quum Daniel dicebat Dario: *Rex in sæcula viue*, non optabat vt æternum viueret, sed vt viueret quamdiu vita hæc mortalis prorogari potest. Sic Apostolus Paulus Philippenses compellans cap. 1. ℣. 6. ait, *persuasū habeo hoc ipsū fere vt qui incepit in vobis opus bonū perficiat vsque ad diē Iesu Christi.* tamen intelligit vitam illos prorogaturos ad illam vsque diem, sed si fieri posset vt eo vsque vitam prorogarent, Christum opus illud bonum in illis tantisper perfecturum. Hæc est itaque pollicitationis illius sententia, Christum Apostolos non deserturum, sed illis semper adfuturum, etiamsi vel ad consummationem vsque sæculi vitam producerent, hoc est, quamdiu vita illis suppeteret: sic homines mutuo sibi affectum & cultum æternum offerunt ac pollicentur, non vt inde continuationem absque vllo fine inferant, sed vt testentur se si vita sibi perpetuo produci, posset, inuicem perpetuo amaturos & debito cultu prosequuturos.

Dan. 6. 21.

Post illa Chabanius disserere cœpit ac proponere distributionis Spiritus Sancti gradus tres

primum Spiritus populo ad credendum, secundum pastoribus ad docendum, tertium ac postremum pastoribus congregatis ad decidendum distributi; nec aliud quicquam inde intulit, nisi non debere alios in aliorum messem falcem immittere. Respondit Camero, vel id esse extra oleas vagari, vel si inde omnes ab errore immunes esse inferendum fuerit, neminem errare posse; si pastores congregatos tantum, id probatione indigere.

Chabanius vero vt probaret semper aliquos exstare qui veritatem absque mendacio doceant 17. Ioann. vers. 19 citauit, *Et eorū caussa ego sanctifico meipsū, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Et vers. 21. *vt omnes vnū sint sicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnū sint:* quod quū non possit intelligi de vnitate essentiæ, referri volebat ad vnitatem voluntatis ac veritatis, quæ immunitatem ab errore præsupponit; idque confirmari aiebat versib. 26. & 27. cap. 5. ad Ephes. *vt eam sanctificaret vt sisteret eā sibi gloriosam id est Ecclesiā nō habentē maculā aut rugam, aut quicquā eiusmodi, sed vt sit sancta & inculpata:* Apostolum loqui de pastoribus constare eo quod dicat, *Is dedit alios quidē Apostolos, alios vero Prophetas, alios autē Euāgelistas, alios autē pastores & Doctores, ad cōpactionē sanctorū, ad opus ministerij, ad ædificationē corporis Christi: donec perueniamus nos omnes in vnitatē fidei, & agnitionis Filii Dei, in virū adultū, ad mēsurā plenæ staturæ Christi; vt ne simus amplius pueri qui fluctuemus & circūferamur quouis vento doctrinæ.* Quomodo igitur, inquiebat, pastores prohibebunt quominus alii fluctuent, si ipsimet fluctuauerint mendacio veritatem miscentes?

Respondit Camero; Argumentum esse eiusmodi, qui sanctificati sunt & sunt in Deo veritatem mendacio non miscent; tales sunt Apostoli ac eorum successores, veritatem ergo mendacio non miscent, vtriusque autem propositionis maioris & minoris nullam esse consequentiam, quum ibi Christus non loquatur de Apostolis, neque de eorum successoribus quatenus docent, sed de omnibus fidelibus ac veris Ecclesiæ suæ membris, quatenus vere tales sunt, quos hac sua oratione non ab omni errore aut vitio immunes esse petiit, sed ne in errore aut vitio perseuerarent, ac vt tandem seruarentur, de omnibus fidelib. qua fidelib. loqui, constare ex versu vigesimo. vbi expresse dicit, *Non tantū autē pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonē eorū credituri sūt in me.* Et vers. 24. ostēdit se loqui de illis *quos pater dedit illi*, in quo numero pastores non sunt quatenus pastores, sed quatenus fideles, alioqui enim si locus ille referretur ad Pastores, quatenus pastores inde sequeretur non solum nullum pastorem errore, sed ne vitiis quidem infectum iri, nullum damnatum iri, ibidē enim pro illis quoq; Patrem rogat Christus, vt vbi est ipse, & illi sint secum, & spectent gloriam suam. Locum autem Epistolæ ad Ephesios quod attinet nihil ad rem facit, siquidem neque illic agitur de doctrina Ecclesiæ neque de doctoribus & pastoribus illius quatenus pastores sunt, sed de Ecclesiæ sanctificatione, vt quemadmodum interne sanctificatur, sic etiam conuersatione sua ab omni immunditie procul abscedat. Hæc autem sanctificatio si omnem in Ecclesia errorem aboleuerit, longe potiori ratione omni peccato ac vitio illam liberabit, quum in Scriptura ad mores directè, ad doctrinam vero indirectè tantum referatur, atque hoc pacto nullo prorsus peccato aut vitio Ecclesia inficietur. Adde quod sanctificatio doctorum peculiaris non est, sed omnium verorum Ecclesiæ membrorum communis, nec doctoribus ac pastoribus conuenit nisi quatenus fideles sunt, quatenus non solum in Ecclesia, sed & de Ecclesia sunt. Plurimi enim pastores non solum non sanctificantur, sed etiam damnantur. Præterea quæ Deus in Scriptura sacra toti Ecclesiæ pollicetur, ad singula illius membra pertinent: quum rex omnes suos subditos protegit aut se protectuŭ pollicetur, singulos protectionis illius participes esse decet, sic quum Iesus Christus Ecclesiam suam sanctificat & sanctificaturum pollicetur, singulorum est sanctificatio. Immunitas ergo ab errore in doctrina vel omniū est communis, vel neque pastoribus neque auditoribus conuenit, nec hoc loco per sanctificationem innuitur. Quod autem obiicitur, Apostolum de pastoribus ac doctoribus qua tales sunt loqui, quandoquidem dicit *Iesum Christum dedisse alios quidem Apostolos &c. donec perueniamus nos omnes in vnitatē fidei & agnitionis Filii Dei*, id absurdissimū est siquidem loca diuersis habentur capitibus, alterum capite quarto, alterum verò quinto; in quibus Apostolus diuersa penitus tractat argumenta. Nec hoc ipso loco veros pastores ac doctores in Ecclesia ad consummationem vsque sæculi semper repertum iri voluit, sed instituit loqui de donis quæ Deus suo tempore Ecclesiæ largitus est, de ministris quos illi præfecit, vt adducatur ad illam fidei vnitatem & Iesu Christi agnitionem, quæ versiculo sequenti opposito suo illustratur ac exponitur, *Ne simus amplius pueri qui fluctuemus & circumferamur*, adeo vt ministri instituti fuerint vt fideles ad eū fidei gradū adducant qui impediat quominus fluctuent; quem gradum vbi fideles assequuti sunt ministerium non est illis absolute & simpliciter necessarium vt doceantur, quamuis alio qui summopere semper illis conducat ad illos & consolandos & hortandos, quemadmodum Euangelii prædicatio fideli captiuo aut illius audiendæ facultate priuato nō est absolute necessaria, si illam fidei vnitatem assequutus fuerit, quamuis alias non nisi summe vtilis illi esse possit. Apostolum de Ecclesia tēporis sui loqui, satis liquere, primū quia dicit, *dedit*, non autem *dabit*. Temporum autem enallage locum non habet in stylo didactico, vt in prophetico. 2°. Quia loquitur de Apostolis, Prophetis, Euangelistis, adeo vt si hinc inferre velimus veros pastores ac doctores in Ecclesia semper datum iri, inferendum pariter fuerit Apostolos, Prophetas, & Euangelistas ad consummationem vsque sæculi in Ecclesia semper futuros, quum idem de illis ac de pastoribus & doctoribus dicatur. 3. Quia seipsum alibi apertius Paulus exponit & explicat 1. ad Cor. cap. 12. vers. 28. dicens, *Et alios quidē cōstituit deus in Ecclesia, primū Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores, deinde constituit potestates, deinde dona sanationū, opitulationes, gubernationes genera linguarū* Quū dona miraculorū Ecclesiæ illius tēporis propria ac peculiaria fuerint, patet Apostolum de illis loquutum sine vlla hoc loco Ecclesiarum status ad finem vsque sæculi consideratione, adeo vt hæc verba

verba; donec perueniamus nos omnes in vnitatem fidei &c. non debeant referri ad vitam æternam, vbi nullus erit fidei locus: sed ad illum fidei gradum qui fluctuationi in doctrina opponitur. Nec si pastores fluctuent, sequitur auditores eodem modo fluctuare debere, hanc ob caussam quia auditorum fides pastorum suorum authoritate non nititur, sed veritate tantū? nec ideo veritatem vident quia à pastoribus suis videtur, sed quia ipsimet illuminati sunt ac renouati spiritu mentis suæ. Exemplū fidelium per eos dies quibus corruptionem inuexerant Scribæ & Pharisæi & veritatem mendacio miscuerant si notatu plane dignum est, verum quippe à falso discernentes cum illis non fluctuabant, quia illorum authoritati non stabant, sed iis duntaxat quę ex Mose & Prophetis proferebant, sic Paulus Galatas docet non fluctuare; licet doctores ipsorum fluctuarent, imó si vel Angelus è cœlo fluctuaret hunc anathema illis esse voluit, illosq; vt in veritate solidati constanter permanerét hortatus est.

Chabanius denique citauit cap. 16. Ioannis, *quū autē venerit Spiritus ille veritatis, introducet vos in omnē veritatē*: promissum istud, inquit, præsupponit fore semper viros in Ecclesia qui veritatem amplectantur; si veró semper adsint fideles qui puram veritatem à mendacio secernant, longe potiori ratione semper erunt in Ecclesia qui puram veritatem prædicent, *quomodo enim credent absque prædicante*, ait Paulus ad Rom. 10.

Adhæc respondit Camero, Christum Ioan. 16. Spiritus Sancti missionem Apostolis polliceri, quod die Pentecostes præstitit vt videre est Act. 2. hoc promissum ad pastores & doctores nonnisi ἀναλογικῶς referri posse, si vero Ecclesia Romana crediderit ἀναμαρτησίαν in doctrina hic Apostolis promitti, eamque ad pastores & doctores debere extendi; ad omnes aut ad quosdam tantummodo debere extendi; non ad omnes vt ipsamet fatetur; si ad quosdam tantummodo, cur ad hos potius quam illos, & qua ratione illos agnoscet populus & ab inuicem discernet, quum ἀναμαρτησία donum sit internum, de quo iudicari nequit? An ex operibus? at iudicium illud nonnisi coniectura niti potest, siquidem hypocritæ æque bona in speciem opera præstent. An ex verbis illorum quæ annuntiant? Non est ergo standum illorum authoritati, sed examinanda est illorum doctrina, & de illa iudicandum quo pacto boni pastores à falsis ac mercenariis distinguentur, quemadmodum non homo laternam quam gestat, sed laterna hominem conspicuum reddit; Ideo argumentum illud quod hinc elicitur in Romanenses retorqueri debet, infallibilitas quam vocat seu ἀναμαρτησία hoc loco promittitur, ἀναμαρτησία non est omnibus communis, hoc promissum igitur nulli directè conuenit, nisi solis Apostolis. Si vero Pontificij id trahere voluerint ad Pastores & doctores decidendi gratia congregatos. 1. Id eget probatione. 2 Apostoli non solum congregati ad decidendum, sed & seorsim existentes docendi caussa erant ἀναμάρτητοι. 3. Doctoribus ac pastoribus docentibus & prædicantibus fides adhiberi non debet, quandoquidem non congregati docent, sed singuli seorsim. Promissum illud non præsupponit fore semper veros doctores & pastores, sed quotiescunque erunt Deum illos in omnem veritatem introducturum. Non secus atque quum Deus vitam æternam legem custodientibus pollicetur, non sequitur propterea esse qui legem custodiant, sed tantum si essent qui custodirent, Deum illos vita donaturum, sic non sequitur si semper fuerint fideles qui puram veritatem eligant semper quoque fore doctores qui puram veritatem doceant; alterum enim Deus promisit; alterum vero nequaquam; Necesse quidem est esse pastores qui veritatem doceant, at si illi mendacio veritatem miscuerint, oues Iesu Christi vocem illius agnoscunt & ab alienorum voce discernunt.

Hæc transacta sunt præsentibus.

Monsieur DE LA NOVE
Mr LE BARON D'ARSY
Mr DE LA IVRCE
Mr DE S. GEORGE DE VERAC
Mr DE CHANDOLAN
Mr DE BRASSAC
Mr DE CHAMPENON
Mr ARNAVLT
Mr DE MONTFERRIER.

Madamoiselle DE LA MOVSSAYE
Madlle DV LAYER
Madlle DE CASLVN

CONCIO I.

IOAN. VI. verſ. 53. 54. 55.

53. *Dixit ergo eis Ieſus, Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis.*

54. *Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & ego excitabo eum in vltimo illo die.*

55. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

DEVS hodie mane, nos eo honore honeſtauit quem nulla lingua ſatis vnquam exprimere, nulla mens aſſequi poſſit, atque inæſtimabili ornauit beneficio, dum ſe eo vſque demiſit vt nos qui natura ſumus inimici tanquam filios tractarit, & ſi modo audire atque attendere voluerimus, ad filij ſui communionem, vocarit, alteros quidem per verbi prędicationem, alteros vero per ſignorum quoque ab illo ad mortis & paſſionis Dominicæ commerorationem inſtitutorum adminiſtrationem. Ideo nos hanc actionem in hoc beneficio meditando & relatione quam cum fructu ſuo habet perdendenda, collocare æquiſſimum eſt. Id in verbis modo prælectis in huiſce exercitij argumentum, vobis exhibetur. Beneficium illud ſeu gratia in hoc ſita, eſt nos dum ad Domini carnem comedendam & ſanguinem eius bibendum admittimur non habere cibum qui pereat, ſed panem cœleſtem & incorruptibilem. Huius gratiæ fructus eſt nos ea ratione *vitam in nobis ipſis habere* & iam hic in terris in librum vitæ referri, vt *à Christo* in gloria ſua veniēte *nouiſsiama die excitemur*, Ioan. 6.54. Adeò verò mirabilis effectus cauſa eſt, *Carnem Chriſti vere cibum eſſe & ſanguinē eius vere potum*, Ioan. 6.55. Quilibet alius cibus cibi tantummodo vmbra & vana imago eſt, quæ cibus potius videtur, quam eſt. At hic verus eſt cibus, nec videtur ſolum. Tria hæc, Deo dante, hac concione perſequemur.

De primo iam ſæpius ſupra egimus & infra adhuc agemus; aliquid tamen va de re nobis nūc dicendum eſt, reliquorum enim omnium fundamentum eſt. Hæc igitur gratia, eſt, vt ita Dei Filio credamus, vt hoc pacto animarum noſtrarum famem ac ſitim depelli ſentiamus. Spirituales enim nos eſſe decet & animi ſenſus probe exercitatos habere vt huius gratiæ participes eſſe & illam in nobis agnoſcere poſſimus. Vt bene percipiatur, fidei vim quæ ſitim omnem animæ reſtinguit & famem hoc eſt apetitum eximit, ſenſile oportet. Fames enim & ſitis animæ nihil aliud eſſe poteſt quam vehemens flagrantiſſimus appetitus quo erga rem aliquam fertur. Ieſus Chriſtus illud hoc ipſo capite ſic interpretatur. Quum enim Iudæi ab illo quærerent quid ſibi faciendum eſſet vt operarētur opera Dei, *Hoc illud eſt*, inquit, *opus Dei vt credatis in eum quem miſit ille*. Iohan. 6.29. Dauidis exhortatio idem nobis indicat, *Videte & guſtate quam bonus eſt Dominus*. Et Beatus Petrus Ep. 1. cap. 2. nos hortatus ad deponendam omnem malitiam & ſincerum illud ſermonis lac expetendum. *Siquidem*, ait *guſtauimus quod bonus ſit Dominus*. Qualis guſtus talis eſt & eius; qua ratione Dominum guſtamus, eadem ratione Dominum comedimus. Vtrumque accōmodatè ad famem & ſitim animæ quæ guſtum illum, quæ eſum & potum præcedit. Si vero quærat aliquis cur Chriſtus hæc verbis mage perſpicuis non expreſſerit. Reſpondemus nullam eſſe rerum ſignificandarum rationem adeo perſpicuam & intellectu facilem quam eam quæ congruit cum affectibus & motibus naturalibus. Inde eſt quod quum vehementer aliquid amamus & appetimus, aut in pretio habemus, ſi quis nos velit ab ea re animum noſtrum auertere, noſque rei alterius magis momentoſæ amore accendere, rem illam qnam vult nobis eſſe commendatam, ſolet nuncupare nomine illius quam nouit nobis eſſe cordi. Sic Deus Eſa. 58 *Hoc illud eſt*, inquit, *ieiunium quod ego elegi vt confringatis vincula iniquitatis*, &c. Sane iſta quæ illic Deus commemorat non ſunt ieiunium proprie dictum, at Deus ſic loquitur nihilominus populo craſſo & carnali, qui totam pietatem in ieiunio corporeo collocabat; Et ſimiliter Ioelis cap. 2. *Lacerate corda veſtra non vero veſtes* cordi lacerationem tribuit quæ veſtibus tantum competebat, quas hypocritæ illo tempore lacerare ſolebant. Ita Chriſtus iubet nos *theſauros nobis in cœlis comparare vbi neque tinea neque eroſio corrumpit & vbi fures non perfodiunt neque furantur*. Matth. 6.20. Non quod aurum, argentum & eiuſmodi reliqua ſint in cœlo à nobis reponēda, ſed hoc vult vt ſtudiū & curam, quam in congerendis hic terrenis theſauris impēdimus, conferamus & collocemus in conſequenda vita æterna. Sic quoque Paulus ait, *nos eſſe veram Circumciſionē*, non quod circumcidamur in carne vt Iudæi; ſed quia iiſdē effectibus & commoditatibus fruimur quas vulgò Iudæi in circumciſione quærunt. Pari ratione hoc loco, quia Iudæi Chriſto inſtabant & ab eo poſcebant cum magna vehementia cibum corporeum, brutorum inſtar de ventre tantū ſolliciti, manna de cœlo faſtidiosè expetentes, Chriſtus propterea ſe *panem* vocat, vt eos auerteret ab immoderato panis corporei appetitu, rationemque & modum quo ipſius gratiā & beneficiā participamus, *eſū & potū* ideo vocat, quod edendi & bibendi cupido homines illos craſſos teneret maxime ſollicitos, nec præter cibum materialem quidquam erat cuius cura eos magis exerceret.

Præterea hic nihil intellectu facilius eſt phraſibus petitis à rebus ſēſibilibus & corporeis, nec aliter res ſpirituales & cœleſtes à nobis capi poſſunt quam ſub eiuſmodi phraſibus & figuris nobis cognitis & familiaribus, quibus Chriſtum paſſim vti videmus, vt quum in hunc modum mulierem Samaritanam compellat. *Si ſcires*, inquit, *donū illud Dei & quis ſit ille qui dicit tibi, Da mihi potū, tu petiiſſes ab eo & dediſſet tibi aquā viuā*. Ioan. 4.10. Atque in hac Actione ſeſe nobis offert & nos ſimili modo alloquitur & ſpiritualē quam in ipſo capimus voluptatem vocat *eſum & potum*

Potum, quo significat tam firmam & inconcussam in eum fidem, tantamque ex ea fide animæ nostræ consolationem & voluptatem, vt ea nobis sit instar cibi & potus, quod fieri non potest nisi prius Christum esurierimus & sitiuerimus, qua fame & siti discernuntur pij & fideles ab hypocritis, nam hi Christum nunquam sitiuerunt nec esurierunt. Putant quidem ipsi se in eum credere, at nunquam verè cum Dauide dicere potuerunt, *Anima mea sitit Dominum, quomodo, ceruus sitit & glocitat ad riuos aquarũ.* Itaque ob id expediebat vt Christus eiusmodi vteretur locutionibus. Huc & illud accedit quod his locutionibus significatur fidei vis & efficacia qua vnimur Christo. Nam quemadmodũ cibi quibus vescimur in corporis nostri substantiam commutantur, sic & nos in Christum, qui cibus est noster spiritualis, veluti commutamur. Cibus quidem corporeus in substantiam nostram conuertitur, non contrà, quia corpus nostrum est quid cibo ipso præcellentius: at verò anima nostra in cibum suum spiritualem, Christum nimirum, commutatur, hoc est, conformes illi simus, quia cibus ille infinitis partibus nobis est excellentior. Nec aliud est quidquam in nobis, quo ea commutatio fiat præter fidem. Esu & potu corporeo applicatur nobis cibus externus ad reparandam naturam nostram corpoream: id ipsum in animabus nostris fit fide. Quum enim in nobis nihil nisi mera fames, sitis & egestas, in Christo vero copia omnis & abundantia bonorum omnium; nos eum fide amplectentes nobis ipsum applicamus. Inde est quod fides tantopere nobis in Scriptura commendatur, est enim reliquorum omnium beneficiorum fons & & origo. In Christum speramus, eumque amamus. Vtrumque autem illud præstamus, qua in illum credimus. Nam quis in eum speraret nisi prius crediderit, aut quis etiam eum amare possit, nisi prius persuasus sit de immenso ipsius amore. Vnde autem hæc persuasio nisi à fide? quia ergo fide vnicum est instrumentum, quo Christum nobis applicamus, ideo etiam sola fides illud est quo Christi carnem edere, & sanguinem eius bibere dicimur & possumus.

Atque hinc summa nobis oritur consolatio. Quum & huius cibi præstantiam consideramus, & illius participandi modum ac rationem percipimus. Illud enim quod attinet quid in terris præstantius & pretiosius Dei Filio, Sole inquam illo iustitiæ cuius curatio est in alis ipsius, qui nos illustrat, calefacit ac inflammat, *qui pro nobis factus est execratio vt essemus in illo Dei benedictio.* Gal.3.13. *Qui factus est peccatum pro nobis* vt nos à peccati tyrannide liberaret. 2.Cor.5.21. qui omnigenas calamitates in se suscepit vt eius consolatione sustentaremur, qui ignominia affici sustinuit vt nos honore cumularet, qui mortem subire non recusauit vt nobis vitam redderet? An in vniuerso terrarum orbe adeo sapidus & exquisitus cibus datur? Hoc vero si spectemus, sane si operum nostrorum merito cibi illius cælestis participes fieri deberemus, iure nobis desperaremus. Nihil enim tanta fœlicitate dignum facere possumus. Omniũ sanctissimi & purissimi *suas iustitias*, hoc est, operum suorum purissima, *instar panni menstruati* esse confitentur Esa. 64.6. *Quinimò si dixerimus nos pecatum non habere, nosmet ipsos fallere & veritatem in nobis non esse* 1. Ioan.1.8. Indigentia nostra, miseria ac paupertas illa sunt quæ cibum hunc adeo necessarium nobis reddunt, nedum vt illum operibus nostris mereamur. Si bonorum operum abunde præstare possemus, illo opus neutiquã haberemus; verum, Deo sit laus, illius participandi longe alia est ratio. Aperiendi tantum sunt oculi vt hinc miseriam nostram, illinc diuitias quæ sunt in Christo Iesu intueri & animarum nostrarum manus ad sacrum illum cibum apprehendandum extentas porrigere possimus, vt nos qui in nobis ipsis pauperes sumus in Christo ditescamus, nos qui in nobis nihil nisi mortem inuenimus, in illo vitam habeamus. Tam inæstimabilis boni participandi hæc est via sane quam facillima. Non vt in Ecclesia Romana vbi hic cibus certis temporibus & locis alligatur, vbi communicatio à sacrificuli voluntate & arbitrio pendere iubetur, qui si consecrare & Sacramentum administrare vel non intenderit vel noluerit, omnia pro infecto sunt. Non possumus semper sacrificulum habere qui consecret altare coram quo nos sistamus. Sed communio nostra longe est alius naturæ. Nullis circumstantiis alligatur. Fidelis semper & vbique illa potiri potest. Nulla omnino re impediri potest; vbique sititur, vbique esuritur Christus; siue ruri, siue in vrbe, siue in templo, siue domi, vbicunque & quandocunque, diu noctuque, cibus ille cœlestis semper paratus est. Aperi solummodo animæ tuæ os & Deus tuus illo te cibo quam primum donabit.

Sed an ideo sacra communionis huius signa contemnemus? vt ex sententia nostra id inferre volunt Pontificij, nobisque exprobrant. Quando quidem, inquiunt, ita fide participatis carnem & sanguinem Domini quouis loco & tempore, quid opus est Cœnam celebrare & panem ac vinum sumere quæ nihil aliud sunt quam communionis huius spiritualis signa & symbola? Produnt profecto, sic loquentes, se nunquam seriò manducationibus huius efficaciam sensisse. Qui enim rem amat, signum quoque rei dubio procul amat, illius expresso exemplari gaudet & summa cum voluptate illa omnia considerat, tangit, intuetur & aspicit in quibus rei amatæ imago quædam & similitudo elucet. Si parentes nostros vt decet & ex animo diligamus, dubio procul signis amoris illorum & paterni erga nos affectus pignoribus summopere delectabimur. Ita quamuis de Domini nostri Iesu Christi erga nos caritate certi simus, carnem illius pro nobis crucifixam, sanguinem pro nobis effusum, idque fide participemus, multum tamen nobis veri ac solidi gaudij accedit, summa hæc est fidei nostræ confirmatio & obedientiæ nostræ testimonium, quum insuper sacra carnis eius ac sanguinis signa & pignora ab ipsomet instituta participamus. Et quemadmodum Patrem à Filio amari persuadere nobis non possumus, si affectus erga se paterni signa spreuerit, imo pro impio illum, ac immani bellua, qui à se omnem humanitatem repulerit, quicquid in contrarium afferat, habemus, Sic fieri nequit, vt verè Deum illi ament & germani sint illius filij qui gratiæ illius signa spernunt & negligunt; si gratiam eius vt par est æstimarent, certò quidem pignora illius longè alio apud illos essent in pretio. Contra vt patrem à filio amari colligimus, quum sibi à patre mandata in amoris & affectus paterni commemorationẽ

magni facit; pari ratione veri Christiani & qui Christum spiritualiter participans, signa illius reuerentur, illorumque quotiescumque possunt participes fiunt, sacram hanc mensam nunquam nisi reuerentes & veritatis ibi figuratæ memores accedunt.

Veniamus iam ad secundum caput, huius nempe manducationis fructum, qui duplex est. Nam primo hac ratione in vitæ æternæ possessionem iam ab hac vita mittimur. Secundo ius resurgendi gloriose cum Christo in vltimo die acquirimus. Primo obseruandum est Dominum hic dicere, *habere vitam in seipso*, quo duo hominum genera notantur. Horum alij sunt prophani & Dei contemtores, qui licet in animo sint impii, ad mores nostros tamen se conformant vt se nobis adiungere & externam cum Ecclesia communionē colere possint. Illi à priuilegio carnem Filii Dei comedentibus concesso excluduntur: *Nā qui edit carnē eius & bibit sanguinē eius, habet vitam in seipso.* Hi contra, nihil eiusmodi in se sentiunt & aperte hæc riderent, si laruam deponere & liberè loqui liceret. Alii ij sunt qui se Christi membra verè esse existimant eo quod carnem & sanguinē illius externè participauerint. Verùm caue fallaris. Hanc in te ipso vitam quære. Si adfuerit, à te inuenietur; Externa specie contentus esse noli, si illam in te ipso non sentias, illa procul dubio vacuus es, vita enim nihil est sensibilius. Lapides reuera aliquam habent existentiam, viuere attamen non dicuntur, quia se existere non sentiunt; Arbores, quamuis vt accuratè loquamur aliquam vitæ speciem habeant. vulgo tamen viuere non dicuntur. Quid vero causæ est? Certè quia non sentiunt. Si ergo Christum si vitam eius in teipso non sentias, signum hoc est indubitatum te vita prorsus carere, vel adeo exiguam esse vt vita dici non mereatur. Vita spiritualis fonti vnde oritur similis est. Fons ille, Deus est, *in ipso sermone*, inquit Ioan. c. 1. *vita erat.* Vulgo quoque, *vita Dei* appellatur. Quemadmodum igitur Deus semper agit, nec vnquam otiosus est, ita quisquis hac Dei vita præditus est, vim non inertem & otiosam sed efficacem & perpetuo mouentem & agentem in se sentit. Qui illa carent vocantur *mortui* Eph. 2, 1. non ea de caussa quod mundo non viuant, in rebus enim mundanis acertimi sunt sensus. Mundi voluptatibus, bonis, & commodis: ac peccati deliciis plus æquo afficiuntur. Sed quia neque Deo, neque iustitiæ viuunt, nullam earum consolationum sentiunt quæ fideles vsque ad ipsam mortem sustentant, &c.

Vita hæc præterea vocatur *Spiritus vitæ* Rom. 8. Apostolus illam describit ad Rom. 14. aitque esse *gaudium, pacē, & iustitiam*, qui huius vitæ tres sunt effectus. Mira enim pace apud se fruitur fidelis quum hinc pœnas corporis & conscientiæ agitationes quas sentiunt illi quorum portio est in hoc mundo & à quibus se liberatum videt, illinc vero impuras vitę huius voluptates à quibus vi Spiritus Christi depulsus & retractus fuit considerat. Interdum reuera mundi huius ingratam amaritudinem & miserias gustat; Illis tamen non turbatur, quia cibum cælestem degustauit. Per medios afflictionum ignes quibus Deus filios suos hic in terris visitare solet, transit, sed moderato affectus dolore, quia cibi excellentis saporem in ore habet, quo anima eius recreatur. Mœrore non conficitur, vt impii qui in mari Erythræo submerguntur quū filii Dei pede sicco prętereant; qui sibi desperant & nullam consolationem inueniunt. Nouimus nos non mundi sed cœli hæredes esse, quum simus Christi cohæredes, qui neque terræ, neque vitæ terrenæ hæres fuit, sed æternæ, quam non tantum apud se possidere, sed nobis quoq; pretioso suo sanguine acquirere voluit. Quantum præterea gaudium in fidelium animis hæc *vita Dei* excitat? quum in hanc descendunt considerationem, se qui nihil aliud essent quam puluis & lutum, quam putredo & corruptio, amatos fuisse, imò ita amatos, vt seipsum Dei Filius morti exposuerit vt vitam illis conferret, vt balneum ex sanguine suo iniquitatibus illorum abluendis & animarum sordibus expurgandis præpararit, quum cogitant *si fuerint peccata sua velut dibapha, instar niuis dealbanda: si rubra fuerint velut coccineū, similia lanæ fore.* Esa. 1. 18. Tunc in tanti amoris admirationem rapti cum Apostolo exclamant. *si Deus pro nobis quis contra nos?* Rom. 8. 30. si nos iustificet, quis condemnabit? si tantum diligit, quis nos ab illa dilectione separabit? Atque hoc est illud gaudiū, illa animi quies, de qua tam sæpe Paulus, præsertim quum ait, *pacem filiorum Dei exsuperare omnem mentem*; hæc sunt felicitatis illius incomprehensibilis quam olim in cœlo possidebimus pignora; Hæ sunt primitiæ illius gloriæ, qua nos Dominus in regno suo exornabit; hæc est Spiritus Dei virtus à quo in mundi huius perturbationibus sustinemur, per quem obsignati sumus in diem redemtionis. Hoc est Domini sigillum, quod suis imprimit; hæc est illa vita, qua Spiritus nos viuificans facit vt confidēter *clamemus, Abba, Pater.* Gal. 4. 6. fide apprehendentes gloriam illam quæ in nobis reuelari debet. Hæc est omnium nostrum consolatio in mediis afflictionibus nostris, reputantium minimè pares esse præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis reuelandæ Rom. 8. 18. & si cum Christo patimur fore vt cum eo glorificemur ℣. 17. & si Spiritus eius qui suscitauit Iesum ex mortuis habitat in nobis, eum qui excitauit Christum ex mortuis viuificaturum etiam mortalia corpora nostra per inhabitantem ipsius Spiritum in nobis vers. 11. Hæc enim vita verum est & vnicum beatæ immortalitatis nostræ semen, non verò, vt aiunt nonnulli è subtilioribus Ecclesiæ Pontificiæ doctoribus, hostia illa in qua Christi corpus includūt quam *immortalitatis* siue *germen* siue *fermentum* apellant, quod cum corporibus nostris subactum & mistum, illis principium vitæ infundat. Sed hæc sunt somnia atque commenta non Sripturæ modo sed & rectæ rationi & sensui communi repugnantia atque aduersa. Noli hic vitæ melioris principium & germen quærere, sed in Spiritu Christi, quem si habueris, pro certo credito cœlum veram esse tuam patriam, & terram quæ tibi deinceps deserti loco vel ad summum diuersorii erit, non posse in æternum corpus tuum sepulchro inclusum detinere, quin tandem fulgidum & gloriosum resurgat vt corpori Domini nostri Iesu Christi conforme fiat; hæc vita adhuc, præter ea quæ diximus eximiam hanc affert consolationem, eos qui illa præditi sunt, sentire in seipsis spiritum obedientiæ quo feruntur ad Deum diligendum, ad mandata eius alacriter obeunda, ad iugum eius vt

facile

facile & onus vt leue subeundum. Et ita corda illorum afficit, vt sic apud seipsos statuant; A deo me seruator meus dilexit vt sanguinem suũ pro me effuderit: An ergo tam ingratus forẽ vt illum vicissim non diligerem. Vitam suam deposuit vt me ad se traheret, an adeo miser essem vt tantam gratiam contemnerem, meque in sordes & miseriam à quibus me liberauit rursus immergerem? An adeo impius essem, vt vita dissoluta pretiosum Filij Dei sanguinẽm pedibus conculcarem? Vt verbo dicam, hæc vita sincerum veræ iustitiæ affectum ingenerat, & quisquis ea fruitur odit peccatum & sanctitatem amat.

Veniamus ad secundum manducationis carnis & sanguinis Dominici fructum, resurrectionem nẽpe *& ego excitabo illũ*, inquit, *in vltimo illo die.* Deus non est Deus imperfectus & dimidiatus. Non animæ tantum, aut corporis tantum, sed totius hominis Deus est, vt id nobis Dominus noster exponit, mortuorum resurrectionem hisce verbis probãs, *Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi, viuorũ vtique, non mortuorũ.* Matt.22.32. Hoc in tã admirandi operis, atque est resurrectio, dubitationem homines adducere potest, aut quia credunt Deum non satis habere potentiæ, aut non satis bonitatis, vt adeo eximium nobis beneficium conferat. At quomodo de potentia eius possis dubitare? Vniuersum hunc mũdum considera, vt de nihilo tot præstantissimas creaturas cœlum, terram, aquam & quæcumque sunt in illis extruxerit & formauerit? Considera prætereà quo ordine hæc omnia & conseruet & sustineat. Teipsum quoque respice, vt te admirabili plane modo & quem intellectu tuo assequi neutiquam possis, condiderit? Qua fronte dubitabis quin ille qui omnipotentiam suam tot modis nobilitauit, possit corpus tuum aliquãdo ex puluere excitare? Deo sit laus qui nobis tot argumẽtis potentiæ suæ fidem fecit, vt sicut Abrahamus contra spem crederemus, nec corpus nostrũ iam emortuum cõsideraremus, sed oculos tãtummodo ad illum attolleremus qui vocat quæ nõ sunt tanquam sint. *Rom.* 4.17. De bonitate eius multò minus. Nam si quum inimici essemus viuificauit nos, quanto magis nunc recõciliatos per crucem filij sui? Si Christus infirmitatis suæ tempore eiusmodi sacrificium obtulit, vt peccata nostra expiaret & Deo patri suo vniret, quanto magis nunc quum est in cœlis mortalia corpora nostra suscitabit? Non sibi solum ascendit, sed & nobis; Vt mortuus est pro nobis, ita pro nobis quoque resurrexit & ascendit ad cœlos. Illuc resurgentium primitias, corpus nempe suum intulit. Quandoquidem ibi à nobis conspicitur, non est nobis dubitandum quin mox subsequamur: Membra caput sequuntur. Duo eximia resurrectionis nostræ pignora habemus, corpus Domini in cœlo, & spiritum eius in cordibus nostris in terra. Nos præcessit vt locum nobis præpararet. Vbi nunc est, ibi quoque erimus. Hi sunt egregij illi fructus quos corporis & sanguinis Christi manducatio in fidelibus producit. Sed quum ea sit illorum conditio, vt eos vitam suam sentire oporteat, in id studeamus vt eam in nobis sentiamus: Alioquin verendum est ne vana tantum specie gloriemur. Diabolus maximam hominum partem hac sola ratione in inferos abripit, quod verbis duntaxat, re non autem Christianis illis esse sufficiat, nec seipsos vnquam probent & mira prorsus hypocrisi, non solum alios sed & se quoque decipiant. Si verus Christianus esse volueris hinc miseria tua, illinc verò vita Christi tibi sentienda est, &c.

Veniamus iam ad tertium caput quænam sc. sit ratio huius efficatiæ, qua prædita est fides in Dei filium. Quomodo fieri potest vt res tam exigui momenti (sic enim aduersarij nostri loquuntur) tam grandem & admirabilem effectũ producat? & hæc verba satis indicant, illos nunquam scisse quid rei sit credere, quãuis confidentissimè ea de re disserant. Si certò crederes te à Deo in Christo filio diligi, nullius hominis amorem magni penderes; Hic amor suffocaret vel saltem valdè temperaret reliquos omnes tuos sensus & affectus. Qui à rege suo se diligi sentiunt, de alijs colendis non sunt multũ solliciti: in principis sui beneuolentia, si cognitam illam & compertã habuerint, acquiescunt. Quanto magis in Dei amore conquiesces, si tu te ab illo amari verè tibi persuaseris? Si amorem Dei sentire res sit facilis & parvi momenti, credere quoque rem parui momenti fore confitemur; At si ille amoris diuini sensus res sit omnium summa & maxime admirabilis, beneficium omnium prętantissimum & priuilegium, si vllũ aliud, singulare & peculiare, re uera fidem donum rarissimum, nec aliis commune esse consequitur. Adde quod, si cœlum & paradisum crederes non ita terræ adhæreres. Crucem non adeo impatienter ferres; has afflictiones eo animo cõcoqueres, quo æger pharmacum, cuius effectum salutarem sperat, admittit. Noli falli; Nõ est adeo leue & facile credere, *Nos omnes*, inquit Apost. 2. Cor.3.18. *qui retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuemur, in eandẽ imaginẽ transformamur ex gloria in gloriam sicut à Domini spiritu.* Credere, si nescis, nihil aliud est quã Dei bonitatẽ, potentiã, sapientiam & gloriam in Christo explicatas intueri, illarumq; in seruatore tuo viuam imaginẽ aspicere illas inquã retecta facie, vt loquitur Paulus pro te & in te explicatas cõtemplari. Immensum scilicet & infinitum illius amorẽ qui Fillium suum vnigenitũ morti tradidit, vt te vita donaret. An aliquis hæc vnquam vidit, nec eodẽ tempore ad Deum amandum vehementissimè incitatus & commotus est? nec ad mundi & sui ipsius abnegationem impulsus & delatus est? &c.

Nã caro mea verè cibus est, & sanguis meus verè potus est: Hic Pontificij iterũ objiciũt. Annõ videtis Dominum asserere carnem suam esse verẽ cibum. Quid hoc aliud sibi vult, quam ore corporis ac reapse in stomachum demittendam esse? Miser qui nihil aliud quam os, quam stomachum, quam cibum materialem & corporeum crepas. Sane hoc hominem spiritualem non sapit, sed carnalem & crassum, qui nihil verum & reale esse putat nisi quod est corporeum & materiale. Hujus Euangelij capite primo *Verbum* (hoc est Christus) dicitur esse *verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: An quisquam adeo brutus est vt inde inferre velit, Christum mutatum esse in corporeum & aspectabilem istum solem, quo hic terrarum orbis illuminatur, eo quod oculorum nostrorum iudicio præter solem nullum est aliud verum lumen. Quid ergo *vero* hoc *lumine* innuitur? Christum esse excellentissimum

quoddam lumen, spirituale nempe, quod nunquam occidit, nunquam minuitur, nunquam intercipitur, nunquam deficit, lumen à quo vis & facultas videndi infunditur, ingeneratur, quæ omnia lumini isti solari non conueniunt, sed soli Christo: sol enim oritur, occidit, it, redit, non semper pari splendore lucet, lux eius interdum patitur Eclipsim, videndi etiam vim non infundit; ac proinde ex hisce *veri luminis* vocibus, Christum solem hunc aspectabilem non esse quam esse potius infertur. Sic huius Euangelij cap. 15. 1. Christus dicit se *veram* esse *vitem*, non vt innuat se in vitem aliquam materialem mutatum esse, sed vt significet se longe præstantiori modo eas habere proprietates quæ in vite, respectu palmitum, sunt conspicuæ, quam in ipsis palmitibus, qui palmites, ut ita loquar, vmbratici tantum sunt & palmites esse videntur, quoniam vitalis illorum succus non durat in æternum, multominus virtutis huiusce communicatione continua perennitatem sarmentis suis acquirere possunt; *Ast ego*, inquit ille, *sum vera vitis* qui succo quolibet tempore abundo, vegetus semper ac vigens ad alendos & sustinendos qui in me insiti sunt. Pari autem ratione hic ait, *carnem suam vere esse cibum*, hoc est, omnem alium cibum esse fluxum & caducum, vitamque, quæ ex eo alitur, esse illi congenerem, fluxam nimirum & infirmam, at vero carnem suam tam esse efficacem vt illis qui ea vescuntur vitam det & conferat æternam atq; incorruptam. Omnis caro est vt gramen, & omnis gloria hominis vt flos graminis; exaruit gramen & flos eius decidit. Esa. 40. 6. Sed Filius Dei manet in ęternum, & sanguis & caro eius pariter.

Sed cur ait *Caro mea & sanguis meus*, non autẽ, Ego sum verus potus & cibus? Quia carne sua & sanguine suo vita nostra est: Nam si carnem & sanguinem Christo tollas non erit amplius cibus noster, vita nostra. Nam vt vitam nobis adipisceretur oportuit eum pro nobis Deo satisfacere, atque sic peccatorum remissionem nobis promereri. Iam verò *non fit peccatorum remissio sine effusione sanguinis* (Heb. 9, 22.) quia ergo sanguinis sui effusione & carnis suæ immolatione & oblatione in cruce, vitam & peccatorum remissionem nobis est promeritus propterea caro & sanguis ille dicuntur cibus noster. Si alicuius consolationis in Christo participes esse velimus, nobis, vt mortuus pro nobis, considerandus est, vt qui sanguinem suum fuderit, vt qui carnem suam pro nobis morti tradiderit. Ita caro & sanguis Christi, sunt verus ille cibus quo vita in nobis cõseruatur. Diuinitas est huius vitæ fons. Caro & sanguis Iesu Christi veluti canalis per quem in nos deriuatur vita illa, vt à Deo in nos influat. Si ergo vere optamus vitæ huius beatæ participes fieri, ad Christum Iesum, imo ad carnem & sanguinem ipsius, ad ipsum crucifixum accedendum est, ab illo solo, ab eius carne in cruce fracta, ab eius sanguine in cruce fuso consolatio nostra haurienda est. Hoc est carnem eius edere. Hoc est sanguinem eius bibere; Hic est modus quo illi vnimur, quo beati reddimur. Cætera omnia miseria premuntur; si quid vero hic in terris boni appareat, bonum fluxum est & caducum, vmbrâ citius euanescens. Sed hæc vita quæ nobis in Christo offertur est incorruptibilis &c.

CONCIO SECVNDA.

Ioan. VI. ℣. 56.

Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum manet in me & ego in ipse.

MALA omnia quibus hic premimur, peccatum & quæ à peccato sunt, miseriæ, morbi, anxietates dolores, mœrores, mortis & temporalis & æternæ metus, ab vna eademque origine promanãt, ab eo nempe quod vnionem cum primo parente nostro Adamo habemus, Nam, vt inquit Apostolus, *Per vnum hominẽ peccatum ingressum est in mundum & per peccatũ mors, atque ita mors peruasit in omnes homines.* Contra bona his malis opposita iustitia pax gaudium, vera vita, & gloria quam in cœlis expectamus, omnia in nos ex eodem fonte deriuantur, inde scilicet quod cum Christo posteriore Adamo cuius prior typus erat & figura, communionem habemus. Si nulla coniunctio, si nullum vinculum inter nos & primum parentẽ nostrum intercederet, sane malum illius ad nos neutiquã perueniret. Sed hæc cõtagio in nos manauit, quia ab illo originem nostram trahimus, ab illo veluti de manu in manum esse nostrum & naturam nostram accepimus: Ita quoq; si nulla coniunctione Christum contingimus, vita illius, iustitia illius, gratia ac gloria nihil nobis cõferent, in nullam beneficiorum eius partem vocabimur, nec thesauri sapientiæ & beatitudinis quos in illum Deus contulit nobis ditandis quicquam proderunt, neq; miseriis illis quę paupertatem nostram & naturalem indigentiam comitantur liberare poterunt. Ideo quemadmodum in eo situm est infortunium nostrum quod primum Adamum naturâ propius contingimus; Ita tota nostra fœlicitas in eo tantum consisti vt omni modo in Christum per gratiam inseramur; ea demũ vnica est fœlicitas nostra vt reperiamur non in primo patre nostro Adamo, sed in Redemtore nostro Iesu Christo: ab illo enim nihil aliud hæreditariũ habemus præter maledictionem & mortẽ æternam: in hoc contra cum Deo reconciliationem, peccatorum nostrorum remissionem & gloriæ cumulum offendemus. Sed quo pacto illi inseremur, si insitionis huius modum ac rationẽ ignoremus? quomodo ad fœlicitatem illam aspirabimus, si qua in re consistat hæc vnio nesciamus? Res non est quæ à nobis vlla ratione cõprehendi non possit, aut quam penitus ignorare debeamus. Quum nos ad gratiam suam Deus vocat, non in nobis tanquam in plantis aut lapidibus agit, sed quum nos intellectu & voluntate donarit, vtrumque flectendo & attrahendo nos ad se adducit, idque tam potenti & efficaci modo vt resistere nequeamus. Sed qui tamen intellectui nostro & voluntati conueniat; ille nos ea virtute docet vt voluntas necessariò obediat, tamen absque coactione. Nam vt inquit Dominus hoc ipso capite, *Omnes erunt edocti à Deo*, additque insuper

insuper, *quisquis audiuit à Patre & didicit, venit ad me.*

Porro vtrumque & modum vnionis cum Christo & vnionem ipsam, docent nos hæc verba quæ prælegimus, *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum.* Et modum vnionis, *is manet in me & ego in ipso.* En arctam illam vnionem quam cum ipso habemus, si modum quem nobis hic proponit retineamus, non solum intrabit apud nos, sed & in nobis manebit, & nos viceuersa non simpliciter apud illum intrabimus sed & in illo manebimus. Hoc argumentum adeo fœcundum est vt quolibet tempore considerari debeat, *Res* est illa *sola necessaria* quam Dominus Marthæ tantopere commendauit; Cætera omnia nos & deserunt & destituunt, vel nos ipsi illa deserimus & relinquimus. Vnicum illud est immotum fundamentum, fundari nempe petra quam Deus in Sion collocauit, vt quisquis credit in eum non confundatur; Attamen hæc Actio considerationem hanc peculiariter à nobis exigit quum huc conuenerimus ad celebrandam memoriam mortis & passionis Domini nostri Iesu Christi, vt nos carne sua & sanguine suo communicet, ac illi magis magisque viuamur. Hæc igitur duo sigillatim considerabimus. Primum, Vnionis cum Christo rationem, nempe, *Carnem eius manducare & sanguinem eius bibere.* Et quamuis argumentũ hoc sæpe retractatum fuerit, vt sæpe quoque hoc capite repetitur, tamen occasio quę sese nobis nunc offert vehementer adeo cum hoc argumento congruit & cohæret, vt silentio leuiter prætereũdum non sit. Hic igitur quatuor considerabimus 1°. Qui fieri possit vt carni & sanguini Iesu Christi communicemus. 2°. An deceat. 3°. An iustum sit. 4°. Quinam illi sint qui tanto gaudent priuilegio vt carnem hanc manducent & sanguinem hunc bibant, & quibus conditionibus præditi esse debeant: Postea si per tempus & spatium nobis licuerit, ad vnionis nostræ cum Christo, qui manducationis carnis effectus est, considerationem descendemus

Primo quæritur qui fieri possit vt carnem Filij Dei manducemus & sanguinem eius bibamus, quum caro & sanguis Christi nõ sint ab inuicem separata, edere vero & bibere sint actiones distinctæ & separatæ; *Bibere* igitur *sanguinem eius* aliud quippiam est quam *edere carnẽ eius* & *edere carnẽ eius* quã *bibere sanguinem eius.* Dominus ipse hæc separat & euidentem prorsus ac manifestam distinctionẽ adhibet. Crescit sane difficultas quum consideramus Christum secũdum naturam suam humanam sedere in cœlis ad dextram Dei Patris, nos vero tanquam miseros vermiculos hic in terris repere; Vt autem hanc difficultatem soluamus non est nobis cum Pontificijs ad omnipotentiam Dei confugiendum, quia hic agitur de actione qua hominib. Christo & eius gratiæ communicandum est; qua ratione autem id ab illis præstabitur si modum & rationem aliquatenus non cognoscant, Quia præterea Dei omnipotentia non occupatur in actionibus horrendis ac prodigiosis, quæ sensus non solum ac rationem subuertunt, sed etiam verbi Diuini veritatem: Verbo enim Dei docemur Iesum Christũ veram carnem habere & verum sanguinem, & actio illa omnipotentiæ diuinæ quæ hic male prętenditur, huic veritati cõtraria est & repugnans. Hoc eodẽ Dei verbo docemur Filium Dei post peractam redemtionis nostræ cuius gratia in terras descenderat œconomiam ad cœlos ascẽdisse & ad dextram Patris consedisse, ibique futurum ad nouissimam vsque diem; Hoc eodem quoque verbo monemur vt ea quæ supra sunt cogitemus, non autem ea quæ hic sunt inferne, vt Christi aduentum è cœlis expectemus, nullamque fidem illis adhibeamus, qui illum hic vel illic esse dicunt conclauibus pyxidibúsve inclusum; Hoc iterum verbo iubemur ad Christum assurgere & ascendere; non vero illum de cœlo huc ad nos detrahere; optare non quidem vt ad nos veniat, sed vt nos ad illum, in cœlum migremus. *Cupio dissolui,* inquit Paulus, *& esse cum Christo,* & quamdiu hic in terris agimus, ab illo absumus & peregrinamur. Non est igitur cõfugiendum ad illius omnipotẽtiam, non occupatur enim in actionib. quę rerum tot tamq; perspicuis Scripturarum testimonijs confirmatarum veritatem subuertunt.

Sane si corpus tantũ nostrum alatur carne Filij Dei & sanguine eius recreetur, corporaliter reuera edendus ac bibendus erit. At contra si alimentum quod inde percipimus simile non est, ciborum corporeorum alimento, sed spirituale est, & ad animã præcipue spectat, quæ illo vere alitur, veræ consolationis & vitæ particeps fit, quã consequi nequit quin corpus in illius communionem veniat, quemadmodum enim mors animæ corporis mortem secum trahit: ita quoque vita animę vitã corporis necessario infert, Deus enim Deus noster non est ex parte, sed in totum. & animæ & corporis. Si inquam singuli fideles, præter id quod ex ipsa Scriptura habent, propria experientia harum rerum veritatis sensu afficiuntur & in seipsis hanc vitam pure pute spiritualem esse agnoscunt, necessario quoque sequitur manducationem qua hoc alimentum percipimus esse quoque spiritualem; Nam quæso, quid nobis cõfert hic cibus, An ideo illo vescimur vt hi musculi, hi nerui, hi tendines, hæc ossa, hæc caro, hæ venæ inde corroborentur & alantur? Annon potius vt illo anima nostra alatur; vt nouum inde vigorẽ acquirat? Annon igitur animæ hæc actio est, siquidem nullum alium scopum, nullum aliud obiectum præter animam habet? Dispiciendum est pręterea nobis quomodo hunc cibum esuriamus & hunc potum sitiamus. Si fames nostra & sitis sit corporis, corpus vtique huic manducationi applicetur; sed si fames & sitis est animæ, esus & potus sit spiritualis non corporeus. Deinde eo modo edendus est à nobis Christus, quo modo nos eum videmus, at non corporis, sed animæ & mentis, seu fidei oculis eum videmus, ergo fide atque animo non corpore est edendus. Iubemur à Dauide gustare quã bonus sit Dominus, qualis est gustus ille, spiritualis nempe & animæ, talis & esus esse debet atq; potus. Iubemur ab Apostolo Christum induere. Num igitur Christi carnem corpori nostro vestis instar circumponemus? Minimè vero. Nihil aliud sibi vult Apostolus, quam vt animas nostras arcte Christo iũgamus & vniamus illũ nobis circumponamus & animam nostrã illo induamus, vt ab iniuriis & miseriis quib. naturaliter obnoxia est protegamur, illiusq; nuditas & turpitudo abscondatur & operiatur. Sane qualis est indumenti ratio & modus, spiritualis

nempe, atque animæ non vero corporeus, talis esse debet manducationis & potus ratio. Præterea iubemur peccata nostra in sanguine Christi abluere. Num ablutio illa modo fit crasso atque corporeo? Neutiquam. Spiritualis est illa ablutio, neque quicquam aliud infert quam peccatorum nostrorum remissionem per crucem ipsius; qua ratione ergo abluimur, eadem à nobis est edendus & bibendus. Ne pedem offendamus ad Scripturæ phrases, sensum attēdamus. Formulis loquēdi scriptura vtitur quæ ducuntur à rebus corporeis, nobis vel maxime necessarijs, easque identidem animæ nostræ applicat: Caueamus tamen ne propterea quod corpori propriè conueniunt, eas de corpore interpretemur. Non decet nos crassas Nicodemi habere cogitationes quem quum Dominus de spirituali fidelium regeneratione doceret; corpoream sibi fingebat generationem; *Quomodo* inquit, *potest quispiam nasci qui sit senex? num potest in vterū matris suæ secundo introire & nasci?* Ioan. 3.4. Nec item Samaritanæ quæ Christi sermonem de spirituali gratiæ suæ aqua carnaliter & secus atque oportebat interpretabatur, inquiens. *Domine neque quo haurias habes & puteus profundus est.* Multo minus Capernaitarum, qui quo erant stupore cibum duntaxat corporeum & manducationem quæ ore & organo corporis fit somniabant, quum Christus illos de spirituali cibo compellaret. Edendus est nobis Christus quomodo patres sub lege eum comederunt. *Hi enim* (vt testatur Paulus 1. Corinth. 10.3.4.) *eundem nobiscum cibum & potum spiritualem ederunt & biberunt:* Edendus denique nobis est heic Christus, quomodo nos eum aliquando in cœlis esuri sumus, quando isthic accumbemus ad eius mensam cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo & reliquis omnibus sanctis, quando nos explebit pinguedine domus suæ & de torrente deliciarum suarum bibere dabit nobis. Heic ergo esto nobis vitæ huius beatæ inchoatio, quam si inchoauerimus, vna eademque opera Christum manducauerimus.

Regerunt Pontificij, nos hic imaginosum pati, vt qui Christum figuratè tantum manducemus, cogitatione potius quam reipsa, atque ita triumphabundi nobis insultant: sed hoc pacto se protanos, non vero bonos Oratores esse produnt. Nam quæso, quum Iesum Christum videmus (quem ipsimet nonnisi spiritu à nobis videri contendunt) an figurate tantum & sola opinione illum videmus? Quum illius sanguine abluimur, an imaginarium est illud lauacrum? an illo tantum figurate lauamur, an potius verè ac reipsa? Attamen lauacrum illud aliud quam spirituale esse nemo contendere ausit: Sic enim significatur, vt peccata nostra grauia sint atque enormia, Deum nihilominus nobis placari intuendo in sacrificium illud Iesu Christi & perfectissimam illam satisfactionem quam pro nobis præstitit & exhibuit. Tota proinde Christiana fides, vt quæ mere spiritualis sit, nihil aliud erit illis quam animi sibi blandientis fallax opinio: Et in eo satis produnt quæ sit animi sui sententia, si fidem nempe nihil aliud esse præter animi figmentum & opinionem, quæ in illorum cerebro huc atque illuc fluctuet nec rupi sæculorum Domino nostro Iesu Christo nitatur fulciaturve. At longe aliter loquitur verus Christianus, qui vim fidei sensit, fidei inquam illius viuæ, quâ Abrahamus credidit, quamuis nihil in se, neque in Sara vxore animaduerteret, quod rebus à se creditis repugnare non videretur, quâ præterea vidit diem Domini ac gauisus est; fidei illius qua iustus viuit; quæ est vt inquit Apostolus ad Hebræos 11. *Subsistentia eorum quæ sperantur, & demonstratio eorum quæ non cernuntur.* Ille inquam qui fidei huius vim senserit neutiquam meram opinionem esse dicet. Væ illis qui de fide ita loquuntur. Is est illorum stupor vt nihil credant quam quod vident, & qui, si vsus venerit, animam suam, propterea quod corpus non sit, esse negabunt, Deum quoque non esse, propterea quod manibus palpari & oculis corporeis cerni nequeat. Sibi ipsis deinde contradicunt, inficiari enim non possunt quin multi fideles Sacramento & manducatione sacramentali priuentur. Quid? an illi opinione tantum Christum manducare, carne eius ali, sanguine recreari figurate tantum, non autem reipsa dicendi erunt? Annon vel inuiti fatebuntur actiones animæ actionum corporis defectum supplere? Quum de corpore agitur, corpus officium suum fungitur, hic quando quidem de anima agitur, anima suum quoque fungatur. Si de vita corporis, age operâ corporis vtamur, si corpori medendum est, corpoream adhibeamus medicinam: At si vicissim de anima agatur, de illius consolatione, vita ac sanitate, anima tunc temporis suum ipsius alimentum sumat, suum ipsius medicamentum hauriat: Corpus nullius harum rerum nisi mediante anima particeps esse potest & quatenus inde aliquid ad ipsum redundat propter arctam illam quam cum anima habet coniunctionem.

Sed hæc ad quæstionis à nobis propositæ solutionem nondum sufficiunt, nec inde satis patet quomodo hæc *manducatio* nobis conducat: Non enim sat est dicere id fieri spiritualiter, non autem corporaliter. Quum autem huius rei gratia huc conuenerimus vt carnem Filii Dei manducemus & sanguinem eius bibamus, omnino explicanda est *illius ratio*, nec simpliciter respondendum id fieri modo ineffabili atque incomprehensibili, quem animis nostris nulla ratione assequi possimus; Nec ideo tamen contendimus animos nostros illuc omnimode assurgere posse, quæ est mysterij nostræ cum Christo vnionis altitudo. Sed quemadmodum fidelium suspiria ab Apostolo inenarrabilia appellantur, nec tamen inde sequitur, hæc ab illis suspiria penitus ignorari vt pote recondita & abdita mysteria, siquidem ab illis, ipsis, quanquam reuera à Spiritu S. incitatis, proficiscantur. Non secus hic manducatio carnis Filii Dei actio quidem est *μυστικώδης*, & si verba rei dignitati & excellentiæ æquiparanda sunt, inenarrabilis, non ideo tamen fideles hoc penitus ignorare, nec aliis vlla ratione prorsus explicare posse dicendi sunt. Eodem plane modo quiescōscientię vocatur *Pax Dei quæ superat omnem intellectum* & fideliū gaudiū vocatur à B. Petro, *inenarrabile & gloriosū.* An ideo dicemus fideles latere in quo consistat hęc pax, hęc illa pax quam ipsi sentiunt, quæq; adeo est vnica illorum consolatio & manna illud quo aluntur? An quo sit gustu illos nescire dicemus? vel si sciant,

sciant, id aliis nullatenus explicare posse? Neutiquã sane. Nec alia est ratio manducationis carnis Filij Dei. Ea quorum ratio à nobis comprehendi nequit sita non sunt in sensu aliquo in nobis existente, aut in actione aliqua à nobis per Spiritum Sanctum producta, sed in rebus quæ extra nos sunt, neque a nobis vllo modo pendent vt est Creatio; mundus enim à nobis creari non debet, nec proinde modus & ratio creationis penitius à nobis indagandus est. Eadem quoque est prædestinationis ratio, Decreti, inquã illius quo his potius quam illis fidē qua serueniur ab æterno dare Deus decreuit; extra nos enim est. Ideo de his cũ Mose dicendum est Deut. 29 *Quæ occulta sunt penes Dominũ Deum nostrum sunto, at quæ reuelata nobis & filiis nostris vsque in sæculũ reuelata sunt vt*, inquit, *faciamus omnia verba huius legis*. In his *modus & ratio* non sunt inquirenda Idē esto de Sanctæ Trinitate iudiciũ; in vna & simplicissima essentia tres esse personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nobis in verbo suo Deus exposuit, sed qui id fieri possit non item declarauit, id itaque à nobis simpliciter credi debet, nec modus & ratio anxiè inquirenda sunt. Sed aliud est rerum genus, quæ à nobis præstandæ sunt, quas quæ à nobis Deus tanquam officium quoddam exigit, harum nobis *modum & rationem* Deus patefecit: e.g. Christi carnem manducare & sanguinem eius bibere iubemur, quomodo id à nobis præstari potest, quomodo Deo id præcipienti obtemperare poterimus si modum quo id fieri & potest & debet ignoremus? Vt igitur id à me explicari queat, verissimis Domini nostri verbis hoc ipso capite, *Ego sũ panis ille vitæ, qui venit ad me nequaquam esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam*. Veniamus ad illum, credamus in illũ. Quid magis perspicuum? Nemo nostrum est qui hæc non intelligat, ad illum solum confugiamus, illi soli confidamus. *Noli* (inquiebat olim celeberrimus Ecclesię doctor) *ventrem & dentes parare crede & comedisti*. Annon hęc plana satis sunt & aperta? *Manducare* est rem externam corpori nostro applicare, vt illa corpus alatur & corroboretur. Iesum Christum sumamus, illum animæ manibus hoc est vera fide amplectamur, illum nobis vniamus, illi adhæreamus: Respondeamus cum Thoma, *Domine mi & Deus mi*. Nos ipsos illi in obsequium offeramus, atque hoc pacto carnem eius manducabimus & sanguinem eius bibemus.

Id vero est carnem eius manducare & sanguinem eius bibere, non autem simpliciter, manducare & bibere Filium Dei, Quia nunquam ad illum accedere auderemus, nisi caro & sanguis eius viam nobis non aperuissent. Ad illum enim accedimus quia de illius amore certam concipimus fiduciam. Crux autem illius, mors, passio, caro crucifixa, sanguis effusus hanc in nobis fiduciam & amoris persuasionem ingenerat. Et in S. S. Cœna non simpliciter carnem suam nobiscum communicat, sed carnem suam fractam & quatenus fractam pro peccatis nostris. *Hoc*, inquit, *meum est corpus quod pro vobis frangitur* pariter de calice, *hoc est*, inquit, *sanguis meus qui pro multis effunditur*. Si ergo peccatũ & miseriam in nobis deprehendimus in ipsius sacrificio reconciliationem nostram, in Spiritu sanctificationem & vitæ melioris expectationem quæramus. Nobis & omnibus quæ à nobis prodeunt renuntiemus. In illum solum spem nostram & fiduciam collocemus &c. Hoc si fecerimus, vere & reipsa, non autem falsa opinione decepti, vt inquiunt aduersarij, carnem eius manducauerimus & sanguinem biberimus.

II. Iam ad secundum caput veniamus, nempe an deceat, nos Filij Dei carnem manducare & sanguinē bibere, hæc enim caro & sanguis, illius qui Deus est caro & sanguis iure dici possunt; adde quod hæc caro nunc in cœlis admiranda prorsus gloria, eaque quam animis nostris concipere nequaquam possimus tota velut amiculo circumfundatur, quæ enim parauit Deus iis à quibus ipse diligitur nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt. Quo modo igitur deceat miseros & abiectos vermiculos humi perpetuo repentes accedere ad res tam altas, tamque magnificas, illarumque participes esse? Neque hic ad Pontificiorum effugium confugiendum est, qui id corporeo quidem, sed delicato admodum & subtili modo fieri arbitrantur. Nos scilicet manducare carnem Filii Dei, non aperte quidem sed accidentibus panis tectam & inuolutam, & sanguinem quoque bibere, sed deformatum & suo vini speciebus latentem. Nolite mirari si tota hæc doctrina obscura vobis & implicita videtur, hæc est mendacij, quippe à patre tenebrarum orti, natura. Tenebrosum est & obscurum, nec perspicue explicari potest; veritas cōtra solis instar clara est & se penitus conspiciendam præbet. Quid si ab illis quæras? sed an decet hominem, Christum in stomachum suum inter fæces & sordes admittere, an ille est thalamus nuptialis in quo nuptias celebrat cum anima fideli? statim ad altas contemplationes relabuntur. Diuinitas, inquiunt, est vbique, nec tamen vel sordidissimis rebus vllatenus inficitur vel inquinatur Atqui, excipimus, Diuinitas non est corpus, essentia est spiritualis, immensa, infinita, materiæ expers, ac ideo quum vbique sit non tamen inquinatur. Sed caro & sanguis Iesu Christi sunt corpora, imo vera corpora quæ stomachum nostrum absque tactu, ac per consequens inquinatione subire nequeunt. Vbi hac non successit, rem alia aggrediuntur via & ad aliud figmentum confugiunt, qui enim nobis tantopere imaginosum objiciunt, cerebrum tot tam variisque imaginibus occupatum habent vt vel eo tempore quo veritatem proponunt tot figmentis eam deformare soleant vt obscura reddatur, nec ab vllo facile capi queat, Ann ó videris inquiunt, lumen solis per omnia aëris loca vel inquinatissima spargi, nec tamen vllo modo infici vel inquinari. At quid luminis nomine intelligunt? An aërem? Sane si aërem, aër inficitur & fœtorem contrahit à sordibus circumpositis. Si vero de vero lumine in aëre, non autem de ipso aëre intelligant, reuera lumen nec inquinatur nec inficitur à locis lumine perfusis, sed lumen non est corpus, verum proprietas corporis solis nempe vel aëris: alioqui si lumen esset corpus, sequeretur duo corpora naturaliter vnum eundemque locum tantum occupare, & simul esse in vno eodemque loco. Nam lumen & aër in quo est lumen vnum eundemque tantum locum occupant, idque sine miraculo. Caro autem Iesu Christi huius non est naturæ, nec ea est corporis

vel proprietas vel qualitas. At caro Christi verũ est corpus prǽditum omnibus qualitatibus ac proprietatibus naturalibus veri corporis. Tertiò dicunt Iesum Christum olim in terris versarum esse cum impiis ac peccatoribus, nec ideo tamen quicquam labis inde contraxisse. At vero, illud *olim*, iam prǽteriit, idque locum obtinuit in statu infirmitatis, tunc ab impiis contrectatus est, imò ab ipso Diabolo supra pinnas templi translatus, ideo quia id illi permiserat. Nunc verò est in gloria sua, nomen habet quod est supra omne nomen, cui omnigenæ creaturæ summæ, mediæ, infimæ, honorem & reuerentiam deferunt; Nihil illi amplius est commercii cum infirmitate illa & humilitate cui se subiecerat in diebus carnis suæ, &c.

Age ergo scire lubet quo tandem modo deceat nos carnem eius manducare & sanguinem bibere? Id ex nostra, non autem Ecclesiæ Romanæ doctrina discitur, anima enim nostra illum excipimus; quid autem & decentius & conuenientius? Annon decet nos ad illum confugere, nos illi vera & viua fide vniri coniungi vt vitam quæ in illo est tãquam in ipso fonte & scaturigine bibamus & hauriamus. Quid pote conuenientius? Id autem vt edi & bibi possit prǽstandum esse dicimus, sed ea est aduersariorum nostrorum superstitio, vt spiritu vertiginis abrepti incerti quid dicto, quidve facto opus sit, nesciãt quo se conuertere debeant, quum ad Iesum Christum cum fidei plerophoria illis confugiendum est, & cum certa, firma, & constanti fiducia & persuasione, se ab illo seruatum, corroboratum, consolatione leuatum, & liberatum, ac tandem in gloriosæ immortalitatis ac vitæ æternæ possessionem missum iri, toti trepidant. Nec eatenus progredi audent vt in illum confidant, quin potius nostram in illum fidem arrogantis & superbæ prǽsumtionis titulo insigniunt. Si dicamus Christum manducare & bibere nihil aliud esse quam in anima nostra illum excipere, illi soli niti & fidere, ab illo solo pendere, ita animo certo & confirmato esse vt dicere possimus, *Viuo, non amplius ego sed viuit in me Christus & vitã quã nunc viuo in carne, viuo per fidem illã Filij Dei qui dilexit me & tradidit semet ipsũ pro me.* Si nos ipsos examinantes ex Apostoli prǽcepto Christum in nobis deprehendere nos dicamus, illumque in cordibus nostris per fidẽ habitare; aiunt audaciæ esse intolerandæ carnem eius hoc pacto manducare & sanguinem eius bibere velle, attamen illi qui se tam humiles, tam modestos, timidos, moderatos, & reuerentes esse volunt illum in stomachum suum demittere, ac inter sordes collocare non verentur. Quænam est prǽpostera illa pietas, nolle ita in Christum credere vt certi sint vitæ illius quam credentibus promisit, nolle ita illi confidere vt ab illo separari non metuant, ac si nec satis haberet potentiæ, nec satis bonitatis, ad seruandas oues suas, quum sibi ipsis diffidentes sese illi commiserint, & tamen illum audere deuorare? Timidi scilicet quum illi innitendum est audaces vero quum eum deglutire gestiunt, qui prǽ nimia reuerentia illum animæ suæ hospitio excipere non audent, & pietate prorsus absona corpore illum excipiunt. Quasi corpus non esset locus infinitis modis indecentior animâ rei tam excellenti ac pretiosæ, atque est caro & sanguis Christi, excipiendæ. Hæc est autem vna præcipuarum & maximè insignium falsæ religionis notarum, hominum animas à vera & spirituali quam cum Filio Dei habere debent communione auertere.

Si adeo absurdæ opinionis & erroris caussa quæratur, duplicem esse dicimus. 1. Astutiam & malitiam satanæ, qui quum videret se non posse hanc opinionem hominum animis eximere, cum Christo nempe communionem habendam esse, à vera animæ communione illos auertit, vt in falsa & commentitia communione illos occuparet, qua non Christo, sed idolo communicant, rei scilicet quam ideo Christum esse credunt, quia homo forte sceleratissimus, quinque voculas proferendo Iesum Christum de cœlis in terram detrahit. Secunda huius erroris caussa, & absque qua esset, nihil Diabolus profecisset, (nunquam enim hominibus malum persuadet, quin ipsi ex se consentiant, quin mali aliquid in illis deprehendat, quum contra Dominus hominibus bonum persuadeat, quamuis nihil nisi mali in illis comperiat) secunda, inquam, hæc caussa est, homines ante omnia expetere vt in terris manere possint, vnica illorum voluptas & delectatio est terra, perpetuo hic deorsum, si res arbitrij nostri foret, viuere vellemus, tamque arcte caducis hisce & corruptibilib. rebus adhæremus, vt vix ac ne vix quidem inde auelli possimus, vt sursum aspiremus. Ideo malumus Deum ad nos huc in terram descendere, quam ad illum in cælum assurgere, hec via perquam difficilis nobis videtur, & hæc illa est quam aduersarij nostri *viam imaginariam* appellant, atque ita ex ipsorũ sententia, præces quæ corde tantum concipiuntur, non ore proferuntur, vt interdum contingit prǽ cordis feruore verborum fluxum sisti & in ore veluti exarescere, preces imaginariæ vocari possent. Homines corde & animo ad Deum accedere nolunt, sed ad se pertrahere cupiunt; id ex historia Iudæorũ patet, qui sibi vitulum aureum confecerunt quamprimum Moses per aliquot dies ab illis abfuit, *Age*, dicunt ad Aharonem, *fac nobis Deos qui anteant nobis, tã enim Mose viro illo qui eduxit nos è terra Ægypti quid factũ sit ignoramus.* Et superstitiosus hic error tãtopere hominibus placet, vt non libenter nisi eos admittant, qui in eos detinent, adeo vt oppidula reperire sit vbi non solum cohortes aliquot, sed integros exercitus alunt hominum à quibus id genus magis pascuntur, quippe illis persuadẽt se Deum de cœlo in terram deducere, illos in imaginibus granis consecratis, cerei agni plagunculis vexillis, candelis, statuis, & eiuscemodi aliis rebus sub oculos cadentibus defixos retinent, illorumque pietatem ad illas religant, quominus animis in cœlum assurgere possint; Isti vero tolerantur, admittuntur, aluntur, fouentur, & tantum non adorantur. *Sufferiis*, inquit Paulus, *si quis vos in seruitute adigit, si quis exedit, si quis stipendiũ accipit.* Si vero ad cultum spiritualẽ sese aliquis conuertat & doceat animam humo tollendam & in cœlum eleuandam, vix centesimus quisque fauebit auribus, quia Dominus in hac spirituali doctrina non nisi de animo, anima, corde & rebus supernis loquitur, tribulationemque in carne nobis denuntiat quandiu hic in terris agemus; En propemodum rationes quæ tam crassos & palpabiles

errores

errores in Ecclesiam Romanam introduxerunt, atque etiamnum hodie fouent ac tuentur, quia visibili Diuinitate gaudent,& quæ corpore haud secus atque anima percipiatur. At nos, hoc vnum sciamus vt Christi participes esse possimus, in cœlos vbi verus noster thesaurus repositus est adscendendum esse & affectus nostros ex terra stirpitus eradicandos esse,&c.

Tertium caput sequitur, An iustum sit Christum venire in corda nostra; ille totus est lumen, nos vero nihil aliud quam tenebræ; Ille est ipsissima sanctitas, nos vero toti sordes & pollutio. Ille est benedictio Dei, nos vero maledictione eius digni, quis nostrum hæc secum perpendens non dicat cum Centurione, *Domine non sū dignus vt sub tectum meū ingrediaris.* Sed & considerate quoque Christum nobis omnino esse necessarium: si quis in tenebris degens diceret se ad solem accedere nolle ne illi probro sit ac dedecori annon iure illum rideremus? Certe si ea solis natura esset vt ab illo videri non posset quin soli foret dehonestamento, iure prodire recusaret. At, tantum abest vt sol aliquid inde alterationis aut immutationis contrahat, vt contra mutationem in accedentem operari soleat, eodem enim tempore tenebris illum & omni obscuritate liberat Leprosi hominum frequentationem merito refugiunt, quia cum illis versari nequeunt quin illos inficiant, non est enim hominum temperamentum adeo exactum & absolutum, vt illorum morbo contaminari nequeat, nedum vt illum corrigere possit; At si quis tam perfecta frueretur sanitate vt frequentatione sua leprosi morbo mederi posset, re ita se habente neque iniustum neque indecens foret leprosos ad eiusmodi hominem accedere. Nos omnes sumus tenebræ, omnes leprosi, peccato, quæ est animarum nostrarum lepra, cooperti, Christus vero est Sol iustitiæ, Sol cum curatione in alis suis, qui simul & illuminat & sanat: ille est qui vt ait Paulus ad Rom. 4. *iustificat impium*, ne reformida igitur illius accessum licet sis impius. Ægrotus confugit ad Medicum, nec existimat turpe esse ad illum accedere, imo quo grauior est eius morbus, eo maiori cum cura medicum adit, atque ita morbus noster ad Christum arctius amplectendum adigere nos debet nedū vt ab illo nos summoueat; *Nō opus est iis qui sani sūt medico*, inquit Christus, *sed iis qui male se habent. Non veni vocatū iustos sed peccatores ad resipiscentiam.* Addo præterea id esse iustissimū, alioqui Christus frustra crucifixus esset, cur enim mortem adeo & crudelem & execrandam pati voluit? Annon propter peccata nostra? vt illa scilicet sanguine suo ablueret? vt illo dealbaremur, nos inquam qui natura toti vitiis & criminibus scatemus? Hic est finis mortis Christi; ideo ipse dicit, *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciā vt requiescatis.* Si quis ad illū venire recusauerit, alterutrum facit, aut se absque Christo satis diuitem, satis validum & sanum dicere vult, aut aperte obedientiam recusat, quandoquidem Deus dicit. *Heus quisquis sitit, venite ad aquas & cui nulla est pecunia venite, cōparate, & comedite. venite inquā cōparate absque pecunia & absque pretio vinum & lac* Quandoquidem Christus ipso festidie, imò singulis diebus tam benignè & clementer inuitat, clamans *si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me flumina aquæ viuæ ex ventre ipsius fluent, quisquis biberit ex aqua illa quā ego ei dabo nō sitiet in æternū, sed aqua illa quā ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternā* aut fateamur necesse est nos non sitire, aut si siti premimur, Domino vocāti pareamus. Vt enim omnimode cōuincamur, Dominus rebelles & impios hoc ipso capite compellans, in hunc modum eos alloquitur, *Pater meus dat vobis verū panem cœlestem.* At quomodo? an carnem suam profanat? an margaritam hanc porcis obiicit? Nequaquam; sed esurientibus & sitientibus fit illa promissio; vt abominandi simus & rebelles, nobis hodie Deus carnem suam & sanguinem suū pollicetur, sed ea lege vt illa esuriamus & sitiamus, *Ita enim Deus dilexit mundum vt Filiū suum illum vnigenitum dederit.* At diligenter obseruate quid subiungatur. *vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Tandem aliquando ad quartum & vltimum caput, quomodo deceat nos præparari ad carnem hanc manducandam & sanguinem hunc bibendum; vno verbo id expediam, esuriamus & sitiamus. Multi paruo admodum, aut potius nullo harum rerum sensu tanguntur; Pastoris forte oratio aurem titillasse potest, species & vmbræ rerum mentem vel tantillum tetigisse, at ipsis rebus non mouentur, quia nunquam paupertatem suam & summam qua laborant gratiæ indigentiam, senserunt. Haud secus illis accidit ac si hominem alloquereris qui præ morbi grauitate extremum ciborum omnium pateretur fastidium; huic cibum si obtuleris, statim nauseabit, ab omnibus pharmacis abhorrebit; ea est ægritudinis acerbitas, vt non possis de valetudine eius non desperare, eiuscemodi hominem hortari operam ludere est. Verum alii vitæ huius breuitatem perpendentes, & miseriæ suæ magnitudinem quod toties Deum offenderint & miserè gratiis eius abusi fuerint, quum nullum omnibus hisce malis remedium aliud videant quam fidem Iesu Christi, illi inseri & ossa ossium eius & caro carnis eius fieri ardenter exoptant, suntque instar famelicorum, qui in cibum vix appositum irruunt. Age igitur videamus an hac fame & siti reuera laboremus, an cor contritum & confractum habeamus, an peccatorum nostrorum onus sentiamus & ab illo leuari ardenter expetamus. Exigit enim hic à nobis Dominus vt illi cordium nostrorum seria pœnitentia fractorum sacrificium offeramus; illi vero tantum idonei sunt qui hoc sacrificium offerant qui viuo miseriæ suæ sensu tanguntur Nullum eiusmodi sacrificium ab Angelis illi offertur, beati enim sunt, neque ab hominibus quibus omnia ex voto succedunt & omni morbi sui sensu priuantur, sed ab illis duntaxat qui peccati sui onere grauantur & maledictionem peccato debitam seriò perpendunt. Hic præterea sacrificium gratiarum actionis offerendum nobis est; hic enim expressa videmus beneficia in nos ab illo collata, quomodo nos per mare rubrum traduxerit, ex quo Ægyptiis submersis emersimus, & sanguine eius seruatissimus, quum plusquam dimidia terrarum orbis pars perierit, offenderitque in lapidem hunc electum, collocatum in Sione ad salutem fidelium & infidelium exitium. Si ad alteram littoris partem simul cum Israelitis flemus, & cum illis quoque Canticum gratiarum actionis Deo nostro canamus.

si hæc reuera sit animorum nostrorum affectio, si reipsa Christum esuriamus & sitiamus, nulla amplius dubio procul rerum terrestrium & mundanarum cupiditate ardebimus, ardor ardorē consumet fames Christi famem mundi extinguet; mundus mundi studiosus est quia Deum non nouit, quia & gratiam & gloriam eius ignorat, vbi fullucet, omnem aliam lucem obfuscat & extinguit, præsertim candelarum lucem vt debilem & exiguam. Ita amor Dei ignis est qui aut obruit & penitus extinguit aut saltem valde infringit & minuit omnem alium amorem in cordibus fidelium Si Christum vt decet expectamus, reliqua curæ nobis non erunt; Nihil pensi habebimus quamuis hic non simus ab omnibus rebus instructi, scientes crucis Christi priusquam gloriæ, spinarum priusquam coronarum participes esse nos debere, & si cum illo regnare volucrimus nobis cum illo quoque patiendum esse; oculos itaque animæ nostræ, fratres, sedulo aperiamus hinc Iesum Christum in cruce pro nobis mortuum, pro nobis sanguinem suum effundentem, horrendos cruciatus tolerantem, calicem iræ Diuinæ pro nobis exhaurientem contemplemur, inde verò Deum nobis hoc inæstimabilis pretij sacrificio placatum, & hac contemplatione corda nostra molliantur. Diligamus illum quandoquidem nos tantopere dilexit, diligamus quoque fratres nostros illorum miserescentes, vt nostri misertus est. Ne simus erga illos animo implacabili, eo enim non est erga nos animo. Quando sacram hanc mensam cum huiuscemodi præparatione accedemus, interne Christum participabimus, iam hic cū illo versabimur, *Nos enim vt municipes cœlorū nos gerimus, vnde etiam Seruatorē expectamus Dominū Iesū Christum*, Philip. 3. Quū oculis corporeis videbimus panē frangi, vinum infundi, oculis animæ Christum in cruce extensum, carnem eius crucifixam, sanguinem eius effusum videbimus, cordibus nostris illum excipiemus, & in nobis manebit & nos in illo, nec mundus, nec vlla creatura nos ab illo vnquam separare poterit, in illo mundum vincemus. *fides enim victoria nostra est*, inquit B. Ioannes. Ille ipse autem qui hanc veritatem nobis annuntiauit, qui illam nos docuit & Verbo suo & Spiritu suo, Verbi huius & Spiritus sui efficaciam cordibus nostris imprimat, vt carnis eius & sanguinis, ac proinde vitæ illius, vitæ æternæ inquam quam omnibus in se credentibus pollicetur, participes fiamus. Amen.

CONCIO TERTIA.

Ioan. VI. ℣. 56.

Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo.

MAGNA semper fuit & admirabilis Ecclesiæ forma & gloria. Ab æterno depictam habuit illam Deus in oculis, in manus suę palma insculptam illam omni sæculo tanquam oculi sui pupillam caram habuit. Vniuersa hæc rerum compages in Ecclesiæ solius gratiam subsistit, illa est sal terræ, illius caussa Deus machinam hanc, omnesque eius partes sustinet ac conseruat, quia sponsa illius est & hæreditas quam ex omnibus nationibus sibi delegit, non vlla illius forma & pulchritudine, sed solo suo beneplacito ductus. Attamen antequam Deus seipsum in carne manifestasset, hęc gloria, qualis est, cognita non erat, nedum ipsi Ecclesiæ in qua residebat. Aliquid inde fidelibus cognitum erat quantum ad illorum consolationem necesse erat, sed longe, infra notitiam quæ nobis per Euangelium contigit. Se Ecclesia splendore & magnificentia ornatam conspexit quando Dominus Iesus in hunc mundum venit & aperte vocem illam proclamari audiuit, fideles esse corpus mysticum Filij Dei, illos manere in illo & illum in illis. Hic est cumulus omnium consolationum quibus sustentari Ecclesia poterat, & de quo hic in textu nostro agitur. In quo confusionis vitandæ gratia quinque hæc capita attingemus. 1. Quinam sint termini huius vnionis, vel vt apertius rem exponamus, quis ille sit cui vnimur & qui nos, qui illi vnimur. 2. Quo nomine Christus nobis vniatur, & quo nomine nos illi vniamur. 3. In quo consistat hæc vnio & quid sibi velint hæc verba *Christus manet in nobis & in eo*. 4. Vnionis huius firmitatem considerabimus, quamque sit arcta & indissolubilis. 5. Quam excellentes sint fructus huius vnionis.

Primum quod attinet, Ecclesia Dei olim vocabatur semen Iacobi, postereritas Abrahami populus Israelis, magnificis sane titulis & quibus à cæteris populis separabatur & distinguebatur: At hodie neque Abrahamum, neque Isaacum patrem nostrum inclamamus, sed Christum Dei Filium: Ecclesia non amplius *Israel* aut populus *Iudeorum* vocatur, sed numerus Christianorū, hoc est illorum qui Filio Dei vniuntur, ei scilicet qui (si illum qua parte nos proxime contingit consideremus) *pulcherrimus filiorum hominis* dictus est, idque etiam quatenus homo, sed insuper, qui Filius est Dei æternus, Deus ipsemet, *Deus fortis, admirabilis & potens*, vt ab Esaia appellatur, Potēs robore, sapiens corde, cuius tanta est potentia vt per illam omnia de nihilo crearit, per quam etiānum omnia sustinet, vt inquit Apostolus ab Heb. 1. Cuius sapientia quoque tanta est, vt in illa reconditæ sint profunditates diuitiarum sapientiæ, qua hominum renes scrutatur, ita vt omnia sint nuda & intimè patentia oculis eius. Denique ipse est sapientia & potentia Patris, effulgentia gloriæ & character personæ illius, Dominus gloriæ, princeps vitæ, in quo omnium diuitiarum thesauri inexhausti reperiuntur. Talis tantusque scilicet est ille cui Ecclesia vnitur, cuique iungi debemus, alioqui certissimo & indubitato subiacemus exitio; Eadem enim est nostri ratio atque quorundam, quorum historiæ meminerunt. quibus aut regnare aut mori necesse fuit, qui pignitatem suam amittere non potuerunt quin vitam quoque amitterunt; nec de throno descendere, quin in sepulchrum descenderint. Eodem prorsus modo aut nos Christo vniri & gloriæ illius participes esse, aut æterna maledictione damnari necesse est. Nullum datur medium. Quotiescunque tamen Apostoli de Domino Iesu verba faciunt, tam gloriosis qualitatibus insignitum eum nobis

nobis proponunt, vt ad illum absque arroganti & temeraria confidentia aspirare non possemus, nisi simul ad illum inuitaremur. Euangelista noster hinc Euangelium suum inchoat, & magnificam omnino maiestatis illius diuinæ descriptionem statim à principio nobis exhibet. *Ille*, inquit, *erat apud Deum, eratque Deus, omnia per hūc facta sunt & absque eo factum est nihil quod factū sit*. Inde describit quomodo caro fieri voluerit, atque hic cum hominibus versari. Hinc quoque orditur Paulus ad Coloss. 1. Christum esse *imaginem Dei inuisibilis, & primogenitum omnis rei conditæ, nam per eum*, inquit, *condita sunt omnia*. Eandem quoque methodū sequitur author. Epist. ad Hebræos cap. 1. nobisque ab ipso statim introitu magnitudinem & potentiam gloriæ Christi depinxit. Ita quum consideramus, quis sit ille cui vnimur; hominem esse & fratrem nostrum considerandum nobis non est, sed altius assurgendum, Deum nempe esse, redemtorem nostrum & seruatorem quod & facit Esaias, inquiens, *Redemtor tuus & coniunxtuus est opifex tuus*. Si vero nihil aliud à nobis consideraretur, id non sufficeret, hæc excellētia atque gloria animos tantum homini facere & stolida, superbaque opinione inflare potis est; Aliouorsum igitur oculos vertamus & quinam ipsi simus quos Christus sibi vnire dignatur dispiciamus; vt autem ea de re rectè iudicemus, nostri non est cum aliis collatio facienda, hic enim so lentes fallimur. Modo nostri cum brutis & id genus animantibus collationem instituimus atque ita nobis meritum quantum plaudimus, modo cum aliis hominibus, sed inferioribus & hoc quoque modo superbia & vanitas nostra alitur: Verùm aliam insistamus viam, nostri cum nobismet ipsis fiat collatio, nostro non alieno nos metiamur modulo. Quotusquisque autem, qui exactè vires suas considerauerit, quid ferre recusét, quid valeant humeri, quotve periculis, vel infortuniis sese viribus suis eximere possit, ingenuè se debilitatem ipsam, imo puram putamque vanitatem esse non agnoscat & fateatur? Id infinitis Ethnicorum testimoniis satis superq; patet asserentium nihil aliud esse hominem præter vmbrā, præter somnium, imo vmbræ somnium. Id quoque Scriptura subinde nobis in mentem reuocat. (Iob. 4.) *Nos domos argillaceas inhabitare, quibus in isto puluere est fundamentum suū, nos conteri antequā tineam nos nihil esse nisi gramen & fœnū*. Imo, si aliquid insit nobis gloriæ illud ipsum nobis dedecori vertitur, & in eo ipso in quo excellimus vertitur mali nostri materia. Hæc ipsa excellentia futurorum sollicitudinem in nobis ingenerat, & mali metum antequā contigerit. Hinc animi perturbationes, molestię, tædia, metus & desperationes, idque plerumque absque caussa. In reliquis animantib. nihil eiusmodi deprehēdere est; intellectu & volūtate præditi sumus, atque hoc ipsum nos peccati reos peragit; animam habemus immortalem, atque hoc ipsum pœnas nostras immortales reddit; corpus nostrum resurgit, sed vt in æternum torqueatur. Natura tales sumus. Ita quum nosmet ipsos, Christo; miseriam nostram, illius gloriæ; paupertatem, diuitiis; vanitatem durationis nostræ, æternitati illius conferemus non possumus nisi nos abjicere & deprimere, non tamen desperantium instar. Illorum enim humilitas est cum superbia coniuncta: Abiiciuntur quia sentiunt miseriam suam, sed efferuntur & ferociunt non secus atque Cain, quia sibi iniuriam fieri existimant. Ideo desperatio comitem semper adiunctum habet furorem & rabiem. At si hinc, caussa oritur cur nos abjicere debeamus dū canitatem nostram, imò miseriam perpendimus; illinc vicissim bene sperandi surgit argumentum dum benignitatem & maiestatem Christi intuemur, cui pergratiam eius tam arctè vnimur, vt caro simus de carne eius, & os de ossibus eius, vt in nobis maneat & nos in illo. Abiectionis & humilitatis huius specimina quædam videre est in multis; quibus tamen cum hominibus tantum res erat. e. g. in Mephibosetho, (filio sanè regis sed regis à Deo reiecti, de regno depulsi & ex viuis exemti) quum à Dauide ad mensam suam vocatus est, *quid est seruus tuus*, inquit, *vt respexeris canem mortuū qualis sum ego?* 2. Sam. 9. En magnam profectò humilitatem, sed cum ingenti gaudio coniunctam; Dauidis verbum non respuit, quin potius honorem delatum admittit. Quum audisset Ab Gail Dauidem velle se in vxorem ducere, procumbit ad pedes nuntiorum, *Ecce*, inquit, *ancilla tua in famulam ad lauandum pedes seruorū Domini mei*. 1. Sam. 25. Profundæ quoque humilitatis exemplum, sed quæ magnam habuerit fiduciam coniunctam. Vt autem exempla argumento nostro magis conuenientia proferamus, quum Dauid à Deo ad regiam dignitatem vocatus esset & magnifica Dei promissa ab ore Nathanis exciperet; *quis sum ego Domine Deus*, inquit, *& quæ est familia mea quod deducis me eousque?* 2. Sam. 7. 18. Dubio procul hæc verba humilitatis erant summæ, ac tamē fiducię plena. Si itaque verę huius humilitatis studiosi sumus, cupimusque *colere Dominū cum reuerentia, & exsultare cum tremore*. Ps. 2. Expendamus quis ille sit qui nos sibi vnit, & vicissim qui nos ipsi simus, ex qua petra excisi fuerimus nos inquam, quos huius vnionis honore dignatur. Quot quæso nationibus, quot quantisque hominibus gratiam hanc Deus non largitus est? Sic Iesum Christum non reformidabimus, sed reuerebimur, atque illum offendere metuemus. Omni nos gloria spoliabimus, vt illam ipsi, cuius solius est, tribuamus, nihilque nobis, quam quod nostrum est, pudorem nempe & ignominiam seruantes, non nisi in illo solo, qui solus est gloriæ nostræ vnicum argumentum, gloriabimur.

Veniamus iam ad secundum caput, quo nempe respectu & Christus nobis vniatur, & nos ipsi. Vnimur autem Christo non qua simpliciter Deus est, nam hoc respectu ignis est consumens; quem non magis quam patrem accedere possumus, neque qua simpliciter homo est, nam & hoc respectu purus & sanctus est, separatus à peccatoribus, neque etiam qua simpliciter θεάνθρωπος, nam iisdem de caussis communionem cum eo habere hoc repectu non possumus. Quo respectu igitur? eo quem proponit nobis Paulus ad Romanos 6. quum ait, *Cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis & resurrectionis eius*. Christus est caput Ecclesiæ. Ecclesia est cœtus membrorū Christi, qui ipsorum est caput, quatenus moriēs & resurgens pro eis. In cruce nempe Ecclesiam suam veluti portabat, quomodo summus Sacerdos sub lege nomina duodecim tribuum Israelis portabat supra pectus. Et quia Ecclesia peccato cor-

rupta & polluta erat, factus est Christus pro ea in cruce peccatum; quia maledictioni per peccatum erat obnoxia, factus est pro ea in cruce maledictio: passus est pœnam quam ipsa erat commerita, ipse iustus morte sua nobis iniustis, qui commeriti eramus mortem, vitam acquisiuit. In resurrectione item factus est caput nostrum; nam mortuus quidem est vt solueret λύτρον pro peccato, sed resurrexit vt huius rei fidem veluti faceret, resurrectio itaque ipsius fuit instar Apochæ. In cruce nos Patri reconciliauit sublata inimicitia, resurrectione sua fructum & effecta huius reconciliationis nobiscum communicat. Mors Christi exhibet nos veluti gementes sub pondere peccatorum & miseriarum quibus premimur; resurrectio vero quasi victores & post pugnam, partamque victoriam triumphabundos. Respiciendus est itaque à nobis Christus, non qua Deus simpliciter, neque qua simpliciter homo, neque qua simpliciter θεάνθρωπος, sed qua talis moriens pro peccatis nostris & resurgens pro iustificatione nostra; tanquam caput fidelium in cruce, qua miseri sunt, eorundemque in resurrectione caput, quatenus glorificandi. Caput miserorum vt eos eximat & liberet à miseria, & viam ad æternam beatitudinem eis aperiat: Caput glorificandorum, quatenus gloriam illam eis comparauit. Atque hoc sub gemino respectu Christus nobis tum in verbo, tum in Sacramentis proponitur; potius tamen sub primo, quam sub secundo; potius moriens, quam resurgens *Non statui*, inquit B. Paulus, *quicquā scire inter vos nisi Iesum Christū, eumque crucifixū.* Idque ea de caussa, quia meritum satisfactionis quam præstitit Deo pro nobis, exhibitum fuit in cruce per mortem ipsius, nec resurrectio quicquam fuit præter effectum virtutis & efficaciæ huius mortis.

Quemadmodum autem Christus est caput nostrum certis respectibus, pari ratione & nos sumus membra illius, illique vnimur, nam si nos peccatores & maledictioni obnoxios agnoscimus, Christus se nobis offert tanquam caput nostrum, vt peccatum & maledictionem illam aboleat, Si intuemur nos tanquam fideles, & peccatorum nostrorum remissionem iam consequutos, obsignatosque Spiritu Dei: qui accepimus arrham hæreditatis cœlestis, quique ad instar Israelitarum, post transmissum mare, Pharaonis copias in mare submersas videntes, Deo canimus canticum laudis: hoc respectu Christus caput est nostrum, quà resurgens à mortuis, superatis potestatibus omnibus aduersis, & liberata anima nostra à captiuitate spirituali. Rursus si nosmet intuemur quatenus pugnare nos oportet aduersus carnem, quatenus vetus homo nobis est edomandus atque subigendus; Christus tum caput est nostrum quà moriens, & cruci suæ affigens mēbra veteris nostri hominis. Quum autem superauimus Tentatorem & victoriam reportauimus de carne & mundo, tum vnimur Christo quatenus resurrexit à mortuis Itaque Christus in morte in cruce caput est nostrum, tum quoad iustificationem, tum quoad sanctificationem nostram itemque caput est nostrum in resurrectione sua respectu vtriusque beneficij. Nam si Deo satis faciendum est, non aliter potest id fieri quam per crucem Christi, si fides facienda est satisfactionem illam fuisse Deo acceptam, habemus in Christi resurrectione certam ea de re veluti arrhā. Inde est quod Paulus dicit Rom. 4.25. *Christum traditum fuisse propter offensas nostras, resurrexisse autē propter iustificationem nostrā.* Ad sanctificationem autem quod attinet, quid potest esse Christo in cruce moriente potentius & efficacius, quo à mundi amore deterreamur? nam in eo tanquam in speculo refulgent omnimodæ virtutes, patientia, humilitas, mansuetudo, fortitudo, constantia, obedientia plane stupenda &c. ad harum virtutum imitationem inuitamur & allicimur tam eximio, illustri, & raro exemplo. Præterea in eius morte conspicua est humanæ naturæ destructio, vt ea innouetur & exsuscitetur in aliam veluti vitæ speciem. Similiter & in resurrectione Christus caput est nostrum quoad sanctificationem, quatenus scilicet resurgens à mortuis non amplius in posterum viuit animalem istam vitam quam ante mortem viuebat in terris, nam post resurrectionem fame, siti, aliisque eiusmodi naturæ huius infirmitatibus non laborauit, eo enim docemur, nobis deinceps non amplius esse viuendum carni, mundo & peccato, sed iustitiæ & Deo. Hic autem antequam vlterius progrediamur obseruandum est quid caussæ sit cur fidenter Christum accedere possimus, nec tamen superbiæ crimen incurrere. Si vtique se Christus nobis manifestasset qua simpliciter homo, aut qua simpliciter Deus, aut qua simpliciter θεάνθρωπος non absque ratione nos Romanenses superbæ & arrogantis accusarent præfidentiæ quū Christum caput nostrum, nos verò illius membra esse persuasum habere gloriaremur, quia nullam vnionis illius in illo caussam videremus; at nunc quum videmus factum esse maledictionem pro nobis, crudelem mortem passum esse pro nobis; quid obstat quominus credamus illum caput esse nostrum? Nunc quum illum victorem & triumphantem, resurrexisse, in cœlum ascendisse, & ad dextram Patris sedere videmus; quid obstat quominus certo credamus, nos quemadmodum in ipsius persona maledictionem passi sumus, ita & in illo benedictionem consequutos? quid enim aduersus hanc certitudinem obiici potest? An Christus frustra mortuus est? An frustra resurrexit? An frustra totum illud admirandum redemtionis nostræ opus? Quin potius annon pro nobis? vt vita nobis in illo daretur? vt arctissimo illi veniremur vinculo? Hic præterea rem miram & longe excellentissimam obseruare est, pœnam quidem & supplicium nostrum factum esse, sed sola imputatione, pœnam enim in nobismet ipsis non tulimus, sed quam ille tulit, nobis imputata est, ac si ipsi tulissemus, nec illi amplius obnoxij sumus: Contra vero beneficium illud quod nobis morte sua peperit, nostrum communicatione reali factum est. Si quis malo tanquam pœna afficiendus sit, bene sane cum illo agetur si pœna tanquam de suo soluta illi imputetur; at si de bono quopiam agatur, ipsimet nobis illud contingere volumus, nec imputationem moramur. Sic satisfactio nobis simpliciter imputata est, sed fructus reali fruitione nobis communicatus est; in cruce Christi, passionum eius, sed imputatione tantum, in resurrectione bonorum sed communicatione actuali participes facti sumus.

Tertium caput sequitur, quænam scilicet sit nostra

nostra cum Christo vnio? in hoc autem sita est ille maritus noster factus est, nos vero eius sponsa; ille caput nostrum, nos vero membra; sed res tam ardua, inquies, hoc pacto similitudine tantum exprimetur. Quidni? Sic enim & à Spiritu Sancto exprimitur, omnis vnio est vel *politica* vt inter homines, vel *physica*, vt radicis, trunci & ramorum arboris, capitis & membrorum eiusdem corporis. Spiritus itaque Sanctus vnionem arctissimam designare volens, in humani sermonis penuria verbis infra rei dignitatem necessariò lõge subsistentibus, vtitur hisce similitudinibus & nostrę cum Christo vnionis exemplum proponit vnionem Politicam qua nulla arctior est, mariti nempe & vxoris. Vnio enim Patris & filiorum, Regis & subditorum neque tanta est, neque tam arcta atque vxoris & mariti, qui facti sunt vna caro. Vtrius coniugis bona & mala sunt alteri cõmunia. *Propterea*, inquit Scriptura *homo derelinquet patrem & matrẽ*, imo omnia, *& adhærebit vxori*. Vinculum etiam vnionis nostrę cum Christo hoc nobis quoque modo à Spiritu S. ostenditur, nam qui fit vt maritus suus amplius non sit sed vxoris, & vxor sua amplius non sit sed mariti, nisi propter fidem mutuo vtrimque datã. Titius pollicitus est se Caiam in vxorem ducturum, si illa consenserit, fit matrimonium; si vero non consenserit, nihil fit. Eadem prorsus est mysterij huius, vnionis nempe Christianæ ratio. Ideo Paulus ait 2. ad Cor. cap. 11. aptasse se Corinthios, quos vt virginem puram vni viro Christo nempe sisteret. Christus igitur sese nobis tanquam Seruatorem offert, tutelamque & ab omnibus malis liberationem pollicetur; si conditionem oblatam læti & ex animo, non labiis tantum accipimus tunc nos sibi in sponsam ducit; quam autem illi dotem afferimus? non vtique sapientiam, iustitiam, sanctitatem, sed contra miseriam, peccatum, sordes, maledictionem &c. Egregiam scilicet dotem? ille verò absolutionem, remissionem pacem, gaudium, sanctitatem, consolationem nobis vicissim affert. Hoc autem matrimonium in cœlis absoluendum & celebrandum hic in terris tantum inchoatur; dum mortale hoc corpus circumferimus, vnionis huius dulcedinem plene non percipimus, arrhas tantum illius habemus. Alia quoque similitudine capitis & membrorum hæc vnio nobis exprimitur quia caput toti corpori motum communicat. Christus est caput, nos vero membra, & quanquam hæc vnio physica sit non politica, magnam tamen cum Christi & fidelium vnione conuenientiam habet; nam quemadmodum membra omnia vnam eandemque vitam à capite profluentem participant, ita omnes fideles eundem Spiritum qui est in Christo & qui ab illo in nos deriuatur, possident. B. Paulus vt vinculum illud Spiritus Christo nos vnientis exprimat, ait 1. Cor. 6. 17. *Eum qui adhæret Domino fieri vnũ cum eo Spiritũ*. Itaque si volumus esse certi num Christo simus vniti, vnionem hanc vtroque modo consideremus. *Vos ipsos tẽtate*, inquit Paulus, *an sitis in fide*: Illum fide recipimus, ille per fidem in cordibus nostris habitat; si in illum credimus, si ad illum tanquam ad vnicum nostrum asylum confugimus, si nullum aliud gloriæ & consolationis argumentum quam in illo solo, in quo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat habemus, si illum seriò gustauimus adeo vt eius dulcedo cæterorum omnium vt insipidorum fastidium nobis ingenerarit; si hæc omnia in nobis deprehendimus, nullomodo nobis dubitandum est quin sit sponsus noster? alter considerationis modus est, an Spiritus eius in nobis maneat. Spiritus autem Christi duos hos affectus in nobis procreat, primo quidem pacem siue gaudium & cõsolationem internam conscientiæ, deinde sanctificationem & regenerationem, difficile siquidem est non amare illum qui nos consolatione sua recrearit. Qui consolationem suam & oblectamentum in mundo quærunt, mundus perditè amant, qui contra in solo Deo acquiescunt & quibus cætera omnia tanquam mera vanitas sordent illi dubio procul Deum amant, & quo maiore illius gustu afficiuntur, eo maiore illum amore prosequuntur, eo certius Spiritum sanctificationis qui est in Christo in se ipsis agnoscunt.

Quartum caput quod attinet Hæc vnio adeo arcta est & indissolubilis, vt nulla illi vnio cõferri possit: Nos enim & Iesus Christus consideramur tanquam vna eademque persona coram Deo; quia si vnio nostra qualiscumque tantum fuisset, iustitia Dei non passa esset vt pro peccatis nostris satisfecisset, atque ita mors eius inutilis fuisset; pariter, si vnum nobiscum corpus non constituisset, resurrectio eius resurrectionis nostræ arrha & pignus esse nobis non potuisset. Atque inde Scriptura Christum & Ecclesiam eius eodem vocat nomine, vt disertè 1. Cor. 12. vbi Apostolus agens de diuersis donis quæ sunt in Ecclesia, huic rei illustrandæ affert similitudinẽ corporis, ex variis membris compositi. *Sicut corpus*, inquit, *vnum est & membra habet multa, omnia vero illa membra corporis quod vnicum est multæ sunt sed vnũ sunt corpus: ita & Christus*. Et eiusdem Epistolæ cap. 15. ait post consummationẽ sæculorum ipsum Filium subiectum iri ei qui subiecit ipsi omnia, quatenus scilicet corpus vnum mysticũ constituit cum Ecclesia sua, nunc enim subiectio qua Deo subjicitur, non ita conspicua est, quia membris suis dominatur & hostes suos vincit; tunc vero nulli amplius erunt hostes, & *Deus*, vt inquit Apostolus *erit omnia in omnibus*

Hæc autem vnio vt arctissima est, ita quoque indissolubilis, nam vt Christus non ad tempus tantum assumsit naturam nostram humanam, sed vt in illa & continuò & in æternùm habitet; ita nec Ecclesiam suam assumsit, & eam sibi ad tempus tantum, & in aliquot sæcula tanquam corpus vniuit, sed, vt per Prophetam Hoseam inquit *desponsauit illam sibi in sæculum*, non recipit eos quos Pater ipsi dedit vt illos aliquando deserat, *quos dedisti mihi*, inquit, *ego custodiui & nemo ex iis periit*; nec est sic accipiendum illud quod sequitur, *nisi filius ille perditionis*, quasi filius perditionis Christo datus fuisset, nõ enim vox illa *nisi* hoc loco est exceptiua, sed aduersatiua; Neminem perdidi eorum quos mihi dederas, filius duntaxat perditionis quem hi non dederas periit. Vt 2. Epist. ad Gal. 2. ✠. 16. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidẽ Iesu Christi*; Hoc loco *nisi*, ἐὰν μὴ vt habetur in textu, significat *sed tantum*, nã ne Pontificii quidem dicent fidem esse opus, multo minus esse opus legis, etenim ipsi distinguunt inter fidẽ & opera, quum dicũt nos iusti-

ficari partim, fide partim operibus, item quum dicunt, fidem posse separari à bonis operibus. Cęteræ omnes vniones separabiles sunt & dissolubiles. Filij patrem deserunt & pater filios: maritus vxorem & vxor maritum; amicorum potissimi ab inuicem tandem aliquando recedere coguntur; Minores à maioribus relinquuntur, atque hi rursus à posteris suis. Hæc vnica fidelium cum Christo vnio in æternum durat. In quo admiranda prorsus elucet excellentia, quam Angeli ipsi admirantur (quamuis illius, eo saltem quo nos modo, participes non sint) quæque Diabolum in summam confusionem conijcit. Spiritus ille malitiosus & crudelis ab initio hominis fœlicitati inuidit & detestandis suis instigationibus illum inde deiecit, at nunc confusus iacet, quum videt nos non solum in eam gloriam euectos, sed ita in illa æternùm confirmatos, vt ab illa nullomodo separari possimus; Angeli contra beati gratias propterea Deo agunt, & in natiuitate Domini Iesu cecinerũt *Gloria in cœlis altissimis Deo, & in terra pax, hominibus beneuolentia*: vt scilicet pudore suffundamur nos qui quum quotidie ad hanc vnionem vocemur, vt illius participes fiamus, tam parui tamen eam facimus, id autem eò euenit quia pauci illam in se sentiunt. Vnde enim quæso quidam gratiam hanc à libero arbitrio promanare volunt? Vnde inualuit hic error in Ecclesia Romana? Vnde fit pręterea vt multi alij credere nequeant Spiritum Christi ita in illis qui vere membra ipsius fiunt operari, vt illi resistere sit impossibile? Hinc sane quia maxima Christianorum pars nunquã nisi in differenti erga Christum fuit animo. Quidam illum prorsus repudiant alij amplectuntur, sed timide & segniter, tamque exiguo cum affectu vt illum deserere susque deque habeant; sed illi quos Deus alloquutus est, non solum hominum voce quæ nihil est, sed etiam Spiritus sui voce, quibus hinc Christum & gratiam illius, hinc peccatum & miseriam illorum coram oculis depinxit, illis, inquam, longe aliter loquuntur & sentiunt. Similes sunt Iacobo & mulieri Cananææ, luctantur cum illo, nec se repelli patiuntur, donec benedictionem consequuti fuerint. Ardentibus ducuntur affectibus; & lucri sui præstantiam & iacturæ magnitudinem norunt. Illorum itaque similes esse satagamus; Dominum rogemus vt in facie Filij sui splendorem gloriæ gratiæ suæ nobis retegat; rogemus inquam illum vt nos in eandem imaginem de gloria in gloriam transformet, visum cæcis restituat & nebulas quæ solis iustitiæ lumen nobis subducunt, dissipet.

Superest quintum caput, quænam sint effecta huius vnionis fidelium cum Christo. Homines ideo in desperationem adducuntur, quia in mundo quietem suam quęrunt, nec inuenire possunt. Quidam mundo prorsus addicti sunt, illique auaritia, ambitione & aliis id genus affectibus perpetuo viuuntur. Alij ad vitam beatiorem aspirant & desideriis suis altius quam in terram feruntur, votorum tamen finem assequi & animo suo satisfacere nunquam possunt, quia falsa hac & præfidenti opinione præoccupantur, hominis fœlicitatem se ipso quærendam esse, in libero suo arbitrio, in operibus suis, in pœnitentia, disciplina & satisfactionibus siue suis siue saltem alienis, vbi tamen desiderii sui expectationem explere nequaquam possunt, in omnibus siquidem illis infelicissimum sortiuntur exitum. Sed in hac cum Christo vnione malis nostris omnibus remedium inuenimus, molestiis, timoribus, terroribus, dubiis, anxietatibus pauoribus, inquietudinibus, desperationibus, omnibus denique laboribus nostris & angustiis, solidam enim primo nobis consolationem suppeditabit & gaudio omnem intellectum superante nos perfundet, qui enim lætitia non exsiliat quum se ex filio iræ Filium Dei factum esse videt, è tenebris in lucem Domini vocatum? ex maledicto, in illo benedictum? quis inquam hæc in se sentiens & deprehendens, totus extra se non rapiatur? exiguum enim ad illos fructum redire non diffiteor, qui nullo tam præstantis rei sensu afficiuntur, neque hæc cor eorum magis molliunt, quam frigida marmori adspersa. At impossibile est eum qui oculis animi hunc solem adspicit non delectari tam glorioso lumine, non exilire gaudio, dum considerat hominem abiectum & miseram creaturam hæredem factum esse Dei, imo quod magis est, Christi cohæredem. An maioris honoris potest in mentem venire quam Filio Dei æterno adiungi, cum illo in partem venire, illumque fratrem maiorem natu compellare posse? An non præterea hac meditatione fidelis serio reputans gloriam, pretium inęstimabile & infinitam vnionis huius excellentiam, mundum fastiditum & despicatum habebit? hominum vanitatem ridebit, qui tot tragœdias excitant, tot turbas & tumultus cient vt sibi mundi fauorem & gratiam hoc est rem nihil concilient? Annon in præclaris hisce cogitationibus defixus in hæc verba erumpet? portum vtique attigi, verum fœlicitatis portum, gemmam illam pretiosam nactus sum quæ me sola ditare potest, Atque hic nonne vanas hominum spes valere iubebit, omnibus illis bonis quæ vulgo fortunæ vocantur renuntiabit, vt vni Seruatori suo & Redemtori affixus adhæreat. Denique quis huiuscemodi considerationibus non sanctificabitur, non amore Dei & proximi inflammabitur? *Charitas enim illa Christi*, inquit Paulus 2.Cor.5.14. *constringit nos vt qui hoc statuerimus, si vnus pro omnibus mortuus fuit, nempe istos omnes fuisse mortuos, & illum pro omnib. mortuum esse, vt qui viuunt posthac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & suscitatus est.*

Hæ est autem sapientia nostra coram omnibus terræ populis, hæc est gloriæ nostræ corona & diadema illud pretiosum & exquisitum à Deo capitibus nostris impositum quod hæc mysteria per Euangelium tam apertè nobis manifestentur vt autem hac in re fœlicitatem nostram melius intelligamus, illorum inter quos viuimus tenebras consideremus, nullo fere huius vnionis sensu afficiũtur; illorum templa adspicite, imaginibus referta sunt, an censetis illum qui manet in Christo & in quo Christus manet, imaginibus mortuis lapideis & ligneis indigere vt sibi illum quem in corde suo sentit in memoriam reuocet? Sed postquam hostis auertit illos à Seruatore suo & Ecclesiam pręsẽtia sua destituisse persuasit, nec ab illo amplius nisi vicaria opera gubernari, introducendæ fuerunt imagines, illi repræsentãdo qui fraudulenter & scelerate ab illis subtractus fuit; illorum pietatem adspicite, pro multitudine vel paucitate ceremoniarũ augetur vel minuitur.

Si muros

Si muros nostros tapetibus obduceremus, si ministri nostri sumtuose variegatis vestibus amicirentur, aut histrionicè & in mendicorum morem deformaretur, fortè & populos ad nos converteremus, raperemusque, mirum enim quantum homo sensibus addictus, rebus sensibilibus moueatur. Quod animo tantum percipitur, vbi de religione agitur, id ab illo vix videri potest, nedum vt eo afficiatur. Sed aliam sequimur methodum docemus quemadmodum didicimus, communionem cum Christo esse spiritualem, consolationes illius pariter esse spirituales, adorandum esse in Spiritu & veritate illum qui est Spiritus & veritas, & in cœlo quærendum esse illum qui cœlum ingressus est vt cogitationes nostras & desideria illuc ad se eleuaret; Iudæi qui illum in terris expectabant, adorantes, arcam versus quæ illius erat figura, oculos conuertebant. Alia nunc est nostra conditio. Venit in terras, opus salutis nostræ perfecit, ceremonijs, figuris & vmbris finem imposuit, veritatem ipsam exhibuit; ascendit in cœlos vnde illum expectamus, quo corda nostra attollimus, quia ibi certe est thesaurus noster; si thesaurus noster esset in terris, illic quoque esset cor nostrum, sed iam longe aliter se res habet, quum simus ciues cœlorum & spirituales, pietatem quoque nostram spiritualem esse & cœlestem necesse est, si, inquam, ducimur Spiritu Christi & in cordibus nostris per fidem habitat.

Videte præterea eos non esse certos de verbo Dei, neque id credituros nisi Papa dixisset, tamque cæcos esse vt opus habeant solem sibi monstrari, adeo mente captos vt nos ludibrio habeant quum dicimus oues Domini vocem eius audire. S. Christus maneret in illis & illi in ipso, an tanto opprimerentur stupore? Illis conuincendis hac vna ratione opus est. Vos estis Christiani, inquitis, & tamen nescitis quodnam sit verbum Christi, id vos latet nisi quatenus vobis dictum est, nisi quatenus id didicistis ab iis qui neque aliter neque melius quam vos id se scire fatentur. Papa enim ipse & Cardinales, si interrogarentur, responderent vt cæteri, id à se non credi, nisi quia Ecclesia dixit, atque ita semper ad Ecclesiam remittunt, nec tamen eam indicare possunt.

Insuper, considerate neminem apud illos de salute sur certum esse, illos omnia Sanctorum merita & suffragia, opera supererogationis monachorum, omnes venias & indulgentias, omnes cruces & aquam lustralem, omnia grana consecrata, omnes cereos, omnia luminaria, sonitum omnium suorum tintinnabulorum in medium afferre ad Dei gratiam obtinendam, nec tamen de ea certos esse. Si Christus maneret in illis & ipsi in illo, an ita quæso ab illo recederent? an ad vllum alium confugerent?

Sed non tam nobis immorandum in miserorum horumce tenebris contemplandis, quin ex luce nos illustrante vtilitatem aliquam percipiamus. Omissis itaque superstitiosis illis & cæcis, in nos ipsos potius descendamus & dispiciamus annon multi inter nos ab illis ideo tantum secedant quia adeo stolidi & fatui videri nolunt vt crassissimos illos abusus in Ecclesia Romana vigentes, credant, cæterum tam parum ipsa veritate afficiuntur, ac si in medio tenebrarum regno adhuc versarentur; non adeo, inquis, sum brutus & stupidus, vt id genus erroribus abripi me sinam. Sed quid inde adire redit emolumenti si in rebus credendis minime brutus brutorum tamen vitam agis? quid Illorum stupiditatem rides, si à brutis ipsis in vita tua non differs? Vt sapias, non sat est nihil absurdi & absoni credere; sed præterea nihil est eiusmodi perpetrandum. Abusus Pontificios detestaris; Euge, factum bene, modo professioni tuæ actiones tuæ respondeant. Sed proh dolor! tu sanctam illam lucem fulgore suo te illustrantem conspuis: tu belluino plane ritu viuis de ventre tuo tantum sollicitus, totus auaritia & ambitione flagrans, nihil nisi peritura, in æternum, inquam, tecum peritura, curans. Caueamus igitur fratres alia de caussa Ecclesiæ Romanæ abusus considerare, nisi vt eo veritatem quæ inter nos est maiore prosequamur amore; illorum tenebras exaggerare, nisi vt eo lucem nostram, & accessum illum immediatum, vnionem illam arctissimam vnde tota nostra felicitas & gloria qua in Christo fruimur, pendet, maiore habemus in admiratione; Regum consanguinitas & affinitas sordet præ illa illâ enim in fratres Christi & Dei viuentis filios euadimus. Quandoquidem vero in terris tantum inchoatur & in cœlis demum perficitur; illuc nobis tendendum est scopum versus, ad præmium supernæ vocationis, oculis irretortis ne videamus ea quæ à tergo sunt, neque offendicula quæ nobis à Satana in præclara hac via objiciuntur: sed Christum solummodo, cuius gratiâ perseuerare, omnia vincere & omnia superare nobis datur; ne vero splendor mundi, & vanus ille mundanarum dignitatum fulgor nobis oculos præstringat, deliciis & voluptatibus eius irritati alliciamur, oculos perpetuo in Christum defixos habeamus, vt B. Paulus, *A me, inquit, absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mundus mihi crucifixus est & ego mundo*, variis dubio procul in hac via molestiis affligabimur, id ipse prædixit; *oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* Verum Deus noster Deus est patientiæ & consolationis, qui nos manu supposita sustentabit & in mediis infirmitatibus nostris solabitur, ac tandem in æternum gaudium nos introducet quia nos elegit, ex beneplacito suo per vocem Euangelij sui nos vocauit & promissa sua præterea sacramentis & Spiritu suo obsignauit. Deus autem ille qui omnia potest, omnia in nobis propter S. suum nomen perficiat. Amen.

CONCIO QVARTA.

Ioan. VI. ℣. 58. & 59.

58. *Hic est panis ille, qui de cœlo descendit, non prout ederunt patres vestri manna & mortui sunt, qui ederit hunc panem, viuet in æternum.*

59. *Hæc dixit in Synagoga, quum doceret in verbe Capernaum.*

QVVM visum nostrum in infima hæc & terrena defigimus, difficile est, imo impossibile, quin pulchra, grata

& summopere magnifica nobis videantur, præsertim si in cortice hæreamus, nec vlterius illa discutiamus, oculosve altius attollamus: ex.gr. si pulchritudinem, magnitudinem & proportionem palatii regii intueamur, in admirationem rapimur. Si vero de rebus agere lubeat, quarum purior est & innocentior delectatio, si pulcherrimam totius anni tempestatem consideremus, pratorum viridi facie germinantium lætam floriditatem, aut ingentem fluuium per apertos leniter labentem campos, aut agrum a Domino benedictum, vt loquitur Scriptura, læta segete, pomis aut pampineo autumno florentem, nemo adeo stupidus est quin hisce moueatur & in admirationem rapiatur. At si oculos erigamus & hanc orbis huius machinam consideremus, hanc templorum cœli qua vndique ambimur stupendam conuexitatem, soliditatem, extensionem, lumen, motus varios adeo & differentes, nihilominus tam certos & constantes, pulchritudo illa quam prius in inferioribus admirabamur in fœditatem & deformitatem vertitur, primaque illa admiratio non solum euanescit, sed quod grauius est in contemtum & fastidium mutatur. Ea est iudicii nostri debilitas, vt nunquam pro dignitate res, nisi aliis collatas, æstimemus, superficie enim tenus duntaxat illas aspicimus, idque solum videmus quod se primo obtutu animis nostris offert; Externa rerum facies nos semper moratur. Quod non solum contingit, quum optio nostra est vtrum duorum bonorum velimus eligere, sed etiam quum boni in se facienda est æstimatio, vix id à nobis fieri potest nisi contrario suo, nempe malo, collatum. Propterea Deus, similitudinibus semper nobiscum vtitur: ex. gr. quum gratiæ suæ magnitudinem nobis ostendere vult; miseriam illorum qui ea priuantur & destituuntur in medium profert. In lege non vitam solum nobis sed & mortem proponit, Pari ratione in Euangelio non solum gratiam suam & beneficia illam concomitantia, sed & gratiam illam respuentium miseriam proponit, quia alterum vix sine altero à nobis percipi potest. Quum superbiam nostram retundere vult & aperte nobis ob oculos ponere naturæ nostræ vanitatem & extremam vilitatem, constantiam suam & firmitatem proponit, animosque nostros eleuat non ad infirmarum harumce, instabilium & fluxarum rerum considerationem, sed stabilium, cœlestium & in æternum permanentium; Atque hoc pacto non solum malum bono confert, sed bonum mediocre instabile & fluxum longe maiori & excellentiori, vt, ne longius vagemur, videre est in illo sermone quem in synagoga Capernahumi habuit; Non fuit profecto id in exiguo deputandum beneficio quod Deus populum suum ex Ægypto educens & mari rubro transmisso in desertum introductum mannâ aluerit, Iesu autem Christus vt gratiæ suæ excellentiam, cibi qui est in se dignitatem & præstantiam euehat, hoc manna sibi ipsi comparat; Non inficiatur quidem manna fuisse expressissimum benedictionis Dei in populum suum testimonium, sed solum innuit manna illud nihili esse si dono sui, cœlesti inquam illi cibo quo in se credentes alit, conferatur. Nam quam libet excellens fuerit illud manna comedētes tamen mortis immunes præstare non potuit, sed qui Iesu Christi vere sunt participes, nunquam moriuntur. Consequenter autem Euangelista obseruat Christum hæc dixisse Capernahumi in synagoga, & hanc circumstantiam dedita opera attingit, non solum historiæ necessitate ita exigente, sed & vt significet quænam sit vis verborum Christi, quæ etiam vel in mediis acerrimis & infensissimis inimicis audientiam sibi faciunt. Primum autem de manna agemus, de illius vtilitate & præstantia, deinde & de defectibus; Denique de vero manna Iesu Christo nempe tractabimus & ostēdemus non solum id quo in manna deficiebat in illo reperiri, sed & mannæ virtutes longe excellentiori modo, & gradu in infinitum eminentiori in Christo conspici, deinde si per temporis spatium licuerit, loci quoque circumstantiam vbi hæc dicta sunt expendemus.

Primò, manna cibus erat cuius sapor similis erat sapori placentæ mellitæ, vt expressissimè Moses obseruat: sapor non erat qualis carnis aut piscium, vel fructuum æstiuorum in quib. quanquam palato & gustu gratissimis semper tamen aliquid cruditatis inest quæ stomacho nocet, sed sapor eius inquit Scriptura, erat velut placentæ mellitæ. Non absque caussa id Spiritus Dei annotauit. Si de ventris alimento tantum actum fuisset, num id disertè expressisset? Sed ideo expressit vt ostenderet quale sit illud alimentum quo Deus suos alit, non inde scilicet proueniens quod pecudes mactamus & in ventrem farcimus. Hominum illud est terrenorum qui præcipuam felicitatis suæ partem vel in gulæ irritamentis vel in ventris saginatione collocant, qui vt pote carnales carne vescuntur, nec vllam veram voluptatem esse censent præter voluptates carnis, quas tamen postea varia consequuntur incommoda. At non ita Deus populum suum alit: manna illum pascit, cuius sapor reuera voluptatem aliquam afferebat sed voluptatem puram & castam, non qualem cupediæ carnales quibus caro titillatur & excitatur eius concupiscentia.

Secundò, manna simile non erat frugibus, aut vlli ciborum quo vulgo vescuntur homines, hæc enim omnia non sine molestia & labore multo, conquiruntur, comparantur, & apparantur. A peccato primi nostri parentis humanum genus huic maledictioni Deus obnoxium fecit, vt omnibus panis in sudore vultus sui sit comedendus, sed huius cibi longe erat alia natura; Illius sibi comparandi gratia neque laborandum, neque arandum, neque serendum, neque platandum fuit; De cœlo Deo mittente descendebat. Quemadmodum in liberatione ex seruitute Ægyptiaca typum nobis & figuram exhibuit liberationis Ecclesiæ suæ quam ex morte pretioso Christi sanguine redemit. Sic in mirabili hoc cibo expressit nobis conditionem cibi nostri spiritualis nempe, nihil nobis constare, sed à pura, meraque ipsius gratia proficisci. Populum illum Deus eodem plane modo alebat quo Adamum & Euam in horto Edenis, vbi ad laborandum non adstringebantur, fructibus, Dei gratia sine vllo ipsorum labore, sponte prouenientibus. Populum, inquam, illum peccatorem, imo interobstin

obstinatos peccatores obstinatissimum, corde incircumcisum & duræ ceruicis, vt nos quoque peccatores, in hoc exemplo contemplaremur, nos spiritualiter quoque cibo non merito, nec à nobis comparato, sed gratuito nobis ab illo ad laudem gloriæ gratiæ suæ donato ali.

Tertiò, Deus manna hoc cœlitus demittebat. Adam vescebatur fructibus Edenis, non tamen à Deo cœlitus demittebantur. Sed populum suum ex Ægypto eductum, longe præstantiori & excellentiori modo alit. Potuisset sane, si voluisset, facere vt desertum illud, olera, fruges & arbores fructiferas produceret; scopulos enim, quando illi lubitum est, in stagna & silicem in scaturigines aquarum mutat, sed potentiam suam & bonitatem eo mirabiliores reddere voluit, cibum hunc cœlitus demittendo. Atque hac de causa à Dauide *panis cœlestis* & *Angelorum* appellatur. Naturâ quæ terra proueniunt à nobis contemnuntur, contra cælitus demissa nos in admirationem rapiunt. Quum magnificum aliquid & præcellens significare volumus, sublime illud vulgo & cœleste vocare consueuimus. Hac de caussa Deus quam gessit populi sui curam mirabilem reddere volens, extraordinaria hac, qua, in illis non cibo terra enato, sed hoc angelorum pane & cœlitus demisso alendis, ratione vsus est, illam insigniuit.

Quartò, in subministratione illius cibi Deus potentiam suam, sapientiam & bonitatem conspiciendas præbuit. Primò, potentiam in eo quod res tam tenuis substantiæ illos nihilominus aluit, nam solis calore & æstu, instar pruinæ liquefiebat, contra quam hodiernum pharmacopæorum manna, quod sole duratur? Deinde sapientiam quod in eiusmodi deserto, serpentibus & venenatis animantibus pleno in quo cum infinitis hostibus quotidie illis certandum fuit, & in quo voluit eos variè exercere, populum illum cupediis carnalibus saginare, ventremque eorum deliciis illis crassis implere atque suffarcinare non deceret, sed cibo casto & puro, qui naturæ satis faceret, illamque conseruaret, non inebriaret, qualis erat manna, alere atque reficere. Denique bonitatem; in eo quod Terra denegante illis subsidium, de cœlo Deus illis succurrit. Et hæc ratio qua Deus illis prouidebat, eo quo decuit modo accepta, longe gratior illis esse debuit, cibis illis Ægyptiacis quorum tanto desiderio tenebantur. In Ægypto enim captiui detinebantur, quid si carnes & cœpæ illis exhibebantur, id eo fiebat vt validiores & robustiores ac proinde ad seruitutem aptiores euaderent, eodem prorsus modo quo equos nostros & boues saginamus, vt eo melius laborent. At in deserto liberi erant, nec vlli amplius seruiebant; Liber autem quamlibet pauper conditionem suam omnibus serui deliciis potiorem semper ducet. Hæc fuerunt in manna singularia atque eximia, sed & defectus suos habuit eosque insignes. Primò quod tædium tandem peperit illi populo, vt Numerorum nono scribitur. Quibusdam sua nunquam placet conditio nisi ventre pleno, qui non edunt vt viuant, sed contra viuunt tantum vt edant. Id genus hominum desiderium manna nunquam explebit. Alere quidem poterat & reficere, sed animum vitiis & corruptione purgare, id vero non poterat. Ideo populus statim murmurare occœpit & carnem petere quam Deus illis, sed in iræ suæ æstu dedit, adeo vt illam mandentibus per nares egrederetur.

Secundò, qui manna comedebant, nihilominus moriebantur, Mortem enim prohibere, seu debellare, neque vitam hanc perpetuare potuit, Vitam quidem ad tempus conseruare potuit, at non impedire quominus aliquando finiretur. Iam verò quicquid in Manna fuit egregium atque eximium Christus illud habet & possidet multò excellentiori modo. Nullo suo labore vel sumtu, inquies, Israelitæ manna fruebantur, Multo minus Christum vllo labore nostro, vel sumtu, vel meritis nobis comparauimus aut emercati sumus. Vltro de cœlis descendit quum de illo ne cogitaremus quidem. Commendauit suam erga nos charitatem Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fit, Desideria nostra vndique & vbiquequaq; preuenit, Neque illum nobis vel comparaueramus vel expetieramus quum inuisit nos is qui prodit ex alto, Aliquis præterea fuit, licet perexiguus, in colligendo & parando manna labor, at in Christo fide accipiendo nullus est omnino labor, imo voluptas est in eo summa; Qui vere illum colligunt, in illo colligendo minime laborant, solis non colligentibus laboriosa videtur esse collectio; Anima vere famelica ardenter sane illum appetit; At famelici in cibo parando & manu ad cibum porrigenda non laborant, multo minus si cibus illis paratus apponatur. Si alicuius palato nihil nisi mundus & mundana; nihil nisi ollæ Ægyptiacæ sapiant ille profecto mannæ huius hoc est Domini nostri Iesu Christi collectionem, pro seruili & molestissimo labore reputabit, sed qui & mundum & Christum penitus nouerit, ille dubio procul, Christum adire non verebitur, de commeatu aut viatico sollicitus non erit. Nouit siquidem Christum nudos & pauperes, ægrotos & mutilos, cæcos & claudos ad se vocare, imo Lazarum mortuum ita compellare *Lazare adesdū foras*; In meritis ergo conquirendis non laborabit, sat enim nouit se nihil illo dignum offerre posse. Ac sane an vlla re tam eximium tamque præstantem panem promereri poteramus? Si quid pro nobis fecerit, quid passus fuerit, quousque infra gloriam suam se submiserit consideremus, neminem quantumuis superbissimum esse arbitror qui non fateatur nihil in se fuisse quod hanc gratiam promereri posset; Annon verum est hominem vel infra minimas Dei benedictiones longe subsistere? quid ergo de Christo omnium benedictionum fonte dicemus? Si caussas secundas solum attendamus Israelitæ sibi de cibo in hoc deserto prouidere potuisse videbuntur. Hanc imperatorum per deserta loca iter suscipientium curam vulgo esse videmus; Sed Christum & panem cœlestem quem in illo habemus n[illegible]is vel prospicere vel mereri qua tandem ratione possemus; Ex sola eius bonitate atque adeo infinita liberalitate illum consequi possumus. Secundo manna de

ad cœlum vocamur an vitam animantium quæ ventri tantum & gulę inseruiunt viueremus? Nos inquam quorum cibus & potus est caro & sanguis Christi, an misero hoc, terrestri, fluxo & caduco cibo caperemur? Verum quia sumus carnales, Deum rogemus vt animi nostri oculos illuminet, ne in cortice & superficie rerum huius sæculi hæreamus, sed potius illas penetremus & intime exploremus quo exactam consequuti notitiam illarum æquam faciamus æstimationem, suoque metiamur pretio. Fucus extrinsecus delectat, at si terigeris, mendax incrustatio soliditatis omnis expers seipsam prodit. Idem mundo vsuuenit, vitæ eius ac voluptatibus; mendax est illius species, mendax fulgor negligentius intuentium oculos præstringens. Quicquid ibi pulchrum fluxum est, vmbraque citius euanescit, at conscientia & animæ, iræ diuinæ ream se agnoscentis, angor in æternum durat. Cedo igitur verum tantis malis remedium. Si ad Filium Dei confugiamus pro anxietate consolationem, pro morte vitam, pro maledictione benedictionem consequemur. Israelitæ licet manna vescerentur, omnes in deserto mortui sunt. Si eiusmodi cibus propria Dei manu illis exhibitus immunes præstare illos non potuit, quanto minus vanitates quibus mundus suos pascit id præstare poterunt. Ne inuideamus igitur illius delitijs, ne prosperitatem & felicitatem illius moremur. Hæredes sumus regni æterni, at mundus aliquando peribit. Cæterum meminerimus nos Ægyptum egredi non posse, nec in Cananæam introduci, nisi transmisso mari rubro, deserto præteruecto, infinitis hostibus depugnatis ac denique varijs afflictionibus & molestiis exantlatis. Si vero hac consideratione turbemur, animum quoque nostrum subeat, nos à Deo nunquam desertum iri, nos ab illo bonorum summo & præcipuo, gratia nempe sua donari. Cætera, si quibusdam largiatur, ne ideo conqueramur. Sorte nostra contentos esse nos decet; quandoquidem nobis omnibus sine vllo discrimine verum illud cœleste manna apponit, si omnes terram illam promissam ingrediamur, Cananæam non quidem terrestrem, sed spiritualem, cœlos cœlorum vt ibi Dominum nostrum in æternum & in sæcula sæculorum laudemus. Amen.

CONCIO QVINTA.

Ioan. VI. ℣. 59.

59. *Hæc dixit in Synagoga quum doceret in vrbe Capernaum.*

QVICQVID Filius Dei, Seruator mundi, Dominus noster Iesus Christus dixit, fecit & passus est in terris pro salute nostra in diebus carnis suæ, tanta omnibus suis partibus admiratione dignum est, vt si illud sedulo & attente consideraremus, digne & vt decet contemplaremur extra nos raperemur & omnes cogitationes nostrę velut profunda abysso absorptæ iacerent, sed præsertim quum infinitam illam & & incomprehensibilem sapientiæ & bonitatis excellentiam quæ in illo erat, quanquam sub infirmitatis & humilitatis persona tectam, simplicitate & abiecta, contemptibiliq; specie velatam, velum illud & personam nihilominus penetrasse & per illa impedimenta ingenti illa sua luce omnia perfudisse reputaremus, quod aperte satis pateret si eadem esset nobis oculorum animi atque corporis acies, totam Christi vitam à natiuitate ad mortem vsque percurrentes, illumque viuentem, concionantem, morientem & resurgentem considerantes Si hæc externe tantum non autem penitus inspiciantur, nihil magni aut consideratione digni illis in esse videbitur, at si diligenter & intime considerentur maximam profecto mouebunt admirationem. Verum ne à textu nostro recedamus, sat erit nobis impræsentiarum illum concionantem videre; idque Capernahumi, nec in qualicunque loco Capernahumi, sed in Synagoga, in vrbe rebelli & summe refractaria, in atrocissimorum inimicorum suorum cœtu, in loco quo soliti erant conuenire gloriæ illius, doctrinæ ac personæ hostes, idque doctrinam illorum sensui, opinionibus, omnibusque animæ affectibus contrariam prædicantem, nempe se esse panem vitæ, nemine extra se veræ vitæ participem esse posse, ac proinde se plusquam hominem imo verũ Deum esse. Cæterum de his omnibus in vili & contemtibili habitu testimonium perhibentem, habitu inuentum vt hominem, imo abiectissimum hominum. Hæc si propius & attentius axaminauerimus, admirationem dubiò procul, eamque summam obtinebunt. Atque hac de caussa circumstantiam hanc expressit Euangelista; Non simpliciter quod verisimile videri possit, vt eo maiorem historiæ fidem faceret, minutissimas quasque illius partes recensendo, sed quum integrum Christi sermonem supra exposuerit, locum vbi habitus est deinceps annotat, vt varias inde & doctrinas & consolationes hauriamus. Hoc autem erit actionis nostræ argumentum.

Primum ac quasi in ipso aditu hæc sese nobis offert consideratio, quomodo tam liber aditus patuerit Christo Capernahumum & in Synagogam Capernahumi. Nouum non est Christum sese abscondisse, in loco deserta & solitaria recessisse, frequentiam, pompam & magnificentiam in vrbibus reperiri solitam refugisse. Satis frequenter legimus in deserto concionatum fuisse, supra montem, in nauicula; hoc erat vulgo summum illius templum, hæc erat illius cathedra, magnifica sane, quandoquidem ibi Dei Filius concionabatur, ibi veritas illius annuntiabatur, imo magnificentia millies milliesque superans superbissimas ædium substructiones quas sæpissime superstitio, vanitas & festus hominum potius quam pietas aut vera religio excitant, vt qui Deum iis rebus colant quæ vanitatis suæ & superbiæ potius quam pietatis aut humilitatis sunt testimonia. At nunc non amplius se subtrahit, de fundamentis religionis Capernahumi loquitur, in ipsa Synagoga. Quomodo igitur viam sibi illuc patefecit? quomodo illuc ingredi ausus est? quam rationem nactus est? Non vtique demittendo ignem in hostes suos, vt olim Elias; non suppliciis, non crucibus, non ignibus non populi commotionibus & seditionibus, subditos contra Prin-

tra Principes excitando, rempublicam & ordinem politicum turbando. Hæ sunt enim artes illius qui homicida & mendax fuit ab initio. Vt religio illius falsa est, sic locum non obtinet nisi vbi mendacium falsitas & perfidia aut approbantur aut excusantur, nec nisi inhumanitate & crudelitate conseruatur; sed longe alia ratione Christus procedit, doctrinamque suam mediis prorsus contrariis promouet? in eo verò quod hic ab illo fit quatenus homo, rationis & modi quo Ecclesia sua agere solet exemplar nobis proponit, neque enim à sensus sui impetu abripi se sinit, neque ea sequitur quæ furor & ira dictare possunt, sed meminit eorum quæ dicuntur à Zacharia, *Nō virtute, neque vi, sed Spiritu meo ait Dominus exercituum. Quis es ô mons magne coram Zerubbabele in planicie es.* Dominus est qui solus potentia sua complanat seruis suis vias difficillimas, viam illis aperit per medios hostes suos, ibiq; sceptrum suum reluctante Satana & mundo erigit Quot huius rei in Ecclesiæ historia exempla nobis suppetunt. In Apostolorum Actibus legimus quomodo paruus ille grex h.e. Ecclesia primitiua, latere cogeretur ab initio, nec in hominum lucem prodire auderet, postea quomodo veluti nouis viribus armatus voce sua Capernahumum, imo in Synagogam vsque Capernahumiticam penetrarit. Ideo Ecclesia Lunæ comparari solet quæ sua habet incrementa & decrementa, semper tamen æqualiter à Sole suo illuminatur, vel tunc quum in tenebris totam sitam esse existimamus. Sic Ecclesia lumen suum hominum iudicio qui illam sępe penitus intercidisse credunt, interdum amittit, sed à Christo vero suo Sole semper illustratur, siue inter homines abscondita lateat, siue conspicua sit. Verum quia magis afficimur iis quæ ipsi vidimus, an non horum omnium veritatem experti sumus; annon ipsi vidimus Christum Ecclesiam suam in angulos & recessus, in cauernas & speluncas, in extremas orbis partes compulisse sed postea tempore exacto illam eduxit, vt Capernahumi prædicaret, vitemque suam à finibus terræ ad vltimos vsque fines propagauit, tantumque hostibus suis terrorem incussit vt pectus illis, vt cunque dissimulēt, metu trepidet, quod reipsa experti fuerint Ecclesiam reuera concuti at non exscindi aut extirpari posse, quia radices egit in cœlo quo brachium & securis humana non attingunt. Hinc autem discamus non pēdere in posterum nisi à sola Prouidentia diuina, in illius brachia nos reijcere, nec hominum machinis vel odio terreri.

Sed, obiiciat quippiam, Turbæ tamen exortæ sunt. Nostrum non est illarum caussas inquirere, Nihilominus ante has turbas Deus triumphalem fecerat suorum patientiam, vbique vexillum crucis Christi erexerat; an maiore possemus recreari consilatione; Si olim seruiuimus, at nunc liberi sumus: si loquuti sumus in desertis, in syluis, in montibus, nunc loquimur Capernahumi videntibus hostibus nostris inuito licet & reluctante, imo furente & ringente Antichristo: si libertas nostra quadantenus restringitur, tempus Domini Iesu expectemus. Corda hominum in omnibus suis tenet, & pro arbitrio & quo vult flectis sed quum sit Sanctus Israelis, circumscribi non vult, Tempora & authoritates quum in sua ipsius auctoritate statuerit, sanctæ suæ prouidētiæ impatientia nostra vim nos facere nō vult Ecclesiæ primitiuæ statum quæso considerate, & videbitis illo ipsos reges qui tam obstinatè bellum illi intulerant, sponte nec coactos illuc tandem deuenisse vt sceptra sua & diademata ad pedes Iesu Christi abiecerint in solemnis obsequij professionem. Brachium eius non est abbreuiatum, æque potens ac sapiens est atque tunc erat, æternus enim est nec mutatur.

Quid; quod si retardari & non promoti Euangelij caussam in nobis deprehēdamus? si propter peccata & vitia nostra bonū Dei nomen blasphemiis impetitum est; si vita doctrinæ quam profitemur minime consentanea Euangelij gloriam obscurauimus singuli igitur in posterum peruersam suam viam derelinquant, & quemadmodum Dei nomen supra nos reclamatur, omnes quoque actiones nostrę illius notis insigniantur, sintque totidem testimonia & argumenta nos esse illius filios. Secundo consideremus hoc loco Iesu Christi constantiam & animi firmitatem. Non enim de qualicunque Christianæ religionis articulo Capernahumi loquebatur, sed doctrina sua destruebat quicquid illorum opinione magnum & excellens erat. Quærebant ab illo, *Quid faciemus vt operemur operibus Dei, Hoc illud est*, inquit *opus Dei vt credatis in eum quem ille misit.* Atque hoc pacto totius illius opinionis quam de se concepisse poterāt fundamēta conuellit. Quid enim magis contrarium & ingratum homini, quā illi in os dicere, quicquid ab illo procedit nihil esse; quicquid in se ipso deprehendit, non solum vanitatem esse, sed etiam abominationem coram Deo, si in iustitiæ suæ trutina illud appendere voluerit; Non irritatur magis hominis superbia, quam quum hæc illi veritas proponitur, ac præsertim si ab homine vili & contemtibili qualis in speciem erat Christus proponatur. Adde quod non simpliciter aut quasi dubitanter vel de fide facienda parum sollicitus esset id ab illo dicebatur, sed sæpius repetitur, disputando, idque cum asseueratione, nec tam validos aduersarios offendere reformidante. Vnde tam admirabilis libertas Certe quatenus homo, ab eo quod conscientiā esset rectā, deque doctrinæ suæ veritate certus, innocentiam suam ante oculos habebat quæ certum ab illo à quo missus erat illi spondebat auxilium. Hoc illum Capernahumi defendebat. Quatenus Deus, proprio se seruauit brachio. Hoc enim respectu potentiā est infinitā ad hostium suorum rabiem frænandam. Nouit ponere hamum suum in naso illorum & frænum suum inter labia illorum, certis limitibus quos nunquam transilire queant furorum illorū coercere. Quod in illo erat hoc respectu, nimirū, quatenus Deus est, cum nullo illud communicat, sed sibi soli reseruat. At de prima illa virtute quam illi, quatenus homo erat, infuisse diximus, illam cum suis communicat & in illos omnes qui vere sua sunt membra deriuat. Spiritum suum cordibus illorum indit, Spiritum in quam illum mundo fortiorem fide illos donat, fide illa quæ est nostra victoria, vt ait B. Ioannes dat illis os & sapientiam cui non possunt contradicere neque obsistere omnes qui se illis opponunt, & Spiritu suo roboris, ita illos animat vt aperte vel in media Synagoga Capernahumi veritatem profiteantur. Exclamant cū Psalte, *Credidi, ideo loquitur sū* Nihil

metuunt, charitas enim illa Christi constringit eos, vident enim terrores animæ & pauores conscientiæ longe alios esse quam metum hominum qui corpus tantum interficere possunt, quum ille cuius veritatem agnoscunt, corpus & animam in æternum perdere possit. Non ita tamen quin Iesus Christus opportune & conuenienter facultatem hanc veritatis proferendæ suis distribuat & variè pro temporum varietate & sapientiæ suæ beneplacito illam dispenset, vsum quinetiam illius in seipso variè dispensauit, vsum, inquam, quia reuera in nobis hæc facultas crescit & decrescit, prout à Spiritu Dei plus minusve de illa nobis confertur, at in Iesu Christo semper summa fuit; nec vnquam imminuta est, vsus tantum illius varius fuit interdum enim se velut abscondit, in deserta ac solicitudines secessit & Iudæorum se præsentiæ subtraxit. Num hoc ab aliquo metu aut timiditate proueniebat? Nullatenus. At sic illi placitum erat virtutis suæ & firmitatis spiritualis effecta dispensare, vt in se ipso nobis veluti exemplar & effigiem eorum quæ Ecclesiæ eius accidunt relinqueret. Atque hinc habemus quod aduersariis nostris respondeamus, quærentibus, vbinam esset Ecclesia nostra ante Lutherum & dicentibus nullam omnino fuisse, nouitatisque accusantibus quasi demum ab hinc centum annos cœperit. Verum respondemus Deum dona sua & gratias variè dispensare. Ecclesiam nostram diu latuisse, quia Deus vim & firmitatem Spiritus non eadem semper mensura suis confert, sed suo quoque tempore tanta illam constantia armasse vt opposita & obiecta quæque non aliis quam spiritus armis disiecerit ac proturbarit. Mira huius rei exempla in Ecclesia Iudaica habemus. In illa olim serui Dei in deserta, in specus & cauernas abdiderunt se, idque tam secreto, vt ab ipso Elia Propheta dignosci non possent, postea vbi Deo placuit, in publicum prodierunt, apertè loquuti sunt, errorem depulerunt & veritatis diuinæ hostes prostrauerunt. An existimatis absque eadem hac virtute fuisset, potuisse vnquam absolui, imo inchoari mirum illud reformationis mundi opus, tum Apostolorum tempore quum paganismo & horrendis illius idololatriis liberatus est, tum Patrum nostrorum quum seruitute Antichristi & idololatria non Ethnica sed Antichristiana, maiore quidem cum artificio fucata, sed eo & agnitu difficiliore & periculosiore exemtus est. Considerato quæso decem aut duodecim homunciones mundi purgamenta & ramenta, illiteratos, inermes, simplices & prudentia illa humana quæ nihil nisi diu ante libratum & de cuius euentu compertum habeat aggreditur, destitutos, penes quos denique nihil erat illorum quæ in cæptis suis omnibus adhibere soliti sunt homines, neque vires, neque astutia, nec leoninæ assuta vulpina, qui nihilominus ita destituti & ab omnibus imperati Imperatores, Reges, Principes & quicquid in terris eminebat debellarunt. At quibus armis; Non aliis sane quam constantia & animi firmitate quæ à certa veritatis quam annuntiabant persuasione proficiscebatur. Hac instructi vrbes, Synagogas & templa ingressi sunt & captis potiti sunt, munitiones destruxerunt, ratiocinationes euerterunt, omnemque sublimitatem quæ sese extollebat aduersus cognitionem Dei, in captiuitatem redegerunt omnem cogitationem ad obediendum Christo, illi trophæa in omnibus terrarum angulis erexerunt, intra paucos annos monarchiam excitarunt millies ac millis augustiorem monarchia Medorum, Persarum, Babyloniorum, Græcorum, Romanorum ve illorum omnium ingentium prædonum qui potentiam suam & famam orbis vniuersi ruina auxerant. Idque iis quæ modo diximus mediis. Idem contigit in nouissimorum horum temporum reformatione. Illius auctores considerate. Dormientibus ac profunde sopitis viris maximis & doctissimis vel saltem mussitantibus, vnus & alter, alter hic, alter alibi, sibi inuicem incogniti, non communicatis inter se consiliis, sed contra aliquatenus dissentientes (quemadmodum Deus interdum permittit vt inter Paulum & Barnabam exacerbatio oriatur nec bene conueniat) tuba illa cœlesti signum dederunt, tanta vehementia, vt ad primum clangorem muri Ierichuntis corruerint, Babelis fundamenta ita concussa fuerint, vt tandem aliquando solo æquari necesse habeat. Nihil nunc nisi ruinas sarciunt & rupturas instaurant. Nequicquam sane, irreparabilis enim est ruina; Antichristus vehementius sese agitat, excruciat & in varias partes versat, nihil non molitur, nihil intentatum relinquit, sed immedicabili laborat vulnere. Haud secus illi ac Ceto accidit cui vncus impactus est vt sese agiter strepat, fremat, spumet, concutiat, ad littus tandem irrito conatu adigitur nec sese expedire potest. Patientia tantum vtamur, firmique & constantes perseueremus, hac nos metu liberant, hec animos nobis addunt, non autem promta & parata carnis celeritas, non temeraria in hostes irruptio, illorum rabiem aspiciamus tantum, non imitemur frendentis in morem apri, qui sese mortis securus in venabula induit modo dentiū fulmine venatores disturbet. Longe alio est animo Christianus. Suauissima quiete atque animi pace fruitur in mediis illis rebus quas mundus quam maxime metuit, inde scilicet quod se Christianum esse ac Domini sui characterem fronti insculptum gerere nouit, quit nihil seruo suo fieri permittet, quod non & in suam gloriam & in illius salutem redundet, en animi firmitatem quam Dominus cum seruis suis communicat, quæque illis quietem conciliat, adeo vt Dominum suum vbique adorari vnice ambiant, honoribusque dignitatibus mundanis ornari non curent. Sat, illis est si Christo seruiant, qui solus cæteris omnibus rebus simul illis est magis vt ilis & salutaris.

Tertiò, hic mira Dei potentia in hostibus suis refrænandis & coercendis consideranda est. Totus hic populus, imò ipsi Christi discipuli in illū murmurabant, attamen intra murmura omnia subsistunt, Christus in medio illorum vocem attollit; & vt loquitur Scriptura, vultum suum in illos dirigit, nihilominus solo murmure res transigitur; alias lapidibus sublatis illum petent ac tandem cruci affigent. At nunc incluso fremunt murmure. Pro miraculo, ingenti inquam miraculo est nobis quod Deus Prophetam suum Danielem in famelicorum leonum fouea, illæsum & intactum, ne dicam indeuoratum conseruarit; tres quoq; seruos suos eodem plane modo in fornace ardente incolumes præstiterit, non leonib. famem, aut igni suum calorem auferendo, sed ita

caussa

caussarum harum secundarum efficaciam cohibendo, vt leones, quamuis famelici, Danielem non attigerint, & ignis, quamuis ardentissimus, tres pueros ne afflauerit quidem. Heic vero multo magis mirum est videre Christum in media Synagoga Capernahumi murmuratoribus & seditiosis vndique cinctum ac tamen illæsum. Leonum enim, vrsorum, pardorum, pantherarum cæterarumque belluarum vel ferocissimarum sæuitiem ludum iocumque esse dicemus præ vt hostium veritatis rabies quæ in ipsam veritatem, illiusque professores dare solet. Fideles vtique mendacium prosequuntur, at illorum qui mendacio decipiuntur, miserentur, ęgritudinem non ægrum oderunt, contra potius diligunt & quam lenissimis potest remedijs illi subuenire conantur. At hostium veritatis diuersa est ratio, non solum enim veritatem detestantur, sed insuper omnes veritatis professores furialiter oderunt. Quis ergo non stupeat & miretur Christum in illorum medio subsistere potuisse; fremunt quidem & grunniunt, sed nemo manus illi infert; vnde hoc quæso? quia illi inuito nemo inferre potest, & si inferantur, illo volente & permittente inferuntur. Malum id quidem homines censent, quod ille interdum sibi inferri patitur, at quod pro malo ab hominibus habetur, id reapse bonum est; sic crucifigi voluit & mortem pati, quæ malorum omnium, hominum iudicio summum erat, sed in reuera vniuersi terrarum orbis bonum, hominũ cum Deo reconciliatio, opus omnium quotquot vnquam fuerunt gloriosissimum, fundamentum denique totius salutis nostræ; Eadem autem prorsus ratione cum Ecclesia sua agit, saluam illam & incolumen Capernahumi, in atrocissimorum inimicorum synagoga præstat; multi profecto conueniunt murmuratores & seditiosi, sed murmura illa subsidunt. Tauris illis Basanis cornua decutit, Madianitas in inuicem armat, illosque suo sibi gladio iugulat, omnesque illorum machinas subuertit. Quum itaque videamus prouidentiam Dei Ecclesiæ suæ tam assidue inuigilare, nostrum est illum laudare, & omnium illorum quæ sumus, quæque habemus Deo soli non autem caussis secundis gloriam tribuere, oculos sursum ad cœlum semper leuare, ad brachia omnipotentis qui primo regum corda erga nos inclinat, illaque retinet ne seditiosorum consilijs in perniciem nostram ferantur, terrorem postea qui nos inuadere debuerat, aduersarijs nostris injicit; si enim humanitus consideremur, est sane nobis vndique quod timeamus; pauci sumus, &, quandoquidem id fatendum est, debiles, anxij & perplexi, interim tamen subsistimus, quamuis multi sub mansuetudinis & simplicitatis habitu in cathedra veritatis & pacis, omnibus modis populum in exitium nostrum concitent; ignem quidem admouent, sed materia non semper illum concipit, quid si concipiat, multa illis objiciuntur obstacula quæ furorem illorum sistunt, vt belluæ repagulis coercentur ne in spectatores irruant, vel in fossa aliqua profunda includuntur, vnde facile egredi nequeunt. Sic Deus hostes suos coercet, strident frendentque, furiose interdum in nos irruunt, sed Domini prouidentia secreta repagula illis objicit, quæ quanquam à nobis non conspiciantur ab illis tamen, ringantur licet transiliri non possunt, idque vt Ecclesia dicat, *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Quales igitur sunt hic officij nostri partes? Vtique quando Deum adeo bonum habemus qui quotidie tanta miracula nobis ostendit, illa sane in vtilitatem nostram conuertamus, illis afficiamur, certi hoc pacto nos ab illo amari, illum esse perfugium nostrum & auxilium, facilemque inuentu quærentibus. Commutet terra locum, Dimoueantur montes depulsi in ima maria, Deus tamen erit auxilium suis præsentissimum, illosque exaudiet. *Agite,* inquit Psaltes Ps.46. *Videte opera Domini vt disponat desolationes in terra, faciẽs vt cessent bella vsque ad extremitatẽ terræ, arcũ perfringat & trũcet hastã, currus cõburat igne.* Si bonitate, sanctitate, mansuetudine illa ac benignitate, quam Deus in suis requirit armaremur conatus hominum rideremus; illis cum Propheta insultaremus. *Accingite vos & conteremini, consiliũ capite & dissipabitur,* &c. Contra vero si illis similes esse voluerimus, innixi non conscientiarum nostrarũ puritati, non vitæ nostræ innocentiæ, non doctrinæ nostræ veritati, profecto Balaamus dici poterit Balaco lapidem offendiculi dedisse ad quem Israel impingat, nos in eadem crimina secum rapiendo & illecebris suis in eadem peccata trahendo. Tota confidentia nostra à veritate Dei & vitarum nostrarum puritate pendeat; Deus hęreditatem suam non deserit; custos Israelis non dormitat, oculos in populum suum semper intendit, vigilat dum dormimus &c.

Quarto loco; Considerare quam exiguum laboris sui fructum Christus Capernahumi referat; concionatur veritatem suam Copernahumi annuntiat, in Synagoga illius vrbis quæ ad cœlum vsque exaltata sed ad inferos deprimenda dicitur, & tamen miseri illi conuersi non sunt. Christus ibi terræ, sed falsæ velut & maledictæ quæque satoris nec labori, nec spei vllatenus respondet, semen commendat. Id vero miramur & iure indignamur Euangelium sine fructu in illis locis prædicari in quibus maiorem fructum proferre debuit: Plures enim Christus alibi quam Capernahumi conuertit, quamuis Capernaitæ bonitatis illius quotidiani testes ac doctrinæ auditores essent, actiones eius & vitam intuerentur, quotidie sapientiam illius & sermones audiretnt, nihilominus obstinatissimi ac pertinacissimi in rebellione sua fuere, vt hinc discamus mœrore non confici, si Euangelium nullum aut exiguum in locis in quibus degimus fructum proferre videmus. Siquidem id ipsum Filio Dei quoque contigit. Id tantum singuli studeamus ne simus Capernaitarum similes, ne Iesu Christi mansuetudine & bonitate abutamur; magno sane honore Capernahumum afficiebat Christus quum tot illam bonitatis suæ ac sapientiæ adijs illustraret, sed honor non admissus vt decebat illi in ruinam & condemnationem cessit; caueamus ne simus Capernahumi, ac proinde nobis idem atque illis contingat. Ne existimemus Euangelium esse cantilenam amatoriam, vt inquit Propheta, nullumque alium vsum habere quam vt aures nobis vana delectatione titillet, aut mala nostra nobis simpliciter ob oculos ponat, nec vlterius progrediatur. Omni opere adnitamur vt illius virtutem sentiamus peccatorũ nostrorum remissionis certi, & de vita futura, vita inquam illa gloriosa quam nobis Christus sanguine suo peperit, plene

persuasi, ita tamen certitudo illa & sancta persuasio habenas non laxet ambitioni nostræ, auaritiæ, violentiæ, luxui, voluptatibus ac cæteris carnis nostræ affectibus, sed potius frænum sit quo potenter in officio nostro contineamur. Solemus Pontificijs exprobare, quid tantopere iactatis Petrum Romæ fuisse, primumque ibi Episcopi officio functum, quid inde commodi percipitis? Iesus Christus concionatus erat Capernahumi, non ideo tamen rebellis esse desiit, ac proinde ad inferos depressa est; nihil aliud quam *Templum, templum*, ingeminatis, quid si templum illud factum est spelunca latronum, Antichristum admittendo? Num fures in Templum confugiendo crucem vitant? quamuis hoc pacto, crucem apud homines, quorum superstitio templa hoc priuilegio ornauit, forte vitent, at non metuendam illam Dei crucem quam impijs omnibus erexit, vitabunt. Si vtique Pontifex & eius asseclæ rei sunt criminum quorum à nobis accusantur: An existimatis ideo quod Templum Dei occupauerint tutos esse ab illius maledictione, & iustitiæ exemtos? Hæc Pontificijs & merito quidem exprobare solemus. At per Deum ita nos geramus vt in nos retorqueri non possit, nec iure vnquam Capernahumo conferamur. Sic erimus illa Ierusalem, Ciuitas illa Dei quam gratiæ suæ fluminibus irrigat. Alioquin omnes nostræ prærogatiuæ nobis erunt inutiles, imo nobis in damnum vertentur. Israelitis ascendendum erat Hierosolymam vt Deum colerent: interim agros illorum non vastabat hostis, at si negligentiores & remissiores fierent, Deus illis non parcebat, vt prærogatiuas suas proponerent, templum, arcam, fœdus. Sic & nobis fiet, si sæpius Hierosolymam ascendamus non vt curiositati nostræ satisfaciamus, vt conscientiæ nostræ latratus compescamus quæ forte in memoriam nobis reuocat nos concioni defuisse, sed vt statuta Domini illic addiscamus, de voluntate eius certiores fiamus & ad illius præscriptum actiones nostras conformemus, tunc nobis aderit, inuigilabit nobis in bonum, hominum corda erga nos inclinabit, illa si quidem in manu sua tenet, inimicos nostros conteret; ipse dicit, *En omnino altercabitur homo in te. at qui altercabitur in te corruet en ego creaui fabrum sufflantem in ignem prunarum & proferentem instrumentum ad opus suum similiter ego creaui interfectorem ad perdendum. Nullum instrumentum formatum contra te prosperabitur, & omnem lingua insurgentem contra te in ius condemnabis. hæc est possessio seruorum Domini, quorum iustitia est ex me, dictum Domini.* Esa. 54. ℣. 15. 6. 17. Hominum rabiē quando libuerit, non secus ac fluctuum maris terris inundationem perpetuo minantis impetū, cohibebit. Hæc fiducia in illis duntaxat reperitur qui in cœlū aspiciunt vbi est Iesus Christus robur & virtutē suis conferēs, illorumq; hostes Spiritu oris sui destruens. Deus autē ipse id gratiæ nobis concedat vt rupi huic æternæ, non autem rerum mundanarū instabili arenæ fundemur &c. Amen.

CONCIO SEXTA.

Ioan. VI. ℣. 60.

Multi ergo ex discipulis eius his auditis dixerunt, durus est hic sermo, quis potest eum audire?

SCANDALA quæ propter verbum Dei oriuntur, oppositiones quæ contra veritatem illius excitantur, ab hostibus apertis initium reuera sumunt, sed ab illis postea fouentur & continuantur qui se illius populum esse profitentur. Ita Ecclesiæ persequutiones ab exteris primum mouentur sed à domesticis continuantur; quod videre est si Ecclesiæ Christianæ historiam ab ipsa origine repetamus. Nascens illa Iudæos & Ethnicos à quibus grauiter afflicta & infestissimis persequutionibus appetita fuit, hostes habuit. At debilis fuit illa oppositio illius habita ratione quam postea sensit, quum ab illis ipsis qui se Christianos esse profitebantur longe atrocius quam ab exteris agitata & concussa fuit; Idem quoque vidimus in nouissima hac generali reformatione quam Deus nostris temporibus instituit, huic enim reformationi sese primum opposuerunt Antichristus & Antichristi asseclæ, ij nempe quorum caussa reformatio & correctio fiebat, sed postea illi ipsi qui in magno hoc opere promouendo operam suam contribuere videri volebant, illud præ cæteris conturbarunt & interruperunt. Hoc ipsum Domino nostro Iesu Christo accidit, in semet enim ipso qualis erat in diebus carnis suæ, Ecclesiæ suæ statum & conditionem nobis exhibuit; Iudæi & Pharisæi hostes illius aperti, primi sese illi opposuerunt; at nec ibi substitit malum, nec inde semper profectum est, discipuli quoque illius illū aggressi sunt. Vidimus antehac Iudæorū oppositionem, at nūc videmus discipulos quoq; sese illi opposuisse & easdem cum Iudæis difficultates in illius doctrina imaginatos esse; quę est verborum modo prælectorum sententia, in quibus duo hæc capita considerãda veniunt. 1. Quinam illi sint à quibus hæc oppositio profecta est. 2. Qualis fuerit hæc oppositio. Primum quod attinet, à qualitatibus 1. nobis describuntur, *Discipuli* erant *Iesu Christi* 2. à numero, *Multi* erant. Discipuli Christi non vnus aut alter sed multi sese Christo opponunt Quum autem hic discipulos Christi auditis, ne duodecim Apostolos intelligite, sed indifferenter, quotquot in auditoribus Christi nomen dederant, qui illius miraculis conspectis commoti fuerant, quod in illis virtutem plusquam humanam agnouissent, qui doctrina illius audita, sapientiam verè diuinam in illo deprehenderant & beneficia illius senserant, maxima ex parte sanati aut illius virtute sustentati, qui vitæ illius, ab omni fraudis aut impostura suspicione quam remotissimæ, integritatis ac sanctitatis testes quotidiani fuerant; hi illi sunt, inquam, qui sese Christo opponunt, non pauci, sed multi. Quum mundum Deo pugnare, Beliali cum Christo non conuenire audimus, mirum id nobis non videtur; quid enim miri si vitium virtuti sit contrarium, si tenebræ lumini opponantur, si impuritas cum puritate nihil commercij habeat, contraria contrariorum perniciem natura sua moliantur; at nimis mirum est eos qui in speciem sunt filij luminis & veluti domestici domus Domini, proprios ipsius discipulos veritatem illius impugnare. Sic hodie non miramur Antichristum & eius asseclas bellum

lum nobis inferre, at quando è medio nostri, è visceribus nostris prodire videmus eos à quibus impugnamur, id vtique nobis pro monstro est. Ac sanè quis non miretur? Quis tamen mirabitur, si hanc ipsam eandem fuisse Domini nostri in terra militantis conditionem consideraverit? Quis inquam iure mirabitur nobis rem esse cum eiusmodi aduersariis, nos similium prorsus inimicorum & conatus & fraudes sentire, quis consolationis potius quam admirationis hac in re argumentum non deprehendat? Imo, an non gloriæ potius huiuscemodi persequutionem nobis ducemus, quum hoc pacto Domini nostri tessera insigniamur? Illis ipsis qui sub illo militiæ nomen dederant exosus fuit. Si itaque videamus illos qui Christi nomen frontibus inscriptum gerunt, qui nobiscum ad oppugnandum mendacium & veritatem defendendam conuenerant, in nos conspirare, ac veræ doctrinæ puritatem calumniari, detorquere & exosam reddere, ne mirum nobis videatur sed meminerimus id ipsum summo nostro Prophetæ contigisse. Præterea consideremus nihil illos facere quam quod Dei prouidentia decretum est, qui suos hac ratione probari vult. *Necesse est*, vt inquit Dominus noster Iesus Christus, *vt eueniāt offendicula, verum tamen væ homini illi per quē offendiculū euenit*. Et B. Paulus, *Oportet etiā hæreses inter vos esse, vt qui probi sunt manifesti fiant.* Deuteronomij quoque 13. Deus populo suo prædicit pseudoprophetas surrecturos in medio eorum, imò signa edituros, sed simul monet Deum hoc modo illos tentare, fidemque illorum & constantiam probare velle, atque hoc ipsum est quod inquit Apostolus, *vt qui probi sunt manifesti fiant*, fide vere credentium manifestata. Quum Ecclesia pace & concordia fruitur, nec afflictione extrinsecus aut dissensione intrinsecus laborat, qui Christi sunt non agnoscuntur, vixque seipsos inuicem dignoscunt, quia prosperitatis tempore facile est Deo seruire, carnis quies & oblectatio, cultusque Dei tunc conueniunt, vt sereno tempore in eadem area iacent palea, culmus & frumentum, sed exorto vento palea & culmo disiectis granum solum relinquitur. Sic mirum non est videre hypocritas & prophanos fidelibus in Ecclesia permistos tranquillo & prospero rerum statu. At quando persequutio oritur, schismatibusque & dissidijs omnia promiscue confunduntur & ea est rerum perturbatio vt corruere omnia videantur, tunc fit separatio, palea ventorum & turbinum vi aufertur, frumentum solum manet in area, idque eo magis, quo magis solum est. Quum Ecclesia Dei summa continetur concordia, nec vllis turbis aut nouitatibus pax eius tentatur, certo eos agnoscere non possumus qui vere in Christum credunt. Tunc verendum est ne consensus vniuersalis fundamenti loco multorum fidei substruatur, neve veritate credendorum, sed multitudine credentium persuadeamur. Ne similes stultorum illorum simus qui se quæ reuera non vident, ideo videre asserunt quia multos audiunt qui se illa videre profitentur; Deus vult fidem nostram aliud habere fundamentum, & inniti non multorum consensui sed verbo suo & propriæ conscientiæ nostræ sensui adeo vt reuera dicere possimus, quod olim dicebat Iosua populo Israelis, *Quod si malū videtur in oculis vestris colere Dominū ego vero & familia mea colemus Dominū*. Deus ergo permittit vt omnia quib. fides hominis vulgo innititur illi auferantur & subtrahantur, maiorum nempe auctoritas & reuerentia, populorum consensus, fidelium multitudo & alia quæcunque id genus, nullumque illi aliud fundamentum relinquatur præter veritatem nudam, sese conscientiæ manifestantem, illique effectibus suis & virtute, splendore suo & pulchritudine confirmantem & comprobantem se reuera veritatem esse à Deo veritatis profectam; quo manifestè prodit viua illa efficacia quam credentis anima percipit, illa virtute ac potentia qua cor suum & affectus, à mundo, imò à seipso vt in cœlum eleuentur fidelis abstrahit. Quapropter B. Paulus Euangelium appellat, *Potentiam Dei ad salutē omnibus credentibus*: Et Galatarum conscientiam interrogare audet an Spiritum per legem, an vero per fidem acceperint, veritatis testem appellans, efficaciam & virtutem quam veritas in ijs exerit qui se admiserunt: verum itaque est quod ait Apostolus, oportere etiam hæreses inter nos esse. Hoc modo multorum hypocrisis detegitur, qui veritatem non amant nisi quatenus interdum nouitatis speciem præ se fert, nouissima quælibet consectari soliti: si error veritate illis recētior videatur, veritate minus recenti deserta, errorem recentiorem amplectuntur. Inconstans hominum genus qui sola opinione & imaginatione ducuntur, qui *fluctuant*, vt inquit Apostolus, *& circumferuntur quouis vento doctrina*. Quum ij qui Christum propter Christum amplexi sunt, qui veritatem profitentur, ideo solum quod veritatem esse agnouerunt, nouas quæstiones nunquam moueant, nec à mouentibus in illorum partes pertrahi se sinant, haud secus ac qui cibi alicuius boni gustum habuerunt, non facile ab illo abstinent, licet fastidij illis mouendi causa; multi cibi illius bonitatem eleuent. Ne igitur præoccupemur, neuè decipiamur quum videmus viros, alioqui magni nominis qui in veritate illa quam docemus varias sibi finxerunt difficultates; memineribus semper idem contigisse Seruatori nostro Iesu Christo, ne miremur Ecclesiam eadem ratione habitam & acceptam atque ipsius caput, imo potius hæc nos consideratio consoletur & confirmet, scientes illam vere Christi corpus esse, cui vt Christo olim, foris domique contradicitur: magnum inter aduersarios consensum animaduertere nobis videmur; quia Diabolus contra seipsum non diuiditur; cęterum quodammodo priscis Iudæis similes sunt, inter quos variæ erant sectæ Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum qui sub eodem Pontifice vnanimes conueniebant quando de Christo persequendo agebatur. Multi à Seruatore nostro defecerunt etiam tum quum in terris adhuc ageret. Illorum inconstantia illius præsentia cohiberi non potuit. Constantes ergo stabilesque nos præstemus, nec apostasiis, schismatibus, dissidiis, scandalis, leuitatis & inconstantiæ humanæ exemplis constantia nostra & firmitas concutiatur, hoc semper nobiscum reputemus, vtcunque se res habeant, hanc esse ipsam veritatem; Hic ad praxim reuocemus quod Cristus alibi præcipit, *Quum audieritis bella & rumores bellorū, ne turbemini*. Fortitudo vestra, vt in tali tempore, in eo sita est vt quieti maneatis, & ex mediis hisce turbis & confusio-

nibus Deum ordinem educturum patienter spectetis. Rebus ita se habentibus singuli scire debēt quo fundamēto fides sua nitatur: An auctoritate illorum à quibus doctrinam illam audiuit, qui & ipsi quandoque ab illa deficiunt ac tandem impugnant quod ab initio propugnauerant; an verò Iesu Christo qui solus Propheta noster est, Rex ac Sacerdos, Rupes ac fundamentum Ecclesiæ suæ, tam validum ac firmum, vt quisquis illo nititur, vel cætero mundo pereunte & funditus corruente, concuti non possit.

Secundo, hæc oppositio hic consideranda venit; Ac primùm illius ratio, deinde & materia. Primum quod attinet, murmurant in doctrinam Iesu Christi, hoc expressè obseruatur; murmurant sane in Christum, non tamen murmuris illius occasionem ad Christum deferunt, verba eius difficilia illis videntur, sed de difficultate illum non consulunt, nec humiliter illum rogant vt verba sua exponat & explicet; Iurgari tantum, non doceri cupiunt; Fieri nequit, quin quotquot sumus interdum in doctrinam Filij Dei murmuremus. Omnium sanctissimus id sibi sæpè contigisse fatebitur, non solum ante vocationem suam quum mundo implicitus adhuc detineretur, sed & post adeptam Dei cognitionem. At multum inter se distant illa murmura. Quidam enim in murmuribus suis ad Filium Dei confugiunt, vt ab illo animi sui sedandi modum edoceantur. Alij ibi subsistunt & omnibus valere iussis de murmure in defectionem incidunt; vt neminem esse cui non interdum murmurare contingat, ostendere possimus, satis esse arbitror si conscientiæ testimonium adducatur, quis enim nostrum ingentes & violentas tentationes quandoque non experitur? Ideo nempe quia homo animalis eorum quæ sunt Spiritus Dei non est capax, sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere quia spiritualiter dijudicantur, at homo animalis non est spiritualis, Nemo autem hominum quos quidem terra sustinet pure pute est spiritualis, quique certo quodam gradu non sit animalis. Præterea, quod sapit caro est inimicitia aduersus Deum. Nos vero quamdiu hic viuimus, carnem penitus non exuimus, neque toti sumus Spiritus, alioquin absque peccato essemus & hic in terris viam Angelicam duceremus. Sic sæpe nobis accidit vt murmuremus, loquamur & cogitemus varia, Deum arguamus & in iudicium coram tribunali stultæ nostræ rationis vocemus. E.g. Propheta Asaphus quum hinc improborum prosperitatem, illinc filiorum Dei afflictionem aspiceret, pene pedibus suis declinauit, ita vt conqueri audeat, se vtique inaniter purificasse animum suum & lauisse in munditia manus suas; hisce verbis Dei prouidentiam negans. At videte quomodo fidelium murmur ab impiorum murmure differat; Fideles nempe postquam murmurarunt, ad Deum confugiunt, seque ipsos condemnant; tantumque in Deo satisfactionis & acquiescentiæ argumentum offendunt, vt non amplius murmurent; apud illum dubiorum suorum omnium solutionem inueniunt; atque hoc ipsum est quod in eodem hoc Propheta obseruamus; *quum ingressus fuissem*, inquit, *in Sanctuaria Dei Fortis tum eram brutus & velut iumenta apud te.* Quia scilicet Deus indicarat illi, impios vtique in lubricis positos esse, multas esse afflictiones iusti, sed ex omnibus illis eripi à Domino; illique bona dari, sed vera bona, non terrena, quia quisquis felicitatem suam hic consequutus fuerit, nihil vltra alibi habebit in quo acquiescat, commoda sua hic habuit, nihil est illi præterea expetendum, quemadmodum legimus Abrahamum diuiti exprobrantē, *Memento*, inquit, *te bona tua recepisse in vita tua.* Quid optasti? Voluptates, diuitias, vanitatem; Consequutus es, nec proinde plura petere te oportet. Hæc omnia Asaphus vidit in Sanctuaria Dei ingressus; atque hoc mentem illius commotam sedauit; eadem de caussa murmurant & prophani, sed non ingrediuntur in Sanctuaria Dei vt hic illis scrupulus eximatur, eodem plane modo discipuli de quibus hic agitur, qui in Christum quidem commouentur, sed illum non interrogant, neque sibi ab illo in hisce difficultatibus facem præferri postulant: Atque in illis eorum primum qui veram religionem contemnunt, deinde & eorum qui ab illius professione deficiunt viuam imaginem habetis: Primi enim ideo veram religionem contemnunt, quod animum suum in se ipsis à Deo alienatum sentiunt, ideo nihil aliud quam caussam quærunt quam defectioni suæ prætexere possint, non secus atque discipuli isti qui apud se ipsos iam à Christo recesserāt, antequam in murmura erumperent. Mundum relinquerant, quia illius abusum Christo ostendente viderant, quia Christus illos, idque in deserto, tantum non deficientes recreauerat, sustentauerat & aluerat: At quando Christus de ventre illorum non amplius loquitur, sed nescio quam tantum carnis suæ manducationem & sanguinis potum proponit, illum protinus respuunt, primamque statim occasionem auidè arripiunt vt illi tergum obuertant: sic quoque profani facere solent, nullam aliam præter hanc vitam expetunt, nullam nec oculis suis, nec auribus, nec sensuū vlli voluptatem denegare sustinent: si de vita æterna cum illis egeris, ægre ab illis fertur, in terris manere cupiunt, ac propterea religio Christiana doctrinā illis μυςηειώδης videtur, quam esse qui non possunt: Vt autem huiusce rei veritas pateat, considerate quæso id genus homines, omnes omnino sectas quæ quidem vnquam floruerint, ardenter sequutos & amplexatos esse: Deprehenderis nullam illarum fuisse quæ non opiniones adeo imo magis contrarias sensui & rationi habuerit quam religio Christiana, nec minus propterea sectatores suos habuisse, quia affectum huiuscemodi hominibus ingenitum non destruebant, sed quando ad religionem Christianam ventum est, inquiunt; vt isti discipuli, *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* quia Christianæ religionis scopus est imperium Satanæ & peccati euertere, Christi vero vnice stabilire, omnes cogitationes captiuas ad obedientiam Dei adducere & hominis externi cupiditates mortificare ad hominem internum viuificandum. Ideo tot in illa difficultates esse dicuntur, objiciunturque nobis Trinitas incarnatio & alij eiusmodi articuli qui intellectus nostri captum superant: Non rerum difficultas homines turbat, imo contra, ideo hæ difficultates in illorum animis exoriuntur quia hæc doctrina illos terra reuellere ac in cœlum transferre conatur. Hic quoque apostatarum imaginem habetis. Dum inter nos versantur, egregiè præ-

præ cæteris de articulis religionis disputant, neque sophisma, neque subtilitas datur, cui solutionem paratam non habeant, nullæ difficultates ex quibus non sese facillime extricent. At quando Christus illis displicet & tanquam perfugæ in mundi castra transire volunt & Ecclesiam deserere, tunc subito ac derepente maximæ illis difficultates oboriuntur, hos atque illos articulos concoquere non possunt, durus illis Dei sermo videtur; Interim tamen vana sunt quæcumque prætexunt, veteres & recoctæ calumniæ quas centies refutari audierunt, quas ipsimet forte olim refutarunt. Ne simus igitur tales; Si nobis murmurare contigerit, Christum adeamus, in illo reperiemus quod Asaphus reperit quum ingressus est in sanctuaria Dei.

Vt autem ad alterum caput veniamus, qualis huius oppositionis discipulorum Christi materia fuerit; Certissimum est murmuris sui falsum illis esse prætextum; Imaginantur Christum velle vt carnem suam edant & sanguinem bibant corporaliter, ideo exclamant. *Durus est hic sermo &c.* Obseruandum est autem nisi defectionem meditati fuissent, hanc cogitationem illorum animos nunquam subituram fuisse; hoc enim vt quis imaginetur, Christus ante omnia credendus est non esse Christus, nec admirabili illa quæ illi inest sapientia præditus. Quid? an tam crassa & contumeliosa in illius bonitatem & sapientiam cogitatio, in mentem hominis non inimici venire potuit? Interdum in hominum sermonibus difficultates nobis fingimus, at quia bene adeo de illorum sapientia existimamus vt persuasum habeamus nihil illos absurdi dixisse, ab illis non discedimus, sed dictorum rationem nobis exponi postulamus. Sic Nicodemus à Christo regenerationem sibi prædicante petiit qui id fieri possit & si nulcur dubitet caussam aperit, *Nam potest homo*, inquit, *in vterum matris suæ secundo introire & nasci?* At isti non eandem cum Nicodemo rationem ineunt, quia non tam bene de Christo ac Nicodemus sentiebant, ac ideo citra vlteriorem inquisitionem pro certo habent Christum de carne sua corporaliter edenda & sanguine bibendo loquutum fuisse. Faxit autem Deus ne tam scelerato vnquam occupemur affectu, veritatem absque præoccupatione & præiudicio, vt sese habet, consideremus.

Iam autem videamus quid prætendere possint, si quid illis subterfugij superest excutiamus. Primo dici potest Christum illis de carne sua comedenda & sanguine bibendo verba fecisse, mirum proinde non esse si populus crassus & torpidus, nec bene eductus hæc literaliter accipienda esse ab initio imaginatus fuerit; Id certe aliquid coloris haberet, si hæc loquendi genera apud nos insolita forent; At certum est nos in hac vita in frequentibus nostris colloquiis frequenter similitudinibus vti, Pater cum Filio colloquens sic dicit. *Mi Fili meam terra alitus totiere te decit, in cælum volare te oportet ac proinde tibi alas compara re.* Nec tamen id filius literaliter interpretabitur; qui secus faxit nebulo & omnium ludibrio habere censebitur; Nemo enim illum de alis corporeis, & auicularum alis similibus loqui existimauerit; Quidam forte primum non intelligent quid alis hisce pater sibi velit, & ab illo quærent quo pacto hæc sint intelligenda; Nullus tamen vnquam tam stupidus erit vt de alis auiculæ illum loqui arbitretur; Præterea eiusmodi loquendi formulæ in Ecclesia vsitatæ erant, vt ex historia sacra videre est; *Abraham nos non nouit, tu ô Deus Pater noster es.* Hoc sane carnaliter non intelligunt, ac si Deus hominum instar propriæ substantiæ communicatione illos genuisset; hoc enim modo Domini nostri Jesu Christi tantum pater est; sed per similitudinem id ab illis intelligitur. Id ipsum Scripturæ vsu tritissimum est quæ tam frequenter de lauacro & vestitu spirituali agit, de bonitate Dei gustanda, de illius fame ac siti; Item de sponso, de capite, de membris, de lumine, de tenebris, de via spatiosa & angusta; an hisce loquendi formulis res corporales & carnales designari credemus? Neminem tam stupidum arbitror, in quem hoc cadere possit; Vt autem præposterum huiuscemodi hominum in rebus cœlestib. iudicium vobis innotescat, hominem terrenum istiusmodi verbis compellate, similitudines vestras probe percipiet, modo animo illius grata & accepta loquamini: Exempli caussa auarum aggredere & vt vitio illius blandiaris, illum hisce verbis mulceto; *Domum tuam ædifi are* (sic enim vitio suo virtutis speciem inducunt & honesto hoc nomine insatiabilem suam cupiditatem prætexunt) *ver e tuus cibus est, Conuiuia tua, ludi & oblectationes sunt facultates liberis tuis acquirere*, satis percipiet quid tibi velis, nihil in illis similitudinibus obscuritatis agnoscet; At si hominem quem cœli fastidiunt subiit per similitudines & signa alloquaris, scrupulos, difficultates quæ solui nequeunt & miras prorsus chimæras sibi finget. Cur? quia hæc non sunt illi cordi, quæ ideo tenebris inuoluit, quia illis non delectatur. Sic Dominum nostrum quod attinet nullum erat plane in illius verbis scandali argumentum; sed toties ac toties, inquies, similitudinem illam repetierat, vt hoc pacto offendiculi occasionem illis præbuisse videatur; Respondeo eandem similitudinem duabus hisce de caussis vel illarum saltem alterutra sæpius repeti: Primo ad obligandum illum quem alloquimur, vt verum verborum nostrorum sensum à nobis petat, vt in exemplo supra citato pater qui filium iussit alas sibi comparare, si animaduertat filium suum non satis attendere ad ea quæ dicit, ter quaterque eandem similitudinem repetet, illius excitandi caussa & vt quærere teneatur quænam sint illæ *alæ* de quibus loquitur, ac proinde illius animo sententiam suam altius imprimat, quum certum sit nos illa longe melius memoriæ commendare quæ rogatu nostro & iuxta postulatum nobis respondentur, quam quæ simpliciter nobis non interrogantibus dicuntur: Secundo eandem rem sæpius iteramus quum nobis cum propheno & inuiore res est, qui malitiose verba nostra detorquet. Quum illum adeo sceleratum & peruersum esse videmus, illa quæ ridet sæpius ac lubentes iteramus, vt ostendamus nos bilem illius & malitiam non morari, nec propterea ab eiusmodi formulis & loquendi generibus absistere velle. Duabus hisce caussis bene perpensis, mirum nobis videri non debet Jesum Christum figuratas has loquendi formulas toties

repetiisse. Adde quod Jesus Christus omnem illis occasionem præcidit formularum illarum carnaliter intelligendarum, seipsum aliquoties explicans, & verbis propriis efferens id ipsum quod hisce similitudinibus significabat, modo enim hoc appellat, *venire ad se*, modo *in se credere*, atque hoc pacto omnem scandali occasionem tollit. Alij contrario modo peccant & inaliud extremum impingunt. Non conuenit mihi, inquiunt, cum illis incredulis: Credo Iesum Christum bene loquutum esse, credo me sanguinem eius bibere & carnem edere verè ac realiter, atque hac fide mea potentiam eius extollo. Ac si quis diceret; Nolo incredulus esse vt Nicodemus, qui sibi difficultates fingebat in eo quod Christus dixerat illi denuo nascendum esse, vt in regnum Cœlorum ingredi posset; Credo Jesum Christum hæc dicentem significare mihi denuo in ventrem maturis meæ introeundum esse. Ac si iterum diceres, Absit vt similis sim illi Samaritanę, de qua Joannis 4. quę seruatoris verba detorquebat, & quū ille aquam polliceretur, puteum nimis profundum esse respondebat, simpliciter enim & absolute credo quæ Christus dicit & quādoquidē certo mihi aquam polliceretur gratiam eius verè aquam esse credo, & ore reuera sumi, vt aquam fontanam aut fluuialē. Siccine Dei virtus & potentia magnificabuntur? Quin potius sic aperte blasphemantur & Religio Christiana, in quātum penes te est, infidelium ludibrio exponitur. Tales erant olim Arriani in prisca Ecclesia, Nolumus, inquiebant esse sapientiores Christo, qui patrem se maiorem esse ait. Quid hoc aliud est, quam nolle quærere qui id fieri posſit & quo sensu hæc accipienda sint. Tales quoq; erant Antropomorphitæ qui formam corpoream Deo tribuebant, oculos, pedes & manus assignabant. Nam, inquiebant illi, gloriam Deo ita de se in variis scripturæ locis loquenti tribuere volumus; Quandoquidem id ab illo dicitur, citra vlteriorem inquisitionem credendum nobis est; vt autem agnoscatis quàm à veritate alieni sint homines adeo religiosi, considerate quid sibi voluerit Christus, & illos, quicquid tandem prætexant, nihil minus, quam quæ Dominus dixit, credere depreheenderis. *Qui venit ad me*, inquit, *nequaquam esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam*: En illius scopum & consilium, hoc illud est quod sibi voluit quum de carne sua comedenda & sanguine suo bibendo loquutus est. Nihil autem minus ab illis creditur: Credere enim, inquiunt, nihil aliud est quam præsumpta opinione aliquid sibi persuadere. Quis te Christum Deum esse tuum? quis te ad illum venisse? quis te in illum credere, ac proinde nunquam esuriturum, nec sititurum certum faciet? Hæc verba dura illis videntur, nec ab illis ferri possunt; Nihilominus nihil nisi merita, nihil nisi opera supererogationis crepant. Dulcissima hæc verba, Qui ad Christum venire vult, seipsum demittat, seipsum abiiciat, & quicquid in se est pedibus calcet, ne aliud quicquam desideret, quam togam dealbatam in sanguine Domini sui, nempe peccatorum suorum remissionem morte Christi impetratam, Hæc inquam verba tam dura sunt illorum auribus, vt superbiæ & arrogantiæ eos qui sic loquuntur accusent, ac tandem adulterina sua moneta hoc est operibus suis, quorum ipsimet & pretium & valorem ignorant, nescientes vtrum bona, an mala censenda sint, Deo satisfacere volunt. Doctrina illa quæ liberi arbitrij viribus cœlum illis pollicetur, summopere illis arridet, at quæ in solo Jesu Christo cœlum quærendum esse docet, quæ in sanguine eius redemtionis nostræ pretium constituit, dura illis & intolerabilis videtur; Cuius rei hanc assignauetis caussam, quia difficillime illuc adducitur homo vt se ipsum omni confusione & ignominia dignum existimet, bonique sui omnem gloriam Deo tribuat; Mirum igitur non est crucis doctrinam duram illis videri. Siquidem Pharisæi sunt, qui ieiuniorum suorum, ciliciorum, ac operum meritis nullatenus renunciare volunt, qui in seipsis pauperes esse nolunt vt in Christo ditentur. Sed in nos ipsos quoq; descēdamus; In meliori schola, Deo gratias, edocti fuimus: Nouimus Christum ore animæ edi ac bibi, nos operibus nostris in paradisum non introduci, nec illa satisfactionis locum obtinere posse, gratiam eius priuilegium esse pura puta illius liberalitate sine vllo nostro merito nobis concessum; Sed caueamus ne quæ dulcissimas hasce consolationes consequuntur, nempe crucis prædicatio, carnis mortificatio & spiritus viuificatio dura nobis videantur. Euangelium Christi non est doctrina dissolutionis. Christus non est instar regum illorum, qui quo tempore inaugurantur, insolentissima & immoderata quæque, nec toleranda permittunt, & carcere eos liberant qui ad crucem deducendi fuissent. Christus in hanc licentiam effundi nos non patitur; Euangelium illius reuera prædicatio pacis, gaudij & oblectationis, sed ita vt omnem dissolutionem ac morum corruptelam in nobis extinguat; Attamen præceptum hoc Euangelicum de cruce ferenda durissimum est, inquies, & mundus hic nobis insultat & conditionem nobis miserrimam ac ærumnosissimam exprobrat. Quasi scilicet mundus ipse meliori esset conditione, quasi non in æque duro ac misero rerum statu versaretur, etiam hic in terris, in vero oblectationis suæ stadio; An vindictæ cupidum, ambitiosum, auarum tam feliciter agere censetis, perpetua inquietudine, perpetua febri laborant, vanum & imaginarium bonum inutiliter consectantes, aut præteritum desiderantes. Quamuis autem nihil hic aduersi omnino paterentur, quid miri? Tauri sunt Basanis quos in diem mactationis Deus saginat, longe alius est filiorum Dei exitus; Attamen, inquies, Filij Dei non sunt naturæ Angelicæ, non potest crux non grauis illi videri, & sermo Christi crucem annuntians non durus; Verum ad hoc respondeo contrarium à Christo doceri, *iugum enim meum*, inquit, *facile est*, *& onus meum leue est*. Ac quid quæso hanc Domini sententiam veram efficit? quid filiis Dei facile & leue reddit quod aliis est intolerabile? Fides vtique. Quum nempe expendimus vbi hominum contumeliis vexati fuerimus nos à Deo honoratum iri, vbi caput nostrum spinis cinxerint, Deum suis manibus coronam gloriæ capitibus nostris impositum; vbi mundus nobis bellum intulerit, Deum pro nobis futurum, quum expendimus figuram huius mundi præterire, Deum

non

non permittere vt quiescat in perpetuum virga improbitatis super sortem iustorum; nullam omnino esse oblectationem illi comparandam quam in altitudine, latitudine & profunditate misericordiarum Dei consideranda percipimus; si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo nos habituros, domicilium videlicet non manu factum, sed æternum in cœlis quo superinduemur. Hæc fides denique lignum illud est Mosis quod aquas Maræ ex amaris dulces & gratas reddidit, quod omnes huius vitæ amaritudines temperat, ita vt conditionem nostram superbissimis & elatissimis totius orbis dignitatibus præferamus, malin usque cum Christo pati, quam cum mundo triumphare, quia persuasum habemus nobis Christum & in vita & in morte lucrum esse, pietatem lucrum esse summum ac præ cæteris omnibus expetendum, id enim, quod cætera omnia lucra nequeunt, animum, nempe, sua sorte contentum, secum affert.

Deus autem noster nos misericordia sua, per Spiritus sui efficaciam lucro hoc hic in terris afficiat, vt illo aucti consolationem in hac vita, ac æternam in altera felicitatem obtineamus. Amen.

CONCIO SEPTIMA.

Ioan. VI. ℣. 61. 62.

61 *Sciens autem Iesus apud se discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis, Hoccine vos offendit.*

62. *Quid si igitur spectaueritis filium hominis ascendentem eo vbi erat prius?*

VIVA Jesu Christi à mortuis suscitati & ad dextram Dei in locis cœlestibus sedentis apprehensione, nec aptior, nec validior, nec efficacior est ratio, ad animos nostros à terra abstrahendos, & in cœlum eleuandos, ad cogitationes nostras purificandas & sanctificandas; atque ex carnalibus & terrestribus, quales natura sua sunt, spirituales reddendas, nulla, inquam, aptior est ratio quam si beatam seruatoris nostri resurrectionem, & gloriosam triumphantemque in cœlum ascensionem, non corporis sed fidei oculis contemplemur. Quapropter B. Paulus ad Colossenses scribens, illos nosque simul hortatur ne terrestria, sed superna curemus. *Itaque*, inquit. *si resurrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Nam mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; Postquam autem Christus vita illa vestra manifestus factus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi:* Atque hic Dominus noster discipulorum suorum murmura non ignorans atque in verbis suis offensos fuisse, quibus adeo sæpe, tamque expresse carnis suæ edendæ & sanguinis bibendi necessitatem illis imposuerat, vt crassam hanc & à sensibus ortam cogitationem, animis illorum reuelleret, suam in cælum ascensionem illis objicit, *Quid si igitur spectaueritis*, &c. Offensi fuerant in eo quod dixerat, illis carnem suam edendam esse & sanguinem bibendum, vt vitæ participes esse possent, & nihil aliud quam oralem mâducationem cogitabant, at Christus tam crassæ cogitationi occurrit, & docet non esse hoc sensu verba sua sumenda, hoc enim modo difficilius longe & factu minus possibile illis visum iri, si se in cœlum, imò in cœlum vbi erat prius ascendentem spectauerint, atque hoc pacto cogitationem eorum conuertit ad esum spiritualem qui locorum & temporum interuallo prohiberi non potest. Non locorum interuallo, nam quamuis fideles in terris degant, conuersatio tamen illorum est in cœlis, non in terris, vtique quia Christus non amplius in terris, sed in cœlis est; Nec temporum quoque, Nam sane Christus omni æuo & tempore cibus & potus fuit populi sui, à quo ab initio mundi profecta est vita hominum. Quod si peragi id deberet esu & potu corporeo, fieri omnino id non potuisset, nã per multa sæcula Christus Dei Filius in cœlo fuit Deus tantummodo nondum assumtâ humana natura. Qui ergo potuissent illo tempore fideles carne eius & sanguine in rerum natura nondum existentibus vesci? An organa corporis ad non entia extenduntur? An hic confugietur ad omnipotentiam diuinam, quæ efficiat, vt quod omnino non est edi possit? Alioqui nulla hic sese difficultas offert, anima enim tam futurum quam præsens & præteritum, mente potest complecti, atque ex re futura, quam certo futuram scit, gaudium & consolationem non minus quam ex præsenti percipere, *Abraham*, inquit Christus, *vidit diem meum & gauisus est.* Non vidit equidem oculis corporis, sed animæ & fidei, quæ fides hypostasis est rerum sperandarum, ac proinde futurarum, necdum existentium. Christus itaque quum hic memorat ascensum suum in cœlum, vbi iam ipse erat à principio, satis aperte docet, qua ratione iam ab initio fuerit, futurusque sit ad finem vsque sæculorum, Ecclesiæ suæ esca, siue cibus & potus, nempe non communicatione quadam corporea, quæ absolutè impossibilis est; Dei enim omnipotentia tempora in vnum non confundit, nec facit vt tempus præsens vnum sit cum præterito, vel præteritum cum futuro; Nec locos quoque coniungit adeo vt cœlum sit in terra, vel terra in cœlo. Quum Deus omnes mundi partes distinxerit & certum in illis ordinem eumque immutabilem obseruarit, eius omnipotentia non facit, vt loca contigua ab inuicem distent, vel loca distantia, proxima sint & contigua. Ac proinde vt tempus natiuitatis Domini nostri inciderit in tempora Abrahami, vt secundum carnem in mundo esset, antequam carnem humanam assumsisset; Neque vt in cœlis existens, in terris quoque sit secundum naturam suam humanam, quum eadem sit proportio inter tempora & loca, inter res quæ in tempore fiunt & eas quæ certis in locis sunt. Quemadmodum igitur tempus præteritum non potest esse futurum, neque tempus futurum, præteritum; Ita quod olim erat, futurum esse nequit; nec futurum, iam præteriisse potest: & quemadmodum loca

diſsita ſimul eſſe & coniungi non poſſunt, cœlum nempe terræ vel terra cœlo, nec etiam quæ locorum interuallo diſtinguuntur ſimul eodem in loco eſſe dici poſſunt. Quæ in terra ſunt cum iis quæ ſunt in cœlo; quod ſcilicet de rebus creatis, finitis, ac corporeis intelligendum: vt ſunt tempora & loca, nec non res temporib. & locis obnoxiæ, in quarum numerum niſi humanam Domini noſtri JeſuChriſti naturam referamus, incogitantes aut illam in nihilum redigemus, aut cum natura diuina confundemus, nec illi quicquam præter inane naturæ humanæ nomẽ ſine effectu relinquemus. Sic ergo Dominus diſcipulos ſuos craſſæ & affectatæ ignorantiæ redarguit, quum ſignificat eis, neque ſemper ſe verſatum eſſe in terra quoad corpus, neque ſemper ſibi eſſe his in terris verſandum, ſed aſcendendum ſibi aliquando eſſe in cœlum, atque eò ſubuehendum eſſe à ſe corpus ſuum, interim tamen ſe ſemper fuiſſe, ſemperque futurum eſſe, cibum eorum omnium qui olim per illum habuerunt, quique deinceps habituri ſunt communionem & aditum ad vitam. Hic eſt verborum Domini noſtri ſcopus, quæ paulo attentius conſideranda ſunt. Ac primum illorum occaſionem videamus; quæ hiſce verbis nobis proponitur, *ſciens Ieſus apud ſe diſcipulos ſuos de hoc murmurare*: Deinde ipſa Chriſti verba, quibus ſi fieri potuiſſet, diſcipulorum ſuorum murmura ſedare aut ſaltem os illis occludere & omnem excuſationis anſam præcidere voluit, expendamus.

Primùm, quum Chriſtum diſcipulorum ſuorum murmura apud ſe ſciſſe audimus, quam acuto & penetranti ſit viſu conſideremus, quomodo de cogitationibus humanis iudicet, quum non ſit vlla res creata non manifeſta in conſpectu ipſius, imò omnia ſint nuda & intimè patentia oculis eius; Cordium ſcrutator eſt & renum probator, intimos & abditiſsimos animi receſſus penetrat & explicat, & occultiſsimas quaſq; cogitationes in lucem protrahit. Ideo ſeipſum Joanni conſpiciendum dedit ſub ſpecie viri cuius oculi erant vt flamma ignis: Oculi profectò illius flammæ ſunt, ſiue illi cum ſuis, ſiue cum hoſtibus res fuerit: Cum ſuis, vt vultus paterni ſueritatem ſentiant, quum ſe in conſpectu eius eſſe obliuiſcuntur: Imo quum illos in afflictione aſpicit, attollitque ſuper eos lucem faciei ſuæ, oculi eius oculi vere ſunt flammei, ſed qui lumen & calorem, non autem incendium afferant. Iidem illi oculi flammei quoque ſunt hoſtibus, quum conſcientiæ pauoribus & terroribus illos agitat, profligat atque humi proſternit, vt olim milites, qui illius comprehendendi cauſſa aduenerant, proſtrauit. In quo ſane ampliſsimam & doctrinæ & conſolationis copiam paratam habemus, quandoquidem ſuſpiria noſtra & gemitus Dominum non latent, hominumque cogitationes omnes cognitas & perſpectas habet. Sæpe in eas cadimus ſollicitudines & anguſtias, vt neſciamus apud quem conqueri, neminem habeamus in cuius ſinũ animi noſtri curas & mœrores confidenter effundamus; At ſciamus, quum nobis res ſit cũ Domino qui populi ſui afflictionẽ, idq; oculo miſericordi videt, illum de cœlo deſcenſurum vt populum ſuum inde liberet & eruat, vidi, inquit, afflictionẽ populi mei. Quandoquidem, inquam, nobis res eſt cum Domino qui omnes hoſtium noſtrorum ſiue ſedentium ſiue ſtantium paſſus in numerato habet, nouit quicquid faciunt, nihil illo inſcio machinari, nihil illo inuito perpetrare poſſunt; Nox coram illo eſt inſtar meridiei. Rex Syriæ nihil in Iſraelem poterat quia rex Joram apud ſe Prophetam habebat qui ſibi omnia illius cõſilia detegebat, quique hoc pacto omnia illius cœpta irrita, ac proinde noxia reddebat. Non ſolum autem prophetam habemus, ſed Angelum ipſum conſilij Dei, conſiliarium, Deum fortem, qui ſolus ſapiens eſt & potens, ipſiſsima Dei ſapientia & potentia; Habemus inquam illum in protectorem & defenſorem, modo illius ſimus; Illi ſe merito beatos arbitrantur, atque ideo gratias Deo agere debent qui inſtar ſeruorum Salomonis præſtanti alicui viro adſtant, cuius ſingulis horis ſapientiam & audire & videre poſſunt; At longe excellentiori prærogatiua gaudent Filij Dei; A vero ſiquidem Salomone reguntur, qui illorum ſaluti perpetuo inuigilat, vtique ſi illius ſimus, nihil eſt quod timeamus. *Propoſui mihi Dominum iugiter*, inquit Pſaltes, *quia à dextera mea eſt non dimouebor.* Magnum ſane honorem at cuius mundus non eſt particeps. *Beatus*, inquit propheta, *leuatus à defectione, cuius tectum eſt peccatum*, at non omnes in hunc ordinem cooptantur. Sed illi duntaxat vt mox ſequitur, *quorum ſpiritui non ineſt dolus*: Age eadem ratione dicamus, *Beatus populus cuius Dominus eſt Deus*, ſed & addamus, *& cuius ſpiritui non ineſt dolus*; Ea demum vera nota eſt illorum qui peccatorum ſuorum remiſsionem obtinuerunt. Fieri nequit in hac vita vt abſque peccato ſimus, at fieri quidem poteſt vt nos Deo bona fide ſiſtamus, defectuſque noſtros illi retegamus, ipſoque calculo noſtro condemnemus, nec in nobis ipſis gloriemur. Ne imaginemur Deum inſtar hominis: qui vt de homine iudicet, hominis faciem aſpicit, hoc eſt verbis, vultu, externaque ſpecie quæ plerumque fallunt ac decipiunt, illum metitur, Atque hinc tot querelæ quæ de hominum perfidia ac hypocriſi quotidie auribus noſtris accidunt: Deus aliter agit, cor reſpicit & ipſos animi motus vel antequam formentur nouit, ac per conſequens Dominus quoque Jeſus Chriſtus, quandoquidem verus Deus eſt, filius vnicus, proprius, & eſſentialis patris; Ne exiſtimemus ſuperficiariam cognitionem, quæ reapſe nihil aliud eſt quam mera profeſsionis & ſpeciei externæ imaginatio, illi ſatisfacere: Si nihil aliud quam ſepulchra dealbata fuerimus, intus fœtida, extra ſpecioſa, illi erimus abominationi, cor enim, non autem hominis faciem reſpicit. Contra verò ſi veros Iſraelitas nos præſtiterimus, Nathanaëlis ſimiles, ſi ſpiritui noſtro nullus inſit dolus, ſi cum Dauide dicere audeamus, *Proba me Domine*, acer ille & penetrans viſus, in ſalutem noſtram & conſolationem vim ſuam exeret, hoſtes noſtros terrebit vt olim in deſerto ac in fugam conjiciet. Oculi illius ſunt flammei, luce ac calore pleni, cuſtos Iſraelis non dormitat, ſemper vigilat, omnia videt & omnibus proſpicit.

Secundo obſeruemus quomodo Ieſus Chriſtus ſcandalis obuiam eat; Non ſtatim prima vice brachij ſui extenſi vires exerit. Si durus

videatur

videatur eius sermo, illo ipso eodem sermone difficultatem tollit, nec iudicia sua nisi ad extremum exercet, quia longanimis est & multus benignitate. Cuius rei hic exemplum habetis: Discipuli eius offendebantur quod de carne sua comedenda & sanguine bibendo loqueretur, nec id ab illis capi poterat. Quomodo offensioni huic prospicit Dominus? Verba sua verbis aliis explicat quibus ostendit quum sibi ascendendum sit in cœlum non ore corporeo, sed corde & anima opus esse ad hanc manducationem; quum animæ sit non corporis res absentes, vt diximus, & dissitas coniungere. Multi hodie quoque hac de re murmurant. Sed murmuris illorum contraria est caussa. Discipuli murmurant quia Christum de crassa & orali carnis suæ manducatione loqui arbitrantur, sed ij quibuscum nobis res est aliter murmurant quum scilicet Christum loquentem audiunt de manducatione quæ per fidem fit, quæ ab anima esuriente & sitiente procedit, quę famem & sitim spiritualem sedare quærit, de manducatione quæ vitam animæ primum, ac deinde & consequenter corpori confert. Miram vtique rem: vtrique murmurant & murmuris argumentum est contrarium. Isti nihil difficultatis esse credũt in Christo oraliter deuorando, at discipulis eius impossibile id videtur. Christus vtrisque verbo suo consulit, Discipulis suis ascensum suum in cœlum proponit, quasi diceret, ne existimate me de manducatione carnali loqui ac si corpus hoc meum deuorandum & dentibus conficiendum vobis offerrem, non enim semper in terris versabitur, sed à me in cœlum subuehetur. Istis vero eadem plane ratione de ascensu suo in cœlum loquitur, vt animos illorum à terra auertat & in cœlum euehat. At si hodie hæc sine fructu proponimus, quid miri? quandoquidẽ hæc Christus ipse olim sine fructu proposuit. Meminerimus Deum nobis omnia scandala quæ euentura erant prædixisse. Quid igitur id genus hominibus fiet? Post verba tam aperta, quid amplius quæso illis diceremus? Illis profecto iudici suo permittemus, coram quo nullo erunt loco quæcunque absonis adeo cogitationibus ab illis prætexentur. *Volumus*, inquiunt, *credere in qua Iesus Christus dixit.* Hic merus est pertextus, quique non nisi ab hypocriseos & irrisionis Spiritu proficiscitur; nam si reuera iis quæ Christus dixit credunt, quidni & Christo credent verba sua explicanti? Christus ait, *Nisi carnem meam comederitis & sanguinem meum biberitis, vitam non habebitis.* Atque hic mordicus hærere volunt; sed quidni, inquimus, explicationi eius quoque non hæretis, quum dicit se carnem suam in cœlum subducturum; qui Christo eum quem par est honorem defert, verbis illius omnibus æquam fidem adhibet. *In cœna*, inquiunt, *Christus aperte ait, hoc esse corpus suum & calicem sanguinem suum:* At excipimus, quidni ergo & sequentibus creditis. *Facite hoc in mei commemorationem*, quæ satis indicant panem Christi corpus vocari non alia ratione quam petra deserti apud Paulum, ipse Christus vocatur, quia Christi commemoratio est & signum. Verbis Christi hærere se velle profitentur, & interim quam ipse verborum suorum explicationem affert repudiant; ad verba loquentis offendere, nec mentem & sententiam illius aduertere, qua litem decidere, omnemque contentionis caussam præcidere quęrit, non nisi summi contemtus est indicium, concludamus igitur cum Paulo, *Quod si opertum est Euangelium nostrum, iis qui pereunt opertum est. In quibus Deus hujus sæculi excæcauit mentes, nempe in infidelibus.*

Tertio, hic aliud quiddam obseruandum occurrit. Sunt qui dicant, Christum nunquam ad homines verba facturum esse, nisi virtutis quæ verbis excitari queat semen aliquod in illis lateret; Nihilominus videtis hic illum verba facere ad eos quos suos non esse probe nouerat, quique illi à Patre dati non erant, quod & Euangelista noster expresse notauit. Id autem consolationis nostræ caussa à Domino factum est, vt hinc discamus si eam vel erga obstinatissimos mansuetudinem & benignitatem demonstrarit, non vtique extincturum linum fumigans, vel arundinem confractam contriturum. Quum videamus Domini tolerantiam erga eos qui in malum indurauerunt, an existimabimus, Deum adeo benignum & patientem derelicturum eos quibus est Spiritus contritus, quique ad verbum eius tota mente contremiscunt; quum tanti sint thesauri gratiæ eius tantæque diuitiæ misericordiæ, vt sua etiam quantulacunque impiis sit in illis portio.

Veniamus nunc ad ipsa Christi verba, *Hoccine vos offendit, quid si igitur, inquit, spectaretis Filium hominis ascendentem eo vbi erat prius:* Quanto magis offenderemini? Quanto durior videretur vobis sermo meus? Vobis, qui non nisi carnaliter verba mea accipitis, qui nihil aliud quam manducationem corporalem & cibum corporalem cogitatis? qui nullam aliam bibendi rationem quã corporalem, nullumque alium potum quam corporaliter præsentem admittitis? Certe tunc scandalum vestrum longe maius esset, quum fieri non posset vt carnem meam manducaretis, carnem inquam Filij hominis in cœlis existentis. Vnde inferre voluit, vt bene Augustinus obseruauit, se hic de longe alia carnis suæ manducatione & sanguinis potu agere, nempe de ea manducatione quæ per fidem fit; nihil autem aptius est ad crassas omnes & à sensibus ortas cogitationes animis nostris reuellendas, quam ascensum illius in cœlum nobis in mentem reuocare: illumque eo ascendisse, vt illic à nobis quæratur, quum gloria nostra non in eo sita sit vt ad nos amplius descendat, sed vt ad illum in posterum, fide, affectu, & cordis nostri desiderio ascendamus; ac tandem aliquando, reipsa, quo scilicet præfiniuit tempore; primò quidem quum in huius vitæ excessu animam nostram exceptam ad dextram suam collocabit, *in qua sunt*, vt ait Propheta, *amænitates in æternum*; postremo tandem, corpore & anima, nouissimo illo die, in beata resurrectione, quando veniet iudicare viuus & mortuos. *Confert vobis*, inquit ipse, in hoc Euangelio, *vt ego abeam:* Hæc est illa consolatio qua discipulos suos recreat, qua animos illorum propter discessum suũ mœstos solatur: Non ait, me præ manibus semper habebitis, me ex pane quandocunque libuerit conficietis, sed contra, *Confert vobis vt ego abeam, aduocatum enim illum & Consolatorem ad vos mittam:* Si præsentiam meam corpoream à vobis subtraho, mittam ad vos Spiritum meum, gratiæ meæ pignus certissimum, qui vos & consolabitur

& docebit, proficiscor paraturus vobis locum, & corpus hoc in cœlum subducturus, arrham certam vestra quoque corpora illuc aliquando subductum iri; ac sane nulla alia ratione quam hac vnica hominum cogitationes sursum erigi potuerunt, vt scilicet Dominus Jesus qui vnicum cogitationum nostrarū obiectum esse debet, ipse illuc ascenderet. Natura nostra illuc tendimus vbi illi sunt quos maxime diligimus, illuc corporis ac multo potius animæ oculos conuertere solemus; & si corpus animæ motum sequi posset, quo mens nostra penetrat, illuc quoque corpus penetraret. *Desiderio*, inquit Paulus, *tendo ad dimissionem & vt cum Christo sim*; non credebat vtique Christum in terris esse, desiderium enim illius minus ardens & vehemens fuisset. *Peregrè*, inquit, *absumus à Domino. Per fidem ambulamus non per aspectum.* Videte autem quam fidem intelligat. *Confidenti*, inquit, *animo sumus & gratum est nobis potius abesse è corpore & adesse apud Dominum.* Non intelligit fidem illam prodigiosam qua homines sibi Christum præsentem fingunt, non præsentia spirituali, sed quam maximè carnali, præsentia qua instar panis comedatur, in stomachum demittatur, in ventrem condatur, imò, quod cogitatu solum horrendum est sed aduersariis nostris & cogitatu & dictu ordinarium, qua reuomatur; qua de re canones, regulas, cautelas, præscriptiones, constitutiones ac leges condiderunt. Hic autem si instituatur sincera collatio præsentiæ huius carnalis cum vera Christi præsentia, manducationis huius corporalis, cum manducatione spirituali, nulla erit conscientia tam indurata quæ gloriam Deo tribuere & insignem vnius præ altera excellentiam, prærogatiuam ac infinitam gloriam agnoscere non cogatur. Quid? annon longe gloriosius est contemplari Christum in cœlis sedentem ad dextram Dei, splendore & luce indutum, Angelorum infinitis myriadibus stipatum, orbem vniuersum regentem, suos docentem, consolantem & sanctificantem, quam crusta panis in terris inclusum, atque inter hominis manus, qui metuit ne sibi de manibus in terram excidat? Annon longe plus inest consolationis in præparatione animæ quam oris corporalis ad illum excipiēdum, & vtrum prę̄stat sentire illum habitantem in cordibus nostris, & viuentem in nobis, an vero in ore nostro atque stomacho? B. Paulus Atheniensibus Ethnicis dicebat, *Deum illum qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, quum sit cœli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitare, nec manibus hominum coli, alicuius rei egentem.* At quid hodie diceret si Dominum inter Christianos videret cymbio seu alabastro inclusum, frequenter inspectum & immutatum, ne forte putrescat & corrumpatur? Quid inquam diceret si illum tanquam rem mortuam, vitæ & motus expertem vicatim circumferri videret: Hinc vero eos qui illum in cœlis quærunt, ibique in vero illius templo illum contemplantur & adorant, qui nihil hic in terris agnoscunt quod adeo gloriosum Dominum excipere possit, præter animam & conscientiam, eamque nimium quantum indignam, nisi illam in sponsam suam eligere dignatus esset, contumeliis affici, contemni, odio haberi & omnibus modis eo quod Dominum suum & Deum ethnico more non colant, infestari videret. Vtique dubium non est quin illinc indignatione, eaque summa, hinc vero commiseratione moueretur. Verum hic objiciat aliquis, in hoc ipso Christi gloriam apparere quod ita sese abjicere velit, comedi & deglutiri & hominum manibus coli. An arbitramur Ethnicos non potuisse easdem caussas prætexere, nisi quod nunquam illis objici potuit illos corporaliter comedisse illum quem Deum esse credebant. Reuera Propheta indignatur, nec satis brutam idololatrarum stupiditatem exaggerare potest, qui non agnoscebant id non esse Deum quod ab ipsis adorabatur vel eo ipso quod dimidia eius parte ex quo idolum suum confecerant, seipsos calefecerant. *Partem eius*, inquit, *exussit igni, ad partem eius carnes comedit, assat assum & satiatur, etiam calefit, dicitque, Euge concalui, vidi ignem, Residuum autem eius in Deum fortem aptat exsculpendo illud.* At nonne acerbius inueheretur hodie in illos qui farina accepta ex parte panem conficiunt, & ex parte Creatorem & Redemtorem mundi facere intendunt; annon idem objiceret quod miseris illis Ethnicis, *Non norunt, neque animaduertunt, obducti sunt enim ipsis oculi ne videant & corda ne intelligant.* Noui quid prætexant, Dominum sic voluisse, non esse illi contradicendum, quæcunque velit bona esse. Sic quoque qui olim Deum, imo naturam ipsam Diuinam passam esse ideo contendebant quia Scriptura dicit Verbum carnem factum esse, idem producebant in eos qui iure & Scripturis conuenienter illis rei indignitatem & dedecus quo Deum illi indecentia & absurda tribuentes afficiebant ob oculos proponebant: Constat nobis Dominum Jesum conceptum esse ex Spiritu Sancto, natum ex virgine Maria, ex semine Dauidis secundum carnem, Filium Dei in Spiritu: Hoc adeo apertum est, adeo manifestum in Scriptura vt de eo nullus dubitare possit, præter eum cui propriæ rationis præsumtio animæ oculos excæcarit: sed ex pane singulis diebus confici, aut vt illorum verbis vtamur, panem transsubstantiari in eius corpus, id vero nobis non constat. Verba quæ proferunt (vel ipsis fatentibus) alium sensum admittere possunt: & admittere debere asserimus, vt sibi constet Scriptura, nec sibi cōtradicat Spiritus Sanctus, vel ambiguè mentem suam exprimat. Docuit nos semel Filium Dei carnem suam sumsisse de substantia Virginis: An nos quoque docere voluisset hanc eandem carnem ex pane formari? Vsitatus est ille & ordinarius loquendi modus quo vti solet, Sacramenta rerum significatarum nomine appellat: Idque adeo manifestum est vt contrarium nullum exemplū afferri possit. Quare igitur à consueta loquendi ratione hic recederet? Docuit nos illum ascendisse in cœlum, sedere ad dextram Dei Patris vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. De hoc nulla mouetur controuersia; omnes consentiunt. An igitur voluisset nos credere hunc ipsum Dei Filium eadem illa natura secundum quam in cœlum ascendit, hic in terris mansisse? Hortatur nos vt mortem eius annuntiemus donec veniat, an igitur contrarium persuadere voluisse dicendus erit, nempe illum quotidie huc in terras venire? At, inquiunt, id fit inuisibiliter; at Dominus ipsemet ab hisce difficultatibus non præmonuit, *Multi dicent vobis*, inquit, *Ecce hic Christus, aut hic; Ecce in conclauibus*, aut vt habetur in originali,

ἐν τοῖς

[illegible] ne credite, *sicut enim fulgur exit ab Oriente & apparet vsque in Occidentem, ita etiam erit aduentus Filij hominis.* Me præsentem adesse dicent, at modo inuisibili, ne credite. In hac enim natura deinceps non ero vobiscum nisi modo visibili, fulgente, ac splendente. Fiat nunc collatio & iudicetur quinam ij sint qui de Christo abiectè, crassè & carnaliter sentiunt, vtrum illi qui carnem eius comedentes memores sunt eorum quæ dicit quum de manducatione carnis suæ agit, se nempe in cœlum ascensurum eo vbi erat prius, qui carnem hanc comedunt modo conuenienti naturæ ipsius, secundum verum illius vsum & conditionem gloriosam, qui hanc carnem eodem modo comedunt quo patres antiqui comederunt, in Spiritu sed tamen realiter, vt virtus illius in Spiritu illis sed realiter tamen communicabatur; an vero illi qui ita carnem Christi comedunt, vt illam, quatenus penes se est, de cœlo detrahant, terris affigant, ore capiant, ventre condant, seque hoc pacto à Sanctorum communione segregent. Certissimè enim Sancti Patres, Patriarchæ ac Prophetæ illam hoc modo comedere non potuerunt. Quinam quæso Christum gloria sua spoliant? Vtrum illi qui carnem eius comedentes meminerunt illum corpus suum in cœlum euexisse, ibi corpus eius in gloria fulgere, luce, Solis & omnium stellarum simul luce millies micantiore ac radiantiore amictum, ac proinde norunt tam gloriosum corpus non ingredi os pollutum miserrimi animantis, hominis nempe qui puluerem & putredinem terræ, puluis ipse & putredo, inhabitat: An vero illi, qui vtcunque illum interpolare soleant accidentibus circumdant & inuoluunt, in paruum spatium contrahunt, inuisibilem reddunt, & nihilominus se ore corporeo illum comedere semper profitentur; ne hic autem dixerint nobis hac ratione conceptionem ac natiuitatem eius pudendam fore, nos hac ratione non libenter fassuros illum pro nobis crucifixum, mortuum, ac sepultum esse. Non enim illos gloriæ Christi quicquam detrahere censemus, qui tempore exinanitionis illius, exinanitum fuisse confitentur. Hoc ipsum est prædicare & annuntiare laudem & gloriam gratiæ illius. At nunc quum glorificatus est, quum dies carnis eius expirarunt, perfecitque opus quod illi in terris perficiendum incumbebat, iterum de cœlis illum deducere, velle aliquid societatis & commercij illi esse cum vili & abiecta hac vita, id sane est, quod citra lædendi nimium dixerim, illum aliquatenus opprobrio, ignominiæ sputis, colaphis exponere & cruci rursus affigere, nã quoquo versum & in quãlibet faciem sese vertant, nunquã tamen efficient quin Christi corpus sit verum corpus, quin excepta illa quam sepulchro reliquit infirmitate, omnes veri corporis proprietates habeat; non persuadebunt nobis corpus illud esse Spiritum, & corporis nihil præter nomen habere; cæterum reipsa nihil aliud esse quam verum Spiritum, aut vanam sine soliditate, sine fundamento speculationem; Ac si ita res sese habeat, certe nulli dubitamus quin Deo & Angelis comprobantibus vbique ac præsertim in S.S. Cœna quum de carne Filij Dei comedenda & sanguine eius bibendo agitur, hæc Domini verba sæpius commemoremus *Hoccine vos offendit*? At quid? si ipsorum conscientias interpellamus; Conscientias inquam illorum ex ipsis, quibus adhuc aliquis Christianæ pietatis sensus superest, age dicant an inter communicandum animum in cælis, an vero in Sacerdotis corpus Dominicum illis exhibentis digitis habeant? An communione peracta in cœlis, an in stomacho suo habeant? Vtique dubium non est quin in cœlis respondeant, quo sc. mentes suas erigunt, siue dum peragitur, siue peracta communione. Quid hoc verò sibi vult nisi longe acrius affici illos conscientiæ suæ sensu quam crassa sua opinione & cogitatione, & longe efficaciorem sensum illum esse ad mentes illorum è terra in cœlum euehẽdas, vt illic Dominũ Jesum amplectantur, quã crassa illa, & stolida opinione ad illas pondere suo grauitate in terram retrahendas. Profecto si nihil de Spiritu Christi superfuerit, hæc frustra quæsiueris, carnales enim, carnales porro esse gaudent; & vt sibi Christi corpus pro arbitrio finxerunt, ita quoque quale sibimet ipsi finxerunt adorabunt, ita quoque illud comedent, & vbi illud esse existimant, ibi quoque quærent. Ac sane ingens illa ac extraordinaria miserorum illorum superstitiosorum cura, ne scilicet à communione spuant vel tussiant, ne cibi quicquam sumant nisi longo post tempore satis indicant & arguunt illos credere se in miseri huius corpusculi ergastulo illum qui in cœlis est conclusum circumgestare, ibique illum quærere. Quid autem hoc aliud dici queat nisi cumulus & summum totius Antichristianæ idololatriæ fastigium? mœrens id dico, vere tamen dico, & absque artificio foret, absque ceremoniis & pompa quam adhibent, miseri illi carni addicti tam crassam idololatriam ipsimet horrerent; ac sane illorum simplicissimi rebus sensilibus & homini naturali gratis & acceptis illuc tantum adducuntur, hominis enim naturalis proprium est sensu potius quam rebus animam capientibus moueri. Alioqui difficile est id illis persuadere, nec aliud hoc quam *recordationem* esse vti loquuntur, confiteri volunt. Inde autem error ille natus est quod natura omnes in hoc mundi deserto, similes simus Israelitis in deserto; opus est nobis vitulo aureo opus est Deo quem vel pictum vel accidentibus inuolutum videamus. Corporei quum simus, præsentia gaudemus corporali, & eum qui corporaliter non adest, adesse non credimus, spiritualia, cœlestia, eaque quæ manibus corporis tangi nequeunt, quæ palpari, gustari, deglutiri non possunt & sola percipiuntur anima, veritatis nihil ac realitatis, nostro quidem iudicio, habent; in sola imaginatione & fantasia illa consistere credimus. In summa nisi habeamus cereos, candelas, tapetes, nisi auditus noster musicis concentibus instrumentis pneumaticis, tibiis, tubis ac tintinnabulis detineatur, nisi longis supplicantium agminibus ædes sacræ adeantur, nisi solemnitatibus ac diebus festis recreemur, nisi Ecclesia nostra sit visibilis ac sensilis, omnem religionem excessisse arbitramur: carnis affectus ac quodammodo proprietates Spiritus hominis per peccatum induit. Hinc quoque factum est vt signa cum rebus ipsis confuderimus; miro sanè ingenij acumine rerum terrenarum signa à rebus significatis quum discernamus, incredibilem stupiditatem prodimus quum rerum cœlestium signa ac sigilla, à rebus ipsis

cœlestibus discernenda sunt: magni nostri regis sigillum pro re ipsa signata & cuius fidem nobis facit accepimus; Pignus pro reipsa pollicita ac data accepimus. Ac verbum eius quo tanta cum sollicitudine monemur ne dum sapere nos credimus in stultitiam incidamus, ad nos cautiores reddendos non satis efficax fuit. Nihil profecto in illo omittitur: si de carne Filij Dei manducanda & sanguine eius bibendo ibi agatur, de illo esuriendo ac sitiendo quoque agitur: ac alterum alterius dilucidationi inseruire potuit, alter loquendi modus altero explicari. Illic caro Filij Dei comedenda & sanguis eius bibendus esse dicitur: sed & quoq; dicitur, illum manere in nobis & nos in illo. Quum autem in nobis corporaliter non maneat, annon satis inde monemur non esse quoque corporaliter comedendum. Qualis est mansio, talis & manducatio. Ibi carnem eius edere & sanguinem bibere iubemur, sed & ibidem illum in cœlum eo vbi erat prius ascensurum esse monemur; *Carnem suam nobis comedendam esse* dixit, sed simul monuit, *verba sua Spiritum esse & vitam, carnem non prodesse quicquam, Spiritum esse id quod viuificat.* Dixit nobis, *Hoc est corpus meum,* sed protinus adjecit, *Facite hoc in mei commemorationem.* En illius scopum, en illius consilium ac sententiam. Quænam igitur relinquitur excusatio? imo quis excusationis prætextus? Tenebrarum fortasse tempore, ignorantiæ illius tempore qua regnum Antichristi tanquam velo obscuro & tenebroso faciem terræ obduxerat excusatio accipi potuit. At nunc quum facem Deus accendit, ac Euangelij sui solem fecit exoriri, vel stupidissimis omnis excusatio præciditur; possumus enim id dicere quod olim Apostolus, *In omnem terram exiuisse sonum eorum qui Euangelium pacis attulerunt.* Quid hic vero dicemus? An illis insultabimus? An insolentius nos efferemus? An ingenium nostrum & acumen venditabimus? quum nos in omnibus quæ carnem spectant longe illi superent. Minimè sanè. Sed cæcitatis illorum miserti Deo pro gratuito in nos collato beneficio gratias agamus. Et quādoquidem carnis suæ & sanguinis hoc est sui pro nobis crucifixi participationem nobis commendauit, conditionem nostram humillimè recordemur, nos scilicet miseros esse peccatores, sed quos tamen ille amauerit & peccatis nostris sanguine suo abluerit; Recordemur quoque nos esse membra illius qui passionibus suis in gloriam suam intrauit, ne nos tædeat, pudeatve crucem eius portare & vestigiis sanguine eius signatis insistere, memores illum ipsum in cœlum ascendisse. Quum itaque omni auxilio & cōsolatione in terris vt sæpe fit, destituemur, illum in cœlis intueamur, atque ita carnem eius comedamus & sanguinem bibamus: Hæc vnica sit nostra consolatio, vnicum nostrum gaudium, & animæ esurientis alimentum, illum ipsum nempe cuius caro & sanguis in sacrificium hic in terris oblata vitam nobis procurarunt, nunc esse in cœlis vt nos tueatur & protegat, vt nos consoletur & viuificet. Illum illic contemplemur non vt Imperatores aut reges magnifice sedentes comtemplamur in locis ad quæ nulla spes est nos vnquam peruenire posse propter conditionem nostram vilem nimis & abiectam, aut gloria & magnificentia indutos quam cum subditis suis non communicant, sed illum contemplemur & aspiciamus tanquam profectum ad locum nobis parandum, tanquam eum qui hæreditatis gloriæ illius cuius cohæredes nos sibi adsciscere dignatus est, vel proprij sanguinis effusione, priuilegij huius nobis acquirendi gratia, possessionem pedem iam posuerit. Nulla enim alia cogitatio animam languentem erigere, linquentem animum & fractum siue conscientiæ sensu siue afflictionis dolore & angustia, reuocare potis est. Cætera omnia nobis hic in terris aduersantur. Hic Mundus & Satan imperium obtinent ac regnum suum exercent, hic peccatum, hic sordes & inquinamenta, impuritas, scelus, ac abominationes vigent. Pietas inter peregrinos tanquam peregrina excipitur. Hic afflictiones & dolores acerbissimi. Hic contumelia & contemtus; atque his consequenter, lachrymæ, gemitus & suspiria; denique fidelium mors & sepulchrum; at in cœlis quo Dominus Jesus Christus ascendit, Dei regnum & gloria conspiciuntur; ibi iustitia, gaudium, pax ac recreatio, ibi omnes lachrymę ab oculis nostris absterguntur, ibi à laboribus nostris quiescimus, ibi in patria nostra sumus, ibi coronabimur, illuc igitur aspiremus non secus ac viator ad locum quo tendit; Nihil iter eius remorari potest, obuias quaslibet difficultates & viarum salebras superat, nec quiescit donec ad propositum sibi finem peruenerit. Idem quoque faciamus; In hunc scopum semper intendamus & oculos collimemus, nec dextrorsum sinistrorsumve illos deflectamus aut in professionis nostræ ærumnas vt illis terreamur, aut in peccati delicias vt illis alliciamur. Ambulemus de virtute in virtutem & de fide in fidem. Ac dubio procul si sanctum hoc desiderium reuera nobis insideat, Deus vel asperrima viarum complanata nobis faciliora præstabit. Montes & colles coram nobis in planitiem erunt. Maria ac flumina exarescent vt sicco pede transeamus: solitudines ac deserta frugibus omnigenis abundabunt, quibus in hac peregrinatione excipiamur donec tandem quibuslibet difficultatibus superatis ac perruptis veram Cananæam, veram terram promissam, regnum nempe cœlorum ingrediamur, vbi Dominus Jesus Christus in vnitate Spiritus cum Patre in æternum viuit & regnat. Vtinam ita Deus faxit. Amen.

IOHAN. CAMERONIS AD ECCLESIAM BVRDIGALENSEM Literæ Consolatoriæ.

POSTQVAM à vobis fratres me Deus corpore desiunctum voluit, de vobis assidue cogitasse me, verâ asseueratione affirmare possum, neque istuc restitutum nimis quam cupisse, quo Ministerij mei apud vos munus porro obirem: At vos quid interuenerit, desiderijque mei, imò quoque, vti credo, vestri expectationem frustratum fuerit, minime certe latet; adeò vt vnica tantum via superfuerit quâ desiderio officioque erga vos meo satisfacerem, mihi nempe Dominus pro pace vestrâ inuocandus fuit: Vos enim scripto vel solari, vel hortari opus esse nequaquam arbitrabar, quum enim præsens præsentibus vobis adesset Clarissimus Primærosius, superuacuum habuissem hîc aliquid moliri. Verum vt vos illo temporum iniuriâ priuatos accepi, muneris non tantum, sed & officij erga vos mei esse duxi consolatione aliquâ vos impertire: quam eo gratiorem vobis euenturam confido, quod ab eo proficiscatur qui vos plus oculis suis amat & à vobis vicissim redamatur, qui vos non vt olim rebus prosperis, sed iacens & afflictus alloquitur, huc veluti in exilium pulsus, rebusque omnibus destitutus præter, quæ mihi in Deo est fiducia per Dominum nostrum Jesum Christum qui me ab omnibus malis liberauit deinceps liberabit. Vos igitur fratres in Domino carissimos obnixè rogo ne ad irritum cadat spes illa ac fiducia quam de vobis concepi, quin potius diligenter perpendite quis vos alloquatur, quove rerum in statu qui vos alloquitur sit constitutus; quæque vobis ab illo dicuntur & ad normam verbi diuini & propriæ conscientiæ sensum expendite. Cæterùm vt hinc ordiar noui eam esse naturæ nostræ infirmitatem, vt in grauibus hisce & acerbis casibus temperare nobis non possimus, quominus malorum nostrorum caussas modo horum imprudentiæ ac ignauiæ, modo illorum iræ, odio, ac iniquitati, modo aliorum crudelitati ac ferociæ attribuamus. Hic, bone Deus! quanto animorum æstu iactamur, dum in homines culpam conferimus, vehementiúsque in illos commouemur? Atque in huiuscemodi cogitationibus & animi motibus quies nulla, exitus nullus reperitur, imo quod est grauissimum omnem illæ nobis ad consilium & consolationem aditum obstruunt, faciuntque ut inter nos dissideamus atque discordemus, iurgia & odia mutua gignunt, fouent, quæ morbum nostrum in tantum augent & exasperant vt nulla illi medicina adhiberi possit, occasionemque hostibus nostris præbent nobis non solum insultandi, sed eo quoque auidius in nos inuadendi, quo nos aduersus nosmet ipsos hostilia induisse vident? Quid agendum igitur? quod solent qui in summas angustias adiguntur & de quibus tantum non actum est, in cœlum nempe, suspicere, ac considerare supra illum sedere qui iustè ac integrè iudicat. Ille quippe, ille nos afflixit ac debilitauit, ille nos in irâ suâ Spiritu vertiginis perfudit, ille solitam præsentiam ac fauorem ad tempus à nobis subtraxit, aduersariis nostris vires dedit, ac etiamnunc permittit vt nos astu & dolis incessant. Illos denique metu ac terrore quem olim iniecerat & quo continebantur ne nobis nocere auderent, leuauit. Quid est quod hoc fecerit? Plurimis sane, iustissimisque de caussis id fecit, non solum ille benedixerat, sed & benedictionibus nos cumularat. Jam inde à multis annis altâ pace nobis frui dederat, bonorum omnium & spiritualium & temporalium abundantiam & copiam suppeditarat, per hosce pacis annos nos quamlibet contemtos & abjectos hostibus nostris vel gratiosos vel formidolosos reddiderat. Quid hic verò nos? An gratiam agnouimus, egimus, retulimus? An beneficentissimum & liberalissimum Patrem, vnicum protectorem ac defensorem nostrum, vnicam bonorum horuncce caussam prout decuit & amauimus & coluimus? Imo beneficiorum immemores, ingrati in illum & rebelles fuimus: Beneficia quidem accepimus, sed id gratiæ illi non apposuimus, illum non respeximus, reti nostro sacrificauimus, sapientiæ nostræ ac robori laudem arrogauimus, neque id tantum, sed quod peius est ex præstantibus adeo & exquisitis illis beneficiis illius offendendi occasionem captauimus, summa illius benignitas iniquitatibus nostris materiam præbuit. Panis spiritualis, verbi nempe diuini, copia famem à nobis non tam depulit, quam satietatem & fastidium attulit. Panis corporei copia lasciuiam & petulantiam peperit, adeo vt tanquam equi saginati & plus æquo pasti in Dominum nostrum calcitrauerimus, nosque mutuis inuicem conuitiorum ac iniuriarum verberibus exceperimus. Hîc morum nostrorum lasciuiam, pudendum in vestibus, conuiuiis & choreis luxum, fœdas assentationes quibus speciosum comitatis ac ciuilitatis nomen imposuimus lubens silentio præterirem, nisi hæc hostes ipsi exprobrarent, Reformatorumque nomen risu & sannis exciperent, ex moribus nostris doctrinæ nostræ condemnandæ, ac veritatis Euangelicæ quam profitemur, sacrosanctique Dei nominis quod super nos inuocatur blasphemiis impetendi occasionem captantes. Quid mirum igitur si à Deo castigamur? annon id nobis in cœtibus nostris prædictum? An non voce ista toties aures nostræ personarunt, *Incipiet iudicium à Domo Dei*? At vt intemperantes ægri salubria medici consilia respuunt,

& aspernantur, imo tanquam ridicula & importuna procul facessere iubent, medico vel irascuntur vel illum ludibrio habent, sic & nos similes fuimus populo vel irrisori vel cum Sacerdote contendenti. Hiccine ego culpam in populum conferam & pastores crimine liberabo? hiccine me vobis purgabo? Imo pariter omnes peccauimus. Tum pastores, tum populos omnes has pœnas meriti sumus. Ac sane necessaria fuit, summopere, inquam, necessaria hæc animaduersionis seueritas, vt nos à ruinâ in quam præcipites ferebamur abstraheret, à mundo diuelleret, illius in nobis desiderium tolleret, vt hoc pacto ad nos ad conscientiam nostram, imo ad Deum per Dominum N. J. Christum reuerteremur, vt experientiâ nostrâ disceremus, si mundum diligimus, non ideò tamen nos ab eo diligi. Ad summam vt mundo crucifigeremur, mundum ille nobis crucifixit: crudele ac iniquum mundi odium in nos concitauit vt illum iusto & sancto prosequeremur odio. Longam vitæ prosperitatem idololatris, superstitiosis ac iis qui Sanctum eius nomen ignorant Deus concedit, Amorrheis fræenos laxat donec mensuram impleuerint & calix exuberet, sed populum suum impune abire non finit, pœna ac castigatio filiorum eius peccatum semper consequuntur, imò ideo illorum curam gerit quod filij sui sint, nec velit peccatum in illis alterius peccati pœnam esse; hæc quippe est illorum conditio quos à se rejicit. Sed quum sapiens sit ac misericors peccata illorum corrigit, at correctione eiusmodi quæ illos à peccato retrahit. Si vero id non absque dolore fit, quid refert? Sane Medicorum & Chirurgorum manus dolorem inferunt, si lenibus remediis vis morbi nostri leuari non potuit, si dulcedo illa quâ per tot annos nobis frui datum est, in bilem vertit, an præter modum ægrè feremus acerbitate aliquâ & amarore temperari? Non si sapimus. Qui virgæ parcit, filium odit. Hic si attoniti pauemus & animo consternamur, id culpâ nostrâ fieri meminerimus, qui diem visitationis nostræ quum Deo præmonente ac indicante præuidere possemus non præuiderimus. Quid? an non nubem illam ingentem iampridem à mari exurgentem vidimus? non adeo quidem à principio grauidam, sed quæ mox in piceam caliginem sese densarit, fœdamque minata sit tempestatem, Deus interim semper suspensam illam tenuit, deinde in pluuiam liquari, imò alicubi in grandinem resolui permisit. Coorta demum est huius desolationis tempestas, non subito ac repente, sed sensim ac gradatim ac si Deus identidem nos pœnitentiam agere iuberet: Diu periculi denuntiatione nos terruit, mali tamen nihil intulit. Gladium distrinxit ac intentauit, postea in vaginam recondidit. Si hoc modo ad pœnitentiam adduci potuissemus, ibi malum nostrum substitisset, vel solus terror suffecisset. Sed paterna hæc monita contemsimus, vel si ad illa trepidauimus, periculo defuncti ad pristinos mores quisque relapsi sumus. Ne conqueramur igitur si Deus nos non solum nunc terricat, sed reapse plectit; quin potius illi benedicamus quod pœna minor sit merito, quod omnes iræ suæ ac indignationis phialas in capita nostra non effundat. Castigationibus suis modum adhuc statuit, ac dum irascitur misericordiæ suæ & fœderis illius quod nobiscum pepigit recordatur, nempe, *se visitaturum quidem virgâ defectionem nostram & plagis iniquitatem nostram, sed benignitatem suam non irritam facturum à nobis, neque mentiturum contra fidem suam. Tentatio nos non cepit nisi humana: fidelis autem est Deus qui non finet nos tentari supra id quod possumus, sed vnà cum tentatione præstabit etiam exitum vt possimus eam sufferre.*

Vento extra aream acus euannatur, igne scoria repurgatur, at triticum in areâ, aurum in catino remanet. Virgæ quibus Deus in impios animaduertit virgæ non sunt sed scuticæ, quibus ad necem vsque cæduntur. Tentationes in quas incidunt, exitu carent. At non ita nobiscum agetur, ad frugem nos Deus corriget, sed non perdet. Hypocritæ Domini castigationes ferre non possunt, in illum indignantur & tergum illi obuertunt. Nulla, sat scio, afflictio illis videri potest mediocris. At vos fratres quos Deus elegit vt in vobis & à vobis glorificaretur, longe aliter animatos noui, vt qui in abiectione vestrâ illius recordemini. Media in morte in illum sperabitis & quamuis vos in locum cetorum coniectos cõtriuerit, & lethali vmbrâ obtexerit, manus tamen vestras non expandetis ad Deos extraneos, nec Bahali genu flectetis, sed memores eritis Creatoris vestri, Redemtoris vestri, illius qui hactenus animarum & corporum vestrorum curam egit & in posterum semper acturus est, quique vt vel pilus vnus capitis vestri in terram se nolente decidat passurus neutiquam est. Memores, inquam, eritis aduenisse probationis vestræ tempus: Deus imbecillitatis ac infirmitatum vestrarum notitiam habere vos voluit, vt vobis ipsis desperantes ad illum qui defessis virtutem & defecto viribus robur copiosè suppeditat, confugiatis. *Ipsi apud nos*, inquit Apostolus, *decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo suscitante mortuos.* Deus primum facit vt quam necessaria sit nobis ipsius gratia sentiamus, vt illam optemus & precibus nostris exposcamus, ac tandem nos illâ donat, idque quia felicitatis nostræ author vnicus agnosci vult, nos è diuerso adeo ad vanitatem, ad superbiam & arrogantiam procliues sumus, vt quando res via solita & ad rationis ac iudicij nostri normam procedunt, prouidentiam Dei in illis non agnoscamus, sed brachio carnis, sapientiæ ac virtuti humanæ omnia adscribamus. Sed vt digitum Dei agnoscamus, vt potentiam & sapientiam illius admiremur opus est nobis vel auxilio vel liberatione extraordinariâ. Idcircò nos facultatibus omnibus humanis & auxilio orbat vel caussas secundas ita debilitat, vt quocunque oculos conuertamus, nobis periisse videamur. Mox deinde inopinantibus nobis superuenit, vt olim Israelitis vndique inclusis, vt qui Pharaonem cum copiis à tergo, ab vtroque latere montes altissimos, à fronte mare rubrum haberent. O quam optata tunc venit liberatio! quam grata? quam admiranda videtur ac diuina! nec videtur tantum, sed reuera est! In mediis igitur periculis finem attendamus, ad liberationem respiciamus, illam spe expectemus, spes expectando nos soletur. Quod si interim, multa dura & acerba nobis omnibus perferenda sint, si quidam nostrum bonorum, honorum ac vitæ quoque ipsius iacturam pati coguntur, meminerimus nos illorum esse po-

eſſe poſteros qui iniquorum manibus leto dati ſanguinis ſui effuſione Euangelium in hoc regno plantarunt. Meminerimus vocationis noſtræ, *Si quis vult pone me venire*, inquit Chriſtus, *abdicet ſemetipſum & attollat crucem ſuam ac ſequatur me.* Meminerimus profeſsionis noſtræ, cum illo nempe nobis patiendum eſſe vt cum illo regnemus, cum illo moriendum vt cum illo glorificemur. Meminerimus nos illius eſſe membra, nos prædeſtinatos eſſe vt conformemur imagini illius, non in ſanctitate ſolum, ſed & in paſsionibus. Vt oportuit Chriſtum pati & introire in gloriam ſuam, ſic nos oportet per multas afflictiones ingredi in regnum Dei. Sanguinis ſui ſtillicidio viam ſignauit nobis Chriſtus: ac ſane glorioſum eſt ob cauſſam adeo iuſtam pati quandoquidem fieri nequit vt vitam hanc à paſsionibus prorſus immunes tranſigamus. Obſecro, An qui ne facultatum ſuarum iacturam patiantur Dominum abnegant, hoc pacto illarum conſeruationi certò ſe proſpicere credunt? An qui dignitatis retinendæ cauſsâ idololatriæ conſentiunt, certum habent hanc eſſe illius obtinendæ rationem? An qui breuis huius ac miſeræ vitæ producendæ gratiâ Domini Jeſu veritati renunciant, ſe propterea non morituros compertum habent. Sane dum diuitias terrena præferunt, cæleſtium iacturam faciunt, ac ſeſe in ipſam inferorum abyſſum immergunt, dum de dignitate ſuâ hîc retinendâ ſolliciti ſunt gloriæ ac immortalitatis coronâ excidunt. Et dum vitam hanc, quæ vapor tantum eſt, cupidius appetunt, ſe ipſos verá vitâ D.N.I. Chriſti, glorioſâ immortalitate priuant, ſanguinemque filij Dei pedibus conculcant, ſanctumque illius Spiritum triſtant. Fac nos vitæ huius, bonorumque illius omnium certos, ſi Seruatorem noſtrum in cœlo eſſe credimus, atque illuc ingreſſum vt locum nobis paret, an abſque ſcelere eò non aſpirabimus, cum illo eſſe non optabimus? Abjectiſsimi ſane ac turpiſsimi foret animi cæpas ac melones Ægyptios gaudiis illis amœniſsimis quæ ſunt in conſpectu Dei præferre. Nunc vero nullus vitæ huius certus eſt, acerbitatis ac amaritudinis plena eſt, ærumnis & miſeriis premitur. Vt tamen ita ſe res non haberet, affectibus noſtris, vitiis ac peccatis adeo infeſtamur, vt in mediis ſæculi deliciis, tentatis rebus omnibus nihil habeamus in quo acquieſcamus. Cur tanto igitur illius deſiderio tenebimur, vt illam pro Domino, vt illam in vſum adeo ſanctum ac glorioſum profundere vereamur? Saltem nos Chriſti amor mouere deberet, amor ille qui omnes ærumnas ac calamitates noſtras, non ſolum tolerabiles, ſed & dulces nobis reddere debet, quandoquidem noſtrâ cauſsâ dolorem, ignominiam, ac crucis maledictionem perpeſſus eſt: quum propter nos miſeros peccatores cor eius gladio iræ Dei transfixum fuerit, an perſecutorū gladios reformidabimus? Nullo ſane pacto, ſi modo ſumus illius, ſi modo Spiritu eius regimur ac gubernamur. Hæc autem fratres non ideo dico quod nos iam Deus vocauerit ad tam glorioſam pugnam, ſed vt, ſi vocet, meminerimus quam ob cauſſam, quo duce, quâ ſpe, quibus viribus, quam certâ glorioſæ ac triumphantis victoriæ fiduciâ prælium nobis ſit ineundum. De cætero enim perſuaſiſsimum habeo Deum diſperſa populi ſui membra congregaturum, atque vbi caſtigauerit, conſolaturum nos, vt quiſpiam, inquit Propheta, quem mater ſua conſolatur. Rempublicam agitatam & concuſſam confirmaturum, Pauem illi ac proinde Eccleſię ſuæ, cuius pax ac proſperitas in pace ac proſperitate Reſpublicæ ſita eſt reſtituturum, hoſtibus noſtris pudorem impoſiturum, oſtenſurum denique irritos eſſe impiorum aduerſus Eccleſiam ſuam conatus. Tantummodo in humilitatem ſubmittamus nos, vitam noſtram emendemus, pacem Hieroſolymæ indeſinenter expetamus, Deum ſupplices rogemus vt regem noſtrum tueatur, vt animum illi verè regium largiatur, pacis amorem, quietis publicæ curam, gloriæ diuinæ zelum inſtillet, cor eius flectat, & Eccleſiæ ſuæ det, gratiam in oculis illius conſequi, vt tandem aliquando nouum liberationis canticum incinentes, Deum qui ſolus Iſraelem ſuum protegit ac ab opprimentium manibus liberat, vna pariter omnes celebrare poſsimus. Illi vt & Filio, ac Spiritui Sancto ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

AB INCOMPETENTIS IVDICIS HELVETIVM se mentientis sententiâ à Cardinale SVRDISIO confirmatâ ac præsidi LANÆO dicatâ IOHAN. CAMERONIS

APPELLATIO.

Augustin. lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 1.

Quis disceptandi finis erit & loquendi modus si respondendum esse respondentibus semper existimemus? *Paulo post*, Quorum dicta contraria si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerunt non curare quid dicant, dum quocunque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum, & ærumnosum & infructuosum vides.

AMPLISSIMO VIRO N· FORNELIO in suprema Burdegalensium CVRIA ac NERACENSI camerâ Consiliario Regio.

NE mirum tibi sit, Vir amplissime, cur quicquid hoc est libelli non pulsatâ ianuâ temere irruperit ac sese tibi non expectanti obtulerit; domi contineri amplius non poterat, in publicum prodire festinabat, festinatio temporis opportunitatem captare non permisit, amicitia tua trepidanti animos addidit, tu temeritatis vel absoluere vel damnare potes, verum illud potius quam istud da facilitate ac humanitate tua sibi pollicetur, vt primum illius occasio data est, casu adfuisti quo fit, vt tua quodammodo interesse quoque videatur. Sed & argumenti momentum & pondus splendor dignitasq́; te sibi vindicem parant. Quod ego alienæ coactus premere vestigia nunc carptim delibo, fusius alias, si Deus dederit, stat persequi. Tu interim hoc qualecumque animi erga te mei, virtutesque tuas testimonium si lubenter acceperis me ad pergendum incitabis, Deúmque hâc beneuolentia obstrictus vt tibi pace, prosperoque rerum successu vti concedat, denuo rogabo. Vale. Bergeraco 22. Iunij 1615.

AD IN-

AB INCOMPETENTIS IVDICIS HELVETIVM SE MENTIENTIS SENTENTIA à Cardinale SVRDISIO confirmatâ ac Præsidi LANÆO dicatâ IOH. CAMERONIS

APPELLATIO.

ID quibusdam priuilegij conceditur, vt quicquid dixerint, responsum nullum auferant, quo in numero stulti ac ebrij fere habentur, itaque qui huius prærogatiuæ ius ambiunt vel stultos vel ebrios se fateantur oportet. Sententiæ aduersus Cameronem nuperrime latæ author hanc expeditam rationem esse credidit responsi vitandi; Heluetium se mentitus est, Norat quippe Heluetij nomen, alioquin honestissimum, in conuitium hic abijsse ac hominem abdomini natum ac vini gurgitem cui honestus nemo facile responderit, designare. Ideo, qua fuit solertia, hoc sibi nominis assumpsit; ac sane optato successu consilium non caruisset si nihil aliud obstitisset, nihil omnino responsi abstulisset.

At librum suum Præsidi Lanæo dicauit, nec absque insigni contumelia vt qui in impudens & manifesto compertum atque deprehensum mendacium testem illum citet: Egregium vero illud, si Diis placet opus, Cardinalis Surdisius excudendum curauit, non igitur amplius in Heluetij ac ebrij censum referetur scriptum supremi huius Senatus præsidi dicatum ac Ecclesiæ Romanæ præsulis calculo comprobatum, tantæ dignationis viros despicatui haberet qui tanti momenti sententiam ab illis approbatam paulo diligentius non attenderet.

Vt à capite igitur ordiamur Parentium è prælio grauiter vulneratum excessisse oportet, siquidem Cardinalis Surdisius Heluetium suum in auxilium aduocauit. Vbi ad Heluetios res rediit, laborantis & inclinatæ aciei indicium est, Rebus in maximum periculum & extremum pene discrimen adductis ad illos veluti triarios confugitur, ac integrato prælio victoriam sæpe reparant. At miser hic Heluetius adeo titubat & vacillat vt omnia illius tela sint imbellia & sine ictu: Andabatarum more pugnam init nec certum vllum ictum destinat. En oculis rem ipsam subjicimus. Parentius Rhemensis Decanus, Doctor Sorbonicus à Cardinali Surdisio Burdegalam missus vt illic per quadragesimam concionaretur collatione cum Camerone habitâ in eas angustias redactus fuerat vt alterutrum fateri cogeretur vel Pontificios in Filium Dei non credere, vel Salutis suæ certos esse, hoc Scripturæ loco adductus, Qui credit in Filium habet vitam æternam. *Ioan.3.36.*

Hic ergo aut confitendum fuit Pontificios non agnoscre se credere in Filium Dei, aut concedendum illos vitæ æternæ credentibus promissæ certos esse. Vnicum supererat effugium Pontificios salutis quidem suæ certos esse, sed certitudine spei, non verò fidei. Verum mox Camero ostendit, vbi nulla est fidei certitudo, ibi nullam esse posse spei certitudinem vt contra, vbi spei adest certitudo, ibi quoque necessario fidei certitudinem adesse debere, propter arctissimum quo hæc inter se cohærent vinculum. Qua de causa Apostolus fidem quoque vocat ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων, illud quo subsistunt quæ sperantur, subsistunt, inquam, tanquam præsentia. Ac sane quum Christiani spes nullo alio vero ac solido nitatur fundamento quam promissione diuina, hæc vero promissio non aliter quam per fidem credi & apprehendi possit, si fides quæ hanc promissionem apprehendit sit incerta, spem quoque vacillantem omnino & incertam esse oportet. Exempli gratiâ, si quis aliquid nobis pollicitus fuerit, si de promissorum constantia & fide non dubitemus, in certam ac prope exploratam spem erigemur, ac si in dubium incertumque reuocemus, iis non valde pendebimus, exigua admodum & incerta erit spes nostra. Ideo quum Apostolus ad Rom.5. dixisset spem non pudefacere. Eandem fidei proprietatem attribuit eiusdē Epistolæ cap.10.℣.11. Scripturam in hunc finem citans, quisquis credit in eum non pudefiet: Ac reuera propter mutuam conuenientiam coniunctionemque hæ duæ virtutes hoc tantum inter se differunt, quod fides rem promissam velut præsentem intuetur, spes vero venturam exspectat. Si igitur certa est Pontificiorum spes, vt illi quidem, si Parentio credimus, confitentur, spei certitudinem admittendo & agnoscendo, vtramque & spei fidei certitudinem vna quoque admittant necesse est; vt contra quum de salute agitur si fidei certitudinem repudiant, spei quoque certitudinem, propter indiuiduum virtutum illarum inter se nexum repudiare coguntur, ac proinde fide ac spe omni penitus destituuntur.

Hæc Heluetio soluenda erant, nec vociferandum Cameronem mentiri, patrumque nullum hæc verba, *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam*, eo sensu quo Camero, vnquam interpretatum esse.

Quæ tamen Camero propter summam facilitatem ac perspicuitatem ne interpretari quidem aggressus est; quis enim quæso in hisce verbis, *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam* dubitauerit, *Credere in Filium Dei*, non idem esse ac *in illum fiduciam suam collocare? habet vitam æternam* non idem ac *seruari?* Quis ergo horum verborum sensum perspicuum & manifestum hunc esse negauerit, nempe, *qui fiduciam suam* in Filium Dei collocat seruabitur?

In hanc profecto sententiam scripturam adducit Apostolus, *quisquis credit in eum non pudefiet*, & propheta Dauid asserit, eos *qui confidunt Domino similes esse monti Tzijonis qui non dimouetur, sed in seculum permanet.* Summa quoque loci huius perspicuitas Parentij quantumuis alias arguti oculos ita perstrinxit, vt de loci sensu cum Camerone non disputarit; quærebatur tantum qui fieri possit vt Pontificij, in Filium Dei credant, quum dubitent num credentibus facta promissio ad se pertineat, qui fieri possit vt in lapidem illum credant quem Dominus in Tzijon statuit quum pudefieri metuant; qui Domino confidant, quum ne dimoueantur, formident. Hic sanè Heluetio omni ope connitendum fuit vt Parentium impeditum expediret.

Saltem excepisset, Dominum vitam æternam ei qui crediderit promittendo, fidem perfectam nobis commendare; Illum sane qui fide hac præditus esset, vi promissionis de vita æterna certum esse posse; at eiusmodi fidem nuspiam reperiri, ideo nullum promissionem sibi certo arrogare posse, quod obiter Parentius tetigit. Ne sic quidem tamen quicquam promouisset. Ibi enim Dominus de eiusmodi fide loquitur quam qui non habet, ira Dei manet super eum. Aut igitur Pontificij fidem illam habent de qua illic Dominus loquitur, ac proinde salutem sibi certo spondere debent; aut eiusmodi nullam fidem habens, & ira Dei manet super eos iuxta verbum Domini, *Qui credit in eum non condemnatur, qui vero non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti Filij Dei.* Item, *qui credit in filium, habet vitam æternam, qui vero non assentitur filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Poterat præterea Heluetius alia exceptione vti, ac cum quibusdam dicere credentem quantisper credit de vitâ æternâ certum esse, sed quum de perseuerantia in fide certus non sit, nec de vita quoque, quæ nonnisi perseuerantiâ accedente obtinetur, certum esse posse. Sed ne sic quidem quicquam adhuc promouisset. Primo enim quum Ecclesia Romana salutis fiduciam arrogantiæ ac temeræ præsumtionis nomine afficiat hominem vllo in statu salutis suæ fiduciam concipere non patitur. Sed illum de Dei gratia semper dubitare vult. Adde quod, hic simul subsistere nequeant vt qui credit in Filium Dei se perseueraturum dubitet; vtique quia in Dominum Iesum credere, idem est, ac certum & persuasum habere, illum promissis staturum; dubitare vero de perseuerantia nostra, idem est ac, vereri ne contra promissorum fidem nos deserat: Oues meæ, inquit, vocem meam audiunt & ego eas agnosco, & sequuntur me: Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea. Pater ille meus qui mihi dedit eas, maior omnibus est: neque quisquam potest eas eripere è manu patris mei. Ego & Pater vnum sumus. Item, Nequaquam te omittam, neque vnquam te deseram. En Domini pollicitationes, qui se perseueraturum dubitat de illarum impletione dubitat, qui vero de illarum impletione dubitat, in illum qui pollicitus est non credit *fidelis est Deus*, inquit Apostolus, *qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed vna cum tentatione præstabit etiam exitum, vt possitis eam sufferre.* Quisquis igitur de perseuerantia sua dubitat, de hac Dei fidelitate dubitat ac proinde in illum non credit.

At forte Heluetius noster patrum authoritates proferet quæ hunc locum interpretantur & eam illi speciem affingant quæ cum Ecclesiæ Romanæ doctrina quodammodo conueniat. Nihil minus. Cyrillum quidem citat, at verba illius non profert. Theophylactum quoque, sed verbis eius interpolatis. Sic se igitur habent Theophylacti verba, *Qui credit in Filium habet vitam æternam eam, dico quæ est Christus, qui verè est vita.* At hæc Theophylacti interpretatio Cameronis argumentum confirmat. Nam si is qui credit Christum possidet, iuxta Theophylactum, à quo superari poterit? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* inquit Apostolus Paulus, Iohannes verò, *Potentior est qui est in vobis, quam qui in mundo est.* Vterque fideles animat adversus propriæ infirmitatis formidinem. Quid formidabit igitur qui Dominum possidet, quid formidabit fidelis quandoquidem Dominum habet, quandoquidem *inhabitat Christus per fidem in corde ipsius?*

Rom.8.31. 1.Ioh.4.4.

Sed & aliam interpretationem profert, illum nempe qui credit in Filium habere vitam æternam, quia fides vitæ æternæ pignus est & arrha. At iuxta hanc interpretationem non video quo pacto is qui in filium credit de vitâ æternâ dubitare possit. Nam si vitæ pignus habet, vt & iuxta hanc interpretationem & reapse habet, & pignus istud præterea adeo certum est vt illius habita ratione Dominus ipse testetur, illum vitam æternam iam habere; num de illa obtinenda dubitabit. Hac de caussa sane Apostolus non dubitat dicere, *Deum vna suscitauisse nos, vnaque collocasse in cœlis in Christo Iesu*, quia *obsignati sumus Spiritu sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Qui tam præstantem arrham accepit, an de reliquâ summâ dubitabit? *dilecti*, inquit Iohannes, *nunc filij Dei sumus, sed nondum manifestum factum est quod erimus: Scimus autem fore ut quum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Hæc certitudinis ac fiduciæ verba, *Scimus autem, similes ei erimus, videbimus eum sicuti est*, notatu sane dignissima sunt, fiduciam enim & securitatem quæ hoc fidei pignus consequuntur, denotant Cameronis igitur argumentum secunda quoque hac interpretatione confirmatur.

Sed, quæ subnectit Apostolus non minus notatu digna sunt. Subjiciet enim postea Heluetius posse aliquem hanc iactare fiduciam qui tamen totus vitiis scateat: quid ergo subiungit Apostolus? *Et quisquis habet hanc spem in eo sitam, castum se conseruat, sicut & ille castus est.* Quam spem? quæ à certitudine illa ac fiducia oritur de qua immediate supra egerat, dicens, *Nunc Filij Dei sumus, scimus autem fore vt similes ei simus.* Hæc igitur fiducia spem producit, spes vero castum conseruat seu purificat. Quinetiam ipse B. Petrus hanc fidei proprietatem attribuit, corda nempe purificandi; Si spes igitur, si fides in Iesum Christum purificat vna cum scelerum habitu consistere nequit, pœnitentiam ac vitæ sanctitatem generat, per charitatem efficax est, efficitque vt *retecta facie gloriam Domini, quasi in speculo intueamur* adeo vt *in eandem imaginem transfor-*

memur

memur ex gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu.

Procul ergo facessat calumnia, qua salutis persuasio pietatis studium extinguere dicitur, quum illud contra potius accendat. Absque hac salutis persuasione foret hominem vel mercenarium esse oportet, vt qui Deum non nisi mercedis obtinendæ ac pœnæ vitandæ gratia colat quasi ex Agare ancilla natus, non ex Sara liberâ; vel sibi desperantem, quia *quotquot ex operibus legis sunt, sub exsecratione sunt, scriptum est enim; Exsecrabilis est quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*: vel prophanum, si peccatum non cognoscat, quod non cognoscitur nisi per legem siue externe proponatur, siue interne nobis à propria conscientia suggeratur. Nullum datur inter hæc extrema medium. Non potest à nobis Deus diligi, nisi quia ipse dilexit nos in Domino nostro Jesu Christo: In hoc est charitas, inquit B. Johann. non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos & miserit filium suum vt esset propitiatio pro peccatis nostris. Item, Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Dilectionis ergo huius certitudo dilectionem nostram præcedat necesse est, vt solis calor terræ per se frigidæ superficiarium calorem, & lux eiusdem solis terræ per se opacæ ac obscuræ tenebras, at nos cum Deo collati infinito minores sumus quam terra sole. Dilectionis ergo huius certitudinem præcedere oportet. Id autem sibi persuadere, cum fide idem est. Cui paululum remittitur, paululum diligit, inquit Dominus, remissio igitur illa dilectionis nostræ caussa est, de remissione igitur ante omnia nobis persuasum esse debet, id vero sibi persuadere est credere in Filium Dei cuius sanguis purificat nos ab omni peccato. Cæterum de hoc argumento fusius alias Deo dante.

Reuertamur iam ad interpretationes huius loci quas Heluetius noster profert, Chrysostomus negat satis esse ad vitam æternam in filium credere. At patet Chrysostomum veram ac vivam fidem quæ per caritatem efficax est & de qua hic agitur non intelligere, sed fidem illam quam B. Jacobus mortuam appellat, quæque in reprobis esse potest, mox enim subiungit, vel ipso Heluetio citante, *Non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Hanc rationem Chrysostomus affert, vt probet quod dixit, satis non esse fidem habere, quum reprobi quoque quidam fidem habuerint. De reproborum igitur fide Chrysostomus agit, de fide inquam illa quæ & in ipsis dæmonibus reperitur *Tu credis Deum vnum esse*, inquit B. Jacobus: *bene facis, dæmonia quoque istud credunt, & horrescunt.* Eiusmodi autem fides nihil aliud est quam generalis veritatis notitia; quæ non in eo sita est vt in Iesum Christum credamus, sed in eo tantum vt ipsum esse Christum credamus. *Sed multum interest*, inquit B. Augustinus, *vtrum quisque credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe ac sine dilectione Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, & quoquo modo vnitur in eum & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & charitas.* Quandoquidem igitur Dominus agit de ea fide per quam in ipsum credimus & asserit, quisquis hanc fidem habuerit, habiturum quoque vitam æternam quandoquidem hæc fides absque spe & charitate esse nequit; Certum est Chrysostomum negando *satis esse ad vitam æternam in filium credere*, & reproborum exemplum hanc in rem afferendo non de fide in Christum agere, sed de fide qua Christus esse creditur. Nec silentio prætereundum est Augustinum dicentem *fidem in Christum nullam esse posse nisi & spes accedat & charitas* aperte Ecclesiæ Romanæ errorem refellere quæ docet fidem in Christum absque bonis operibus esse posse; sed de his iam supra egimus & infra denuo acturi sumus.

Pergit Helvetius, Patrum quidam, inquit, censent vitam æternam effectum esse aduentus Domini Jesu. Secundum hanc interpretationem ergo sensus erit, eum qui credit in Filium Dei vitam illam æternam habere quæ aduentûs Jesu Christi sit effectum; Non magis ergo credentibus in Christum de illa quam de ipso Domini aduentu, quem illius caussam esse norunt, dubitandum est, qui enim de caussa non dubitat de effectu dubitare nec potest nec debet, propter mutuam inter vtrumque connexionem, caussam, inquam & effectum.

Patrum denique plurimi, inquit, docent hoc in loco, vitam habere idem esse ac ius habere in vitam æternam. Res ergo Cameroni confecta est. Quum fideles ius habeant in vitam æternam, illius certi esse possunt, nemini enim ius suum Deus negat.

Apparet igitur omnes interpretationes quas obesus ille ac crassus Heluetius protulit cum Camerone facere & illius argumentum confirmare tantum abest vt dissoluant, quum illarum nulla, hæc Domini nostri verba, qui credit in Filium habet vitam æternam, cum Ecclesiæ Romanæ incertitudine ac diffidendia conciliare possit.

Cæterùm vel ebrius vel mente captus fuisse videtur Heluetius, quum arbitratur Cameronem sensisse Synodum Tridentinam fidelibus interdixisse ne prædestinationem crederent, desperationem contra illis iniunxisse. Ea de re ne per somnium quidem Cameroni venit in mentem, hoc tantum voluit, Synodum Tridentinam interdixisse ei qui credi *sibi certi aliquid* de salute sua *absoluta certitudine polliceri*, & sententiam suam collatione quam cum Parentio habuit eo confirmauit & comprobauit quod Synodus Tridentina eum *qui dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, anathema esse iubeat?* Quis enim regeneratus est & iustificatus nisi qui credit in Filium Dei? quis vero in filium Dei credit nisi idem regeneratus & iustificatus? Quis pariter sibi salutem certo pollicetur, nisi qui de prædestinatorum numero se esse persuasum habet? & quis de prædestinatorum numero se esse persuasum habet nisi qui salutis suæ certus est? Adeo vt hæ loquendi formulæ in vnum idemq; recidant. Leberide ergo illum cæciorem esse oportet qui non animaduertat Synodum

Tridentinam quatenus prædestinationis certitudinem homini regenerato & iustificato interdicit, vnâ eâdemque operâ si non verbis saltem reipsa, credentem in Filium Dei certâ vitæ æternæ fiduciâ exclusisse, quum tamen nemo sibi certò polliceri audeat, nisi se à Deo ad illam prædestinatum esse certò norit, quemadmodum nemo sibi vitam vel in momentum prorogatum iri spondere potest, nisi Deum ita decreuisse pro comperto habeat.

Scopum itaque Heluetius non attingit nec legalibus medetur vulneribus quos Ecclesiæ Romanæ error in Parentio excepit.

Reliqua quoque eius tela imbellia sunt sine ictu; Primo enim nescio quam nobis certitudinem quam *moralem* sophistæ appellant commendat. At hæc certitudo reuerâ, mera est incertitudo, imò pura puta desperatio, volunt enim illam ab eiusmodi conditione pendere quæ nec perficitur nec vnquam in nobis perficietur. Vel ipso Heluetio teste, qui in illa quam tulit sententiâ de gratiâ quidem nos certos esse vult modo non peccemus, modo quæ nostra est infirmitas, officio nostro non desimus. Atque hæc illorum est certitudo moralis. Iam verò *nemo est qui non peccet*, inquit Salomo, & B. Iacobus.

In multis impingimus omnes. B. Iohannes, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsius fallimus, & veritas in nobis non est.* Adeò vt iuxta hanc certitudinem moralem quæ eiusmodi conditione nititur quæ nec est, nec fuit, nec erit vnquam, omnino desperandum esset: Quum enim vt statuit Helvetius, imo ipsa Ecclesia Romana nullam salutis nostræ certitudinem nisi sub propriæ dignitatis & meriti conditione habeamus, omnesque certò norint vel ipsâ conscientiâ conuicti, se sæpe nimis peccare ac delinquere, hanc salutis in nobis conditionem frustra requirentes, saluti nostræ prorsus desesperare necesse est. Ac sanè B. Hieronymus in Esaiam verbo controuersiam dirimit, *Si nostra*, inquit, *consideremus merita, desperandum est. Si tuam autem clementiam qui flagellas omnem filium quem recipis, audemus preces fundere.* Clementiæ diuinæ consideratione nos solatur, postquam omnem meritis spem interdixit. Sed eandem nobis verbis expresionibus consolationem adhibet Augustinus. *Dat nobis*, inquit, *ad Deum fiduciam, non meritum nostrum, sed illius misericordia*, & paulò pòst, *Nemo in hoc sæculo robustus est, nisi in spe promissionis Dei, quantum enim attinet ad merita nostra, infirmi sumus: quantum ad eius misericordiam robusti sumus*, atque iterum aliquanto post. *In æternum Christus regnabit in sanctis suis. Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus: si parum est, hoc iurauit Deus. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio: non debet cum trepidatione prædicare, vnde non potest dubitare. Fiat ergo in cordibus nostris robur illud, vnde Ethan nomen accepit, robustus corde: prædicemus veritatem Dei, eloquium Dei, promissa Dei, iurationem Dei, & his modis omni ex parte firmati prædicemus, & portando Deum cœli simus.* Atque hæc eo notatu digniora sunt quod infra vbi salutis certitudo patrum authoritatibus probanda erit, iterum citanda & velut suo sibi loco illic collocanda venient.

Sed ad Helvetium nostrum reuertamur qui eo temeritatis procesit vt hanc certitudinem seu potius, incertitudinem moralem Pauli exemplo probare conetur, qui se nullius rei sibi conscium, sed non per hoc iustificatum esse ait. Dominum autem illum esse qui ipsum diiudicet. Vnde ebriosus ille infert, beatum Apostolum, *vas illud electum, exemplar illud misericordiæ Dei, illum qui in tertium vsque cœlum raptus est* de salute suâ dubitasse: idque contra Ecclesiæ Romanæ doctrinam, contra id quod ipsemet paginâ sequente fatetur; contra Apostoli ipsius assertiones, *Quis nos separabit à charitate Christi? Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, Neque sublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Noui cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire. Certamen illud præclarum decertaui, cursum peregi, fidem seruaui. Quod reliquum est, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus ille iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui expetiuerint, illustrem illum ipsius aduentum.* Num vehementes adeò & asseueratæ affirmationes animæ inter spem ac desperationem fluctuantis testimonia esse possint? Hanc quoque sententiam locus ab Heluetio ex quarto capite primæ ad Corinthios citatus confirmat, nedum vt illi aduersetur: Apostolus enim asserens se quamuis nullius rei sibi conscius esset, non ideo tamen iustificatum esse, satis indicat salutem suam inde non pendere, sed mox ad Deum prouocans se totum ab illo pendere docet, quæ Ecclesiæ Reformatæ fides est ac doctrina, errori Ecclesiæ Romanæ de merito opposita.

At quis incredibilem lurconis huius stupiditatem satis mirari queat? qui statim, simul ac salutis incertitudinem & de ea dubitationem Pauli exemplo probare conatus est, eandem hâc ratione quoque probare vult, quia Paulus salutis suæ certus erat, quum Dominus ipsi dixisset, *sufficit tibi gratia mea.* Atque hoc pacto iuxta illum Paulus de salute suâ dubitabat, ac idem de salute suâ certus erat. Sed quis acumen illius non miretur quum ex certitudine Paulo concessâ, non eandem omnibus certitudinem concedi velit, quia, inquit, quod vni dicitur, omnibus non dicitur. Atque ita Heluetio iudice male colligeret Apostolus omnes fideles fide iustificari, quia scriptum est, *Fides Abrahami imputata est ei ad iustitiam.* At quid hic infert Apostolus, *Non scriptum est autem propter eum solum, quod hoc imputatum fuit ei, sed etiam propter nos quibus futurum est vt imputetur.* Dicamus pariter id quod Dominus Paulo dixit, *sufficit tibi gratia mea*, non scriptum esse propter illum solum, sed etiam propter nos. *Nam*, vt inquit idem Apostolus, *quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt, vt per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.*

Citat deinde Paulum qui nos hortatur ne efferamur animo, sed timeamus, quasi sub timoris nomine de misericordiâ diuinâ diffidentiam ac non potius humilitatem Apostolus commendare voluerit. Sane liquet hic Apostolum animi elationem timori opposuisse; Humilitati autem, non diffidentiæ de misericordiâ

ricordiâ diuinâ contraria est animi elatio.

Quum igitur Apostolus elationem animi timori opponat, timore humilitatem designat. Ac sane quęnam esset horum verborum sententia, ne animo effertor, sed de misericordia diuina diffidito? quum contra facillima & apertissima sit altera hæc sententia, ne animo effertor, sed humilis esto. Humilitas autem certitudinem de misericordia Dei comitari solet. Quis de misericordiâ Dei certior fuit Paulo? quis tamen illo humilior? Caussa palam est, hæc enim certitudo summam in nobis miseriam, tanquam misericordiæ huius objectum præsupponit: Nemo homo misericordiam Dei abyssum esse iudicabit, quin idem peccatum suum alteram abyssum esse simul iudicet: nemo superabundasse gratiam credere potest, nisi qui amplificatum peccatum senserit, vt Apostolus inquit, *Vbi amplificatum est peccatum, ibi superabundauit gratia.* Hoc sentire, humilitas est. Quis magis misericordiæ Diuinæ diffidit quam Cain? quis tamen illo superbior? caussa quoque palam est, quia hæc diffidentia omnem amoris Dei sensum animo exturbat, ac proinde odium in illum generat, quo superbia ac rebellio producuntur. Ideo B Johannes contendit, *metum non esse caritate, integram* contra *caritatem foras ejicere metum; quoniam*, inquit, *metus cruciatum habet: qui autem metuit non est consummatus in caritate.* Nihil vtique apertius, nihil grauius ab Apostolo dici potuit, vt nullam dubitationi ac incertitudini cum humilitate societatem intercedere posse doceret, sed belle illis cum superbia conuenire. Quomodo enim ibi subsisteret humilitas vbi caritas locum non habet?

Alium deinde locum sed non magis apposite citat, Apostolus hortatur illum *qui sibi videtur stare, vt videat ne cadat.* Hinc ille colligit, fidelem de salute suâ dubitare debere, quasi hæc duo insociabilia essent, de salute sua certum esse, & sibi à cadendo cauere. Periculi vitandi certitudo præcautioni non repugnant, illius caussa potius est & fulcrum. Paulus de salute sua certus erat, quâ de re nemo dubitat, ipsemet Heluetius quanquam sibi dissidens id fatetur, an propterea cessauit ille *contundere corpus suum & in seruitutem redigere: ne quo modo quum aliis prædicasset, ipse reiectaneus fieret.* Dominus ipse de salute sua certus erat, an propterea Patrem rogare cessauit vt *se ab illa hora liberaret & in diebus carnis suæ deprecationes & supplicationes offerre cum clamore valido & lachrymis apud eum qui poterat ipsum seruare à morte.* Paulus in carcere cœlitus confidere iubetur, an minus propterea insidias sibi structas tribuno monito vitare conatus est: Idem de salute sua & omnium illorum qui cum ipso nauigabant certus factus, an minus propter ea de naufragio vitando sollicitus fuit? Certè Centurionem & milites monuit nisi nautæ manerent in naui, illos seruari non posse. Certò sciebat David se Saule mortuo regnaturum, quum id ipsi Deus indicasset, num propterea minus sibi à fraude & violentiâ tyranni illius cauit? ac vt Seruatoris nostri exemplo concludam, quis mortis suæ tempus compertum illum habuisse inficias ire ausit? an minus sedulo propterea cauit ne Iudæi ante tempus à Deo præfixum manus in ipsum coiicerent? Hoc igitur Heluetium, hoc pontificios scire volo certitudinem ac præcautionem, fiduciam ac prudentiam, animum intrepidum & curam insociabilia non esse, sed contra pulchrè illis conuenire. Quis tantam vnquam in rebus suis adhibebit curam, quam qui nouit Deum curæ suæ benedicturum? quis hostem maiore animo adorietur, quam qui se prostraturum illum, ac superaturum certò confidit?

Si locum quem ex Epistolâ ad Philippenses citat exactè, vt par est, expendamus nobiscum aperte facere constabit, nedum vt caussæ nostræ præiudicet. Ibi nos Apostolus hortatur vt *nostram ipsorum salutem cum timore ac tremore conficiamus*, sed obseruandum est timorem ac tremorem in Scripturâ æquè humilitatem, ac trepidationem ex dubitatione ortam significare, *Colite Dominum cum timore & exsultate cum tremore*, inquit Propheta regius Ps. 2. Quis contendere ausit Prophetam dum nos ad exultationem hortatur trepidationem ac diffidentiam exsultationi adeo repugnantem, ac non potius humilitatem & fiduciam vnicum veræ tranquillitatis & animi sua sorte contenti fundamentum nobis hîc commendare voluisse?

Sed fac, inquiet aliquis, has voces alicubi in Scripturâ humilitatem simpliciter non autem trepidationem ac diffidentiam significare; an ideò locus iste sic accipiendus erit? Non illo quidem pacto, sed isto argumentamur. *Timor ac tremor* interdum in Scripturâ humilitatem & summam animi demissionem, non autem trepidationem ex dubitatione ortam significant, nihil igitur hoc loco necessum est trepidationem significare, nihil, inquam, contra potius fieri nequit, vt illa notione hîc sumantur, quod antecedentia & consequentia euincunt. Immediatè supra Apostolus Dominum Jesum humilem primo factum, deinde in gloriam euectum tanquam omnis humilitatis perfectissimum exemplar proponit; vnde postea hanc elicit hortationem, *Proinde cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.* Si misericordiæ Diuinæ diffidentiam nobis commendare in animo habuisset Apostolus, ista minime cohærerent. Dominus primo humilis factus est, deinde in gloriam euectus. Vestram igitur ipsorum salutem conficite damnari metuentes. Sane hæc sunt ἀνακόλουθα. Rediculum se præberet qui sic argumentaretur. Hæc tamen est Ecclesiæ Romanæ interpretatio, quæ hîc vt alibi sæpe, Scripturæ textui vim infert. At si timor ac tremor humilitatem hic & animi demissionem significent, facilis erit & aperta sententia. Dominus non dedignatus est in summam humilitatem primò sese demittere, ideo postea euectus est. Æquum igitur est vt ad salutem, gloriam nempe vestram cum summa humilitate illius exemplo adspiretis.

Pari ratione, si quæ immediate Apostoli hortationem sequuntur diligentius paulo attenderis, *timor ac tremor* hanc Papisticam diffidentiam neutiquam denotabunt; huic enim hortationi caussam suam subiungit Apostolus. *Deus enim is est*, inquit, *qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum agere, pro gratuitâ suâ beneuolentiâ.* Annon apparet hæc minimè cohærere; sed potius pugnare si ad trepidationem ac diffidentiam hisce verbis nos Apostolus hortari voluerit. Quâ enim de caussâ trepidabimus ac dubitabimus si Deus in nobis & ipsum velle & ipsum agere efficit? annon potius hoc est vnicum ac verum fiduciæ nostræ argumentum, salutem nostram in Dei, non vero

1. Cor. 10. 17.

nostrâ esse tutelâ? Sed & hæc altera sententia annon euidens est, annon genuina? Vestram ipsorum salutem cum summa humilitate conficite, nec superbe vobis, nec arbitrij vestri viribus salutis illius laudem tribuite, non enim à vobis proficiscitur, sed à Deo qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum agere pro gratuitâ suâ beneuolentia, non autem propter vllum vestrum meritum. Annon igitur hic locus Ecclesiæ Romanæ doctrinam penitus euertit;

Sane Heluetij nostri animum in patinis fuisse oportet quum salutis incertitudinem eo probare voluit quod beatus Iohannes nos hortetur vt *nobis ab idolis caueamus*: quænam hæc est illatio; nos Apostolus hortatur vt caueamus nobis ab idolis, de salute igitur nostrâ certi non sumus? Certum fecerat Timotheum Apostolus de prophetiis quæ de illo prægressæ fuerant & fidelitatem illius in vocatione sua testatæ fuerant: adeò vt de illa dubitare nec posset nec deberet; illum nihilominus Apostolus hortatur, *vt intentus sit sibi ipsi & doctrinæ & permaneat in ijsis*. Eadem prorsus ratione postquam Apostolus per totam Epistolam suam fideles salutis suæ certos fecit, vt tamen sibi ab idolis caueant hortatur. Hæc inter se non pugnant, salutis suæ certum esse, ac tamen officij admoneri, vt quod bonum est faciamus & à malo nobis caueamus.

Quæ ex Ezechiele Heluetius citat, vbi Deus iusto denuntiat eum *si se à iustitia sua auerterit non victurum*, nihil ad incertitudinem salutis faciunt: nam & Domini nostri discipuli de salute sua certi erant, nihilominus tamen Dominus noster illis denuntiat si in ipso non manserint, fructum non laturos sed extra abiectum iri vt palmes qui arescit, deinde in ignem abjicitur & ardet. Non belle concluditur ab hypothetica ad Categoricam: à dicto *conditionaliter & secundum quid*, ad dictum *simpliciter & absolute*. Hic conditionem Deus apponit, *Si se iustus auerterit à iustitia sua, non viuet*. Non bene ergo hinc inferre possis, iustus auertet sese à iustitiâ suâ totaliter ac finaliter, ac proinde non viuet. *Si per legem est iustitia*, inquit Apostolus, *igitur Christus sine caussa mortuus est*. Quis hinc ausit inferre fieri potuisse vt Christus sine caussâ moreretur, vt iustitia esset per legem? Æque sane est inepta Heluetij illatio quâ ex eo quod Deus iusto denuntiat eum si se à iustitia sua auerterit nō victurū, infert posse igitur fieri vt iustus à iustitiâ suâ sese auertat, nec viuat. Imò Deus Dauidi prædixerat se illum loco Saülis quem reprobauerat in regem constituturum. Fieri itaque non poterat vt regiam dignitatem non consequeretur. Dauidem id minime latebat, quippe id illi Deus reuelarat, an minus iccirco Deus illum monuit, Si Kehilæ maneret à Kehilæis in manus Saulis vitam illius quærentis traditum iri. Vnde liquet ab eiusmodi loquendi formulis conditionalibus, nihil absoluti colligi posse. Quo referri potest illud Pauli ad Centurionem, *nisi isti in naui manserint, vos seruari non potestis*, quum tamen certum illum fecisset Angelus Deum illi gratificatum esse omnes qui cum ipso nauigabant, neminemque ex illis periturum.

Quod autem ex Joële citat, *quis scit si ille conuertatur & ignoscat Deus*, mera textûs est corruptela, nam iuxta versionem vulgatam quam Ecclesia Romana admittit legitur, *quis scit si conuertatur & ignoscat Deus*, adeo vt hæc verba, *si conuertatur & ignoscat* ad vnum eundemque, Deum nempe referantur, quum tamen Heluetius illa diuidat, & alterum, *conuertatur* nempe ad hominem, alterum, nempe *ignoscat* ad Deum referat. Sed hic potissimùm quæritur an Propheta populum de Dei misericordia dubitare voluerit, an verò ipsemet de illâ dubitauerit, eo quod incerta loquendi formulâ vtitur, *quis scit si conuertatur & ignoscat Deus*. In promptu responsio est; Scripturam quotiescunque de rebus certis, quoad fidei captum, difficilibus tamen si humanæ infirmitatis captū expendamus agitur, incertis huiusmodi loquendi formulis vti. Ex. gratia, De mortuorum resurrectione Paulo constabat, tamen de curâ & labore quem vt ad illam deueniret adhibebat loquens mirè timidâ ac suspensâ loquendi formula vtitur. *Experiens*, inquit, *ecquomodo deueniam ad resurrectionem mortuorum*: Quamuis enim resurrectionem fide certò apprehenderet, carnis tamen iudicio res illi summopere difficilis videbatur. Sic quoque Propheta Joel de Dei erga populum suum misericordiâ plene persuasus, hoc tamen loquendi genere vtitur propter summam rei iuxta infirmitatis nostræ sensum consideratæ difficultatem. Prophetam autem hoc persuasissimum habuisse hinc liquet.

Primo, quia extra controuersiam positum est, fieri non posse vt Deus peccatori resipiscenti non ignoscat; secus enim si faceret, contra naturam suam ac iusiurandum faceret, *Ne viuam ego dictum Domini Dei, si delector morte improbi, sed delector quum reuertitur improbus à via sua vt viuat*. Æque quoque fieri nequit vt peccatori non resipiscenti ignoscat. *In quem intuebor? inquit Dominus. In pauperem & contritum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum.*

Illic autem loci aut de non resipiscentibus aut de verè resipiscentibus agit Ioël: si de resipiscentibus, dic, amabo, an summus Propheta à Deo afflatus dubitauerit Deum misericordiâ suâ animas verè resipiscentes complexurum? si de non resipiscentibus, an idem quoque dubitauerit, quin Deus hypocritam & obstinatum, rejiciat ac reprobet donec resipuerit, sed exceptionem non admittunt quæ mox apud Prophetam sequuntur vt quæ certam rei persuasionem euincant, *Iam zelotypia affectus est Dominus terra sua, clementia vsus est erga populum suum, Respondit que Dominus dicens populo suo*; de re futura eodem modo loquitur Propheta ac si iam euenisset, quia prorsus ita esse populo persuadere voluit, Ioel igitur salutis incertitudinem oppugnat & euertit.

Ad id quod ex Ioele citauit apte conuenienterque nos criminatur & impiæ doctrinæ insimulat, quasi doceremus hominem in sceleribus suis perseuerantem, modo fidem retineat seruatum iri, quæ imprudens est ac scelerata calumnia, sed Ecclesiæ Romanæ concionatoribus familiaris, auide ab auditoribus excepta & mira animi peruicacia nobis ab illis identidem obiecta, fere enim libenter homines id quod volunt credunt, non affectus suos ad iudicij, sed iudicium ad affectuum normam exigentes. Nefariam autem hanc calumniam melius obterere atque contundere non possumus, quam si ipsissima confessionis nostræ verba in hanc sententiam proferamus. *Credimus nos qui natura serui sumus peccati, hac eadem fide in credentes in nouam vitam regenerari. Recipimus autem per fidem hanc sanctè viuendi gratiam dum promissionem illam Euangelicam amplectimur, quod daturus sit nobis*

Dominus

Dominus Spiritum Sanctum. Tantum abest igitur, vt benè & sanctè viuendi studium fides extinguat, vt etiam illud ciceat, & inflammet in nobis, vnde bona opera necessariò consequuntur. Cæterum quamuis Deus, vt nos plene seruet, regeneret nos, & ad sanctam vitam formet: tamen profitemur bona opera, quæ duce ipsius Spiritu edimus, non respici à Deo, vt per ea iustificemur, aut Filij Dei censeri mereamur, quoniam perpetua dubitatione & trepidatione fluctuaremus, nisi satisfactione illa niteremur, per quam nos omni noxa Iesus Christus exemit.

Hinc patet à nobis credi 1. fidem sine pietate ac vitæ sanctitate esse non posse. 2. Bona opera Christiano necessaria esse. 3. Licet necessaria sint, non tamen esse meritoria, quia imperfecta sunt ac multis infirmitatibus permixta, quia & quum omnia fecerimus Dominus tamen hortatur nos vt nos seruos inutiles esse dicamus: nam quod debuimus facere fecimus.

Locum postea citat Heluetius qui nusquam in totâ Scripturâ exstat. Id mirum vtique non est in Cardinalis satellite, cui Biblia legere non licet, sed pro monstro est Cardinalem Surdisium Archiepiscopum Burdigalensem & Aquitaniæ primatem id non aduertisse ac induxisse; illum, inquam, qui se hanc Heluetij sententiam legisse, ac calculo suo comprobasse profitetur. Locum autem illum his verbis conceptum, Prædestinaui quos præuidi ex Ep. ad Romanos cap. 9. citat.

Fatemur sane locum exstare ad Rom. c. 8. ℣. 28. qui Heluetio imaginosum patienti in mētem forte venerat, *Quos præsciuit, etiam prædestinauit conformandos imagini Filij sui: vt missit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit, & quos vocauit eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit.* Vnde admiratione captus hoc elicit argumentum, *Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* Annon hoc est dedita operâ oppugnare dubitationem ac trepidationem Ecclesiæ Romanæ? nec oppugnare solum sed & euertere? Synodi Tridentinæ canonem decimum quintum sessionis sextæ infringere qui anathemate illum fecit qui *dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum.* Nam si quos iustificauit Deus, eos etiam glorificauit, vt id expresse loco citato dicitur, certò glorificationem sibi polliceri debent & possunt, ac proinde salutem, imò prædestinationem ipsam quæ salutem necessariò præcedit. Catena hæc est aurea cuius annuli adamāte duriores sunt. Quos Deus tempore suo glorificat, eos primùm iustificauit: quos verò iustificauit, eos antea efficaciter vocauit; & quos efficaciter vocauit, antea quoque prædestinauit; & quos prædestinauit, eos etiam præsciuit. Ac sane hunc sibi scopum proponit Apostolus vt in mediis afflictionibus fideles certa hac & indubitata persuasione solaretur ac sustentaret, quæ vtique insulta, elumbis ac inefficax esset, si illis de salute suâ in mediis angustiis dubitandum esset, de salute suâ, cuius solâ cogitatione erigi ac recreari possunt,

At miserum nostrum Heluetium laruæ atque intemperie, insaniæque agitabant, quum hanc Pauli exclamationem allegaret, *O profundas diuitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt eius iudicia, & eius viæ impetruestigabiles!* quasi verò hic ille prædestinationis nostræ incertos nos esse vellet, qui de caussa tantum agat cur Deus potius hos quam illos prædestinauerit. Caussâ, inquam, à sensibus nostris infinitum quantum remotâ *quis enim*, inquit, cognouit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio? caussâ quæ nobis inesse nequit, quis enim inquit prior dedit Domino & retribuetur ei? caussâ denique quæ nobis non inest sed Deo soli qui quum sit sapientissimus optime caussam nouit quamobrem id faciat quod facit: *Nam ex eo*, inquit, *& per eum, & in ipsum sunt omnia, ipsi sit gloria in sæcula. Amen.*

Cæterum verba Apostoli 1. ad Cor. cap. 2. v. 11. citans manifesto se falsi astrinxit, luxata enim & mutila protulit, ac reuera id in Heluetio, rudiori ac hebetiori ingenio, pro vulgi dialecto, assignari potuit: at in illo qui librum calculo suo cōprobauit, quo id titulo insigniemus, ματαιωρίας ἢ ἀσελγείας? Sed hoc forte asperum nimis? nihil vtique lenius dici potuit. Sed ad rem, Apostolum quidem fatemur dicere, *ea quæ sunt Dei neminem nouisse nisi Spiritum Dei*, at mox subiungit, *Nos vero non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, vt sciamus quæ Deus est nobis gratificatus*, vitam scilicet æternam, iustificationem nostram, vocationem ac prædestinationem, hæc enim mutuo nexu inter se cohærent, vt annuli in catenâ solent.

Vbi se Heluetius Scripturam allegando parum promouisse videt ad Aristotelem confugit qui Metaph. 1. min. ait, ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, atque hinc colligit nos de salute nostra nihil certi habere. O Samij lucumonis acumen? annon videt, hoc quoque pacto colligi, nos de nullo fidei articulo certum quicquam scire posse; ad hæc enim mens nostra longè cæcior est, quam ad naturalia. *Animalis homo*, inquit Apostolus, *non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* Sed vt de veritate articulorum fidei persuasi sumus per Spiritum Dei illuminantem mentes nostras & facientem *vt è tenebris lux splendeat*, sic *per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis qui Spiritus testatur vna cum spiritu nostro, nos esse filios Dei: quod si filij etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si modo cum eo patimur, vt cum eo glorificemur.*

Mox post Aristotelem patres sibi aduocat, quasi non & illi nobiscum facerent; Primum ergo Cyprianum hic audiamus, *si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires, nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur atque æternitatem & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.* Arrige aures Heluetie. Arrige Heluetij approbator. Quid de Cypriano censetis? Hugonotus ne fuit? En tamen ipsissima illius verba. Sed & B. Hilarium addamus. *Regnum cælorum*, inquit ille *Dominus noster vult sine aliquâ incertæ voluntatis ambiguitate sperari, alioquin iustificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua.*

B. quoque Augustinum vt & Hieronymum multos hac in re supra vidimus.

Sed ad hæc nostra tempora paulo propius accedamus, & Bernardi quoque hac de re senten-

tiam audiamus. *Tria, inquit, considero in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret iam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione.*

Quid? an hæc exceptionem patiuntur? an cauillatione vllâ eludi possunt? an impudenter negari? Hæc vtique doctrina est nostra, pax nostra & vita nostra. Sed hactenus Patrum auctoritates.

Tandem Heluetius noster ad syllogismos confugit, quos Aristotelis inuentum appellat, quasi post homines natos ad Aristotelem vsque nulli fuerint syllogismi. Hos præterea syllogismos forma carere agnoscit.

Ingenua hæc & Heluetica confessio vel sola respondendi onere leuare nos potuit, sed ne difficiles & morosi videamur formâ omissâ materiam examinabimus.

Primo syllogismo statuit, hæc verba à nobis corrumpi, *qui credit in Filium habet vitam æternam*, atque hinc infert nos non esse veram Ecclesiam. Verum hoc ipsum illi probandum fuit, nos vero aliter sese rem habere supra ostendimus.

Secundo syllogismo conatur probare hæc verba, *qui credit in Filium habet vitam æternam*, non esse ipsissima & expressa Scripturæ verba, sed id nullus asserere ausit cui modo oculi ad legendum aut aures ad ea quæ leguntur audienda suppetent.

Tertio syllogismo pro concesso sumit Patres hunc locum *qui credit* &c. aliter ac nos interpretari. Id vero supra reuicimus.

Quarto syllogismo manifestum falsi crimen admittit. Cameroenim, vt ex Collationis actibus patet semper contendit loca expressa quam plurima in Scripturâ extare quæ cum Ecclesiæ Romanæ fide collata illam falsi arguant, ac exempli gratiâ vnum produxit. Fassus quidem est nullum in Scriptura locum exstare qui verbis conceptis, totidemque syllabis asserat *Ecclesiam Romanam errauisse*. Sed vnâ eâdemque opera auditores contestatus id non nisi præter æquum & bonum postulari posse denuntiauit.

Verum quia Cameronis illud responsum quibusdam qui ex Iudicum consessu aderant mirum videbatur, vel certè mirum sibi videri fingebant, duobus hisce exemplis verà ac solidè se respondisse ostendit. 1. Negari non posse quin expressæ ac diserte leges in iure Gallico contra execrandum Rauaillaci parricidium extarent, non minoris tamen impudentiæ ac sceleris indicium futurum fuisse, si & nomen suum & detestandi parricidij πέισάσεις in iure Gallico sibi monstrari postulasset. 2. Rogauit illos vt exactè considerarent, leges, statuta, ac consuetudines ex quarum præscripto singulis diebus iudicant, ius quidem continere, sed non facta singularia quæ incidunt, vt de illis ex iuris formulis decidatur.

Horum illos memores esse quæ sumus: Nihil enim in collatione illa consignatum est quā quod Parentium spectabat vel vt responderetur illis quæ ipse scribi curauerat, vel vt argumenta illa proferrētur, in quorū scriptionē ipse consenserat. Duæ autem illæ similitudines aperte satis indicabant quum Ecclesiæ Romanæ errores circa res versentur quę post Scripturam demum ortę sunt, Scriptura vero rerum iudicandarum normam ac Canonem contineat, rebus illis vt iudicium ferri possit normam hanc tantummodo applicandam esse, nec postulandum vt ad verbum in Scriptura consignaræ ostendantur: Alias nec Turcarum, nec aliorum infidelium impietas ac superstitio Scriptura refelli queat. Vt vnica tantum sit norma & amussis, nullus tamen muri angulus, nulla facies dabitur quæ ad illam exigi non debeat: id sensus communis indicat.

Syllogismo quinto iterum se falsi adstringit; constat enim ex Collationis actibus Scripturam à Camerone aduersus Ecclesiæ Romanæ doctrinam prolatam fuisse. Fatemur tamen vnicam tantum Scripturæ locum visisse quia hosti conficiendo vel ictus vnus sufficit.

Sexto syllogismo pro certo & concesso sumit omnes illos qui vel naturæ operibus vel lege absque gratia Christi se iustificari non credunt Catholicè tamen ac formaliter credere, *eum qui credit in Filium Dei habere vitam æternam*: quod aperte falsum est: multi enim hæretici id credunt, vt Anabaptistæ ac Samosateniani hodierni: adde quod si verum esset illud enuntiatum, ipse fateri cogeretur, nos Catholicè ac formaliter credere, nos enim naturæ ac legis opera rejicimus.

Septimo Syllogismo doctrinam nostram cum quibusdam Scripturæ locis vt ad Rom. 11. 20. 1. ad Cor. 10. 12. & ad Philip. 5. 12. pugnare contendit, quod falsum est, doctrinæ enim nostræ cum illis locis pulchre conuenire ostendimus.

Syllogismo octauo pro concesso sumit Ecclesiæ Romanæ doctrinam cum Patrum interpretatione concordare, nostram vero dissidere & discordare, sed neutrum probat, nos vero contra atque dicit rem sese habere ostendimus.

Nouo syllogismo Deum prædestinationem suam penes se seruare, nec vlli reuelare statuit, quod secus esse supra quoque ostendimus.

Decimo probare nititur non proprie & peculiariter competere fidelibus vt de salute sua certi sint, siquidem id quibusdam fidelibus à Deo conceditur, vt puta B. Paulo; quum ex hoc exemplo contrarium potius inferri possit. Quod enim ait frustra certum illum fieri, qui iam certus est, falsissimum primo id esse contendimus, qui enim certus est in hac sua certitudine confirmationis indiget, afflictus ille pater in Euangelio dicebat, *Credo Domine, succurre incredulitati meæ.* Apostoli Dominum rogabant vt *fidem ipsis adderet*. Aliud præterea est *de salute sua reapse certum esse*, aliud, certū esse debere. Vel sanctissimos interdum dubitare cōtingit, quos tamen dubitare minime decet; vti quoque sæpius peccant, quum tamen illos nūquam peccare oporteret. Hic autem de iure potissimum quæritur *an fidelis de salute sua certus esse debeat*. Denique ad extremum quamuis fides facta dubitationem præcessisse argueret, illam tamen fiducia necessario consequitur; sanatio morbum, at illam sanitas excipit: salutis fidem quę Scripturâ firmatur præcedere quidem potuit diffidentia, at illa mox fiduciam in fidelibus gignit.

Vltimo syllogismo pro concesso sumit B. Paulū de salute sua dubitasse, qua in re & secū ipse & cū Ecclesiæ Rom. doctrina, imò cum Apostoli ipsius assertionib. pugnat, vti supra quoq; ostensum est.

Postremò de re totâ decernit & Cameronem, ignorantiæ, malitiæ ac hęreseos damnat. At ille temerarij iudicis pręcipitem sententiam esse probe sciens, ad Deum eiusque Ecclesiam appellat.

SANTAN-

SANTANGELVS, *SIVE* STELITEVTICVS IN ELIAM SANTANGELVM CAVSIDICVM.

QVO

EIVS IN CALVMNIANDO INSCITIA, AVDACIA, & FERITAS traducitur.

Oppositus

Libello famoso quem titulo orationis in supremo Senatu Aquitanico à se habitæ in IOAN. CAMER. &c. typis euulgauit.

AVCTORE

IOANNE CAMERONE *Ecclesiæ Burdigalensis Pastore.*

SCAZON.

Libelle, flammis vstulande Plutonis,
Libelle, non-v-libelle, sed merum virus,
Ipsaq; peste pestilentior pestis,
Abominandum seculi impij monstrum,
Et execrandum ter quater patri summo,
Sobolique sanctæ quam fouet pater summus.
Procul hinc facesse, lucidum iubar solis
Fuge, tenebris abde te patris Orci,
Vbi audiuntur barbaro sono voces,
Audaciaq; & sæuitas viget, & fraus,
Quarum libelle tu tremenda farrago es,
Libelle flammis vstulande Plutonis.

LECTO-

LECTORI SALVTEM.

SANTANGELVS Causidicus Lector, postquam in Ecclesia Roman delituisset diu, ad nos tandem palàm transiit, quo consilio ambiguum : Nam de ingenio certè & moribus nihil immutauit, quo nomine aliquando palam in concionibus, sæpe priuatim à Synedrio est reprehensus: frustra. Itaque superiori anno rebus nondum turbatis sacris concionibus, sacra synaxi ipse sibi interdixit. Cùm verò cœptum esset turbari non nihil, nostríque armis iussu Magistratu exuti metu Rusticorum detrectassent extra pomœria ad audiendas conciones in vicum Bugleanum conuenire; rem ille ad Sen. ampliss. detulit; pastores Ecclesiæ, quibus auctoribus id factum falsò dictitabat, Majestatis postulauit; Ecclesiam quæ id constituerat in eiusdem criminis suspicionem vocauit. Eam criminationem secutum est Senatusconsultum, quo denunciata si secus facerent læsæ majestatis pœna, pastores de more loco solito conciones iussi sunt habere. Hinc orta inter nostros trepidatio, quæ vt requiesceret pastores secedere sunt coacti. Reddita dein pace, cum is nihil de malignitate remitteret, vocatus, vt fieri solet, in Synedrium non paruit, vnde secuta est in eum minor, quam vocant, Excommunicatio, quam ille confictis criminibus, (neque enim aliter poterat,) apud Sen. ampliss. in inuidiam adducere conatus est habita oratione, ad quam coactus sum respondere paulo asperiùs quàm fert ingenium aut consuetudo mea. Quod tu Lector, vt spero, facile excusabis. Nam *vehementi malo nisi æquè vehemens auxilium succurrere non potest*, inquit ille.

GILBERTI PRIMROSII
ECCLESIÆ BVRDIGALENSIS PASTORIS,
IN ELIAM SANTANGELVM *Causidicum* BVRDIGALENSEM.
CARMEN.

QVi innocuos duro pastores ore lacessit
Vsque suos, vafrè incautos in prælia iuris
Qui traxit vetita, & mortem intentauit agendo,
Quique ausus fœdo est gratis traducere libro,
Dignus erat duris cui stringeret ora capistris
E triuio meretrix alicaria: quippe perisse
Cui frontem è triuio nemo non nouit. At esse
Sese aliquem stolido quia vult suadere popello,
Quem probitas, quem recta fides, quem plurima rerum
Cognitio, & studium pacis, patriæque, bonique
Commendet, fuerat graphicè pingendus, vt omnes
Noscant illum esse Indoctum, Falsumque, Trucemque,
Mille nocendi artes cui sunt, mendacia mille,
Infanda inque pios feritas, probitasque fidesque
Nulla, & amicitiæ ius nullum, nulla suorum,
Nulla suæ misero fuit vnquam cura salutis.
Is famæ, & patriæ, & pacis, verique, bonique
Securus, studet ipse sibi, sibi plaudit, habetque
Nil pensi, causas latrando dum faciat rem:
Numinis atque hominum contemptor, Relligionis
Omnis iuxta osor, percussus fulmine sacro
Viuit Christi exors: furiali hinc percitus æstro,
In me, collegamque meum verbisque, librisque
Vt lupus in fidos pastores sæuit, & omnem
Euomit in fratres stomachum, SANCTANGELVS *ille est*
Causidicus falso insignitus nomine, verum
Tu nomen pone, & posthac SATANANGELVS *esto.*

STEPHANI

STEPHANI BOVCHARDI LOTHARINGI MED. DOCT.

AD CLARISSIMVM VIRVM IOAN. CAMERONEM *super edito hocce libello.*

EPIGRAMMA.

ΣΑΤΑΓΓΕΛΟΥ ἀτασθάλου αἴδεος γόνον
Παρδειγματίζων τόνδε πουλυποικίλῳ
Μουσῶν ἐλέγχῳ πᾶσι δηλόεις σαφῶς
Ὡς πλείονας δρέψας ποτ᾽ ἐν κήποις σοφῶν
Καρπούς, Πανούργων ἤπερ ἐν μυχοῖς, κακαῖς
Ησκημένος τοῦ ΣΑΤΑΝΑ στροφαῖς ὁ σὲ
Περιπηλακίσας ΑΓΓΕΓΟΣ παροινίᾳ,
Εἴγ᾽ δυσέβεια ἐμπαρώνηται. Σοφὸς
Δ᾽ οὗτος κυρεῖ ὑπέρφυως καὶ δυμαθὴς
Μάλιστα, ὅστις τὴν κακῶν κρεῖττον λέγει,
Οἷς δυφυὲς γ᾽ ὂν κδυμηρὲς πέλει κακόν.
Μωμᾶσθαι αὐτοῦ ῥᾶστον ἔστιν: ἀλλὰ σοῦ
Μιμεῖσθαι δυμαθὲς σοφόν τε, κἀρετὴν
Σοφῇ ἀποκρίσει ἀμήχανον πάνυ.
Οὔπω αἴδης ἅψεται τοῦ κρανοῦ.
Πυγμαῖοι οὐδένες μάχονται Ηρακλεῖ.

ODE EIVSDEM.

SIVE

MAGISTRI MORVM

Coram Hendecasyllabis Iudicibus actio iniuriarum, adversus famosum SANTANGELI libellum.

VOS qui ruris & infacetiarum
Plena olim Volusi impij Poëtæ
Scripta ardentibus, ustulanda lignis
Condemnastis, adeste Iudices, par
Hic causa, Hendecasyllabi. Maligni
Oratoris imago criminosa
Se ante iudicium coacta sistit.
Scurræ forsitan esse, Vernulæ, vel
Si quid tritius est, Tenebrionis
Creditis Rabulæ hanc imaginem, cui
Plenus sacculus est aranearum
Frustra estis. Genuina enim est propago

Grauis *Causidici, dolis & arte*
Vafrâ, rostra, bonosque qui fatigat,
Modo affulgeat impia æris atri
Spes, vel MVNERIS, *aut honoris almi.*
Καὶ κακοῦ κόρακος κάκιστον ᾠόν.
Quid? nonne iconica illius propago est
SANCTVM *nomine quem* ANGELVM *vocamus?*
Sic olim veteres Catharma, Sacrum
Dixere; Eumenidas, chorum furentum.
(Quæ ipsi vt εὐμενεῖς *sient rogamus,*
Dextrâ vt crimina molliore plectant.)
Sic dixere globum trium Sororum
Parcas, *funere quæ metunt acerbo*
Omnia. Hæ, ô vtinam, ei benigniores
Amicæque sient, nefanda facta vt
Eluat meliore mente, SANCTVS
Vt citra Antiphrasin *vocetur olim.*
Quî enim SANCTVS *habebitur nefandum*
Qui atra mente scelus fuit? libello
Qui latrante pios probris lacessit,
Atque Christiadas sacratiores,
Boni ciuis vt aucupetur arte
Decus, Laure olamque parte in illa?
Vestrum esto Hendecasyllabi viro de
Tali iudicium, & quibus modis sit
Plectendus malè, pro æquitate vestra
Censete. Interea probrum Aduocati,
Mendacis, Scioli, *hosce codicillos*
Sæuos, falsiloquos, ineptulosque
Damnate ad pueros salariorum,
Scombros vt miseri tegendo prosint.
Damnate ad tepidas coqui popinas,
Butyrum vt madida tegant papyro,
Thurisque ac piperis sient Cuculli.
Cedro digna locutus in Culinis
Perungatur eâ meretur hercle, vt
Destinatus in vsum honestiorem
Quam liber Volusi, aut cacata charta,
Fato hoc exigat æuum honestiore.

SANTAN-

SANTANGELVS, *SIVE* STELITEVTICVS IN ELIAM SANTANGELVM CAVSIDICVM.

SI inexpiabili illo tuo in me odio grauius commoueier, quàm exigit Christianæ charitatis & officij mei ratio, magnopere sanè lætaret, Santangele, te iusto quodam & sapienti Dei consilio aut iudicio potius, spiritu furoris & amentiæ sic esse perculsum & attonitum, vt vocem illam tuam caninam comprimere & continere nequiueris, testem *Insitiæ*, testem *Impudentiæ*, testem denique *Immanitatis* tuæ. Nunc autem cum apud me reputo, & hominem te esse, & quidem antehac apud plebem in aliqua fama de acumine ingenij & linguæ volubilitate, in hoc tuo casu, in hac infamia nominis tui, iustissimaque quam vltro aduersus temetipsum concitasti omnium indignatione, non possum vicem tuam non vehementissimè dolere. Nam quid, obsecro, capitalis hostis & implacabilis osor & dirissimus execrator nominis tui, tibi grauius aut magis euitandum potuit imprecari, quam vt Deus immortalis sic tibi mentem eriperet, vt tu, homo iampridem plus satis famosus, in supremo Aquitaniæ Senatu, in augustissimo illo & sanctissimo iustitiæ sacrario, apud Amplissimos viros, præsente Legis Legato, in omnium ordinum, omnis generis hominum frequentissima corona, causam tuam sic ageres, vt nemo paulò humanior non irriserit tuam stultitiam, non sit auersatus effrontem audaciam & immanem feritatem execratus. Ac tu quidem cum ita diceres, omnium iudicio ad proiectissimam illam & profligatissimam animi tui væcordiam, nihil adijcere, nihil addere posse videbaris. Tu tamen quasi tecum ipse, non de virtutis laude, quod præclarum est & viris gloriosum in primis, sed de improbitatis & nequitiæ probro contenderes, victorem te tui ipsius hac in parte & exhibuisti, & palam renunciasti. Diffisus enim hominum memoriæ, quæ quam est in virtutum recordatione labilis & fluxa, tam est eorum pertinax, quæ turpia sunt, & probrosa & nefanda, voluisti orationem illam tuam literis, neque id solùm, sed typis etiam publicis commendare, ad augendam scilicet rei famam & posteritatis memoriam sempiternam. Nempe verebaris, ne vel paucis, vel seculo duntaxat tuo notum esset, te monstrum esse ex *Insitia*, *Impudentia* & *Immanitate* conflatum. Quod nisi te esse demonstrauero, rationibusque addixero necessariis, causam non dico, quin ego is esse videar, is habear, quem tu me esse, nescio insulsiúsne, an mendaciùs, Senatui Amplissimo, Burdegalensibus, toti denique Galliæ persuadere voluisti. Quam ad rem non idcirco aggredior, quasi à te homine nullo numero, nullo inter bonos loco, vlla esset nominis mei infamia metuenda, qui tametsi non sine culpa, vixi tamen hactenus & etiamnum Dei beneficio viuo, vt in hac communi vita, sine scelere, sine noxa, addam etiam, absit modò inuidia dicto, non sine aliqua modestiæ & innocentiæ laude inter meos, inter alienos: ne tu quidem, quidquid in me publicè dixeris, aliter de me tacitè sentis: magnas enim vires habet conscientia, magnam lucem, nisi quis cæcutire sponte & sibi vltro oculos velit eruere. Tu verò contra sic vixisti antehac, sic viuis vt pauci te ament plerique contemnant, oderint pene omnes. Non erat igitur mihi, non erat magnopere verendum, ne tu illo ingenio, illis moribus, nomen & existimationem meam in discrimen vocares, ipse homo omnibus probris coopertus. Varij Sucronensis atrocissimam calumniam Æmilius Scaurus summâ grauitate contempsit, solo contemptu refutauit: nam vt à laudato viro, sicut ait ille, laudari pulchrum est, ita ab homine improbo & nequam vituperari in laudis parte deputatur. Sed est tamen aliquid dandum publicæ omnium indignationi, tum præsertim cum est iustissima, & tu eras ostendendus tibi, qui te non vides, adeo es cæcus, neque qui sis persentiscis adeo *stupes vitio, & fibris increuit opimum pingue*: commouebit te forsasse & pudorem incutiet tibi & dolorem afferet, si modo sensus vllus, si conscientia tibi superest, fœditas & horror imaginis tuæ, quam tibi hîc ante oculos velut in speculo ponam intuendam. Neque

tamen dum id facio rimabor arcana mentis, non scrutabor secreta domus tuæ, neque vitæ anteactæ memoriam repetam: non dicam illa varia, illa multa quorum ipse tibi conscius es, multi testes sunt. Tantum te tibi describam, qualem tu te egregiâ illa oratione vivis coloribus depinxisti & spectandum omnibus palam exhibuisti, ineptum, effrontem & ferum. Quod dum facio, quæso sepósito paulisper affectu aut perturbatione illa potius animi tui, quæ te ereptum tibi aliò transuersum rapit, compositus & sedatus attende.

Vt ergo ab *Inscitia* tua exordiar; ecquis non miretur, te hominem Gallum, seculum jam pene totum florentibus patriæ eloquentiæ studiis, in foro volutatum, in tua causa ne gallicè quidem dicere potuisse: adeo squallet, adeo sordet, adeo repit & iacet denique oratio tua; nihil in ea tersum, nihil purum, nihil elegans, nusquam assurgit, & si quando molitur assurgere facit id rusticè & indecorè: Itaque in se relapsa veluti defecta viribus ipsa seipsam adobruit, non sine audientis fastidio, non sine nausea legentis. Nam in narrando imperitiam tuam quis non stupeat, qui sis licet humaniorum literarum rudis, non ignoras tamen quod norunt pueri, hanc esse Narrationis legem, vt sit breuis & dilucida, non repetita altiùs, non prolixa & laciniosa, non obscura & per anfractus atque ambages implicita atque inuoluta; sed explicata, excussa, clara, succincta, & ad rem tota. Tamen in hanc partem vsque adeò peccasti, vt formularium aliquem è pago, non è celeberrimo Burdegalensi foro oratorem dixisse, quicunque te audiit, haud iniuriâ arbitretur. Si mihi minùs credis, consule amicos si quos habes te paulo minùs hebetes, id ipsum fatebuntur. Jam vero & illud quis non demiretur, te, qui Memoriæ, Pronunciationis, Elocutionis laudem summam tibi ipse arrogas, cùm causam ageres tuam apud iudices æquissimos tibi, loco ad dicendum amplissimo & ornatissimo, tibi consuetissimo, in quo sæpe antea & animum obfirmaueras, & frontem perfricueras, & linguam exacueras, & vocem ad impudentiam intenderas, & latus defatigaueras, non tanquam in arena forensi retiarium veteranum, sed vt in lubrico & ancipiti loco tyronem, & hæsitasse & titubasse & cespitâsse in modum pudendum; demumque ad commentarium fuisse redactum. Credo, quia etsi mendacem, si quando vult mentiri callidè, oportet esse memorem, rarò tamen id contingit: hæret quippe veritas memoriæ tenacissimè, nec se vlla vi erui, vllisve artibus elui patitur, quin se ipsa sæpe dicentis menti inuitæ & repugnanti objicit: contrà mendacium nescio quo pacto elabitur, neque se nisi ægerrimè patitur retineri: fortasse quia naturâ suâ fluxum & euanidum est, omnem engenii non versutissimi, non exercitatissimi conatum eludit. At si quis tamen secum paulò diligentiùs expendat, quam tu sis vafer & versipellis, quam in hoc genere habeas expromptum & expeditum ingenium, quamque in omnem partem versatile, aliò certè istam tuæ memoriæ & mentis & linguæ perturbationem referet. Solet nempe Deus quorum petulantiam & flagitia & audaciam & scelera denique diu neglexisse & insuper habuisse visus est, in eos tandem statuere illustria exempla seueritatis suæ, itaque ad eam rem & locum & tempus & occasionem deligit pro ineffabili sapientia opportunam; vt si quis nollet maxime, at cogatur tamen certè inuitus & agnoscere & fateri Deum esse iuris & æqui vindicem & assertorem; scelerum contra acerrimum vltorem. Nam M. Tull. Ciceronem pro Tito Annio Milone causam dicentem fama quidem est non modò fuisse perturbatum, quod fatetur ipse; sed ita animo concidisse vt subinde conticesceret, & in ipso suggestu procumberet tremebundus: noua nempe iudicij forma eloquentissimi viri oculos terrebat, qui, vt ipse loquitur, *quocunque incidebant, omnem fori consuetudinem cernebant immutatam*, iudices auersos & iratos, iudicum consessum non corona cinctum, vt solebat, sed Claudiano milite & armatis cohortibus vim & cædem intentantibus: Ista cui non intulissent etiam fortissimo viro terrorem? Tui verò iudices te dicere incipientem serenitatis suæ & beneuolentiæ luce totum perfuderunt; Ingens erat erga causam quam agebas, coronæ fauor. Quis igitur est vsque eò diuini numinis contemptor vt te neget ictum cœlitus, qui tam egeris ineptè, vt non modò frigueris, sed etiam sibilo pene & manuum complosione fueris eiectus. O hominem scitum & elegantem! ô oratorem disertum & eloquentem! Sed hæc grauissima licet, leuia tamen sunt præ illis quæ veniunt dicenda. Resipit enim imaginosum nescio quid, teque esse motæ mentis hominem demonstrat, quod temetipsum, quem facis maximi, Ananiæ (Tertullo causidico dicere volebas) homini consceleratо, & nascentis Ecclesiæ turbari: Regis Legatum quem vis videri magni facere, Fœlici homini Gentili; me & collegam meum virum magnum, quos contemnis & studes rèddere exosos, Beato Paulo in hac causa similes effeceris. Quæ tibi hîc mens fuit? quid cupiebas? quid de te, quid de nobis credi volebas? Profecto furiosi hominis est suo se gladio iugulare. Sed eiusdem est amentiæ quod initio Orationis tuæ dum me per calumniam seditionis inuidiâ studes prægrauare, dixisti me sæpe & vehementer, pro concione populum, trepidante jam totâ Galliâ, & imminentem procellam prospiciente, ad patientiam cohortatum, si quid patriæ grauiùs accideret. Id tu homo sapiens sic interpretaris ac si meâ oratione classicum cecinissem. Vbi est famigeratum illud acumen tuum? Quid enim patientiæne, quæ pacis vsque adeò amica est, vt in mediis tumultibus, in ipso strepitu, ipsa collisione armorum, cùm omnia feruent, ardent omnia, paci tamen studeat, pacem colat, & suspitet; Patientiæ, inquam, cuius hoc est ingenium, quicquámne est, aut esse possit cum tumultu, cum seditione, cum cæde & sanguine, cum bello denique commune?

mune? Illud verò annon notat te esse vacerrosum & mentis inopem, quod in me detorquens decantatissimum illud BALDI, *qui recusat omnes sapientes ciuitatis censetur iniquam fouere causam*; quæ sententia te vsque adeò vrget & premit, vt nemo sit non in hac causa peregrinus, qui non agnoscat eâ te & notari & damnari; te, inquam, qui consecraneorum tuorum iudicium aspernatus contra Jesu Christi & B. Pauli præceptum, ad eos iudices prouocaueris, quibus neque per edicta regia, neque per eos canones in quos iurasti, cùm nomen apud Synedrium profitereris tuum, quicquam licet de hac causa statuere, quæ pura puta Ecclesiastica est; quod tamen à me dictum volo bona cum ampl. ss. Senatus, qui secus censuit, veniâ & pace. Sed ea est tua vecordia vt quid alii iurres, nihil pensi habuisse videaris, animo modò obsequereris tuo, quod cerebrosis & mente captis est solemne. Negaram verò cogi me posse ad causam apud alios iudices dicendam quam qui sint, ad cognoscendum de eorum causis qui puriorem religionem profitentur, auctoritate regia constituti, idque feceram adeo non quod vel bonitati causæ, vel æquitati amplissimi Senatus diffiderem, sed quia res ad exemplum pertinere videbatur. Id tu negas à me iure factum, & iis quidem argumentis, quæ te vel esse iuris imperitissimum, vel tuæ causæ nimio studio fauere liquidò demonstrant. Certè mihi objicis gentem & patriam, quasi tibi mecum tam tùm esset controuersia. Si sic agere volueras, homo sapientissime, cur Theobaldum, Marialdum, & Bataillerum, spectabiles viros, populares tuos in hac causa mecum iunxisti. Nam & illi Scoti sunt? Id quod tu probro mihi das, ego autem laudi duco. Sed hoc leuius est. Illud verò non est tolerandum quod homo septuagenarius in Senatu celeberrimo causidicus recoctus, qui summam tibi iuris scientiam tribuis, patriarum legum vsque adeo imperitus es, vt ignores Scotos iure Gallico in Gallicam gentem esse veluti adoptatos. Quod quibus illi meritis consecuti sint, neque me decet, neque est huius loci dicere. Totum hoc argumentum, vir Ampliss. LVDOVICVS SERVINVS in supremo Senatu Parisiensi Regis Aduocatus velut ex professo & eruditè & grauiter, & copiosè, vt omnia nuper exsecutus est. Quid? videsne iam iuris Gallici consultissime, videsne imperitiam tuam? Sed esto sanè; ne sim Scotus, sit eò durior, eò miserior in hac causa conditio mea: accertè, neque tu id potes negare, Dei beneficio sum Euangelij præco: Itaque si in hac causa nihil patriæ priuilegium & prærogatiua iuuaret; at tam insignis tamen, tamque commendatus tot regiorum diplomatum auctoritate titulus, subleuaret. Hæccine tu ignoras quæ præuulgata sunt, quæ tibi in concinnandis litibus, in causis elatrandis, vt vis videri, exercitatissimo notissima esse debuerunt. At iure cautum est, inquis, vt *Magistratui etiam pœnali iudicio liceat Iurisdictionem suam tueri.* Nempe hoc vis, si quid decreuerit Senatus Aquitanicus, penes eundem Senatum esse statuere de eius qui contra ierit fortunis, dignitate & capite. Etiamne si diuersum à Senatu de religione sentiat, hoc statu rerum in Gallia obtinente? Quorsum ergo spectabit, aut quæ erit Edicti illius quo id vetatur auctoritas, quâ solâ belli ciuilis toties repetiti flamma restincta est, quâ stante stat res Gallica, collapsaque adeò collabetur. Nihil iam dico de calumnia, quâ tu me Senatui, quantum in te fuit, conatus es reddere exosum: quasi in hac causa illius Decreta contempsissem. Fingam me huius criminis reum; ideone mihi nefas erit, Iurisperitissime, ad Augustissimum & Sanctissimum Quatuordecimvirale iudicium prouocare: Non mihi licebit, inquam, in mea, in Ecclesiæ causa vti eo iure quod nobis Regio beneficio indultum & concessum est? Sed in iure patrio peregrinus, Romani forsan Juris magnum habes vsum; itaque nobis *Regulas sanctas* in Nou. Sacras Scripturas interpretaris? O Duareni, ô Alciati, ô Hottomanni, ô Cuiacij manes! *In vestrum quæso hunc finite ire nemus.* Num potuisses, si non esses indoctissimus, ignorare, in Romano iure *Regulas Sanctas* Canones esse Conciliorum. Sed profectò ita est, tu puriores illos iuris fontes ne primoribus quidem labiis vnquam attigisti, nunquam eò assurrexit mens tua, vitilitigationibus naturæ quodam instinctu dedita primùm, tum cùm ad naturam exercitatio accessisset penitus assueta. Certè ingenium acre & imbutum optimarum artium disciplina, animum erectum & sublimem, qui neque precibus inflecti, neque vi & minis de gradu dejici, neque pretio corrumpi possit; & in summa, vt Satyrici verbis vtar, *incoctum generoso pectus honesto*, requirit iuris ciuilis scientia, illa nunc suauis & veluti literata, nunc in motu tota vehemens, & fumn. patrix eloquentia, quæ non in vmbra & scholæ puluere manibus sonis iuuentutis aures ... est, sed in luce hominum, in foro, in Senatu grauissimorum virorum animos, vt res poscit, variè permotura: ... quibus illæ præclaræ animi ... illa voce summouet, *Odi profanum vulgus & arceo.* Jurisperitum itaque & Oratorem quem oportet esse doctum, tam decet esse virum bonum. Tu verò harum virtutum alteram non potuisti, alteram consequi noluisti. Sed de Inscitia tua quæ modum habet nullum, sit tamen aliquis dicendi modus, dum ad illa multò grauiora properamus.

Dixi secundo loco te esse *Impudentem*: Id nisi euicero, appellent me sane existimentque omnes boni impudentem. Leuis hæc tibi pœna est nulla, cui frons periit, mihi grauissima videtur. Vide autem vnde ordiar. Quicquamne est aut esse possit homini non inuerecundo, non impio potius aut sanctius eâ religione, quam nullo cogente, sua inductus voluntate palam profitetur? Magnus parentibus, Principi maior, summus Religioni honos debetur. Et parentes quidem nonnunquam perditus & exsecrandus filius, irâ & furore percitus aut conspuit, aut depalmauit, aut conculcauit: portentum rarum & catharma, vel

in vltimas terrarum oras deportandum vel insuendum culeo & exonerandum in mare. Principi etiam non nemo sceleratas manus ausus est inferre: dirum & id monstrum, torquendum in equuleo, & candentibus laminis & sulcantibus vngulis ad necem vsque excarnificandum. At qui Sacra, quibus se initiatum profitetur & gloriæ ducit, eadem palam contemserit hominumque ab iis alienorum ludibriis & sannis prodita traduxerit, præter te vnum hactenus exstitit nemo. Hîc tu primus posteritati ad sacrilegam & nefandam audaciam fenestram aperuisti. Nam Ecebolius, etsi desultoriâ quadam animi leuitate non Dominum sæpius quam Religionem mutaret, tui hac in parte haud adeò dissimilis, quam profitebatur tamen eam tuebatur, & quantum poterat, ornabat, tui dissimillimus. Nempe extremæ cuiusdam est impudentiæ, nedum impietatis quô te præcipuè censeri velle videris, idipsum aut obliquè perstringere, aut apertè calumniari: quod tu strenuè fecisti. Etsi enim figurata est nonnihil oratio tua, nemo tamen tam obesæ naris est, quin statim subolfaciat, quæ tandem fuerit mens tua: certè voluisti vel infamiâ Religionis tuæ te quoquo modo redimere, & per Ecclesiæ iugulum meum latus transfodere. Aliter enim non poteras; & tu eo es ingenio, *vt si non aliqua nocuisses, mortuus esses.* Verumenimverò minus hoc mirabitur, qui meminerit tibi esse solemne & consuetum, cuicunque tandem Religioni tu te simules addixisse, eam irridere & proscindere, si quando consulendum est tibi, & causæ ac foro inseruiendum. Nam primitùs certè noster eras, tum factus non iam emansor, sed transfuga aliò te contulisti, quo nempe te vel spes prolexerat, vel compulerat metus. Aliud voluisti videri de Religione sentire, religionem nihilo secius quàm professione tenus eras amplexus, semper oblata, sæpe quæsitâ occasione, vel subsannabas, vel suggillabas, idque hoc nôrunt omnes qui te nôrunt. Jam verò, vt ad nos redisti, noluisti vel esse, vel tui dissimilis videri: placet tibi scilicet antiquum obtinere: etiam nostra, quæ tua vis videri, Sacra irridenda & adlatranda palam traducis. Itaque homo in Religione leuissimus, idem es in impudentia, in contemptu omnis Religionis longè constantissimus, idque (quod ni testaretur oratio tua, fidem omnem superaret) laudi & gloriæ ducis; vt quis te iam haud immeritò non discipulum, sed fugitiuum, recoctum & desperatum vtriusque Religionis mancipium possit appellare. Hæc igitur esto prima frontis tuæ delineatio, quæ te non impudentem modò sed impium ostendat. Altera sequitur quæ te seditiosum esse & turbulentum, & quicquid pacis studium simules, facem ciuilis belli, nisi per alios res staret, euidentissimè demonstrabit. Nam quo die, quâ horâ, quo supremo Senatu, quo Regis Legato præsente, regium illud edictum quo præteritarum turbarum amnestia sancitur, comprobatum est; eodem die, eâdem pene horâ, eodem præsente Regis Legato, eorum pene omnium quæ sempiterna obliuione id edictum iubet sepeliri memoriam acerbissima commemoratione renouasti, nulla neque Regis, neque Senatus, neque Regij, qui aderat, Legati habita ratione, tota licet corona pene exclamarit, in eo à te edictum violari, ciuium animos exacerbari, consopita diuersum de Republica sentientium odia inflammari, pacem publicam turbari, quo nomine ne tu regi des aliquando pœnas magnopere tibi metuendum est. Hæc secunda est audaciæ tuæ velut adumbratio. Venio nunc ad mendacia tua, quorum numero & mole pene obruor. Hæc erit tertia impudentiæ tuæ descriptio, ita tui hac quidem in parte imaginem absoluero. Ais me cum Rex Burdegalam venisset statim profugisse. Hoc primum est ordine mendacium tuum, splendidum idem, quia prodigiosum. Si enim aduentus Regis eam mihi trepidationem attulit, vt fugâ mihi consuluerim, vnde quæso est factum vt non sine insigni animi voluptate Regis vrbem ineuntis os & totius corporis habitum aspexerim, eò maximè quod in eo omnia candorem animi, clementiam & fortitudinem spirantia cernebam. Potuine vrbe profugisse & hæc vidisse? Dicam aliquid maius, vt tu mendacij manifestus teneare. Ecclesia post aduentum Regis ad id vsque tempus quo Lutetiam rediturus Burdegalâ discessit, operam meam nunquam desiderauit. Conciones habui quô loco & quando oportebat, languentibus aut anxiis adfui. Consulentibus me domi copiam mei feci. Reliqua Ecclesiæ munia obiui. Querelas nostras ad Cancellarium, ad sanctius Regis Consilium detuli. Cùm essent consalutandi Rex & Regina mater, ego orationem Ecclesiæ verbis habui, & tu infrendeas licet & ringaris, & rumparis inuidiâ, placui vtrique, nulla eloquentiæ vi, quæ mihi vel infra mediocritatem, vel nulla inest, sed fidâ & intentâ animi deuoti significatione, sine fuco & fallaciis, quæ apud Reges est, certè esse debet, præcipua eloquentia. Itaque me Regina mater, quod te vehementer vrsit, si quis id tibi retulit. Hæc credo non fuere hominis aduentu Regis exterriti, sed confirmati potius & erecti animi documenta. Huic mendacio aliud adjicis haud minus inuerecundum, me deprehensum in fugâ, & Burdegalam retractum authoritate Senatorum Religionis nostræ, eorumque voce increpitum atque obiurgatum. Os impudens! Tun' illis, illis inquam viuis, viris amplissimis, integerrimis in supremo Senatu, cuius illi pars sunt haud aspernanda, ausus es illud iactare? Sed illi absetant scilicet, qui si adfuissent haud dubiè grauitate & authoritate testimonij sui tuum illud os durissimum in ruborem, nam certè nescis erubescere, dedissent. At postquam Burdigalæ mensem fere vnum Rex hæsisset profectus sum. Sane, sed animo breui redeundi. Itaque cùm in itinere Senatoribus illis occurrissem eorum nemo profectionis meæ consilium improbauit. Nouerant enim, nouerant quidem certè qui mihi esset animi sensus, quàm à tumultu alienus, quàm pacis & otij studiosus, quicquid tu

mihi

mihi obstrigilles. Sed aderat non nemo inferioris ordinis, qui mihi si vltra tenderem infamiæ metum intentauit, quam tu nihili fecisses, ego quàuis morte existimaui grauiorem. Itaque cùm vix vnum diem abfuissem, redij nullius authoritate, nullâ, præterquam calumniæ metu, necessitate compulsus, meâ vnius adductus voluntate, Regisque adeo Legato profectionem meam quam tu fugæ inuidioso nomine obuolutam & laruatam traducis ita probaui, vt is me, quæ illius benignitas fuit, non sine prolixâ & effusâ animi beneuoli significatione dimiserit.

Sequitur quod in tertio loco posuisti mendacium, vt sunt omnia tua audaciæ cuiusdam præsidentis & pudoris nesciæ argumentum. Affirmas quippe Ecclesiam à me & collegâ meo in consilium missam, cùm esset statuendum vtrum extra vrbis pomœria turbulentis illis temporibus ad conciones sacras audiendas esset euagandum, an potius intra vrbis mœnia, intra parietes priuatos opera priuatim religioni danda. Hoc tu si frontem vllam haberes, ipse à nobis aut nostra factum authoritate negares. Tu enim huic conuentui interfuisti. Et cùm præ metu fores diligentius obserari iussisses confirmatus es vix tandem cùm audiisset iussu præsidis, iussu sexvirorum Ecclesiam coiisse. Quod tu si negares, te præses, te sexviri reuincerent, si illis tamen in re clarissima vel denuntiandum vel dicendum esset testimonium.

Eadem fronte quartum hoc est mendacium tuum, affirmas in eo cœtu fuisse constitutum vt in vicum Bugleanum de more conueniremus Religionis causa, cauerent modò nobis de securitate sexviri, aut Senatus, aut Regis Legatus datis satellitibus qui nudos & inermes calamitate prohiberent. In quo non possum satis demirari impudentiam tuam. Satis enim meministi Ecclesiam totam eo die, illa tua ditissima voce, *Quis custodiet ipsos custodes*, fuisse deterritam, & ab illo consilio prorsus alienatam. Quod à Nobiliss. & præstantiss. viro tibi in os obiectum nouissimè præsente atque audiente Regis Legato, tu nescio qua strophâ eludere & futili interpretamento emollire voluisti, quam effrons cùm id diceres, tam impudens & vecors cùm dictum excusares. Nam hoc solùm voluisse te dixisti, custodibus quidem fortasse aliquid, à custodibus nihil esse metuendum. Sed nec in eo cœtu ea tua mens fuit, & si fuisset maximè tantò tu nos vehementiùs terruisses. Si enim custodibus est metuendum, quæ illis qui eorum fidei sunt commissi spes reliqua esse potest? Sed quid ego hic immoror? Quis enim est adeo rerum, adeo conditionis nostræ imperitus, adeo Mammacuthus & baro denique, qui nesciat in custodes nostros nihil designari potuisse sine certâ & communi omnium pernicie. Aliquid addam maius: Procul dubio ex illa flamma incendium fuisset exarsurum, quo tota Gallia conflagrasset. Sed mihi ista non libet premere vehementius. Itaque redeo ad persequendam seriem mendaciorum tuorum.

Pari impudentiâ negas nos vllo metu coactos; ais verò certo quodam consilio inductos vrbe excessisse, quod aliis (tua verba sunt) operam locassemus: Idem tamen mox nobis exprobaturus es imminentis lupi metum. In quo vtrum magis debeam mirari impudentiam, an inconstantiam tuam non possum apud me statuere. Si enim metu coacti profugimus, crimine certè fuga illa caruit. Nulla in eâ fraus, nullus in ea dolus; sed trepidatio & formido, quâ aliquando viri constantissimi corripiuntur. Huius generis exemplorum pleni sunt sacri, prophani libri pleni sunt: Sin metus omnis abeat, nullus sane lupus nos exterruit, & nos, quod tu ais, hoc loco, vt aliquid moliremur cùm ad eam rem vrbs esset minus opportuna, profecti sumus. Ista tua mendacia non cohærent. Vtrumque tueri non potes. Vtrumuis autem eligas quia vtrumque pari confidentia protulisti, mentiri te necesse est. Tu in te testimonium dixeris. Itaque hæc tua duo mendacia pugnantissima inter se mutuò se confodiunt & euertunt. Hîc igitur non te tua frons magis quàm mens destruit.

At Collega meus Roianum (vides vt te tua per vestigia consecter) ego Tonnentium sum profectus; Nempe vterque ad suos affines, propinquos & amicos. Hoc tu factum criminaris, qui non potes ignorare, vt in illis vrbibus versati simus exulum in morem, qui si velles edere tacitos animi tui sensus faterere consilia nostra à bello & armis semper fuisse aliena. Quod in illis vrbibus in quibus semper licebat diuersam de Republ. à sententiam profiteri, preces nostræ in publico apud Deum fusæ, conciones ad populum habitæ palam testatæ sunt. At in Angliam non sumus profecti. Nempe non desperaueramus adeo de Republicâ, vt nobis tum procul esset abeundum. Nubem illam & nimbum iri dissipatum & continuò disserenaturum animo præsentiscebamus. Et tu tuis criminationibus iter in Angliam nobis intercluseras. Meministi enim quid in nos dixeris in Senatu figuratè. Quod mihi digressus è Senatu apertè exprobraris, quæ ego hîc obiter attingo; pertinent enim ad immanitatem tuam. At Montalbanum certè, aut in Prouinciam, aut in Narbonensem Galliam, aut ad Allobroges; nempe ad eos qui non sumpserant arma, nobis erat fugiendum. Hæc est illa tua sapientia. At quî poteramus, inquam, vel obsessis, vel infessis à milite omnibus iis locis per quos nobis iter erat faciendum. Et fuga nostra in Prouincias adeo longinquas attulisset vel nobis inuitis aliquam trepidationem, quæ earum quietem interturbasset. Vt taceam Ecclesiæ desiderium, & commeatus inopiam, quorum alterum nos non sinebat procul discedere, altera non alio quam ad nostros nos ire patiebatur. Sic inuidia Roianani & Tonnentiani itineris mitigata est, & penitus extincta.

Objicis deinde quodam die non Ecclesiam, sed paucos, tricenos nempe aut quadragenos, à nobis summissos & subornatos, nobis autho-

ribus in vnum coiisse, in eoque cœtu agitata fuisse clandestina consilia de clanculario secessu & fuga. Hic tu vnico spiritu ter es mentitus. Eô enim die iussu Magistratus Ecclesia frequentissima conuenit, in eoque cœtu de discessu clanculario verbum nullum factum est; sed constitutum tamen fuit vt bona cum supremi Senatus, bona cum Sex virorum venia, aberat enim Regis Legatus, vnusquisque domi se contineret, donec illa suboriens Reipublicæ tempestas desæuiret.

Eâdem modestiâ affirmas Collegam meum tibi fuisse pollicitum se nequaquam vrbe discessurum, cùm tu apud eum in gratiam rediisses eodem illo die quo eum vnâ mecum in Senatu per insignem calumniam Maiestatis postularas. Neque te pudet huius mendacij testem appellare virum Nobilem & pium, cui tu tuis illis intempestiuis elogiis labem aspersisses, si vllo pacto tantæ integritatis fama contaminari aut obscurari posset.

Sed & Senatui id ipsum vtrumque nostrum promisisse contendis, pari impudentia: & hîc nobis homonymiarum & amphiboliarum nescio quam technam tibi notissimam nobis planè insuetam objicis. Sanè cùm esset nobis recitatum illud Senatusconsultum quo iussi sumus loco solito habere conciones, denunciata si secus faceremus læsæ maiestatis pœna, siluimus. Quid enim ageremus. Refragaremur aut ogganiremus in os Amplissimo Senatui: id fuisset impudentiæ tuæ. At siluimus tamen & vetus dictum est, *Qui tacet videtur consentire.* Atqui silentium, inquam, si hoc potes docere, apud eum quem reuereâre, cui contradixisse periculo non caret, non est semper consensus argumentum, sed sæpe, quid dixi sæpe? fere semper dissentientis & abnuentis animi vel modesta vel timida significatio. Sed pergamus.

Ais deinde Ecclesiam discessu nostro fuisse percussam & attonitam, & complures exemplo nostro profugisse. Geminum hic à te mendacium vnâ saliuâ prolatum est: Nam nec quisquam exemplo nostro profugit, nec Ecclesia secessu nostro commota est. Satis satis ostendit illa congratulatio, illa effusa omnium lætitia quâ reduces excepti sumus, illa concionum frequentia, te solo multum tingente, quæ reditum nostrum consecuta est; satis, inquam, ostendit quod esset hominum de abitus nostri consilio iudicium, qui tacitus animi sensus, quæ opinio fidei nostræ, indidemque qui erga nos amor. Certè secesseramus ne Ecclesia discederet, & clam adeò secesseramus, vt illius nostri secessus inuidia, & odium, & infamia in nos solos redundaret. Nempe non est modò boni pastoris gregis causa vitæ & fortunarum, sed existimationis suæ, si id exigit illius incolumitas, etiam facere iacturam. At exemplo nostro, tantùm abest vt vllus profugerit, vt contra cum nostro secessu conquieuisset illa Ecclesiæ trepidatio pauci illi qui antea profugerant præter vnum omnes redierint, non sine incredibili lætitiâ. Nobis enim præsentibus plerique verebantur ne exuti armis non sine præsenti capitis periculo cogerentur ire redire per rusticorum armatos globos; Nam id Senatusconsulto iuberi videbatur. Nobis autem profectis omnis iste metus, qui iustiorne vaniorne fuerit prudentum esto iudicium, penitus est sublatus. Non ergo tumultum inuexit & pauorem & consternationem, & fugam in Ecclesiam illa nostra, vt tu eam inuidiosè criminaris, fuga, vt boni eam existimant profectio, sed quietem potius attulit, & fiduciam nostris hominibus, addo etiam quantum illorum temporum calamitas ferebat (erat enim tum Reipublicæ facies tristissima) lætitiam & gaudium; Cùm (quod vnum optabant, sibi vt delitescere liceret, donec illa ciuilis belli procella componeretur) id se nostro secessu consecutos esse arbitrarentur. Quæ est igitur ista, quàm effrons, quàm immanis, & belluina impudentia tua? Tu nos eo nomine palam mercenarios vocas, quo nomine boni, amantes & fidi pastores à nostris & existimamur & grata voce prædicamur. Hic tu non audis, tu non vides quæ sit querela hominum frontis tuæ. At boni pastoris est, inquis, vitam pro grege profundere; Nos autem lupi metu extermi deserto grege fugâ nobis consuluimus. Et hîc tibi vsque adeò mirificè visus es in nos dicere, si nos vrgere & premere videbaris, vt nos tibi coram sisti deposceres, vt aures scilicet animumque nostrum tua illa vox aculeata lancinaret. Certè id negatum tibi ab ampliss. Senatu grauiter dolebas. Ego verò (tum enim cùm sic diceres minus licebat) priusquam hic tibi respondeam, quæro à te quis sit iste lupus, qui nos, quippe mercenarios, in fugam coniecerit. Quid expalluisti? Quid obmurmuras? Quid obmutescis? Ede, ede, ede inquam ecquis quis sit iste lupus? Non audes profecto. Nam rusticum certè negabas metuendum, cùm conciones tam vehementer flagitares, quibus tamen, ea fuit oris tui durities, multis denunciasti te non iure fore periculi metu, subinde dictitans, *nullo te ad eiectum Religionis studio, sed vt tibi consuleres, in hac causa esse vsque adeo vehementem.* Itaque nobis identidem occinebas, Quis custodiat ipsos Custodes? Quæ vox, vt erat formidabilis & terrifica, multorum animos formidine compleuit, eoque magis quod non esset à muliercula aut cerdone temulento temerè emissa, sed à te, qui vis videri rerum peritissimus, non sine aliqua animi contentione elucubrata & concotta, vt se altiùs in hominum animos penetraret. At tamen secessimus. Sanè. At quid tum postea, inquam. Et B. Cyprianus, & B. Paulus metu periculi secessêre, te iudice mercenarij, Christo iudice, qui & ipse secedens haud semel sese Judæorum furori subduxit, pastores boni & prudentes. Profecto audi & disce, tum demum boni pastoris est caput omnibus periculis objicere, vitæ nullam habere rationem, cùm eius periculo gregis securi-

ſecuritas, eius morte vita, pax, & quies Ecclesiæ venit redimenda. Si vis igitur euincere nos eſſe mercenarios oſtende noſtro ſeceſſu pacem Eccleſiæ fuiſſe perturbatam. Oſtende Eccleſiam non fuiſſe conſeruatam. Oſtende capitis noſtri periculo temulentorum hominum & noſtro nomini infenſiſsimorum, à quibus ſolis erat metuendum, à ceruicibus noſtrorum extra vrbis mœnia ad audiendas conciones itantium gladios & ſicas depelli potuiſſe. Oſtende eam eſſe vel authoritatem noſtram, vel gratiam, vt quod ſæpe Magiſtratus non poteſt, nos poſsimus, furentis impetum ruſticanæ plebis cohibere. Non meminiſti quid in vico Turneſiano illis temporibus vrbe non ita procul fuerit deſignatum, non ſine gemitu Magiſtratus, non ſine luctu bonorum omnium. Hæc ſi non potes refellere, non poteſt autem certè, ego te, qui nobis hic auſus ſis inſultare, euicero hominem eſſe quàm plumbei pectoris, tam ferrei oris, inſanè & prodigiosè impudentem. Vtinam verò per te nobis licuiſſet intra vrbis pomœria in quâ nihil vnquam nobis metuendum duximus, vtinam nobis, inquam, inter noſtros quieſcere licuiſſet, haudquaquam certè ſeceſsiſſemus. Tu has turbas non dediſſes Eccleſiæ, per te non fuiſſet vexata & traducta. Sed per te id non licuit. Tu nos ad Senatum detuliſti, maieſtatis poſtulaſti, Eccleſiam huius criminis ſuſpicioni affinem reddidiſti, Senatuſconſultum Januarianum Senatui extorſiſti, quo nos coacti ſumus, aut inuitâ Eccleſiâ ire in vicum Bugleanum, aut Senatui coram repugnare, aut abire. Hoc tertium quia è tribus malis quibus premebamur leuiſsimum videbatur, elegimus. Tu nos huc compuliſti. Tu igitur, tu vnus, inquam, noſtri ſeceſſus princeps cauſa fuiſti. Itaque omnis, illius quàm tu fugam vocas, inuidia & odium in tuum vnius caput meritiſsimo redundat.

Hæc ego Senatui, ſi mihi licuiſſet, tibi coram reſpondiſſem, Senatuique ampliſsimo rem iam ſatis notam probauiſſem, te hominem nequam eſſe & impudentem. Nunc quando illud minus licuit, Senatu intemperiem tuam moderante; tu enim contra tendebas, gaudeo certè te edita in lucem oratione tua, aut famoſo potius libello, nobis ad tuendam innocentiam noſtram, ad tuam impudentiam redarguendam tam latum tam liberum campum aperuiſſe, in quo noſtra, vt vides, exſultat & triumphat oratio. Nihil iam erit nobis in poſterum à rumuſculis tuis, nihil à calumniis, nihil à tuo latratu metuendum. Redeo iam ad tua mendacia.

Compoſitis rebus, cum rediiſſem, ais, te à me in Synedrium vocatum, idque inuidiosè exagitas. At tu, qui tibi mos eſt, hæc renitente & reluctante conſcientia protuliſti, nihil veritus eorum qui me propiùs nouerunt teſtimonium, nihil eorum iudicia reformidans qui tenent quæ ſit apud nos diſciplinæ ratio. Neque enim te latet Canones obſtare quo minus quis vllius authoritate, ſiue in paſtorum, ſeu in ſeniorum numero ſit, in Synedrium poſsit vocari. At fortaſſe me de ea re ad Synedrium referente vocatus es. Ne id quidem; ſed nec ſummittente qui ea de re referret. Cuius rei teſtem habeo totius Synedrij, tuique adeò ipſius conſcientiam, qui non ita pridem viro illi nobili & pio quem tu toties collaudaſti, confeſſus es agnouiſſe te lenitatem meam. Quid igitur? non mihi videbatur æquum vt vocareris? Prorſus. Nam tu quantopere me gratis oderas ego tibi tantopere ſtudebam gratis. Planè mihi perſuaſeram fore vt vocatus & admonitus reſipiſceres. Eò ſpectabam, eò tendebam. Tu deluſiſti ſpes meas & inania vota reddidiſti. Non fueram igitur author vt vocareris, aſſenſus tamen iis ſum qui te vocandum cenſuerunt. Quæ hæc inuidia? quod odium fuit? Quod in Rege Galliæ ætate noſtra ſtatutum eſt exemplum (vt ne priſcorum Eccleſiæ temporum memoriam replicem) in te vili homuncione reſtitui non potuit.

Huic mendacio aliud attexis haud minus pudendum. Te ob inuidiam & odium Senatuſconſulti Januariani vocatum, idque à THEOBALDO & BATTAILLERO quibus vt te vocarent negotium fuerat datum, fuiſſe tibi ſignificatum. Sed illi te audiente, multis præſentibus iſtius mendacij impudentiam redarguerunt.

At quid erat tandem quod te Synedrium admonitum volebat, nam certè aliquid fuit. Si rogas, expediam. Vixeras non ſine infamia domi tuæ: Impegeras mihi & Collegæ meo viro integerrimo crimen læſæ Maieſtatis, Eccleſiam eodem crimine inuolueras, me immerentem verbis contumelioſiſsimis proſcideras, proditionem mihi palam obieceras, & agitata cum Britanniæ Rege (horreſco referens) de Aquitania tradenda conſilia, quicquid tu Regem illum ficta oratione apud Senatum collaudaueris; Regem verè laudandum, Regem Christianiſsimo Regi amiciſsimum; Eos qui poſt reditum meum in Concionem venerant (venerant autem præter te vnum omnes) impios & hypocritas dictitaras. Quæ in me peccaras, ego condonaram, Eccleſia non condonarat. Non ei libebat, non licebat remittere ius ſuum; imminebat celebrandæ cœnæ tempus: Te vocatum Synedrium volebat tibi, Eccleſiæ, Deo reddere, idque neque cenſuræ rigidâ grauitate quâ minus delectatur, neque ſuppliciorum atrocitate, quorum ius nullum habet, quibus adeo penitùs abhorret: Sed leui & moderata è Dei verbo petitâ cohortatione, quæ ſpiritus Chriſti manſuetudinem reſpiraret, & animi tui rigorem & duritiem emolliret. Hoc quia niſi tibi, nulli crimen potuit videri, tu aliud confinxiſti tam à Synedrij mente alienum, quàm quod eſt alieniſsimum: Vſurpatum jus reſcindendorum actorum ſupremi Aquitanici Senatus. Non ſic ineptimus, non ſic inſanimus, Deus meliora. Quod tu nobis hic obijcis, & Galliæ leges in quas iurauimus, & religionis quam profitemur ſanctitas vetant. Sed hæc tua probitas & modeſtia ſingularis, hæ tuæ artes fuêre, vt te inuidia ſubleuares

nos onerare voluisti ficto crimine, negotium Senatui facessere, Ecclesiam vexare te traducere, & tot tua scelera hoc nouo scelere cumulare. At eras priuatim adeundus. At, inquam, quînam id potuit fieri? Sycophantiarum tuarum metum omnibus obieceras. Si quis te priuatus officij admonere vellet, metuebat me id à te in crimen seditionis & perturbatæ Reipublicæ verteretur. Nam me quidem criminaberis hominem esse extraneum & mercenarium, & gregis proditorem, cuius aspectum negabas te posse ferre, nedum vt auribus sermonem admittere posses. Sed nec debuisti clam reprehendi. Non id patitur Apostolus, qui hanc legem sanxit, vt qui peccauit palam, idem palam reprehendatur. Cui legi grauem causam adiecit, *Vt cæteri metuerent*. Tuum peccatum aut scelus erat cognitissimum. Nihil ergo illâ tuâ querelâ potest dici impudentius, quâ criminaris in tua causa contemptam esse Jesu Christi authoritatem iubentis cum fratre siue fecerit siue passus sit iniuriam, agi seorsum primùm, & remotis arbitris, tum adhibitis vno & altero, & si ne sic quidem quicquam promouetur, Ecclesiæ tum demum authoritatem esse implorandam; quâ neglectâ tandem ad illa horrenda & vltima deueniendum, vt reus & pertinax pro Ethnico & Publicano habeatur. Tu enim neque clam neque priuatim deliqueras, neque te moneri passus es, quin & Ecclesiam Christi egregiè contemsisti, nihil vt superfit quàm vt tu non alio habeare loco, quàm Ethnici & Publicani.

Illud verò tuum mendacium longè est impudentissimum, quod affirmas illo piis omnibus horrendo carmini, quo tibi sacris publicè fuit interdictum, adiectum esse causam quod ad Senatum, aspernatus iudicium Synedrij, confugisses. In quo tametsi peccaras, (cum enim de disciplina Ecclesiastica agitur, quid Senatui aliud de religione sentienti cum Synedrio rei esse potest? Non sunt hæc iudicia distincta? Non sunt leges, non sunt hic certi limites legibus constituti & definiti?) Attamen constat illam, quam tu fingis iniquè causam, haud quicquam fuisse adiectam, & idipsum adeo Synedrij acta quæ tu libello tuo famoso insertasti, satis testantur, teque reuincunt validè & refellunt.

Consimili audacia negasti voluisse me apud recuperatores quos ad eam rem Senatus dedisset, ad obiecta respondere. Ego verò metu carceris, non tam ob meum periculum, quod in ea leue fuit aut nullum, quàm ob Rempubl. cuius tranquillitas ageretur, recepi me ad singula responsurum, testatus primùm, *Eam quidem vim esse*, ne ea res mihi, dein aliis idem de religione sentientibus fraudi esset imposterum, & in exemplum traheretur. Quod à me oblatum, repudiatum est. Quo consilio alij viderint, mei certè non est instituti ista curiosiùs excutere & rimari.

Claudent agmen tuorum mendaciorum duo illa multò splendidissima, quæ tu etiam vltimo loco posuisti. Causam agens in Senatu, præsente Illustriss. Legato, Regioque Procuratore viro amplissimo, ausus es affirmare, hunc primùm, dein illum controuersiæ quæ nobis aut Ecclesiæ potiùs tecum erat, arbitros fuisse delectos. O te hominem effrontem! Esto enim non fueris veritus ne illi te dicentem interpellarent. At quæ fuit ista impudentia aut insania potiùs non vereri ne illi te animi tacitâ cogitatione mendacij conuincerent, fraudemque tuam simul & audaciam auersarentur.

At non hoc modò facinus ausus es. Sed aliquid majus. Ipsa mendacia vt essent notiora typis etiam publicis consignasti. Quo facto quis dubitet quin tu illis probaris esse te hominem non tam altutum & vafrum, in quo tamen aliqua ingenij vis elucet, quam audacem & præfidentem vsque ad insaniam. Norunt enim illi, norunt optimè, & id ipsum (quæ ipsorum integritas est) testabantur nihil eiusmodi à nobis vnquam fuisse tentatum, factum multò minus. Sed neque illi hoc à nobis exigebant. Quin negarunt velle se de iis quæ ad nostros Canones pertinebant, vel cognoscere vel statuere. Hæc est sentina & colluuies mendaciorum tuorum. Sic absoluta est illa quam instituerámus impudentiæ tuæ non obscura delineatio. Sequitur crudelitatis tuæ descriptio.

Dixi igitur tertio loco te esse *Ferum & Barbarum*. Hoc tua oratio passim ferè non loquitur, sed clamat. Quæ enim feritas, quæ barbaries cogitari potest maior quàm ciues legibus, societate familiares, religione Consecraneos apud Regem, apud ampliss. Senatum, apud Regis Legatum, apud populum in odium & inuidiam adducere. At quos ciues? quos familiares? quos Consecraneos? Nempe eos quorum spes omnes, opesque secundum Deum, à Regis, Senatus, Regij Legati authoritate, populique beneuolentia dependet. Satis eos, ah nimium satis inuisos reddit diuersa de religione sententia. Hoc vno se tuentur & sustentant, quod sic hactenus vixerunt, vt Regi & Magistratui fidem & obsequium, populo [illegible], benignitatem, mansuetudinem, amorem patriæ, studium pacis atque [illegible] probarint. Qui seculi vitio Religione [illegible] omnibus probare nondum potuerunt, [illegible] tamen probârunt magnis [illegible], magnis documentis. Hoc vno se [illegible], hoc gloriantur, hoc freti non terrentur conscientia imbecillitatis suæ: Tu tamen, ô immanitatem! ciuis, familiaris, consecraneus hanc tuorum laudem non imminuisti tantùm, sed delesti, quantùm in te fuit, improbâ & criminosa illâ oratione tuâ. Qua spe, quo consilio, incertum. Etenim si tot nobiles genere, virtute præstantes, famâ celebres, morum integritate spectabiles, ciues mali sunt; tu vnus poteris bonus ciuis videri, homo ignobilis, & vulgo infamis. Næ tu furiosus es si sic sentis. Quo spectabat igitur oratio tua? Quis fuit sensus animi tui, cùm Synedrium, cùm Seniorum ordinem, cùm Ecclesiam totam, illam, inquam, à qua te recisum membrum,

membrum, *ne pars sincera trahatur*, apud Senatum ampliss. querebaris, criminareris, & palàm traduceres? Nam Collegam meum virum non minus constantem, grauem, innocentem, pacis & otij studiosum, quàm doctum & eloquentem, & apud Senatum viua voce, & apud nostros qui arma sumpserant scripto criminatus es. Apud Senatum, dum eum aliter de Republic. publicè pro concione dicere, aliter priuatim sentire dictitares. At ille nunquam aliter publicè dixit, aliter tacitè sensit. Cuius rei vel tuam ipsius conscientiam testem appello. Quod enim Senatui persuadere voluisti eum apud populum bella ciuilia detestatum, tibi tamen clam in aurem insusurrasse vt Rupellam migrares, à te pro ingenio confictum est.

Memini quidem, (aderam enim forte vna cum eo) te in ea ambulatione quæ est in suburbano ab hinc tribus annis, & quod excurrit, apud nos queri de Gallorum leuitate, simul etiam disserere, vt studio rerum nouarum quod ducuntur, statum Reipubl. pacem Ecclesiæ consueuerint turbare. Tandemque eò delapsam orationem tuam, vt de rerum tuarum ob mutatam religionem, si quis oriretur tumultus, calamitoso statu queritareris. Hic collega meus, cùm cætera tibi esset assensus, iussit te meticulosum hominem tibi potiùs quàm patriæ metuentem Rupellam commigrare. Hæc tu temporibus disiunctissima cùm illius concione quam statum regni perturbatum deflens habuit in vico Bugleano confudisti de industria: nam quid de Republic. senserit, nemini, ne tibi quidem obscurum est.

Atrox etiam est illa criminatio qua eum apud nostros ausus es reddere exosum: quasi ille apud Senatum, dum metus Ecclesiæ inuidiam studet lenire, obtendisset terrorem incussum à nostris qui Condæi principis partes erant secuti. Qua de re ille negat vllum verbum à se in Senatu factum: tu scribis eum verba fecisse. Erit iudicij nostrorum hominum eligere, vtri vestrum duorum sint credituri, tibine, an collegæ meo. Facilis autem electio est: nam te qui non norint pauci sunt, & eum nouerunt omnes. At tu certè illa dixisti primùm, tum scripsisti animo barbaro & fero.

Hic tamen non substitit immanitas tua: nam cum latratu tua extorqueres Senatusconsultum illud Ianuarianum quo nos auctoritate Senatus iussi sumus sacra nostra colere, dixisti nos homines extraneos & transmarinos spirare nescio quid transmarinum, & eo affectu animi duci vnde originem duximus: ita vtrumque nostrum obscurè sed callidè tamen, & criminosè perstrinxisti. Egressus vero Senatu me seorsum adoratus es, & non iam figuratè, sed verbis nudis & significantibus Aquitaniæ proditorem & Regis magnæ Britanniæ emissarium palam omnibus contentâ voce appellasti. Nunc autem edita oratione & Collegam meum in eiusdem criminis suspicionem deuocasti. Quid autem collegam meum dixi? imo vero Ecclesiam totam. Si enim nos perduelles, si proditores Aquitaniæ, si Regis magnæ Britanniæ emissarij sumus, possunt ne ij crimine vacare, aut esse ab hac suspicione alieni, apud quos tanta est vel auctoritas nostra, vel gratia? etsi autem Senatus amplissimus tuas illas criminationes sæuas, & immanes, non alio quàm ad tuam impudentiam retulerit, quo nomine ei & agimus gratias quantas animus capere potest maximas, & habemus quantas non possumus referre; non enim si tu sic in nos dixisti, ille sic continuo de nobis sensit: tu tamen hac oratione animi tui feritatem & truculentiam, & sanguinis nostri & Ecclesiæ adeo sitim prodidisti.

Iam verò an non etiam barbaræ cuiusdam feritatis fuit, postquam resciuisti constitutum fuisse, vt donec Deus Reipub. & Ecclesiæ alcedonia redderet, concionibus publicis abstineretur, affirmare palam apud Senatum à religione alienum, nostros hostium loco habendos, quorum corpora carceri, bona regis fisco deberentur, ni decretum illud, quod tu nullo modo fieri posse sciebas, vellent rescindere. Quod tu te dicere, nullo religionis studio testabaris: In quo agnosce verba tua. Te negabas iis anteferendum qui à te diuersum in hac causa sentiebant, tibi te consulere, atque in eo obsequi animo tuo. Cætera crudelitatis tuæ argumenta proferent ij qui te Vulturium togatum, non patronum experti sunt. Sed præ istis tanto leuiora, quanto grauiùs est multorum capiti tot vinculis tibi coniunctorum, quàm vnius aut alterius fortunis insidiari. Nam à nobis certè, ciuibusque tuis magnæ, Senatui amplissimo, Regis legato illustrissimo magnæ, magnæ sexviris clarissimis gratiæ debentur, per quos stetit hactenus, per quos stat etiam nunc, ne illæ falsæ tuæ criminationes nobis apud plebem fraudi sint.

Multa concionatores Ecclesiæ Romanæ, in nos, multa dicunt in religionem vehementer & odiosè, tu tamen qui noster esse vis videri, in nos dixisti multò iniquiùs, multò crudeliùs. Sanè nefariam proditionem, crimen perduellionis nominatim nemo vnquam nobis ausus est objicere, conuincendus mendacij & corripiendus iure si fecisset. At tu homo vesanus & truculentus & sanguinarius tuam securitatem, tuas fortunas vel ciuium vel familiarium, vel fratrum tuorum capite redimere voluisti. Tu sic in nos dixisti, tu classicum cecinisti, tu ad arma clamasti; Tu re ipsâ & factis vt in nos impetus fieret, signum dedisti. Tu hominum odia & furorem & amentiam quam metuebas à tuo capite in nos depulisti. Tu solus *bonus ciuis* audire voluisti. Tu septem & maceriem illius Ecclesiæ, cuius te alumnum profiteris, diruisti, dissipasti. B. Paulus Ecclesiam Christi cæco patriarum traditionum zelo, zelo Dei qui scientiam non habebat ducem, aliquando persecutus est. Tu patriis traditionibus renunciasti. Tu Christo, tu Ecclesiæ Christi nomen dedisti. Tu sacrarum literarum cognitionem tibi vendicas, idem infensissimus Ecclesiæ, Reli-

gionis, & Christi denique hostis acerrimus.

Non ergo nos te Paulum, sed DOEGVM & ACHITOPHELEM & censemus & appellamus, censebimusque adeo & appellabimus, donec resipiscas. Quod faxit DEVS optim. max. facias quàm primùm. Respice te, Sanctangele, respice te, qui sis intuêre. Patere tibi de pulmone fastum istum reuelli qui te dementat. Non es is, non es profectò quem tu te esse nimio tui ipsius amore reris.

Sed vt quæ dixi multa de te paucissima conferam, *Ineptus, Audax & Barbarus, plus aliis de te quàm tu tibi credito.* Exhorresce temetipsum. Christum arde. Te contemne. Illum spira. Tua peccata, tua scelera deplora. Illius misericordiam implora. Tuam abyssum illius abyssus absorbeat. Vtinam tuus morbus leuiorem medicinam admisisset. Ego huc nunquam deuenissem. Sed vlcus cacoëthes, & efferatum Carcinoma non nisi ferro & ignibus curantur.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ QVÆ HOC *libro citantur, explicantur, ab hæreticorum corruptelis vindicantur, inter se conferuntur vel quomodocunque illustrantur.*

DDdd

MATTHÆVS.

permi-

Quæ

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

I. AD TIMOTHEVM.

II. AD TIMOTHEVM.

AD TITVM.

AD HEBRÆOS.

EPIST. IACOBI.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM IN HISCE IOH. CAMERONIS operibus per locos communes quoad eius fieri potuit digestus.

A

ANGELI.

Bonum

Col-

D

SEQVITVR PECVLIARITER INDEX tum tractatus de Ecclesia tum lectionem in locum Matth. cap. 18. Dic Ecclesiæ, &c.

De Ecclesiæ nomine.

DE NATVRA ET CONDITIONE Ecclesiæ.

DE ECCLESIÆ CONSPICVITATE seu visibilitate.

DE NOTIS ECCLESIAE.

DE DVRATIONE ECCLESIAE perpetua & nunquam interrupta.

DE ECCLESIAE INFALLIbilitate.

Pro

DE POTESTATE SEV IVRISDICtione Ecclesiæ.

DE REGIMINE *Ecclesiæ.*

DE SCHISMATE.

DE ELECTIONE DEIQVE *proposito.*

G

De Gloria.

De Gratia.

H

i.non

Tentatio

V

VERBVM DEI.

Quum

F I N I S.